

P. VIRGILII MARONIS POSTERIORES SEX LIBRI ÆNEIDOS ARGVMENTIS, EXPLICATIONIBVS NOTIS ILLVSTRATI,

Auctore Ioanne Ludouico de la Cerda Toletano Societatis IESV, in curia Philippi Regis Hispaniæ Primario Eloquentiæ Professore,

Editio quæ non antè lucem vidit.
Accessit ad calcem Index Erythræi ad faciliorem vocum disquisitionem.

LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.
M.DC.XVII.

IOANNI BAPTISTÆ, VINCENTIO, IOSEPHO, FABIO SQVARCIAFICIS

Nobilissimis, Doctissimis, Humanissimis, Concordissimis Fratribus

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA

S. D.

NVLLOS vnquam æquiùs quàm VOS, viri principes, optare patronos potui, vt quos exornat Nobilitatis gloria, Doctrinæ claritas, Humanitatis ius, virtus Concordiæ. Has lineas non transiliam. Nobilitatem vestram annales Genuenses loquuntur, Doctrinam docti, Humanitatem miseri, Concordiam vniuersi. Hanc dum agito quadrigam, spectent illi, qui falso Nobilitatis fuco gloriantur, qui inani Doctrina insolescunt, qui Humanitatis iura abiiciunt, qui parùm in suos Pij sunt.

NOBILITAS vestra non ea est, quæ à vobis inceperit, aut vestris parentibus, auis, atauis: superat longissimè hæc nomina. Nam vestros atauos felicia iam tum cunabula exceperunt; partúsque illorum clarissimi fuerunt: quantúmque mens humana respectare cogitando potest, tantùm antiquitatis Nobilitas vestra sibi ab omni æuo vendicat. Nulla in hac re fides maior, quàm carere certi temporis fide. Claudit in se antiquitas occultátque primum originis huius principium, & quo occultius, eo augustius. Id adeò certum, vt iam ab anno septuagesimo decimosexto Varonem Magnum Germaniæ, quem fasti vestri primum numerant, nobilissimum ex historiis fuisse constet. Secuti post illum viri omni æuo nobilitate præstantes, siue pacis, aut belli munia spectentur, siue equestrium ordinum & marchionatuum tituli. Fuisset res ista clarior nisi Genuensia archiua anno centesimo supra millesimum misero incendio corrupta periissent: quam calamitatem non florentissima modò Squarciaficorum familia, sed reliquæ Genu-

enſes lugent, vt in qua maxima antiquitatis decora, & maiorum monumenta perierint. At cùm de nouo fieri faſti nobiliſsimæ Reipub. cœperunt, ſtatim anno poſt cladem illam ſeptuageſimoſeptimo inueniuntur Squarciafici ad publica officia recepti, ad quæ non niſi nobiles; illíſque inſignis eſt platea, quæ in eo populo ex more gentis maximum eſt nobilitatis indicium. Sed ad tantæ familiæ gloriam vos appello illuſtriſsimas animas Nicolai, Iacobi, Ambroſij, quæ diuerſo æuo floruiſtis, ſed vnius Squarciaficorum nomine clariſsimæ. Certè humus illa, quæ veſtra corpora, non gloriam obruit: adhuc loquuntur cineres victorias partas; & ſepulcra maieſtatis plena, quales ipſæ fueritis, indicant. NICOLAVS in Piſano bello præclarè floruit, egregiámque operam contulit in fœderibus illis, de quibus illuſtriſsima mentio in annalibus Genuenſium. IACOBVS præfecturæ biremium quatuordecim præpoſitus, quas Reſpublica illi, maritimi Imperatoris ac generalis Principis titulo, adminiſtrandas commiſit; vix dici poteſt qua felicitate maria illa à piratis purgauerit, & Menarolam eiúſque caſtellum Genuenſium Imperio ſubiecerit. AMBROSIVS vero dominus fuit inſulæ Pantalereæ: & quantum eſt poſſe in veſtra familia numerari principes viros inſularum dominos? Iam ſi ad illuſtriſsimas familias conuertar, cum quibus clariſsima hæc domus connubia contraxit, nulla penè eſt earum, quæ cum hac vna nuptias iniuiſſe non maximopere glorietur. Atque ita ex nobiliſsimis familiis vxores illuſtriſsimas duxiſtis clariſsimi Squarciafici, & tales Heroïnas, qualẽ omnes tuam, ô VINCENTI, in Curia Philippi Regis MARIAM FIESCVM vidimus pulchritudine corporis, modeſtia vultus, ſermonis ſuauitate, ſed maioribus adhuc animi dotibus ſpectandam: vt in qua ingenij acumen ſingulare erga reconditas diſciplinas & politiorem doctrinam, præſertim Muſas, ita vt auxiſſe illarum numerum crederetur; tanta in pangendo carmine venuſtas inerat. Sed ceſſo, ne tuas, & totius populi lacrymas renouem, qui ingenti luctu vidit illuſtriſsimam feminam annos agentem nondum vnum ſupra viginti ad ſepulturam duci, paruúmque filium vix triennem eodem fato abreptum, & tres ſorores virgines. Hæc vaſtitas quem non pupugit? Mœrent adhuc mortales vni familiæ tot acerba funera contigiſſe; & meas nunc, cùm tot obitus immaturos ſcribo, lacrymas iam hæc pagina perbibit. Sed recreo calamum obtuſum hebetatúmque hoc luctu: reſumet ille noua acumina ſcripturus de altera nobilitatis veſtræ ſtirpe, nam hactenus paternam tantùm memoraui: & quanta eſt etiam materna Iuſtinianorum? Hi quoq; ad honores omnes admiſsi, ad quos non niſi nobiliſsimi Genuenſes, eadem decora cum Squarciaficis, idem ſplendor generis, maieſtas eadem, claritudo eadem: aucta inſuper multis Cardinalitij galeri, & Epiſcopalium infularum dignitatibus. Quid ſi memorem ornamenta militiæ IOANNEM, & IACOBVM Iuſtinianos? Quorũ prior dux maximus Imperatoris Conſtantini vltimi Principis Byzantinorũ Conſtanti

ſtantinopolim menſes octo ſupra decem ab impetu Barbarorum defendit, ac tunc illa concidit cùm ille concidit: poſterior in bello Genuenſium contra Alphonſum Regem Aragonium & Neapolitanum non ſolùm egregiam operam nauauit, ſed in eo vno alterius partis fortuna poſita exiſtimata eſt, adeò vt victus Rex Iacobo deditionem ſe facturum, nemini præterea condixerit, & ita factum; tanta erat auctoritas viri.

Iam verò ſi non ſolùm illi de vrbibus bene merentur qui nobilitate & rebus geſtis ſempiternam ſui memoriam poſteris reliquerunt, ſed etiam qui præclaras artes honore proſequuntur, quid de vobis exiſtimandum eſt viri DOCTISSIMI, qui eas etiam exercetis? Vos certè literarum ſtudia coluiſtis, & nunc colitis. In veſtris ædibus Philoſophia perſtrepit, intérque rationales pecuniariæ rei libros Ariſtoteles cernitur, & quæſtiones phyſicæ paſsim agitantur: iam Aſtrologiæ eſt locus, inque ipſis pluteis cernuntur cœleſtis & terreſtris machinæ globi magnitudine viſendi mira, & formis grandibus decorati; tum etiam inſignes ſphæræ, & terrarum orbis cartæ: nec carent Muſæ honore ſuo, quando pangendi carminis gloria excellitis: nec ratio prudentiæ, quæ diſcitur à politicis ſcriptoribus Tacito, Liuio, Salluſtio. Quis putaret Genuenſes viros tanto literarum ardore incendi, vt librorum cupidi magnam diei partem in illis euoluendis inſumant: intérque alios cum præcipuè Doctores magnos Eccleſiæ, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, alios? O vos maximi Squarciafici, ex quorũ ædibus tanquam ex emporio exportatur loco mercium naturalis quæſtio aliqua definita, cœli ambitus exſertus, Muſarum cantilena, prudentiæ ratio, & honeſta virtus. Exiſtimantur videlicet, idque meritò, magnæ eſſe merces Iuſtitia, Vrania, Calliope, Minerua, Themis.

HVMANITATEM tertio loco propoſui, quam in vobis admiror. Quale enim eſt viros nobilitate, & opibus præſtantes ea eſſe virtute præditos, quæ faciles omnibus ingreſſus præbeat, & reſpuat neminem? quæ nihil ſibi arroget & ſubleuet aliorum inopiam? quæ non ab honeſta grauitate deficiens comitatem cunctis & ciuilitatem exhibeat? Nomen veſtrum tantam hanc virtutem præfert, æquatiſque illud quod conuenit Squarciatis diuiſi erga omnes humanitate. Hanc virtutem aliarum cumulus ſequatur neceſſe eſt. Si enim Homero licuit, vt interpretatur magnus ille Euphrada, Humanitati adiungere fidem, iuſtitiam, integritatem, pudorem, virtutéſque alias quæ ab humana charitate proueniunt; cur non eaſdem vobis adſcribam præſtantiſsimi viri? Etenim qui φιλάνθρωπος eſt, ait ille, ineſt proinde in eo φιλότης ὁ δολερά, ὐδ' ἐπίβȣλος, nam qui ſubdolus eſt & inſidioſus, longiſſimè abeſt ab amore illo, cui erga vniuerſos homines vna præeſt Humanitas. Iraque ædes veſtras clementia, benignitas, manſuetudo poſſident Humanitatis comites, illáſque tanquam firmiſsimi ſatellites muniunt,

muniunt, ad quas malignitas nulla succedit, nulla propinquat calumnia, criminatio omnis arcetur.

Restat virtus illa omni æuo vt magna, ita etiam rara, quam in vobis stupeo, fraterna scilicet CONCORDIA, quæ vna virtus necesse est accedat ingenti aliarum numero comitata, vt quæ sola esse nequeat, sed multas habeat comites administrásque virtutes. Nescio qua mortalium calamitate factum, vt fratres fratribus aduersentur; nisi lues ista à prima conditi orbis origine iam tum eruperit, cùm princeps frater vita fratrem priuauit, quod venenum in reliquos fusum est fratres, & inde in primos quoque Romani Imperij conditores propagatum. An vos alia natura estis Genuenses viri, quàm reliqui mortalium? non certè, sed alia virtute. Tantùm abest, vt inuidia aut odio rapiamini, vt potiùs mutuo & ardentissimo plusquàm credi potest amore innexi, charitatis ignem exspiretis. Vnus vos exercet ludus, vna lætitia dissoluit, seueritas vna coërcet, disciplina vna conformat. Vt naturæ necessitas germen cogit eius à qua pullulauit radicis persimile esse, ita vos virtus simillimos facit, nec inuita tamen, sed blando quodam charitatis imperio. Quale, Deus Maxime, spectaculum æuo isto mortales cernimus, fratres scilicet concordissimos, æqualiter non dico sentientes, sed etiam exspirantes: domum officinam amoris, penum beneuolentiæ, emporium charitatis! penates in quibus habitant tres Gratiæ vno nexu, vno nodo, vno vinculo! Si contentio aliquando, semper ea sancta, quia manente charitate, & ea tandem in id recidit, vt neuter à neutro superetur: quin contentio illa semper ad incrementum siue literarum, siue virtutum ex proba æmulatione: nam hanc qui neget, virtutem neget. Peperit olim Venus Amorem (recurro ad fabulam mysterij plenam) cetera quidem formosum, & tanta dignum parente, cui tamen hoc deerat, vt corpus nunquam cresceret, sed ea semper statura esset, qualis cùm editus erat. Mœret mater & Gratiæ nutrices, adeúntque Themidem interrogantes, quanam ratione puer deberet in molem corporis excrescere. Tum matri Themis; Tuus puer, ô Venus, nasci solus potest, crescere solus non potest. Anterote tibi opus est, si Erotem cupis crescere. Hæc enim amborum fratrum natura erit, vt alter alteri incrementi sit causa: cùm enim sese inuicem aspexerint, æqualiter adolescent. Paret Venus, & Anterotem parturit, statímque crescere Amor cœpit, & pennas producere, ac fieri grandior. Si quando solus, tunc marcidus; si cum fratre, tunc adultus. O vos felicissimi SQVARCIAFICI, qui semper ex mutuo congressu fraternarum æmulatores virtutum crescitis! In vobis vnis agnosco pennatos Erotas, pennatos Anterotas, alter alteri estis incrementi causa. Omnes moribus clementes, quia maior ingenio placidus: omnes singularis eloquentiæ & nitidæ literaturæ pleni, quia prior ille politiores doctrinas coluit. Omnes denique nescio qua naturæ confor-

mitate

mitate læti vultu, pulchri corpore, amabiles moribus, grati omnibus, iucundi vita; vt nihil ad omnem æqualitatem desit præter ætatem quæ esse par nequiuit; sed ita dispar, vt vno pene effusi partu videamini. Sic omnes contrà hostes criminum, vitiorum inimici; desidiæ osores, fugitantes inuidiæ, omnium demum animi pestium vitabundi. Magna hæc vestra inauditáque fraternitas omnibus admirationi est, vt non æui huius, & nullius fortasse: mihi verò venerationi, vt planè cœlestis. Cuius ergo tam felix oratio esse posit, cuius ingenij tanta fœcunditas, vt tot virtutes æquare dicendo valeat? Clarissima vestra Nobilitas integrum petit scriptorem; Doctrina encomiasten, Humanitas oratorem, concordia panegyristen. Valete Nobilissimi, Doctissimi, Humanissimi, Concordissimi fratres. Dat. Matrit. VIII. Calend. April. Ann. M. DC. XVII.

***

Epigram

Epigrammata fratrum quatuor Squarciaficorum ad Ioannem Ludouicum de la Cerda.

IOANNIS BAPTISTÆ.

CUm Vatem, & tanti cerno ſenſa eruta Vatis;
Præſtas Virgilio? Virgiliuſne tibi?
Hoc auſim; quantum Italiæ decus addidit ille,
Hiſpanis tantum Cerda dediſſe tuis.

VINCENTII.

CErno Anchiſiadem reuocatum ad luminis oras,
Qui vixit, viuit lumine Cerda tuo.

IOSEPHI.

CVltas quiſquis amat cognoſcere Palladis artes,
Virgilij euoluat gemmea ſcripta tui.
Dulcia fœcundæ mentis libamina præſtas
Floribus ex variis ſedulus inſtar apis.
Fama volans nomen clarum iam dedicat orbi,
Æternum viuet, nec morietur opus.

FABII.

INſignis pietate viri memoranda cothurno,
Quæ canit illuſtri carmine facta Maro,
Obruerent triſtes tenebræ, ni lumen auaræ
Mentis Cerda tuum panderet ingenium.
Quàm Maro Troiano, tantum decus ipſe Maroni
Affers: ſic nomen debet vterque tibi.

Dominici Rauaſcherij ex Comitibus Lauaniæ Epigramma.

CErda velis magnis cum Regibus acta tuorum
Fœdera, ſeu Reges enumerare tuos.
Clarum ab ſtirpe genus pariter pietate, vel armis
Æternum referes, nec tibi vana fides.

Illa

Illa olim fuerint veterum decora alta parentum,
Nunc tibi sint Musæ, Castaliúmque nemus.
Atque hæc magna satis, dum Phœbo digna locutum
Virgilióque tuum fama loquetur opus.

Henrici Bentlei Angli.

DOcta manus diti si quid cælauerit auro,
Materiámne probes ambigis, anne manum?
Dúmque probes vtram magis, ambigis; vtraque sese
Ambarum iuncta plus tibi laude probat:
Alteráque alterius consensu gratior, auget
Materiésque manum, materiémque manus.
Quàm bene, consorti laudis certamine, profert
Doctum opus in dites Cerda Maronis opes.
Vtra prior laus sit dum litigat vtraque, laudem
Altera ab alterius laus sibi laude capit.
Altera vt alterutri certet; Maro nescio Cerdæ
Anne opus, an vincat Cerda Maronis opes?

Ioannis Baptistæ Auendanni Hispani. Virgilij & Commentatoris contentio.

VTrum vter illustret quis iudicet? est tamen hæc lis
Arbitrio, Salomon Rex, dirimenda tuo.
Ille sibi pulchrum peperit decus: hunc quoque parti
Nominis illustris gloria nata decet.
Concubuere simul Vatis, Sociique labores,
Lúxque vnum ex duplici reddidit alma decus.
Scilicet oppreßit genitum pater vnus honorem:
Ille suum repetit, vendicat iste suum.
Diuisum inclamat Maro, nec bene credit habere,
Ni scindatur honos: hoc amat, idque petit.
Non ita, tu contrà: detur laus integra Vati.
Iudicat hîc Salomon. Gloria nata tua est.

IVDICIVM

IVDICIVM REGII CENSORIS.

TERTIAM *hanc Argumentorum, Explicationum, Notarum partem P. Ioannis Ludouici de la Cerda* ex præſcripto ſupremi Senatus perlegi, & perquàm auidè: quem enim non illicò adlicerent ſtili candor, rerum varietas, & tanti operis maieſtas? Nihil in eo ſancta fides non ſanctum, nihil probi mores non probum, nihil politiores Muſæ non politiſſimum agnoſcunt: tam piè, tam ſolidè, tam doctè condit omnia, fœderátque profanos auctores cum ſacris in ſummi Vatis gloriam ſummus Scholiaſtes. Digniſſima ergo eſt hæc eius germana ſoboles, quæ cum prioribus lucem videat, & communi tum vita, tum honore æternùm fruantur ſupremus Poëta, ſupremus Interpres. Dat. Matrit. III. Non. Ianuar. Ann. M. DC. XVI.

ANTONIVS ROSSAS.

Facultas Reuerendi Patris Prouincialis Societatis IESV in Toletana Prouincia.

EGO Ludouicus de la Palma Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Ferdinando Alberto Vicario Generali Societatis IESV, facultatem concedo, vt *Argumenta, Explicationes, Notæ, Patris Ioannis Ludouici de la Cerda in ſex poſteriores libros Æneidos*, grauium doctorúmque hominum noſtræ Societatis iudicio approbata typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti pridie Calendas Maij, Anno Domini M. DC. XV.

LVDOVICVS DE LA PALMA.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGO Bartholomæus Iacquinotius Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, Opus quod inſcribitur, *Commentarij P. Ioannis Ludouici de la Cerda Societ. IESV, in Curia Philippi Regis Hiſpaniæ Primarij Eloquentiæ Profeſſoris in ſex poſteriores Æneidos libros*; iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunenſi Bibliopolæ, vt ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 7. Iulij M. DC. XVII.

B. IACQVINOTIVS.

APPRO

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Magiſter,& in S.Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac Lugdunenſi Diœceſi,à Domino Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus, nos *P.Ioannis Ludouici de la Cerda è Societate IESV in Curia Philippi Regis Hiſpaniæ Primarij Eloquentiæ Profeſſoris Commentarios in ſex poſteriores Æneidos libros perlegiſſe*, nihilque in illis contra doctrinam Catholicæ, Apoſtolicæ,ac Romanæ Eccleſiæ contineri. Lugduni apud Sanctum Paulum die 10. Iunij 1617.

DE VILLE.

R.D.D.de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus,& Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, in ſuprema Dombarum Parlamenti Curia Conſiliarius, Galliarum Primatiæ Officialis, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis, viſa Theologorum approbatione: Opus quod inſcribitur, *Commentarij P.Ioannis Ludouici de la Cerda Societatis IESV, in Curia Philippi Regis Hiſpaniæ Primarij Eloquentiæ Profeſſoris in ſex poſteriores Æneidos libros*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 4.Auguſti 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIBRVM hunc,qui inſcribitur,*Commentarij P.Ioannis Ludouici de la Cerda Societ. IESV,in Curia Philippi Regis Hiſpaniæ Primarij Eloquentiæ Profeſſoris in ſex poſteriores Æneidos libros*,Ego Iacobus Daueyne Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi conſentio.Lugduni 4.Auguſt.1617.

DAVEYNE.

LIBRVM hunc inſcriptum,*Commentarij P.Ioannis Ludouici de la Cerda Societatis IESV,in Curia Philippi Regis Hiſpaniæ Primarij Eloquentiæ Profeſſoris in ſex poſteriores Æneidos libros*,ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus: ſimul ne quis citra factam ei ab ipſo poteſtatem, denuò excudat, interdicimus.Dat.Lugduni die 4.Auguſti 1617.

SEVE.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est; atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inscribitur, *Commentarij P. Ioannis Ludouici de la Cerda Societ. IESV, in Curia Philippi Hispaniæ Regis Primarij Eloquentiæ Professoris in sex posteriores Æneidos libros*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum,

BERRVYER.

PHILIPPI III. Hispaniarum Regis licentiâ data Madriti decimaoctaua Februarij anno millesimo sexcentesimo decimosexto, & signata MARMOL, concessum est P. Ioanni Ludouico de la Cerda Toletano Societatis IESV, in Curia Regis Hispaniæ Primario Eloquentiæ Professori, vt *Commentarios in sex posteriores Æneidos libros* extraneo Bibliopolæ cui voluerit, tradat manuscriptos qui excudantur, atque in lucem emissi virtute istius licentiæ in omnibus terris suæ potestati subiectis liberè diuendantur.

P. VIR

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER VII.

ARGVMENTVM.

SOLVIT Æneas Caieta, solutis priùs exequiis nutricis; describitur Circæ Regia, eiúsque incantationes. Appellunt Troiani ad littus in ea parte Italiæ, qua Tyberis influit in mare. Narratur genus Latini, Lauinia eius filia, Lauiniæ procus Turnus, Amatæ Reginæ in illum studia, belli Italici prodigium duplex; Fauni oraculum ad Latinum, quo monetur filiam dandam externo. Euulgat Latinus oraculum, ac per id tempus Æneas in Italia pedem fixerat. Parant sibi Troiani conuiuiolum in loco herbido, & consumpto cibo mensas appetunt; rem primus omnium animaduertit Ascanius, obstupescit, & gaudet Æneas ad tantum omen, ac reuocato in memoriam pristino oraculo, intelligit eum esse fatalem terminum errorum. Firmantur Troiani cœlesti signo; mittit Æneas oratores ad Latinum cum donis; describitur Regia Latini, aui, ataui. Sequitur oratio eiusdem ad Legatos, cui Ilioneus respondet, & offert munera; quo audito reuocat Rex in memoriam Fauni patris oraculum, quo iubebatur collocare natam externo viro; hærétque, an hic sit Æneas, ad quem remittit mandata amoris plena, & addit dona. Hoc puncto temporis iacitur semen ad rem planè tragicam ex interuentu Iunonis acerrimæ hostis Troianorum, quæ tota queribunda interminatur Troianis dirissimum bellum Latinum. Nec mora, adit inferos, eruit inde Alecto Furiam, cui dat negotium turbandæ pacis, serendi belli inter Troianos, & Latinos. Rem Furia perficit, assumpta ad tragœdiam Amata, quæ filiam in syluas abdit; assumpto Turno, quem ad iram incendit: inchoato demum bello ipso ex prætextu percussi cerui; vocatis agricolis ad arma, vbi cadit Almon Tyrrhi filius, & senex Galesus. Compos itaque votorum Furia adit Iunonem, promittens maiora; contenta Iuno vetat plura, illámque cœlo exterminat: describitur locus in quem se Furia abdit. Tunc omnes Itali, Iunone acuente, bellum conclamant, pastores, Turnus, vrbani iuuenes; resistit vnus Latinus, canens Turno exitium. Adiungitur mos indicendi belli reseratis portis Iani, à qua re Latinus abstinet, sed Iuno aperit; imò frangit, bellum indicens. Sequitur statim furor militaris totius Italiæ; feruent omnia armis, furore, strepitu. Inde incipit catalogus euntium ab bellum contra Æneam. Primi omnium numerantur Mezentius, & Lausus; deinde Auentinus, tertiò Catillus, & frater, quartò Cæculus, quintò Messapus, sextò Clausus, septimò Halesus, octauò Oebalus, nonò Vfens, decimò Vmbro, vndecimò Hippolytus; demum Turnus, & post illum Camilla, quæ librum claudit.

a TV quoque littoribus nostris Æneïa nutrix
Æternam moriens famam Caieta dedisti.
b Et nunc seruat honos sedem tuus; ossáque nomen
Hesperia in Magna (si qua est ea gloria) signat.
c At pius exequiis Æneas ritè solutis,

Aggere composito tumuli; postquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portúmque relinquit.
[d] Aspirant auræ in noctem, nec candida cursum
Luna negat, splendet tremulo sub lumine pontus.

ARGVMENTVM.

Soluit Æneas Caieta, solutis prius exequiis nutrici, cui portui nomen ipsa dederat ibi functa.

EXPLICATIO.

[a] MISENVS nomen dedit monti in Campania, Palinurus promontorio in Lucania; & hi quidem duo Troiani: tu quoque ô Caieta nutrix Æneæ famam, & hanc æternam attulisti littoribus Italiæ: nam à te Caieta portus nomen accepit, quia tu ibi functa.

[b] Dixerat famã illam fuisse æternam; probat: nam adhuc *honos tuus seruat sedem*, id est, sepulcrum in honorem tuum ibi structum adhuc retinet eandem sedem. Et nomen Caietæ adhuc signat, designátque inibi esse tua ossa, quæ sanè gloria aliqua est ad solatium tuum. Sed hoc cum dubitatione: nam videlicet putabant veteres nihil funebrium pertinere ad defunctos.

[c] Æneas tamen verè pius, non priùs soluit, quàm iusta nutrici solueret, aggerato tumulo: quo facto, soluit tranquillo mari; velis in altum ablatis. Præclarè hîc, *æquora*, non freta, aut aliud: nam cum respectu ad *quierunt*: sunt enim æquora propriè cùm æquata, & quieta. Ait, *Tendit iter velis*, quia, vt extenta vela, ita extentus cursus, ait Seruius.

[d] Fauent omnia nauiganti Æneæ, aura, Luna, pontus. Aura quippe adspirat, hanc vt copiosam notet, plurali vtitur. Luna lucem præbet ad cursum: pontus splendescit lumine accepto à Luna. *In noctem* est, circa noctem. Lumen dicitur tremulum ab fluctuante, & inquieta vnda.

NOTÆ.

1. TV QVOQVE.] Simile exordium illud,
Te quoque magna Pales. ———
Et Columellæ:
Hortorum quoque te cultus Syluane docebo.
Symposij:
Hac quoque Symposius de carmine lusit inepto.

Nostrum, id est, Italicũ. 2. NOSTRIS.] Italicis, quod verè Seruius: nam 2. Georg.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.
ad distinctionem aliarum terrarum. Sic 2. Æneid. *Noster eris*; ad discrimen Græcorum. Sic Iustinian. Instit. *Virgilius noster*; opponens Græcis, quibus suus Homerus.

3. NVTRIX.] Suam Æneas nutricem Troiæ eduxerat, vt Dido nutricem Sichæi vrbe Tyro.

Loca vnde accipiãt nomina. 4. ÆTERNAM MORIENS FAMAM.] Vsitatum hoc, vt nomẽ accipiat locus ab aliquo, quẽ sacrare memoriæ volumus. Hic igitur pietas Æneæ enituit. Sic Herodot. in lib. de vita Homeri. Σμύρναν ἔθετο τὸ ὄνομα Θησεύς, μνήμην ἐθέλων ποιέεσθαι τῆς γυναικὸς ἑωυτοῦ· ἦν γὰρ αὐτῇ τὸ οὔνομα Σμύρνη: *Theseus Smyr-*

A *nam ab vxoris nomine appellauit, cum vellet eius memoriam esse superstitem: id enim erat vxori nomen.* Similis successus nomina adduxi lib. 6. Non abhorret, locum illum, qui Athenis dictus est Academia, ita appellatum ab heroë illius Gymnasij, vbi docebat Plato, conditore. Vlpianus in eam, quæ est contra Timocratem. Ἡ μὲν Ἀκαδημία ἀπὸ ἥρωός τινος Ἀκαδήμου κέκληται τὸν τόπον. Leucosia insula nomen accepit à consobrina Æneæ ibi sepulta, vt scribit lib. 1. Dionysius. Corruptè legitur apud Festum *Lectosia*, quod iam Scaliger in illum, & in Plinium Dalecamp. Ait Solinus c. 8. *Insula Ligia ab abiecto ibi corpore Sirenis ita nominata.* Sic & Neapolis dicta est Parthenope à sepulcro Parthenopes, ait idem. Pedanum agrum Italiæ ita dictũ à Pedanio quodam ibi sepulto, interpretes aliqui Horatiani meminêre epist. 4. lib. 1. Qui huius rei segetem velit, adeat Paus. in quo nihil crebrius. Ab illo similem tantùm historiam volui in Corinth. vbi ait, Euboean montem ita dictum ab nutrice Iunonis. — Academia vnde dicta.

B

5. CAIETA.] Quadruplex est etymon huius vocis. Primum est Seruij adducentis ex Philologis dici ἀπὸ τοῦ καίειν: nam illi aiunt classem Troianorum hoc loci crematam. Hoc idem Aurelius Victor fragment. de origine gentis Romanæ. Alterum Strabonis lib. 5. affirmantis ita appellatam à Laconibus, qui caua omnia καιάτας appellant. Verba eius τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καιάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσι. Straboni affinis nota Hortensij admonentis à Bœotis voragines dici [illegible] & à Spartanis barathrum [illegible]. Quas voces consentaneas esse cum cauitate Lector satis conijcit. Putabam ego hinc ortam Hispanam vocem *canada*. Tertium *caiare*, fuit priscis Romanis *comprimere, coarctare, compescere*: & *caiatio coarctatio*, & *caiatio coercitio*. de qua re videndus Dousa lib. 3. Præcid. c. 6. Ergo, cùm aqua maris, quæ est libera, iam ipso portu constricta, & arctata sit; rectè portui Caietæ nomen inditur. Quartũ Virgilij hic ab nutrice Æneæ, quod Strabo commeminit, addens; ἔνιοι δ' ἐπώνυμον τῆς Αἰνείου τροφοῦ τὸν κόλπον φασίν. *Alij sinum ipsum ex Ænea nutrice cognomen duxisse ferunt.* Quod Solinus indubitatum relinquit cap. 8. *Inter omnes perspicuè conuenit ab nutrice Caieta, Caietam.* Vide etiam Dionysium lib. 1. — Caietæ etymologiæ quatuor. — Caiare, quid.

C

6. ET NVNC SERVAT HONOS, &c. Dictum hoc de inscriptione nominis, quod tumulo incidebatur, Turnebus ait: nam est apud Ouidium lib. 12. Metamorph. — Honos de inscriptione tumuli.

D

——— *tumulo quoque nomen habenti*
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Eodem possit referri illud eiusdem lib. 13.
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Nam idem expressè lib. 14.
——— *vrnáque Æneïa nutrix*
Condita, marmoreo tumulo breue carmen habebit.
Sic etiam capio Silium lib. 12.
Nec non Misenum seruantem Idæa sepulcro
Nomina. ———
Quin nulla alia origo titulorum, & inscriptionum in sepulcris, quàm hæc. Lucanus lib. 8.
Nautaque ne bustum religato fune moueret,
Inscripsit sacrum semiusto stipite nomen.

Hic

Hic situs est Magnus.——
Sed & indicia alia adhibebantur. Idem eod. lib.
Interea paruo signemus litora saxo,
Vt nota sit busto, si quis placare peremptum
Fortè volet, plenos & reddere mortis honores,
Inueniat trunci cineres, & norit arenas.
Cùm Valer. Max. lib. 6. c. 1. de femina sepulta ad litus maris dixit; *ad hoc tempus tumulus contegit,* de inscriptione necessariò capi debet. Ouidius 8. Metamorph.
——*Signatáque saxo*
Nomina.——
Est verò in Poëta ὑπαλλαγή. pro, *sedes seruat tuum honorem.* Sic, *dare classibus Austros*; & centena alia. Obseruo hîc morem, quo veteres sepeliebant mortuos suos sæpissimè eodem loci, quo mortui essent, idque ex religione. Firmat hoc Æmilius Probus, qui de Pausania ita scribit: *Cuius mortui corpus cùm eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quò hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus, & procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius Dei Delphici responso erutus, atque in eo loco sepultus, vbi vitam finierat.* Hoc idem firmant historiæ Miseni, & Palinuri. Neque abit illud, quod est apud Sueton. in Galba: *Senatus vt primùm licitum fuit, statuam ei decreuerat rostratæ columnæ superstantem in parte fori, qua trucidatus est.*

Mortui sepeliebantur eo loci quo mortui fuissent.

7. HESPERIA IN MAGNA.] Id est, Italia. Sic est ambitio mortalium. Hesperus enim frater Atlantis Hispaniæ nomen dedit; ab illo enim vocata Hesperia est. Mox fratrem fugiens euasit in Italiam, quæ ab eo quoque nomen accepit: & tamen Itali ambitiosè ad discrimen nostræ Magnam appellarunt. Hispania quidem dici debuit Magna Hesperia, Italia minor, cui nomen cõmunicatum est ab Hispano homine. Eandem cladem passa est Græcia, cui Magnæ nomen ademptum est, datúmque parti Italiæ.

Italia dicta Magna ambitiosè.

8. EXEQVIIS.] Vox propria. Terentio simplex placuit.
——*funus interim*
Procedit, sequimur, ad sepulcrum venimus.
Græcos vsurpasse ad rem candem προπέμπειν, συμπέμπειν, ἐκπέμπειν iam Kirchmannus notauit, firmauítque exemplis lib. 2. de Funeribus cap. 10

Sequor in re mortuorũ.

9. AGGERE.] Respondere huic τάφον χεύαντες iam te docuit Turn. ex Luciano. Quò maior enim aggestio excrescentis tumuli, eò maior honor putabatur. Inde Æschyl. (citat idẽ) πελώριον τάφον. Hoc ego iam latè 6. Æneid. loquens de Miseno. Est & vox hæc propria tumuli. Seru. in 3. Æn. *Tumulus, quia aggeritur eo tellus.* Isid. *Tumulus, quasi tumens tellus.*

Agger de sepulcris.

10. COMPOSITO.] Sic Græci θεῖν de defunctis, & τιθέναι. Seneca epist. 30. *Bassus noster videbatur mihi prosequi se, & componere, & viuere tanquam superstes.* Vide quæ iam copiosè 1. Æn. ad illud,
Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Compono in re mortuorum.

11. ASPIRANT AVRÆ IN NOCTEM.] Ad verbum Apollon. 1. Arg. ἐπιπνείουσιν ἀῆται. Sed cur *in noctem*? Erutum hoc ex Philosophia, vt docet Aristotel. lib. 2. Meteor. cap. 5. *Nam Sol* (inquit ille) καταπαύει πνεύματα, *compescit flatus*; qui solent excitari nocte aduentante: cùm enim maceret halitum, facit vt auræ conquiescant. Vide plura in illo. Vnde & Plutarchus de Isid. & Osirid. loquens de aëre, νύκτωρ πυκνοῦται, *noctu densatur.* Notat etiam Germ. crebram esse mentionem apud Cæsarem nocturnæ auræ in nauigatione.

Aura cur aduentante nocte.

12. CANDIDA.] Vt Sol dicitur igneo colore rutilare, ita Luna candido. Sic aurum ex metallis Soli, argentum Lunæ consecratur. Hoc cùm verum sit, quærit, & soluit Camerat. in Problem. cur Homerus conuersim vocet Phœbum ἀργυρότοξον, Dianam, χρυσηλάκατον? Tu in illo vide; ego contendo ad illustrationem Poëtæ. Hæc itaque absente Sole Troianis vicissim lucem dat, quam Plin. lib. 2. c. 9. vocat *Sydus in tenebrarum remedium à natura repertum.* & Stat. 1. Achill. de nauigante Thetide.

Candor de Luna.

——*Monstrat iter, totóque effulserat orbe*
Cynthia.——
Tacit. 1. Ann. *Inuit nox syderibus illustris.* Claud. Bel. Gild.
——*Nam clara nitebat*
Cynthia.——
Claudian. ab Apollon. qui 1. Arg. ἀπ' αἰθέρος αὐγάζουσα σελήνη. Et lib. 10. ait de Luna loquens, λαμπρὸν παμφαίνουσα μακρὰς ἀνέφαινε κελεύθους. *Splendidè affulgens longas ostendebat vias.*

13. SPLENDET.] De aqua, vt & Lucretius lib. 4. *Splendor aquaï.* & lib. 6. *Splendidus humor.* Oppianus hunc splendorem per risum explicuit: nam lib. 4. Hal. κύματος γέλως. Nicephorus etiam in versibus Onirocrit. qui circunferuntur, θάλατταν μειδιῶσαν, *mare ridens*; & Æschyl. in Prometh. dixit, ποντίων κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα: *marinorum fluctuum risus.* Vt & Lucret. lib. 1.
——*tibi rident æquora ponti.*
Accius per cachinnos: nam de vnda in Phinid. apud Nonium;
——*crepitu clangente cachinnat.*
Vt etiam Catul. de Nuptiis Pelei, loquens de aquis.
——*leuitérque sonant clangore cachinni.*
Ouidius, vt alij, ad argentum decurrit.
Fons erat illimis nitidis argenteus vndis.
Verè hic Poëtæ splendor est, qui Græcis γανῶσθαι dicitur. Sic θώρακες γανόωντες Homero dicuntur; sic γανόωσα χαλκώματα ait Eustathius. Nam ærea omnia dicuntur nitere.

Splendor de aqua. & Risus, & Cachinnus, & Argentum.

14. TREMVLO SVB LVMINE.] Ab Ennio credo, qui in Menalip.
Lumine sub tremulo terra, & caua cærula candent.
Lucretius etiam lib. 6.
Præterea Solis radiis iactatur aquaï
Humor, & in lucem tremulo rarescit ab æstu.
Catull. de Nuptiis Pel. *tremuli salis.* Ab omnibus Propertius.
Armorum radiis picta tremebat aqua.
Pulcherrimè Claud. 1. Rap.
——*tremulis vibratur in vndis*
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Et Stat. lib. 6. Theb.
Vibratúrque fretis cœli stellantis imago.
Lucan. 5. de mari.
——*Solis imagine vibrat.*
Adhibet rationem Turneb. nam veteres splendorem luminis vocarunt *tremorem.* Ita Lucretius de Astris,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum.
Ad quam rem consentaneè Cic. *tremulos ardore cometas.* & Noster lib. 8. *tremulum lumen.* & in Eclog. *tremulis flammis.* & Lucret. lib. 4. *tremulis ignibus.* & Manil. lib. 1.
Fulgura cùm videas tremulum vibrantia lumen.
Atque etiam Stat. 1. Theb.
Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.
Sunt verò elegantes Latini in commutationibus metaphorarum: sicut enim quæ splendent, dicuntur tre-

Tremor de aqua. Vibro de aquis. Splendida dicũtur tremere, & Tremeutia splendere.

tremere; ita conuersim quæ tremunt, splendere. Ita 7. Æn. *syluis coruscis*, pro trementibus. Alibi, *hastámque coruscat*, id est, vibrat; &, *semianimésque micant digiti.* & centena. Credamus verò aquam dici *tremere*, quia non vno loco stat, sed concutitur, ad eum modum, quo dixit Lucretius:

Aqua cur dicatur tremere.

A *Fiet vti risu tremulo concussa cachinnent.*

Quemadmodũ enim risum ἰυρασεν Græci, ita quoq; aquam, quòd facilè concutiatur, neque stet loco vno. Quod Manil. lib. 1. dixit: *fluitarunt lumina.* Sic à concussione *tremulos cachinnos* dixit Pers. Sat. 3. videlicet γέλωτα συγκρούοντα.

a Proxima Circææ raduntur littora terræ,
b Diues inaccessos vbi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectísque superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
c Hinc exaudiri gemitus, iræq; leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Setigeríque sues, atque in præsepibus vrsi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum.
d Quos hominum ex facie Dea sæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum
e Quæ ne monstra pij paterentur talia Troës,
Delati in portus, neu littora dira subirent,
Neptunus ventis impleuit vela secundis,
Atque fugam dedit, & præter vada feruida vexit.

ARGVMENTVM.

Ex occasione cursus Æneæ describitur Regia Circes, eiúsque incantationes, ad extremum Neptuni cura in seruando Ænea.

EXPLICATIO.

a CVM Æneas soluit Caieta versùs Italiam; habuit in via proximam insulam Circes, quam non ausus ingredi, tantùm strictim attigit, & rasit leuiter, ac legit.

b In hac insula degebat Circe, quę Solis filia, & satis diues cõtinuo cantu in lucis amœnissimis æuum traducebat. Adhibet deinde argumentum diuitiarũ eius: nam & tecta erant superba, & in his tectis non vulgaribus lignis ad nocturna lumina vtebatur Circe, sed odorata, & pretiosa cedro. Tertiò ponit studium Circes in telarum textura: itaque non lanificio aut acui addicta erat, vt molles feminæ; sed telis, quæ virorum sunt. Has percurrebat pectine. Cur hoc vocat *argutum*, dicam in Notis. Vocat lucos Circes *inaccessos* ab timore, quasi non tutò adeundos. *Resonat lucos cantu*, est, facit resonare, explicatore Seruio.

c Audiuit in ipso cursu Æneas gementes atq; irascentes leones, sues, atque vrsos sæuientes, lupos vlulantes. Dicit, *exaudire, sæuire, vlulare*, pro, exaudiebantur, sæuiebant, vlulabant. Dicit, *sera nocte*, quia credibile sero noctis Æneam eò appulisse, qui initio noctis Caieta soluerat. *Rudentes* leones explicat, frementes, atque indignantes.

d Explicat iam, quæ hæ feræ: nimirum homines in feras conuersi sæuitia Circes, herbarum potentia.

e Ne quid simile Troiani paterentur, quos pios vocat ab pietate ducis Æneæ, Neptunus secundam admodùm nauigationem illis præbuit, fugæ persimilem, vexítque classem præter vada feruida, atque æstuosa, ac proinde periculosa. Subeant Lector, quæ

B Neptunus promisit Veneri ad calcem lib. 5. in fauorem Æneæ. *Dira littora*, sunt iam malè ominata, & infamia simili successu.

NOTÆ.

1. PROXIMA, &c.] Pendet hic locus ex Homerica imitatione lib. 5. Odyss.

Imitatio.

Ἤιεν, ὄφρα μέγα σπέος ἵκετο, ᾧ ἔνι νύμφη
Ναῖεν ἐυπλόκαμος, τὴν ἔνδοθι τέτμεν ἐοῦσαν.
Πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο, τηλόσε δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει
Δαιομένων, ἡ δ' ἔνδον ἀοιδιάουσ' ὀπὶ καλῇ
Ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.

C *Ibat, donec ad ingentem specum peruenit, vbi Nympha*
Habitabat pulchricoma, hanc verò intus inuenit:
Ignis quidem ad focum ingens ardebat, procul verò odor
Cedríque fissilis, thurísque per insulam redolebat
Ardentium: ipsa verò intus cantillans voce pulchra
Telam percurrens, aureo radio texebat.

In istis parem splendorem Macrobius inuenit cum Virgilianis; sed Scaliger in Virgilianis excellentiam, & rectè. Nam heroica est phrasis in illis *resonat lucos cantu*; & meliùs, *arguto pectine*, quàm *aureo*.

2. RADVNTVR LITTORA.] Verbum nauticum, vt apparet ex hoc loco, & ex lib. 3. vbi,

Rado, verbũ nauticum.

——*Proiectáque saxa Pachyni*
Radimus.——

Et ex 5. vbi de naue certantium,

Radit iter læuum interior.——

D Itaque Lucretius à mari locutionem accepit, cùm scripsit lib. 4.

Scilicet expletis quoque ianua raditur oris.

Flumina etiam dicuntur *radere littora*, pro, stringere, Græci παραξέειν dicunt: & Apollon. lib. 4.

——πέτρῃ παραμείβεσιν ὄχθας.

Itaque propriè dicentur *radi* littora, arenæ, cautes. Omnino quod in 5.

——*Stringat sine palmula cautes.*

Et quod Horat. Od. 10. lib. 2.

Nimium premendo
Littus iniquum.

Inaccessum.

3. INACCESSOS.] Pari forma lib. 8. de spelunca Caci;

——Solis inaccessam radiis.

Et Claud. 1. Rap. de infernis locis.

——nullúmque sub vmbris
Pectus inaccessum Veneri.——

Circes quod genus.

4. SOLIS FILIA.] Circen Solis filiam etiam facit Hesiodus in Theog. & Cicer. lib. 3. de Nat. & ante illos Homer. Odyss. 10. Porrò Virgiliano hoc loco deceptus Plinius lib. 13. c. 16. accipit Homeri versus, quos iam adhibui de Circe, cùm Græcus tamen de Calypsone scripserit. Redeo. Interpres Apollonij. Κίρκην τινὲς μὲν Αἰήτου ἀδελφὴν, τινὲς δὲ θυγατέρα φασὶν εἶναι: *Circē alij Æetæ sororē faciunt, alij filiam.* Hom. Odyss. sororē facit. Adducit deinde prædictus interpres Dionysiū Milesium, qui scribit, Circen verè fuisse filiam Æetæ, ac proinde sororē Medeæ; assignátque illi matrem Hecaten filiam Persei. Hoc verosimilius. Poëtæ tamen filiam faciūt Solis, fortasse, quia magica omnia vim à Sole capiunt. Diodorus lib. 5. narrat Solis fuisse duos liberos, Æetan, & Persen, Æetan regnasse in Colcho, Persen in Taurica, vtrumque efferum. Ex Perse ortam Hecaten doctissimam maleficiorum, quæ sublato patre, Æetæ nupsit, ex quo genuit filias duas, Circen, & Medeam: filium vnum Ægialeum. Hæc ille multis. Homerus tamen Persen ipsam facit matrem Circes: μητρὸς ἐκ Πέρσης. De loco, vbi Circe habitauit, quam Poëta, & alij vocant insulam, ait Dionys. lib. 4. Antiq. fuisse rupem instar peninsulæ in mari Tyrrheno. Non multùm abeunt quæ lib. 5. Diodorus scribit. Aristot. περὶ θαυμασίων meminit montis circa Italiam, quem vocat Circæum, vbi ait nasci venenum mortiferum.

Cantus labores leuat.

5. CANTV.] Scilicet ad leniendum laborem telæ. Noti hac de re versus Ouidiani. Inde pastor Eclog. 9. quærit cantum ad leuandum iter,

Cantantes vt eamus ego hoc te fasce leuabo.

Plutarchus adhibet initium musicæ non solùm voluptatem, sed etiam dolorem. Hoc idem satis indicat Maximus dissert. 25. vbi ait multos non posse tolerare virtutem nisi ψιθυρίζοντες, καὶ ψάλλοντες, *minurientes, & cantantes.* Vide, quæ iam ego lib. 1. Georg. ad illud.

Interea longum cantu solata laborem
Arguto coniux percurrit pectine telas.

Homerus quoque eandem Circen inducit canentem inter texendum.

ὦ φίλοι, ἔνδον γάρ τις ἐποιχομένη μέγαν ἱστὸν
καλὸν ἀοιδιάει.——

O socij, intus fanè aliqua percurrens ingentem telam
Pulchrè canit.——

Et de eadem.

Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ:

Circen autem intus audiebant canentem voce pulchra.

Sic & Claudian. lib. 1. Rap. de Proserpina lanificio occupata ait:

Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu.

Incentio Circæa.

Ammianus *incentiones Circæas* dixit lib. 30. ad signandas incantationes. Horat. epist. 2. lib. 1. Circen vocat meretricem, cui feminarum generi annexæ, vt plurimùm, istæ cantiunculæ. Itaque, siue laboriosam consideres, siue incantatricem, siue meretricem, illi quadrat poëticus cantus.

6. VRIT CEDRVM.] Dubitatur, an hîc cum interpretibus, & Turnebo etiam, atque Spondano accipienda sint ligna, vt dicat pretiosam materiam, non vilissima alia ligna, vri in ædibus Circes; an potiùs dicat, Circen pro vulgari oleo vri oleo expresso ex cedro. Causam dubitandi præbent verba Hesychij, qui ait veteres habuisse in mediis ædibus ἐσχάραν, id est, *focum,* ἐφ' ἧς ἔκαιον εἰς τὸ φωτίζειν αὐτοῖς ξηρὰ ξύλα, καὶ δᾳδία: *vbi vrebant sicca ligna, ac tædas causâ luminis.* Adducit hoc in voce λαμπτήρ. Seruius etiam explicans hunc locum, ait. *Hoc ideo, quia vsus olei apud maiores non fuit, præcipuè in Italia.* Apud Claudianum 3. Rapt. Ceres quæsitura filiam faces accendit ex pinu, cedro, abiete. Et apud Statium 3. Theb. mater quædam quæsitura filios in bello occisos,

Cedrina ligna ad vstionem.

Multifida attollens antiqua lumina cedro.

Vbi faces accensas intelligit. Spondanus etiam scribit, Homerum, & Virgilium induxisse hoc genus ligni ex decoro Dearum, quæ vterentur pretioso igne, non vulgari. Demum quia Poëta adspirans ad Lucretium, qui lib. 6. dixit:

Nónne vides etiam nocturna ad lumina linum
Nuper vbi extinctum admoueas?——

Ita videtur cedrum capere, vt ille linum. Certè Plinius verba Homerica iam adducta de arboribus explicat, aitque in deliciis habitum, vt arbores vrerentur. Verba illius sunt lib. 13. c. 16. *Thya nota etiam Homero fuit. Thyon Græcè vocatur, ab aliis thya. Hanc igitur inter odores vri tradit in deliciis Circes, quam Deam volebat intelligi, magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cùm præsertim eodem versu cedrum laricémque vnà tradat, in quo manifestum est, de arboribus tantùm locutum.* Quo tamen loci non caret Plinius reprehensione, qui Homerum de larice interpretatur: θύον enim thus est, non larix. Errauit etiam scribens θύϊν, cùm debuisset θύον. Vide quæ in illum Dalecampius. Sed redeo ad cursum. Porrò capi Poëtam posse non de lignis cedri, sed de succo cedri, qui esset pro oleo, efficiunt verba hæc Plinij lib. 24. c. 5. *Cedri succus magni ad lumina vsus, ni capitis dolorem inferret.* Quibus non solùm morem agnoscit, sed frequentem morem. Et fortasse ad rem eandē torqueri possint verba Seruij iam adducta. Dioscorides etiam lib. 1. c. 106. oleum ex cedro agnoscit. En quæstionem fundamentis munitam. Quid ergo ad Virgilium? Placet primum de lignis, non alterum de oleo: Primò, quia eò auctores plures, & docti inclinant: deinde, quia proculdubio Virgilius instirit vestigiis Homeri, quem de lignis capiendum euincit Plinij, & auctoritas, & ratio. Volo hîc sciās, caput illud Plinij annectendum cum superiore, neque separandum, vt in omnibus codicibus. Monuit hoc iam Philander lib. 8. c. 5. Vitruuij. Itaque ex vno capite 15. factum est duplex errore librariorum.

Cedrinum oleum pro vulgari.

Arguties de pectine.

7. ARGVTO.] An sonanti, & stridulo? vt vult Seruius, ex illo, *arguta ilice.* An gracili? vt ego, ex illo, *argutum caput*; & ex Horat. qui epist. ad Pison. *argutum acumen*, id est, subtile, & gracile. Videtur enim quæri viciniras ex tenui tela, & pectine gracili. Germano primum placet; nam Græci κερκίδα dicunt παρὰ τὸ κρέκειν, ab strepitu, quem edit pecten inter texendum. Aduocátque Euripidem in Electra, qui, cùm præmisisset, κερκίδος ἐξύφασμα; subiicit, κρέκειν πέπλους. Quasi κρέκειν πέπλους sit idem, quod κερκίδι ὑφαίνειν. Ceterùm Ouidius dissidens ab Homero, & Virgilio adimit Circæ hanc, & similem occupationem. Nam de illius comitatu ita:

Circes studium.

Nereides, Nymphæq́, simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt;
Gramina disponunt, sparsósque sine ordine flores

Secernunt calathis, variásque celeribus herbas. A

Hæsit verò Virgilius Homero, qui Odyss. 7. inducit Circen,

Ἐποιχομένην ἱστὸν μέγαν ἀμβρότον.

Percurrentem telam ingentem diuinam.

Quibus telis addit etiam elogia, οἷα θεάων, &c.

Cursus de pectine, & cur.

8. PERCVRRENS.] Ad verbum Homerus. ἱστὸν ἐποιχομένην. Morem inuenit Seruius, quia olim stantes texebant, à quo habitu non abest cursus. Placet potiùs, vt dicatur percurrere ipso pectine; nam Iuuenal. Sat. 9. dixit *percutere*, quod Noster *percurrere*, cùm scribit:

Et malè percussas textoris pectine Galli;

scilicet, lacernas.

9. HINC EXAVDIRI, &c.] Locus Homericus Odyss. 10. vbi Græcus vates de eadem Circe ita loquitur.

Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσι λάεσσι περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.
Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες,
Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.

Inueniebant autem in conualle ædificatas ædes Circes
Politis lapidibus conspicuo in loco.
Circa ipsam autem lupi erant montani, atque leones,
Quos illa dementabat, postquam mala pharmaca dedisset.

Homerum superat Virgilius.

Virgilianis palmam dat Scaliger, in quibus sunt circumscriptiones accommodatissimæ ad heroïcam maiestatem, vt *iræ leonum*; & naturâ ferarum, vt *vincla recusantum*. Et quia hæ feræ, erant homines, facie solùm mutata, ideo non lupos dixit: sed formas luporum. Ouidius quoque de eadem Circe:

Quæ simul attigimus, stetimúsque in limine tecti,
Mille lupi, mistiq; lupis vrsique, leaq;
Occursu fecère moram. ———

Ab hac porrò fictione non longè abit illa, quam habes apud Platonem lib. 10. de Repub. vbi narrat, quæ Erus quidam apud inferos viderit, nimirum Orpheum elegisse cygni vitam, Aiacem leonis, Agamemnonem aquilæ, Thersitem simiæ, &c.

Homerum superat Virgilius.

10. GEMITVS.] Præclarè, & in quo victoriam cõtra Homerum pono, vt addam hoc Scaligerianæ operæ. Scribit sanè Plutarchus, alij etiam, Circen D dictam Ææan ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, à luctu, & lamentis illorum, quos ex hominibus in bestias redderet. Quod signatissimè Virgilius attigit, cùm à gemitu incepit. Sed reddatur Homero honos. Alio sanè loco eiusdem libri loquens de his, quos in feras conuerterat Circe, subiicit:

ὡς οἱ μὲν κλαίοντες ἐέρχατο.

Sic hi quidem flentes conclusi sunt.

11. IRÆQVE LEONVM.] Cum versibus Poëtæ magnam habet affinitatem versus Hesiodi in Scuto.

Ἐν δὲ συῶν ἀγέλαι χλούνων ἔσαν, ἠδὲ λεόντων,
Ἐς σφέας δερκομένων, κοτεόντων, ἱεμένων τε.

Ibi aprorum greges masculorum erant, & leonum
Inter se aspicientium, irascentium, & sæuientium. E

12. SERA.] Cùm omnes hanc syllabam producant, quid venit in mentem Tullio scribenti in Arat.

Occidit Andromachæ clarum caput, & sera pistrix.

Fortassis legendum; *fera*.

Rudor de feris.

13. RVDENTVM.] Placuit Poëtæ Græcorum βρυχᾶσθαι per rudorem reddere. Quæ vocula, quamuis sit asinorum, rectè datur leonibus, vtique alligatis præsepio. De illis κοτεόντων dixit Hesiod. in Scuto.

14. SETIGERIQVE SVES.] Ab Lucret. qui lib. 5.

Setigerique pares suibus syluestria membra.

Vtitur Maro eodem epitheto lib. 11. & 12. loquens de suibus oblatis in sacrum. Suum etiam meminit Nazianz. Carm. 50. attingens hanc fabulam, ὅπως καὶ σύεσσιν ἀνάξῃ

Homines in feras.

15. FORMAS LVPORVM.] Quia non verè lupi, tantùm simulacra quædam luporum; inde Homerus,

Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε, δέμας τε,
Καὶ τρίχας: αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.

Illi suum habebant capita, vocésque, corporáque,
Et setas: sed mens erat firma vt antea.

Ideo Poëta infrà tantùm dixit, *in vultus, ac terga ferarum.* B Et Plutarchus in Gryllo, de eadem re loquens tantùm scripsit, ἐν σώμασι θηρίων: *in corporibus ferarum.* Applaudunt Ouidij versus,

———— *sed nulla timenda,*
Nulláque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas mouère per aëra caudas,
Nostráque adulantes comitant vestigia, donec
Excipiunt famulæ, pérque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. ———

Euripides quoque in Troadib. verbo ad Maronem accedente,

Ἡ συῶν μορφώτρια
Κίρκη. ———
Suum transformatrix Circe. C

Dissidet tamen Horat. Epod. Od. 17. nam de sociis Vlyssis restitutis in formam pristinam.

———— *tunc mens, & sonus*
Relapsus, atque notus in vultus honor.

Circe herbas noxias inuenit.

16. POTENTIBVS HERBIS.] Harum origo tota à Circe; nam alioqui Italia benignissima terrarum fuit. Plin. lib. 25. cap. 2. *Certè quid non repleuère fabulis Colchis Medea, aliæq;, in primis Itala Circe, Diis etiam adscripta? Vnde arbitror natum, vt Æschylus è vetustissimis in poetica, refertam Italiam herbarum potentia proderet.*

Induere vultus.

17. INDVERAT.] Silius lib. 2. *cui vultus induta pares.* & 1. Æneid. *pueri puer indue vultus.* Horat. quoque Od. 17. Epod. ad auram Maronis.

Setosa duris exsuère pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei
Volente Circe membra.

Circe venefica.

Sed Virgilius ad Homeri auram, qui de Circe Odyss. 10. τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν: quia delinimento quodam dementabat homines, idque *potentibus herbis*, ait Virgilius. Homerus autem ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν; dabat videlicet bibenda venenata pocula. Sic à Maximo Tyrio dissert. 6. vocatur γυνὴ φαρμακὶς, *mulier venefica.* Ab Ouid. Eleg. 1. lib. 3. de Pont. *vertendis nata figuris.*

Circa, Circe.

18. CIRCE.] Notes hîc ab Horatio epist. 2. lib. 1. inflecti *Circam.* nam vbi vulgares codices legunt, *& Circes pocula nosti*: antiqui (quos sequuntur iam docti) exhibent: *& Circæ pocula nosti.* Idem in Symmacho obseruaui epist. 47. lib. 1. vbi ait, *suada Circæ pocula.*

19. TERGA.] Ita Propert. Eleg. 5. lib. 4.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

20. VENTIS IMPLEVIT VELA SECVNDIS.] Est hoc, quod Plutarchus in Catone dixit non longè ab initio, πλησίστιος φερόμενος. Euripides priùs dixerat, πνοαῖς πλησιστίοις; vt hîc *impleuit*: ita Orpheus, ὀθόνας ἀκάτῳ πλήρωσεν ἀήτης.

ª Iámque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:

ᵇ Cùm

b Cùm venti posuêre, omnísque repentè resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
c Atque hîc Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit: hunc inter fluuio Tyberinus amœno
Vorticibus rapidis, & multa flauus arena
In mare prorumpit: variæ circúmque, supráque
Assuetæ ripis volucres, & fluminis alueo
Æthera mulcebant cantu, lucóque volabant.
d Flectere iter sociis, terræq; aduertere proras
Imperat, & lætus fluuio succedit opaco.

ARGVMENTVM.

Ad primum diei ortum Troiani appellunt ad littus in ea parte Italiæ, qua Tyberis influit in mare. Describitur ex occasione volupsas fluuij.

EXPLICATIO.

a HABENT duo versus descriptionem exorientis auroræ, in quibus mirus apparatus ex coloribus, rubro, roseo, luteo, quibus fulsit: ex mari, in quod primùm coniecit lucem purpurascentem: ex æthere, vnde adducta: ex bigis, quibus vecta.

b Cessauit ventus, cessit flatus, ac proinde naues non amplius vsæ velis, luctari remis, & laborare cœperunt, quippe postulante hoc maris lentitie.

c Priusquam Æneas ad portum appelleret, lucum prospicit amœnissimum, quem Tyberis interfluebat erumpens in mare. Celebrat fluuium ex rapiditate, qua ibat; ex flauitie arenarum aurea; ex canoro auium garritu, quæ supra amnem inter arborum frondes dulcissimè modulabantur, suauissimo linguarum concentu complentes aërem, veriùs mulcentes.

d Iubet itaque Æneas classem ad ostium fluminis appellere, opacitate illa, & vmbra nemoris inuitatus.

NOTÆ.

1. RVBESCEBAT RADIIS MARE.] Rubor in exoriente aurora creberrimus, item in mari: vtraque nota hîc ad rem. De aurora Ouid. 3. Metamorph. — *Rubor de aurora, & de*

——aurora rubescere primo
Cœperat.——

Silius lib. 10.

Postera cùm thalamis aurora rubebit apertis.

Lucanus lib. 5.

Lux rubet, & flammas propioribus eripit astris.

De mari Homer. 1. Odyss. κῦμα πορφύρεον. Furius apud Agellium. — *Mari.*

Spiritus Eurorum virides cùm purpurat vndas.

Valer. Flac. lib. 3. *puniceas vndas.* Nonnus lib. 22. dixit in exortu auroræ, ἐπορφύρετο, *matutinum purpurabatur.* Ceterùm Lucanus lib. 3. Virgilium æmulans,

Vt matutinus spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios.——

Silius bellulè de Sole lib. 11.

A

——omni curru splendente sub vndis.

Et lib. 12.

——primáque rubescit
Lampade Neptunus.——

Hi profectò à Virgilio, qui, *rubescebat radiis mare.* Expendebam explicans varietates colorum, quibus Poëta auroram suam ornat, rubri, rosei, lutei. Nam scilicet cōtraria hęc nocti, in qua omnia sunt coloris vnius. Basilius Imperator ad Leonem filium, Ἡλίου ἐπὶ γῆς μὴ παρόντος σκοτεινὰ τὰ πάντα, καὶ ἀδιάκριτα: *Absente Sole obscura omnia sunt, & indiscreta.*

2. ÆTHERE AB ALTO.] Pulcherrimè, quasi pars illa semper splendeat, & inde ad nos aurora. Fatuè Homerus (hoc quippe verbo constat censura Scaligeri) per initia lib. 11. ait auroram afferre lucem immortalibus. ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέρῃ. Miseri illi nisi semper luceat, imò ab illis ad nos lux. Inde in 4. de aurora, tantùm ait; *spargebat lumine terras,* cum nulla mentione immortalium, & hîc, *iámque rubescebat radiis mare.* Itaque cùm sæpe institerit descriptioni Homeri, amputauit quod vitiosum in illo. — *Homeri fatuitas.*

B

3. ROSEIS.] Allusum ad Homerum, à quo sæpè ἠὼς ῥοδοδάκτυλος, *aurora roseis digitis*; & ῥοδόπηχυς, *roseis cubitis.* Ab eodem Lucretius lib. 5. — *Roseus color cur de aurora.*

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, & lumina pandit.

Procedunt ista vel ex Poëtarum spiritu existimantium auroram ortu suo rosas complere, & omnigenam florum varietatem; sic enim illi suos versus exornant: vel cùm humana figura aurora ab illis fingatur, consequens est, vt tribuant colorem quampulcherrimum; nam etiam Sol eodem colore insignitur: audis enim lib. 11. Æneid.

Ni roseos fessos iam gurgite Phœbus Ibero.

Cum primo illo figmento alludunt Ouidij versus 2. Metamorph.

C

——ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena rosarum
Atria.——

Inde & ῥοδοειδὴς vocant auroram Poëtæ Græci, à rore, quem compluit. Nonnus lib. 22. indicans superbiam ducis, qui armis splendebat, ita ait:

Καὶ ῥοδέαις ἤστραπτε σέλας ἀντώπιον ἠοῦς.
Fulminauit roseis scintillis ex aduerso auroræ.

Quasi eo se colore conspicuum præberet, quo maximè aurora prædicatur. Poëta ἄδηλος (aliqui Virgilio attribuunt) ex hac mutua auroræ & rosæ vicissitudine ita cecinit:

Ambigeres, raperétne rosis aurora ruborem:
An daret, & flores tingeret orta dies.

4. FVLGEBAT.] Eodem verbo vtuntur passim Græci ad exortum diei. Nunc mihi ante oculos Plutarchus, qui in Catone Maiore: Ἤδη δὲ διέλαμπεν ἡμέρα. — *Fulgor de ortu diei.*

5. LVTEA.] Pacuuius in Thyeste,
Non illic luteis aurora bigis.
Quis sit hic color iam in Eclogis. Statius 2. Theb. dixit, *aurora pallore.*

Bigæ auroræ, & 6. BIGIS.] Dat hîc auroræ bigas, vt & Pacuuius iam adductus; & Val. 2. Arg.
——*Roseis auroram surgere bigis.*
Quadrigæ. In 6. tamen Æneid. quadrigas assignauit,
Hac vice sermonum roseis aurora quadrigis
Iam medium æthereo cursu traiecerat axem.
Ab Theocrito in Hyla aurora dicitur λευκίππος, ab equis splendentibus, quibus vehitur. Lycophron in Alexandro ait auroram vehi Πηγάσου πτεροῖς, *alis Pegasi.* Hom. Odyss. 23.
Aurora equis vehitur.
Ἠῶ πῶλοι ἄγουσι:
Auroram vehunt equi.
Quod videlicet 5. Æneid.
Auroram Phaetontis equi iam luce vehebant.

Pono, absolute. 7. POSVERE.] Subaudi, vel se, vel flatus. In primum inclino. Sic præcipitat, id est, præcipitat se; & alia innumera. Sic etiam Statium explico lib. 5.
Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo,
Cum fera ponit hyems.——
Id est, ponit se. Nisi quis in Virgilio, & Statio subaudiat, *freta.* Nam Horat. Od. 3. lib. 1. de Noto,
——*tollere, seu ponere vult freta.*
Sidon. epist. 1 lib. 2. *flabra posuêre.* Noster in 10. Æn.
Tum Zephyri posuêre.——

Malacia maris. Indicat verò his duobus versibus malaciam maris, eamque notis quatuor: videlicet, à ventis positis, à cessante flatu, à lenitia aquarum, à luctatione remorum. Lucanus lib. 5. effusissimus fuit in describendi hac malacia. Præcipua sunt hæc:
Æquora lenta iacent, alio torpore ligata.
Et; *Vnda immota, pigra, hærentes, stantes, inertes, saua quies pelagi, stagna ignaua aqua iacentis, languente freto, stagnis torpentibus, fixa carina. Pontus non commeat æstu, non tremuit horrore, non vibrat.* Qui legat integra Lucani, amabit sobrietatem Virgilij.

Resideo. 8. RESEDIT.] Ad iram transtulit in 6. Æneid.
——*tumida ex ira tum corda residunt.*
Itaque vtcunque residit, & cor tumens ira, & mare tumens flatu.

Luctor de remis. 9. LVCTANTVR.] Pari verbo 8. Æneid.
——*remo vt luctamen abesset.*

Marmor pro mari. 10. MARMORE.] Petron. in Halosi,
Pulsumque marmor abiete imposita gemit.
Catull. in Aty, *marmora pelagi.* Prudent. περὶ στεφ. *remenso marmore.* Sedulius lib. 3.
Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Sed qui non ita locuti?

Tonsæ pro nauibus, & cur ita dictę. 11. TONSÆ.] Sunt remi, aut potiùs imæ remorum partes, quas vocant palmulas. Dicuntur tonsæ, non à tondendis fluctibus, quasi illis, vt ferro, tondeantur, quamuis hoc & Seruius, & Festus: sed veriùs à tundendis fluctibus. Hoc enim aptius ad naturam remi. Græci aut κώπας, aut ἐρετμοὺς vocant; Lycophron σπάθας. Probè itaque *luctantur tonsæ*, apparet enim tanquam luctæ simulacrum inter remos, & aquam. Ea voce vsi multi. Lucret. lib. 2.
Antemnas, proram, malos, tonsásque natantes.
Ennius ad explicandum conamen remigum: *referunt ad pectora tonsas.* Quem ita imitatur Silius lib. 11.
Et simul adductis percussa ad pectora tonsis.

Æneas ad quam partẽ Italiæ appulit. 12. INGENTEM LVCVM.] Est hic locus, vbi Æneas descendit post longissimam nauigationem. Distinctissimè Strabo lib. 5. *Æneam vnà cum Anchise patre, & Ascanio filio Laurentum applicuisse memoriæ proditum est, ad littus prope Hostiam, ac Tyberim.* Plu-

A tarch. in Rom. ait, Troianos profugos capta Troia περὶ τὸν Θύμβριν πελάζειν ἐρμίζεσθαι, *appulisse ad amnem Tybrim.* Nota indicari à Poëta proceritatem arborum, quæ essent in eo luco, cùm summo statim mane illæ apparent, quasi Sol statim in eas impingeret. Ita de Regia Augusti, ad indicandam eius altitudinem, ait Martial. lib. 8. Epig. 36.
Et prius arcano satietur lumine Phœbi.
Sol enim vt oritur, in altiora irruit.

13. FLAVVS.] Non dubium, quin respectum ad aurea ramenta, quibus omnia flumina ditia esse prædicantur. Sic Seneca in Oet. Fluuij omnes aurei.
Flauus rapido fonte Lycormas.

14. ARENA.] Potest alludere ad amnis διαφάνειαν, id est, perspicuitatem, ita vt interiores quoque
B arenæ viserentur: qualem describit Mosellam Ausonius, in quo
——*Arcanique patet penetrale fluenti.*
Et, ——*Durante per intima visu.*
Et, ——*Lucétque, latétque*
Calculus, & viridem distinguit glarea muscum.

15. PRORVMPIT.] Quia *vorticibus*, ideo *prorumpit.* Vtraque enim voce aptè signatur rapiditas. Sic 1. Æneid. *rapidus vortex.* Et quidem *prorumpit* maiestate est plenum, quasi ipse fluuius viam sibi aperiat vel renitente mari. Fluuios, qui cum hac maiestate mare adeunt, γενναιοτάτους vocat Maximus dissert. 11. *generosissimos.* Nonnus lib. 22. ἰφίῳ οἴδματι ὕδατος. Inest maiestas in voce: & de Asopo lib. 27. ζαρύδουπος. Quod Poëta de vorticibus, idem Nonn. de eodem Hydaspi βαθυδίνεϊ κόλπῳ. Hac pro-
C ruptione Poëta significat ostia fluminũ, quæ Ouid. 2. Trist. vocat *egressus* loquens de Istro.

Aues comites auroræ, & 16. ASSVETÆ RIPIS VOLVCRES.] Ex duplici consideratione inducitur à Poëta auium concentus, quia istæ comites sunt & nascentis auroræ, & nemorum fluuiorum. Vtrunque autem, vt vides, hîc attingit Vates. Primum de aurora confirmant versus Lucretij lib. 1.
Primum aurora nouo cùm spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora auia peruolitantes,
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.
Atque etiam versus Orphei in hymno loquentis cum aurora.
Ἡνίκα τὴν γλυκὺν ὕπνον ἀπὸ βλεφάρων ἀποσείεις,
Πᾶς δὲ βροτὸς γήθει, πᾶν ἑρπετὸν, ἄλλα τε φῦλα
D Τετραπόδων, πτηνῶν τε, καὶ εἰναλίων πολυεθνῶν.
Excutis vt somnum ciliis, lætantur vbique
Serpentúmque, hominúmque genus, volucrésque, feræq́,
Quæq́, colunt altas spumosi marmoris vndas.
Fluminum. Alterum de fluminibus Ælianus lib. 3. variarum histor. c. 1. vbi describens Tempe, & fluuium Peneum. Κατᾴδουσι δὲ καὶ ὄρνιθες ἄλλος ἄλλῃ διασπαρμένοι, καὶ μάλιστα οἱ μουσικοὶ, καὶ εὐηχῶσιν εὖ μάλα τὰς ἀκοάς: *Aues hinc inde dispersæ, & in primis musicæ, quæ aures mirè demulcent.* De eodem fluuio Plinius lib. 4. cap. 8. *Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu.* De Mincio, & aliis Sidonius epist. 5 lib. 1. *Hic auium resonans dulce concentus,* &c. De Hydaspi, quò appulit exercitus
E Bacchi, Nonnus lib. 22. ὄρνιθες ἀνεκλάζον, *aues clangebant.* De Ticiano Silius lib. 4.
Argutos inter volucrum certamina cantus.
De omnibus fluminibus Val. Flac. lib. 7.
Auctus apud fluuios volucrum sonus.——
De fontibus Theocrit. εἰδ. 5.
Ἔνθ' ὕδατος ψυχρῶ κρᾶναι δύο, ταὶ δ' ἐπὶ δένδρῳ
Ὄρνιθες λαλαγεῦντι.——
Vbi aqua frigida fontes duo, in arbore autem

Aues canunt. ——

Similem voluptatem in amœnissimi horti descriptione exhibet Achilles Alexandrin. lib. 1. de Clitoph. & Leucip. Necnō Petron. in Satyr. his versibus.

Dignus amore locus, testis syluester Aedon,
Atque vrbana Progne, quæ circum gramina fusæ,
Ac molles violas, cantu sua rura colebant.

Mulcedo de cantu auiū.

17. MVLCEDANT.] Congruit auibus, vt blandis natura. Sic Anacreon mollissimum Cupidinem inducit θελγόμενα. Basilius Episcop. Seleuciens. de ipso auium cantu lib. 1. vitæ Teclæ, ᾠδὴ ὀρνίθων ὡς μάλα θαυμάσια τε, καὶ καταθέλξαι ἱκανὴ, *auium cantus & admirabilis, & aptus ad demulcendum.* Simocatta lib. 2. Hist. Mauric. cap. 1. dat auibus, τοῖς μέλεσι μουσικωτέρους. Eadem à Dione Chrysost. Orat. 35. εὐφωνότεροι τῶν ὀργάνων: *ipsis musicis instrumentis consonantiores.* De auro Anacreon. δόλοις θέλγειν. Sed & hunc auium cantum dat Poëta die oriente: sic Philostratus in Heroicis inducit philomelas cantantes ἐπῳδὰν ἡμέρα ἀρχομένη, *diei initio.*

18. FLECTERE.] Ita in 5. *flecte viam.* & Ouid.

A in Trist. *fleximus in læuum cursus.*

19. ADVERTERE PRORAS.] Ita 4. Georg.

Aduertere proram.

——*Terris festinem aduertere proram.*

Dicit verò hoc Poëta sui memor. Quippe in 2. Creusa locum istum signauerat, Italiam prædicens:

Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.

20. SVCCEDIT.] Quasi hospitio acceptus Æneas ab fluuio. Nam lib. 4.

Succedo de hospitibus.

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

Et lib. 5. *paruæ succedimus vrbi.* Ad imitationem Virgilij Silius lib. 1. inducit nauem Sagūtinorum adeuntem Italiam eodem loco, ad quem Troiana classis appellit.

B

Donec Laurentes puppis defertur ad oras,
Qua pater acceptis Anienis ditior vndis
In pontum flauo descendit gurgite Tybris.

Ait Festus, Ænariam dictum locum, quò Æneas classem Troia aduehens appulit. Quod Latini *succedere vrbi, muro, fluuio;* Græci adverbum προσμιγνύναι πόλει, τείχει, ποταμῷ.

Ænaria.

[a] Nunc age, qui Reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, aduena classem
Cùm primùm Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam: & primæ reuocabo exordia pugnæ.
[b] Tu vatem, tu Diua mone. Dicam horrida bella,
Dicam acies, actósque animis in funera Reges,
Tyrrhenámque manum, totámque sub arma coactam
Hesperiam. Maior rerum mihi nascitur ordo,
Maius opus moueo.

A

ARGVMENTVM.

Inuocat Musam, proponit materiam sequentium librorum, videlicet arma belli Latini.

EXPLICATIO.

[a] VVLT expedire initio posteriorum sex librorum statum, in quo erant res Italiæ eo tempore, quo Troiana classis illuc appulit. Ad quam rem Musam inuocat. Sunt *rerum tempora*, explicatore eodem Poëta, *status rerum.*

B

[b] Tametsi verum sit in prioribus sex libris Æneidos multa scripta, quæ pertinent ad bellum, & imprimis librum secundùm de expugnata Troia; nihilominùs certum est materiam armorum reseruatam esse ad sex istos posteriores libros Æneidos. Inde proponit se cantaturum bella, acies, Regum funera, maximos exercitus coactos, Italiam totam conspirantem ad arma. Absoluit demum, rem hanc maioris esse operis, & verè heroïci. Pars enim hæc tota est tragica, vt in qua nihil aliud spectes, quàm mucrones & gladios, ferrum, & iracundiam, exercitus, & militares copias, Regum bella, & funera, omnia demum illa, quæ horrorem, & metum incutiunt.

C

NOTÆ.

Inuocatio Musarum.

1. NVNC AGE, &c.] De nouo inuocat, rem nouam, & magnam aggressurus. Ita etiam in 9.

A *Vos ò Calliope precor aspirate canenti.*

Et iterum in hoc libro.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantúsque mouete.

Ita & Homer. 14. Iliad. ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι: atque etiam Oppian. lib. 2. Cyn.

Νῦν δ' ἄγε μοι Ζηνὸς θύγατερ καλλίσφυρε φοίβη.
Nunc age mihi ò Iouis filia pulchris pedibus Diana.

Iterum lib. 4. σὺ δὲ πότνα θεὰ, &c. Vide eundem lib. 2. Hal. non longè ab initio ab illo versu, ἀλλὰ οἱ μὲν μάλα πάντες, &c. Vbi aggressurus rem nouam de piscium ἀλληλοφονίᾳ, inuocat numina cœlestia, terrestria, aëria, marina. Ennius quoque lib. 13. Annal. cùm bellum nouum orditur, quod Populus Rom.

B gessit contra Græcos, de nouo inuocat. Sic & Statius 10. Theb. dicturus obitum Capanei.

Non mihi iam solito vatum de more canendum,
Maior ab Aoniis sumenda audacia lucis.
Mecum omnes audete Deæ. ——

Nonnus quoque lib. 25. post mille inuocationes aliorum librorum, tunc etiam. Vide ab eo versu, ἀλλὰ θεά με κόμιζε, &c.

2. ERATO.] Qui ad bellum inuocatur Erato? de qua Ausonius;

Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.

C An Musam pro Musa posuit? hanc videlicet pro Calliope, cui dicata Heroum ἔπη. Plausibile hoc multis, acceptúmque à Seruio est. Defendi potest simili argumento ventorum. Poëtæ enim ventum pro vento ponunt, & interdum scriptores, de quo ego iam latè lib. 1. Æneid. Hæc est prima defensio Virgilij. Altera, Proclum (commeminit hoc Lilius) Commentar. in Hesiodum, attribuisse huic Musæ inuentionem Poëseos. Non itaque malè inuocatur. Tertia, & potissima, quæ placet Germano, & debet omnibus;

Erato cur ad bellum inuocetur.

nibus; est, inuocari hanc Musam ex Lauiniæ nuptiarum procatione, & ambitu. Nam bellum, quod sequitur, hoc vno veluti flabello exarsit. Commodè igitur inuocatur Musa, quæ nomen habet ab amore, ἀπὸ τοῦ ἔρωτος. Inde etiam ab Ouidio inuocatur lib. 2. de Art. & additur ratio;

Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.

Scio alios aliunde deducere. Inde etiam Apollonius lib. 3. Argon. vbi iam auspicatur nuptias Medeæ cum Iasone hanc Deam, non aliam inuocat.

Εἰ δ' ἄγε νῦν Ἐρατώ, παρά θ' ἵστασο, καί μοι ἔνισπε
Ἔνθεν, ὅπως ἐς Ἰωλκὸν ἀνήγαγε κῶας Ἰήσων
Μηδείης ὑπ' ἔρωτι. σὺ γὰρ καὶ Κύπριδος αἶσαν
Ἔμμορες, ἀδμῆτας δὲ τεοῖς μελεδήμασι θέλγεις
Παρθενικάς. τῷ καί τοι ἐπήρατον οὔνομ' ἀνῆπται.

Eia age nunc Erato, assiste, mihique expone
Inde, quomodo ad Iolcon asportauit vellus Iason
Medeæ amore: tu enim & Veneris portionem
Sortita es, innuptásque tuis curis mulces
Virgines, ideo & tibi amabile nomen inditum est.

Quem in locum ita interpres. τὴν Ἐρατὼ φασὶν ὄρχησιν εὑρηκέναι, εὐλόγως δὲ Ἀπολλώνιος μεμνημένος τὴν Ἐρατὼ φησὶ τῶν τῆς Ἀφροδίτης ὀργίων. λέγει δὲ τῶν γαμικῶν· γάμῳ δ' ὄρχησις ἕπεται. *Aiunt Erato inuenisse saltationem: ac propterea Apollonius ait, commodè illam præesse sacris Veneris. Sermonem autem nuptialium & nuptiæ. & saltatio consequuntur.* Statius quoque in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ.

Hic Erato iucunda doce.———

Ergo, cur non inuocetur ad nuptias, vt placata sit, quandoquidem τῇ Ἐρατοῖ (ait Plato in Phæd.) οἱ ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς. eam videlicet propitiam reddunt, qui versantur in amoribus? Athenæus lib. 13. per initia ait clarè, inuocandam Erato his, qui de amoribus scribunt. Laudo itaque Brodæum, qui lib. 1. Epig. ad versum illum;

Σαρκὸς δ' ἡδυπάθημα φίλον τίλος ἀνδράσιν ἄλλοις,
Ἡ μία τῶν Μνήμης ἔννεπε θυγατέρων.

intelligit hanc Musam, non aliam. Perstringuntur quippe Epicurei, qui virtutem positam putabant in voluptate. Sententia est: *Carnis voluptas finis est viris aliis, vt cecinit vna filiarum Memoriæ.* Erato (inquam) nam quæ alia caneret has voluptates?

3. LATIO ANTIQVO.] Vel, *quia duo sunt, vetus, & nouum,* ait Seruius; & quidem Plinius veteris Latij commeminit lib. 3. cap. 5. verba eius sunt. *Latium antiquum à Tyberi Circeios seruatum est mille passuum quinquaginta longitudine; tam tenues primordia Imperij fuere radices.* Paucis interiectis noui meminit, cùm addit. *Vnde nomen modo Latij processit ad Lirim amnem.* Et fortasse ius Latij, quod olim duplex fuit, aliud cum facultate petendi magistratus, sicuti illi, qui in vrbe habitabant; aliud sine hac prærogatiua, originem duxit à duplici Latio. Non enim graue videri potuit Romanis pauca oppida esse cum ea

Latium duplex.

A prærogatiua, multa esse grauissimum potuit videri. Dixi primam explicationem. Altera esse potest, locutum Poëtam ad eum modum, quo solemus dicere, vetus æuum, prisca tempora, antiquæ fidei hominem.

4. ADVENA.] Alciatus 2. Parerg. cap. 7. aduenam dici ait, qui domicilium non contraxit. Probè ergo Poëta; nondum enim Æneas in Italia contraxerat domicilium. Græcè ἄποικος. Opponuntur indigenæ, & aduenæ.

Aduena.

5. EXERCITVS.] Στόλον intellige; nam hîc de naualibus copiis est sermo. Itaque quæsiuit vocem mediam Poëta respondentem Græcæ. Nam

Exercitus de copiis naualibus.

B sicut στόλος, quæ vox propriè signat *copias nauales*, tamen etiam aliquando *terrestres*, vt apud Arr. lib. 4. Sic exercitus, qui sæpissimè terrestris est, à Poëta pro nauali sumitur.

6. APPVLIT ORIS.] Est hoc quod idem Poëta, *quas vento accesserit oras. Libyæ vertuntur ad oras. Creteis sistet in oris.* & multis aliis.

7. DIVA MONE.] Alludi hîc ad Monetam matrem Musarum, quæ Græcis dicta Μνημοσύνη, ex Passeratio scribit Germanus.

Moneta Dea.

8. DICAM HORRIDA BELLA.] Non abit ab hac pollicitatione illa lib. 4. Georg.

Magnanimósque duces, totiúsque ordine gentis
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam.

9. MANVM.] Sic Græci χεῖρα capiunt pro *copiis*.

Manus pro copiis.

C Herodian. lib. 3. δεῖσθαι τοίνυν χειρὸς πλείονος πρὸς φυλακὴν τοῦ τόπου: *egere maioribus copiis ad loci tuitionem.* Eurip. Rhes. πλῆρες πεδία πολεμίας χερός: *pleni campi hostilis manus.* Latinos quid numerem? Do vnum Ammianum, qui lib. 16. de Iuliano Cæsare loquens, ita ait: *Ira exundante subfridens, cùm erumpere sæpe conatus, paucitate præsentis manus impediretur.*

10. MAIOR RERVM MIHI NASCITVR ORDO.] Claudian. 1. Stil. commutauit ita; *magnum mihi panditur æquor.*

11. MOVEO.] In re pari Tibull.

———*Omne mouemus*
Hoc tibi.———

Hoc loco videtur innui molimen grande, & difficultas. Sicut in Tertul. libro de Anima cap. 57.

Moueo de re grandi.

D *Ecce hodie eiusdem Simonis hæreticos tanta præsumptio artis extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant.* Vbi non dubium, quin hîc grande aliquid significetur. Videtur locutio sumpta ab tectonicis, qui in mouendis ad structuram domorum lapidibus plurimùm sudant. Apud Polyb. κινεῖν est, *mouere castra*, quod semper cum molimine. Sed & versum Virgilij vsurpat Ammianus lib. 15. vbi maiora, quàm antea, molimina aggreditur. Demum quis nescit, vocem *motus* vsurpari solitam in magnis bellis; ac proinde Virg. *maius opus moueo* cum emphasi in re belli. Sic κινεῖν, & κίνημα.

[a] Rex arua Latinus, & vrbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
[b] Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus: Fauno Picus pater, isque parentem
Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus auctor.
[c] Filius huic fato Diuûm, prolésque virilis
Nulla fuit, primáque oriens erepta iuuenta est.
[d] Sola domum, & tantas seruabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
[e] Multi illam magno è Latio, totáque petebant

55. Ausoniæ:

Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus auis, atauisque potens: quem Regia coniux
Adiungi generum miro properabat amore.
[f] Sed variis portenta Deûm terroribus obstant.

ARGVMENTVM.

Latini Regis genus, Lauinia eius filia, Lauiniæ procus Turnus, Amatæ Reginæ studia in Turnum.

EXPLICATIO.

[a] MAGNA laus Principis, qui ab initio suscepti Imperij pacem habuerit ad senectam vsque. Talem enim pacem hîc indicat, cùm ait *longa*. Et quia pax longa, ideo vrbes placidæ, vt effectus à causa.

[b] Traditum est à maioribus Latini patrem fuisse Faunum, matrem Maricam Laurentem, Fauni patrem Picum, Pici Saturnum, à quo Deo propagatum genus.

[c] Habuit Latinus filium, sed Deorum fato, & voluntate ereptus est patri in ipsa iuuentute. Vt paternum dolorem indicet, ait *erepta*: & componit cum verbo *oriens*, vt augeat affectum. Est enim magnus dolor orientem eripi patri, & in ipsa iuuentute, in qua propinquior spes.

[d] Erepti filij solatium erat filia magnarum opũ hæres sola, & eo iam ætatis, vt posset virum capere, & nuptias contrahere.

[e] Qui non peterent hanc virginem in matrimonium, opulentæ hæreditatis inuitamento allecti? Multi (inquit Poëta) sed ante omnes Turnus. Commendat hunc à pulchritudine; erat enim pulcherrimus ante alios procos: à genere, quò plurimùm poterat; genus enim potentia sequitur, ideo ait, *auis, atauisque potens*. Demum commendat ab studio Amatæ, quæ coniux Latini, in Turnum inclinabat, vt is filiam duceret. Vt verò studium istud explicet; sunt enim impotentissimæ in cupiditatibus feminæ, ait, *miro properabat amore*. Omnia signatissima sunt ad ardorem hunc.

[f] Ardentissimis Turni, & Amatæ votis, quibus ille nuptias petebat, illa nuptias properabat, obstabant Deorum portenta, eàque magnis terroribus euulgata.

NOTÆ.

Faunus. Fatuellus. 1. FAVNO.] Hunc dictum Fatuellum, & Faunum à fando, id est, vaticinando, Seruius scribit. Non pugnabit, qui viderit similes nomenclaturas difficiliores. Sciendum hîc, Iustinum dissidere à Virgilio lib. 43. Non enim Faunum facit patrem Latini, sed auum. Verba eius: *Ex filia Fauni, & Hercule, qui eodem tempore extincto Gerione, armenta, victoria præmia, per Italiam ducebat stupro conceptus Latinus procreatur.*

Fauna. 2. LAVRENTE MARICA.] Hanc dictam Faunam, aut Fatuam, vt etiam vir Faunus, à fando quoque Seruius scribit; vaticinantes enim olim fatui dicebantur; inde natum, vt fatuos dicamus loquentes inconsideratè, quia nimirum arreptu ἐνθουσιασμοῦ videntur furere. Iustinus quoque lib. 43. *Fauno fuit vxor nomine Fatua, quæ assidue diuino spiritu impleta, velus per furorem futura præmonebat: vnde adhuc qui inspirari solent, fatuari dicuntur.* Addit tamen idem (Fatui, id est, vates.)

A Seruius, fugisse Poëtam asperitatem vocum, & pro Fauna, aut Fatua Maricam posuisse. Hæc prima opinio.

Altera, Maricam hanc fuisse Circen. Lactantius lib. 1. cap. 21. *Solent mortuis nomina immutari; nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, Leda Nemesis, & Circe Marica.* Hoc Lactantij defendi potest; nam Latinum Regem, quem Virgilius canit filium Maricæ, Hesiodus scribit filium fuisse Circes, ac proinde liquidum Circen, & Maricam eandem esse. Hoc de Circe consentire videtur cum Poëta, qui loquens de Latino lib. 12. ait, *Solis aui specimen*. Fuit enim Circe Solis filia, vt suprà vidisti. (Marica, & Circe eadẽ.)

Tertia est, Maricam hanc fuisse Venerem; nam iuxta Maricam sacellum visebatur, in quo scriptum, νηὸν Ἀφροδίτης, *Templum Veneris*. Scriptum hoc à Seruio Lilius arripit. Cruquius in Horatium eam esse Ruminam Deam coniectat, ducta etymologia ἀπὸ

B τῦ μηρύκω Doricorum dialecto, qui η, in α, & υ, in ι, mutant. Cur autem fierent olim mutationes nominum, vide doctissimi Serarij luculentam operam lib. 1. Iosue c. 2. quæst. 4. Ex qua quæstione, si nihil aliud scripsisset Serarius, illum fuisse eruditissimum, clamaret orbis. Sed redeo ad Poëtam, & explico cur Maricam appellet Nympham, quia videlicet Dea fuit littoris Minturnensium iuxta fluuium Lirim. Horat. Od. 17. lib. 3. (Venus, & Marica eadem.) (Rumina, & Marica eadem.) (Marica, cur Nympha.)

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim
Latè Tyrannus.

Lucanus quoque lib. 11. ita scribit.

——nocturnaque editor auræ
Sarnus, & vmbrosæ Liris per regna Maricæ
Vestinis impulsus aquis.——

C Et Claud. Paneg. Prob.

——Fluuiaque tenens querceta Maricæ
Liris.——

Meminêre Maricę Plutarchus in Mario, vbi & de luco illi sacro. Augustinus 2. de ciuit. Velleius, Liuius lib. 37. vbi ait, Minturnis lucum Maricæ de cœlo tactum. Porphyrio in Horat. vbi signatè. *Liris flumen, vbi Marica Nympha colitur.* Vocat verò Laurentem, quia tota pars illa ad Laurentes pertinuit.

3. FAVNO PICVS PATER.] &c. Huius prosapiæ solemnis est Arnobij locus lib. 2. irridentis Deos Gentilium. *Quis Picum Fauni patrem, atque auum Latini* (genuit?) *Saturnus, vt iisdem vos vestris scriptis, atque auctoribus traditis. Ergo, si hæc ita sunt, sequitur, vt Picus, & Iuppiter germanitatis sibi sociari sint iure, vtpote vno ex sanguine, vnóque ex semine procreati.* De Pico filio Saturni Ouid. 14. Metamorph. (Picus.)

D *Picus in Ausoniis proles Saturnia terris.*

4. TV SANGVINIS VLTIMVS AVCTOR.] Ex Catullo, qui ad signandum primam originem, dixit vltimam. Nam in phasello loquens de Cythoro, vndè excissæ naues ad phasellum fabricandum, ita ait,

——vltima ex origine
Tuo stetisse dicis in cacumine.

Aut à Tullio, qui 1. de Finib. *Tam multis, tàmque variis ab vltima antiquitate repetitis.* Notum illud eiusdẽ; *pueritiæ memoriam recordari vltimam.* Quibus in locis

vltimum

Vltimum, idem quod primum. *vltimum* idem est, quod *primum*. Sic enim alibi loquitur Virgilius, A

——prima repetens ab origine pandam.

Et Ouid.

——primaque ab origine mundi.

Idque ex Græcorum imitatione, quibus ὕϛατος est Sanguis, pro genere. *vltimus*,& tamen ponitur pro summo,& primo. Porrò *sanguinem* dici ad signandum genus, aut sobolem, iam alibi. Hîc adiice Valer. cap. 9. lib. 5. *Nec inducere in animum posset, vt verum sanguinem ad hoc sceleris progressum crederet*, id est, verum filium. Silium lib. 8. *Et Tullo sanguis ab alto.* Horat. ad Pison. *Pompilius sanguis.* Pers. Satyr. 1. *patricius sanguis.* Non. lib. 22. διϊπετὴς αἷμα. *sanguis profectus à Ioue.*

5. FILIVS HVIC, &c. Est hoc, quod de stirpe Gelonis ait Val. lib. 2. c. 2. cuius genus, abolita reliqua stirpe, redactũ est ad vnicã filiam Harmoniam. Paria fermè Statius 1. Theb. loquens de Adrasto: B

Sexus melior de masculo. *Hic sexus melioris inops, sed prole virebat*

Feminea, gemino natarum pignore fultus.

Ab Statio Claudian.

Ætnæa Cereri proles optata virebat.

Iterum eodem lib. Stat.

——Huic primis, & pubescentibus annis

Mira decor e pio seruabat nata penates.

6. FATO DIVVM.] Pro eodem Virgilius sumit Fatum quot nominibus effertur. *fatum, imperium, iussa, præcepta, mandata, monita*, cùm nimirum sermo est de Diis. De fato hîc audis. De reliquis subiiciam testimonia. In 5. *Et Iouis imperium.* In 2. Venus ad filium:

——tu ne qua parentis

Iussa time, neu præceptis parere recusa.

In 4. de Ioue,

Ipse hæc ferre iubet celeres mandata per auras.

In 6. *An monitu Diuûm.* His adde *pacem, mentem, numen.* In 10. Venus ad Iouem. *Si sine pace tua.* In 5. Æneas,

Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuûm.

Domus pro hæreditate. 7. DOMVM.] Non hîc in vulgari significatione, sed pro bonis, & hæreditate. Sic Græcis οἶκος. Nam 1. Odyss. ἔδοντες οἶκον ἐμὸν: *deuorantes meam domum*, pro, meas facultates, & bona. Sic 4. Odyss. ἐσθίεται μοι οἶκος.

8. SEDES.] Cùm hîc seruare domum, & sedes, sit expectare hæreditarium Imperium, non dubium quin *sedes* posuerit pro paterno domicilio. Sedes pro domicilio. Ita Ouid. 4. Trist. Eleg. 1. D

Hic ego sollicitè iaceo nouus incola sedis.

Inde *sedes figere*, pro acquirere domicilium, Latini dicunt. Et Virg. de Antenore, *sedésque locauit.* Suetonius cap. 1. Vitell. cùm dixit, *quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ*, nihil aliud dicit, quàm ibi Vitellios domicilium fixisse. Ammian. lib. 17. *Sedes alias suscipere* dixit, pro, domicilium commutare. Virgilium imitatur Statius lib. 1. Theb.

——Huic primis, & pubescentibus annis

Mira decore pio seruabat nata penates

Intemerata toris.——

Id est, expectabat paternos penates, & domicilium. Itaque rectè quadrat in hunc locum Germani nota, qui ait, Poëtam indicare Virginem ἐπίκληρον, id est, quam ius succedendi, & hæreditas tota respiceret; vtique vt signetur παγκληρία, καὶ παμπησία: ad quam rem aduocat etiam Aristotelem, & Plutarchum. Vide in illo. Est quidem virgo ἐπίκληρος, Virgo ἐπίκληρος, quæ. quæ nullos habet aut fratres, aut sorores συγκληρονόμους, sed tota illi hæreditas cessura est. E

9. IAM MATVRA VIRO.] Dissidet à Seruio Magius. Seruius nullam agnoscit iterationem, sed ait Virgilium capiendum ex iure, in quo ætas, & ex annorum ratione, & ex habitu corporis comprobabatur. Ergo, *iam matura viro*, referendum ad habitum: reliquum ad annos. Idem scripserat in 8. Eclog. ad illud; Virginis habitus.

Alter ab vndecimo iam tum me ceperat annus.

Magius lib. 1. Miscell. cap. 2. iterationem agnoscit, nam quod duplici oratione Virgilius, vnica Ouidius lib. 14. Metamorph.

Hæc vbi nubilibus primùm maturuit annis.

Claudianus item 1. Rap.

Iam vicina toro plenis adoleuerat annis

Virginitas.——

Qui duo videntur explicare Virgilium. Starem in hac lite pro Seruio. Primò, quia iterationes omnes amandandæ sunt à Rege Poëtarum, vt vitiosæ. Deinde, quia non video, cur non etiam Ouidius, & Claudianus accipi possint, & de habitu, & de annis, etiamsi confusè: quod tamen distinctissimè Sanctus Cyprian. in Sodomis, apud quem Loth ita loquitur:

Sunt intus natæ biiuges mihi, nubilis ætas.

En annos:

Virginitas in flore tumet iam dedita messi.

En habitum: ideo sequitur, *Digna cupido viris.* Itaque ego explico Euripidem in Iphigen. Aul. vbi Clytemnestra de Iphigenia filia ita loquitur.

Ἀλλ' ὁ νόμος αὐτὰ τῷ χρόνῳ συνεχώρει.

Sed & lex, & ætas idem postulant, vt elocetur.

C Vbi quæ dicuntur de lege, refero ad habitum. Tertiò; quia saltem ex Græcorum, & Platonis doctrina loquitur, scribente sic Platone lib. 11. Leg. τὴν δὲ τῶν γάμων χρόνος συμμετρίαντε, καὶ ἀμετρίαν δικαστὰς σκοπῶν κρινέτω, γυμνοὺς μὲν τοὺς ἄρρενας, γυναῖκας δὲ ὀμφαλοῦ μέχρι θεώμενος τὰς θηλείας. Vbi vides opus fuisse iudice, qui, cùm nuptiæ cõtraherentur, iudicaret de mẽsura corporis, aut æquali, aut immodica. Vt intelligas quæ dicta de habitu corporis (nos enim pudori parcimus) adi titulum 22. lib. 1. Instit. quibus modis tutela finitur. Notetur autem locutio poëtica conformis Græcis, quæ enim Latinis est *matura*, metaphora sumpta ab arboribus, Græcis est πέπειρος: Virgo matura. eadem translatione, & vt Latinis tempestiua, ita illis γάμου ὡραία, & ὥριος. In Herodoto enim lib. 1. γάμων ὡραίαι, inuenies. in Simocatta cap. 12. lib. 5. ὥρα λάμπουσα ἐς γάμον. Quod Demosthen. de falsa legat, ita extulit, ἡλικίαν ἔχουσα γάμου. Statius 7. Theb. ita, *thalamis habilem*; & lib. 2. pulchrè, *tumida in virginitate iugari*; & 1. Achill.

Virginitas matura toris, animique tumentes.

Et 4. Theb. puerum vocat maturum furori Nympharum. Sic è contrario pari translationum filo, vocabis *acerbam virginem* cum Varrone, qui apud Nonium. *Maiores nostri aures virginis acerbæ Venereis vocabulis imbui noluerunt.* Et *crudam* cum Horatio Od. 11. lib. 3. à crudis pomis. Quod imitatus est Claudian. Paneg. 3. Stil. cùm ait; Acerba. Cruda.

——sexum nec cruda fatetur

Virginitas.——

Basilius Seleuc. Episc. ἄπειρος, καὶ ἀνήμερον de virgine, etiamsi sensu alio. Inde procedit illa Horatij eiusdem comparatio Od. 5. lib. 2.

Tolle cupidinem

Immitis vuæ.

Id est, acerbæ, & crudæ virginis: & prosequitur eodem semper ductu nam addit,

——iam tibi liuidos

Distinguet Autumnus racemos

Purpureo varius colore.

Sic

Sic & Græci ἄποινον cum oppositione ad πάποινον. A Omitto alias locutiones, quibus cruditas ita signatur, vt ἀτίλεςος παρθένος, ἄγαμος, ἄνανδρος, ἄφθορος, ἀμύητος, ἀδμήτης, ἀταύρωτος. Sed & ἀταύρωτον per ἄζευκτον, & παρθένικὴν explicuit Scholiastes Æschyli in Agamemn. Pollux lib. 3. cap. 4. ἄγαμον explicat per ἀνυμέναιον, quasi quæ sit expers hymenæi. Et quidem Sophoc. in Elect. virginem dixit ἀλέκτραν, καὶ ἀνυμέναιον, quasi sine lecto, & hymenæo. Isocrates in laudatione Helenæ vocat οὔπω ἀκμάζουσαν. Plutarc. in Ant. μικρὰν οὖσαν. Eurip. Hipp. ἄζυγα λέκτρων. Ad illud de iugo, & tauro allusit Horatius Od. 5. lib. 2. scribens.

Nondum subacta ferre iugum valet
Ceruice, nondum munia comparis
Æquare: nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Scias etiam ab Plutarch. ἐν ἐρωτικ. virginem nondum maturam vocari ἄωρον. Sed ne actum agam, vide quæ iam de hac voce Lælius Bisciola lib. 4. Horar. Subs. cap. 15. Sophoc. in Elect. ἄνυμφον nominat; & ibid. ἀνυμέναιον, & in Antig. οὐδ' ὑμεναίων ἔγκληρον.

Peto, vox procorum. 10. PETEBANT.] Propriè; nam & proci à procando, id est, petendo dicuntur. Ita Ouidius,

Multi illam petiêre, illa auersata petentes.

Catullus.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi. non si se Iuppiter ipse petat.

Proco, verbum. Bene itaque Seruius in lib. 1. Æneid. *Procare, est petere, vnde & proci petitores dicuntur.* Isidor. in Gloss. m. s. *petitores vxorum proci.* Græci quoque: nam Homer. 13. Il. loquens de Othryoneo,

Ἤτεε δὲ Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην.
Petebat Priami filiarum forma optimam.

Pindarus Od. 9. Pyth.

Τὰν μάλα πολλοὶ ἀρι-
στῆες ἀνδρῶν αἴτεον
συγγονοι, πολλοὶ δὲ καὶ
ξείνων, ἐπεὶ θαητὸν εἶδος
ἔπλετο.

Quam plurimi fortissimi viri petebant cognati; multi etiam ex peregrinis, quoniam admiranda erat eius forma. Eadem proprietate Stat. 2. Theb.

——qui mitis connubia nostra procorum
Turba petat studiis.——

Claudinus 1. Rap. dixit; *Personat aula procis*, id est, petitoribus. Ouid. pari potestate 3. Metamorph. Proci, id est, petitores.

Multi illum iuuenes, multæ petiêre puellæ.

Et quidem *procare*, & *precari* à voce προΐκτης, id est, *mendicus*, videntur nata. Lege Heraldum ad lib. 1. Arnobij. Mihi suspicio incidit, an *proceres* dicantur à *procis*, ita vt Principes populi dicantur ad similitu- Proceres vnde dicti. B dinem eorum, qui principes sunt in ambiendis nuptiis. Causam huic suspicioni præbent tum similitudo vocum, tum versus Ouid. 10. Metamorph.

——undique lecti
Te cupiunt proceres, totóque Oriente iuuentus
Ad thalami certamen adest.——

11. PVLCHERRIMVS.] De pulchritudine Principum dixi lib. 4. Æneid. Exemplis ibi adductis adscribe Homer. lib. 3. Iliad. Principum pulchritudo.

Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρόν; βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.
Pulchrum verò sic ego nondum vidi oculis,
C *Neque sic venerabilem: Regi enim viro similis est.*

Quasi insitum esset in animis mortalium, Reges debere esse pulcherrimos. Non abludit Lucret. lib. 5.

Et pecudes, & agros diuisêre, atque dedêre,
Pro facie cuiusque, & viribus, ingenióque,
Nam facies multùm valuit.——

De Antipatro Regis filio, cui tamen alij pòst nati in regna præponebantur, ait Egesip. lib. 1. cap. 36. *Cui forma, cui decoris gratia suppeteret, vt iure preferendus omnibus æstimaretur.*

12. PROPERABAT.] Ita Homer. in re nuptiali Odyss. 8. γάμον σπεύδουσι.

[a] Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multósque metu seruata per annos:
[b] Quam Pater inuentam primas cùm conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentésque ab ea nomen posuisse colonis.
[c] Huius apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ
Obsedêre apicem: & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
[d] Continuò Vates: Externum cernimus, inquit,
Aduentare virum, & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.
[e] Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et iuxta genitorem astat Lauinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalésque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis.
[f] Id verò horrendum, & visu mirabile ferri:

Namque fore illustrem fama, fatísque ferebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

ARGVMENTVM.

Futuri Italici belli prodigium duplex, apum, atque ignis: quibus Turni nuptiæ disturbantur.

EXPLICATIO.

a ASTRVIT fundamentum futuro prodigio adducta lauri historia. Erat hæc in media, ac proinde interiore Latini Regia, habebatúrque in religione. *Sacra comam*, est locutio Græca, subaudi κατά.

b Quo tempore Latinus Lauinium condidit, inuentam fortasse eo loci hanc arborem pro bono omine habuit: dicauit Phœbo, in cuius tutela ea arbor priùs erat: demum ab illa nomen colonis indidit, & vocauit Laurentes. Te *Laurentis* esse potest vel in secundo casu; erat enim huic oppido nomen, Laurens, Laurentis: vel in primo multitudinis, vt *omnes, omneis, omnis*. Sic *Laurentes, Laurenteis, Laurentis*. Quod fortasse melius, ad eum modum, quo Liuius lib. 1. dixit, *Cui parentes Ascanium dixêre nomen*. Quod monuit noster Pontanus.

c Sequitur prodigium. Aduolauit examen apum in eam arborem, consedítque in summo apice, inde se connexis mutuò, implicatísque pedibus demisit, ac pependit ex apice.

d Interpretatio prodigij. Aduenerat examen ab ea parte, qua Æneas in Italia pedem fixerat ad ostiū Tyberis. Ergo vates statim. Aderit vir externus ab iisdem partibus, vnde apes aduolarunt; petétque easdem partes, quas examen: nam sicut apes apicem arboris occuparunt, ita illo in summis nostris arcibus dominabitur.

e Prodigium alterum. Intererat fortasse Lauinia sacro patris Latini, iuxta quem erat, cúmque ipso quoque *altaria adolet*, id est, vrit dona, quæ sunt supra altare, ecce subitò flamma comas eius arripuit, totúmque ornamentum capitis; vt coronam, & gemmas, idque cum magno crepitu: statímque à capite visi sunt fumantes inter lucem globi, & flammæ rutilæ spargi in omnem partem tectorum. De structione admoneatur puer hunc in modum. Lauinia dicta est comprendere ignem longis crinibus: visa est cremari ornatum capitis: visa est accensa comas, accensa coronam: visa est inuolui fuluo lumine, & quidem tota ipsa fumida: demum visa est spargere Vulcanum totis tectis. Tota videlicet structio pendet à verbo *visa*.

f Interpretatio alterius prodigij. Ferebatur horrendum hoc esse atque mirabile: horrendum; nam bellum magnum populo portendebatur: mirabile; nam Lauinia illustris fore fama ac fatis pronuntiabatur.

NOTÆ.

Laurus confatalis Romano Imperio.

1. LAVRVS.] Nescias quo factum successu, vt multis rebus Italiæ, & crescenti Imperio confatalis fuerit laurus. Apparet hoc ex hac Latini historia, qui inuentam laurum habuit pro omine, & Laurentes populos ab ea vocauit, plantatámque in Regia, vt sacram coluit, ac retinuit. Ex nobilissimo illo Laureto, quod in Auentino post Romam conditam virere cœpisse Macrob. scribit lib. 3. Sat. c. 12. quod

A *Lauretum Numæ* Sulp. in Satyr. appellat. — Lauretum Numæ.

Nam Laureta Numæ fontésque habuimus eosdem. Ex successu Liuiæ, cui post Augusti nuptias Veientanum suum reuisenti prætervolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, demisit in gremium, qui ramulus depastus breui in Lauretum coaluit; vnde triumphantes Cæsares laureas decerpebant. Instituti narrationi Suetonij cap. 1. Galb. Inde Plinius laurum missam Augusto è cœlo scribit lib. 15. c. 30. Ex tutela, qua creditum est fores Cæsarū seruare; vnde Ouid. 1. Metamorph. — Laurus tutela Cæsarum.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediámque tuebere quercum.

Et 3. Trist. Eleg. 1. de domo Augusti:

——*apposita velatur ianua lauro.*

Vbi rei huius rationes quinque affert. Et Dio lib. 53. ait decretum, τάς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ (Augusti) προτίθεσθαι, *vt laurus ante Regiam eius proponeren-*
B *tur*. Inde & Plinius c. 30. lib. 15. *Laurus gratissima domibus, ianitrix Cæsarum, Pontificúmque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat*. Ex hist. Iulij apud Sueton. c. 45. qui *ex omnibus decretis sibi à Senatu, populóque honoribus, non aliud aut recepit, aut vsurpauit libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò gestandæ*. Quasi hac vnâ te stabiliret Cæsar Imperium suum. Ex dignitate triumphantium, qui tanquam victorias hac arbore stabilirent, eam in summo honore gestabant aut in capite, aut in manu. De capite iam indicaui Eclog. 8. De manu lib. 5. Æneid. Inde Plinius dicto loco, *laurus triumphis propriè dicatur*; & Horat. Od. 1. lib. 1. — Laureæ coronæ ius.

Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Abundant testimonia. Ex ludis, quos sacros Romani habebant, & in quibus magnum stabiliti Imperij pondus ponebant; in quibus ludis coronati lauro — Ludi sacri.
C spectabant & Imperator, & Senatores. Apud Xiphilinū enim Commodus spectat ludos habens coronam ex lauro; ipse enim de se, ὁ δάφνης φύλλα ἃ ἐπὶ τῷ στεφάνῳ εἶχον, αὐτὸς ἐνθέμενος, *edi lauri folia, quæ eram coronatus*. Meritò ergo Cassiodorus lib. 2. loquens de Romanis dixit, *audiuimus antiquas laurus*. Et Silius lib. 5. *Laurigeris decus illud auis*. Pauca ista volui in argumentum meum conferre, cùm possem plura alia. Ex his, & multis aliis *sacrā* deinde laurū vocat Poëta.

2. TECTI MEDIO IN PENETRALIBVS.] Ex verbis Seruij istis; *Penetrale est omnis interior pars domus, licèt sit intecta, vnde laurum in penetralib. fuisse non est mirum*; capio Poëtam de his locis, quæ Græci vocant αὐλάς, *aulas*. Istæ enim subdiales erant, intectæ, perflabiles. Athen. clarè lib. 5. ἐκ τοῦ διαπνεῖσθαι τοὺς αὐλὰς λέγεσθαι, καὶ διαυλωνίζειν φαμὲν τὸ δεχόμενον ἐξ ἑκατέρου πνεῦμα χωρίον. Sententia est, omnem locum per-
D flabilem, accipientémque vtrinque ventos, dici aulas. Et postea signatiùs ad rem nostram adducit ex Menandro & Diphilo, ob id ipsum Regias omnes dici aulas. νῦν δὲ τὰ βασίλεια λέγουσιν αὐλάς. Atque ex Homero constituit aulas, vbi sunt ὑπαίθριοι τόποι, *subdiales loci*. Liquet itaque Poëtam, cùm plantatam arborem in Regia constituat, illum capiendum de intecto loco, subdiali, hypæthrio, qualia esse solent in Regiis Principum. Ceterùm Claud. lib. 3. Rap. similem Virgilianæ laurum habet. — Penetrale, quid. — Aula, quid propriè.

Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus: virgineos olim quæ fronde pudica
Vmbrabat thalamos.——

3. METV.] Religionem signat; quæ enim sunt in — Metus pro religione.

sacro

sacro honore, & religione dicuntur formidari, atque horreri. Inde lucos, quos in religione habebant veteres (vt multis posset probari, nisi esset diluta satis eruditio) *horroris*, & *metus* nomine designabant antiqui, vt cùm Virg. 4. Æneid.

——horrentique atrum nemus imminet vmbra.

Petron. Sat.

Nec non horrendi nemoris de parte sinistra.

Inde in 6. Sibyllam *horrendam* vocat, id est, venerandam. Statius etiam lib. 5. Theb. dixit *pauidi luci*, id est, religiosi: & Prop. Eleg. 10. lib. 4. *lucóque abscede verendo*. Sed omitto, vt dicebam, lucos, & affero alia, quibus dabatur metus ad notam religionis. Certè sanctus Chrysostomus hom. de doctrina, & correpti. vocat *tremendum tempus* illud, quo Christiani adsunt in templis, φρικωδέστατον καιρόν. Et hom. de non contemnenda Ecclesia Dei, loquens de Sacramento Eucharistiæ, quo nihil augustius, aut religiosius, ita ait, ἐννόησον τίνος πλησίον ἕστηκας ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ φρικώδει μυσταγωγίᾳ ἄνθρωπε: *Cogita homo prope quem astiteris in sacro illo, tremendóque sacrificio.* Pari verbo de eodem Sacramento Eucharistiæ Basil. Episcop. Seleuciensis, φρικτῆς μυσταγωγίας. Redeo ad Chrysostomum, qui homil. de Morte: φρικτῶν μυστηρίων μνήμην. &, προκεῖται ἡ φρικτὴ θυσία: *horrendorum mysteriorum memoriam: &, proponitur horrendum sacrificium.* Liuius lib. 1. *Cùm perfusus horrore, venerabundúsque assistissem.* Auson. Paneg. Gratian. *In sacrario imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo, & pauore venerabili raro eumdem animum præstat, & vultum.* Lucretius *horrificè* dixit, pro venerabundè. & Petron. *horribile secretum*, pro sacro, & verendo. Ideò à Claudiano de 6. cons. Hon. *horror* dicitur *sacer*. & Paneg. 1. Stil. lucos vocat *relligione truces*. Aristid. loquens de delubro Eleusiniorum, φρικωδέστατον, *horrendissimum* Plutarch. in vita Alexandri ὅρκους φρικώδεις, *horrenda iuramenta*. Ergo Poëta, cùm ait laurum seruatam metu, nihil aliud dicit, quàm quod Lucanus lib. 3.

Tremendũ, id est, religiosum.

Horror de religione.

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo.

Quod Ouid. 2. Fast.

Lucus Auentino suberat niger ilicis vmbra,
Quo possis viso dicere, Numen inest.

Quod ipse de cupressu 2. Æneid.

Relligione patrum multos seruata per annos.

Cui tamen placuit hîc *religionem* commutare in *metum*. Laudo itaque Ouertum Gifan. qui locum Valerij Flacci 2. Argon.

——sacrisque metum seruemus opertis,

ita explicat: *seruemus sacris, quæ proferri est nefas, suum honorem, ac religionem.* Nam sicuti, inquit idem, *religio* pro metu sumitur, ita vicissim *metus* pro religione.

4. ARCES.] Seruius propriè accipit; nam iam Latinium erat conditum.

5. LAVRENTESQVE AB EA, &c.] Parabilis erat eruditio de locis, quæ à similibus euentibus nomen sumpsêre, cùm struerentur. Sic à boue Bœotia, vt aiunt fabulæ: à capite Toli inuento Capitolium, vt astruit Arnobius lib. 6. sed cesso ab ea. Ceterùm Herodian. lib. 1. à copia arboris ait nomen inditum Laurentibus. τότε Κόμμοδος εἰς τὴν Λαυρεντὸν ἀνεχώρησεν. ψυχρότερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεγίστοις κατάσκιον δαφνῶσιν ἄλσεσιν. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ: *Tum Commodus Laurentum secessit, quòd frigidior ea regio sit, syluísque è lauro permultis opaca, vnde regioni inditum nomen.*

Laurentes vnde dicti.

6. APES.] Prudenter bellicosum animal trahit ad belli prodigia. Liuius lib. 24. inter dira ostenta belli Punici secundi, quod Italiæ fuit calamitosissimũ: A *Roma quoque in ipsa vrbe secundùm apum examen in foro visum, quod mirabile est, quia rarum.* Plinius lib. 11. cap. 17. loquens de apibus: *Ostenta faciunt priuata ac publica vna dependentes in domibus, templisve, sæpe expiata magnis euentibus.* Artemid. lib. 2. cap. 22. ait illis signari στρατιητῶν. Xiphilinus de magno Pompeio. ἡττήθη. ἀσπερ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτῷ προεσήμαινε. Κεραυνοί τε γὰρ ἐς τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ ἐνέπεσον, καὶ τὰ στρατιωτικὰ σημεῖα μέλισσαι περιέσχον: *Victus est: id illi antea fuerat diuinitus significatum, quòd fulmina de cœlo in castra eius eius cecidissent, apésque militaribus signis insedissent.* Valerius Maximus capite sexto libri primi idem narrat, aitque milites statim subita tristitia occupatos, vt apes viderunt in militaribus signis. Lucanus quoque lib. 7. inter prodigia, quæ Pompeio ante bellum B acciderunt:

Apum ostẽta dirissima.

Nec non innumero cooperta examine signa.

Idem scribit Dio lib. 41. Discrepat Appian. in circumstantia loci; non enim in signis, sed in aris. Eius verba lib. 2. Ciuil. καὶ μελισσῶν ἑσμὸς ἐπὶ τοῖς βωμοῖς ἐκάθισε: *Apum examen in aris sedit.* Plutarchus in Bruto inter dira omina. καὶ μελισσῶν ὤφθη τις ἑσμὸς συνιστάμενος περὶ τόπον τινὰ τοῦ χάρακος ἐντός, ὃν ἐξήλασαν οἱ μάντεις: *Examina apum glomerata quodam loco intra vallum visa, quem locum aruspices excluserunt à castris.* Et ibidem ait, primam Bruti aquilam fuisse μελισσῶν ἀνάπλεων, *obductam apibus.* Apud eundem Plutarchum Miltas vates, cùm conspectum esset examen apum consedisse ad puppim eius nauis, qua vehebatur Dio, dixit timere se, μὴ καλαὶ μὲν αἱ πράξεις C αὐτοῦ γένωνται, χρόνον δ' ὀλίγον ἀνθήσασαι, μαρανθῶσι, *ne res, quas gesturus esset magnificas, cùm floruissent paulisper, contabescerent.* Claudianus in victoria Stiliconis contra Alaricum apes coniungit cum lapidosa grandine, tanquam æquè dirum ostentum.

Addit cura nouis lapidosos grandinis ictus,
Moliásque examen apes, &c.——

Omitto Tacitum lib. 2. Iulium Obsequen. & alios. Adeò autẽ diræ apes sunt ad euẽtus, vt Plinius c. 17. lib. 11. quòd in castris Drusi felices fuerint, notet, nõ esse verum, neq; perpetuam coniecturã aruspicum, qui dirum id ostentum existimant semper. Itaque, quamuis aruspices hoc loco reprehendat; sed satis indicat, quæ fuerit aruspicum omnium opinio de ostento apum. Eo verò meliùs poëticum ostentum D quadrat, quo apes non solùm indicauerint dirissimum bellũ Italicum secutum; sed etiam inuasoris Æneæ futuram felicitatem; nam apud Ælian. lib. 12. Var. hist. c. 46. cùm Dionysius Hermocratis filius iubam equi manu apprehenderet in illum ascensurus, ac tum examen apũ eius manum circumdedisset, interroganti de hoc omine responsum est à Galeotis; ὅτι ταῦτα μοναρχίαν δηλοῖ, *monarchiam ea re præsignificari.* Idem scribit Tullius lib. 1. de Diuinat. *Cùm aliquantulùm progressus esset, subitò exaudiuit hinnitum, respexítque, & equum alacrem lætus aspexit, cuius in iuba examen apum consederat. Quod ostentum habuit hanc vim, vt Dionysius paucis pòst diebus regnare cœperit.* Et id fortasse E vult Plinius dicto loco. *Sedere (inquit) in castris Drusi Imperatoris, cùm prosperrimè pugnatum apud Arbalonem est.* Rationem, cur apes tristissimę sunt, ab vno tantùm Ammiano notari vidi lib. 18. loquente de examine, quod sedit in domo Barbationis: *Discrimen magnum portendi responsum est, coniectura videlicet tali, quòd hæ volucres post compositas sedes, opésque congestas fumo pelluntur, & turbulento sonitu cymbalorum.* Ideo itaque apes Virgilianæ tristissimæ sunt Turno depellendo, faustissimæ Æneæ inuadenti.

Apum omen cur infaustũ.

7. STRIDORE.] De hoc apum stridore, bombo, A
Apum stridor, &
aut susurro iam ego lib.4.Georg. ad illud *stridere apes utero*. Hîc adiungo ab Ælian.lib.10.Var.hist.cap.10.
Cantus.
explicari per cantum: nam loquens de apibus, quæ Platonico ori insederant, ἐν ᾧ (inquit) χεῖλεσιν αὐτοῦ καθίσασαι ὑπῇδον.

8. PEDIBVS PER MVTVA NEXIS.] Signat vuam
Vua apum.
apum, de qua ego, & de ipsa locutione iam locutus lib.4.Georg. duplici in loco.

9. EXAMEN SVBITVM.] Quadrat cum Ænea nouas sedes occupante. De apibus ait Aristot.cap.40. lib.9.Hist. οἱ δὲ βασιλεῖς αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶνται ἔξω ἄλλως, ἢ μετὰ ἀφέσεως: *Reges nunquam foris visuntur, nisi cùm mi-*
Apes cur fingant in auiorem.
gratur. Et Plinius cap.17.lib. 11.*Procedit foras non nisi migraturo examine.* Itaque vt nouæ apes cum Rege suo prodeunt sedes occupaturæ; ita Troiani cum B suo Ænea. Plato etiam in Politico ἀποικίας dixit loquens de apibus, *colonias*. Et quidem Albam, & Romam fuisse colonias Troianorum, non minùs quàm Carthaginem Tyriorum, sciunt qui minimùm versati sunt in Romana historia.

10. RAMO FRONDENTE.] Ex disciplina apum. Reges enim, cùm primùm nouo vere examen creatur, arborem occupant. Inde præceptum illud Poëtæ Principis.

Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret:
Vt cùm prima noui ducent examina Reges
Vere suo, ludétque fauis emissa iuuentus,
Vicina inuitet decedere ripa calori,
Obuiáque hospitiis teneat frondentibus arbos.

Ceterùm cùm in re Lauiniæ inferatur hæc arbos, ad quam apes confugerint ostendentes futurum, pertinet aliquid ad hoc illud Artemid.lib. 2. cap. 25. C
Δάφνη δὲ γυναῖκα σημαίνει εὔπορον, διὰ τὸ ἀειθαλὲς: καὶ
Lauri significata symbolica.
εὔμορφον, διὰ τὸ χάριεν: καὶ ἀποτυχίαν τῶν προσδοκωμένων, διὰ τὸ πικρὸν, καὶ ἄβρωτον. *Laurus significat opulentam feminam, propter perpetuam viriditatem: & formosam, propter speciositatem: & successum irritum, propter amaritudinem, neque enim edi potest.* Vides omnia coniúngi, videlicet opulentiam Lauiniæ, quæ hæres Regni: eius pulchritudinem, quam Poëta celebrat in 12. Æneid. demum irritum conatum Turni, propter Deorum portenta edita variis terroribus. Itaque opportunè hanc arborem præ aliis elegit Maro ad hanc historiam. Obiicies. Non cogitauit hoc Poëta. An tu cogitas, qui ita obiicis?

Castitas de sacris.
11. CASTIS.] Commune sacrorum epithetum. D Ita lib.3.

Hac casti maneant in relligione nepotes.

Val.1.Arg.

Stat casta cortina domo.

Quicquid enim castum est opponitur scelerato. Insinuat lib.6.

Nulli fas casto sceleratum insistere limen.

Nefas in prodigio.
12. NEFAS.] Ita locutus Ouidius etiam in re prodigiosa;

———*nefas visu mediis altaribus anguis*
Exit.——— ———

Vterque nihil aliud significat, quàm prodigium eius esse rationis, vt non facilè fari queas.

Comæ longæ in decore.
13. LONGIS.] Attingit Poëta, aliud agens, illud, E in quo magnam partem gloriæ ponunt feminæ. Neque enim solùm flauitiem comarum, sed longitudinem in laude habent. Idem attigit lib. 4. Georg. per verbum *effundo.*

Cæsariem effusæ nitidam per candida colla.

Vt & Silius,

Purpurea effusos per colla nitentia crines.

Tibullus lib.3. per verbum *fluo.*

Intonsi crines longa ceruice fluebant.

Ouidius 6. Met. per verbum *immitto:*

Cum capite immissos humerum per vtrunque capillos.

Itaque *effundi, fluere, immitti* dicentur comæ, cùm longæ sunt, quod ex circumstantiis colli, ceruicis longæ, vtriusque humeri satis apparet. Deinde indicat morem alium æui illius simplicioris, in quo simplex ornatus, & longitudo tantùm comarum pro decore erat: hoc enim ornatu Lauiniam inducit. Itaque nullus nodus formatus in comis, nulla constrictio, aut religatio, nihil effictum tortile: vt videmus sæpe in feminis, quæ varias figuras formant varia comarum dispositione.

14. COMPRENDERE.] Cæsar, citante Germ. *flamma ab vtroque cornu comprensa.* Quadrat cum poëtico excursu illud Sidonij, credo:

Lambebant teneros incendia blanda capillos.

Nec non illud Eurip. in Medea.

Χρυσοῦς μὲν ἀμφὶ κρατὶ κείμενος πλόκος
Θαυμαστὸν ἵει νᾶμα παμφάγου πυρός.
Aurea quidem corona capiti imposita
Emittebat mirabilem vorticem ignis omnia deuorantis.

Sed de hoc prodigio flammarum, & quid illo significetur satis iam sum locutus lib. 2. Æneid. vbi par prodigium felicitatis Ascanij. Hîc exhibeo locum Herodoti lib.6. rei cohærentem. Ait ille, Cleomeni sacrificanti affulsisse flammam ex simulacro Iunonis; Sed hanc ex pectore, quo intellexit non expugnatu- Flāma erūpens ex pectore,
rum se Argos. Additque: εἰ μὲν γὰρ ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ ἀγάλματος ἐξέλαμψε, αἱρέειν ἂν κατ᾽ ἄκρης τὴν πόλιν: *Si enim è capite simulacri flāma exstitisset, fore vt vrbem ab arce* ex capite.
caperet. Flamma ergo ex capite emicans, felix fuit. Ex his Homerum traho ad felicitatem lib. 6. Iliad. Achillis cùm caput Pallas nube coronasset, postea subiicit.

———ἐκ δ᾽ αὐτοῦ δαῖε φλόγα παμφανόωσαν:
Ex ipso incendebat flammam vndique lucentem.

Et iterum.

———ἐπεὶ δ᾽ ἴδον ἀκάματον πῦρ
Δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς μεγαθύμου Πηλεΐωνος
Δαιόμενον. τὸ δ᾽ ἔδαιε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη.
———*vbi viderunt indefessum ignem*
Horrendum supra caput magnanimi Pelidæ
Ardentem: quem accenderat Dea cæsia Minerua.

Isto enim prodigio, vt felici, nobilitat Homerus heroëm suum. Sed nota, ignem innocuum fuisse in- Ignis innocuus felix.
dicium felicitatis, vt in Achille, & aliis: secus, si ignis læderet, vt accidit Polynici apud Stat.lib. 11. Theb. cui ignis combussit diadema, ait enim:

Dixerat; ast illi niger ignis in ora, genásque
Prosiluit, raptúmque comis diadema cremauit.

Inde Claud. de 4. Consul. Hon. loquens de igne Ascanij dixit signatissimè *innocuum*, trahens ignem ad felicitatem. Ait enim;

——————*ventura potestas*
Claruit Ascanio, subita cùm luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygióque volutus
Vertice fatalis redimeret tempora candor.

Apud Silium aduersum est omen ex deuastato ignibus Thrasimeno lacu. Longissimè hoc ille lib. 5. Æsculapio hic ignis felix fuit, cui puero dat Pausan. Corinth. ἀστραπὴν ἐκλάμψαι. Apud eundem Atticis futura felicitas præsignata est Seleuco ex lignis, quæ vltrò arserunt. Sic & fax apud Valer. 1. Arg. fundit lumen *innoxia* super caput Castorum ad signandam felicitatem. Cunæ etiam Bacchi incenduntur apud Plut.lib.1. Symp: intacto infantis corpore, τοῦ δὲ σώματος οὐχ ἥψατο. Aristid. orat. 5. Sacror. serm. ait fuisse αἴσιον σημεῖον, *faustum omen*, quòd fulmen

fulmen summos prætervolans capillos, non illos incenderit. Et apud Nonnum lib. 45. ignis emicuit, qui οὐκ ἔφλεξε χιτῶνας, *non combussit vestes*. Tales flammas vocat Plat. in vita Timoleontis μυστικάς. Istis illustrabis plurima Poëtarum loca, in primis Ouidij, Tibulli, Propertij. Primum Eleg. 9. lib. 4. de Ponto, vbi igni dat *bonum omen*. Alterum lib. 4. vbi *lætior ignis*. Tertium Eleg. 10. lib. 3. vbi *flamma secunda*. Hæc enim bonitas, lætitia, secunditas ab igne innoxio.

15. FLAMMA CREPITANTE.] Ipse 1. Georg.

———crepitantibus vrere flammis.

Lucret. lib. 6. loquens de lauro.

Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Flamma crepitans bonū omen. Trahat fortasse aliquis ad bonum Lauiniæ omen hanc crepitationem & sonitum flammarum. Hoc qui velit, adeat quæ iam ego Eclog. 8. ad illud, *fragiles Lauros*.

16. CORONAM] Erunt, quibus placeat coronam dari Lauiniæ ex ritu sacrificantium; hîc enim ipsa inducitur adolens altaria: hoc qui velint, adeant, quæ iam ego lib. 3. Æneid. ac postea in locum Euripid. incidimus in Med. vbi quæpiam sacrum factura, inducitur (Sacrificantes coronati.)

Χρυσοῦν τιθεῖσα στέφανον ἀμφὶ βοστρύχοις.

Auream ponens coronam supra cincinnos.

Et in locum Plinij lib. 2. cap. 105. quem adducam, quia consimile quidpiam cum Poëta. Ait itaque. *Huic (naphtæ) magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam vndecumque visam. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.* Qui locus præit, vt intelligas verba Apuleij ista lib. 1. Af. *Illa Medea vnius dieculæ à Creonte impetratis induciis, totam eius domum, filiámque cum ipso sene flammis coronalibus deusserat.* Sed hoc omisso, placet potiùs ad morem alium recurrere, quo Lauiniæ datur corona tanquam hæredi paternarum opum. Nam & in 1. Ilionæ maximæ natarum Priami datur corona & sceptrum. De quo sceptro ipsamet Ilione loquitur apud Pacuuium (citante Nonio) *Vt si onere credo adhuc sceptrum patienter poti.* Ex hoc more Romuli mater Syluia dicta est à Poëta lib. 1. Æneid. *Regina Sacerdos*, cùm nullum adhuc Regnum teneret, vbi ad ius tantùm respectum est. Quin Reges dicuntur, qui Reges contingunt genere. Sic Ariadnam Reginam vocat lib. 6. filiam quidem Minoïs, sed non hæredem. Sic in 9. Remulus dicitur, *tumidúsque nouo præcordia Regno*; quòd tantùm duxisset sororem Turni. Polyxena quoque in Hecuba Euripidea de se loquens, βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι. Nausicaa apud Homerū 6. Odyss. βασίλεια. Antigone se βασίλειαν vocat apud Sophoclē. Sic accipe Claudianū Paneg. 2. Stil. (Coronati hæredes Regum. — Reges dicūtur qui non Reges.)

Reginasque parit, Reginarúmque maritos.

Sic lib. 1. Epig. Menelaus, & Paris dicuntur βασιλῆες εὐγάμβροι, ἀδελφοί, quia ille Agamemnonē, hic Priamum attingebat. Huc pertinet locus Aristotelis de Cypriorum politia, καλοῦνται οἱ μὲν υἱοὶ, καὶ ἀδελφοὶ τοῦ βασιλέως, ἄνακτες: αἱ δ' ἀδελφαὶ, καὶ γυναῖκες, ἄνασσαι: *Dicuntur Reges filij, & fratres Regis: sicut sorores, & vxores, Reginæ.* Possit, qui velit rationem aliam afferre, cur

A corona gestata Lauiniæ: quia videlicet nota fuit futurarū nuptiarum; atqui Lauinia iam fuerat promissa Turno. Itaque fuit mos, vt cùm primùm virgines cogitarent de nuptiis, coronas gestarent. Clarè Cicero ex vetere Poëta lib. 3. de Orat. (Nuptura feminæ coronabantur.)

—coronam ob collocandas nuptias

Tibi ferebat.———

De Proserpina Claudian. lib. 2.

Nunc sociat flores, seséque ignara coronat

Augurium fatale tori.———

De eadem ibidem:

———libertatémque comarum

Iniecta voluit tandem frenare corona.

Apud Eurip. in Iphig. Aulid. Clytemnestra ita alloquitur Achillem,

B Στέψασ' ἐγώ νιν ἦγον, ὡς γαμουμένην:

Coronans eam adduxi tanquam nupturam tibi.

Scilicet Iphigeniam. Cassandra quoque apud eundem in Troad. ita matrem Hecubam.

Μῆτερ πύκαζε κρᾶτ' ἐμὸν νικηφόρον,

Καὶ χαῖρε τοῖς ἐμοῖς βασιλικοῖς γάμοις.

Mater corona caput meum circumda,

Et gaude propter meas Regias nuptias.

Apud Nonnum lib. 24. defletur iuuenis quidam ab sponsa, qui nondum nuptias contraxerat. Inter reliqua autem, quæ de illo sponsa, tum hæc, στέμματι νυμφιδίῳ ἀτυχας μένεν, *corona sponsali tectum*. Basilius Seleuciensis in vita Teclæ. περιθήσω μέν σοι, περιθήσω δὲ

C τῷ νυμφίῳ τῷ σῷ τὸν πολυευκτον στέφανον. *Imponā tibi, imponā & sponso tuo optandā plurimum coronā.* Notabis obiter nō solum nouas nuptas, sed thalamos quoque coronari solitos. Cyrillus Alexādrin. ita scribit in Ioëlem. καὶ νυμφίοι, καὶ αἱ νύμφαι κόραι, ἐσχάτως κατεστεμμένων ἔτι παστῶν ἐκθέουσαι, καὶ γαμήλιος εὐνὰς ἀφιεμέναι, *sponsi & noua nupta è thalamis nuper coronatis excurrentes, & lectulum genialem deserentes.* Quod testimonium addi potest aliis, quæ ad rem eandem adducit Paschalius. Potest enim esse non minima gloria aliquid illi addere, adeò omnia conuertit. (Thalami coronabantur.)

17. INSIGNEM GEMMIS, &c.] Tale illud. 1. Æneid. (Gemmæ in coronis.)

———& duplicem gemmísque, auróque coronam.

D Sic itaque & corona Lauiniæ aurea erat, & auro insertæ gemmæ. Sicuti in poculo, *pateram gemmis, auróque poposcit.* Has coronas cum gemmis dici Ioanni Chrysostomo στεφάνας λιθοκολλήτους Germanus alicubi obseruauit. Claudian. de laudib. Stiliçon. loquens de corona Serenæ.

Vile putas donum solitam consurgere gemmis.

Videlicet comam Serenæ. Accipit Virgilium Paschalius lib. 9. c. 1. de diademate, quod gemmis ornatum. Nam diademata dici coronas, frequens est. (Diadema dicitur corona.)

18. VVLCANVM.] Notaui alicubi, Poëtam vti hac voce, non ad quemlibet ignem; sed ad excrescentem & magnum. Et hic signatè ignis ad tecta vsque excrescit felici omine Lauiniæ, quò traho quæ iam scripsi lib. 4. Georg. ad illud, (Vulcanus de magno igne.)

Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.

Ea enim omnia in hunc locum quadrant, à quibus abstineo, ne actum agam.

a At Rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucósque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sæuámque exhalat opaca mephitim.
b Hinc Italæ gentes, omnísque Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt: huc dona Sacerdos
Cùm tulit, & cæsarum ouium sub nocte silenti

Pellibus incubuit ſtratis,ſomnóſque petiuit,
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris:
Et varias audit voces,fruitúrque Deorum
Colloquio,atque imis Acheronta affatur Auernis.
[c] Hinc & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat ritè bidentes,
Atque harum effultus tergo,ſtratíſque iacebat
Velleribus: ſubita ex alto vox reddita luco eſt.
[d] Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies,thalamis neu crede paratis.
Externi venient generi,qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant,quorúmque à ſtirpe nepotes
Omnia ſub pedibus,qua Sol vtrumque recurrens
Aſpicit Oceanum,vertíque,regíque videbunt.

ARGVMENTVM.

His prodigiis Latinus commotus adit oraculum patris Fauni,vt ſciat, cui debeat filiam nuptui dare: reſpondet Faunus locandam externo genero.

EXPLICATIO.

[a] PRodigia apũ,& flammarũ (vocat hîc mõſtra) Latinum ſollicitum,vt par erat, ferunt ad oraculum patris Fauni, quod reddebatur in luco iuxta Albuneam (nomen eſt fontis) exhalabat verò fons corruptum putorem. Nota doctrinam. Albuneam dat luco,quia nullus lucus ſacer abſque fonte.

[b] Dicit in eum lucum ſolitam confluere vniuerſam Italiam ad petenda oracula in rebus dubiis: adhibétque ritum,quo id fieret. Ferebat Sacerdos ſecum dona,id eſt,oues (nam ſic interpretor) quibus cæſis in earum pellibus dormiebat. Ac tum in ſomnis mira quædam videbat ſimulacra, audiebat voces, fruebatur Deorum alloquio, loquebatur cum Auerno.

[c] Ergo Latinus pari ritu eò contendit,tulit ſecum oues centum,mactauit, in earum pellibus incubuit,vocem audiuit.

[d] Sequitur vox oraculi iubentis,ne Latinus natã collocet in matrimoniũ Turni,expectet venturos aliunde generos, qui commiſti cum Italis, horum gloriam in cœlum tollant,ferántque in totius terrarum orbis partes, ac nutu ſuo,atque imperio omnia vertant,omnia regant.

NOTÆ.

Fauni oraculum.

1. FAVNI.] Dionyſius lib.1.Antiquit. *Apud Aborigenes Regnum à maioribus accepium tenebat Faunus à Marte (vt aiunt) oriundus: vir non ſolùm ad res gerendas promptus, ſed etiam prudens: ipſúmque Romani ſacrificiis,& carminibus,vt vnum de Diis patriis,honorant.* Hęc ergo cauſa,cur eius oraculum aditum. Notetur epithetum *fatidici*: nam Faunus dictus ἀπὸ τῆς φωνῆς, à fando. Hic enim voce,non ſignis oſtendebat futura. Ita Valer. 1. Arg. *Fatidicam ratem*, quia locutam Argo fabulæ produnt. Ita & Dodonæ quercus fatidicæ. Sophocl. Trachin. πολυγλώσσου δρυός.

Luci ſacri.

2. LVCOS CONSVLIT.] Vt ſacros, & in quibus A viuebant, vigebántque oracula. Quis ignorat veterum ſuperſtitionem? Antonij partes victas, quòd eius præfectus Turullius, Æſculapij locum violauerit, Valerius ſcribit lib.1 cap.1. Quin *luci fuerunt Numinum templa* (verba ſunt Plinij lib.12.c.1. *priſcóque ritu ſimplicia rura etiamnum Deo præcellentem arborem dicant.* Cùm Clemens lib.7.Strom.dixit, πᾶν ξύλον, καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, προσκυνοῦντες: *Omne lignum, & omnem lapidem, quod dicitur, adorantes,* explico illum de lignis lucorum. Cum adductis Plinij conſonant verſus Statij lib. 9. Theb. apud quem Diana quercum quandam ſtatuit coli vt numen. Verſus ſunt.

Nota per Arcadias felici robore ſyluas
Quercus erat Triuiæ, quam deſacrauerat ipſa
Electam turba nemorum,numénque colendum
Fecerat,&c.——

B Inde arbores lucorum cum velleribus, vt ſacratæ. Valer.lib.5. Arg. Arbores ſacræ,&

——*ſacrata rutilam cui vellera quercu.*

Sed ſignatiùs ad rem Latini, qui lucos conſulit, ac proinde quercus lucorum, facit nota iam eruditio, qua arbores dediſſe oracula prædicantur. Sic Sophoc. Trachin.dixit, πολυγλώσσου δρυός, quia videlicet quercus cum lingua. Et apud Claudian.1.Rap. dicuntur quercus locutæ carmina. Sed quæ ratio huius figmenti? Falſi illi veterum Dij non ſolùm ex templis reddebant oracula,ſed etiam ex arboribus. Inde arbores putatæ loqui, & dare oracula. Firmat hoc locus clarus Ouid.lib. 7. Metamorph. vbi Æacus preces ad Ioue dirigens,è quercu reſpondet Iuppiter. Verſus omitto, vt multos. Ad imaginẽ Virgilij C rem Silius ſuam adornauit lib. 3.vbi aditur Ammonius Iuppiter. Sit ſatis indicaſſe. cũ lingua.

Albunea Sibylla.

3. ALBVNEA.] Lactantius lib.1.c.6. perſequens numerum Sibyllarum ita ſcribit: *Decimam Tyburtem, nomine Albuneam, quæ Tyburi colitur vt Dea iuxta ripas Anienis: cuius in gurgite ſimulacrum eius inuentum eſſe dicitur tenens in manu librum, cuius ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit.* Suidas quoque ait, Sibyllam Tyburtinam dictam fuiſſe Albuneam. Ergo,cùm Acro & Porphyr.in Odem 7.lib.1. Horatij dicant, Albuneam fuiſſe nomen Nymphæ præſidis fontis eiuſdẽ nominis; credibile eſt,ab Sibylla,quæ ibi olim vaticinaretur, relictam hanc nomenclaturam, non ſolùm fonti,ſed etiam ſyluæ, & inde propagatam ſuperſtitionem, vt Itali locum illum adirent ad petenda oracula,tanquam Sibyllæ ſpiritus adhuc reliquus eſſet

esset in fonte, aut sylua. Vocat Poëta *altam*, quòd es- A set in montibus altissimis Tyburtinis, ait Seruius. Itaque ait Maro consultos lucos, quia in his Faunus reddebat oracula, veluti propagata iam inde ab Sibylla, ad eum modum, quo Turnebus ait, loca illa, in quibus magni olim Poëtæ floruerunt, obtinuisse, vt inde Musæ euocarentur à posterioribus Poëtis. Sunt qui nomenclaturam vocis non referant ad Nympham vllam, sed tantùm ad aquas Albulas, scribente Strabone lib. 5. iuxta Anienem Albulas aquas, easque frigidas scaturire è multis fontibus ad morbos multos salutares. Verba eius sunt: καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν πρὸς ποικίλας νόσους ὑγιεινά. Dicuntur ita à colore, vt etiā Tybris, Albula, & Albana flumina à Tibullo; atque hęc est ratio, cur aliqui Albuneam cum Leucothoë confundant. B

Albulæ aquæ.

Certè vsitatum aquas dici albas ad significandum splendorem illum, & perspicuitatem, quæ in aquis est. Ita Callimach. hymno Iouis vocat fluuiū Erymanthum λευκότατον ποταμῶν, *candidissimum fluuiorum*; & λευκὸν ὕδωρ Homeri Scholiastes explicat διαυγὲς *splendidam*. Sic & maris tranquillitas dicitur γαλήνη ab albore, videlicet ἀπὸ γάλακτος, *à lacte*. Vide quæ latè noster Bisciola lib. 1. Subsec. cap. 3. Sic contrà in tempestate aquæ dicuntur atræ, aut nigræ. Consule quæ iam ego lib. 5. Æneid. per initia. Nota dici ab Horatio Od. 7. lib. 1. *Albuneæ resonantis*, ad imitationem Virg. qui, *fonte sonat*.

Aquæ cur dicantur albæ.

4. MEPHITIM.] Putor est corruptus. Indicat Persius aquas Albuneæ sulphuratas esse, & inde prouenire istum putorem; scribit enim Sat. 3. C

Mephitis.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lauatur,
Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.

Cùm enim flatum crudi stomachi vocet mephitem sulphuream, videtur respicere ad naturam aquæ. Ex Persio Sidon. epist. 13. lib. 3. *Exhalatus è concauo molarum computrescentium mephiticus odor.* Homerus similem exhalationem prouenientem ex aquis calidis vocat καπνὸν, *fumum*. Lege illum Iliad. 22. vbi loquitur de fontibus Scamandri. Calab. lib. 2. λευγαλέη ὀδμή. Ait Seruius ex sententia aliquorum, Mephitim esse Deum Leucotheæ connexum, aut Iunonem; nam Iuno aër est, atqui putor nascitur ex corruptione aëris, ac proinde (ait) Mephitis erit Dea D odoris graue olentis. Pertinent ad hanc opinionem numinis verba Taciti lib. 19. *Solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu numine defensum.* Itaque constitutum est numen, quod auerteret nocuos halitus. Ait Priscian. lib. 7. duci vocem à Græco μεσίτης, mutatione σ, in φ. Scaliger tamen in Coniectan. ait esse vocem Etruscam; Etruscos autem ab Syris accepisse: Syrorum verò lingua hac voce significari grauitatem, aut exhalationem & flatum spiritus. Non multùm abit à sententia Virg. illud Persij Sat. 5.

——Venientumque Rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba.

Sed Sil. lib. 6. Musam suam proculdubio prouocauit Virg. viso:

Lucus iners iuxta Stygiam pallentibus vmbris E
Seruabat sine Sole nemus, crassusque per auras
Halitus erumpens tetrum exspirabat odorem.

Egesippus c. 35. lib. 1. scripsit: *Vmbrosum aperitur antrum, per quod graue olentis præcipitij profundum sanam exhalat mephitim.* Vt hinc appareat *mephitim* iam pro graui quouis & tetro odore sumptum. Notabis *sæuitiem* datam tetro odori, ad eum modum, quo Catullus, *trux caper*: &, *crudelem nasorum pestem*.

5. OENOTRIA.] Vide quæ iam à me lib. 1. Æneid.

6. CÆSARVM OVIVM, &c.] Explico hunc locum ex Pausania, & Plinio. Prior in Attic. loquens de Amphiarao, postquam præmisit, illum excelluisse laude interpretandorum somniorum, omnésque, qui ad illius oraculum pergunt, purgatos ire oportere, factis priùs sacris, ita subiicit. προεξειργασμένων δὲ τούτων, κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι καθεύδουσιν ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος: *His peractis, arietē illi* (Amphiarao) *sacrificant, pellem arietis substernunt, ac dormiunt, significationem somnii expectantes.* Posterior lib. 16. c. 14. loquens de ætatibus arborum, ac de Tyburtibus Italiæ, ita ait. *Apud eos exstant ilices tres, etiam Tyburto conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur: fuisse autem illum tradunt filium Amphiarai.* Ecce iam lux Maronis, qui scientissimus rituum, locum oraculi constituit in Albunea sylua Tyburtinorum, vbi inauguratus Tyburtus fuerat, iuxta Plinium: & in pellibus hostiarum, iuxta Pausaniam. Credibile est enim Tyburtum induxisse in Italiam ritus patris Amphiarai. Etenim qui hunc locum explicant fulti tantùm auctoritate Pausaniæ (hi sunt Cælius, atque alij) sine Plinij adiumento deficiunt omnino. Non enim satis aperiunt, quî Græcum morem Poëta vsurpauerit in Albunea Tyburtinorum. Hæc firmiora puto ad explicandum Poëtam, quàm quæ adducit Brodæus cap. 31. lib. 3. Miscell. tametsi, quæ de Dauniis, & Calabris adducit ex Zetze, arripi queant. ἐνθάδε οἱ Δαύνιοι, ἢ καὶ οἱ Καλαυροὶ ἐν μηλωταῖς καθεύδουσιν ἐν τάφῳ τοῦ Ποδαλειρίου, καὶ καθ' ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς ἐξ αὐτοῦ: *Consueuerunt Dauni, & Calabri dormire in pellibus ouium ad sepulcrum Podalirij, atque ita in quiete oraculum ab eo accipere.* Hæc (inquam) arripi queunt; nam morem ab Italiæ parte vna ad aliam conuerti facile fuit. Itaque nulla est ratio, cur Brodæus contemnat Pausaniæ locum adiutum Pliniano. Admoneo Lectorem, quoties in hac Nota occurrit mentio *Tyburti*, legendum fortasse meliùs *Tyburni*. de quo tamen infrà in hoc libro.

Tyburti auguratio.

7. SVB NOCTE SILENTI.] Hæc circumstantia innuit aliquid de sacris necromanticis: sicut illud, quod postea sequitur,

Sacra necromanticæ fiebāt noctu.

——atque imis Acheronta affatur auernis.

Atque illud etiam.

Multa modis simulacra videt volitantia miris.

Sed de his sacris hîc nihil, vt de quibus satis iam lib. 6. Sed locus Virgilij generaliùs pensitetur. Fuit enim veterum opinio, Deos noctu in terris agere. Huius rei elegans est locus Quintil. Declam. 10. *Quotiescunque domus fuerat grato sopore prostrata, aderat ille, quales humanis se offerunt oculis propitij Dei, quale lætissimum numen est, cùm se patitur videri.* Pergit aliis. De Hercule Statius 3. Syluarum.

Hic pater ipse loci positis Tyrinthius armis
Insudat, validáque solum deforme bipenni,
Cùm graue nocturna cœlum subteritur vmbra,
Ipse fodit.——

8. PELLIBVS, &c.] Putant aliqui attingi obiter à Poëta morem Romanæ militiæ, quo duces *sub pellibus haberi cœpti sunt*, vt ait Liuius lib. 33. Ita & Claudian. 1. Stil.

Duces sub pellibus.

——quoties sub pellibus egit
Edonas hyemes.——

De quo more satis multa nostri eruditi: sed non aperiunt originem, quæ videtur à Græcis tracta ex loco Homeri Odyss. 1. loquentis de Telemacho,

Ἔνθ' ὅγε παννύχιος κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ,
Βούλευε φρεσὶν ᾗσιν ὁδὸν, τὴν πέφραδ' Ἀθήνη.

Ibi ille noctem integram ouis pelle contectus
Voluebat suo animo iter, quod Minerua dixerat.

Lecti ex pellibus. Huic virtuti institit Scipio, de quo in Iberic. ait Appianus, illum vetuisse haberi lectos, atque primum in stramento dormiuisse. Porrò, quia veteribus hoc

Dormio ἀπὸ τῶν δερμάτων. vsitatum, factũ vt ἀπὸ τῶν δερμάτων, id est, *pellibus*, Latini ducerent verbum *dormio*, quasi *dermio*. Sic certè visum Scaligero in Coniectan. & habet comprobatorem Christianum Florentem Comm. Aristophan. in Vesp. Notes etiam pellium vsum in religione. Latinus enim dormit in *pellibus* daturus operam religioni. Sic in 8. in sacris Herculis, *pellibus in morem cincti*.

Pelliũ vsus in religione.

Incubare, pro, oraculum accipere. 9. INCVBVIT.] Verba Seruij pro responso esse possunt ad explicationem huius loci. Ait ille: *Incubare dicuntur propriè hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Vnde est, ille incubat Ioui, id est, dormit in Capitolio, vt responsa possit accipere.* Verissimè hoc Seruius; verissimè etiam Festus: *Cubans auspicatur qui in lecto quærit augurium*. Firmant rem hanc multa. Plautus Curcul. act. 2. scen. 2.

Nihil est mirandum, meliùs si nihil sit tibi,
Namque incubare satius te fuerat Ioui,
Tibi qui auxilium in iureiurando tulit.

Ibidem act. 1. scen. 1.

——quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapij fano.——

Cicero etiam lib. 1. de Diuinat. *Atque etiam, qui præerant Lacedæmoniis non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaæ fano, quod est in agro propter vrbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.* Val. Max. cap. 1. lib. 6. loquens cum Pudicitia: *Tu Capitolinæ Iunonis puluinaribus incubas.* Solinus cap. 4. loquens de cornu Ammonis (cuius etiam meminit Plin. lib. vlt. cap. 10.) ait, *Prædiuina somnia repræsentare dicitur subiectus capiti incubantium.* Scilicet lapis, quem vocant cornu. Aduocat Germ. locum hunc Sophoc. Trachin.

Μαντεῖα καινὰ τοῖς πάλαι ξυνήγορα,
Ἃ τῶν ὀρείων, καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ
Σελλῶν εἰσελθὼν ἄλσος.
Vaticinia noua veteribus æqualia,
Quod cùm montanorum, & humi cubantium
Sellorum lucum ingressus essem.

Humicubæ qui petunt oracula. Loquitur de Sacerdotibus Dodonæ syluæ, qui non solùm à re hac χαμαικοιταὶ dicuntur, sed etiam χαμευνάδες, & χαμεῦναι, quòd cubarẽt in solo accepturi oracula. Ego quoque incidi in locum Maximi Tyrij, vbi de Sacerdotibus Dodonæ ita loquitur dissert. 26. Οἱ δὲ χαμεῦναι, καὶ ἀνιπτόποδες ἐν Δωδώνῃ θεραπεύοντες δρῦν, παρ' ἐκείνης, ὡς ὁ Θεσπρωτῶν λόγος, μαθόντες χρησμῳδοῦσι: *Humicubæ illi, & siccipedes quercum colunt*

Selli vates Iouis. *in Dodona, eiúsque instinctu, vt Thesproti tradunt, discunt futura, & aliis dicunt.* Et in Homerum, qui lib. 16. Il. ait, Sellos vates Iouis humi cubare in Dodonæa sylua. Itaque ab Homero proculdubio tam Sophocles, quàm Maximus sententiam vterque hausit. Adiungo versus Achillis ore ad Iouem.

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου: ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι:
Iuppiter Rex Dodonae, Pelasgice, longè habitans,
Dodonæ præsidens frigoribus expositæ; circum autem Selli
Te habitant vates, illoti pedibus, humi dormientes.

Putant aliqui Propertium respexisse Eleg. 4. lib. 4. ad hunc fatidicum incubitum, cum scripsit:

Experiar somnum, & de te mihi somnia quæram.

Ægri incubant in æde Æsculapij. Ægri etiam incubabant in æde Æsculapij, putantes sibi inter dormiendum remedium præscribi. Vnde

A ἐφεῖς τῶν ἱερωμάτων sunt in Aristide in sacris. Pausan. in Corinth. loquens de templo Æsculapij, ἔνθα οἱ ἱκέται τοῦ θεοῦ καθεύδουσιν. *ibi, qui precatum ad Deum veniunt, dormiunt.* Et hoc est, quod Petron. dixit, *medicinam somno petij.* Demum huc pertinent verba Strabonis lib. 16. loquentis de Mose magno Iudæorum legislatore. Cùm enim præmiserit, quæ Moses docebat suos, tum hoc inter alia: ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους, *pro se quemque, & pro aliis alios, qui essent ad bene somniandum apti, oportere indormire.* Itaque in somnis res sacræ peragebantur. Mirum est, quod de Epimenede Cretensi quodam narrat Maximus dissertat. 28. ἡμέρας ἐν

In somnis res sacræ peragebantur.

B Δικταίου Διὸς τῷ ἄντρῳ κείμενος ὕπνῳ βαθεῖ ἔτη συχνά, ὄναρ ἔφη ἐντυχεῖν αὐτοῖς θεοῖς, καὶ θεῶν λόγοις, καὶ ἀληθείᾳ, καὶ δίκῃ, *illum, cùm clara luce in Dictæi Iouis antrum secessisset, multos ibi annos profundè dormisse, Deósque in somnis, vocésque eorum vsurpasse, atque ita veritati litasse, & iustitiæ.* Non omittam notam Cælij repetentis hunc morem ab Amphiarao, ad cuius oraculum qui pergebant, lustrali priùs arietis pelle substrata obdormiscentes, somnos captabant. Hinc Casaubonus dat lucem Poëtis, qui superstitionem hanc ad suos mõtes transtulerunt, persuadentes sibi, illos repentè futuros Poëtas, qui in illis montibus somniassent. Firmat ex Propertio, qui de se lib. 3.

Visus eram molli recubans Heliconis in vmbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi:
C *Reges Alba tuos, & Regum facta tuorum,*
Tantum operis neruis hiscere posse meis.

Contrà Persius,

Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, vt sic repentè Poëta prodirem.

Quos tamen versus ad somnos Ennianos multi referunt; sed hoc nihil inconuenit.

10. SOMNOSQVE PETIVIT.] Hinc Tibull. Somnos petere.

Non arces, non vallus erat, somnúmque petebat
Securus varias dux gregis inter oues.

11. MVLTA MODIS SIMVLACRA, &c.] Ipse 1. Æneid.

——Ora modis attollens pallida miris.

Lucret. lib. 6.

——rerum simulacra vagari
D *Multa modis multis.——*

Plautus:

Res nimiùm miris modis mirabiles.

Intellige per *simulacra, species, imagines*, τὰ εἴδωλα; & lege, quæ Heral. in lib. 6. Æneid.

12. ET VARIAS AVDIT VOCES.] Quales solitæ audiri in lucis plenæ horroris, & formidinis: vt quam inter alia prodigia ipse affert 1. Georg. Voces locorum.

Vox quoque per lucos vulgò exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris, &c.

Quem locum adi. Sed cur *varias voces*? Allusum forrasse ad sacras illas veterum incantationes, quas Lucanus lib. 6. dat cuipiam magæ, in quibus non vna tantùm, sed multiplices erant & variæ voces. Pro-
E duco versus Lucani.

Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primùm
Dissona, & humanæ multùm discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitúsque luporum,
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod strident, vlulántque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, & planctus illisæ cautibus vndæ,
Syluarúmque sonum, fractæq; tonitrua nubis,
Tot rerum vox vna fuit.——

Hoc magis verum apparet, quia postea Sacerdos Virgilianus, *imis Acheronta affatur Auernis.* Et cùm statim ait,

ait, *fruarq; Deorum Colloquio*, infernos Deos intelligit; ſicut in 4. *Ter centum tonat ore Deos*, nempe infernos, quia ſequitur, *Erebúmque, chaóſque*. Itaque ſacra hæc Gentilium, quibus Dij eliciebantur ad colloquium, non dubium quin magica ſint.

Loquor de re ſacra.

13. COLLOQVIO.] Ita in 6. in re etiam ſacra,

Quique pij vates, & Phœbo digna locuti.

14. CENTVM.] Aut numerus certus pro quolibet, quod vſitatum Poëtis: aut verè centum, ſplendido ſacro, & planè Regio. De verbis *macto, ritè, bidentes*, iam locis aliis.

Fultus.

15. EFFVLTVS.] Lege quæ iam 6. Eclog. ad illud,

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Et hîc adiice Lucillium, qui, *puluino fultus*: & Iuuenalem, qui, *fultúſque toro meliore recumbes*. In quibus, & B aliis locis nihil eſt aliud *fulcire*, quàm ἐρείδειν, vt etiam in Perſ. Sat. 5.

——tibi torta cannabe fulto

Cœna ſit in tranſtro.——

Eſt verò in Poëta ἓν διὰ δυοῖν, *tergo, ſtratiſque*, pro, *tergis ſtratis*.

Reddo, verbum oraculorum.

16. VOX REDDITA LVCO EST.] Vt diuino, ex veterum ſuperſtitione. Sic Alaricus apud Claud. de Bel. Get.

Hortantes his adde Deos, non ſomnia nobis,

Nec volucres, ſed clara palàm vox reddita luco eſt.

Vbi & formam retinuit. Sic 3. Æneid. *Vox reddita fertur ad aures*, A etiam in re oraculorum. Conſultor enim percontabatur, oraculum *reddebat*, id eſt, reſpondebat: qua notione Catull. de Nupt. Pelei,

Nec miſſas audire queunt, aut reddere voces.

17. EXTERNI VENIENT GENERI.] Simile oraculum habet Ioann. Leſlæus lib. 1. de Reb. Scotorum. Habitum enim eſt reſponſo externam gentem illic rerum ſumma potituram. In nonnullis legitur *veniunt*, præſentiùs ad rem. Vt hîc *externi generi*, ita Propert. Eleg. 32. lib. 2.

Externus amor.

Tyndaris extreno patriam mutauit amore.

Videlicet, propter Pariden. Et de eadem hiſtoria Ouid. in epiſt. Oenones, *externo læſus amore dolet*, ſcilicet Menelaus dolet causâ Paridis, qui externus.

18. THALAMIS PARATIS.] Erat enim iam Lauinia deſponſa Turno, quod & Liuius ſcribit. Monuit Pontan.

Vterque Oceanus.

19. VTRVNQVE.] Eſt vterque Oceanus, eoum, & occiduum mare. Sic apud Horat. Od. 2. lib. 2. *vterque Pœnus ſeruiet vni*, id eſt, eous, & occiduus, qui Gaditanus eſt. Vide me 3. Georg. ad illud,

Biſque triumphatas vtroque ab littore gentes.

Illud *ſub pedibus* illuſtraui in Eclog. Illud de Sole ſpectatore in 4. Æneid. Illud (*venti*) petendum à lib. 1. Æneid. in initio tempeſtatis ad illud, *totúmque à ſedibus imis*. Quæ enim à me primo, aut altero tomo illuſtrata, non in hoc tertio Lector expectet.

[a] Hæc reſponſa patris Fauni, monitúſque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:
Sed circùm latè volitans iam fama per vrbes
Auſonias tulerat: cùm Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religauit ab aggere claſſem.
[b] Æneas, primiq; duces, & pulcher Iülus
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:
Inſtituúntque dapes, & adorea liba per herbas,
Subiiciúntque epulis (ſic Iuppiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.

C

ARGVMENTVM.

Euulgat Latinus oraculum, ac per id tempus Æneas pedem in Italia fixerat. Parant ſibi Troiani conuiuiolum in ſolo herbido.

EXPLICATIO.

[a] ORACVLVM Fauni acceptum ſecretò, in ſomnis, ſilente nocte Latinus manifeſtat. Quo factum eſt, vt ſtatim fama, vt eſt celerrima, perferret illud in omnes vrbes Italiæ: ac tum temporis D Æneas portum appulerat, erátque iam in agro Laurente, parte Italiæ.

[b] Vt primùm in Italia Æneas, & alij pedem poſuerunt, cogitant de curando corpore, vt erant maris curſu defatigati. Eligunt epulis locum opacum iuxta frondoſam arborem. Pro menſa, in qua eſſent epulæ, ſubiiciunt liba quæpiam panis, quod faciunt Ioue inſpirante: mox poma, & edulia alia imponunt ſuper ſolum Cereale, id eſt, ſuper liba illa panis, quæ erant pro menſa.

NOTÆ.

1. VOLITANS FAMA.] Pete à lib. 4. Æneid.

2. PVBES.] Qualem in Sicilia delegit, cùm relicti ibi ſenes, & vulgus inualidum.

Gramen de loco amœno.

3. GRAMINEO.] Hoc ipſo indicat locum herbidum, & amœnum, & qualem ſuprà deſcripſit ex opacitate vmbrarum, ex auium cantu, ex alueo fluminis.

Littora, & ripæ communia iure gentium.

4. RELIGAVIT.] Potuit hoc Æneas in alieno loco, & littore iure quidem gentium. Iuſtinian. lib. 2. Inſtit. titulo 2. *Riparum quoque vſus publicus eſt iure gentium, ſicut ipſius fluminis. Itaque naues ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt.* Id ipſum ſuprà dixerat de littoribus maris, præſertim hyberno tempore, cùm fluctus ſæuiunt. *Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur.* Nazian. Orat. 25. ποταμοὺς ponit inter bona communia. Inde grauis illa querela Ilionei lib. 1.

——hoſpitio prohibemur arenæ.

Bella cient, primáque vetant conſiſtere terra.

Vocem ſumpſit à Catullo, qui de Nupt. Pelei:

Perfidus in Cretam religaſſet nauita funem

A quo & Horat. lib. 1. Od. 32. *religaret vdo littore nauim.*

5. SVB

5. SVB RAMIS.] Pari voluptate Horat. Od. 11. lib.2. *Cur non sub alta platano*, &c. Lege reliqua. Pari Ouid.3.Fast.

Plebs venit,& virides passim disiecta per herbas
Potat.———

Huc refer illud Tullij de Antonio, *dat natalitia in hortis.* Plato lib.2.Pol. μάζας γενναίας, καὶ ἄρτους ἐπὶ κάλαμόν τινα παραβαλλόμενοι, ἢ φύλλα καθαρὰ, κατακλινέντες ἐπὶ στιβάδων ἐστρωμένων μίλακί τε καὶ μυρρίναις, εὐωχήσονται αὐτοί τε, καὶ τὰ παιδία: *Egregias placentas, panésque super calamis, aut puris frondibus imponentes, in lectísque ex herbis similace, atque myrto factis discumbentes comessabuntur ipsi,& eorum filij.* Vt verò apparet ex Lucretio, atque etiam ex adductis verbis Platonis repræsentatur prisca mortalium hilaritas, qui sub arboribus epulabantur, nullo alio apparatu. Versus Lucretij lib.5.sunt:

Voluptas veterum in epulis quæ.

Sæpe itaque inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ
Non magnis opibus iucundè corpora habebant.
Præsertim cùm tempestas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridantes floribus herbas.
Tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuerant: agrestis enim tum Musa vigebat.

Ex eadem hilaritate Propertius lib.4.Eleg.6.

Candida nunc molli subeant conuiuia luco,
Blanditiæq; fluant per mea colla rosæ.

Bacchus etiam apud Nonnum lib.24. ἀμφὶ λίγυιας ὑλακτεῖν ἱστησιν, *Conuiuium statuit in lucis*, suis videlicet Satyris. Sed adhuc altior, credo, mens Poëtæ. Exhibet hac nota militarem Æneam suum, blandiente huic cogitationi Plinij loco in Paneg. vbi ita de Traiano. *Veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendũ tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint.*

Epulæ sub arboribus ex more militari.

6. DEPONVNT.] Coniunxit versum ex duplici Lucretij. Ait hic:

—hinc fessæ pecudes per pabula læta
Corpora deponunt.—

Alibi:

Propter aquæ riuum sub ramis arboris altæ.

Ergo ex his duobus;

Corpora sub ramis deponunt arboris altæ.

Ab vtroque Horat.lib.2.Od.7.

Ergo obligatam redde Ioui dapem,
Longáque fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.

Instituo, vox conuiuialis.

7. INSTITVVNT.] Vox conuiuialis. Silius lib.11. *Instituunt de more epulas*: & 1. Æneid. *Crateras magnos statuunt.* Hom.1.Odyss. στήσαντο κρατῆρας.

8. ADOREA LIBA.] Plinius cap. 8.lib.18. *Far, quod adoreum veteres appellauêre.* Glossæ: *adus*, σῖτος. Iterum, *ador*, ζειά. Alij extendunt ad omnem fructum,& prouentum agrorum. Nam Sulpitius apud

A Varronem: *Plebi rura largiuntur adoream.* Et Plaut. Amph.

Qui præda, atque agro, adoreáque affecit populares suos.

De etymo vocis non placet, quod ex Varrone adducit Nonius: potiùs Græcam esse originem; nam vt θεός, *Deus*: ita ἀθὴρ, *adus*. Olim enim adus, aderis, postea adoris, vt, pignus, pigneris, pignoris, tempus, tempetis, temporis. Vide quæ latè in Festum Scal.

Ador, & Adus vnde.

9. IVPPITER IPSE MONEBAT.] Dicuntur hæc cum respectu ad ea, quæ dicta lib.3. Æneid. de Harpyia prædicente has epulas. Quasi dicat. Non iam Celæno, sed Iuppiter. Nam & ibi illa.

Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit.———

10. CEREALE SOLVM POMIS, &c.] Vocat hîc *Cereale solum*, quod suprà *adorea liba subiecta epulis*, quod infrà, *mensas*, & *patulas quadras*, & *crustum fatale.* Erant quippe panes pro mensa. Ergo has mensas, has quadras, hæc crusta, hoc solum Cereale, hæc liba adorea Troiani augent pomis, epulis, dapibus: has quippe omnes voces Poëta vsurpat. Dionysius lib.1. has panicias mensas vocat ἴτρια καρποῦ πεποιημένα συνέσει .i. *triticeas placentas.* Quod cũ quadris alludit. Non est iniucunda historiarum similitudo. Itaque Athen.lib.4. sic scribit. Ἔπειτα ἑκάστῳ παρατίθεται ἄρτος καθαρὸς εἰς πλάτος πεποιημένος, ἐφ' ᾧ ἐπίκειται ἄρτος ἕτερος, ὃν κλιβανίτην καλοῦσι, καὶ κρέας ὕειον: *Deinde singulis appositus est panis mundus extensus in latitudinẽ, in quo est alter panis, quem vocant clibanitẽ, & suilla caro.* Narrat alia, quæ imposita paniciæ mensæ in festo illo Naucratirum, vt olera, caseum, oua, caricas, & sexcenta alia. Habet idem lib.11. eiusdem rei imaginem: κατακλίνας ἐν τῇ πόᾳ, θαλλία τε κατακλάσας ἀντὶ τραπέζης παρέθηκε, *decumbens in herba, & confringens germina loco mensæ apposuit.* His apparet Virgilium ita fictioni institisse, vt mori quoque recepto. Quin (debeo hoc Dalecamp. in Plin.) cùm antiqui cibos è patina acceptos imponerent in magidas ad concidendos frustatim, vt illos commodiùs ederent; fiebat vt panem subiicerent, quo exciperetur pinguedo ciborum, aut opsoniorum: atque ita verè panem habebant pro mensa. Hunc panem edi inauspicatum habebatur; & inde explicat illud, *miserum est aliena viuere quadra.* Et potes tu quoque ita capere Martial.lib.6.

B

Panes, pro mensis.

C

Cum mitis turdúmque mihi, quadrámque placentæ.

Poteris & Poëtam illustrare historia alia non absimili, quam narrat Albertus Krantius lib.1.Hist.Vandal.c.17. vbi Libussa Bohemorum Regina illum, ducentibus fatis, coniugio sibi adiunxit, qui in agro cibum caperet super mensa ferrea. Is fuit Pribislaus rusticus, qui, verso aratro, ferrum illius pro mensa habebat.

11. POMIS AGRESTIBVS.] Attingit conuiuiolum illud, quod Græci vocant ἄγαμον, & ἄπυρον. De quo iam Eclog.1. ad finem.

[a] Consumptis hîc fortè aliis, vt vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi:
Et violare manu, malísque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris.
[b] Heus etiam mensas consumimus, inquit Iülus.
[c] Nec plura alludens. ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primámque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.

[d] Con

[d] Continuò, salue fatis mihi debita tellus,
Vósque, ait, ô fidi Troiæ saluete Penates:
Hîc domus, hæc patria est; genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit.
Cùm te, nate, fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus, ibíque memento
Prima locare manu, molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant
Exitiis positura modum.
[e] Quare agite, & primo læti cum lumine Solis,
Qui loca, quíve habeant homines, vbi mœnia gentis,
Vestigemus, & à portu diuersa petamus.
[f] Nunc pateras libate Ioui, precibúsque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.

ARGVMENTVM.

Consumpto cibo mensas appetunt; rem primus omnium animaduertit Ascanius, obstupescit Æneas, atque ex illis mensibus cognoscit eam esse terram fatis promissam; reuocat in memoriam pristina oracula, hortatur suos vt explorent partem illam terrarum, libatis priùs Ioui pateris, & vocato Anchise.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT superpositas epulas mensis panicis: ergo consumptis epulis, vt erant famelici, mensis ipsis pro cibo vtuntur, conuersique ad quadras illas, & crusta fatalia (est enim ἐδέσαι δ' ὀρᾶν) manu, & ore cuncta diripiunt, vt famem saturent.

[b] Clamat subitò Ascanius. En quid facimus? mensas etiam deuoramus.

[c] Nihil ille vltrà: ea quidem vox audita laborum omnium finem attulit. Illam statim Æneas vt omen arripit, & attonito similis Ascanij vocem pressit, nihil vltrà volens audire à quoquam, cùm videret iam expleta oracula.

[d] Salutat terram fatis sibi debitam, salutat Penates Troiæ, qui sibi fideles fuerunt: ac plenus lætitia, certò affirmat, eam sibi esse domum, eam patriam. Mox reuocat, quæ à patre audierat. Solitus enim Anchises fuerat natum monere, illam terrarum partem ad domicilium assignatam Troianis, vbi, consumptis epulis, mensæ ad cibum appeterentur.

[e] Hortatur suos; vt cœlo deinde albescente à portu abeant, & perquirant, quinam ibi homines, quæ vrbes.

[f] Vult vt priùs sacra fiant Ioui, ad quæ etiam Anchises vocetur, vt vnus è cœlestibus.

NOTÆ.

1. CONSVMPTIS.] Athen. lib. 3. καταναλίσκω ad eam rem: & Strabo ἀναλίσκω lib. 15. loquens de hac ipsa Æneæ historia. Et 3. Æneid. *malis absumere mensas.*

2 VIOLARE.] Cum allusione ad ritus veterũ, quibus mensa omnis habebatur pro re sacra, non solùm illæ, in quibus sacrificia peragebantur, & quæ erant pro aris: sed omnes, in quibus dabatur epulis opera. (Mensa omnis sacra.) Arnob. lib. 2. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Qui legat quæ Plinius scripsit cap. 2. lib. 28. ab eo loco. *Recedente aliquo ab epulis*, &c. apertè videbit, mensas fuisse veteribus sacratissimas. Sed hoc iam ego fusè lib. 1. Æneid. Itaque aptè hîc *violo*, vt in re sacra, &, *male audaces.* Nam quæ audacia rem sacram violare?

3. CRVSTI.] Sic legendum codicum omnium arbitrio, non *frusti*. (Crustum legendum in Virg.) Nihil enim allucet, quo mutem veterem lectionem. Admonet Iulius Scal. voces *triticum*, & *panis* non esse è grauitate heroici carminis, ac proinde semper Cererem, & hîc crustũ vsurpatum. Vocat *fatale*, quia in eo sita fata. Sed cur *orbem crusti*, cùm posteà, *patulis quadris*? Pendet hoc ex sequenti nota.

4. QVADRIS.] Quadræ erant iam patinæ, iam placentæ. De patinis nihil, cùm nihil hîc de illis Virgilius: nam accipiendum illum de placentis, clarè liquet, & ex contextu, & ex lib. 3. Æneid. nam quod hîc ait, *patulis nec parcere quadris*: in 3. dixerat,

Ambesas coget malis absumere mensas.

Ergo placentæ istæ in orbem formabantur; sed ita, vt decussatæ essent per medium incisione quadam hac figura ⊕, & quæque pars quadra dicebatur, quia pars quarta placentæ integræ. (Quadræ placentarũ.) Liquidum hoc ex Poëta coniungente orbem cum quadris. Sed clarius idem in Moreto:

Format opus, palmáque suum dilatat in orbem,
Et notat expressis æquo discrimine quadris.

A qua forma veteres de hoc pane dicebant σταυρώδεις, quia hæc figura crucem refert. Inde lucem capiunt loca quædam Poëtarum. Horat. epist. 17. lib. 1. dixit:

Et mihi diuiduo findetur munere quadra.

Martial. Epig. 76. lib. 3.

Nec te liba iuuat, nec secta quadra placenta.

Et Epig. 95. lib. 9.

Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

In quibus *fissio*, & *sectio* apertè notant, quadratam placentam ex decussatione. Huius moris rationem tibi aperiam. Homerus sæpe conuiuium vocat æquale δαῖτ' ἐΐσην, quia æqua omnibus pars data, nisi qui ἔξοχοι essent, vt Duces, aut Principes. Quin inde

volunt

Ius unde habeat nomen.

volunt natam vocem iuris distribuentis cuique sua A à iure, aut iusculo, id est, portione æqua cibi. Inde panes quadrati, vt diuisi iam essent iusta portione. Mansit postea in Christianis mos idem à Gentilibus acceptus;sed mutata ratione, vt in multis aliis: nam factum in honorem Crucis,quod ab Gentilibus ad æquam distributionem. Vide doctissimum Iacobum Gretserum lib.4.de Cruce cap. 18. vbi affert historiam Martyrij monachi petitam ab Greg. lib. 1. Moral.Dial.11. Noto etiam, ab Athenæo huiuscemodi panes dici κύβος ab hac quadrantali forma; nam cubus hanc habet figuram,vt in ludo tesserarum: & ab Aristophane in Ranis κολλάβους; nam illud Comici, Πλακοῦντας ὤπτα κολλάβους,sic explicant viri docti, *placentas torruit quadrangulas*. Et Scholia ibi inter reliqua interpretamenta, εἶδος πλακοῦντος τετραγώνου, *species placentæ quadrangulæ*. Quin solebat fieri, vt plurimis incisuris notarentur placentæ. Nam apud Athen. lib.3.leguntur βλωμιαῖοι ἄρτοι, *panes bucellati*: & apud Hesiod. ὀκτάβλωμος ἄρτος, *panis octo bucellarum*. De quo panis genere Ammian. lib. 17. *Frumentum ex eo, quod erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, bucellatum,vt vulgò appellant, humeris imposuit libentium militum*. Mitto hîc, mensas quoque ipsas dictas *quadras*, potiùs *quadratas*. Festus: *Escariæ mensæ quadratæ vocantur, in quibus homines epulantur*. Varro etiam lib.4.de Ling.Lat. *Mensam escariam cibillam appellabant; ea erat quadrata,vt etiam nunc in castris, à cibo cibilla dicta, postea rotunda facta*. Illud Iuuenalis, *aliena viuere quadra*, ad cibum refero,non ad mensam.

Cubus de placentis quadratis.

Panes bucellati.

Mensæ quadratæ.

Cibilla.

5. MENSAS CONSVMIMVS.] De hac ipsa historia Strabo loquitur lib. 13. Adduxi iam lib. 1. Æneid. hic satis sit Dionysium audire lib.1. Antiq.Latinè tantùm,quia pluscula: *Ipsis prandium humi sumentibus,multi apium substrauerunt, hócque mensæ loco cibos sustinebant. Sed (vt alij dicunt) crusta panis triticei mundiciæ causâ cibis subiecerunt. Sed cùm cibi appositi iam absumpti fuissent, & apium, siue panis crusta ipsis supposita, vnus, atque mox alter comedisset, tunc quidam siue de Æneæ filiis,vt fertur,siue de cōtubernalium numero, exclamans hæc protulit.* ἀλλ' ἡμῖν γ' ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδοται. *at nos vel ipsam mēsam iam absumpsimus. Cùm autē hoc audissent, omnes tumultuari cœperunt, quòd tunc primùm oraculum ipsis redditum ad finem suum fuisset perductum. Nam, vt quidam aiunt, ipsis quoddam oraculum Dodonæ fuerat redditum, aut in Erythris Idæ viculo,vbi habitabat Sibylla, illius loci Nympha fatidica, quæ ipsos iusserat Occidentem versus nauigare, donec in eum locum peruenirent, in quo mensas comederent*. Adiungamus versus Lycophronis, quos aduocat Vrsinus, qui ex verbis Dionysij clari erunt,nulla alia egentes interpretatione.

Mensas consumimus.

> Ἔνθα τραπέζας εἰδάτων πλήρεις τυχὼν,
> Τὰς ὕστερον βρωθείσας ἐξ ὀπαόνων
> Μνήμην παλαιῶν λήψεται θεσπισμάτων,
> Κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων.

6. EA VOX AVDITA.] Notetur Maronis doctrina vbique elucens. Arripit pater vocem Ascanij, vt diuinum omen,non solùm,quia eius vox responderet oraculis Anchisæ,sed etiam quia puer esset Iulus. Quid ergo si allusum à multiscio Poëta ad doctrinam Ægyptiorum? Ex quo enim Isis indicium accepit à pueris illius ostij, per quod in mare eiectum esset corpus Osiridis, omnes Ægyptij existimauerūt diuinandi vim inesse pueris, ex quorum vocibus oracula petebant, præsertim cùm in delubris luderent. Auctor est Plutar.lib. de Is.& Osir. Coniunge, si placet, ad Poëtam historiam Pauli, quam habes apud Valer. Maxim.lib.1.cap.5.vbi ex filiolæ admodùm paruulæ responso fortuitò dato Paulus omen victoriæ accepit, neque falsus est.

Pueris Ægyptiorum inesse vis diuinandi.

7. ERIPVIT.] Quasi è faucibus vocem rapuerit. Ita in omine quoque Spartianus,& Valerius. Ille in Seuero: *Sibi omen futuræ felicitatis arripuit*. Hic de Paulo Æmilio lib. 1. cap. 5. *Arripuit igitur omen Paulus, eque fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo præsumpsit*. In hac re solemne fuit *omen accipere*. Sed & extra omen verba hæc vsitata fuisse satis liquidum ex nota Germani, qui adducit Euripidem, Sophoclem,Platonem,qui vsi verbis simillimis in sermone, primus in Hercule, ἁρπάζειν, alter in Aiace, ξυναρπάζειν,tertius in Gorgia, ὑφαρπάζειν ἀλλήλων τὰ λεγόμενα.

Eripio, arripio in ominib.

8. SALVE FATIS MIHI DEBITA TELLVS.] Frequentissimum hoc accedentibus ad exoptatum locum. Vlysses accedens ad Ithacam Odyss.13. B

Salutabant hospites terram.

> ——κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν,
> Αὐτίκα δὲ Νύμφαις ἠρήσατο χεῖρας ἀνασχών,
> Νύμφαι Νηϊάδες κοῦραι Διὸς,&c.
> ——*Osculatus est autem almam tellurem,*
> *Statim autē Nymphis supplicauit sublatis manibus,*
> *Nymphæ Naiades filiæ Iouis*,&c.

Ouidius lib.1.Fast.

> *Dúque petitorum,dixit, salnete locorum,*
> *Tuq; nouos cælo terra datura Deos.*
> *Fluminaq; & fontes,quibus vtitur hospita tellus,*
> *Et nemorum Nymphæ, Naïadumq; chori.*

Scholiastes Apollonij lib.2. τοὺς ἐπιδημοῦντας ἔθος ἦν ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν θεοῖς ἐπιχωρίοις, καὶ ἥρωσι. Quibus C ait, morem fuisse,vt qui ad locum aliquem accederent,sacrificarent Diis, & Heroibus illius loci. Seruus apud Plautum Bacchid.

> *Herilis patria salue, quam ego biennio*
> *Postquam in Ephesum abij, conspicio libent.*

Alter in Sticho.

> *Saluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ.*
> *O terra herilis patria te video lubens.*

Catullus.

> *Salue ò venusta Sirmio,atque hero gaude,*
> *Gaudete vósq; Lydiæ lacus vnda*,&c.

Hæc lætitia osculo significabatur. Præmisi iam locum Homeri Odyss.13.& adiicio alterum Odyss. 4. vbi de Agamemnone attingente patriam, καὶ κύει D ἁπτόμενος ἣν πατρίδα: *& osculabatur attingens suam patriam*. Non satis osculum,imò adoratio. Euribates apud Senecam Agam.

& osculabantur,

& adorabāt.

> *Delubra,& aras cælitum,& patrios lares*
> *Post longa fessus spatia, vix credens mihi,*
> *Supplex adoro.*——

Plutus etiam apud Aristophanem act.3.scen.3.

> Καὶ προσκυνῶ γε πρῶτα μὲν τὸν ἥλιον,
> Ἔπειτα σεμνῆς Παλλάδος κλεινὸν πέδον,
> Χώραν τε πᾶσαν Κέκροπος, ἥ μ' ἐδέξατο:
> *Primò nitentem Phœbi adora lampada,*
> *Almæ subinde Palladis clarum solum,*
> *Omnemq; terram,quæ me excepit Cecropis.*

Antonius etiam apud Plutarchum, vt primùm attigit Mediam transmisso Araxe, & omnis exercitus, E ὥσπερ ἄρτι γῆν ἑωρακότες ἐκ πελάγους προσεκύνουν: *terram, quasi tum primùm ex pelago illam conspexissent, adorauerunt*.

9. GENITOR MIHI TALIA NAMQVE,&c] Attribuit genitori, quæ locuta Harpyia. In testimonio adducto Dionysij vidisti discrepantiam. Itaque in re incerta potuit Virgilius iam hoc, iam illud sequi. Et ita ille solet varias opiniones attingere, ac proinde ita gratiam suo carmini quærere.

10. ACCISIS.] Respondere huic Græcum περικόπτεσιν Bud. notauit in Comment. Ita & Liuius lib. 8.

Accisum.

Accisæ

Accisæ copiæ. ibidem: *prælio uno accidit Vestinorum res.*

11. LVMINE SOLIS.] Pro Sole millies. Ita Lucret. lib. 1. *Visúq; exortum lumina Solis.* Et Græci passim, φάος ἠελίου.

12. QVÆ LOCA, QVIVE, &c.] Tale illud lib. 1. Æneid.

Vt primùm lux alma data est, exire, locósque
Explorare nouos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant, &c. ———

Quæ imitatio sumpta ab Homero Odyss. 6.

Ὤ μοι ἐγώ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω;
Ἦ ῥ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι;
Ἠὲ φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής;
Heu mihi, quorumnam hominum ad terram veni?
Anne hic iniurij & agrestes, neque iusti?
Aut hospitales, & ipsis est mens Deorum reuerens?

Pari ingenio idem Vlysses Odyss. 10.

Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους προΐειν πεύθεσθαι ἰόντας
Οἵ τινες ἀνέρες εἶεν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες.
At tunc ego socios præmisi sciscitatum profectos
Quinam viri essent supra terram pane vescentes.

13. PRECIBVSQVE VOCATE ANCHISEN.] Hîc consecrari patrem à filio Ænea iam Lactantius animaduertit lib. 1. cap. 15. & ex eo Turnebus; & ex vtroque alij: ideo omitto.

14. REPONITE.] Quis ignorat verbum esse conuiuiale? Athen. lib. 1. ἵνα θερμότατα παρατιθῶσι, *vt calidissima apponant.* Iterum: βασιλεῦσιν ἐξαίρετα παρατίθησιν Ὅμηρος, *Regibus eximia Homerus apponit.* Et 1. Æneid. *pocula ponant.* Quem verò morem hîc attingat Poëta explicui lib. 4. Georg. ad illud, [Repono, vox conuiuialis.]

Pars epulis onerant mensas, & plena reponunt
Pocula. ———

Transfer huc. Cur autem *reponite*, non *ponite*, explicat sic Seruius: *aut timore verborum Ascanij interrupta renouate, aut frequenter ponite.*

[a] Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat: & Geniúmque loci, primámque Deorum
Tellurem, Nympháſque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, Noctísque orientia signa,
Idæúmque Iouem, Phrygiámque ex ordine Matrem
Inuocat, & duplices cœlóque, Erebóque parentes.
[b] Hîc Pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit: radiísque ardentem lucis, & auro
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
[c] Diditur hîc subitò Troiana per agmina rumor,
Aduenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

C

ARGVMENTVM.

Veneratur Æneas Deos plures in hoc primo ad Italiam aditu. Adhibet Iuppiter gratæ voluntatis significationem ter tonitru repetito: lætantur Troiani ad rumorem quietis iam inuentæ post tot errores

EXPLICATIO.

[a] FACTVRVS rem sacram, Deósque precaturus primùm omnium coronat se ramis viridibus: quo facto Deos inuocat, vt sibi adsint. Dij qui sequuntur, aperientur in Notis, ideo hîc nihil.

[b] Æneæ preces excepisse Iouem Poëta ostendit sequuto omine. Erat tunc serenum, & subitò auditum est tonitruũ, illúdque ter repetitum, ne, si semel tantum, casus putaretur, non Deorum voluntas. Quin in ipso tonitruum fragore Iuppiter nubem ostendit luce, & auro ab radiis Solaribus fulgidam; nam si nubilam, & tristem, aduersum esset omen.

[c] Exultabundi Troiani ob famam dissipatam statim per totum exercitum de sedibus iam inuentis epulas apparant, coronant vina, læti scilicet magno illo omine tonitrui, & coruscantis nubis.

Cerda in Æneid. tom. 2.

NOTÆ.

1. FRONDENTI TEMPORA RAMO IMPLICAT.] Vt in re sacra. Aristid. orat. de non agendis Comœdiis inducit operantes sacris στεφανηφοροῦντας. Nihil enim pene à Gentilibus inceptatum absque coronis, vt res exitum felicem haberet. Euclio Senex Aulul. Plaut. [Coronarum vsus.]

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Vt fortunatas faciat natæ nuptias.

Quasi felices esse sine sertis non possent. Ideo itaque se Æneas coronat in aditu Italiæ, sicut lib. 5. in aditu Siciliæ, vbi *velat materna tempora myrto:* & vbi suis præcipit in hunc modum, *& cingite tempora ramis.* Itaque ex hoc libro, & quinto facile est morem colligere, vt dicamus solitos veteres coronari in aditu locorum, ad quæ accedebant. Quem morem iuuant quæ iam ego lib. 5. de nauibus coronatis, cùm ad portum accederent. Est etiam moris huius locus clarus apud Æschylum in Supplicib. [Coronari in aditu locorum.]

Σὺ μὲν πάτερ γεραιὲ τῶνδε παρθένων
Κλάδους τε τούτους αἶψ' ἐν ἀγκάλαις λαβὼν
Βωμοὺς ἐπ' ἄλλους δαιμόνων ἐγχωρίων
Θές, ὡς ἴδωσι τῆσδ' ἀφίξεως τέκμαρ
Πάντες πολῖται. ———

Tu quidem pater senex harum virginum
Hos ramos statim in vlnis sumens
Ad alias aras numinum terræ huius
Pone, vt videant profectionis huius argumentum
Omnes ciues.———

Profecturi coronabantur. Vides vt rami adhiberentur ad argumentum profectionis. Clarior adhuc apud Achillem Alexandrinum lib. 7. vbi ait: ἡ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερεὺς δάφνην ἐστεμμένος φαίνεται ὁρᾶται, σημεῖον δὲ τοῦτο ἐστὶν ἥκοντος θεωρίας τῇ θεῷ: *Diana sacerdos cernitur gestans, cùm aduenis, in capite coronam lauri: est autem hoc signum peregrinorum venientium ad Deam.* Allucet iturum locus Æschyli ἐν χοηφ. vbi Orestes promittit iterum se Delphos cum corona, ξὺν τῷδε θαλλῷ καὶ στέφει προσίξομαι. *Cum hoc ramo oleæ, & corona proficiscar.* Apud Plutarchum Antonius profecturus ad bellum Parthicum, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας στέφανον λαβών, *coronam sumpsit ex sacra olea.* Præterea etiam Æneas precaturus Deos se coronat, quod fecit è more veterum. Precaturi coronabantur. Ita apud Sophoclem Oedip. vniuersus populus inducitur coronatus, cùm vult supplicare, éstque iuxta aras. Versus est.

Ικτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι.
Supplicibus ramis coronati

Apud Euripidem quoque in Ione Creusa precatura ita admonetur,

Λαβοῦσα κλῶνας εὐλέκτους εὔξαι θεοῖς.
Capiens ramos felices prole, Diis supplica.

Quos scilicet capiti imponat, vt apparet & ex testimonio præcedente Sophoclis, & ex Virgil. Tametsi Euripidem possis referre ad manus, non ad coronam capitis: nam apud Sophocl. in Oedip. Iocasta cùm velit ναοὺς ἱκέσθαι δαιμόνων, *adire ædes Deorum,* accipit ramum manibus; ait enim, μοὶ παρεστάθη τάδ' ἐν χεροῖν στέφη λαβούσῃ. Conuulsa sunt verba .i. *Visum est mihi capienti coronas manibus*, &c. Ergo notetur mox duplex. Qui precabantur Deos, habebant ramos vel in capite, vel in manibus. Sed hoc de manibus refero ad supplices. Cuius moris alia erit decursio.

Genius. 2. GENIVMQVE LOCI.] Est hoc quod Calpurnius præcipit Eclog. 5.

Sed non antè greges in pascua mittito clausos,
Quàm fuerit placata Pales, tunc cespite viuo
Pone focum, Geniúmque loci, Faunúmque, Larémque
Salso farre voca.———

Loci Deus. Fuit quippe è disciplina veterum, vt colerent Deum loci, ad quem accederent; hunc vocabant *Genium loci.* Audisti iam illud Ouid. lib. 1. Fast.

Dijque petitorum, dixit, salucte locorum.

Locus etiam Homeri, quem iam attuli, id ipsum astruit. Atque etiā lapis, qui visitur apud Cantharapolin in Germania. IN H. D. D. IOVI. ET. IVNONI. REG. ET. GENIO. LOCI. Et locus Curtij libr. 3. apud quem Alexander *iugum editi montis ascendit multisque collucentibus facibus, patrio more, sacrificium Diis præsidibus loci fecit.* Est etiam optimus Silij locus ad hunc morem lib. 6. vbi ait:

Intramus tamen, & Nymphas, numénque precamur
Gurgitis ignoti, trepidúsque & multa pauentes
Arcano gressus audemus credere luco.

Et Apollonij 1. Arg. de Iasone applicante ad Colchos.

Αὐτὸς δ' Αἰσονίδης χρυσέῳ ποταμὸν δὲ κυπέλλῳ
Οἴνου ἀκρήτοιο μελισταγέας χέε λοιβάς,
Γαίῃ τ' ἐνναέταις τε θεοῖς, ψυχαῖς τε καμόντων
Ηρώων: γουνοῦτο δ' ἀπήμονας εἶναι ἀρωγούς.
Ipse autem Iason aureo in flumen poculo
Vini meri dulcia fundebat libamina,

A *Terræq́, patriisq́, Diis, manibusque mortuorum*
Heroum: orabatque innocuos vt essent patroni.

Hos, vt dixi, Deos nominabant *Genios.* Plutar. in vita Arist. nominat ἐγχωρίους θεούς. De Geniis sunt illa Prudent. lib. altero contra Symm.

Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos Genios: pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus vllus ab vmbra.

Redeo. Orestes apud Sophocl. in Elect. cùm primùm ab exilio redit,

Αλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐγχώριοι
Δέξασθέ μ'.———
Sed tu ô patria terra, & Dij patrij
Suscipite me.———

B Profero ad hunc morem lapidem illum, qui erectus erat vnum milliare ante Romam. In altera parte lapidis cælata erat fortuna, quam Reducem appellabant cum hac subscriptione, SALVOS VENIRE. Ad hunc lapidem vota nuncupabant huic Deæ, & hostias aut cædebant, aut destinabant in posterum, tanquam ea viatores ad felicem exitum perduxisset itineris. Fortuna Redux. Hanc itaque Fortunam, quæ saluos hospites excipiebat, Genij nomine videtur intellexisse Poëta. Cùm enim multa munia assignentur Geniis à Maximo Tyrio dissert. 26. tum dicuntur ὁδοῦ συνέμποροι, *viæ comites,*

3. PRIMAMQVE DEORVM TELLVREM.] Conuerte in huc locum, quæ à me dicta lib. 1. Georg. ad

C illud,

———*tuq́, ô cui prima frementem*
Fudit equum Tellus, &c.———

Ibi enim dixi, cur Tellus dicatur prima. Sed ad loci huius illustrationem pertinet Tellurem olim cultam, vt Deam. Tellus Dea. De quo Hesiod. & Tullius de Nat. & alij. Apud Statium quoque Sacerdos lib. 8. *Tellurem placare parat.* Ibi illam *Diuam* appellat, & *almam*: & de illa,

———*O hominum, Diuumq́, æterna creatrix.*

Erigit in eius honorem aras duas: has circumdat arboribus, & spargit floribus, frugibus, lacte, omnibus demum illis rebus, quas fert Tellus annuo excursu. Apud Aristophanē in Equitib. act. 1. scen. 2. Agoracritus accepturus Imperiū monetur à Demosthene, τὴν

D γῆν πρόσκυσον, *Terram adora.* De Turcarum moribus Simocatta lib. 7. cap. 8. ὑμνοῦσι τὴν γῆν: *hymnos concinunt in honorem Telluris.* Nonnus lib. 29. εὔχεο μητέρι γαίῃ: *precare matrem terram.*

NYMPHASQVE, ET ADHVC IGNOTA PRECATVR FLVMINA.] Ad morem istum clarè Ouid. in Metamorph.

Cadmus agit grates, peregrinaq́, oscula terræ
Figit, & ignotos montésque, agrosq́, salutat.

Interpretes Apollonij in lib. 1. Argon. ita scribit. τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐθος ἦν ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν θεοῖς ἐπιχωρίοις καὶ ἥρωσι. τοῦτο φασὶν καὶ Ἀλέξανδρον ποιῆσαι τὸν Μακεδόνα ἐν Ἰλίῳ. *Fuit moris, vt accedentes ad terram aliam sacrificarent Diis, & heroibus eius regionis. Quod fecisse ferunt Alexandrum Macedonem in Ilio.* Hospitium sacra. Coniunge cum

E hoc locum Curtij iam allatum. Item morem nautarum tritissimum, qui primùm in terram egressi vota nuncupabant, & cædebant hostias in honorem Dei regionis illius. Et *ignota* ait, quia nefas erat Deos alio nomine, quàm suo compellare. De quo more iam lib. 1. Æneid. & hîc profero Ammian. qui lib. 17. scribit cautum in Ritualibus, *ne alio Deo pro alio nominato piacula committantur.*

5. NOCTEM.] Hesiodus Noctem numerat inter Deos. Nox inter Deos. Et ex Theagene Natalis affert, illi sacrificatum

tum Gallo, qui Noctis silentio contrarius est. Eiusdem meminit Cic.3. de Nat. Itaq; aptè inuocata ab Ænea inter Numina. Apte quoque cum suis syderibus; nam & cum illis illam coniunxit Theocrit.

——χαίρετε δ' ἄλλοι
Ἀστέρες εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.
——Saluete autem alia
Stellæ velocis Noctis in curru eius ministræ.

Idæus Iuppiter.

6. IDÆVMQVE IOVEM.] Sic dictus Iuppiter vel ab Ida monte Phrygiæ, vel ab Ida Cretæ, vbi prima Iouis incunabula. Callimachus hymno ad Iouem.

Ζεῦ σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι.
Iuppiter Idæis genitum te in montibus aiunt.

Quod capiendum de Ida Cretæ. Sed de primo tamen Ioue, id est, de Ioue Idæ Troianæ acceperim. Nam Calaber lib. 1. cum præcessisset mentio Ἰδαίου Ζηνὸς, subiicit.

Ὃς Ἴλιον αἰὲν ἐφ' ὄμμασι [illegible]
Qui Ilion semper suis oculis intuetur.

Et Homerus:

Κρονίωνι Ἰδαίῳ, ὅς τ' Ἴλιον κατὰ πᾶσαν [illegible]
Ioui Idæo, qui cernit vniuersam Troiam.

Nota obiter antiquorum doctrinam. Vocat Iouem Idæum non tam ab ipso integro monte, quam signate a montis vertice. Fuêre enim sacri huic Deo montium [illegible] vertices. Max. Tyr. dissert. 38. Ἐπιφημίσαντες [illegible] ἐν βροτοῖς κορυφὰς ὀρῶν, Ὄλυμπον [illegible] Ἴδην, καὶ εἴ τι ἄλλο ὄρος πλησιάζει τῷ οὐρανῷ: At Iouem quidem immunem honoris statuarum habuêre primi mortalium. Culmina montium illius sunt, Olympus, Ida, aut si quis præterea montium cœlo proximus est. Quæ ratio facilis multis Poëtarum locis extricandis, vt cum ait his Taygetum sacrum Dianæ, & Ioui. Pars enim superior Ioui dicata erat, Dianæ cetera. Vides vero vt appulsus Æneas ad Italiam non solum veneretur Deos Italiæ sibi ignotos, sed etiam Deum patrium. Idem fecit appulsus in Thraciam, vbi statim,

Montiũ vertices sacri Ioui.

Sacra Dionææ Matri, Diuisq; ferebam.

Inde statim inuocat Matrem Phrygiam, id est, Cybelem. Huius enim Deæ sacra in Phrygia ortum habuêre. Et iterum, *duplices cœlóque. Ereboque parentes*, id est, Venerem cœlo, Anchisen Erebo. Hos vocat *duplices* more vsitato Poëtarum, id est, duos: sic lib. 1. *& duplices tendens ad sidera palmas*, id est, duas. Cùm vero dicat Plutarch. de def. Oracul. poni ab Hesiodo tria tantum Deorum genera, θεοὺς, δαίμονας, ἥρωας, *Deos, Genios, Heroes*; vniuersos complexus est Maro. Genios clarè ponit. Deos in Ioue, Cybele, Venere. Heroes in Anchise.

Deorum triplex genus.

7. CLARVS.] Faustum omen, si sereno & claro cœlo intonaretur. Itaque idem hic dicit per *clarum Iouem*, quod in 9. per *cœlum serenum*, cùm ait.

Tonitruum [illegible] faustum, & infaustum.

Audiit, & cœlo genitor de parte serena
Intonuit lœuum.——

Quem locum vide. Hoc tamen (caue putes) perpetuum non fuit. Nam tonitrua mali ominis fuere quoq; sereno cœlo. Aperte Maro lib. 1. Georg. vbi dira portenduntur.

Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.

Quod [illegible] plures testes aduocam infausti ominis in sereno [illegible]. Hic nota, veteres inducere omina, quæ [illegible] ad alicuius vocem, vt hîc ad Æneæ verba sequitur tonitruũ. Tale quidpiam in Sat. Petron. cum [illegible].

Vocem omẽ sequitur.

Hæc vbi [illegible] de cœlo Delphicus ales
Omnia læta dedit, pepulitq; e montibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte sinistra
Insolitæ voces flamma sonuêre sequente.

Ipse vitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crenit, & auratos præcinxit fulgure vultus.

Vt vero hîc fausto omine intonatur, ita apud Claud. Paneg. Prob. *

——*signum dat summus hiulca*
Nube Pater, gratamq; facem per inane rotantes
Prospera vibrarunt tenuerunt omina nimbi.

8. MANV QVATIENS.] Fulmina indicat, quæ vnà cum tonitru emicuerunt e fulgente illa nube. Nam manu quatere Iouis est fulminantis. Admonuit verò Iuppiter his fulminibus significationem animi sui. Idcirco fatidica vocat Plinius cap. 43. lib. 2. & opponit brutis. Verba eius sunt. *Hinc bruta fulmina, & vana, vt quæ nulla veniant ratione naturæ. His percuti montes, his maria, omnésque alios irritos ictus. Illa verò fatidica ex alto, statisque de causis, & ex suis venire sideribus.* Sic ad preces Telluris Iuppiter apud Nonnum lib. 22. ἐβρόντησε κελάδοντι, *e cœlo insonuit*, quo innuit exauditas preces. Et statim explicatius, ἐβρόντησε [illegible]. Sic apud Silium lib. 1.

Fulmina fatidica, & bruta.

Hic subitus scisso densa inter nubila cœlo
Erupit quatiens terram fragor: & super ipsas
Bis pater intonuit geminato fulmine pugnas.

Vsitatum etenim fuit veteribus, vt statim omine aliquo, aut prodigio firmaretur quidquid diceretur ore fatidico. Sic apud eundem Silium lib. 3. cùm ab Mercurio aperiretur Annibali exitium belli Italici, statim adest firmamentum maximi serpentis agros deuastantis, ac dictum Annibali à Mercurio est, talem fore illius cladem contra Romanos. Vide ab eo loco;

Cum subitus circa fragor, &c.——

9. DIDITVR.] Verbum *dido*, est distribuo. Itaque *rumor diditur*, est, rumor spargitur. Horat. 2. Sat. lib. 2. *munia didit*, id est, partitur. Lucretius lib. 3.

Dido, pro distribuo.

Sensiferos motus quæ didit prima per artus.

Inde in 8. *iam terris didita fama*. Itaque nihil est aliud, *rumor diditur*, quàm rumor distulit. Ita Tacit. 11. Ann. *Didita per prouincias fama*. Quod Plutarch. in Anton. & Græci alij, λόγος διῆλθεν: &, πολὺς ἦν λόγος, &, λόγος διῄει.

10. RVMOR.] Alciatus lib. 1. Parer. c. 6. sic definit: *Rumor is videtur, qui recenter emanauit, & per ora hominum circumfertur.* Quadrat hæc finitio in hunc locum, vbi rumor subitò conceptus, ac recenter emanans in omnes serpit. Inde Stat. 1. Theb. *fuso rumore*, quo innuit famam primò serpentem, qui sanè locus Statij ad imaginem Maronis; ait enim:

Rumor qui propriè.

Ergo alacres Argi fuso rumore per vrbem
Aduenisse duci generos.——

Præclarè Ouidius Eleg. 12. Trist. lib. 3. vocauit *gradum famæ*.

Famæ gradus.

Et fieri famæ parsq; gradusq; potest.

11. CRATERAS.] Silui de his lib. 1. dicturus hîc quæpiam. Crater vna in primis magnitudine celebrabatur. Itaque cùm alia pocula minora essent, semper crater capacissimus fuit. Inde 1. Æneid. *Crateras magnos statuunt*. Et Rex Colchorum apud Val. Flac. lib. 5. Arg.

Crater genus poculi grandioris.

——*Æsonidem magno cratere lacessit.*

Iterum:

Fertq; grauem Phrygius circum cratera minister.

Id est, prægrandem. Theocrit. etiam idyl. 5.

Στασῶ δ' κρατῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος.
Statuam autem craterem magnum albi lactis.

Mirum est, quod Arrian. scribit lib. 8. de conuiuio quodam Alexandri, cui nouem millia hominum interfuisse fama fuit, & omnes ex eodem cratere bibisse. Inde Maximus Tyrius dissertat. 13. volens Nilum, & Istrum, aliósque fluuios cum vase compa-

care, ad crateras decurrit, non ad aliud genus poculi, vocat enim κρατῆρας ἐπιστεφέας ποτοῖο. Hinc factum est, vt crater semper inferretur ad libationem, quæ pars erat extrema in conuiuiis, vbi maioribus, & capacioribus poculis res agebatur. Et ita infertur à Valerio loco altero iam adducto, & à Virgilio lib. 1. Æneid. Statius ad hunc vsum pateram infert in fine conuiuij. Versus sunt.

Vsus eius in libatione.

Victa fames, signis perfectam, auróque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit,
Qua Danaus libare Deis, seniorq; Phoroneus
Assueti. ————

Quia vero crater huic vsui seruiebat, libationibus (inquam) quæ fiebant in extrema parte conuiuij in honorem Deorum, factum vt sæpe ille inducatur coronatus. Ideo in Poëta sequitur, *& vina coronant.* & Hom. 1. Iliad.

κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Et de eadem re, sacra (inquam) Tibull. lib. 2.

Tunc operata Deo pubes discumbet in herbis,
Arboris antiquæ, qua leuis vmbra cadit:
Aut è veste sacrus tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

Eius etymo. Sed de coronatis poculis iam in sequenti Nota. Hîc vnicè quidpiam notandum circa etymon. Cum dicatur *crater* à verbo κεράννυμι, id est, *misceo*, ita intellige; vt ne putes misceri solitum aqua. Nam Dijs (& Deorum quidem libationibus seruiebat crater, vt iam monui) puro vino fiebant sacra. Eustath. in 11. Iliad. οἱ παλαιοὶ ἀκράτῳ ἐσπένδον καὶ ἄκρατον, σπονδαὶ ἄκρατοι: *Veteres sacrificabant meraco, iuxta illud, libationes meracæ.* Quin Homerus clarè 2. Iliad. σπονδαὶ ἄκρητοι dixit. Itaque mistio crateris intelligenda, non de aqua, sed de mistione duplicis vini. Clarè idem Eustath. in illud Homeri 3. Iliad. κρητῆρι δ' οἶνον μίσγον, ita scribit. ἄλλως γὰρ οὐ μεμιγμέναι, ἀλλὰ ἄκρατοι ἐλέγοντο αἱ σπονδαί. Ait videlicet, nullam fuisse mistionem: nam libationes puræ erant. Stephanus explicat ἀλλόκρατον vinum meracum meraco alio mistum. Sed morem hunc arcto tantùm ad libationes mensarum è cratere, non ad alias: nam Eustathius, vt vidisti, de cratere loquitur. Non enim me fugit in aliis sacris misceri solitam aquam vino.

Mistio in conuiuiis vti accipienda.

Libationes erant puræ.

12. VINA CORONANT.] Duplex explicatio. Sunt qui veras coronas agnoscant ex illo Propertij Eleg. 33. lib. 2.

Vina floribus coronata.

Cum tua præpendent demissa in pocula serta.

Et ex Horat. Od. 13. lib. 3.

O fons Blandusiæ splendidior vitro
Dulci digne mero non sine floribus.

Sed Horatius tantùm inclinat, non cogit. Alia enim potest esse explicatio; vide Commentatores. Redeo. Turnebus certe in Virgilio coronas floreas capit; explicans enim illud 1. Æneid. *Crateras magnos statuunt,* &c. ita ait lib. 11. cap. 13. *Alio sensu quam interpretes Græci accipiunt, qui, coronant, explanant ad summam coronam, & marginem implent: cum Maro explicet, vinum coronis floreis ornant; vt ex alio loco intelligitur, vbi scribit. Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit, impleuitq; mero. Coronabant enim pocula, & hilaritatis causâ conuiuialis, & libationis, vt Maronis expositio melior sit, quam Græcorum interpretum.* Hæc ille, quæ oportuit dedisse, vt cognoscatur mens Turnebi de tribus, aut quatuor locis Maronis, vbi fit huius rei mentio. Hoc idem videtur colligi ex Tibulli versibus iam adductis. Nota superiore; nam non alio sensu videtur capiendus in calice coronato, quàm in sertis præcedentibus. Inclinat quoque Lucretius lib. 5. cum ait:

Hoc etiam faciunt, vbi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis.

Ora videlicet poculorum. Sed apertè pro hac parte Tertullian. de Resurrect. Verba eius sunt. *Calix bene sibi conscius, & de diligentia ministri commendatur, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut aspergine florum honorabitur.* Vbi *inorare calicem*, est, coronas apponere ad oras calicis. Alij legunt, *inornabitur*, ad morem nihil. Auctor etiam Geopon. lib. 6. cap. 14. στέφανον γλήχωνος ἢ καλαμίνθης, ἢ ὀριγάνου τοῖς τραχήλοις τῶν ἀγγείων περιθεῖναι: *Coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano ad colla vasorum circumponere.* Apud Achillem quoque Tatium lib. 2. de Clitoph. & Leucipp. poculum coronatur vite. Clarè etiam ad hunc morem Statius lib. 3. Syl.

Inorare calicem.

————*festasq; dapes, redimitaq; vina*
Abripiunt famuli, ne quæ connubia migrent.

Dici etiam possunt pocula coronari ex more alio, quo apud veteres in ipsum poculum flores iaciebantur ad maiorem luxuriam. Clarè Tertullianus de Coron. Milit. loquens de coronis floreis: *Iam vero & in sinum conde, si tanta munditia est; in lectulum sparge, si tam mollis est; in poculum crede, si tanta innocentia est.* Vbi sententia est, si flores immixti sunt, & nulla veneni suspicio. Lipsius certè lib. 3. antiq. Lect. & Gifanius in indice ad Lucretium, Virgilij loca de veris capiunt coronis, & prior aliqua aliorum, vt Tibulli, &c. Hæc reperi firmamenta pro priore explicatione. Pro posteriore clarè Homerus, qui 9. Iliad.

Flores in poculum iaciebantur.

κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Pueri crateras coronarunt vino.

Iterum.

Coronata pocula, id est, plena.

στήσαντο κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο.
Posuerunt crateras coronatos vino.

Athenæus quoque de vino Homerum explicat lib. 1. his verbis: ἐπιστέφεσθαι γὰρ τοὺς κρατῆρας, ἤτοι ὑπερχειλεῖν οἱ κρατῆρες ποιοῦνται, ὡς τὸ διὰ τοῦ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι, *coronantur vino crateres, id est, supra labra ita sunt pleni, vt vino coronentur.* Æschyl. ἐπτ. ἐπ. Θηβ. στέφειν, id est, *coronare*, sumpsit ἀντὶ τοῦ πληροῦν, pro *implere*. Pro hac quoque parte Homeri interpretes. Nam Eustath. ad lib. 1. Odyss. ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, ὅ ἐστιν μέχρι τέλους: *Vsque ad coronam impleuerunt, hoc est, vsque ad finem.* Et Didymus in 2. lib. Odyss. coronatos crateras explicat πλήρεις, *plenos*. Quin interpretes Homeri hoc referunt ad augurium, nimirùm impletione vini innui plenam, & perfectam felicitatem, quæ contraria est κενώσει, *vasorum inanitati*. Nam coronatio illa crateris similis est orbi sphærico, quæ figura perfecta, & multi captus, & ideo illi conuenit augurium felicitatis. Pro hoc more Symmach. epist. 8. lib. *Vbi corniger Lyæus operit superna gutti.* Et Ioan. Chrys. hom. 23. φιάλας, καὶ ποτήρια πληρώσαντες, *phialas, & pocula implentes.* Quid ergo ad Maronem? Sequor priorem explicationem. Nam Maro non ait, *coronatos crateras:* sed, *coronata vina.* Ergo de aliquo alio, quàm de ipso capite capiendum: nam se ipso non coronatur. Huc accedit mos, quem iam firmaui. Statium lib. 8. Theb. cùm ait, *Serta, coronatúmque merum*, ad quemuis morem possis referre.

[a] Postera cùm prima lustraret lampade terras
Orta dies, vrbem, & fines, & littora gentis
Diuersi explorant. hæc fontis stagna Numici,

Hunc

Hunc Tybrin fluuium, hîc fortes habitare Latinos.
[b] Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donáque ferre viro, pacémque exposcere Teucris.
[c] Haud mora: festinant iussi, rapidísque feruntur
Passibus: ipse humili designat mœnia fossa,
Molitúrque locum, primásque in littore sedes
Castrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.

ARGVMENTVM.

Explorant milites vicina loca, mittit Æneas oratores ad Latinum cum donis, excitat domicilium.

EXPLICATIO.

[a] SVBEAT Æneam duo præcepisse in superioribus. Primum, vt cum primo Solis lumine vestigarent vicina loca: deinde, vt statim fieret libatio Ioui. Hoc vltimum iam expleuit; sequitur primum illud de inuestigatione. Ergo orto iam die explorant, & discunt milites, quæ scire Æneas volebat. Vrbem cùm ait, Laurentem intellige. Ait *Numici*, pro, *Numicij*. Nam *Numicium* dici multi volunt.

[b] Hoc facto, vt nouit Æneas ibi Latinum regnare, deligit oratores centum, qui Regem adeant, cósque cum ramis oleæ, quæ pacis nota; & cum donis, quibus pax firmetur. Numerus ambitiosè ponitur ad commendationem Æneæ.

[c] Abeunt illi diligentissimè; ipse interim nihil faciens impendij in tempore, locum sibi ad domicilium assignat, sedémque excitat in eo littore aptam tuendis castris, & seruandis militibus. Est, *molitur locum*, ædificat in loco mœnia cum molimine. Illud, *pinnis, atque aggere cingit*, explica, cingit aggere, supra quem essent pinnæ.

NOTÆ.

1. POSTERA, &c.] Est hoc quod suprà præceperat.

Quare agite, & primo læti cum lumine Solis,
Qui loca, quive habeant homines, vbi mœnia gentis
Vestigemus, & à portu diuersa petamus.

Non abit ab hoc loco ille 6. Æneid.

——iuuenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium, &c.——

Diuersi.

2. DIVERSI.] Id est, euntes quisque in diuersa, sic in 9. *Diuersi circumspiciunt*, id est, in diuersa, locutione poëtica. Supra clarè posuit, *à portu diuersa petamus*; potuisset dicere, *petamus diuersi*.

Stagnum de Numico amne.

3. STAGNA.] Ait Seruius decrescente aqua fluuium hunc redactum in fontem, quin deinde exsiccatum, atque vna intercepta fuisse sacra Vestæ, aquæ quippe ad ea sacra inde petebantur. Ita illi expedit; & ab illo alij. Dici fortasse commodiùs queat, dici hunc amnem *stagnum*, quia ex lacu Nemorensi emissus per Ardeam in mare labitur. Et quidem Nemorensis lacus meminit Suetonius. Dixi hoc ex fide Dalecampij. Ergo à lacu stagnatio illa. Inde alibi

A Virg. *vada* dixit de hoc fluuio. Poëta *Numici*, pro, *Numicij* dixit.

4. CENTVM.] Ex dignitate legationis. Centum occiso Iuliano Senatus misit ad Seuerum, auctore Spartiano in Seueri vita.

Orator vnde dictus.

5. ORATORES.] Affert C.P. varia etyma huius vocis cap. 1. sui Legati. Dictus orator vel ab orãdo, vt habetur *l. Sed cùm ambo. ff. de procurat.* vel ἀπὸ τοῦ παρορμᾶν, vt vult Plutar. problem. 45. quòd hortetur & incitet: vel ab adorare, quod antiquis fuit agere: vel à voce ἀρατῆρες. quòd orator Reges obtestetur, hæc duo sunt in Festo. Vel demum ab oratione, quod placitum Varroni; nam oratio acerrimum est telum legationis. Adiicio huic notitiæ, Legatos, aut oratores verè esse eosdem, qui dicti Feciales. Liuius clarissimè

Adoro, antiquis fuit ago.

Legati, & oratores iidem.

B lib. 36. *Feciales responderunt amicitiam renuntiatam videri, cùm Legatis toties repetentibus res, nec reddi, nec satisfieri æquum censuissent.* Est quidem res repeti solitas per Feciales, quam rem Liuius attribuit Legatis.

Optimus quisque dilectus in re omni.

6. DELECTOS ORDINE AB OMNI.] Repræsentatur, vt credo, mos Romanorum, qui solebant in re haud absimili optimum quemque deligere ex ordinibus. Vt cùm ait Dio lib. 59. loquens de Caio: τοῦ τε τέλεως τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης, καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς ἔκ τε συγγενείας, καὶ τῆς περιουσίας μεταπεμψάμενος κατέλεξε: *Cùm equestris ordo ad paucos redigeretur, primores ex omni Imperio etiam extra Italiam, qui genere, & opibus excellerent, in eum allegit.* Vt cùm ait Tacitus: *Iisdem diebus in numerum patriciorum asciuit Cæsar vetustissimum quemque ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant.* Vt cùm ait Cicero in re iudiciaria pro

C Milone, *amplissimorum ordinum delectis viris.* Ecce vti in re omni semper habita fuerit ratio optimorum, cur non ergo in legationibus? Hic itaque mos libatur à Virgilio attingente poëticè, & vt potuit res Romanas. Quadrant verò in rem Poëtæ verba Eustathij in lib. 1. Iliad. vbi enim Homerus Aiacem, & Vlyssem Legatos Agamẽnonis vocat κλητούς, ipse ita interpretatur, ἐξονομακλήδην ἐπιλέκτους, *nominatim electos.* Quasi *impensiùs quæsitos, & è quæsitis lectissimos*, ait C.P. in suo Legato cap. 1. Debet quippe Legatus ex multis diligi, esse ἐκκρίτους, προκρίτους. Notat hoc vitium Seuerus Sulpit. lib. 2. sacr. Hist. cùm enim ab Arianis, & Catholicis, qui Arimini conuenerant, separatim missæ essent legationes ad Constantinum, à nostris in eo grauiter peccatum, quòd in eam legationem lecti sunt homines adolescentes, parum docti, & parum cauti: cùm

Legati debent esse lectissimi.

D ab Arianis missi essent senes callidi, & ingenio valentes. Non otiosè itaque dictum à Plauto est in Amphit.

——vbi primùm terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes,
Eos legat Thelebois.——

Et Iulius lib. 1. Ciuil. *Legatos qui de pace primorum ordinum centuriones ad Cæsarem mittunt.*

7. RAMIS VELATOS PALLADIS.] Statius 2. Theb. (A)

——ramus manifestat oliuæ
Legatum, causásque viæ.——

(Olea nota pacis.) Ergo, quia pacem petituri, velantur ramis Palladis. Et Sil. lib. 13. ramum oliuæ vocat, *pignora pacis.* Sed vide in 8. vbi meminit *pacifera oliuæ.* *Velatos* explicat gestantes velamenta in manibus, quem locum illustruo infrà in hoc libro, ad illud, *Præferimus manibus vittas.*

(Legati cum donis.) 8. DONAQVE FERRE VIRO.] Ex more receptissimo. Quid enim aptius ad flectendos animos illorum, ad quos destinata legatio? Legati Hispanorum dant Annibali apud Silium lib. 2.

——Clypeum sæuo fulgore micantem
Oceani gentes ductori dona ferebant
Callaïcæ telluris opus, galeámque coruscis
Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni
Albentes niueæ tremulo nutamine pennæ.

Inde lib. 11. Æneid. Venulus Legatus,

Postquam introgressi, & coràm data copia fandi,
Munera præferimus, nomen, patriámq; docemus.

9. DESIGNAT MOENIA.] Recurre ad illud lib. 5.

Interea Æneas vrbem designat aratro.

(Coloniæ aratro signantur.) Et hîc adde illud de aratro capiendum non solùm in vrbibus, sed etiam in coloniis; hîc enim Æneas coloniam fundat. Itaque quadrant in hunc locum (Vrbes vnde dictæ.) verba Varronis lib. 4. de Lingua Lat. *Quare & oppida, quæ priùs erant circumducta aratro ab orbe, & vrbe, vrbes: & ideo coloniæ nostræ omnes in literis antiquis scribuntur vrbes, quòd item conditæ, vt Roma; & ideo coloniæ vt vrbes conduntur, quòd intra pomœrium ponuntur.* Inde est vt Hyginus lib. de limitib. constit. colonias appellet vrbes. Eius verba: *Finitis ergo ampliorum bellorum operibus, augenda Respublica, illustres Romanorum viri vrbes constituerunt, quas aut victoribus Pop. Romani ciuibus, aut emeritis militibus assignauerunt, & ab agrorum nouæ dedicatione culturæ colonias appellauerunt.* (Coloniæ vrbes dicuntur.) Ergo hîc Æneas fossam aratro ducit conditurus coloniam. Sed quo iure hoc Æneas? Lib. 6. Cod. tit. 58. commun. de successionibus. *Omnes peregrini, & aduenæ liberè hospitentur, vbi voluerint.* Obserua *humilem* dici *fossam*, quam designauit, ad quam rem signatè Strabo lib. 5. loquens de descensu Æneæ in Italiam ait, conditam ab eo μικρὰν πόλιν, *vrbem paruam.* Et Solinus ait cap. 8. fuisse Æneæ in hoc ad Italiam descensu sexcentos tantùm socios. Quibus cur ampla mœnia extruerentur?

(Pinnæ propriè de galeis.) 10. PINNIS.] Hanc vocem propriè hærere in galeis militaribus, atque inde traductam ad muros, docet Varro lib. 4. de Lin. Lat. nam de pinnis loquens ita ait: *Ab his; quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites.* (B) Ædificium, cui insunt pinnæ, πτερύγιον vocat sanctus Propheta Amos cap. 3.

(Agger quid.) 11. AGGERE.] Intelligit vallum, quod solebat erigi ad labrum fossæ interius. Fiebat ex aggestis cespitibus; ideo signatè Maro *aggere.* Est enim agger aggesta terra, vnà cum sudibus. Sudes Virgilius omisit contentus nominasse aggerem. Nominant alij. Ammian. lib. 31. *Vallum sudibus densis, & fossarum altitudine cautius astruebatur.* Itaque & sudibus, & aggesta terra fiebant militaria munimina, præsertim cùm raptim extruerentur.

Iámque iter emensi, turres, ac tecta Latinorum
Ardua cernebant iuuenes, muróque subibant.
[b] Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitántque in puluere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursúque, ictúque lacessunt.
[c] Cùm præuectus equo longæui Regis ad aures
Nuntius, ingentes ignota in veste reportat
Aduenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, & solio medius consedit auito.

C

ARGVMENTVM.

Redit ad Legatos, qui vrbem adeunt, & Regem vocati adeo. Narrantur obiter puerorum Latinorum exercitationes.

EXPLICATIO.

[a] TRIA dicit, videlicet confectum iter Legatorum, visa à longè mœnia, vrbi successum.

[b] Pueri Latinorum in ipso campo ante vrbem exercent se disciplina aut equestri, aut curuli: tum etiam telis ludunt, quæ aut tendunt arcubus, aut torquent propria lacertorum virtute.

[c] Ruit ad Regem nuntius, aduenisse ignotos Legatos: iubet statim illos accedere, atque in solio, quo vsi maiores, auditurus sedet.

NOTÆ.

1. ITER EMENSI.] Repetit in 11. vide ibi.

(Subeo, pro ingredior.) 2. MVROQVE SVBIBANT.] Ita de equo Troiano ingrediente vrbem: *ille subit.* in 6. *Iam subeunt Triuiæ lucos.* Itaque *subire* in his locis est ingredi.

4. ANTE VRBEM.] Habuit, credo, ante oculos locum Hesiodi in Scuto,

——πρόπαροιθε πόληος
Νῶθ' ἵπποισιν ἐπιβάντες ἐθύνεον·
——ante vrbem
Terga equorum inscendentes discurrebant.

(Adolescentiũ meditationes ad pugnam.) De hac puerorum, & adolescentium exercitatione magna fuit semper veterum cura, vt quæ necessaria ad rem militarem. Cassiod. lib. 1. Var. *Producite iuuenes vestros in Martiam disciplinam: sub vobis videant, quod posteris referre contendant. Nam quod in iuuentute non discitur, in matura ætate nescitur.* Et aduocat exemplum: *Accipitres*

Accipitrum disciplina.

cipitres ipsi, quorum victus semper ex præda est, fœtus suos nouitate marcentes nidis perturbant, ne ad molle otium consuescant, alis verberant immorantes, cogunt pullos teneros ad volatum, vt tales debeant exsistere, de quibus possit pietas materna præsumere. Vos autem, quos & natura erigit, & amor opinionis exacuit, studete tales filios relinquere, quales vos constat patres habuisse. Claud. inter præconia Honorij Paneg. 4.

Cùm vectaris equo, simulacráque Martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum
Acrior, aut subitos melior flexisse recursus?

De Pompeio adolescente Sallustius in Fragmen. *Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat: neque enim ille aliter posset par esse Sertorio, nisi se, & milites frequentibus exercitiis præparauisset ad prælia.* De Constantio apparante se contra Iulianum Ammian. lib. 21. *Ad concursatorias pugnas militem struens.* De legibus Lycurgi Pausan. Laconic.

Lycurgi leges de exercitationibus epheborũ.

νόμους ὅσοι ἐς τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ ἐς τὴν μάχην τῶν ἐφήβων ἔθηκεν ὁ Λυκοῦργος: *Leges Lycurgus tulit cùm ad vniuersam Rempub. pertinentes, tum etiam ad ephehorum pugnas.* Et Messaniac. multùm prodesse ad consequendam scientiam rei militaris, ἄσκησιν, id est, *meditationem, exercitationémque.* Plutarch. de liberis instituendis, ἀσκεῖν γὰρ τοὺς στρατιωτικοὺς ἀγῶνας τοὺς παῖδας ἀσκητέον, ait: *exercendos pueros in militaribus certaminibus,* &c. Lege illum. De legibus Persarum Herodot. lib. 1.

Persarũ lex circa pueros.

παιδεύουσι δὲ τοὺς παῖδας ἀπὸ πενταέτεος ἀρξάμενοι μέχρι εἰκοσαέτεος τρία μοῦνα, ἱππεύειν, καὶ τοξεύειν, καὶ ἀληθίζεσθαι: *Docent pueros ab quinquennio vsque ad vigesimum ætatis annum tria solum, equitare, sagittas iacere, veritatem dicere.* De iisdem Strabo lib. 15. ἀπὸ πέντε ἐτῶν παιδεύονται τοξεύειν, καὶ ἀκοντίζειν, καὶ ἱππάζεσθαι. *Instituuntur à quinto ætatis anno sagittas mittere, torquere iacula, equitare.* Sed attingi à Poëta signanter Romanum morem Seruius docet scribens

Romanus mos in adolescentibus exercendis.

hîc: *Bene Romanæ militiæ exprimit morem: nam post pubertatem armis exercebantur, & decimoseptimo anno militabant, quo etiam solo sub custodibus agebant.* Eadem scribit Isid. lib. 9. Ex Romano more locutus est Horat. Od. 7. lib. 1. reprehendens Sybarim, cùm de eo ait,

cur apricum
Oderit campum patiens pulueris, atque Solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet; Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis?

Nec non Terent. Eunuch. vbi Parmeno ad Chæream adolescentem, *Fac periculum in literis, fac in palæstra.* De loco (nam hunc ante vrbem assignat Poëta) consentit Pausan. vbi suprà, vbi Ephebæum, id

Ephebæum vbi.

est, locum, vbi ephebi exercebantur, constituit extra vrbem Therapnæ: nam de hac loquitur. Verba eius. τὸ δὲ ἐφηβεῖον ἔστι καὶ ἐκ τῆς πόλεως Θεράπνης οὐ πολὺ ἀφεστηκός. Et quidem Ephebæi Vitruuius etiam meminit lib. 5. c. 11. Velserus quoque in Notis ad monumenta Augustæ Vindelicorum notat, veteribus fuisse circos quosdam extra vrbes ad agitationem curriculorum, & de his accipit Virgilium. Eodem spectat Homerus in adductis versibus nominans *campum.* Est apud Liuium lib. 5. locus ad hanc rem pertinens, etiamsi non de armata, sed de literaria exercitatione: *Principum liberos, sicut ferè fit, qui scientia videbatur præcellere, erudiebat. Is, cùm in pace instituisset pueros ante vrbem lusus, exercendique causâ producere,* &c. Loquitur de Faliscis. Videtur verò Poëta hoc pugnæ simulacro intelligere illos, quos Græci vocant ὁπλίτας ἐσκιατροφημένους, *vmbratiles milites*; qui videlicet ad vmbram murorum, & vrbium instituuntur. Sic enim appellat Maxim. dissert. 14. & opponit agricolis, qui se in agris exercent, dantes operam agricolationi. Vmbratilem pugnam σκιομαχίαν Græci vocant, vnde suspicio Hispanorum vocem ortam, qui *sgrimam* dicunt, corruptione, vt fit, literarum.

Vmbratilis miles, quis.

4. ET PRIMÆVO FLORE IVVENTVS.] Isidor. lib. 9. c. 3. refert ad primam tyrocinij ætatem, quæ erat ab anno decimosexto.

Tyrocinij ætas.

DOMITANTQVE IN PVLVERE CVRRVS.] Pulchrè pro equis; non enim currus, sed equi domantur. Pari audacia ipse in 12. *Infrænant alij currus.* Et propriè *domitant*: nam in hoc lib. *Lausus equûm domitor.* Hos dictos à Manilio lib. 3. *magistros* notat Albericus in Lectionibus Virg. c. 4. eo versu:

Currus pro equis.

Magistri dicitur equorum domitores.

Quadrupedum omne genus posuit domitare magistris.

Et ab August. 1. de libero arbitr. *mansuetarios.* Non abit, Heroas Homericos dici πλήξιππους. Pulchrè etiam *puluere,* quæ magna est militantium nota. Maximus dissert. 39. cùm dicat, turpe esse coronari absque notis virtutis, inter alias adhibet, ἱδρῶτι, κόνει. Ammian. lib. 21. *exercitum puluere coalitum Martio.* Ibid. *Non nisi bellico puluere induratis præficiebantur armatis.* Marius apud Sallust. *Sudorem, puluerem, & alia talia relinquant nobis, quibus epulis iucundiora sunt.* De Traiano Plin. Paneg. loquens de hac ipsa exercitatione: *Cùm in illa meditatione campestri militaribus turmis Imperatorium puluerem, sudorémque misceres.* Valer. Flac. 1. Arg. in nota virtutis, *Solymo nigrantem puluere fratrem.*

Mansuetarij qui.

Puluis nota militantiũ.

6. CVRSVQVE, ICTVQVE.] Cum respectu ad superiora. Respicit quippe cursus spicula contorta è lacertis, ictus sagittas emissas arcubus. Solent quippe hastæ torqueri cursu quodam promoto, vt acrius mittantur: sagittæ fixo semper corpore.

Cursus nota est iaculantis hastam.

7. NVNCIVS.] Morem Persarum, quo nemini Regiam ingredi liceret, nisi priùs per internuntium significato aduentu, vide apud Brisson. lib. 1. de Reg. Persico. Adnoto locum Statij huic simillimum lib. 2. Achill. non longè ab initio, vbi custos arcis statim defert ad Regem Lycomedem, visa sibi terris succedere ignota quædam carbasa.

[a] Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Vrbe fuit summa Laurentis Regia Pici,
Horrendum syluis, & relligione parentum.
[b] Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis Curia templum;
Hæc sacris sedes epulis: hîc ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
[c] Quin etiam veterum effigies, ex ordine auorum
Antiqua ex cedro Italúsque, patérque Sabinus:

Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem,
Saturnúſque ſenex, Ianíque bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant, aliíque aborigine Reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera paſſi.
[d] Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq́; ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculáque, clypeíque, ereptáque roſtra carinis.
[e] Ipſe Quirinali lituo, paruáque ſedebat
Succinctus trabea, læuáque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine coniux
Aurea percuſſum virga, verſúmque venenis,
Fecit auem Circe, ſparſitque coloribus alas.
[f] Tali intus templo Diuûm, patriáque Latinus
Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocauit:
Atque hæc ingreſſis placido priùs edidit ore.

ARGVMENTVM.

Deſcribitur Regia Latini à magnitudine, ſitu, religione, dignitate, antiquitate, maiorum imaginibus, ſpoliis, Pici maieſtate.

EXPLICATIO.

[a] PRIMVS verſus continet magnitudinem Regiæ, ſecundus ſitum, tertius religionem. Spectatur magnitudo ex centum columnis: ſita erat in ſumma vrbe: religionem faciunt ſyluæ horrore ſuo.

[b] Sequitur dignitas. Nam ibi ſceptra, & faſces accipiebantur à Regibus, cùm primam obibant dignitatem ea Regia illis erat pro Curia & templo, vbi ſacrificia peragebant, & ſacras epulas. B

[c] Antiquitas notatur ex imaginibus veterum, erant quippe ibi Reges Latini, videlicet Italus, Sabinus, Saturnus, Ianus, & Reges alij à prima gentis Italorum origine, qui Regnum illud præclaris in bello factis auxerant.

[d] Subiicit iam ſpolia, & arma poſtibus Regiæ, ac parietibus affixa: ſunt hæc, currus, ſecures, criſtæ, clauſtra portarum ex captis vrbibus, ſpicula, clypei, roſtra nauium.

[e] Extremo loco erat Picus, de quo iam maior, & clarior mentio, quia is Latini auus. Erat Picus indutus trabea, habébat lituum in dextera, in ſiniſtra ancile. C Eſt hic (inquit Poëta) Picus ille, Latini auus, quem Circe in auem mutauit, quòd ea ab illo ſperneretur, cuius amore flagrabat. Porrò verba illa de lituo, & trabea Agellius, & Macrobius ad hunc modum explicant, vt dicat Poëta. Picus erat cum lituo, ſedebátque ſuccinctus trabea: nam alioqui concipi non poteſt, vt eſſet ſuccinctus lituó. Iſtæ enim voces, *eſt, erat, fuit* abſunt ſæpe cum elegantia. Non multùm abeſt explicatio Turnebi lib. 30. c. 5.

[f] In hoc igitur templum vocati ſunt Troiani, ſedebat Latinus in ſolio, ac prior humanitatis ſuæ, & beneuolentiæ loquendo ſigna præbuit.

NOTÆ.

1. TECTVM AVGVSTVM.] Hanc Regiam deinde nominat templum, vnde, credo, in hoc initio A *auguſtum tectum*, templum reſpiciens. Quæ ſint auguſta aperit Sueton. in Aug. *Loca religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, auguſta dicuntur.* Et Ouid. 1. Faſt. Auguſta loca, quæ.

Sacra vocant auguſta patres, auguſta vocantur
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

Huc alluſit Cicero 2. Leg. ſcribens: *Bene verò, quòd Mens, Pietas, Virtus, Fides conſecrantur manu, quarum omnium Romæ dedicata publicè templa ſunt.* Et in Orat. pro Domo. *Cùm ſuis dicat ſe manibus conſecraſſe, quæ tua fuit conſecratio?* Ergo in Apul. 4. Flor. nominante, *auguſta loca Cytheronis*, cur non capiam templa ibi dicata Apollini? & *auguſtum* ait cum blandimento ad ſuum Principem. Quo etiam vſus Ouid. 1. Triſt. Eleg. 1.

Ignoſcant auguſta mihi loca, Diique locorum;
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.

Ceterùm ad Maronis Muſam Statius 4. Sylu.

Tectum auguſtum, ingens, non centum inſigne columnis,
Sed quantæ ſuperos, cœlumq́, Atlante remiſſo
Suſtentare queant. ————

Tectior fuit in imitando Ouid. 2. Metamorph.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis.

Et tectiſſimus Claud in 6. Conſ. Honorij.

——*ſubnixaſq́; iugis immanibus ædes.*

2. VRBE SVMMA.] Acropolin vocem vnicam Græcorum duabus Latinis ſignari iam Turn. animaduertit. Et Homer. quidem Iliad. 22. etiam pro acropoli dixit, ἐν πόλει ἀκροτάτῃ. Eandem videtur indicare Seneca in Thyeſt. per *arcanam Regiam:* nam & priùs *arcem ſummam* vocarat. Lege illum actu 4. ab eo loco. *In arce ſumma Pelopeæ eſt pars domus*, &c. Nam in toto eo tractu adumbrat proculdubio Maronem, præſertim in re quadruplici, videlicet in deſcriptione Regiæ, in ſylua circum eam, in ſpoliis appenſis, in ſceptris Regiis inde capiendis, quæ omnia hîc priùs Maro conſtituit. Vrbs ſumma, pro acropoli.

3. HORRENDVM SYLVIS.] Regiæ Principum olim, vt quæ ſacræ, conſtitutæ erant inter lucos ſacros etiam. Vide quæ iam de Æneæ domo 2. Æneid. De arborum horrore, quo ſignatur religio, iam ego D aliquot locis in ſex priores Æneidos, & ſuprà in hoc libro ad illud de lauro, *multóſque metu ſeruata per annos.* Sed & de templis ſitis inter lucos iam etiam lib. 1. & 3. Æneid. & hîc accipe teſtimonium Liuij lib. 24. *Sex millia aberat ab vrbe nobile templum, ipſa vrbe nobilius, Laciniæ Iunonis, ſanctũ omnibus circà populis. Lucus* Regiæ in lucis. Templa in lucis.

cuibi frequentis ſylua, & proceris abietis arboribus ſeptus.

Principes in templis inaugurantur. 4. HINC SCEPTRA ACCIPERE.] Attingit morem vetuſtiſſimum, quo Reges olim, nunc etiam in templis capiunt prima Regni auguria. Hiſpani *veras* vocant. Id ipſum factum in Romano Populo Germanus ... monuit: nam Magiſtratus faſces deſumebant ex Capitolio more maiorum. Eadem quæ Virgilius Seneca in Thyeſte act. 4. *Hinc auſpicari Regna Tantalida ſolent.* Hoc genus templorum videtur plane indicare Quintil. Declam. 325. cùm ait *Interim cum pietate veſtra Athenienſes loquor. Templum non illud vetus, non illud præſentiſſimæ religionis, non illud, a quo totius ciuitatis noſtræ petitur authoritas.*

Tẽpla olim pro Curia. 5. HOC ILLIS CVRIA TEMPLVM.] Alluſum credo ad Curiam Hoſtiliam, in qua non diuina ſolum, ſed humana curabantur; quod ſcripſit Varro lib. 2. Ling. Lat. Vſitatum olim templis vti pro Curia ad negotia tractanda, ad cauſas, ad lites. Huius rei exemplum eſt apud Liuium lib. 23. loquentem de Annibale, & Capuan... *Egreſſus Curia, in templo Magiſtratus conſedit, comprehenſumque Decium Magium, atque ante pedes deſtitutum cauſam dicere iuſſit.* Thucydides lib. 1. ... Δηλίων ... *Atrium eis erat Delus, & conuentus in eo templo fiebant.* Alludit Maximus diſſertat. 20. vbi loquens de Cy... ἐν αὐτῷ τὰ ἱερὰ: *Regia illius templa erant.* Su... cap. 7. Veſpaſ. inducit Imperatorem poſt peractum ſacrificium ſedentem pro tribunali in templo Serapidis, vbi & literas accipit, fuſas apud Cremonam Vitellij copias, cùmque adeunt è plebe homines opem valetudinis implorantes. Demoſthenes contra Midiam ait ... id eſt, *crimen illata iniuriæ*, audiri ſolere apud Athenienſes in templo Bacchi. Dido etiam 1. Æneid quæ piam negotia peragit in templo Iunonis. Quid? nonne templa veteribus loca erant negotiationis, cùm in illis deponerentur pe-

Pecuniæ in templis deponebantur. cuniæ? Cicero lib. 2. Leg. *Alexander in Cilicia depoſuiſſe apud Solenſes in delubro pecuniã dicitur.* Cornelius Nepos in Annibale: *Has Gortynijs præſentibus deponit in templo Dianæ.* Aſtrui hoc quoque poteſt ex Bacchidib. Plauti, & ex Plutarcho in Ant. vbi ait, παρὰ τῇ ἑστίᾳ ... χρήματα τινας ... ξένων, καὶ πολιτῶν: *fuiſſe apud Veſtales virgines depoſitas pecunias quaſdam peregrinorum, & ciuium.* Apud eaſdem Antonius teſtamenti ſui tabulas depoſuit, vt ibidem Plutar. narrat. Et de Cleopatra ait, conduxiſſe illam ad templum Iſidis χρυσόν, ἄργυρον, σμάραγδον, μαργαρίτην, ἔβενον, ἐλέφαντα, κινάμωμον. Scholiaſtes Thucydid. ἔθος γὰρ τοῖς παλαιοῖς τὰ κοινὰ χρήματα ἐν τοῖς ἱεροῖς ... Et Cedrenus ait in templo Solis fuiſſe theſaurum Crœſi Regis Lydorum. Heſychius definiens templorum adyta, θησαυρὸς ... *Theſaurus eſt domus ad repoſitionem ſimulacrorum, pecuniarum, aut ſacrorum.* Vide & quæ de gazophylacio Iudæorũ Ioſeph. ſcribit cap. 11. lib. 7. Adoptiones factas in templis ſcimus ex Paneg. Plinij. Nouum negotij genus in templis Herodotus exhibet

Lupanaria in templis Gentilium. lib. 2. cùm dicit, omnes penè mortales, præter Ægyptios, & Græcos, dare operam in templis rei Venereis. οἱ ... ἄλλοι σχεδὸν πάντες ἄνθρωποι, πλὴν Αἰγυπτίων, καὶ ... μίσγονται ἐν ἱροῖσι. Neque alia, credo, mente ... ptum à Plutarcho eſt in vita Camilli, iudicium de ... mnatione Manlij celebratum in luco Petilino. ... enim alibi non poſſet Camillus, lucum elegit ... audiendum reum, & peragendam actionem, quem ... quis Romanis loco templi eſſe ſciebat.

Epulum in templis. 6. HÆ SACRÆ SEDES EPVLIS.] Alludit procul dubio ad Romanum morem, quo epulum dari in

A templis conſueuit. Eſt in Statio 2. Theb. locus Virgilio aplaudus. Vt enim Maro ſacra peragit epulis & cæſo ariete in ea parte, vbi ſunt maiorum imagines: ſic Statius, vbi recenſuit longam ſeriem auorum, ita tim ſubiicit:

> *Interior ſacris calet, & ſonat aula tumultu*
> *Femineo, caſta matres cinxêre corona*
> *Argolides, pars virginibus circum vndique fuſis*
> *Fœdera conciliant noua,* &c.——

Vt videantur ſacra ideo peragi in conſpectu auorum, vt ſimulacris illis tanquam teſtibus confirmata maiorem vim habeant.

Arietis ſacrum. 7. ARIETE CÆSO.] Alludi ad veterem ſacrificij ritum Seruius admonet; eius verba: *Hoc ſacrificium in imma palatij fiebat feſtis diebus.*

Perpetuum, id eſt, longũ. B 8. PERPETVIS.] Id eſt, *longis*, ... Seruius, credo ad diſcrimen orbis. Sed ſit explicator Virgilij Ouidius 5. Faſt.

> *Ante focos olim ſcamnis conſidere longis*
> *Mos erat, & menſa credere adeſſe Deos.*

Conueniunt cum his, quæ dico lib. 8. ad illud: *Perpetui tergo bouis.* Itaque *perpetuæ menſæ* Virgilij ſunt, quas Euſtathius in Homerum vocat τραπέζας τεταμένας εἰς μῆκος: *menſas in longitudinem porrectas.* Stat. 5. Theb. vocat *continuas*; ſic nominans ſerpentem porrectum in longum. Ex Virgilio, & Ouidio morem elice, veteres, cùm ſedentes epulabantur, ſolitos id facere in longis & porrectis in directum menſis.

Seſſio ante accubitum. C 9. CONSIDERE.] Præclarè Poëta, & cum iudicio, cùm loquatur de æuo antiquiſſimo, ſedentes inducit in epulis, non accubantes: nam ſeſſio ante accubitum fuit in heroicis temporibus. Clarè Philo loquens de hiſtoria Ioſephi, cùm præmiſerit iuſſos conuiuas ſedere, ſubiicit, ... συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσεως ... : *nondum ab hominibus diſcumbendi mos receptus erat.* Apud Homerum quoque, quod ex illo notauit Athen. lib. 1. καθήμενοι Heroës epulãtur. Additque hunc morem ſeruatum ab Alexandro Magno, qui, vt refert Duris, aliquando quadringentos duces in ſellis aureis, & argenteis veſte purpurea ſtratis ſedentes conuiuio excepit. Verba Athenæi ſunt: καθίζονται δ' ἐν ταῖς συνουσίαις οἱ ἥρωες, οὐ κατακλίνονται: *Sedent in conuiuiis Heroës, non accumbunt.* Sic & Catull. ſedentes inducit

D Deos:

> *Qui poſtquam niueis flexerunt ſedibus artus.*

Ab Nonno lib. 24. Bacchi comites conuiuium habent ἑζόμενοι, *ſedentes.* Sed de hac re vide longam operam N. lib. 2. Antiq. Conuiuial. cap. 34. Delrium Noſtrum in Thyeſt. Sen. nouis Comment. Tiraquel. in Alex. & ceteros, quos iſti aduocant. Non ... morem ſedendi adhuc ipſis Romanis priſcis in vſu, vt ex horum quoque more locutus videatur Poëta.

Romani olim ſedentes in epulis. Seruius in 7. Æneid. *Romani & duobus tantum cibis vtebantur, & in atriis edebant ſedentes.* & ad hunc locum: *Maiores noſtri ſedentes epulabantur, quem morem habuerunt a Laconibus & Cretenſibus, vt Varro docet in libris de gente Populi Rom.* Idem ſcribit Iſidorus lib. 20. cap. 11.

Feminæ ſedentes epulabantur. E Addit verò Iſidorus hunc morem retentum poſtea tantum in feminis. Ratio eius: *quia turpis viſus eſt in muliere accubitus.* Valerius quoque Maximus clarè lib. 2. cap. 1. *Apud antiquos feminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant. Quæ conſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit; nam Iouis epulo, ipſe in lectulum, Iuno, & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur.* Huc traho Apuleium ita ſcribentem lib. 1. *Intuli me, eumque accubantem exiguo admodum grabbatulo, & commodum cœnare incipientem inuenio: aſſidebat penes vxor.* De-

Pueri ſedentes epulabantur. mum, cùm iam feminæ accumberent, mos ſedendi retentus

retentus tantùm est in pueris. Tacitus lib. 13. Ann. *Mos habebatur Principum liberos cum ceteris idem ætatis nobilibus sedentes vesci in conspectu propinquorum propria, & parciore mensa.* & Sueton. de Claudio: *Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum pueris, puellisque nobilibus, qui more vetere ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Itaq; æuo Virgilij non sedebant viri in epulis. Si quis Plutarchum contra me adducat scribentem de Antonio, illum solitum *in publico sedere inter vescendum,* sciat malè Plutarchum reddi ab interprete; nam Græca hæc καθίσαι περὶ τὸ ἰδιωτικὸν, non sonant quæ interpres voluit. Nolo te prætereat mos alius seruatus adhuc ipso penè Virgilij æuo. Viri ipsi sedebant in conuiuio luctus causâ, non accumbebant. Testis locuples huius moris Plut. est, qui de Catone Vticensi in eius vita. ἐδείπνει δὲ καθήμενος ἀφ' ἧς ἡμέρας καὶ φάρσαλον ἔγνω ἥττημένους, καὶ τοῦτο τοῖς λοιποῖς προσέθηκε πένθει τὸ μὴ κατακλιθῆναι πλὴν καθεύδων: *Cœnabat sedens ex eo die, quo cladem Pharsalicam intellexisset: idq; ad ceterum luctum addidit, neque recumbebat, nisi somni causâ.* Et iterum post longum tractum. λουσάμενος δὲ μετὰ πολλῶν ἐδείπνει καθήμενος, ὥσπερ εἰώθει μετὰ τὴν μάχην, οὐ γὰρ κατεκλίθη πλὴν καθεύδων: *Lotus cum multis cœnauit sedens, vt consueuerat post bellum. neque enim nisi somni causâ decumbebat.*

Sedebant in epulis lugentes.

10. QVIN ETIAM VETERVM EFFIGIES, &c.] Silius, & Statius Poëtam imitantur; adornant enim suam poësin simili imaginum honore, & auorum prosapia. Prior lib. 1. ita ait de sepulcro Didonis,

———stant marmore mœstæ
Effigies, Belúsque parens, omnisque nepotum
A Belo series: stat gloria gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.

Posterior 2. Theb.

———species est cernere auorum
Cominus, & viuis certantia vultibus ora.
Tantum ausa proferre manus. Pater ipse bicornis
In lœuum prona nixus sedet Æacus vrna:
Hunc tegit Iasiúsque senex, placidúsque Phoroneus.

Lauda hîc tuum Vatem, qui ex antiquo more inducit Latinum ostentantem Legatis Regiæ suæ decora, quò videlicet tacitè, & tanquam aliud agens se commendet aduentitiis viris, & sui veluti religionem incutiat.

Veteres aui.

11. VETERVM.] Perpetuum epithetum. Tibull.

Sic veteres sedes incoluistis aui.

Alibi.

Ritus vt à prisco traditus extat auo.

Et adhuc.

Quos tulit, à prisco traditus extat auo.

Sed quis nescit fumum imaginum? quis non quæ de atrio, vbi illæ sitæ, ab atricie, & antiquitate. Parco. Quos Virg. *auos veteres*, Silius lib. 8.

———clarique dein stant ordine patres.

Cedri æternitas.

12. CEDRO.] Ex hac materia olim imagines. Poëta rationem indicat vocans *antiquam*; durat enim in plures annos. Plinius cap. 40. lib. 16. *Memorabile & Vticæ templum Apollinis, vbi Numidicarum cedrorum trabes durant.* Et inf. *Cariem, vetustatémque non sentiunt cupressus, cedrus &c.* & cap. 5. lib. 13. de specie quadam cedri: *Materiæ verò ipsi æternitas.* Vitruuius lib. 2. cap. 9. scribit, quæ ex cedro fiunt constare ad omnem penè æternitatem. Athen. lib. 5. in exquisito artificio nauis Philopatris: καὶ τὸ σκεῦος δὲ αὐτῆς τὰ μὲν ἦν ἐκ σχιστῆς κέδρου, τὰ δὲ κυπαρίσσου Μιλησίας: *Multa autem structa erant ex scissa cedro, & cypariisso Milesiaca.* Sed operum ex cedro magna seges in Pausania. Nunc mihi in manibus locus in Æliac. Prior, vbi memorat arcæ cedrinæ in templo Veneris cum aureis, & eboreis emblematis; & in Arcadic. Dianæ effigiē affert inclusam in cedro. Ibidem consortium arborum, ex quibus simulacra Deorum fieri solita, cedrum exhibet inter alias. Euripid. Phœniss. κέδρου παλαιὸν ξόανον: *veterem scalam ex cedro.* Inde nata forma adagij, quam indicat Persius 1. Sat. *& cedro digna locutus.* & Horat. ad Pison. *carmina linenda cedro.* Ouidius sibi malum imprecans, *nec cedro charta notetur.* Sed Poëtas refero ad oleum cedrinum, dicente Plinio lib. 13. c. 13. libros Numæ in multùm temporis perdurasse, quod cedrati essent, id est, perúncti cedro, id est, oleo cedri. Et de oleo quidem apertè Lucian. aduersus indoct. τὰ βιβλία ἀλείφεις τῷ κρόκῳ, καὶ τῇ κέδρῳ: *Vngis libros croco, aut cedro.* Id etiā efficio ex Ouid. Eleg. 1. lib. 3. Trist.

Cedrinum oleum.

Quod neque sum cedro flauus: nec pumice leuis.

Est enim hęc flauities, quę chartę inducitur ab succo cedri, aut oleo. Rationes, cur cedro tanta æternitas, ego iam iam attuli lib. 2. Georg. Hîc nota, indicari fortasse à Poëta ξόανα; nam hæc è cedro, quod Pausan. scribit in Arcad.

Sed quando sum in materia imaginum, addam quidpiam, quod scire intererit. Maxima posita nobilitas apud Romanos in imaginibus, has fuisse tantùm humerorum tenus iam Turnebus docuit lib. 26. Aduers. cap. 5. & alij. Ait tamen Lipsius lib. 1. Elect. cap. 17. illas fuisse ex cera. Sed videndum contra Lipsium, an hoc perpetuum. Nam inclinante Imperio, & æuo Plinij iam mutata materia. Quod clarè ille lib. 35. cap. 2. Audi: *Aliter apud maiores in atriis hæc erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Quorum verborum sententia est, olim ex cera factas imagines, sed succedente luxuria iam fieri solitas ex ære, aut marmore. Capitolinus quoque in Marco Antonio: *Tantùm autem honoris magistris suis detulit, vt imagines eorū aureas in Larario haberet.* Sed & Tacitus in vita Agricolæ ad finem ita: *Vt omnia facta, dictáque eius secum reuoluant, famámque, ac figuram animi magis, quàm corporis complectantur; non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur.* Sed & fortasse ante ruinam inclinantis Imperij: nam Plinius lib. 37. c. 2. de Pompeio ita loquitur. *Imago Cn. Pompeij e margaritis, illa Regio honore grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes, illa (inquam) ex margaritis seueritate victa, & veriore luxuriæ triumpho. Quàm profectò inter illos viros durasset cognomen Magni, si prima victoria sic triumphasses? & margaritis, Magne, tam prodiga re, & feminis reperta, quam gerere te fas non sit, hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? Nónne illa similior tui est imago, quam Pyrenæi iugis imposuisti?* Xiphilinus quoque de Augusti funere loquens, ait tres Augusti imagines ductas ad eius funus, primam ceream ex Palatio, alteram auream ex Curia, tertiam triumphali habitu. Quæ pertinent ad rem meam, Græcè ita habent: ἑτέρα δὲ χρυσῆ ἐκ τοῦ βουλευτηρίου. Addidisse hoc Lipsianæ operæ ingratum non fuerit. Eodem traho Stat. 2. Theb.

Imagines auorum nō tātū cereæ.

———species est cernere auorum
Cominus, & viuis certantia vultibus ora.

Obiiciet mihi aliquis incogitantiam. Nam statuæ quidem olim fiebant ex auro, aut ebore, aut ære, aut marmore: imagines autem tantùm ex cera. Et dicent me confudisse statuas cum imaginibus. Diluo hoc facta recensione locorum, quæ adduxi. Plinius cap. 2. lib. 35. clarè ait, ceras mutatas in marmora. Cur ergo non capiam illum de imaginibus? Pergo. Capitolinus clarè nominauit *imagines aureas*. Quod hîc

hic effugium? vt neque in Tacito, qui etiam *imaginibus* dixit. Iam de Plinio nulla potest esse difficultas, cùm dixerit *oris venerandi*, quæ nota vnica fuit imaginum, vt ait idem Lipsius, contra quem scribo. Neque Xiphilinus aliter debet capi, cũ vnica voce complectatur imaginem ceream, & reliquas. Ex his volui Statium pro libidine ad rem meam explicare. In quo lego *ora* ex Romano ritu. Erunt qui malint *era*, vt in veteribus libris, sed hi capiant Statium necesse est ex Græco ritu. Redeo. Ego non satis miror Lazij viri docti incogitantiam, qui cùm lib. 9. Comment. cap. 19. præmiserit discrimen hoc; statuas hoc vno differre ab imaginibus, quòd illæ fierent ex ære, aut ebore; imagines verò ex cera tantùm, aut pictura; cùm hæc (inquam) præmiserit, subiicit ad probatio- B nem verba Taciti in vita Agricolæ iam à me adducta. Et tu vide, quid ad eam doctrinam Tacitus conducat.

13. ITALVS, &c.] Ab hoc versu Prudent. in Symmach.

Assistunt etiam priscorum insignia Regum
Dux Italus, Ianúsque bifrons, genitórque Sabinus.

Italia ab Italo. Ab hoc Italo Italia. Poëta ipse 1. Æneid.

Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.

Sed opiniones, vnde dicta Italia, ego iam lib. 1. Æn. Sabini vnde dicti. A Sabino Sabini. Silius lib. 6. Sabum nominat,

——Pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

De vtroque ita breuiter, quia de vtroque obuia vbique historia. Non parcam à Poëta tacitè, & aliud C agente (sic enim minimè ostentabundus solet) exhiberi Regum Italiæ stemma. Quid hoc sit indicat satis Seneca lib. 3. de Benef. cap. 28. Stēma quid sit. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis stēmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocāt.* Inde Martialis lib. 4. Epig. 40.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Huiuscemodi stemmata solent nunc asseruari cura maxima cum distinctione quadam, aut linearum, aut circulorum, qui circuli formati veluti in arborem. De his S. Isidorus lib. 9. c. 6. *Solent aduocati stemmata, seu ramusculos facere in genere, cùm gradus cognationum partiuntur.*

Vitisator Saturnus. 14. VITISATOR.] Gorop. Becan. in Chron. & in D Vertumno hanc vocem Sabino annectit, vt videlicet Sabinus dicatur vitisator. Non puto. Placet Lilius, qui ad Saturnum refert. Nam Martianus Saturnum vocat *satorem*. Et Plutarchus ex Critolao scribit, Saturnum susceptum hospitio ab agricola quodam, cuius filiam Oenotriam vitiauit, quo partu nati sunt filij quatuor, quibus Saturnus pater serendæ vitis, & conficiendi vini rationem demonstrauit. Ad idem argumentum pertinent, quæ latè in Vertumno Gorop. de Noë, & Saturno. Et pro hac sententia clarè Ouid. 1. Fast. Nam de Saturno,

——Fuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Vbi falcem Saturno, vt Virgilius attribuit. De imitatione monearis; Nostrum coniunxisse quæ diuisit E Lucret. lib. 2.

Tristis item vetulæ vitis sator aqua fatigat.

Est hoc quod Ouid. 4. Metam. *genialis cōsitor vuæ.* Macrobius, & Lilius Poëtam reiiciunt ad imitationem Accij *O Dionyse, pater optime vitisator, Semele genitus Euchie.* Possunt.

15. IANIQVE BIFRONTIS.] Dignum est animaduersione, in numismate Adriani exhiberi Ianũ quadrifrontem, videlicet in partem anteriorem, & po- Ianus quadrifrons.

A steriorem, in dextram, & sinistram. Quem bifrontem vocant reliqui; Ouidius 14. Metamorph. *Ancipitē Ianum* dixit, sicut & Nazianzenus ad Nemesium ἀμφιπρόσωπον, de re tamen alia loquens. Cum allusione ad Ianum vtrinque oculatum dixit Pers. Sat. 1.

——quos viuere fas est
Occipiti cæco.——

quasi nihil admittant, quo debeant optare oculos Iani.

16. VESTIBVLO.] Hic interdum locus statuarum, qui prope atrium, vel verè ipsum atrium. Iuuenal. Sat. 7. Statuæ in vestibulis.

Æmilio dabitur quantùm petetet, & meliùs nos
Egimus: huius enim stat currus aheneus, alti
B *Quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci*
Bellatore sedens curuatum hastile minatur
Eminùs, & statua meditatur prælia lusca.

17. AB ORIGINE REGES.] Indicat voce ipsa reges Aborigenes, αὐτόχθονας Qua voce docet te Poëta, quî debeas simillima aptare versibus.

18. MARTIA QVI OB PATRIAM.] Hos ipse in Elysiis constituit.

Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.

Apto hîc verba Iustiniani lib. 1. Instit. tit. 25. de excusationib. Tutorum, vel Curator. *Hi qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur.* Et sententiam veterem: *Patriæ saluti vita rectè impenditur.* Mors pro patria honestissima. Adeò hoc gloriosum vt moneat Dionys. lib. 10. ore Caij Horatij: *Quòd si numen aliquod obstat, nec saluam vrbem vult, non tamen propterea nos pium, promptumq́,* C *studium deponemus,* ἀλλὰ τὸν ἁπάντων κάλλιστον αἱρησόμεθα θάνατον περὶ τῆς πατρίδος, *sed omnium honestissimam pro patria mortem oppetemus.* Vides, vt mortem pro patria dicat omnium honestissimam: & renitendum pro patria etiã contra numina. Dicit hoc, quia putabãt Gentiles sæpe patriã à Diis prodi, de quo iã lib. 2. Æn.

19. MVLTAQVE PRÆTEREA, &c.] Locum istum exorno monumentis Poëtarum. Stat. de domo Martis lib. 7.

Terrarum exuuiæ circum, & fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælatáque ferro
Fragmina portarum, bellatricésque carinæ,
Et vacui currus protritáq́, curribus ora. Spolia hostiũ in templis.

Silius lib. 1. Punic.

D *In foribus sacris, primoq́, in limine templi*
Captiui currus, belli decus, armáque rapta
Pugnantum ducibus, sæuaq́, in Marte secures.
Perfossi clypei. & seruantia tela cruorem,
Claustraq́, portarum pendent. hic Punica bella
E galeis cernas, fusáque per æquora classe
Exactam ponto Libyen testantia rostra.

Claudian. in Paneg. Stilicon.

Quicquid auus senior Mauro, vel Saxone victis,
Quicquid ab innumeris socio Stilicone tremendus
Quæsiuit genitor bellis, &c.——

Tu reliqua, quæ satis multa. Et de 6. Cons. Hon. *spoliísque micantes arcus.* De Cyzico Valer. lib. 3. Arg.

Et nunc ille iubas, captiuáque postibus ora
Imposuit.——

E Ouid. 8. Metam. *spoliis decorata est Regia fixis.* Poëtis Liuius accedat, qui ad hunc morẽ lib. 38. *Ambraciam captã signaq́, quæ ablata criminãtur, & cetera spolia eius vrbis ante currũ laturus. & fixurus in postibus suis.* Idem lib. 10. loquens de æde Quirini dedicata à filio Papyrij Cõsulis: *Exornauit hostium spoliis, quorũ tanta multitudo fuit, vt non templum tantùm, forúmque his ornaretur. sed sociis, etiã, coloniisque finitimis ad templorum, locorúmque publicorum ornatum diuiderentur.* Ibidem nominat *domos spoliis hostium affixis insignes.* Meminit eiusdem moris

rem

rem aliam agens Plato lib. 5. Leg. ... *Neque vero arma in templis collocabimus dedicaturi, præsertim Græcorum, si nobis curæ est beneuolentiam colere cum ceteris Græcis.* Apollonij interpres (nam huic Germanus attribuit) ... *In perspicuis domorum locis collocant spolia.* Verbum interpretis ..., & Platonis ..., satis indicij est, hæc spolia vt donaria templis appensa. Inde disertim Macrob. *Ornamenta sunt clypei, coronæ, & huiusmodi donaria.* Græci vocant non solùm ... sed etiam ... Vide etiam locum Plutarchi in Marcello, vbi scribit, quemadmodum is exornauerit vrbem Romam armis, spoliisque barbaricis: & Maximum dissertat. 18. de clypeo Euphorbi, vbi elogium hoc, ...: *Palladi Mineruæ ab Euphorbo Menelaus.* Est hic ille clypeus, quem multis pòst annis se noscere mentitus est Pythagoras, atque inde venit in fabulam transmigrationis: Pindar. Od. 1. Isthm. ...: *Et tripodibus domum ornauerunt.* Quo testimonio efficitur appendi solita etiam præmia comparata in certaminibus, non solùm habita hostili bello. Notetur ad extremum mos duplex. Primus ab Plinio c. 2. lib. 35. non licuisse olim emptoribus, alienatis ædibus, religere spolia. Alter ab Appiano in Annibalicis, vbi indicat, nullum deinceps debere esse vsum horum armorum, vt quæ iam essent sacra, nisi in graui periculo, ...: *Cùm armis egerent, quæsita aliis bellis, & ad decus affixa templis spolia detraxerunt.* Agit videlicet de angustiis, in quas coniecti Romani ab Annibale. Vide an hinc capiat aliquid lucis locus ille Regum, vbi Dauid in armorum inopia resumit gladium Goliath, qui iam in templo.

Spolia dicta donaria. Clypeus Pythagoræ. Certaminũ præmia appensa. Spolia nequibant refigi. Armorum sacrorum quis vsus.

20. EREPTAQVE ROSTRA CARINIS.] Vidisti iam in Statio *carinas*, in Silio *rostra*, inter spolia. Adiunge locum alterum eiusdem Statij 2. Achill.

——— *signa triumphi*
Vidistis celsas murorum in fronte carinas.

& locum Tullij in Antonium. *An tu illa in vestibulo rostra, & hostium spolia cùm aspexisti, domum tuam intrare te putas?* Pausanias in Attic. meminit templi Iouis, in quo esset æneum rostrum triremis, quam triremem Megarenses ceperunt ab Atheniensibus in nauali certamine. Appianus in Punic. *Scuta, machinas, & naues inutiles Marti, Mineruæq; sacratas accinctus gladio cremauit, more patrio.* Ab rostris & carinis non abeunt currus, & esseda, quæ etiam inter spolia suspendebantur. Persius Sat. 6.

Rostra affixa templis. Currus affixi templis

——— *ac iam postibus arma,*
Iam chlamydes Regum, iam lutea gausapa captis
Essedáque, ingentésque locat Cæsonia Rhenos.

21. QVIRINALI LITVO.] Lituus, præterquàm quòd militare est instrumentum, erat etiam olim augurum, *incuruum, & leuiter à summo inflexum bacillum.* Verba sunt Tullij lib. 1. de Diuin. Agell. lib. 5. c. 8. *Lituus virga breuis, in parte, qua robustior est, incurua, qua augures vtuntur.* Plutarch. in Romulo loquens de lituo augurali, ...: *Est incuruus baculus, quo, qui augurabantur sedentes designabant loca.* Cicer. lib. 1. de Diuin. *Quid lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus?* Et infrà, eundem dat Attio Nauio auguri describenti regiones. Apul. 1. Apol. *auguribus lituus.* Ergo Picus, quia augur, cum lituo est. Sed cur lituus dicitur Quirinalis? Audi ibidem Plutarchum. ...: *Mirè alioquin Romulum tradunt fuisse religiosum, auguranditque peritum, atque ob eam scientiam lituum gestasse.* Cic. adducto loco: *Nempe eo (lituo) Romulus regiones direxerit tunc, cùm vrbem condidit.* Itaque, quia Romulus, qui lituum gestabat, dictus est Quirinus, factum vt lituus ab eo dicatur Quirinalis. Prodigium huius litui, quo Romulus vtebatur, Cicero, & Plutarchus commemorat. Ait prior: *Cùm situs esset in curia Saliorum, quæ est in Palatio, eáque deflagrasset, inuentus est integer.* Posterior: *Hunc in Capitolio* (parco Græcis) *ferunt seruatum si lituum, sed captâ à Gallis vrbe perditum; mox eiectis illis inter cetera incensa omnia & corrupta, multo obrutum cinere inuentum fuisse intactum ab igne.* Addo tandem duas Notulas, vnam Tullij, scribentis ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenisse auguralem lituum. Alteram Iunij admonentis, incuruum baculum, quo nunc vtuntur Christiani antistites, dici lituum posse, quando simili augures vterentur, qui sacri habebantur.

Lituus augurum. Cur Quirinalis. Romuli lituus prodigiosus. Auguralis lituus vnde nomen acceperit. Baculus Episcoporum.

22. SEDEBAT.] Præclarè qui alios adstantes, Picum sedentem inducit. Hic enim erat augurum habitus. Vidisti iam testimonium Plutarchi, qui augurantes ... inducit, id est, *sedentes.* Idem in Marcello. ...: *Cùm auspicaretur Consul in domo extra vrbem, vel in tabernaculo ad id conducto, sedebat.* Liuius lib. 1. *Augur ad læuam eius capite velato sedem cepit.* Apud Sophoclem in Antig. Tiresias cùm augurium narraret, ait.

Sedebãt augures.

... ——————
Nam in veterem sedem augurij
Sedens.

Cyrillus Alexandrin. Comment. in Michæam cap. 2. num. 27. reprehendens vates falsidicos, morem hunc attingit. ...: *Idolorum fanis quidam Samaritanorum assidentes, vaticinabantur multis modis.* Seruius quoque in illud 9. Æneid. de Turno, qui *sacrata valle sedebat*, ait, dictum *sedebat*, quia Turnus tunc auspicia captabat. Varro lib. 5. de Ling. Lat. *Auspicio orando sede in templo auspicij.* His adiunge morem alium, qui cum præcedenti adludit, nimirum auguria captantes interdum cubare consueuisse, quod ex Paulo, & Seruio notauit Briss. lib. 1. Form. Sed de hoc ego iam latè suprà ad illud, *Pellibus incubuit stratis.*

23. SVCCINCTVS.] Nam hic habitus quondam militaris, & talis Picus, qui mox *equûm domitor.* Festus: *Apud antiquos togis incinctis pugnasse dicuntur.* Alludit Tertullian. de corona milit. *Russatus sanguine suo, spe calceatus, de Euangelij paratura succinctus, acutiore verbo Dei, totus de Apostolo armatus.* Inde Herodianus lib. 4. cùm scribit, Parthos fluxa veste pugnauisse, addit eorum crura præpediri. Illis ergo necessaria incinctio. Certè Plutarchus (aduocat hunc ad rem eandem Lipsius lib. 3. de Milit. Rom. dial. 7.) vnà cum scutis cinctionem habet: ...: *Iam scuta capturis, iam togam accincturis.*

Succinctio habitus militaris. Incinctio.

24. TRABEA.] De hoc indumento loquor infrà in hoc lib. & in 11. & de ancilibus (genus hoc est scuti) in 8.

25. PICVS EQVVM DOMITOR.] Ouid. 14. Met.

Picus domitor equorum.

Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, vtilium bello studiosus equorum.

Iterum de eodem:

——— *tergúmq;*

——tergúmque premebat
Acris equi.——

Notetur obiter discrimen (tractat rem hanc Maximus Tyrius dissertat. 37.) inter equum domitum, & cetera animalia domita. Ceteris enim, cùm domantur, adimitur spiritus, & vigor infringitur: equo hoc non contingit, tantùm docetur vti animis, patere habenis, moderari ad tempus spiritum. **Equi domiti habitus.**

26. CONIVX.] Non fuit, sed esse voluit. Talia multa in Poëtis, & in Nostro non pauca. In 2. Corœbus dicitur gener Priami, qui tamen nunquam Cassandram duxit, sed voluit ducere. In 9. *Excepère auræ vulnus*; quod nullum fuit: nam ante ictum detorta hasta, sed Pandarus, qui iaculabatur, ad vulnus Turni hastam destinarat.

27. AVREA.] Sunt qui ablatiuum, & synæresim agnoscant. Possunt; nam hoc in maximo est vsu Poëtarum. Sunt qui rectum, vt Circe dicatur aurea, quia Solis filia. Possunt quoque. Sic Latinus, qui originem à Sole habet, cum auratis radiis fingitur. **Circe aurea.**

28. VIRGA.] Ouidius baculum nominat:

Ter iuuenem baculo tetigit, tria carmina dixit.

Plutarch. ἐν ῥωμ. non virgam, aut baculum nominat, tantùm ait, Πῖκον ὑπὸ τῶν φαρμάκων τῆς γυναικὸς μεταβαλεῖν τὴν φύσιν. *Picum formam mutasse vxoris pharmacis.* Notes hic, potestatem Deorum Gentilium (& quidem Circen Deam putabant illi) positam in virga, baculo, sceptro. Itaque Circe virga percutit homines, vt conuertat feras. Mercurius sua virga *animas euocat Orco*, & patrat reliqua, quæ habentur quarta Æneide. Neptunus apud Homer. 13. Iliad. suo σκηπανίῳ, id est, baculo, **Virga insigne Deorũ.**

Ἀμφοτέρω κεκόφως πλῆσεν μένεος κρατεροῖο.
Impleuit forti robore percutiens vtrumque Aiacem.

Apud eundem lib. 16. Odyss. Minerua multa patrat χρυσείῃ ῥάβδῳ, *virga aurea*, Vlyssis sui studiosa.

29. VENENIS.] Ouidius de his nihil, tantùm ait, ter baculo percussum à Circe, & sic conuersum. Venena tamen tunc secum afferebat Circe, quod mox patet ex eodem vate: **Circe venefica.**

Illa nocens spargit virus, succósque veneni.

Noster suprà eidem Circæ in conuertendis hominibus tantùm dedit vsum herbarum. Homerus ad rem eandem Odyss. 10. & pharmaca, & baculum eidem attribuit. Nam primò ait, dementatos homines, postquam illa κακὰ φάρμακ᾽ ἔδωκεν. Et postea in dementandis sociis Vlyssis inducitur illi non solùm cùm venenis, sed etiam ῥάβδῳ πεπληγυῖα, *percutiens virga*.

30. FECIT AVEM CIRCE.] Longissimè de hac metamorphosi Ouidius. Breuiter soluo eius versus. Picus Saturni fuit filius, Italiæ Rex, forma oris conspicuus. Hunc Nymphæ amabant, ille omnibus spretis vnam Pomonam, quam in vxorem accipit. Picus fortasse, vt erat venationi deditus, in agros exit, apros fixurus, in eosdem forsan & Circe. Iuuenem videt, amat, deperit; sed adire non audet satellitio comitatum: herbarum ope aprum fingit, quem iubet transcurrere per Pici ora, ferríque in densissimum nemus equo non adeundum. Videt Picus aprum, in hunc inuolat, quin equo desilit, vt assequatur in implicato nemore. Latebat ibi Circe, repente prosilit, rogat, obsecrat. Repugnat Picus, & preces repellit. Illa amoris impatientia, & despicatus ignominia commota iuuenem ter baculo percutit, conuertítque in auem. Voluit nimirum illum assimulare eam formam, quam tunc habebat, cùm velox ferebatur, præcépsque in aprum. Dixi in hoc cursu, Pomonam amatam ab Pico; nam illam Ouidianis his ver- **Pici fabula.**

A sibus circumscriptam volunt aliqui,

——*spretis tamen omnibus vnam*
Ille colit Nympham, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperisse Venilia Iano.

31. SPARSITQVE COLORIBVS ALAS.] Duplici nimirum, purpureo, atque fuluo, siue aureo. Ouid. **Conuersio.**

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem.
Fibula quod fuerat, vestémque momorderat aurum,
Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro.

Ceterùm Picus factus auis, fuit ex earum auium numero, quæ & ore, & volatu auspicium faciebant, id est, quæ & oscines, & alites vocabantur, auctore, & interprete Festo. Nota verbum *sparsit*. Sic & Apul. 2. Flor. *Non enim lacteus ille, vel liuidus, vel vtrunque subluteus, aut sparsus est.* Vbi B *sparsus color*, est duplex color, vterque distinctus. Sic in Virgilio cape vtrunque colorem, purpureum, & flauum, distinctum, non vlla confusione, aut mistione. **Auspicium.** **Sparsus color, qui.**

32. TEMPLO DIVVM.] Attingit morem à nemine, quod sciam, animaduersum. Excipi Legatos in templis Deorum vsitatissimum fuit. Itaque templis pro Regia vtebantur. Firmat hunc morem Val. Flac. lib. 4. Arg. apud quem Medea sic loquitur cum Iasone. **Legati templis excipiebantur.**

——*Phœbi genitoris ad aras*
Ventum, ait: huc adytis iam se de more paternis
Rex feret; hìc proceres audit, populósque precantes
Alloquiis facilis præsens pater admouet æquis.

C Apud Silium lib. 1. non longè à fine, Legati Saguntini audiuntur à Romano Consule in templo. Omitto versus, quippe multos. Apud eundem lib. 11. Legati quoque Capuani in templo audiuntur. Hinc etiã illustrabis locum 1. Æneid. vbi Dido audit in templo Iunonis Troianos in Africam appulsos. Postquam hoc scripseram, incidi in Brodæum eandem rem admonentem lib. 4. Miscell. cap. 17. qui & firmat testimonio Demosthenis de falsa legat. obiicientis vt crimen Æschini, quòd huic mori non paruisset.

33. DIVVM.] Euertit scientissimus Poëta frigidam nonnullorum æui huius eruditionem, qui dicunt, assumptos ex hominibus coli, non vt Deos, sed tantum vt Heroës. Non sic est. Picus verè, & reliqui, qui D ibi erant, colebantur vt Dij: inde clarè Diuos nominat. Erroris huius iam me olim Isocrates monuerat, qui in laudatione Helenæ, loquens de illis, qui ex mortalibus assumpti sunt, ita ait. ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἐν Θεράπναις τῆς Λακωνικῆς θυσίας αὐτοῖς ἁγίας, καὶ πατρίους ἐπιτελοῦσιν, οὐχ ὡς ἥρωσιν, ἀλλ᾽ ὡς θεοῖς οὖσι. *Vsque in hunc diem Therapnis in Laconia patrio ritu illis sacra faciunt, non vt Heroibus, sed vt Diis.* Loquitur videlicet de Castore, Polluce, Menelao. Vide quæ iam ego ad 1. Eclog. vbi loquor de sacris Augusti. **Heroës culti etiam vt Dij.**

34. SEDE SEDENS.] Apud Xiphilinum in Augusto Phraates excipit Legatos Antonij ἐπὶ χρυσοῦ δίφρου καθήμενος. Fuit quippe sella semper argumentum Regij honoris. Et quidem Reges consueuisse, cùm pri- E mùm inaugurarentur, consedisse in sede, satis liquidum ex his, quæ de Ariamene narrat Plutarchus περὶ φιλαδελφ. vbi ait, Regno Persarum adiudicato Xerxi ab Artabano, statim Ariamenem desiluisse, ac fratrẽ Xerxen collocasse in throno. Verba Plutarchi. καὶ λαμβανόμενος τῆς δεξιᾶς εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισε τὸν βασιλέα. **Sella argumentum honoris Regij.**

35. PLACIDO.] Habitus futuræ orationis. Ammian. lib. 21. *Ad serenitatis speciem, fiduciæ vultu formato.*

36. EDIDIT ORE.] Notarunt iam aliqui discrimen inter *os*, & *linguam*. In graui enim sermone, & **Os in graui sermone.**

Lingua in scurruli.

Heroum os ponitur, vt hîc Latinus, & in 4. Mercurius, & sæpe alibi: in sermone scurruli, & infami facundia, lingua adhibetur. Quando porrò præoccupanda verba Legatorum, vt hîc ab Latino præoccupātur docet te C.P.c.41. Apud Stat.7.Th. Mars præoccupat Mercuriū ad se venientē cū mandatis Iouis:

Quod Iouis Imperium? magno quid ab æthere portas?
Occupat armipotens, &c.—

^a Dicite Dardanidæ (neque enim nescimus & vrbem,
Et genus: auditíque aduertitis æquore cursus)
^b Quid petitis? quæ causa rates, aut cuius egentes
Littus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
^c Siue errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portúque sedetis,
^d Ne fugite hospitium, neue ignorate Latinos,
Saturni gentem, aut vinclo, nec legibus æquam:
Sponte sua veterísque Dei se more tenentem.
^e Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Aruncos ita ferre senes, his ortus vt agris
Dardanus idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes
Threiciámque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.
^f Hinc illum Coriti Tyrrhena ab sede profectum,
Aurea nunc solio stellantis Regia cœli
Accipit, & numerum Diuorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus sic voce secutus.

ARGVMENTVM.

Rogat Legatos Latinus, quæ causa illos ad Italiam adduxerit: inuitat amicissimè ad hospitium; repetit ab vltima antiquitate primam Troianorum originem, quæ ortum habuit ab Italia.

EXPLICATIO.

a AIT Latinus scire se & vrbem Troianorum, & illorum genus. Itaque non incogniti accedunt ad Italiam, imò auditi.

b Tria rogat, quid petant? qua causa illuc appulerint? cuius rei inopia coacti? Indicant hæc appellentium voluntatem, quasi ipsi alicuius rei egentes illò accesserint: quæ sequuntur, necessitatem.

c Id enim naufragis sæpissimè solet contingere, vt vel ignoratione maris, vel tempestate, quò nolint, accedant. Ergo si inuiti accessistis, aut errore, aut tempestate, ne fugite hospitium.

d Inuitat ad hospitium, quod vt velint, commendat gentem Latinorum ab imagine vitæ aureæ, quam adhuc retinent, & quam accepère à Saturno. Quam vitam conseruant non coactis legibus, aut vinculis, sed voluntate; quæ res maximam iustitiam indicat. Gens (inquit) nostra æqua est, & iusta, non vi, non vinculis, aut legibus: sed sua sponte.

e Vt quærat Latinus causas hospitij, repetit quæ ab Aruncis senibus iactari sciebat, videlicet Dardanum natū fuisse in Italia, & inde nauigasse ad Phrygiam, & ad Samon.

f Maxima Dardani commendatio, & quæ tota in Italiam redundat; nam qui profectus est ab Corito Hetruscorum, iam cœlo fruitur, augens Diuorum numerum.

NOTÆ.

1. NEQVE ENIM NESCIMVS, &c.] Similis locus lib.1.Æneid.

Quis genus Æneadûm, quis Troiæ nesciat vrbem?

2. QVID PETITIS? &c.] Locus planè Homericus Odyss.9.

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;
O hospites, quinam estis? vnde nauigatis humidum mare?
Num ad negotiationem, aut temerè erratis,
Perinde atque piratæ supra mare qui errant
Animas periculo obiicientes, malum alienigenis ferentes?

In hunc locum ita Scaliger comparans. Sic rectè primùm, quare venerint, hoc est, *quid petitis?* Deinde ipsemet venatur causas. Necessarium, vtile, fortuitum. Signatè omnia illa, *multa*, &, *patiuntur*, &, *alto*. Addo extra decorum audientium obiici illud de piratis, quare id totum siluit Maro, & loco huius subiecit illud de tempestatibus, tacitè reprehendens Homerum. — Homerum superat Virgilius.

3. PORTVQVE SEDETIS.] Alludit ad illud, quod præcessit.

Moliturque locum, primasq́; in littore sedes
Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.

Vel potiùs (in quod inclino) sedere portu est, naues fixas anchoris in portu, præeūte Sidonio lib.1.epist.1. vbi ait: *Post liuidorum latratuum Scyllas enauigatas sufficientis gloriæ anchora sedet.* Idem epist.8.lib.1. *naues sedent:* & Carmine 2. — Sedere in portu, quid.

Tam

Tam placido sedeat mihi carminis anchora fundo.
Rutilius (aduocante illum Sabaro) Itinerar. 1.
Cunctamur temtare salum, portúque sedemus.

4. HAVD VINCLO, NEC LEGIBVS ÆQVAM.] Prædicat de ætate aurea Saturni fuisse homines sponte virtuti deditos, nulla vi, aut vinclo, nullis carceribus, cogente nemine. Huc refero Maximum dissert. 10. vbi loquens de Saturni æuo, ait. βίον ἀπόλεμον, ἀσίδηρον, ἀφύλακτον, εἰρηνικόν, ἀπειρομάχητον. Vides, vt inter reliquas virtutes vocat ἀφύλακτον, vt qui nulla egerent custodia, sed boni essent αὐτεπάγγελτοι. Sed signatissima sunt Ouidij loca duo: primus libris Fastorum, & Metamorph. Vtrobique enim sermo est de ætate aurea Saturni. In priore loco Ianus ita loquitur.

Ætatis aureæ nota.

Próque metu populum sine vi pudor ipse regebat,
Nullus erat iustis reddere iura labor.

Voluntaria virtus.

In posteriore Poëta ipse ita:
Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege fidem, rectúmq; colebat.
Pœna, metúsq; aberant: nec verba minantia fixo
Ære ligabantur; nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

Hanc ætatem adumbrat Iustinus loquens de Regibus, qui primi in orbe fuerunt, scribit: *Populus nullis legibus tenebatur, arbitria Principum pro legibus erant.* Vt etiam Columella Præfatione sui operis, cùm ait: *Nam sine causidicis olim satis felices fuere, futuræq; sunt vrbes.* Vbi enim leges, ad quas inuiti rapiantur ciues, ibi & causidici. Itaque hos abesse, indicium est voluntariæ virtutis. Sed clarissimè Apostolus Paulus veram hanc felicitatem exprimit apud Basilium Episcopum Seleuciensem lib. 1. Teclæ. βία γὰρ, καὶ φόβος ἀρετῆς οὐκ ἂν ποτε γένοιτο δημιουργός: ἐθελοντὰ γὰρ καὶ οὐκ ἀνάγκης, τὰ καλά: *Violentia enim, & metus minister non est capessendæ virtutis: voluntaria enim, & non necessitate expressa honesta sunt.*

Causidici vnde absint.

5. VETERISQVE DEI SE MORE TENENTEM. Proculdubio ab Hesiod. ἐν ἔργ. vbi loquens de ætate aurea Saturni.
ὥστε θεοὶ δ' ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες:
Viuebant vti Dij habentes animum securum.

Ita iam constat sententia Virgilij. Erius inter nos tuti, & securi, vt nos sumus, atque adeò *ne fugite hospitium*, non sumus vt Barbari, inhospitales, apud quos nemo tutus, omnia apud nos pacata sunt.

Barbarorum nota.

6. FAMA EST OBSCVRIOR ANNIS.] Scaliger ita explicat. *Haud ita multi sunt anni, sed fama peruagata non est.* Est hoc quod Ouidius dixit 6. Fast.
Vnde datas habeat vires obscurior æuo
Fama. ———

Fama obscurior annis, quid.

7. ARVNCOS.] Fuerunt hi populi antiquissimi Italiæ. Non negligenda hic Seruij Nota, fuisse apud veteres hoc historiæ genus, vt maiores natu antea-cta posteris indicarent, vt videlicet facta nullo alio instrumento tantùm cognitioni traderentur mortalium. Probat ex Lucano, qui de Antæo loquens,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Apud Ouid. Eleg. 2. lib. 2. de Pont. senex quidam narrat successum Orestis, ac Pyladæ, vti ab aliis audierat. Circa scribendi rationem video in antiquis legi *Auruncos*, non *Aruncos*. Dionysius quoque, & Tzetzes Αὐρύγκους nominant.

Arunci.

Historię cuiusdā ratio.

8. HIS ORTVS VT AGRIS DARDANVS.] De hac historia fusè iam alibi.

9. THREICIAMQVE SAMON, &c.] Fuit duplex Samos, alia Thraciæ, alia Ionica. Hanc alteram Iunonis patrocinio insignem fuisse, certum est, de qua capiendus Noster lib. 1. Æneid. Imò tertiam Samon

Samos triplex.

A ad Zacynthum Abrahamus constituit, quæ olim Same dicta, & nunc Zephalenia. Omitto, & loquor de prima illa, de qua hîc Vates. Adiacet illa Thraciæ, & dicta Samothracia ab adeuntibus in eam Thracibus; itaque mista ab Samiis, & Thracib. Sic nostra Celtiberia ab mistis Celtis, & Iberis. In hanc insulã Dardanus ex Italia fugiens commigrauit, quod scribit Dionys. lib. 1. Antiq. fortasse quia *portuosissima omnium* eius maris; verba sunt Plinij cap. 12. lib. 4. Inde olim dicta quoque Dardania, vt ibidem ex Callimacho scribit Plinius. Inde (addit Dionys.) pulsus Dardanus ob sterilitatem soli, ad Phrygiam venit, vbi postea Troia. In hanc insulam sacra sua, & my-

Samothracia.

Celtiberia.

B steria ex Italia portauit Dardanus, & inde Troiam, quæ deinde in Italiam post tot sæcula Æneas reportauit. De his sacris Suidas. ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἐτελοῦντο τελεταῖς. Quæ essent hæc sacra, postea explicat addens. ἦν δὲ ἐκεῖνα, τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης, *videlicet mysteria Corybantum, & Ecata.* Plinius c. 5. lib. 36. vocat ceremonias Samothraciæ *sanctissimas.* Ex hoc excursu capies verba Taciti lib. 2. Ann. ita loquentis de Germanico: *Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem, aliaq;, quæ ibi varietate fortunæ, & origine nostri veneranda, obuij Aquilones depulêre.* Ita legit Lipsius hunc locum. vbi verba illa *origine nostri veneranda*, dicta sunt propter Dardanum, qui sacra Italiæ in Samothraciam tulit. Inde etiam Varro loquens de Diis Magnis, atque illis, qui dicti

Samothracum sacra.

C Diui Potes, qui culti in Samothracia, ait, *quos augurum libri scriptos habent.* Non certè aliunde libri Romanorum augurum retinerent hanc memoriam, quàm repetito initio ad Dardanum. Sed & Samothraciam dictam quoque Imbrasiam ab Imbraso flumine, iam Scalig. in Coniectan. notauit. Formam vocis (ne hoc omittam) certum est esse Græcorum. His enim Thraces dicuntur non solùm Θρᾷκες, sed etiam Θρήικες. Sic libro primo Epigram. Θρήικας ἀσπιστῆρας.

Dij Magni. Diui Potes.

Imbrasia, quæ.

10. CORITI TYRRHENA AB SEDE.] Id est, Corito, locutione poëtica. Ita Catullus, *à sede Pisauri hospes*, pro, Pisauro. De Corito oppido iam ego lib. 3. Æneid. ad illud, *Corithum, terrasq; requirat Ausonias.*

Coritus.

D Quæ illic desunt, non enim volui ad vnguem fabulas ibi resecare, petenda ex his, quæ in hunc locum Seruius. Sed hîc ego ad aliud contendo. Feruntur hac gloria superbi fuisse Tyrrheni, vt ipsi indigenæ essent, & αὐτόχθονες, potiúsque aliis gentibus gloriam dederint sua transmigratione, quàm acceperint. Marsylius Lesbius lib. de origine Italiæ. *Tyrrheni rident se ab aliquo aduena denominatos, quo se solos indigenas in Italia existimant.* Huius rei argumentum infrà à consensu Romanorum: *Ipsi Romani fatentur Etruscos esse vetustissimos, & aureo sæculo natos, à quibus aras, ritus, diuinationes, colonias, & disciplinas habuerit prisca Italia.* Mitto argumenta alia, quæ profert, quibus ipse pro Tyrrhenis stat, & oppugnat validè eam sententiam, quæ ait Tyrrhenos à Lydis, & Atte originem

Tyrrheni αὐτόχθονες

E ducere. Vide quæ ego copiosiùs lib. 1. Æneid. ad illud,
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Vbi indicata aliqua contra Tyrrhenos pro Lydis, & Atte. Certè Virgilius hîc, & vbicunque meminit Dardani, videtur stare pro Tyrrhenis, cùm dicat ab his fuisse Troianam originem, & nunquam in ore assumit aliquid Lydorum, aut Arcadum. Cato quoque in lib. originum, statim initio: *Græci tam impudenti iactantia iam effunduntur, vt quoniam his dudum nemo responderit, ideo liberè à se ortam Italiam, & eandem spuriam, & spurcam, atque nouitiam, nullo certe auctore,*

aut ratione, sed per solam insaniam fabulentur. Et post pauca: *Italiæ splendidissima origo fuit, cùm tempore, tum origine gentis. Cœpit enim aureo sæculo sub Principibus Diis Iano, Camese, Saturno.* Et statim: *Post inundationem terrarũ per orbem prima colonias misit.* Ex his coloniis vna, & maxima Troiana ab Dardano, de qua hoc loco Poëta. Demum ait Cato, Italiam verè fuisse Scytharum coloniam, non Græcorum. Mauult videlicet Barbaros ad suam originem, quàm Græcos, propter horum odium.

Italia Scytharum colonia.

11. SELLANTIS REGIA COELI.] Fallor? an hîc per *cælum stellatum* intelligit lacteum circulum? Reliquum cœlum dici potest stelliferum, & stelligerum: lacteus tamen circulus omnino stellatus, aut stellans, quasi totum ex stellis constans, nulla fere alia materia. Quod Manil. lib. 1. dixit loquens de hoc circulo, *densa stellarum turba corona &, crasso lumine candet.* Hoc si est (in quod vehementer inclino) illustrabitur hic locus his, quæ iam ego Eclog. 5. ad illud,

Lacteus circulus.

Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Vbi ex doctrina Gentilium firmaui, animas Heroum eam cœli partem incolere. Et eandem, credo, intelligit Maximus Philosoph. dissert. 28. vbi loquens de anima deserente corpus, & abeunte in cœlum, opponit ἀχλυώδει καὶ ταραττομένῳ τῷ ἀέρι σταθερὸν αἰθέρα, *caliginoso & confuso aëri ætherem immutabilem.* Ceterùm, quod Virg. *stellans cælum*, idem Philosoph. dissert. 38. οὐρανὸν πεποικιλμένον ab pictura stellarum. Et Manil. lib. 1. pari sententia cum Nostro, etiamsi de re alia:

Sellans cœlum.

Summáque complexus stellantis culmina cæli.

12. NVMERVM DIVORVM ALTARIBVS AVGET.] Arnob. lib. 1. *Diuorum retulistis in cœtum.*

[a] Rex genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris,
Nec sydus regione viæ, littúsve fefellit:
[b] Consilio hanc omnes, animísque volentibus vrbem
Afferimur, pulsi Regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
[c] Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
Gaudet auo: Rex ipse Iouis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit.
[d] Quanta per Idæos sæuis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus vterque
Europæ, atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
[e] Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submouet Oceano; & si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluuio ex illo tot vasta per æquora vecti,
[f] Diis sedem exiguam patriis, littúsque rogamus
Innocuum, & cunctis vndámque aurámque patentem.
[g] Non erimus Regno indecores, nec vestra feretur
Fama leuis, tantíque abolescet gratia facti,
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
[h] Fata per Æneæ iuro, dextrámque potentem
Siue fide, seu quis bello est expertus, & armis,
Multi nos populi, multæ (ne temne, quòd vltrò
Præferimus manibus vittas, & verba precantum)
Et petiêre sibi, & voluêre adiungere gentes.
[i] Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis: hinc Dardanus ortus,
Huc repetit, iussísque ingentibus vrget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada sacra Numici.
[k] Dat tibi præterea fortunæ parua prioris
Munera, relliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Piami gestamen erat, cùm iura vocatis
More daret populis, sceptúmque, sacerq; tiaras,
Iliadúmque labor vestes.

ARGV

ARGVMENTVM.

Reddit causam Ilioneus, cur illuc appulsi Troiani, explicat originem eius gentis, bella cum Græcis, errores post bella. Commendat suos, aperitque qua fati necessitate ducantur, offert munera Æneæ nomine.

EXPLICATIO.

a INcipit à commendatione Latini, laudans à patre Fauno. Quæsierat Latinus an decepti viarum errore, an coacti tempestatibus illuc Troiani appulissent: neutrum (inquit Ilioneus) neque enim tempestas nos coëgit, neque decepit viarum error.

b Appulimus huc nostris animis, tua hæc Regna volentes petiuimus nostris expulsi, quæ olim florentissima, atque ita magna, vt statim Sol primo ipso ortu illa intueretur.

c Ab Ioue principium generis, quia Dardanus filius fuit Iouis, & Electræ. Hinc *pubes Dardana*, id est, Troiani habent Iouem auum. Inde etiam factum, vt Æneas, qui nos ad te misit, sit *de gente suprema Iouis*, quia Troianus, & ortum ducens à Dardano. Et notes, corrigi tacitè Latinum ab Ilioneo. Ille initium Troianorum ab Dardano petiuerat, hic ab Ioue repetit.

d Rogauerat Latinus caussam viæ. Accipe, ait Legatus. Quis est, qui ignoret bellum Græcorum contra Troianos? quis nescit cladem illam, quæ instar diluuij ab Europa, vbi est Græcia, in Asiam, vbi est Troia, sæuissimè permanauit, vrgentibus ad tam dirum bellum fatis? *Actus obis*, est, collisus.

e Nemo profectò hoc ignorat, etiam illi, qui habitant vltra Oceanum, qua se ille refundit latè: etiam illi, qui degunt sub ardentissima Zona, quæ sita in medio aliarum quatuor, Solem habet iniquum, id est, feruentem, & intemperantem. Ita verò hoc dicit, vt dubitet an his locis sit gens aliqua.

f Ergo post bellum illud, & post tot maria permensa, sedem petimus, vbi sint Dij nostri; littus aliquod, vbi aliqua ciuitas: demum id, quod negari nequit ex iure gentium omnium, videlicet aquam, & aërem. Ita satisfacit illis, *Quid petitis?*

g Nihil à nobis indecorum timete. Fama vestra maxima erit, gratiæ nostræ erga vos æternæ. Non pigebit vos excepisse Troianos hospites.

h Adiurat per dextram Æneæ seu pace fidam, seu bello acrem, se à multis populis expetitos, volentibus affinitatem, & amicitiam cum Troianis contrahere.

i Aperit iam clarius illud de fatis, quod tantùm attigerat. Fata nos cogunt in hanc terram; nam Dardanus, qui auctor nostri generis, cogitur ab Apolline huc reddire, quia hinc egressus est in Asiam. Illud, *huc repetit*, est, in hanc nos terram Dardanus reuocat, & quasi vindicat. Ita explicat Turn.

k Offert demum Æneæ munera, videlicet aureum poculum, ornamentum capitis, sceptrum, tiaram, vestes pretiosissimas. Commendat omnia ab Anchise, à Priamo, à Troianis feminis.

NOTÆ.

Genus pro filio.

1. GENVS.] Notetur locutio poëtica pro filio; nam Latinus filius fuit Fauni. Sic de Circe lib. 4. Tibull. *Solis genus* & infrà in hoc lib. de Ænea, *egregium Veneris genus*; & in 6.

Hic genus antiquum Terræ, Titania pubes.

Atricies maris ab asperitate.

2. ATRA.] Non dubium, quin hæc vox explicetur his, quæ dicta sunt lib. 5. de atris fluctibus, & quæ alibi de asperitate maris. nam atricies vndarum tota est ab asperitate. Hîc est *hyems*, tempestas. Auson. in Epig.

———*Insanum quamuis hyemet mare.*

Hyems pro tempestate.

Quod Pers. Sat. 6. flexu alio, *hybernatque meum mare.*

3. VESTRIS SVCCEDERE TERRIS.] Nam suprà, *fluuio succedis opaco.*

Via excedere, declinare, deflectere.

4. LITTVSVE FEFELLIT.] Respicit illud, *siue errore viæ*. In 2. dixit hoc flexu: *nota excedo regione viarum.* Et Lucret. lib. 1. *recta regione viai declinare.* Cicer. 5. in Verr. *de recta regione deflectere.* Coniunxerunt alij.

5. ANIMIS VOLENTIBVS AFFERIMVR.] Huc spectat gnome illa: *Æquum est ad eum venire, à quo ipse quid velis.* Lege Gruterum.

Extremum de primo, & vltimo.

6. EXTREMO.] Cùm hîc signet Orientem, quadrat in hunc locum Nota superiùs adducta ad illud, *tu sanguinis vltimus auctor.* Itaque *extremum* dicetur & de primo, & de vltimo: atque adeò extremus Olympus erit, Oriens, & Occasus.

Sol ad terminos Imperiorum.

7. SOL ASPICIEBAT.] Vsitatum Poëtis, aliis etiam ad explicandam magnitudinem Imperij alicuius recurrere ad cursum Solis. Dionys. lib. 1. loquens de magnitudine Romæ: ἀνατολὰς, καὶ δύσεις ὅρους ποιησάμενοι τῆς δυναστείας: *Terminauit Ortu, & Occasu fines Imperij sui.* Petron.

Quà mare, quà terræ, quà sydus currit vtrunque.

Huius rei testimonia coniunxi plurima lib. 6. loquens de Romano Imperio.

8. DE GENTE SVPREMA.] Ennius 5. Ann. *de stirpe suprema.*

Tempestas de terrestri, & de maritima.

9. TEMPESTAS.] Notat commodè Germ. *tempestatem* peræquè dici de terra, & de mari. Nam I.C. l. non exigimus. ff. Si quis cautionib. *Quod diximus ei succurri, etiam ei qui tempestate, aut vi fluminis prohibitus non venit: tempestatem intelligere debemus, siue marina, siue terrestris sit: tempestatémque intelligere debemus talem, quæ impedimento sit itineri, vel nauigationi.* Deinde Plinium aduocat. Itaque hoc loco respectum est ad tempestatem terrestrem. Ita & Claudianum explico de Bel. Get. qui cum respectu ad tempestatem terrestrem.

At verò Italiam quoties circumstetit atrox
Tempestas, ipsumque caput læsura pependit.

Vterque Sol.

10. VTERQVE.] Tale illud Georg. *vtroque ab littore.* Tale, *vterque Sol, vtraque domus cæli*, & similia.

Orbis de mundi partibus.

11. ORBIS.] Sumit pro mundi partibus. Ita tres orbes mundi, erunt tres partes mundi. Propert. Eleg. 16. lib. 2. pro Africa posuit loquens enim de Antonio fugiente in Africam post bellum Actiacum, *extremo quærere in orbe fugam.* Ita Ouid. lib. 5. Fast.

Seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset.

Id est, ab Asia: nam statim Europam signat,

Seu quis ab Occiduo Sole domandus erit.

Idem in epist. Laodomiæ ad Protesil.

Dum tamen arma geris diuerso miles in orbe.

Diuersus de orbis partibus.

Ipsa erat in Europa. vbi *diuersum orbem* sumit pro Asia. Notes ab Ouidio *diuersum* dici ad signandam Asiam, atque Europam, quod idem animaduerti in Tullio pro Lege Man. vbi loquens de Europa, atque Asia dicit, *in locis disiunctissimis, maximéque diuersis.* Cùm Plin. dixit cap. 3. lib. 8. *Cetera in nostro orbe cessere lucusta*, Europam intellexit.

Auditum.

12. AVDIIT.] Tale quid Horatius ad significandam magnitudinem cladis.

———*auditumq́; Medis*
Hesperiæ sonitum ruinæ.

Statius lib. 1. Theb.

N ... & Arctois si quis de Solibus horret.

Prudent. Apoth.

Nunc & Atlantis pridem plaga perfida Mauri.

Est vero hoc, quod Propertius dixit Eleg.10.lib.2.

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris, &c.

Refusus Oceanus. 13. REFVSO.] *Refusum Oceanum* explicat Turn. refluum, refluentem; vt Homer. ἀψόρροον, ἀψορρόου. Ego capio longè, & latè diffusum, atque extentum, ad eum modum, quo Seneca ad Martiam: *Littora in portum recedentia.* & Seneca alter in Thyeste:

In multa diues spatia discedit domus.

Quibus nihil aliud, quàm magnitudo explicatur.

Sūmotum. Diremptū. Diuisum. 14. SVMMOVET,&c.] Id est, si quis procul habitat. Est hoc quod statim, *si quem diremit plaga Solis:* & quod de Britannis, *toto diuisos orbe.* Itaque *summoueo, dirimo, diuido,* in Poëta idem sunt. Propert. Eleg. 10.lib.4.dixit:

Quæ se summota vindicat ara casa.

Obserua obiter idem dictum à Propert. hoc versu, quod à Virg.in 9.de spelunca.

——imta lacu nigro nemorúmque recessu.

Sol iniquus de Zona ardente. 15. SOLIS INIQVI.] Putabant videlicet veteres Zonam quintam, & mediam esse inhabitabilem propter immoderatum calorem. Hanc partem cœli Poëta per *iniquum Solem*, per *mediam plagam* signat. Seneca in Oet.ita:

Et omnis ardens ora, quam torret dies.

Lucan.

Quáque dies medius flagrantibus æstuat horis.

Aduerti locum T. Calpurnij, vbi constituens quatuor mundi partes, postremò recurrit ad mediam Zonam, sic enim ait 1.Eclog.

——quæcunque Notum gens ima iacentem,
Erectúmque colit Borean: quæcunque vel Ortu,
Vel patet Occasu, medióve sub æthere feruit.

Diluuiū de belli clade. Thesaurus malorum. 16. DILVVIO.] Hanc locutionem ad catachresin possit aliquis referre. Itaque, quemadmodum ad significandam copiam mali dixit Eurip. ... θησαυρὸς, & Plaut. Mercat. *thesaurum mali*; pari energia multitudinem malorum, quæ accepta in bello, dicces diluuium. Non hinc abeunt *tempestas* & *imber telorum*, quæ sunt apud Poëtam. Neque Scriptores tam Græci, quàm Latini, qui sæpissimè hostilem exercitum omnia proterentem, ac vastantem comparant cum torrente. Cedr. pag. 478. de exercitu Barbarorum, ὥσπερ τις λαῖλαψ, *instar procellæ.* Herodot. lib.8. etiam de exercitu, νέφεα ἀνθρώπων, *nubes* Nubes hominum. *hominum.* Vide, quæ dicam lib.11. vbi bellum *tempestas* dicitur.

17. LITTVSQVE ROGAMVS.] Alludit ad partem illam Italiæ littoriosam, ad quam primò Troiani appulsi. Vide quæ iam libro primo ad illud, *Lauinaque venit littora.* Potest etiam locus capi simpliciter.

Aër cōmunis est. 18. CVNCTIS VNDAMQVE AVRAMQVE PATENTEM.] Ita verè est. Iustinian. lib.2.Instit.tit.1.de rerum diuisione. *Et quidem naturali iure communia sunt omnia hæc, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur.* Calaber etiam lib.1.dixit,

ξυνὸν δ' αὖ πάντεσσι φάος κ' ῥηΐτυτος ἀήρ:

Lux communis est. Aqua communis est. *Communis est lux omnibus, & multifluus aër.*

Ouid.6.Metamorph.

Quid prohibetis aquas? vsus communis aquarum est.

Inde grauis illa querela eiusdem Ilionei lib.1 *hospitio prohibemur arenæ.* Quid autem Poëta velit per *auram patentem*, facile est: quid per *vndam patentem*, non ita facile. Puto illum velle significare profluentem vn- A dam. Nam Iustinian. in adducto testimonio, *aër, aqua profluens*: & Tullius lib.1.Officiorum in iustitiæ præceptis numerat (notauit hoc Germ.) non prohibere aqua profluente. Itaque aqua parens Virgilij, & Patēs aqua, i. profluens. aqua profluens iuris, eadem est. Sed quid tandem aqua profluens? Ait Horomanus aquam profluen- Profluens aqua, quæ. tem dici ad discrimen illorum fontium, qui priuati sunt, & proprij: ad discrimen etiam stagnorum, quæ conclusa in domibus. Cicer. 2.Nat. *Nam vt profluens amnis, aut vix, aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur,* &c. Itaque *patentem* vocat, quæ parabilis facilè, & vilis pretij, vt loquitur Plato in Euthyd.his Aqua vilis. verbis. τὸ γὰρ σπάνιον, ὦ Εὐθύδημε, τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος: *Rarum enim, ô Euthydime, pretiosum, aqua tamen vilissimi est pretij, quamuis optima, vt ait Pindarus* B Ab Horatio etiam Sat.5.lib.1. aqua dicitur *vilissima rerum*: à quo Propertius eandem *vilem* vocauit Elegia 15.lib.3.

Eleuo. 19. NEC VESTRA FERETVR FAMA LEVIS.] Allusum ad verbum *eleuo*, notæ significationis.

* 20. TROIAM.] Pro Troianis, vt, *Ilium in Italiam portans.* Vide.

Iuramentū per fata. 21. FATA PER ÆNEÆ IVRO.] Ita Prop. Eleg.7. lib.4.

Iuro ego fatorum nulli reuocabile carmen.

Religio in dextris. 22. DEXTRAMQVE.] In dextris esse religionem iam Plinius scripsit cap.45.lib.11. inde iusiurandum per illam. Cicer. 11.in Anton. *Dextræ, quæ fidei testes esse solebant, perfidia sunt & scelere violatæ.* Certè per omnes partes corporis solita veteribus iuramenta concipi, vt per caput, capillos, oculos, manus, facilè probari potuisset, & impleri aliquot paginæ. C

Dextra manus. 23. SIVE FIDE, SEV QVIS BELLO EST EXPERTVS ET ARMIS.] Vides in hoc versu dextram & fide bonam, & bello acrem. Non ab hoc dissimiles locos Poëtarum Passerat. aduocat in Propert. vbi vni eidemque manui diuersa attribuuntur. Ita Lucanus ad Pisones:

Pocula sume ea, qua gessit fulmina, dextra.

Ouid.4.Trist.El.g..

Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.

Claudian.

——& sensit in vno
Letalem placidamque manum.——

Propert.lib.2.

Illa, quæ vicit, condidit arma, manu
D Et, *——qua cuspide vulnus*
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Plaut. Pseud.

Manu salutem mittunt beneuolentibus,
Eadem malam rem mittunt maleuolentibus.

Non puduit viri docti operam transcribere, & in lectione Poëtarum præ mortalibus versatissimi. Vtinam aliorum auctorū lucubrationes adiunxisset. Vt verò dextra Æneæ dicitur potēs & ferro, & fide: ita Tullius in Orat. pro Deiot. vocat Iulij *dextram, non tam in bellis, & in prœliis, quàm in promissis, & fide firmiorem.* Et Propertius Eleg.21.lib.3.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes.

Sed quidem Virgilium aspirasse ad versus Homeri- E corum Iliad.2.videtur certum. Ait hic:

Ω πόποι ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργε,
Βουλάς τ' ἐξάρχων ἀγαθὰς, πόλεμόν τε κορύσσων:

O Dij certè infinita bona Vlysses fecit,
Consilia incipiens præclara, bellúmque instruens.

Velamenta supplicum. 24 PRÆFERIMVS MANIBVS VITTAS.] Respexit ad velamenta supplicum, & ad στεφάνων, atque etiam ad Homeri verba 1. Iliad. στέμματ' ἔχων ἐν χερσί. Ferebatur à supplicibus petentibus pacem ramus

mus oleæ in manibus, qui ramus obuolutus erat lana, & quibusdam vinculis, vt ita repræsentaretur ergo vinctorum. Hanc lanam vocat hîc Poëta *vittas*. Inde factum, vt ἱκετηρία, quæ Græcis est, supplicatio, sit etiam, vt ait Commentator Aristophan. in Plut. κλάδος ἐλαίας ἐρίῳ περιπεπλεγμένος, *ramus oleæ lana obuolutus*. Itaque quoties in hunc sermonem incideris, intellige manus vinctas. Sic Virgilius ipse alibi eo versu:

Lana supplices vinciebantur.

Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Prætendo. Nam *prætendere* ad manum te ducit: quia in 8.

Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ.

Ita & Claud. 1. Eutrop.

——pro fronde Mineruæ
Has tibi protendo lacrymas.——

Statium quoque de manu cape 2. Theb.

——ramumque precantis oliuæ
Abiicit.——

Sed clarè idem lib. 12.

Ipse manu, ramósque oleæ, vittásque precantes
Tradit.——

Clarè etiam de manu Eurip. in Supl.

Τί γὰρ πρὸς ἡμᾶς ἦλθον ἱκεσίᾳ χερί;
Cur verò ad nos venerunt supplici manu?

Supplices manus. Sunt quippe supplices manus, quæ velamentis illigatæ. Et Ouid. 11. Metamorph. *velamenta manu prætendens supplice*. Et Heliod. lib. 9. Hist. Æthiop. nam de supplicibus ait, gestasse tanquam caduceos. Atqui caduceus insigne est manus, non capitis. Clarissime & Plaut. Amphit. *velatis manibus orant*. Æschyl. quoque ἐν ἱκετ. de hac re loquens clarè ait, Γ... ἱκεσίους κλάδους: quia hi rami gestarentur manibus. Iterum ait, ἐγχειριδίους... scilicet κλάδους. De manu etiam Liuius lib. 24. *Ramos oleæ, & velamenta alia supplicum porrigentes orare, vt reciperent sese*. Nam *porrigere* dicitur de velamentis quæ in manu. Ac proinde cùm idem scribit lib. 36. *Consciæ defectionis ciuitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur*, de manu loquetur, vt sibi consonet. Ab hac lana, aut velamento vocat Æschylus in Supplicib. ramos ipsos ἐριοστέπτους, & λευκοστεφεῖς. Qui rami Euripidi dicuntur ἱκέσιοι κλάδοι, *rami supplices*, vt ab Statio lib. 11. *& supplicis arbor oliuæ*. Verba etiam hæc Taciti lib. 9. Annal. *Velamenta, & infulas pro muris ostentant*, capienda de manu. Nam verba hæc Arnobij lib. 5. *velut quasdam infulas eliciendæ miserationis efferentem*; de manu accipit Heraldus, & reprehendit eos, qui versum Homericum στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν, explicant *coronas*, cùm debeant *velamenta*, aut *vittas*. Nam in Gloss. *velamentum* στέμμα. Et quidem Ouidius optimus Homeri interpres, qui in libris Artis.

Velatæ manus.

Rami supplices.

Vittæ supplicum.

Audierat laurumq; manu, vittásque ferentem,
Pro nata Chrysen non valuisse sua.

Adduco & ego locum Eurip. in Supplicib. pro eodem more, vbi ita loquitur Theseus.

Ἀλλ' ὦ γεραιά, σῖγ' ἀφαιροῦντι στέφη
Μητρὸς, πρὸς οἴκους ὡς νιν ἀγ' ἰοὺς ἄγω
Φίλην προσάψας χεῖρα.
Sed o anus auferte sacra velamenta
A matre, vt eam ducam ad domum Ægei
Attingens charam manum.

Quasi manus attingi nequiret præ illigatione. Et quidem in Euripide interpretes malè reddunt στέφη *coronas* cùm debeant *velamenta*, aut *vittas*. Ego non dubito, quin qui loquuntur de hoc more, & hi sunt infiniti, capiendi sint de velamentis in manu. Ita accipe tria loca Dionys. lib. 1. & 3. & 6. in 7. Pelasgi, in 3. Nomentani, in 6. Latini inducuntur supplices, & cum ramis oleæ obuoluti. Firmo hæc multis; nam video multos pertinaciter contendere, hæc velamenta gestata in capitibus. Fortasse, quia aliquando incurrunt in nomen *coronæ* quæ propria est capitis. Audiant isti verba Scholiastæ Eurip. in Orest. νομίζειν οἱ παλαιοὶ ὅτι ἱκετεύοντες τοὺς ἱκετευομένους, εἰ... στέφανον ἐκ φύλλων ἢ δάφνης, ἢ ἐλαίας: *Mos fuit apud veteres, vt supplicaturi maiores ferrent in manibus coronam, aut lauri, aut oliuæ*. Ego redderé *velamenta aut lauri aut oliuæ*. Itaq; etiamsi στέφανον audias, id est, *coronam*, recurre ad *manus*: nam Scholiastes φέρειν ἐν χερσὶν στέφανον dixit, *ferre coronam in manibus*. Quæ verba præeunt, vt simili modo interpreter verba Scholiastæ Sophoc. in Oedip. Tyran. vbi ait. ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐστεφανωμένους πρὸς ἱκετείας χωρεῖν, ἵνα αἰδέσιμοι φαίνοιντο τοῖς ἱκετευομένοις: *Moris erat veteribus coronatos venire ad supplicationem, vt venerabiliores viderentur his, quibus supplicabant*. vbi ἐστεφανωμένους explico *velatos*, & capio de manibus: nec facilè cedam. Ita & Appianum in Hispanicis. οἱ πρεσβύτεροι στεφανηφόροι, καὶ φέροντες ἱκετηρίας τὸν Λεύκολλον ἠρώτων: *Seniores coronarij, & ferentes ramos oleæ à Lucullo quærebant*. Et quamuis Tertull. de corona dicat: *Erant enim supplices coronarij apud veteres*, non capio de corona in capitibus, sed de velamentis in manu, quæ tamen *coronæ* nomine extulit, vt Græci quoque στέφανον dixerunt eadem velamenta. Nec me mouent testimonia Taciti, Liuij, & aliorum, qui in re simili meminêre infularum. Nam per *infulas* etiam capio velamenta manuum. Certè mirum esset infulas supplicibus poni in capite, & tamen à nemine eorum, qui huius moris meminêre, & hi sunt infiniti, fieri mentionem capitis, sed & ratio rem conuincit: est enim aptius, vt supplices ligatis accedant manibus, quàm coronatis capitibus. Porrò mores quosdam affines his velamentis expediam lib. 11. vbi par locus.

Olea supplicum.

Infulæ de velamentis manuum.

25. SED NOS FATA.] Horum insignis mentio in his libris. In 4.

——satisque datas non respicit vrbes.

In 8.

Sed mea me virtus, & sancta oracula Diuûm.

In 2. Creusa:

Ad terram Hesperiam venies, &c.——

In 3.

——antiquam exquirite matrem.

Inde in 4. arua Italiæ dicuntur fatalia. Nihil demum crebrius in tota Æneide. Liuius etiam lib. 1. ait, Æneam fuisse profugum, *fatis ducentibus*.

Fatalia arua.

26. TYRRHENVM AD TYBRIM.] Cur Tyrrhenum? An quia ab Hetruria Latium dirimit? An quia Seruius putat referendum hoc nomen ad Tybrim Regem Hetruscorum? Scribit enim hunc Regem Latium latrociniis infestantem, circa hunc fluuium occisum, à quo & nomen Alij aliter sentiunt de hoc nomine. Regem quidem huius nominis Virg. agnoscit in 8.

Tybris cur Tyrrhenus.

Tum Reges, asperque immani corpore Tybris.

De orthographia nominis varius quoque dissensus.

27. VADA SACRA NVMICI.] Infrà in hoc libro.

——sacrúmque Numici
Littus arant.——

Dicit hoc, vel generalem rationem sequutus; omnes enim fluuij sacri habebantur. Inde Plutarchus in Demosthene formam iuramenti hanc adhibet, μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμοὺς, μὰ νάματα: *per terram, per fontes, per fluuios, per latices*. Et Herodotus lib. 6. ait hostias immolatas à Cleomene fluuio Erasino. Verbum signatum, ἐσφαγιάζετο αὐτῷ. De cultu,

Numicus cur sacer.

Iuramentum per aquas.

quo Marſyas, & Mæandrus colebantur à Phrygibus A ſacris multa Maximus Tyrius diſſertat.38.Verba,quæ ad rem. θύουσι Φρύγες τοῖς ποταμοῖς, οἱ μὲν ἀμφοτέροις, οἱ δὲ τῷ Μαιάνδρῳ, οἱ δὲ τῷ Μαρσύᾳ: *Faciunt Phryges rem diuinam,alÿ vtrique ſimul,alÿ tantùm aut Mæandro,aut Marſyæ.* Iſmenus fluuius apud Statium lib.9.Theb.

Fluuiorum ſacra.

Ille ego clamatus ſacris vlulatibus amnis.

De Iliſſo Pauſ.Attic.ἱερόν;& Corint.ait,dicatum templum Cephiſſo amni.Eundem Cephiſſum Hom.δῖον, id eſt, *diuinum* vocat 2. Iliad. Secundò, vult fortaſſe Maro Italiæ præcipua flumina ornare hoc attributo, nam ſic etiam de Tybri:

Templa.

Tú que o Tybri tuo genitor cum flumine ſancto.

Tertiò,poteſt reſpicere conſuetudinem , quam Seruius aperit lib.12.Scribit enim Romanos vſos in ſa- B cris aqua Iuturnæ fontis,qui circa Numicium labitur.Demum poteſt reſpicere ſermonem, qui creberrimus in Italia de Ænea ibi ſubmerſo,& diuinitatem in illis vndis aſſecuto. Inde Tibullus lib. 2.loquens cum Ænea;

Iuturnæ aqua ſacra. Æneas in Numicium ſubmerſus.

Illic ſanctus eris,cùm te veneranda Numici
Vnda Deum cœlo miſerit indigetem.

Cauſas porrò , cur fluuij in religione haberentur, multas attingit complexu vnico Maximus Tyrius diſſertat. 38.adhibitis exemplis: *Eſt & ſuus fluuiis honos,ſed diuerſus. Aut enim vtilitatis ergo colunt eos homines, vt Nilum Ægyptÿ: aut pulchritudinis causâ, vt Peneum Theſſali: aut magnitudinis,vt Iſtrum Scythæ: aut ex tradita per manus fabula, vt Acheloum Ætoli: aut ex lege , vt Spartiatæ Eurotam: aut ex ſacro inſtituto,vt Iliſſum Athenienſes.* Obſerua mentionem Numicij nunquam à Poëta inferri niſi cum Tybri.Vides hîc,& infrà. C

Flúuij cur ſacri.

Qui ſaltus Tyberine tuos,ſacrúmque Numici
Littus amant.———

Et ſuprà:

———*hic fontis ſtagna Numici,*
Hic Tybrim fluuium,&c.———

28. Fortvnæ prioris.] Simile quid habet Tacit.lib.2.Ann.*Tranſgreſſus* (Maroboduus) *Danubium,quà Noricam prouinciam profluit,ſcripſit Tiberio,non vt profugus , aut ſupplex,ſed ex memoria prioris fortunæ. Nam multis nationibus clariſſimum quondam Regem ad ſe vocantibus,Romanam amicitiam prætuliſſe.* Diſſidet tamen affectus Virgilij; nam *parua munera* addit,quaſi D doleat parua reſtare ex tam magna fortuna.

Fortuna prior.

29. Troia ex ardente.] Commendat munera à difficultate.Itaque illuſtrabitur hic locus his, quæ dixi 2.Eclog.ad illud,*nec tuta valle reperti.*

30. Avro.] Propriè, & ſignatè ex Notis, quas iam dedi lib.1.& 3.Æneid.apud veteres enim *auri*,& *argenti* nomine vaſa menſarum intelligebantur. Itaque non tam ſtuduit,vt materiam poneret pro toto compoſito, quàm vt vſum veterum indicaret. Hoc vas ἄλεισον dictũ notat Germ.Nam Homer. Odyſſ.4.

Aurum menſarum.

Vas ἄλεισον

Δώσω καλὸν ἄλεισον,ἵνα σπένδῃσθα θεοῖσι:
Dabo pulchrum poculum,vt libes Diis.

Iuuant Notam Germani verba Pollucis lib. 6. cap. 16. τὸ δὲ ἄλεισον τὸ Ὁμηρικὸν, μέγα ἦν ἔκπωμα,κληθὲν ἐκ τῆ ἄλις πίνειν ὡς ἡ ἄμυστις: *Homericum magnum poculum erat, à copiose bibendo dictum , ſicut & amyſtis.* Quî (dices) iuuant? Rectè (inquam) nam in libationibus Deorum,quæ fiebant ad finem menſæ, capacioribus poculis vtebantur antiqui.Itaque ad ἄλεισον refero poculum illud, quo Dido libat ad finem lib. 1. Æneid.quódque dat Bitiæ, quo loci amyſtida inuenies, cuius & Pollux meminit. Amyſtides enim in libationibus Deorum frequentiſſimæ. Sed & ἄλεισον fortaſſe intellexit Plutar.in Catone Maiore , vbi loquens de frugalitate huius viri,ait,illum contentum E

Amyſtis.

fuiſſe,cùm peragrabat oppida,vno tantum miniſtro, qui ferret *aureã* ... *, vt ad rem ſacram.*

31. Gestamen. Ad diadema clarè refert Seruius. & Iunius indicat; nam in in definitione diadematis inter verba alia,adhibet *Regum geſtamen* , quaſi arripiens verba Virgilij, & mentem Seruij interpretantis.Et quidem verbum *geſto* tam de ſceptro , quàm de diademate dixit Statius lib.12.Theb.

Geſtamen diadema.

Accipe & hoc regimen dextræ,frontiſque ſuperbæ
Vincula, quæ patri nimiùm geſtanda dediſti.

Hoc mihi placitum,neque moror illos, qui de veſte capiunt Virgilium ducti hoc argumento; nam ſi tiara datur capiti quid (aiunt) opus dari diadema? Hoc (inquam) nihil eſt.Nam notum, Reges Perſarum & diadema, & tiaram ſimul geſtaſſe. Diadema enim fronti prætendebatur, tiara geſtabatur in capite vt pileus. Quæ dixi de diademate in fronte, probat Seneca vocans illud in Thyeſte *Regiæ frontis notam*; & in eadem Tragœdia: *Ille qui donat diadema fronti.* Et Plutarch.in Coriol.vbi ait,cuidam Metellorum datum nomen Diademati, ὅτι πολὺν χρόνον ἕλκος ἔχων περιιών ἐπιδέδεμένος τὸ μέτωπον: *quòd diu in publico verſaretur fronte, in qua vlcus habebat,obligata.* Quæ de tiara in capite, probant omnia veterum monumenta, præſertim hiſtoriæ Perſarum , apud quos in vſu fuit,vt vnus Rex illam rectam geſtaret,reliqui inclinatam.Clarè Xenophon.2.Anabaſ. τὴν μὲν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. Suidas.Τιάρα κόσμος ἐπικεφάλαιος,ὃν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὸν ἐφόρουν Πέρσαι.οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένον. *Tiara ornamentum capitis,quam Reges ſolum Perſarum rectam geſtabant,duces autem inclinatam.* Adeat Briſſonium,qui multa de hac re volet. Sed ego ad rem. Malè excludunt à Poëta diadema,qui tiaram dicunt ſeruire tegumento capitis. Nam nemo dicet illud non geſtatum à Regibus Perſarum , & clarè fatebitur iſtam eorundem eſſe: nam quis aſſerat,niſi ſtupidus,ademptum illud,dum hæc geſtaretur, aut contrà. Et de re vtraque ſimul geſtata clarum eſt teſtimonium Curtij lib.3. *Cidarin Perſæ Regium capitis vocabant inſigne: hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat.* Vbi verba illa, *Cidarin Perſæ Regium capitis vocabant inſigne*, tiaram notant (quippe *citarin,cidarin,cauſiam,pileum,cyrbaſiam,tiaram*, rem eſſe candem,nomina tantùm diuerſa, iam Briſſonius aſtruxit,atque etiam Carol.Paſchal.lib.10.Coron.per aliquot capita) illa autem,*hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat*,diadema.Et Xenophon clarè lib.8.παιδ. loquens de Cyro,εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ: *Habebat diadema vnà cum tiara.* Lucianus etiam variis in locis,& Plutarch.περὶ φιλαδελφίας diadema cum tiara ſociat. Et in Antonio ait,cauſiam redimitam fuiſſe diademate,verba eius. καυσίᾳ διαδηματοφόρῳ. Dio etiã Chryſoſt.orat.14.ait,Perſas circumdare ſuis Regibus tiaram , & diadema. Vbi apertè diſcriminat. Dicamus ergo diadema ad frontem,ſceptrum ad manum, tiaram ad caput oblata Latino ab Ænea , quibus inſignibus Priamus vtebatur cùm daret iura.Nam cur prætermitteret diadema,quod vnicum Regum inſigne? Ioan. Chryſoſt. orat.5. contra Iudæos, cùm velit explicare inſignia,quæ Regem conſtituunt, tantùm meminit διαδήματος.καὶ πορφυρίδος.*diadematis, & purpuræ*: & Artemid.lib.2.cap.3.definiens quid ſit βασιλικὴ σκευὴ, *Regius ornatus*, ait, τουτέστι, διάδημα, καὶ σκῆπτρον,καὶ πορφυρίς, *hoc eſt , diadema , & ſceptrum, & purpura.* Porrò illud,quod attuli ex Briſſonio, & Paſchalio, idem eſſe *citarin,cidarin,cauſiam,pileum,cyrbaſiam, tiaram*,vocari in dubium poſſit. Nam Plutarch. in Ant.ait,Alexandrum Antonij ipſius,& Cleopatræ filium geſtaſſe τιάραν, καὶ κίτταριν ὀρθὴν, non dicturus ſi res

Diadema in fronte.

Tiara in capite.

Recta, & inclinata.

Cidaris.

Cauſias. Pileus. Cyrbaſia.

Diadema ſimul & tiara.

Regius ornatus

sit res eadem. Quod magnum contra illos telum.

Ius dicere. 33. IVRA DARET.] Discrimen inter *ius dicere*, & *dare*, iam alibi à me; illud enim ad Magistratum pertinuit, qui iurisdictioni præerat, eaque complectitur, quæ Vlpianus exprimit in l.1.ff. de iurisd. omn. iudic. Testantur id clarissimi I.C. Paulus, & Pomponius. ille in l. pæn. ff. de iust. & iure, ibi. *Vt vbicunque Prætor salua maiestate imperij sui, saluòque more maiorum, ius dicere constituit*: hic in l. 2. §. post originem de orig. iur. ibi. *Consequens est, vt de Magistratuum nominibus, & origine cognoscamus, quia vt exposcimus, per eos, qui iuri dicundo præsunt, effectus rei accipitur.* Atque etiam Vlpian. in l. pridie Kalend. ff. de Ferijs, ibi *Pridie kalendas Ianuarias Magistratus, nec ius dicere, sed nec sui potestatem facere consueuerunt.* Lege etiam de hac re Iacobum Menoch. lib. 1. de arbitrar. q. 2. num. 8. & sequentibus. Vbi etiam aduocat Duarenum, Goueanum, Cortasium. Ergo Virgilius, qua potuit obseruatione iuris, vt Poëtam decebat, Regem inducit dantem iura, quod sciebat proprium esse Magistratuum, videlicet Prætoris Romæ, Præsidum in prouinciis. Ipse autem nihil aliud per *dantem iura* vult signare, quàm hominem præpositum iuri dicundo, & vbique, quod recta est, administrantem. Et nota, Priamum induci ornatum ad danda iura: vt apud Romanos Prætor, cum ius diceret, certa quædam & augusta insignia vsurpabat. Lege Pollet. lib. 5. cap. 6.

Sceptri vsus. 34. SCEPTRVM.] Loci huius explicationem debes doctissimo viro Germano, qui cum Virgilio Apollonium, & Pindarum componit; apud illum enim lib. 4. Arg. Alcinous: apud hunc Od. 4. Pyth. Cretheides ad iura danda vsurpant sceptrum. Produco loca, vt necessaria. Prior ita ait,

> ——ἔνθ' ὅγε χειρὶ
> σκῆπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον, ᾧ ὕπο πολλοὶ
> ἰθείας ἀνὰ ἄστυ διεκρίνοντο θέμιστας.

> ——*vbi ipse manu*
> *Sceptrum tenebat aureum ad iudicia, sub quo multi*
> *Æqua per vrbem diiudicabant iura.*

Posterior:

> Κεῖμαι φοινίκιον [illegible]
> Κατ ταῦτα ... ἄγαν,
> Ἀλλὰ καὶ σκᾶπτρον μόναρχον,
> Καὶ θρόνος, ᾧ ποτε Κρηθεΐδας
> Ἐγκαθίζων ἱππευταῖς
> Εὔθυνε λαοῖς δίκας.

Nec verò me angunt hæc domum tuam valde amplificantia, Sed sceptrum monarchicum, & solium, cui olim Cretheides insidens equestribus populis dirigebat iura.

Tiaras. 34. TIARAS.] Frequentius *tiara* muliebre, rarius *tiaras* masculeum, quæ raritas placita hîc heroico vati, vt etiam Sidonio: *Lunatam tibi flecteret tiaram.* Et Valer. 6. Arg.

> *Subligat extrema patrium ceruice tiaram.*

Et Claudian. de 4. Cons. Honorij.

> *Barbarus Arsacia consurgeret ore tiaras.*

Eius vsus. Dicam hîc de tiaræ vsu, & forma. Fuit tiara omnium ferè Orientalium insigne. Medorum, Persarum, Parthorum, Phrygum. De Medis asserit Plutarchus ... De Parthis Anacreon, qui tiaras ... vocat. De Persis omnes scriptores, ideo producã neminem. De Phrygibus Iuuen. Sat. 6. *Phrygia vestitur bucca tiara.* & Virgilius hîc, qui eam dat Priamo Regi Phrygum. Nota est in vsu & Persis, & Turcis: non enim dubium, quin obuolutio illa linteaminum turbinata, quam gestat gens vtraque, respondeat veteri antiquorum tiaræ. Pergo ad formam. Hãc ex nummis si-

forma.

A matur Brisson. lib. 2. de Reg. Pers. in quibus *recta est, atque elata, summa sui parte turrita: a posteriore parte infulas pendentes, anteriore buccellas habet: eius medium ambit fascia alba, stellulis insignita.* In nummis quoque Augusti, vbi Parthia supplex fingitur signa porrigere, habebat eadem in capite tiaram ita depictam. *Erat galeri forma, & pilei, quod absque vlla ora latitudine, æquabile ex omni parte, ac rotundum erat, ac in acutum desinens conum flexum inclinatumq́.* Formam quoque timor ex verbis illis Xenophontis lib. 5. de expedit. Cyri Min. *Galeis coriaceis capita muniebant, quales fere Paphlagonicæ sunt, in quarum vertice cincinni in tiaræ modum eminebãt.* Cincinnos explicui, quod Græcus scriptor κρωβύλον τιαροειδῆ. Nam Suidas aduocans hunc locum explicat, πλέγμα τριχῶν εἰς ὀξὺ λῆγον: *reticulum crinium in acumen desinens.*

Cincinni.

B Sed obserua vnicè, extremam illam partem desinentem in conum à Regibus tantùm rectam gestatam, ab reliquis inclinatam. Id quod multis Brisson. & suprà ego iam attigi. Illud Martial. *Ad Parthos procul ite pileatos*; de tiaris accipit Lazius lib. 8. cap. 14. Descriptionem, quam vir adhibet de tiara, non probo, fortasse quia non capio. Illustrationem Caroli Paschal. audire, ingratum non erit. Ait ille lib. 10. Cor. cap. 1. ex Curopalata, Iudices Medorum gestare solitos φακιώλιον, quam tiaram interpretantur, ita formatam, vt aliquid inde penderet, quo auris vna esset tecta: nam altera intecta erat. Indicabant videlicet

C dandam esse à Iudice intectam aurem accusatoribus, tectam accusatis. Quid ergo, si ad hanc tiaram respexit Virgilius? nam producit Priamum ea vtentem, cùm daret iura populis. Sed certè, si originem primam tiaræ consideret Carolus (& cur non à fabulis adiumenta quæram ad indagandam veritatem?) inueniet vtranque autem tegi tiara, non vnam tantùm. Nam Midas eam assumpsit vt tegeret aures asininas. Et Ouid. qui fabulam narrat lib. 11. Metamorph. clarè ad morem Phrygum allusit,

Auris vtraque tegebatur tiara.

> *Ille quidem celare cupit, turpique pudore*
> *Tempora purpureis tentat velare tiaris.*

Allusit (inquam) ad morem, etiamsi fabulam interseruerit: & ita verè potiùs, quàm fabulosè loqui putandus est.

D 35. ILIADVMQVE LABOR VESTES.] Eadem significatione Græcis accipi πόνος iam Germ. admonuit, vnde Eurip. χρυσόπονα φάρεα. Ad eandem rem ἔργον Homerus habet, quæ vox vicenna ... (inquit) παμποίκιλοι ἔργα γυναικῶν. Statius 12. Theb. de palla, & textis purpureis *labores* dixit, & Claudian. 1. Rap. *imperfectumq́; laborem*, vt & alij. Non abit verbum aliud Homeri ad idem pertinens lib. 8. Iliad. qui loquens de Pallade, ὅν ῥ' (πέπλον) αὐτὴ ποιήσατο, καὶ κάμε χερσίν: *quod peplum ipsa fecerat, & elaborauerat manibus.* Nonnus lib. 24. loquens etiam de textura, ait verbo alio, τερπνὸν μόχθον. Vides diuersas esse has omnes voces πόνον, ἔργον, μόχθον, κάματον. Addit idem Nonnus nouam adhuc vocem; nam de re eadem loquens

Labor de vestibus.

E καμάτους adhibet. Omnes autem istæ voces respondent vni Latinorum (*labori.*) Docet autem Seneca lib. de Beneficiis, nemini mittenda munera superuacanea, vt feminæ arma, rustico libros, &c. Itaque Poëta probè omnia: Regi quippe destinantur poculum, gestamen, sceptrum, tiara, ac propter filium Latinum mittuntur vestes Iliadum, in quo etiam decus aliud. Non enim nominanda fuit illa ab externis, sed mittenda patri, quæ ad filiæ vsum possent pertinere. Postea etiam Latinus ex miro decoro Æneæ mittit equos, & currus, quippe Duci, & Legatis equi dantur ad viam.

Munera mittenda ex decoro.

[a] Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora, sóloque immobilis hæret,
Intentos voluens oculos: nec purpura Regem
Picta mouet, nec sceptra mouent Priameïa tantùm,
Quantùm in connubio natæ, thalamóque moratur.
[b] Et veteris Fauni voluit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa à sede profectum
Portendi generum, paribúsque in Regna vocari
Auspiciis: hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
[c] Tandem lætus ait: Dij nostra incepta secundent,
Auguriúmque suum. Dabitur Troiane quod optas:
Munera nec sperno. Non vobis Rege Latino
Diuitis vber agri, Troiæve opulentia deerit.
[d] Ipse modò Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat, sociúsque vocari)
Adueniat, vultus neue exhorrescat amicos.
Pars mihi pacis erit dexteram tetigisse Tyranni.
[e] Vos contrà Regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam iungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant; hunc illum poscere fata
Et reor, & si quid veri mens augurat, opto.

ARGVMENTVM.

Post auditum Ilioneum reuocat in memoriam Latinus Patris Fauni oraculum, quo iubebatur collocare natam externo viro: hæretque, an hic futurus sit Æneas, ad quem remittit mandata amoris plena.

EXPLICATIO.

[a] OBSTVPVIT Latinus audito Ilioneo. Stuporis huius sunt notæ aliquot, videlicet defixio oculorum in terram pertinaci quodam obtutu: nam *tenet ora*, & *hæret*, & *immobilis in solo*. Si quando verò oculos conuertebat, vt necesse est, semper intentissimè. In hoc stupore subiit Regem altior quædam cogitatio; nam nec sceptri quidem memor, aut purpuræ, nocte tantùm nuptias meditabundus versabat.

[b] Voluebat etiam secum oraculum, quod à Patre audierat, & reputabat, an Æneas esset gener ille externus ad Imperium Italiæ vocatus, futurúsque egregiæ sator sobolis.

[c] Erupit post longam cogitationem in vocem, qua, præmisso priùs Deorum auspicio, promittit Ilioneo non solùm quę petiuerat, *exiguam Diis sedem, littus innocuum, vndam, auram*, sed vbertatem agrorum, opulentiam Troiæ. Qua pollicitatione quid maius? To *tandem* indicat longam satis cogitationem Regis. Ait, *lætus*, quia prius, vt hærens, atque defixus nondum vultum ad lætitiam explicauerat.

A [d] Hoc facto, Æneam amicissimè per Legatum inuitat, vt se adeat, vt contingat dextram, nihil vt timeat. Donec maior accedat fœderis auctoritas, auspicemur concordiam ab innexione manuum. Hoc sanè erit pars pacis.

[e] Mox quæpiam signatè mandat, quæ velit ad illum referri. Videlicet sibi esse natam, quam oraculis admonitus debeat externo viro nuptui dare, existimare se, & optare hunc esse Æneam.

NOTÆ.

1. DEFIXA LATINVS, &c.] Vide, quot voces ad eam rem aptę. Hîc est *defixio, obtutus, teneo, immobilitas,* B *hærere, oculorum intentio*. Quid plura potuit? In Homerico Vlysse 3. Iliad. tantùm sunt duo. Ait enim: στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας. Vides enim stantem, hoc enim ad stuporem facit, & figentem in terram oculos. Eadem nota altæ cogitationis in Liuio est lib. 9. *Consul demissis in terram oculis, tacitus ab incertis quidnam esset actutus Legatis recessit*. Et libr. 8. in historia Manlij filium necantis: *Itaque velut emerso ab admiratione animo cum silentio defixi stetissent*. Est hoc, quod in amoribus Lucian. κάτω κεκυφώς. In historia Æthiopica Heliodori lib. 10. quædam sunt Virgiliano cursui simillima: ibi enim varij affectus excitantur ex coniunctione rerum, quæ non sperabantur. Cum re Latini rectè quadrant verba Maximi Tyrij dissert. 41. ἄρχων τῇ φύσει φροντιστικώτατος, καὶ λογιστικώτατος. Dicit videlicet omnem Principem natura sua esse cogitabundum, vt qui

Cogitabundi notæ.

Princeps natura cogitabundus.

qui ratiocinando res colligat. Id, si in omni Principe verum, quid nunc in Latino? De Scipione magno Principe Silius lib. 15.

Has lauri residens iuuenis viridante sub vmbra
Ædibus extremis voluebat pectore curas.

Sic magnos Principes Ænean, & Achaten cogitabundos infert Maro lib. 8.

———defixique ora tenebant
Æneásque Anchisiades, & fidus Achates.

Et Adrastum Stat. lib. 1.

———stupet omine tanto
Defixus senior.——

Ac Philippum Regem Macedonum Libanius Declam. 15. ἀλλ' ἐνεθυμήθη πρὸς αὐτόν: *cogitabat secum.*

Obtutus etiã de animo. 2. Obtvtv.] Notetur locus Apul. lib. 1. Flor. transferentis hanc vocem ad animum! *Arbitrabatur homines non oculorum, sed mentis acie, & animi obtutu considerandos.*

3. Soloqve immobilis hæret.] Philo dixit de homine cogitabundo, ἀτενὴς ἀπὸ τῶν κόρας, quia videlicet in his hominibus pupillæ immotæ sunt. Describit vtique Poëta hîc Latinum ἀτενίζοντα, καὶ μὴ σπαρ[illegible]. Pupillæ immotæ in magna cura.

4. Nec pvrpvra, &c.] Dubia sententia. Potest enim hæc purpura referri ad vestes Iliadum; quæ essent purpureæ, & pictæ acu, ad eũ modum, quo in 11. *Pictus acu chlamydem.* Nam in vestibus olim variæ effigies pingebantur ex aureis filis, variorúmque colorum. Par est, pictum marmor dici ab Statio lib. 2. Syluar. ex varietate colorum candidi, & purpurei, Pictæ vestes.

———vbi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.

Deinde potest referri ad diadema: nam hoc definiens Iunius ita ait: *Capitis fascia linea, purpura intertexta, gemmisque obsita.* Antonius etiam Aug. lib. de Iconib. ait, diadema primò cœptum fieri ex purpura, mox adiunctum sericum auro interpuncto: & talia videri in Iconibus multorum Imperatorum, Regúmque, vt putà Numæ, Anci, Alexandri Magni, Philippi Patris, Hieronis Syracusani. Curtius etiam lib. 6. loquens de Alexandro; *Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Demum potest referri ad tiaram; nam Ouid. lib. 11. Metamorph. Diadema pictum.

Tempora purpureis tentant velare tiaris.

Itaque ea purpura esse potuit aut in vestibus, aut diademate, aut tiara.

5. Picta.] Sequor Lazium lib. 8. cap. 8. explicantem *Regiam.* Itaque *purpura picta,* & *purpura Regia,* eadem res, tantùm diuersa nomina. Aduocat ille plures auctores, qui Reges purpura vsos inferunt, & omnes accipit de picta. Hæc pictura proculdubio ab auro intertexto. Itaque cùm Liuius lib. 24. dixit, de Hieronymo Siciliæ Rege: *Conspexere purpuram, ac diadema, ac satellites armatos;* capiendus est de picta purpura. Sic & Virgilium cape lib. 9. cùm ait: Picta purpura, id est, Regia.

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis.

Ita & Symmachum epist. 1. lib. 1.

Attica palla tegit socerum, toga picta parentem.

Nam sequitur ratio:

Præfuit ille sacris, hic dixit iura Quiritibus.

6. Movet.] Sententiæ huic similis ea Sen. ad Hel. cap. 16. *Non gemmæ te, non margaritæ flexerunt.*

Sors pro fato. 7. Sortem.] Hîc pro fato accipi doctè monuit Germ. & pro responsis. Nam suprà Faunum vocauerat *fatidicum:* & lib. 3. Æneid. *sic fata Deûm Rex sortitur.* Euripides quoque in Phœniss. & Pind. Od. 4. Pythior. cum voce κλῆρος, quæ sortem significat, coniungunt, prior μοῖρα[illegible], ἐρεῖσθαι, & verbum μοιρᾶσθαι: posterior etiam μοῖραν, & [illegible] ad eum modum, quo Virgilius cum fatis sortitionem: vt inde appareat, *sortem* sumi pro *fato*, diuinatione, augurio. Adiungo Lysiam, qui cum λαγχάνω coniungit μοῖραν in oratione funebri, vbi ait: ἡ δαίμων ἡ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰληχυῖα ἀπαραίτητος. *Genius, qui nostrum fatum sortitus est, euitari nequit.* Poëta ipse infrà, *Non patrio ex adyto sortes.* Vbi Seruius abusionem agnoscens accipit *sortes* pro fatis.

8. Qvæ viribvs occvpet orbem.] Est hoc, quod suprà:

———quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol vtrunque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique, regique videbunt.

9. Ait.] Si cum oratione Ilionei conferas quæ Latinus respondit, breuissimè respondet: & breuius adhuc si cogites negotij grauitatem de deligendo successore, & nuptiis natæ. Quibus rebus quid grauius? Itaque hîc quadrant verba Sidonij epist. 2. lib. 1. de Theodorico: *intromissis gentium Legationibus audit plurima, pauca respondet.* Pari Regiæ maiestatis decoro in 1. post multa eiusdem Ilionei verba, Princeps debet loqui pauca.

Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.

10. Dii nostra incepta secvndent.] Par illud Senecæ in Furente: Incepta secundari.

Votum secundet, qui potest, nostrum Deus.

Sic etiam in Capitolij restauratione, quæ facta Vespasiano Principe, Heluidium Prætorem narrat Tacitus lib. 20. precatum Deos Imperij præsides, *vt cœpta prosperarent, sedésque suas pietate hominum inchoatas, diuina ope attollerent.* Sed de his, & simillimis formulis satis abundè Brissonius.

11. Optas.] Ne capias vulgariter, sed vt illud lib. 1. Æneid. *Pars optare locum tecto.* Sed de hoc iam alibi.

12. Mvnera nec sperno.] Hinc Ouid. in epist. Helenæ ad Paridem.

Aut ego te potius, quàm tua dona sequor.
Atque ea non sperno.——

13. Non vobis rege Latino.] Par illud 4. Georg. vbi Aristæus ad matrem, *te matre relinquo,* videlicet honorem mortalis vitæ.

14. Vber agri.] Pro, vbertas agri. Ita loquutus Symmach. epist. 7. lib. 1. *His quippe mensibus Campania nitet agri vbere, & arbusti honore.* Noster alibi: *& fertilis vbere campus,* id est, fœcunditate. Vber agri.

15. Nostri si tanta cvpido est.] Respectum ad illud,

Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egêre suis.——

16. Socivsqve vocari.] Non dubium quin mentem adijciat ad societates Romanorum.

17. Dextram tetigisse.] Vnico verbo Græci δεξιοῦσθαι.

18. Tyranni.] Quî vocat Ænean Tyrannum? Seruius hîc: *Græcè dixit, id est, Regis. Nam apud eos Tyranni & Regis nulla discretio est.* Verè hoc Seruius. Nam Aristophan. in nubibus Iouem vocat θεῶν τύραννον: & in Plut. διὰ τυραννίδα. Et Isocrat. in laudatione Helenæ, de Theseo dixit τύραννον, & τυραννεῖν, quem iustissimè & præclarè ibidem regnasse prædicat, νομίμως καὶ καλῶς. Et in Euagor. τυραννίδα accipit simpliciter pro *Regno.* Ait enim τυραννίδα esse καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον, καὶ σεμνότατον. Hoc quidem non cadit in Tyrannidem eo sensu, quo nunc accipimus. Quin se explicans postea nominat βασιλείαν, quam priùs dixerat τυραννίδα. Nazianzenus orat. 8. cùm dixit, μισῶ τὸ πρᾶγμα καὶ τυραννικόν, planè hoc sensu accipit. Vt & Sophoc. in Electra, vbi Tyrãnus pro Rege in bonam partẽ.

pæda

pædagogus rogat εἰ τοῦ τυράννου δώματ' εἰσιδεῖν τάδ' ἐστί; A *vtrum ea sit Regia Tyranni Ægysthi?* Nam tametsi Ægysthus verè esset Tyrannus, sed coram Clytemnestra non vocatur Tyrannus malo sensu. Huc pertinent verba Probi in Miltiade: *Tyrannúsque fuerat appellatus, sed iustus. Non enim erat vi consequutus, sed suorum voluntate, eámque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur, & dicuntur Tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea ciuitate, quæ libera fuit.* Adducit & pro argumēto Germanus Cumanos Tyrānos dici ab Aristotele in Polit. αἰσυμνήτας, quę vox honorifica est. Dicuntur enim isti παρὰ τὸ αἴσιμον νέμειν, quasi οἱ αἰσίμως νεμητικοὶ τῶν δικαίων κατὰ τοὺς ἀγῶνας. Agonothetæ enim, nam hi sunt αἰσυμνῆται, in distribuendis præmiis certatorum iustissimi habebantur. Aduocat etiā verba hæc Platonis in Amatoribus, quæ explicatissima ad rem. B τί δὲ ὅταν εἷς ἀνὴρ ὀρθῶς πόλιν διοικῇ, ὄνομα τούτῳ οὐ τύραννός τε καὶ βασιλεύς; φημί. οὐκοῦν βασιλικῇ τε καὶ τυραννικῇ τέχνῃ διοικεῖ οὗτος. *Quòd verò. quoties vir vnus rectè ciuitatem instituit, quod nomen illi conueniet, nónne Tyranni & Regis? Ita est. Nónne Tyrannica & Regia arte gubernat omnino.* Philostrat. lib. 1. Icon. dixit loquens de fulmine, πῦρ ἐξ οὐρανοῦ τυραννικῆς οἰκίας ἐπειλημμένον: *ignis conceptus ex Tyrannica cœli domo.* Quod cur torquean ad prauum significatum? Est etiam pro argumento illud Euripidis, quod lib. 13. aduocat Athen. πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος: *prima species digna est Tyrannide*, id est, imperio. Ab Euripide sumpsêre sententiam hanc Græci alij. Plutar. in Dione prouerbialiter dixit, ἦν δὲ οὐσία μεγάλη τῷ Δίωνι, καὶ σχεδόν τι τυραννικὴ σκευή, καὶ κατασκευὴ περὶ τὴν δίαιταν: *ingentes erant Dioni facultates, tyrannicúsque propè domi splendor, & instrumentum*, id est, Regius splendor. C Dio enim non Tyrannus, imò euersor Tyrannidis in Sicilia. Ex hac itaque antiquorum significatione, & hîc Virgilius Æneam *Tyrannum vocat*; vt postea Latinum ipsum; nam Furia

——Laurentis tecta Tyranni
Celsa petit.——

Et Valer. Flac. in Arg.

Nunc precor ad vestri, quicunque est, ora Tyranni,

id est, Regis: & Seneca in Oet. de Hercule moriente.

Quis sic triumphans lætus in curru stetit
Victor? quis illo gentibus vultu dedit
Leges Tyrannus? quanta pax obitus tulit?

Agonothetæ.

Postea detorta est vox ad eum, qui enormiter, & iniustè dominatur.

19. EST MIHI NATA.] Sunt qui reprehendunt Latinum offerentem statim filiam suam peregrino in matrimonium, ac proinde Virgilium. Sed reprehendant isti eadem opera Homerum, apud quem Alcinous Odyss. 7. offert filiam Vlyssi peregrino, optans vt illam velit accipere, & vocari sui gener. Versus Homericus.

Virgilius defenditur.

Παῖδά τ' ἐμὴν ἐχέμεν, καὶ ἐμὸς γαμβρὸς καλέεσθαι.

Est etiam huius rei exemplum apud Terentium in And.

Hac fama impulsus Chremes
Vltrò ad me venit, vnicam gnatam suam
Cum dote summa filio vxorem vt daret.

Quid, quòd Virgilius oraculis defenditur (aiunt Seru. & Donatus:) Ducit enim Latinus pro argumēto quæ ipse audiuerat ab Ilioneo, & à Patre Fauno. Ilioneus dixerat, Troianos agi à fatis in Italiam, Faunus dandam neptem externo. Potuit igitur Latinus ex opportunitate aduenientium coniectare, Æneam esse externum illum generum. Demum non obtulit natam, sed tantùm aperiens quæ à Fauno audiuerat de externo genero, optauit vt is esset Æneas, ducens in argumentum, quid iam ipse animo diuinando præsentisceret. Bene itaque Donat. *Verecunda oblatio, & aduersus exprobrationem omnem satis munita.*

20. GENEROS EXTERNIS AFFORE AB ORIS.] Signatè, vt suprà, *externa à sede.* Quasi communiat Latinus id, quod obiici poterat; videlicet Æneam non esse externum, quia à Dardano Italo. Ait itaque Latinus considerandam non tam generis, quàm loci disiunctionem; ita ille oraculum interpretans, quo fuerat pronuntiatum, *Externi venient generi.* Ideo itaque, *ab oris, ab sede.* Ceterùm, ex perlustrato hoc loco Adrastus apud Stat. 2. Theb.

Sed mihi nec Sparta genitos, nec ab Elide missos
Iungere fas generos.——

21. AVGVRAT.] Dici *auguro* probat Nonius testimoniis Actij, Ennij, Pacuuij, Tullij, Virgilij. Lege illum. Cum sententia Latini optantis aptari Æneæ Deorum fata affine illud Sallust. Iug. *vbi Marius haruspicis dicta eodem intendere videt, quò cupido animi hortabatur.*

Auguro.

[a] Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictísque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.
[b] Absenti Æneæ currum, geminósque iugales
Semine ab ætherio spirantes naribus ignem:
Illorum de gente, patri quos Dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creauit.
[c] Talibus Æneadæ donis, dictísque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacémque reportant.

ARGVMENTVM.

Dat Latinus Legatis singulis equos singulos, mittit duos ad Æneam ex Solis semine.

EXPLICATIO.

[a] HABEBAT Latinus equos trecentos, ex his centum dedit dono Legatis; nam centum Æneas

Æneas miserat. Describit verò Poëta studium Latini ex circumstantiis: nam cùm omnes essent *nitidi*, id est, pingues, tamen meliores *eligit ex omni numero.* Deinde *exemplo*, vt signetur Regis alacritas in dando. Tertiò, ex ornatu equorum, nam illorum stramenta erant ex purpura, cui admista pictura acus, monilia eorum aurea, & fræni aurei.

b Circe Solis filia mortalem equam submiserat vni equorum Solis, vnde sobolem creauerat. Ex hac ergo plures equos cùm haberet Latinus, duos ad Æneam misit vnà cum curru. Eo videlicet consilio, vt Æneas vectus cum dignitate veniret ad socerum.

c Redeunt Legati lætissimi, quippe cum donis, cum dictis, cum equis, cum pace.

NOTÆ.

Equorum alendorum studium. 1. STABANT TERCENTVM.] Notes hîc studium veterum in alēdis equis. Attigi iam hoc lib. 3. Georg. ad illud, *Pascit equos.* Hîc adiungo Laërtij locum in Empedocle, οἰκίας ἱπποτρόφου λαμπρᾶς ἦ[…]: *Familiæ, quæ equos alerent, illustres erant.* Spartianus: *Ipsi principes* Principes equos alebant. *viri equilia sedulò pascebant, vnde equos antiqua, & generosæ notæ, ac nominis, & ad circum, & ad bella haberent.*

Nitor de equis. 2. NITIDI.] Hanc vocem dici de pinguedine admonui iam lib. 1. Georg ad illud, *interque nitentia culta.* In 6. Æneid. *nitentes equos* dixit.

3. PRÆSEPIBVS.] Hæc Homer. Iliad. 8. vocat κάπας à verbo κάπτειν, quod est, *edere*, itaque κάπαι sunt præsepia, in quibus iumenta edunt. Sic βουκάπαι, boum præsepia. Inde est vt καπηλεύω, *cauponor*, & καπηλεῖον *caupona*, non dicantur à vino, quod malè plerique putant, sed à cibo.

Persarum vectatio. 4. INSTRATOS.] Putat Brisson. lib. 3. de Regno Persico, dictum hoc à Virgilio exemplo Persarum. Nam horum vectatio, quæ priùs acris tota, & militaris, versa est in luxum, ac mollitiem. Neque enim tam ornatus gratiâ, quàm vt molliter insiderent, minúsque succuterentur, equos stragulis insternere apud eos inualuit. Sic fermè ille. Sed potiùs credo Stramenta equorum apud Romanos. adumbratum à Romano Poëta morem Romanorum, quibus in bello vsus fuit stramentorum. Silius lib. 5. de equo Flaminij Consulis,

Stat sonipes, vexátque ferox humentia frena,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.

Frontinus lib. 2. cap. 4. in quodam stratagemate: *Agasones lixásque armatos simul ire iussu, immemoriúmque magnam partem instratorum centunculis, vt per hoc equitatus* Instrati equi. *species obiiceretur.* Dixit verò *instratos*, vt intelligas clitellas ex purpura, aut talia huiusmodi; nam apud antiquos Romanos sellarum vsus in equis non fuit.

Equorum ornatus. 5. OSTRO.] Ex decoro Regiæ maiestatis. Sic equus Didonis in 4. Stat. *ostróque insignis, & auro.* In Ouid. 6. Metamorph. leges.

Conscendunt in equos, Tyrióque rubentia succo
Terga premunt. ———

De equo Honorij Claudian. Paneg. 4.

Ipse labor, puluísque decet, confusáque motu
Cæsaries. Vestis radiato murice Solem
Combibit, ingesto crispatur purpura vento.

Silius de equo,

Illum Sidonio fulgentem ardore tapeta.

Liuius lib. 34. *Cùm tibi viro liceat purpura in veste stragula vti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus pretiosiùs instratus erit, quàm vxor vestita?* Ita legit Lipsius, non *lectus tuus.*

6. ALIPEDES.] Putat Vrsinus ductum epithetum à Lucret. qui lib. 6.

A *Naribus alipedes vt cerui sæpe putantur.*

Pictura de opere acus. 7. PICTISQVE TAPETIS] Pari ambitione Ouid. lib. 8. Metamorph.

Purpureusq́; albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiáque ora regebat.

Sed qui picti tapetes? Refero ad fila aurea, quæ intexta ostro opera acus: nam picturam de acu dici iam alibi explicui latè. Vt sententia sit, instrati erant purpura, cui admista varietas auri à pingente acu. Fuit enim frequentissima commistio auri cum purpura. Sic Seneca in Hippol.

Remouete famulæ purpura, atque auro illitas
Vestes, procul sit muricis Tyrij rubor.

Et quidem de auro capiendum Poëtam penè clarū est; nam sequentem vocem, *tecti auro*, ad nihil com- B modiùs referas, quàm ad instratos tapetas. Itaque nihil aliud Poëta, quàm varietatem colorum signat, ad eum modum, quo Ælian. lib. 5. de Animalib. c. 21. pictas pauonis alas vocat ποικίλματα.

8. MONILIA.] Dissidium auctorum de hac voce monuerunt iam alij. Sunt qui equorum monilia separent à phaleris. In his Agell. lib. 5. c. 5. cùm ait: Monilia in equis quid signent. *Equitatumq́; frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem.* Sunt qui confundant. In his Plin. nam lib. 37. cap. 12. loquens de gemma quapiam: *Quondam tanta magnitudinis fuere, vt equis Regum in Oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent.* Vbi vox *pensilia* refertur ad monilia, quæ propendent equorum pectoribus. Eadem mens Seruij; nam ait pectus equo- C rum ornari solitum phaleris, non frontem, aut maxillas. Ab vtroque dissentiunt Suidas, & Herodotus, quem Suidas ipse aduocat, interpretans enim phaleras, ita ait. τὰς προμετωπίδας τὰς ἀσπιδίσκας, τὴν κόσμησιν, τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τοῦ ἵππου. παρὰ δ' Ἡροδότῳ τὰς περὶ τὰς γνάθους σκεπάσματα: *Frontis ornamenta, scutula ea, quibus frons equorum exornatur. Apud Herodotum verò circa maxillas tegumenta.* Vides, vt phaleræ Phaleræ equorū quid signent. Suidæ sint ornamenta frontis equorum, Herodoto maxillarum, Plinio, & Seruio pectorum. Nouum est genus monilis apud Herodot. lib. 4. Ait ille, solere Scythas humani capitis corium ita emollire, vt solet mollescere bouis corium, ac tunc illud appendere equorum suorum habenis. Vocat corium hoc man- D tile χειρόμακτρον: & addit, eo quemque iudicari Mantilia de equis. præstantiorem, quo plura habuerit mantilia equi sui habenis appensa. Adduco verba, quia necessaria ad locum Plinij, de quo statim, sed Latinè tantùm, quia multa: *Quæ ad bellum attinent hunc in modum sunt ab eis comparata. Quem primum virum ceperit vir Scytha, eius sanguinem potat: quoscunque in prælio interemerit, eorum capita Regi offert. Nam capite allato fit præda, quamcunque ceperint, particeps, alioquin expers. Caput hoc modo præcidit: in orbem illud amputat circa aures, verticéque sumpto excutit, deinde pellem detrahit, &, vbi sicut bouis corium manibus molliuit, tanquam mantile possidet, eáque habenis equi sui appensa gloriatur. Qualiaque quisque mantilia plurima habet, ita vir iudicatur præstantissimus.* Hæc ille, E quæ sanè præeunt ad Plinij correctionem. Ait hic lib. 7. cap. 2. loquens de Anthropophagis, qui ad Septemtrionem supra Borysthenem sunt, *ossibus humanorum capitum bibere, cutibusq́; cum capillo pro mantilibus ante pectora vti.* Suppleo locum: *ante pectora equorum vti.* Quod videtur effici ex narratione Herodoti. Typographi quidem cùm mantilia legerent, ademerunt id, quod insolens videbatur, putantes ea mantilia esse ad vsum cibi. Sed, vt apparet ex Herodoto, referendus est ad monilia equorum. Non otiosam putabit hanc moram Lector, præsertim si conferat cum opera Cælij lib. 16. cap. 10. vbi vir doctus lapsus est

est in cognoscenda Plinij mente. Moneo hîc ἐκ παρόδου, videri sum: *monil.* à Silio non pro ornamento equorum, sed hominis. Ait enim lib. 8. A

Monilia de homine.

Is primam ante aciem pictis radiabat in armis
Assuidum, & fulvo micat ignea gemma monili.

Quæ præcedunt, quæ sequuntur nihil ad equos.

Pendēt monilia.

PENDENT.] Respexit ad hunc locum Apuleius de Deo Socratis: *Si ex argento, & auro, & gemmis monilia variis gazæ dependent.*

Equorū ornatus.

10. TECTI AVRO.] Versus Poëtæ auro splendent: nam monilia sunt aurea, frænum aureum, stramenta aurea. Stramenta quippe signat istis, *tecti auro*, quo videlicet picta purpura tapetiorum. Segetem parium locorum indicat Victorius, sed ea cuiuis ita sunt obuia, vt nullo indicio egeamus. Homerus lib. 13. Iliad. loquens de Neptuno dat illi equos, χρυσέῃσιν ἐθείρῃσιν κομόωντε, *aureis iubis comantes*; atque etiam ἱμάσθλην χρυσείην, *auream scuticam.* & de ipso Deo, χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ: *aurum autem ipse induit circum corpus.* Ouidius pulchrè vnico versiculo lib. 2. Metamorph. B

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ.———

Sed ecce iterum splendor Virgilianus in 11.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida, tum croceam chlamydémque, sinúsque crepantes
Carbaseos fuluo in nodum collegerat auro.

Pari nitore in 4.

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem. C

Athen. l. 4. exhibet ex Socr. Rhodio καθ᾽ ἀργυρέαις σκευαῖς κεκοσμημένους ἵππους, *argenteis ornamētis instructos equos.* Eurip. Phœniss. de curru Solis. χρυσοκολλήτοισι δίφροις. Masistius apud Herodotum lib. 9. equum habet χρυσοχάλινόν τε, καὶ ἄλλως κεκοσμημένον καλῶς. Ioan. Chrysostom. hom. de Eleemosyna, ἵπποις περιδέραια χρυσᾶ περιτίθεμεν: *Equis aurea colli monilia circundamus.* Xenophon. lib. 8. παιδ. exhibet currum Cyri χρυσόζυγον *cum iugo aureo.* Et Philostratus lib. 2. de vitis Philosoph. Adriani ὄχημα ἀργυροχάλινον. & lib. 1. Icon. ἀργυροχάλινοι, καὶ στικτοί, καὶ χρυσοῖ τὰ φάλαρα: *argenteis frænis, aureísque ac vario colore phaleris.* Aurei sunt versus Euripidis describentis equos Rhesi, & illorum ornatum.

Χρυσῇ δὲ πλάστιγξ αὐχένα ζυγηφόρον D
Πώλων ἔκλῃε, χιόνος ἐξαυγέστερον
Πέλτη δ' ἐπ' ὤμων χρυσοκολλήτοις τύποις
Ἔλαμπε. Γοργὼ δ' ὡς ἐπ' αἰγίδος θεᾶς
Χαλκῆ μετώποις ἱππικοῖσι προσδέτος
Πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβον.

Aurea autem bulla collum iugalium
Equorum claudebat niue candidiorum.
Pelta verò in humeris, figuris innexis aureis
Fulgebat. Gorgon verò veluti in Palladis clypeo
Ferrea, fronti equorum illigata
Cum multis tintinnabulis terribilem sonitum edebat.

Neque verò omittam versus Claudian. qui in Epig. ita ornat equum Honorij loquens cum eodem equo:

Accipe Regales cultus, & crine superbus E
Erecto virides spumis perfunde smaragdos.
Luxuriem tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos iam purpura vestiat armos,
Et medium te zona liget, variata colorum
Floribus, & castæ manibus sudata Serenæ,
Persarum gentile decus.———

11. FVLVVM MANDVNT SVB DENTIBVS AVRVM.] De equo Honorij Claudian. Paneg. 4.

———*spumosis morsibus aurum*
Fumat anhelantes exsudant sanguine gemmæ. ———

Gemmæ in ornatu equorum.

De equo Masistij Herodot. χρυσοχάλινον, de quo iam. In Græco Epig. lib. 3. ... De Marte Homer. 8. Odyss. χρυσήνιος Ἄρης. De equo Mauricij Simocatta lib. 6. Hist. cap. 2. χρυσῷ χαλινῷ καλλωπιζόμενος. Idem lib. 7. cap. 8. χαλινοῖς χρυσοκολλήτοις. De equis purpuratorum Darij Curt. lib. *aurei fræni.* Ioan. Chrysost. hom. 23. inter reliquas superbissimorum hominum notas, hanc ponit, vt habeat θαυμαστὸν ἵππον χρυσοχάλινον. Pindarus Od. 1. Olymp. χρυσέαισιν ἐν ἵπποις: *in equis auratis.* De equo Sertorij Plutarch. χρυσῷ κεκοσμημένον, καὶ φαλάροις ἀναπλέων πολυτελῶν: *auro ornatum, & pretiosis excultum phaleris.* Et de equo Pompeij φάλαρα χρυσᾶ. De equo Mauricij Imperatoris Cedren. τοῖς χρυσοῖς διακοσμημένος κόσμοις. Ab hoc gemmarum splendore Nonnus lib. 11. ποικίλῃσι χαλινοῖς. Claud. in Epigr. *gemmis dum fræna renident.* Quod Virg. *mandunt*, Apollon. lib. 4. ὀδακτάζειν χαλινά, soluit quippe Latinus Græcam vocem. Æschylus.

Mando, & Mordeo de equis

———δακὼν στόμιον ὡς νεόζυγος
Πῶλος.———

mordens frænum instar pulli, qui ad iugum nouus. Claud. iterum in Epig.

Sanguineo virides morsu vexare smaragdos,

Loquitur videlicet de equo Honorij: & iterum in alio Epigram. loquens cum eodem equo; *virides spumis perfunde smaragdos.*

12. GEMINOSQVE IVGALES.] Quia necessarij equi duo ad currum. Sed præterea attingitur mos Romanus: quem, & locum Virgilij Liuius aperit ita scribens lib. 30. *Munera, quæ Legati ferrent Regi decreuerunt: sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis, & lato clauo tunicis: & equos duos phaleratos, bina equestria arma cum loricis: & tabernacula, militarémque supellectilem, qualem præberi Consuli mos est.* Itaque Æneæ Principi dati equi bini, cùm reliquis vnus, adumbrato Consulari more. Respectum quoque obiter est ad Homeri locum libro quinto Iliados vbi Anchises dat dono equos duos filio Æneæ. τὼ δὲ δύ' Αἰνείᾳ δῶκε. præsertim cùm equi dati Æneæ ab Anchise essent etiam ex Solis semine, vt credi potest ex fabulis.

Equi bini dati Principibus.

13. SPIRANTES NARIBVS IGNEM.] Hanc esse notam generosi equi multis aperui lib. 3. Georg. ad illud,

Ignis ab equorum naribus.

Collectumq́; premens voluit sub naribus ignem.

Sed Poëta hic signatiùs, quàm ibi: nam cum respectu ad fabulam; equos enim Solis spirare ignem par erat. Ita etiam Ouidius, atque Eurip. de equis eiusdem Solis. Ille lib. 2. Metamorph.

Solis equi ignē spirantes

Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore, & naribus efflant,
In promptu regere est.———

Hic in Phœniss.

Ἥλιε θοαῖς ἵπποισιν εἱλίσσων φλόγα.
Sol voluens flammam celeribus equis.

Versus ipse sumptus ex Lucret. qui lib. 5.

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.

14. ILLORVM DE GENTE, &c.] Nemo dubitet adumbratum Homerum lib. 5. Iliad. vbi Iuppiter dat Troi equos optimos in solatium rapti Ganymedis, & credibile hos fuisse ex semine equorum Solis: hoc enim petit fabulantium series. Equis istis iam sub Laomedonte Anchises equas submisit, vnde propagatum est genus. Omitto integrum locum, & do tantùm versus duos.

Τῆς γενεῆς ἔκλεψεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγχίσης,
Λάθρῃ Λαομέδοντος ὑποσχὼν θήλεας ἵππους:

Ex hac sobole furatus est Rex virorum Anchises.
Clam Laomedonte submittens feminas equas.

Simili fabulamento ait Calab. lib. 1. Penthesileam insedisse equo, τόν οἱ ἄλοχος Βορέαο ὤπασεν Ὠρείθυια, *quem ei dono dederat Orithyia vxor Boreæ.*

Dædala ingeniosa. 15. DÆDALA CIRCE.] Ingeniosa: sic Ennius in fragmento: *Minerua dædala.* Et Carus: *naturáque dædala rerum.* Idem:

Mobilis articulat verborum dædala lingua.

Ponitur interdum ad significandam varietatem: vt Oppian. 1. Cyn. πεδίον δαίδαλον. Sed de hoc iam in 6.

16. FVRATA.] Non abs re erit audire hîc verba Vlpiani l. si quis vxori. §. si quis asinum. ff. de furtis:

A *Si quis asinum meum coëgisset, & in equas suas* ἐπὶ τῇ ὀχείᾳ *duntaxat captum admisisset, furti non tenetur, nisi furandi quoque animum habuerit. Quod & Herenio studioso meo, de Dalmatia consulenti rescripsi, circa equos, quibus eiusdē rei gratiā subiecisse quis equas suas proponebatur, furti ita demum teneri, si furandi animo id fecisset, si minùs, agendum in factum.* Sic legit Germ. Pandectæ Florentinæ, τῆς γονῆς χάριν. quod in idem recidit. Admissio feminarū quando ad furtum pertineat.

17. SVBLIMES.] Lucretius lib. 2. vocat Cybelem sublimem in curru. Curt. de Dario lib. 4. *Curru sublimis inierat prælium.* Ammian. lib. 22: *Sublimior vt quondam Triptolemi curru.* Virgilius inf. flexu alio: *equis arduus,* id est, sublimis. Philostrat. in Heroic. βαδίζεις δ' οἶμαι μετέωρος τι, καὶ ὑπὲρ πάντα τὰ ἐν ποσί. Sublimis.

ª Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæua Iouis coniux, aurásque inuecta tenebat:
Et lætum Æneam, classémque ex æthere longè
Dardaniam Siculo prospexit ab vsque Pachyno.
ᵇ Moliri iam tecta videt, iam fidere terræ,
Deseruisse rates: stetit acri fixa dolore,
Tum quassans caput hæc effudit pectore dicta.

ARGVMENTVM.

Iacitur semen ad rem nouam ex interuentu Iunonis, acerrimæ hostis Troianorum.

EXPLICATIO.

ª EO temporis puncto, quo Legati lætissimi redibant cum equis, donis, pace, fortè tum Iuno per auras ab Argis in Italiam, vt credi potest, remeabat: ac tum ab Pachyno promontorio Siciliæ Æneam vidit lætum iam ex appulsu in Italiam, classémque intra portum receptam.

ᵇ Vidit præterea Æneam iam fundantem arces, attollentem tecta, cùm classem reliquisset in portu. Ac tum acriore, quàm credi potest, doloris vulnere transfixa gradum continuit, & commoto sæpiùs capite locuta est indignabundè. Illud *fidere terræ* explico, non se gerentem vt hospitem, sed versantem vti in terra propria, qua videlicet fiducia esse quis inter suos potest. Illud *effudit* notat habitum effutientis omnia præ iracundia, quasi nihil retinuerit, sed omnia dixerit. Nam ad quod tempus magis aptum seruaret iracundiam Iuno?

NOTÆ.

1. ECCE, &c.] Opportuno loco inducta peripetia. Est hæc, auctore Aristotele, subita rerum conuersio, vel ex bono in malum, vel ex malo in bonum. Verba Principis Philosophi sunt cap. 11. Poëtic. ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή. Est vis ingens in peripetia; extat enim animum vehementer nouitate rei; nam cùm in se conuersiones & commutationes includat, necessariò legentem afficit. Quid enim est admirabilius, quàm subitò animos huc illuc rapere euentuum, qui non expectabantur, varietate? Poëtæ illi insulsi sunt, qui historias texunt, in quibus scis iam ipse, quid de- B beat sequi. Optima est illa peripetia lib. 1. Æneid. vbi Troiani *vela dabant læti.* At quid sequitur post lætitiam?

Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus.

Tota Æneis plena est peripetiarum. Ex omnibus hæc est pulcherrima, & ad commouendos animos aptissima, cùm Troianos in Italiam appulsos, ac lætabundos Iunonis ira præceps inuadit, & omnia commutat, importans in summa tranquillitate bellum summum. Exempla, quibus Aristoteles firmat suam περιπέτειαν, in promptu sunt.

2. INACHIIS.] Cùm plures sint Argi, vt signet illud oppidum, quod est in Peloponneso, non longè à Mycenis, epithetum addidit desumptum ab Inacho primo Argiuorum Rege, qui fluuio etiam C nomen dedit. Hoc enim oppido delectata est Iuno, vbi & templum habuit. De multitudine agrorum lege Abrahamum, & Delrium nostrum. Argi plures.

3. SESE REFEREBAT.] Non otiosè Lector, respicit quippe ἐπιδημίας καὶ ἀποδημίας θεῶν. Itaque, vt illustres hunc locum, adi, quæ ego latè lib. 4. Æneid. ad illud de Apolline deserente Lyciam, & inuisente Delum. Sed locus hic omnino respicit illum Homeri Odyss. 5. Deorum peregrinationes.

Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων Ἐνοσίχθων,
Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.——
Hunc verò ex Æthiopum terra rediens potens Neptunus
E longinquo ex Solymorum montibus conspexit.

Pari aura cum vtroque Vate Silius lib. 2. vbi Iunonem infert contra Saguntinos,

Fortè ferens sese Libycis Saturnia castris, &c.

D Et Nonno lib. 31. vbi post præclara Bacchi gesta Iuno inducitur lustrans ab aëre Indorum exercitum.

Κοῖλον ἀπειλήτοις χαράσσων ἠέρα ταρσῷ:
Signauit cauum aërem planta interminante.

4. AVRASQVE INVECTA TENEBAT.] Bene Arn. *Per elementum suum ibat.* Aura est Iunonis.

5. PROSPEXIT.] Non dubium, quin intelligat Iunonem ὑποβλέψασαν δεινὸν καὶ θρασέως. est enim ὑποβλέπειν, *grauiter, & hostiliter, ac toruè intueri.* Ceterùm si-

milis fictio est apud Nonnum lib. 22. vbi Iuno videns Indos morem Baccho gerentes, omnia turbat, illorum animis impetum immittens. Et lib. 11. Luna ex aëre intuetur odio, & inuidia Ampelum exultantem. Similis apud Statium lib. 7. Theb. vbi Bacchus videns exercitum appropinquantem Thebas, altricem domum, ingemit, & conatur omnia disturbare.

Mollior de ædificiis. 6. MOLIRI.] Pro *ædifico* frequens in hoc vate. Sic suprà; *molirique aggere tecta*. In 1. *molirique arcem*. In 3. *classem molimur*. In hoc lib. *molitorque locum*. id est, ædificat, & construit locum. Verùm est addi vim.

Sto, in re subita. 7. STETIT.] Hoc vsu etiam Græci in re subita. Heliod. lib. 6. *ἀχανεῖς ἐπὶ πλεῖστον εἱστήκεσαν*: *stupidi diu steterunt.*

Iunonis ira. 8. ACRI FIXA DOLORE.] Expendit Scal. hanc Deam fuisse in 1. Æneid. tantùm *flammato corde*, & seruantem *vulnus æternum sub pectore*: hîc verò vbi acerbior causa, *fixam dolore*, & hoc *acri*. Quippe videbat *Æneam lætum* confecto cursu longissimo, & classem receptam in portu, quam ipsa in 1. euertendam curauerat. Verè Quintil. scripsit Declamat. 17. *Non habent odia regressum*: nam pertinaces iras Iunonis quis non videt? Adi quæ iam ego lib. 1. Æneid. Nonnus 31. λυσσομένην vocat ab his iris, tanquam rabie percitam; semper enim Iuno rabida inducitur, & cum ira, quam ἀνήκεστον χόλον, id est, *insanabilem* Homerus vocat lib. 15. Iliad.

Odia non habent regressum.

9. QVASSANS CAPVT.] Nota irati & commoti animi. Ita in 12.

Capitis quassatio nota iracundiæ.

Ille caput quassans, non me tua feruida terrent
Dicta ferox.———

Adi hunc locum. Hîc profero Sophocl. in Antig.

———ἀλλὰ ταῦτα, καὶ πάλαι πόλεως
Ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοὶ
Κρυφῆ κάρα σείοντες:

———*sed & hæc olim ciuitatis*
Homines vix ferentes, in me concitabantur
Latenter caput mouentes.

Apud Horat. Sat. 5. lib. 1. quispiam *caput mouet* in gestu iracundiæ. Quassationem capitis satis indicat Statius 10. Theb. loquens ita de Iunone irata:

Horruit irarum stimulis, motáque verendum
Turbauit diadema coma.———

De Ioue in 7. idem Statius, & irato:

Concussitque caput, motu quo celsa laborant
Sydera.———

Apud eundem lib. 10. Theb. inducitur idem Iuppiter *incussa sanctarum mole comarum*. Cùm videlicet iratus traiecit fulmine furentem Capaneum. Plaut. Mercat. hoc affectu:

Tristis incedit, pectus ardet, hæret, quassat caput.

Itaque non solùm ad iras hic affectus, sed etiam ad dolorem, ad quem Homerum possum referre 17. Iliad. vbi Iuppiter inducitur κινήσας κάρη: ad dolorem (inquam) possum, nam præcessit, ἰλλων Κρονίων. Nonnus lib. 31. de Baccho, βόστρυχα σείων, *quatiens comas.* Possumus suspicari, hac capitis quassatione, cùm nota est irarum, alludi ad illam, qua fanatici vtebantur, & ab ista illam ortam. Lamprid. in Heliogab. *Iactauit caput inter præcisos fanaticos.* Quintil. lib. 11. cap. 3. *iactare id* (caput) *& comas excutientem rotare, fanaticum est.* Vlpian. l. 1. ff. de Æd. edict. *Quæritur si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, an sanus esset?* Itaque datur nota hæc iratis ab habitu & iris fanaticorum.

Fanaticorum nota.

Iactatio capitis.

[a] Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum, num Sigæis occumbere campis?
Num capti potuêre capi? num incensa cremauit
Troia viros? medias acies, mediósque per ignes
Inuenêre viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis haud exsaturata quieui.
[b] Quin etiam patria excussos infesta per vndas
Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros vires cœlique, marísque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tybridis alueo,
Securi pelagi, atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
Ipse Deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?
[d] Ast ego magna Iouis coniux: nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea: quòd si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod vsquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.
[e] Non dabitur Regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lauinia coniux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus,
At licet amborum populos exscindere Regum.
Hac gener, atque socer coëant mercede suorum.

[f] San

[f] Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo,
Et Bellona manet te pronuba: nec face tantùm
Cisseis prægnans ignes enixa iugales:
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæque iterum recidiua in Pergama tædæ.

ARGVMENTVM.

Sequitur oratio diuisa in querelas, & minas. Queritur de potentia Troianorum, de impotentia sui: minatur in Troianos Latinum bellum.

EXPLICATIO.

[a] INCIPIT à contemptu, *heu stirpem inuisam.* Mirè *heu*, quasi vocem gemitus anteuerterit, quod signum est altissimi doloris, ait Donatus. Pergit ab indignitate rei,

——fatis contraria nostris
Fata Phrygum.——

Est quippe indignum fata hominum directè opponi fatis Deorum, & illa his aduersari: imò hæc ab illis *superari*, quod ostendit per ecphonesin. Nam capti, euaserunt; Troia incensa, nõ sunt cremati neque ferrum, neque ignis aliquid profuerunt; nam per ferrũ, & per ignes inuenerunt viã, non fugã. Itaque recessisse à Troia videntur potiùs, quàm fugisse. Cõuertit deinde sermonem ad se per ironiam. Putent me fessam? putent odiis exsaturatam? Non sic est. Exsurgo in nouas iras, in noua odia.

[b] Enumerauit primum periculum belli, quod euaserunt Troiani: pergit ad alterum maris. Dixerat, *inuenêre viam per acies, per ignes*; corrigit hoc. Non inuenêre ipsi viam, imò ego illos excussi patria, ac feci profugos: & excussos ausa sum sequi per vndas omnes infestissima. *Ausa*, quia contra fata, & quia in C Regna non meæ ditionis, sed Neptuni: vtraque enim magna est audacia; & non tam illis tempestates, quàm me opposui, si possem retardare. Sed ecce nihil omnia profuerunt: nam vires Iunonis, cœli, maris, Syrtes etiam, Scylla, & Charybdis, omnia ista minora sunt illis. Ideo concludit. Habent quod optabant, *conduntur in alueo Tybridis, securi pelagi, securi mei,* quæ per pelagus infestissima sequuta illos sum.

[c] Vt se ad maiores iras exacuat, adhibet argumentum à minoribus numinibus Marte, & Diana, sicuti in 1. Æneid. ab Pallade. Et sicuti ibi ad naufragium proposuit vastationem naufragij, quo absumptus est Aiax: ita hîc ad bellum Latinum inchoandum proponit vastationes bellorum, quibus D Lapithæ absumpti sunt à Marte, & Calydon à Diana. Fabulæ, quas attingit, Seruiano filo istæ sunt. Pirithous Rex Lapitharum vocauit ducens vxorem ad conuiuium & Centauros, & Deos reliquos excepto Marte; hic iratus furorem immisit, quo se Centauri, & Lapithæ confecerunt. Oeneus Calydonis Rex de primitiis sacrificauit numinibus reliquis Diana excepta; hæc irata aprum immisit, quo vastata est Calydon. Ergo, ait, Mars perdidit Lapithas, assensit Iuppiter Dianæ iris ad vastandam Calydona, cùm tamen non tantam pœnam aut Lapithæ, aut Calydon mererentur. Hîc enim *scelus* pro pœna posuit, interprete Seruio, vt 2. Æneid. *scelus expendisse merentem.*

A [d] Accommodat rem. Diana, & Mars atrocissimas pœnas exegerunt in minore culpa; ego verò, quæ *coniux Iouis magna, vincor* non à Lapithis ferocissimis, non ab integra vrbe Calydone; sed ab vno *Ænea*, quæ tamen *potui* non minùs atque illi *nil inausum linquere, quæ me in omnia verti*, vt illos perderem; sed satis infeliciter, cùm nihil profecerim. Pergit hunc in modum. Si ita iam constitutum est, vt nihil ipsa possim, implorabo auxilia omnia, quæ vbique locorum sunt, videlicet infernum contra cœlum, inferni numina contra Superos. Et præclarè de Diis, *flectere*, de inferno, *mouere*. Illud suadelæ ad Deos prudentes, istud moliminis ad Deos barbaros.

[e] Esto, fatales sint nuptiæ Lauiniæ cum Ænea, neque hunc possim prohibere Italia, tamen (aperit iam B hîc animi iniquitatem, cùm aliter nequeat contra Troianos munitos fatorũ vi) traham nuptias, moras belli interponendo: licebit saltem vastare, atque exscindere vtranque gentem, Troianam, & Italam mutuis cædibus. Coëant gener Æneas, socer Latinus hac mercede. Vide, an maior iniquitas fingi queat, vt noceat Troianis, vult suis nocere.

[f] Conuertit se ad Lauiniam, quam vult dotari sanguine, & esse eius pronubam Bellonam. Nota hîc miram emphasin. Non ego ero pronuba, quæ Iuno sum, & ad quam hoc muneris spectat: sed Bellona. Pergit, & addit argumentum à simili. Hecuba filia Cissei vidit se facem parere, & Parin peperit, quæ causa incendij Troiani, ducta Helena in matrimonium. Ergo, ait, non tantùm Hecuba enixa est ignes in perniciem Troiæ, face illa, id est, filio, quem habebat in vtero: sed Venus quoque peperit partu simili Æneam; hic enim alter est Paris. Ac proinde iterum tædæ & flammæ comparantur funestissimæ in Pergama, quæ denuò exsurgunt, & recidiua restaurantur. Itaque comparat Hecubam Veneri, Parin Æneæ, Helenam Lauiniæ. Vocat Parin *ignes iugales*, id est, coniugales, conceptos vtique matrimonij iugo, & ex coniugio.

NOTÆ.

1. STIRPEM.] Qui videat titulum 15. lib. 1. Instit. Iustiniani de legitima agnatorum tutela, videbit discrimen inter agnatos, & cognatos: sunt illi qui per mares coniunguntur, hi qui per feminas. Eo loci adnotat Ioachim Mynsingerus agnatos locutione Tulliana respõdere *genti*, cognatos *stirpi*. Vt ita videatur propriè locuta hîc Iuno, quia Troiani à Ioue ducebant originem per Electram. Itaque cùm lib. 1. de iisdem dixit, *genus inuisum*, voluit vocẽ cõmunem, quæ & gentem, & stirpem includeret. Non aduocat ille locum Tullij, tantùm citat lib. 1. de Oratore. Credo itaque intelligi ab illo verba hæc, quæ habentur eo libro: *Cùm Marcelli à liberti filio, stirpe, Claudij patricij eiusdem hominis hæreditatem ad se rediisse gente, dicerent.* Vbi sententia est, Marcellos per feminam, Claudios per marem deuolui in hæreditatem.

Agnati, & cognati.

Gens, stirps.

2. SIGÆIS.] Iam suprà.

3. NVM CAPTI POTVERE CAPI?] Pari lepore locutus

locutus est Ennius loquens de Pergamis, ad quem A dubio procul respexit Maro,

Quæ neque Dardaniis campis potuere perire,
Nec cùm capta capi, nec cùm combusta cremari.

Vt etiam Petron.

Ibat iuuentus capta, dum Troiam capit.

Talia sunt infinita in auctoribus. Ad hoc enim genus ὀξύμωρον (Oximoron.) possis referre sequentia. Virg. 3. Æneid *Via inuia.* Sidon. epist. 16. lib. 4. *damnum indemne.* Ennod. epist. 15. lib. 4. *cæca luce.* Hieron. ad Pammach. *humilitate sublimem.* Plinius cap. 36. lib. 16. *pondus volucre.* Apul. de mundo, *inordinatum ordinem*: & *candidum pudorem.* Plaut. Casin. *victi vicimus.* Lucret. lib. 1. *deceptaque non capiatur.* Ouid. 1. Fast.

Victa tamen vinces, euersaque Troia resurges.

De Priamo Sen. in Troadibus. B

——— *Et flammâ indiget*
Ardente Troia. ———

Quod ego sic reddidi: *Igne caret, quo non Ilion igne caret.* Tale illud eiusdem Senecæ Agamem.

——— *vicimus victi Phryges,*
Bene est, resurgis Troia, traxisti iacens
Pares Mycenas, terga dat victor tuus.

Horat. lib. . Epist.

Græcia capta ferum victorem cepit. ———

Et lib. 1. *strenua nos exercet inertia*: atque illud eiusdem; *Occupet extremum scabies.* Virg. in 9. *moriens animam abstulit hosti.* Ouid. Eleg. 11. lib. 5. Trist. *iniustum rigido ius dicitur ense.* Ennius dixit, *mentes dementes, artem inertem.* Referunt I. C. ad hoc idem ὀξύμωρον trita illa de fure manifestario, aut furto. Est. n. manifestario cōtra naturā furti, quod clancularium. In Græcis immēsa est seges; vt cùm dicunt, κλαυσίγελως, θρασύδειλος, μωρόσοφος, γλυκύπικρος, πόλις ἄπολις, βίος ἀβίωτος, ἔργα ἄεργα, χάρις ἄχαρις, ψῆφις ἄψηφις, ἰρὸς ἄϊρος, ἀλόγιστος συλλογισμὸς, quod est in Synes. epist. 154. ita χρόνος ἄχρονος, ἀδοξία ἐνδοξίας, μήτηρ ἀμήτωρ apud Soph. in Elect. νίκην πικρὰν apud Ioseph. lib. 1. Bel. c. 17. & infinita alia. Celebratur illud Themistoc. ἀπωλόμεθα, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα: *perieramus, nisi periissemus.* Sic sacrum illud, *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Pulchrè Homer. Iliad.

——— δῶκα ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ:
Volens concessi, quamuis nolenti animo.

(Saturo ad animum.) 4. ODIIS AVT EXSATVRATA.] De pertinacia Iunonis in retinendis iris alibi locutus sum. Pari D verbo de eadem Dea in 5.

Iunonis grauis ira, & inexsaturabile pectus.

Est hoc, quod Cornel. Nepos, *Artaxerxes implacabile odium in Datamen susceperat.* Vt & Cic. *implacabiles iracundias.* Sophocl. in Elect.

Μῖσός τε γὰρ παλαιὸν ἐντέτηκέ μοι.
Vetus odium in me consenuit.

Probè Nazianzenus orat. 15. τὸ πάσχον μνημονικώτερον: *patiens retinentiore est memoria.*

(Excuti.) 5. EXCVSSOS.] Quasi turbine aliquo, & procella abreptos. Itaque non *exactos* ait Scal. vt Cic. Liuius, alij: sed exquisitius. Donatus etiam verbum hoc expendit, & ait positum mirabiliter; nam quidquid E hoc excutitur, cum sua cadit pernicie. Pari, vt video, virtute dixit Pers. Sat. 6.

Vende animam lucro, mercare, atque excute solers
Omne latus mundi. ———

Indicat enim diligentissimam operam in nauigando & perscrutando terrarum orbe ad quærendum lucrum.

(Profugus.) 6. PROFVGIS.] Vox contumeliosa. Sic Dido de Ænea loquitur, vt de desertore & fugaci. Sic infrà Amata de eodem:

Perfidus alta petet abductâ virgine prædo.

Commodè notant Homeri interpretes lib. 1. Iliad. in contentione illa Achillis, & Agamemnonis satis prolixa, cùm Achilles dixisset, νῦν δ' εἶμι Φθίηνδ', *Vado autem Phthiam*, relicturus exercitum, Agamemnonem contumelioso verbo respondisse, non, *vade*, vt ille dixerat: sed φεῦγε, *fuge*: interpretans fugam, Achillis discessum. (Fugio verbum contumeliosum.)

7. ABSVMPTÆ.] Arripuit Statius 5. Sylu.

——— *Absumptæ vires, & copia fandi.*

8. QVID SYRTES.] De his, de Scylla, de Charybdi iam prolixè. Lucret. quoque lib. 1. dixit. *vasta Charybdis.* Versus ipse ab Catullo, qui de Nuptiis Pelei.

Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?

9. OPTATO CONDVNTVR TYBRIDIS ALVEO.] Propert. Eleg. 8. lib. 1. *claudi portu*, dixit. (Portu condi, claudi.)

10. SECVRI.] Emphasis non vulgaris: nam hæc securitas pro contemptu est, vt 1. Æneid. *securus amorum germanæ*, id est, contemnens. Ouid. ad suum librum 1. Trist. (Securus de contemptu.)

Denique securus famæ liber ire memento.

Quasi suus liber sit proiecti iam pudoris, & profligatæ verecundiæ.

11. MARS PERDERE, &c.] Præclarè Seruius in lib. 1. Æneid. *Exempla pro negotiorum qualitate sumere debemus, vt hoc loco in marinis periculis ponit peracta tempestatis exempla.* Dicit hoc, quia ibi Æneas vt confirmet milites tempestate vexatos, pari tempestatum exemplo efficit, *Vos & Scyllæam rabiem*, &c. Est hoc C præceptum Aristotel. in lib. Rhetor. ad Alexandrum vbi ait. παραδείγματα δέ ἐστι, πράξεις ὅμοιαι γεγενημέναι: *Exemplum est, res illæ his quæ factæ sunt, similes.* Inde itaque illud de tempestate in 1. Æneid. Præterea in 6. Æneas pietate fretus patrem adire vult, quod vt consequatur, similia aliorum exempla adducit, qui pari pietate adierunt inferos: *si potuit manes*, &c. Ergo hic Iuno, cum velit Troianos bello perdere; exemplum Martis aduocat, qui bello Lapithas perdidit. Sic in 1. volens Troianos tempestate perdere, exemplo se Palladis confirmat, quæ tēpestate Aiacem abripuit. Idem sæpe in Cicerone obseruabis. Apud Liuium Scipio lib. 28. vt probet dignas esse supplicio legiones, quæ se spreto Imperium detulerunt ad homines barbaros, eius legionis exemplum aduocat, quæ in Romano foro pœnas dedit securi percussa. Isocrates in Panegyr. cùm dicat tum plurimùm Græcos posse, cùm coniunctis viribus pugnent in Barbaros, exemplo firmat eorundem Barbarorum, qui coniunctis etiam viribus plurimùm poterant. Similiter cùm dicat tum Græcos malè affici, cùm inter se dissident, idem de Barbaris asserit. Apud Statium Bacchus lib. 7. Theb. expostulans ante Iouem, exemplum aduocat à fratre Phœbo: *potuit Latonia frater*, &c. (Exēpla pro negotiorum qualitate.)

12. CONCESSIT IN IRAS, &c.] Iras Dianæ fuisse grauissimas, & formidandas satis indicat Callimachus his versibus. (Dianæ iræ graues.)

Σχέτλιοι οἷς τύνη χαλεπὴν ἐμμάξεαι ὀργήν:
Κτήνεά σφιν λοιμὸς καταβόσκεται, ἔργα δὲ πάχνη.
Κείρονται δὲ γέροντες ἐφ' υἱάσιν, αἱ δὲ γυναῖκες
Ἢ βληταὶ θνήσκουσι λεχωΐδες, ἠὲ φυγοῦσαι
Τίκτουσιν, &c. ———

Ah miseri in quos tu grauem impingens iram:
Pecudes ipsorum pestis deuorat, opera verò grando.
Trucidantur senes super filiis: mulieres
Aut cæsæ moriuntur puerperæ, aut profugæ
Pariunt ———

Huic argumento seruiunt sacra Taurica Poëtis cele

celebrata, & fabula Actæonis, in cuius narratione A Ouid.

Nec nisi finita per plurima vulnera vita,
Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ.

Sed ad iras Deæ huius insignis est locus in vita Arati, vbi Plutarchus de quodam Dianæ simulacro ita scribit. οὐ γὰρ ἀνθρώποις μόνον ὅραμα φρικτὸν εἶναι καὶ χαλεπὸν, ἀλλὰ δένδρα ποιεῖν ἄφορα, καὶ καρποὺς ἀπαμβλίσκειν δι' ὧν ἂν κομίζηται: *Non modò id hominibus visu dirum & exitiale, sed etiam arbores infæcundas reddere, & corrumpere fructus, per quos transferatur.* Iuppiter apud Statium 7. Theb.

———*veterem Calydona Dianæ*
Expugnare dedi.———

Possum, vim auget. 13. POTVI.] Non placet Canterus lib. 2. cap. 2. qui locum hunc, & alia quæpiam tam Virgilij, quàm B aliorum explicat, verbi huius vi adempta, ita vt *Antenor potuit penetrare*, sit tantùm, *Antenor penetrauit*: & hîc, *nil linquere inausum quæ potui*, sit, nihil reliqui inausum. Loca alia vide in eo. Imò vis tota orationis posita in expresso verbo: ibi enim dolet Venus se non posse, quod mortalis Antenor: hîc dolet Iuno, potentiam suam recidisse in nihilum.

Memet. 14. MEMET.] Multùm efficax, ait Scal. Ita Catullus

Coniugis infido consoler memet amore.

15. IN OMNIA VERTI.] Sic in 12.

Verte omnes tete in facies.———

Quis scit, an vtroque in loco alluserit Poëta ad naturam Dei Vertumni, qui *formas Deus aptus in omnes?* ait Ouid. 14. Metamorph. Vel alludit ad veterem parœmiam ἅπαντα δρᾶν, *omnia facere* de irrito conatu. Sen. epist. 125. *Quid formam colis? cùm omnia feceris, à multis animalibus vinceris.* Martial. lib. 2. Epig. 14.

Omnia cùm fecit; sed renuente Deo.

Deæ vinci ab hominibus intolerabile. 16. VINCOR AB ÆNEA.] Ita in Græco Epigram.

οἴμοι, ὑπὸ θνητῆς λείπομαι ἀθανάτη.

Ita Iuno eadem apud Sen. in Furent. *De me triumphat*; loquitur de Hercule. Est enim hoc intolerabile, vt & illud nostri alibi: *mortali vincor ab hoste*. Tolerabilius si Dij à Diis: sic Neptunus apud Euripidem non erubescit fateri se superari ab Iunone, & Pallade. Oratio tamen ipsa tota est ad αὔξησιν, & incrementum, neque enim Iuno victa ab Ænea, sed à fatis, quæ inuiolabilia. Explicat hoc ipsa in 1.

———*méne incepto desistere victam,*
Nec posse Italiam Teucrorum auertere Regem?
Quippe vetor fatis.———

Huc trahendum illud eiusdem lib.

Ilium in Italiam portans, victósque Penates.

Victi enim dicuntur non tam relatione ad Græcos, quàm ad fata, quæ iubebant eos Troia migrare.

Omnem lapidem mouere. 17. FLECTERE SI NEQVEO, &c.] Eadem vis huic versui, ac trito prouerbio, *omnem lapidem mouere*. Quod alia forma concepit Plutarch. in Amator.

Mouere immobilia. ἀκίνητα κινεῖν: *mouere immobilia*: & in vita Dionis,

Mouere omnem machinam. πᾶσαν μηχανὴν αἴρων: *mouens omnem machinam*. Alia Oppian. lib. 1. Cyn.

Lapidem omnem perscrutatur. ———ἐρευνᾷ
Πάντα λίθον, &c.———
Perscrutatur omnem lapidem.

Ab Virgiliana Iunone. Iunonis eiusdem minæ apud Senecam in Furent. contra Herculem:

Educam, & imo Ditis è Regno extraham
Quidquid relictum est.———

Infernos mouere. Et Valer. lib. 3. Arg. vbi Iuno eadem, & contra eundem Herculem: *Furias, Ditemq; mouebo*. Plutonis apud Claudian. lib. 1. Rapt.

———*patefacta ciebo*
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas.

Et Magæ apud Lucanum lib. 6.

———*tibi pessime mundi*
Arbiter immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito feriere die.———

Et Statij 3. Sylu.

Asperaque inuitæ perstringam viscera terræ.

Verbum *mouebo* dat eidem Iunoni Valer. Flac. lib. 5. Arg. in re simili:

Verùm alios tunc ipsa dolos, alia orsa mouebo.

Et Manilius lib. 1. *imúmque Acheronta mouere.* Putat Germ. Virgilium sententiam sumpsisse ab illo Supplicum Æschyli.

Τὸν πολυξενώτατον
Ζῆνα τῶν κεκμηκότων
Ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις
Ἀρτάναις θανοῦσαι,
Μὴ τυχοῦσαι
Θεῶν Ὀλυμπίων.

Dicunt videlicet se suspendio consumptas ituras supplices ad infernum Iouem, à Superis non auditas. Conatum istum expressit Demosth. Philipp. 4. per verba ista: ἅπαντα ποιητέον εἶναι νομίζεις, καὶ πονητέον, καὶ κινδυνευτέον: *Putas omnia esse facienda, omnia laboranda, omnia vel cum periculo subeunda.* Græcorum turba ita, πάσῃ ἰσχύϊ, πάσῃ δυνάμει, παντὶ τρόπῳ. Plutarch. in vita Luculli πᾶσαν ἔστρεφε μηχανήν. Sed quia initio attuli parœmiam de omni lapide moto conformem Virgilianæ sententiæ, adeat Lector Erasmum Ch. 1. Cent. 4. cap. 30. vbi explicat origines adagij huius, C *Omnem lapidem mouere.* Ego hîc bona Lectoris venia aliam adducam, quam ille omisit. Peto illam ex Plutarcho in vita Antonij. Cùm hic à Parthis recessit, viam habuit cum multis aliis incommodis, cum vni fami expositam. Ergo de exercitu fame presso ita Scriptor: *Coacti insolita gustare, herbam attigerunt, quæ afferebat per insaniam mortem. Qui eam sumpserat, nullius alterius rei meminerat.* ἓν δ' ἔργον εἶχον, κινεῖν καὶ στρέφειν πάντα λίθον, ὡς τι μεγάλης σπουδῆς ἄξιον διαπραττόμενοι. ἦν δὲ μεστὸν τὸ πεδίον κεκυφότων χαμᾶζε, καὶ τοὺς λίθους περιορυττόντων, καὶ μεθιστάντων. *Vnum omnes agebant, vt omnem lapidem mouerent ac versarent, quasi rem efficerent magni momenti. Plenus fuit campus humi inclinatorum, lapidésque eruentium, & transferentium.* Hæc ille. Ex quo disces, adagium posse vsurpari, cùm D quis rei acquirendæ insanè admodùm insudat. Addidisse hoc Erasmianæ operæ non ingratum fuerit. Lapidē mouere.

18. AT TRAHERE, &c.] Totum hunc locum adumbratum ad lib. 5. Odyss. certissimum est: vbi Neptunus ait, multùm miseriarum subiturum Vlyssem, etiamsi iam ad Phæacas peruenerit, fatorum ordine. Quod apparet ex circumstantiis aliis huius tractus. Nam sicut hîc fingitur Iuno remeans ex ex Argis; ita ibi Neptunus ex terra Æthiopum. Sicut hîc Iuno caput quassat; ita ibi Neptunus κινήσας κάρη. Itaque huic parti totus incubuit Virgilius, vt iam desinat queri Macrobius cap. 17. lib. 5. de imitatione Virgiliana, vbi quæpiam pessimo iudicio lancinat de exorsu Latini belli. Quasi verò Home- Virgilius defenditur. E rica bella altiora habuerint initia. Quid enim conferendum cum irata Iunone dolore zelotypiæ? Digniùs itaque ad hunc furorem Dearum maxima deducitur è cœlo, ex inferno maxima Furiarum, quàm tota Græcia armatur ad vnius Helenæ vindictam. Si contemnit Macrobius, quæ de ceruo, & agresti manu, quid dicet ad lacrymas Sacerdotis, vnde initium Iliados? Ridicula hæc sunt, si conferantur cum apparatu Latini belli.

 19. COEANT

Coëo.

19. COEANT.] Propriè, cùm in legibus *coire* dicatur de matrimonio; sic, *matrimonium coire*, &, *matrimonio coïo* & talia huiusmodi, quæ suppeditat Brissonius lib. 3. de verb. significat. Sententiam Silius arripuit ad rem suam lib. 2. vbi Iuno loquens cum Furia:

Hac mercede Fides constet delapsa per oras.

Volebat scilicet euerti consilia Fidei. Ita & lib. ?. Æneid.

——poscant acies, & fœdera rumpant.

20. MERCEDE.] Eodem planè sensu dixit Cic. 3. Tuscul. *Nam istud nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Quod Achilles Statius translatum ex Crantore iam docuit, qui ante Tullium. [illegible Greek] In his locis *merces* sumitur non verè pro mercede, sed pro malo, & nocumento, vt etiam apud Callimach. in hymno Dianæ.

Merces in malam partem.

[illegible Greek]

Neque enim Atrides paruâ se mercede mactauit.

Id est, non paruo damno.

21. SANGVINE, &c.] Præclarè illustrat hunc locum Germ. ex Græcis, qui similia, sed in quæ etiam incideram. Orpheus loquens de Medea in Argon.

[illegible Greek]

Dotem bellicam ex draconis dentibus.

Et Euripid. in Ione.

Dos cruenta.

Φερνὰς γε πολέμου, καὶ δορὸς λαβὼν γέρας.

Capiens belli dotem, hastæ præmium.

Æschylus etiam Agamemnone connumerat mala, quæ secuta nuptias Helenæ; signatiora ad Poëtam sunt.

Ἀγουσά τ' ἀντίφερνον
Ἰλίῳ φθοράν.
Ducens dotem
Exitium Ilio.

Vbi & Scholiastes. ἀντίφερνον. ἀντὶ προικὸς φθορὰν, καὶ ἀπώλειαν κομίζουσαν: quia videlicet Helena pro dote exitium attulit & vastitatem. Vocat etiam Helenam δορίγαμβρον, vt quæ secum afferret hastarum sponsum, & plenum cruoris. Eurip. Hippol. pari sententia dixit.

τὰν Ναΐδ' ὅπως τε Βάκχαν
Σὺν αἵματι, σὺν καπνῷ,
Φονίοις θ' ὑμεναίοις
Ἀλκμήνας τόκῳ Κύπρις ἐξέδωκεν.
Naïdem instar Bacchæ furentem
Cum sanguine & cum fumo,
Cruentisque Hymenæis
Alcmenæ filio Venus dedit.

His magistris dixit Poëta Lauiniam dotandam Troiano, & Rutulo sanguine. Et Auctor Thebaidos: *Dotale bellum est.* Et Tacitus. 1. Ann. *pacem, verùm cruentam.* Non diuersa sententia dixit Statius lib. 1. Theb.

——superis adiuncta sinistris
Connubia.——

Pronuba nuptiarum.

22. PRONVBA.] Pollux lib. 3. cap. 4. [illegible Greek] Dicit, feminam, quæ gubernat, quæ pertinent ad nuptias, dici administratricem thalami, & nuptiarum, & pronubam. Quod esset munus pronubæ allucet ex verbis istis Xenophont. lib. 2. Memorabil. [illegible Greek] *Non profectò* (subiicit Socrates) *vti quidem ego de Aspasia aliquando audiui. Aiebat enim bonas pronubas, quæ cum veritate de aliis bona commemorarent, plurimum ad conciliandam inter homines adfinitatem valere: quæ verò mentirentur, eas laudando nihil proficere.* Notetur mos, quem alij iam obseruarunt, pronubas apud veteres debere esse vniuiras ad bonum omen. Id est, explicatore Festo: *Pronubæ adhibebantur nuptiis, quæ semel nupserunt, causâ auspicij, vt singulare perseuraret matrimonium.* Quem ad locum coniungit Scaliger Tertullianum, Seruium in schedis, & Catullum, attingentes eundem morem. Ait primus in Exhortat. ad castitatem: *Monogamia apud Ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibeatur, & sic auspicij initium est.* Alter: *Varro pronubam dicit, quæ antè nupserit, & quæ vni tantùm nupserit.* Tertius in Epithal.

Eius munus.

Vniuiræ.

Vos vnis senibus bonæ
Cognitæ bene feminæ
Collocate puellulam.

Has *vnicubas* vocat Hieronym. lib. 1. aduersùs Iouinian. ad finem: *Vnicubas inter Gentiles matronas meritò laudatas, & per illas solas Fortunæ muliebri sacra fieri consueuisse.* Illas *multiuiris* opponit Minutius: *Alis sacra coronat vniuira, alia multiuira.* Ad extremum noto vocem, in qua sum, accommodari aliis, quàm feminis; nam Tertullian. aduersùs Gent. *Aurum nulla norat, præter vnico digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo.*

Vnicubæ.

Multiuiræ.

Pronubum.

23. NEC FACE TANTVM, &c.] Nota est fabula de somnio Hecubæ. Eius meminit Eurip. in Troadib. Priamus (inquit) Troiam perdidit, [illegible Greek] *non occidens infantem Paridem* (*facis simulacrum amarum.*) Apollidorus (citat hunc Vrsin.) [illegible Greek] *Visa est Hecuba verè se parere facem incensam, quæ vrbem totam corriperet, & inflammaret.* Cicero lib. 1. de Diuinat.

Hecubæ somnium.

Fax de Paride.

Quia mater grauida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba, quo facto pater,
Adest, adest fax obuoluta sanguine, atque incendio.

Sequuntur multa. Ouidius in epist. de Hecuba,

Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni,
Flammiferam pleno reddere ventre facem.

Lege reliqua. Eadem apud Senecam in Troadib.

Meus ignis iste est, facibus ardetis meis.

Præcedunt alia. Virgilius iterum in 10.

——& face prægnans
Cisseis Regina Parin creat.——

Vt videas *ignes iugales* nihil esse aliud, quàm Paridem. Nam quod hîc ait, *Cisseis pregnans face enixa est ignes iugales*; in 10. reddit: *Cisseis prægnans creat Parin.*

Ignis iugalis.

24. CISSEIS.] Pacuuius, & Ennius Cissei quoque filiam faciunt Hecubam, quos sequitur Virgilius: Homerus Dymantis. Vide hîc Vrsinum.

Cisseis Hecuba.

25. PARTVS SVVS.] Notat Germ. ita quoque Tullio dici de Augusto, *Iunonis aureus partus.* Græci quoque pro filio, τόκον, γόνον, λόχευμα.

Partus pro filio.

26. ET PARIS ALTER.] Victorij face alij hunc locum illustrarunt, quos sequor. Mira contumelia in Æneam, qua vult Iuno illum similem fore Paridi delicato, molli, libidinoso; ducta ex Euripide in Troadib. vbi Tragicus hæc dat verba Andromachæ ad Hecubam:

Alter in contumelia.

Φεῦ, φεῦ. ἄλλος τις Αἴας, ὡς ἔοικε, δεύτερος
Παιδὸς πέφηνε σῆς.——
Heu, heu. Aiax, vt vides, alter
Natæ apparuit tuæ.——

Vbi contumeliosè Aiax δεύτερος. Eadem contumelia Virg. in 10.

——muris

——muris iterum imminet hoſtis
Naſcentis Troia, nec non exercitus alter.

Adiungo ſimili dolore dictum à Philoctete lib. 4. Epig. artificem ſtatuæ ſuæ eſſe alterum Vlyſſem. Nam videlicet ſtatuarius fecit, vt æterna eſſet memoria dolorum, quos ſemel paſſus eſt ab Vlyſſe. Verſus ſunt.

A Ἐχθρὸς ὑπὲρ Δαναοὺς πλάστης ἐμὸς, ἄλλος Ὀδυσσεύς,
Ὅς μ' ἐμνήσε κακῆς οὐλομένης τε νόσου.
Plaſtes meus ſupra Græcos mihi inimicus fuit, verè Vlyſſes alter,
Qui mihi in memoriam reuocauit dirum ac peſtilentem morbum.

Eodem lib. vbi ſermo eſt de ſtatua Medeæ. ἦ τίς Ἰήσων δεύτερος; *nunquid alter eſt Iaſon?*

a Hæc vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit:
Luctificam Alecto dirarum ab ſede ſororum,
Inferníſque ciet tenebris: cui triſtia bella,
Iræque, inſidiæque, & crimina noxia cordi.
b Odit & ipſe pater Pluton, odêre ſorores
Tartareæ monſtrum, tot ſeſe vertit in ora:
Tam ſæuæ facies, tot pullulat atra colubris.
c Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur.
Hunc mihi da proprium virgo ſata Nocte laborem,
Hanc operam, ne noſter honos, infractáve cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ poſſint, Italóſve obſidere fines.
d Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos: tu verbera tectis,
Funereáſque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus,
Diſiice compoſitam pacem, ſere crimina belli,
Arma velit, poſcátque ſimul, rapiátque iuuentus.

ARGVMENTVM.

Adit inferos Iuno, mandátque vni è tribus Furiis negotium turbandæ pacis, ſerendi belli inter Troianos, & Latinos.

EXPLICATIO.

a Vix Iuno minas abſoluerat, cùm pari furore commota, ac tota pre iracundia horrens terras petiit & infernum, vt inde Alecto excitet, vnam è tribus ſororibus. Huic dat luctum, bella, iras, inſidias, noxia omnia crimina. Nam videlicet Iuno ad eam iniquitatem, quam animo meditabatur, his peſtibus indigebat, bellis, iris, &c.

C

b Hanc Furiam tot malis ſcatentem, tot criminibus fœcundam ipſe etiam Pluto, ipſæ ſorores odio habent. Ratio huius odij, quia ea in omnes malorum formas mutabilis eſt, & quantis opus eſt ad omnia mala ſerpentibus pullulat. Ea videlicet eſt mali natura, vt mali quoque illud oderint.

c Ad hanc igitur ita Iuno acuens ad iras. Nihil à te alienum peto, proprium tuum eſt nocere. Impende mihi (dicit, *da*, imperans) hunc laborem. Ratio, cur velit vti induſtria huius Furiæ. Ne meus honor, aut fama periclitentur. Quid verò petit? Diſturba nuptias Æneæ cum Lauinia, fac ne Troiani in Italia ſint. Sed *Æneadæ*, ait, non Æneas, vt ſignet alios Troianos, qui pari exemplo (imò neceſſitate, vt in aliena terra) nuptias etiam ambirent. Sic ſuprà, *Externi venient generi*, non, gener.

B

d Amplificat numerando Furiæ mala. Naturalis eſt fratrum concordia, hanc tu naturam potes (ſignata vox) euertere. Naturale eſt, vt quos vnum domicilium coniunxit, coniugat amor: hunc quoque amorem conuertere in odium potes. Nullum eſt tectum tam munitum, nulla domus, quam tu non verberibus & facibus furoris ad funus, & exitium perducas. Ratio; nam *tibi nomina mille, mille nocendi artes*, id eſt, nullum eſt facinus tam abominandum, quod ipſa non concipias. Sequitur concluſio. Ergo *concute pectus* malorum *fœcundum*. Sed inter tot mala, quibus fœcunda es, mihi nunc neceſſaria ſunt ea crimina, quibus diſiicienda pax, ſerendum bellum. Itaque iuuentus *velit arma* animo, *poſcat* voce, *rapiat* manu; & *ſimul* omnia. Vide, vt inſtet.

C

NOTÆ.

1. TERRAS HORRENDA PETIVIT.] Hoc figmento delectatus etiam Nonnus, apud quem lib. 31. Iuno videns Bacchi exercitum victoria exultantem, infernum adiit nouas machinas ſtructura,

ᾤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο μεγίλωδε πανδόκον αὐλήν:
Abiit ad Plutonis obſcuram capacémque aulam.

Et generatim quidem Diis omnibus videtur hæc fuiſſe vnica ratio petendi auxilij. Nam apud Homerum 15. Iliad. Iuppiter ait, niſi Neptunus ſibi paruiſſet, fore vt Dij quoque inferni audituri rem illam eſſent, vt non ſine bello, & ſudore res tranſigeretur inter ſe, & Neptunum. Nota etiam eſt fabula de palude Stygia, quæ in auxilium Iouis. Infernum ad auxilium.

2. PETIVIT.] Optimè, vt quæ malum factura, Peto in malam partem.

&to

& tota ad nocumentum aspirans. Sic 1. Æneid. A Cupido *Reginam petit*, nam tametsi ad speciem osculaturus, tamen vetere insidiis aggressurus.

Alectus luctus. 3. LVCTIFICAM ALECTO.] Apud Ouid. lib. 4. Metamorph. Tisiphonem *Luctus comitatur euntem*, Eadem ibidem affert secum *& scelus, & lacrymas*. Alecto apud Claudian. lib. 1. in Ruff. inter alios comites, sequitur

——scisso mœrens velamine Luctus.

4. DIRARVM AB SEDE SORORVM.] Abundè hic locus explicabitur, & illustrabitur his, quæ dixi iam de scelerata Furiarum sede. Locum Homeri, quem potuit respicere in hoc tractu, Vrsinus habet, vbi quæpiam inducitur inuocans Plutonem, & Proserpinam, ac terram manibus pulsans. Sed ad locum illum Homeri potiùs credo, quàm Virgilium, allusisse Ouidium lib. 10. Metamorph.

Persephonen adiit, inamœnáque Regna tenentem
Vmbrarum dominum.——

Ad Virgilium clarè Silius lib. 2. apud quem Iuno Tisiphonem excitat contra Saguntum. Et Ouid. 4. Metamorph. vbi eadem Dea,

Sustinet ire illuc cœlesti sede relicta
(Tantùm odiis, iræq; dabat) Saturnia Iuno.

Et post pauca:

——illa sorores
Nocte vocat genitas, graue & implacabile numen,

Valer. lib. 2. Arg. non dissimili figmento inducit Venerem vtentem Fama ad patrandos tumultus. Video & Virgilium supra Græcos. Vide quo imperio Furiam excitet. Itaque reprehendo Nonnum lib. 31. apud quem Iuno Proserpinam orat, vt det sibi Furiam contra Bacchum. Annuit illa, & Iunoni dat Megæram. Non sic oportuit, ipsa debuit excitare non expectato imperio Proserpinæ.

Virgilius superat Græcos.

Inferorum tenebræ. 5. INFERNIS TENEBRIS.] Vel hac vna re infamis locus. Inde in 6. loquens de inferno *noctem* vocat. Euripid. Hecub. dixit:

Νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας.
Mortuorum latebram, tenebrarum portas.

Lucret. l. 4. *lucis egens Tartarus*. Ouid. l. 4. Met. *caliginis vmbras*. Stat. 1. Theb. *caligantes campos*. Virg. 4. Georg. *Stygiis tenebris*. & in 1. *Styx atra*. Martial. lib. 1. *Stygias vmbras*. Silius lib. 12. *infernis nebulis, pallente vmbra, noctem profundam*. Inde ipse Pluto Ἀΐδης Græcis, quod Virg. reddit in 6. *sine Sole domos*. Ouid. in 10. Metamorph. *vmbrarum dominum*. Alij *opertum Deum, opacum, tenebrosum*.

Opertus Deus Pluto.

6. CVI TRISTIA BELLA.] Tanquam cognata huic Furiæ. Vide verò vt sit Maro sui memor. Nam infrà eadem;

Bella cui Furiæ dentur. *Bella manu, lethúmque gero.——*

Et:

Incendámque animos insani Martis amore.

Iuno ad illam: *fere crimina belli.* Turnus ab ea percussus: *Arma amens fremit.* Omitto millia. Homerus etiam ἄλληκτον, id est, *non cessantem, non quiescens*, (quæ vox huic Furiæ nomen dedit, vt quæ nunquam à malis quiescat) sæpe cum bellis coniungit, vt cùm ait, ἄλληκτον πολεμίζειν, ἄλληκτον μάχεσθαι. Idem cum Contentione, quæ vna è Furiis, coniungit 5. Iliad. πόλεμοί τε, καὶ μάχαι τε. Et eandem lib. 6. vocat πολέμοιο ἱέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν, tanquam bella cognata sint Furiis. A Polluce inter personas tragicas, in quibus semper bella & dissidia, numerantur lib. 4. ἔρινυς, λύσσα, οἶστρος, ὕβρις, *Furia, Rabies, Oestrum, Iniuria*. Ab adductis locis Homeri περὶ τῆς ἔριδος, id est, *de contentione*, laudo Virgilium, qui signatissimè lib. 4. Æneid. *contendere bello*. Nota etiam epithetum tristitiæ.

Alectus etymon.

Contendere bello.

Maximus Tyrius dissert. 19. ἢ τί ἂν εἴη πολέμου ἀχαριστότερον; *Iam quid bello minus est amabile?* Plura ibi. & dissert. 35. πόλεμοι, τὸ σκυθρωπότατον: *bella, res tristissima*. Simocatta lib. 1. Hist. Mauric. cap. 15. φιλόδακρυν πόλεμον, *bellum lacrymarum feminarium*. Hesiodus in Scuto ornat sagittas Herculis δάκρυσι, *lacrymis*.

Tristitia comes bellorũ.

7. IRÆQVE, INSIDIÆQVE.] Opposita vitia, vt ita vim Furiæ acriorem indicet, quæ prodiga & facilis ad res omnes, etiam contrarias. Dixi hoc ex mente Aristotel. cap. 7. lib. 7. ἠθικ. ad Nicomach. Ita verò ille. Ὁ μὲν γὰρ θυμώδης οὐκ ἐπίβουλος, οὐδ' ὁ θυμός, ἀλλὰ φανερός: *Iracundus minimè est insidiator, neque ira ipsa, imò verò aperta.* Et mox opponit cupiditati, quod vitium totum est insidiosum, & ideo ait, dici Venerem δολοπλόκου, quòd dolos nectat. Vide verò comites Furiarum, Iras (inquam) & Insidias. De Iris quoque Claudian. 1. in Ruff. loquens de Megæra,

Iræ, & insidiæ opponuntur.

Furiarũ comites.

Quam penes insani fremitus, animique profanus
Error, & vndantes spumis furialibus Iræ.

De Insidiis Petron. Sat.

——facibúsque armata Megæra,
Lethúmque, insidiæq;, & lurida mortis imago.

8. PLVTON.] Ita & Claudian. 1. Rap.

Iamque viam Pluton superas molitur ad auras.

Ita in correctissimis, non *Pluto*. Sed Virgilium quidem coëgit ratio metri.

9. TOT SESE VERTIT IN ORA, TAM SÆVÆ FACIES.] Quia iræ, insidiæ, & mala reliqua, quæ Furiis dantur, plerunque fiunt cum mutatione vultus. Præclarè itaque ad hunc locum Germ. aduocat Plutarch. opere de cohibenda ira, qui cùm dixerit ex Hippocrate eum morbum esse periculosum, in quo ægrotantis facies mutatur, addit ipse Plutarchus tanquam explicans Hippocratem, οὕτως ὁρῶν ὑπ' ὀργῆς ἐξισταμένους μάλιστα καὶ μεταβάλλοντας ὄψιν, χρόαν, βάδισμα, φωνήν, εἰκόνα τινὰ τοῦ πάθους: *tanquam sentiens correptos ira mutare maximè faciem, colorem, incessum, vocem veluti imaginem eius passionis.* Adiungo alterum eiusdem Plutarchi locum ex eodem opere. ὀργὴ φυσῶσα, καὶ διατείνουσα τὸ πρόσωπον ἀσχημόνως: *Ira inflat, & intendit faciem fœdè.* Inde illud Marsilij expendentis in Ione speciem furoris, quam Plato vocat insaniam, qua homines in alienam formam ferarum mutantur. Seneca de irato dixit in Oedipod.

Iracundi faciem mutat.

Oculique vix se sedibus retinent suis.

Virg. aptè, *quæ mentem insania mutat?* Inde Claudian. in Consul. Manlij Theod. loquens de virtute contraria iræ:

Seruat inoffensam diuina modestia vocem,
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas,
Nulláque mutati tempestas proditur oris.

10. ATRA.] Quia mox dicturus *sata Nocte*. Itaque quæ filia est Noctis, *atra* est: nam hoc idem Noctis epithetum Noster in 5.

Et Nox atra polum bigis subuecta tenebat.

11. QVAM IVNO, &c.] Ex decoro tantùm, *acuit, fatur.* Non tenuit Silius lib. 2. vbi Iuno inducitur *palmas tendens* ad Tisiphonem. Fœdè. Pari fœditate Ouid. lib. 4. Metamorph. nam Iuno ad Furias,

Virgilius decori seruantissimus.

Imperium, promissa, preces confundit in vnum.

Satis enim *imperium*.

12. HVNC MIHI DA, &c.] Ex hoc loco Silius lib. 2. ore Iunonis ad Tisiphonem.

Locorum similitudo.

Et palmas tendens, hos, inquit, Noctis alumna,
Hos muros impelle manu, populúmque ferocem
Dextris sterne tuis, Iuno iubet ipsa, &c.

Non dissimilis Plutonis oratio ad Tisiphonem apud

apud Statium lib.8.Theb.

Sed quid ego hæc ita: Tartareas vlciscere sedes
Tisiphone, & si quando nouis asperrima monstris
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, inuideántque sorores.

Præstat Silio Statius: non enim fero illud *palmas tendens*. Neque enim preces istæ sunt appellandæ, quæ indignæ Iunone ad Furiam, sed mera imperia. Inde Virg. *Hunc mihi da proprium*, &c. Scio ab August. nominari preces, sed hoc ille ex lata verbi (*do*) significatione, non stricta. Verba eius lib. 3. de Ciuit. cap. 13. *Aut fortassis Alecto illa infernalis Furia, iam eis fauente Iunone, plus in illos habuit licentiæ, quàm cùm eius precibus contra Æneam fuerat excitata.*

B Furiæ cur virgines. 13. Virgo.] Furias antiqui vocarunt virgines, quòd vltrices sint scelerum; neque facilè corrumpi queant, quin pœnas sumant de improbis. Orpheus in Hymno ἁγνὰς vocat *castas*; & σεμνὰς, quòd seueræ, & incorruptæ essent, dici ab Arpocratione notat Lilius. Ab Statio Tisiphone lib. 9. Theb. dicitur *aspera virgo*. Putat Scaliger allusisse Virgilium ad versum Ennij,

Imitatio.

Corpore Tartarino prognata paluda virago.

Paluda. Nam Poëta sup. *odère sorores Tartareæ monstrum*. Est *paluda*, paludata. Alij legunt *palude*. Redeo. Soph. in Aiace flag. loquens cum Furiis ita ait,

Καλῶ δ' ἀρωγοὺς τὰς ἀεί τε παρθένους:
Inuoco vos auxiliatrices, semperque virgines.

Prouerbiũ. Huc spectat adagium Græcorum ἀεὶ παρθένοι ἐριννύες: *semper Furiæ virgines*, id est, semper vltrices, & incorruptæ in puniendo. Inde in 4. Æneid. Diræ C dicuntur *vltrices*: & in 6. Tisiphone *vltrix*. Quod epithetum est in Valerio 5. Argon. in Statio 11. & 12. Theb. in Seneca Med. per initia. De iisdem Eurip. Oreste. [illegible]: *vlciscentes pœnam, vlciscentes cædem*. Sophocles in Aiace, ποινίμας ἐριννύας; quasi pœnarum exactrices. Qui locus Virgilium illustrat, qui in Ciri Furias vocat *Pœnas* eo versu,

Verberibus sæuo cogunt sub iudice Pœnæ.

Ita enim dicuntur Pœnæ, vt à Sophocle ποινίμαι.

Furiæ Noctis filiæ. 14. Sata nocte.] Dissident fabulæ de ortu Furiarum. Omitto: & do tantùm quæ pro Virgilio. Lycophron vocat νυκτὸς κόρας, *puellas Noctis*. Æschyl. Eumen. νυκτὸς τέκνα. *Noctis filias*. Sophoc. in Oedip. γῆς τε, & σκότου, quod in idem recidit; nam si filiæ Tenebrarum, certè Noctis. Adiungo Latinos. Ouid. D 4. Metamorph. *sorores Nocte genitas*. Stat. 11. Theb. de quapiam: *Erebo sata virgo*. Valer. Flac. 3. Arg.

——*quem Nocte satæ, quem turbidus horret*
Armipotens.——

Neque verò dissidet Virgilius ab his, qui illas faciunt filias Terræ, in his est Hesiodus: nam suprà Iuno *Terras horrenda petiuit*. Sic solet Maro vnico verbo diuersa adiungere, & gratiam carmini. Vt verò hic habes matrem; sic suprà patrem, *odit & ipse pater Pluton*.

Infractum, & Cedo militaria. 15. Infractave cedat.] Disce loqui, & coniungere res affines: *infracta*, & *cedat*, vtrumque militare est. De primo in 12. *Latinos Marte infractos*. in 9. *infracta ad prælia vires*. De altero in 10.

Cedebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique.——

In 11. *agmina cedentia*. Scriptorum, & vnius in primis Liuij finis nullus.

Obsideo notat domicilium. 16. Obsidere.] Explica, domicilium locare, & sedes figere. De qua sedis nota iam suprà. Nisi quis recurrat ad arma hostilia: vt dicat Iuno, ne sine hostem esse in Italia, & in eam grassari.

A 17. Vnanimes.] Obertus legit ex lib. vet. *vnanimos*: nam sic olim veteres, sicuti *proclinus*, *sublimus*, *gracilus*. Sic Lucret. lib. 6. Lectio Virgiliana.

Et procliuus item fiat minùs impetus vndis.

18. Armare in prælia fratres.] Illustrant hunc locum, quæ ego iam latè ex Græcis, & Latinis 2. Georg. ad illud, *gaudent perfusi sanguine fratrum*. Et hic adiice Claud. 1. in Ruff. vbi de Megæra dicitur: Fratrum dissidia.

Non nisi quæsitum cognata fede cruorem,
Illicitúmque bibit, patrius quem fuderit ensis,
Quem dederint fratres.——

Sophoc. in Elect. de fratribus διπλῆ φιλονεικία, *duplex dissidium*.

B 19. Atque odiis versare domos.] Dat huic Furiæ quod est Megæræ. Hæc enim dicta ἀπὸ τοῦ μεγαίρω, *odi, inuideo, æmulor*. Sic & Claudianus in Ruff. Megæra vnde dicta.

Inuidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Alecto.——

Nota vnicè dici à Virg. *odiis versare domos* cum oppositione ad id, quod præcessit, *armare in prælia fratres*. Aliud est ius iræ, aliud odij, docente Aristotele cap. 4. lib. primo Rhetoric. καὶ ἡ μὲν ὀργὴ, ἀεὶ περὶ τὰ καθ' ἕκαστα, οἷον Καλλίᾳ, ἢ Σωκράτει. τὸ δὲ μῖσος καὶ πρὸς τὰ γένη. τὸν γὰρ κλέπτην μισεῖ, καὶ τὸν συκοφάντην ἕκαστος: *Ira quidem aduersùs singularia semper, vt Calliam, Socratem: odium verò etiam aduersùs genera. Nam furem odio habet, & sycophantã quisq*. Ergo Maro irã fratribus, odiũ domibus attribuit, qua potuit ratione, id est, poëticè adũbrans in fratribus singulare quiddam, in domibus commune. Neque enim Poëta aliter debet has res tractare. Iræ & odij diuersa iura.

20. Tibi nomina mille.] Sic explico. Vt Dij cœlestes variis nominibus gaudebant à varia benefaciendi ratione, vt Iuppiter iam Hospitalis, iam Liberalis, &c. ab honore, quo iam hospites, iam amici accipiendi essent: ita Furiæ à variis nocumentis, quibus potentes sunt; varia accipiunt nomina. Certè huic vni vnus Virgilius dat bella, iras, insidias, odia, homicidia. Eandem apud Claudian. 1. in Ruff. sequuntur Discordia, Liuor, Luctus, Timor, Audacia, & infiniti alij dirissimi comites. Megæra habet apud Petron. Lethum, Insidias, Mortẽ. Apud Claudian. insanos fremitus, errorem animi, iras vndantes, cruorem cognatum. Apud Nonnum lib. 31. Inuidiam. Tisiphone apud Ouid. lib. 4. Metamorph. Luctum, Pauorem, Terrorem, Insaniam. Furiæ omnes apud Senecam in Furente, Scelus, Impietatem, Errorem, Furorem. Tisiphone, & Megæra apud Statium lib. 11. Theb. Iram, Odium, Discordiam, Terrorem, Turbationem, & centena alia. Hęc igitur mille sunt nomina, mille artes nocendi. Nam si in precationibus (quod alij iã notarunt) magna erat eius numinis potentia, cuius plura nomina officiorum, vt de Iside Myrionyma, & aliis, cur non vis eadem ad nocumenta? Aptè verò hæ potestates explicantur per *nomina*. Ita Arnobius de his, qui Christo E maximo Seruatori magiam obiectabant, lib. 1. *Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perficit, Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina, & remotas furatus est disciplinas*. Quem ad locum Heraldus adducit Origenem, apud quem Celsus simili significatio adhibet ὀνόματα. Datur autem Furiæ verbum *noceo*, vt infrà, *tempus Dea nacta nocendi*. Ab Claudian. in Ruff. *noxia venena*. Nomina mille nocendi quæ. Nomen ad explicandas potestates numinum. Noceo verbũ Furiarũ.

21. Fœcundum concute pectus.] Signat mala, quibus fœcundissimæ sunt Furiæ. Tria præcipuè numerat Isidorus, & inde rimatur numerum

Furiarum.

Furiæ cur tres.

Furiarum. *Aiunt* (inquit) *tres Furias antiqui feminas crinatas serpentibus, propter tres effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt.* Mox numerat Iram, quæ vindictam cupit; Cupiditatem, quæ opes desiderat; Libidinem, quæ appetit voluptates. Ab hac triplici sobole fœcunditas reliqua. Porrò ad imitationem Nostri Iuno loquens cum Furiis apud Senecam in Furente:

Hoc agite, pœnas petite violatæ Stygis;
Concutite pectus.———

Concutere pectus, quid.

Ex Virgilio clarum quid dicat Seneca, non, *concutite pectus Herculis*, sed, *concutite pectus vestrum.* Ex Virgilio item Silius, apud quem Iuno ad Tisiphonem:

Locorum similitudo.

Et quicquid scelerum, pœnarum quicquid & iræ
Pectore fœcundo coquitur tibi, congere preceps
In Rutulos, totámque Erebo demitte Saguntum.

Et Stat. 1. Achill. *fœcundúmque erige pectus.*

22. CONCVTE.] Ab hoc loco vult Scal. debere legi in Claudian. *Mens concussa*, non, *congesta*. Sed nihil mutandũ in Claudiano, qui planè intelligit ἀνατυρβαζομένην, & veluti magna æstuátem. Vt verò hîc *fœcundum*, & *concute*; ita idem Claud. lib. 2. detorquẽs,

Concutit, & glebas fœcundo rore maritat.

Loquitur de Zephyro. Est hoc genus imitationis optimum.

23. DISIICE.] Diligenter Germanus discutit plura auctorum loca, quibus apparet hîc legendum

A *disice*, non, *disiice*. Vide illum, atque etiam Gifanium in indice Lucret. & Iuretum in epist. 23. Senecæ. Nihil enim istis speciosius possum. Sed ego ad rem omisso nomine. Euripid. in Oreste de Furiis, τὸ ταράττειν, καὶ φοβεῖν, quòd pacem turbent. Ab Statio lib. 1. ante aduentum Tisiphones canitur,

Lectio Virgiliana. Disice legendum, non, disiice.

Protinus attoniti fratrum sub pectore motus,
Gemiléſque animo: subiit furor, ægráque lætis
Inuidia, atque parens odij metus, inde regendi
Sæuus amor, ruptaq; vices, iurisque secundi
Ambitus impatiens.———

Vide quid sibi apud eundem lib. 11. arroget vna Furiarum:

Hoc quodcunque madent campi, quòd sanguine fumant
B *Stagna, quòd innumero lethæa examine gaudet*
Ripa, meæ vires, mea læta insignia.———

Nemo certè est Poëtarum, qui non Furias exciret contra pacem.

24. SERE CRIMINA BELLI.] Liuius lib. 21. *ex bellis bella serendo.* & lib. 31. *bella ex bellis seri.* Ammian. lib. 21. *studia seuisse discordiarum.* Propertius lib. 3. loquens de Medea, *armigera prælia seuit humo.* Tacitus in Hist. *prælia serere.* Sallust. 1. Hist. *bellum serum.* Altius quiddam Virgilius; nam non bellum, aut prælium, sed *belli crimina*. Quod verò Virg. *crimina*, Ammian. lib. 15. *setra venena serens*, vbi de calumniis loquitur.

Serere bella.

[a] Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta Tyranni
Celsa petit, tacitúmque obsedit limen Amatæ.
[b] Quam super aduentu Teucrûm, Turníque Hymenæis
Femineæ ardentem curæq; iræq; coquebant.
[c] Huic Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Coniicit, inq; sinum præcordia ad intima subdit,
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
[d] Ille inter vestes, & læuia pectora lapsus
Voluitur attactu nullo, fallítque furentem,
Vipeream inspirans animam: fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ,
Innectítque comas, & membris lubricus errat.

ARGVMENTVM.

Egressa Alecto Latini Regiam petit, & primò Amatam inuadit, coniecto in eam vno e crinalibus anguibus.

EXPLICATIO.

[a] PARET statim (nam hoc est, *exin*) Furia, pestibus omnibus malorum munita, non aliter ac si secum afferret venena, & serpentes Gorgonum (quę istæ, vndecunque petentur nouitio Lectori) petit Latium, è toto Latio vrbem Laurentem, è tota vrbe Regiam Latini, è tota Regia Amatæ limen, hoc obsidet insidiabunda. Quid sit *tacitum limen*, iam explico. Est *Laurentis Tyranni*, Latini.

[b] Ratio cur ad Amatam primùm diuerterit; nam illa ardens & curis, & iris coquebatur dolens Teucros aduenisse, dolens disturbari Turni nuptias. Hi

C duo versus sunt oppositi. Aduentus quippe Troianorum curas ingerebat, disturbandæ nuptiæ iras. Hîc nullus est peruersus ordo, vt quidam volunt. Procedo. Quia verò Amata tota intus coquebatur curis, tota iris ardebat, neque se dum curæ illæ, aut iræ manifestauerant, ideo suprà, *tacitum limen.* Quasi dicat: nullis dum minis atria illa constrepebant, quieta erant omnia; tantùm dolor, & ira intus. Cruciat se Donatus in explicando limine tacito.

[c] Quid ergo Furia? Anguem vnum (habebat quippe angues pro crinibus) in illam coniicit, signat locum, *in sinum*, non satis, *in intima præcordia.* Dat rationem, vt Regina agitata hoc monstro, domum omnem furore permisceat. Per hunc anguem intellige aliquam mentis affectionem, putà errorem, deceptionem, insaniam. Sed Poëta poëticè.

[d] Insinuat se illicò serpens in vestes feminæ, in corpus, sed *nullo attactu*, quia non sentiebatur: nam lapsu molli voluebatur. Sic fallebat furentem, id est, sensim agens in furorem, sic fallebat. Ratio: quia spirabat vipereum halitum. Vocat Amatæ corpus

lene,

leue seruata vicissitudine ad serpentem, qui *lubricus*, qui *lapsus*, qui *attactu nullo*. Pergit. Redit serpens ab intimis præcordiis, & in aurum versus, fit torques ad collum, vitta ad comas, vt ita erret per omnes partes miseræ. Poëticè ista accipienda sunt. Præclarè *tortile aurum* cum allusione gemina, videlicet & ad torquem colli, & ad serpentis naturam; ille enim tortilis.

NOTÆ.

Virgilij decorum.

1. EXIN.] Nihil respondet, statim parat, ex miro decoro. Quid enim moras necteret, vbi vrgebat præsentis Iunonis præceps ira? Deinde, quid illa promitteret, nisi frigidè post tantum feruorem Iunonis? Iraque non placet Ouidius, qui post auditam Iunonem infert respondentem Tisiphonem. Frustra deinde quæpiam monentem. Cur hæc vilissimum numen ad summam Deam? Cautior Silius lib. 1. qui statim post verba Iunonis.

Sic voce instimulans, dextra Dea concita sæua
Eumenida incussit muris, tremuitque repentè, &c.

Cautior Statius lib. 7. Theb. apud quem Mercurius, audito Ioue, statim paret mira celeritate, nihil loquens. Cautior idem lib. 12. vbi Luna, audita Iunone, nihil respondet, sed paret protinus. Amat Tacitus poëticas decurtationes: in 11. Annal. *Exin Calpurnia, &c.*

Gorgoneum venenum.

2. GORGONEIS.] Commodum attributum venenorum, tum quia caput Medusæ coronabatur venenatis serpentibus. Cedren. loquens de simulacro Palladis, καὶ τὸ γοργόνειον τέρας, καὶ ὄφεις περὶ τὸν τράχηλον ἐμπεπλεγμένους: *Gorgoneum monstrum, cui angues ad collum complicati.* Tum quia in Africa venena omnia creduntur orta ex capite Medusæ Gorgonis. Inde Ouidio scriptum de Perseo,

Cúmque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidêre cruentæ,
Quas humus exceptas varias animauit in angues.

Inde etiam dictum Lucano lib. 9.

Plenior hic sanguis, & crassi gutta veneni.

Ouidius penè ad verbum sententiam transtulit ex istis Apollonij lib. 4.

Γοργόνος ἀρτιτομὸν κεφαλὴν βασιλῆϊ κομίζων,
Ὅσσαι κυανέης στάγες αἵματος οὖδας ἵκοντο,
Αἱ πᾶσαι κείνων ὀφίων γένος ἐβλάστησαν.

Furiæ cum veneno.

Ouidius idem suam Tisiphonem venenis communit lib. 4. Metamorph.

Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni.

Et iterum:

Dúmque pauent illi, vertit furiale venenum.

De eadem Tisiphone Silius lib. 2. *mistò quæ spumant felle venena.* Claudian. in Ruff. de sua Furia,

Noxiáque effudit concusso crine venena.

Peto in malam partem.

PETIT.] Vt malum aggressura. Sic suprà Iuno *terras horrenda petiuit.* Vide 1. Æneid. ad illud, *Reginam petit.* Malè Silius hoc verbi dedit Fidei venienti ad Saguntinos lib. 2. neque vlla defensio ad gustum. Etenim Poëtæ alij in aggressu Furiarum illud adhibent, non in aduentu virtutum, quæ ad solatium, & gloriam.

Obsideo, verbum hostile.

4. OBSEDIT.] Ita Ouid. in 4. *aditúmque obsedit Erinnys*, videlicet vt hostis. Inde infrà, *Aste noua speculata locum.*

Feminarum impotentia.

5. FEMINEÆ.] Id est, impatientes, & vehementissimæ. Nihil enim modicum feminis. Inde γυναικώφωνον in nota doloris, & γυναικεῖον γένος (ait Pollux) θρηνῶδες, φιλόθρηνον, φιλόδυρμον, θρηνητικόν, à gemitu, lacrymis, ploratu: quasi feminæ his affectibus sint clariores, quàm viri. Communi diuerbio à Græcis genus muliebre dicitur φιλόδακρυ. De feminis, earúmque indole Basil. Episc. Seleuciæ ita ait lib. 1. Teclæ. πρὸς τε γὰρ ἡδονὴν τὸ γένος εὐόρμητον, πρὸς τὸ φοβερὸν εὐπτόητον: *Facillimè enim hoc genus, vt ad res lætas rapitur, ita ad tristes leui momento consternatur.* Tacitus penè prouerbialiter lib. 13. Annal. *Agrippina libertam æmulam, nurum ancillam, aliáque eundem in modum muliebriter fremere.* Et lib. 1. *muliebri impotentia.* Ergo *femineæ iræ* sunt iræ impatientissimæ. Plutar. quidem περὶ ἀοργησ. γυναῖκες ἀνδρῶν ὀργιλώτεραι: *feminæ iracundiores sunt viris.* Causam si quæras, hanc exhibet Ammian. lib. 27. vbi ait, *iram nasci ex mentis mollitie.* Probat: nam *iracundiores sunt incolumibus languidi, feminæ maribus, iuuenibus senes, felicibus ærumnosi.* Notet & Lector obiter, hanc vocem datam Amatæ iam nuptæ, Certè Liuius lib. 34. sub hac voce, vt quæ generica, includit coniuges, mulieres, matronas, matresfamilias, vxores.

Ira feminarum.

Cerda in Æneid. tom. 2.

Coquo de curis, &

6. COQVEBANT.] Ennius de cura, *Quæ nunc te coquit.* Prudent. Peri stephan.

Dudum coquebat differente martyre
Asclepiades intus iram subdolam.

Alibi:

Hostem coquebant irrita cordis venena.

Silius lib. 2.

——pœnarum quicquid, & iræ
Pectore fœcundo coquitur tibi.——

Et de Gestare Carthaginensi: *coquebat iamdudum immites iras.* Seneca in Furent. *mentem excoquat.* Aristotel. lib. 4. de morib. πέψαι τὴν ὀργήν. Mimnermnus apud Stob. serm. 61. verbo τείρω extulit: φρένας τείρουσι μέριμναι, *mentem vexant curæ.* Statius 2. Theb. ita.

Edo.

——exêdere animum dolor, iráque demens.

Quod verbum etiam à Græcis; nam Simocatta lib. 1. historiæ Mauricij cap. 1. κατεσθιόντων τῶν λογισμῶν τὴν διάνοιαν.

7. VNVM DE CRINIBVS.] Huic parti totus hæsit Ouid. lib. 4. Metamorph. apud quem Tisiphone:

Inde duos mediis abrupit crinibus angues,
Pestiferáque manu raptos immisit——

Sed videor in vtroque Poëta aliquid odorari; at hîc tantùm de Virgilio loquar. Facit postea Amatam bacchantem, datque illi notas omnes profanorum mysteriorum: nam it in syluas, simulat numen Bacchi, & reliqua, quæ videbis. Ad rem. Illis, qui his profanis mysteriis initiabantur, coniiciebatur in sinum coluber, ac tum *sacrati*, aut *consecrati* dicebantur. Audi Arnobium lib. 5. *Ipsa nouissima sacra, & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati: in quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus, atque imis.* Quid ergo, si ad hunc morem aspirauit Virgilius, vt attingere Poëtas decet? Non enim palàm debent eruditionem profiteri, sed tantùm insinuare. Etenim cùm postea videam Amatam his mysteriis operam dantem, cur non dicam præreptum quoque & præusurpatum, quod præcedere in his mysteriis solebat?

Initiatorum mos.
Sacrati qui.

Furiarum angues.

8. ANGVEM.] Crines scilicet Furiarum anguinei ex veterum assensu, vt ita meliùs explicarent pestem affectionum, ad quas illæ inclinant. Varro Atacin. de quapiam Furiarum,

Cuius vt aspexit torta caput angue reuinctum.

De simili monstro Prudent. Hamartig.

Hirsutos iubæ densa humeros errantibus hydris
Obtegit, & virides allambunt ora cerastæ.

Ouid. 10. Metamorph.

Nec metues atro crinitas angue sorores.

Et in epist.

Affuit Alecto breuibus torquata colubris.

Catull. de Nupt. Pel.

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons. ———

Horat. 2. Car.

Intorti capillis Eumenidum recreantur angues.

Orpheus Furias vocat ὀφιοπλοκάμους; & Nonnus lib. 31. Megæram δρακοντοκόμον.

Attactus nullus.

9. VOLVITVR ATTACTV NVLLO, &c.] Hanc anguium insinuationem nullo sensu corporis Ouid. lib. 4. Metamorph. ita imitans expressit his versibus,

Inoósque sinus, Athamanteósque pererrant,
Inspiránsque graues animos, nec vulnera membris
Vlla ferunt, mens est quæ diros sentiat ictus.

Inspirare venenum.

10. VIPEREAM INSPIRANS ANIMAM:] Ita 4. Georg. de apibus: *venenum morsibus inspirant*

Serpentium implicatio.

11. TORTILE COLLO AVRVM.] De hoc ornamento locutus sum iam lib. 5. Vt verò serpens applicat se collo Amatæ, ita apud Nonnum lib. 22. dicûtur dracones δοχμώσαντες αὐχένα ἐχιδνοκόμου Διονύσου, *flectentes ceruicem Bacchi, cui vipera in comis.* Inde bacchantes in Liberalibus inducuntur à Clemente ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν. Ita & Arnobius lib. 5. *Circumplicatis vos anguibus.*

Tænia vittæ.

12. TÆNIA.] Isidorus, & Adrian. Iun. explicant, A extremitatem vittæ dependentem. Puto tamen in hoc Maronis capi simpliciter *vittam*, locutione poëtica. Sicut enim vis Herculis, nihil est aliud, quàm Hercules, obseruatore Gifanio in Lucretium, Germano in Virgilium, Lambino in Horatium: ita *tænia vitta*, nihil est aliud, quàm vitta. Itaque cùm lib. 5. audis:

Purpureis ibant euincti tempora tæniis,

tantùm intelligit euinctos vittis. Et cùm Arnobius lib. 1. scribit, *venerabar veternosis in arboribus tænias,* tantùm vittatas arbores capit. Fuit enim solemne cingere arbores vittis. Quid quòd Festus ex Verrio tantùm interpretatur tæniam, *ornamentum laneum capitis honorati*; quod probat ex Cæcilio, Ennio, Actio. Vide illum. Et Lucianus de domo, ita hanc vocem explicat; Ταινία τὸ ἄφετον τῆς κόμης συνδεῖ, B *tænia ligat fluentes crines.* An est aliud vitta? Certum est ebrios coronari solitos. Atqui ebrius Alcibiades apud Platonem in Sympos. ita ait. ἥκω ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχων τὰς ταινίας: *Venio habens tænias in capite.* Non nego tænias alias esse à coronis & vittis, sed dico sæpe sumi pro coronis aut vittis: & in hoc Virgilij loco id mihi liquidum. Et cùm Lucian. in Dialog. mort. Alexandrum inducit διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν, *euincto capite tænia alba*, aliúdne intellexit, quàm Regium diadema? Sed de tæniis iam ego in 5.

Arbores vittis cingebantur.

[a] Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem:
Nec dum animus toto percepit pectore flammam,
Molliùs, & solito matrum de more locuta est,
Multa super nata lacrymans, Phrygiísque Hymenæis.
[b] Exsulibúsne datur ducenda Lauinia Teucris,
O genitor? nec te miseret natæq́; , tuíque.
[c] Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine, prædo.
[d] An non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæámque Helenam Troianas vexit ad arces.
[e] Quid tua sancta Fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
[f] Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idq́; sedet, Faunique premunt te iussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram, quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, & sic dicere Diuos.
Et Turno (si prima domus repetatur origo)
Inachus, Acrisiúsque patres, mediæq́; Mycenæ.

ARGVMENTVM.

Amata rationibus primùm disturbare nuptias contendit, veneno non penitùs imbibito.

EXPLICATIO.

[a] NONDVM in ima viscera venenum serpentis penitùs influxerat, nondum animus flammis C caluerat, ac proinde neque Amata furore omnia permiscuit; sed egit molliùs, & vt sanæ solent feminæ, tantùm lacrymis, & rationibus. In hoc initio moneo, adeat Donatum, qui velit multis orationem sequentem expendere. Ego pauca libabo.

[b] Prima ratio, cur non debeant coniungi matrimonia cum Troianis. Lauinia tua, ac proinde vnica *datur*, non petitur, quod solet fieri, in matrimonium *exsulibus*. Quid hac re deformius? verè *datur ducenda exsulibus*. Quasi dicat: qui exsules sunt, & in perpetuo errore, ducent quò velint, te deserent. Non istæ erunt nuptiæ, sed transcriptio miseranda filiæ.

filiæ. Ludit quippe Poëta in ambiguitate verbi *duco*. Ac proinde concludit, *nec te miseret nataque, tuique*: quia non es illam visurus amplius.

c Ac proinde nec te mei miseret: nam qui est exsul, & perpetuus erro, perfidus exinde erit, alta petet, virginem secum auferet immanissimus prædo, relinquet me cùm primùm venti flare cœperint.

d Firmat domesticis exemplis, & reuocat recentem memoriam Paridis, qui *pastor* (quid faciet miles?) Helenam rapuit, nullo iure hospitalitatis seruato, filiam Ledæ, ac proinde Regali matre genitam, vexitque secum ad Troiam, qua audacia nulla maior. Hæc ratio eò tendit, vt probet, faciliorem fore Æneæ hanc rapinam, cùm illi Latinus filiam in manum tradat.

e Sequitur altera ratio. Possit tecum Fides, quæ magna est virtus, & tuorum cura, & data dextera Turno consanguineo. Quasi dicat: Partes sunt Fidei, tuorum curam gerere, consanguinitatis iura seruare, seruare religionem datæ dexteræ non semel, sed sæpe.

f Posset obiicere Latinus, danda est externo. Diluit hoc Amata. Externus est, qui à tuo Regno & potestate discretus est. Is est Turnus: nam tametsi in longinquis oris non natus, tamen ditionis tuæ non est. Itaque argumentum positum est in noua notione, & explicatione huius vocis *externus*. Deinde confirmat: nam Turni maiores sunt Inachus, & Acrisius Reges Mycenarum. Huic ergo ex paterno oraculo danda est filia: nam hic verè est externus: non Æneæ, qui exsul. Aliud latenter agit Amata, ne videlicet Æneæ detur, qui verè Italus, vt qui à Dardano originem duceret. Absoluo breuiter, quæ pertinent ad natales Turni, quos hîc attingit. Inachus, & Acrisius fuêre Reges Argiuorum, diuerso quisque tempore: & constans erat fama aut ab illo, aut ab hoc duci Turni originem. Ab Inacho obscurior, tantùm propter colonias missas ab eo Rege in Italiam. Ab Acrisio clarior; ferebatur quippe Turnus natales ducere ab Danaë filia Acrisij, quam pater in arca inclusam in mare abiecit, quæ appulsa in littus Appulum, ducta est ad Regem Pilumnum, qui eam in vxorem accepit, vnde natus Daunus pater Turni. Porrò de Danaë inclusa in turri, & ibi prægnante à Ioue in aurum verso, quæ causa fuit erroris, vndecunque suppetet notitia.

NOTÆ.

Sublabor de venenis. 1. SVBLAPSA.] Hoc verbo, & sequenti *pertentat*, innuit illud, quod suprà dixerat de *nullo attactu*. Indicat Germ. locum similem Platonis lib. 4. Polit. etiamsi de re alia. ἡ μὲν λανθάνει ὑπορρέουσα. &, ὑγρὰ ὑπορρέων. Vide integra in illo. Idem ait, dici *vdum* à Virg. in re amoris, vt à Platone amor ipse ὑγρός, id est, *vdus*, quod non intellectus subrepat. Hippocrat. de morbis vulg. lib. 1. hoc expressit voce ἀφανέως, quasi nullo indicio res fiat. *Vdum.*

Imitatio. 2. NEC DVM ANIMVS, &c.] Non dubium, quin ex Catull.

Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.

Matronalis grauitas. 3. MATRVM DE MORE.] Nescio an hîc cum Seruio debeat accipi iracundia, & asperitas: imò lenitas & mansuetudo, & grauitas quædam matronalis. Nam qui iracundè loquebatur, si *mollius*? Pollux enim libro sexto inter notas iracundi ἐξύθυμος, πικρός, τραχύς, δύσκολος: *acer, amarus, asper, difficilis*, & similia; quæ voces nihil cum mollitudine. Ouidius lib. 1. de Pont. Eleg. 7. directè opponit asperitatem, & mollitudinem, eo versiculo:

Pectora mollescunt, asperitásque fugit.

4. EXSVLIBVSNE DATVR, &c.] Existimo versatum Poëtam in Eurip. loco isto, qui habetur in Supplicib. *Imitatio.*

Ἧς καὶ φανεὶς δικαίως, οὐ σοφὸς γεγώς,
Ὅστις κόρας μὲν, θεσπίσαντος Φοίβου ζυγεὶς
Ξένοισιν ὧδ' ἔδωκας ὡς ζώντων θεῶν.
Λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σὸν
Ἥλκωσας οἴκους.—

Quo in numero tu es, cùm sapiens non sis,
Qui filias, oraculis Phœbi constrictus
Sic dedisti peregrinis, vt viuentibus Diis.
Miscens splendidam familiam tuam pollutæ
Vulnerasti domos.——

5. PERFIDVS.] Obseruaui loca quæpiam, quibus perfidi dicũtur amatores, qui sunt fugaces, quod vnicum ad mentem Vatis, inde sequitur, *alta petens*. Inde apud Ouidium Theseus, & Demophoon dicuntur perfidi, quorum prior Ariadnem deseruit, posterior Phyllida. De illo libro primo de Arte amandi. *Perfidus dicitur amator fugiens.*

Iámque iterùm tundens mollissima pectora palmis,
Perfidus ille abiit, quid mihi fiet, ait?

De isto lib. 1. de Remed.

Perfide Demophoon, surdas clamabat ad vndas.

Medea quoque Iasoni desertori perfidiam obiicit.

Quantum perfidiæ tecum scelerate perisset.

Dido etiam Æneam lib. 4. parantem fugam *perfidum* vocat.

6. ABDVCTA VIRGINE PRÆDO.] Rectè, ait Germ. allusum ad γαμοκλόπους, & γυναικοκλώπας. Reperies id verbi lib. 1. Epig. vbi Helena timens nouum prædonem, ait: *Prædones virginum.*

Μὴ πάλιν ἄλλος ἔλθῃ με γαμοκλόπος εἰς ἐς Ἀχαιούς.

Vbi Brodæus, γαμοκλόπος, id est, *adulter*. Virgilio placuit *prædo*. Et *abducta*, ait, vt in re simili Catull. in Nupt. Pelei: *Abductor.*

Siccine me patriis abductam perfide ab oris.

7. PHRYGIVS PASTOR.] Maximus Tyrius dissert. 13. *Celebratur mulieris cuiusdam ex Peloponneso forma. Continuò barbarus homo ab Ida vsque adnauigat: non agricola tantùm, sed qui mitiores agricolis esse solent, magísque otio, & quieti addicti, magis pacis studiosi*, ποιμὴν καὶ βουκόλος, *pastor, & bubulcus*. Idem dissert. 24. loquens de Paride τρωϊκῆ ποιμένος, *Troiani pastoris*. Ex Virgilio Horat. Od. 15. lib. 1. *Paris pastor.*

Pastor cùm traheret per freta nauibus
Idæis Helenam perfidus hospitam.

Ab Ouid. in epist. ad Propert. Eleg. 2. lib. 2. Paris dicitur *pastor*. Cicero etiam epist. 16. lib. 1. ad Attic. *pastor Idæus*.

8. LEDÆAMQVE HELENAM.] Ita vulgò omnes tam Græci, quàm Latini, & nihil receptius. Sed Poëta quidam apud Athen. lib. 8. Helenam facit filiam Nemeseos his versibus,

Τοὺς δὲ μετὰ τριτάτην Ἑλένην τίκε θαῦμα βροτοῖσι,
Τήν ποτε καλλίκομος Νέμεσις φιλότητι μιγεῖσα
Ζηνὶ θεῶν βασιλῆϊ τέκε κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης:

Hinc Helena admiranda viris est tertia nata,
Quam Nemesis commista Ioui pulcherrima virgo
Cælicolûm Regi peperit vi fortè coacta. *Helena filia Nemesis.*

Quis hic Poëta an Cyprius, an Stasimus ipse ambigit Athenæus, in posteriorem video doctos inclinare. Sed sciendum ex Lactantio lib. 1. cap. 21. Ledam post mortem, dictam Nemesin, à Gentilibus, qui *Leda dicta est Nemesis.*

qui mortuis solebant mutare nomina. De quo iam suprà, vbi locuti sumus de Circe, & Marica.

9. QVID TVA SANCTA FIDES?] Videlicet in absentem Turnum. Verè enim dixit Cassiod. epist. 15 lib. 1. *Peruia sunt enim semper iniuriis facultates absentium.* Addo, & *honores.* Hîc enim nulla habita cura honoris Turni.

Absentes expositi iniuriis.

10. SI GENER, &c.] Vide Victor. lib. 26. cap. 5. vbi narratione quapiam illustrat hunc locum. Et adiungo à me locum non multò dissimilem Plinij in Paneg. vbi loquens de adoptione, qua Nerua Traianum adoptauit, ita ait: *An Senatus Populique Romani exercitus, prouincias, socios transmissurus vni, successorem ex sinu vxoris accipias? summaq; potestatis haredem tantùm intra domum tuam quaras? Non per totam ciuitatem circumferas oculos, & hunc tibi proximum, hunc coniunctissimum existimes, quem optimum, quem Diis simillimum inueneris?* Quibus ait, in eligendo successore ad Imperium, illum debere censeri coniunctum sanguine, qui optimus, etiamsi ex alieno genere: non qui ex sinu vxoris accipitur, si is non optimus. Et locum Soph. in Antig. vbi Creon volens interficere cognatam Antigonen, dicit pro-

Successor Imperij quis esse debeat.

A pinquitatis rationem ducendam à bonitate, & virtute. Itaque illi erunt cognati, qui boni sunt, etiamsi ex aliena familia: contrà cognati ducendi sunt alieni, si mali fuerint. Hanc enim sententiam elicio ex verbis illius, præsertim ex istis,

Cognati, qui boni.

——εἰ γὰρ δὴ τά γ' ἐγγενῆ φύσει
Ἄκοσμα, θρέψω, κάρτα τοὺς ἔξω γένους.
——*si enim cognati*
Mali sunt, alam potius alienos.

11. DICERE DIVOS.] Adscribo hoc doctissimo viro Germano. Dictio antiquis pro oraculo fuit. Actius in armorum iudicio: *Apertè fatur dictio, si intelligas.* Pacuuius Periboea: *Flexa, non falsa autumare* B *dictio Delphis solet.* Liuius lib. 8. *Auito ab Tarentinis in Italia data dictio erat, caueret Acherusiam aquam, Pandosiámque vrbem, ibi fatis eius terminum dari.* Fortasse (addit idem) quia Græcis λόγιον etiam est oraculum. Bene. Inde enim prouerbiali veluti forma Pollux lib. 1. ἐκ θεοῦ ἥκει λόγιον: *Dictio ex Deo venit.* Adhæc *prædictiones* esse oraculorum quis nescit?

Dictio pro oraculo.

Dictio ex Deo Prouerb.

12. INACHVS.] Huius æuo floruisse Mosen scribit Clemens lib. 1. Strom. cap. 10.

[a] His vbi nequicquam dictis experta, Latinum
Contrà stare videt: penitúsque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totámque pererrat:
Tum verò infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem.
[b] Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curuatis fertur spatiis; stupet inscia turba,
Impubésque manus mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ; non cursu segnior illo
Per medias vrbes agitur, populósque feroces.
[c] Quin etiam in syluas, simulato numine Bacchi
(Maius adorta nefas, maioremque orsa furorem)
Euolat, & natam frondosis montibus abdit,
Quò thalamum eripiat Teucris, tædásque moretur.
Euoë Bacche fremens, solum te virgine dignum
Vociferans: etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.

ARGVMENTVM.

Procedit Regina in furias, recepto iam penitùs veneno intra viscera.

EXPLICATIO.

[a] NON expugnatur rationibus illis Latinus, stat non aliter, quàm rupes prætenta fluctibus. Interim serpentis lues lapsa iam penitùs in viscera totam Reginam occupat, errátque non iam per cutem, sed ossa, & venas, ac tum vix credas quibus monstris excitaretur, vti per vrbem fureret. Sunt hîc *monstra* imagines illæ, quæ Reginæ animo obii-

C cibantur, afferente dolore illa phantasmata. *Sine more,* est, sine exemplo, ait Seru. Lege, quæ de hac voce lib. 8.

[b] Adhibet comparationem negotio aptam. Solent pueri in atriis ædium turbinem flagello agitare. Vide verò vti in puerili ludo viuidè, & non pueriliter. Volitat turbo sub verbere circum atria; nam magno in gyro, ideo postea *curuatis spatiis.* Agitur scutica (habenam hîc vocat) stupent præ admiratione pueri, vt qui inscij, vt qui impubes, ac proinde nondum maioribus assueti. Plagæ iterum & sæpe inflictæ turbinem versant, neque sinunt cessare. Ergo Amata non segnior per medias vrbes furens agitur, rotatur, volitat. Dicit *feroces populos*, quos ipsa scilicet mouebat ad ferocitatem furore suo.

[c] Ecce verò furorem, veriùs nefas vltra omnem modum. Natam in syluas abdit, simulat Bacchi festa,

sta, eo consilio, vt moretur nuptias, ac tum cum fremitu Bacchum inuocat, illi cum ingenti vociferatione filiam dedicat: nam ille solus, nemo alius, dignus ea. Adhibet verò tres notas bacchantium, scilicet thyrsum, choros, crinem. Thyrsus gestabatur manu, ideo *sumere*: chorus in circuitum peragebatur, ideo *lustrare*: crinis nutriebatur in Bacchi honorem, ideo *sacrum pascere*. Porrò *sumere, lustrare, pascere*, pro sumebat, lustrabat, pascebat.

NOTÆ.

Rupis sermo ad hominé.

1. CONTRA STARE.] Vide, vt explicui. Non enim dubium, quin repræsentet imaginem rupis eius, de qua ipse in 6.

Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Et de eodem Latino in hoc libro;

Ille velut pelagi rupes immota resistit.

Lege vtrunque locum, vt hunc exornes.

2. PENITVS.] Vox ista, & aliæ hic signatissimè, vt quæ sententiam integram ab superiore discriminent. Hîc, *penitùs lapsum* venenum, priùs tantum *lues sublapsa*. Hîc, *in viscera*, ibi tantùm, *pertentati sensus*. Hic, *totam pererrat*, ibi, *Nec dum animus toto percepit pectore flammam*. Ideo hîc ingentibus monstris agitur, & *furit sine more* ibi *mollius*, & *matrum de more*. Itaque quamuis ibi dicatur, *atque ossibus implicat ignẽ*, tantùm conatus Furiæ exprimitur. Sicut in superioribus illis, *præcordia ad intima subdit*. Dicit enim, quid tum aggressa Alecto, non quid gestum.

Bacchantiũ sermo ad mores.

3. INGENTIBVS EXCITA MONSTRIS.] Habet hoc Poëta, vt cui rei semel hæsit, eidem insistat tenacissimè. Adumbrat, vt vides, bacchantes feminas. Quoties eò recurrit? Hic *ingentibus excita monstris, furit lymphata, per medias vrbes agitur, euolat, fremit, vociferatur*. Quid deinde. *furiis accensas pectore matres: vlulatibus æthera complent*. Et Regina ipsa, *sanguineam torquens aciem*, illámque Alecto *stimulis agit vndique Bacchi*. Libenter hæc adnotaui ad imitationem poëseos. Non dissimilia Eurip. in Oreste eidem sermoni identidem insistens. μητρὸς δέ νιν αἷμα τροχηλατεῖ μανίαισι: *matris sanguis ipsum rotat insaniis*. Eundem Eumenides ἐξαμιλλῶνται φόβῳ, *exagitant metu*. Idem iterum, δεμνίων ἀπὸ πηδᾷ δρομαῖος, *à lecto prosilit festinabundus*. Iterum, μαινόμενον, *furentem*: & νόσου μανιάς: & λύσσας μανιάδος: & μανίαις ἀλαίνων, καὶ φόβοις. *morbus furens, furoris insanientis, insaniis errans, & terroribus*. Similis furor Iocastæ apud Statium lib. 11. Theb.

Expauit famam, nec tardè credidit, ibat
Scissa comas, vultúque, & pectore nuda cruento.
Non sexus decorisue memor. Pentheïa qualis
Mater ad insani scandebat culmina montis
Promissum sæuo caput allatura Lyæo.

Similis Imilces vxoris Annibalis apud Silium lib. 4.

Atque vrbem complet mœsti clamoris Imilce.
Edonis vt Pangæa super Trieteride mota
It iuga, & inclusum suspirat pectore Bacchum.

Homer. 22. Iliad. de furente Andromacha, μαινάδι ἴση: *Bacchanti similis*. Non abit locus alius Statij 1. Theb. de furente femina:

——pulsi ex animo genitórque, pudórque,
Et metus, ipsa vltrò sætis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus.

Irati obliuiscuntur decoris.

Verissimè Seneca lib. 2. de Ira cap. 35. *Liquit decor omnis iratos*. Vides enim vt omnes istæ vltra decorum irascantur. Sic & Theodosia Augusta apud Cedren.

A pag. 404. ὑπόβακχόν τι, καὶ μανικὸν κινουμένην: *Bacchicum quiddam vibrans, & furiale*. Sic & ab Plutar. Olympias Alexandri mater inducitur ἐνθουσιασμοῖς ἐξάγουσα βαρβαρικώτερον; narrat hoc in vita eius Principis.

Lymphati cur furẽtes. Ratio prima.

4. LYMPHATA.] Cur furentes dicantur lymphati, hærent adhuc docti. Creditum veteribus eos furore corripi, qui in aquis Nympharum imaginem vidissent. Sed hoc tritum. Deinde, sicut Laruati, & Ceriti dicuntur, qui Laruarum, & Cereris furiis aguntur, ita lymphati, qui furiis Nympharum. Iratæ enim Nymphæ, præsertim si nudæ conspicerentur, perpetuo furore inspectores suos mulctabant; hi Græcis νυμφόληπτοι dicebantur. Nam videlicet, quas hodie Lymphas, olim Nymphas vocabant. Cuius

Altera.

B rei, omissis testimoniis, quæ alij congerunt, do Maximum dissert. 11. in quem ipse incidi. εἰσὶ δὲ οἱ παρὰ τῶν νυμφῶν ἔχοντες καὶ ἐπιρρέουσιν ἐν λειμῶσιν, ἀλλ' αὐτοφυεῖ παρέχονται τῷ ὕδατι. *Sunt qui Nympharum riuos, laticésque aquarum non inficiunt. sed, vt natura suppeditauit eas, ita adhibent*. Et dissert. 20. παρείχοντο δὲ καὶ αἱ νύμφαι κρήνας καθαράς, καὶ ποταμοὺς διειδεῖς. *Præbebant Nymphæ purissimos fontes, fluuios illimes*. Ita alij sentiunt. Mihi visum non minore probabilitate dici posse, rem hanc ductam à conuiuiis, & veris lymphis, id est, aquis, nulla facta mutatione litteræ. Credebant veteres, vinum, si merum biberetur, adducere corpus in langnorem; si verò aqua mistum ad æqualitatem,

Tertia.

C tunc insaniam & furorem animo addi. Mnasitheus apud Athen. lib. 2.

Ἐὰν δ' ἴσον ἴσῳ προσφέρῃ, μανίαν ποιεῖ,
ἐὰν δ' ἄκρατον, παράλυσιν τῶν σωμάτων.
Insaniam dat aqua vis aquæ addita,
Merum bibatur id, resoluit corpora.

Vides furoris vim accrescere ex aqua addita. Ad eandem rem pertinet, quod scribit idem Athen. lib. 11. Athenienses, qui ad Dionysij templum accedebant, afferebántque mustum, solitos ex eo bibere, illúdque aqua miscere: cùm verò vidissent vinum augeri admista aqua, cœperunt tunc mistionibus delectari, ac tripudiare, atque in eam insaniam erumpere, qua solebant, Bacchum ipsum appellantes iam Dithyrambum, iam Baccheutan.

D 5. TVRBO.] Videtur institisse Homerico versui lib. 14. Iliad.

Imitatio.

Στρόμβον δ' ὣς ἔσσευε βαλών, περὶ δ' ἔδραμε πάντῃ.
Trochum autem sicut concussit feriens, rotatúsque est vndique.

Insigniter verò decepti sunt, qui *turbinem* confundunt cum *trocho*, de quo Ouid. 2. Trist. Horat. Od. 24. lib. 3. Artemidor. lib. 1. cap. 57. τρόχον ἐλαύνειν. Martialis:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat vt argutis obuia turba trochis.

Hic enim annulus longè à turbine. Eiusdem meminit aliis locis ter, aut quater. Itaque falsus Albericus in lib. Virgilian. lectionum cap. 13. qui ait τρόχιν Phocyllidis respondere *turbini*. Neque confundit

E Acro, vt quidam falsò putant. Apertè discriminant Mercur. in Gymnast. & Velserus in Notis ad monumenta Augustæ Vindelicor. Est ergo turbo, quem Græci vocant βέμβικα, quémque in Græco Epigram. ita descriptum habes.

Turbo quid.

Οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ σκυτάλαις θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Στρέφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.
At pueri scytalis ludentes turbine acuto,
Vertebant lato quisque suum in triuio.

Et apud Tibullum Eleg. 5. lib. 1.

Namque agor, vt per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.

Strobilus.

Ab forma turbinis non abit Platonis στρόβιλος lib. 4. Polit. nam de hoc ait stare simul, & moueri: quod quadrat turbini, cùm in eodem puncto circumfertur. Præterea suo στροβίλῳ dat Plato τὸ κέντρον, id est, aculeum illum, in quem reuoluitur cùm fixus hæret. Sunt qui putent Plautum alludere ad turbinem, cùm scripsit Cistell. *Mihi istum hominem vellem dari, vt ego illum versarem.* ῥόμβος porrò respondere *turbini* scribit dicto loco Albericus, & multo ante illum Pierius lib. 48. vbi loquitur de fræno. Idem videtur sentire Vrsinus, adducens ad hunc Virgilij locum illud Theocrit. in Pharmac. χ' ὡς δινεῖται ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος. De re Grammatica monearis, duplex esse nomen, & *turbo, turbonis*: & *turben, turbinis*, quod apertè tradit Charisius lib. 1. Institution. Grammaticar. quod & Scal. approbat: non minùs atque illud Festi adducentis ex Ennio, *sermo, sermonis*: & *termen, terminis*. Itaque in Tibullo sunt non pauci, qui legant, *turben*, non, *turbo*. Sed si ita est, cur non etiam in Virgilio *turben* legunt? Vt hoc abnuo, ita & illud. De vetere libro Tibulli, quod aiunt, dissentiunt alij. In fine moneo, errare illos, qui versum Horatij Sat. 7. lib. 1.

Rhombus.

Turbo, turbonis.

Mobile lignum. Neuropastum.

Duceris vt neruis alienis mobile lignum.

ad turbinem referunt, cùm debeat ad νευρόσπαστα, & νευροσπαστεῖν, aut αὐτόματα. De neuropastis etiam capiendus Pers. Sat. 5.

Te nihil impellit, nec quicquam extrinsecùs intrat,
Quod neruos agitet.———

Sed Persium Sat. 3. ad turbinem refero, cùm scribit:

Nec quis callidior buxum torquere flagello;

non ad trochum, vt malè aliqui.

Habena turbinis, & Scutica.

6. HABENA.] Alij hanc vocant *scuticam*. Græcum Epigram. σκυτάλην: in quo tamen sunt qui legant, non ὑπὸ σκυτάλαις, sed ὑπὸ πληγῇσι. Virg. starim, *Dant animos plagæ.* Poëta his omnibus explicat verbum ῥεμβονίζειν, quod est, *in gyrum agitare, & instar turbinis pueriles.* Aristophan. in Vesp.

ἡμῶν πρόσθεν ῥεμβονίζουσιν ἑαυτάς.
Versent se coram nobis instar turbinis.

Scholiastes rem explicat verbo στρέφω. βέμβιξ (inquit) ἀργαλεῖον ὃ μάστιγι στρέφουσιν οἱ παῖδες: *turbo est instrumentum, quod verbere vertunt pueri.* Et statim verbo διωκεσθ. ὃς μάστιγι διωκόμενος στρέφεται.

Buxum pro turbine.

7. BVXVM.] Ita etiam Persius Sat. 3. turbinem vocat,

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Ita etiam Statius 7. Theb. Adducam versus, vt Virgilium illustrem, imò explicem. Ait ille ore Bacchi enumerantis artes molles, quas sciunt bacchantes,

—*mea tantum prælia norunt;*
Nectere fronde comas, & ad inspirata rotari
Buxa: timent thyrsos nuptarum, & prælia matrum.

Vides ergo vt Virgilius Amatam, quam perpetuò bacchantem inducit, cum buxo rotato comparet, tanquam cum re bacchantibus cognata. Non dico, *buxa* Statij esse turbinem: nam in eo tibiæ sunt; sed buxum affine esse bacchantibus.

Similitudo historiæ.

8. QVIN ETIAM IN SYLVAS.] Similis historia apud Pauf. Corinth. μανία ταῖς γυναιξὶν ἐνέπεσεν, ἐκφοιτῶσαι δὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν, ἐπλανῶντο ἀνὰ τὴν χώραν. *Inuasit fœminas furor, atque egressæ domibus, vagabantur per agros.*

Simulatio Bacchica.

9. SIMVLATO NVMINE BACCHI.] Pacuuius in Teucro,

Flexanima, tanquam lymphata, & Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commorans meum.

Silius apud Tacitum lib. 11. in celebrando vindemiæ simulacro Bacchum referebat hedera vinctus. A Quippe simulator numinis. Sententiam Taciti adhibui, non verba, vt etiam 2. Georg. per initia. vbi tamen Typographus malè, mutata forma characterum, facit, vt ibi credar verba adiunxisse. Verba Taciti postea ad rem aliam adducam. A Virgilio Valer. 2. Argon. pari poësi.

———*simulántque choros, delubráque festa*
Fraude regunt, &c.———

Euoë, vox bacchātium.

10. EVOE.] Vox Bacchica, & bacchantium. Ennius in Athamante:

His erat in ore Bromius, his Bacchus Pater,
Illis Lyæus vitis inuentor sacra:
Tum pariter Euan, Euoë, Euoe, Euius,
Ignotus iuuenum cœtus, alterna vice,
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

B Dionys. Afer loquens de Camaritis, εὐοῖ Βάκχε λέγοντες: *Euoë Bacche dicentes.* Inde apud Plautum Menæchmus assimulans se furere, ita ait:

Euoë. Euie, Bromie, quò me in syluam venatum vocas?

Apud Euripid. Sophoc. Apollonium εὐάζειν est. Sed aptissimus est Pausaniæ locus in Messen. vbi definit, εὐοῖ esse βακχικὸν ἐπίφθεγμα. Adducitque historiam loquens de Eua monte. τὸ δὲ ὄνομα γενέσθαι τῷ ὄρει βακχικὸν ἐπίφθεγμα εὐοῖ, Διονύσου πρῶτον ἐνταῦθα αὐτό τε εἰπόντος, καὶ τῶν ἅμα Διονύσῳ γυναικῶν: *Huic monti à bacchantium voce nomen inditum ferunt, cùm hoc in loco, & ipse Liber Pater, & quæ eum sequebantur fœminæ, tum primū Euoë credātur inclamasse.* Callistratus in Statuis ait hanc vocem esse πικροτέρας μανίας σύμβολον, *symbolum acerbioris insaniæ.* Cùm Ouid. lib. 3. Metamorph. ait,

Eua mons.

C *clara bacchantum voce sonabat*, intellige εὐοῖ.

Ab hoc loco aliena non sunt, quæ sacri Scriptores notant de hac voce, dicunt enim in sacris Bacchi adhibitum fuisse serpentē, qui Syriaca lingua dicitur Eua, inde verbum εὐάζειν, & *euare*. Sed profero sacros Scriptores. Epiphanij in epit. librorū contra hæreses hæc sunt. καὶ τὴν κρεονομίαν μυοῦντες τοὺς ὄφεις ἀνεστεμμένοι, εὐάζοντες τὸ εὐά, εὐά, ἐκείνην τὴν Εὔαν ἔτι τὴν διὰ τοῦ ὄφεως ἀπατηθεῖσαν ἐπικαλούμενοι, ἢ διὰ τῆς δασείας φωνῆς τὸν ὄφιν ἀπὸ τῆς ἑβραΐδος εἰς ἑαυτὸν πλάνην κικλήσκοντες. Εὔα γὰρ κατὰ τὴν ψιλὴν ἀπόδοσιν τὴν γυναῖκα, κατὰ δὲ τὴν δασεῖαν ἰδίᾳ τὸν ὄφιν παῖδες ἑβραίων ὀνομάζουσι: *Et carnium distributionem habent in sacris, serpentibus coronati, clamantes Euoë, Euoë: illam adhuc Euam à serpente deceptam inuocantes, aut per aspiratam vocem ex Hebraica*

Euate.

D *lingua serpentem ad suum errorem euocantes. Eua enim citra aspirationem Hebrais mulierem, cum aspiratione serpentem significat.* Clemens etiam Alexand. in Protreptico ita scribit. καὶ τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν φόνων ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν ἐπολολύζοντες Εὐάν, Εὐὰν ἐκείνην δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε, καὶ σημεῖον ὀργίων Βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ Εὐία δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια. *Celebrant carniū diuisionem, coronati serpentibus, vlulantes Euā Euā illam, per quam error est consequutus, & signum Bacchicorum orgiorum est serpens mysteriis initiatus. Iam verò si accuratè vox spectetur Hebraica, nomen Heua aspiratum, exponitur serpens femina.* Eadem ferè scribit Euseb. lib.

Heua serpēs.

Serpens in mysteriis.

E 2. Præparat. Euangelicæ. Ex hac nota lucem iam alij Horatio dederunt, qui lib. 2. Od. 19. in sacris Bacchi, & post vocem *Euoë* repetitam adiicit loquens cum illo:

Anguibus coronati bacchantes.

Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.

Arnobius quoque scripsit lib. 4. *Bacchanalia prætermittimus inania, quibus nomen omophagiis Græcum est, in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus.* Porrò in loco Clementis, quem

quem adduxi, θελήσωσι τὰς κηροτομίας τῶν φόνων, aliqui legunt, τῶν ἱερῶν, non φόνων. Redeo. Non porrò assentio illis, qui scribunt, *Euohe*: sed nec fortasse scribendum, *Euoë*, tantùm *Euœ*, nulla dialysi, nam Græci εὐοῖ. Et quidem Horat. Od. 19. lib. 2. clarè scribit Euœ postulante lege carminis,

Euoë.

Euœ recenti mens trepidat metu.

Apud Aristophanem in Vesp. sunt voces istæ ἰαιβοῖ, αἰβοῖ ad rem eandem: & in Lysist. non solùm εὐοῖ, sed etiam εὐαί.

Thyrsus Bacchi.

11. THYRSOS.] Bacchi insigne. Vetus Poëta:

Sutilibus Liber committit prælia thyrsis.

Vbi *sutilibus*, quod Virg. *molles*. Sed de thyrso iam ego copiosè Eclog. 5. ad illud,

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Lectio Virgiliana.

12. LVSTRARE CHORO.] Sic legendum, nòn *choros*, sic infrà, *lustrare choreis*.

Pascere crinē pro nutrire.

13. SACRVM TIBI PASCERE CRINEM.] Vti ex Græcis apparet, *pascere crinem*, est nutrire comam: nam illi in re simili τρέφειν κόμην. Et Horatius, *barbam pascere*. Attingit verò Poëta morem antiquorum receptissimum, quo videlicet coma alicui Deo sacrabatur, & in honorem illius nutriebatur non resecanda. Itaque quemadmodum luci erant dicati Diis; & ideo in omne æuum incædui: ita coma sacrata Diis, intonsa erat. Probant hoc Euripides, Homerus, Pausanias, Athenæus. Primus in Bacchis: ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω: *Sacer capillus, Deo illum nutrio.* Alter loquens de Achille Iliad. 23. τὴν ῥα (χαίτην) Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε: *Nutriit comam flumini Sperchio.* Tertius Arcad. ἔτρεφεν ὁ Λεύκιππος κόμην τῷ Ἀλφειῷ: *Nutriit comam Leucippus flumini Alpheo.* Quartus, κόμην τρέφων μὲν πρῶτον ἱερὰν τῷ θεῷ: *comam nutriens sacram Deo.* Sed de Baccho cui Lauiniæ crinis dicatur, locus est in Galliambo Catulli ad Bacchum.

Coma nutriebatur in honorem Deorum.

Tibi cymbala quatimus, Tibi carmina canimus,
Tibi spargimus capillum, Tibi verticem rotamus.

Ratio moris.

Rationem, cur ea nutriretur, hanc habet Censorinus: *Quidam etiam pro cetera bona corporis valetudine crinem Deo sacrum pascebant.* Aliquis ex moribus aliis huic annexis possit putare, capillos hos nutriri, non vt semper intonsi essent, sed vt aliquando desecti Deo alicui sacrarentur. Notat enim Diodorus lib. 2. vota olim pro pueris morbo affectis ita concipi solita, vt si sanitatem recuperarent, illorum desectus capillus Diis dedicaretur. Quod vicinum verbis Censorini iam adductis. Qui ad hanc detonsionem trahat auctores iam adductos, non video quî possit repelli. Adiuuat apertissimus Pausaniæ locus Corinthiac. loquentis de sacris Hippolyti. δρῶσι δὲ καὶ ἄλλο τοιόνδε, ἑκάστη παρθένος πλόκαμον ἀποκείρεταί οἱ πρὸ γάμου, κειραμένη δὲ ἀνέθηκεν ἐς τὸν ναὸν φέρουσα. Persequitur videlicet sacra Trœzeniorum: id est, *præter cete*-

Capillus desectus Diis dicatus.

ros sacrorum ritus, virgines ante nuptias capillum sibi detondent, succisúmque in illius templo consecrant. Et cùm Statius 2. Theb. dixit,

——ubi casta adolesceret ætas
Virgineas libare comas, primósque solebant
Excusare toros.——

de sectione capio; tondebant enim sibi comas, vt excusarent nuptias. Iam verò quis nescit morem, quo capilli in honorem mortuorum tondebantur? Qui mos solemnis fuit Græcis, Romanis, Barbaris. Qui sanè mos firmat, quæ dixi de non perpetuo Lauiniæ crine. Sed iam ad firmamenta. De Græcis Homer. Iliad. 23.

Capilli in honorem mortuorum apud Græcos,

Θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυσαν, ἃς ἐπέβαλλον
Κειρόμενοι.——

Capillis autem totum mortuū tegebant, quos iniiciebant
Detonsi.——

B Maximus Tyrius serm. 8. τὸ τελευταῖον δῶρον ἤδη κατὰ θαπτομένῳ κόμη: *Extremum donum sepulto coma.* Dictys lib. 5. in funere Aiacis Telam. *Itaque exactis diebus cuncti Reges comam apud tumulum eius deponunt.* Hecuba apud Euripid. Troad. τρίχας δ' ἐτεμόμην τάσδε πρὸς τύμβον νεκρῶν: *Capillos obsecui hosce ad tumulum.* Et in Oreste, κόμης ἀπαρχὰς, καὶ χοὰς φέρουσ' ἐμάς: *Capillorum inferias, & libamina efferens mea.* Sophocl. in Elect.

Ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίετο,
Λοιβαῖσι πρῶτον, καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
Στέψαντες.——

Nos verò patris sepulcrum, vt iussit,
Liquoribus primùm, & de capite sectis capillis
Coronantes.——

Transeo ad Romanos, apud quos non minùs solemnis mos. Apud Herodianum lib. 4. Antoninus Imperator celebrans funus Festi liberti, ac sibi charissimi, capillos vult offerre. Sed subiicit Scriptor.

Romanos,

C Πλόκαμον ἐπιθεῖναι τῷ πυρὶ ζητῶν, ἐγελᾶτο: πλὴν ὧν εἶχε τριχῶν ἀπεκείρατο: *Capillum, quem igni imponeret, cùm quæreret, ridebatur; sed, quem habuit detondit.* Dicit hoc, nam raro erat capillo. Eundem morem attingit Dionysius in funere Virginiæ. Propertius;

Illa meo charos donasses funere crines.

Ouid. 3. Fast.

Vertice libatas accipiúntque comas.

Mitto infinitos. De Barbaris exhibeo Suetonium cap. 5. Caligul. loquentem ita in obitu Germanici: *Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibúsque aduersùm nos bellum esset, velut in domestico, communiq; mœrore, consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus.* His omnibus efficitur, non ambiri à Lauinia crinem perpetuum, & incæduum, vt multi volunt: sed resecandum in honorem Bacchi. Hoc enim indicant annexi mores, quos retuli.

Barbaros.

[a] Fama volat: furiísque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, noua quærere tecta:
Deseruêre domos, ventis dant colla, comásque.
Ast aliæ tremulis vlulatibus æthera complent,
Pampineásque gerunt incinctæ pellibus hastas.
[b] Ipsa inter medias flagrantem feruida pinum
Sustinet, ac natæ, Turníque canit Hymenæos,
Sanguineam torquens aciem, toruúmque repentè
Clamat. Io, matres audite vbi quæque Latinæ,

Si qua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si iuris materni cura remordet,
Soluite crinales vittas, capite orgia mecum.
[c] Talem inter syluas, inter deserta ferarum
Reginam Alecto stimulis agit vndique Bacchi.

ARGVMENTVM.

Sequuntur matres reliquæ pari insania furorem Amatæ, canit hac Hymenæos Lauiniæ & Turni.

EXPLICATIO.

[a] VIx fama Amatæ facinus euulgarat, cùm statim matronæ reliquæ pari ardore imitari illã cœperunt. Itaque vrbẽ deserunt, in syluas cõmeant, assimulant se bacchantibus, solutis comis, editis vlulatibus, incinctis pellibus, gestatis thyrsis.

[b] Quid tum Amata cœtu matronarum coacto? Tædas capit, canit nuptias Lauiniæ & Turni, iras ex oculis distillat, conuertit se ad illas, petit se audiant, sui misereantur, secum Bacchi orgia celebrent solutis vittis.

[c] Absoluit epiphonemate, quo repræsentat Poëta, talem se in syluis Amatam gessisse, quales esse Bacchæ solent furore percitæ, stimulante illam ad has insanias Furia.

NOTÆ.

1. FVRIISQVE ACCENSAS PECTORE.] Illustrabis hunc locum his, quæ iam à me latè duplici in loco de sede iræ.

Ventis comas dare.

2. VENTIS DANT COLLA, COMASQVE.] Est hoc, quod 1. Æneid. *dederátque comas diffundere ventis.* Quod Ouid. 1. Metamorph.

Et leuis impulsos retrò dabat aura capillos.

Quod Val. Flac. *multa spirat coma flexilis aura.* Martialis etiam lib. 10. dixit, capillos redire *iubente vento:* & Horat. Od. 1. lib. 4.

———recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis.

Idem dixit Catul. etiamsi abstinens à vento, eo versiculo,

———splendidas quatiunt comas.

Comæ solutæ bacchantium nota, &

Sed Poëta omnibus certè signatiùs, allusit quippe ad morem bacchantium, quas hæ feminæ imitabantur; atqui bacchantibus solutæ erant comæ ad notam furoris. Ad quem ritum allusit Heliodor. lib. 1. Hist. Æthiop. dans enim Charicliæ comas solutas adiicit, solui illas Bacchico more. Reperit lib. 6. Eodem, credo, allusit Sil. lib. 12. loquens de Romanis feminis,

———sparsæq; solutis
Crinibus exululant matres, atque vbera nudant.

Clariùs Ouid. 2. Metamorph. loquens de feminis,

Pectora pelle tegi, crinales soluere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos.

Euripid. quoque in Bacchis de Bacchis ipsis, καὶ πρῶτα μὲν καθεῖσαν εἰς ὤμους κόμας. *Et primùm quidem demiserunt comas in humeros.* Tanquam videlicet hæc esset Baccharum nota præcipua. Nonnus lib. 14. Dionys. loquens de Baccho,

———ἐπ' ἀμφοτέρων δ' οἱ ὤμων

A ἀπλεκέας πλοκαμῖδας ἀήρ ἐρρίπιζεν αὔρης:

——— in vtrisque verò ipsi humeris
Implexos capillos ventilabat aura.

Ideo eadem, ἀκρήδεμνος, id est, *sine vitta:* & lib. 4. Epig. de furente Niobe,

Ἔνθεον ἐξ ἀθέου κρατὸς ἀερσιλόφον:
Soluta impij capitis insanam conam.

Fanaticorũ.

Demum hic mos omnium fanaticorum. Apuleius lib. 8. *Capite demisso, ceruices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum,* &c. Sic & Gallos fanaticos *passis cum crinibus* Arnobius inducit lib. 5.

Bacchantiũ vlulatus.

3. TREMVLIS VLVLATIBVS.] Vides variis & miris circumstantiis describi bacchantium strepitus, clamores, vociferationes. Pari grauitate in 4. B

———Qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cithæron.

Papinius lib. 5. hærens præceptori,

———insano velut Theumesia Thyas
Rapta Deo, cùm sacra vocant, Idæaque suadet
Buxus, & à summis auditus montibus Euan.

Partes omnes clamoris Bacchici attingit Maximus dissert. 33. κῶμοι, θίασοι, χοροί, αὐλοί, ᾄσματα: *Nocturni discursus, thyasus, choreæ, tibiæ, cantus.* Raptæ Sabinæ apud Plutarchum in Romulo simili bacchantium nota dicuntur, ὥσπερ ἐκ θεοῦ κάτοχοι: *tanquam à Deo arreptæ;* ita enim explicat illarum ζῆν, καὶ ἀλαλαγμόν. Est hoc, quod Nonnus de Nympha Aura lib. 48. Dionys.

Ἀχνυμένη δ' ὀλόλυζε κατάσχετος ἅλμασι λύσσης:
Dolens autem vlulauit correpta saltibus Furiæ. C

Vlulatus bacchantiũ ad musicam.

Nescio verò an *tremuli vlulatus* Virgilij debeant simpliciter exponi: quin puto indicari molles quasdam cantilenas, quas formarent in vlulatibus, neque impedit in tanto furore animorum formari voces ad flexus musicos, & rhythmicos modulos. Ducit me in hanc mentem Maximus in adductis verbis, vbi vidisti choreas, tibias, cantus. Neque verò hoc abhorret à potestate verborum: nam *tremulum* hanc rem indicat. Inde Terentianus Maurus loquens de versu Galliambo, ita ait.

Tremulum de musica.

Noménque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quòd esse Gallis habiles putant modos.

Ita capiendus Horat. Od. 13. lib. 4. D

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas.———

Id est, molli cantilena. Et Tibul. lib. 1

Et sibi blanditias tremula componere voce.

Vt & Pers. Sat. 1.

———tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Tremulum in lasciuia.

Quem ad locum, eandem esse potestatem Græco κλαδαρῷ Casaub. iam animaduertit ex Clemente Alex. qui de molli, & lasciuo intuitu dixit, κλαδαρὰ ὄψεις, & κλαδαρὸν περιβλέπειν, id est, *tremulis intuitus: tremulos oculos circumferre.* Propriè: *visus vibratiles, & fracti.* Nam κλαδαρὸς à verbo κλάω. Iuuat etiam plurimùm induci à Nonno lib. 22. Bassaridum tumultus cum musica cantilena. Nam cùm de illarum turba dicat ἔβρεμε, ὀλόλυξαν, ἐμυκήσατο, ἐλίγαινεν, [illegible]. Quibus verbis agnoscis *fremitum, vlulatum, mugitum, stridorem,*

stridorem, strepitum. Cum his, inquam, vocibus adiungit χορὸς, ἀοιδὴν, ῥυθμὸν, μέλι, λαιμῶν, χορείας, id est, *chorum, cantilenam, rhythmon, mellita guttura, choream.* Eandem rem firmat locus Plutarchi in Anton. vbi in pompa Bacchica, qua exceptus Antonius ingrediens Ephesum, inter alia, ait. κιττοῦ δὲ, καὶ θύρσων, καὶ ψαλτηρίων, καὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν ἡ πόλις ἦν πλέα: *Erat ciuitas plena hedera, thyrsis, psalteriis, fistulis, tibiis.* A

Æther cur pro cœlo.

4. ÆTHERA.] Cur veteres *atherem* pro cœlo sumpserint videtur elici ex verbis Hippocratis in lib. de Carnibus. τὸ δὲ ἐν τῷ πλεῖστον, ὅτε ἐταράχθη πάντα, ἐξεχώρησεν εἰς τὴν ἄνω περιφορὴν, καὶ ὀνομῆναι μοι αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ αἰθέρα. *Pars itaque maxima, cum omnia perturbata essent, in supremum ambitum secessit, quod mihi veteres videntur appellasse athera.* Cicero etiam lib. 1. de Nat. vocat *athera*, ardorem illum omnia complexum atque cingentem. Ergo, quia *ather* pars suprema, sumptus est pro cœlo. B

Thyrsus Bacchi.

5. PAMPINEAS HASTAS.] Thyrsi periphrasis, vt 5. Eclog.

Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Vbi ego latè de thyrso. Eurip. in Bacch. thyrsos vocat *hederaceos*, κισσίνους θύρσους. Nonnus lib. 14. Dionys. ἀμπελόεσσαν ἀκωκὴν, *viteum mucronem*: & lib. 35. ἀμπελόεντα σίδηρον. Notetur locus Pauf. Attic. vbi ait, Sarmatas habere in hastis αἰχμὰς ἰτεΐνας, *vimineas cuspides*: & in sagittis quoque, quas arcu iaculantur, ἰτεΐνας ἀκίδας, *vimineos mucrones*: ita tamen hæc omnia aptata, vt graues ictus inferant; quod faciunt penuria ferri. Hæc res proderit toti Nonno expediendo, qui sæpissimè in bello Bacchi contra Indos, inducit lethales & mortiferos ictus thyrsorum. C

Bacchantiũ pelles.

6. INCINCTÆ PELLIBVS.] Hæc magna Baccharum nota. Euripid. in Bacchis loquens de illis.

> Νεβρίδας δ' ἀνεστείλαντο, ὅσαισιν ἁμμάτων
> Σύνδεσμ' ἐλέλυτο, καὶ καταστίκτους δορὰς
> Ὄφεσι κατεζώσαντο λιχμῶσιν γένυν.
> *Induerunt ceruinas pelles, quibus nodorum*
> *Vinculum solutum erat, & maculosas pelles*
> *Serpentibus cinxerunt adlambentem genam.*

Nonnus lib. 14. Dionys. describens expeditionem Bacchi in Indos, & varia genera armorum, quibus Bacchæ armabantur, ita ait,

> Ἄλλη ποικιλόνωτον ἐπὶ στέρνοισι καλύπτρην
> Παρδαλίων: ἑτέρη δὲ κατὰ χροὸς εἵχε χιτῶνα
> Στικτὸν φιλοσκοπέλων ἐνιδὺσ' ὅπλα δίζυγα νεβρῶν,
> Δαιδαλέης ἐλάφοιο περιφίγξασα χιτῶνα.
> *Alia verò varium habens in pectore tegumentum*
> *Pantherarum: alia verò supra corpus tunicam*
> *Varias scopulos amantium induit pelles hinnulorum,*
> *Variæ ceruæ circumstringens tunicam.*

Tacitus lib. 11. Annal. in imagine bacchantium: *feminæ pellibus accinctæ assultabant.* Et Stat. 2. Th. *Nebridas, & fragiles thyrsos*: & 1. Sylu. dat Nymphæ cuipiam *flauam maculoso nebrida tergo.* Quæ Baccharum vestis ad exemplum Bacchi, de quo ibidem Nonnus,

> Νεβρίδα λαχνήεσσαν ἐπὶ στέρνοισι καθάψας,
> Στικτὸν ἔχων θώρηκα τύπον μιμήμονα ἄστρων: E
> *Ceruinam pellem hirsutam pectori adaptans,*
> *Maculosum habens thoracem ad imaginem exaratum astrorum.*

Quibus Nonni testimoniis fit, vt tum maximè has pelles gestarent tam Bacchus, quàm Bacchæ, cùm irent ad bellum. Claud. etiam de 4. Conf. Hon. eodem habitu inducit Bacchum in expeditione contra Indos,

> *Talis Erythræis intextus nebrida gemmis*
> *Liber agit currus, & Caspia flectit eburnis*

Colla iugis.———

Bacchæ comites Bacchi in bello.

Quippe Bacchas fuisse Bacchi comites in expeditionibus, tam ex Nonno liquidum, quàm ex duplici loco Pausaniæ Corinthiac. vbi enim meminit Mænadis cuiusdam dictæ Choriæ, subiicit. Διονύσῳ λέγοντες καὶ ἄλλας γυναῖκας, καὶ ταύτην ἐς Ἄργος στρατεῦσαι: *Liberi enim Patris castra & alias feminas, & hanc secutam, cùm ille Argos exercitum duceret, memorant.* Eadem iterum post binas ferme paginas.

Imitatio.

7. IPSA INTER MEDIAS, &c.] Totus ferme hic locus traductus est à Bacchis Euripidis, vt conferenti liquidum. Indicant hoc multa, tum hic versus.

> Ἡ σὴ δὲ μήτηρ ὀλόλυξεν ἐν μέσαις
> Σταθεῖσα βάκχαις.———
> *Tua verò mater inter medias vlulauit*
> *Stans Bacchas.*———

Bacchi descriptio.

Quæ imago ducta à Baccho: ita enim illum describit Sophocles in Antigone,

> Παῖ Διὸς γένεθλον
> Προφάνηθ' ξὺν Ναξίαις
> Σαῖς ἅμα περιπόλοις
> Θυίαισιν, αἵ σε μαινόμεναι
> Πάννυχοι χορεύουσι
> Τὸν ταμίαν Ἴακχον.
> *Fili Iouis proles*
> *Ostende te cum Naxiis*
> *Tuis Mænadibus famulis,*
> *Quæ te circa insana*
> *Totam noctem saltant*
> *Præsidem Iacchum.*

Reginæ bacchantes.

Hæc forma non abit à multis, quas habet Nonnus, in quibus Bacchus describitur in medio Bassaridum. Non te prætereat duplex locus Statij, & Taciti: vterque enim ad imitationem Virgilij Reginas suas pari furore inducunt, prior Græcam, posterior Romanam Messalinam. Ergo Poëta;

> ———*sparsis subitò correpta canistris*
> *Syluestris Regina chori, decurrit in aquum*
> *Vertice ab Ogygio, trifidámque huc tristis, & illuc*
> *Lumine sanguineo pinum deiectat, & ardens*
> *Erectam attonitis implet clamoribus vrbem.*

Scriptor verò lib. 11. Annal. non aliter, quàm Maro, fingit Messalinam assimulatricem bacchantium, his verbis: *At Messalina non aliàs solutior luxu, adulto autumno, simulacrum vindemiæ per domũ celebrabat. Vrgeri prela, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ assultabant, vt sacrificantes, vel insanientes Bacchæ. Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtáque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput, strepente circum procaci choro.* D

Baccharum discursus nõ turbati.

Notet hîc Lector meus, Baccharum cursus non fuisse turbatos: sed cum disciplina. Inde Amata in medio omnium, circa quam credibile reliquas exercuisse choreas nuptiales. Est locus Statij 1. Achill. vnicus ad hanc rem, quem idcirco exhibeo, vt res ista pleniùs noscatur:

> *Iámque mouent gressus: thyasis Ismenia buxus*
> *Signa dedit, quater æra Rhea, quater Euia pulsant*
> *Terga manu, variósque quater legêre recursus.*
> *Tunc thyrsos pariterque leuant, pariterque reponunt,*
> *Multiplicántque gradum, modo quo Curetes in actu,*
> *Quóque pij Samothraces eunt, nunc obuia versæ*
> *Pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacænas*
> *Delia, plaudentésque suis intorquet Amyclis.*

Pinus nuptialis.

8. PINVM.] Ideo Amata pinum gestat, vt quæ caneret nuptias. Celebratissima arbor fuit pinus ad conficiendas faces nuptiales. Virgilius ipse in Ciri,

Pronuba nec castos incendet pinus odores.

Seneca in Med.

———*pronu*

——pronubam thalamo feram
Vt ipsa pinum.——
Ibidem in Choro,
Multifidam iam tempus erit succendere pinum.
Ouid. 1. Fast.
Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Exoptat puros pinea tæda dies.
Catul. in Carmine Nuptiali: *pineam quate tædam.* Varro lib. 2. de vita Populi Rom. *Cùm à noua nupta ignis in face afferretur, de foco eius sumptus, cùm fax ex pino ablata esset, vt eam puer ingenuus afferret.* Idē Varro in Gerunto διδασκάλῳ. *Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu nubere solita, etiamnum pinea fas indicat.* Sunt qui enixè contendant in nonnullis horum aliter legendum, præsertim in Catullo, *spineam tædam,* in his est Parthenius. Sed nihil me mouent, vt recēdam à receptissimis lectionibus. Scio scribere Plinium c. 18. lib. 16. *Spina nuptiarum facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores, qui rapuerunt Sabinos, vt auctor est Massurius.* Sed cur ex hoc loco Parthen. legit *spineam* in Catullo, & non *pineam* ex infinitis alus? In duplici enim loco Virgilij, in duplici Senecæ, in duplici Varronis, in Ouidio perpetuus librorum consensus ducit nos ad pinum. Præsertim cùm adiiciat Plinius: *Nunc facibus carpinus, & corylus familiarissima.* Itaque ex variis arboribus eas fieri perspicuum est. Qui ex spino volunt factas has faculas, credo illos sequi opinionem veterum, qui adhibebant spinum pellendis noxiis, de qua re latè Ouid. 6. Fast. Sed contra omnes Criticos, & præsertim contra Iosephum Scal. qui in Varrone *spinu* legit, & Ouid. *spinea tæda,* Delrius stomachatur; & in omnibus ait legendum *pinum*; nam spinus expers est resinæ, & tædis inidonea. Sequutus sum gustum interpretum, qui pinum referunt ad faces nuptiales. Sed cur non dici queat, gestatas quoque ab Amata faces, vt bacchante, etiam extra animum ad nuptias? nam faces, potissimùm Baccharum, & bacchantium insigne. Apud Aristophanem in Pluto, cùm quispiam diceret.

Faces nuptiales spineæ,

& ex variis arboribus.

Spinus pellēdis noxiis.

Faces bacchantium.

Ἴσως Ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας.
Βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.
Fortasse Erinnys est aliqua ex tragœdia.
Quia vultum præ se fert furialem, atque tragicum.
Cùm hæc (inquam) quispiam diceret, subiecit statim Chorus.
Ἀλλ' οὐκ ἔχει γὰρ δᾶδας.
At non gestas faces.
Quasi hoc vnum, quod potissimum erat, deesset furenti. Porrò de numero facularum, debere esse quinque tantùm, iam Plutarch. ἐν ῥωμ.

9. SVSTINET.] Ipsa videlicet Amata. Dignus locus, qui animaduertatur. Apud Latinos patrimi vt plurimùm, pueri faces præferebant, alij interdum: de matre rara, quod sciam mentio, & præter locum hunc Virgilij, vix hic mos aliunde allucet. Reperi etiam Calpurnium Flaccum Declamat. 28. vbi ait: *Ego autem quid faciam? laqueum filiæ solnam, an flammeum superponam? facem nubenti præferam, an rogum iacentis accendam?* Sed Græcum esse ritum, clarè liquet ex Eurip. vbi in Phœniss. Iocasta loquitur hunc in modum cum filio Polynice, qui se absente nuptias contraxerat cum filia Adrasti.

Matres præferebant faces nuptiales.

Ἐγὼ δέ σοι οὔτε πυρὸς ἀνῆψα φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις,
Ὡς πρέπει ματέρι μακαρίᾳ.
Ego verò neque lumen ignis accendi tibi
Legitimum in nuptiis,
Vt decet matrem beatam.

A Interpres Apollonij in lib. 4. Arg. clarè ait, ἔθος τῶν γαμουμένων μητέρας δᾳδουχεῖν ἐν τοῖς γάμοις: *nubentium matribus moris fuit faces in nuptiis præferre.* Apud Apollonium ipsum Iuno, quæ Thetin nutrierat instar matris, facem se in eius nuptiis prætulisse testatur cùm ait:
——αὐτὴ δ' ἐγὼ σέλας χείρεσσιν ἀνέσχον
Νυμφίδιον.——
Ipsa ego flammas meis manibus prætuli
Nuptiales.——
Apud Basilium Episc. Seleuciæ lib. 1. Teclæ, pater cuiusdam virginis ait sibi fuisse in votis γαμήλιον ἅψαι λαμπάδα, *accendere nuptialem facem.*

10. HYMENÆOS.] Abundè alibi.

B 11. SANGVINEAM TORQVENS ACIEM.] Est hoc, quod lib. 4. *Sanguineam voluens aciem.* Indicat toruum intuitum. Græci βλέπειν μανικόν, atque etiam τραγῳδικόν: nam in tragœdiis torui, & truculenti oculi.

Toruus intuitus.

12. TORVVM.] Id est, toruè, si nostros sequaris, qui ita explicant. Sed malo, vt subaudias verbum, aut sermonem ex Græcorum canone, vt dicat, inclamari toruum, & minacem sermonem.

13. IO.] Omnes penè affectus continet, dolentes, exultantes, furentes. De primis Ouid. 4. Fast. de Proserpina rapta:

Io, seruit multis affectibus.

Illa quidem clamabat, Io, charissima mater,
Auferor.——
De alteris Dio loquens de militibus in Claudij libertum iocantibus, συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ
C θρυλλούμενον, ἰώ, Σατουρνάλια: *Clamantes statim illud tritum, Io, Saturnalia.* De tertiis Val. Flac. 6. Arg.
Sponte sua strepuère tubæ, Mars sæuus ab altis
Hostis, Io, conclamat equis.——
In Virgilio possis capere aut primos, aut vltimos. Primos propter illud, *Si qua piis animis,* &c. vltimos propter toruitatem, & aciem sanguineam.

14. AVDITE, &c.] Par illud Homericum Iliad. 18.

Imitatio.

Κλῦτε κασίγνηται Νηρηΐδες, ὄφρ' ἐῢ πᾶσαι
Εἴδετ' ἀκούουσαι ὅσ' ἐμῷ ἔνι κήδεα θυμῷ:
Audite sorores Nereides, vt bene omnes
Sciatis audientes quanti meo insint dolores animo.
Integro Virgilij loco hæsit Silius, lib. 4. repræsentans
D querelas Imilces vxoris Annibalis. Lege ab eo loco,
Clamat, Io, coniux quocunque in cardine mundi.

15. IVRIS MATERNI.] Non dubium, quin loquatur cum respectu ad leges de liberis, qui sunt sub potestate parentum, nec dum emancipati, sed adhuc patrij iuris.

16. REMORDET.] Illustraui lib. 1. Æneidos, Adi.

17. SOLVITE CRINALES VITTAS.] Nam hic videlicet habitus Baccharum, quod iam suprà ex Heliodoro, & aliis firmaui. Hîc exhibeo Ouid. lib. 4. Metamorph.

Bacchæ solutis crinib.

Pectora pelle tegi, crinales soluere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos,
Et Liuium lib. 39. *Matronas Baccharum habitu crini-*
E *bus passis cum ardentibus facibus decurrere ad Tyberim.* Nonnum lib. 14. Dionys. de quapiam Baccha,
Πλοχμὸς ἑλιχθέντας ἐπαιθύσσουσα καρήνου:
Comas intortas mouens capitis.
Solutas quippe intelligit, vt Catull. *Splendidas quatiunt comas.* Claud. de 4. Conf. Hon. *crinémque soluta Mænades.*

18. VITTAS.] Hortatur, vt deponant signum matronalis verecundiæ: huic enim vsui vittæ seruiebant. Ouid. 1. de Art.

Vittæ verecundiā notaut.

Este

Esse procul vitta tenues, insigne pudoris.

Idem 2. Metamorph. de virgine Nonacrina,

Vitta coercuerat neglectos alba capillos.

Valer. lib. 8. Arg.

Vltima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Inde amissa virginitate idem Ouid. de Syluia sic scribit 3. Fast.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Matronarū vittæ. Videntur autem Poëtæ locuti ex Romano more, quo matronis in vsu erant vittæ. Val. Max. cap. 2. lib. 5. *Sanxit Senatus, vt feminis semita viri cederent, confessus plus salutis in stola, quàm in armis fuisse, vetustisque aurium insignibus nouum vitta discrimen adiecit.* Quippe illigatæ comæ pudorem indicant, solutæ licentiam. Optatus Africanus scriptor ita lib. 6. scribit in Donatistas: *Inuenistis igitur huiusmodi virgines, quæ iam spiritualiter nupserant, quasi secundo coëgistis ad nuptias: vt crines iterum soluerent imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt. ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis festiuitas.*

A 19. CAPITE ORGIA.] De his iam alibi. Hîc adnoto, nullum fortasse locum illustriorem esse isto Maroniano ad sciendum quæ sint orgia. Ait enim; *capite orgia.* Sunt ergo orgia, thyrsus, rami, pelles, & cetera omnia, quibus peragi solita Bacchi festa. Id, ni fallor, indicat hic locus. Hinc traduci vocem ad significanda festa, nihil est mirum. Quia verò hæc vox tota est sacrorum, notabis obiter, inde fortasse dici Græcis ὀργάδα terram illam, quæ sacra Diis est, eorúmque cultui attributa. Pollux lib. 1. ἡ δ' ἄνετος θεοῖς γῆ, γῆ ἱερὰ, ἢ ὀργάς: *Tellus inculta, ac Diis sacra, orgas dicitur.* Innuit quippe in voce ἄνετος eam coli non posse ad vsus mortalium. Non enim aliter ζῶα ἄνετα dicuntur sacra Diis animalia. *Orgia, quæ sint.* *Orgas, quæ tellus.*

20. INTER SYLVAS.] Propriè, & ex disciplina bacchantium. Plutarch. in lib. περὶ τοῦ εἰ. Εὔιον ὀρειγύναικα μαινομέναις Διόνυσον ἀνθοῦντα τιμαῖς ἀνακαλοῦσιν. *Bacchum Euium versantem currentémque in montibus inter feminas vesanis inuocant honoribus.* *Bacchantiū locus.*

a Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliúmque, omnémque domum vertisse Latini,
Protinus hinc fuscis tristis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros, quam dicitur vrbem
Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto. Locus Ardua quondam
Dictus auis, & nunc magnum manet Ardea nomen.
b Sed fortuna fuit: tectis hîc Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
c Alecto toruam faciem, & furialia membra
Exuit, in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat, induit albos
Cum vitta crines, tum ramum innectit oliuæ.
d Fit Calybe Iunonis anus, templíque Sacerdos,
Et iuueni ante oculos his se cum vocibus offert.

B

ARGVMENTVM.

Confert se Furia ad Turnum mutata in anum forma.

EXPLICATIO.

a INCENDERAT iam primam illam belli scintillam, ac proinde Latini consilium, & domum totam euerterat, cùm protinus ad Ardeam euolat, vrbem Turni. Sed Poëta rem tragicè. Nam *Dea tristis, & alis fuscis.* Pergit, & arrepta occasione adhibet primam originem Ardeæ. Eam vrbem Danaë fundauerat, adductis ex Græcia colonis: quod tradit Plinius lib. 3. cap. 5. & Solin. cap. 8. Hanc partem fabulæ iam suprà attuli: pete inde. Sequitur, *locus Ardua.* &c. dicit hanc vrbem auis, id est, veteribus dictam Arduam, & inde corruptione vocabuli mansisse Ardeam.

b Accidit fortasse, vt tum temporis Turnus somnos caperet. Signat tempus mediæ noctis. Illud, *carpebat mediam quietem in nocte nigra,* est, erat in medio somno noctis nigræ. Ideo verò nox nigra, quia media: ea enim pars noctis obscurior est.

c Quid tum Alecto? Exuit formam, vertit se in anum, cui in fronte rugæ, in capite cani. Erat etiam cum vitta, & ramo oleæ.

d Anus, quam retulit, erat Calybe. Est in Vate locutio poëtica, nihil enim aliud dicit, quàm anum illam esse Sacerdotem templi Iunonij

NOTÆ.

1. ACVISSE.] Vt suprà *stimulis*; ita hîc *acuisse*, pari vocabulorum consecutione. Deinde, sicut Iuno Furiam *acuit dictis*, ita ipsa furores acuit. Præclarè *furores*; nam quid aliud Furia? Homerus, Calaber, & Græci Poëtæ passim ὀτρύνειν ad rem hanc. *Virgilij cōcinnitas.*

C 2. VERTISSE.] Pari phrasi in 10. *Maris locutio.*

Nósne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? ———

Vtrobique locutionem sumptam à tempestatibus facilè tibi persuadebis, si adeas, quæ iam ego lib. 1. Æneid. ad illud, *totúmque à sedibus imis.* Indidem sermonem traxit Maximus dissert. 36. ἄνω καὶ κάτω στρεφομένης τῆς γῆς, καὶ τῆς θαλάττης: *sursum, deorsúmque conuersis terra, & mari.* Ibid. πάντα ἄνω καὶ κάτω θαλαράξη.

3. DEA.]

Furiæ Deæ sunt. 3. DEA.] Ita errore Gentilium dictæ Furiæ, sic infrà, *inuisum numen*: & in 12. *successum Dea dira negat.* Orpheus in hymno Τιμωροῦσι, καὶ ἀλάστορες, καὶ θεαὶ Μέγαιραι. Ouid. 8. Metamorph. vocat *Deas pœnarum.* Valer. 1. Arg. *vltrices Deas.* Claudian. lib. 1. in Ruff.

Hinc Dea prosiluit, Phœbique egressa serenos
Infecit vultus. ———

Euripid. Oreste, θεὰς εὐμενίδας dixit, & in Androm. αἱματωπούς, *Deas cruenti aspectus.* Nonnus lib. 31. Megæram θεαιναι. Dinarchus oratione contra Demosthenem, & Æschines contra Timarchum sæpe Furias θεὰς σεμνάς, *seueras Deas.* Pausanias Corinth. meminit fani Furiarum.

Furiæ cum alis. 4. ALIS.] Ita in 12. *ventosásque addidit alas.* Claudian. de Megæra 1. in Ruff.

Pigráque veloces per Tartara concutit alas.

B Euripid. Oreste.

αἲ, αἲ, δρομάδες ὦ πτεροφόροι.
Heu, heu, pernices ô pennigera.

Loquitur de Furiis.

Turni audacia. 6. AVDACIS.] Ita sæpe de Turno loquitur, vt eius virtus collata Æneæ virtuti in temeritatem potius, quàm in fortitudinem incliner. Quicquid enim vitij affingitur Turno, id totum redūdat in Æneæ virtute.

6. ACRISIONEIS.] Seruius agnoscit patronymicum, Acrisioneis, Acrisioneidos. Non puto, imo *colonis Acrisioneis.* Nam ab Acrisio forma illa patronymica absurda est satis. Seruij nodum hunc, *sola enim venerat, non cum colonis*. iam soluit alius: & ego aliter. Quid enim vetat, vt ex Græcia coloni affluxerint ad famam Danaës iam Reginæ, iam excitantis vrbem? Deinde fucum sibi facit Seruius: nam si coloni, certè aliunde: atque adeò nihil obstat etiamsi coniungat cum *Danaë*, non cum *colonis*. C

Virgilius defenditur.

7. LOCVS ARDVA QVONDAM DICTVS AVIS.] Non possum interpretibus acquiescere, qui hîc legunt *Ardea*, & *auis* explicant, *volucris*, vt sententia sit, locum illum priùs dictum Ardeam auem. Hoc (inquam) minimè placet. Codices quidem antiqui (attestante Pierio) legunt *Ardua*, & consentiunt cum interpretamento hoc Seruij: *Bene allusit, nam Ardea quasi Ardua dicta est, id est, magna & nobilis: licèt Higinus in Italicis vrbibus ab augurio auis Ardeam dictam velit. Illud namque Ouidij in Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Annibale Ardeam in hanc auem esse conuersam.* Vbi explicat quid ipse sentiat, Higinum explodit, reiicit fabulosam originem. Hanc tu in Ouidio habes 14. Metamorph. Locus itaque ille *Ardua* antiquis dicebatur, quia magna & nobilis, ideo postea de Turni Regia, *tectis altis*: &, *magnum nomen.* Inde, corruptione vocabuli, vt fit, mansit Ardea. Nihil verò vetat fieri aliquam allusionem ad fabulam: notauit enim non semel Turnebus, solere hunc vatem binas, ternas, interdum plures res attingere vnica tantùm sententia. Etenim si in primo versu legas *Ardea*, nihil addet posteà Poëta, cùm subiicit, *& nunc magnum manet Ardea nomen.* Itaque liquida sententia est, Arduam auorum mutatam fuisse in Ardeam.

Ardea vnde dicta. D

8. NIGRA NOCTE.] Græci, νυκτὸς μελαίνης.

9. TORVAM.] Ab Claudiano de Rap. ab Statio lib. 1. & 4. Megæra *torua* dicitur. Ab eodem Statio lib. 11. Tisiphone. A Virgilio hîc Alecto. Ab Seneca in Oedip. Erinnys: *Tum torua Erinnys sonuit.*

Toruitas furiarum.

10. EXVIT.] Totum hunc locum adumbrauit Prudentius in Psychomachia, loquens de Auaritia,

Furiæ in varias formas.

Decerit, & toruum faciem, furialiaque arma
Exuit, inq; habitum sese transformat honestum,
Fit Virtus specie, ... vestis seuera.

Et post pauca.

Nec non & tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguineos, vt candida palla latentem
Dissimulet rabiem, &c. ———

Et Claudian. apud quem Megæra lib. 1. in Ruff.

Tunc in canitiem mutatis sponte colubris
Longæuum mentita senem, rugísque seueras
Persulcata genas, & ficto languida passu, &c.

Nec non Ouid. loquens de Cerere lib. 4. Fast.

Illa negat, simulatque anum, mitráque capillos
Presserat. — — —

Apud Statium lib. 9. Theb. Tisiphone Halym simulat, & accedit, *Blanda genas, vocémque.*

11. IN VVLTVS SESE TRANSFORMAT ANILES.] Videtur imitatus illud Homericum lib. 3. Iliad. vbi Venus se in anum conuertit, vt Helenam alloquatur. Imitatio.

γρηῒ δέ μιν εἰκυῖα παλαιγενέϊ προσέειπεν:
Anui autem similis vetulæ ipsam alloquuta est.

Et Virgilium Claudianus 1. in Ruff. vbi Megæra Rufinum deceptura,

Tunc in canitiem mutatis sponte colubris
Longæuum mentita senem, rugísque seueras
Persulcata genas, & ficto languida passu
Inuadit muros Elysæ. ———

Atque etiam Sil. lib. 2. qui de Tisiphone,

Protinus assimilat faciem mutabile monstrum
Tyburna, gressúmque simul, sonitúmque loquentis.

Nonnus in re simili dixit lib. 10. εἴδωλον ψευδὲς ἀφαντοῖο Μεγαίρης: *falsam imaginem inuisibilis Megeræ.*

12. FRONTEM OBSCOENAM.] Latet in voce diritas ominis. De quo alibi: Certè ab ista obscœnitate non abeunt verba Poëtarum *incesto, polluo, inficio,* & similia. Statius 11. Theb. Incesto. Polluo. Inficio.

Illas vt summo vidit Pater altus Olympo
Incestare diem. ———

De Megæra Claudian. lib. 1. in Ruff.

——— *hæc terruit Herculis ora,*
Hæc defensores terrarum polluit arcus.

Et,

——— *Phœbique egressa serenos*
Infecit radios. ———

13. RVGIS ARAT.] Nota senectutis, à qua ego aliquando: Senectutis nota.

Cana ætas rugis, & frontis aratra senilis.

Plaut. Bacchidib. *Persulcat frontem.* Horat. Od. 8. Epod.

Cùm sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret.

Vbi vetus Scholiastes: *Rugis tanquam sulcis proscindat.* Poëta ἀδέσποτος:

Sulcatum rugis corpus, proscissio vultus.

Ouidius plenus est hac locutione, cuius loca iam alij coniunxerunt. Claud. de Eutropio dixit,

Iámque adeò lassata cutis, sulcísque genarum
Corruerat. ———

E 14. ALBOS.] Dixit Mimnermnus apud Stob. serm. 115. senectutem imminere capiti, γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς ἐπικρέμαται. Ab canis videlicet, qui hanc habent sedem.

15. CVM VITTA.] Nihil notius, quàm vitta vsos, qui sacris operarentur; talem enim se fingit Furia. Sacerdos vestalis dicitur à Iuuenale Sat. 4. *vittata.* Ouid. 5. Metamorph. Vittæ operantium sacris.

——— *Cererisque Sacerdos*
Amphycus albenti velatus tempora vitta.

Catull. de Nuptiis Pelei loquens de Parcis, quæ sacræ veteribus:

At roseo niuea residebant vertice vitta.

Propertius lib. 4. Eleg. 10.

Tali

Talibus Alcides: at talibus alma Sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas.

16. RAMVM INNECTIT OLIVÆ.] Non refero ad morem supplicum, quem suprà aperui; nam hîc nulla necessitas: neque ad insigne pacis, de quo loquor in 8. hîc enim potiùs ad bella exhortatur Furia. Tantùm inducta olea ex vsu, quo illa sacris seruiebat, & hîc se Furia sacris assimulat inseruire. Itaque ad hunc locum illustrandum pertinent, quæ iam dixi lib. 6. ad illud, (Olea in sacris.)

Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

A Similiter Statius lib. 2. Theb. vbi Laium inducit apparentem dormienti Etheocli sub persona Tiresiæ, dat illi oleam. Adiungam totum locum, quia totus ad Virgilij vestigia:

Tum senior, quæ iussus agit, neu falsa videri
Noctis imago queat, longæui vatis opacos
Tiresiæ vultus, vocémque & vellera nota
Induitur: mansêre comæ, propexáque mento
Canicies, pallórque suus, sed falsa cucurrit
Infida per crines, glaucaq; innexus oliua
Vittarum prouenit honos, &c.—

[a] Turne tot incassum fusos patiêre labores?
Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?
[b] Rex tibi coniugium, & quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externúsque in Regnum quæritur hæres.
[c] I nunc, ingratis offer te irrise periclis:
Tyrrhenas I, sterne acies, tege pace Latinos.
[d] Hæc adeò tibi me, placida cùm nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
[e] Quare age, & armari pubem, portísque moueri
Lætus in arma para: & Phrygios, qui flumine pulchro
Consedêre, duces, pictásque exure carinas.
[f] Cœlestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium, & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.

ARGVMENTVM.

Aperit illi consilium Latini de externo hærede, hortatur ad bellum.

EXPLICATIO.

[a] QVICQVID funditur, perit vno ictu temporis. Ergo patiêre ita subitò abripi & interire labores tuos, & hos *incassum*? Et patiêre sceptra illa, quæ iam sunt *tua* (in hoc posita vis) transcribi aduenis (hi enim sunt coloni) Dardaniis? Notat videlicet, nulla esse merita Troianorum: nam aduenæ quid habent meriti? Ad rem. Sceptris, quæ labore tuo sunt parta, potiuntur qui nihil laborarunt? In voce *Dardaniis* inest contumelia. Qui sua perdiderunt, qui errones sunt, tua inuadunt. Vt etiam in 4.

Qui face Dardanios, ferróque sequare colonos.

[b] Explicat labores illos. Tuo sudore, parum hoc est, tuo *sanguine* vsus est semper Latinus ad Regni sui incolumitatem, quibus meritis aditum tibi fecisti ad Regias dotes, ad Regale coniugium. Sed vide ingratum animùm Regis. Abnegat tibi Regnum, quod tibi tuo sanguine peperisti abnegatis nuptiis. Pro te verò quis substituitur? *Externus*. Quæ maior contumelia ô Turne?

[c] Rideris, & irrideris Turne ab Latino: hic in te ingratus est. I nunc ergo, & te periculis obiice pro tuendo Regno. Strauisti acies Tyrrhenas, quæ Latini fines inuadebant, & nihil tibi profuit.

[d] Addit suprà dictis pondus ab Iunone. Et nota pronomina signatissima, *ipsa, me, tibi*. Videlicet, ipsa, quæ Deûm Regina, quæ potentissima: *me*, quæ Sacerdos

B sum, quæ numini dicata, cuius ministerio vsa semper Iuno: *tibi*, irriso, tibi, qui geris rem Latini tuo sanguine. Dat vincendi fiduciam (ait Donat.) cùm sciat Turnus displicuisse Iunoni consilium Latini.

[e] Excitat iam ad arma, adiuncta facilitate. Nam quid magnum est exurere *naues pictas*, ac proinde ad venustatẽ potiùs, quàm ad conflictũ paratas? Quid magnum est vincere duces *Phrygios*, ac proinde mollissimos? & qui nuper *consedêre*, atque adeò vix tempus habuêre tuendi sui: consedêre verò *in pulchro flumine*, loco videlicet apto ad voluptatem, non ad sustinendum hostem? Quasi dicat: venêre quidem illi ad paratas nuptias, non ad bellum: ideo pictæ naues, ideo in loco herbido, & pleno luxuriæ. Quid itaque isti contra pubem armatam? Cùm ait *lætus*, omen excitat. Mouetur affectus in illis, *pictásque exure carinas*; cùm pars nauium pretiosior exurenda. C Quem affectum alibi expendi, & firmaui.

[f] Si vult Iuno, vt isti miseri latrones profligentur, liquet proinde cœlestium omnium voluntatem hanc esse. Quis enim Deorum illi repugnet? Ergo, ô Turne, iratum te & fortem exhibe in Latinum, nisi dicto steterit. Illud, *ipse*, ἐμφατικῶς dictum, & vi magna, quam expendit Donatus. Ipse, qui fallit, qui vsus tuo sanguine ad sui incolumitatem, qui promisit tibi nuptias, qui mobilis, qui ingratus, qui huius iniuriæ auctor esse non debuit; is te iratum experiatur, & contra se, qui pro se laborantem non probauit.

NOTÆ.

1. TVRNE TOT, &c.] Similis fere exorsus Laij excitati ab inferis, excitantísque ad bellum dormientem Etheoclem: (Locorum similitudo.)

Non somni tibi tempus iners, qui nocte sub alta
Germani secure iaces. ———

Tu reliqua apud Statium lib. 2. Theb. Apud Nonnum lib. 26. Regem Indorum dormientem Pallas ad bellum excitat contra Bacchum Oronti assimulata, cuius orationis initium si quis comparet, non absimile Virgilianæ Eumenidi. Neque etiam, quæ Megæra loquitur ad Ruffinum apud Claud. Vide ab eo loco,

Otia te Ruffine iuuant, frustráque iuuentæ
Consumis florem, patriis inglorius aruis.

Vide adhuc eundem Claud. de Bello Gild. vbi auus apparet Honorio dormienti excitans ad bellum Africanum. Et iterum Nonnum lib. 10. vbi Contentio dormienti apparet Baccho, excitans ad bellum.

Incassū vnde dicatur. 2. INCASSVM.] Duco à carendo, sic nux cassa, cassus lumine. Seruius vult duci à cassibus, id est, retibus. Hoc si esset, laudo Poëtam, qui res vicinas iunxit, *incassum fusos:* nam fundo aquarum est. Quasi dicat: Nihil tanto labore expiscatum est tibi.

3. TRANSCRIBI.] Vide quæ iam dicta lib. 5. & hîc adiice Notam Seruij: *Transcribi*, *sermo hic tractus est de pecunia; nam scribi est dari.* Probat Seruius Horat.

Scribo, pro, do.

Scribe decem Nerio: non est satis, adde cicutæ, &c.

Rescribo, pro, reddo. id est, da. Inde *rescribi* est, reddi. Probat ex eodem Horatio,

Dictantis quod tu nunquam rescribere possis.

Iuuo Seruium Terentiano illo Phorm. act. 5. scen. 8.

Argentum iube rursum rescribi Phormio.

Et respondet Phormio: *Quod? nae egò perscripsi*, id est, ait Donat. *reddidi.* Quia videlicet datum iam argentum per scripturam. Iuuo etiam ex Ausonio, qui epist. ad Theonem, *Ergo aut prædictos iam nunc rescribe Daricos*, id est, redde, numera. Porphyr. etiam in Horat. ait: *scribere, est mutuum sumere: rescribere, restituere.* Rationem huius acceptionis adhibet Donatus in Phorm: nam videlicet veteres in foro scriptura magis, quàm ex arca pecunias numerabant.

Transcribi sceptra, quid. Ergo hîc ex hac nota, *transcribi sceptra*, erit, tradi sceptra, quod perfidum erat Latino, Turno infame. Sed non dubium tamen, quin Poëta solemnem vocem iuris vsurparit. Ita & Symmach. lib. 2. epist. *Cùm ad soliditatem transcriptæ in nouum dominum possessionis cuncta ex more celebrata sit.* Et Arnob. lib. 1. *Transcribere posse in hominem ius suum.* Elegantissimè vsus est Græca voce huic respondente Maximus Philosoph. dissert. 17. cùm ait, animam egressam corpore, iam tum dæmonem vocari, receptam in nouam coloniam, tanquam si quis è Barbaris ad Græcos transitet. Dicit hoc, quia sæpe coloni cum loco

Colonorum verba. nomen mutabant. Verba eius sunt. ἡ καλεῖται ἡ ἐνταῦθα ψυχὴ, δαίμων ἤδη, θρέμμα αἰθέριον, μετοικισθεῖσα ἐκ γῆς ἐκεῖ, ὥσπερ ἐκ βαρβάρων εἰς ἕλληνας. vbi μετοικισθεῖσα respondet *transcriptis.* Idem dissert. 28. ad eandem rem allusit; nam loquens de anima deserente corpus, & abeunte in ætherem, vsurpat verbum ἀποικία, quod est coloniarum, vt iam notaui in Georgicis, vbi sermo est de agmine apicularum emisso.

4. COLONIS.] Cùm Poëta sæpissimè in toto hoc opere Troianorum fugam, & aduentum in Italiam in fata coniiciat, & in religionem, & hanc coloniam inter sacra numeret, non abs re fuerit audire, quæ de his transmigrationib. vt sacris & religiosis locuti antiqui. In primis audiendus Dionys. lib. 1. Antiquit.

Coloniæ numeratæ in sacris. *Quoties vulgi multitudo in aliquibus ciuitatibus ita creuisset, vt domestici alimenta omnibus sufficere non possent, aut aeris intemperie terra læsa fruges solito pauciores protulisset,*

A *aut aliquis alius huiusmodi casus, siue bonus, siue malus, ciuitatibus multitudinis minuendæ necessitatem imposuisset, Deo cuipiam consecrantes annuam hominum progeniem ex suis finibus armis instructam emittebant: Et, si pro felici hominum prouentu, aut victoria in bello parta gratias Diis agerent, peractis ante sacris solemnibus, faustis ominationibus colonias prosequebantur: sin iratis Diis præsentium malorum finem poscerent, idem ferè faciebant, sed mœsti, & veniam petentes ab his, qui expellebantur. Illi verò inde migrantes, patria in posterum cariturì, nisi illam, quæ se reciperet, pararent: quam vel gratiâ, vel armis quæsissent, eam patriæ loco habebant: Diisque, cui dicati fuissent ii, qui abigebantur, eos plerunque adiuuare, coloniásque eorum, præter omnem hominum opinionem fortunare videbantur.* Et lib. 2. eundem attingens morem, ait: *Iuuentus quadam*

B *Diis consecrata more patrio ad quærendas sedes, quascunque illis fortuna obtulisset, à parentibus missa.* His apparet semper colonias numeratas in sacris. De genere Euphemi colono ait Pind. Od. 4. Pyth. ἐν θεαρίαις. Theucydid. lib. 1. persequens causas, cur Corinthij irati essent Corcyreis, ait, Corcyræos in sacrificiis, cùm viscera distribuerent, non auspicari à Corinthiis, vt ceteræ coloniæ. Et quidem vox Græca προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν, *distribuentes sacra* satis indicat eos, qui colonias deduxissent, habitos pro sacris. Vbi interpres, διδόντες τὰς καταρχὰς, *dantes primitias:* est enim καταρχὴ vox sacrorum. Et addit, ὥσπερ αἱ ἄλλαι ἀποικίαι ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν. Quasi non aliter ac Dij colerentur illi, vnde deducta esset co-

C lonia. Alludit etiam, Latinum appellasse Laurentes populos ab arbore sacra Phœbo: suprà enim dixit,

Quam pater inuentam primas cùm conderet arces
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentésque ab ea nomen posuisse colonis.

5. DOTES.] Dixi aliquando, maximam partem Latini sermonis deberi rei rusticæ, vt à qua ortum ducant infinitæ voces. Ausim coniectare vocem, in qua sum, ortam ab eodem fonte. An aliquid est aliud dos, quàm fulcrum quoddam, sine quo nequeant nuptiæ sustineri? Dote quidem nuptiæ fulciuntur, & firmantur. Atqui dos in re rustica propriè est fulcrum & pedamentum vinearum. Columella lib. 5. c. 5. loquens de cultura vitium: *Sed ne po-* Dos à re rustica.

D *nendi quidem rationem aut perspicuam, aut perfectam exequuntur. Tum etiam dotem, id est, instrumentum rarò vineis præparant.* Et cap. 30. lib. 4. loquens de pedaminibus, ac viminibus vitium: *Hæc enim quasi quædam dotes vineis antè præparantur, &c.* Hæc coniectando dixi, si quis aliter sentiat, non pugnem.

6. EXTERNVS HÆRES.] Vox petita è media doctrina iuris. Caius enim definit extraneum hæredem, qui nullo propinquitatis gradu testatori iungitur, sed assumitur ad arbitrium. In tit. 19. lib. 2. Instit. Iustin. opponuntur *extranei*, & *necessarij hæredes.* Est etiam *exter hæres* in iure, qui ex nomine familiæ testatoris non est. Vide Briss. lib. 5. de verb. signif. Quid si sequaris illorum etymon, qui extraneum, quasi exterraneum explicant, id est, ex terra altera? Externus hæres.

E quod etiam vnicè quadrat Æneæ. Quid quòd voce ipsa quidpiam insinuat de tyrannide? Aristotel. enim lib. 3. Polit. cap. 14. hoc indicat cùm ait. οἱ γὰρ πολῖται φυλάττουσι τοὺς βασιλεῖς, τοὺς δὲ τυράννους ξενικόν. *Reges septi sunt armis ciuium, Tyranni externorum.* Quare etiam Virgilius *hæres* dixerit, non gener, expendit his verbis Seruius: *De iure traxit, vt non generum: sed hæredem diceret; nam per coëmptionem facto matrimonio sibi inuicem succedebant.* Dicit videlicet, hæredis appellationem non ad proximum hæredem, sed ad

ad vlteriores referri. Vt proinde spes Turno præcidatur recuperandi Regni. Vide Brissonium de Ritu Nupt.

I nunc. 7. I NVNC, &c.] Simile illud,

I, sequere Italiam ventis, pete Regna per vndas.

Itaque, vt ibi cum Italia venti, cum Regnis vndæ, ita hîc cum periculis ingratitudo. Non abit illud Petronij Sat. *Qui paulo ante iactabas vires imperij tui, de tam magna naue ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete.*

Imitatio. 8. IPSA PALAM, &c.] Inuenit Vrsin. imitationem Homeri Iliad. 18.

Ἥρη με προέηκε Διὸς κυδρὴ παράκοιτις:

Iuno me præmisit Iouis gloriosa vxor.

Quare age. 9. QVARE AGE.] Particula hortantis. Sic in 8. *Quare agite ô iuuenes.* Catull. in Nupt. Iuliæ & Man. *Quare age, huc aditum ferens,* &c.

Lætitia vox ominis. 10. LÆTVS.] Vox nata ad omen. Ita apud Statium lib. 12. Theb. in re simili,

Ite alacres, tantaq; precor confidite causa.

Est hoc, quod etiam de Annibale Silius lib. 3.

Nec mora, commotum promissis ditibus agmen

Erigit in collem.—

Dionys. lib. 6. ore Dictatoris Roman.. ἴτε προθύμως ἅπαντες ἐπὶ τὸν ἀγῶνα: *ite promptè omnes ad prælium.* Etenim πρόθυμοι sunt ita prompti, vt etiam alacres. Sanè in vultu ducis lætitia pro omine est militibus. Curtius de Alexandro lib. 4. *Haud aliàs tam alacrem viderant Regem, & vultu eius interrito certam spem victoriæ augurabantur.* Darius apud eundem: *Ite alacres, & spe pleni,* &c.

Pictura nauium. 11. PICTAS CARINAS.] Hunc morem, & elegantiam veterum multa aperiunt. Vates ipse sæpe. Hîc vt vides: & in 5. Æneid. *pictas abiete puppes.* in 8. *pictásque innare carinas.* in 4. Georg.

Et circumpictis vehitur sua rura phaselis.

Ouid. in 6. Metamorph.

Vt semel ingressa est picta Philomela carina.

A Lucan. lib. 3.

— non robore picto

Ornatas decuit fulgens tutela carinas.

Ab Homero 2. Iliad. naues dicuntur μιλτοπάρῃοι à pictura: & Aristides in 2. Platonica naues exhibet inunctas μίλτῳ, *minio.* Valer. 1. Arg. in fabrica primæ nauis: *picturæ varios superaddit honores.* Athen. de naue lib. 5. Hiero. ἡ δὲ ναῦς πᾶσα εἰκόσι γραφαῖς ἐπεπέφραστο: *vniuersa autem nauis aptis picturis erat laborata.* Apuleius lib. 4. Florid. *nauem extrinsecùs eleganter depictam.* Maximus Tyrius dissert. 31. in commendatione nauis cuiusdam. προσεβάλλετο δὲ ἡ ναῦς πολλὰς μὲν χρόας ἡδίστας ἰδεῖν: *Accedebant colores, qui nauem commendarent varij, visu iucundissimi.* Herodotus lib. 3. τὸ δὲ παλαιὸν ἅπασαι B αἱ νῆες ἦσαν μιλτηλιφέες: *veteri instituto naues omnes erant rubrica delibutæ.* Mox adhibet Herodotus oraculum, quo decepti Siphnij. Audierant quippe cauendum sibi ξύλινον λόχον, & κήρυκα ἐρυθρὸν, *agmen ligneum, & legatum rubrum.* Et mox victi sunt à Samiis, qui vecti ad eos naue rubricata. Huius rei sæpe meminit Plinius, præsertim l. 35. Nunc mihi in oculis illud c. 6. vbi loquens de quapiã rubrica, subiicit: *Qua veteres ad nauiũ picturas vtebantur.* Et illud c. 7. *Pericula expingimus:* quia videlicet naues pinguntur, quæ expositæ periculis maris. Hæc pictura sæpissimè capienda de parasemis, de quibus loquar alio in loco. Huc etiam referenda, quæ iam dixi lib. 5. de parte nauium vbi Deorum picturæ.

C 11. SENTIAT.] In virtute & minis, vt Ouid. Eleg. 1. lib. 1. Trist.

Nunc te prole tua iuuenem Germania sentit.

Et Propert. Eleg. 10. lib. 2.

Sentit & illa tuas postmodo capta manus.

13. TVRNVM EXPERIATVR IN ARMIS.] Non dissidet hoc somnium, quo Turnus excitatur ad bellum, in quo periturus, ab illo Penthesileæ apud Calabrum lib. 1. admonetur enim fraudulento somno, vt congrediatur cum Achille, qui congressus exitialis futurus virgini.

[b] Hîc iuuenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert. Classes inuectas Tybridis vndam
Non, vt rere, meas effugit nuntius aures:
Ne tantos mihi finge metus; nec Regia Iuno
Immemor est nostri.
[b] Sed te victa situ, verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
[c] Cura tibi Diuûm effigies, & templa tueri,
Bella viri, pacémque gerant, queis bella gerenda.
[d] Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
At iuueni oranti subitus tremor occupat artus,
Diriguêre oculi; tot Erinnys sibilat hydris,
Tantáque se facies aperit: tum flammea torquens
Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminas erexit crinibus angues,
Verberáque insonuit, rabidóque hæc addidit ore:

D

ARGVMENTVM.

Turnus anum ridet, ac remittit ad curanda templa, Turnu Erinnys ira, & iuuenẽ in Furias agit coniectis anguibus. Cerda in Æneid. tom. 2.

EXPLICATIO.

[a] IRRISIT, quia iuuenis. Vtriusque ætatis, & sexus mores notantur. Feminæ, & senes timidio-

 res

tes sunt, quàm ratio postulet: iuuenes procaces ad contumeliam. Ideo post metum anicula inducitur iuuenis confidentia & despectus. Illud, *orsa vicissim ore refert*, quasi dicat: resarcit orsa verborum vicissitudine. Quid verò Turnus ad anum? Scio classem aduectam in Italiam, scio curam Iunonis erga me, ne mihi metus aggera.

ᵇ Laboras ò mater ætatis, & sexus vitio. Probat. Quia curæ te exagitant, quæ non sunt ætatis tuæ: & bella, quæ neque ætatis, neque sexus. Senectus *victa situ*, est, senectus multa annorum diuturnitate consumpta. Senectus *veri effœta*, est, cassa, carensque veritatis, & quasi eneruata à vero. Timor quippe senes eò adducit, vt credant quæ non sunt vera; ideo subiicit: *Senectus ludit te falsa formidine inter Regum arma*.

ᶜ Quid ergo reliquum? vt templa tua, & effigies cures: vt viri bella, & pacem gerant.

ᵈ Isto verborum contemptu arsit Furia vltra omnem modum: ac statim effectus apparuit in Turno, tum toto corpore: nam tremor artus omnes occupauit; tum præsertim in oculis, qui statim diriguêre. *Oranti*, est, loquenti, non, supplicanti. Pergit: *tot Erinnys sibilat hydris*. Quasi dicat: Quid mirum si ille artubus tremeret, rigesceret oculis, cùm cerneret omnes serpentium hiatus cum sibilo arrectos; cùm cerneret faciem Furiæ deposita anili forma excrescentem in ingentem magnitudinem? hoc est enim, *tantaque se facies aperit*. Nisi quis velit esse explicationem superioris, id est, tot se hydrorum facies aperuerunt, & serpentium hiatus ostentarunt. Sed pergo. Accedebant oculi, qui toti flammei, quique non cernebant, sed veriùs torquebant ignitos radios, ignita lumina. Ergo *cunctantem*, id est, se præ metu impedientem Furia repulit, nec siuit plura loqui: atque in illum angues duos expuit (sic capio) *insonuit verbera*, locuta est cum rabie. Iouianus in Antonio, illud de anguibus ita expendit: *vt subrigantur quidem legentium animi, quoties crines illi anguinei subriguntur*.

NOTÆ.

Iuuenum mores. 1. IVVENIS VATEM IRRIDENS.] Nam videlicet, τὸ νέον ἅπαν ὑψηλὸν ἐστι, καὶ θρασύ: *Sunt omnes iuuenes superbi, & audaces*, dixit Metrod. apud Stob. serm. 50. Omnino proni ad irrisionem, & contumeliam. Huic ætati ἀκόλαστον καὶ ἄλογον attribuit Plutar. in Opere de virt. Morali. Signanter Horat. quem in hunc locum aduocat Seruius,

Non ego hoc ferrem calidus iuuenta.

Posset & Aristotelem cap. 12. lib. 2. Rhet. διάθερμοί εἰσιν οἱ νέοι: *iuuenes calidi sunt*. Ibidem notans mores iuuenum, ἀδικήματα ἀδικοῦσιν εἰς ὕβριν, quia nunquam iniuriæ illorum sine contumelia.

Principes fiant certiores rerum, quæ accidunt in Regno. 2. NON VT RERE MEAS, &c.] Attingit eminentissimus Poëta id quod ἐξοχον & præstans est in Principibus. E Debent videlicet diligentissimè curare, vt, si quid noui in Regno accidat, statim ad eos perferatur. Vix Troiana classis in Italiam appulerat, nec res ista Turnum latuit. Huc pertinet illud Xenophontis de Cyro lib. 8. παιδ. Verba eius sunt, omissis Græcis, quippe multis: *Etiam hoc accepimus, Cyrum illos, qui & oculi, & aures Regis appellantur, non alia ratione sibi conciliasse, quàm muneri largiendo, & honoribus ac præmiis ornando. Quippe dum eos, qui nunciabant, quæcunque irsius interesset id tempore cognosci, magnis beneficiis coleret, efficiebat vt homines permulti & auribus id captarent, & notarent oculis, quo nuntiato Regi aliquid vtilitatis adferrent*. Et absoluit. ἐκ τούτου δὲ καὶ πολλοὶ ἐνομίσθησαν βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα: *Hinc multos esse Regis oculos, & aures multas, existimatum fuit*. Huc pertinet disciplina, quam de Augusto prædicat Suetonius cap. 49. *Quo celerius ac sub manum annuntiari, cognoscique posset, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primò modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit*. Et, quam de Constantio Imperatore vituperat Ammianus lib. 14. ab illo enim excogitatum est, *vt homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cauendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent*. Vide quæ de fumi significatione, καὶ περὶ τῆς φρυκτωρίας iam à me alibi: huc enim spectant. B

3. NEC REGIA IVNO IMMEMOR EST NOSTRI.] Reges quippe sub cura numinis. Vide lib. 3. Æneid. ad illud, *Cura Deûm*, quod dictum de Anchise.

4. CVRA TIBI DIVVM, &c.] Insistit vestigiis Homericis. Lib. enim 6. Iliad. ita habetur. Imitatio

Ἀλλ᾽ εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ᾽ ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε 1
ἔργον ἐποίχεσθαι. πόλεμος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει:
Sed in domum vadens tua ipsius opera cura,
Telámque colúmque, & ancillis iube
Opus percurrere: bellum autem viris curæ erit.

Mulieres curent muliebria.

Sed & Homerus ipse sibi; nam lib. 5. ita. C

Ἀλλὰ σύ γ᾽ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο,
Ταῦτα δ᾽ Ἄρηϊ θοῷ, καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.
Quin tu iucunda obi opera nuptiarum,
Hæc autem Marti veloci, & Mineruæ omnia curæ erunt.

Non multùm abit illud Bionis in Bucolic.

Μορφὰ θηλυτέρῃσι πέλει καλὸν, ἀνέρι δ᾽ ἀλκά.
Forma decet mulieres, virum virtus.

Neque illud Æschyli in Prometh.

Μέλει γὰρ ἀνδρὶ, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
Τἄξωθεν, ἔνδον δ᾽ οὖσα. ———
Res curæ sint viro, mulier ne consulat
Externa quæ sunt, domi ipsa permanens.

Non est incelebre Græcorum Prouerbium, μὴ μάχαιραν αἴρε θῆλυ. *Mulier gladium ne tolle*. Aliqua ex his alij obseruarunt, sed nemo Calabrum ita scribentem lib. 1. D

Mulier gladium ne tollat. Prouerb.

Τοὔνεκα δ᾽ αὐτῆτος ἀπεχόμεναι κελάδοντος,
ἱστὸν ἐποιχόμεναι ἐνὶ οἴκεσι μέλαθρων:
Ἀνδράσι δ᾽ ἡμετέροισι περὶ πτολέμοιο μελήσει.
Iccirco à clamosa desistentes pugna
Telam in vestris ædibus instaurate:
Viri autem nostri belli curam gerent.

Ex dictis Erasmus augebitur Chil. 3. Cent. 3. cap. 11. in adagio, *Bellum Cononi curæ fuerit*. Adi etiam quæ iam ego Eclog. 6. ad illud, *pastorem Tityre pingues pascere oportet oues*; & adiice Maximum dissertat. 30. vbi multa loquitur in hanc sententiam, adhibitis exemplis de illo, qui aptus tantùm esset impedimentis gestandis, & tamen cataphracti locum vellet occupare, aut contrà: & de partibus corporis, quæ ob ægritudinem secandæ. Stultum enim esset, si illæ peterent ab medico, ne se secaret; responderet enim Asclepius, non æquum esse, vt illarum causâ totum corpus interiret: nam videlicet partes, quæ natæ sunt conseruationi, conseruandæ sunt, quæ sectioni, secandæ, non contrà. Rem eandem differit dissert. 32. pulcherrimis comparationibus: *Si quis ab aratro bouem soluat, à curru equum, &* ὑπαλλάξας ἑκατέρων τὴν ἐργασίαν *commutato vtriusque munere, bouem currui, aratro submittat equum, nónne naturam violare, animalibus illudere, artem ignorare, laborem sine fructu suscipere, & in ipso ridiculus videbitur opere?* Deinde: *Si alas suas adimas*

mas auibus, tantúmque incedere eas postules; homini alas addas, velísque in altum cum auibus ferri, ἆρ' οὐκ ἂν κατηγέλαστος τῆς ἀλλαγῆς; nónne eris hac mutatione stultissimus? &c. Huc etiam pertinet Græca parœmia de rebus absurdissimis, quam idem Philosophus vsurpat dissert. 34. μεταθεῖναι τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς ἀνδρωνίτιδος ἐπὶ τὴν γυναικωνῖτιν: *Transferre imperium à viris ad feminas.* Et dissertatione 13. ita ait ad rem eandem. βοῦς ἀρεῖ, ἵππος ἀθλεύει· ἐὰν δὲ μεταθῇς τὰ ἔργα, παρανομεῖς περὶ τὴν φύσιν: *Bos arat, equus certat: quòd si eorum opera mutes, naturæ iniuriam facis.* His omnibus illustrabis Marij verba apud Sallust. in Iugurth. quæ consona versibus adductis ex Homero: *Ex parente meo, & ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem conuenire.*

Transferre imperium à viris ad feminas.

Munditiæ feminarum, virorum labor.

Viri bellum curent.

5. BELLA VIRI.] Præter indicatos superiore Nota adiice Aristoph. qui in Lysist. πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει: *viris bellum sit curæ.*

Oculus non conniuens.

6. DIRIGVERE OCVLI.] Sunt hi, quos Maximus Tyr. dissertat. 40. explicans ait, ὥσπερ ἂν εἴ τις τινὰ δύναμις ὀφθαλμοῖς ὁρᾶν ἀεὶ, καὶ ἀτενίζειν διηνεκῶς τὴν ὄψιν, καὶ δέχεσθαι τὴν προσβολὴν τοῦ φωτὸς, καὶ μηδέν' αὐτῇ δεῖν καταπετάσματος βλεφάρων. Is videlicet oculus, qui perpetuò aciem intendit, lucémque admittit, nec palpebris conniuet. Et dissertat. 35. ὀφθαλμοὶ διηνεκῶς ἀδιόρατοι. Sed de his oculis ego iam multa lib. 6. loquens de Charonte.

Sibila Furiarum.

7. SIBILAT.] Ita scilicet expressa Furiæ ferocitas, vt apud Ouid. 4. Metamorph.

——notæ sonuère colubræ,
Pársque iacent humeris, pars circum pectora lapsæ
Sibila dant.——

Stat. 3. Syluar. *Furiarum sibila.* & 8. Theb.

——acuitq́; tubas, & sibila miscet
Tisiphone.——

Eadem Tisiphone apud eundem 1. Theb.

——fera sibila crine virenti
Congeminat.——

Vbi pulchrè *virenti crine* cum respectu ad colubros. Nonnus lib. 32. dat hoc verbum flagello Megæræ, συρίζει ἦχος ἱμάσθλης, *sibilabat sonum flagelli.* & lib. 21. δρακοντοκόμοιο Μεγαίρης. Tisiphone apud Stat. 11. Theb. inducitur cum *adstridentibus hydris.*

Erigi nota furoris.

8. ERFXIT.] Furiis datur quidam furor, qui explicatur per verba *attollendi, erigendi,* & similia. Inde in 6. *Exsurgitque facem attollens.* Ita hîc, angues erecti, vt ibi fax sublata. Claudian. lib. 1. in Ruff. de Alect. *& totos serpentum erexit hiatus.* Valer. lib. 8. Arg. *Furiarum erecta flagello.* Statius 8. Theb. *rectique ante ora cerastæ velauère Deam:* & in 11. de Tisiphone, *Crinalem attollit longo stridore cerastem.* Polyxo irata describitur ab eodem lib. 5. *erecta genas.* De serpentibus Cereris Clau. *leuant colla, erecti roseas cristas.* Non abit ab Statio lib. 1. Theb. cerastas, quibus Tisiphone armatur, induci astantes. Ait enim:

Centum illi astantes vmbrabant ora cerastæ. Ammian. lib. 17. *Ad indignationem iustam Iulianus erectus.*

Flagella furiarum.

9. VERBERAQVE INSONVIT.] Pari furore Erinnys apud Silium lib. 2.

Et dirum insonuit Stygio bis terque flagello.

Iterum:

——verbera Erinnys
Incutit, atque atros insibilat ore timores.

Nonn. lib. 21. μάστιγα dat Megæræ.

Rabies Furiarum.

10. RABIDO ORE.] Apud. Ouid. lib. 4. Metamorph. Tisiphone affert,

Et scelus, & lacrymas, rabiémque, & cædis amorem.

Apud Claudian. 1. in Ruff. vna Furiarum,

Quæ noua corrupit nostros clementia mores?
Quo rabies innata perit?——

Inde Euripid. in Orest. Furias vocat δρακοντώδεις κόρας, *puellas viperinas,* quod non ad serpentes solùm, sed ad virus & rabiem earum referri potest. De iisdẽ statim. εἴ μ' ἐκφοβοῖεν μανίαισι, λυσσήμασι: *si me terrefacient furore, rabie.* Rectè itaque apud eundem in Hercule insano leges Rabiem natam Nocte, νυκτὸς ἔκγονον Λύσσαν, quia Furiæ quoque, quarum est rabies, Nocte quoque sunt satæ.

a En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter Regum falsa formidine ludit,
(Respice ad hæc) adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu, lethúmque gero.
b Sic effata, facem iuueni coniecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
c Olli somnum ingens rupit pauor: ossáque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit, arma toro, tectísque requirit;
Sæuit amor ferri, & scelerata insania belli:
d Ira super, magno veluti cùm flamma sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aheni,
Exultántque æstu latices: furit intus aquaï
Fumidus, atque altè spumis exuberat amnis.
Nec iam se capit vnda, volat vapor ater ad auras.

ARGVMENTVM.

Addit faces, & nouas minas, excitatur à somno Turnus cum tremore, sudore, fremitu. Ostenditur eius ira comparatione.

EXPLICATIO.

a VSVRPAT verba Turni ad maiores iras; fit enim vt repetita contumelia recrudescat indignatio. Egóne anus senectute obsita, squallore persu

perfusa, à vero delirans, formidolosa inter Regum arma, & plena ludibriorum? Senti iam & experire, an verum hoc. Vna sum Furiarum, ab illarum sede excita, bella in manu, & mortem gero. A

[b] Vix hæc dixerat, cùm facem illi inicit, cui faci inerat lumen atrum à fumo.

[c] Hoc puncto temporis excitatur Turnus. Neque verò euigilauit suauiter, imò cum ingenti pauore abruptus est somnus. Accessit sudor, qui erupit, prorupitque ex toto corpore; nam videlicet non in artus solùm externos, sed in interna ossa. Accessit fremitus, quo inclamare arma cœpit, requirere, sæuire, insanire.

[d] Accessit demum ira. Hanc explicat comparatione. Solent lebeti flammæ subiici, ac tum vnda vix se capit, attollitur, exultat, furit, exuberat, ad auras volat: talem finge Turnum. Verba Poëtæ expendam comparans cum Homero. B

NOTÆ.

EN EGO, &c.] Nullus fuisset Statius, si careret Virgilij luce. Itaque vt Alecto, quæ se anum esse assimilarat, tandem confessa est se esse Furiam: ita Laius, qui se esse Tiresiam finxerat, in extremo sermone se esse Laium & auum fatetur, nam videlicet,

Locorum similitudo.

———ramos, ac vellera fronti
Diripuit confessus auum, dirique nepotis
Incubuit stratis, &c.———

2. DIRARVM AB SEDE SORORVM.] De sede Furiarum iam alibi. C

3. BELLA MANV, LETHVMQVE GERO.] Indiscriminatim Poëtæ alij de officiis Furiarum, sibi perpetuò constat Maro. Tisiphonæ morbos, Megæræ terrores, Alectoni bella, & mortes attribuit. Inde pari consecutione Turnus fremit arma, ferrum, bellum. Sententia ducta videtur ab Homero lib. 11. Iliad. vbi Contentionem inducit πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν, *gestantem manu belli signum*. Videlicet (ait Eustath.) βέλος, ἢ ξίφος, *telum, aut gladium*. Sic ergo Furia, quæ apparuit cum serpentibus in manu, ait se gerere bellum, & lethum. Hoc sensu Silius dixit lib. 4. *in sinu bellum*, Et Catilina apud Sallust. *diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare.*

Imitatio.

4. ATRO.] Euripid. quoque in Troadib. αἴγλαν μέλαιναν dixit, id est, *splendorem nigrum*. Vterque Poëta flammam signat fumo plenam, cuius proprius nigror, & atricies. Multis hæc Victorius. D

Somnus plenus horroris.

5. OLLI SOMNVM INGENS RVPIT PAVOR.] Similis pauor Eteoclis excitati à somno apud Statium 2. Theb.

Illi rupta quies attollit membra, soróque
Erigitur plenus monstris.———

Tu reliqua. Est hoc quod Hippoc. vocat ἐνύπνιον φοβερὸν libell. de morbo sacro, *horrendum insomnium*.

6. ARMA AMENS FREMIT, ARMA TORO.] Credam Poëtam instituisse vel veteri Poëtæ, qui:

Tela famuli, tela properè, sequitur me Thoas.

E

Arma, arma.

Vel mori Romano, quo, instante conflictu inclamabatur, *arma, arma*. Liuius lib. 7. *Conclamatum ad arma, concursúmque in muros.* Ammianus lib. 27. *Cùm vndique ad arma conclamaretur.* Eidem mori (vt credi par est) institerunt Ouidius, & Horatius. Prior 14. Metamorph.

Certatimque omnes vno ore arma, arma loquuntur.

Posterior Od. 35. lib. 1.

Ad arma cessantes, ad arma

Concitet, imperiúmque frangat.

Sicut etiam Statius 7. Theb. *Arma, arma insani, &c.* & lib. 3. *vociferans arma, arma viri.* Et Silius lib. 4. *Arma viri, rapite arma viri.* Vide verò præcipitantiam versus & sententiarum. Talis ea Eurip. Supplicib. λαβέτε, φέρετε, τιμᾶτε.

7. TORO.] Lib. 6. Æneid. ad illud, *fidum capiti subduxerat ensem*, aperio morem, vnde hic locus potest illustrari. Testimoniis ibi adductis adiunge Liuium lib. 59. *Ad nutum scorti Consul stricto gladio, qui super caput pendebat, &c.* Et Nonnum lib. 26.

Gladius ad caput dormientium.

Νήδυμον ὕπνον ἴαυον ὀιστοφόρων ἐπὶ λέκτρων:
Profundum somnum dormiebant sagittiferis in lectis.

Atque etiam Theocrit. idyll. 24. vbi Amphitruoni

Ξίφος ἠλιτήριον κεδρίνῳ αἰεὶ πασσάλῳ ἀμφ' ἀωρεῖτο.
Gladius pendebat semper ad lectulum ex claro cedrino.

Et Plutarchum in Pelopida, vbi loquens de Alexandro Tyranno Pheræorum, τὸ ξίφος ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς κρεμάμενον. Dicit gladium ad caput illius fuisse suspensum. In vita Alexandri ait idem Plutarc. habuisse semper hunc ducem sub puluino gladium. Eundem morem attingit bis, aut ter in vita Catonis Vticensis. Eodem traho Claudianum de Nupt. Honorij, ex quo possum morem elicere inobseruatum hactenus. Etenim spolia hostium non solùm in postibus, & foribus ædium, aut columnis solebant appendi, sed in ipsis adhuc thalamis, qua voce lectum capias necesse est, & in ipsis cubilibus, qua voce etiam intelligitur locus ille, vbi capitur somnus. Profero versus, etiamsi multos.

Spolia hostium pendebant è thalamis.

Quicquid auus senior Mauro, vel Saxone victis,
Quicquid ab innumeris socio Stilicone tremendus
Quæsiuit genitor bellis: quæcunque Gelonus,
Armeniusve dedit, quantùm crinita sagittis
Attulit extremo Meroe circumflua Nilo,
Misit Achemenio quidquid de Tigride Medus,
Cùm supplex emeret Romanam Parthia pacem,
Nobilibus gazis, opibúsque cubilia surgent
Barbaricis, omnes thalamo conserte triumphos.

Belli amor insanus.

8. SCELERATA INSANIA BELLI.] Describit multis Græcorum ἐρωτομανίαν. Videtur etiam mihi signare hominem, quē Græci vocant ἀρειμάνιον, siue ἀρειμανῆ, id est, *furentem, insanúmque bellandi amore.* Quam vocem ita soluit Homerus, μάρναται ὥστε Ἄρης: *fureba: vt Mars.* Nonnus lib. 26. coniunctam adhibuit, ἀρειμανέος μάχης. Pulchrè ait Maximus dissert. 14. τί ἂν ἢ θυμοῦ παρασκευαστικώτερον πολέμου ἢ ὅπλων; *Quis maior iracundiæ fomes est, quàm bellum, & arma?* Ad lucem Virgilij Statius lib. 7.

———ferus omni pectore sæuit
Martis amor.———

Ibidem: *ferrique insana voluptas.* Et lib. 11. de Polynice contacto à Furia: *Ardet inops animi, &c.* facitque illum, vt percussus est à Furia, non iam cupientem Regna, sed spirantem *& scelus, & cædem.* Sic de Turno, *scelerata insania belli.*

9. MAGNO VELVTI CVM FLAMMA, &c.] Hic locus pertinet ad imitationem, & victoriam, qua Virgilius, testibus Macrobio, & Scaligero, Homerum obruit. Versus Homerici sunt Iliad. 21.

Imitatio.

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ,
Κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο,
Πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται:
Sicut autem lebes feruet intus dum vrgetur igne multo,
Aruina liquefactus bene saginati suis,
Vndique ferueniter, subiq; ligna sicca iacent.

Homerū superat Virgilius censente Scaligero.

Quem in locum ita fermè Scaliger. Quid attinebat porcinas intus carnes ponere? & κεῖται vox mortua, viua

A viua suggeritur. Et sonitus quidem maior ex virgis, quàm ex ligno maiore. Causa est: nam multùm aëris diuulsi in ipsis ramalibus. Ahenũ quoque vox grandior, quàm lebes. Quid quòd in Virgilio viuidè describente res, quiuis videat ignem ipsum, bullientem aquam, globum fumi? Adhæc puerile est, Xanthi aquas vri igne: nam aquas vri igne in fluuio quis credat? Potiùs, si qua vruntur, ab incendio vindicantur aquis fluuialibus. Macrobius ait, Virgilium cultu poëticæ tubæ comprehendisse omnia, quæ ad similem rem pertinent, adhibita rei pompa, & flammæ sonitu. Sim ego ἀσύμβολος in hac Nota? Ieiunè satis ζεῖ feruet. Noster, *vndare, exultare, furere, exuberare.* Quid si addas? *nec iam se capit vnda*, &, *volat vapor ad auras.* Deinde, malè ad strepitum *ligna sicca*; nam tametsi neque in his desit strepitus, sed multò profectò in virgis maior, in quibus adhuc viror, & humiditas. Virgis enim debes intelligere recenter sectam materiam. Non nego, & de vetere dici posse, sed ad recentem me ducit Virgilius ex ipso strepitu, & sonore. Tertiò, pulchrè excogitatum, vt aqua inclusa in aheno dicatur *amnis*. Quartò, adhibetur vnius elementi in aliud commutatio, aquæ scilicet in aërem, ad signandam vim flammarum; ait enim, *volat vapor ater ad auras.* Vnde illud, *nec iam se capit vnda*, intelligendum quoque de natura. Quasi dicat: Nequit aqua iam consistere intra naturæ suæ cancellos. Vide verò, vti quatuor elementa in vnum coniungantur ad hanc pugnam. Ignis vrget, vrgetur aqua, hæc in aërem volat, terra apparet in materia virgea. Occurrebant alia, sed omitto, ne quis me putet superstitiosum scrutatorem.

Macrobio.

Est & locus alius in Homero pari inter ignes frigore. Odyss. enim 8. ita scribit,

Ἐν δ᾽ ἄρ᾽ ὕδωρ ἔχευαν, ὑπὸ δὲ ξύλα δαῖον ἑλόντες.
Γαστρην μὲν τρίποδος πῦρ ἄμφεπε, θέρμετο δ᾽ ὕδωρ.
Aquam verò infuderunt, subtus autem ardere faciebant accipientes.
Aluum quidem tripodis ignis circumdedit, calefiebat autem aqua.

Libat rem eandem Odyss. 12. loquens de Charybdi,

Ἤτοι ὅτ᾽ ἐξεμέσειε, λέβης ὣς ἐν πυρὶ πολλῷ:
Sed quando euomeret, sicut lebes igne multo.

Aspirauit Calaber ad Homeri Musam lib. 5. Illius versus sunt.

Εὖτε λέβης ἀλίαστον ἐπ᾽ ἐσχάρῃ Ἡφαίστοιο
Ῥοιζηδὸν μαίνηται ὑπαὶ πυρὸς αἰθομένοιο,
Γαστρην ἀμφὶ δὲ πάντοθι ξύλα πολλὰ δέρηται,
Ἐπειγόμενος, ἐπειγομένου ἐνὶ θυμῷ,
Εὐτραφέος σιάλοιο περὶ τρίχας ὥστ᾽ ἀμέρσῃ:
Sicut lebes ad Vulcani focum grauiter
Magno sonore furit vi ignis ardentis,
Cùm vndique circa ventrem eius multa ligna vruntur,
Industria ministri magno studio properantis,
Vt saginati porcelli setas euellat.

Hanc pugnam aquæ, & ignis describit Maximus Philosophus dissert. 16. loquens de re Homeri. τὰ μὲν εἰσδαιτυόνος καὶ ἀνισταμένης λαμπρῶς καὶ συνεχῶς ἀκμάζει· τὸ δὲ τῆς δίαιτης ἐμπίπτοντος ἀκμαίας, &c. Quibus hinc aquæ dat tumorem, assurgentésque vndarum fluctus: inde igni violentum impetum, vorticibus aquæ incumbentem.

10. VNDANTIS.] Pers. Sat. 3. *ebullit.* Nam tametsi de re alia, sed cum respectu ad feruorem lebetis. Roget fortasse aliquis, cur Virgilius, & alij vtantur sæpe hac lebetis comparatione? Credo ex re quotidiana id prouenisse: sæpe enim comparationibus

B vtimur ex rebus obuiis & tritis. Cùm ergo Romani calidam in vsu haberent, & ad id destinata thermopolia, & huic rei ahenum seruiret, quid mirum, si frequenter ea comparatio incurreret in oculos scribentium? Hîc ego (hoc ἐκ παρέργου) Statium laudo, qui lib. 1. Theb. cùm totum illum tractum de Laio, & Etheocle à Virgilio adumbrarit, tamen vbi ventum est ad comparationem, aliam quam Virgilius, intulit, ne videretur perpetuus plagiarius.

11. EXVLTANTQVE ÆSTV LATICES.] Q. Serenus ita scripsit; Exultantia aquarum.

Igne lapis candens datur exultantibus vndis.

Ouid. lib. 7. Metamorph.

Interea calido positum medicamen aheno
Feruet, & exultat, spumísque tumentibus albet.

C Hippocr. lib. de flatib. dixit, ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀναχεῖται πολὺς ἑψομένου τοῦ ὕδατος: *exsultat vapor multus ab aqua cocta in lebetibus.* Nonnus lib. 10.

——ἀναθλιβομένη δὲ πυρσῷ
Φοίνιος ὑδαλέοισι λέβης ἐπεπάφλαζεν ἀτμοῖς:
——*incenso verò igne*
Rubeus lebes aqueo bulliebat vapore.

12. AQVAI.] Ita multi legunt, & agnoscunt diæresin. In his Cælius cap. 6. lib. 27. Nonnulla ad hanc rem hîc Seruius. Et præit ipse Vates, qui *aulai*, *pictai*. Qui tamen legeret, *aquæ vis*, vt in plerisque veterum exemplaribus, ὑπ᾽ ἀλόγως legeret; nam ex Græcorum imitatione. Homerus enim Odyss. 14. ἲς ἀνέμοιο, *vis venti.* Et Od. 6. ἲς Τηλεμάχοιο, *vis Telemachi.* Vide illud 4. Æneid. *odora canum vis.* Vis aquæ, venti, &c.

D 13. VOLAT VAPOR.] Ita Manil. lib. 1. *volucri fumo.* Et Nonnus lib. 23. πτερόεντος καπνοῖο, *fumus aëriuagus.* Illustrabis satis hunc locum his, quæ dicta iam à me lib. 2. Georg. ad illud, *fumósque volucres.* Hîc ad ad rem Poëtæ pertinent verba Hippocratis lib. de flatibus. ὡς γὰρ ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀνέρχεται πολὺς ἑψομένου τοῦ ὕδατος: *Quemadmodum enim ab aqua in lebetibus ebulliente vapor copiosus euehitur.* Alatus vapor.

a Ergo iter ad Regem, polluta pace, Latinum
Indicit primis iuuenum, & iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem,
Se satis ambobus Teucrísque venire, Latinísque.
b Hæc vbi dicta dedit, Diuósque in vota vocauit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
c Hunc decus egregium formæ mouet, atque iuuentæ:
Hunc ataui Reges, hunc claris dextera factis.
d Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis:

Arte noua ſpeculata locum, quo littore pulcher
Inſidiis, curſúque feras agitabat Iülus.
[e] Hîc ſubitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit, & noto nares contingit odore,
Vt ceruum ardentes agerent, quæ prima malorum
Cauſa fuit, bellóque animos accendit agreſtes.

ARGVMENTVM.

Abrumpit pacem Turnus, dat Alecto initium bello.

EXPLICATIO.

[a] VIx excitatur Turnus, cùm ſtatim principibus iuuentutis, qui poſſent arma capere, indicit, vt eant ad Latinum, bellum facturi; vt arma comparent, Italiam tueantur, hoſtem arceant, ſe vnum ſatis eſſe & contra Teucros inuaſores, & contra Latinos pactarum nuptiarum violatores. Illud, *polluta pace*, poteſt accipi de ipſo Turno, qui pacem inter Latinum, & Æneam violauit: vel de ipſo Latino, qui pacem violauit initam priùs cum Turno; vt ſententia ſit. Indicit iter ad Latinum poſt pollutam ab illo pacem.

[b] Rutuli omnes ſe ad arma exhortantur, nuncupatis priùs votis, & vocatis Diuis à Turno.

[c] Mouit quippe Rutulos, primò flos iuuentutis, in qua erat Turnus: deinde nobilitas; eius enim aui Reges fuerant: tertiò egregia illius in bello facta.

[d] Dum hæc geruntur à Turno, Alecto quidpiam aliud meditatur contendens ad locum, vbi tunc fortaſſe Aſcanius operam dabat venationi.

[e] Quid verò illa? Sunt natura ſua canes auidiſſimi prædæ, huic naturali auiditati adiecit impetum, quem poſſes vocare rabiem: itaque illorum nares perfudit mirifico quodam odore, vt ardentiſſimè ceruum agerent, vnde nata prima belli origo, & ſeminarium malorum.

NOTÆ.

1. POLLVTA.] Cùm Latinus dicatur pacem polluiſſe, quòd deſponſam Turno deſtinauerit alteri tradere, non abhorret ab huius verbi poteſtate illud Horatij Od.5.lib.4. *(Polluo, quo vſu.)*

Nullis polluitur caſta domus ſtupris.

Inde ſuperior illa conqueſtio Amatæ ad Latinum:

Quid tua ſancta Fides, &c.

2. INDICIT.] Verbum bellicum ſignatè poſitum, aliqui notant, probant re nulla. Sed *indictum bellum*, id eſt, denuntiatum, l.vlt.de Legationibus. Briſſonius notat lib.9.de verb.ſignif. Quis neſcit bella indicta Fecialium opera? Quid quòd *indicere* eſt verbum ſacrorum, nullum verò bellum apud antiquos, niſi priùs nuncupatis votis. Ergo, quia dicturus poſtea, *Diuóſque in vota vocauit*, præmittit, *indicit*, vt verbum ſacrum. Sic *feriæ indictæ*, id eſt, *imperatiuæ*, apud Macrob.cap.16.lib.1.Satur.& Virg.lib.1. *Diuûm tem-* *(Indictum bellum.)* *(Indictæ feriæ.)*

A *plis indicit honorem.* Quem in locum lege Seruium.

3. PRIMIS IVVENVM.] Clarum eſt hîc ſignificari ſcientiſſimos rei militaris; ſed Poëta, ingenioſiſſimus Auguſti adulator, tanquam aliud agens, & poëticè rem tractans, alluſit tacitè ad principes iuuentutis, qui facti ex inſtituto Auguſti, vt liquidum ex Tacito lib.1. Annal. *Genitos Agrippa Caium, ac Lucium in familiam Cæſarum induxerat, nec dum poſita puerili prætexta, principes iuuentutis appellari cupiuerat.* De iiſdem Caio, & Lucio extat Auguſti nummus apud Goltzium. C. L. CÆSARES AVGVSTI. F. COSS. DESIG. PRINC. IVVENT. Erant verò principes iuuentutis, qui ſequenti æuo dicti ſunt Cæſares, nimirum deſtinati ad ſucceſſionem Imperij. Et quidem multa in Virgilio ſimillima alij obſeruarunt; nam ſæpiſſimè vnius tantùm voculæ alluſione B ad res Auguſti celebrandas aſpirauit. *(Principes iuuentutis.)* *(Cæſares qui.)*

4. HOSTEM.] Amplector Hortenſij mentem, qui ait reſpectum ad veterem ſignificationem huius vocis; erat enim hoſtis idem, qui peregrinus, quod Æneæ quadrat nouo aduenæ, & hoſpiti. Hoc ego iam alibi. *(Hoſtis de peregrino.)*

5. DIVOSQVE IN VOTA VOCAVIT.] Scilicet ante bellum. Apertè attingit morem Romanum. Apud Polyb.lib.3. Annibal. moturus caſtra inducitur priùs τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ἁπάντων εὐξάμενος: *vota faciens Diis pro ſalute omnium.* Non enim fas exire ad hoſtem, niſi annuente numine. De Rege quodam Ammianus lib.21. *Tardante trans Tigridem Rege, dum moueri permitterent ſacra.* Et poſtea de eodem: *Nuntiatur Regem, cum omni manu, quam duxerat, ad propria reuertiſſe, auſpiciis dirimentibus.* *(Vota ante bellum.)*

C 6. HVNC CLARIS DEXTERA FACTIS.] Hæc claritas ad Catullianam vmbram: *(Imitatio.)*

Illius egregias virtutes, claráque facta.

Statius habuit Virgilium ante oculos, quoties militem facit fauentem Polynici contra fratrem Etheoclem. Perculit quippe vehementer omnes pulſum Polynicen Regno à fratre.

7. INSIDIIS CVRSVQVE.] Adi quæ dixi lib.4.ad illud, *Dum trepidant alæ.* Ex quatuor enim generibus venatorum, quos ibi poſui, ad hunc locum pertinent inſidiatores, & alati. Primi indicantur verbo, *inſidiis*, poſtremi verbo, *curſu*. *(Inſidiatores venatores. Alati venatores.)*

8. HIC SVBITAM CANIBVS RABIEM.] Huic ſimile commentum Statij lib.7.Theb.vbi Tiſiphone in rabiem agit tigres Bacchi, quæ manſuetæ priùs. D Verſus ſunt:

Has vbi vipereo tactas ter vtramque flagello
Eumenis in furias, animúmque redire priorem
Impulit.——

9. VT CERVVM ARDENTES AGERENT.] Hinc Horat. Od.6.Epod. *(Agere prædam.)*

Agam per altas aure ſublata niues,
Quæcunque præcedet fera.

[a] Ceruus erat forma præſtanti, & cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab vbere raptum
Nutribant, Tyrrhúſque pater, cui Regia parent

Armen

Armenta, & latè custodia credita campi.
[b] Assuetum imperiis soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebátque ferum, puróque in fonte lauabat.
[c] Ille manum patiens, mensæq; assuetus herili,
Errabat syluis, rursúsq; ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.
[d] Hunc procul errantem rabidæ venantis Iüli
Commouêre canes, fluuio cùm forte secundo
Deflueret, ripáque æstus viridante lauaret.
[e] Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius curuo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti Deus abfuit: actáque multo
Pérque vterum sonitu, pérque ilia venit arundo.

A

ARGVMENTVM.

Ceruus in deliciis ab Tyrrho habitus percutitur ab Ascanio in venatione, quæ belli Latini princeps causa.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT, agrestium animos accensos ad bellum, adhibet iam causam. Habebat Tyrrhus (erat hic magister vniuersorum pecorum Latini, & saltuum omnium) ceruum, forma præstantem, ingentem cornibus, quem eius filij (nam hi sunt Tyrrhidæ pueri) nutriebant, vt primùm ille natus est, Tyrrhus etiam ipse.

[b] Quid verò Syluia Tyrrhi filia, soror puerorum? Hæc, vt femina, cui similes blandiciæ in gustu, exquisitè ceruũ colebat; nam eius cornua sertis ornabat, pectebat tergum, lauabat in puro & illimi fonte.

[c] Ita factum est, vt ceruus cicur factus manum tergo pateretur, cibos de manu, & mensa caperet: & quamuis in syluis erraret, tamen nocte domum rediret, blandissimo ministerio assuetus. Ait, *ipse*, quia αὐτόματος, & ducente nemine.

[d] Dabat operam Ascanius venationi, cùm fortasse ceruus post natationem in ripa æstum recreabat: ac tum canes in illum inciderunt, & commouerunt. Hæc est mens Vatis: nescio vti se alij extricent. Nihil enim aliud dicit, quàm post defluxum, id est, natationem, successisse ripæ ad leuandos æstus. Itaque cogimur accipere *deflueret*, pro *defluxisset*. Est *fluuius secundus*, ipsius amnis cursus: & optimè *fluuio*, quia *deflueret*.

[e] Non destitit Ascanius à consequenda laude, arrepta occasione. Sagittam in ceruum direxit, effecit verò Alecto, ne ictus cassus esset; itaque sagitta penetrato vtero ad ilia peruenit. Ad apparatum ictus pertinet illud, *acta multo sonitu*. Illud, *nec dextræ erranti Deus abfuit*, puto sic concipiendum. Non abfuit dextræ, erranti nisi adesset. q. d. erraret, nisi adesset. Obseruat bene Seruius, vulnus ea parte illatum, vbi non lethale, sed redire in domum posset ceruus. Si enim ibi ceruus moreretur, lateret auctor vulneris, ac proinde nulla esset belli causa.

NOTÆ.

1. CERVVS ERAT, &c.] Notat Macrobius Virgilium, vt qui leuem, & futilem causam Latino bello dederit ista cerui historia: sed malo suo illum notat; acuit enim in se, & pro Virgilio aliorum ingenia. In se, nam Iouianus in Antonio vocat illum *lippum, cacutientémque Grammaticum, auctorem sordidæ locutionis, & orationis: hominem peregrinum, qui ne Latinè quidem loqui sciat: barbarum, ineptissimè ineptientem: audacissimum, vt qui de maximo Poeta tanquam Prætor iudicet: proferentem iudicium, non vt qui esset sobrius, sed vt conuiua, vt satur, vt inter rorantia pocula, vt in Saturnalibus: hominẽ bellissimum, qui conuiuam statuat Iudicem, mensam* B *Prætorium.* Mitto quid Modicius in illum; vocat enim *stultum, aut saltem periniquum Iudicem.* Mitto quid Scaliger; appellat enim *pessimum lancinatorem, corruptissimum Iudicem.* Hic multis in illum bacchatur. Pro Virgilio, nam Modicius cap. 7. ita fermè illum defendit; addam etiam à me non pauca. Cùm Turnus Troianos vellet expellere, neque satis iusta belli causa esset; erat enim inhumanum peregrinos innocentes nouis sedibus Deorum augurio datis exturbari; quærenda fuit Virgilio belli inchoandi idonea causa. A Latino quærere eam non debuit; faceret enim inconstantem Regem: non à Troianis, neque enim æquum erat illos esse abactores, qui Regem pium habebant. Debuit ergo illam quærere à feminis, à Turno, ab agrestibus: feminæ inducuntur nihil pensi habentes, Turnus audax, furiosi a- C grestes. Quid verò his omnibus occasionem dedit? honesta exercitatio, & Regio puero digna; vt videas nihil à Troianis peccatum. Quid si adiungas (ait Iouianus) duos è diuerso mundi cardine excitatos spiritus, videlicet alteram è cœlo delapsam Deam; alteram ex Erebo commotam Furiam? Leuem causam (ait Macrobius) ab interfecto ceruo: sed cerne Almonis, & Galesi cadauera, cerne tumultuantem agrestium turbam feminæ lacrymis excitatam. Quis verò ignorat ex paruis initiis bella sæuissima conflata esse? Exempla multa aduocat Modicius, omitto, & addo à me bellum atrocissimum inter Cyzicum, & Argonautas, quod ortum ab vna tantùm Cyzici imprudentia, qui inter venandum leonem occidit, vnum ex his, quo Cybele vehebatur. Lege Valerium Flac. lib. 3. Argon. & reliquos expeditio

Macrobij ineptiæ.

Virgilius defenditur.

Bella atrocissima à paruis initiis.

expeditionis illius scriptores. Nonne atrocissimum A bellum fuit illud, quod arsit inter Etheoclem, & Polynicem? atqui hoc recruduit vnico flabello. Percussæ videlicet sunt tigres Bacchi mansuetæ, & cum ingenti gemitu Thebas rediêre: de illis enim Stat. lib. 7.

Thebanum bellum.

——gemituq́ imitante querelas,
Saucia dilectis acclinant pectora muris.

Ad quod spectaculum quid Thebani? audi.

Templa putes vrbémque rapi, facibusq́ nefandis
Sidonios ardere lares.——

Quin addit exaggerans:

—— mallent cunabula magni
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale ruisse
Harmonies.——

Et quidem in tota ea narratione Statius magno vir B iudicio, Virgilio hæsit, non facturus si putaret leue fuisse Maronis iudicium. Hanc enim rem semen pugnæ vocat Statius; verba eius sunt:

— fera tempus Erinnys
Arripit, & primæ molitur semina pugnæ.

Mox factum narrat:

Errabant geminæ Diceæ ad flumina tigres, &c.

Eodem figmento delectatus Valer. 3. Arg. vbi bellum inter Cyzicum, & Argonautas hoc habuit initium,

Dum volucri quatit asper equo, syluásque fatigat
Cyzicus ingenti prædæ decep tus amore,
Assuetum Phrygias dominam vectare per vrbes
Oppressit iaculo redeuntem ad fræna leonem.

Pergo ad alia. Quid obsecro bello Punico atrocius, infestius, acerbius? Atqui hoc tantum incendium vnica belli face incaluit, ciuitate videlicet socia ab Afris vexata. Quid non ergo faceret iuuenis audax & violentus abreptis nuptiis, & dote totius Italiæ? An quicquam conferas cum æstu, quo ardent iuuenes proni semper ad amandum? Quin idem Silius lib. 6. fingit incensum bellum denuò recrudescere ex interfecto serpente lacus Trasimeni, & famulo Nympharum: & serpentis mors magnis cladibus est expiata. Quam rem finxit ille ad Maronis vestigia. Pergo. Quid obsecro magis decantatum Poëtis quàm tragœdiæ Iphigeniæ, à cuius successu pendent infinitæ moles? Nam propter illam mactatam mactatus quoque est Agamemnon ab coniuge Clytemnestra, & hæc ab Oreste filio in vltionem patris. Mox Orestis errores & insanias quis narret? Atqui D omnia hæc tragica spectacula vnica tantùm, & leui scintilla inflammata sunt. Quia videlicet Agamemnon ludens in Dianæ luco ceruam ibi eius Deæ interfecit, quod latè narrat Electra in tragœdia sui nominis apud Sophoclem. Est & alia maxima pro Virgilio defensio, & qua Macrobius damnabitur, vt ineptissimus. Scribit Polyb. lib. 3. Hist. tria hæc distinctissima esse, *initium belli, prætextum belli, causam belli.* Nominat ille ἀρχὴν, πρόφασιν, αἰτίαν. Additque, ineptissimos esse, qui putant, expugnatam ab Annibale Saguntum, fuisse causam atrocissimi secundi belli Punici. *Nam illud quidem* (ait ille) *principium belli fuit, non causa.* Non vacat omnia Polybij percurrere; quippe ille per multas paginas: sed ex eius ex- E cursu aptans rem ad Maronem colligo, causam belli Italici fuisse religionem, fata, Iouis voluntatem, quia Æneas fatis iubentibus illuc redit, vnde prima Troianorum semina (Dardanus inquam) in Asiam transmissa. Itaque bellum suscipitur pro defendendis fatis. Prætextus belli fuêre nuptiæ Lauiniæ, fœdúsque percussum inter Æneam, & Latinum, quibus rebus Turnus abnuit. Hunc prætextum Turno

Belli initiū, prætextus, causa distinctissima.

Causa belli Italici.

Prætextus.

do: nam prætextus semper tyrannicus, & contra pacta, aut leges. Initium belli fuit hoc, quod arsit occasione percussi ab Ascanio cerui. Qui legat omnia Polybij, clarè videbit, ceruum interfectum non potuisse dici causam belli, nisi ab ineptissimis. Si quis verò dicat nuptias Lauiniæ, fuisse causam, non abnuam, dummodo causa assignetur Æneæ, prætextus Turno. Adhibeo exemplum. Apud Sallustium Iugurtha inuadit fines Adherbalis, diripit omnia, prædámque agit, *existimans dolore permotum Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum, eámque rem belli causam fore.* Vbi sanè prætextus est Iugurthæ, causa Adherbalis. Nam ille iniurias iniustè inferebat, hic iustè propulsabat. Hæc tantùm ab aliis quidem pauca, à me plura volui contra Macrobium, & pro Virgilio. Qui aliâ volet, adeat nominatos auctores.

Initium.

2. Forma præstanti, et cornibus ingens.] Duo dicit, fuisse videlicet ceruo & corpus grande, & cornua grandia. In primo respectum fortasse ad ceruos, quos vocant Achæinos, quorum meminit Aristotel. lib. 2. Hist. cap. 15. Hoc enim genus ceruorum reliquis præstare creditur magnitudine corporis, quod notauit Gesnerus. Inde apud Athenæum lib. 3. Ἀχαΐνης genus est magni panis, aut placentæ, quod in Thesmophoriis fiebat, quæ inde Megarlatia dicebantur. In altero ad ceruos, quos nominant Ceraftas; ita enim appellari ceruos magnis cornibus Varinus testatur. Quid si *palmati cerui* Capitolini in Gordiano primo, sint cerui magnis cornibus præditi? Video aliter conijci posse ex Plinio. Sed mea coniectura astrui potest ex Polluce lib. 1. Onomast. vbi ait apud Arabas φοίνικος σπάθην sumi pro cornibus. Si enim palmæ ramus pro cornu sumitur, quid mirum si cerui palmati dicantur pro ceruis, quibus essent cornua procera instar palmæ arboris? Et quidem σπάθην, quæ vox pertinet ad palmam arborem, traduci ad cornua ceruorum, certum est. Non abeat inobseruatum, Ouidium dedisse ad imitationem Virgilij suo ceruo etiam formam ingentem, cornua ingentia; ait enim, *Ingens ceruus erat,* & postea illum ornat *cornibus latè patentibus,* quibus *præbebat capiti altas vmbras.* Sed Ouidius quidem videtur signatiùs allusisse ad ceruos, quos Aristoteles vocat πασσαλίας ἀπὸ τῶν πασσάλων. Sic boues in sacris dicuntur *Patales* à forma cornuum.

Cerui Achæini.

Achæines, panis genus.

Cerui Ceraftæ.

Cerui palmati.

Patales cerui, & boues.

3. Tyrrhusque pater.] Huius Tyrrhi meminit Dionys. lib. 1. Antiq. qui præerat pastoribus omnibus Latini Regis, & hunc esse ait illum pastorem, cuius se fidei Lauinia commisit, & in syluis abdita peperit eum, qui mox dictus est Syluius, qui post Ascanium regnauit. Sunt autem, qui in Poëta scribant; non *Tyrrhus,* sed *Tyrrheus.* Nam postea productè *Tyrrhidæ,* vt à Peleo Pelidæ penultima producta, contrà à Tyndaro Tyndarides penultima breui. Sed hoc nihil Germanum mouet, nam à Belo Belides penultima producta dicitur Palamedes.

Tyrrhus.

Lectio Virgiliana.

4. Parent armenta.] Nomen Regium datum pastoribus alibi admonui; nunc exhibeo Maximum Tyrium dissert. 13. qui de insulano agricola, γέροντι ἐκπεπτωκότι τῆς ἀρχῆς, *seni ex Regno eiecto.*

Regnum è pastoribus.

5. Assvetum imperiis, &c.] Fuit hoc è deliciis veterum, qui ceruos tales habebant, mansuetos, qualisque hic ceruus describitur à Marone. Illustris est, & rara descriptio Calpurniana Eclog. 6. Adducam carmina, tum vt mos intelligatur, tum vt imitatio; nam Calpurnius multa à Virgilio. Ait itaque.

Cerui in deliciis.

——en aspicis illum,

Candida

Candida qui medius cubat inter lilia ceruum?
Quamuis hunc Pulale mea diligat, accipe victor.
Sit frenos, scit ferre iugum. sequitúrque vocantem
Credulus, & mensæ non improba porrigit ora.
Aspicis vt fruticat latè caput, vtq; sub ipsis
Cornibus, & tereti lucent redimicula collo.
Aspicis vt niueo frons irretita capistro
Lucet, & à dorso quæ totam circuit aluum,
Alternant vitreas lateralis cingula bullas.
Cornua subtiles, ramosáque tempora molles
Implicuère rosæ, rutilóque monilia torque
Extrema ceruice notant, vbi pendulus apri
Dens sedet, & niuea distinguit pectora Luna.

Sumpsit Calpurnius descriptionem suam non tantùm à Virgilio, sed, vt credi potest, ab Ouid. lib. 10. Metamorph. qui ita de ceruo Cyparissi.

B

Namque sacer Nymphis Carthea tenentibus arua
Ingens ceruus erat, latéque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras,
Cornua fulgebant auro, demissáque in armos
Pendebant tereti demissa monilia collo.
Bulla super frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur, parilique ætate nitebant
Auribus è geminis circum caua tempora baccæ.

Addit deinde, solitum illum frænari à Cyparisso, in cuius etiam tergo sedebat, quod est argumentum animalis mansuetissimi.

Cerui ad sessionem. Scimus Paulo Veneto attestáte) Meditas populos Tartarorum vti ceruis ad sessionem tanquam asinis, aut equis. De Heliogabalo etiã Lampridius: *Processit in publicum & quatuor ceruis iunctis ingentibus.* Non absimilia Vopiscus de Aureliano. Sunt & notissima, quæ de cerua Sertorij Scriptores tradunt. Tu lege Plutarch. in eius vita.

C

6. Soror sylvia.] Nihil hîc certum interpretes. Non credo fuisse sororem Tyrrhi, sed filiam; itaque soror dicitur cum respectu ad pueros Tyrrhidas. Istæ enim cerui blanditiæ congruunt magis cum puella, quàm cum grandæua femina, quam fuisse coniectare licet, si Tyrrhus esset frater.

Blanditiæ erga ceruos. 7. Ornabat cornva.] Similes blanditias de ceruo Cyparissi Ouid.

Tu modò texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens huc latus, & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.

Tigres. Similes Statius lib. 7. Theb. de tigribus Bacchi, quas ipse Deus vagas dimiserat,

D

Illas turba Dei, seniórque ex more Sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes
Palmite maturo, variísque ornare corymbis
Curat, & alterno maculas interligat œstro.

Tauros. De tauro etiam Europæ Ouid. lib. 2. Metam. ait illum præbuisse *cornua sertis impedienda nouis.* Ampelus puer apud Nonnum lib. 11.

Καὶ δροσεροῖς πετάλοισι δέμας διεκόσμεε ταύρου,
Καὶ ῥόδα φοινίσσοντα περιξ ὀπιδείλε νώτῳ,
Καὶ κρίνα, καὶ νάρκισσον ἐπηώρησε μετώπῳ,
Αὐχένι πορφυρόεσσαν ἐπικρεμάσας ἀνεμώνην.

Et roridis foliis corpus exornauit tauri,
Rubentésque rosas ad dorsum ligauit,
Et lilia, ac narcissum impendit fronti,
Ceruici purpuream suspendens anemonem.

E

Pausanias in Arcadic. ceruam exhibet habentem ψέλλιον *torquem.* Vide verò in quo pretio ceruus hic Maronis, cùm post obitum donatus fuerit rogo, quod testatur Statius 2. Sylu.

Ferus de quauis bestia. 8. Fervm.] Ferus, & fera pro quauis bestia, etiamsi immitis ea non sit. Martial. de formica,

Implicuit tenuem succina gutta feram.

A Sic 2. Æneid. de equo Troiano,

In latus, inq; feri curuam compagibus aluum.

Itaque, quamuis iret, redirétque, & quamuis esset mansuetus, ferus tamen; nam hæc eius natura. Iustinianus lib. 2. Instit. tit. 1. *Ceruos quoque quidam ita mansuetos habent, vt in syluam ire, & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat.* Mitto bestias alias, quæ ita frequentissimo vsu. Callimachus de sue, θηρὸς ὀδόντας: & de leone, θηρὸς δέρμα.

Manũ pat. 9. Ille manvm patiens.] Hinc, credo, Seneca lib. 3. Benef. c. 2. *Quemadmodum quæ in vsu sunt, & manum quotidie, tactúmque patiuntur.* Aliqui hinc ducunt *immanitatem*, quasi illa sint immania, quæ non patiuntur manum.

B

Mẽsariæ feræ. 10. Mensæqve assvetvs herili.] Præclarè notat Germ. similes feras dici Græcis τραπεζῆας καὶ τραπεζίας, quòd cibis, & mensis inhient. Itaque Homerus Iliad. 23. dixit, τραπεζῆες κύνες. Id ipsum vidi à Polluce animaduersum cap. 9. lib. 5. τραπεζῆας κύνας: quasi *canis mensæ adstans.* De Regibus Persarum ait Plutarch. lib. 7. Sympos. quæst. 4. τὸ τῶν δούλων, καὶ τὸ τῶν κυνῶν ἀεὶ δεῖπνον ἐπὶ τῆς ἐκείνων παρετίθεσθαι τραπέζης: *Seruorum, & canum cœna in ipsorum Regum mensa proponebatur.* Talem fuisse existimo ceruam Sertorij tantopere monumentis veterum prædicatam. Tales Statius describit tigres Bacchi lib. 7.

——*manus obuia pascit,*
Expectántque cibos, fusoque horrenda supinant
Ora mero.——

C

11. Errabat sylvis.] Non malè hîc Victorius capit feram ἄφετον, ita enim appellantur belluæ, quæ vagantur liberè sine vllo custode. Talis fuit ea cerua, quam iam exhibui ex Pausania, cui ceruæ in torque incisus hic versus,

Νεβρὸς ἐὼν ἑάλων ὅτ' ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ:
Hinnulus excipior soluente Agapenore Troiam.

Inde signatè statim, *rursusque ad limina nota*, &c. ἄφετοι enim & sacræ feræ ita liberè vagabantur, vt nocte tamen redirent ipsæ vltrò ad nota domicilia.

Animalia Dijs sacra. De qua re clarus est Liuij locus lib. 24. vbi sermo est de gregibus sacris Iunoni Laciniæ: *Lucus ibi frequenti sylua, & proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, vbi omnis generis sacrum Deæ pascebatur pecus sine vllo pastore: separatimque egressi cuiusque generis greges nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum.* Fortasse ἄφετος, id est, *sacer*, leo ille, de quo Statius 2. Sylu.

D

Quid quòd abire domo, rursúsque in claustra reuerti
Suetus, & à capta iam sponte recedere præda,
Insertásque manus laxo demittere morsu?

Feminæ feræ ferociores. 12. Rabidæ canes.] Certissima est nota in sermone animalium, auctores quippe cùm de illis loquuntur, si sermo sit de generositate, sæpissimè mares nominant, si de feritate, sæpissimè feminas. Ergo hîc, vbi feritas, & rabies canum proponitur, voluit genus muliebre, non masculum. Ita 3. Georg. in rabie amoris leæna inducitur catulorum oblita; non leo. Ibidem *pessima tigris:* & *rabida tigres;* & *lynces Bacchi variæ.* Iterum, *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum;* non equorum,

E

13. Ripaqve æstvs viridante levaret.] De suo ceruo Ouid. lib. 10. Metamorph.

Locorum similitudo.

Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Ceruus, & arborea frigus ducebat ab vmbra.

14. Ipse etiam, &c.] Quidpiam simile Electra de patre suo Agamemnone apud Sophoclem, vbi Dianæ iræ recrudescunt, quòd ille ceruum iactabundè interfecerit.

Deus de Furia.

15. DEVS.] Id est, Alecto. Sic Ennius in Annalibus de Furiis loquens:

Quos omnes Erebo perhibent, & Nocte creatos.

Tu adi, quæ iam latè ego lib. 1. Æneid. ad illud, *Descendo, ac ducente Deo,* vbi Venerem intelligens, *Deum* nominat, non Deam.

16. VENIT ARVNDO.] Verbo Homeri; nam Iliad. 16.

Venio de telo.

Πατρόκλου δ' ὑπὲρ ὦμον ἀριστερὸν ἤλυθ' ἀκωκή:

Patrocli super humerum sinistrum venit cuspis.

ª Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successítque gemens stabulis, questúque cruentus,
Atque imploranti similis tectum omne repleuit.
ᵇ Syluia prima soror palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestes.
ᶜ Olli (pestis enim tacitis latet aspera syluis)
Improuisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic grauidi nodis, quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit. Vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis vt fortè coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
ᵈ At sæua è speculis tempus Dea nacta nocendi
Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornúque recuruo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & syluæ intonuêre profundæ.
ᵉ Audiit & Triuiæ longè lacus, audiit amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontésque Velini,
Et trepidæ matres pressêre ad pectora natos.

ARGVMENTVM.

Percussus ceruus iram Tyrrhi & agrestium excitat, illam Furia adiuuat vocans ad arma.

EXPLICATIO.

ª HIc iam tot πάθη, vbi opus. Petuntur illa ab dolente ceruo, ab plorante Syluia, ab clamãte Tyrrho. Ergo ceruus accepto vulnere non syluis se tutum putauit, petiit tectorum confugium, sua videlicet stabula: & hoc cum gemitu, questu, imploratione. Vide verò an humanus questus repræsentari meliùs posset?

ᵇ Tetigit hic dolor primam omnium Syluiam, vt feminam, vt quæ ceruum pectebat, lauabat, ornabat. Itaque illa in se primùm sæuiit dolorem testificata, deinde opem agrestium implorauit.

ᶜ Adsunt statim rustici vix vocati, facilè conflata è syluis peste pastorum. Vocat syluas *tacitas*, vt quæ nullo priùs belli tumultu strepebant. Fuerunt arma, quæ cuique casus, & ira tulit, aut obustus torris, aut stipes adhuc cum nodis informis. Tyrrhus D verò, qui princeps pastorum, cerui questu, & filiæ lacrymis commotus, irarum vt vir plenus turbare omnia altiùs cœpit, iactare minas, spirare grauiter securi, qua fortè armatus erat, scindebat enim quercum & cuneis, & securi. Vocat quercum *quadrifidam*, vt quæ in quatuor partes scindebatur.

ᵈ Quid tum Furia? Nacta iam belli occasionem ascendit culmen quoddam pastorum, & inde intenta voce classicum cecinit pastorali buccina, quam B describens ait fuisse cornu recuruum. Audito sonitu nemus totum contremuit, isque strepitus excitatus est, vt in vallibus syluæ quippe profundis is fragor ederetur, vt tonitruum esse crederes. Retinui *Tartaream vocem*. Est qui præferat *Tartarinam*, ad imitationem Ennij.

ᵉ Erat nemus non longè ab Aricia, vbi erat lacus dictus Dianæ speculum, eò vox Furiæ penetrauit, vt etiam ad fluuium, cui Nar nomen, & aquæ sulphureæ, ac proinde albentes: ad fontes etiam Veliæ. Matres verò eo timore correptæ sunt, vt de filiorum salute sollicitæ, arctiùs illos pectoribus admouerent, quasi iam propè raptores cernerent, qui illos ex eaC rum complexibus auellerent. Vide quàm viuidè timoris vis significata est.

NOTÆ.

1. SAVCIVS AT QVADRVPES.] Adiri possunt versus Oppiani lib. 1. ἁλιευ. vers. 237. vbi in comparatione quapiam meminit cerui percussi à venatore. Ex quibus versibus illustrari potest locus lib. 5. Ænei. vt enim Virgilius nauem Sergesti fractam, & tardam comparat cum serpente, quem aut rota cursu, aut viator ictu malè affecit: ita Oppianus tardam nauem cum ceruo, quem venator sagitta percussit, & reddidit claudicantem. Quid porrò sit apud Terent. Andr. *Quadrupedem constringito*, quæsitum iam aliis. Existimemus seruum fugacem signari à natura cerui, qui fugax est, scribente Festo, seruos fugitiuos vocari ceruos à celeritate.

Quadrupedem constringito. Serui fugaces dicti cerui.

2. SVCCESSIT.] Ita lib. 3. Georg.

———*tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ.*

Succedere tecto.

3. GEMENS.] Vide affectus, quos excitet, & considera

Gemitus ferarum.

A fideta maiores excitari non posse in vulnere pueri Principis. Credo Ouidium, & Oppianum Virgiliana Musa territos abstinuisse à simili descriptione in suis ceruis; nam prior tantum ceruum inducit *suo morientem vulnere*, nulla re alia addita, vnde posset affectus excitari: posterior de sua cerua percussa, ἀναγκαίοις ἐν ὀδύνῃσιν ἀμφιπαγεῖσα: *necessariis cruciatibus defixa*. Quid ista ad gemitum, questum, implorationem, qua rectum omne repleuit? Statius lib. 7. Theb. ausus aliquid supra Ouidium; nam de Bacchi tigribus mansuetis, confugientibúsque post accepta vulnera ad muros Thebarum, ita ait:

——Illa autem longo cum limite fusi
Sanguinis, ad portas vtrinque extantia ducunt
Spicula semianimes, gemitúque imitante querelas
Saucia dilectis acclinant pectora muris.

B Nonnihil horum attingit idem Statius lib. 5. vbi sermo est de percusso serpente, qui habebatur in cultu & religione. Pari modo expendi iam in Eclog. partum infelicem capræ,

Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah silice in nuda connixa reliquit.

Nemo maiore conquestione exprimeret infelicem partum priuatis feminæ.

Percussio corporis doloris nota. 4. PALMIS PERCVSSA LACERTOS.] Nota doloris, de qua iam ego lib. 5. Æneid. & hic adiungo Ouid. 1. Metamorph.

Pectora nuda meis consabar plangere palmis.

Statium 1. Theb.

——sæuis plangoribus amens
Tecta replet, vacuúmque ferens velamine pectus.

Videlicet ad ictus inferendos, vt alibi explico. Idem in 3. de nobili femina,

——liuentiáque ora
Vngue premens.——

Nonnus lib. 24. luctum femineum describens.

Τυπτομένων παλάμῃσιν ἐρευθομένων μαζῶν.
Rubebat ambitus mammillarum, quæ percussa palmis.

De Proserpina Claud. lib. 2.

——planctúque lacertos
Verberat.——

De ipsomet luctu idem de 6. Conf. Hon. *& saucia liuidaus ora.*

Conclamo vox furti. 5. CONCLAMAT.] Bene hic Germ. *vocabulum iuris, furtum conclamare.* Lege quæ ego iam Eclog. 3. Bene (inquam) notantur enim Troiani manum misisse in rem non suam. Iustinian. tit. 1. lib. 2. Instit. *In his animalibus, quæ ex consuetudine abire, & redire solent, talis regula comprobata est: vt eo vsque tua esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant. Nam si reuertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Reuertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cùm reuertendi consuetudinem deseruerint.* Itaque furtum fuit ceruum occidere, qui adhuc habebat consuetudinem reuertendi, & ideo latrones notantur, qui voluerunt occupare.

Furtum pecorum quando.

6. AGRESTES.] Non loquitur de distinctione operis: syluestres enim intelligit, & tamen agrestes nominat; vocati quippe pastores sunt, qui in syluis; & agricolæ, qui in agris. Vt quæ hic dixi intelligas, adeunda quæ iam à me in Eclogis, & Georgicis. Inde postea signatè, *ruit omnis in vrbem Pastorum numerus.*

Pestis syluarum de agricolis. 7. PESTIS.] Interpretes Furiam capiunt. Displicet vehementer: ego pastores intelligo, qui statim ad Syluæ clamores. Ducit me in hanc mentem tum contextus ipse, tum asperitas, quæ vt fatuè de Furia, ita præclarè de rusticis, qui duri & asperi. Itaque dicit Poëta, belli pestem latere in syluis, propter virtutem rusticorum: tales enim existimati rustici. Vide quæ iam ego latè lib. 2. Georg. ad illud,

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini.

8. HIC TORRE ARMATVS OBVSTO.] Solet Virgilius sæpissimè tanquam aliud agens attingere mores veterum. Ad rem. Antecedebat olim exercitum quidam facem præferens, quem vt hominem sacrum, ferro violare erat nefas. Inde nata parœmia, οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη. *Ne ignifer quidem relictus est*; cùm vellent significare omnes fuisse in acie trucidatos. Quid igitur, si ad morem hunc tacitè, vt dixi, & aliud agens spectauit Virgilius, cùm in Latino bello primum omnium exhibuit hominem face armatum? Nam cur hic primus præ aliis, nisi ex more illo? Vt enim ignifer antecedebat aciem, ita *armatus torre obusto* antecedit aciem Virgilij. Multa minore probabilitate diuinant alij sæpissimè in hoc Vate. Vtcunque mos certus est, & ab illo Cyrillus explicat locum Abdiæ Prophetæ hunc, καὶ οὐκ ἔσται πυροφόρος τῷ οἴκῳ Ἡσαῦ: *Et non erit ignifer domui Esau.* Verba Cyrilli sunt. καταδαπανηθήσονται δὲ ἐν ἀρχαῖς ἐσχάτως, ὡς ἄρα πυρφόρον μὴ ἂν εὑρεῖν δύνασθαί τινας ἐξ ὅλης τῆς φυλῆς, ἢ ἔθνους: *Penitus itaque deuorabuntur, vt in tota tribu, siue gente ignifer vnus inueniri nequeat.* Sunt qui vocem Græcam Abdiæ explicent *frumentarius*: sed non probè. Ad hunc igniferum spectauit Euripid. in Phœniss.

Ne ignifer quidem relictus. Prouer.

Ignifer aciē præcedebat.

ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσὸς, σῆμα φοινίας μάχης:
Postquam emissa fax fuit symbolum cruenta pugna.

C Vbi vides igniferi officium; ideo enim exercitum præcedebat, vt facem primus in hostes iactaret, pugnæ initium. Quem in locum Scholiastes. ἐχρῶντο γὰρ κατὰ τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς πολέμοις, ἀντὶ σαλπιγκτῶν, πυρφόροις: *Veteres in bello vtebantur ignifris, loco tibicinum.* Eiusdem fit mentio apud Sophoclem in Antig. quem ait in acie cecidisse.

Ἀντίτυπος δ' ἐπὶ γᾷ
Πέσε τανταλωθεὶς
Πυρφόρος.——
Aduersarius verò in terram
Cecidit quassatus
Ignifer.——

D Quem in locum Scholiastes. πυρφόρος, ὁ πῦρ τοῖς τείχεσι προσάγων: *Ignifer, qui fert ignem contra muros.* Additque Sophocles, fuisse igniferum præcipuum concitatorem pugnæ, quíque in acie fureret, & ventos irarum commoueret. Sed aperio imitationem Valerij lib. 3. Arg. qui ita armat Genisum. Versus sunt.

——Geniso coniux amouerat arma.
Ast illi subitus ventis, viuóque reluxit
Torre focus. Telis gaudes miserande repertis.

E 9. QVOD CVIQVE REPERTVM.] Est hoc quod Actius in Chrysippo: *Neque quisquam à telis vacuus, sed vti cuique obuiam fuerat ferrum, alius saxum, rodum.* Alij legunt, *alius saxo rude*, &c. Sed redeo. Quod Tacitus lib. 1. *Quod cuique promptum, arma, equos, arma efferentes.* & 2. *tela ad subitum vsum properata.* Quod Plato lib. 5. Polit. ὅ,τι ἑκάστῳ παρέτυχεν ὅπλον. Quod Appian. 1. Ciuil. in re simili τὰ προστυχόντα ξύλα ἁρπάσαντες. Quod Homer. Odyss. 13. ὅ,τι χεῖρας ἵκοιτο. Simile quoque belli agrestis genus agnosces in Dionys. lib. 1. in historia Remi, & Romuli latentium sub pastoritio habitu. Ait enim: *Clamore sublato frequentes impetum in primos fecerunt, eósque circumuentos alij iaculis, alij lapidibus, alij telis, vt quodque singulis in manus veniebat, petere cœperunt.* Paria habet Pausanias lib. 4. in bello quopiam. καὶ ὅπλα οὐ πάντα ἀνειλημμένα, ἀλλὰ ὅτῳ προχείρῳ μάλιστα τύχοι τις ἀμυνόμενος: *Non vndique contractis armis, sed eo quisque telo arrepto, quod casus obtulisset.* Salust. etiam in exercitu Catilinæ:

Quod cuique repertū.

næ : *Pauci militaribus armis instructi : ceteri vt quemque* A *casus armauerat, sparos, aut lanceas, alij praacutas sudes portabant.* Bellissimè hoc genus militiæ ita attigit Statius 7. Theb.

——mutant galeas, alienáque cogunt
Ad iuga cornipedes. ferus omni pectore sæuit
Martis amor.——

Apud Nonnum quoque lib. 30. armantur Barbari pari ratione. Locus est longus. Sunt qui ex hoc loco discrimen statuant inter *reperio*, & *inuenio* : vt illud sit casu oblatum, istud studiosè quæsitum, ita vt reperire sit casus, inuenire studij. Et ita explicant illud Ouid. *tu non inuenta reperta es.* Sed litem Grammaticis ne moueamus ; est enim mira rixa de Ouidij versu.

Reperio, & Inuenio discrimen.

10. TELVM IRA FACIT.] Cùm sententia sit irato homini omnia conuerti in tela, pulchrè Virgilio B accinit Ouid. 5. Metamorph. *facit ira potentem :* & illud eiusdem 1. Amor. Eleg. 7.

Ira telū facit.

Quamlibet infirmas adiuuat ira manus.

Testis illa, quæ apud Martialem, negato telo ferreo, illud ex igne effecit, flammis bibitis. Vnde & Seneca in Oetæum :

——quicquid in mortem trahit
Telum est abunde.——

Telum quid sit.

Itaque bene adnotatum est à doctis, *teli* nomine comprehendi non solùm quicquid eminùs iacitur ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, sed etiam quicquid nocet. Caius clarè lib. 2. ad 12. tab. *Teli appellatione & ferrum, & fustis, & lapis, & denique omne quod nocendi causâ habetur, significatur.* Inde & Virgilius pro ense sumpsit, qui nunquam inter missilia : & Seruius hoc notauit. Sed de versu Virgilij alibi. C

11. QVADRIFIDAM QVERCVM.] Pari sensu in Georg. *Quadrifidásque sudes.*

12. CVNEIS VT FORTE COACTIS.] Ait Seru. expressum antiquum scindendi morem, de quo Maro in Georg.

Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

Vide tamen vt explicui : non enim tantùm cuneis rem gerebat Tyrrhus, sed etiam securi, mutuo videlicet artium auxilio. Simile belli genus laudat Maximus Tyrius dissert. 14. loquens de agricolis, qui Barbaros conciderunt ad Marathonem. ἐς τὸν ἀγῶνα ἔδραμον στρατιῶται ὀργιζόμενοι· ὁ μὲν σμινύην ἔχων, ὁ δὲ ἡμίμαχος, ὁ δὲ θεριστηρίῳ ἀμυνόμενος. ὦ στρατιωτικὸν καλὸν, καὶ αὐτουργικὸν, καὶ μεστὸν ἐλευθερίας. *Currebant ex agris feroces milites : quorum hic ligone armatus erat, alter vomere pugnabat, alius falce rem gerebat. O pulchrum exercitum, & natiuum, & plenum ingenuitate.* Statius quoque 2. Theb. ad vmbram Nostri : *sublata minitantem bella securi.* D

Locorum similitudo.

13. SPIRANS IMMANE.] Reddit Græcum μέγα φρονεῖν.

14. AT SÆVA E SPECVLIS, &c.] Totum sequentem locum exploratum Statio lib. 3. Theb. iam vidit Scaliger. Ergo ille,

Locorum similitudo.

Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Intendit Bellona facem, dextráque trabalem
Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cælo
Fugit, & aduersæ celso stetit aggere Dirces.
Mox & castra subit : ferróque, auróque coruscis
Mista viris turmale fremit ; dat cunctibus enses :
Plaudit equos, vocat ad portas ; hortamina fortes
Præueniunt, timidisque etiam breuis addita virtus.

Itaque, quod Maro Furiæ, Statius Bellonæ : quod ille signo pastorali, hic hastæ trabali attribuit. Effecta varia sunt. Vt verò Virg. *tempus Dea nacta nocendi* ; ita Valer. 2. Arg. *tempus rata Diua nocendi.*

15. STABVLI DE CVLMINE.] Signatè, & propriè ; culmina enim agrestia sunt, dicta quasi à culmo, quòd culmis palearum contecta. Ita 1. Eclog.

Culmen quid propriè.

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Ibidem in re pastoritia,

Et iam summa procul villarum culmina fumant.

Itaque bene hîc Seruius : *Propriè. quia de tectis agrestium loquitur.* Annexum huic doctrinæ, sumi ab Ouid. 4. Fast. pro fabæ stipula.

Sanguis equi suffimen erit, vitulique fauilla :
Tertia res, duræ culmen inane fabæ.

16. PASTORALE CANIT SIGNVM.] Vocat *signū*, instrumentum, quo conclamatum ad arma. Ita & Iulius lib. 3. Ciuil. *Neque frustra antiquitùs institutum est, vt signa vndique concinerent, clamorémque vniuersi tollerent.* Sumpsit fortasse sententiam ab Homero, apud quem contentio lib. 11. Iliad.

Signum de vocali instrumento.

——ἤυσε θεὰ μέγα τε, δεινόν τε
Ὄρθι᾽ Ἀχαιοῖσιν.——

Imitatio.

——conclamauit Dea altum, horribiléque
Orthium carmen Achiuis.——

Videlicet ad pugnam. Ab vtroque, veriùs à Virgilio, Stat. lib. 1. Theb. inducit Tisiphonem dantem signum ad bellum.

Vt stetit, abrupta qua plurimus arce Cytheron
Occurrit cælo, fera sibila crine virenti
Congeminat signum terris.——

Est etiam locus alius Hom. Iliad. 20. per initium non absimilis, vbi Dij clamant excitantes ad pugnā Græcos, & Troianos. Sed quod hoc signum pastorale? vtique buccina : nam post pauca se explicans Poëta, ait,

——qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolæ.——

Est enim buccina pastorum inuentum. Proper. Eleg. 11. lib. 4.

Buccina pastorum est.

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat.——

Vnde idem Propert. Eleg. 1. lib. 4. vbi repræsentat nascentis Romæ primam originem, quæ tota fuit pastorum, ita ait,

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum ille in prato sæpe Senatus erat.

Cogebantur videlicet eodem signo, quo pastores. Ad rem sunt verba Isidori lib. 17. cap. 4. *Buccina est, qua signum datur in hostes, dicta à voce, quasi vocina. Nam pagani, agrestésque ad omnem vsum buccina ad compita vocabantur.* Reliqua Isidori deformata sunt. Vbi .n. Persium nominat, debet Propertium. Redeo. Columella etiam dixit. *Ad sonum buccinæ pecus septa repetere consuescat.* Hodie Hispani *vocinam* nominant instrumentum, quo sues coguntur.

17. CORNVQVE RECVRVO.] Quasi definiat buccinā, quæ è cornu, & hoc recuruo. Scio Vegetium dissidere, qui buccinam distinguit à curuo cornu, ita scribens lib. 2. cap. 7. *Tubicines, cornicines, buccinatores, qui vel tuba, vel ære curuo, vel buccina committere prælium solent.* Sed dicamus prisco æuo, quod E secutus est Maro, confusa hæc fuisse. Itaque antiquitùs buccina, & æs, aut cornu curuum, idem fuit instrumentum, quod etiam satis indicat Ouidius lib. 1. Metamorph.

Buccina cornu.

——caua buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo.

Quod instrumentum videtur intellexisse Lucillius apud Nonium verbo *cogere*, cùm ait : *Rauco concionem sonitu & curuis cogant cornibus.*

18. CONTREMVIT NEMVS.] Similis locus Hesiodi

siodi in Theogon. vbi sermo est de bello Deorum, A & Gigantum,

Imitatio.

—δεινὸν δὲ περίαχε πόντος ἀπείρων
Γῆ δὲ μέγ' ἐσμαράγησεν, ἐπέστενε δ' οὐρανὸς εὐρὺς
σειόμενος, πεδόθεν δ' ἐτινάσσετο μακρὸς Ὄλυμπος.

—horrendè insonuit immensus pontus,
Terra stridebat, ingemiscebat latum cœlum
Quassatum, è fundo quatiebatur Olympus amplus.

Longissimum Apollonij locum è lib. 4. Vrsinus aduocat, mitto. Statius ad vocem Tisiphones lib. 1. Theb.

Locorum similitudo.

Audiit & medius cœli Parnassus, & asper
Eurotas, dubiámque iugo fragor impulit Oeten
In latus, &c.—

Et lib. 8. ad eiusdem sibila, *stupet insolito clangore Citheron.* Et lib. 9. accedente eadem ad aciem, ait:

—sensêre acies, subitúsque cucurrit
Sudor equis, sudórque viris.—

Et adhuc lib. 11. ad sibilum ceraste Tisiphonei,

—quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontusq́, polusq́.

Et lib. 1. ad aduentum Furiæ ita perquàm tragicè:

Sensit adesse dies: piceo nox obuia nimbo
Lucentes turbauit equos, procul arduus Atlas
Horruit, & dubia cœlum ceruice remisit.

Et lib. 2. post Laium progressum ab inferis:

Cùm sterilis luci possessóque manibus aruo,
Et ferrugineum nemus astupet.—

Ad aduentũ Plutonis miras excitat tragœdias Claudian. 2. Rap. ab eo versu, *Apparet subitus cœlo timor.* tu reliqua. Et maiores adhuc lib. 3. ab eo loco, *liuor peruenit in herbas,* &c. vbi nutrix Proserpinæ narrat Cereri successum filiæ. Lib. etiam 1. in Ruff. aduentum C Megæræ sequuntur prodigia. Illa enim Phœbi

Infecit radios, vlulauitq́, athera rupit
Terrifico, sensit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arua fragor, reuolutaq́, Tethis
Substitit, & Rhenus proiecta torpuit vrna.

Vide & longissimum locum Statij 3. Theb. non longè ab initio, ab eo, *Ima flagellatis,* &c. Calab. lib. 10. de Discordia bellorum Dea, τῆς δ' ὑπὸ ποσσὶ χθὼν γαῖα: *Mouebatur terra sub eius pedibus.* Profert Germanus Callimachi locum repetitione verbi similem, ἄιε μὲν Αἴτνη, ἄιε δὲ Τρινακρίη, ἄιε δὲ γείτων Ἰταλία, *Audiit Ætna, audiit Trinacria, audiit vicina Italia.* Tale quid Petron. Sat. loquens de bello ciuil.

Sentit terra Deos, mutatáque sydera pondus
Quæsiuêre suum.—

Profunditas de sylua.

19. SYLVÆ PROFVNDÆ.] Simili attributo Græci. Strabo 6. Geog. vbi loquitur de exitio Milonis athletarum celeberrimi. ὁδοιποροῦντά ποτε διὰ ὕλης βαθείας: *Cùm iter faceret aliquando per profundam syluam.*

Lacus Dianæ sacri.

20. TRIVIÆ LACVS.] Scilicet lacus (non solùm montes & nemora) sacros esse Dianæ iam te Turnebus monuit, dans lucem huic loco. Inde est, vt Strabo lib. 8. Dianam vocet cognomento Limnæam à lacubus.

Nar sulphureus, albus.

21. SVLPHVREA NAR ALBVS AQVA.] Plinius lib. 3. cap. 12. *Nar sulphureis aquis.* Ennius 6. Annal.

Sulphureas posuit spiramina Naris ad vndas.

Seruius: *Sabini lingua sua Nar dicunt sulphur.* Claudiã. Paneg. Prob. *& Nar vitiatus odore, sulphure.* Auson. Id. 5. *sulphureus Nar.* Sidon. epist. 5. lib. 1. *Naris sulphurea.* Itaque ab aqua sulphurea Nar dicitur albus: sic & Silius lib. 8. *Nárque albescentibus vndis.* Seruius hîc: *dum currit est sulphurei coloris, dum hauritur albi.*

Albula cur Tybris.

Sic & Tyberinum volunt aliqui dictum Albulam ab sulphure, vnde illustratur Statius libro primo Syluar.

Illic sulphureos cupit Albula mergere crines.

Vide quæ iam ego de Albunea in hoc libro. Allusit verò Poëta non solùm ad naturam fluminis, sed etiam ad naturam timoris. Qui timent, redduntur pallidi, aut albi. Ergo amnis ad sonitum Furiæ totus expalluit.

Timor reddit pallidos, & albos.

22. FONTESQVE VELINI.] Dictum iam in 6. Virgilianum hemistichium vsurpat Florus lib. 1. c. 15. vbi ait: *Curio Dentato Consule, omnem eum tractum, quà Nar ambit, fontésque Velini,* &c. Sed de hac lectione dubito.

Matres premunt filios in timore.

23. ET TREPIDÆ MATRES.] Præclarus affectus ad vim timoris significandam. Ita Seneca in Thyeste post mentionem belli, *Pallidæ matres tenuêre natos.*
B Petronius in tumultu belli ciuilis:

Ille manu trepida natos tenet, ille Penates
Occultat gremio.—

Silius lib. 9.

Cùm stupet exanimata parens, natúque tepentis
Nequicquam fouet extremis amplexibus artus.

Valer. lib. 2.

—pariterque toris exhorruit omnis
Mater, & astricto riguerunt vbera nati.

Viuidiùs, *pressêre ad pectora natos.* Quod imitatus est Statius primo Thebaid. ad clamantem enim Tisiphonem,

Ipsa suum genitrix curuo delphine vagantem
Arripuit frenis, gremióque Palæmona pressit.

Oppositio.

Contrario affectu idem Statius lib. 11.

Respirant Thebæ, templísque iacentia surgunt
Agmina, iam finis votis, finísque supremis
Planctibus, & natos ausæ deponere matres,

Pueri in metu cõfugiũt ad matres.

quos videlicet priùs presserant. Euripides affectum mutauit in Troadib. hunc in modum.

Βρέφη δὲ φίλια περὶ πέπλους ἔβαλε ματρὶ χεῖρας ἐπτοημένας:

Dilecti infantes sub vestem matri immiserunt manus timidas,

Videlicet territi ad clamorem Græcorum noctu irruentium Troiam. Ita & Hippoc. libello de morbo sacro, loquens de pueris. φεύγουσι πρὸς τὰς μητέρας, ἢ πρὸς ἄλλον ὅντινα μάλιστα γινώσκουσιν, ὑπὸ δέους καὶ φόβου τοῦ πάθους: *Confugiunt ad matres, aut alium quemuis, quem nouerint, præ metu, ac pauoris consternatione.* Astyanax apud Homerum 22. Iliad. in summo dolore lacrymabundus ἄνεισι ἐς μητέρα, vt ad confugium. Ario-
D stus cant. 27.

Si strinzere le madri il figli al seno.

Val. Flac. lib. 2. Argon. sententiam Virgilij in rem aliam mutauit,

—pariterque toris exhorruit omnis
Mater, & astricto riguerunt vbere nati.

Non abit ab his affectibus Apollonius lib. 4. Arg. Eius versus sunt.

Δείμα δ' ἐξεγένοντο λεχωΐδες, ἀμφὶ δὲ παισὶ
Νηπιάχοις, οἵ σφιν ὑπ' ἀγκαλίδεσσιν ἴαυον,
Ῥοίζῳ παλλομένοις, χεῖρας βάλον ἀσχαλόωσαι:

E *Pauore autem percellebantur matres, puerisque*
Infantulis, qui sibi in gremiis dormiebant,
Sibilo territis, manus obtendebant exanimatæ.

Ita & de Inone Statius lib. 4. Theb.

—& ad vbera dulce prementem
Pignus.—

Callimach. hymno Dian. loquens de puella, quæ terretur pauore subito.

—ἡ δὲ τεκούσης
Δύνει ἔσω κόλπους, θεμένη ἐπὶ φάεσι χεῖρας.

—Matris verò
Subit in sinum, ponens in oculis manus.

Terriculamenta puerorum vnde habeant originem.

Admonet me Callimachus (hoc venia tua Lector) moris, quem aperiam. Terriculamenta ista, quæ solent infantibus proponi, vt quiescant aut à ploratu, aut ab re quauis alia, Hispani *cocos* dicimus) trahunt originem iam olim ab antiquo æuo. Versus Callimachi aperientis hunc morem hi sunt, loquitur autem de Cyclopibus. A

Ἀλλ' ὅτε κυράων τις ἀπειθέα μητέρι τεύχοι,
Μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἑῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ,
Ἄργην, ἢ Στερόπην. Ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
Ἔρχεται Ἑρμείης, σποδιῇ κεχρημένος αἰθῇ.
Αὐτίκα τὴν κούρην μορμύσσεται. ἡ δὲ τεκούσης
Δύνει ἔσω κόλπους, θεμένη ἐπὶ φάεσι χεῖρας.

Nescio enim quomodo ista, quæ præ manibus habemus, afficiunt nos, si illorum originem altiùs repetamus. Versus Callimachi ita redde. B

Cùm puellarum aliqua proteruum quidpiam in matrem fecerit,
Mater quidem Cyclopas aduocat contra filium suam,
Argen, aut Steropen. Ex ædibus verò interioribus
Mercurius exsilit, carbone atro illitus.
Protinus ille puellam territat: illa verò ad genitricis
Confugit sinus, ponens manus in illius oculis.

Et Mercurius quidem præ aliis adest, quasi illum remittant Cyclopes ad illa terriculamenta: nam is Deus

——— commune profundis,
Et superis numen, qui fas per limen vtrumque
Solus habet, geminóque facit commercia mundo.

Versus Claudiani agnoscis. Itaque mittitur, vt nuncius Manium, ad terrores istos. Condonet nobis has Lector moras. Sed fortasse non ista opus venia; nam quid si consuetudo infantulorum confugientium in metu ad maternos sinus, & matrum prementium illos, nata est non solùm ab ipsa rerum natura, sed etiam ab territamentis illis, de quibus locutus Callimachus? Hinc etiam fortasse lux accedit Senecæ Controuers. 29. cùm ait: *Quid expauisti puella? quid ad sinus meos confugisti? quid extimuisti tanquam nouercam?* Potest enim fieri allusio ad hos terrores. Nolo, Lector, te prætereat sententia Catonis apud Plutar. in eius vita, quæ nata, credo, ab hac timentium natura. Damnauit ille in Censura sua Manlium, quòd exoscularetur vxorem inspectante filia; nam hoc visum est Catoni indecorum. Et adiecit ipse de se, nunquam complexum fuisse vxorem suã, πλὴν βροντῆς μεγάλης, *nisi magno in tonitru*: & dicebat per iocum, se beatum tantùm esse τοῦ Διὸς βροντῶντος, *tonante Ioue*. Hoc (inquam) ab timoris natura, tonante enim cœlo Cato præ metu ruebat ad vxorios complexus.

Catonis sententia

[a] Tum verò ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolæ, nec non & Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
[b] Dixêrere acies: non iam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibúsque præustis:
Sed ferro ancipiti decernunt; atráque latè
Horrescit strictis seges ensibus: æráque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila iactant.
[c] Fluctus vti primo cœpit cùm albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, & altiùs vndas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
[d] Hîc iuuenis primam ante aciem stridente sagitta
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus Almon,
Sternitur: hæsit enim sub gutture vulnus, & vdæ
Vocis iter, tenuémque inclusit sanguine vitam.
[e] Corpora multa virûm circa, seniórque Galesus,
Dum paci medium se offert, iustissimus vnus
Qui fuit, Ausoniísque olim ditissimus aruis,
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.

ARGVMENTVM.

Veniunt ad arma rustici, & Troiani: cadit Almon Tyrrhi filius, & Galesus senex.

EXPLICATIO.

[a] Dato signo à Furia statim ruunt agricolæ furiosi atque insani; nam hi sunt *indomiti*. Et quia multi, ideo *concurrunt*: & quia bellum subitum, ideo *raptis telis*. Troiani verò auxilium præbent Ascanio, non tam vt noceant, quàm vt bellum repellant. Cauet enim Poëta ne in crimen improbitatis incurrant. Quia verò salus Regij Principis agebatur, ideo *effundit auxilium*, & *apertis castris*. Ita ferme Donatus expendit. Vocat buccinam *diram*, vt indicet aduerso pugnatum omine. C

[b] Orsus belli primus fuerat ab stipitibus, ab torre obusto: cessarunt hæc arma, certatúmque est ferro, atque ensibus. Vide verò apparatum armorum ex ferro

ferro ancipiti, id est, vtrinque noxio, quales esse gladij solent, & ferramenta hastarum: ex strictis ensibus, qui, quia innumeri, reddebant speciem fluctuantis, horrentisque segetis: ex splendente gladiorum ære, quod ex repercussu Solis iactabat lucem in omnem partem. Notetur pulcherrima oppositio; nam atra seges cùm esset, tamen æra fulgebant. Itaque atriciem refero ad horrorem; ait enim, *seges atra horrescit.*

c Sequitur apta comparatio. Creuit belli furor ab stipitibus ad gladios, non aliter ac mare, quod paulatim fluctus attollit; deinde vndæ altiùs intumescunt, ita vt ab imo fundo cœlum attingere videantur. Habet etiam locum comparatio in re alia. Fulgebant æra gladiorum, non aliter ac primus fluctus esse solet, albicans præ spuma: tamen atra erant omnia horrore belli, non aliter ac mare turbatum iam procellis. Disce vti sapienter comparationibus.

d Sequuntur (quod necesse erat in tam diro malo) cædes. Cadit ante omnes Almon maximus filiorum Tyrrhi. Cadit autem primus, quia *ante primam aciem* dimicabat, quippe iuuenis, & paternæ rei sollicitus. Adhibet Poëta modum mortis, sagittam enim hærentem sub gutture tanta sanguinis copia secuta est, vt vocis, & vitæ iter occluderet. Expendunt hîc quæpiam Seruius, & Scaliger. Prior ait, moueri miserationem ab ætate, cùm dicit, *iuuenis*: à virtute, cùm dicit, *primam ante aciem*: à vulneris crudelitate, cùm ait, *hæsit enim sub gutture vulnus.* Posterior expendit mortes varias variis affectibus induci. Sichæus enim, & Pyrrhus, qui insidiosè cadunt, dicuntur cadere *incauti*, & *ante aras*: at Almon *iuuenis*, id est, audax, *primam ante aciem.*

e Cadunt multi circa Almonem, & in primis senex Galesus, qui se sequestrum ad pacem dabat. Vide variatam poësin ab Almone iuuene, ab Galeso sene. Mouet affectus primò à virtute; fuit enim iustissimus: deinde à paupertate, in quam inciderat propter iustitiam. Olim (inquit) fuit ditissimus, quasi tunc non esset. Inde postea imperfecto tempore *redibant armenta, vertebat terram*, quasi iam non redirent, quasi iam non verteret. Redibant enim, cùm erat ditissimus. Itaque non prædicat opes, quas tunc Galesus haberet, sed quas habuerat, cùm in similes calamitates soleant incidere plerumque iustissimi, vt qui plus æquo iusti. Hæc mihi visa mens Poëtæ. Scio aliter Poëtam capi, quisque vt volet.

NOTÆ.

1. RAPTIS CONCVRRVNT VNDIQVE TELIS.] Iam Macrob. coniunxit cum Virgilio Ennium ita scribentem lib. 3. Annal.

Imitatio.

Postquam defessi sunt, stant, & spargere sese
Hastis ansatis, concurrunt undique telis.

2. INDOMITI AGRICOLÆ.] Ita Iulius lib. 1. belli Ciu. *pastores indomiti*. Possis in hoc feruore rusticorum vsurpare illud Taciti lib. 1. Hist. *Nullo tribunorum, centurionúmve adhortante, sibi quisque dux & instigator.* Nec non illud Petron. Sat.

Sibi quisque dux.

Arma placent miseris, detritáque commoda luxu
Vulneribus reparantur, inops audacia tuta est.

§ 3. CASTRIS APERTIS.] Huic loco lucem dat Lazius lib. 4. Comm. cap. 5. cùm inter varia castrorum nomina ea quoque infert, quæ dicta peculiariter *castra aperta*, id est, sub dio, præeunte ad hanc rem Liuio lib. 23. *Agrúmque Campanum ferro, ignique est depopulatus, donec coacti sunt Campani, nihil admodùm viribus suis fidentes, egredi portis, & castra ante vrbem in aperto communire.* Ergo in Poëta, *castris apertis*, erit, subdialibus. Sed non dubium, quin simpliciùs Poëta possit explicari, videlicet aperta fuisse castra ad effundendos milites, ea ratione, qua dicimus, aperto ostio erupisse aliquem. Ita Statius dixit 2. Theb.

Aperta castra, quæ sint.

——densi sic agmine facto
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.

4. STIPITIBVS DVRIS, &c.] Simile belli genus repræsentat Liuius lib. 34. *Iam castra hostium oppugnabantur, saxisque, & sudibus, & omni genere telorum submouebantur à vallo Romani.* Statius lib. 4. *pineus armat stipes.*

5. SVDIBVSVE PRÆVSTIS.] Propertius etiam lib. 4. Eleg. 1. loquens de Romanis, cùm agrestes erant,

Nec rudis infestis miles radiabat in armis,
Miscebant vsta prælia nuda sude.

Sudes videtur intellexisse Silius lib. 3. cùm scribit:

Contenti parca durasse hastilia flamma.

Item lib. 8. cùm scripsit:

Gestabant tela, ambustas sine cuspide cornos.

Sicut & Statius lib. 4. Th. vbi inter arma adhibet

——robora flammis
Indurata diu.——

Silius iterum lib. 9. *Hi pinu flagrante cient.* Tacitus dat Germanis 2. Ann. *præusta tela.* Homer. σκῶλος πυρίκαυστος. Apud Plutarchum in vita Crassi, Spartacus, & eius socij bellum gerunt ἐκ τινὸς ὀπτανείου κοπίδας ἀράμενοι, καὶ ὀβελίσκους, *arreptis gladiolis, & verubus ex coquina quapiam.* Certò liquet ex testimoniis sudes fuisse inter missilia, scribente Tibullo lib. 4.

Sudes inter missilia.

Quis tardámve sudem meliùs, celerémve sagittam
Iecerit, aut lento perfregerit obuia pilo?

Festus quoque: *Sub vineam iacere dicuntur milites, cùm adstantibus centurionibus iacere dicuntur sudes.* Seneca epist. 89. *Sudes torquere iuuentus olim discebat.* Profero & Tacitum lib. 2. Hist. *Othoniani sudes, & immensas lapidum, ac plumbi, ærísque moles perfringendis operibus, obruendísque hostibus expediunt.* Clarè notat esse missiles sudes coniungens cum lapidibus, & plumbo. Non verò otiosè adducta hæc testimonia, vt videlicet scias non semper sudes vsurpatas in agresti tantùm rusticorum certamine, quod hîc indicat Maro; sed in aliis etiam. Hoc enim astruunt nonnulla ex adductis. Præterea Statius in bello Græcorum lib. 8. *Concurrunt per inane sudes.* Quod sanè bellum longè à rusticis, imò inter Græciæ Principes: & lib. 10. eiusdem belli ait rotatas è muris Thebanis sudes. Et lib. 1. Achill. in apparatu ad bellum Troianum:

Aut torrere sudes, galeásque attollere conis.

Curt. lib. 3. in apparatu Persarum. *Quidam igne lignum durauerant.* Notetur elegantia Aristophanis in Pluto, vbi præustam sudem vocat σφηνίσκον, quia videlicet acuminato est & acuto ligno in fine, nimirum à vespa, quæ Græcis σφὴξ, cuius posteriora sensim gracilescunt. Cur verò corripit diphthongum Poëta? an quia sequitur vocalis, vt vulgus vult? an quia (didici hoc à Christophoro Rufo in Antexegematib.) diphthongus occupat sedem quintam, non quia vocalis sequitur? Placet hoc præ vulgari opinione. Nam Lucretius lib. 3

Sphecifcon telum.

Diphthongus quando possit corripi.

Præter enim quàm quod morbi est cùm corpus ægrotat.

Sic *profundo*, & *procuro* in hac sede, non alibi corripiuntur. Sic Homerus sæpissimè in hac sede longam syllabam adhibet. Itaque non licebit Poëtæ corripere hanc diphthongum nisi in hac sede, quamuis Grammatici aliter clamitent.

Anceps ferrum.

6. FERRO ANCIPITI.] Respondet huic ξίφος A ἀμφήκης Homeri, & ἀμφίγυον Calab. lib. 1. aliter, nam bipennem ἀμφιτόμον, *vtrinque ferientem.*

7. DECERNVNT.] A Græcis, qui pari significatu sumunt κρίνεσθαι & διακρίνεσθαι.

Seges armorum horret

8. HORRESCIT STRICTIS SEGES ENSIBVS.] Ita in 12.

—strictisque seges mucronibus horret
Ferrea.—

Et in 11.

——tum latè ferreus hastis
Horret ager.—

Et 2. Georg.

——densisque virûm seges horruit hastis.

Homerus lib. 13. Iliad.

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσιν:
Horruit autem pugna corruptrix hominum hastis.

Lycophron. in Cassand.

—πέφρικαν δ' ὥστε λήϊα γύαι
Λόγχαις ἀποστίλβοντες.——
Horrebant vt arua segetis hastis splendentes.

Ennius apud Macrob.

Sparsis hastis longis campus splendet & horret.

Alibi idem:

Horrescit telis exercitus asper vtrinque.

Pulchrè quoque Nonnus lib. 22. cristas galeatum vocat segetem: nam de duce quodam,

Ἔγχεϊ Βιστονίῳ κορυθαιόλα λήϊα τέμνων:
Telo Bistonio secans segetes, quæ erant in variis galeis.

Videtur mihi Stat. eandem rem repræsentare, cùm dixit lib. 7.

Talis erat campo belli fluitantis imago.

Nam Poëtæ illam spicarum agitationem solent explicare per fluctus. Claud. in Ruff. *seges ferri* dixit. Non hinc abit nota Hesychij, qui Æschylum dixisse ἀθέρα, id est, *aristam* ἀντὶ τῆς ἀκίδος τῆς αἰχμῆς, *pro hastæ cuspide.* Plutarchus etiam in Catone ἀθέρα dixit pro mucrone gladij. Scio à nonnullis dici, quid peculiarius intelligi ea voce à Plutarcho.

Arista pro hastæ cuspide.

Fulgor acierum.

9 ÆRAQVE FVLGENT SOLE LACESSITA.] Est hoc, quod Lucanus dixit

Ardentésque acies percussis Sole corusco
Conspexit telis.——

Actius etiam Epinausimache,

Ab classe ad vrbem tendunt, nec quisquam potest
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

Noster pari fulgore lib. 11. Æneid. *campique armis* D *sublimibus ardent.* Quem locum vide. Lib. etiam 2. dixit,

Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.

Euripid. Phœniss. cùm recenset apparatum bellicum multa habet eiusmodi, vt cùm ait. κατάχαλκον ἅπαν πεδίον ἀστράπτει: *Æneus campus totus fulgurat.* Hippomedon dicitur ἀστερωπὸς, *fulgurans vultu instar syderis.* Et de Polynice φλεγέθων à fulgore. Iterum,

Ἀμφὶ δὲ πόλιν νέφος
Ἀσπίδων πυκνὸν φλέγει,
Σχῆμα φοινίου μάχης:
Circa vrbem nubes
Clypeorum densa fulgurat,
Species cruentæ pugnæ.

Homerus 11. Iliad. χαλκὸς οὐρανὸν εἴσω λάμπ᾽: *ferrum ad cœlum vsque splendebat.* Statius libro duodecimo Theb.

——nec puluere crasso
Armorum lux victa perit, sed in æthera longum
Frangitur, & mediis ardent in nubibus hastæ.

Et de galea Martis lib. 3. *iubar*: & de eiusdem clypeo *lux*; & lib. 4. *Solem radiis ignescere ferri.*

Armorum à Sole fulgor.

A 10. SOLE LACESSITA.] De Polynice Eurip. Phœniss.

Ἐοικὸς ὅμοια φλέγει ἑῴων βολαῖς ἁλίου:
Fulgurans instar Solis matutinis radiis.

Ammianus lib. 9. in ipso initio: *Cúmque primùm Aurora surgeret, vndique saque videri poterant, armis stellantibus coruscabant.* Valer. Arg. facit scuta Argonotarum lucere *percussa Sole.* Similia verò Lucretij loca notauit Germ. hæc,

Corpora quæ feriant oculos, visumq́; lacessant.

Et,

Hæc loca per voces veniant, aurésque lacessant.

Iterum;

Hic odor ipse igitur nares quicunque lacessit.

B Vbi vides vsum verbi in triplici sensu, videlicet, oculis, auribus, naribus. Sic tu poteris in gustu, & tactu, vt si quis dicat,

Lacesso ad sensus quosque.

Esca cibi sapidi faucésque gulámque lacessit.

11. ET LVCEM SVB NVBILA IACTANT.] Audisti iam versum Statij, *& mediis ardent in nubibus hastæ.* Non abit Claudian. 2. Rap.

Nubila ab armis agitanda

Hastáque terribili surgens per nubila gyro.

Neque ista eiusdem lib. 2. in Ruffin. de signis Romanis:

——aliéque videres
Surgere purpureis vndantes anguibus hastas,
Serpentumque vago cœlum sæuire volatu.

Et Paneg. de 3. Conf. Honorij loquens etiam de Romanis signis,

——multúsque tumet per nubila serpens.

C Et de 6. Conf.

——mediisque volantia signa
Nubibus.——

Audi quoque Silij Musam lib. 8.

Agmina sanguinea vibrant in nubila luce.

Ammiano ventus placuit præ nubilis: nam lib. 16. loquens de Romanis signis, *dracones quoque caudarum volumina relinquentes in ventum.* Statius 3. Theb. ad Solem confugit; nam de clypeo Martis, *Solem longè ferit æmulus orbis.*

12. FLVCTVS VTI, &c.] Hunc versum satis illustrabis his, quæ à me latè libro 3. Georg. ad illud,

Fluctus vt in medio cœpit cùm albescere ponto.

vbi & de comparatione ipsa, & de albedine vndarum Notis 30. & 31. Hîc tantùm notetur Homeri comparatio libro 13. Iliados, vbi milites euntes ad bellum comparat fluctibus maris. Versus sunt.

Imitatio.

Κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
Κυρτὰ, φαληριόωντα, πρὸ μέν τ' ἄλλ', αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα,
Ὣς Τρῶες πρὸ μὲν ἄλλοι ἀρηρότες, αὐτὰρ ἐπ' ἄλλοι
Χαλκῷ μαρμαίροντες ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕποντο:

Fluctus æstuantes multisoni maris,
Turgidi, quibusq́; spumæ albicant, hi quidem priùs, mox alij:
Ita quidem Troiani stipati, hi priores, deinde alij
Ferro fulgentes vnà cum ducibus sequebantur.

Notetur etiam dictum commodè *primo vento albescere*; nam cùm mare incipit turbari, tunc esse album apparet: cùm iam penitùs horret, tunc nigricat. Quod ex Aristotelis doctrina iam astruxit Turnebus. Ouid. quoque in initio tempestatis lib. 11. Metamorph.

Mare quando album.

Cùm mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus.—

Volo etiam expendas, optimè initium belli comparatum cum initio tempestatis. Statius certè ipsum adhuc

adhuc impetum ad bellum comparat 3. Theb. cum gemitu maris Tyrrheni.

12. PAVLATIM SESE TOLLIT MARE.] Vertit, ait Macob. lib. 1. Satur. c. 13. illud Homeri πόντῳ ἐνὶ πρῶτα κορύσσεται.

14. ALTIVS VNDAS ERIGIT.] In hac fluctuum prima lenitate, mox horrore, videtur explorasse Catullian. versus in Epithal.

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat vndas,
Aurora exoriente vagi sub lumina Solis,
Quæ tardè primùm clementi flamine pulsæ
Procedunt, leuitérque sonant plangore cachinni,
Pòst vento crescente magis, magis increbrescunt.

Bellum cum tempestate cóparatur. Non abit Homeri comparatio Iliad. 16. vbi ad explicandum belli impetum, adhibet tempestatem excitatam sereno priùs cœlo. Versus sunt.

ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Οὐλύμπου νέφος ἔρχεται οὐρανὸν εἴσω
Αἰθέρος ἐκ δίης, ὅτε τε Ζεὺς λαίλαπα τείνει:
Sicut quando ab Olympo nebula it cœlum vsque
Æthere ex sereno, cùm Iuppiter procellam excitat.

Apud Simocattam lib. 3. cap. 14. hærentem iisdem metaphoris tumultus belli & strepitus dicitur πελαγίζων, ἢ κυμαίνων: & cap. 3. lib. 5. etiam in re belli, διακυμαίνων. Atque etiam lib. 7. cap. 11. etiam de bello loquens, συμφορῶν περικυμαίνουσι κλύδωνες: *Inundant fluctus calamitatum.* Plutarchus in vita Marij, κλύδωνα πολέμου, *fluctum belli:* & ibidem de exercitu, καθάπερ πέλαγος ἀχανὲς κινούμενον. *instar vasti & commoti pelagi.* De Æthiopibus bellantibus Calab. lib. 2. ἄτε κύματα πόντου. Vide & longissimam Nonni comparationem lib. 32. ab eo versu, ὡς δ' ὅτε χειμερίων ῥοθίων, &c. & Homeri aliam lib. 15. Iliad. ab eo, οἱ δ' ὥστε μέγα κῦμα θαλάσσης; aliámque eiusdem eodem lib. ab illo, ὡς ὅτε κῦμα, &c.

Tempestas ad cœlum. 15. CONSVRGIT AD ÆTHERA.] Ita de mari irato Poëtæ. De Charybdi Noster, *& sydera verberat vnda.* De fluctibus Ouid. 1. Trist.

Iamiam tacturos sydera summa putes.

Idem in tempestate lib. 11. Metamorph.

——cœlumq́ue æquare videtur
Pontus, & inductas aspergine tangere nubes.

Lucan. lib. 1.

Flammiger an Titan, vt alentes hauriat vndas,
Erigat Oceanum, fluctúsq́ue ad sydera tollat.

Æschylus in Prometheo dixit, ξυντετάρακται δ' αἰθὴρ πόντῳ: *conturbatum erat cœlum ponto.* Euripid. in Hippolyto, κῦμ' οὐρανῷ στηρίζον, quasi fluctus cœlo affigeretur. Non abit illud Lucani lib. 5. *Nubila tanguntur velis.* De flumine Erasino irato Statius 1. Theb. *& gelidas surgens Erasinus ad Arctos.* Locus est hac de re apud Nonnum egregius lib. 23. Dionys. vbi Oceanus in summa ira minitatur cœlo tempestatem & fluctus. Græca omisi, quia multa. Summa est: facturum se, vt Sol igneus fluctibus extinguatur, aquis occultentur astra, Luna inundet, murmurante flumine, Arctos, & plaustrum vndis abluantur, delphinus cœleste astrum iterum natet, cœlestis Eridanus reddatur verè aquosus, æther nudetur lumine, Olympici natent pisces, taurus fiat iterum maris natator, & multa alia, quibus profusissimi sunt Græci. Sed & sententiam Virgilij ita extulit Tibullus lib. 4.

Vel si sublimis fluctus consurgeret imo.

Et Silius lib. 13. loquens de Neptuno, *æquora fundo eruit.*

Sonitus teli. 16. STRIDENTE SAGITTA.] Homer. Iliad. 16. adhibet ὀξὺν ῥοῖζον, ἢ δοῦπον ἀκόντων, *stridorem sagittarum, sonitum iaculorum.* Ibidem ἐπέβραχε τεύχεα, *sonuerunt arma,*

Guttur traiectum. 17. HÆSIT ENIM SVB GVTTVRE VVLNVS.] Simile ferè mortis genus vsurpatum est Homero, apud quem Idomeneus Iliad. 13. Asium transfigit, λαιμὸν ὑπ' ἀνθερεῶνα: *ad iugulum sub mento.* Apud Nonnum lib. 22. cadit quidam in acie, πεπυρμένος ἀνθερεῶνα, *ictus in gutture.* Apud Silium lib. 4.

Hæsit barbaricum sub anhelo gutture telum

Apud eundem lib. 5. Carthaginenses duo occumbunt *transfixi guttur.*

Vda vox. 18. VDÆ VOCIS ITER.] Vdam vocem dixit, vt Lucret. *liquidum citharæ carmen:* vt Tryphiod. spinam Troiani equi ὑγρὴν, *humidam:* vt Pers. Satyr. prima; *liquidum plasma* de eo, quod applicatur gutturi. Hi omnes indicant flexibilitatem ex imitatione humidi; nam quæ humida, flexibilia etiam sunt. Huc pertinent, quæ iam dedi Eclog. 3, ad illud,

Et molli circum est ansas amplexus acantho.

Oppositio. Theocritus quippe acanthum vocat ὑγρὸν, & Plinius in epist. *liquidum*, tantùm ob flexibilitatem. Quod Virgilius reddidit *molli acantho.* Sed & Græci dicunt pari energia ὑγρὸν βίον, *vitam humidam*, de his, qui sunt temperatura humida, cui opponuntur homines sicci. Plutarchus de puerorum institutione, ait, εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης. Vbi iuuentutem vocat humidam, vt signet teneram esse ad omnia, & facilè μαλακτικήν.

Humidū de iuuentute.

19. VOCIS ITER.] Nam per guttur fit itatio, & motus vocis. Itaque bene Pers. Sat. 1. guttur appellat mobile.

Affectus ab ætate. 20. SENIORQVE GALESVS.] Cùm hîc moueatur affectus ab ætate, vellem, expendas versus Homericos, qui habentur Iliad. 22. vbi Priamus ita loquitur.

——νέῳ δὲ πάντ' ἐπέοικεν
Ἀρηϊ κταμένῳ, δεδαϊγμένῳ ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖσθαι, πάντα δὲ καλὰ θανόντι περ, ὅ, ττι φανήῃ.
Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον,
Αἰδῶ τ' αἰσχύνωσι κύνες κταμένοιο γέροντος,
Τοῦτο δὴ οἴκτιστον πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι:

——iuuenem omnino decet
Bello interfectum, laniatúmque acuto ære
Iacere, omniáque morienti decora, quodcunque appareat:
Sed cùm iam canum caput, canámque barbam,
Pudendáque deturpant canes interempti senis.
Hoc vtique miserrimum est miseris mortalibus.

21. DVM PACI MEDIVM SESE OFFERT.] Lege doctissimum caput Macrobij 4. lib. item Saturn. vbi tractat πάθη, quæ Virgilius mouet à causis; & principe loco exemplum hoc adhibet.

Iusti etiam in bello cadunt. 22. IVSTISSIMVS.] Ita 2. Æneidos de cadente in acie Ripheo,

——cadit & Ripheus iustissimus vnus,
Qui fuit in Teucris.——

Rectè itaque ait Tacitus 2. Annal. *in pace causas, & merita spectari: vbi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.* Et de re simili Sallust. Catil. *iuxtà bonos, & malos libidinosè interficere.* Vide verò vti conquestionem excitet, & affectum moueat ab homine iusto interfecto, quasi hoc indignum esset. Non abit conquestio Homerica 6. Iliad. de Axylo, quem interfecit Diomedes, qui tamen Axylus,

Ἀφνειὸς βιότοιο, φίλος δ' ἦν ἀνθρώποισι,
Πάντας γὰρ φιλέεσκεν ὁδῷ ἔπι οἰκία ναίων:
Erat diues opum, & hominibus benignus,
Omnes enim comiter excipiebat, secus viã ædes incolens.

 Huc

Huc pertinet locus Sophoclis in Electra, vbi ait in- A dignum esse, vt iustus patiatur. Profero eius versus.

ἐπεί σ' ἐφεύρηκα μοί-
ρᾳ μὲν οὐκ ἐπ' ἐσθλᾷ
βεβῶσαν: ἃ δὲ μέγιστ' ἔβλαστε
νόμιμα, τῶν δὲ φερομέναν
ἄριστα τᾷ Ζηνὸς εὐσεβείᾳ:
Nam te video indignè
Aduersa fortuna
Iactari, cùm quæ summa iustitia,
Et optima est, eam colueris,
Nempe pietatem erga Deum.

Attuli versionem Viti Winsemij.

23. QVINQVE GREGES, &c.] Videtur mihi Horatius aspirasse ad magistri sui Musam Od. 16. lib. 2. B illis versibus,

Te greges centum, Siculæq́ue centum
Mugiunt vaccæ.———

Vbi *greges* sunt, balantes oues Virgilij: *vaccæ mugientes*, Virgilij armenta. Quamuis verò hîc Virgilius greges ouium discriminet ab armentis boum, certum est autem greges pro armentis quoque confusim sumi. Obuium quippe in Plinio *greges boum, taurorum, elephantorum.* Et Horatius Od. 2. Epod.

Grex de armento.

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Balantes.

24. BALANTVM.] Ita Lucret. lib. 2. *Balantum pecudes* posuit pro ouibus, cùm scripsit,

Præterea teneri tremulis cum vocibus hœdi
Cornigeras norunt matres, agnique petulci
Balantum pecudes.———

Imitatio.

Est etiam in lib. 6. eiusdem locus, quem potuit imitari Virgilius. Ait Lucret.

Consimili ratione venit bubus quoque sæpe
Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægror.

Quippe Virgilij armenta respondent illius *bubus*: balantes huius, illius *pecubus balantibus*.

Reditus, an redditus de annuo prouentu.

25. REDIBANT.] Astruit hic locus non decipi illos, qui census & prouentus annuos vocant reditus à redeundo, non redditus à reddendo. In gratiam huius coniecturæ affero Cornelium Nepotem ita scribentem in Themistocle: *Ex qua regione quinquaginta ei* (Themistocli) *talenta quotannis redibant.* D Et Græcos, qui annuos census vocant προσόδους, qua voce vsus Demosthenes orat. 1. in Aphobum, τοῦ ἐνιαυτοῦ (inquit) τὴν πρόσοδον. Atqui hæc vox omnem habet cognationem cum *redeo*: nam ὁδὸς via est; nullam cum *reddo*. Et Philipp. 4. ad annuos census explicandos, adhibet verbum προσέρχεσθαι. Ait enim, τετρακόσια ἀντὶ τῶν ταλάντων ἑκατὸν προσέρχεται: *pro centum quadrigenta iam talenta nobis redeunt.* Ioseph. 15. Antiq. cap. 12. ita, μηδ' ἕτερον (σπέρμα) ἀνιείσης τῆς γῆς; quasi tellus remitteret, negarétque debitum.

26. TERRAM CENTVM VERTEBAT ARATRIS.] Duo hîc nota: primò, numerum certum positum pro incerto, sicut in re pari Horat. lib. 2. Od. 16.

Numerus certus pro incerto.

Te greges centum, Siculæq́ circum
Mugiunt vaccæ.———

Et Seneca in Troadib.

———*centum*
Rura qui scindant opulenta bobus.

Deinde hac verborum forma solitas olim significari diuitias potiùs, quàm auri, argenti, aut metalli alterius copia, quia videlicet vnis agrestibus firmissimæ opes constabant. Rectè enim adducit Seruius illud Catonis, qui interrogatus, quis esset paterfamilias, respondit, illum, qui bene pascit, & bene arat. Sed iam ad firmamenta. Propert. Eleg. 5. lib. 3.

Agrestium opes olim firmissimæ.

Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.

Et Eleg. 1. lib. 4.

Nam tua cùm multi versarent rura iuuenci.

Statius lib. 4. Theb.

Qui ripas Lineæ tuas, tua littora multo
Vomere suspendunt.———

Valerius Flaccus lib. 1. Arg.

———*ille Othryn, & Æmum,*
Atque imum felix versabat vomere Olympum.

Horatius Od. 1. Epod.

Non vt iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis.

Homerus Iliad. 11.

C

Αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο:
Capras simul, & boues, quæ ei multæ pascebantur.

Et lib. 2. loquens de diuitiis Erichthonij, qui erat mortalium ditissimus,

Τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο:
Huius ter mille equæ paludem circa pascebantur.

Pulcherrimè rem eandem Iuuenal. & Persius, dicũt enim tantùm terrarum esse diuiti ad arandum, quantùm non possint milui volando pertransire. Prior Sat. 9. *tot miluos intra tua prædia lassos.* Posterior Sat. 4.

Miluus Iuuenal & Pers.

Diues arat Curibus quantùm non miluus oberret.

Ad has diuitias, quæ olim in pretio, referunt Græci Grammatici quaspiam verborũ etymologias. A πῶλος ducent πωλεῖν, ab ὄνος ὠνεῖν, ab ἀρνὸς ἄρνυμαι: quòd D videlicet in pecoribus consisterent diuitiæ veterum. Et quidem Proclus. οἱ γὰρ παλαιοὶ ἐν τοῖς τετράποσι τὴν κτῆσιν εἶχον: *Veteres enim in quadrupedibus diuitias reponebant.* Sic & πόνος ἀπὸ τοῦ πάθους. Vide etiam, quæ περὶ τῆς ἀλφεσιβοίων scribit Noster Bisciola lib. 3. Subsec. cap. ad idem enim pertinent. Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 7. vt magnas diuitias indicaret dixit, βοσκημάτων πλοῦτος: *diuitiæ pecorum.* Homines diuites ab Homer. Iliad. dicuntur πολύρρηνες, πολυβοῦται, ab agnis, & bobus.

Diuitiæ olim in quadrupedibus.

ª Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur,
Promissi Dea facta potens, vbi sanguine bellum
Imbuit, & primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, & cœli conuexa per auras
Iunonem victrix affatur voce superba.
ᵇ En perfecta tibi bello discordia tristi,
Dic in amicitiam coëant, & fœdera iungant,
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
ᶜ Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus vrbes,

Accen

Accendámque animos insani Martis amore,
Vndique vt auxilio veniant, spargam arma per agros.

ARGVMENTVM.

Compos votorum Furia Iunonem adit maiora adhuc promittens.

EXPLICATIO.

a SERVIVS accepit *æquum Martem* pro bello aperto iam & manifesto, neque vllis dolis: nam æquale esse non potest, cùm soli interempti sint Itali. Igitur bello iam grassante, vbi vidit Furia se potuisse, quod promiserat, inchoato iam bello cum sanguine, commissa pugna cum funeribus, Italiam deserit, & vecta per cœli auras Iunonem superbissimè, vtpote victrix, alloquitur.

b Perfeci (inquit) quod iussisti, ita sunt iræ inchoatæ, vt neque ex tua voluntate reparari concordia possit, etiamsi ipsa iusseris (ironicus loquendi modus) vt amicitiam iungant & fœdus, nihil assequeris: quia iam respersi Troianos Ausonio sanguine.

c Quin si iusseris, & tua consentit auctoritas, clades cladibus cumulabo: efficiam enim, vt vicinæ vrbes ruant in bella, accendam animos belli insania, vt vndique in auxilium concurratur. Quin si opus fuerit arma complere, & spargere in omnem locum, id ipsum præstitero. Cùm ait, *spargam arma per agros*, intelligit, credo, se excitaturam ad bellum agrestes omnes & rusticos: itaque discriminans ait, & vrbes, & agros commouebo. Notat Seruius, bene Furiæ in principio denegatam orationem, quasi properanti ad scelera, quæ tamen eidem nunc datur post bella incepta.

NOTÆ.

1. PROMISSI DEA FACTA POTENS.] Hoc *κατὰ σιωπώμενον*, qualia multa in Poëtis sunt, & in Nostro sæpissimè. Nullibi enim promissio ista legitur.

Imbuo, qua potestate.

2. VBI SANGVINE BELLVM IMBVIT.] Præclarè Seruius: *imbuit, initiauit*. Explico tam Poëtam, quàm Seruium. Vt liquet testimoniis, hoc verbum eam habuit potestatem, vt primas rerum initiationes significaret. Inde non longo interuallo Poëta, *sanguis nouus imbuit arma*. Liuius lib. 41. *Nouitias successoris, quæ noscendis potiùs, quàm agendis rebus imbuenda sit*, D id est, instituenda. Propertius Eleg. 15. lib. 3. cum ruditate coniunxit id ipsum signans,

Illa rudes animos per noctem conscia primas
Imbuit.———

Quod vicinum verbis Senecæ ad Heluiam: *Vtinam quidem virorum optimus pater meus, nimis maiorum consuetudini deditus, voluisset te sapientum præceptis erudiri potius, quàm imbui; non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum*. Est quippe eruditus, qui caret ruditate: & Seneca satis indicat illum dici A imbutum, qui adhuc est rudis. Vnde præclarè Lipsius Senecam explicans ait, *imbui, perfundi, tingi*. Nec minùs præclarè Passeratius illud Propertij Eleg. 11. lib. 4.

Imbuis exemplum primæ tu Romule palmæ.

Explicat, *exemplum instituis*. Et quidem Poëta pari consecutione postea;

Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros,

non, *impleui*, aut quoduis aliud. Huc traho Tullium pro Milone, vbi loquens de lege naturali, qua quis vitam suam tuetur, ait: *Ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus*. Quo innuit primum ortum legis huius haberi in ipso vitæ initio. Et Statium lib. 3. Theb. *primóque imbutas sanguine gentes*. Atque etiam Tacit. 1. Ann. qui ore Blæsi: *mea potiùs cæde imbuite manus*. Quibus hortatur, vt cædem à se incipiant. B Roges, vnde orta significatio huius verbi? Fortasse à vasculis, cùm primo liquore perfunduntur, quod iam alij putarunt, & indicare Horatius videtur eo versu,

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.———

Vbi *imbuta testa*, est, primùm perfusa; non, vt vulgus putat, completa, & saturata. Fortasse etiam aliunde orta significatio, videlicet ab infantibus. Audi Festum: *Imbutum, quod rei cuiuspiam succum bibit, vnde infantibus an velint bibere dicentes, bu, syllaba contenti sumus*. Cato etiam, vt est apud Nonium, infantum potionem *buas* nominat, tanquam illi hanc vocem vsurpent, quum hallant, tattant, mammant. Ad hoc etiam pertinet Budæi nota, qui ait verbum βύζω esse *vagire*, & proprium βρεφυλλίων, id est, *infantulorum*. C βύζω autem ortum habet à βύω: non desunt autem, qui inde deducant verbum *imbuo*.

Imbuta testa, quid sit.

Bu infantulorum, & Buæ.

3. PRIMÆ COMMISIT FVNERA PVGNÆ.] Sunt hæc, quæ Statius 3. Th. vocat *semina pugnæ*, & *primordia belli*.

Pugnæ semina.

4. AMICITIAM.] Ita vocat affinitatem, quæ contrahenda nuptiis Æneæ, & Lauiniæ. Cognati enim & consanguinei adhuc amicos se vocant, quasi hæc vox excedat ipsos naturæ gradus. Electra apud Sophoc. loquens cum fratre Oreste.

Amicitia de cognatis.

———οὔτε γάρ ποτε
Μητρὸς σύ γ' ἦσθα μᾶλλον, ἢ κἀμῦ φίλος:
———*neque enim vnquam*
Matris magis, quàm mei amicus fuisti.

5. CONVEXA.] Hærent hîc omnes; sed nemo, meo iudicio, expeditiùs, quàm Turneb. qui *conuexa* accipit de Furia, quæ per auras vecta: nam in 4. Georg.

Conuexa.

Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis,

pro, deuectus. Qui mutant lectionem hunc in modum, *cœli conuexa pererrans*, aut, *cœli conuexa peragrans*, nondum ad gustum. Id si Lectori placeat, adeat Guiliel. Cant. lib. 7. Nouar. Lect. cap. 18.

Lectio Virgiliana.

6. INSANI MARTIS AMORE.] Stat. 7. Theb. *ferríque insana voluptas*.

7. VT AVXILIO VENIANT.] Propriè: auxilia enim semper aliùde ascita. Ita auxiliarius miles directè oppositus legionario, qui necessariò Romanus.

Auxilium in bello, quid. Oppositio.

a Tum contrà Iuno. Terrorum, & fraudis abundè est:
Stant belli causæ: pugnatur cominùs armis;
Quæ fors prima dedit sanguis nouus imbuit arma.

b Talia

[b] Talia connubia,& tales celebrent Hymenæos
Egregium Veneris genus,& Rex ipſe Latinus.
[c] Te ſuper ætherias errare licentiùs auras
Haud Pater ipſe velit ſummi Regnator Olympi;
Cede locis: ego,ſi qua ſuper fortuna laborum eſt,
Ipſa regam. Tales dederat Saturnia voces.
[d] Illa autem attollit ſtridentes anguibus alas,
Cocytíque petit ſedem,ſupera ardua linquens.
[e] Eſt locus Italiæ in medio ſub montibus altis
Nobilis,& fama multis memoratus in oris,
Amſancti valles: denſis hunc frondibus atrum
Vrget vtrinque latus nemoris, medióque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis,& torto vortice torrens.
[f] Hîc ſpecus horendum,& ſæui ſpiracula Ditis
Monſtrantur,ruptóque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces: queis condita Erinnys,
Inuiſum numen,terras,cœlúmque leuabat.

A

ARGVMENTVM.

Contenta Iuno vetat plura, illámque cœlo exterminat. Deſcribitur locus in quem ſe Furia abdidit.

EXPLICATIO.

[a] NIHIL amplius requirit Iuno à Furia,dicítque ſatis eſſe terrorum; ſatis fraudium: terrorum; nam

Stant belli cauſæ, pugnatur cominùs armis.

fraudium; nam

Quæ fors prima dedit ſanguis nouus imbuit arma.

Videlicet ob ceruum vulneratum dolo Furiæ. Itaque ſecundus, & tertius verſus explicant primum.

B

[b] Duo hi verſus videntur mihi poſiti cum magno iudicio, vt reſpondeant pari emphaſi, & conſecutione verſibus Furiæ, quæ etiam irridens dixerat,

Dic in amicitiam coëant, & fœdera iungant.

Ergo ridens quoque Iuno, *Talia connubia*, &c. Et quidem hîc Seruius irriſionē agnoſcit ex illo, *Egregium genus*, vt, *Egregiam verò laudem.*

[c] Non reſpuit Furiam faſtidioſè, vt quam viderat ſibi egregiam operam præſtitiſſe, ſed confert in Iouem excuſationem, qui nolit illam diu verſari in luce; & ſe ait confecturam quod ſupereſt.

[d] Volatum Furiæ mirè deſcribit ab ſtridore anguium. *Sedem Cocyti* opponit *arduis ſuperis.*

C

[e] Deſcribuntur valles Amſancti, in quem ſe locum Furia merſit. Deſcriptio petitur à ſitu, ab noticia, ab horrore arborum, ab torrente. Ab ſitu; nam in vmbilico Italiæ,& ſub altis montibus: ab notitia; nam locus ille nobilis, id eſt, vbique notus & celebrís,ideo ſequitur, *memoratus in multis oris:* ab horrore arborum; nam locus ille vtrinque vrgetur atro denſiſſimarum arborum nemore: ab torrente;nam inde ſe per ſaxa fluuius frangit,demittitque cum ingenti ſtrepitu vorticoſus

[f] Hoc igitur loci ſpecus eſt horrendum ab atro, & denſo nemore; nam ſuprà,

—denſis hunc frondibus atrum
Vrget vtrinque latus nemoris.—

Quo in ſpecu apparent *ſpiracula Ditis*, id eſt, fauces inferni. Quod deinde explicans addit; *Vorago ingens abrupto Acheronte aperit fauces peſtiferas.* Ait *vorago* propter torrentem,quem ſuprà ſcripſit: & nominat *fauces*,quæ ſuprà *ſpiracula* & *peſtiferas* propter nocuū halitum inde erumpentem. Ergo his faucibus ſe Furia condit,quo factum eſt, vt terras recrearet, quibus ſua præſentia erat oneri; nam hoc eſt, *leuabat terras.*

NOTÆ.

1. TERRORVM, ET FRAVDIS ABVNDE EST.] Quidni Notam Germani ſubiiciam? Particulam *abundè* cum eodem caſu Sueton. in Iul. coniunxit: *Se iam gloriæ potentiæq́, abundè adeptum.* Idque ad Græcorum imitationem. Nam Ariſtotel. Eth. ἱκανῶν ἅλις. Apollon. lib. 2. γαίης ἅλις. Cicero ad Attic. ἅλις σπουδῆς. Sic & ἅδην. Plato de Rep. & in Charm. ἱκανῶς ἅδην. — Abundè.

2. STANT BELLI CAVSÆ.] Iacta ſunt belli fundamenta. Itaque *ſtant*, hoc loci reſpondet verbo κεῖσθαι. Hoc potiùs placet, quàm Seruianum: *ſtant, id eſt, placent, vt, ſtat conferre manum.* Nam in hoc ſignificato ſemper ſequatur infinitum neceſſe eſt. Aut dictum, *ſtant belli cauſæ*, ad eum modum, quo Propert. lib. 3. Eleg. 5. *ſtant prælia*: & Eleg. 3. *Mariano prælia ſigno ſtent.* — Stare, κεῖσθαι. Stant belli cauſæ.

3. BELLI CAVSÆ.] Eſt hoc, quod Iuppiter apud Statium libro tertio Thebaid. *Iam ſemina pugnæ ipſe dedi.*

4. PVGNATVR COMINVS ARMIS.] Quamuis interdum in auctoribus confundantur arma cum telis, tela cum armis: tamen vt plurimùm tela ſunt, quibus eminùs pugnatur, arma, quibus cominùs. Itaque ſtudioſè vtraque vox Maroni adiuncta.

5. SANGVIS NOVVS IMBVIT ARMA.] Reuoca huc quæ ſuprà.

6. EGREGIVM VENERIS GENVS.] Id eſt, filius. Sic ſuprà Latinus *genus Fauni*, id eſt, filius: & in 13. *Latonæq́, genus duplex* pro Apolline, & Diana: & — Genus pro filio.

Horatius pro Prometheo *Iapeti genus*; & millena. *T egregium* ironicè. Sic Electra apud Soph. de Ægystho, ὁ κλεινὸς νυμφίος: *præclarus ille sponsus*. Liban. de Philippo Macedone, ore Demosthenis, βέλτιστος. Ibid. καλάς γε οἱ μισθοὺς τῆς εὐνοίας: *pulchra scilicet beneuolentiæ merces*. Antigone apud Sophoclem, ἀγαθὸν Κρέοντα.

Ironia.

7. Te svper ætherias.] Huc respectum à Claud. 1. in Ruff. vbi loquens Iustitia cum Megæra, *non vlterius bacchabere demens*. Desidero iudicium Silij lib. 2. vbi Furia, quæ rem gesserat ad gustum Iunonis, dicitur *Iunoni laudata*. Vide quo imperio Virgilius: *Te super*, &c. *Cede locis*, &c. *Ipsa regam*, &c. Quid enim Regina Deûm laudet vilissimam ministram?

Imitatio.

8. Cede locis, &c.] Clarus Homeri locus Iliad. 1.

> Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖθις ἀπόστιχε, μή σε νοήσῃ
> Ἥρη: ἐμοὶ δέ κε ταῦτα μελήσεται, ὄφρα τελέσσω:
>
> *Sed tu quidem nunc rursus recede, ne te videat*
> *Iuno: mihi autem hæc erunt curæ, vt perficiam.*

9. Ipsa regam.] Capiendus locus de ductu bellorum, ita vt non solùm auspicia sua, sed ductum promittat. Inde postea:

> *Nec minùs interea extremam Saturnia bello*
> *Imponit Regina manum.*—

Quadrant in hunc locum, vbi bellatura Iuno proponitur, quæ dixi lib. 1. Æneid. ad illud, *Hic currus fuit*. Neq; verò dissimili sententia dixit Iuppiter apud Stat. 1. Theb.

> *Hæ causæ irarum: certo reliqua ordine ducam.*

10. Est locvs Italiæ in medio.] Explicui *vmbilicum*: nã Amsancti valles in Hirpinis sunt, auctore Plinio lib. 2. c. 93. Atqui Hirpini non longè sunt ab quarta regione Italiæ, de qua regione cùm loquitur idem Plinius lib. 3. cap. 12. vbi peruenit ad agrum Reatinum, qui ibi est, ita ait: *In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ vmbilicum esse Marcus Varro tradit*. Paria Solinus c. 7.

Italiæ vmbilicus.

11. Nobilis.] Explicui, *notus*. Nam ita Plautus Rud. *Qui scelere nobiles fieri volunt*, id est, noti. Contrà *ignobilis* pro *ignoto*. Idem Plaut. Pseud. *Peregrina facies videtur hominis atque ignobilis*. Actius apud Diomedem: *Ego me Argos referam, nam hîc sum ignobilis*. Demum, quis nescit nobilitatem dictam à notitia? Atque inde est, vt *nobilis* in malam quoque partem capiatur, sicut Græcis ἐπίσημος, quæ vox signat hominem & virtutibus, & vitiis celebrem.

Nobilis, id est, notus.

Ignobilis, id est, ignotus.

12. Amsancti valles.] Plin. lib. 2. c. 93. *In Hirpinis Amsancti ad Mephytis ædem, locum, quem qui intrauêre, moriuntur*. Cicero lib. 1. Diuinat. *Quid enim? nõ videmus, quàm sint variæ terrarum generæ? ex quibus & mortifera quædam pars est, vt & Amsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ vidimus*. Seruius ex hoc loco: *Habet aquas sulphureas, ideo grauiores, quia ambiuntur syluis. Ideo autem ibi aditus dicitur inferorum, quòd grauis odor iuxta accedentes necat: adeò vt victimæ circa hunc locum non immolarentur, sed odore perirent ad aquam applicatæ, & hoc erat genus litationis*. Ait Floridus lib. 2. Succes. c. 18. eum, qui hunc locum viderit, agniturum statim optimè à Marone expressum; nam montes hinc inde altissimi sunt: & torrentem è Velino lacu maximo impetu, & cum fragore emitti in profundam conuallem, ita vt Tartari fauces esse ibi videantur. Demum addit, illuc peruenisse, quæsisséque ab incolis, quodnam nomen esset valli, atque accepisse hoc responsum, *Amsancti*. Parrhasius etiam attestatur se locũ hunc vidisse, & ab indigenis vocari Mephytim, & non longè esse à Fregento. Explico Sidonium epist. 13. lib. 3. vbi lepidè cuiusdam nares taxans: *Nares circumsedentium ventilata duplicis Amsancti peste funestat*, id est, duo nasi foramina referunt Amsanctum, & Mephytim: nam vt vidisti ex Plinio, *Amsancti ad Mephytis ædem*. Quæsita itaque vicinitas vtriusque loci fœtidi. Sed placuit Sidonio Mephytim nominare Amsanctum. Vide quæ iam attuli ex Parrhasio.

Amsancti valles.

13. Fragosvs dat sonitvm saxis, &c.] Curtius lib. 3. de Marsya flumine: *Ex summo cacumine excurrens in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit*. Auctor Thebaidos: *Hîc rapax torrens cadit*.

14. Spiracvla Ditis.] Est hoc, quod in 6. *ianua Ditis*: in 4. Georg. *ostia Ditis*. Quod priùs Ennio vsurpatum in Hecuba, *aperto ostio alti Acherontis*. Quod Liuius libro sexto; *ianua Orci*. Quod Auctor Thebaidos, *Hîc scissa tellus faucibus ruptis hiat*. Plinius lib. 2. cap. 93. *Spiracula vocant alij Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalantes*. χαρώνιον etiam Strabo meminit lib. 14. & Aret. medicus. ἐν χαρωνίοισιν (ait) αἱ πνίξιες ὀξύταται γίγνονται: *Existunt in Charoneis acutissimi flatus*. Fuit etiam Athenis χαρώνιος θύρα. Vide Cælium lib. 17. c. 9. & lib. 8. cap. 16. Sed omnium copiosissimè Virg. qui, *Horrendum specus. Ditis spiracula: Vorago ingens rupto Acheronte. Fauces pestiferæ*. Obserues (hoc πάρεργον est) dici à Plauto in Bacchid. domum meretricum *ianuam Orci*. Sed redeo, & affero similem descriptionem Silij lib. 12.

Ianua Ditis.

Charoneæ fauces.

Meretricum domus, ianua Orci.

> *Hinc vicina palus, fama est, Acherontis ad vndas*
> *Pandere iter, cæcas stagnante voragine fauces*
> *Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,*
> *Interdúmque nouo perturbat lumine manes.*

Locorum similitudo.

Multis deinde vagatur, vocátque *situm caligantem, domos pressas infernis nebulis, profundam noctem*. Omitto reliqua.

15. Vorago.] Turnebus per ἀπορρῶγα explicat: nam hæc vorago abrupto Acheronte. Claudian. quoque 2. Rap. Amsancto voraginem dat:

> ———*flatumq; repressit*
> *Amsanctus, tacuit fixo torrente vorago.*

Vorago.

Tertullian. voragini in hoc significato dat synonymiκῶς ingluuiem lib. de pal. *Vtinam & Asia secura iam sit de soli ingluuie, vtinam & Africa semel voraginem pauerit*.

16. Qveis condita Erinnys.] Ita apud Silium lib. 2. *Tum demum ad manes perfecto munere Erinnys, redit*. Et quidem Furia (vt loquar cum Hippocrat. lib. 1. de morb. vulg. ἐν πᾶσιν ἀσήμως ἠφανίσθη. nam quot priùs editis malis?

> a Nec minùs interea extremam Saturnia bello
> Imponit Regina manum: ruit omnis in vrbem
> Pastorum ex acie numerus; cæsósque reportant
> Almonem puerum, fœdatíque ora Galesi:
> Implorántque Deos, obtestantúrque Latinum.

b Turnus

[b] Turnus adest, medióque in crimine cædis, & ignis
Terrorem ingeminat, Teucrósque in Regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.
[c] Tum quorum attonitæ Baccho nemora auia matres
Insultant thyasis (neque enim leue nomen Amatæ)
Vndique collecti coëunt, Martémque fatigant.
[d] Illicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata Deûm peruerso numine poscunt.

ARGVMENTVM.

Omnes, Iunone acuente, bellum conclamant, pastores, Turnus, vrbani iuuenes.

EXPLICATIO.

[a] EXCITABAT ad arma omnes Iuno, ideo illa manum dicitur bello imponere, & extremam, quia iam omnes simul, tam pastores, quàm ciues bellum conclamant. Incipit verò à pastoribus, ruunt illi in vrbem Laurentum Deos imploraturi, Latinum obtestaturi quóque efficaciùs moueant, reportant ex acie Almonem puerum, Galesum senem, qui in bello occubuerant. Componit Poëta orationem ad πάθος ex ætate, nam *puerum*. ex circumstantia, nam *fœdatique ora Galesi*. Propriè admodùm de Diis, *implorant*, de homine, *obtestantur*: & illos quidem, vt opem cœlo adferant: hunc, vt vltionem patet. Ideóque testem adhibent factæ cædis. Et vide surgentem commiserationem ex puero, & sene. Almo est puer, Galesus senex, qui nihil commeriti videbantur. Sic meliùs expugnabitur Latinus.

[b] Non sibi deest Turnus: nam arrepta occasione ipse quoque terrores ingeminat, id est, concitat, & maiores facit, crimen conferens in Troianos cædis factæ, ignis immissi. Queritur verò Teucros vocari in Regna, mollissimos Phryges admisceri fortissimis Italis, se ab nuptiis iam pactis pelli.

[c] Perplexa structio, illam sic tyronibus aperio. Tum, id est, deinde iuuenes vrbani collecti in vnum ex omni parte Martem fatigant, id est, deposcunt bellum cum clamore, illi videlicet iuuenes, quorum matres attonitæ Baccho, id est, Baccho quasi Furia excitatæ per auia nemora insultant thyasis, id est, agitantur vociferationibus dantes operam bacchanali rei. Reddit rationem, cur hi iuuenes arderent bellandi cupiditate, quia Amatæ Reginæ nomen non leue. Quid enim non auctoritatis habet princeps femina?

[d] Est veluti epiphonema. Præcessit vociferatio pastorum, & iuuenum vrbanorum clamantium prælium. Ergo cuncti illicò bellum poscunt; sed *infandum*: quia *contra omina, contra fata Deum*. Ait *omina* cum respectu ad apes, & ad incensas Lauiniæ comas; ait *fata* cum respectu ad oraculum auditum Latino, *Ne pete connubiis*. &c. Demum addit *peruerso numine*, quasi irato & repugnante numine. Adeò cuncti in ruinam suam præcipites.

NOTÆ.

Manum imponere, vnde.

1. IMPONIT REGINA MANVM.] Locutio ista est in Prudent. Psych. in Senecæ epist. 12. in Quintil. A lib. 1. in Boëthio, Petronio, Ausonio, aliis. Est verò sumpta vel ab opificibus ædium, vel à pictoribus. Primum astruo ex Paulo lib. 39. ff. tit. 2. lib. 18. *Qui in conducto solo superficiem imposuit*, id est, qui ædificium struxit vltimam manum illi imponendo, inde illum postea *superficiarium* vocat. Et ex Iauoleno lib. 19. ff. tit. 1. leg. 18. *Tegulæ quæ nondum ædificiis impositæ sunt, quamuis tegendi gratia allatæ sunt, in rutis & cæsis habentur.* Vides hoc verbo signari extrema ædificiorum. Alterum satis indicaui ad illud lib. 1. Æneid. *Artificúmque manus.* Quæ vox de pictura accipienda. Inde celebratissimum illud Apellis de Protogene, de quo dicebat elogij loco, *nescire illum manum de tabula tollere*. Et lib. 4. Epig. vbi sermo est de statuis Medeæ, quas Timomachus ἔγραφε, pro eodem ibi sumitur, χεὶρ Τιμομάχου, & τέχνη Τιμομάχου, id est, *manus Timomachi, ars Timomachi.*

Manus de pictura.

B 2. REPORTANT.] Fortasse clypeis ex more militari, quem alibi aperio. Et *reportant* ait, quia *cæsos*, est enim verbum funebre, de quo iam lib. 4. Georg. ad illud,

Porto, funebre.

Exportant tectis, & tristitia funera ducunt.

3. ALMONEM PVERVM.] Suprà vocauit *iuuenem*, nunc *puerum* ad inuidiam, vt etiam quæ sequuntur de Galeso.

Fœdo, quo vsu.

4. FOEDATI.] Signatè: hoc enim verbo notatur contumelia indignè illata & indigno; & talem Poëta Galesum descripsit, senem iustum, pacis arbitrum, ac proinde hac morte indignum. Inde Æneas ad Hectorem lib. 2.

——*quæ causa indigna serenos*
Fœdauit vultus?

C Et Priamus ad Pyrrhum cum ingenti querela, *patrios fœdasti funere vultus*. Rectè itaque monent docti referendum sermonem ad αἰκίαν, qua voce significatur contumelia, quæ indignè infertur pulsatione, aut verbere. In Platone de legib. leges αἰκίας γονέων; est enim indignum parentes affici à filiis malè. Et Demosthenes Philipp. 4. accipit σώματος αἰκισμὸν de contumelia illata plagis, quæ semper contumeliosa. Simocatta de captis indignè affectis lib. 2. Hist. cap. 12. ait ἀνήκεστα ᾐκίζοντο. In Strabone est ἠκισμένος τὰς ῥῖνας, quod Virg. in 6. Æneid. *truncas inhonesto vulnere nares*. Talem describit Plutarchus Cleopatrē post mortuum Antonium, cùm illa fuit in conspectu Augusti, ἦν δὲ πολλὰ καὶ τὰ περὶ τὸ στέρνον αἰκίας καταφανῆ. Et satis explicat, quæ sint αἰκίας huius notæ. D Præcessit quippe, ἀπέφηνε γὰρ αὐτῆς τὰ στέρνα τετυμμένης καὶ ἡλκωμένα. Et postea, δεινῶς ἔξω ἐσυρμένη κεφαλὴν, καὶ πρόσωπον: &, συντετηκυῖα ταῖς ὄψεσιν. Vbi vides inflammatum, & exulceratum ex verberibus pectus, fœdatam capite, & facie, & tabidis oculis. Talis itaque αἰκία est. Pulchrè hoc ipsum flexu alio extulit Soph. in Elect. ὦ σῶμ' ἀτίμως κἀθέως ἐφθαρμένον: *O corpus indignè atque impiè deformatum.* Nonius ait, maiorem vim inesse fœditati, quàm turpitudini.

5. MEDIOQVE IN CRIMINE CÆDIS, ET IGNIS.] Non

Non satisfaciunt interpretes. Ego *crimen* capio de A eo, quod conferrent in Troianos Latini affirmantes, eos fuisse subiti belli causam: de hoc enim Regem obtestabantur, afferebántque in argumentum cæsos Almonem, & Galesum, illum puerum, hunc senem, quorum neuter præ ætate, ille tenera, hic languida, potuisset causam dare bello. Hoc itaque crimen acerbat Turnus, maiorem faciens metum, ducens ab illis argumentum in reliquos, quasi nemini iam tuti essent liberi, tuti patres. Vocem (*ignis*) non capio de seditione, vt Seruius, sed puto indicari bellum gestum ferro, & igne; sed de igne κατὰ συστοιχίαν, qualia multa sunt in Poëtis, & in Nostro sæpissimè. Itaque nihil vetat Troianos in præterito cum pastoribus conflictu faces immisisse illorum tuguriis, quod tamen antea siluerit, & nunc dicat Poëta: & hoc est crimen ignis. Hoc petit Virgilianus contextus, & ipsa vocum structio, nam *ignis* pendet à voce *crimine*.

Peregrina matrimonia.

6. STIRPEM ADMISCERI PHRYGIAM.] Subiicio doctam Germani Notam, qui ait Virgilium capiendum ex moribus Græcorum, quorum legibus matrimonia contracta cum peregrinis, & hospitibus incesta, & illegitima habebantur. Vnde & μιξέλληνες è tali prognati contubernio, vt Romanis hybridæ. Sunt μιξέλληνες, qui vno tantùm patre Græci sunt.

7. SE LIMINE PELLI.] Explicui, *à pactis nuptiis pelli*, cum allusione ad morem, quem aperio lib. 8. ad illud, *raptas sine more Sabinas*.

8. THYASIS.] Explicui in Eclogis, qui essent thyasi. Ab toto hoc loco non abit Statius lib. 12. Theb. vbi simili phanaticarum repræsentatione ita canit;

Locorum similitudo.

Ecce per aduersas Dircæi verticis vmbras
Femineus quatit astra fragor, matrésque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchæa ad bella vocatæ
Thyades amentes. ——

9. NEQVE ENIM LEVE NOMEN AMATÆ.] Iuuenalis Sat. 6. *quæ non faciet quod Principis vxor?*

Peruersum.

B 10. PERVERSO NVMINE.] Ita hic *peruerso*, pro aduerso, vt Plaut. Men. *peruersus dies*, id est, aduersus & contrarius. Et quid aliud est illud Propert. Eleg. 9. lib. 4.

Et mea peruersa sauciat ora manu.

nisi aduersante, & oppugnante manu?

ᵃ Certatim Regis circumstant tecta Latini.
Ille velut pelagi rupes immota resistit:
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus vndis,
Mole tenet: scopuli nequicquam, & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.
ᵇ Verùm vbi nulla datur cæcum exsuperare potestas
Consilium, & sæuæ nutu Iunonis eunt res;
Multa Deos, aurásque Pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimúrque procella;
ᶜ Ipsi has sacrilegio pendetis sanguine pœnas,
O miseri. Te Turne nefas, te triste manebit
Supplicium, votísque Deos venerabere seris.
ᵈ Nam mihi parta quies, omnísque in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sepsit se tectis, rerúmque reliquit habenas.

ARGVMENTVM.

Latini constantia in resistendo, & oratio, qua Turno exitium canit.

EXPLICATIO.

ᵃ LATINI constantia comparatione illustratur. Circumstant illum omnes, & certatim; ille tamen non aliter resistit ac rupes, quæ in medio pelago firmissimis saxis innixa irruentium vndarum fragorem, irrumpentium fluctuum latratus contemnit: itaque aquæ frustra in illam fremunt ingenti mole, & vastitate tutam. Hæc sententia: sed vide vt illustret pulcherrima epanaphora, atque etiam à latratu vndarum, à scopulis spumeis, ab alga refusa. Fragorem dicit de fluctibus, qui in rupem impingunt, & franguntur.

C ᵇ Vbi tamen videt Latinus cæcas illorum mentes, cæca consilia, vbi videt rem geri Iunonis sæuientis nutu, cùm à nemine in tanta rerũ insania se exaudiri posse videret, Deos, & auras ipsas testabatur. Et quamquam firmus sim (inquit) vt rupes pelagi, me tamen fata frangunt, procellæ inuadunt. Ait, *frangimur fatis*, insistens comparationi, dixerat enim *fragorem* de vndis.

ᶜ Mox ad milites, & Turnum conuersus omnibus exitium canit. Illos ait pœnas luituros sacrilego sanguine, quia bellum sumentes contra Deorum voluntatem sacrilegi quodam modo fiebant: Turno verò tristissimum mortis genus minitatur, qui serò tandem Deos agniturus sit, quos nunc oppugnat per summum nefas.

D ᵈ Se iam ait in tuto fore, vt cui parta sit quies; nam portus tutissimus mortis sibi iam adest in limine, qui tantùm felicitate funeris & exsequiarum sit cariturus. Perinde ac si dicat. Felix fui in omni vita vsque ad extremam senectutem, nihil iam timeo, nisi infelicem exsequiarum honorem; hic enim felix esse

esse nequiuerit armata vrbe. Hæc cùm dixisset, vidisserque se non posse turbatas res componere, parietibus se condidit simulatione quadam relicti Regni.

NOTÆ.

Locorum similitudo. 1. CIRCVMSTANT TECTA LATINI.] Pari furore Græci apud Stat. 3. Theb. Adrastum Regem fatigant, ait enim:

Irrupêre Argos, mœstique ad limina Regis
Bella animis, bella ore fremunt: it clamor ad auras
Quantus Tyrrheni gemitus salis, &c.———

Imitatio. 2. ILLE VELVT PELAGI RVPES, &c.] Ante Nostrum Homer. lib. 15. Iliad.

———ἠΰτε πέτρη
ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,
κύματά τε τροφόεντα, τάτε προσερεύγεται αὐτήν.
———veluti petra
Alta, magna, canum mare prope existens,
Quæ sustinet stridulorum ventorum celeres meatus,
Fluctusq; ingentes, qui eructant in ipsam.

Homerũ superat Virgilius. Quem in locum Scal. *Pessimo consilio Græcos saxo comparat, qui sunt multi: Hectorem verò fluctibus, qui est vnus.* Sed locum multis iam exornaui libro sexto ad illud,

Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Locorum similitudo. Hic adiungo quæpiam loca, in quæ postea incidi. Statius libro nono Thebaidos loquens de Hippomedonte:

———*ceu fluctibus obuia rupes,*
Cui neque de cœlo metus, & fracta æquora cedunt:
Stat cunctis immota minis, timet ipse rigentem
Pontus, & ex alto miseræ nouêre carinæ.

Et lib. 5.

Illa velut rupes immoto saxea visu
Hæret.———

Ouid. 9. Metamorph.

Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus
Oppugnat, manet illa, suóque est pondere tuta.

Nazianz. orat. 27. loquens de constante homine. πέτρα τις, οἶμαι, πρὸς ἐμβολὰς ἀνέμων τε καὶ κυμάτων, ἥτε λιταζομένη καὶ δαπανῶσα ἀεὶ ἀκλινὴς τὰ προσαράττοντα. *Non aliter, opinor, ac rupes, quæ ventorum fluctuumq; impetu non modò non concutitur, sed etiam incursantes vndas circa se frangit, atque absumit.* Non abeunt verba Cypriani in epist. *Graues viros & semel supra petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento, nec turbine commoueri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus velut quibusdam ventorum incursantium flatibus frequenter agitetur, à proposito suo quadam leuitatis reprehensione mutetur.* Similia sunt quæ scribit Stat. 11. Theb. de fratribus nihil curantibus Adrasti monita; vbi rem gerit simili comparatione.

Fragor. 3. FRAGORE.] Ita hîc de vndis, vt de terræ motibus Ammian. lib. 17. *velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusq; terrenos*; vt de fulminibus Poëtæ multi.

Latro de vndis. 4. LATRANTIBVS VNDIS.] Vetus Poëta, *curuo litore latrans vnda.* Non minùs pulchra tralatione Tertul. de Pal. ad causidicos transtulit, *causas elatrare.*

5. CÆCVM.] Fortasse ea significatione, qua veteres pro improuido, notante Nonio, dixerunt. Fuit enim consilium hoc satis improuidum. De consilio

Consilium improuidũ. quod capiendum ante bellum, ita Simocatta lib. 7. c. 10. ἡγείσθω ἡ βουλὴ τῆς ἐγχειρήσεως, τὸ συνοῖσον τῆς ἐπιβολῆς τῶν πραγμάτων: μὴ μετὰ τὸ παθεῖν βουλευσώμεθα. πρὸ τῆς

A ἐπιβολῆς ἡ βουλή: *Bonum consilium audiendi impetum: & futura vtilitas aggressionem negotij antecedat: ne post malum adeptum consulemus. Priusquàm incipias deliberato opus est.* Ideo postea, *te triste manebit supplicium.* Et quidem ita pergit idem Simoc. ἀδικεῖς τῇ προπετείᾳ τὰ πράγματα: τὸν κακῶς βουλευσάμενον πρὸ τῶν ἡ ἐγχείρησις ἔβλαψε: *Præcipiti ista temeritate temet lædis: qui malè consuluit, ei primùm conatus nocet.*

6. NVTV IVNONIS EVNT RES.] Locus, vt facilis, contemptus. Non hîc *nutum* de oculis capias, sed de manu. Suprà dixerat Iuno, Nutus de manu.

———*ego, si qua super fortuna laborum est,*
Ipsa regam.—

Et postea clariùs,

B *Nec minùs interea extremam Saturnia bello*
Imponit Regina manum.———

Ista clarè ad manus pertinent, & ad viuidam armorum administrationem, non ad mortuum oculorum nutum. Igitur pari consecutione, *Sanè metu Iunonis erunt res*, est, administratur bellum Iunonis opera. Produco testem Oppianum, qui clarè lib. 3. Hal. χειρὸς νεύμασι dixit, *nutu manus.* Versus est,

———ἄφαρ δέ οἱ ἠΰτ᾽ ἄνακτι
πείθονται, καὶ χειρὸς ὅπῃ νεύσειε νεύμασι:
———*continuò autem ipsi tanquam Regi*
Obediunt, manus quocunque annuerit nutu.

Procedunt ista ex Nota, quam dedi lib. 2. Æneid. de commutatione verborum, quæ pertinent ad humanos sensus. Clariùs adhuc Herodianus libro primo. τῷ τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον κατασιγάσας: *nutu manus si-*

C *lentium populo imperat.* Vides, vt nutum dixerit de manu, prorsus quod Lucan. lib. 1. *dextráque silentia iussit.* Sic & Ioseph. cap. 10. lib. 7. Bell. τῷ νεύματι τῆς χειρὸς οὐ προσεῖχον: *non attendebant nutui manus.* Certè Latinus interpres Actor. 12. illud Lucæ κατασείσας χειρὶ, reddit, *annuens manu.* Inde postea Iuno ipsa, *impulit ipsa manu portas*, vt videas ducem se bello præstitisse. Et quidem Nonnus lib. 22. cùm dixit, δολόφρονι νεύματι Βάκχου, *nutu dolosi Bacchi*, de bellica administratione dixit, vt legenti apparebit. Atque etiam lib. 25. cùm dicit, Parcas cessisse Iunonis νεύμασιν, *nutibus*, capiendus de opera, quam sæpe in bello Indico exhibuit contra Bacchum Iuno. Inde versiculum in statuam Medeæ lib. 4. Anthol.

D τῇ μὲν γὰρ συνένευσεν ἐπὶ ξίφος, ἡ δ᾽ ἀνανεύει,

possum ita explicare,

Hæc quidem manu liberos conducebat ad necem, illa autem auertebat.

Nec me mouet, vulgò ita reddi:

Hinc quidem respiciebat ad gladium, inde autem oculos auertebat.

Cùm præsertim eodem lib. in Epigrammate de Niobe, πρὸς Ὄλυμπον ἀναιδέα χεῖρα νένευκας. Ad verbum. *Impudentem manum annuisti ad cœlum.*

7. AVRASQVE PATER TESTATVS INANES.] Indicat inane studium Latini, & nihil proficientem operam. Auræ enim ad hanc rem sæpissimè assumuntur à Poëtis. Propertius dixit Eleg. 12. lib. 2. Auræ ad inane studium.

Nostráque non vllis permanet aura locis.

E Id est, nihil succedit. Et Eleg. 25. eiusdem libri.

Mendaces ludunt flatus in amore secundi.

Alij etiam non Poëtæ. Ammian. lib. 15. *Et quanquam vtilia moneret & necessaria, ventis tamen loquebatur incassum.* Trita sunt Prouerbia; *ventis tradere, ventis loqui*, ad indicanda inania mandata. Pulchrè dixit Græcus Nonnus lib. 30. vt indicaret nullam iam esse spem victoriæ,

καὶ κλονέειν ἀνέμοισιν ἐπέτρεπεν ἐλπίδα χάρμης:
Et spem pugnæ commisit agitandam ventis.

8. SVP

Supplicium de extremo.

8. SVPPLICIVM.] Notet puer *supplicium* dici de extremo, quo videlicet mors infertur, non de quacunque pœna. Ammian. lib. 17. *luenda cruore supplicia.* Sed quid hoc firmo testimoniis?

Veneror pro precor.

9. VOTISQVE DEOS VENERABERE SERIS.] Notat Briss. hîc *veneror* positum pro *precor*; sicuti in 5. Æneid.

Farre pio, ac plena supplex veneratur acerra.

Et Horat. in carm. Sæc. *bubus albis venerari.* Profert etiam aliqua Plauti loca. Iuuat nonnullorum etymon. Festus enim scribit id verbi compositum à *venia* & *oro.* Sed hoc etymon ridiculum. Possit qui velit simpliciter verbum capere; vota enim, & victimæ religionem notant, atque adeò nihil opus ad preces recurrere. Præclarè verò pœnitentiam adhibet post inepta consilia: nam, vt egregiè Simocatta in re belli loquens lib. 7. cap. 15. τῶν γὰρ κακῶν ἐναρξέων τὰ ἀποτελευτήματα χαλεπὰς τὰς ἐπιφανείας παρέχει: *Principia enim non bona pernicioso exitu concluduntur.* Sophocl. in Elect. ait, ab re ineptè incepta, & malo consilio obtineri tantùm cladem, & pœnitentiam. Ita enim Electra loquitur cum Clytęmnestra. μὴ πῆμα σαυτῇ καὶ μετάνοιαν τιθῇς.

Pœnitentia post inepta consilia.

Tenebræ amantur in mœrore.

10. SEPSIT SE TECTIS.] Vsitatum hoc in summo mœrore. Rem hanc ditaui lib. 4. Æneid. in re Didonis. Adicio hîc verba Taciti lib. 1. Hist. *Magistratus proiectis insignibus, vitata comitum, & seruorum frequentia: senes, feminæque, per tenebras, diuersa vrbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, & vt cuique humillimus cliens, incertas latebras petiuêre.* Vides tenebras, & latebras quæsitas in temporum angustiis. Inde postea de eodem Latino, *& cæcis se condidit vmbris.* De Dauide dolente ob morbum filij ita Saluian. lib. 4. *Solitarius, gemens, clausus, sacco squallidus, fletu madidus,* &c. Antonius victus ab Augusto, παρελθὼν μόνος εἰς πρῷραν, ait Plutarch. *transiit solus ad proram.* Et suprà, nec vidit Cleopatram, nec videri ab ea voluit. οὔτ' ἐκείνην ἰδὼν, οὔτε ὀφθείς. Et infrà ait tres dies integros transegisse solum in prora. τρεῖς ἡμέρας καθ' ἑαυτὸν ἐν πρῴρᾳ διῆγεν. Demum ea fuit hominis mœstitudo, vt præmissâ in Alexandriam Cleopatra, ipse se in solitudinem Africæ coniecerit per dies plures, duobus tantùm amicis comitibus. Et postea compulsus Alexandriam ire, inde recessit, seque in domicilium abdidit, solitariam vitam Timonis æmulatus. De Crasso, cùm victus, idem, ἐγκεκαλυμμένος ὑπὸ σκότους ἔκειτο: *occultans se in tenebras abdidit.* Et de Sertorio, accepto nuncio materni obitus, ἑπτὰ γὰρ ἡμέρας, οὔτε σύνθημα δοὺς, οὔτε ὀφθείς τινι τῶν φίλων, ἔκειτο: *Diebus septem neque signum militibus dedit, neque in vllius conspectum amici prodiens, iacebat humi.* De dolentibus ait Plutarch. Consolat. ad Apollon. solere εἰς βόθρους τινὰς καταδύντα, *abiicere se in foueas.* De Iuliano Ammian. lib. 20. *Sed cùm ad latebras secessisset accidentium varietate perterritus.* Minerua, & Iuno in summo mœrore οἶαι inducuntur ab Homero lib. 8. Iliad. id est, *solæ.* De dolente Octauia propter amissum Marcellum Seneca de Consol. ad Marciam cap. 2. *tenebris, & solitudini familiarissima.* Quintilian. Declamat. 316. *Flere secretò, vbi cubiculum, & nox, & animus sibi relictus est.* Dolens Theodosius apud Cedren. pag. 262. latet μόνον οἴκοι. Demum solitudo semper ominosa fuit Regibus, & ideo in summo dolore, & luctu vsurpata. Ad quæ omnia allusum ab Stat. 3. Theb. vbi de Græco Rege, *vt solum videre nefas.* Vbi sententia est, nefas esse, & abominandum, Regem visum esse solum. Hinc Mithridates apud Plutarch. in vita Pompeij pro aduerso omine accepit somniasse se ἀναχωρῆσαι πάντας ἔρημον. *deseri se ab omnibus.* Et exitus probauit verissimum fuisse somnium.

Solitudo abominanda Regibus.

[a] Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluêre sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cùm prima mouent in prælia Martem:
Siue Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisve, Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Aurorámque sequi, Parthósque reposcere signa.
[b] Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sæui formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri
Robora, nec custos absistit limine Ianus.
[c] Has, vbi certa sedet Patribus sententia pugnæ,
Ipse Quirinali trabea, cinctúque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul.
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Æreáque assensu conspirant cornua rauco.
[d] Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristésque recludere portas.
Abstinuit tactu Pater, auersúsque refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit vmbris.

ARGVMENTVM.

Mos indicendi bella reseratis portis Iani, à qua re Latinus abstinet.

EXPLICATIO.

[a] DICIT morem fuisse in Latio ad indicenda bella, quem deinde Alba, ac mox Roma accepit:

pit: modò bellum inferatur Getis, aut Hyrcanis, aut Arabibus, aut Indis, aut populis Orientalibus, aut Parthis. Est *protinus*, continuò, deinde. Hæc sententia. Vide verò quo apparatu verborum aditum faciat ad celeberrimum morem explicandum, qua magnificentia orationis, qua rerum ostentatione? Quid non concipis ex Latio, Alba, Roma? Quid non ex Getis, Hyrcanis, Parthis? &c. Nihil certè grandius potest excogitari, ne dum scribi.

b Antequam morem describat, præmittit sermonem de portis Martis, & Iani: Martis, quia apertæ bellum notant: Iani, quia hic Deus illarum custos. Ergo ait has esse duas, & habitas in religione. Erant illis vectes centum, & hi ærei ad firmitatem: erant & repagula, & hæc ex ferro. Illa enim verba, *æternáque ferri robora*, de repagulis, aut seris accipio, non de vectibus, ne bis eandem rem dicat. Illud Seruij, *portæ sacræ*, id est, *exsecrabiles*, non placet. Nulla enim necessitate hoc dicitur.

c Sequitur iam mos, ad quem tot præmissa. Vbi bellum indicitur, decernente Senatu, Consul aperit ea limina, veluti hoc ipso pugnas vocet, tum iuventus hoc veluti omen sequitur comparans se ad bellum; rubæ tunc consentiunt animis iuuenum, & quasi mutuo assensu conspirant. Sed qui habitus Consulis aperientis portas? Gestat trabeam Quirinalem, cinctum Gabinum.

d Ergo ex hoc more Latinus iubebatur eas portas aperire ad indicendum bellum Troianis. Noluit ille, abstinuitque ab hoc ministerio, quin sese tectis sepsit, & vmbris condidit.

NOTÆ.

1. Mos erat.] Notam Macrobij non tanti facio, vt hîc inseram; eam, qui velit, adeat cap. 8. lib. 3. Saturn. Monet Seruius Poëtam poëticè capiendum, non ex fide historiæ. Templum enim Martis ortum habuit à Numa, quod scribit Liuius lib. 1. Non itaque in vetere Latio mos viguit, non Albæ: neque hoc Latino potuit contingere. Talia multa in Poëtis sunt. Res sui æui superioribus attribuunt. Lasset se frustra, qui hoc probet. *Poëtarum mos in historiis.*

2. Hesperio in latio.] Vnus idémque Hesperus Hispaniæ, & Italiæ nomen dedit. Vide Ioannem Marianam grauissimum Hispanicarum rerum scriptorem, antiquis (si æuum eximas) parem.

3. Vrbes albanæ.] Vide ordinem. Priùs Latinum nominat, deinde Albam, postremò Romam. Non id semel: nam lib. 1. Æneid. *Latium, Alba, Roma.*

——genus vnde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

Et lib. 5.

——priscos docuit celebrare Latinos.

Et post pauca,

——Albani docuère suos, nunc maxima rerum
Accepit Roma, &c.——

4. Maxima rervm roma.] Horatius Sat. 5. lib. 1. & Tibull. lib. 2. Eleg. 5. *magnam* vocant Romam. Propertius lib. 4. Eleg. 1. & Claudian. Paneg. Olib. *maximam*. Ammianus lib. 16. *Imperij, virtutúmque omnium larem*. Ab Basilio Seleuciensi lib. 1. Teclæ. μεγίστη Ῥώμη, καὶ βασιλεύς: *maxima, & regnans Roma*. Ab Simocatta lib. 1. Historiæ Mauricij cap. 1. Romanum nomen dicitur πολυθρύλλητον τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἔντιμον, *per gentes omnes vulgatissimum, & honoratissimum*. Ea verò fuit Romæ dignitas, vt Prouerbij loco dicerent veteres *Roma altera*, cùm vrbem aliquam vel- *Romæ elogia.* *Roma altera. Prouerb.*

A lent eximiè laudare, quod ex Saluiano, Ausonio, Errico iam astruxit Ioannes Sabarus in epist. 11. lib. 1. Sidon. Sed de elogiis Romæ iam fusè in 6. Est autem *maxima rerum*, idem quod, maxima imperiorum: nam *res*, est imperium.

5. Movent in prælia martem.] Non displicent, qui ex verbo *mouent* allusum putent ad ancilia, quæ commoueri in sacrario Martis, aut curia Saliorum moris erat, cùm bellum indicebatur. Solet enim Maro vnico verbo ad historiam alludere. Ammian. lib. 20. dixit, *armis primo vere mouendis in Parthos*. *Mouere Martem, vnde.*

Sive, &c.] Huic excursui hæsit Claud. Paneg. loquens de Roma:

Siue petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.

B 7. Getis.] Cùm scribant aliqui Virgilium spectasse in Parthis historiam Crassi, cur non etiam in Getis, quos ab eodem victos Dio scribit lib. 51. Getas eosdem esse cum Sclauinis Simocatta tradit lib. 3. cap. 4. *Getæ qui.*

8. Inferre.] Ad normam Græcorum. Eurip. Hel. πόλεμον εἰσήνεγκεν.

9. Lacrymabile bellvm.] Homer. 3. Iliad. dixit πόλεμον πολύδακρυν. Sed audi verba elegantissimi scriptoris Simocattæ sæpiùs à me laudati, lib. 3. Hist. cap. 9. vbi ita loquitur. ὁ πόλεμος, ἡ δεξαμενὴ τῶν κακῶν, τὸ πάντων τῶν δυσχημάτων, ὡς ἔστιν εἰπεῖν καθ' ἑαυτόν, τὸ ἀρχέτυπον τῶν ἐν βίῳ λυπηρῶν, ὃν σαπρὸν ἕλκος τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀποκαλῶν ὡς ἀναμάρτοι τῦ ἀληθοῦς: C *bellum omnium malorum receptaculum, omnium incommodorum, vt ita dicam, archetypon, quod qui rerum humanarum vlcus putridum vocauerit, nihil à vero abibit*. Calaber lib. 4. ἐν πολέμῳ στονόεντι: *in bello luctifico*. *Belli mala.*

10. Arabis.] Respectum ad historiam Augusti Turneb. notat; nam ille eo tempore in animo habuit Arabiæ bellum inferre, & eius belli causa delectus est habitus. Sic accipit illud Horat. Od. 35. lib. 1.

——& iuuenum recens
Examen Eois timendum,
Partibus, Oceanóque rubro.

Strabo etiam lib. 16. scribit, Ælium Gallum missum ab Augusto in Arabiam. De forma vocis obserua, D hîc non esse *Arabs, Arabis*: sed, *Arabus, Arabi*. Ita Seruius, & firmat, quia etiam *Æthiops, Æthiopis*, & *Æthiopus. Æthiopi*, &. *Hiber, Hiberis*, atque *Hiberus, Hiberi*. Inde & Coluius apud Sidonium Epithal. Ruricij legit; *Arabus, pro Arabs.*

Æthiopus, Phrygius, Parius, Pœnus. Lacedæmon.

Sic & apud Agell. lib. 19. cap. 12. scribit, *Homo Thracus*, non, *Thracius*. De etymo Arabum scias, ea voce notari latrones, vt Cananæis mercatores, Chaldæis Mathematicos. Auctor S. Hieronym. in cap. 3. Hierem. *Arabes latrones.*

11. Avroramqve seqvi.] Præclarè ad laudem Augusti, quasi non tam Orientales populos, quàm ipsam auroram velit persequi. Sic 4. Eclog. *tentare Thetin ratibus*, quasi non tam mare, quàm Dea E ipsa tentanda sit. Et auroram ait propter Indos quos nominarat: nam & in hos quoque Augustus expeditionem parauit de vniuerso orbe cogitans. Propert. Eleg. 4. lib. 3. *Augusti expeditio parata in Indos.*

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces, parat vltima terra triumphos:
Tigris, & Euphrates sub tua iura fluent.

Et Eleg. 10. lib. 2.

India quin Auguste tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

Et si

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.

Ouidius quoque lib. 1. de Art.

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere. nunc Oriens vltime noster eris.

Ex his locis capiendus Propertius, qui cum insigni adulatione Augusti lib. 1. Eleg. 6.

Non ego nunc Adria vereor mare noscere tecum
Tulle, neque Ægæo ducere vela salo.
Cum quo Riphæos possim conscendere montes,
Vlteriúsque domos vadere Memnonias.

Concipit quippe animo victorias, quas animo quoque concipiebat Augustus. Eodem blandiendi Augusto animo scripsit Horatius Od. 29. lib. 1.

Icci beatis nunc Arabum inuides
Gazis, & acrem militiam paras,
Non ante deuictis Sabææ
Regibus, horribilíque Medo
Nectis catenas. quæ tibi virginum
Sponso necato barbara seruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur vnctis,
Doctus sagittas tendere sericas
Arcu paterno?

Aliter ac Poëtæ Sueton. in Aug. cap. 21. nullum enim bellum nominat, tantùm ait: *Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populique Romani vltrò per Legatos petendam.* Ex qua historia Horatius Od. 14. lib. 4.

Te Cantaber, non antè domabilis,
Medúsque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur.———

Sequi in bello, quo vsu. 12. SEQVI.] Considera hoc verbum. Orientales sæpe, vt apparet in Parthis, pugnabant fugiendo. Ergo *sequi* fugientes illos. Quo gustu Prop. Eleg. 27. lib. 2.

Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos.

Parthorum triumphus. 13. PARTHOSQVE REPOSCERE SIGNA.] Clarè allusum ad historiam Augusti. Sueton. cap. 21. eius vitæ: *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facilè cesserunt: & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* Latiùs Dio lib. 54. *Interim Phraates, quia nihil dum eorum, quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria, & captiuos omnes, paucis demptis, qui se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthia occultè remanserant, misit: eáque Augustus, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit. Nam hanc rem sibi magnæ laudi ducebat, quòd præliis prius amissas res citra vllum certamen recepisset. Itaque & sacrificia eius rei causâ, & templum Martis vltoris in Capitolio ad imitationem Iouis Feretrij, vt signa ea militaria suspenderentur, decerni iussit, ac deinde profectu Equo etiam ouans in vrbem inuectus, ac fornice tropheum gestante honoratus est.* Hanc tantam Augusti lætitiam visum refricare blanditori Poëtæ, vt etiam Ouidio lib. 2. Trist.

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus
Parthus eques, timida captáque signa manu.

Atque item Horatio Od. 15. lib. 4. nam hic de Augusto loquens,

Et signa nostro restituit Ioui
Direpta Parthorum superbis
Postibus.———

Signa recepta. Inde Augusti nummi cum hac inscriptione, SIGNIS RECEPTIS, testantis gaudium. Fortasse hæc tanta Augusti lætitia orta, quòd ea signa enixè petita sunt ab Antonio hoste, neque vnquam recuperata. Itaque gaudet se potuisse, quod Antonius non potuit. Plutarchus in Antonij vita. ἀξιῶν τὰς ἁλούσας σὺν Κράσσῳ

A σημαίας, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἀπολαβεῖν τοὺς περιόντας. *Postulauit* (Antonius Phraatem) *vt capta Crassiana clade signa militaria redderet, & captiuos superstites* Iterum. ἔπεμψε τινὰς τῶν ἑταίρων πάλιν τὰς σημαίας ἀξιῶν ἀπολαβεῖν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους: *Misit certos ex amicis iterum postulatum, vt sibi signa militaria, & captiui redderentur.* Etenim in hac re posita magna gloria illius populi. Inde apud Tacitum 13. Annal. cap. 8. *Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur parta olim à Lucullo, Pompeióque recipere.* Ceterùm ad Virgilium allusit Propert. Eleg. 5. lib. 3.

Exitus hic vitæ superest mihi. Vos quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Et Eleg. 6. lib. 4.

B *Hic referat sero confessum fœdere Parthum,*
Reddat signa Remi: mox dabit ipse sua.

Iani portæ geminæ. 14. SVNT GEMINÆ BELLI PORTÆ.] Plutarchus in Numa loquens de Iano. ἔχει δὲ καὶ ναὸν ἐν Ῥώμῃ δίθυρον, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι: *Est eius templum Romæ duabus portis, quod belli ianuam vocant.* Inde postea;

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Et Horat. Sat. 4. lib. 1. *Belli ferratos postes portásque.* Noster etiam in 1. *Claudentur belli portæ.* Inde fortasse Lucan. lib. 1. numero multitudinis, *ferrea limina Iani belligeri.* Malè in nonnullis codicibus Plutarchi legitur, πολέμου τυχὴν καλοῦσι. Est apud Pauf. in Lacon. quiddam non absimile de templo Achillis, quod recludi religio erat, vbi & vota concipiebant ituri ad bellum puberes. Achillis templum.

C 15. FERRI ROBORA.] Fortasse ex Lucret. lib. 2.

Et validi silices, & duri robora ferri.

In Homero est Iliad. 8. σιδήρειαι πύλαι. in Orpheo, χαλκήρεες πύλαι.

Iani templum. 16. CVSTOS IANVS.] Liuius lib. 1. loquens de Numa: *Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellíque fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem; clausus, pacatos circa omnes populos significaret.* Claud. de 6. Conf. Hon. *Ianus bella premens.* Stat. 4. Syl. de Iano, *componere bella.* Iterum, *limina bellicosa Iani* Sed hoc cur persequor? Tantùm adiicio, putasse aliquos, Ianum esse eundem cum Marte, quod expresse Seruius notat in hoc lib. *Quidam Ianum Eanum dicunt ab eundo, eúmque esse Martem.* Alludit quippe ad Martem Gradiuum. Hæc ergo ratio, cur foribus belli præpositus. Ianus Mars.

D Addit idem Seru. (hoc obiter notamus) *Alij Ianum aërem credunt: & quia vocis genitor habetur, iccirco mandari ei preces nostras ad Deos perferendas.* Hinc illustrabis Ouidium scribentem lib. 1. Fast. sub persona ipsius Iani:

Vt possis aditum per me, qui limina seruo,
Ad quoscunque voles, noscit, habere Deos.

Ianus ianua ad Deos alios. Ergo præpositus Ianus ianuis non solùm belli ratione; sed quia veluti ianua ad Deos alios. Inde & Ianus à ianuis, quibus præest, dicitur θυραῖος, vt etiam Sol: & ideo cum claui pingebatur. Ipse 1. Fast.

Et clauem ostendens, hac, ait, arma gero.

E præcedit enim, *postésque tuebar.* Quamobrem non malè diuinant, qui ab hiando tam *Ianum*, quàm *ianuam* ducunt, dempta aspiratione. Ceterùm, an Deus præpositus ianuis dicendus sit *Ianus*, aut *Ianes*, vide in Heraldo Notis ad Arnobium lib. 4.

Trabea Quirinalis quæ. 17. QVIRINALI TRABEA.] Id est, *Regali*, explicatore Seruio, qua vsus est Rex Romulus, qui dictus Quirinus. Ouidius quippe 1. Fast. *trabeati cura Quirini*, id est, Romuli. Et Plinius lib. 9. cap. 39. ait, Romulum vsum trabea. Et Iuuenal. Sat. 8. *trabeam, & diadema Quirini.* Ergo, quia trabeatus Romulus, ideo trabea ipsa Quirinalis. Seruius triplicem trabeam agnoscit, Deorum, Regum, augurum. Cur Trabea triplex.

quidam Seruium impugnet, non teneo; præsertim cùm Seruius rem firmet auctoritate Suetonij, & illum sequantur Alexander, & Vayfius viri doctissimi. Et quidem quæ de Regibus, & auguribus dicit, fatenda sunt. Primum ex Plinio lib. 8. cap. 48. *trabeis vsos accipio Reges*: & Iuuenale Sat. 8. qui illam dat Seruio Regi Romanorum. Alterum ex Virgilio, qui suprà in hoc libro illam dedit Pico auguri. Quæ verò ad Deos pertinent, satis firmat Claudian. de 6. Consul. Hon.

Iam trabeam Bellona gerit, parmámque remouit.

Et hoc etiam satis aliunde liquet, cùm Deorū fuerit toga picta; & hanc eandem esse cum trabea Vayfius probat, quem adi. Fauent ista Seruio contra Lipsium in lib. 3. Annal. Taciti per initia. Sed præter

B

Trabea etiã Consulum. hos vsus, vides hîc datam à Virgilio Consuli. Verè ille: nam & Ausonius in Protreptico ad Nepotem.

Vt trabeam pictámque togam, mea præmia Consul Induerer, fastisque meis prælatus haberer.

Claud. in 6. Cons. Hon. dixit *Bruti trabeas*. vbi loquitur de Bruto Consule. Et Ammian. lib. 26. nominat *trabeas consulares*, tanquam noto epitheto: ait enim, *agentes igitur in memoratis vrbibus Principes, sumpserunt primitùs trabeas consulares*. Et lib. 14. ad finem: *quos trabea consulares nobilitarunt*. Lib. etiam 30. *Adscito in trabea societatem Equitio Consule*. Inde idem lib. 23. in ipso initio *collegium trabea* dixit ad signandum Consulatum. Eius verba sunt. *Iulianus verò iam ter Consule adscito in collegio trabea Sallustio*, &c. Adiicio adhuc illam

C

Equitū, Senatorum. fuisse Equitum, & Senatorum. Primum firmat Tacitus lib. 3. Ann. qui in funere Germanici: *atrata plebs, trabeati Equites*. Alterum Claudian. de 6. Consulat. Honor. *trabeatus adit delubra Senatus*. De triplici trabea, videlicet Regia, Quirinali, trossula, lege Scal. in Festum. Porrò, quæ pertinent ad formam trabeæ dicam lib. 11.

Gabinus cinctus, quis. 18. CINCTVQVE GABINO.] Hunc ita explicat Isid. lib. 19. cap. 24. *Cùm ita imponitur toga, vt togæ lacinia, quæ post secus reiicitur, attrahatur ad pectus, ita vt ex vtroq; latere ex humeris pictura pendeat*. Seru. ita: *Est toga sic in tergum reiecta, vt vna eius lacinia reuocata hominē cingat*. Sunt qui cinctum Gabinum tantùm explicent per togam arctam, arctatámque, & opponant

D

Vnde illi nomen. illi, quam togam fusam, siue laxam vocant auctores. Audisti quis esset cinctus Gabinus. Sed vnde nomen? audi eundem Seruium. *Cùm Gabij Campaniæ ciuitas sacris operaretur, bellum subitò euenit. Tunc ciues cincti togis suis ab aris sunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu semper vtebantur in bellis*. Hinc factum, vt qui rei bellicæ sacris operarentur, semper vterentur hoc cinctu. Lucan. lib. 1.

Turba minor sequitur ritu succincta Gabino.

Liuius lib. 8. de Consule Decio se deuouente: *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit*. Et lib. 5. *Ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu, sacra manibus gerens, cùm de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus*, &c. Hinc etiam factum, vt

E

procinctum nulla re alia adiecta bellum notet.

Procinctū, quid. Glossarium clarè: *Procinctum*, ὅταν εἰς πόλεμον συγκαλῶνται. Festus ex emendatione Scaligeri: *Antiqui procinctum dixerunt, vt nunc quoque, cùm exercitus instructus est*. Addítque: *Dicuntur testamenta in procinctu fieri*,

Testamenta in procinctu. *quæ instructa acie nuncupabantur. vel quæ ad pugnam ituri nuncupabant*. Plutarchus in Coriolano. ἦν τότε Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν ... ἀγράφους ... ὀνομάζειν τὸν κληρονόμον: *Eo tempore mos erat Romanis prælium inituris, scutáque sumpturis togam præcingere, simúlque testamenta sine scripto facere, hæredémque, tribus, aut quatuor audientibus, nuncupare*. Demum hinc factum, vt Consul indicturus bella hoc cinctu vteretur. Quod hîc Poëta, & Seruius, & reliqui astruunt. Malè itaque in Isidoro scriptum, vsos hoc habitu Prætores. Vicinam cinctioni huic speciem in Plutarcho inuenio, vbi de Nasica eunte cum globo ciuium ad cædem Tiberij Gracchi, ait, laciniam togæ capiti imposuisse, τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Reliqui verò ciues, qui illum comitabantur, togas brachiis circumtulerunt. Et Appian. 1. Ciuil. de eodem Nasica, καὶ τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου ἐς τὴν κεφαλὴν ... Addítque Appianus hoc factum à Nasica, vt plures ad bellū excitaret, vt ipse aptior esset ad cursum, vt signum hoc habitu aliis proponeret. De cinctu verò Gabino accipio eundem Appianum loco laudato, vbi in subita irruptione, ἱμάτια διαζωσάμενοι. Sed notetur tamen, à bello hunc habitum transisse ad res alias sacras. Prudentius περὶ στεφ. inducens Sacerdotem operantem sacris, cúmque infulatū, vittatum, coronatum, tum etiam addit: *Cinctu Gabino sirfeam fultus togam*.

Insignis Cōsul, quis. 19. INSIGNIS.] Putat Rhodig. lib. 12. cap. 8. dici à Virgilio Consulem *insignem*, quem Plinius lib. 7. cap. 4. vocat *maiorem*, quem Liuius lib. 29. & Cicero in Pisonem, *priorem*. Erat verò *maior*, aut *prior* Consul renuntiatus, qui senior, nobilior, aut pater plurium liberorum, &c. Seruius quoque: *insignis, qui prior creatus est*. Hoc multis est plausibile, non mihi, qui simpliciter locum capio, vt dicat Maro, *trabeaque cinctuque insignis*, ad eum modum, quo Tacitus lib. 3. Hist. *Cæcinna prætexta lictoribúsque insignis*. Et Poëta ipse in 4. *Ostróque insignis & auro stat sonipes*. Sic galea dicitur insignis cono, & cristis.

Reseratus cur Ianus. 20. RESERAT.] Caussam reddit Ouid. 1. Fast.

Vt populo pateant reditus ad bella profecto,
Tota patet dempta ianua nostra sera.

Potest esse alia ratio non inepta huius moris. Belli tempore eunt mortales supplices ad Deorum templa, vt liquidum ex his, quæ dicam lib. 12. Ad hoc itaque confugium reserari Ianum oportuit.

Stridor de portis. 21. STRIDENTIA LIMINA.] Sic 2. Æneid. *foribus cardo stridebat ahenis* & 6. portæ Tartari dicuntur *horrisono stridentes cardine*. & in Ceiri:

Marmoreo æratus stridens in limine cardo.

Pacuuius in Duloreste: *Quidnam autem hoc soniti est, quod striduut fores?* Est hoc, quod Lucretius dixit, *aratestantia claustris*.

Militiæ triplex genus. 22. VOCAT PVGNAS.] Refert hoc Seruius ad euocationem. Erant quippe tria militiæ genera, sacramentum, coniuratio, euocatio. Quæ hæc sint lege in illo.

23. ASSENSV CONSPIRANT CORNVA RAVCO.] Adi initium lib. 8. ad illud, *rauco strepuerunt cornua cantu*. Delectaberis, Lector, lecto Ammiano, qui sæpe similes strepitus strepit ad Poëtam, quàm ad scriptorem propior: vt, cùm ait lib. 16. *toruum increpantibus tubis*; & lib. 18. *Orientis fortuna periculorum terribiles tubas inflabat*.

Annus, Indictio, Fusio, quid. 24. INDICERE BELLA.] Locutio Latij signata. Exempla congerere superuacaneum. Notetur diligenter in annorum computationibus idem esse, *annum, indictionem, fusionem*; quod Cuiacius primus omnium animaduertit, & ex illo Schardius.

25. TRISTES PORTAS.] Sæpissimè Virgilius bella vocat *tristia*. Hinc ergo portæ bellum denuntiantes *tristes*.

26. FOEDA MINISTERIA.] Seruius explicat *cruenta*,

cruenta, Donatus *tristia*, Nonius *execranda*; vt velis. A
Obseruat Othoman. dici à Paulo ff. de ritu nupriar.
Fœdus pro fœditate. *fœdus* pro fœditate. Nam vbi vulgati codices: *Nec enim bonos et fruatur, quæ se in tantùm scelus deduxit,* credit legendum *fœdus*, pro fœditate. Cui subscribo, nam scelus propriè de cæde, vt ego iam in Eclogis. Itaque ditetur Latium noua voce.

27. CÆLIS SE CONDIDIT VMBRIS.] Texuit stamen suum Statius 5. Theb. filo Maroniano, vbi de Sacerdote ita scribit:

Ille nec aspectum vulgi, nec fida Tyranni
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, sed atra
Sede tegi, & superûm clausus negat acta fateri. Locorum similitudo.

Nisi quis velit adumbratum ab Statio locum alterum Nostri 2. Æneidos, vbi Calchas abditur, neque vult oraculum manifestare: nam statim sequitur,

Te pudor, & cura retinent per rura Melampu.
Bissenos premit ora dies, populúmque, ducésq;,
Extraxit incertis.———

[a] Tum Regina Deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
[b] Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis antè.
[c] Pars pedes ire parat campis: pars arduus altis
Puluerulentus equis furit; omnes arma requirunt.
[d] Pars læues clypeos, & spicula lucida tergent
Aruina pingui, subigúntque in cote secures:
Signáque ferre iuuat, sonitúsque audire tubarum.
[e] Quinque adeò magnæ positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tyburq; superbum,
Ardea, Crustumeríque, & turrigeræ Antemnæ.
[f] Tegmina tuta cauant capitum, flectúntque salignos
Vmbonum crates: alij thoracas ahenos,
Aut læues ocreas lento ducunt argento.
[g] Vomeris huc & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt patrios fornacibus enses.
[h] Classica iámque sonant: it bello tessera signum:
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementes
Ad iuga cogit equos, clypeumq;, auróque trilicem
Loricam induitur, fidóque accingitur ense.

B

ARGVMENTVM.

Adest Iuno, quæ portas aperit, imò frangit bellum indicens. Sequitur furor militaris totius Italiæ, peditum, atque equitum comparantium instrumenta ad bellum. Numerantur vrbes quinquè, quarum præcipua opera. Feruent omnia armis, furore, strepitu.

EXPLICATIO.

[a] ABSTINVERAT vel à tactu portarum Latinus, Iuno impatiens moræ, cœlo delabitur (vide impetum) & portas, quæ bellum morabantur, ipsa manu impellit, nemini cœlestium ministerium committens, & belli postes, etiam ferratos non tam aperit, quàm rumpit, præceps consilij, amens furore. Nota in hoc versu, C

Belli ferratos rupit Saturnia postes,

moram spondæorum ad signandam illam, quæ necessaria in ea re. Itaque quantùm celeritatis habet Iuno in eo, *impulit ipsa manu*, tantùm deinde morarum consumitur, vt tu afficiaris hac varietate. Hæc sic leuiter expendebam. Sed Donatus quidem pulchrè, Hercule, expendit hos tres versus. Lege illum.

[b] Erupit statim non tam bellum, quàm ardor, quo omnis Italia, quieta priùs, inflammata est ad arma.

[c] Quisque vt potest ad bellum it præceps, per campos pedites, equites equo. Vocat hos arduos, id est, sublimes, nam ipse alibi, *Sublimes in equis redeunt.* Omnes denique arma non tam quærunt, quàm requirunt: quia non semel, sed sæpe identidem.

[d] Erant multis arma, post longam pacē, situ, & aruina obsita. Ergo *tergent læues clypeos, & lucida spicula*, id est, tergendo reddunt clypeos læues, spicula lucida. Tergent verò ab aruina, quæ crassa & pinguis. Secures plenas rubiginis acuunt in cotibus. Nihil demum iucundius, quàm ferre signa, quàm tubas audire.

[e] Vrbes quinque, Atina, Tybur, Ardea, Crustumeri, Antemnæ arma incudibus renouant. Nota attributorum copiam, quibus quælibet harum vrbium princeps & gloriosa inducitur à potentia, à superbia, à turribus. Crustumeri illo carent, vt sit varietas. Ardea absque illo relinquitur vel ipso nomine gloriosa, quasi Ardua, & ideo nihil illo eget. Vocula (*adeò*) vel redundat more Græco, vel sumitur pro valde magnæ, vt ait Seruius. Nam & Terentius, *adolescentem adeò nobilem*, id est, valde nobilem.

f Hos versus & sequentes refero ad vrbes illas; nam de reliquis iam superiùs dixerat, nec recurreret. Videtur verò mihi signare cataphractos milites nominans capitum tegmina, clypeos, thoraces, ocreas. Vide autem vt cuique rei propriam assignet materiam, crates vmbonibus, æs thoracibus, argentum ocreis: omnia propriè. De tegminibus capitum nihil, quia hæc ex varia & multiplici materia.

g Pergit ad id, quod frequentissimum in apparatu bellorum. Floret agricultura in pace; sed si bellum adsit, statim instrumenta agri conuertuntur ad militares vsus. Enses verò iam rubiginosi, & qui parentum fuerant & maiorum, iterum redduntur fornacibus, ac recoquuntur.

h Non expectatur imperium ducis, sed vt quisque aut tuba insonuit, aut tesseram prætulit, ita omnes sequuntur auidè, arrepta galea, iunctis equis ad currum, indutis clypeo & lorica, accincto ense. Est *trepidus*, festinus & diligens, vt millies in Virgilio, & aliis. Quam tu partem Auctorum, qui hactenus scripserunt, siue historici sint, siue Poëtæ, conferas cum strepitu, præcipitantia, ardore, quem Maro his versibus concitat? Et quidem par erat, ad aduentum Iunonis ferratos belli postes confringentis, omnia ita subitò turbari, commoueri, inflammari. Ideo audis ardorem Ausoniæ, campos peditum, puluerem equitum, clypeos, spicula, secures, signa, tubarum sonitus, vrbiû strepitus, vmbones, thoracas, ocreas, aratra conuersa in gladios, enses recoctos, classica, tesseram, equos frementes, & loricas. Quid plura potuit? O longum Homeri apparatum ad bellum lib.2. Iliados! An finiisti?

NOTÆ.

1. IMPVLIT IPSA MANV PORTAS.] Flexu alio Homer. 21. Iliad. ἀνέῳξαν πύλας. pulchrè: nam remissio, & laxatio portarum pro apertione est. Statim. ἀπῶσαν ὀχῆας, *dimouerunt obices*, quod Noster maiore incremento, *cardine verso*. Homer. iterum Iliad. 24. verbo communi, ὤϊξε πύλας: & Eurip. χλῇθρα λύσατε μοχλοῖς. Verbum (*ipsa*) ἐμφατικῶς, quasi Iuno defessa aliorum ministerio, ipsa per se iras exerceat. Itaque huic Deæ conueniens illa, quæ ipsa secum loquitur apud Senecam in iris contra Herculem:

Perge ira, perge, & magna meditantem opprime,
Congredere, manibus ipsa iam lacera tuis:
Quid tanta mandas odia?———

Imitatio. 2. BELLI FERRATOS, &c.] Enniana imitatio ex Annalib.

———*postquam Discordia tetra*
Belli ferratos postes, portásque refregit.

Molliùs Maronis Musa; reliquit enim quod satis ad asperitatem, amouit Ennianam duritiam. Cùm Ennius, *refregit*, Maro, *rupit*, neuter, *aperuit*, aut *soluit*; videntur mihi contendisse ad exemplum rei nauticæ. In qua, cùm res fit lentè, soluuntur funes cum mora, cùm verò necessaria præcipitatio, vt 4. Æneid. tum, *tortósque incidere funes*, &c. *strictóque ferit retinacula ferro*. Nota in Poëta litteram asperam, de qua Pers. Sat.1. (Nauticæ rei sermo.)

(Canina littera, R.)

———*sonat hic de nare canina*
Littera.———

(Locorum similitudo.) 3. ARDET INEXCITA AVSONIA, &c.] Subitum hunc ardorem ad pugnam, & apparatum quærentium arma æmulatur Statius lib. 7. Theb.

Arma, arma insani: sua quisque ignotáque nullo
More rapit, mutant galeas, alienaque cogunt
Ad iuga cornipedes: ferus omni pectore sæuit
Martis amor, cædisque nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant, redimuntque moras.———

4. PVLVERVLENTVS EQVIS.] Puluis belli nota. Statius 4. Theb. (Puluis belli nota.)

Arma, tubas audire calens, & puluere belli
Sordentem flauere comam.———

Frequenter Horatius, vt in istis: *puluere Troïco*. &, *patiens pulueris*; atque alibi.

5. OMNES ARMA REQVIRVNT.] Ennianum hemistichium lib.6. Annal.

6. PARS LÆVES CLYPEOS, &c.] Compono cum Virgilio Statium, & Liuium. Poëta 3. Theb. (Locorum similitudo.)

———*tum fessa putri rubigine tela*
Horrentésque situ gladios in sæua recurvant
Vulnera, & attrito cogunt mitescere saxo.
Hi teretes galeas, magnorúmque ærea scuta
Thoracum, & tunicas chalybum squallore crepantes
Pectoribus tentare, alij Cortynia lentant
Cornua.———

Idem 1. Achill.

Feruet amor belli, concussásque erigit vrbes,
Æra domant Temesæ, quatitur naualibus ora
Euboïs, innumera resonant incude Mycenæ:
Pisa nouat currus; Nemee dat terga ferarum.

Scriptor lib.44. *Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alij gladios, alij galeas buculásque, scuta alij loricásque tergere: alij aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alij pila, alij micare gladiis, mucronémque intueri*, &c. Liuio addatur Dionys. lib.9. Antiq. *Digressi à concione equites equos frænabant, alij gladios, lanceásque acuebant, alij scuta abstergebant, breuique temporis spatio totus exercitus ad pugnam paratus fuit.* Adiungam adhuc, vel potiùs indicabo Græcum Nonnum, qui lib. 27. similem belli apparatum exhibet. Vide à versu 139. καὶ πολὺς, &c. vide & locum Plutarchi in vita Philopœmenis ab eo loco, ἦν ἰδεῖν τὰ μὲν ἐργαστήρια, &c.

7. SPICVLA LVCIDA TERGENT.] Est hoc, quod Plutarch. στιλ. ἀκραῖοι, dixit, λαμπρύνων κράνος. Quod Silius lib.4.

———*ac detersa rubigine sæuus*
Induitur ferro splendor.———

Legatur totus Silij locus ab ea parte, *itur in acres bellorum curas*, &c. qui de simili belli apparatu. Notetur disciplina Iulij Cæsaris, qui volebat milites suos instructos esse *armis politis*, etiam *argento, & auro*, vt ait Sueton. cap.67. idque duplici ratione, videlicet, *& ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu damni.* Eadem fuit disciplina Bruti apud Plutar. in eius vita; suppeditauit enim suis militibus largas opes, vt, vt arma facerent aurea, & argentea. Dicebat enim, auaros retinendorum armorum, vt quæ essent pretiosa, fortiores in bello futuros. Verba eius. τοὺς φιλοχρημάτους, καὶ μαχιμωτέρους ποιεῖν ὥσπερ κτήματα τῶν ὅπλων φειδομένους, retenturos scilicet arma, vt possessiones. Vegetius etiam lib.2. cap. 14. pertinere ad centurionem dicit, *vt arma omnium defricentur ac splendeant*: & ad decurionem, vt turmam suam cogat *loricas, vel cataphractas, contos, & cassides frequenter tergere, curare, famiare.* Adhibet rationem hanc: *Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ, ac rubigine arma fœdantur?* & priùs dixerat: *Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat.* Circumfertur sententia hæc: *Cui arma splendent militi, animus ei nitet.* Plutarchus in Lucullo ait, signum esse belli apud Romanos habere ἐσθῆτα λαμπράν, *vestem splendidam*. & vti θυρεοῖς ἐκκεκαθαρμένοις, *tersis scutis*. Legatus Persarum

(Armorum splendoris disciplina in ignotum ducum.)

sarum apud Cedrenum laudat militum Belisarij ἰωκεμαν: imò hæc deterruit hostem à congressu. Inde Statius lib.x.Theb.in re languida, & segni, ac veluti desperata:

——— nec quisquam spicula tersit,
Nec laudauit equum, nitida nec cassidis altam
Compsit, adornauitque iubam.———

Quia videlicet, vt ait Horat.Od.1.lib.2.

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

8. ARVINA PINGVI.] Vt qua quis pinguescat. Cyprianus epist. ad Donat.lib. 2. *Aruina assiduis nidoris moles membrorum robusta pinguescit.* Est quippe aruina pingue illud, quod inter cutem & carnem. Variant alij in explicando. Scaliger seuum esse intelligir; nam Glossar. λίπος ἄνευ σαρκός. pinguedo sine carne. Est verò hæc seui definitio. Adiicit, vocem esse Siculam: nam Hesych. ἀρβίνη, κρέας (meliùs στέαρ) σικελοί. Quod Noster per *aruinam*, Seneca in Thyeste loquens de ense, *sordidus pacis vitio quieta.* — Aruina quid

9. SVBIGVNTQVE IN COTE SECVRES.] Obseruat Turneb.lib.27.cap.21.artifices illos, qui arma ad nitorem fricabant, tergebántque, dici olim *Samiarios:* nam & in historiis hoc sensu *ferramenta samiata* reperiuntur, quia videlicet creta Samia splendor ferro conciliabatur. Samia quidem vasa in honore olim, & pretio fuisse sciunt omnes. Crinitus quoque lib. 22. cap. 10. *samiata ferramenta*, in Aureliani Augusti epist. de offic. trib. mil. accipit pro mucronaris, & acuminatis in spiculum: & *samium*, idem esse, quod acutum, sicuti *samiare*, acuere. Leo etiam Imperator (citante Steuechio in Vegetium) de apparatu bellico cap. 3. num. 50. *Samiatores, id est, qui omnes acies ferreas exacuunt.* Glossar. ἀκονητής, *samiarius, acutiator.* Sed & Nonius ita ait: *Samium, acutum. Vnde & samiare dicimus acuere, quod in Samo hoc genus artis polleat.* Doctè itaque Steuechius *samiare* legit in Vegetio loco iam à me adducto. Nec minùs doctè in Virgilio explicabis *subigunt secures in cote*, id est, samiant. Quid verò etiam, si cotem cùm dixit, *cotem Samiam* intellexit, insinuator antiquitatis, non ostentator? In exitu nolui nescites verba illa Aureliani, quæ indicat Crinitus. Ea apud Vopiscum hæc sunt: *Arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia.* Hæc sunt profectò, quæ in historiis reperiri Turnebus notauit. Ex istis lucem do Statio lib.3. Theb. vbi in belli apparatu ita ait: — Samiare. — Cos Samia.

———tum fessa putri rubigine tela,
Horrentésque situ gladios in sæua recurant
Vulnera, & attrito cogunt iuuenescere saxo.

Cur enim in hoc saxo non potuit samiationem adumbrare, vt in cote Virgilius? Ita verò multi in Statio legunt, non *mitescere*, vt suprà repræsentaui. Ad eandem rem potuit Silius alludere lib. 4. cùm ait, *saxóque exasperat ensem.* Vt & Claudian. Paneg. 2. Stil.

Rursum cote nouat nigras rubigine falces.

10. QVINQVE ADEO MAGNÆ, &c.] Satis innuit Poëta genus voluntariæ militiæ, cùm, nemine imperante, vrbes ipsæ galeas ad bellum pararent, enses, tela, &c. Liuij locus clarus pro hac re lib. 28. vbi sic: *Scipio, cùm, vt delectum haberet, neque impetrasset, neque magnopere tetendisset, vt voluntarios ducere sibi milites liceret, tenuit.* Post quæ verba statim subiicit, quid singuli populi pollicerentur, vt Cærites frumentum, Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea ad vela, Volaterrani armamenta; Aretini scuta, galeas, pila, gæsa, hastas, &c. Idem genus militiæ Silius indicat lib.4.per initia, — Voluntarij milites.

———— itur in acres
Bellorum raptim curas, subitúsque per omnem
Ausoniam Mauors strepit, & ciet arma, viréisque:
Pila nouant, ac detersa rubigine saeuus
Induitur ferro splendor.———

Et Statius 7.Theb.

———liber in arma
Impetus, & meritas vltrò iurastis in iras.

Et postea: *venêre volentes Aoniæ populi.* & lib. 12. *vltróque ducis vexilla sequuntur.*

11. TELA NOVANT.] Quasi νεότητα inducant, id est, *iuuentutem.* Nam arma ab desuetudine videntur velut senescere. Simocatta lib. 1. Histor. Mauric. cap. 15. dixit, δόρυ καὶ ξίφος ὡς γεγηρακότα: *gladius & hasta velut senio confecta.* Statius etiam 2. Theb. *Tela noua*, id est, renoua. Homer. 13. Iliad. dixit, θωρήκων νεοσμήκτων, quia nouiter politi thoraces. — Nouare tela.

12. ATINA.] Meminit Atinacium Plin.lib.3.cap.5. & 12. Atinæ etiam cap. 19. Sunt qui in Plin. Vtina legant, non Atina. Sed ex Seruij etymo legendum Atina, nam à morbis, ait ille, qui Græcis ἄται: quippe Pontinæ paludis vicinitas facit vrbem morbosam. — Atina vnde dicta.

13. TYBVRQVE SVPERBVM.] Nulla hîc maior lux Seruiana: *aut nobile, aut pertransitum tetigit illud, quod, cùm aliquando à Senatu auxilia poscerent Tyburtes sub commemoratione beneficiorum, hoc tantùm à Senatu responsum acceperunt, superbi estis.* Similis fermè ἀγερωχία est apud Philostrat. in Euodiano. Possit aliquis referre ad arces, quibus Tybur commendatur. Iuuenal. Sat.14. *Summa nunc Tyburis arce.* Deo eodem Tybure Propert. Eleg.16.lib.3. — Tybur cur superbum.

Candida qua geminas ostendunt culmina turres.

14. ARDEA.] De hac vrbe iam suprà.

15. CRVSTVMERI.] Seru. *Mutauit; nam Crustumerium dicitur. Cassius Hemina tradit Siculum quendam nomine vxoris suæ Clytæmnestræ condidisse Clytæmnestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. Alij volunt à crustula panis, quam Troiani coacti fame exedisse dicuntur, appellatam.* Hæc, tametsi leuicula, deesse in commentariis non debent. Seruimus quippe multis. Sed errat Seru. *Crustumerium* nominans, cùm *Crustumenium* debuisset: sic enim Liuius indigetat lib.1. quo loci vrbis huius præclarum est elogium. Silius lib.8. *Crustumium* nominat. — Crustumeri.

16. ANTEMNÆ.] Sicut Interamnia dicta, quòd inter duos amnes: sic Antemnæ, quasi ante amnem positæ. Lege Seruium. Dionys. tamen lib. 2. Antiq. huic vrbi attribuit Græcam originem. Vide illum. — Antemnæ.

17. TEGMINA TVTA, &c.] Explorato hoc loco Silius lib.4. etiamsi de thorace, — Tegmen capitis.

Conseritur tegmen laterum impenetrabile, multas
Passurus dextras, atque irrita vulnera thorax.

Propius est illud Aristoph. in Lysist. qui de galeis loquens, καὶ ταυτὶ καλύμματα φέρε περὶ τὴν κεφαλήν: *fer hæc ad caput tegmina.*

18. CAVANT CAPITVM.] Referendum ad galeas, dicente Propertio Eleg.14.lib.3.

Virgineúmque cauo protegit ære caput.

19. FLECTVNTQVE SALIGNAS VMBONVM CRATES.] Sententia est; ex salice sibi scuta compingunt, quam arborem flectunt ad formandos vmbones. Alludit Poëta ad veterum morem, qui ex arborum cratibus scuta efformabant, quas deinde crates vestiebant corio. Ammianus de Persis lib. 24. *Obtecti scutis vimine firmissimo textis, & crudorum tergorum densitate vestitis.* De Græcis Statius lib.4. — Scuta è cratibus.

Omnibus æratæ propugnant pectora crates.

De Gal

De Gallis quoque sic Cæsar: *Scutis ex cortice factis, aut viminibus textis, quæ subitò, vt temporis exiguitas postulabat, induxerant pellibus.* Salluſt. de Lucanis apud Seru. *Qui de vimine facta scuta, recentibus detractis corio quasi glutino adoleſcebant.* De Romanis ipſis Arimini Lucanus lib. 1.

——Nuda in crate fluentes
Inuadunt clypeos.——

Videlicet iam fluida pelle deſtitutos præ vetuſtate. Silius lib. 5.

—clypei ſtetit æris in oris
Cuſpis, & oppoſitas vetita eſt tranſmittere crates.

Salix ad ſcuta. Et adhuc ex ſalice, quam arborem nominatim inducit Maro: aſſumptas fuiſſe has crates ad vſum ſcutorum, peculiaris eſt mentio apud auctores. Theocritus,

Ἀχθόμενοι ζεύξαντι βραχίονας ἰτείνοισιν:
Preſſi brachia ſalignis ſcutis.

Euripides de Creonte. ἰτέαν λαβὼν χερὶ: *ſcutum manu capiens*; propriè: *ſalicem manu capiens.* Pluribus hæc Lipſius lib. 3. de Milit. Rom. dial. 2. à quo accepiſſe nullus pudor. De forma vocis notes, eſſe etiam Saligneum. *ſaligneum.* Cato de Re Ruſt. *perticis ſaligneis.* Sed & quo ſenſu Poëta *flectunt*, quia de ſalice loquitur, eodem Salix, vnde. Calpurn. Eclog. 5. *molle ſalictum.* De etymo ſalicis (hoc iam Germ.) dictæ à ſaliendo, hoc eſt, à celeritate creſcendi, quia citò ſurgit, notes, parem eſſe formam Græcorum, nam illi quoque ἰτέαν, ἀπὸ τοῦ ἰέναι, quod eſt, ταχέως αὔξειν.

20. Thoraces.] Dixi ſignari milites cataphractos. Ita eſt: nam vndequaque illos munit, videlicet tegmine capitis, thorace, ocreis. Vt enim κατάφρακτα nauigia ſunt conſtrata, & tecta, quia ſic munita: ita milites καταφρακτοὶ, quia ex parte omni muniti. Cataphractes quid propriè. Sed notes καταφράκτην propriè eſſe *loricam*, aut *militarem thoracem*: quia verò hæc pars præcipua eſt in muniendo milite, inde traducitur vox ea ad ſignandum militem aliis etiam ornamentis munitum.

21. Ocreas.] De his alibi credo à me.

22. Lento dvcvnt argento.] *Lentum* hîc eſt, molle, cedens, & quod facilè duci poteſt. Ita Maro viburna, verbera, haſtilia, vimina, aliáque huiuſmodi *lenta* nominat: vt & ſalicem Eclog. 3. & 5. Græci χαῦνον. Ait *ducunt*, vt notet artem, qua argentum mira quadam lentitie ducitur. Adi quæ iam lib. 6. ad illud, *viuos ducent de marmore vultus.*

Aratra in gladios. 23. Vomeris hvc, &c.] Illuſtraui hoc lib. 1. Georg. ad illud,

Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.

Adiicio hîc S. Cyrill. in Ioël. καθάπερ ἐγένετο μὲν ὁ γεωργὸς τῶν αὐτοῦ φιλαιτάτων φροντίδων, καὶ σπουδασμάτων. μεταχαλκευέτω δὲ τὸ μὲν ἄροτρον εἰς ῥομφαίαν, τὴν δὲ δρεπάνην εἰς σειρομάστας: οὐ γὰρ ἐστι τοῦ γεωργεῖν ὁ καιρὸς: *Ponat agricola curas, & ſtudium ſibi chariſſimum. Ex aratro romphæam, & è falce lanceam ſibi fabricet: non enim terræ colendæ tempus eſt.* Silium lib. 8. qui in apparatu armorum: *falxq́; ad rura bipennes.* Statium qui libro tertio Theb.

——iam falces auidis, & aratra caminis,
Raſtráque, & incurui ſæuum rubuêre ligones.

Eundem lib. 1. Achil.

——ferrum laxatur ad vſus
Innumeros, quod roſtra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frenet equos, quod mille catenis
Squalentes nectat tunicas, quod ſanguine fumet,
Vulneráque alta bibat.—

Quid ſi huc reſpectum à Perſio Sat. 1. vbi loquens cum viro forti, qui ab ſulcis vocatus eſt ad Dictaturam, ait; *Et tua aratra domum lictor tulit?* Vt non tam

A honoris gratiâ hoc dictum putetur, vt vulgus accipit, ſed potiùs vt vnà cum Dictatore venirent etiam vomeres vertendi in gladios ad belli vſum, quò vocabatur Dictator. Ad ſententiam Virgilij Plinium traho lib. 34. cap. 14. vbi, cùm loquatur de ferro, dat illi primum vſum ad agriculturam, alterum ad bellum, & cædes. Et quidem, ſi inſpicias fœdera Rom. Pop. vſus ferri in bello contra leges fuit, ſcribente ibidem eodem Plinio in hunc modum: *In fœdere, quod expulſis Regibus Populo Romano dedit Porſenna, nominatim comprehenſum inuenimus, ne ferro niſi in agricultura, vterentur.* Contraria ſententia eſt pacis nota. Sanctus Cyrillus in Michæam. τοῦ πολέμου τὰ σκεύη σκεπάρνια, καὶ δρέπανα, καὶ ὕννη, καὶ ἄροτρα γεγόνασι. *Inſtrumenta belli abierunt in bipennes, in falces, in aratra.* Eſt enim Gladij in aratra.

B agricultura nota pacis. Inde ſignatè Horatius epiſt. 2. lib. 1. *Incultæ pacantur vomere ſyluæ.* Quaſi tunc pacata ſint omnia, cùm coluntur agri vomere. Scio ſententiam Horatij aliam eſſe poſſe: agri enim qui feroces ſunt, & inculti, dicuntur domari, & pacari cultura. Sed, ad id, quod priùs dixi, ab illo alludi, nulla res vetat. De eadem pacis nota Sidon. epiſt. 6. lib. 1. *enſes rubiginoſi ſero ligone mutantur.* Loquitur Sidonius de milite emerito, ac proinde ex illo illuſtrabis Lucanum lib. 1. Agricultura nota pacis.

Quæ ſedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noſter veteranus aret?—

24. Recoqvvnt patrios fornacibvs enses.] Pari nota Silius lib. 4. *renouántque nouâ fornace*

C *bipennes.* Ab hoc opificum apparatu non abit locus Liuij lib. 26. ad finem, vbi fabri omnium generum includuntur in publicam officinam, vt tanta multitudo incumberet fabricandis armis. Vt verò *patrios enſes*; ita Statius libro tertio in ſuo belli apparatu: Enſes paterni.

—arma paternis
Poſtibus, & fixos ſuperûm ad penetralia currus
Vellere amor.—

Idem lib. 12.

——patriis modo fixa reuellunt
Arma Deis; clypeiſque obducunt pectora fractis.

Et pulcherrimè lib. 1. Achill. in ſimili belli apparatu: *nigris addunt mucronibus iras.* Agathias quoque in adducto teſtimonio, ἐπιχώρια δόρατα, quaſi dicat, *patrias haſtas.* Tacitus lib. 15. Annal. *Telum quoque in*

D *necem eius paratum oſtendit, accirique reum iuſſit. Is raptus per milites, & defenſionem orſus: ferrum, cuius arguebatur, olim religione patria cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti ſubreptum, reſpondit.* Etenim ex Virgilio, Statio, Agathia, Tacito mos liquidus exiſtit, quo olim veteres ſolebant maiorum arma repoſita in armamentariis habere, ac veluti in religione, quibus, Arma maiorum in religione. cùm opus, vterentur: quaſi illa iam eſſent probatæ generoſitatis. Idem mos apparet ex libro extremo Æneid.

Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columna
Ædibus adſtabat, validam vi corripit haſtam.

Atque etiam ex Silio lib. 10. apud quem Romani iubentur in magno diſcrimine diripere arma è templis, nudare armis atria, refigere clypeos ad bella.

E 25. Classica.] Quintuplici genere inſtrumentorum, vt plurimùm, video bellicum cani ſolitum, Inſtrumenta belli quibus cani ſoliti, quinque. claſſico, tuba, lituo, cornibus, buccina. Omnia infert Maro. Hîc audis claſſicum. In 9. tubam:

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro
Increpuit.——

Lituum in 6.

—Lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Cornu in 8.

—& rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Buccinam

Buccinam in 11.

——bello dat signum rauca cruentum
Buccina.——

Illud enim Dionysij lib. 4. in classibus describendis sub Seruio Tullio. *Duas centurias tubicinum, & tympanistarum, & qui aliis quibusdam organis ad bella vocabant,* meritò docti, intérque hos Lipsius, suspectum putant. Quî enim tympano canatur bellicū, instruméto dicato Gallis matris Deorum, id est, effeminatis & mollibus? Hoc inuentum Barbarorum tantùm fuit, vt apparet ex illo Curtij lib. 8. *Post elephantos Porus peditem posuerat, & sagittarios tympana pulsare solitos. Id pro cantu tubarum Indis erat.* Et ex Valet. Flacco lib. 6. Argon.

Tympanum Barbarorū fuit.

Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsigerem, cinctúmque vagis post terga silebo
Pellibus, &c.——

Classicum. Vocatur autem classicum, vel quòd eo classes conuocarentur, ait Ioseph. Scaliger: vel dictum à calando, ait Isid. id est, vocando. Vnde & præcones ipsi dicti sunt classici. Illud Seruij notantis hîc, *classicum* sumi & pro tuba, & pro ipso sono, quî astrui possit de sono non video. In nihil enim incidi, quo queat firmari. Nam Vegetius cap. 22. lib. 4. si bene expendatur, nihil ad hanc rem.

26. Tessera.] Quid hæc sit, sciunt omnes, & in tanta auctorum luce de illa loqui, sit gloriam è triuio quærere. Illam aliunde quæramus, explicato Virgilio, vt priùs, à nemine. Sciunt omnes tesseram esse duplicem, & mutam, & vocalem. Muta olim dabatur in tabella, vnde nomen *tessera*; nam tessera tabeola est; postea sub Impp. semper vocalis, verbi gratiâ: *Venus genitrix, Seruator Iuppiter.* &c. Itaque huiusmodi voces dabantur olim militibus scriptæ in tabella, & postea sub Impp. communicabantur tradita tantùm voce. Neutram capio in Virgilio: nam verba ista, *it bello tessera signum*, rem signant vexillo similem. Sed age excludamus vulgarem tesseram; ait de illa Polybius. τὴν δὲ τῶν νυκτερινῶν συνθημάτων παράδοσιν ἀσφαλίζονται τὸν τρόπον τοῦτον: *Nocturni signi traditionem tutam securámque hoc modo reddunt.* Tessera ergo nocturnum signum. Non itaque de illa Maro, cùm in eo nihil nocturnum: seruiebat enim tessera excubiis, vigiliísque militaribus. Hîc quæ vigiliæ? Nullæ. Ratio verò quæ? audi. Tessera dabatur militibus, cùm in acie essent distincta ordinibus, ac propè iam in conflictu, cùm hostis proximus, cùm ab vicino hoste timerentur insidiæ. Nihil hîc tale vides, solum furorem militarem, & hunc nullo duce, qui daret tesseram; tantùm enim conglobatim coibant ad præcipitantiam Iunonis aperientis belli portas. Demum catalogus narratur euntium ad bellum. Quantùm distat hoc tempus ab eo, in quo danda tessera, siue scripta, siue vocalis? Ergo capiamus Poëtam de mandatis, & præceptis militaribus inscriptis in tabella, quæ quasdam veluti leges contineret, aut formas verborum, quales quis suspicari volet. Liuius apertè in hoc sensu lib. 28. *Scipio tesseram vesperi per castra dedit, vt ante lucem viri, equíque curati, & pransi essent, armatus eques frænatos teneret equos.* Vides militaria mandata data in tessera. Suetonius de Galba in eius vita cap. 6. *Solemni spectaculo plaudentes milites inhibuit, tessera data, vt manus penulis cohiberent.* Hanc Ammian. lib. 23. vocat *expeditionalem tesseram*, cùm videlicet iussum, vt exercitus Euphratem transiret. Simocatta lib. 7. hist. Mauricij cap. 1. vocat ἐπιστολικὰς συλλαβάς, *imperatoria iussa.* Igitur *it tessera*, est, it πλατεῖον, aut ξυλήφιον ἔχον γεγραμμένον (sic enim vocat Polybius) inscriptum lignum, in quo leges aliquæ scriptæ, aut mandata expeditionis huius. Cum verbo *it* coniunxit etiam Claudian. de laudib. Stilic.

Tessera Virgiliana, quæ.

Expeditionalis tessera.

Imperatoria iussa.

A

Neglectum Stilico tot iam per sæcula morem
Retulit, vt ducibus mandarent prœlia Patres,
Decretóque togæ, felix legionibus iret
Tessera.——

Notat verò Lipsius, tesseram Claudiani esse ad iter, & quò copiæ essent dirigendæ. Cur non ergo simile quidpiam in Virgilio? Eadem etiam ratione explico Statium 7. Theb.

——longo fugit ordine velox
Tessera, propellunt acies, seséque sub armis
Ostentant.——

Clarè etiam Ammian. lib. 21. de hac, apud quem Iulianus, *per tesseram edicto itinere in Pannonias.* A quibus non multùm fortasse aberit Scytale illa tantopere apud Lacones celebrata, de qua præter Agellium, lege & Iunium lib. 4. Animad. cap. 14. Id nisi placeat Lectori, aliter Poëtam explico, vt tessera sit signum aliquod externum, quo se milites adornarent, vt noscerentur esse ab Turno, & contra Troianos. Ad eum modum, quo Xenoph. 2. Hellin. in ipso initio, calamum, quem participes coniurationis, vt noscerentur, gestabant, vocat ξύνθημα, id est, *tesseram.* Tale quid in Herodoto lib. 8. apud quem Tellias sexcentos viros è Phocensibus præstantissimos gypso tam ipsos, quàm arma illinit, eósque sub noctem in Thessalos dimittit, dato præcepto, vt quemcunque albicantem non cernerent, obtruncarent. Sed de vulgari illa tessera muta, & vocali, de qua locuti alij, & ego abstinui, aperiam tantùm rem aliis illibatam, videlicet in vno exercitu plures olim fuisse tesseras. Aperit locus Maximi Tyrij dissertat. 19. vbi loquens de variis sectis Philosophorum, ita absoluit: ὁρᾷς τὸ πλῆθος τῶν ἡγεμόνων; ὁρᾷς τὸ πλῆθος τῶν συνθημάτων; πῇ τις τράπηται; τίσιν αὐτὸν καταδέξωμαι; τίνι πείθω τῶν παραγγελμάτων; *Vidésne magnam ducum copiam? vidésne diuersas tesseras? quò se quis vertet? cui me tradam? cui me dicto audientem dabo?* Nisi quis dicat, capiendum Maximum de pluribus exercitibus; nam idem dissert. 23. ὥσπερ δὲ στρατόπεδον συντάττεται ὑπὸ συνθήματι ἑνί: ἐὰν δὲ ἀφέλης τὸ σύνθημα, διέλυσας τὴν φάλαγγα εἰς πλῆθος φυγῆς: *Nec aliter vna sub tessera disponitur exercitus: tolle tesseram, solues exercitum, multósque efficies, qui eant in fugam.* Habitæ tesseræ in eo pretio, vt dedicatas in templo, quas Palamedes inuenit, Pausf. scribat in Corinth.

Scytale Laconum.

Tesseræ genus aliud, quo cómodissimè Virgilius potest explicari.

B

C

D

27. Signvm.] Tres sunt militares res, quæ *signi* nomine efferuntur à Poëta. Tessera, quam hîc habes. Deinde vocale instrumentum, vt tuba, buccina, & hanc signum vocauit suprà, *pastorale canit signum.* Tertiò, vexillum: audis enim in 8. *Vt belli signum.* Habebit Maro subscriptores. De tessera Suet. Nerone cap. 9. *Signum excubanti Tribuno dedit, optimam matrem.* De tubis Liuius lib. 30. *Tribunis edicit, vt vbi prætorio dimisso signa concinuissent.* De vexillo an signum quoque dicatur, inane est quærere. Nam quis non ita? Illud non omittendum, Cæsarem lib. 2. Gallic. de pugna subitaria in Neruios, tres has res militares vnica periodo inclusisse sub eodem signi nomine, quod diligenter notauit Lipsius lib. 4. de Milit. dial. 11. *Cæsari omnia vno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cùm ad arma concurri oporteret; signum tuba dandum, acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum.* Habes vexillum, tubam, tesseram. Nam extremum de hac capiendum, alioquin frigeret sermo.

Signum militari sermone tria significat.

E

28. Cogit eqvos.] Hæc pars apparatus non omissa Silio lib. 4.

——*dominat*

——domitat pars verbere anhelum
Cornipedem in gyros, saxóque exasperat ensem.

Nec Statio 3.Theb. *Exturbent resides frænos.*

29. TRILICEM LORICAM.] τρίμιτον, vt bilicem A δίμιτον. Sed de his vberiùs alibi.

30. INDVITVR.] Sic infrà, *indutus capi.i*, etiam de armis. Notetur obiter locutio scriptorum, qui, *induere se hastæ, ferro, gladio*, pro, ruere in hastam, & se interficere.

ᵃ Pandite nunc Heliona Deæ, cantusq́; mouete,
Qui bello exciti Reges, quæ quemque secutæ
Complerint campos acies, quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
ᵇ Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
ᶜ Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Diuûm Mezentius, agmináque armat.
ᵈ Filius huic iuxtà Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.
ᵉ Lausus equûm domitor, debellatórque ferarum,
ᶠ Ducit Agyllina nequicquam ex vrbe secutos
Mille viros: dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.

ARGVMENTVM.

Sequitur catalogus conspirantium ad bellum contra Æneam: precedit noua inuocatio. Primi omnium numerantur Mezentius, & Lausus: pater infamis vitiorum dedecore, filius pulchritudine iuuentutis insignis.

EXPLICATIO.

ᵃ NOVA inuocatio, vt sibi aditus pateat ad Heliconem Musarum, quò videlicet possit Reges canere, qui excitati contra Troianos: agmi- C na, quæ scuta Reges singulos ad dimicandum in acie. & in cursu ait se dicturum florem Italiæ, ardorem armorum.

ᵇ Ratio cur ad Musas confugiat. Sunt illæ filiæ Mnemosynæ, id est, Memoriæ, ac proinde possunt reuocare in memoriam has historias, aliter tenuis est fama, potiùs aura famæ. An verò *aura tenuis* dicitur? an potiùs *aura famæ tenuis*? vt velis. In posterius inclino ex collocatione verborum.

ᶜ Principe loco catalogi Mezentius ponitur, & hic *contemptor Diuûm*; quasi dicat, impius contra pium Æneam. Verbum *init* propriè, quasi, it in bellum, hîc enim scribitur catalogus concurrentium ad eundem belli locum. Vnde autem ille? ab Etru- D ria: hanc enim vocat oras Tyrrhenas, à Tyrrheno Atys filio, qui eò coloniam deduxerat ex Lydia.

ᵈ Mira varietas. Pergit enim à paterno dedecore ad laudem filij; hæc posita in pulchritudine, qua nemo Lauso præstantior, Turno excepto. Sic decebat de Turno loqui competitore Æneæ, quò huius maior esset gloria.

ᵉ An solùm pulcher Lausus? nequaquam. Adiicit enim militarem virtutem, cuius duplex argumentum, videlicet equitatio, & venatio.

ᶠ Hic itaque ductor est agminis, in quo viri mille. Sed nequicquam illum sequuntur; nam non reuersuti: cecidêre enim in acie cadente duce. Nomi- B nat vrbem, vnde profectus, nimirum Agyllinam. Postrema Lausi laus, dignum fuisse meliore patre. Dicit, *dignus patriis qui lætior esset imperiis*; quia pater tandem exulauit.

NOTÆ.

1. PANDITE, &c.] Locus clarus Homeri Iliad.2. Imitatio.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα,
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν,
Οἵτινες ἡγεμόνες Δαναῶν, καὶ κοίρανοι ἦσαν.
Dicite nunc mihi Musæ cœlestes domos habentes,
Vos enim Deæ estis, adestisque, sciuisque omnia,
Nos autem famam solùm audimus, neque quicquam scimus,
Qui duces Danaorum, & principes erant.

Vide crisin Scaligeri. Censet enim, vt solet pro Latino, Græcum risui exponit. Par locus Calabri lib.12.

Τούς μοι νῦν καθ' ἕκαστον ἀνειρομένῳ σάφα Μοῦσαι
Ἔσπεθ', ὅσοι κατέβησαν ἔσω πολυχανδέος ἵππου:
Quos mihi nunc singulatim exquirenti, perspicuè Musæ
Dicite, qui conscenderint in multicapacem equum.

Nec non Statij lib.4. Theb. vbi catalogum facturus ducum, qui conspirarunt contra Thebas, de nouo D inuocat his versibus:

Nunc mihi fama prior, mundíque arcana vetustas,
Cui meminisse ducum, vitásque extendere cura,
Pande viros. Túque ô nemoris Regina sonori
Calliope, quas ille manus, quæ mouerit arma
Gradiuus, quantas populis spoliauerit vrbes,
Sublata molire lyra.——

Atque etiam Silij lib.3.

Prodito Calliope famæ, quos horrida cœpta
Excierint populos, tulerintque in Regna Latini.

Sciat Lector, ab hac Poëtarum creberrima inuocatione, illos dici ἀμφιανακτίζειν, pro προοιμιάζειν; quia videlicet in his inuocationibus sæpissimè ordiebantur ab his vocibus, ἀμφί μοι ἄναξ. Aristid. in prima Plato

Platonica loquens de Poëtis ait, ἀεὶ καὶ περὶ παντὸς τὰς Μούσας ἐνοχλοῦσι δεόμενοι φράσαι σφίσιν: *semper pro re omni supplicabundi Musas fatigant, vt ipsos doceant.*

Helicon Musarum.

2. HELICONA.] Quis non iam de hoc monte? Obuia vbique notitia, & vndecunque peti potest. Tantùm eligo illud Pausaniæ in Bœotic. ὁ δὲ Ἑλικὼν ὀρῶν τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐν τοῖς μάλιστά ἐστιν εὔγεως, καὶ δένδρων ἀνάπλεως: *Helicon montium, qui in Græcia sunt, præstat soli bonitate, & arborum crebritate.* Hæc fortasse causa, cur is Musis sacer. Nam quò illæ ventitarent, nisi ad loca herbida, amœna, καὶ λειμῶνας, vt Homerus loquitur duodecima Iliade?

Mouere cus de Musis.

3. CANTVSQVE MOVETE.] Ita suprà, *Maius opus moueo.* Et Manil. lib. 1. *Helicona mouere cantibus.* Quod Horat. 2. epist. *verba lyræ motura sonum.* Et 3. Carm. *mouentes animo.* Aliqui legunt, *cantúsque monete*, fortasse, quia suprà, *Tu Vatem, tu Diua mone.* Præfero vulgatum *mouete.* Sed vnde sumpta locutio? Solebant insolentes Poëtæ gloriari, se fontes Musarum hausisse, vt ita suo carmini gloriam quærerent. De istis Ausonius in Mosella,

Poëtæ arrogantes.

———totamque solent haurire Aganippen.

Et de Pollio Statius 2. Syluar.

Altius immensa turbauit Pollius vrna.

Qui modesti erant, tantùm dicebant, se libasse fontium aquas. Ideo poëma suum idem Ausonius vocat *tenue libamen Musæ.* Pari modestia Persius,

Nec fonte labra prolui caballino.

Non negat libamina, sed proluuiem hanc negat. Ergo Poëta: O Deæ pandite Helicona, vbi Musarum fontes, mouete cantus tantùm leuiter ad vndam motam: nolo fontem turbetis, nolo imos gurgites; satis mihi summa aqua ad leuem motum comitata. Dixi hæc nauigans ad auram Casauboni: nam ille nihil de Virgilio.

Excire.

EXCITI.] Aliàs, *acciti.* Sed primum præfero, vel ex imitante Papinio lib. 4. Theb. qui in simili belli apparatu:

Quis numerum ferri, geméisque, & robora dicto
Æquarit mortale sonans? suus excit in arma
Antiquam Tirynthа Deus ———

Et in 7. *Exciuerat omnem Aoniam.* Sed & Poëta suprà, *Ardet inexcita Ausonia.* Silius quoque ex eadem imitatione, *exciuerint populos.* Versus iam attuli. Scio Sallustium in Iugurth. dicere, *paucos fama cognitos accire, & ambiendo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci.*

Accire.

Campus de militari.

5. CAMPOS.] Præclarè: campus enim de militari sæpissimè. Propert. Eleg. 11. lib. 4. *forti meliùs concurrere campo.* Et Eleg. 3. lib. 3.

Aut quibus in campis Mariano prælia signo.

Horat. lib. 1. Od. *Exiguis equitare campis.* De Mezentio Noster, *turbidus ingreditur campo.* Sed tenue hoc.

6. QVIBVS ITALA IAM TVM, &c.] Vt illustres hunc locum, transfer huc, quæ iam ego lib. 2. Georg. ad illud, *Hæc genus acre virum.* Quo loci Poëta attingit militarem virtutem Italorum. Dixit *terra Itala*, pro Italica, ex nota Enallage. Sic Pers. 1. Sat. *Italo honore*, pro Italico. Ibidem, *heroas sensus*, per heroos: sic enim accipit Casaub.

Italum, pro Italicum.

Mnemosyne.

7. ET MEMINISTIS ENIM DIVÆ.] Celebrat hoc meritò Scaliger, & ego alibi exorno. Mater enim Musarum fuit Mnemosyne, id est, Memoria. Habet verò nomen nouem litteras pro numero filiarum. Est locus apud Maximum Tyrium dissert. 28. ad hanc rem pertinens. Omitto Græca: *Præclarus nihilominùs animus, & qui corporis sui hospitem bonum nactus est Deum, etiam hic à tumultu se vendicat, relictóque quantùm in se est, corporis consortio, quæ vel vidit ibi, vel au-*

diuit, memoria ruminat. Nec aliud est, cur Mnemosynem Musarum matrem esse tradant Poetarum fabulæ. Nihil enim aliud Musæ sunt illis, quàm scientia, chorus videlicet diuinus, opúsque Iouis, quas producit, ordinátque Mnemosyne. Colamus Musas, colamus Mnemosynem. Ex eadem obseruatione verbum hoc Musis dedit Tibul. lib. 4.

Non te deficient nostræ memorare Camœnæ.

8. AD NOS VIX TENVIS, &c.] Vestiuit hoc versu, & ornauit nudum illum & humilem Homeri. ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν: *Nos autem famam solùm audiuimus.* Illud, *fama perlabitur aura*, ex Græcorum quoque fontibus, in quibus est, αὔρα τῆς ἐπιφήμης καταπνεῖσθαι, αὔρᾳ συνέσεως ἐπιπνεῖσθαι, & similia. Sic ergo Poëta, *afflari aura famæ.* Inde & Propert. Eleg. 27. lib. 2.

Si modo clamantis reuocauerit aura puellæ.

Aura pro notitia.

Id est, notitia, ἐπιφήμη. Silius ita instituit magistro lib. 12.

Sed vos Calliope nostro donate labori,
Nota parum magni longo tradantur in æuo
Facta viri.———

Statius 4. Theb. ita:

Phœbe doce, nos rara manent exordia famæ.

9. TENVIS FAMÆ, &c.] Dio Chrysostom. Orat. 11. ἀμαυρᾶς τι, καὶ ἀσθενὲς ἔτι φήμης ἀπολειπομένης: *Obscura fama, & infirma remanente.*

10. INIT.] In suo catalogo Homer. ἦλθον.

11. TYRRHENIS AB ORIS.] Accipio Cæretanam vrbem (Agyllam alio nomine) principem olim & caput Hetruriæ: nam ab ea profectus ad hoc bellum Mezentius, cui imperabat, auctore Liuio lib. 1. Eius verba: *Turnus Rutulique diffisi rebus, ad florentes Hetruscorum opes. Mezentiúmque eorum Regem confugiunt, qui Cære opulento tum oppido imperitans, iam inde ab initio minimè lætus nouæ origine vrbis* (Lauinij) *& tum nimio plus, quàm satis tutum esset accolis, rem Troianam crescere ratus, haud grauatim socia arma Rutulis iunxit.*

Cæretana vrbs.

12. CONTEMPTOR DIVVM.] Marcus Cato lib. 1. Orig. (vt est apud Macrob. lib. 3. Sat. cap. 5.) ait, Mezentium Rutulis imperasse, vt sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant. Et inde ait Macrob. contemptorem Diuûm dici à Virgilio, quòd Diuinos honores sibi exegisset, non (vt videbatur Aspro) quòd sine respectu Deorum in homines impius fuisset. Adiicit Macrobius ex eodem Catone verba, quibus Latini metu Mezentij vouebant, hæc scilicet: *Iuppiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potiùs, quàm Mezentio, vti nos victores facias.* Statius de Capaneo lib. 3. Theb. *superûm contemptor.* Aiacem inducit Sophocles contemnentem Deorum opem, & respuentem auxilium Mineruæ. Multis hæc Tragicus.

Mezentius cur contemptor Diuûm

13. QVO PVLCHRIOR ALTER, &c.] Potuit in hac sententia multis hærere, qui paria. In primis Homero 2. Iliad.

Imitatio.

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα:
Nireus, qui pulcherrimus vir ad Ilium venit
Aliorum Danaorum, post irreprehensibilem Pelidem.

Eadem Homerus idem Odyss. 11. loquens de Aiace Telamonis, & Iliad. 17. Deinde Sophocli in Aiace, Vlyssis ore,

Ἕν' ἄνδρ' ἰδεῖν ἄριστον Ἀργείων, ὅσοι
Τροίαν ἀφικόμεσθα, πλὴν Ἀχιλλέως.
Vnum virum vidisse fortissimum Argiuorum quotquot
Troiam venimus, præter Achillem.

Tertiò, Pindaro, qui de eodem Aiace Od. 7. Nem. κράτιστον Ἀχιλλέος ἄτερ: *fortissimum, excepto Achille.* His præceptoribus etiam Nonnus lib. 28. de Corymbaso Indo duce.

k Ἐξ

Ἔξοχος ἦν ἀρετῇ μετὰ Μέμνονα καὶ βασιλῆα:
Præstans fortitudine post Memnonem & Regem.
Plato in conuiuio simpliciùs loquens de Patroclo, ἂν καλλίων τῶν ἡρώων ἁπάντων.

Corpus Turni. 14. CORPORE TVRNI.] Id est, Turno, ex penu Græcorum. Ita in Eurip. δέμας Ἀγαμέμνονος, *corpus Agamemnonis*, pro, Agamemnone: & in Phœniss. Πελασγικὸν δέμας. In Iphig. Κλυταιμνήστρας δέμας. In Oedip. Ιοκάστης κάρα. In Colon. Θησέως κάρα. Isocrat. in laudat. Ἑλέν. τὸ σῶμα τὸ ἐκείνης dixit, pro Helena. In Græco Epigrammate lib.1. πνεῦμα καὶ ἰσχύος, καὶ σώματος. vbi σωμάτιον est Glaphyræ musici. Plutarc. in Ant. posuit σώματα pro captiuis. Latini ex hoc fonte. Hîc, *corpus Turni.* Horatius, *Virtus Catonis. Virtus Scipiadæ. Lælij sapientia.*

15. EQVVM DOMITOR.] Homerus passim vsurpat ἱππόδαμοι; non rarò, πλήξιππον. Debellatorem ferarum vocat idem Iliad.5. ἐσθλὸν θηρητῆρα.

Agylla & Cere eadem vrbs. 16. AGYLLINA.] Nomen oppidi Agylla: & sic reponendum in Solino cap.8. non Argylla; monuit Delrius ex m. s. In secunda vocali nihil certi video; nam modò Agylla, modò Agilla. Conditam hanc vrbem à Pelasgis scribit Solin. dicto loco; & fuisse olim Lydorum sedem alij iam adnotarunt. Sed fuit hoc nomen vetustum vrbis, nam postea Cære dicta est, & incolæ Cæretani.

Imitatio. 17. DIGNVS PATRIIS, &c.] Aperta Homeri imitatio 15. Iliad.

Τοῦ γένετ' ἐκ πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀμείνων
Παντοίας ἀρετάς, ἠμὲν πόδας, ἠδὲ μάχεσθαι.
Hoc genitus erat ex patre multo deteriore filius melior
Omnigenis virtutibus, & pedibus, & pugna.

Non multùm abit illud Horat. Od.27. lib.1.

Digne puer meliore flamma.——

Silius lib.12.

Proles pulchra viro nec tali digna parente.

A Ita Soph. Electram vocat in tragœdia eius nominis, filiam δυσμοτάτας ματρός, *infelicissimæ matris.* Vsurpat Plutarchus in vita Pompeij illud Æschyli, ἐχθροῦ πατρὸς μοι φίλτατον τέκνον: *Hostis patris natus mihi charissimus.* Et firmat ipse exemplo eiusdem Pompeij, qui charissimus fuit Romano Populo, cùm pater eius Strabo inuisissimus. Hi omnes laudant quos volunt tacita quadam comparatione cum malis. Tacita (inquam) nā si aperta esset, nulla esset laus. Quod Laberius dixit, *Nulla est bonitas esse meliorem pessimo.* Quæ verba arripuit Seneca epist. 79. Laberio non nominato. Vide eundem Senecam in Præfat. lib.1. Nat. Quæst. atque etiam epist. 85. Quibus locis eandem profert sententiam. Ab hac rerū serie non abit Valer. lib.3. Arg. *Pirno melior genitore Bienor.* & Apollon.1. Arg. ἐὸ πατρὸς ἀμείνων, *melior suo patre.* Ouid.8. Metamorph.

Meliorē esse pessimo.

Filia restabat non illo digna parente.

Apud Plutarch. Parthi in vita Crassi, visâ filij Crassi virtute ita clamant. οὐ γὰρ δὴ πρέπειν Κράσσῳ πατρὸς ἀνανδροτάτου καὶ κακίστου γενέσθαι παῖδα οὕτω λαμπρὸν ἀρετῇ: *Non esse par, vt Crassi patris ignauissimi, ac pessimi tam fortis & virtute præstans filius fuisset.* Aristoph. in Lysistr.

Ὦ γλυκυτάτου πονηροῦ παιδία πατρός.
O puellæ dulcis improbi proles patris.

C Neque illud Alexandri apud Curt. lib.3. vbi animaduersa filioli Darij constantia conuersus ad Ephæstionem dixit; *Quam vellem Darius aliquid ex hac indole hausisset:* indicans videlicet filium patre meliorem. Ab Seneca Rhetore Suas. 7. proferuntur quædam filij ἐτίμων πατρῶν. Inde admiratio il[…] pi apud Auctorem Thebaidos, qui cognita A[…] næ filiæ virtute, cùm ipse esset nequissimus, dixit.

Vnde in nefanda specimen egregium domo?
Vnde ista generi virgo dissimilis suo.

a Post hos insignem palma per gramina currum,
Victorésque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus; clypeóque insigne paternum
Centum angues, cinctamq; gerit serpentibus Hydram.
b Collis Auentini sylua, quem Rhea Sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit oras
Mista Deo mulier: postquam Laurentia victor
Geryone extincto, Tirynthius attigit arua,
Tyrrhenóque boues in flumine lauit Iberas.
c Pila manu, sæuósque gerunt in bella dolones:
Et tereti pugnant mucrone, veruq; Sabello.
d Ipse pedes tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti: sic Regia tecta subibat
Horridus, Herculeóque humeros innexus amictu.

ARGVMENTVM.

Accedit Auentinus filius Herculis; describuntur huius natales, & arma.

EXPLICATIO.

a INDVCITVR Auentinus cum superba quadam ostentatione. Afferebat quippe currum cum signo palmæ, more triumphantium, ideo equos nominat victores. Erat is filius Herculis, ipse pulcher, & pater pulcher, id est, fortis, explicatore Seruio. Caue verò putes, illum aduectum curru, vt malè Donatus explicat, tantùm ostentabundus illum afferebat; nam postea, *ipse pedes.* Pergit, explicat quod eius insigne in clypeo. Serpentes Hydræ (centum nominat ad αὔξησιν) clypeum cingebant, vt ita patris gloriam indicaret, qui Hydram peremerat.

b Explicat, qui fuerint natales Auentini. Cùm ad

ad Italiam Hercules (quem hîc vocat ... A *victorem Tirynthium*) perueniret, interfecto iam in Hispania Geryone, rem habuit cum Rhea Sacerdote, & ita Auentinus, cui id nomen contigit, quia postea partu editus in sylua Auentini collis. Sunt *Ibera boues*, Hispanæ: *Tyrrhenum flumen*, Tybris.

[c] Ponit iam arma comitum Auentini: hæc tria, dolones, verua, quibus vsi Sabelli, & quibus in exitu mucro teres. Sed hoc in notis.

[d] Ipse verò Auentinus pro thorace gestabat tegmen leonis. Sed hîc singula explicanda ad captum nouitij. Ait *pedes* cum respectu ad genus, quia Hercules semper pedes incessit; sic Seruius. Ait *ro-quens* cum respectu ad cinctionem. Dicit *immane* propter magnitudinem. *Terribili impexum seta*, quia setæ, & B villi adhuc impexi, neque dum arte aliqua curati, sed ita hispidi, vt viuente leone. Adiicit, *indutus capiti cum dentibus albis*, quia pellis ea pro munimento quoque capitis loco galeæ. Itaque præferebat Auentinus speciem leonis, ac propterea *horridus*. Ait *Regia tecta* de Turno, credo, non de Latino. *Subibat*, est, ingrediebatur, quod alibi probo. Demum illud, *Herculeóque humeros innexus amictu*, locutio est poëtica, quasi dicat. Innexa erat pellis ad humeros Auentini ad eum modum, quo solitus gestare Hercules.

NOTÆ. C

1. INSIGNEM PALMA CVRRVM.] Explicui lib. 5. versū hūc pro victoria, vt nihil aliud dicat, quā currū insignē fuisse victoria. Nā palma pro victoria sæpe, vt, *palmam mouet ordine nemo*. Nūc adiiciendū, meliùs fortasse dici posse, veras palmas in curru fuisse; nā cū hi equi iā decertauissent (ideo enim *victores* appellat Poëta) credibile est totum currum palmatum fuisse, ad eum modum, quo Suetonius in Aug. vocat *currum laureatum*, loquens enim de Octauio, ita scribit: *Videre visus est filium mortali specie ampliorem cum fulmine, sceptro, exuuiisque Iouis Opt. Max. ac radiata corona super, laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus*. Et Statius lib. 8. Theb. currus Amphiarai dicit fuisse *Laurigeros*, quia lauro incincti & coronati. Nam & in eodem libro, D

Interea vittis, lauróque insignis opima
Currus.——

Currus palmatus.

Et Plutarchus in Aristide meminit curruum, qui essent pleni myrto, & coronamentis. Ergo equi Auentini erant qui ab Plutarcho in Pomp. dicuntur ἀγωνισταὶ, καὶ ἀθληταὶ, *certatores*: & in vita Cleomenis ἵππους καλοὺς τῶν πολεμιστηρίων, *equos pulchros & bellatores*. Ab Xiphil. in Calig. ἀξιονικώτατοι, *victoriis insignes*: ab Aristide κατὰ τῶν ἐξοχωτάτων. ἄριστοι καὶ θαυμασιώτατοι, *Optimi & admirabiles*: ac proinde, vt ait Calab. lib. 9. ἵππους ἀθλοφόρους, *equos certaminum palmis nobiles*. Quod ab Homero accepit lib. 9. Iliad. qui de equis Agamemnonis,

Πηγοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο: E

Pingues, victores, qui præmia pedibus reportarunt.

Itaque hic currus *palmaris* dici quiuerit, quia palmas gestaret, ad eum modum, quo Tullio dicitur *statua palmata* Philip. 7. statua tenens manū palmam. Sic etiam & Lucanus in Paneg. dixit:

Alaque victrices intexunt limina palmæ.

2. VICTORES EQVOS.] Ita Propertius Eleg. 9. lib. 3.

Victor Palladia ligneus arte equus.

Talem equum νικῶντα vocat Philostratus lib. 1. de vitis Sophist. heroïcum.

Cerda in Æneid. tom. 2.

3. PVLCHER.] Cur hîc *pulcher*? qui postea *horridus* vt necessariò is, qui cum tegmine leonis, cū dentibus, & impexis setis. Subscribo Seruio, qui *fortem* explicat, tam hîc, quàm lib. 4. ad illud: *Quàm ille segnior ibat Æneas*. Quid quòd pulchritudo parum congrua habitui Herculis, cui in manu claua, in tergo pellis leonis. Cùm præsertim non desint, qui *pulcher* scribant, & deducant à voce πολυ, χερ, quasi dicas *multarum manuum*, ac proinde fortis.

Pulcher, pro fortis.

Pulcher, vnde.

4. AVENTINVS.] Lege Macrob. cap. 16. lib. 5. vbi quæpiam de imitatione Virgilij in admiscendis fabulosis narrationibus ad vestigia Homerica.

5. CLYPEOQVE INSIGNE PATERNVM.] Virgilianis auspiciis Valer. lib. 6. Arg. inducit Coraxen gestantem in clypeo patris Iouis insigne; nam cùm præcesserit, *Scythicis quem Iuppiter oris progenuit*, subiungit.

Cuncta phalanx insigne Iouis, calatáque gestat
Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.

Similitudo fabulæ.

6. CENTVM ANGVES, &c.] Locum Eurip. in Phoenissis vnde hic sumptus, viderunt iam alij. Ait ille.

Ταῖς δ' ἑβδόμαις Ἄδραστος ἐν πύλαισιν ἦν
Ἑκατὸν ἐχίδναις ἀσπίδ' ἐκπληρῶν γραφῇ
Ὕδρας.——

Imitatio.

Adrastus verò erat in septima porta
Implens scutum pictura centum viperarum
Hydræ.——

Vsitatum hoc Barbaris ad ferocitatem ostentādam, & terrorem ingenerandum. Sic ab Homero in thorace Agamemnonis dicuntur esse 11. Iliad. κυάνεοι δράκοντες τρεῖς: *tres dracones cærulei*; & postea de scuto eiusdem, κυάνεος ἐλέλικτο δράκων: *cæruleus circumuolutus erat draco*. Cui draconi dantur κεφαλαὶ τρεῖς, *tria capita*. Plutarchus de Pythiæ oraculo dat scuto Aliarti ὄφιν. Audi quæ Statius de clypeo Capanei.

Serpentes cælati in scutis.

Quattuor indomitis Capaneus erepta iuuencis
Terga super que rigens iniectu molis ahenæ
Versat onus: squallet triplici ramosa corona
Hydra recens obitu. Pars anguibus aspera viuis
Argento cælata micat, pars arte reperta
Conditur, & fuluo moriens ignescit in auro.

De scuto Hippomedontis formato ad horrorem, idem Statius lib. 4. Theb,

——*humeros, & pectora latè*
Flammeus orbis habet, perfectáque viuit in auro
Nox Danaïs: fontes Furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
In foribus laudátque nefas, atque inspicit enses.

Valer. Flac. lib. 6. de scuto Coraxis.

Insuper auratos collegerat ipse dracones,
Matris Horæ specimen linguisque aduersus vterque
Congruit, & tereti serpens dat vulnera gemma.

Silius lib. 2. de Terone:

Centum angues idem cælatum insigne gerebat
In clypeo, & sectis geminam serpentibus hydram.

Cùm verò, vt plurimùm, hi viri qui angues pro insigni gestant, dicantur esse à Poëtis magnitudine vltra modum, liber suspicari natum hunc morem ab opinione veterum, quam attingit in Heroicis Philostratus. Putabant enim serpentes ἐμφύεσθαι τοῖς γίγασι, *adnasci Gigantibus*. Et addit hinc factum, vt pictores appingerent serpentes Encelado.

Serpentes adnascuntur Gigantibus.

7. COLLIS AVENTINI.] Vnde huic colli nomen accesserit, siue ab Rege cognomine ibi sepulto, siue ab auibus, siue ab aduentu, siue ab aduectu, omitto, quia obuia apud alios huius rei notitia. Sed

Auentinus mons.

Murcus mons. Murcia Venus. & hunc montem priùs dictum Murcum, vbi sacellum Deæ Murciæ, id est, Veneris, alij quoque iam viderunt.

8. RHEA.] Corripuit Naso 4. Fast. *Sæpe Rhea questa est.* Maro Græcos sequitur, qui breuem syllabam faciunt longam addito iota.

Furtiuus partus. 9. FVRTIVVM.] Soph. in Elect. τὰς τᾶς εὐνὰς ὑποκλεπτομένας: *suffurantes concubitus.* In re simili Homer. λάθρῃ: & Pindar. κλέπτοισα. Virg. 4. Georg. *Dulcia furta.* Quem locum adi. Spectant hæc ad tenebras quas amant, qui amant. Interpres Theocriti. δεῖ γὰρ τοῖς κλεπτομένοις ἔρωσι σιγῆς καὶ νυκτός: *Furtiui amores indigent silentio & nocte.* Aduocátque Menandrum, qui, ἡ νύξ, ὦ θεοί, δὲ ἡ πλεῖστον ἀφροδίτης.

10. SVB LVMINIS EDIDIT ORAS.] De hac locutione iam ego 2. Georg. ad illud:

Sponte sua quæ se tollunt in luminis oras.

Lumen pro vita. Sed & *lumen* pro vita dici quis nescit? In lib. 1. Epig. audis.

Μητρὸς ἐκ κόλπων πρὸς φάος ἐρχομένους:

Ex matris sinibus venientes ad lumen;

id est, nascentes. Apud Soph. Antigone, cùm ducitur ad mortem, queritur se ἔσχατον φέγγος λεύσσειν ἀελίου: *videre extremum lumen Solis.*

Misceo περὶ τῆς συνουσίας. 11. MISTA DEO MVLIER.] Eiusdem potestatis est Græcorum μίγνυμι. Hesiodus in Scuto, de Ioue, εὐνῇ καὶ φιλότητι μίγη: *lecto & amore mistus est.* Et de Alcmena, Ζηνὶ θεῷ μιχθεῖσα. Et in Theogon. Κρονίδῃ πατρὶ μιχθεῖσα Μνημοσύνη: *Patri Saturnio mista Mnemosyne.* Homer. 14. Iliad. de Ioue, & Iunone μισγέσθην. In Pindaro quoque eadem seges Od. 6. Olym. Ποσειδάωνι μιχθεῖσα κρονίῳ. & 7. Ῥόδῳ μιχθεὶς τίκεν. In 9. μίχθη Μαιναλίαισιν ἐν δειραῖς. & 3. Pyth. ἀκερσεκόμᾳ μιχθεῖσα Φοίβῳ. Eodem pertinet Homericum Iliad. 16. γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα: & illud Epigrammatarij lib. 4. Anthol. de Hercule, ξυνλέξατο κούραις.

Venus Migonitis. Numen Veneris Migonitidis, id est, coniugalis, apud Pausan. est in Laconic. dicatum ab Paride cùm primùm mistus est Helenæ. Inde & crimen illud ab Basilio Seleuciensi reprehensum ἀδελφομιξίας, cùm fratres cum sororibus commiscentur. Quadrant verò in hunc

Mulier de corrupta. Oppositio. locum, quæ de *muliere* iam nostri eruditi adnotarunt; hanc vocem aliquando opponi virgini, ac proinde sumi pro corrupta, ex illo Vlpiani l. Alioquin. ff. de contrahend. empt. *Quòd si ego me virginem emere putarim, quum esset mulier, emptio non valebit.* Et Cicer. 3. in Verr. *Qui lege sua hæreditatem ademit nulli, neque virgini, neque mulieri.* Ibid. *Statim negotium dat illis suis comitibus, vt videant, ecqua virgo sit, aut mulier.* Sic apud Theocritum rustica quædam deuirginata dicebat se virginem venisse, ac redire γυναῖκα, id est, *mulierem.* Versus est.

Παρθένος ἔνθα βέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρπω.

Arnobius lib. 5. *Cùm in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores, & adhuc virgo Proserpina.* Optatus Mileuitanus lib. 2. *Inde reuertentes Vrbanus Formensis, & Felix Idicensis inuenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres.* Ambros. lib. 3. de Virg. *Et bene in mulieribus decora dicitur Synagoga, non in virginibus, quia Euam mulierem sequebatur.* Inde Platoni (quod notauit Brechæus in l. mulieris. ff. de verb. & rer. signif.) γυνὴ dicta est, quasi γονή, quòd in ea generetur fœtus. Et Passerat. vocem ducit à molendo, quasi mulier sit, quæ molatur, & permolatur.

Mulier vnde. Varro in γνῶθι σεαυτόν, dixit *mulierauit*, pro, effœminauit, ἐγυναίκωσε. Ergo, cùm negat Iul. Scaliger hanc vocem esse in Virgilio, capiendus est de vulgari significato, in quo nunquam est in Virgilio. Vel, facilis debet esse venia μνημονικοῦ ἁμαρτήματος: nec tanto viro insultandum fuit ob leuissimum peccatum.

12. GERYONE.] Scripsit iam Passerat. hîc legendum, *Geryona*, vt & 8. *Tergemini nece Geryonæ*, non, Geryonis. Fortasse, quia Lucretius lib. 5. *Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï.* Et Plin. lib. 4. cap. 22. *In hac Geryones habitasse à quibusdam existimatur.* Et in Epig. lib. 4. Anthol. γηρυόνη. & alibi. γηρυόνης, qui casus ab γηρυόνης. Itaque vult ille inflectendum nomen per primam Græcorum. Sed rectè tamen Germanus admonet lib. 8. Æneid. reperiri in Græcis γηρυονεύς, γηρυόνης, γηρυών. Geryona.

13. PILA.] Romanum telum, de quo abundè Lipsius.

14. DOLONES.] Dicti à dolo: sunt enim tela, quæ præferunt speciem ligni, latente intus ferro, vt eximatur cùm opus fuerit. Hesychius clarè. δόλωνες, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκεκρυμμένα: *Dolones, gladioli latentes in ligno.* Inde Plutarch. in vita Gracchor. *dolonem* interpretatur sicam latronum: ait enim ξιφίδιον λῃστρικόν, ὃ δόλωνα καλοῦσι: *gladiolum latronum, quem vocant dolonem.* Obiter explico Appianum lib. 1. Ciuil. vbi, cùm ait, quosdam venisse ad forum μετὰ κεκρυμμένων ξιφιδίων, *cum tectis gladiolis*, dolones videtur intelligere: nam sermo est Appiano de eadem re, de qua Plutarcho. Redeo. Idem genus teli, id est, latronum, indicat Sueton. in Claud. c. 13. *Reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro, præstolantes*, &c. Hoc telum esse puto, quod *subalare* vocat Cornel. Nepos in Alcibiade, cùm ait: *Ille autem sonitu flammæ excitatus, quòd gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit.* Occultè enim, & sub alis gestabatur. Est enim in Gloss. *Dolones, sica abscondita.* Nisi quis Cornelium capiat simpliciter ad eum modum, quo Tertull. de Hab. mul. *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu nouit.* Ergo ita ille *subalare*, vt hic *sub sinu.* Sed redeo. Fuit etiam dolon flagellum intra cuius virgam latebat pugio, quod Grammatici iam adnotarunt, & firmat testimonium Alfeni I.C. lib. 9. ff. tit. 2. l. 52. §. 2. vbi ait: *flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, verberare tabernarium cœperat.* vbi, cùm prius *dolor* legeretur, sensu inepto, viri docti legendum *dolon* iam censuerunt. Eodem lib. tit. 1. §. 7. ita scribit Vlpian. *Si equus dolore concitatus calce petierit.* vbi etiam legendum *dolone* iudicant Gothifred. in Notis, & Schardius in Indice. Alij demum *dolonem* explicant contum cum longo hastili, ferro breuissimo, quod tamen minùs firmari video. Certè ab natura huius teli scribit Artemid. lib. 2. cap. 14. οἱ λεγόμενοι δόλωνες δόλους, ἢ ἐνέδρας σημαίνουσι: *Qui dicuntur dolones significant dolos, & insidias.* Meminit huius teli etiam Silius lib. 3.

Dolon, vnde. Quid sit propriè. Subalare telum. Dolon de flagello.

Nec tereti dextras in pugnam armata dolone.

Angon. Hîc non omittam, putare me contrarium telum doloni esse angonem, scribente de illo sic Agathia lib. 2. τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον μέρος σιδήρῳ πάντοθεν περιείχεται, ὡς ἐλάχιστόν τι διαφαίνεσθαι τοῦ ξύλου: *Hic pleraque sui parte ferro est obductus, vt nihil fere ligni appareat.* Itaque, vt in dolone apparet lignum, ferrum, aut nihil, aut parum; ita contrà in angone, apparet ferrum, lignum, aut nihil, aut parum.

15. ET TERETI PVGNANT, &c.] Explicui integrum versum de vno tantùm instrumento. Itaque, non dicit gestari teretem mucronem, & veru: sed veru, cui teres mucro, idque per hendyadem: binæ enim orationes rem vnam efficiunt, vt, *pateris libamus & auro*, id est, aureis pateris. Et in hoc ipso tractu legis, ἓν διὰ δυοῖν.

Centum angues, cinctámque gerit serpentibus Hydram.

Vbi

Vbi sententia est, Hydram esse incinctam centum A serpentibus anguineis; vt etiam Persius Sat. 2.

An quia non fibris ouium, Ergennáque iubente?

Id est, iubente Ergenna aruspice consultis fibris ouium. Etenim si teres mucro diuersus esset à veru, oporteret indicare, quodnam genus teli: in nemine autem tale quidpiam reperi. Quæ locutio familiaris est Græcis, qui vnam tantùm orationem duplici sæpe verbo efficiunt, vt cùm ait Demosthe. orat. 1. in Aphobum. τὴν μὲν ὦ τοίνυν προῖκα τοῦτον τὸν τρόπον ἔχει λαβών: *Dotem igitur ad hunc modum acceptam tenuit.* vbi satis, aut ἔχει, aut εἴληφε. Deinde facit pro explicatione mea Polybij locus hic lib. 6. *Veruta partim crassiora sunt, partim tenuiora, ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habent diametron, quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis assimilantur.* Vides, vt duo genera verutorum constituat, & primum crassius, firmius, teres: vt iam de hoc primo loqui Poëtam existimemus. Ideo Silius lib. 3. *tereti pugnax instare veruto.* Sic enim lego in Silio ad imitationem Virgilij, non *tenui*, vt in vulgatis. Etenim *veru*, & *verutum* idem, tantùm diuersa forma, quod iam Lipsius monuit. Sed quare hæc veruta dicuntur Sabella? quia illis vsi Sabelli, aut Samnites, qui iidem cum Sabellis. Imò Samnites ipsi dicti ab hoc telo. Festus: *Samnites ab hastis appellati sunt, quas Græci σαυνία appellant, has enim ferre assueti erant.* Inde sunt, qui dicant non debere homines ipsos dici Samnites, sed Saunites. Esse autem *saunion* idem cum veruto iam astruxit idem Lips. nam vbi Liuius in classibus armandis *verutum* scribit, Dionysius σαύνιον nominat. Itaque Poëta per *veru Sabellorum* intelligit saunia Samnitum. Sed placuit Latinis veruta nominare, *quòd veluti veru habeant præfixa*, ait Festus. Nonnulla ex his, quæ dixit, astruit Plinij locus lib. 3. cap. 12. *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixère.* Strabo quoque non longè ab exitu. Σαυνίτας, οὓς οἱ Ἕλληνες Σαμνίτας λέγουσι. Cur verò ὑπερασπιστὰς appellati sint Sabelli, ibi Strabo scribit, sed multis, ideo omitto.

Veruta.

Samnites vnde dicti.

Saunion telum.

16. Ipse pedes.] Cùm tamen secum currum ostentabundus afferret. Similis planè locus Plinij Paneg. Sed de tolerantia Traiani, non vana ostentatione. Verba eius: *Per hoc omne spatium cùm legiones duceres, seu potiùs (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum vnquam, non equum respexisti. Leuis hic, non subsidium itineris, sed decus, & cum ceteris subsequebatur, vt cuius nullus tibi vsus.* Curtio etiam in apparatu Darij cunctis ad bellum numerantur lib. 3. *vehicula decem multo auro, argentóque celata.* Et infrà: *equi Regis quadringenti.* Qui sanè equi, & vehicula vacua erant sessoribus, & ad iactantiam, & tantùm ostentabunda.

Similitudo historiæ.

17. Tegmen torqvens immane leonis.] Vsitatum olim armaturæ genus ex pellibus ferarum. Tale quid Herodotus lib. 7. loquens de Æthiopibus: & Homerus lib. 3. Paridem inducit indutum pardi pelle. παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων. Et lib. 10. de Agamemnone.

Pelles ferarum pro armatura.

Ἀμφὶ δ' ἔπειτα δαφοινὸν ἑέσσατο δέρμα λέοντος

Deinde autem cruentam induit pellem leonis.

Illud de Paride etiam commeminit Philostrat. in E Heroic. Commodus apud Herodianum lib. 1. pellem leonis gestauit. Arrianus lib. 8. pastoribus Indorum attribuit hoc idem vestimenti genus. De Camil. Virg. in 11. Æneid.

Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent.

De Iasone Pindar. Od. 4. Pyth. παρδαλέα στέγετο φρίσσοντας ὄμβρους: *pellis pardi coërcebat imbres horrificos.* De Aiace Philostratus in Heroïcis. [illegible]

Cerda in Æneid. tom. 2.

τὸν λέοντι Ἡρακλῆος: *infantem adhuc fuisse inuolutum leonina Herculis pelle.* Ab eodem lib. 2. Icon. Antilochus inducitur λεοντῆν ἐνημμένος: *leonis pelle indutus.* De pube Hirpinorum Silius lib. 8. *& tergo hirsuta ferarum.* Hos omnes Græcè vocabis λεοντοχλαίνους: sic enim Herculem appellitat Poëta quispiam lib. 4. Anthol. Dion apud Euripidem in Rhes. induit circa tergum λύκειον δορὰν, *lupinam pellem.*

18. Torqvens.] Retuli ad cinctionem: verè; nam ipse in 8. Æneid. loquens de Euandro: Tortio de cinctione.

Demissa ab læua panthera terga retorquens.

Itaque idem dicit, quod Claudian. 2. in Ruff. *reuocat fuluas in pectora pelles.* Nam tortio illa nihil est aliud, quàm reuocatio ad cinctionem. Eurip. in Herc. furen.

B Ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίζας

Δεινῷ χάσματι θηρός.

Flauum caput torquens in terga

Terribili rictu feræ.

Stat. lib. 10. *Tigridis exuuias in læuum torquet.* Siluius lib. 8. hanc tortionem indicat verbo *obire*, cùm ait:

Pectora pellis obit cæsi venatibus vrsi.

Hieronym. ad Lætam verbo *voluto*; nam de quadam vestis in partem aliam reiectione; *per humeros hyacinthina læna ferè volitans* De cuius loci lectione consule Heral. lib. 7. in Arn.

19. Terribili impexvm seta.] Est hoc quod flexu alio dixit Ouid. 2. Fast. *fului setis hirsuta leonis vellera.* Et Noster in 8. Æneid. *villosi pelle leonis.* Vbi villosus leo est cum hirsutie setarum. Possis etiam per cruditatem efferre, vt infrà, *crudus pero.* Apollon. C lib. 1. tauri pellem vocat λάχνῃ μέλαν, *atram lanugine.* Pulchrè dixit Quintil. *Iudicis tristem, & impexam antiquitatem.* Impexum setis.

20. Indvtvs capiti.] Non minùs galeæ è tegminibus ferarum, quàm thoraces. Statius lib. 3. Galeæ è feris.

——— *ore ferarum*

Et rictu horrificant galeas. ———

Ait *rictu*, vertens, credo, Virgilium, qui *dentibus albis*: hi enim per rictum ferinæ pellis ostendebantur. Scriptor quidam apud Suidam loquens de Parthis, cùm præmiserit illos solitos adaptare capita ferarum pro galeis, subiicit signatè ad Virgilium, ἐχρῶντο τοῖς τῶν θηρίων χάσμασι: *vtebantur ferarum hiatibus.* Statius quoque lib. 4.

Ille Lycaoniæ rictu caput asperat vrsæ.

D Et Claudian. 1. Stilicon.

Serpentum gestant patulos pro casside rictus.

Ab Homero Iliad. 10. adhibetur galea, cui λευκοὶ ὀδόντες ἀργιόδοντος ὑός, *dentes albi suis albidentis.* Virgilius de Ornitho,

——— *caput ingens oris hiatus*

Et malæ texère lupi cum dentibus albis.

Dolon apud Euripid. in Rhes.

Λύκειον ἀμφὶ νῶτον ἅψομαι δορὰν,

Καὶ χάσμα θηρὸς ἀμφ' ἐμῷ θήσω κάρᾳ.

Lupinam circa tergum ponam pellem,

Et figuram feræ circa meum ponam caput.

Ita videlicet se armauit, vt appareret caput lupi, non hominis. Ita etiam inducitur Hercules apud Valer. lib. 8. Argonaut.

Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris

Ibat adhuc aptans humeris, capitique leonem.

Id est, leonis terga humeris, caput verò leonis suo capiti. Ita & Statius lib. 7. Theb. *galeæ vacua ora leonum.* Hercules etiam apud Eurip. armat caput δεινῷ χάσματι θηρὸς, *horribili feræ hiatu.* vbi loquitur de leone. Apud Herodotum Musa septima Æthiopes ita armantur, vt pelles frontium equinarum

prætendantur capitibus cum auribus, atque iubis, ita vt iubæ equorum sint pro cristis, & hiatus equi pro galea. Mitto quæ iam ab aliis prodita de galeis illis, quæ dictæ ἰκτιδέη, κυνέη, ταυρείη, αἰγείη, *mustellina, canina, taurina, caprina*. Quin ab hoc vsu galeam ipsã deriuant, quasi ἀπὸ τῆς γαλῆς, *à felle* aut *mustella*. Circa rem Grammaticam monearis, in Virgilio *capiti* non esse datiuum, sed verè ablatiuum: quasi dicat, *indutus capite* aut, *induitus in capite*. Veteres enim omnes ablatiuos ita finiebant. Sed de hoc iam latè in 6. Eclog. ad illud,

Capiti, pro, capite.

Serta procul capiti tantùm delapsa iacebant.

Et aliquid 2. Æneid. ad illud, *Includunt caeco lateri*.

Herculis leonina.

21. Herculeoque humeros indutus A amictu.] Nam Hercules λεοντῆν gerebat, forma alia λεοντέην. Euripides in Hercule.

Σὺ δ' ἀμφὶ θηρὸς ἀμφιβάλλεις σῷ κάρᾳ
Λέοντος, ὅσπερ αὐτὸς ἐξωπλίζετο.
Ferique pelle tu leonis induis
Caput, fuit gestamen illud Herculis.

Nota verò *humeros* dici, quasi vtrunque etiam humerum leonis pelle indutum habuisset Hercules. Sed contrà est Ouid. qui in epist. Deian.

Nempe sub his animam pestis Nemaa lacertis
Edidit, vnde humerus tegmina laeuus habet.

Pro Virgilio est Valer. lib. 8. Arg. qui de Hercule loquens, *aptans humeris, capitique leonem*. Ab hoc amictu dictus Hercules lib. 4. Epig. λεοντόχλαινος: & alibi amictus ipse Νέμειος χλαῖνα, & χλαίνωμα λέοντος.

ᵃ Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillúsque, acérque Coras, Argiua iuuentus:
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur.
ᵇ Ceu duo Nubigenæ, cùm vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Omolen, Othrynque niualem
Linquentes cursu rapido: dat euntibus ingens
Sylua locum, & magno cedunt virgulta fragore.

ARGVMENTVM.

Catillus, & Coras fratres veniunt à Tybure, comparantúrque cum Centauris.

EXPLICATIO.

ᵃ Catillus, Coras, Tybur (aut Tyburnus, aut Tyburtus) fratres in Italiam ex Græcia venerant, & Tybur condiderant, ita appellatum à Tybure maiore fratre. Ergo relicto Tybure ad vrbis nouæ custodiam, duo reliqui ad bellum venêre, & quidem primi sui agminis; nam ante primam aciem, ad ostentandam alacritatem.

ᵇ Comparantur cum Centauris, quos vocat Nubigenas, quia geniti ex Ixione, & nube in speciem Iunonis conformata. Ergo, vt Centauri à montibus, ita illi ab vrbe. Nota, repræsentari omnia ad tragicam magnitudinem: ita vt in horrorem etiamnum me adducant tam Centauri ipsi, quàm duces. Neque ego facilè queo expendere tot ἐμφάσεις.

Notæ.

1. Gemini fratres.] An quia nati vno partu, & ideo hi duo soli relicto Tybure venerunt, vt qui maiore charitate inter se, vtpote astricti eiusdem natalitij sorte? An verò gemini, id est, duo, in quo sensu frequens quoque hæc vox? vt velis. Ego in primum inclino. Aliam rationem indicat Poëta, cur duo tantùm venerint, cùm ait, *Tyburtia mœnia linquunt*, quasi aliquo dissidio distracti à fratre, nam *linquunt*, ait: sic 4. Georg. Aristæus cum querimonia, *e matre relinquo honorem*, &c. Ideo etiam *Tyburtia*, quasi dicat, non tam sua, quàm fratris, qui contemptus fratribus, à se dedit eponymiam oppido. Sed potes simpliciter capere *linquunt*, sicut Hom. 14. Iliad. ἄστυ λιπόντε: *vrbem linquentes*, videlicet Iuno, & Somnus.

Linquo in dissidio.

2. Tyburti.] Non dubito, quin legendum, ex vetustis codicib. *Tyburni*. non *Tyburti*; etiamsi Turnebus vtranque lectionem admittat. Sed certè falsus. Primò, quia in Horatij correctiss. codicib. Od. 7. lib. 1. legitur,

Lectio Virgiliana. Tyburnus.

Et praceps Anio, & Tyburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.——

Deinde, quia Statius in Syl. describens Manlij Tyburtinum, ait, *illa recubat Tyburnus in vmbra*. Tertiò, quia Plinius lib. 16. cap. 44. *Tyburno* scribit, sic enim legendum, non *Tyburto*: & Cruquius censet, & Lævinus ita vidisse in codice Plinij manuscripto testatur.

3. Dictam cognomine gentem.] Quis nescit, qui colonias deducebant, solere à se indere nomina oppidis?

4. Catillus.] Duplex dissidium in auctoribus inuenio. Primum, vter horum fratrum, an Tyburnus, an Catillus Tybur condiderit? Pro Tyburno est Virgilius, qui *Tyburtia mœnia*, &, *fratris Tyburti dictam cognomine gentem*: nam qui nomen dedit, is esse videtur conditor. Plinius clarè nominat Tyburnum conditorem oppidi. Verba postea afferam. Pro Catillo est Horatius qui Od. 18. lib. 1. vbi ait,

Tyburis cōditor quis.

Nullam Vare sacra vite priùs seueris arborem
Circa mite solum Tyburis, & mœnia Catilli.

Silius quoque lib. 8. *& Tybur Catille tuum*. Indicat Statius 1. Syluar. nam post mentionem Tyburtium adiicit, *dictúmque lyra maiore Catillum*. Sed & Solinus cap. 8. loquens de conditoribus populorum Italiæ. *Tybur, sicut Cato facit testimonium, à Catillo Arcade præfecto classis Euandri: sicut Sextius ab Argiua iuuentute.* Alterum est de natalibus horum fratrum: nam Plinius dicto loco: *Tyburtes quoque originem multo antè vrbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres, etiam Tyburno conditore eorum vetustiores, apud quas inaugura-*

Fratrum horum natalitia.

tus

tum traditur. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit. Solinus verò: *Catillus enim Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei aui iussu cum omni fetu vel sacro missus tres liberos in Italia procreauit, Tyburnum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tyburni fratris natu maximi vrbem vocauerunt.* Vide vt Solinus faciat Tyburnum nepotem Amphiarai, quem Plinius filium, & vt Plinius fileat de Catillo, cùm Solinus id nomen det & filio, & nepoti. Sed quid hæc antiquitatis dissidia? dedisse illa sit satis. Hinc apparet, cur Virg. dixerit *Argiua iuuentus*, quia hæc vrbs Græca origine. Strabo etiam lib. 5. de Tybure, & Præneste loquens. φασὶ δ' ἑλληνίδας ἀμφοτέρας: *Græcam esse vtramque referunt.*

Iouentus apta bello.

5. IVVENTVS.] Quàm sæpe hoc? Quia videlicet hæc gerendis bellis apta. Maximus dissert. 6. νεότητος μὲν γὰρ πρᾶξις, *actio iuuentutis est.* Aduocátque Homerum, νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν: *decet quodcunque iuuenam* Ita infrà Turnum comitatur *pubes*: & ad littus Hesperium *iuuenum manus emicat ardens.* Homerus 8. Iliad. νέοι μαχηταί: *iuuenes bellatores*; & millena alia. Sed & hæc virtutis ratio conuenit in primis Tyburtibus, qui habiti bellacissimi. Inde Virg. *acer Coras*: & Silius lib. 4. magno elogio de illis, *celeberrima nomina bello. Tyburtes magnos.*

Tyburtes fortissimi.

6. CEV DVO NVBIGENÆ.] Vide vt bina omnia, Catillus, & Coras: Centauri duo, montes duo, *sylua*, & virgulta. Nescio quid in his latet concinnitatis. Istæ notulæ poësin promouent. Sic pari consensione in 9. Æneid. Pandarus, & Bicias iuuenes duo comparantur cum duabus quercubus, quæ sunt in duobus fluminibus Pado, aut Athesi. Non vidit hoc Homerus meritò sugillatus ab Scaligero. Aliquando enim, cùm de vno sit sermo, adducit plura ad comparatioñé, aut contrà. Similiter in 4. Æneid. quia vnus Æneas oppugnatur ab duabus sororibus, ipse comparatur cum quercu annosa, illæ cum Alpineis Boreis. Plena tota Æneis harum concinnitatum. Ceterùm loco Virgilij simillimus Statij lib. 9. Thebaid. vbi equum Tydei ruentem ad bellum iam interfecto domino ita comparat:

Virgilij concinnitas.

> *Semifer aëria talis Centaurus ab Ossa*
> *Desilit in valles, ipsum nemora alta tremiscunt,*
> *Campus equum.* ———

Locorum similitudo.

Idem Statius lib. 4. aduentum Hippomedontis ad bellum Thebanum simili ratione illustrat,

> *Non aliter syluas humeris, & vtroque refringens*
> *Pectore, montano duplex Hylæus ab antro*
> *Præcipitat: pauet Ossa vias, pecudésque, feræq́,*
> *Procubuêre metu.* ———

7. CENTAVRI.] Misti hi ex homine, & equo. Pulchrè itaque notat Seruius hoc ipso indicari duos fratres fuisse equites, inde consentaneè postea,

> ——— *nec non celerésque Latini,*
> *Et cum fratre Coras, & Virginis ala Camillæ.*

Centaurorũ montes.

8. OMOLEN OTHRYNQVE NIVALEM.] Præclarè montes Thessaliæ coniungit: nam Thessalia olim sedes Centaurorum, sicut Ossa, Pelius, alij. Inde Homer. 1. Iliad. φηρσὶν ὀρεσκῴοισι, *feris monticolis*, id est, Centauris. Et ab Stat. dicuntur 12. Theb. *Ossæi bimembres.* Othryos meminit Ptolemæus lib. 3. τῆς δ' Ὄθρυος ὄρους, ait ille. Plinius lib. 4. cap. 8. loquens de Thessalia: *Othrys Lapitharum sedes.* Statius 1. Achil. *nubilus Othrys.* Solinus cap. 14. *Pindum, & Othryn agitent qui Lapitharum originem prosequuntur. Ossam quos Centaurorum fabulis immorari iuuat.* Legendum fortasse in Solino, *stabulis*, cum respectu ad Virgilianum, *Centauri in foribus stabulant.* Redeo. De Omole rarior mentio. Omolium in Magnesia oppidum Plinius constituit lib. 4. cap. 9. Huic voci addi, vt plurimùm, aspirationem video. De forma, qua montem vocat *niualem*, iam 4. Georg. ad illud, *Tanainque niualem.*

9. DAT EVNTIBVS INGENS SYLVA LOCVM.] Homer. lib. 14. Iliad. de Iunone, & Somno pariter euntibus, Imitatio.

> ——— ἀκροτάτη δὲ ποδῶν ὕπο σείετο ὕλη:
> ——— *summa autem à pedibus concutiebatur sylua.*

Ad verbum ὑποσείετο respexit Maro in suo fragore, sed grandiùs, vt solet. Nam quale hoc, *ingens sylua, fragore magno, cedunt virgulta*: Homerus idem 13. Iliad. de gradiente Neptuno,

> ——— τρέμε δ' οὔρεα μακρὰ, καὶ ὕλη,
> Ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος:
> ——— *tremebant montes magni, & syluæ*
> *Pedibus sub immortalibus Neptuni euntis.*

Statius 7. Theb. *Dant syluæ, nixque alta locum.* Idem lib. 1. Theb. tragicè describit iter Polynicis per mediam syluam:

Locorum similitudo.

> *Talis opaca legens nemorum Cadmeius heros*
> *Accelerat, vasto metuenda vmbone ferarum*
> *Excutiens stabula, & prono virgulta refringit*
> *Pectore.* ———

Simili ambitione in 5.

> *Dant fluuij, montésque locum, tum terra superbit*
> *Gressibus.* ———

Ab Nonno lib. 16. pari tragicorum more inducitur equus quidam fluuialis διαγλύφων ἄχρι ὕλης, videlicet in itinere, *diffringens syluam*; & hanc αἰχμῇ καρχαρόδοντι, *dentata cuspide.* A quo non abit Ouidiana poësis 8. Metamorph. vbi de apro Calydonio,

> *Sternitur incursu nemus, & propulsa fragorem*
> *Sylua dat.* ———

Apud Claud. lib. 3. Rapt. ruenti Megæræ

> *Dant tenebræ, Manesq́; locum, planitiq́; resultant*
> *Tartara ferratis.* ———

Idem de Stilic. Paneg. 1.

> *Curuatas glacie syluas vmbone ruebat.*

Et 2. Eutrop. loquens de Marte, *Subsidunt Pangæa rotis.* Sed pulchra est poësis Calabri lib. 1. de eodem Marte ruente ad bellum.

> ——— τοῦ δ' ὑπὸ ποσσὶν
> Ἄγκεα πάντη μακρὰ, καὶ ἐξ ὀρυμαγδοῖο χαράδραι,
> Καὶ ποταμοὶ, καὶ πάντες ἀπείρητοι πόδες Ἴδης.
> ——— *eius sub pedibus*
> *Conualles longæ tremuerunt, & prærupta voragines.*
> *Amnesq́, & cuncta immensaq́; radices Idæ.*

Phœbus lib. 15. Iliad. inducitur fossam, & quædam obstacula πατῶν ἤριπεν, *proruens pedibus.* A quo fortasse accepit Calab. lib. 3. nã de eodẽ Phœbo, τοῦ δ' ἐπεκίνυτο γαῖα. Verbum, *cedunt virgulta*, fortasse ex Sophocle in Antig. qui, ὅσα δένδρων ὑπείκει.

> ᵃ Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis,
> Vulcano genitum, pecora inter agrestia Regem,
> Inuentúmque focis omnis quem credidit ætas,
> Cæculus. ᵇ hunc legio latè comitatur agrestis;

Quíque altum Præneste viri, quíque arua Gabinæ
ᵈIunonis, gelidúmque Anienem, & roscida riuis
Hernica saxa colunt, quos diues Anagnia pascit,
Quos Amasene pater. ᶜ. non illis omnibus arma,
Nec clypei, currúsve sonant: pars maxima glandes
Liuentis plumbi spargit, pars spicula gestat
Bina manu, fuluósque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis, crudus tegit altera pero.

ARGVMENTVM.

Sequitur Cæculus, cuius natales describuntur, comites, & arma comitum.

EXPLICATIO.

ᵃ PERGIT ad Cæculum Prænestinæ vrbis conditorem, quem natum Vulcano omnes credunt, ducti argumento infantis inuenti inter focos. Puer sic ordinet. Non defuit Cæculus fundator vrbis Prænestinæ, quem Regem, id est, regnantem inter agrestia pecora, omnis ætas continuata ad æuum Poëtæ credidit genitum esse Vulcano, quippe inuentum in focis.

ᵇ Iam de apparatu hominum, qui illum sequebantur. Cùm ille in agris regnaret, par erat habere militem ab agris. Ergo illum comitatur legio agrestis. Mox explicans ac dilatans vnde conducta hæc agrestis legio, ait. Qui colunt arua Prænestina, & Iunonis Gabinæ: qui degunt littora Anienis, & saxa Hernicorum: qui pascuntur ad Anagniam, & fluuium Amasenum. En illa agrestis legio. Etenim, vt par est coniectare ex narratione poëtica, non tam ciues Prænestini secuti sunt Cæculum, quàm qui arua Prænestina incolebant; nam agrestis legio, & mox consequenter nominat arua Gabinæ Iunonis, Anienem, saxa Hernica.

ᶜ Tertio loco adhibet militaria instrumenta legionis huius. Non erant omnibus arma, videlicet non clypei, non currus. Itaque clypei, & currus explicant de quibus armis loquatur. Multa huiusmodi in Virgilio sunt, vbi sequentia explicant præcedens. Pergit. Pars illorum plumbeas glandes spargebat in hostes, pars gestabat manu bina spicula, loco galeæ habebant galeros ex lupina pelle, pedem vnum intectum, alterum tectum perone.

NOTÆ.

1. PRÆNESTINÆ FVNDATOR VRBIS.] Incertum hoc in auctoribus. In Solino cap. 8. ita leges: *Præneste, vt Zenodotus refert, à Præneste Vlyssis nepote, Latini filio: aut, vt Prænestini sonant libri, à Cæculo.* Non multùm abeunt verba hæc Stephani. Πραίνεστος πόλις Ἰταλίας ἀπὸ Πραινέστου τοῦ Λατίνου, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Plutarchus in Parall. cap. vltimo ex Aristocle, ita: *Telegonus Vlyssis e Circe filius missus ad indagandum patrem, monitus est, vt ibi vrbem conderet, vbi serta gerentes agricolas saltare videret. Cùmque in quendam Italiæ locum venisset, offendit colonos ramis iligneis redimitos, cho-*
A *reis vacare. Itaque vrbem ibi condidit, & ab euentu Prinistum nominauit. Romani eam vrbem voce detorta Præneste appellant.* Vocant videlicet Græci ilicem πρῖνον. Hoc de ilicibus & Seruius attigit. *Præneste locus est haud longè ab vrbe, dictus* ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, *ab ilicibus, quæ ibi abundant.* Quippe ab his ilicibus, quarum olim in pretio coronæ fuerunt, puto natum, vt hæc vrbs olim diceretur aut Stephane, vt auctor est Plinius lib. 3. cap. 5. aut Polystephanum, vt Strabo lib. 5. Verba primi: *Prænestini, vrbe quondam Stephane dicta.* Alterius. Πραίνεστον γὰρ Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Quasi dicas, multarum coronarum oppidum. Consonat, quod iam attuli ex Plutarcho de coronatis agricolis, γεωργοὺς (ait ille) ἐστεφανωμένους, καὶ χορεύοντας. & postea, ἐγχεῖνε πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους. Latina iam attuli. Ne abeat inobseruatum, Virgilium
B statim post Tybur intulisse Præneste, vtpote vrbes locoaffines, quod disces ex eodem Strabone, & Ptolemæo.

2. VVLCANO GENITVM.] Natales Cæculi fabulosi sunt. Seruius loquens de Præneste ita ait: *Ibi erant duo fratres, qui Diui appellabantur, horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius vterum percussit, inde dicitur concepisse. Postea enixa puerum iuxta templum Iouis abiecit, quem virgines aquatum euntes iuxta ignem inuentum sustulerunt, qui haud longè à fonte erat. Vnde Vulcani dictus est filius.* Breuiùs, & cum dissidio Solinus cap. 8. *Quem* (Cæculum) *iuxta ignes fortuitos inuenerunt, vt fama est, Digitiorum sorores.* Vides, non vnum; sed multa dissidia. Bene autem adnotatum à quodam est,
C vel legendum in Seruio *Digitij*, non *Diui*, idque ex Solino: vel in Solino *Diuorum*, non *Digitiorum*, idque ex Seruio. In primum inclino. Lege porrò in Seruio quæ sequuntur de ratione, qua Cæculus populis persuaserit se natum è Vulcano. Nota etiam pares natales Seruij Tulli Romanorum Regis recenseri à Plutarcho in opere de virt. & fortun. Romanorum, pares (inquam) cum his, quos de Cæculo affert Seruius, vt videatur omnino vna fabula desumpta ab altera.

3. REGEM.] Explicui, *regnantem*, quia hîc commodius: & quia 1. Æneid. *Hinc populum latè Regem*, est, latè regnantem.

4. CÆCVLVS.] Cur id nominis, ita Seruius. *Ideo, quia oculis minoribus fuit, quam rem frequêter efficit fumus.*

D 5. LEGIO AGRESTIS.] Respectum proculdubio ad natales huius vrbis. Attuli iam Plutarchi locum ex Parall.

6. ALTVM PRÆNESTE.] Ita est. Strabo lib. 5. de Tybure, & Præneste. ἀμφότεραι δὲ αἱ πόλεις αὗται, τῇ αὐτῇ προσιδρυμέναι τυγχάνουσιν ὀρεινῇ: *Istæ duæ vrbes in montana regione sitæ sunt.* Inde appatet, cur suprà Poëta loquens de Centauris dixerit, illos descendere de montis vertice linquentes Omolen, & Othryn, vt sic videlicet res meliùs quadraret cum fratribus Tyburtinis.

Præneste, vnde ita dicatur.

Cæculi natales.

Similitudo fabulæ.

Præneste altum.

burtinis, nam Tybur in alto situm. Sed redeo ad Præneste. Qui legat ibi reliqua Strabonis, videbit rectè à Poëta Præneste dici *altum*. Alio etiam loco eiusdem lib. ἐν [illegible], v. vbi nominat montes Prænestinos. Cato etiam (citante Seruio) ita ait: *Quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit.* Addit ipse Seruius: *Ergo altum, quia in montibus locatum.* Vt verò apparet ex auctoribus, hoc nomen inflexile est. Est etiam vtriusque generis; nam hîc *altum Præneste.* alibi: *Præneste sub ipsa.* Quia videlicet iam oppidum subauditur, iam vrbs: imò potiùs nullius generis. Etenim iamdiu sensi nomina propria virorum, oppidorũ, fluminũ, & similia nullius per se esse generis; nã iuxta nomẽ generale sub[illegible] ũ, mutatur genus. Sed satis de re Grammatica, ne[illegible] hoc dixissem, nisi auctorẽ habuissem Budæũ.

Præneste vnde ita dicatur.

B

G[illegible]BINÆ IVNONIS.] Apud Gabios Iuno reli[illegible] colebatur; vnde dicta est Gabina, quod [illegible] notat. Meminit huius Deæ Silius in 12.

[illegible] amœna retentant
[illegible] Iunonis tecta Gabina.

A[illegible] Lilius lib. 3. reperiri Romæ inscriptionem [illegible], pro, Gabinæ, more fortasse Græco[illegible]bus, *i*, nostrum sonat, *v*.

[illegible]LIDVMQVE ANIENEM.] Algorem capio, [illegible]mes omnium fluminum; vnde illa amœnissi[illegible] sunt, &, si omnia, Anio in primis, teste Horat. Od. 7. lib.

Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tyburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.

Plinius etiam ait, hunc fluuium efficere lacus tres *nobiles amœnitate*, lib. 3. cap. 12. Ab hoc (inquam) algore, qui comes fluminum, & vnde illa amœna, dicitur Anio *gelidus*, vt etiam 1. Eclog.

——hic inter flumina nota,
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.

Eius aquæ frigidæ. Si quis autem de mero frigore velit capere, sciat Strabonem lib. 5. ita scripsisse: ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ Ἀνίων διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρά: *In hac planicie Anio fluit, & quas nuncupant Albulas aquas frigidas*, &c. Silius quoque lib. 12. *gelidum* vocat, & dat illi aquas sulphureas. Ait enim:

Sulphureis gelidus quà serpit leniter vndis
Ad genitorem Anio labens sine murmure Tybrim.

Et Statius lib. 4. Syl. *Anienáque frigora captant.* Silius iterum lib. 1.

Ac gelidis Anio trepidabat cæruleus vndis.

Hernicorũ fertilitas. 9. ROSCIDA RIVIS HERNICA SAXA.] Ad fertilitatem respectum. Etenim Plinius agrum Hernicum cum Latino, & Labicano coniungit, qui noti feracitate, ex vbertate aquarum. Ad fertilitatem quoque respexit Silius lib. 8. eo versu:

Hernicáque impresso raduntur vomere saxa.

Ait Seru. saxa Sabinorum lingua dici Hernas, & inde nomen his locis, deducente in ea Sabino quodam duce coloniam. Strabo quidem Hernicos ponit supra montes Prænestinos, vt meritò Virgilius *saxa Hernica*. Macrob. lib. 5. cap. 18. nomen Hernicorum ducit à duce Pelasgo, qui dictus Hernicus, & in Italiam deduxit coloniam, cui nomen suum indidit, ac proinde ait, à Pelasgis oriundos Hernicos. Ex dictis illustrari potest Silius lib. 4. qui dixit;

Ratio nominis.

Quósque in pregelidis duratos Hernica riuis
Mittebant saxa, &c.——

10. DIVES ANAGNIA.] Huius vrbis hoc extat elogium in Strab. lib. 5. Ἀναγνία πόλις ἀξιόλογος, quasi hæc vrbs præstantissima fuerit, & omni commemoratio-

Anagnia cur diues.

A

ne dignissima. Hanc commemorationem Virgilius aperit vocans diuitem, credo ab fertilitate. vt (putante Seruio) fit allusio ad historiam; nam Antonius in hac vrbe iussit monetam fieri cum nomine Cleopatræ, cùm hanc duxit contempta Octauia. Sed ego de fertilitate capio ex adiuncto Amaseni irrigantis agros Anagnienses, aut (vt vocat Plinius) Anagninos. Iuuat Silius lib. 8. qui:

Queis putripinguis sulcaris Anagnia gleba.

Et lib. 12.

——frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Macrobius lib. 5. c. 18. ait, Anagniam fuisse nobilissimam Hernicorum vrbem. Incidit suspicio an legendum in Poëta *pascis*, vt fiat similis apostrophe ad vrbem, & fluuium. Lectio Virgiliana.

11. AMASENE PATER.] Huic fluuio alium cognominem habet Sicilia, dicente Ouid. 15. Metamorph. Amasenus fluuius.

Nec non Sicanias voluens Amasenus arenas.

Sed is, cuius meminit Virg. Volscorum est fluuius, & eo irrigari Anagnienses agros Seruius ait. Nunc *Abatia*, vel *Amaseno*, si Iunio credis. Sed cur pater? An quicquam notius, quàm omnes fluuios ita vocari, quia verè patres siue Nympharum, siue aquarum. Ita Tybris à Virgilio bis, aut ter. Ab eodem Inachus, vt etiã ab Ouidio. Ab Propertio Eleg. 2. lib. 1. Eueni littora dicuntur *patria*. Ab Horat. Od. 20. lib. 1. *ripa paterni fluminis*. Sed quid hoc? Notetur hîc sæpe Poëtas confugere ad fluuios ad gentes varias

C

signandas, quod ex toto hoc Maronis tractu cognoscis. Sic Horatius Od. vlt. lib. 2. *Rhodani potor*; & Sidon. epist. 8. lib. 1. *bibitor Araricus*, pro his, qui vicini Rhodano, & Arari.

12. NON ILLIS OMNIBVS ARMA.] Nescio, cur hîc Seruius vocem *arma* determinet tantùm ad scuta. Nihil nunc allucet, quo id putet. Vide, vt explicui. Scio *arma* pro scuto sumi, sed in hoc loco gratis dicitur.

13. SONANT.] Cùm sententia sit, agrestes istos non habere clypeos, non currus, placuit Poëtæ ad id significandum militare verbum: nam sonitus armorum militarium est. Tacitus de morib. Germ. *Vbi sono armorum tripudiisque, ita illis mos est, approbata sunt* Sono, militare.

D

dicta. Iulius 7. Gallic. *Conclamat omnis multitudo, & suo more armis concrepat.*

14. GLANDES LIVENTIS PLVMBI SPARGIT.] Indicat funditores, etiamsi abstineat à nomine fundarum. Clarè Propertius explicat Eleg. 3. lib. 4. Glans plumbea.

Plumbea cùm tortæ spargvntur pondera fundæ.

& dubio procul ad Virgilium allusit. Lucretius etiam lib. 6. dixit,

——plumbea verò
Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

Etenim telum, quod è funda rotabatur, erat glans plumbea. Seneca lib. 2. Nat. Quæst. c. 56. *Liquescit excussa glans funda*. Ouid. 2. Metamorph. *Balearica plumbum funda iacit.* Neque tamen semper plumbum, sed interdum lapides. Diodorus de funditoribus

E

balearibus. βάλλουσι λίθους πολὺ μείζους τῶν ἄλλων: *iaciunt lapides multo maiores, quam alij.* Imò Isidor. definiens ita ait: *Funda, quod ex ea fundantur lapides.* Lege in lib. 9. Æneid. ad illud,

Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit.——

Dictum *liuentis* ex naturali colore huius metalli, quod liuidum. Quod verò Virg. per verbum *spargit*, Statius per *pluo* lib. 8. Theb.

——stridentia funda
Saxa pluunt.——

15. SPI

15. SPICVLA BINA.] Illustro hoc alibi. Nunc satis sit audire, allusum esse ad Romanam militiam.

Galerus militaris.

16. FVLVO QVE LVPI DE PELLE GALEROS.] Galerus genus est armaturæ, loco galeæ, vt vult Varro. Putat Iunius respondere illi, quem Dionys. vocat πῖλον κωνοειδῆ, quia turbinata figura. Lazius lib. 8. cap. 14. nominat *pileos hyemales.* Puto itaque duplex esse discrimen inter galeam, & galerum. Primum, galerus acuminatior, & turbinatior galea. Alterum, galerus erat è pellibus ferarum, cùm galea, vt plurimum ex ære. Itaque, quod Herodotus ait lib. 7. Thraces gestasse cassides è pelle vulpina. Quod Strabo lib. 1 . Albanos, & Hiberos pugnare galeis ferinis; & quoscunque mihi offeras, qui multi; hos (inquā) omnes possum referre ad galeros. Notat tamen acutè Lipsius lib. 3. de Milit. Rom. velitem Romanum sæpe è lupo Romana fera, & Romuli nutrice galeas sibi adaptasse, & eò respectum hîc à Marone, vt etiam à Propert. Eleg. 11. lib. 4.

Isque è lupo Romana fera.

Et galea hirsuta compta lupina iuba.

atque à Polybio scribente, vbi ait de castrametatione, in hunc modum: *Adornatur præterea miles & simplici casside, cui lupi pellem imponunt.* Itaque non minùs auctores isti alludunt ad feram Romani Imperij, quàm Virg. lib. 1. Æneid. vbi de Romulo ait, *lupæ fuluo nutricis tegmine latus.* Sed redeo ad galeros, quos dici etiam cudones, iam alij adnotarunt, ex illo Silij, *caput his cudone ferino stat cautum.* iterum; *cudone comantes disiecit crines.* Cudonem enim rectè nominaris pileum coriaceum, siue pellitum. His omnibus directè opponuntur λυκόποδες. Sunt hi, qui habebant amictos pedes lupinis pellibus. Horum meminit Aristophan. in Lysist. vbi vide interpretem.

Cudones.

17. VESTIGIA NVDA, &c.] Placuit Poëtæ dare Italis morem pugnandi, quem sciebat esse in vsu aliis gentibus; nam de Italis, nemo, quod sciam, scripsit pugnasse pede vno tecto, altero intecto. In Vlpiano enarratore Demosthenis in 2. Olynth. reperi, fuisse genus militum, qui dicerentur πεζέταιροι, quòd alterum pedem nudum haberent in bello, παρὰ τὸ τὸ ἕτερον πόδα γυμνὸν ἔχειν. Nam videlicet Græcis πέζα est planta, ἕτερος alter. Inde ergo πεζέταιροι. Et quidem Pollux lib. 1. cap. 10. πεζέταιρους intrudit in numerum earum vocum, quibus milites efferuntur. Sed in primis Ætolos fuisse μονοκρηπῖδας, quòd ita essent bellaces, Cælius animaduertit lib. 10. cap. 11. ex interp. Pind. Verba interpretis, quæ Cælius non habet, tibi subiicio, in Pyth. ἐπεὶ δὲ Αἰτωλοὶ πάντες μονοκρηπῖδες, διὰ τὸ πολεμικώτατοι εἶναι. Sed in hac re tamen diligens fuit Macrob. lib. 5. Satur. cap. 18. qui profert testimonium Euripidis in Meleagro, vbi cùm Tragicus ore nuntij describat, quo quisque ducum habitu iuerit ad capiendum aprum, tum hæc inter alia.

Pezetæri milites.

Ætoli monocrepidæ.

—οἱ δὲ Θεστίου
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,
Τὸ δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.
———*Thestij autem*
Filij nudi erant sinistro pedis vestigio,
Altero cum calceamentis, vt celerrimum genu
Haberent, qui mos fuit vniuersis Ætolis.

Hinc ergo ait Macrobius morem ductum à Poëta, & quidem consequenter cum origine Hernicorum, qui à Pelasgis erant oriundi, vt probat Higinus. Par ergo fuit, vt Hernicis attribueret morem Græcorum, à quibus habebant generis deriuationem. Silius lib. 3. dat hunc morem pugnandi Afris profectis Carthagine; illis enim adhibet *vestigia nuda.* Lacedæmonios quidem fuisse ἀνυποδήτους, id est, *nudis pedibus.* in venationibus, quod genus militiæ est, alij iam obseruarunt. Aliquid ad hunc morem, sed tantùm aliquid, Iuuenal. Satyr. 6. *crurisque sinistri dimidium tegmen.* Sed certè ab his, quæ hîc dixi, non abludunt quæ iam attuli libro quarto Æneidos ad illud: *vnum exuta pedem vinclis.* Vide & sequentem Notam.

18. SINISTRI.] Vidisti in Eurip. λαιὸν ἴχνος ποδός: *sinistrum vestigium pedis.* Euripidis quoque Scholiastes ait Ætolos, τὸν δεξιὸν μὲν ὑποδεδέσθαι πόδα, γυμνὸν δ' ἔχειν τὸν ἀριστερόν: *dextro pede fuisse calceatos, sinistro nudos.* Sed est hîc velitatio; nam Aristoteles (citante eodem Macob.) Euripidem reprehendit, quòd in referendo more Ætolorum dixerit, sinistrum pedem fuisse illis nudum. Postquam enim Euripidis sententiam affert, ipse Aristoteles ita subiicit. Τἀναντίον ἔθος τοῖς Αἰτωλοῖς, τὸν μὲν γὰρ ἀριστερὸν ὑποδέδενται, τὸν δὲ δεξιὸν ἀνυποδετοῦσι: *contrarius mos Ætolis est, sinistrum enim pedem tegunt, dextrum intectum habent.* Ratio Aristotelis hæc est: δεῖ γὰρ, οἶμαι, τὸν ἡγούμενον ἔχειν ἐλαφρὸν, ἀλλ' οὐ τὸν ἐμμένοντα: *oportet enim, vt puto, habere celerem pedem, qui præcedit, non illum, qui tardior est.* Dicit hoc, quia incessus semper incipit à dextro pede. Euertit videlicet rationem Euripidis, qui dixerat, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ ἔχοιεν. Sed in hac lite voluit Poëta Poëtam sequi potiùs, quàm Philosophum, ait Macrob. nam ignorasse quæ Aristoteles scripsit, minimè credendum. Adducit Seruius pro Virgilio rationem hanc: *ipse* (sinister) *est in pugnantibus primus; sed bene nudus est, quia tegitur scuto, dextrum autem tectum conueniebat esse, quasi ab armis remotum.* Dicit hoc, quia in pugna sinister pes semper protenditur, atque ideo est prope scutum: dexter semper recedit. Narrationi fortasse Aristotelis hæsit Silius lib. 8. qui in catalogo militaris turbæ infert quosdam milites cum *læuo tegmine cruris*: & lib. 3. dat Macis *læuo tegmina crure.* Sed redeo ad id, quod modò dicebat Seruius de pede illo, qui primus, qui remotus in pugna, & pòtiùs discrimen ex Vegetio affero cap. 20. lib. *Sciendum præterea, cùm missilibus agitur, sinistros pedes in ante milites habere debere.* Ratio: *ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est.* Pergit: *sed cùm ad pila (vt appellant) venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in ante milites habere debent.* Ratio: *vt & latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere, & proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre.*

Pes vter nudus in bello.

19. INSTITVERE.] Apertè ex Lucret. lib. 4.

Qui capite ipse suo instituit vestigia retrò.

Bene autem aduertit Gifan. dici hoc ex disciplina gladiatorum, atque esse pugilum προβολῶν: sicuti *ponere vestigia.* Cicero enim 3. in Anton. *Ille autem ex Myrmillone dux, ex gladiatore Imperator, quas fecit strages, vbicunque posuit vestigia?* Inde de equo militari Virgilius, cùm primùm incipit ingredi gradibus compositis, *vix summa vestigia ponat arena.* Et apertè de re militari Lucretius lib. 3.

Gladiatorũ sermo.

Ponere vestigia.

Te sequor, ô Graiæ gentis decus, inq; tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis.

Ergo Virgilius in re quoque belli *instituere vestigia*, significans certam militum disciplinam, & institutionem in figendis pedibus, in regendis vestigiis. Debes hæc Gifanio: & mihi Philostratum, qui in Heroicis loquens de cursu, militari exercitatione, ait. ἴχνη μεγάλα ἐσφράγισται τοῖς δρόμοις: *magna curriculis impressa vestigia sunt.*

20. CRVDVS TEGIT ALTERA PERO.] Rusticum calceamentum è crudo corio. Pers. Sat. 5. *peronatus arator.* & Iuuenal. Sat. 14. cum respectu ad Virgilium.

Pero.

Nil

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. ———

Salisberiensis in Euthetico,

Tritategant frontem pilea, pero pedem.

Puto respondere carpatinis, aut carbatinis, ex mente aliorum: ex mea, Græcorum ἀρβύλῃ. Cur carpatinis? quia istæ è crudo & recenti corio bubulo confectæ, vt multis probat Politianus: & quidem Iunius inter voces Græcas, quæ respondent peroni, adducit καρβατίνην. Sed cur ἀρβύλη? Audi coniecturam meam, & concinnitatem Virgilij. Est ἀρβύλη rusticum calceamentum, quod apparet ex Theocrit. εἰδ.7. qui ἀρβυλίδας dat prementibus vuas in torculari: eædem autem sunt ἀρβύλαι. Versus Theocritij sunt,

——— ἤ τινος ἀστῶν
Λανὸν ἐπιθρώσκεις; ὥς τοι ποτὶ ποσσὶ νισσομένοιο
Πᾶσα λίθος πταίοισα ποτ' ἀρβυλίδεσσιν ἀείδει.
——— *aut alicuius è ciuibus*
Torcular insilis? nam te pedibus concitato
Omnes lapides offensi ad aruylas tinniunt.

Deinde cùm ἀρβύλος, aut ἄρβυλος sit scalptrum sutorium ad secanda coriacea, certum est hoc ipso notari, quod genus calceamenti ἀρβύλη sit. Pulchrè ergo Poëta peronem, id est, ἀρβύλην, induxit alludens ad Euripidem iam adductum, qui ἄναρβυλος dixerat. Quasi dicat Virgilius: Pes vnus est absque perone, id est, ἀνάρβυλος; pes alter cum perone, id est, σὺν ἀρβύλῃ. Si expendas verbum Iuuenal. qui, *alto perone*, putabis, non solùm esse genus calceamenti, sed etiã caligæ rusticæ excurrentis per suram & tibiam. Idque Lazius existimat lib. 8. cap. 15. Expleui pensum. In fine tria moneo. Primum, peronem aliquando inferri inter delicata calceamenta. Quod astruo ex Tertull. lib. de Pallio, vbi ait, *perones effœminatos.* Et de habitu muliebri ita. *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vagina sua solus gladius sub sinu nouit, & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt.* Quæ verba Plinium illustrant, & Manilium: ille enim lib. 9. cap. 35. sic scribit. *Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcem, ac per vniones etiam ambulent, satis est.* Hic lib. 5.

Perque caput ducti lapides, per colla, manúsque,
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Alterum, peronem quoque fuisse magistratuum calceamentum. Verba sunt clara Catonis lib. 7. Orig. *Qui magistratum Curulem cepisset calceos mulleos aluta-tos, ceteri perones.* Vbi sententia est, magistratus, qui dicti Curules, vsos fuisse mulleis: non Curules, peronibus. Qui sint porrò magistratus Curules, qui non; alibi à me dictum. Cur non sequar emendationem Scaligeri, qui in Varrone interserit quidpiam de venatis calceis, dicam ad Tertullianum. Tale calceamentum, id est, perones Senatoribus assignat Horat. Sat. 6. lib. 1. cùm scribit:

Nam vt quisque amens nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum dimisit pectore clauum.

Vbi per *nigras pelles* peronem æquissimè possum intelligere. Nam Sidon. carm. 7. de Gotthis loquens,

——— *nec tangere possunt*
Altatæ suram pelles, ac poplite nudo
Peronem pauper nodus suspendit equinum.

Tertium est, pendere ex dictis explicationem Sidonij epist. 20. lib. 4. vbi ait: *Regulorum autem, sociorumque comitantium forma & in pace terribilis: quorum pedes primi perone setoso talos ad vsque vinciebantur.* Vbi *pedes primi* sunt, pedes dexteri, qui tantùm peronati, non sinistri: hic enim habitus Gotthorum fuit; & *setoso* dixit, vt Virgil. *crudus.* Græcè possis peronem appellare ὠμοβόρινον, ab cruditate pellium. Demum obseruo, cùm andis in auctoribus, pedem vnum intectum in bello, alterum tectum perone: debere intelligi ita, vt intectus pes sit, intectus, & nudus perone: nam de omnimoda nuditate, & in bello, ita vt plantæ apparerent quis sanus credat? Præsertim cùm Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 11. suadens nuditatem pedum dicat: *Viro autem pulchrè conuenit nullos habere calceos, praterquàm si militet.* Sic accipias necesse est Tacitum lib. 2. Ann. vbi Germanico dat *pedes intectos.* Absit vt nuda planta Imperator incederet ad lacerationem. Ergo intecti pedes sunt cum soleis tantùm, aut sandaliis, aut crepidis: ita vt pars superior pedis nuda sit, inferior, id est, planta ipsa, tecta.

Carpatinæ. Aruylis. Pero inter delicata calceamẽta. Magistratuum calceamẽtũ. Gotthorum calceamẽtũ.

[a] At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Iampridem resides populos, desuetáque bello
Agmina in arma vocat subitò, ferrúmque retractat.
[b] Hi Fescenninas acies, æquósque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flauiniáque arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucósque Capenos.
[c] Ibant æquati numero, Regémque canebant,
[d] Ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni,
Cùm sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus.
[e] Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
Vrgeri volucrum raucarum ad littora nubem.

ARGVMENTVM.

Messapus quoque ad id bellum conspirat, in cuius agmine describendo vtitur Poëta eleganti cycnorum comparatione.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIBIT Messapi natales, conditionem, virtutem. Natales: nam Neptuni filius, & ideo

ideo domitor equorum. Commodè; equus enim inuentum est Neptuni; par ergo fuit, filium eius vim habere in perdomandis equis. Conditionem: nam neque igni, neque ferro potuit cadere; non igni, quia Neptuni filius aquarum Dei, & istæ in ignem habent virtutem: non ferro, concedente patre virtutem hanc filio, vt credi potest. Virtutem: nam populos, qui à bellis desueuerant, ad arma concitat; præit etiam exemplo, nam ferrum manu retractat, id est, sæpe versat, & gladios identidem repetit, gaudétque frequenti illorum tractatione.

b Dixerat, euocatos populos à Messapo Explicat iam, quinam hi populi; hi (inquit) qui Fescennium incolunt, Faliscos, montem Soracten, Cyminum (est hoc nomen & monti, & lacui) demum qui lucos Capenos.

c Dicit Seruius, Ennium dicere solitum, se originem duxisse à Messapo, & inde eius socios induci cantantes, & conferri cum cycnis. Cùm ait, *ibant æquati numero*, intellige militarem τάξιν, ordinem videlicet incedentium ad bellum cum modulo & rhythmo.

d Vidisti sæpe cycnos canentes in nubibus postquam alacres è pastu redeunt; tales finge Messapi acies. Expende, vti poëticè cycnorum cantum dilatet; à nubibus, in quibus insonant; à pastu, quo redeunt alacres, ac proinde dulcior erit modulatio; ab longis & inflexis collis, vnde necesse est suauior sit sonus ex fractione gutturis; demum ab amne, & toto lacu, circa quem habitant, personante. Nota etiam, vt sibi Poëta respondeat. Duo enim dixerat.

Ibant æquati numero, Regémque canebant.

In primo est ordo, in altero cantus. Ergo, quia *æquati numero*, ideo adhibet cycnos cum ordine, *cùm sese è pastu referunt*: tunc enim non rumpunt ordinem, cùm è pastu redeunt in loca, in quibus somnos capere consuescunt. Et quia *Regem canebant*, ideo, *& longa canoros dant per colla modos*, & reliqua.

e Qui audiret suauissimam agminis modulationem, qua Regem suum Messapum canebant, putaret non illas esse acies veras; sed nubem volucrum, quæ ab alto mari cum musico strepitu ad littus vsque properabant. De cycnis loquitur: non enim credendum transire ad aliud auium genus, & quia in 11. *raucos* vocat *cycnos*.

NOTÆ.

Messapi fabula.

1. MESSAPVS.] De huius natalibus, & cur putatus filius Neptuni, iam Seruius. Veritas est, fuisse Græcum natione; quod astruit Solin. lib. 8. *Liciniano placet à Messapo Græco Messapia datam originem, versam in nomen Calabriæ*, &c. Strabo lib. 9. Geograph. inter duces, qui è Græcia in Italiam venerunt, Messapum numerat, qui montem à se Messapum, & regionem Messapiam nominauit. Μεσσάπιον ὄρος (ait) ἀπὸ Μεσσάπου. & postea: Μεσσαπίαν τὴν χώραν ἐκάλεσε. Orta verò fabula est ab aduentu eius in Italiam: cùm enim vidissent Itali virum bello acrem mari aduectum cum potentissima manu, maris filium placuit vocare. Meminit & Aristoteles montis Messapi, qui est inter Pæoniam, & Mediam lib. 9. Hist. anim. cap. 45. Ex cuius verbis (vt hoc obiter dicam) allucet, cur Græcis montes dicantur ὄρη, quia videlicet ὁρίζουσι regiones vnas ab aliis. Id enim sæpissimè natura prouidit.

2. FAS.] Astruunt interpretes hunc locum Lambini merce, qui accipit fas pro δυνατὸν, vt nefas pro ἀδύνατον; vt dicat Poëta, non fuit possibile Messapum feriri. Sed, pace illorum, ad religionem confugio, quam semper notat hæc vox, vt iam Iul. Scal. monuit, & ego alicubi firmaui. Et nunc in manibus est Persius Sat. 2. vbi ait, *Compositum ius. fásque animo*. Quē in locū Casaub. *ius* refert ad officia inter homines, *fas* ad Deos, vt significetur animus comparatus ad iura omnia humana, & diuina. Ergo hîc, quia præcessit *Neptunia proles*, ideo sequitur, non fas esse illum aut igni, aut ferro sterni. Omnino hominem notat inuiolabilem. Quin, si expendantur Lambini exempla, inuenientur potiùs illa è religione procedere, quàm aliunde. — Fas signat religionem.

3. IAMPRIDEM, &c.] Habet cognationem cum hoc versu illud 1. Æneid. vbi Cupido, — Resides.

——viuo tentat præuertere amore
Iampridem resides animos, desuetáque corda.

Et illud lib. 6.

Otia qui rumpet patriæ, residésque mouebit
Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis
Agmina.——

Vt verò Virg. *resides populos* in re belli, ita Horat. Od. 3. lib. 3. *bellum resedit*. Demosthen. in Philip. de his qui otiosi ad bellum, καθημένους, id est, sedentes.

4. AGMINA IN ARMA VOCAT SVBITO.] Respexisse hîc Virgilium ad militarem euocationem, non solùm interpretes Donatus, & Seruius, sed etiā putant Briss. lib. 4. de Form. & Lipsius lib. 1. de Milit. Rom. Quod tamen vocari in dubium potest. Itaque in Virgilio subitaria est militia, non euocatio. Liuius lib. 3. *Hernici & colonia Antium dare Quinctio subitarios milites, ita tum repentina auxilia vocabant, iussi.* Quid quòd Virgilij militia tota est cum tumultu, ac proinde subitaria? idem Liuius: *Senatum censere subitarios milites tumultus causâ conscriptos, primo quoque tempore dimitti.* Pro illis tamen est, tum *vocat*: tum dici ea agmina *desueta bello*, quod proprium fuit Euocatorum, quod ex Dione apparet lib. 45. dicti enim sic, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας ἐπ' αὐτὴν αὖθις ἀνεκλήθησαν, *quòd defuncti militia iterum ad eam reuocentur.* Sed primum languidum est, cùm enim vox signata sit *euoco*, sciret profectò Poëta rem ita disponere, vt signatum verbum poneret. Alterum æquè est languidum, nam euocatio nunquam legitur in subitario bello, quale exhibet Virgilius, neque in multis exemplis à Lipsio congestis tale quid inuenias. Neque verò scio, cur statim dici debeat bellum Euocatorum, quod fit à desuetis, cùm multa alia desiderentur. — Subitaria militia. — Euocati milites.

5. FERRVMQVE RETRACTAT.] Vide, vt explicui. Sed possis aliter ex Silio lib. 4. vbi loquens de apparatu Italiæ contra Annibalem, ait: — Retractare ferrum quid.

——subuectant saxa, cauásque
Retractant turres, edit quas longior ætas.

Id est, renouant. Ergo *retractat ferrum*, id est, acuit, renouat, redditque splendidius.

6. FESCENNINAS.] Pulchrè milites cantantes exhibiturus è Fescennio aduocat, vbi carmina nuptialia inuenta, ac proinde ioci, cantiones, & omnis παρῳδία ἀπαιδής. Hoc oppidum ab Argiuis ducit Solinus cap. 8. & *Fescennium* nominat. Mirum, cùm Plinius cap. 5. lib. 3. *Fescenniam* dicat: & huic simia illa hærere soleat. Est & discrimen alterum: nam Fescennium Plinius Etruriæ, Seruius Campaniæ attribuit. Sed correctior Seruius Danielis adimit hoc, quod pertinet ad Campaniam. — Fescennia.

7. ÆQVOSQVE FALISCOS.] Refert Seruius attributum ad iustitiam Faliscorum, à quibus Romanus Pop. petiit iura fecilia, & supplementa duodecim — Falisci æqui.

A cum tabularum, quas Falisci ipsi ab Atheniensibus habuerant. Silius quoque lib. 8. *æquique Falisci.* Qui velit, referat ad sanctitatem, qua celebrati Falisci, ita vt *æquos*, sit, sanctos, ex noto miraculo, quo per ardentes prunas illæsi incedebant; de qua re dicam in 11. vbi luculentus Poëtæ locus. Horum conditorem facit Seru. Halesum, à quo dicti Falisci, sicut quæ nunc *febris*, olim ebris; quæ nunc *Formia*, olim *Hormia*.

Arx, pro monte. 8. SORACTIS ARCES.] De hoc in 11. Posuit *arces*, pro montes. Sic de Romanis montibus:

Septémque vna sibi muro circumdedit arces.

Et 4. Georg. *flerunt Rhodopeia arces.*

Flauinium. 9. FLAVINIA.] Locum in Italia Flauinium Seruius agnoscit. Vide Iunium lib. 3. Animad. cap. 15. vbi ex hoc Virgilij loco corrigit verba Ammiani legens *Flauinium*, pro, *Succubinum*.

10. CYMINI CVM MONTE LACVM.] Montem prope Viterbum constituit Abrahamus, lacum apud Volsinios Erythræus ex Strabone. Huius lacus fabulosam originem habes in Seruio, lege illum, & Cyminum, vnde. adiice, ex ea fabula dici Cyminum ab vndis, sicut Cumas à fluctibus, quasi Cymas, ἀπὸ τῶν κυμάτων. Silius:

——Sabatia quíque
Stagna tenent, Ciminique lacum.——

Capena porta. 11. LVCOSQVE CAPENOS.] Ab his dicta Capena porta, quæ postea Appia, & nunc sancti Sebastiani. *Primum* scribit Seruius, alterum Frontinus de Aquæductibus, tertium Marlianus.

Imitatio. 12. IBANT ÆQVATI NVMERO.] Totus hic locus adumbrat Homericum hunc 2. Iliad.

Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσι,
Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.

Horum autem sicut auium volatilium gentes multa,
Anserum, vel gruum, vel cygnorum longum collum habentium,
Asio in prato, Caystri circa fluenta,
Huc, & illuc volant gaudentes alis
Resonanter sedentium, resonat autem & pratum.

Dat Scal. vt solet, victoriam Latino, tametsi Græca plena nectaris fateatur. Ego omissa censura (neque enim semper ad κρίσιν vsque) tantùm indico imitationē, vt tu scias Græca cum virtute æmulari. Omi-
D sit Virgilius χηνῶν, καὶ γεράνων, qui ad rem non suam,

Virgilius comparatur cum Homero. assumpsit tātùm *cygnos*. De quibus illud δουλιχοδείρων, mirè circumflexit illis, *& longa canoros dant per colla modos*. Spreuit τὸ προκαθιζόντων, quia in agmine eunte ad bellum hoc non necessarium, vt neque in ipso Homero: nam ipse quoque expeditionem describit. Illud, σμαραγεῖ δὲ λειμών, expoliuit istis, *sonat amnis & Asia longè pulsa palus*. Adde concinnitatem sententiæ, qua Græcus caret, & quam iam expendi in Explicatione. Rectè itaque quadrat Virgilio illud Demosthen. 4. Philip. ἀλλὰ πάντων πανταχοῦ κρατοῦμεν, καὶ νικῶμεν τῷ λέγειν: *Sed omnes vbique superamus, & vincimus oratione*. Apollonius ex eodem Homeri fon-
E te ita lib. 4.

Ἠὲ καλὰ νάοντος ἐπ' ὀφρύσι Πακτωλοῖο
Κύκνοι κινήσωσιν ἑὸν μέλος, ἀμφὶ δὲ λειμών
Ἑρσήεις βρέμεται, ποταμοῖό τε καλὰ ῥέεθρα:

Aut quando pulchrè fluentis ad littora Pactoli
Cycni modulati fuerint, circúmque pratum
Rorulentum resonat, fluuij circa fluenta.

Silius lib. 3. incessum hunc militarem, & ad numeros ita complexus est loquens de Hispanis.

——misit dites Gallæcia pubem,
Barbara nunc patriis modulantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra
Ad numeros resonas gaudentem plaudere cetras. Numeri militares.

Non absimilia lib. 8. vbi de militari turba,

Ibant, & lati pars Sanctum voce canebant,
Auctorem gentis, &c.——

Pari Musa Statius lib. 7. Theb. in simili delectu. Versus sunt:

——túque ô Permesse canoris,
Et felix Olmia vadis, armatis alumnos,
Bellorum resides: patriis concentibus audit
Exultare gregem; quales cùm pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt strymona cycni.

Adlubescit etiam locus Claudiani in 6. Cons. Hon.
B vbi de simili belligerorum tripudio:

In latus illisis clypeis, aut rursus in altum
Vibratis, graue parma sonat, mucronis acutum
Murmur, & vmbonum pulsu modulante resultans,
Ferreus alterno concentus clauditur ense.

Vt verò apparet ex adducto Silij testimonio, atque Hispanorū. ex hoc eiusdem lib. 10.

——ac ritu iam moris Iberi
Carmina pulsata fundentem barbara cetra;

videtur consuetudo hæc vsurpata fuisse in bellis antiquissimæ genti Hispanorum. Liuius lib. 38. Gallis Gallorum, dat hos in bello concentus: *Cantus incuntium prælium, & vlulatus, & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus.* Tacitus 4. Thracum, Ann. Thracibus, de quibus: *Ante vallum more gentis cum carminibus & tripudiis præsidtabant.* Non omit-
C tam similes musicos concentus vsurpatos Spartanis, Spartanorū. quod satis indicat Auctor ἄδηλος Paneg. Constantini, cuius verba hæc sunt: *Etenim si in rebus bellicis, ipsisque præliis non solum tuba ac litui, sed etiam Spartana tibia incentiuum aliquod feruntur habuisse, credo, quia magnos animos paruo licèt modulo, sufficit incitari.* Etenim cùm tubam nominet, ducit me vt intelligam concinnam aliquam saltationem, cùm præsertim Lacedæmoniorum pyrrhica celebretur scriptoribus. Illustro obiter hunc scriptorem ab Thucydide lib. 5. ab quo Lacedæmonij inducuntur in bello ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες; *æquabiliter ad numerum incedentes*; idque ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεστώτων, *ad cantum multorum tibicinum, qui ex lege erant interpositi.* Plutarchus etiam lib. de Musica ait, Lacedæmonios in bello mouisse se ad cantum tibiæ: ait enim αὐλητικὸν μέλος. Redeo. Ibidem ait Plutar. de Cretensib. πρὸς Cretēnsium, λύραν ἐκείνων τὴν πρόσοδον τὴν πρὸς τοὺς ἐναντίους: *Incedebant aduersùm hostes ad lyræ modulos.* Tripudij genus quoddam dat suis militibus Apollon. lib. 1. Arg.

Σκαίροντες βητάρμον ἐνόπλιον ὠρχήσαντο:
Tripudiantes saltarunt armatum Betarmon.

Cimbri inducuntur à Plutar. in Mario κρούοντες ῥυθμῷ Cimbrorū, τὰ ὅπλα, *pulsantes arma ad numerum.* Idem in Pompeio ait, Cæsaris milites iuisse in Pompeium in chori modum, ὥσπερ χορός. Nonnus quoque lib. 29. memi- Indorum. nit σακεσπάλου χορείης *scutiferæ choreæ*, quæ fiebat hunc in modum,

Φάσγανα τυπτομένων ἐπέκτυπε γυμνὰ βοείαις:
E *Enses nudi resonabant in scutis pulsatis.*

Eadem tripudia in eodem agnosco lib. 39. nam ibi in bello non solùm adhibetur tuba; sed etiam αὐλοί, & σύριγξ, *tibia, & fistula.* Et lib. 9. vbi ait, pulsata scuta alternis ictibus. ἀμοιβαίοις μετὰ τὰς ἀσπίδας ἐκρότησε. Cedrenus quoque de bello loquens, κρότοις, ἀλαλαγμοῖς, κινύραις, τερετισμοῖς, καὶ σαλπίγγων φωναῖς.

13. NVMERO.] Explico, *in numerum*, aut *nume-* Numero. *rose*: signatur enim complosio aliqua pedum milita- ris,

ris, quæ fiebat præeunte cantu. Itaque ad cantum A ipsum pedes numerosè mouebantur. Vt quæ hîc dixi intelligas, & Poëtam explices, lege quæ iam ego Eclog. 6. ad illud:

Tum verò in numerum Faunósque, ferásque videres.

Ergo ait Poëta, ibant quodam pedum numero, vel numerosè incedebant, vel mouebantur ad numeros. Nam numeri motum corporis, vt plurimùm, dicunt. Cic. 3. paradox. *histrio si paulò se mouerit extra numerum.*

14. REGEMQVE CANEBANT.] Dixi iam ex Seruio alludi ad Ennium. Firmat hoc Silius lib. 12. vbi,

Ennius ab Messapo. *Ennius antiqua Messapi ab origine Regis.*

Ergo habita Vatis huius ratione, qui ducebat genus B ab Messapo, inducuntur huius milites cum cantu. Voluit quippe Virg. gratificari Ennio, quæ ab illo acceperat.

15. LIQVIDA INTER NVBILA.] Seruius aërem accipit; nam nubila non sunt pura ac liquida. Ego propriè acciperem, & *liquida* explicarem, *aquea*. Sed hoc leuiculum.

Caystrius amnis. 16. SONAT AMNIS, ET ASIA PALVS.] Hic amnis est Caystrius, in quo cycnorum copia. Ouid. 5. Trist. Eleg. 1. dixit *Caystrium ales*, pro cycno: & 2. Metamorph.

Et quæ Mæonias celebrabant carmine ripas
Fluminea volucres medio caluêre Caystro.

Inde Ioannes Mena, qui primus Musas ex Helicone ad Hispanos attulit tum rudes, vt occupatos in distinguendis gladiis, & bellorum discursibus aduersùs Mauros, cycnos vt nominet, *Caystros* dicit. Homerus etiam in versibus, quos iam attuli, cycnos constituit ad Caystri fluenta. Philostratus quoque lib. 1. loquens de cycnis. **Cycni ad Caystrum.** Καΰστρῳ ταῦτα καὶ Ἴστρῳ ᾄδονται: *Caystro hæc, atque Istro accinem.* Demum in genere cycni aquis delectantur. Vnde Achilles Alexandrin. lib. 1. cùm psittacum inducat pendentem ex arbore, pauonem explicantem alas inter flores; cycno dat, tanquam proprium locum, fontis exortum. Sed quæ *palus Asia?* Aliqui capiunt verè Asiam, tertiam orbis partem, in qua sunt flumina paludinosa. Idque ego indicaui lib. 1. Georg. ad illud,

Iam varias pelagi volucres, & quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.

Alij accipiunt paludem quampiam, quæ est in Mysia prope Caystrum. Indicat hoc Homerus 2. Iliad. vetsu illo,

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα:
Asio in prato circa Caystri fluenta.

Caystrus paludinosus. Ego duo puto; primum, paludem hanc nullam esse aliam, quàm ipsum amnem Caystrum, ita vt sit in Poëta ἓν διὰ δυοῖν: nam amnis ille totus paludinosus, vt sententia sit; sonat amnis, & paludes quæ in eo sunt, id est, sonat amnis paludinosus. Sic in 6.

Cocyti stagna alta vides, Stygiámque paludem,

id est, stagna Cocyti paludinosi. Iuuat Philostratus, qui lib. 1. Imagin. describit cantum cycnorum in flumine, in quo sit palus, imò ipsum ait flumen egredi è palude. ἰδοὺ καὶ ποταμὸς ὑπεξέρχεται τοῦ ἕλους. Alterum A est, *prata Asia* lib. 1. Georg. aut *campum Asium*, esse totum illum tractum, vbi sunt Mysia, Phrygia, & finitimæ aliæ prouinciæ. **Asia prata quæ.** Aduoco testem Agathiam lib. 2. Hist. αἱ γὰρ Τράλλεις ἡ πόλις ἡ ἐν τῇ νῦν Ἀσίᾳ καλουμένῃ χώρᾳ, ἀγχοῦ τοῦ Μαιάνδρου ποταμοῦ ἱδρυμένη, τὸ μὲν παλαιὸν Πελασγῶν γέγονεν ἀποικία: *Tralles vrbs sita est in campo nunc dicto Asio, iuxta Mæandrum fluuium, quæ olim Pelasgorum colonia fuit.* Est autem Mæandrus in Phrygia, quæ vicina Mysiæ: nec potes commodè in Agathia recurrere ad Asiam tertiã orbis partem. Nam ea loquendi ratio signat quid peculiarius. Ergo Virgilij plana sententia est. Sonat amnis Caystrus paludinosus, qui fluit per tractum, aut campum Asium. Et lib. 1. Georg. eadem ratione explicandus Poëta, quasi dicat: Volucres, quæ rimantur Caystri prata paludinosa, & stagnantia, quæ prata sunt in tractu Asio. B

17. PVLSA PALVS.] Ita Propert. Eleg. 16. lib. 2. *Lerna pulsa repentè palus.* Et Tibull. emendante Scaligero: **Pulso, de aquis.**

Exiguus pulsa per vada linter aqua.

18. MISCERI.] Silius lib. 12. *Miscebat primas acies.*

19. GVRGITE AB ALTO VRGERI NVBEM.] Eodem planè sensu 1. Georg.

——*vrget ab alto*
Notus.——

20. VOLVCRVM RAVCARVM.] Non placet Seru. Dicuntur cycni rauci, quia nihil tenue, aut argutum, sed raucum quid insonant. Sed nec fortasse tale quidpiam. nihil enim canunt, neque in morte: C Sed Poëta sequitur opinionem ita existimantium. Dixi iam in Eclogis cantum illorum referendum ad complosionem alarum, idque ex Nazianzeno, & Dione Chrysostomo. **Cycnorum cantus quis.** Adiicio nunc Philostratum vtrique assentientem lib. 1. Icon. vbi ait, pictum Zephyrum venusti adolescentis forma, qui flatum mitteret in cycnos; & addit. καὶ αἱ πτέρυγες ἥπλωνται τοῖς κύκνοις πρὸς τὸ πλήττεσθαι ὑπὸ τοῦ ἀνέμου: *Cycnis extensæ sunt alæ, vt vento feriantur.* Et loco alio eiusdem libri, vbi sermo est de Phaëtonte, loquens etiam de cycnis ait. Ζεφύρῳ δὲ χρῶνται πρὸς τὴν ᾠδὴν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ: *vtentur ad cantum Zephyro leui, atque ad iter congruo.* Eiusdem est opinionis Phile in Iambis suis, ita scribens de cycnis.

Ἀνίσταται γὰρ τῶν πτερῶν ἡ πυκνότης,
Νευρῶν δίκην γ' εὔτεχνον ἡρμοσμένων,
Καὶ πλῆκτρον εὐθὺς ὁ Ζέφυρος δείκνυται. D
Erecta sursum namque pennarum seges,
Attemperatos callidè neruos refert,
Quos Zephyrus impellens velut plectrum ferit.

Hæc ille; tametsi addat statim, illos quoque armoniam ciere τραχήλου βαρβίτῳ, *colli barbito.* Ita quippe ille barbiton colli, vt Virg. *dant per colla modos.* Callimachum ad alas refero, cùm ait hym. Apollin. ὁ δὲ κύκνος ἐν ἠέρι καλὸν ἀείδει: *Cycnus modulatur dulciter in aëre.* **Cicadarum cantus.** Simile proditur de cicadis: tantùm enim alas commouent, cùm edunt argutulum illum strepitum. Sic lib. 3. Epigram. cicada ipsa loquens, λιγυρὰν μοῦσαν ἵειν ἀπὸ πτερύγων: *immittebam ab alis dulcem cantilenam.*

[a] Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magníque ipse agminis instar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
[b] Vnà ingens Amiterna cohors, priscíque Quirites,

Ereti manus omnis,oliuiferæq́; Mutuſcæ:
Qui Nomentum vrbem,qui roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentes rupes,montémque Seuerum,
Caſperiámque colunt,Foruloſque,& flumen Himellæ:
Qui Tybrim,Fabarímque bibunt:quos frigida miſit
Nurſia,& Hortinæ claſſes populíque Latini:
Quóſque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.
ᶜ Quàm multi Libyco voluuntur marmore fluctus,
Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis:
Vel cùm Sole nouo denſæ torrentur ariſtæ,
Aut Hermi campo,aut Lyciæ flauentibus aruis.
Scuta ſonant, pulſúque pedum tremit excita tellus.

ARGVMENTVM.

Pergitᵃ ad Clauſum,& eius comites ac numeroſam multitudinem, quam comparat cum fluctibus maris,cum ariſtis terræ.

EXPLICATIO.

ᵃ EXPLICATIONEM hanc Seruius ſuppeditat. Clauſus Sabinorum dux Romam venit poſt exactos Reges cum quinque millibus clientum, atque amicorum: ſuſceptus à Romanis accepit partem vrbis habitandam, ex quo Claudia & tribus & gens nominata. Illud verò *poſtquam in partem data Roma Sabinis*,tractum eſt ex alia hiſtoria; nam poſt raptum Sabinarum, ictúmque fœdus inter Romulum,& Tacitũ, recepti in vrbem Sabini ſunt. Ergo Virgilius,vt Poëtam decet,rem tractat,& ex duabus hiſtoriis vnam conficit. Ait *priſco ſanguine*,ad ſignandam hominis nobilitatem, *magnum agmen*, propter illa quinque millia hominum, *inſtar magni agminis*,vt ſignificet Clauſi vel animi pretium, vel corporis magnitudinem.

ᵇ Coniungit tanto agmini, & tanto duci congruum comitatum, idque per verſus octo. De quibus hîc nihil; nam ſi quid dignum animaduerſione,in Notis.

ᶜ DVPLICI comparatione illuſtrat multitudinem aduentantium cum Clauſo, & fluctuum, qui excitari in Libya ſolent cadente Orione hyberno tempore: & ariſtarum, quæ multæ ſunt in fertiliſſimis campis Hermi fluminis, & Lyciæ: inde ſequitur,eam fuiſſe copiam militum, vt ad ſonitum ſcutorum,ad pedum pulſum tellus ipſa tremiſceret. Vocat *nouum Solem*, æſtatem aduentantem.

NOTÆ.

1. ECCE SABINORVM.] Cum hiſtoria,quam attuli in Explicatione, conſonant Liuiana hæc lib. 1. vbi Publius Decius ita loquitur cum Appio Claudio: *Sabinum aduenam principem nobilitatis veſtræ ſeu Ap.Clauſum, ſeu Appium Claudium mauultis, illi antiqui patricij in ſuum numerum acceperunt.* Nihil clarius ad illuſtrationem Poëtæ,qui à Clauſo nominat Claudiã gentem. Audi eundem lib. 4. *Claudiam certè gentem poſt Reges exactos ex Sabinis non in ciuitatem modo acce-* (Claudij à Clauſo.)

A *pimus,ſed etiam in patriciorum numerum.* Ratio huius mutationis hæc eſt. Qui Romam commigrabant aliunde,vt Romanis gratiores eſſent,ac proinde iura ciuitatis conſequerentur, aptabant ſua nomina ad formam nominum, quæ erant in vrbe, facta aliqua litterarũ mutatione. Inde Lucumo ille Demarati filius,qui Romam cum Tarquiniis venit,comparato ibi domicilio, dictus eſt Lucius Tarquinius,non Lucumo. Sic Appius Clauſus, vel potiùs Atta Clauſus, mutatus eſt in Appium Claudium: & mox procedente tempore iidem Claudij dicti quoque ſunt Clodij, quod ait Suetonius,verba poſtea afferam. Dixi Appium Clauſum dicendum Attam; nam ita nominat illum Tacit.lib.12.Annal.& Liuius lib.2.clarè: *Atta Clauſus,cui poſtea Appio Clau-* B *dio Romæ nomen fuit.* Quin in Vaticano reperiri codice Attum, ſiue Attium, iam Lipſius monuit. Credibile itaque in primo loco Liuij, quem attuli,legendum eſſe At.non Ap.Porrò ad veſtigia Virgilij, & ab hoc filo hiſtoriarum Silius lib.17. (Romanorũ mos in mutandis nominibus. — Lucumo. — Clodij vnde. — Atta Clauſus.)

Hic priſca ducens Clauſorum ab origine nomen
Claudia. ———

Et Ouid.in Faſt.

Claudia Quincta genus Clauſo referebat ab alto.

2. PRISCO DE SANGVINE.] Strabo lib. 5. ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες: *Sabini autem gens eſt antiquiſſima,& aborigines.* Plutarchus colonos facit Lacedæmoniorum, & huc refert Sabinorum virtutem. Verba eius. Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν, καὶ C πολεμικοὶ, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκον αὐτοῖς μέγα φρονεῖν, καὶ μὴ φοβεῖσθαι Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσι: *Sabini gens magna, & bello boni,vicos incolebant ſine mœnibus,habebant ingentes animos, vt qui coloni Lacedæmoniorum.* Cur ergo antiquitas Virgiliana non referatur ad hanc originem? (Sabini antiquiſſimi.)

3. CLAVDIA.] Cùm extet in Vate grande hoc Claudiorum elogium in gratiam ſuorum Principum, placitum audias aliquot eiuſdem gentis elogia.Sueton. in Tiber. cap. 2. *Nouiſſimum eſt Claudios omnes,excepto dumtaxat P.Clodio, optimates, aſſertoréſque vnicos dignitatis ac potentiæ patriciorum ſemper fuiſſe.*Apud Liuium lib.6. Appius Claudius audit, *Claudiæ genti iam inde ab initio nil antiquius in Rep. patrum maieſtate* D *fuiſſe*, quod ipſe poſtea Appius firmat. Rarum eſt illud quod Tacit.lib.12.Annal. ſcribit, vbi ſermo eſt de adoptato Domitio: *Adnotabant periti, nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eóſque ab Atta Clauſo continuos durauiſſe.* Æſtimetur interuallum Conſulum,& hoc eſſe rarum apparebit. Ab hac fortaſſe ſobolis vbertate Poëta ſignatè poſtea, *diffundi-* (Claudiorũ elogia.)

tur. Idem Tacit. 4. Ann. *Sanctos, acceptósque Numinibus Claudios.*

4. Diffvnditvr.] Hoc per verbum ἀνάγω Philostrat. loquens de Euodiano, γίνεται ἐς Νικάτλω αἰτίῃ εν.

Tribus Claudia.

5. Tribvs.] Claudiæ tribus magna est mentio in Romanis scriptoribus, & lapidibus. Numeratur quarta ordine.

Romæ pars Sabinis data.

6. Postqvam in partem data Roma sabinis.] Latè hoc scriptores Romani, sed omnium distinctissimè ita Plutarchus in Romulo. ἐκεῖν ἢ κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίοις, καὶ Σαβίνοις, καὶ καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἐπὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν, Κυρίτας ἢ Ῥωμαίους ἅπαντας ἐπὶ τῇ Τατίου πατρίδι, βασιλεύειν ἢ κοινῇ, καὶ στρατηγεῖν ἀμφοτέρους: *Communem haberet Romani, & Sabini vrbem, Roma vrbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Tatij patria vocaremur, vterque imperaret vt Rex, vterque bellum gereret vt dux.* En pars illa Sabinis data. Id etiam, quod postea sequitur, ad idem pertinet, vt Tatius ad ædem Monetæ haberet Regiam, Romulus ad Palatium.

7. Amiterna cohors, prisciqve qvirites.] Plinius cap. 12. lib. 3. eodem ordine, quo hîc Poëta, *Sabinorum, Amiternini, Curenses.* Itaque principe loco post Sabinos constituit Amiterninos, & deinde Curenses. Atque adeò *prisci Quirites* Virgilij, sunt *Curenses* Plinij. Nam Quirites à Curibus, auctore Plutarcho, & omnibus. Cur verò Curenses vocat priscos Quirites, rationem suppeditat Strabo lib. 5. *Curis, vrbs quondam insignis, nunc autem viculus, è qua exciti sunt T. Tatius, & Numa Pompilius, qui Romæ regnarunt.* Ergo, prisci Quirites, non sunt Romani, sed Curenses, qui ante Romanos, imò à quibus Romani ipsi.

Quirites prisci, qui.

8. Ereti manvs omnis.] Dictum hoc oppidùm ἀπὸ τῆς Ἥρας, *à Iunone,* quæ ibi culta, Seruius scribit. Et Solinus cap. 8. *Heretum à Græcis in honorem Heræ. Sic enim Græci Iunonem vocant.* Strabo in Sabinis constituit: verba eius. ἠρητον ἢ Σαβινικὴ κώμη. Nunc vicus paruus. Græci iam Ἤρετον, iam Ἠρητον. Vicum hunc celebrem fuisse figlinis iam alij scripserunt; inde *Eretinas mentes,* pro stupidas, quasi argillaceas, & cretaceas, dictas Fulgentius obseruauit ex vetere scriptore, & ab illo Turneb. cap. 10. lib. 26. Verba antiqui scriptoris sunt: *Auerruncassit Diua tam Eretinas hominum mentes.* Hanc Diuam, Iunonem possum explicare, ex dictis initio huius Notæ. Simile apud Strabonem lib. 2. σκαπτεύς ἀνήρ: nam fossor quoque pro stupido, vt & argillaceus. Sic Pers. Sat. 5. *nec cum sis cetera fossor,* id est, stultus: quasi huiuscemodi operarij totius sint eruditionis expertes. Sunt, qui versum Persij ad finem Sat. 1. de Ereto capiant,

Heretum vnde.

Eretinæ mentes.

Fossor de stupido.

> *Fregerit heminas Ereti Ædilis iniquas.*

Alij *Areti* legunt.

Mutuscæ vbi.

9. Oliviferæqve mvtvscæ.] Sunt Mutuscæ inter Sabinos, vt clare Plinius lib. 3. cap. 12. & Ortellius in Indice, & alij. De toto autem Sabinorum tractu ita Strabo lib. 5. ἅπασα δ᾽ αὐτῶν ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι καὶ ἀμπελόφυτος: *ager illorum egregiè olineus, & vineis consitus est.* Sed signatè de Mutuscarum voluptatibus, deliciis, blandimentis extat Epigramma Martialis lib. 5.

> *Humida qua gelidas submittit Trebula valles,*
> *Et viridis cancri mensibus alget ager,*
> *Rura Cleonæo nunquam temerata leone,*
> *Et domus Æolio semper amica Noto,*
> *Te Faustine vocant, longas hic exige messes*
> *Collibus, hybernum iam tibi Tybur erit.*

Trebula.

Est videlicet Trebula eadem cum Mutuscis, tantùm diuersum nomen. Plinius lib. 3. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi.* Errat verò insigniter καὶ ἀνιστως Seruius, cùm scribit, hanc Trebulam Mutuscæam esse eam, quæ postea dicta Trebia, vbi Annibal Romanos deleuit. Etenim Trebia exitialis Romanis in agro Placentino fuit longè à Sabinis, & horum Trebula. Sunt qui nominent Mutuscas, & Mutustas. Nunc dici Treuium animaduertit Barbarus in Castig. Plinianis. Sunt qui Mutuescas, & Mutuescanos nominent ex lapidibus.

Nomentū.

10. Nomentvm.] Numerantur etiam Nomentani à Plinio inter Sabinos dicto loco. Imò ait Strabo lib. 5. agrum Sabinum esse, qui à Tyberi vsque Nomentum protenditur. Ab hoc Nomentana via, qua scilicet Nomentum itur.

Velini. Roseus ager.

11. Qvi rosea rvra velini.] Velinus lacus, vnde dicti Velini, situs est iuxta Reate in agro Roseo (Seruius Rosulanum vocat) hinc Poëta coniungit *Rosea rura Velini.* Plinius cap. 4. lib. 17. ita scribit: *Cæsar Vopiscus, cùm causam apud Censores ageret, campos Roseæ dixit Italiæ summum esse. in quibus perticas pridie relictas gramen operiret.* Est autem lacus Velinus, & campi Rosei, in agro Sabino, vt videas Poëtam nunquam degenerare; omnes enim Clausi Sabini comites ex agro Sabino elicit. Plinius clarè lib. 3. c. 12. *Sabini, vt quidam existimauêre, à religione & Deorum cultu Seuini appellati, Velinos accolunt lacus Roseis campis.* Sic enim legendus locus Plinij admodùm deformatus. Meminêre præterea lacus Velini Columella lib. 8. cap. 16. & Tacitus lib. 1. Annal. Prior persequens lacus piscatu nobiles; posterior loquens de conatu Tiberij volentis auertere flumina & lacus, per quos augescit Tybetis.

Tetrica.

12. Tetricæ horrentes rvpes.] Montem hunc Sabinorum & horrore nubium, & rupium asperitate deformem esse, & inde homines dici tetricos, partim Seruius, partim alij adnotarunt. Inde est, vt multi in Persio Sat. 6. legant

> *Iamne lyra, & Tetrico viuunt tibi pectine chordæ?*

non *tetrico,* vt in vulgatis. Silius lib. 8. *& à Tetrica comitantur rupe cohortes.*

Seuerus mons.

13. Montemqve severvm.] Adiectiuum agnoscit Marcellus cum respectu ad rupes montis Tetrici. Sed Seruius, & Erythræus nomen proprium montis, & Erythræus adhuc in Sabinis. Et quidem nomina tam montis Tetrici, quàm Seueri, qui duo siti in Sabinis, nescio quî congruunt cum ipsis Sabinorum moribus. De quibus ita Liuius loquens de Numa: *Suopte ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis, instructùmque non tam peregrinis artibus, quàm disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* Quin Passeratius ait, Furias dictas à Propertio Eleg. 12. lib. 4. *turbam seueram,* ab hoc monte.

Sabinorum mores.

14. Casperiam.] Oppidum in Sabinis. Silius vocat Casperulam.

Foruli.

15. Forvlos.] De his ita Strabo lib. 5. Σαβίνων δ᾽ εἰσὶ καὶ οἱ Φόρουλοι πέτρα πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον, ἢ κατοικίαν εὐφυής: *Sabinorum sunt Foruli petra ad rebellandum, quàm ad habitandum aptiores.*

15. Himellæ.] De hoc fluuio & Fabari parca admodùm in auctoribus mentio. Sed cur Tyberim memorat? Nam, tametsi in Tuscia oriatur, sed transit per Sabinos, vnde expendit Seruius, dici *bibunt,* non, possident: quia non illorum fluuius. Quæ hîc Seruius de fluuio Farfaro, quem ait esse eundem cum Fabari aduocans Plautinam Pœnulum, & Ouidium, nemini docto video placere. Vide Turneb. lib. 15. cap. 7. Quid quòd Seruius Plautum aduocat non bona fide?

16. Nvr.

16. NVRSIA.] Plinius lib. 3. c. 12. Nursinos in Sabinis numerat, vt & Ptolemæus in tabula sexta Europæ cap. 1. Nunc vocari Norzan Leander scribit. Sed cur *frigida*? Quia verè frigida, ait Seru. vel quia (ait idem) venenosa, & nocens. Probat. Nam Gracchi in concionibus solebant Nursinos appellare sceleratos. Solet autem Virgilius historias attingere in transitu. Vt hanc Seruij Notam capias, adi quæ ego iam latè Eclog. 8. ad illud,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Eclog 9. ad illud;

Heu cadit in quemquam tantum scelus.———

Certè in tabula Ptolemæi prope Nursiam montes sunt, in quibus vt plurimùm algor, & frigus: vt iam prima Seruij explicatio probari queat. Addit vim Silius, qui lib. 8. *nec non habitata pruinis Nursia.*

17. HORTINÆ CLASSES.] Non intelligit τὸ ναυτικὸν: hîc enim nulla nauium mentio, sed Hortinos milites, cum respectu ad classes illas, in quas Seru. Tull. Rex vrbem diuisit. Res nota omnibus, & quæ vndecunque facilè peti potest.

18. POPVLIQVE LATINI.] Ait Plin. lib. 3. c. 12. *Infra Sabinos Latium est.* Itaque Poëta post Sabinos infert statim Latinos, vt proximos.

Alliæ infelicitas.

19. QVOSQVE SECANS INFAVSTVM INTERLVIT ALLIA NOMEN.] Optimè *infaustum nomen* cùm de Allia est sermo: hic enim fluuius infamiam contraxit, ex quo ad illum Romani fœdè fusi fugatíque sunt à Gallis. Inde Ouidius in Ibim *grauem* appellat:

Hæc erat in fastis cui dat grauis Allia nomen.

Et 1. de Arte *flebilem*. & Lucanus *damnatam* lib. 7.

Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Silius lib. 8. *horrificis sese extulit Allia ripis.* Cicero lib. 9. ad Attic. epist. 4. *Maiores nostri funestiorem diem esse voluerūt Alliensis pugnæ, quàm vrbis captæ.* Infeliciter certè res omnis gesta Vitellio est, qui *omni diuino humanóque iure neglecto Alliensi die Pontificatum maximum cepit.* Verba sunt Suetonij in eius vita cap. 7.

Fluctus maris ad comparationem.

20. QVAM MVLTIS, &c.] Creberrimum est, multitudinem rerum cum fluctibus maris comparare. Ita Silius lib. 8. vbi etiam catalogum, & aduentum virorum fortium ad bellum describit:

Tam creber fractis albescit fluctus in vndis.

Claudian. lib. 2. Rap.

Conueniunt animæ, quantas truculentior Auster
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.

Sic lib. 1. in Eutrop.

Si pelagi fluctus, Libyæ si discis arenas.

Pollux lib. 9. in sua illa congerie. καιρὸν δ᾽ ἔχει καὶ τὰ ποιητικὰ, ὑπὲρ τὴν ψάμμον, ὑπὲρ τὰ κύματα, ὅσα φύλλα, καὶ ἄνθη, καὶ τὰ τοιαῦτα: *Locum etiam habent poëtica, supra arenam, supra fluctus, quot folia, quot flores, & similia.*

Arenæ,

Fluctibus maris vicinæ arenæ maris: Has aduocat ad comparationem (præter indicatos iam) Ammianus in exitu lib. 14. Itaque non solùm ista ποιητικὰ, vt nuper Pollux; & Ouid. Eleg. 1. lib. 4. Trist. *quot litus arenas.*

Imbres.

Vicini imbres, & grando, quæ furunt in tempestatibus. Hæc Statius lib. 6.

———*gelida non crebrior exsilit Arcto*
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.

Et 3. Sylu.

———*hybernos citiùs numerabimus imbres.*

Orion nimbosus.

21. ORION.] Nimbosum sydus, & ortu, & occasu. De occasu hîc audis. De ortu 1. Æneid.

Cùm subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

De vtroque Aristotel. lib. 2. Meteor. cap. 5. vbi & rationem exhibet: verba eius. ἄκριτος ἢ καὶ χαλεπὸς ὁ Ὠρίων εἶναι δοκεῖ καὶ δύνων, καὶ ἐπιτέλλων, διὰ τὸ ἐν μεταβολῇ ὥρας συμβαίνειν τὴν δύσιν, καὶ τὴν ἀνατολὴν, θέρους, ἢ χειμῶνος, καὶ διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ἄστρου, ἡμερῶν γίγνεσθαι πλῆθος: *Orion, & cùm oritur, & cùm occidit, incertus ac difficilis esse propterea videtur, quòd eius exortus, & occasus, tum, cùm tempora euariant, commutantúrque, ille æstate, hic hyeme accidant. Idq; propter syderis magnitudinem durat diebus pluribus.*

Sol nouus, quis.

22. SOLE NOVO.] Vocat nouum Solem initium æstatis, quod alij iam viderunt. Rationem nescio an aliquis; eam tibi subiicio. Qui nobis est annus vnus, mensium duodecim, veteribus fuit duplex, mensium sex, qui duo anni hyemis, & æstatis nomine signabantur. Itaque hyems pro vno anno, æstas pro altero sumebatur. Clarè Plinius lib. 7. cap. 48. *Annum alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme.* Ergo Sol nouus est, qui incipiente anno nouo, id est, æstate. Inde anni magni in Virgilio non semel, sunt anni mensium duodecim. Vide, quæ iam lib. 1. Æneid. in ipso libri exitu; vbi & verba Plinij adduxi, quæ hîc repetere necessarium duxi. Ex dictis lucem capit fortasse Persius Sat. 5. vbi loquens de variis studiis mortalium, ait:

Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti
Rugosum piper.———

Vbi interpretes per *recentem Solem* intelligunt Orientem, vnde Romani petebant aromata suarum mercium permutatione. Quid verò si Persius intelligit hunc nouum annum? nam maria dicebantur aperiri post hyemem aduentante verno, aut æstiuo Sole, vt dicat Persius. Hic post transactam hyemem, in qua maria clauduntur, accingit se ad nauigationem aperto iam mari sub anno nouo ad permutandas suas merces. Quod Ouid. dixit.

Latum mutandis mercibus æquor aro.

Et Claud. *permutat nauita merces.* Quæ dixi de loco Persij, incerta sunt, cùm capi etiam possit Oriens: sed, si sequaris explicationem Casauboni, penè certa sunt. Nam ille, non Orientem capit in Persio, sed Alexandriam, & admonet, Romanos inde solitos petere aromata. Cur ergo Persius vocet Alexandriam *recentem Solem*; cùm ea ciuitas respectu Italiæ nullatenus dici queat sita esse ad Orientem, vt intuenti descriptiones clarum? Neque verò scio, cur non Persius potuerit dicere *Solem recentem*, quem Virgilius *nouum*.

23. HERMI.] Fluuius Phrygiæ. Itaque coniunxit affines prouincias, Phrygiam, & Lyciam, & vtramque nobilem frugibus, vt est tota minor Asia.

24. LYCIÆ FLAVENTIBVS ARVIS.] Diceret hoc loco vulgaris Poëta aliquid de Pactolo, Virgilius insinuasse duxit satis. Pactolus enim fluuius Lydiæ, & Lyciæ in Hermum influit. Ergo sicut aristæ ab Hermo celebrantur, sic arua Lyciorum à Pactolo, etiamsi hunc non nominet. Sumpsit quippe Virgilius regiones conterminas, quæ ab Hermo, & Pactolo fœcundantur. Et quidem Pactolum esse fluuium Lyciorum satis indicat Nonnus lib. 22. his versibus. Pactolus fluuius Lyciæ.

Τεύχεσι δ᾽ ἀστεροπῇσι κορύσσετο Λύδιος ἀνὴρ
Χρυσοφαῆ Λυκίοιο τύφον Γλαύκοιο κομίζων,
Κηρύσσων νέον οὖδας, ὅπῃ Πακτωλίδος ὄχθης
Φαιδρὸς ἐρευθομένης ἀμαρύσσεται ὄλβος ἐέρσης:

Armis verò multis armabatur vir Lydius
Ferens superbiam Glauci Lycij apparentem in auro,
Annuntians nouum solum, vbi Pactolides ripæ
Pulchrè rubentis splendent diuitiæ liquoris.

Sonitus in ira.

25. SCVTA SONANT.] An hîc minæ? fortasse. Ita enim

enim comparatum veteribus, vt hoc, aut simili strepitu minæ, & iræ indicarentur. Cum Marte loquens Iuuenal. Sat. 2.

Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas.

Id est, non irasceris. Sic ancilia mota, & sonantia veteribus prodigiosa fuerunt. De Ioue irato decantant Poëtæ strepitum fulminis. De Turno ferociente 8. Æneid.

Vtque acres concussit equos, vtque impulit arma.

Idem in extremo, *quassans trementem hastam*, totus ira præceps. De gente Hispanorum Silius lib. 3. & eunte ad bellum,

Ad numeros resonas gaudentem plaudere cetras.

A Ergo hîc Sabini pari ferocitatis nota *sonant scutis.*

26. PVLSVQVE PEDVM TREMIT EXCITA TELLVS.] Ita Homer. 2. Iliad. ad aduentantes ad bellum populos, & concurrentes milites, ὑπὸ δὲ στεναχίζετο γαῖα. & iterum: ὑπὸ ποσσὶ μέγα στεναχίζετο γαῖα. Placuit Poëtæ tremor pro Homericò gemitu; nam ille vicinior ad pulsum pedum. In re simili Silius lib. 8. *Perstrepit & tellus.* & l. 12. *Et ripas tremefecit equest.* Et Pind. Od. 2. Pyth. τετραορίας ἐλελίχθονος. vbi ait, concussam terram à quadrigis equorum. Pari Musa Statius 12. Theb. *icta gemit tellus.* Et adhuc: *Exspirat protritus ager.* Florus ait lib. 4. c. 11. apparatum belli Actiaci portatum vndis *non sine gemitu maris.* Terra tremit.

[a] Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis
Curru iungit Halesus equos, Turnóque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misêre patres, Sidicináque iuxta
Littora: quíque Cales linquunt, amnísque vadosi
Accola Vulturni, paritérque Saticulus asper,
Oscorúmque manus: teretes sunt aclides illis
Tela; sed hæc lento mos est aptare flagello.
Læuas cetra tegit, falcati cominùs enses.

ARGVMENTVM.

Halesi aduentus, huius comites, arma omnium.

EXPLICATIO.

[a] HALESVS fuit aut comes Agamenonis, aut filius nothus; hinc efficaces, & natura insitæ inimicitiæ in Troianos. Ergo cùm in Italiam è Græcia post Troianum bellum venisset, statim, vt bellum geri contra Æneam sensit, alacer conuolauit; ideo Poëta de illo, *rapit*, quò conuolantem agnoscas: & *Troiani nominis hostis*, quia *Agamemnonius*; C & *curru iungit equos*, quia ita pugnatum in Troiano bello, vt tota testatur Ilias. Itaque ille eandem rationem pugnandi init, quam iam expertus fuerat. Non dubites, quin hæc omnia consentanea Poëtæ animo obuersarentur. Sed quos secum adducit ad bellum? qui degunt ad Massicum Campaniæ, qui mons felicissimus vitium cultura. Præterea Auruncos, Sedicinos, Calanos, qui vicini Vulturno flumini, Saticulos, Oscos. Sed quæ arma gerunt? aclides in dextra, cetras in sinistra, enses falcatos ad latus. De aclidibus loquitur paulò fusiùs; sed hæc in Notis, vt & multa alia, nostro iam more.

NOTÆ.

1. TROIANI NOMINIS.] Cùm apud Nostrum sæpissimè sit mentio Troianorum, aperiam quid per *Troianos*, & *Troianum nomen* intelligat, quod nemo quærendum censeret. Ergo intelligit hoc nomine eos omnes, qui Imperio Priami parebant, etiam extra vrbem ipsam. Quin non solùm florentissima illa vrbs dicta est Troia, sed etiam totum Imperiũ Pria- Troiani qui.

B mi dictum quoque est Troia. Itaque, si qui ex Lirnesso; vt, *Lirnessius Agmon*, si qui ex Thebis, vt, *Antiphates Thebana de matre*, si qui ex Pedaso, aut Lycia, aut vndecunque, hi omnes dicti Troiani sunt. Probat hoc latè Strabo lib. 13. elicítque ex Homero innumeris penè ex locis. Vt cùm Achilles apud Poëtam gloriatur, se euertisse vndecim vrbes in feraci Troia. Quem in locum Strabo vocat Τροίαν τὴν πορθουμένην ἤπειρον: *Troiam continentem, quæ vastabatur.* Demum post multa absoluit, totum Priami Imperium dictum Troiam.

2. HALESVS.] Fuisse hunc conditorem Faliscorum iam Turnebus astruxit lib. 22. cap. 3. ex Ouid. lib. 3. Amor. Eleg. 12. Faliscorum conditor.

Argiua est pompæ facies Agamemnone cæso,
Et scelus, & patrias fugit Halesus opes.
Iámque pererratis profugus terráque, maríque
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Iunonia sacra Faliscos,
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

Quia verò hic ab Argis in Italiam, ideo Argolicum vocat Silius lib. 8.

Nec non Argolico dilectum littus Haleso.

Solinus etiam cap. 8. *Ab Haleso Argiuo Faliscam.*

3. RAPIT POPVLOS.] Silius lib. 8. Rapio, de exercitu.

Tullius æratas raptabat in agmina turmas.

Iterum loquens de Peligno, *gelidóque rapit Sulmone cohortes.* Et lib. 12.

Raptum iter est, victórque moram non passus eundi.

D Tacitus 1. Annalium. *Expeditum exercitum in Chattos rapit.*

4. VERTVNT.] Indicat arationem. Plinius lib. 18. cap. 16. *Si euicerint herbæ, remedium vnicum est aratio, sæpiùs vertendo, donec omnes aliæ radices intereant.* Sed de hoc iam in Georgicis. Solent Poëtæ huiusmodi catalogos virorum fortium amplificare simili opum narratione, vt quærant aliquod diuerticulum, ne perpetua sit series nominum. Sic Valerius primo Argon. Verto, de aratione. Poëtarum mos.

Proximus

Proximus huic Butes Atrais diues ab oris,
Innumeras nam claudis apes, longáque superbus
Fuscat nube diem ——

Dicit *nubem* de apibus, vt ante illum Virgilius. Redeo. In hac re multus est Homerus: vt enim Virg. in hoc catalogo ait venisse, qui arant montem Massicum felicem vitibus; ita ille Haliarton in sua recensione vocat ποιήεντ' *herbosam*: & Arnem πολυστάφυλον, *vitiferam*: & de Epidauro, ἀμπελόεντα, *vitibus consitam*. De Orchomeno, πολύμηλον, *pecorosum*. De Preleo, λεχεποίην, *herbosum*. De Itone, μητέρα μήλων, *matrem ouium*. De Pyrrhaso, ἀνθεμόεντα, *floridam*. Et mille alia. Sic Statius in suo catalogo lib. 7.

Aulida qui, Græcámque serunt, viridésque Plateas,
Et sulco Peteona domant. ——

Et 12. in simili recensione,

Diues, & Egaleos nemorum, Parnésque benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabetos oliua;
Venit atrox Ileus, & olentis arator Hymetti.

Et in 4. vbi similis recensio, *pecorosáque Phyllos*. Iterum:

Qui ripas Lyncæe tuas, sua littora multo
Vomere suspendunt. ——

Nonnus lib. 26. in simili ad bellum catalogo ait relictum εὐσπορον αὔλακα γαίης: *bene seminatum sulcum terræ.*

Massicum.

5. Massica.] Vinum Massicum Campaniæ multis est nobile, vni Horatio nobilissimum, adeò crebra in illo mentio huius vini. Sat. 4. lib. 2.

Massica si cælo supponas vina sereno.

Od. 1. lib. 1. *veteris pocula Massici.* & Od. 7. lib. 2. *obliuioso Massico*; quia cum hoc vino abeunt molestiæ. Et Od. 21. lib. 3.

Quocunque lectum nomine Massicum
Seruas ——

Plautus scen. vlt. Pseud.

Credo equidem potesse te scelus Massici montis vberrimos quattuor
Fructus ebibere in vna hora. ——

Sed de elogio huius vini attuli Columellæ verba lib. 2. Georg. ad illud, *& Bacchi Massicus humor.* Eiusdem meminit Virg. lib. 1. Georg. *munera Bacchi Massica.* vbi vult significare vinum excellentissimum κατ' ἐξοχήν. Porrò Massicum eundem esse cum monte Gauro, & tantùm diuersa nomina Abraham. asseuerat.

Gaurus mõs.

Auruncorũ antiquitas.

6. Avrvnci.] Plin. lib. 3. cap. 5. Auruncos numerat inter populos Latij. Quin hos esse antiquissimos Ausones & Seruius scribit, & ex Isacio in Lycophronem astruit Abraham. Ortell. Inde Virg. disertè *patres* nominat, vel, vt legunt alij, *Arunci misère senes.* Cum hac vetustate alludunt verba Ammiani, qui de illis, vti antiquissimis, ita loquitur lib. 30. *Auruncorum, Sicanorúmque iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc sæculis obrutas multis.* Et de Auruncis loquens Liuius lib. 8. signatè ait, *mœnia antiqua eorum.* Dignum est quod sciatur etymon Auruncorum, qui sic dicti tanquam Auerrunci. Antiqui enim & *auruncare*, & *auerruncare*. pro eodem dixerunt: inde Auruncus Deus, siue Auerruncus est, qui Græcis θεὸς ἀποτρόπαιος, *malorum auersor.* Habuit autem hæc gens id nominis, quasi ἀποπεπλανημένοι, id est, *auulsi, & auersi à suis sedibus* quia errones & πλάνητες. De hoc latiùs Scaliger in Festum.

Auruncus Deus.

Sidicini.

7. Sidicina.] Sidicinum in Campania ponit Plin. lib. 3. cap. 5. Alio nomine Teanum. Ait enim: *Teanum Sidicinum eo nomine.* Strabo quoque Σιδικινῶν meminit; & Horat. epist. lib. 1. *cras ferramenta Teanũ tolletis fabri*, &c. Et Teani fluminis in hoc tractu Orosius lib. 5. c. 18. Credo Poëtã posuisse in carmine Sidicinos post Auruncos, memorem historiarum. Fuit enim acre bellum inter Auruncos, & Sidicinos, quod Liuius scribit lib. 8. ab eo loco: *Inter Sidicinos, Auruncósque bellum ortum*, &c. Subit mentẽ, an Sidicini dicti sint, quasi seditiosi. Nescio an aliquis probaturus sit coniecturam, cui certè fauet tum Liuij locus lib. 8. *Toties iam Sidicini, aut ipsi mouerant bellum, aut mouentibus auxilium tulerant, aut causa armorum fuerant*; tum quæ de aliis populis non absimilia, vt quæ nuper de Auruncis, & quæ antea de Tetricis: & de vrbe quam Θεράπνας vocat Pausanias lib. . à susceptis ibi liberis à Tyndareo. Hoc enim etymon ab scriptore colligo.

Lectio Virgiliana.

8. Littora.] Codices aliqui *æquora*. Vtrunque ad variandam poësin. Nam qui de Auruncis dixerat, *collibus altis*, de Sidicinis proximis, *littora* aut *æquora*, cum clara oppositione ad colles. Silius lib. 12. *arua* nominat:

Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis.

Cales.

9. Cale.] Vrbs quoque Campaniæ. Coloniam nominat Velleius priore volumine, quam ait deductam Sp. Posthumio, & Veturio Caluino Coss. Hanc etiam vrbem infert ex memoria historiarum fidelis Vates. Hæc enim vrbs & proxima est Sidicino, & inter vtranque stricta amicitiæ fœdera. Itaque quemadmodum vrbs vtraque in Romam olim conspirauit; sic nunc vtraque in Æneam. Amat enim Virgilius similes historias in excursu indicare. Vide Liuium ab eo loco lib. 8. *Insequens annus L. Papyrio Crasso, Cæsone Duellio Coss. Ausonum magis nouo, quàm magno bello fuit insignis. Ea gens Cales vrbem incolebat, Sidicinis finitimis arma coniunxerat.* Huius vrbis nomen ad Calain refert Silius lib. 8. his versibus.

Romana historia repræsentata.

Nec cedit studio vicinus sanguine miles,
Quem genuêre Cales, non parua conditor vrbis,
Vt fama est, Calais Boreæ, quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutriuit in antris.

Ex Silio habes *Cales* in Virgilio esse numeri multitudinis. Sed idem Silius in singulari libro 12. vbi ait:

Threïciámque Calem, vestras à nomine nati
Orithyia domos. ——

10. Vadosi Vvltvrni.] Fluuius est Campaniæ celeberrimus, vt ait Plinius lib. 3. cap. 5. imò ῥέων διὰ Καμπανίας μέσης, ait Strabo lib. 5. *labitur per mediam Campaniam.* Sed cur *vadosus*? quia ingenti ostio intrat mare: adeò vt Plinius lib. 36. cap. 6. vocet mare, illius enim verba hæc; *Iam verò & in Vulturno mari Italiæ arena alba nascens*, &c. Abrahamus in Indice capit de ostio huius fluminis. Huius ostij meminit Liuius lib. 25. Ergo, sicut maria dicuntur Poëtis *vada*; ita flumen instar maris, *vadosum* Sic & Ouid. *Mæandri vada* dixit. Certè de reliquo flumine capi non potest; nam Silius lib. 8. *fluctúque sonorum Vulturnum.* Amnes enim qui sonant, & fluunt cum strepitu, non sunt vadosi. Idem Silius lib. 12. *Vulturna vada* nominat, loquens de ea parte, quæ ad mare, vt legenti apparebit. Dici etiam potest *vadosum* propter frequentes huius fluminis stagnationes, sic *vada Nili* frequentissimè. Domitianus postea Vulturnum coërcuit alueo. Ipse enim fluuius apud Statium quarto Syluar. loquens cum eo Principe,

Vulturnus cur vadosus.

Qui me vallibus auiis refusum,
Et ripas habitare nescientem,
Recti legibus aluei ligasti.
Et nunc ille ego turbidus, minaxque,
Vix passus dubias priùs carinas,

Iam pontem fero, peruiúsque calcor,
Qui terras rapere, & rotare syluas
Assueram (pudet) annis esse cœpi.

Casulinus fluuius. Est etiam huius fluuij mentio apud Florum lib. 3. c. 21. Hunc fluuium dici Casulinum ab Agathia lib. 2. Abrahamus monuit, ab oppido in eius ripa sito. Cum his consentiunt verba, quæ in Strabone inuenies lib. 5. vbi loquens de Vulturno ait, ὃς κατὰ πόλιν τὸ Κασιλῖνον ἐνεχθείς, *qui iuxta Casilinum delatus.* Nunc vulgò dici Nataronem, aut Natatonium, alij iam scripsêre. Vulturni oppidi sic dicti à fluuio meminêre Plinius lib. 3. cap. 5. & Strabo lib. 5. Quin Capuam dictam olim Vulturnum Liuius scribit lib. 4. eius verba: *Vulturnum Hetruscorum vrbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam,* &c.

Saticulus. 11. SATICVLVS ASPER.] Oppidum Campaniæ montibus asperum agnoscit Seruius. Saticulæ coloniæ, quæ deducta est vna cum Suessa Aurunca, meminit volumine priore Paterculus.

Osci. 12. OSCORVMQVE MANVS.] Seruius Capuenses interpretatur, qui priùs Osci appellati. Capuam etiam vrbem Campaniæ priùs Oscam vocatã Sempronius scribit. Videtur pugnare Plinius: nam cap. 5. lib. 3. vbi Italiæ oppida diligentissimè persequitur, seorsim meminit Capuæ, & Oscorum, non facturus, si res eadem. Sed hanc discordiam sedat Strabo libro 5. postquam enim meminit Samnitium, Oscorum, Opicorum, Ausonum, &c. subiungit: *Cùm vrbes duodecim populosæ forent, Capuam perinde ac* Capua vnde dicta. *illarum caput nominarunt.* Consonat hoc cum Plinio, qui ait Capuam ab campo dictam. Et cum Liuio lib. 4. *Capuam ab duce eorum Capy, vel, quod propius vero est, à campestri agro appellatam.* Sunt enim ibi opulentissima campestria. Hinc factum, vt Capuani dici Osci queant, & contrà: nam totus ille vrbium tractus Capuensium nomine nobilitatur. Ait Seruius dictos Oscos à serpentibus: nam videlicet hi quoque Opici dicti, quasi Ophici, ἀπὸ τῶν ὄφεων. Sed cer- Opici. tè Strabo Opicos ab Ophicis seorsim nominat. Vtcunque sit de discrimine Oscorum, & Opicorum, Prouerbiũ. certè Opici ipsi dicti sunt à serpentibus. Inde credo natum, vt agrestes homines dicantur Opici prouerbialiter: quemadmodum qui pingues sunt, dicuntur Vmbri: & qui stulti, Marrucini. Porrò, vt hoc ne nescias, Hispania suos ciues ab ciuibus Italiæ discriminat tantùm forma nominis. Illa enim suos Oscenses nominat, hæc Oscos. Itaque Oscenses in Hispania sunt, Osci in Italia. Apparet hoc ex Iulio lib. 1. Ciuil. Plinio lib. 3. cap. 3. & aliis. Ergo, quamuis vr- Osca. bem Italiæ *Oscam* nominet Sempronius, & Hispaniæ *Oscam* pariter Plinius lib. 3. cap. 1. tamen nomen inde ductum diuersam tenet formam.

13. ACLIDES.] Cùm nulla maior mentio aclidum sit, quàm ea, quam hoc loco habet Poëta, certè qui ansatas putat (is est Turnebus lib. 30. cap. 21.) Qui aptatas virgis arborum, mollibus instar flagelli, non duris stipitibus (is est Lipsius lib. 4. Polyercet.) Qui ita illigatas flagello, vt reuocari, & redire peracto ictu possent (is est Iunius in Nomencl. atque etiam Lips.) Qui eminentia quædam acumina hinc inde, & nescio quod claui, aut clauæ genus (is est Lazius lib. 8. Comm. cap. 18. quod accepit à Ser.) Qui (inquam) hæc putant, mihi videntur diuinare. Nam à quo auctore discunt ansas illas, virgas, reditum, eminentias, cùm nemo de illis loquatur? Nam Valer. Flacc. & Trebell. Pollio, qui, præter Virgilium, illarum meminêre, nihil ad hoc conducunt. Aclides, quod telum. Ergo dicamus, aclides fuisse tela tereti aut ligno, aut ferro; deinde amentatas loro, vt torquerentur. Ni-

A hil enim aliud Poëtica lux suppeditat. Capio autem *flagellum* pro amento loreo, vt iam prior Lipsius; hoc enim admodùm est consentaneum. Nam, cur non amentum debeat flagellum nominari? Sed certè Valerius, & Trebellius lucem Virgilio dant. Prior lib. 6. Arg. ait,

Nec procul albentes gemina ferit aclide parmas.

Posterior in Claudio memorat *aclides duas* donatas Claudio ab Imperatore Valeriano. Quibus testimoniis fit, vt binæ aclides gestarentur à singulis: ac proinde Virgilius ita videtur capiendus, vt singulis militibus duæ essent aclides: ideo enim vsus est numero multitudinis. Meminit præterea huius teli Sidon. Paneg. ad Maiorian. *equo rait aclide fossus.* Et Silius lib. 8. *Aclides vsus erat.*

B 14. CETRA.] Doctè Seruius explicat scutum quo vsi Hispani. Certè Silius lib. 10. Hispanis assignat, vt proprium lib. 10. Cetra Hispanorum scutum.

———ac ritu moris Iberi
Carmina pulsata fundentem barbara cetra
Inuadit.——— ———

Idem lib. 3. attribuit cetras Gallæcis Hispaniæ populis: versus iam suprà attuli ad rem aliam. Hoc ipsum ex Cæsare colliges lib. 1. Ciuil. *Erant legiones Afranij tres, Petreij duæ, præterea scutatæ citerioris prouinciæ, & cetratæ vlterioris Hispaniæ cohortes, circiter octoginta.* Ibidem dat Petreio cohortem Prætoriam cetratorum. Ex Silio lib. 9. qui de Hispanis: *effulget cetrata iuuentus.* Ex Polybio, qui lib. 3. meminit πελτοφόρων ἰβήρων, loquens de Annibalis exercitu eunte ab Hispania in Italiam. Ex Plutar. in vita Sertorij, vbi Lusitanos inducit πελτας άς. Ex Lucano, qui lib. 7.

C

Illic pugnaces commouit Iberia cetras.

Et ex Liuio lib. 4. ita scribente: *Hispani cetris superpositis incubantes flumen transnatauêre.* Hinc ergo credibile est, commeasse cetram ad alias nationes, in primis ad Afros, vtpote vicinos; quod etiam scribit Seruius. Deinde ad Romanos, vt versatissimos in pugnis Hispanorum, cum quibus sæpe conflixerunt. Nam Suetonius Caium inducit cap. 19. cum equo phalerato, corona quercica, securi, cetra, gladio, aurea chlamyde. Virgilius quoque hîc Campanos cetris armat. Tertiò, ad Græcos; nam Philopœmen dux Achæorum *cetratos cum fundis, & iaculis* posuit in D statione contra Lacedæmonios, quod scribit Liuius lib. 35. Philippus etiam Rex Macedonum in bello contra Romanos cetratis vtitur, quod scribit idem Liuius lib. 31. Quartò, ad Thraces: nam his hanc gloriam dat Max. Tyrius dissert. 6. enumerans enim illa, quibus valent quique mortalium, πελτάζουσι (inquit) Θρᾷκες. Inde credibile est ad alias quoque nationes commigrasse. De forma monearis, fuisse cetras similes peltis, aut easdem cum illis, si Liuio credo lib. 31. loquens enim de Philippo Rege Macedonum ait, *Cetratos, quos peltastas vocant, in insidiis abdiderat.* Idem colligit Aldus ex Plutarcho, & Liuio collatis; nam quos prior in vita Æmilij *peltatos* nominat, posterior libris 42. & 44. vocat *cetratos.* Itaque semper Casaubonus πελτοφόρους Polybij lib. 3. reddit E *cetratos.* Ad formam pertinent colores, quibus cælatæ. Silius lib. 3. *Versicolor contrà cetra.* Materiam Seruius exhibet, qui loreas facit. A quibus accepêre Afri, Romani, Græci, Thraces. Earũ forma.

15. FALCATI ENSES.] Harpen intelligit, qui gladius incuruus & falcatus, & is in vsu nunc Turcarum, Persarum, Hungarorum, Tartarorum. Nonnus lib. 27. ἅρπην attribuit Indis. Hoc gladio vsum Perseum Poëtæ scribunt. Ouidius enim de illo lib. 5. Metamorph. Harpe gladij genus.

Verit in hunc harpen madefactum cæde Medusæ.

Et Lu

Cyllenis. Et Lucanus lib. 9. harpen vocat *Cyllenida*. Credo Claudianum lib. 1. de laudib. Stilicon. harpen intelligere *falcis* nomine, cùm ait:

——non falce Gelonus,
Non arcu pepulêre Getæ.——

A Curtius lib. 8. appellat copidas, ita scribens: *Copidas vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus similes, queis appetebant belluarum manus.* In apparatu Annibalis contra Italiam lib. 3. inducitur *falcatus ab arte ensis*, ab Silio.

[a] Nec tu carminibus nostris indictus abibis
Oebale, quem generasse Telon Sebethide Nympha
Fertur, Teleboûm Capreas cùm Regna teneret
Iam senior: patriis sed non & filius aruis
Contentus, latè iam tum ditione premebat
Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.
[b] Quíque Rufas, Batulúmque tenent, atque arua Celennæ:
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ,
[c] Teutonico ritu soliti torquere cateias:
Tegmina queis capitum raptus de subere cortex,
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
[d] Et te montosæ misêre in prælia Nursæ
Vfens, insignem fama, & felicibus armis.
[e] Horrida præcipuè cui gens, assuetáque multo
Venatu nemorum, duris Æquicola glebis:
Armati terram exercent, sempérque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

B

ARGVMENTVM.

Describitur aduentus Oebali, & eius natales: tum etiam comites, & horum arma. Deinde Vfentis comitatus.

EXPLICATIO.

[a] FVIT Oebalus filius Telonis, & Nymphæ Sebethi fluminis. Habuit verò illum pater Telon iam in senectute, & cùm teneret Capreas, quæ erant Regna Teleboarum. Filius tamen Oebalus, cui iam inde angustiæ paterni Imperij displicebant, vi, & armis Serrastes populos subegit, & tractum illum, quem Sarnus irrigat.

[b] Venêre ad id bellum vnà cum Oebalo incolæ Rufarum, Batuli, Celennæ, Abellæ. Extremam effert cum elogio à malis, quæ fert optima. Et nota locutionem plenam elegantiæ. Mœnia enim, vt quæ alta, videntur suos ciues despectare.

[c] Adhibet horum arma. Erant illis cateiæ in manu dextra, quas torquebant more Teutonum, in capite pro galeis cortices suberis, in sinistra peltæ, ensis ad latus.

[d] Pergit ad Vfentem, qui ab Nursis venit, quæ vrbs sita in montibus. Hunc prædicat & à fama, quã habuit, & à felicitate tractandorum armorum. Vnum est ratio alterius; armis enim peritè tractandis sibi famam peperit.

[e] Erant Vfenti comites Æquicoli, homines venatui dediti ferarum, adeò bello actes, vt etiam armati essent, terram cùm colerent, & non nisi raptis prædis victitarent, non contenti nisi his, quæ aliorum damno sibi comparassent.

NOTÆ.

1. NEC TV CARMINIBVS NOSTRIS, &c.] Blanditur Pindarus Od. 3. Pyth. Νέςορα καὶ Λύκιον Σαρπηδόν᾽ ἀνθρώπων φάτις ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν: *Nestor & Lycius Sarpedon habent famam apud homines ex sonoris versibus.* Et infrà: γινωσκόμενα δ᾽ ἀρετὰ κλενναῖς ἀοιδαῖς χρονία τελέθει: *Virtus, quæ cognoscitur per cantus inclytos, diuturna est.* Ad auram proculdubio Noster Horatius nauigat Od. 9. lib. 4. — Musæ reddunt viros celebres.

——non ego te meis
Chartis inornatum sileri,
Totve tuos patiar labores
Impunè Lolli carpere liuidas
Obliuiones.——

C Commisit cum Virgilio Horatium Bartholomæus Morlanes, vir in quo doctrina multa, & fides multa: ac mihi æquè vtraque re amandus.

SEBETHIDE.] Sebethi amnis cursus est inter montem Vesuuium, & Neapolim. Ideo Columella cum Neapoli coniunxit in suo horto: — Sebethus amnis.

Doctáque Parthenope Sebethide rosida lympha.

Et Statius 1. Syluar. illius meminit in mentione Neapolis, his versibus.

At te nascentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcísque solo tu gloria nostro
Reptasti: nitidum consurgat ad æthera tellus
Eubois, & pulchra tumeat Sebethos alumna.

D Inde quoque arrepta occasio celebrandi huius fluminis Sincero Sannazaro, vtpote Neapolitano, qui vir poëtica laude floruit præ mortalibus sui æui. Sed quid sui æui? Quid si Neapoli maiorem gloriam Sannazarus attulit, quàm Statius Papinius? non erit iniquus censor, qui hoc censeat. — Sannazarĩ elogium.

3. CAPREAS.] Est insula in mari Tyrrheno, eius situm, — Capreæ.

situm, temperiem, amœnitatem Tacitus describit lib.4.Annal.vbi secessum Tiberij in eam narrat. Vnde Plinius lib.3.cap.6. *Tiberij principis arce nobiles Capreæ.* Vbi etiam de eius situ, & circuitu. Credo delectatum Tiberium secessu Caprearum exemplo Augusti,& fortasse sperantem inde omen, de quo Suetonius in Aug.cap.92. De nomine eius insulæ Solinus cap. 9. Caprariam, quam Græci αἰγίλον dicunt, videlicet à capreis. Sed cur dicta à capreis? an, quia ibi multæ capreæ? an, quia insula ad similitudinem huius feræ? Alterum credo adductus similitudine maris Ægei, quod dictum non à multitudine huius feræ,sed quia eius insulæ speciem præbeant caprarum procul visentibus,quod volunt Festus,Solinus, alij. Et quidem id ipsum de insula, in qua sum, videntur indicare verba Suetonij cap.40.in Tiber.vbi ait de hoc Principe: *Capreas se contulit,præcipuè delectatus insula,quòd vno parvóque littore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus,& profundo maris.* Hæc enim rupium erectarum altitudo speciem erectæ capræ mihi refert. Claud.quoque de 4.Consul.Hon.dixit *rupes caprearum tetra.* Sed cur Virgilius vocat Capreas *regna Teleboüm?* Audi Tacitum 4. Annal. *Græcos ea tenuisse,Capreásque Telebois habitatas fama refert.* Inde Ausonius pro Capreis dixit Theleboas,*Viridésque resultant Teleboæ.* Et,quia in ea insula regnauerat Telon pater Oebali,Silius lib.8. Telonem vocat,eo versu: *non antiqui saxosa Telonis insula.* Attributum,quo Silius saxosam nominat,illustrabis verbis Suetonij iam adductis. Non grauabor in exitu explicationem aliam subiicere. Quid si *Capreas* est rectus, vt dicat, virum, cui nomen Capreas, tenuisse Regna Theleboarum: Itaque à Rege nomen Regni.

Theleboæ.

4. Patriis sed non et filivs arvis contentvs.] Quis nescit, quæ de Alexandro Scriptores, cui Philippi patris Regnum visum angustum?

Premo, verbum iuris.

5. Premebat.] Vis indicatur,& credo hoc verbum duci à iure,lib.38.ff.tit.1.l.2. *vt premeret, atque onerare libertinas personas.* Et quidem forense esse verbum satis indicat Budæus,qui καταμαρτυρῶ σε reddit, *premo te meo testimonio:* & sic accipit illud Demosthenis. ὃς αὐτὸς ἑαυτοῦ καταμεμαρτύρηκε. Inde & in codicibus legas, *priusquàm accusati se criminis, quo premuntur, exuerint.*

Sarrastes.

6. Sarrastes popvlos.] Seruius: *Populi Campaniæ sunt à Sarno fluuio. Conon in eo libro, quem de Italia scripsit,quosdam Pelasgos, aliósque ex Peloponneso conuenas ad eum locum Italiæ venisse dicit,cui nullum antea nomen fuerit,& fluuio, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrij fluminis,& se Sarrastes appellasse.* Versum Virgilij ita reddit Silius lib.8.

Sarrastes etiam populos totásque videres
Sarni mitis opes.——

Sarni fluuij amœnitas.

Vocat *mitem*,quia hic fluuius non præceps, sed placidus, & vtilis irrigandis agris; inde Poëta, *& quæ rigat æquora Sarnus.* Quia fluit plano agro. Et Strabo lib.5.de Vesuuio, qui Sarno imminet, ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις, *amœnissimis agris circumdatus.* Pari nota Plinius cap.5.lib.3. *spectante monte Vesuuio,alluente verò Sarno amne ager Nucerinus.* Rigat videlicet Sarnus agrum Nucerinum. Et quidem Nuceriam iidem Sarrastæ condidêre, quod Seruius testificatur. Statius quoque lib.1.Syluar. voluptatem indicat eo versu,

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.

7. Rvfas, batvlvmqve.] Ait Seru.esse duo castella Campaniæ à Samnitibus condita. De Rufis scribit Erythr.fuisse oppidum in Campania,& nunc sine vestigiis. Quid verò si à Virgilio Silius,vel contrà corrigendus? Ait enim Silius lib.8. *Qui Batulum, Mucrásque colunt.*

Lectio Virgiliana.

8. Celennæ.] Agnoscit Seru.locum in Campania,cui nomen Celennæ,& sacrum Iunoni. Quid si colonia Apamiensium? est enim Apamea vrbs Asiæ sita ad ostia Marsiæ fluminis,quam vrbem Celennas vocari tradit Plin.c.29.lib.5.

Celennæ.

9. Maliferæ abellæ.] Oppidum in Campania, vt Abrahamus scribit ex Ambrosio Leone, qui de hac sua patria tres libros scripsit, vbi tradit eam à Græcis dictam Aëllam, ἄελλαν, à venti vertigine perflante hunc tractum; sed à posteris interram *b* litteram. Meminit eius Silius lib.8.

Abellæ.

Surrentum, & pauper sulci Cerealis Abella.

Qui versus Poëtam explicat. Solent enim, vt plurimùm,terræ, quæ sunt ineptæ ferendo tritico, aptæ esse ferendis pomis.Ergo Abella,quæ *pauper sulci Cerealis* à Silio dicitur, à Virgilio nominatur *malifera*, à malis,& pomis.Quæ Seruius de Nola,ego hîc nolo,vt fabulosa. Porrò Abellinum oppidum, cuius meminit Plinius lib. 3.cap. 5. an sit idem cum hac Abella Campanorum, an cum Abella altera Hirpinorum, lege iudicium Abrahami. Testificatur Pierius,alij item,in omnibus antiquis codicibus Virgilij legi *Bella*,non *Abella*.

Lectio Virgil ana.

10. Tevtonico ritv soliti torqvere cateias.] Non fero Seruium, & alios,qui dicunt dici *ritu Teutonico*,pro Gallico.Quasi non sciret Poëta aliter rem efferre.Illas interpretationes,quæ Maroni dant angustam venam, semper respuo. Mali Poëtæ coguntur,boni liberi sunt. Nam esto, cateiæ Gallorum sint; cur non & Teutonum? vnde enim probabunt esse illorum, non horum; præcipuè in tam exigua mentione cateiarum? Quid quòd Donatus nihil de Gallis agnoscit, & tantùm Teutonas assumit? Sed iam ad auctores, qui de hoc telo.Val. Flac.6.Arg.

Cateiæ.

Et puer è primo torquens temone cateias.

Silius lib.3. *panda manus est armata cateia.* Nulla alia, quod sciam,mentio. Inde suspecta esse possunt,quæ de hoc telo Isidorus, & alij. Vnde enim sciunt illa? *quæ iacta quidem non longè propter grauitatem euolat, sed quò peruenit,vi nimia perfringit.* Verba sunt Isidori.Neque intelligo,quæ in illo sequuntur, *quòd si ab artifice mittatur,rursum redit ad eum qui misit.* Nam cur non etiam redibit, si mittatur ab alio, quàm ab artifice? Ego facilè credo hæc Isidori esse deformata,non minùs,quàm superiora eiusdem: *Cateia,quam Horatius caiam dicit.* Quibus iam mederi curarunt & Lipsius,& Grial.Prior ita: *Cateia, quam Dorcatio cauam dicit.* Posterior verò: *Cateia, quam Lucilius calam dicit.* Vide,vt vterque suam astruat coniecturam. Ex vltimis Isidori verbis istis, *Hispani,& Galli Teutonos vocant.* videlicet cateias,rectè coniicit Grial. (nam hîc Lipsium aliter corrigentem non moror)esse fortasse quos Hispani dicunt *chucos*, aut *chucones*. Ceterùm qua forma Noster *Teutonico ritu*, ea Iuuenal. Sat. 10. *Teutonico curru.* & Propertius Eleg.3.lib.3. *Teutonicas opes.*

11. Ritv.] Idest,more, modo. Valer. lib.4. Argon.

Cùm subitò Arcadio sonuit caua fistula ritu.

Videlicet, eo modo, quo solent Arcades, cœpit Mercurius modulari.

12. Raptvs de svbere cortex.] Rectè ait Seru. intelligi recentem corticem, qui aptior vt flectatur in quamuis formam.

13. Æratæqve micant peltæ.] Locus digito

gito notandus contra Aldum in libris Quæsitorum, qui tantùm peltas loreas agnoscit ex Seruio, & leues ex Æliano, ac proinde coriaceas ad leuitatem. Ecce in Virgilio *ærata* sunt. Vsum, & inuentum peltarum ad Iphicratem dúcem Atheniensium auctores referunt. Diodorus clarè lib.15. τῶν γὰρ Ἑλλήνων μεγάλαις ἀσπίσι χρωμένων, καὶ διὰ τοῦτο δυσκινήτων ὄντων, συνεῖλε τὰς ἀσπίδας, καὶ κατεσκεύασε πέλτας συμμέτρους. *Cùm Græci magnis clypeis vterentur, atque iccirco ægrè mouerentur, clypeos contraxit, & peltas fecit conuenienti commensu.* Eadem Cornelius Nepos in vita Iphicratis: *Ille pedestris arma mutauit, cùm ante illum Imperatorem maximis clypeis vterentur: ille è contrario peltam pro parma fecit, à qua postea peltastæ pedites appellantur.* Est hoc, quod postea Diodorus, ἀπὸ τῆς πέλτης πελτασταὶ μετωνομάσθησαν: *à pelta peltastæ nominati sunt mutato nomine.* Sed quidem tam Diodorus, quàm Cornelius pugnare videntur in Virgilium. Nam vterque post adducta verba, prior peltæ dat κουφότητα, *leuitatem*, & ait milites illa παντελῶς εὐκινήτους ὑπάρχειν, *omnino agiles esse*, Posterior, *vt ad motus, concursúsque essent leuiores.* Non ergo apta ærata materia Poëtæ, & quidem ille pedites armat. Quid ad hæc? fortasse Virgilianæ peltæ loreæ sunt, & tantùm obductæ leui lamina ad fulgorem; vnde sequitur *micant*, videlicet ex leui æris nebula, vt loquitur Martialis. Indicat hoc Poëta; nam de peltis *ærata*, de ense statim *æreus*: quasi illæ tantùm haberent aliquid æris, iste esset totus ex ære. Notum enim discrimen inter auratum, & aureum: ita inter æratum, & æreum. Ad hunc certè modum Statius lib. 4. Theb. Capanei scutum format ex coriis iuuencorum, quæ tamen vestit lamina ærea, ait enim:

Quatuor indomitis Capaneus erepta iuuencis
Terga, supérque rigens iniectu molis ahenæ
Versat onus.———

Vel dici etiam potest, peltas Virgilij, etiamsi ex ære, fuisse admodùm breues, & breuiores quidem, quàm illas, quas excogitauit Iphicrates, de quo ait Diodorus post adducta verba, ita factas, ὥστε σκέπειν ἱκανῶς τὸ σῶμα, *vt tegerent sufficienter corpus.* Hoc vt præstarent, non certè esse debuerunt multùm breues.

Mico, de gladiis. 13. MICAT ÆREVS ENSIS.] Liuius lib. 4. *hostis vrgere scutis, micare gladiis.* Sen. epist. 109. *etiamsi circa me gladij micarent.*

14. MONTOSÆ NVRSÆ.] Ciuitatem in montibus sitam agnoscit Seruius.

15. INSIGNEM FAMA.] Ab hoc elogio statim in initio 8. Æneid. *ductores primi Messapus, & Vfens.*

16. VENATV.] Quia in sterili terra, & duris glebis venatio necessaria ad alimoniam. De Afris Salust. in Iugurth. *Queis cibus erat caro ferina, atque humi pabulum vti pecoribus.* Venatu viuere.

17. ÆQVICOLA.] Alij efferunt per vltimam vocalem *Æquiculas*. Horum meminit Plinius cap. 12. lib. 3. Hos Liuius *Æquos* nominat. Alij *Æquanos*. Illud de *duris glebis*, Silius lib. 8. reddit, *rastrísque domant Æquiculæ rura.* Quia dura gleba, ideo domanda.

18. ARMATI TERRAM EXERCENT.] Credo allusum à Poëta ad veteres historias. Ita enim sæpe à Romanis pugnatum est cum Æquis, ita sæpe illi rebellarunt, vt penè necessariò cum armis esse deberent, etiam in cultu agrorum. Apud Liuium lib. 3. fœdus rumpunt, quod ictum erat priore anno: & lib. 4. post impetratas inducias annorum octo, non multo pòst bellum iterum parant. Cùm etiam lib. 5. ita deleantur, & ea cæde, *qualis vbi ira magis, quam virtute res geritur*, ait Scriptor, tamen lib. 6. iterum bellum moliuntur, & vincuntur à Camillo. Demum cùm lib. 9. illorum oppida vnum & quadraginta capiantur, diruantur, incendantur, ita vt *nomen Æquorum propè ad internecionem deletum* esset, quis crederet post hanc cladem illos arma capturos? tamen ecce lib. 10. denuo rebellant, *cùm præter animos feroces* (ait Liuius) *nihil ex antiqua fortuna haberent.* Inde iure optimo idem Scriptor lib. 9. vocat illos *veteres hostes.* & lib. 4. dicit quotannis illos bellum capessere: *Æquorum* (ait) *iam velut anniuersariis armis assueuerat ciuitas.* Quid ergo mirum si semper in armis essent etiam in labore agrorum? Nec mihi dubium, quin ad illorum ingenium respectum sit à Virgilio. Æqui rebelles,

19. ET VIVERE RAPTO.] Qui Liuium legat, clarè sciet Virgilium loquutum ex ingenita rapacitate Æquorum. Assueuerunt enim rapinis, direptionibus, populationibus. Apud illum Æqui lib. 3. Hernicorum fines depopulantur, pergúntque infesti in agros Romanos. Ibidem diripiunt agrum Latinum, Lanuuinum, Tusculanum, tanquam nimbus in loca omnia effusi. Sed signatissima sunt verba eiusdem scriptoris hæc eodem lib. 3. *Fortuna Volscis Æquísque prædonum potius mentem, quàm hostium dedit.* iterum: *Fabio, vt Antium legiones duceret, datum; Cornelio, vt Romæ præsidio esset, ne qua pars hostium, qui Æquis mos erat, ad populandum veniret.* Iure ergo Poëta de illis, & raptores.

Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

[a] Quin & Marrubia venit de gente Sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliua,
Archippi Regis missu fortissimus Vmbro.
[b] Vipereo generi, & grauiter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantúque, manúque solebat,
Mulcebátque iras, & morsus arte leuabat.
[c] Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit: neque eum iuuêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
[d] Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuêre lacus.

ARGVMENTVM.

Adest Vmbro Sacerdos Marrubiorum, cuius narratur potentia in viperas, & adhibetur πάθος ex illius obitu.

EXPLICATIO.

a VENIT Vmbro ab Archippo Rege Marrubiorum; duo de illo prædicat, & fuisse fortissimum, & Sacerdotem, ideo dat illi galeam, & oliuam in capite. Galea fortem respicit, oliua Sacerdotem. Ita verò hic *comptus oliua*, vt in 8. *comptos ramos.*

b Virtus Vmbronis in viperas ac serpentes, inque horum ictus ac morsus fuit admirabilis. Ferarum enim iras mulcebat, conciliato somno cantu ac manu: morsus verò leuiores esse faciebat, applicito medicamine.

c Hic tam admirandus in feras medicus minimè sibi opem afferre potuit contra Æneæ cuspidem, qua ictus occubuit. Nihil profecere in illo discrimine cantus, quibus somnos conciliabat: nihil herbæ quæsitæ in montibus Marsorum contra Marsas viperas.

d An tu quicquam dulcius his versibus? Apostrophe, repetitio, geminatio, omnia dulcissima.

NOTÆ.

Marrubij. 1. MARRVBIA.] Dicti Marrubij vel à Rege huius nominis, vel quasi habitantes circa mare, quia videlicet ad lacum Fucinum. Ita interpretes. Sed dici potest, detortam esse à Marsis vocem, vt ferè fit: nam Marrubium oppidum fuit Marsorum, quod attestatur Strabo. Et hîc Virgilius, cùm Marrubios nominat, Marsos proculdubio intelligit. Silius lib. 8. à Marris ducit, cùm ait:

Marrubium veteris celebratum nomine Marri.

Corona super galeam. 2. FRONDE SVPER GALEAM, &c.] Locutio poëtica; perinde ac si dicat. Comptus fronde oliuæ super galeam. Sed hîc tu morem attende, quo super galeam corona frondea. Apuleius in 10. loquens de Minerua: *Est caput contecta fulgenti galea, & ipsa galea oleaginea corona tegitur.* Tales Statius 7. Theb. describit milites.

Omnibus immistas cono super aspice lauros.

Talem Prudentius Romam lib. 2. in Symmachum his versibus.

Cùm galeam sub fronde olea, cristisque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto, &c.

Nec non Palladem Claudianus lib. 2. Rapt.

Insolitisque docet galeam mitescere sertis:
Ferratus lasciuit apex, horrórque recessit
Martius, & cristæ pacato fulgure vernant.

Et Nonnus lib. 28. στέμματα μὲν κορύθεσσιν: *coronæ erant in galeis.* Ex hoc igitur more Poëta Vmbronem producit vmbratum corona oleaginea super galea. Quis scit ergo, an Homerus libris 7. & 9. Iliad. galeas inducat cum coronis formatis è ferro, quando ille galeam vocat στεφάνην, *coronam*? Profero loca. In 7.

——Ἕκτωρ δ᾽ Ἠιονῆα βάλ᾽ ἔγχεϊ ὀξυόεντι
αὐχέν᾽ ὑπὸ στεφάνης εὐχάλκου. ——
——*Hector autem Eioneium percussit hasta acuta*
Per ceruicem sub corona boni æris.

A In 9. quoque vocat στεφάνην χαλκείην loquens de galea, id est, *æream coronam.* Scio ab interpretibus στεφάνην Homeri sumi simpliciter pro *galea.* Hîc obiter, non quidem agito, sed attingo quæstionem. Dixi tertio Georg. victores Olympicorum coronari solitos oleastro, non olea: aut si hac, rarò. Hîc adiicio, incidisse postea in luculentum laborem Caroli Paschal. lib. 6. Coron. cap. 18. vbi validè probat, verè coronam illam fuisse ex oleastro, non ex olea. Impugnátque acriter sententiam Scholiastæ Aristophanij, qui in Plut. docet, coronam illam fuisse ex olea. Habet me Carolus fauitorem, quem legat, qui me voluit reprehendere fultus auctoritate eiusdem Scholiastæ, & Gerardi, qui Comment. in Aristophan. vult suadere, coronam illam fuisse ex olea, B non ex oleastro, omnino ἀτόπως. Lege etiam caput 19. eiusdem Caroli, vbi Scholiasten Aristophanis vocat audacem, pertinacem, imperitum, nugatorem, quòd ita senserit. Neminem potui Carolo meliorem defensorem ne optare quidem. Oleaster Olympicorum.

Archippus. 3. ARCHIPPI.] Oppidi Marsorum Archippi meminit Plinius lib. 3. cap. 12. & Solin. cap. 8. Quod certè non abludit à Rege Marsorum Archippo. Itaque apparet ex cognitione harum historiarum Poëtam hunc vocasse Archippum. Non placet in Solinum Camers, qui tam in Solino, quàm in Plinio Alchippen vult legi, non Archippen. Ego puto in vtroque legendum Archippen: & quidem in C correcto Dalecampij Pliniano codice *Archippen*, est, & in nonnullis Solini ita legi Camers ipse attestatur.

4. MISSV.] Credo allusum à Poëta ad Romanos Legatos in bello, & poëticè *missum* dixisse.

Marsi fortissimi. 5. FORTISSIMVS VMBRO.] Quidni à gente trahat Maro attributum? Elogium Appiani de Marsis lib. 1. Ciuil. est hoc, ἔστι γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον: *est enim natio bellicosissima.*

Locorum similitudo. 6. VIPEREO, &c.] Totum hunc locum imitatur Silius lib. 8.

Hæc bellare acies norant, ac Marsica pubes,
Et bellare manu, & chelydris cantare soporem,
D *Vipereúmque herbis hebetare, & carmine dentem.*
Æetæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monstrauisse ferunt, tactúque domare venena.

7. SPARGERE QVI SOMNOS.] Præclarè: nam cum allusione ad rorem, quo somnos conciliari dicebant veteres. Vide quæ iam ad exitum lib. 5.

Manus in veneficiis. 8. MANV.] Hoc iam Turnebo debes. Notat enim in veneficiis non solùm carmini, sed etiam manui locum esse; nam videlicet herbis quædam vincula adhibebantur. Inde Plaut. Amphit. *Nescio quid mali est mala obiectum manu.* Adiunge versum Silij iam adductum, *tactúque domare venena.*

9. SED NON DARDANIÆ, &c.] Tale illud,

Sed non augurio potuit depellere pestem.

Inuulnerabiles olim. Ceterùm, attingit Poëta hoc loco morem, quo se E olim munirēt mortales veneno & superstitione aliqua contra vulnera, cùm ait Vmbronem id fecisse; sed irrito euentu: nam neque cantus, neque herbæ remedium attulêre. Morem istum satis indicat Statius 9. Thebaid. vbi loquens de Parthenop. ita scribit.

——*primumque leues ferrata sagittas*
Audacis tergo pueri, cœlestibus implet
Coryton telis, quorum sine sanguine nullum
Decidit: ambrosio tum spargit membra liquore,
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantúsque sacros, & conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris

Nocte

Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.
Tum verò exerto circumuolat igneus arcu,
Nec se mente regis patria, matrísque, suique
Immemor, & nimium cælestibus vtitur armis.

Huc pertinent verba Eustathij in lib. 20. Odyss. indicata ab Germano in lib. 10. Æneid. Ait enim Eustath. ex Pausaniæ Dictionario, Crœsum se Ephesiis litteris muniuisse contra vim ignis; nam litteræ illæ habebant naturalem potestatem ad calamitatem omnem auertendam. Verba Græci Scriptoris. Παυσανίας δέ φησιν ἐν τῷ κατ' αὐτὸν ῥητορικῷ λεξικῷ, καὶ ὅτι φωνὰς εἶχεν τὰ ἐφέσια γράμματα, φυσικὴν ἐμπεριέχουσαι τὴν ἀλεξίκακον. ὡς καὶ Κροῖσον ἐπὶ πυρᾶς φησὶ καὶ αὐτὸς εἰπεῖν. Neque abit ab hoc loco historia Cedreni pag. 218. de nobili virgine Christiana, quæ his verbis promisit militi pharmacum. Δώσω γάρ σοι φάρμακον ὡς φαρμακὶς ἀθανασίας ἀρόζειν, ᾧ χρισάμενος, ἄτρωτος μενεῖς ἐν τοῖς πολέμοις: *Cum sim medica tibi medicamentum prabebo. mortis amuletum, eo inunctus eris in bello inuulnerabilis.* Quam historiam eo libentiùs attuli, vt moneam Lectorem, ab hac ipsa verbatim Ludouicum Ariostum transtulisse commentum illud, quo Isabella castitatem suam vindicauit à praeferoce Mauro. Quod facilè indicabunt collata loca Ariosti, & Cedreni: ita scilicet patet secta plagiariorum. Certè commentum illud Isabellæ solebam laudare, vt ingeniosum: & ecce vnde sumptum. Redeo. Id ipsum Eurip. attigit in Supplicib. his versibus,

Μισῶ δ' ὅσοι χρῄζουσιν ἐκτείνειν βίον
Νώτοισι, καὶ στρωμναῖσι, καὶ μαντεύμασιν,
Παρεκτρέποντες ὀχετὸν, ὥστε μὴ θανεῖν:
Odi quotquot volunt vitam extendere
Vehiculis, & lectis, & incantationibus,
Auertentes vitæ cursum, ne moriantur.

Et fortasse de hoc genere incantamenti capiendus Homeri versiculus 4. Iliad. hic,

Ὅστις ἔτ' ἄβλητος, καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ:
Quisquis adhuc illæsus, & inuulneratus acuto ferro.

Ita & Bassaridas Bacchi commites inducit Nonnus lib. 30. quæ τυπτόμεναι μίμνουσιν ἀνούτατοι: *verberatæ manent illæsæ, & sine vulnere.* Idem lib. 40. satis indicat hoc genus incantamenti, cùm in re belli loquens ait, πολυφάρμακα θαύματα τέχνης, *miracula artis veneficiis plena*, videlicet de inuulneratis: & post pauca, μάγγανα τεχνήεντα: *veneficia artificiosa.*

Marsi venefici.

10. MARSIS.] Marsorum virtus in serpentes cui non nota? Ideo Poëta Vmbroni, vt Marso, hanc communicat. Potentiam Marsorum ad Circen confert Plinius cap. 2. lib. 7. *Simile & in Italia Marsorum genus durat, quos à Circes filio ortos seruant, & ideo inesse his vim naturalem eam.* Eadem ferme scribit lib. 25. cap. 2. vbi de Circæis ait, *esse domitores serpentium*, videlicet *durãte in Marsis à filio eius* (Circes) *orta gente.* & cap. 8. *Gentem Marsorũ serpentibus illæsam esse nihil mirũ. A Circes filio hi genus ducunt, & de auita potentia deberi sibi sciunt seruitium venenorum, ideo venena contemnunt.* Firmicus (citat hunc Cælius cap. 16. lib. 6.) lib. 4. Matheseos, *Marsos, qui aspides venari consueuerunt.* Agellius cap. 11. lib. 16. *Gens in Italia Marsorum orta fertur esse a Circes filio Marso: propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permistæ, corruptæq́; sunt; vi quadam genitali datum, vt serpentium virulentarum domitores sint, & incantationibus, herbarúmque succis faciant medelarum miracula.* Adduxi integra, vt videas circumstantiam illam de integro genere, quò tacitè videtur respexisse Plinius, cùm dixit, *quos à Circes filio ortos seruant.* Video adhuc in Virgilio quidpiam non vulgare. Assignat hanc virtutem Sacerdoti Marsorum, audi Lam-

A pridium in Heliogabalo: *Serpentes per Marsicæ gentis Sacerdotes collegisse fertur, eósque subitò ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse, multósque afflictos morsu, & fuga.* Ab hac ergo Marsorum virtute exaggerans Horatius dixit in Epod. Od. 5. *nec vocata mens tua Marsis redibit vocibus*, id est, nullo quamuis fortissimo genere inuocationis & incantationis. Notetur locus Arnobij lib. 2. de laminis, quibus vsi Marsi contra serpentes. Sic enim reprehendens: *Aduersùs ictus noxios, & venenatos colubrarum morsus remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Psyllis, & Marsis vendentibus.* Digna est Cælij nota, quæ sciatur, à Marsis dictam viperam *marassam*, vt in quam feram præcipua potestas Marsorum. Aduocat Galenum. Inde Virgilius principe loco, *vipereo generi.* Non

Marassa vipera.

B errabit, qui referat potentiam Marsorum ad Marsyam Lydorum ducem (cuius notæ sunt incantationes) ille enim in Italiam venit, & Archippen vrbem condidit, quæ vrbs dissoluta est, & hausta hiatu terræ, & loco eius natus lacus Fucinus Marsorum, vt referunt Plinius cap. 12. lib. 3. & Solinus cap. 8. Similem porrò virtutem attribuit Silius lib. 1. Atyri, his versibus:

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactúque graues sopire chelydros,
Ac dubiam admoto sobolem explorare cerastæ.

Et lib. 3. Marmaridis,

Ad quorum cantus serpens oblita veneni,
Ad quorum cantus mites iacuère cerastæ.

C 11. TE NEMVS, &c.] Statij versus lib. 5. ad præceptoris vestigia hi sunt.

Locorum similitudo.

Illum & cognatæ stagna indignantia Lernæ,
Floribus & vernis assueta spargere Nymphæ,
Ac Nemees reptatus ager, lucósque per omnes
Syluicolæ fracta gemuistis arundine Fauni.

Et lib. 7.

Occidis Aonij puer altera cura Lyæi,
Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis,
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseáque Naxos,
Et Thebana metu iuratus in orgia Ganges.

Et lib. 5.

——Regémque peremptum
Ipse ager, ipsi amnes, & muta armenta queruntur.

Propiota sunt illa Ausonij in Mosella,

Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
D *Te liquidæ mirantur aquæ.——*

Sed pace Statij, fortasse Ausonij, meliùs sequutus est magistri vestigia Fracastorius lib. 1. Syphil. his versibus.

Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt:
Illum omnes Olliquе Deæ, Eridaníque puellæ
Fleuerunt, nemorúmque Deæ, riuísq́; puellæ,
Sebinusq́; alto gemitum lacus edidit amne.

Audi & Claudian. 2. Rap.

Te iuga Taygeti, posito te Mænala flebunt
Venatu, mœstóque diu lugebere Cyntho.

Et lib. 2. Eutrop. de re alia loquens,

Totáque summissis fleuerunt Dindyma syluis.

E Et Ouid. 11. Metamorph. de morte Orphei,

Te mœstæ volucres Orpheu, te turba ferarum,
Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ
Fleuerunt syluæ, &c.——

12. ANGITIÆ.] Quæ hæc, explicat Solinus cap. 8. *Caius Cælius Æetæ tres filias, Angitiam, Medeam, & Circen fuisse dicit. Circen Circæos insedisse montes carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Angitiam vicina Fucino occupauisse, ibique salubri scientia aduersùs morbos resistentem, cùm desisset intus hominem viuere, Deam habitam. Medeam, &c.* Et Silius.

Angitia quæ

Æetæ prolem Angitiam mala gramina primam
Monstrauisse ferunt.——

Seruius tamen hoc nomen ad Medeam refert, non ad sororem, verba eius: *Hi ergo populi* (Marsi) *Medeam Angitiam nominauerunt, ab eo, quòd eius carminibus serpentes angerent*. Notat etiam Cælius in adducto loco, ipsosmet Marsos dictos Angitios, quòd obluctantes angerent serpentes.

Fucini aqua.

13. VITREA TE FVCINVS VNDA.] Lacus Marsorum, cuius omnes meminêre. Sed cur *vnda vitrea*? Credo non tam id dictum communi aquarum omnium attributo, quàm ex peculiari nota huius aquæ, quæ vitrea esse apparet, id est, clara. Id mihi Sidonius indicat epist. 5. lib. 1. ait enim: *Vitrea Fucini, gelida Clitumni, Anienis cærula, Naris sulphurea.* Coniectare hæc ex Sidon. licuerit Fucinũ non vidẽti: qui adsũt lacui, videãt an ita. Inde signatè quoq; Sil. lib. 4. *vitreo quem Fucinus antro.* Id etiã allucet ex Symmac. epist. 14. lib. 1. qui aquis aliis pecularia attribuens elogia, Fucino dat claritatem: *Hunc* (Mosellam) *tu* A *mihi improuiso clarorum versuum dignitate Ægyptio Nilo maiorem, Sarmatico Istro frigidiorem, clarioremque hoc nostro populari Fucino reddidisti.* Loquitur cum Ausonio, qui luculentè celebrauit Mosellam.

14. TE LIQVIDI FLEVERE LACVS.] Moschus in Bion. Locorum similitudo.

Καὶ ποταμοὶ κλαίοιτε τὸν ἱμερόεντα Βίωνα:
Deflete fluuij mitem Bionem.

Fracast. lib. 2. Syphil. ita dulcissimè.

Te ripa fleuêre Athesis, te voce vocare
Audita per noctem vmbra, manésque Catulli,
Et patrios mulcere noua dulcedine lucos.

Sed & Statius lib. 10. Theb. non minùs dulciter:

B *Te nemus Oebalium, te lubrica ripa Lacanæ*
Virginis, & falso gurges cantatus olore
Fleuit, Amiclæis Triuiæ lugebere Nymphis.

Et lib. 12.

Arcada, quem gemina pariter fleuêre cohortes.

Valer. lib. 4. Arg.

Fleuit Amymone, flerunt Messenides vndæ.

[a] Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, insignem quem mater Aricia misit
Eductum Egeriæ lucis, Hymettia circum
Littora: pinguis vbi, & placabilis ara Dianæ.
[b] Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte nouercæ
Occiderit, patriásque expleerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sydera rursus
Ætheria, & superas cœli venisse sub auras,
Pœoniis reuocatum herbis, & amore Dianæ.
[c] Tum Pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad vndas.
[d] At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ, nemoríque relegat.
Solus vbi in syluis Italis ignobilis æuum
Exigeret, versóque vbi nomine Virbius esset.
[e] Vnde etiam Triuiæ templo, lucísque sacratis
Cornipedes arceantur equi, quòd littore currum,
Et iuuenem monstris pauidi effudêre marinis.
[f] Filius ardentes haud secius æquore campi
Exercebat equos, currúque in bella ruebat.

C

ARGVMENTVM.

Describuntur natales Virbij, qui fuit Hippolyti filius. Cuius rei occasione ansam capit Poeta ad narrandum interitum Hippolyti, eiusdem ad vitam reuocationem Æsculapij opera, & Dianæ amore. Inde sæuitum in Æsculapium à Ioue, sed Diana, ne quid tale Hippolyto accideret, eum subtrahit mortalium consortio, & Egeriæ Nymphæ, ac syluis credit.

EXPLICATIO.

[a] VIRBIVS filius fuit Hippolyti, ita dictus à patre. Natus est in luco Egeriæ Nymphæ prope Ariciam ad amnem Hymettum: quo loci erat Dianæ ara, vbi ipsa placabatur cæde pinguium victimarum. *Eductus*; est hîc, & natus, & nutritus, γεννηθεὶς καὶ τραφείς.

b Cur

b Cur Poëta subiiciat narrationem patris Hippolyti, silent interpretes. Verè mens Poëtæ est, Virbium fuisse procreatum ab Hippolyto, postquam is reuocatus est ad vitam. Id satis indicat Virgilius particula *namque*. Et certè, nisi hoc velit, opportuna non erit narratio. Sed iam ad narrationem. Aiunt (inquit) Hippolytum, postquam Phædræ nouercæ consilio, & patris Thesei iracundia occidit ab equis raptatus; rursum reuocatum ad vitam herbis Æsculapij impetrante hoc Diana ab illo, nam iuuenem diligebat.

c Indignatus est Iuppiter, inueniri posse hominem, qui semel mortuus ad vitam rediret, ac propterea Æsculapium (erat is Phœbi filius) percussum fulmine ad inferos detrusit, qui talem medicando artem inuenerat, qua reduceret ad vitam mortuos.

d Quid tum Diana? timuit fore, vt idem pateretur Hippolytus, ac propterea subtractum illum in lucis abscondit, ac committit Nymphæ Egeriæ. Ibi Hippolitus vitam agit ignotus aliis, ac mutato nomine dictus est Virbius, quasi bis vir, quia bis habuit vitam, ne videlicet antiquo nomine proderetur. Vtique παλιμψυχ☉, & παλίμβι☉.

e Adducit argumentum, quo credi possit superior fabula. Dicitur Hippolytus fuisse raptatus equis percussis pauore phocarum maris, quæ erant in littore. Ergo ab his lucis, qui sacri erant Dianæ, & in quibus Hippolytus latuit, equi arcentur, quasi in vindictam admissæ culpæ.

f Redit tandem ad filium Virbium, qui instar patris Hippolyti equos, & currum agebat per campos ruens in bella ostentabundus. *Non secius*, est, non segniùs, quàm pater.

NOTÆ.

Pulchritudo data magnis Principibus.

1. PROLES PVLCHERRIMA BELLO.] Laus frequens magnis ducibus, & viris à suis Poëtis præbita; neque enim eos laudant ex factis tantùm, sed ex pulchritudine. Res hæc obuia in Homero, Virgilio, aliis. Hîc adiungo illibatum Pindarum Od. 8. Olympiad. vbi de Alcimedonte victore.

Ἦν δ᾽ ἐσορᾶν καλὸς ἔργῳ
Τ᾽ οὐ κατ᾽ εἶδ☉ ἐλέγχων:
Erat aspectu pulcher, factis autem
Non formam dedecorans.

Et Od. 9. de Epharmasto,

Ὑπέρβατον ἄνδρα μορφᾷ
Τε καὶ ἔργοισι:
Virum præstantem forma
Et factis.

Iterum;

——ὡραῖ☉ ἐὼν καὶ καλὸς, κάλλιστά τε ῥέξας:
——*decorus erat & pulcher, virtute etiam præstans.*

De Paride suo Hecuba apud Eurip. Troadib.

Ἦν ἐμὸς υἱὸς κάλλ☉ ἐκπρεπέστατ☉:
Fuit ille meus filius pulchritudine præstantissimus.

Plinius Paneg. laudat Traianum ab oris dignitate. Hinc ego expendo Homerum libro tertio Iliados, qui ait ore Hectoris Græcos, putaturos Paridem esse ἀριστῆα πρόμον, *optimum propugnatorem*, cuius opinionis rationem adducit hanc, οὕνεκα καλὸν εἶδ☉ ἔπι: *quia videlicet esset in eo venusta forma.* Silius libro primo Tagum ducem Hispanorum hoc elogio exornat;

Ore excellentem, & spectatum fortibus ausis.

Dignissima sunt quæ notentur verba Athen. lib. 13. quæ adducit ex historia Heraclidæ. Narrat Heracli-

A des, in admiratione fuisse Spartæ virum pulcherrimum, & feminam pulcherrimam: ac propterea Archidamum Regem fuisse ab Ephoris pœna affectum, quòd cùm hinc mulierem formosam aspexisset, illinc deformem, sed diuitem, in diuitem inclinaret, dicebant quippe Ephori, ὅτι βασιλίσκους αὐτῷ βασιλέων τοῖς Σπαρτιάταις γεννᾶν προαιρεῖτο: *malle eum basiliscos procreare quàm Reges Spartanis.* Et adiicit statim ex Eurip.

Πρῶτον εἶδ☉ ἄξιον τυραννίδ☉:
Prima species digna est Imperio.

Non alio sensu dictum est ab Aristide in Encomio Romæ, φοβερὸν μὲν γὰρ ἦν γονεῦσι παιδὸς εὐμορφία: *parentibus pulchritudo filij erat in metu*; quia videlicet pulchrior filius præferebatur patri in Regno. Apud

B Tacit. 2. Annal. leges; *Cæsar Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam, & præclarum animum volentibus Armeniis præfecit.* Cùm dicat de Hierone Iustin. lib. 23. nihil ei Regium deesse, adhibet inter dotes alias, imò ante alias, *pulchritudo ei corporis insignis.* Verum est difficilè hæc conciliari, vt in pulchritudine corporis sit robur animi: ideo Græcus Theognis.

Παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ, καὶ κάλλ☉ ὀπηδεῖ.
Ὄλβι☉ ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.
Paucis hominibus animi virtus, & pulchritudo simul insunt.
Felix, qui vtrunque sortitus est.

2. MATER ARICIA.] Accipio Seruij interpretamentum hoc: *Mater, propter Augustum dicit, qui fue-*

C *rat ex Aricina matre progenitus, ac si diceret: quæ tanti auctor est generis.* Accipio (inquam) nam hic Vates nullam omittit occasionem laudandi sui Principis.

Egeria.

3. EGERIÆ LVCIS.] Probè. Nam Egeria putata est habitasse in lucis, & fuisse lucorum Dea. Plutarchus loquens de Numa. Ὁ δὲ Νουμᾶς ἐκλιπὼν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς, ἀγραυλεῖν τὰ πολλὰ, καὶ πλανᾶσθαι μόν☉ ἤθελεν, ἐν ἄλσεσι θεῶν, καὶ λειμῶσιν ἱεροῖς, καὶ τόποις ἐρήμοις ποιούμεν☉ τὴν δίαιταν: *Numa autem relicta vrbana vita, rusticari sæpe, & errare solus voluit, egitque vitam in lucis Deorum, in sacris pratorum amœnitatibus, & in desertis locis, ac recessibus.* Post quæ verba statim subiicit vulgatam famam de congressu Numæ cum Egeria in desertis locis: cum qua simulauit nocturnos congressus (ait Liuius) vt hoc miraculi commento

D meliùs in animos descenderet.

Lectio Virgiliana.

4. HYMETTIA.] Multi hîc *humentia*, & probè. Nam quî legi queat *Hymettia*, cùm Hymettus & in Attica sit, & mons sit: Virgilio autem sermo sit & de Italia, & de loco plano, ait enim *littora*: Itaque sequamur & Romanum codicem, in quo *humentia*, & Gifanium ita asserentem, & Germanum illi assentientem. Si quis legat *Hymettia*, dicat, Hippolytum memorem suæ Atticæ indidisse hoc nomen parti Italiæ. Nam in Hymetto Atticæ solitum illum versari, ac venari liquidum ex Seneca in Hippolyto, vbi inter alia loca, in quibus venari iuuenis consueuerat, Hymetti meminit. Astruit hoc locus Polybij

E lib. 8. vbi loquens de Tarentinis Italiæ, in quorum tractu est fluuius Galæsus (alij legunt, Galesus) ita ait, τὸν μὲν τινες Γαλαῖον, τὸν δὲ οἱ πλεῖστοι προσαγορευόμενον Εὐρώταν, ὃς ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν αὐτὴν ἀπὸ τοῦ τὴν Λακεδαίμονα ῥέοντ☉ Εὐρώτα: *Ad Galæum, vt quidam nominant: vt verò plurimi, ad Eurotam; quod cognominis ab eo fluuio accepit, qui præterfluens Lacedæmona Eurotas dicitur.* Et adiicit multa huiuscemodi nomina esse in Tarentinis ducta à Lacedæmoniis; nam horum colonia sunt. Cur verò ab Hymetto Atticæ non Hymettus Italiæ? Sed deest auctor, quòd non

in Galæo, ideo præfero, vt *humemia* legatur. Quid A quòd Hymettus primam corripit?

Pingues aræ. 5. PINGVIS.] Respicit Græcorum πίονα, & sacra, quæ illi vocant πίονα, καὶ παχύνσιμα. Quippe ab luculenta, & frequenti victimarum mactatione, aræ dicuntur pingues, sicuti agnæ ipsæ, & victimæ πίονες.

6. PLACABILIS ARA DIANÆ.] Deflectūt hoc interpretes ad prisca Dianæ sacra: nam hæc Dea (ait Eurip.) θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις. Ergo, quæ olim humanis victimis gaudebat, iam est placabilis, id est, non ita gaudet humano, vt olim, sanguine. Est 9. Æneid. locus huic similis, vbi sermo est de ara Palici.

Nouercarū odium. 7. POSTQVAM ARTE NOVERCÆ OCCIDERIT.] Quis ignotat amorem Phædræ erga Hippolytum B priuignum, & huius obitum? Omitto. Lege Muretum lib. I. Var. cap. 12. vbi coniungit similia nouercarum exempla plura, de quibus & nos aliqua in Eclog. Sed inter omnes nouercas, vna Phædra decantatur tragicis Euripidi, Senecæ, aliis, vt dirissima omnium. Illam, non aliam, Poëta ἀδήλως in exemplum proponit lib. I. quem & vertam.

> *Μητρυιαὶ προγόνοισιν ἀεὶ κακόν: οὐδὲ φιλεῦσι*
> *Σώζουσιν. Φαίδραν γνῶθι καὶ Ἱππόλυτον.*
> *Qualia dent miseris priuignis fata nouercæ*
> *Scire cupis? noscas Phædran & Hippolytum.*

Est *arte nouercæ*, dolo nouercæ, τῇ τέχνῃ. Nam vt Græcis τέχνη est *dolus*, ita Latinis *ars*.

8. TVRBATIS DISTRACTVS EQVIS.] Nega- C bant hoc Trœzenij apud Pausan. in Corinthiac. Nam de illis, & Hippolyto loquens ita ait. ἀποθανεῖν δ' αὐτὸν οὐκ ἐθέλουσι συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων: *Aiunt illum ab equis tractum non obiisse.* Adducit argumentum, οὐδὲ τὸν τάφον ἀποφαίνουσιν εἰδότες, *nam nullo loco illius sepulcrum extat.* Imò de illo, τὸν δ' ἐν οὐρανῷ καλούμενον

Hippolytus stella. ἡνίοχον τοῦτο εἶναι νομίζουσιν ἐκεῖνον Ἱππόλυτον: *Verumtamen eum raptum ad cœlum putant, & eum esse Hippolytum dicunt, qui auriga nunc est.* Inde lucem capit Ouidius 6. Fast. vbi loquens de Ophiuco.

> *Surgit homo iuuenis stellis afflatus auitis,*
> *Et gemino nexas porrigit angue manus.*
> *Notus amor Phædræ, nota est iniuria Thesei,*
> *Deuouit natum credulus ille suum.*

D

Verum est, induci ab Ouid. ab equis raptatum, etiamsi in cœlo constituat. Sed discrepantiæ istæ in fabulis vsitatæ.

9. AD SYDERA RVRSVS, &c.] Negat hoc Horatius Od. 7. lib. 4.

> *Infernis neque enim tenebris Diana pudicum*
> *Liberat Hippolytum.*

Cur Horatius discreparit à Virgilio, interpretes Horatiani aperiunt, sed verè nullus ad gustum. Claudianus de Bello Getico, Virgilio assentit:

> *Et iuuenem spretæ laniatum fraude nouercæ*
> *Non sine Circæis Latonia reddidit herbis.*

Hippolytus Deus. Quin Pausanias eum cultum scribit vt Deum, lib. 2. illique ab hoc auctore assignantur θυσίαι ἐπέτειοι, *sacra anniuersaria.* Adducitque hoc diuinitatis illius ar- E gumentum. ἑκάστη παρθένος πλόκαμον ἀποκείρεταί οἱ πρὸ γάμου, κειραμένη δὲ ἀνέθηκεν εἰς τὸ ναὸν φέρουσα: *Omnes virgines ante nuptias capillum sibi detondent, detonsumque afferunt, & consecrant in illius templo.* Verum est, posse argumentum hoc consistere, etiamsi esset mortuus, simillimis Gentilium erroribus. Nam de Æsculapio

Æsculapius Deus. post supplicia fulminis ait Arnob. lib. I. *custodem nuncupauistis, & præsidem sanitatis, valetudinis, & salutis.* Quod etiam probat argumento Romuli, qui laceratus ac discerptus, tamen puluinaribus honoratur, & sacris ædibus adoratur, ac demum iuratur ascendisse in cœlum.

Pœoniæ herbæ. 10. POEONIIS.] Pœona celebratissimum medicum, & vulnerum curatorem fecerunt veteres, Homerúsque illum inducit curantem Martis vulnera Iouis iussu ad calcem lib. 5. Iliad. Inde herbæ Pœoniæ κατ' ἐξοχὴν, quasi potentissimæ. Credi potest sic dictus Pœon ille à Phœbo repertore medicinæ, qui iccirco Pæan vocatus est, scilicet ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, *à sedandis doloribus.* Scio ab aliis deduci ἀπὸ τοῦ παίειν, *à feriendo* Sciat hîc obiter Lector, Latinos hanc vocem decurtasse, dicunt enim Pœon, cùm Græcis sit παιήων, id est, *Paeon*, vt videbis apud Homerum. Intellige verò in Poëta per *herbas Pœonias*, incantamina, quibus vsus Æsculapius; nam Pind. Od. 3. Pyth. illi attribuit μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς ad curationem.

Deus homines amat. 11. ET AMORE DIANÆ.] Blanditur Plutarchi locus in Numa. καί τις λόγος ἔχει τὸ θεῖον, οὐ φίλιππον, οὐδὲ φιλόρνιν, ἀλλὰ φιλάνθρωπον ὄντα, τοῖς διαφέρουσιν ἀγαθοῖς ἐθέλειν συνεῖναι, καὶ μὴ δυσχεραίνειν, καὶ ἀτιμάζειν ἀνδρὸς ὁσίου καὶ σώφρονος ὁμιλίαν: *Et sanè non mirum est, cùm non equorum, vel auium Deus, sed hominum amore teneatur, cupere eum esse cum his, qui virtute excellunt, neque velle dedignari hominis diuini, & sapientis familiaritatem.* Adduxerat quippe in hoc argumentum, quæ de Arte Phryges narrant, quem dilexit Cybele; quæ de Endymione Arcades, quem Luna, & alia.

Lectio Virgiliana. 12. VMBRIS INFERNIS.] His opponit *vitæ lumina.* Quæ oppositio facit, vt hîc nequeat ferri lectio illa, *limina vitæ.* Quamuis aliis locis debeat agnosci. Poëtæ enim *vitæ limina*, & *vitæ oras* libenter vsurpant.

Æsculapij supplicium. 13. IPSE REPERTOREM, &c.] De eadem fabula Ouid. 6. Fast.

> *Iupiter exemplum veritus direxit in illum*
> *Fulmina, qui nimiæ mouerat artis opem.*

Sed & Lactant. lib. I. cap. 10. & 19. scribit, Æsculapium fulminibus ab Ioue detrusum in abdita inferorum. Arnobius lib. I. *Æsculapium medicaminum repertorem post pœnas, & supplicia fulminis.* & lib. 4. *Æsculapium fulminis transfixum telo.* Interpres Æschyli in Agamemn. τὸν Ἀσκληπιὸν γὰρ ἱστοροῦσιν ἀναστήσαντα τὸν Ἱππόλυτον. Loquitur de Ioue: *percussit fulmine Æsculapium, quòd is Hippolytum vitæ reddidisset.* Pindarus Od. 3. Pyth. non ipsum solùm Æsculapium, sed etiam Hippolytum ait percussum fulmine ab Ioue. Ex eodem Pindaro Plato lib. 3. Polit. κεραυνωθῆναι ait de Æsculapio, tametsi aliam adducat rationem. Notandus Plinij locus lib. 29. cap. 1. *Hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æsculapium fabulata, quoniam Tyndariden reuocauisset ad vitam.* vbi vides Hippolytum vocari Tyndariden. Dalecamp. enim Plinium de Hippolyto accipit, & Noster Delrius, qui ait, à Plinio Hippolytum vocari Tyndariden. Sed videndum an hoc ita sit. Nam Diodorus scribit, Æsculapium occisum à Ioue, non propter vnum tantùm Hippolytum ab inferis reuocatum, sed quòd vulgò plerosque mortuos crederetur excitare. Vnde & Quintus Serenus inuocans Æsculapium, sic generatim loquitur.

> *Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas*
> *Nosti, atque in cœlum manes reuocare sepultos.*

Et Claudianus in victoria Stiliconis contra Alaricū.

> *Cretáque, si verè narratur fabula, vidit*
> *Minoem rupto puerum prodire sepulcro.*
> *Quem senior Vates auium clangore repertum*
> *Gramine restituit, &c.———*

Sed & Capaneum, Lycurgum, Orionem, & plures alios

alios traditur excitasse ad vitam Æsculapius. Et de Androgeone clarè Propert. lib.: Eleg. 1

Et Deum extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.

Cur ergo non propriè Plinium accipiam? Cùm præsertim interpres Pindari (quod maximum contra Dalecam. & alios pondus) ita scribat ex Apollodoro. Φησὶ κεραυνωθῆναι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπὶ τῷ τὸν Ἱππόλυτον ἀναστῆναι: Ἀμελησαγόρας δὲ, ὅτι Γλαῦκον: Πανύασις δὲ, ὅτι Τυνδάρεων. *Ait Apollodorus percussum fulmine Æsculapium, quòd Hippolytum vitæ reddiderit: Ameliagoras autem, quòd Glaucum: Panyasis autem, quòd Tyndareum.* Nihil clarius. Prosequitur deinceps interpres, & multos alios in hunc catalogum inducit. Vertat ergo Dalecampius stylum, qui Nostrum Delrium in fraudem induxit.

Æsculapius multos vitæ reddit.

14. PHOEBIGENAM.] De natalibus Æsculapij locus est satis longus in Corinthiac. Pausaniæ. Lege. De lectione Poëtæ notat Lilius 7. Syntag. videri interpretem Statij 3. Theb. legere *pœnigenam*, quasi per pœnam matris natum. Nam eius matrem Coronidem Apollo sagittis suis peremit, quòd cum Ischy concubuisset. Tractat Pindarus latè hanc fabulam Od. 3. Pyth. & attingit Apollonius lib. 4. Alia ratio est in Seruio. Ait enim: *Pœnigenam, Pœna matre genitum.* Mihi placita vulgaris lectio.

Lectio Virgiliana.

15. SECRETIS RECONDIT SEDIBVS.] Idem cautus in Rhea Iouis matre, quæ ablatum filium crudeli Saturno, κόλποις ἐνικάτθετο κρήτης, ait Oppian. lib. 3. Cyneg. *finibus Cretæ commisit*, vt videlicet ibi esset tutus Iuppiter. Idem cautus in Cerere apud Claudianum lib. 1. Rap. quæ timens raptus futuros.

Similitudo fabularum.

Commendat Siculis furtim sua pignora terris.

16. NEMORIQVE RELEGAT.] Vt quo semper delectatus Hippolytus, imò & vbi cultus. Pausan. in Corinthiac. Ἱππολύτῳ δὲ τῷ Θησέως τέμενός τε ἐπιφανέστατον ἀνεῖται, καὶ ναὸς ἐν αὐτῷ, καὶ ἄγαλμά ἐστιν ἀρχαῖον: *Hippolyto Thesei filio lucus eximia pulchritudine dedicatus est, cum templo, & prisci operis simulacro.* Et ibi Regem fuisse ibidem adnotat Pauſ. ait enim historiam narrans, ἐβασίλευσε. Ouid. 6. Fast.

Aricinum.

Lucus eum nemorisque sui Dictinna recessu
Celat: Aricino Virbius ille lacu est.

Et Statius loquens de Diana Aricina lib. 3. Sylu.

Iámque dies aderat profugis cùm Regibus altum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus.———

Porrò lacus huius, qui in Aricino nemore, meminit quoque Ouid. lib. 14. Metamorph.

Quæq; colunt Scythicæ stagnum nemorale Dianæ.

Ex Ouidio, & Statio habes, nemus, vbi inclusus est Hippolytus, esse Aricinum. In quo nemore ille filium habuit, qui nunc ad Latinum bellum contra Æneam, vnde suprà, *quem mater Aricia misit.*

17. IGNOBILIS.] Non referas ad infamiam; sed tantùm ad latebras, quibus abditus. Itaque tantùm indicat ignotum Hippolytum, & nullis peruium. Vtique ἄγνωστον, καὶ ἀγνώριστον: & vt Eurip. Iphigen. ἀκίνδυνον βίον, vt esset eius vita sine periculo. Hoc sensu Plautus Pseudol.

Ignobilis non de infami.

Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.

18. CORNIPEDES.] Ita in 6. *cornipedum equorum.* Et Statius lib. 4.

Cornipedes.

Cornipedem trepidos suetum præuertere ceruos.

19. ARCENTVR.] Neque hoc solùm, sed tanquam auctores mali viginti equos Hippolytus mactandos dedicauit Æsculapio, quod tradit Pausan. Corint.

Equi mactati in honorē Æsculapij.

[a] Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.
[b] Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.
[c] Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
[d] At læuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos Virginis Argus,
Cælatáque amnem fundens pater Inachus vrna.
[e] Insequitur nimbus peditum, clypeatáque totis
Agmina densantur campis, Argiuáque pubes,
Auruncæq; manus, Rutuli, veterésque Sicani:
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus Tyberine tuos, sacrúmque Numici
Littus arant, Rutulósque exercent vomere colles,
Circæúmque iugum: queis Iuppiter Anxurus aruis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturæ iacet atra palus, gelidúsque per ima
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens.

ARGVMENTVM.

Aduentus Turni Principis omnium ad bellum, eius arma, & comitatus multiplex.

EXPLICATIO.

[a] COMMENDAT Turnum, primò, quia alacer ad bellum & impiger; nam *inter primos*, & *ipse*, empha

emphaticè. Deinde à corporis proceritate; nam *præstanti c rpore*. Neque hoc satis; poterat enim esse procerus, ita tamen vt in ea proceritate haberet alios æquales. Non sic, imò ita alijs præstabat, vt *esset supra toto vertice*. Illud *vertitur*, est, agit se, & rotat furentet ad bellum; signatur ipso verbo animi vigor.

b Pergit ad horrorem armorum, quò illum præbeat hostibus formidabiliorem. Incipit à galea, quæ *alta*, & *crinita iuba triplici*: habebat verò galea chimæram efformatam, quæ videretur ignes ex se efflare similes Ætnæis.

c Sententia est, ita viuidè chimæram formatam artificis opera, vt cùm ante pugnam esset terrifica, tamen in ipsa pugna, cùm omnia effuso sanguine crudescerent, illa esset ferocior, & veluti voce infremeret, ac terribiliores, tristioresque flammas euomeret.

d Transit ad clypeum. Erat in eo insculpta Io (sculpturam quippe capio, quæ è dignitate, non picturam) formata iam in vaccam, & cum setis, cui tamen deerant cornua, ideo læuis clypeus. Itaque iam erat bos, iam cum setis, sed absque cornibus: ita quippe formata ab artifice. Erat præterea Argus centoculus datus vaccæ à Ioue custos. Demum Inachus pater Ius cum vrna fundente ex se amnem: hoc enim est fluuiorum insigne. Hæc præ alijs cælata in clypeo, opere scalptorio, ad indicandam Turni originem, de quo suprà,

Inachus Acrisiusque patres, mediaque Mycenæ.

Erat itaque cælatura illa *ingens argumentum* generis.

e Post arma Turni sequitur comitatus, imò *nimbus*: ad horrorem, tota agmina cum clypeis, & hæc densa & conferta. Ex quo verò milite conflata hæc agmina? primùm ex iuuentute Argiuorum; nam Turnus ipse Græcus origine. deinde ex Italica. Excurrit hîc per plures populos, de quibus, si quid dignum; quæri in Notis debet. *pictis scuta Labici*, valet, Labicani, quibus picta scuta.

NOTÆ.

1. PRÆSTANTI CORPORE.] Laus creberrima magnorum ducum. Quia videlicet corpus primum omnium oculis subijcitur, ac proinde statim ad illius speciem animum effingimus, quãdo *omnis nostra vis* (ait Sallust. in proœm.) *in animo, & corpore sita est*. Cùm itaque triplex sit militaris statura; media, exilis, procera; extremam hanc videtur Poëta innuere. Hæc ab Spartiano in Hadrian. vocatur *prolixa*, à Suetonio *eminens*, à Liuio *eximia*. Lege Godescal. in lib. 1. Veg. cap. 5. & Sabarum in epist. . lib. 1. Sidon. vbi sermo est de statura Regis Theodorici. De Traiano Plinius Paneg. & cum illo loquens: *tu sola corporis proceritate elatior alijs, & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia Principum egisti*. Dicit hoc, quia priores Principes aduehebantur humeris hominum. Hanc in Menelao agnoscit Hom. lib. 3. Iliad. qui stantibus alijs, ipse ὑπείρεχεν εὐρέας ὤμους, *eminebat latis humeris*: & in Agamemnone, nam vocat illum ἄνδρα πελώριον: & in Aiace, de quo, ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν. De Pyrrhô Romanorum hoste ferunt historiæ dicere solitum delectori suo: *Grandes elige, ego fortes reddam*. Hanc videtur agnoscere Claudian. in Germanis; cùm ait Paneg. 1. Stilicon. *Hic Rhodani procera cohors*. De quibus & Iulius lib. 1. Gall. *ingenti magnitudine corporum Germanos*. Hanc Ammian. lib. 14. in Imperatore Gallo: *forma conspicuus bona, decente filo corporis, membrorúmque recta compage*. Videtur enim innuere magnitudinem, eò quippe me ducit forma conspicua. Hanc idem lib. 15. in quodam Valuomere, cui dat eminentiam inter alios vasti corporis. Hanc Pausan. in Attic. indicat de Aiace, cuius genuum vertebræ repertæ in sepulchro essent instar disci, quo vtuntur athletæ. Hanc Tacit. 1. Annal. in Segeste duce Barbaro, de quo, *ingens visu*. Ibidem dat Cheruscis *procera membra*: vt & Waldemaro Regi Daniæ Albertus Krantz. lib. 6. Hist. cap. 15. *proceritatem, & totius corporis dignitatem*. Fuère verò staturosi, & proceri admodùm, qui implebant pedes septem Romanos; & quidem pes Romanus longior fuit aliarum gentium. Sidonius epist. 9. lib. 8. *Burgundia septipes*: & Carm. 12.

Spernit senipedem stylum Thalia,
Ex quo septipedes videt patronos.

Alludit quippe ad iustam mensuram, & ad proceram, quod vt capias, adi Vegetium cap. lib. . De duce Indorum Deriade Nonn. lib. 21. δολιχόσκιος ὄρχαμος ἀνδρῶν, quasi diceret, valde prolixus. Et de Galata quodam Appian. Ciuil. ἀνὴρ μέγιστος μέγας. De Xerxe ait Herodotus lib. 7. adeò illum excelluisse corporis magnitudine, vt eo ipso iudicaretur ceteris dignior Imperio.

2. AC TOTO VERTICE SVPRA EST.] Hoc repetitur lib. 9. per initia: ibi illustro.

3. CVI TRIPLICI CRINITA IVBA.] Intelligit τριφάλειαν, id est, genus illud galeæ, cui tres coni, lophi, cristæ. Æschyl. Septem ad Theb. τρεῖς κατασκίους λόφους σείει: *tres cristas quatit inumbrantes*. Val. Flacc. lib. 3. *triplici pulsans fastigia crista*, loquitur de Bellona. Statius 4. Theb. *ter niuea scandente iuba*. Martian. lib. 6. *tergemina rutilant de vertice cristæ*. De Flamminio Consule Silius lib. 5.

Triplex crista iubar effundit crine Sueuo.

Nonnus lib. 22. duci cuipiam Indorũ dat τρυφάλειαν. Homer. Iliad. 11. dixit τρυφάλεια τετράφαλος. Euripides Aiacem vocat τρίλοφον, non quia triplex galea, sed quia triplex crista. Aristophan. Acharn. τὸ λοφεῖον ἐξενεγκε τῶν τριῶν λόφων: *thecam extulit trium cristarum*: & in Pace galeam affert τρεῖς λόφους ἔχουσαν, *tres habentem cristas*. Alibi idem, λόφων κράνη τριφάλειας, *galeas triplici crista conspicuas*. Sed & de hydra quæ formata in scuto Capanei Stat. lib. 4. Theb.

———*squallet triplici ramosa corona*
Hydra recens obitu.———

Homerus . Iliad. Patidi dat τρυφάλειαν. Eundem morem firmat narratio Plutarchi in Arato de virgine quapiam, cui imposita τριφάλεια. Quin Geryonis fabula (putat hoc Suidas) non alium habuit ortum, quàm quòd τρεῖς λόφους εἶχεν ἐν τῇ περικεφαλαίᾳ: *tres cristas in galea haberet*. Sed hunc morem ad Heroas determinat interpres Euripid. in Oreste, ἥρωες τριλόφους ἔχουσι, quasi hoc ipso ab alijs dignoscerentur. Sed certè procedente tempore alijs data hæc gloria, non tantum Heroibus. Nescio autem, cur interpres Æschyli in fabula ἑπτὰ ἐπ. ad locum iam adductum ita notet, καινότερον τοῦτο. Nam cur nouitius mos, qui ductus ab Heroicis Homeri temporibus? Huic mori annexi duo alij de cristis iam duplicibus, iam quadruplicibus. Primum firmat Virg. qui de Romulo in 6. Æneid. *geminæ stent vertice cristæ*. Et Val. Max. lib. 1. cap. 8. loquens de Marte, *galea quoque duabus distincta pinnis*. Vt hinc appareat geminas cristas Romuli sumptas à patre Marte. Calab. etiam lib. 3. κόρυθα, id est, *galeam*, inducit ἀμφίφαλον, *vtrinque cristatam*, id est, dupliciter cristatam. Alterum Homerus, & Apollonius, vterque enim; prior 11. Iliad. posterior 3. Arg. galeam exhibent τετραφάληρον: & Homerus forma alia

Staturæ militares.

Staturosi, qui.

Crista triplex,

Duplex,

Quadruplex.

alia 21. Iliad. τετράφαλον, & sæpe aliàs. Hanc Aristophanes vocat τετραπτίλον, quasi *quadripennem*, aut *quadriplumem*. A

4. CHIMÆRAM SVSTINET.] Non est animus refellere censuram importunam Macrobij, vbi in huius arrogantiam extat iam luculenta Iouiani opera, Scaligeri, & aliorum interpretum. Itaque hoc omisso, insistam penso. Effingi feras, & animalia in galeis ad honorem, receptissimum fuit veteribus. In Virgilio Chimæram vides cum ignibus, & feritate. Silius lib. 5. de galea Flamminij,

Feræ in galeis.

Ære, atque æquorei tergo flauente iuuenci
Cassis erat munita viro: cui vertice surgens
Triplex crista iubas effundit crine Sueuo,
Scylla super fracti contorquens pondera remi
Instabat, sæuísque canum pandebat hiatus.

In galea Achillis adhibet Eurip. in Elect. Sphinges, & leænam. Adiungo versus:

Επὶ δὲ χρυσοτύπῳ κράνει
Σφίγγες ὄνυξιν ἀοίδιμον ἄγραν
Φέρουσαι. περιπλεύρῳ
Δὲ κύτει πύρπνοος ἔσπευδε
Δρόμῳ λέαινα, χαλαῖς
Πειρηναῖον ὁρῶσα πῶλον.

Sententia est. *In deaurata galea sphinges vnguibus prædam illustrem ferentes. In cauo autem spatio ambiente latera ignem efflans currebat leæna, intuens vnguibus Pirenæum pullum.* Aristophan. Acharn. loquens de Lamacho.

———ὃς τὴν γοργόνα
Πάλλει κραδαίνων τρεῖς κατασκίους λόφους:
———*qui Gorgonem*
Vibrat quatiens tres vmbratos conos.

Calaber etiam lib. 5.

Ἐν δ᾽ ἄρα γοργείης ἔσκον ἀναιδέες ἀμφὶ δ᾽ ἄρα σφὶν
Σμερδαλέοι πεπότηντο περὶ πλοχμοῖσι δράκοντες
Κιὸν λιχμώοντες.———
Inerant Gorgones feræ, quibus hinc atque illinc
Terribiles concitabantur circa cincinnos dracones
Horribiliter lambentes.———

Statius lib. 11. Theb. *mistásque iubas serpentibus augent.* Sic explica eundem Statium lib. 3. Theb. *comunt furor iráque cristas.* Quis hic furor, & ira, nisi feræ additæ cristis? Originem huius moris refert Godescalcus in Veg. lib. 1. c. 10. ad Ægyptios, quorum Reges, vt auctor est Diodorus lib. 2. gestabant in capite caput leonis, tauri, aut draconis. Id ipsum ego obseruaueram de Rege Persarum, ita scribente Ammiano lib. 19. in ipso initio: *insidens equo ante alios celsior ipse præibat agminibus cunctis aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans, multiplici vertice dignitatum, & gentium diuersarum comitatu sublimis.*

5. ÆTNÆOS EFFLANTEM FAVCIBVS IGNES.] Comparata hæc ad horrorem. Ita de Chonodomario Ammian. lib. 16. *vertici flammeus torulus aptabatur.* Et de Turno eodem Virgilius,

Galeæ flammiuomæ.

———*tremunt sub vertice cristæ*
Sanguineæ, clypeóque micantia fulgura mittunt.

Et de Æneæ galea,

Ardet apex capiti, cristísque à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

De Diomede Hom. 5. Iliad.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.
Lucebat ei ex galeáque, & scuto indefessus ignis.

De eodem Ausonius in Periocha,

———*vomit aurea flammas*
Cassis, & vndantem clypeus desulgurat ignem.

De Chimæra ipsa Hesiod. Theogon.

Ἡ δὲ Χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήν τε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Chimæram peperit spirantem ignem indomitum,
Terribilem, magnam, celerem, fortem.

Sed redeo ad galeas. Silius lib. 5. de Flamminio. *Lux galeæ.* lib. 10. *galea exhorrescere flammas.* & lib. 9.

———*summáque in cassidae longe*
Vndantes voluit flammas ad sydera vertex.

Statius lib. 3. Theb.

Flumine cristatum galeæ iubar.———

Ab hoc horrore Apollon. lib. 2. galeas vocat δεινὸν λαμπομένας. *horribiliter micantes.* Sed & in genere vniuersa arma sic exornantur à Poëtis. De scuto Annibalis Silius lib. 4. *radiantem tegminis orbem.* &: *magno percussit lumine campos.* iterum: *spargentem flammas clypeum.* B

6. TAM MAGIS, &c.] Aliter disposuit has particulas Plautus Pœn.

Tam magis.

Quàm magis aspecto, tam magis est nimbata.

Et Asin.

Quàm magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Ex Lucretio, Terentio, aliis plura alij congesserunt.

7. LÆVEM.] Explicatio vulgi est, per *leuitatem*, aut *leuorem* significari splendorem fulgorémque aurati clypei, in quo erant Ionis cornua sublata, id est, erecta. Non placet. Verè sententia est; vaccam in eo scuto ita efformatam, ac si tum primùm in eam se formam Io mutauisset, vt meliùs dicam, ac si tum primùm nata ibi esset. Inde est, vt iam esset bos, & cum setis; sed quia tenera, sine cornibus, ideo læuis clypeus, quia læuis vacca; & sublata cornua, id est, ablata, & adempta. Etenim feræ, quæ carent cornibus, dicuntur habere læuem frontem, asperam contrà quæ habent cornua. Primum firmat Virg. Eclog. 6. vbi loquens de filiabus Prœti, quæ putabant se esse vaccas, cùm non essent, ait,

Læuis clypeus.

C

Oppositio.

Et sæpe in leui quæsissent cornua fronte.

Alterum Græcum Epigramma lib. 1. Anthol.

Frons læuis, & aspera, quid.

Τῆς ὥρας ἀπόλαυε· θέρος ἀκμάζει τάχυ πάντα.
Ἐν δ᾽ ἔτος ἐξ ἐρίφου τρηχὺν ἔθηκε τράγον.
Fruere pulchritudine; omnia citò vigorem amittunt.
Æstas vna ex hœdo reddidit hircum asperum.

Dicit videlicet vna æstate nata cornua. Statius 4. Theb. *frons aspera cornu est.* & Ouid. 10. Metamorph. *quibus aspera cornu frons erat.* Sic videor venustiùs Poëtam explicuisse, imò veriùs. Itaque læuis clypeus est, in quo læuis est vacca, id est, sine cornibus, quæ inde sublata, id est, ablata. D

8. AT LÆVEM CLYPEVM, &c.] Hanc clypei descriptionem cum aliis aliorum Poëtarum comparans Scaliger, iudicat in Virgilio meram esse operam, in aliis meram ostentationem. Vt in Stat. 6. Theb.

———*pater ordine iuncto*
Læuus, arundineæ recubánsque sub aggere ripæ
Cernitur, emissáq; indulgens Inachus vrnæ.
Io post tergum, iam prona dolórque parentis
Spectat inocciduis stellatum visibus Argum.

Locorum similitudo.

E

Et in Sil. de scuto Flamminij lib. 5.

Tum clypeum quatit, aspersum quem cædibus olim
Celticus ornarat cruor: humentique sub antro
Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra
Ingentem Assaraci ædo nutribat alumnum.

Hos, & similes descriptores cùm lego, audire videor pueros balbutientes si conferantur cum vegeta virtute Virgilij.

9. IAM SETIS OBSITA, &c.] Fortasse ex Theocrito ἰδ. 19.

Ἐν μὲν ἦν χρυσέῳ τετυγμένη Ἰνάχου Ἰὼ
Εἰσέτι πόρτις ἐοῦσα, φυὴν δ' οὐκ ἔχε γυναικός:
Inerat enim ex auro facta Inachi filia Io
Adhuc vuula, neque formam habebat feminæ.

Argumentũ in pictura.

10. ARGVMENTVM.] Hanc vocem in sermone picturæ etiam vsurpat Apuleius lib. 5. correctoribus Lipsio, & Coluio: *Mirus prorsum magnæ artis homo, qui magna artis subtilitate tantum efferauit argumentum.* Alij legunt, *effigiauit argentum*, non credo ineptè. Sed ego profero locum Tullij 6. Ver. *argumenta erant in valuis.* & Propert. qui Eleg. 9. lib. 3.
Argumenta magis sunt Memoris addita formæ.

Argus.

11. ET CVSTOS VIRGINIS ARGVS.] Incertus Poëta apud Euripidis interpretem (citante Vrsino) vocat Argum ἐπίσκοπον, cum respectu ad fabulam, quam hîc attingit Poëta. Pherecydes apud eundem φύλακα. Omnes centoculum, aut multioculum vocant. Sed Poëta ille incertus tantùm ait,
Τέτρασιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενον ἔνθα, καὶ ἔνθα.
Oculis quatuor cernentem in omnem partem.
Inde ille πανόπτης, καὶ πολυωπός

Vrna insigne fluuiorum.

12. VRNA.] Fluuiorum insigne. Statius 2. Theb.
——*pater ipse bicornis*
In laeuum prona nixus sedet Inachus vrna.
Et de Ismeno in 9. *demissáque voluitur vrna.* De Inacho, & Ius fabula, & eius metamorphosi, nihil hîc expecta. De Hermo Claud. 2. Rap. *vndantem declinat prodigus vrnam.* & de Rheno 1. in Ruff. *proiecta torpuit vrna.* Eandem dat Eridano in 6. Cons. Hon.

Nimbus belli.

Nubes belli.

13. INSEQVITVR NIMBVS PEDITVM.] Homer. Iliad. 4. νέφος εἵπετο πεζῶν: *nubes peditum sequebatur.* Silius lib. 12. *telorum nimbum* dixit, & lib. 6. *nubes Laconum.* Et Claud. de laudibus Serenæ: *si belli nubes ingrueret.*

Lectio Virgiliana.

Quadratum agmen, & pilatum.

14. CLYPEATA.] Aliqui hîc legunt *pilata agmina*, in his Ioann. Passerat. in Comment. ad Tibul. lib. 4. volúntque allusum ad illud Varronis: *Duo sunt genera agminum, quadratum, quod immistis etiam iumentis incedit, vt vbiuis possit considere: alterum pilatum, quod sine iumentis incedit; sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittitur.* Sempronius quoque ita scribit: *siue pilatim, siue passim iter facere volebant.* Citant hæc fragmenta Passerat. & Scal. vterque in Tibullum. Sed fragmenta hæc iam viderunt lucem apud Seru. Pet. Danielis in 12. Æneid. ad illud,
——*pilatáque plenis*
Agmina se fundunt portis.——

Denseo.

15. DENSANTVR.] Hîc fortè meliùs *densentur*, & ita nonnulli codices: de quo iam in Georg. Et Ennius 8. Annal.
Densentur campis horrentia tela virorum.
Sic apud Catul. de Nupt. Iul. & Manl. *Tardat ingenuus pudor.* vbi alij, *tardet.* Et Næuius apud Nonium, *dicebo*, pro *dicam*, à verbo *diceo*, *dices.* Sic & *nubes*, pro *nubit.*

Argiui Itali.

16. ARGIVAQVE PVBES.] Non hæc ab Argis; sed quia inde orta, vt ipse Turnus, ideo Argiua. Neque enim tam breui spatio conflatus miles ex Græcia; neque admitto hoc dici κατὰ συνώνυμον. Et quidem Plinius cap. 5. lib. 3. inter Italiæ populos *Pelasgos* nominat, vt etiam *Arcades.*

17. AVRVNCÆ.] De his iam suprà in hoc libro.

18. RVTVLI.] Numerat hos Plinius inter populos Latij, meminit horum Liuius. Vocari *Dauros* ab Vibio Abraham. notat.

Sicani.

19. VETERESQVE SICANI.] Plinius cap. 5. lib. 3. inter clara Latij oppida Sicanos memorat. Itaque de his proculdubio Poëta loquitur, non de Sicanis Siciliæ; tametsi, qui in Latio, ex colonis Siciliæ: vt qui in Sicilia ex Hispanis. De qua re iam alibi.

Sacrani.

20. SACRANÆ ACIES.] Possum putare Sacranos esse, qui insulam Sacram, alio nomine Hieram incolebant, quæ insula sita iuxta Siciliam. Vide Abrahamum in Indice. Cùm verò olim coloni multi ex Hispania in Siciliam migrarint, quid si à Sacranis Hispaniæ Sacra, aut Hiera? Etenim Sacranam oppidum Hispaniæ Plinius agnoscit cap. 1. lib. 3.

21. ET PICTI SCVTA LABICI.] Vide lib. 9. ad illud, *parmáque inglorius alba.* Siti Labicani in mediterranea Latij parte.

22. NVMICI.] Iam suprà in hoc libro 10. Sententia fortasse sumpta ex Homero 2. Iliad.
Οἵ τ' ἄρα πὰρ ποταμὸν Κηφισὸν δῖον ἔναιον.
Qui habitant Cephissum diuinum fluuium.

23. LITTVS ARANT.] Duo dicit, & arari littus, & colles exerceri vomere. Primum refero ad frumenta, quæ proueniunt in campis & locis planis, qualia sunt littora: alterum ad vinea, quæ in collibus proueniunt. Vnde *vinum collinum* celebratum auctoribus rusticis. De hoc discrimine campi ad frumenta, collium ad vinum, iam ego in Georg. Ita etiam Horatium capio epist. 5. lib. 1.

Vinum collinum.

An pingues Asiæ campi, collésque morantur?
Quo versu animum adiecit Horatius ad frumenta camporum, ad vinea collium. Clarè Manil. lib. 2.
——*quòd colles Bacchus amaret,*
Quòd fœcunda Ceres campos.——
Sic accipio versum Statij lib. 7.
Messe Coroneam, Baccho Glisanta colentes.

Locorum similitudo.

24. RVTVLOSQVE EXERCENT VOMERE COLLES.] Ex perlustrato hoc loco Statius lib. 4. Theb.
——*it Dorcus ordo sub armis,*
Qui ripas Lyncæ tuas, tua littora multo
Vomere suspendunt.——
Manilius lib. 1. dixit, *exercita frugibus arua.*

Circæij.

25. CIRCÆVMQVE IVGVM.] Promontorium est Latinorum in Italia, Ptolemæo. Mela vocat Circes domum, vt ex illo adducit Ortellius; potuisset addere & Solinum cap. 8. Inde Circæij populi, de quibus magna mentio apud vnum Liuium, præsertim lib. 1. & 7. & Plinium cap. 5. lib. 3. Nescio an aptè Germanus proferat Aristotelis locum περὶ θαυμ. ἀκουσμ. verba Aristotelis sunt. λέγεται δὲ περὶ Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει φαρμακόν τι φύεσθαι θανάσιμον: *Fertur in Circæo monte circa Italiam nasci venenum mortiferum.* Nam Virgilius videtur capiendus de loco, qui in Italia, non extra. Et cùm promontorium in Latio agnoscat, vt dixi, Ptolemæus, vt ex illo notat Ortellius, de hoc sensu procedit. In Nota sequenti nonnulla inuenies.

Iuppiter Axurus.

26. IVPPITER ANXVRVS.] Sic dictus Iuppiter, cùm colebatur vt puer, & imberbis, quasi ἄνευ ξυροῦ, *sine nouacula*, qua barbam rasisset. Colebatur autem (ait Seru.) hoc habitu circa Circæum iugum, & Campaniæ tractum, sicut & Virgo Iuno, quæ Feronia dicebatur. Pausan. in Eliac. priorib. meminit duplicis simulacri Iouis οὐκ ἔχοντος γένεια, *non habentis barbam.* Alio nomine Iouem hunc *Veiouem* vocabant, quasi *paruum Iouem.* Non dubium autem quin scriptio corrupta sit, & dicendus sit Iuppiter Axurus; nulla enim ratio petit litteram illam interpositam. Ex his versibus Horatianis Satyr. 5. lib. 1.

Veiouis.

Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.
apparet de quibus locis capiendus sit Virgilius. Fuit

Anxur

Anxur oppidum.

Anxur Volſcorum oppidum in alto ſitum. Liuius lib.5. *In Volſcis depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum, loco alto ſitum.* Et Stat. 1. Sylu. *aráſque ſuperbæ Anxuris.* Sil.lib.8.

Queis Circæa iuga, & ſcopuloſi verticis Anxur.

Et lib.4.

Monte procelloſo Murrhanum miſerat Anxur.

Ab hac aſperitate Trachinia poſtea dictum ἀπὸ τῆς τραχύτητος, vt ſcribit Strabo: corruptè deinde Tarracina, aut Terracina, de quo vide Feſtum. Inde itaque Horat. *repimus, ſubimus ſaxis impoſitum.* In hac vrbe cultus eſt Iuppiter Axurus, imò ab Ioue Axuro nomen datum eſt oppido, vt ſcribit Pomponius Sabinus. Quid ergo, ſi Virgilius per *iugum Circæum* intellexit oppidum Anxurem, aut certè montem huic vrbi proximum, vt dicat totum Tarracinæ tractum veniſſe cum Turno ad bellum? Nam & ſtatim Virgilius Feroniam nominat, vt etiam Horatius verſu, qui præcedit prædictos duos. Et quidem totum tractum Anxuris dici Circeios notiſſimum eſt legentibus Plinij, & Liuij loca plura. Inde ſubit ſuſpicari, an in Virgilio legendum ſit *Circeiúmque iugum,* non *Circæum.*

Lectio Virgiliana.

Porrò de nummo quodam Iouis aut Axuri, aut Creſcentis vix eſt, qui non meminerit eruditorum, Germanus, Læuinus, Scaliger, Ortelius, Dalecampius, alij. Non omittam locum Statij 10. Theb. de templo ſacro & Iunoni puellæ, & Ioui Axuro:

Iuppiter puer.

Ipſa illinc magni thalamo deſponſa Tonantis
Expers connubij, & timidè poſitura pudorem
Lumine demiſſo pueri Iouis oſcula libat
Simplex, & nondum furtis offenſa mariti.

Neque Claudiani de 4. Conſulatu Honor.

Talis ab Idæis primæuus Iuppiter antris
Poſſeſſi ſtetit arce poli, famulóſque recepit
Natura tradente Deos: lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ connexa comæ: tum ſcindere nubes
Diſcebat, fulménque rudi torquere lacerto.

Aliam eiuſdem paruuli Iouis imaginem repræſentat Stat. 1. Achill. hunc in modum:

Sic ſub matre Rhea iuuenis Regnator Olympi
Oſcula ſecura dabat inſidioſa ſorori
Frater adhuc, medij donec reuerentia ceſſit
Sanguinis, & verſos germanæ expauit amores.

Iouis etiam pueri meminit Apollon. lib.1. Arg. dicitur ab eo κοῦρος, & ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδώς, *ſciens puerilia.* D Et Nonnus lib.41. his verſibus.

Ζεὺς τότε κοῦρος ἔην, ἔτι νήπιος βρέφος, οὔποτε πυκνῷ
Θερμὸν ἀναστέλλων νέφος βηταρμόνι παλμῷ
Ἀστεροπὴν σελάγιζε. ——

Iuppiter tūc puer erat, adhuc fortè infans: neque dū denſo
Calidam diuidens nubem ſaltabundo tremore
Fulgur reſplendebat. ——

Qui verſus cognati ſunt præmiſſis verſibus Claudiani. Omiſi, vt vidiſti, nummum quempiam, cuius eruditi plures meminêre. Sed non ſileo nummum alium Panſæ, & Vibij, cuius meminit Conſtant. Landus in Numiſ. in cuius parte altera erat. IOVIS. AXVR. in altera imago barbata, ſed E intonſa; vnde colliges, non ſemper Iouem Axurum ſumi pro Ioue puero, ſed etiam pro Ioue intonſo, quaſi ἄνευ ξύρου, vt qui nunquam egeret nouacula, vt qui ſemper intonſus, etiamſi grandis.

27. ET VIRIDI GAVDENS FERONIA LVCO.] Iunonem vult intelligi Seruius, quæ culta circa Circæum tractum Campaniæ. Qui inſiſtat Dionyſij narrationi lib. 2. nihil de Iunone exiſtimabit. Scriptoris verba ſunt: *Aiunt grauatos Lacedæmonios ob du-*

Feronia Dea.

A *ritiem legum Lycurgi, diſſidentéſque ab aliis, vrbe omnino exceſſiſſe, poſteaque diu mari delatos, vouiſſe Deis, deſiderio quodam ipſis incidente, in quancunque terram veniſſent, ſedes ibi poſituros. Aductos autem circa campos vocatos Pontinos, locum, in quo primùm conſtiterant, Feroniam ab æquorea natione denominaſſe, fanúmque inſtruxiſſe Deæ Feroniæ, cui vota nuncupauerant.* In his nihi audis de Iunone; non enim tacuiſſet Scriptor. Deinde in Plinio, Liuio, Tacito, in quibus mentio eſt Feroniæ, nihil de Iunone. Ergo inſiſtens veſtigiis auctorum puto Feroniā eſſe Deā florum. Inde ſignatè Virgilius,

——*viridi gaudens Feronia luco.*

Et Silius,

Diues vbi ante omnes colitur Feronia luco.

Et Horatius adducto loco,

B *Ora manúſque tuas lauimus Feronia lympha.*

Id eſt, tuo fonte, ô Feronia Dea. Sic enim capio: non, vt Feronia ſit nomen fontis; hoc enim nihil neceſſe. Sunt enim, vt plurimùm, in lucis fontes, riuuli, & ſimiles amœnitates. Sed præcipua vis in verbis Dionyſ. lib. 2. ita ſcribentis: *Fanum eſt communiter à Sabinis, & Latinis honoratum, ſanctum maximè inter cetera eius Deæ, quæ Feronia vocatur, quam vertentes in Græcam linguam, alij quidem Anthophoron, alij Philoſtephanon, alij Pherſephonem vocant.* Eſt autem Antrophoros, *flores ferens*: Philoſtephanos, *amans coronarum*: Pherſephone, *ferens vnius anni prouentū*, nimirum à verbis φέρω, & ἄφενος, Homeri enim interpres in lib. 1. Iliad. ita ſcribit. ἄφενος κυρίως ἡ ἀφ' ἑνὸς ἐνιαυτοῦ περιουσία: *aphenos propriè prouentus vnius anni.* Inde & Proſerpina dicta eſt Pherſephone, quòd diuitias afferat, vt C & Pluto. Et quidem Proſerpina dum legendis ſtudet floribus Plutoni nupſit. Et apud Claudianum præficitur Dea non obſcuris & tetris locis, ſed floribus, & pratis Elyſiorum. Ex his omnibus liquidum, cur Feronia inducatur à Poëta gaudens luco viridi. Neque hoc ſolùm, ſed & vrbem Thuſciæ, cui eſt nomen λοῦκος Φερωνίας, *lucus Feroniæ*, agnoſci ab Strabone, Liuio, & Plinio, iam Ortell. monuit. Attributum viriditatis ait Seruius non vacare: nam cùm aliquando huius fontis lucus fortuito arſiſſet incendio, & vellent incolæ transferre inde ſimulacra, ſubitò reuiruit.

28. SATVRÆ.] Eſſe hanc Pontinam paludem interpretatur Cælius cap. 25. lib. 19. atque etiam Hermolaus lib. 3. Caſtigat. in Plin. Quæ ibi Cælius de aue Satyra, aut Satyria, id eſt, coruo, vt ipſe interpretatur, tractans locum Flori cap. 13. lib. 1. falſa ſunt; cùm in Floro legi debeat *ſacra alite*, non *Satyra*. Itaque nihil Florus cum Satura Virgiliana. Atricies Poëtæ referenda, vt puto, ad cœnum & limum, qui multus in paludibus Pontinis. Inde cura illa Iulij (vt eſt apud Sueton. cap. 44.) de ſiccādis paludibus Pontinis. Sed inſigniter ad hanc rem Plinij locus cap. 12. lib. 35. *Vitellius in Principatu ſuo cc. ſeſtertijs condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat, quoniam eò peruenerit luxuria, vt etiam fictilia pluris conſtent, quàm murrhina. Propter hanc Mutianus altero Conſulatu ſuo in conquiſitione exprobrauit patinarum paludes Vitellij memoriæ, non illa fœdiore, cuius veneno Aſprenati reo Caſſius Seuerus accuſator obiiciebat, interiiſſe triginta conuiuas*: vbi ſententia Plinij conſtat ex alluſione ad Pontinas paludes. Ita enim ingens patina, vt poſſet conferri cum Pontinis paludibus, ex qua patina datum venenum tot conuiuis, ſicuti etiam plura oppida perierunt tetro halitu Pontinarum paludium. Scribit enim idem Plinius cap. 5. lib. 3. *A Circeiis palus Pontina eſt, quem locum viginti trium vrbium fuiſſe Mutianus ter Conſul prodidit.* Vides quot oppi-

Satura palus.

Pontinæ paludes.

oppida interierint vicinitate harum paludum, vt proinde *atra palus* Virgilij sit, fœda, venenata, ſpurca. Adduco etiam verſus Silij lib. 8.

Atra palus.

Et quos peſtifera Pontini vligine campi,
Qua Saturæ nebuloſa palus reſtagnat, & atro
Liuentes cœno per ſqualllida turbidus arua
Cogit aquas Vfens, atque inficit æquora limo.

Dic, ſodes, an quicquã aliud afferri idoneum magis potuiſſet ad illuſtrationem Virgilij? Moneo in Plinio cap. 5. lib. 3. & in Tacito 15. Annal. corruptè legi *Pomptinas*, & in aliis etiam, cùm legi debeat *Pontinas*. Redeo. Itaque *atra palus* nihil eſt aliud, quàm quod Silius lib. 12. *tellus multa vitiata palude*. Inde cura illa, vt dixi, Iulij de ſiccandis his paludibus. Quæ B ſanè res tentata Cornelio Cethego ante Iulium, & poſt Iulium Theodorico Regi.

Lectio Virgiliana.

29. CONDITVR.] Aliqui legunt, *voluitur*, nam de amne Horat. epiſt. 2. lib. 1.

Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Et Od. 14. lib. 4. *voluitur Aufidus*. & Od. 1. lib. 4. *aquas volubiles*. De Aſopo Nonnus lib. 27. ἴχν⊛ ἑλίσσων, ve- A *ſtigium voluens*. Sed retinenda vulgaris lectio: nam tametſi omnes ferè id enuntient per verba motus, vt cùm Herodotus lib. 1. dixit de hac re loquens, ἐσβάλλει. & ... & ...; & ſimillimis alij: tamen & verbum *condo* cum motu, etiam in Latio eſt. Cæſar enim lib. 1. Gall. *condi in ſyluas* dixit. Sed ceſſo.

30. VFENS.] Coniunxit Poëta loca inter ſe vicina, vt apparet ex verbis Plinij cap. 5. lib. 3. *A Circeiis palus Pontina eſt; dein flumen Vfens, ſupra quod Tarracina oppidum, lingua Volſcorum Anxur dictum.* Sic itaque Poëta iungit iugum Circæum, Saturam, ideſt, paludem Pontinam, Vfentem fluuium, Anxurem, id eſt, Tarracinam. Ait Seruius, ſignari anguſtiam fluminis; nam *iter quærit, & conditur in mare*, cùm contrà de Tyberino, *in mare prorumpit*, quo faſtus fluminis indicatur. De hoc amne Claudian. Paneg. Prob. *tardatúſque ſuis erroribus Vfens.* Cur *tardatus erroribus*? quia *quærit iter per valles*. Vterque enim tam Virgil. quàm Claudian. indicat varios flexus huius amnis. Quia verò *per imas valles*, ideo *gelidus*, id eſt, cum algore.

Vfens fluuius.

ᵃ Hos ſuper aduenit Volſca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix: non illa colo, calathíſve Mineruæ
Femineas aſſueta manus, ſed prælia virgo
Dura pati, curſúque pedum præuertere ventos.
ᵇ Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
ᶜ Illam omnis tectis, agríſque effuſa iuuentus,
Turbáque miratur matrum, & proſpectat euntem
Attonitis inhians animis; vt Regius oſtro
Velet honos læues humeros, vt fibula crinem
Auro internectat: Lyciam vt gerat ipſa pharetram,
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum.

ARGVMENTVM.

Catalogum, & librum claudit Camilla: afferuntur eius militares virtutes, ornatus, arma.

EXPLICATIO.

ᵃ EXHIBET nomen, gentem, genus militum, qui illam ſequebantur. Nomen, Camilla: gentem, nam ex Volſcis: genus militum, nam turmæ equeſtres, & iſtæ cataphractæ: milites enim cataphractos intelligo per *cateruas florentes ære*. Pergit deinde ad ſtudia Camillæ. Non aſſueuerat manus, etiamſi virgo, colo, & calathis, quæ pertinent ad Mineruæ ſtudium: ſed manus bellis, pedes curſui; manibus inibat dura prælia, pedibus ventos præuertebat.

ᵇ Extremum hoc de celeritate amplificat ab ariſtis terræ, à maris fluctibus. Ariſtas neque lædebat, neque inclinabat, etiamſi teneras & molles; ita enim per illas ferebatur, aut potiùs ita volabat, vt videretur eas non contingere: fluctus, & medium mare C ita pedibus metiebatur, vt illos neque aqua intingeret, imò videbatur ipſis fluctibus ſuſpendi, adeò pedes non imprimebat, ſed ſemper ſubleuatis ibat. Credo Poëtam hoc de fluctibus amplificaſſe, quia illam equeſtrem ſcripſerat: quaſi dicat; non tarda, etiamſi equo vecta.

ᶜ Sequitur omnium admiratio ad inuſitatam virginem. Iuuenes, & feminæ ſtupebant, atque effuſi ex tectis, atque agris illam admirabantur, proſpectabant, inhiabant, verè attoniti. Quid verò admirantur? quid obſtupeſcunt? illud videlicet, quod poſitum contra opinionem: iuuenes (nam hos priùs poſuerat) ornatum in bellatrice; feminæ arma in D muliere. Ita concipit Seruius: neque diſplicet, tametſi tu, vt volueris. Ergo iuuenes Regiam purpuram velantem humeros, auream fibulam internectentem crinem: feminæ pharetram Lyciam, & myrtum cum præfixa cuſpide, qualem ſolent paſtores gerere.

NOTÆ.

1. HOS SVPER ADVENIT.] Tale quiddam Græ

Græcorum bello, vbi Pentesilea aduocatur à Troianis contra Græcos. Nescio quod hîc augurium Seruius. Lege.

2. VOLSCA DE GENTE.] Nimirum Priuerno Volscorum oppido: quod Poëta alibi declarat.

Agmen ab agendo. 3. AGMEN AGENS.] Nam agmen ab agendo. Tacit. 1. Ann. *agúntque in primo agmine.*

4. FLORENTES ÆRE.] Refero ad æris fulgorem; est enim omnis splendor naturæ igneæ: atqui ignea dicuntur florere. Lucretius clarè lib. 4. *florentia lumina flammis.* Et lib. 1.

Floreo, de fulgore omni.

Donec flammai fulserunt flore coorto.

Manil. lib. 5. de templis cœli ære fulgentibus ait, *letisque micare floribus.* Actius: *Ære, atque argento feruere igni, insignibus florere.* Et cùm Homer. dixit lib. 13. Iliad. ἥβης ἄνθος, *pubertatis flos,* idem profectò dixit, quod Seneca in Hipp. *Vt fulgor teneris qui radiat genis.* Quod enim ille ἄνθος, hic *radiat.* Et non alia ratione mentum Græcis dicitur ἀνθερεὼν, quàm quòd ibi barba efflorescat. Sic παρειαὶ ἀνθοῦσι, καὶ ἐπανθεῖν. Tertullian. Apologet. cap. 11. dixit *lumina floruisse.* Et Cicero pro Milone ait, Pompeium elegisse ad iudicium illud *è florentissimis ordinibus ipsa lumina.* Statius etiam 1. Theb. *arcano florentes igne smaragdos.* Claud. in Magnete: *quo lumine floreat arcus.* Tertullian. de Patient. cap. 2. loquens de Deo: *Florem lucis huius super iustos, & iniustos æqualiter spargit.* Ab hoc mutuo inter flores & ignem vinculo, non desunt, qui suspicentur πυρὸς pro *frumento* duci ἀπὸ τοῦ πυρὸς: pro *igne.* Habet enim frumenti spica quandam similitudinem cum flamma. Ergo qui nobis ad explicationem Virgilij obtrudunt Ennium dicentem,

Tum mare velivolum florebat nauibus pandis.

& Catonem, qui Orat. de suo Consulatu, *Mare velis florere videres.* Hi (inquam) non satis ad gustum. Nam Virgilius ad lumen tendit. Sed ego obiter Ennium, & Catonem explico. Dant florem nauibus propter vela, quæ è lino: est enim linum inter sata. Redeo. Ab eodem mutuo vinculo non omnino respuendi illi, qui vocem Latinam (*flos*) ducunt à voce Græca φλὸξ: nam certè flamma ignis est instar floris. Sed sit Virgilius sui interpres, qui hoc loco *florentes ære cateruas* in 8. ait, *fulgentes ære cateruas*; explicans videlicet florem per fulgorem. Inde pulchrè Cyrillus Hierosolymitan. Catechef. 13. coniunxit; ὁ δὲ τοῦ σταυροῦ στέφανος ἐφώτισε τοὺς ἐν ἀγνωσίᾳ τυφλούς: *corona crucis cæcos in ignorantia illuminauit.* vbi coniungitur cum corona, quæ è floribus, verbum luminis. Accipe autem in Virgilio cataphractos milites, hi enim fulgidi, vt qui omni ex parte muniti ære. Ammian. lib. 20. *cum agmine cataphractorum fulgentium Rex ipse sublimior ceteris,* &c. De qua re vide quæ dicam in 11. vbi idem hemistichium.

Flos vnde.

5. NON ILLA COLO, CALATHIS, &c.] Locus Apollonij lib. 1. Argon. vbi loquens de Lemniis feminis,

Imitatio.

Ταῖσι δὲ βουκολίαι τε βοῶν, χάλκειά τε δύνειν
Τεύχεα, πυροφόρους τε διατμήξασθαι ἀρούρας
Ῥηΐτερον πάσῃσιν Ἀθηναίης πέλεν ἔργων
Οἷς αἰεὶ τὸ πάροιθεν ὁμίλεον.———
Quibus cura boum, æreáque induere
Arma, frugiferásque scindere terras,
Gratius omnibus Mineruæ erat studiis,
Quibus semper antea incumbebant.

Huic Musæ etiam Silius institit lib. 2. exornans suam poësin,

Hæc ignara viri, vacuóque assueta cubili,
Venatu, & syluis primos assueuerat annos:
Non calathis mollita manus, operatáve fuso.

A *Dictynnam, & saltus, & anhelum impellere planta*
Cornipedem, ac strauisse feras immitis amabat.

De magna illa viragine Tecla Basil. Seleucienf. lib. 1. περὶ δὲ ἱστὸν καὶ ἠλακάτην ἠγολασμένην. & alibi: ἱστοῦ δὲ μᾶλλον, καὶ ἠλακάτῃ προσκαθῆσθαι, ἃ καὶ μόνα γυναιξὶν, ὡς εἰπεῖν, ἡ φύσις ἀπένειμεν. *Sed telæ potiùs, colóque adsidere, quæ sola munera, vt ita dicã, mulieribus natura attribuit.* Plutarc. de Virtutib. mulier. ἐπὶ ἱστοῖς καὶ ἠλακάτῃ. Inde ergo Camillæ laus, quæ non contenta donatis à natura sexui femineo, aspirauit ad laudes virorum. Troianæ feminæ apud Calab. lib. 1.

Ἀλλήλας ὀτρύνον, ἀπόπροθι δ' εἴρια θέντο,
Καὶ ταλάρους, ἀλεγεινὰ δ' ἐπ' ἔντεα χεῖρας ἴαλλον,
Se mutuò concitant, longè lanas abiiciunt,

B *Et calathos, & ad sæua arma adiiciunt manus.*

6. CALATHIS.] Hi in opere lanificij. Ouid. epist.

Rasilibus calathis imposuisse manum.

Aristoph. Lysist. vocat καλαθίσκον: item alij.

7. CVRSVQVE PEDVM PRÆVERTERE VENTOS.] Theocritus Eclog. 8. πρόσθε θέειν ἀνέμων: *ante ventos currere.* Callimach. hymno in Delum, ἀνέμοισιν ἐρίζειν: *contendere ventis.* Homer. Iliad. 10. θέειν ἀνέμοισιν ὁμοῖοι: *currere ventis similes.* Rursum Callimach. hymno in Dian. θάσσονες αὐράων: *auris velociores.* De equis Neptolemi Calaber lib. 8. ἴσον δ' ἀνέμοισι φέροντο: *feruntur cum ventis pariter.* Nonnus lib. 28. dat

Ocyor ventis.

C cuidam cursori ποδήνεμα γοῦνατα, *genua quibus ventosi pedes:* & lib. 2 . de Baccho ait, ἴκελος αὔραις, *similis ventis.* Manil. lib. 5.

Vixque rotis leuibus summum contingere campum
Vincentem pedibus ventos.———

Non abit ab hac hyperbole illa Statij lib. 1.

Illicet igne Iouis, lapsisque citatior astris.

Et lib. 3.

———*non ocyus alti*
In terras cadit ira Iouis.———

Nec illa Pind. ῳδ. Pyth. θεὸς ὃ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται δελφῖνα: *Deus, qui & alatã aquilam assequitur, & marinum præuertit delphina.* Nota sunt quæ de Lada omnes scribunt: & quæ Plinius varius locis, præsertim lib. 7. cap. 20. & quæ de Sci-

D pione Silius lib. 6.

———*sæpe aliæ planta*
Ilia perfossum, & campi per aperta volantem
Ipse pedes præuertit equum.———

De filio Atalantæ Statius lib. 6.

Narratur ceruas pedes inter aperta Lycæi
Tollere, & emissum cursu deprendere telum.

8. ILLA VEL INTACTÆ SEGETIS, &c.] Calpurn. Eclog. 4.

———*viridi sic exultauit in aruo,*
Tangeret vt fragiles, sed non curuaret aristas.

Homer. lib. 20. Iliad.

Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
Per summum asphodeli fructum currebant, neque frangebant.

Imitatio.

E Audi hîc Scaligeri censuram. Quod Græcus θέον, Virgilius *volaret*: vero namque similius est, volantem non incuruare aristas, quàm currentem. Deinde anthericus, qui flos est asphodeli, non exit adeò frequens, atque confertus, vt super ipsum possit exerceri cursus: at in segete potest. Adhæc familiarior res, quàm anthericus. Tum autem leuior, quæ super re teneriore: & auxit *intactas.* & quæ adhuc essent *gramina,* id est, teneræ. Sed redeo ad viam. Ab Homero Hesiodus loquens de Iphiclo,

Homerũ superat Virgilius.

Ἄκρων ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέεν, οὐδὲ κατέκλα,
Ἀλλ' ἐπὶ πυραμίνων ἀθέρων δρομάασκε πόδεσσι.

Per

Per summum fructum antherici currebat, neque frangebat,
Sed per triticeas aristas currebat pedibus.

De eodem Iphiclo Nonnus lib. 28. Dionys. cum imitatione & Hesiodi, & Homeri.

Καὶ σταχύων ἰφύπερθε μετάρσιον εἶχε πορείην
Ἀνθερίκων ἀστατον ἄκρον ἀναμπέα ποσσὶν ὁδεύων:
Et super spicas sublimem habuit cursum
Anthericorum stabile cacumen inflexum pedibus transiens.

Oppian. quoque lib. 1. Cyneg. pari vestigio.

Ἵππος ἐπ' ἀνθερίκων ἔθειν κούφοισι πόδεσσιν.
Equus supra anthericos currebat leuibus pedibus.

Aduocat Vrsinus versus Orphicos, qui sunt apud Zetzen, vbi Orpheus, loquens de Iphiclo, vt superiores Poëtæ, ita ait.

Ὅς ῥα καὶ ἀνθερίκεσσιν ἐπέτρεχεν, οὐδ' ἔτι καρπὸν
Σίνετ', ἐλαφρὰ γυῖα φέρων ἐπὶ λήϊον αὖον.
Qui currebat per anthericos, neque fructum adhuc
Lædebat, velocia membra ferens super segetem aridam.

Meliùs Græcis omnibus Poëta ad segetes, & aristas decurrit, vt vidisti ex censura Scaligeri. Sed vnus Græcus praué scribens Homerus reliquos in errorem induxit. Sed Dio Chrysost. Orat. 33. etiamsi Græcus, loquens de equis Troianis, ait ita fuisse veloces, ὡς' ἐπ' ἄκρων θεῖν τῶν σταχύων: *vt currerent per summa spicarum.* Pessimè autem illi, quibus censendi ius est, amputant à Virgilio hos quatuor versus. Explicui quippe ἀνθέρικα, vt vidisti, sequutus ductum Scaligeri: nam ab omnibus ἀνθέριξ redditur *arista*, aut *spica*. Ad vestigia porrò Virgilij Statius sua lib. 6.

——*vix campus euntem*
Sentit, & exilis plantis interuenit aër,
Raráque non fracto vestigia puluere pendent.

Rem hanc ita expressit Soph. in Ant. κοῦφον ἐξάρας πόδα: *leuem attollens pedem.* Statius iterum eodem lib. *alto per gramina sulco,* dixit ad rem eandem.

9. Vel mare per medium, &c.] Hanc quoque partem comitabitur globus Poëtarum. Vires quisque exercuit in hac similitudine describenda.

Imitatio. Princeps Homerus dicto loco, de equis loquens.

Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον:
At cùm iam saltarent super lata dorsa maris,
In summitate littoris maris albentis currebant.

Homeri vitium. Quid hic Scaliger? Sicut in herbis dixit, οὐδὲ κατέκλων, *neque frangebant*: cur non in mari addidit similem euasionem? Hoc enim Virgilius cauit, qui in primo, *nec teneras cursu læsisset aristas:* in altero, *celeres nec tingeret æquore plantas.* Ita fermè Scaliger. Inde (credo) ex imitatione Virgilij Claudian. de tertio Consulatu Honorij duplicem quoque habuit euasionem. Ait enim:

Locorum similitudo. *Vobis Ionia virides Neptunus in alga*
Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetémque leui percurrere motu:
Nesciat vt spumas, nec proterat vngula culmos.

Vt etiam Ouidius lib. 10. Metamorph. loquens de Hippomene, & Atalanta, his versibus.

Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ stantes percurrere aristas.

In primo, *sicco passu*, in altero, *stantes aristas*, pro euasione sunt. Sed ad Græcos iterum. Homer. 13. Iliad. de Neptuni equis,

——τοὶ δ' ἐπέτοντο
Ῥίμφα μάλ', οὐδ' ὑπένερθε διαίνετο χάλκεος ἄξων:
——*illi autem volabant*
Admodùm celeriter, neque subter madescebat æreus axis.

Apollonius lib. 1. loquens de Polyphemo, Celerrimi pedum.

Κεῖνος ἀνὴρ καὶ πόντου ἐπὶ γλαυκοῖο θέεσκεν
Οἴδματος, οὐδὲ θοοὺς βάπτεν πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις
Ἴχνεσι τεγγόμενος, διερῇ πεφόρητο κελεύθῳ:
Ille vir & ponti super cana currebat
Vnda, neque celeres tinxit pedes, sed paululùm extremis
Plantis madefactus, liquida ablatus est via.

Calaber loquens de equis Acchillis lib. 8.

Οἵτε καὶ ἀτρύγετον πέλαγος διὰ ποσσὶ θέεσκον,
Ἄκρ' ὀνύχων ψαύοντες——
Qui sterile pelagus pedibus transcurrunt,
Extremas vngulas tingentes.——

Oppianus post adductum versum,

Ἄλλος ὑπὲρ πόντοιο, καὶ οὐ στοναχὴν ἐδίηνεν:
Alius super pontum, neque neque vngulam madefecit.

De mari quoque capiendus Nonnus lib. 28. vbi de Iphiclo

——ἀβάπτοις κατέγραφεν ἄκρα γαλήνης:
——*inuiæ descripsit summitatem tranquillitatis.*

Nolo omittere locum Silij lib. 3.

Nec non Autololes, leuibus gens ignea plantis,
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis:
Tanta fuga est, certant penna, campúmque volatu
Cum rapuêre, pedum frustra vestigia quæras.

Notetur ad extremum diligentia Virgilij. Duo quippe dixit de Camilla, neque lædi aristas, neque tingi aquis plantas. In his alludit ad Iphiclum, & Orionem. Primo datum à Diis, vt ita per aristas curreret, vt non inflecteret, quod iam vidisti: alteri Neptunus concessit, vt suspensis vestigiis ita fluctus perambularet, vt neque summos pedes allueret. Ita solet Virgilius fabulas attingere sine ostentatione. Iphiclus. Orion.

10. Tvrba qve miratvr.] Ducit ab Homero Odyss. 2. Vrsinus, Imitatio.

——τὸν δ' ἄρα πάντες
Λαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο.

Ego ab Calab. lib. 1. qui simili planè ratione Penthesileam inducit aduentantem ad Troianum bellũ.

——ἀμφὶ δὲ Τρῶες
Πάντοθεν ἐσσύμενοι, μέγ' ἐθάμβεον, ὡς ἐσίδοντο
Ἄρηος ἀκαμάτοιο βαθυκνήμιδα θύγατρα:
——*Troiani verò circum*
Vndique irruentes, admirantur plurimùm,
Vt viderunt inuicti Martis filiam cum altis tibialibus.

11. Velet honos læves hvmeros.] Poëticè luxuriat; nihil enim aliud dicit, quàm tegi humeros Regia purpura, quæ in summo honore. Sed docet te loqui extra vulgus. Apollon. lib. 1. inducit Venerem pari fermè modo indutam, nam ἐξ ὤμου, *ab humero* pergebat vestis, πῆχυν ἐπὶ σκαιόν, *vsque ad leuum cubitum.*

12. Fibvla crinem, &c.] Vsum fibularum in feminis aperit Ælianus lib. 1. Var. hist. c. 18. τοῦ δὲ χιτῶνος τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέρραπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον: *Tunicarum eam partẽ, quæ est ab humeris vsque ad manus non consuebant, sed continuis fibulis aureis, & argenteis constringebant.* Sed latiùs patuit eius vsus, videlicet ad continendum omnem fluxum: nam Claud. 2. Eutrop. Fibulæ vsus.

Carbaseos induta sinus post terga reductas
Vberibus propior mordebat fibula vestes.

Inde Nonnus lib. 32. fibulam vocat κληῖδα χιτῶνος, *clauem vestis.* De Atalanta Ouid. 8. Metamorph.

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem.

Ergo Maro illas capiti attribuit, vt indicet frænatas esse comas, quod Claudianus lib. 2. Rap. dixit,

——*libertatémque comarum*
Iniecta voluit tandem frænare corona.

Sed Camilla Virgiliana comas frænat fibula. Credo autem Comæ attractæ.

autem Græcorum ἄμπυκα respondere Virgilianæ fibulæ. Dictus enim ἄμπυξ, teste Eustathio, διὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας à cohibendis crinibus. Sic Pallas, & Diana ab Stat. lib. 2. Theb. inducuntur cum flauo nodo in vertice. Sic sponsa apud Claudia. de 6. Conf. Hon. *Substringitque comas gemmis.* Et Iuno apud Nonn. lib. 32. habet πλεκτὴν κόμην, *comam implexam.* Lucan. de Phœbade lib. 5 *stringit vitta comas.*

13. AVRO.] Notet diligens imitator Virgilij adhiberi sæpe à Poëta substantiuum pro adiectiuo, vt hîc, *fibula auro internectat*, id est, fibula aurea internectat. Itaque *auro* est attributum, & respondet pharetræ Lyciæ: quasi dicat; fibula est aurea, pharetra est Lycia.

Substantiuũ pro adiectiuo.

14. LYCIAM PHARETRAM.] Omnes quippe ad Orientem populi sagittandi peritia floruerunt, vt apparet in Persis, quorum in hac arte mentio magna: nunc mihi ante oculos Ammianus lib. 25. non longè ab initio. Eadem de Armeniis scribit lib. 73. de Zabdicenis lib. 20. De Parthis, & aliis Orientalibus populis Capitolin. in Maximinis: *Orientalia secum trahebat auxilia, quòd nulli magis contra Germanos, quàm expediti sagittarij valent.* Sed & pharetrarum ex Lycia etiam meminit Statius lib. 6.

Orientales sagittarij.

Cetera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris.

Et Silius lib. 8. *Lycios arcus.* Sed quid si per *Lyciam pharetram* intelligat verè Italam? Nam Lycij nonnullas colonias in Italia condidêre, quod de Sallentinis scribit Solinus cap. 8. Ergo, sicut purpura scriptoribus, vt commendetur, dicitur Afra, id est, Tyria, quia Tyrij Carthaginem in Africa condidêre; cur non pharetra *Lycia* dicetur, id est, Itala, à coloniis Lyciorum in Italia? Sic & arx Cumana dicitur Virgilio *Chalcidica* quia à Chalcidensibus ducta colonia: & Iuuenal. Sat. 12. *Tyrio Annibali.*

Lycij in Italia.

15. MYRTVM.] Non assentio notæ Seruij, qui hîc capit verè myrtum, non hastam ex myrto. Credo hastam myrteam describi à Poëta. Sed cur Camillæ dat hanc hastam? ex lib. 11. discimus Metabum sacrasse Camillam Dianæ:

Alma tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo
Ipse pater famulam voueo ———

Ibidem de eadem Camilla, *sola contenta Diana.* Quid ergo mirum si gestet hastam myrteam; nam myrtus sacra Dianæ? Nouum hoc, dicet quispiam, & myrtum scio sacram Veneri. Ita est, sed Dianæ quoque. Clemens clarè lib. 2. Pædag. cap. 8. *Iunonem dicunt delectari lilio, & Dianam myrto.* Ratio ducitur à fabula, quæ legitur apud Cæsarem Constant. lib. 11. cap. 7. quamque ex Græco se conuertisse affirmat Egnatius cap. 16. Racemation. his verbis: *Fuit Attica puella Myrsine nomine, puellas omnes pulchritudine, iuuenes omnes robore facilè vincens. Coluit hæc præ ceteris Dianam, coluit & hanc præ ceteris Diana. Nullum huic vnquam otium, quies nulla. palæstra illam, vel curricula, si quæreres, semper habebant. In quibus dum sæpe contendit, id factum est, vt aliorum victores palæstritæ, cursorésque sub illa victrice caderent. Peperit illi, vt ferè fit, inuidiam virtus, ægrè ferentibus iuuenibus, si tot viros puella vna vinceret. Quare insidiis exceptam interficiunt, interfectam terra condunt.: sed non immemor amoris Diana, cùm illam in arbusculam sui commutasset nominis, vt antea olea, sic postea myrto coronari voluit.* Visa mihi fuit hæc fabella necessaria ad Camillam gestantem hastam myrteam, quia videlicet Camilla ipsa sacra erat Dianæ, & Dianæ myrtus. Adiiciam & Caroli Pasch. sententiam lib. 3 Coronar. cap. 20. scilicet myrtum fuisse symbolum fortitudinis; nam eius lignum validum & forte. Virgil. 1. Georg. *solido Paphiæ de robore myrtus.* & 2. *At myrtus validis hastilibus.* Inde Tertull. de Cor. mil. tradit è Claudio Saturnino, myrto milites redimiri solitos. Hinc igitur gestamen bellicum datum Camillæ è myrto. Fuisse enim olim tela myrtea liquidum ex Virg. 3. Æneid. nam cum respectu ad tela myrtea dixit, *densis hastilibus horrida myrtus.* Et iterum:

Myrtus Dianæ sacra.

Myrtus symbolum fortitudinis.

Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

Sed & Statius lib. 4. Theb. inter varia armorum genera:

———*hi Paphias myrtos à stirpe recuruant,*
Et pastorali meditantur prælia trunco.

FINIS LIB. VII.

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

PROPONITVR *belli signum à Turno, coguntur vndique auxilia ad bellum contra Æneam, mittuntur Legati ad Diomedem. Viso belli tanti apparatu Æneas curis æstuat, abitque in somnos, cui dormienti apparet fluuius Tyberinus, docétque illum, quæ debeat auxilia contra Latinos comparare; surgit dux à somno, & sacra perficit, aptátque se ad iter nauticum: describitur eius nauigatio ad Euandrum, qui tunc operam sacris dabat, cùm Æneas ad illum appulit; excipitur hîc humanissimè, & aperit rationem affinitatis inter Arcadas & Troianos, adducítque rationes alias, quibus inducat ad statuenda secum fœdera. Repetit Euander causas ab initio, quibus libentissimè adducitur ad amorem Æneæ & Troianorum, inuitat illum ad celebranda sacra Herculis, & post epulas aperit Rex sacri illius originem, incipiens à notitia Caci, cuius speluncam describit, crudelitatem, genus, furtum, cædem ab Hercule, mox sacra Herculis, itionem ad vrbem (nam hæc facta in agro sunt) ac demum vtriusque ducis somnum. Interea Venus pro nato sollicita Vulcanum adit, petit ab eo arma, quibus Æneas vtatur in bello Italiæ contra Turnum, promittit ille, ac post voluptatem coniugij it ad Liparem, insulam sibi sacram (cuius est mira hypotyposis) vbi Cyclopas inuenit fabricantes Iouis fulmen, currus Martis, Ægidem Palladis, iubet cuncta amoueri, arma Aeneæ cudi. Redit ad Euandrum, & Aeneam, qui ad sermonem conueniunt vnà cum Pallante, & Achate. Sequitur oratio Euandri excusantis tenuitatem suam ad auxilium, quod petebatur; ait tamen aliunde fortunam illuxisse, quod vt ostendat, incipit à rebus Mezentij, qui Agyllinam occupauit, tenuítque cum imperio superbo & crudeli, non tulére illum Agillyni, fugit ipse ad Turnum, volunt ciues illum persequi bello, cohibet aruspex dicens fatis statutum, vt externi ducis imperio bellum aggrediantur, quo audito oraculo Thusci imperium deferunt ad Euandrum, qui nec se propter senectutem, nec filium propter maternum genus aptos declarat, ac propterea ex mente oraculi imperium illud Æneæ mandandum, quem Pallas sequetur cum equitibus quater centum. Inter hæc verba, ac sereno tum cœlo, repentè omnia cœpta commutari splendore fulgurum, tonitruorum strepitu, fragore cœli. In alio stupore Æneas lætatur, aperítque Euandro causam obmurmurantis cœli, & quæ sciebat de promissis sibi Vulcani armis. Demum Æneas it ad Tarchontem in Etruriam vnà cum Pallante, & in secreto syluæ cùm esset, apparet illi Venus mater, ferens arma, quibus ille pugnaturus cum Turno. Describitur latè clypei fabrica, & liber desinit in bellum Actiacum, in quo victor Augustus, victus Antonius.*

a VT belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu:
Vtq; acres concussit equos, vtq; impulit arma:

Extemplò

Extemplò turbati animi. [b] simul omne tumultu
Coniurat trepidò Latium: sæuítque iuuentus
Effera. [c] Ductores primi Messapus, & Vfens,
Contemptórque Deûm Mezentius vndique cogunt
Auxilia, & latos vastant cultoribus agros.

ARGVMENTVM.

Proponitur belli signum à Turno, concinunt cornua, equi incitantur, arma impelluntur, turbantur omnes, Latium coniurat, iuuentus ad bellum sæuit. Ductores sunt Messapus, Vfens, Mezentius: coguntur vndique auxilia ab agris.

EXPLICATIO.

[a] DICIT, subitò turbatos animos Latinorum ad signum, quód Turnus ab arce extulit, ad cornua raucum strepentia, ad equos concussos, ad impulsa arma. Ista enim omnia nata imprimis ad turbationem, cùm præsertim multi nescirent Troianorum aduentum: fuerat enim bellum subitò accensum. Seruius ait, datum signum equitibus verbis illis, *Vtq; acres concussit equos:* peditibus verò illis, *vtq; impulit arma.*

[b] Turbationem sequitur coniuratio totius Latij, & hæc cum *tumultu*, vt par erat. Iuuenes quoque sæuiunt ad bellum, vt quibus insita ferocitas.

[c] Primi omnium Messapus, Vfens, Mezentius in agros discurrunt, adducturi auxilia, etiam cum nocumento victus, nam cultores quoque agrorum ad arma compellunt, & quà eunt, omnia vastant. Itaque *cogunt* hîc notat vim. In his personis omnia propria (quod aduertit Seruius) Messapus bonus equo ad equites mittitur, Vfens egregius pedes ad pedites; porrò Mezentius impius in Deos contra pios Troianos.

NOTÆ.

1. BELLI SIGNVM.] Duplex sententia. Prima. In conscriptione exercitus signum ab arce tollebatur. Dionys. lib. 4. προυθέσαν τὰ τοῦ πολέμου σημεῖα, καὶ τὰς δυνάμεις τῆς πόλεως κατέγραφον: *Proposuerunt belli signa, & copias vrbanas conscripserunt.* Arnobius. *Cùm paratis bella, signum monstratis ex arce.* Liu. lib. 39. *Cùm vexillo in arce posito, comitiorum causâ, exercitus indictus esset.* Festus: *Iusti dies dicebantur triginta, cùm exercitus imperatus, & vexillum in arce positum esset.* Altera. Instante iam pugna vexillum à duce tollebatur, monstrabatúrque militibus, vt scirent iam manus conserendas. Iulius 2. Gall. *Cæsari omnia vno tempore erant agenda, vexillum proponendum, quod erat insigne, cùm iam ad arma concurri oporteret.* Plutarch. in Fabio. τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. *Pugnæ signum proposuit.* Gracchus apud Appian. lib. 1. Ciuil. cùm iam currendum fuit ad arma, ἀνέσχε τὸ σημεῖον: *signum protulit.* Ammian. lib. 27. *Signis illico fixis ex more, cùm vndique ad arma conclamaretur, stetit regibilis miles, vexillum opperiens extollendum, quod erat opportunè subeundæ initium pugnæ.* Eadem ferè habet lib. 19. En vtraque sententia, & vtraque fulta auctore quadruplici. Primam sequor? abnuo ab his, qui alteram. Nam quî isti verè, cùm

Signum in conscriptione exercitus.

Vexillũ instãte pugna.

A nulla hîc instet pugna? Potiùs in Virgilio miles confluit, vt confletur exercitus: & eunt duces ad cogendum militem ex agris. Obiicies pro altera explicatione, sublatum à Turno vexillum id enim faciebat exercitus Imperator, instante iam pugna. Sed obsecro, cur non etiam ad conscribendum militem hoc faceret Imperator? Nam tametsi hoc auctores taceant, sed ratio præit, vt hoc putem. Et præterea verba Tullij pro Milon. ita loquentis de Pompeio: *Qui cùm de me decretum Capuæ fecisset, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & eius fidem imploranti signum dedit, vt ad me restituendum Romam concurrerent.* Quæ verba ad conscriptionem alludunt, non ad instantem pugnam. In exitu notabis, vexillum illud, quod tollebatur instante pugna, non solùm esse Romani moris, etiãsi Plutarch. in vita Pompeij dixerit, loquens de Iulio,
B τοῦτο γὰρ μάχης ῥωμαίοις ἐστὶ σύμβολον: sed etiam Græci; nam idem Plutarch. in Philopœm. hoc signum adhibet in bello, vbi non pugnant Romani: tollitur .n. instante pugna φοινικὶς ὑπὲρ σαρίσης: *vestis purpurea in sarissa.* Et hanc vestem purpuream, fuisse vexillum Romanorum, instante pugna, clarum ex eodẽ Plut. qui in vita Pomp. de re eadem loquens, τὸν φοινικοῦν χιτῶνα dixit: *sagum purpureum.*

Dux tollebat vexillũ in conscriptione militum.

Græcorum mos.

Purpureum signum.

2. LAVRENTI.] Hæc est Regia illa, quam latè describit in 7. *Tectum augustum, ingens,* &c.

3. EXTVLIT.] Ita Dionys. lib. 10. σημεῖα ἀρθῆναι τῆς μάχης. Et Plutarch. in Pomp. προθεῖναι τὸν φοινικοῦν χιτῶνα.

Efferre signum.

4. ET RAVCO STREPVERVNT, &c.] Similes strepitus, & planè tragicos habes in Lucret. libro
C secundo.

——*raucisono minantur cornua cantu.*

Et in Silio lib. 13. aspirante ad Virg.

Insonuêre tubæ passim, clamórque virorum,
Tinnitúsque simul litui, raucóque tumultu
Cornua, & in membris concussa furentibus arma.

Strepitus militaris.

Pari fremitu Hom. 10. Iliad.

κυλῶν συνέγχων τ' ἐνοπήν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Notetur etiam locus Cassiod. 2. Var. 14. de tonis quinque, Dorio, Phrygio, Æolio, Iastio, Lydio. Phrygius ad rem Maronis, nam de illo: *Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat.* Hos tonos *phthongos* vocat Plin. cap. 22. lib. 2. vbi ait, *Saturnum Dorio moueri phthongo.*

Toni quinque.

Phthongi.

5. CORNVA.] Sentiunt multi dictum hoc
D cum relatione ad priscum sæculum, cui in vsu cornua. Itaque, quamuis Maro tubas æreas intelligat, tamen *cornua* nominat cum hoc respectu. Ita & Horatium capiunt Od. 1. lib. 2.

Iam nunc minaci murmure cornuum.

Sed me tamen Liuij locus lib. 30. admonet, vt cornua capiam. Ait enim: *tubæ cornuáque ab Romanis cecinerunt.* Fabius quoque lib. 2. cap. 18. *Quid autẽ aliud in nostris legionibus cornua, & tubæ faciunt? quorum concentus quantò est vehementior, tantùm Romana in bellis gloria cæteris præstat.* Vegetius etiam lib. 2. c. 22. *Quoties pugnatur, & tubicines & cornicines pariter canunt.* Vides, vt cornua in Romana militia distinguantur à tubis? Obiicies: cornibus ergo canebatur, quod in vsu

Cornua in Romano exercitu.

Barbaris. Dico, mansisse formam mutata materia. A
Itaque, rudi adhuc Roma, cornibus bubulis aduocabatur concio, quod inuenies in Dionys. lib. 1. Antiq. Postea mutata est materia, manente forma. Clarè Ouid.

Cornua ex ære.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Vbi æs audis, & curuitatem agnoscis.

6. Vtqve acres concvssit eqvos.] Est hoc, quod Stat. 3. Theb. *Flagrantes immisit equos.* & in 7. *Mars impellit equos.* Sed quæ hæc concussio, immissio, impulsio? Intellige incitatos equos ad cursum. Ita videlicet duces se ad bellum ipsi acuebant militari hoc procursu. Friget Donatus, qui, *equos produxit.* Non hoc solùm, sed incitauit ad cursum. Ascensius se paululùm surrigit, qui, *commouit.* Cùm B Hippolytus Mediceus Cardinalis (commeminit Mag. lib. 4. Misc. cap. 13.) in Pannoniam exercitum ductaret, & acies iam in procinctu ad pugnam essent; canentibus bellicum tubis, eò alacritatis generosi furoris processit, vt bellicum quid inclamans, stricto gladio, equum ante principia, quasi cum hoste congressurus, ad cursum concitasse dicatur. Ferunt etiam Antonium Leyuam, qui, Caroli Quinti auspiciis, variis sæpe cladibus Gallos afflixit, ad aciem sæpe processisse lectica vectum, & fasciis illigatum, propter acerbissimos neruorum dolores, quos patiebatur: mox autem, vbi strepitus tubarum increpuissent, & bombardarum tonitrua, eo furore solitum abripi, vt disruptis fasciis, quibus illigabatur; relicta lectica, quâ vehebatur, arma arriperet, C equum inscenderet, quem agebat in varios saltus & procursus. His exemplis capies, quid Turnus. Qui legat Statium lib. 1. Achill. inueniet quos fremitus Achilles fremuerit ad visum clypeum, ad auditam tubam, cùm muliebri habitu lateret in Scyro.

Concussio equorum quæ.

Antonius Leyua.

7. Vtqve impvlit arma.] Concussio armorum ante conflictum fuit. Fiebat hæc vel gladij rotatione, vel hastæ iaculatione, vel facta percussione in clypeo. Atque ita duces quasi experimentum capiebant virtutis, suósque acuebant ad bellum. Inde de armis Turni in 9. *Horrendum sonuere.* In 7. *Non clypei, currúsve sonant.* Et de Messapo, *ferrúmque retractat.* Andromacha apud Sen. vt terrorem D inferat Vlyssi volenti euertere sepulcrum Hectoris.

Concussio armorum quæ.

——arma concussit manu,
Iaculatur ignes, cernitis Danaï Hectorem?

De Annibale Sil. lib. 12. *clypeóque tremendum increpat.*
De eodem lib. 9.

Ingentis clypei tonitru prænuntiat iram.

Et iterum lib. 2. eiusdem Annibalis arma, *Lethiferum intonuere.* De Flamminio in 5. *clypeum quatit.*
De Marte Claudian. 2. Eutrop.

Sic fatus, clypeo, quantum vix ipse Deorum
Arbiter, infesto cùm percutit æthera nimbo,
Intonuit.——

Nonnus lib. 2.

——πολέμοιο προάγγελα σήματα φαίνων,
Ἀσπίδα ποικιλόνωτον ἀμείβετο τύπτε μαχαίρῃ·
——Ostentans prænuntia signa belli,
Pulsauit gladio immiti scutum, cui pictum dorsum.

An verò soli Poëtæ? Ammian. lib. 20. *Hac fiducia miles, hastis feriendo clypeos, sonitu assurgens ingenti.* Et lib. 16. inducit milites, *hastis illidendo scuta.* Clariùs lib. 14. nam addit rationem. *Miles hastis feriens scuta, qui habitus iram pugnantium concitat & dolorem, proximo iam gestu terrebat.* Polybius de pugna Scipionis contra Annibalem. Ῥωμαῖοι συμψοφήσαντες τοῖς ξίφεσι τοὺς θυρεοὺς, προσέβαλον τοῖς ἐναντίοις· *Romani gladiis ad scuta*

Hastis ferire scutum est habitus iræ.

concrepantes, inuaserunt oppositos. Philostr. in Heroïcis. πρὸς τὴν ἀσπίδα ἐδούπησε, σφαγῆς ἕνεκα τῶν ἵππων: *strepuit scuto ad turbandos equos.* ὑπλῖται quoque apud Dionem lib. 47. τὰς ἀσπίδας τοῖς δόρατιοις ἐκρότησαν: *scuta hastis percusserunt.* Recurro iterum ad Ammianum, vt scias, Lector, discrimen seruatum in bello. Ille itaque lib. 15. ita scribit. *Militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum: nam contrà, cum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est, & doloris.* Vides distinctos fuisse fremitus lætitiæ, & irarum. Sed non parcã fontem huius moris aperire. Quid si tractus à belli Punici prodigio? Nam tum scisso cœlo, ac demissis inde sortibus, in vna earum apparuit scriptum, vt auctor est Plutar. in vita Fabij, Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει: *Mars arma sua concutit.*

Scuta genibus illidere quid sit.

8. Extemplo tvrbati animi.] Sic apud Val. Flacc. lib. 6. vbi Mars impulit, & concussit currus.

Protinus è castris fugit sopor, excita tela,
Turbati coiëre duces.——

Docet obseruantissimè Godesc. quæ particulæ sequantur post *vt*, ad rem subitam explicandam. Videlicet; *Vt, extemplo. Vt, statim. Vt, continuò. Vt confestim. Vt, repentè. Vt, postea. Vt, protinus.* Vide, vt firmet bonis auctoribus.

Vt, extemplo.

9. Tvmvltv.] Quæ hîc Ser. de *Legitima militia, Coniuratione, Euocatione,* in promptu cuilibet sunt. Quæ idem, & interpretes alij de *Tumultu*, videntur mihi parum necessaria ad mentem Virg. cùm dicat Cicero Philipp. 8. id nominis tantùm congruere bello Italico, & Gallico, nemini præterea bello. Nam, quo iure tu velis omnia bella in Italia gesta eo nomine afficere, possim ego quoque bellum Annibalis, quod nemo somniauit. Vel tu mihi dicas, quod est discrimen inter Æneam ex Asia aduectum, & Annibalem ex Africa, & vtrunque gerentem bellum in Italia? Quid, quòd Turnus vnum tantùm vexillum constituit? in *Tumultu* autem sumpto ea ratione, qua isti volunt, duo tollebantur vexilla (quod probè in Seruium Lipsius notauit) russeum, & cæruleum: illud ad pedites, hoc ad equites, quod & Seruius ipse agnoscit. Itaque Poëta simpliciter capiendus est; ita enim nominat *tumultum*, vt Homerus in suis bellis βοὴν; & ἐνοπὴν, & alia huiusmodi.

Tumultus Virgilianus quis.

Vexilla duo in Tumultu.

10. Conivrat.] Bene Seru. Germ. alij notant vocem hanc esse τῶν μέσων. Nam hîc in bonum partem accipitur, sicuti ab Iulio 3. Gall. *Celeriter missis Legatis per suos Principes coniurant.* Et quidem in militia Romana (notante Lipsio) vnus ex tota legione eligebatur, qui singula iuramenti verba conciperet, & hic *praiurare* dicebatur. Qui deinde sequebantur, dicebant, *idem iuro.*

Coniuratio etiam in bonam partem.

11. Contemptorqve devm Mezentivs.] Dixi iam in 7.

12. Vndiqve cogvnt avxilia.] Est hoc illud Stat. 3. Theb. vbi in decreto belli: *Finitimas adhibere manus,* id est, auxilia finitimorum.

E 13. Vastant cvltoribvs agros.] Quemadmodum lib. 1. Georg. & 7. Æneid. dixit, vomeres mutari in gladios instante bello, ita hîc pari consecutione ait, agricolas mutari in milites. Quod Sil. lib. 12.

Agri in bello deseruntur.

At Libyci ducis vt fulserunt signa per agros,
Desolata metu cuncta, & suadente pauore,
Vallo se clausere.——

Cicero etiam in Maniliana dixit, ad rumorem belli deseri agriculturam. Alludunt cum re Virg. versus Ennij 8. Annal. vbi in re belli,

——Accedit mœros Romana iuuentus,

Et

Et detotondit agros lætos, atque oppida cepit.

Sic 1. Georg.

——*Squallent abductis arua colonis.*

Et in 11. Ænéid.

——*Ingentes & desolauimus agros.*

Stat. 4. Theb. *rarus vacuis habitator in aruis.* Et 3. in apparatu belli, *agrósque viris, annosáque vastant oppida.* Ab Ennio fortasse Propert. lib. 4.

Sub quorum titulis Africa tonsa iaces.

Herodotus dixit λυμήνασθαι τὴν χώρην. Alij κακῶσαι τὰ χωρία: quod Demosth. κακῶς ποιεῖν τὴν χώραν: & Hom. 17. Iliad. κατατρύχειν ἐδωδῇ λαούς. Polyb. lib. 3. τῆς χώρας καταφθειρομένης. Omnes isti notant atrocem agri vastationem. Statius etiam in Achill. in apparatu belli, *Rura, vrbésque vacant.* Attingit hoc & auctor Thebaïdos, vbi ait, fugam factam ab agris, in-

A gruente bello. Et Lucan. lib. 1.

——*desuntque manus poscentibus aruis.*

Inde dolus Iugurthæ, sed penetratus Metello, volentis auertere belli suspicionem. *Contra belli faciem* (agnosce Sallustium) *tuguria plena hominum, pecora, cultorésque in agris erant.* Par dolus in Tusculanis fuit, sed penetratus etiam Camillo. In huius vita Plutar. *At Tusculani errorem vaferrimè auertentes, cùm esset iam in expeditione aduersus ipsos Camillus,* τὸ μὲν πεδίον ἀνθρώπων, ὡς ἐν εἰρήνῃ, γεωργούντων, καὶ νεμόντων ἐνέπλησαν: *aratoribus, pastoribúsque agros, vt in pace, compleuerant.* Nihil enim magis alienum à bello, quàm agros coli. Nam hæc indicia mera sunt pacis. Inde ad pacem notandam Auson. Mosell.

Iugurthæ dolus.

Tusculanorum dolus.

Sed modò securis, non castra, sed horrea Belgis,
Addam felices ripa ex vtraque colonos.

[a] Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Aduectum Ænean classi, victósque Penates
Inferre, & fatis Regem se dicere posci,
Edoceat: multásque viro se adiungere gentes
Dardanio, & latè Latio increbrescere nomen.
[b] Quid struat his cœptis: quem, si fortuna sequatur,
Euentum pugnæ cupiat, manifestiùs ipsi,
Quàm Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

ARGVMENTVM.

Legatio ad Diomedem, vt Latij rebus faueat.

EXPLICATIO.

[a] POST victam Troiam Diomedes in Apulia Italiæ consederat, ibíque Arpos, aut Argiripam vrbem condiderat. Ad hanc vrbem Venulus Legatus mittitur. Notanda verò mandata omnia, vt Diomedes permoueatur ad mittenda auxilia; iubent enim, vt Venulus Diomedem doceat, *Teucros*, scilicet antiquos hostes Græcorum, *consistere*, quasi iam domicilium habeant, *Latio*, id est, in ipsis Italiæ visceribus: Ducem verò illorum esse *Æneam*, filium nempe Veneris, quam Diomedes ipse vulnerauerat, *aduectum classi*, vt ita maior formido Diomedem inuadat: quippe res geritur cum hoste munito classiario milite. Deinde doceat *Penates*, tametsi *victos* illos, *inferri* quoque; verbum funestum, & ominosum. Ne videlicet putetur res temerè agi, sed cum auspicio Deorum, hísque præeuntibus. Et, quod inuidiosius adhuc, *fatis Regem se dicere posci:* quasi velint, non tutum esse in Italia Diomedem, cùm fata Regem alium videantur poscere. Neque verò tantùm Troiano milite Æneas munitur, religione, aut fatis: sed etiam

——*multásque viro se adiungere gentes*
Dardanio, & latè Latio increbrescere nomen.

Natum hoc ad magnam formidinem, quasi Itali se adiungant, non tam Æneæ Troiano, quàm *viro Dardanio*; videlicet agnoscentes post longa sæcula primos Dardani ortus, qui fuit Italus: atque ita velint ex suo seminio Regem, non Græcum aliquem, & externum.

[b] Ab his rebus volunt, consideret Diomedes,

B quàm sint in arcto res. Hoc enim ipsi erit manifestius, vt qui diu cum Troianis pugnauit; quàm Turno, aut Latino. Nam certum est, quid Æneas *his cœptis struat, quem cupiat esse pugnæ euentum*, aspirante fortuna: non profectò alium, quàm toti Italiæ dominari, ac proinde nec Diomedem tutum esse in Apulia. Sunt istæ honestæ quædam minæ, vt quæ tectæ. Vidi sæpissimè in Poëtis multos Legatorum sermones, in quibus fusè multa, & fere ad rem nihil. In Virgiliana hac legatione omnia viuida & efficacia, munita fatis, religione, opibus; vt nullus relinquatur Diomedi ambigendi locus.

C NOTÆ.

1. MITTITVR, &c.] Par locus Demosth. 2. Olynth. φημὶ πρὸς Θετταλοὺς πρεσβείαν πέμπειν, ἣ τοὺς μὲν διδάξει ταῦτα, τοὺς δὲ παροξυνεῖ: *Censeo mittendam legationem ad Thessalos, quæ alios doceat, alios ad bellum exhortetur.* Adumbrat verò Poëta studium Romanorum in societatibus firmandis, & faciendis fœderibus. Cùm enim malo aliquo premebantur, hoc vnicum erat confugium. Itaque apud Liuium sæpe videas discursus ad socios in clade quauis. Et apud Thucyd. lib. 7. post cladem acceptam in Sicilia, statim Athenienses curant τὰ τῶν ξυμμάχων εἰς ἀσφάλειαν, quasi nihil hac re tutius.

Locorum similitudo.

Societates Romanorũ.

D 2. QVI PETAT AVXILIVM.] Nempe à Græcis, qui diuersi à Latinis genere, ac moribus. Sed ideo, quia vtrique genti vnus hostis imminebat. Simocatt. lib. 3. Hist. cap. 5. ita ait. ἠνάγκασαν γοῦν τοὺς ἑτερογενεῖς εἰς συμφωνίαν τὰ κοινὰ δυστυχήματα: *Communia mala in concordiam adducunt eos, qui diuersi sunt.* Additque, sæpe fieri conspirationem ab illis, οἷς γένος, καὶ νόμος, καὶ γλῶττα διῄρητο, *quos discernit genus, lex, lingua.* Illud, *qui petat auxilium*, est quod Xenoph. 1. ἑλλ. in re simili, στρατιὰν, καὶ ναῦς αἰτήσων.

Inimicos adducit in concordiam commune malum.

Classi, pro, classe.

3. CLASSI.] Ita frequenter veteres, non in hac A sola, sed in aliis vocibus. Sic segeti, pro, segete: capiti, pro, capite: ruri, pro, rure: vesperi, pro, vespere: Carthagini in Plauto, pro, Carthagine. Sed de hac inprimis voce iam Achilles Statius. Nam Sisenna apud Nonium, *perpetua classi*. Catull.

Namque ferunt olim classi cum mœnia Diuæ.

Idem:

Per medium classi barbara nauit Athon.

4. INCREBRESCERE.] Sic legendum, vbicunque occurrat hoc verbum, non *increbesco*. Vide præter alios Læuinum in Sat. 5. lib. 2. Horat.

Sequor notat secundā fortunam.

5. FORTVNA SEQVATVR.] Vulgaris Poëta nihil putaret dictum, nisi nominaret *secundam fortunam*. Sed hanc tu intellige in verbo *sequatur*. Ita & Lucan. 5. *rerum nos summa sequetur, imperiúmque comes.*

Rex de iure tantùm ad Regnum.

6. TVRNO REGI.] Scilicet propter ius ad Regnum; nam Rex non erat. Sic apud Statium primo Achill.

Obstupuit tantis Regina exterrita monstris.

Sermo est de Deidamia filia Lycomedis, nondum Regina, sed hærede. Seru. in 3. Eclog. ad illud,

Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum,

ita scribit: *Regum nomina, non quoniam ipsi Reges fuerunt, sed quia Regum filij*: probátque illo, quod de Ariadna in 6. Æneid.

Magnum Reginæ sed enim miseratus amorem.

Sponsus de quo.

Sic apud Horat. epist. 2. lib. 1. *Sponsi Penelopes*, vt apud Homer. μνηστῆρες, qui non verè sponsi Penelopes, sed voto tantùm. Sed de hac re iam ego libro superiore.

ª Talia per Latium: quæ Laomedontius Heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc;
In partésque rapit varias, pérque omnia versat.
ᵇ Sicut aquæ tremulum labris vbi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunæ,
Omnia peruolitat latè loca, iámque sub auras
Erigitur, summíque ferit laquearia tecti.

ARGVMENTVM.

Æneas viso apparatu Latini belli contra se, curis æstuat, ad quas curas explicandas comparatio adhibetur.

EXPLICATIO.

ª GEREBANTVR hæc per Latium: quæ Æneas cùm sciret, credi vix potest, quo curarum æstu fluctuaret; vti animam in partes omnes diuideret, raperet, versaret. Quid enim aliud faceret aduena, ignotus; nullis ibi neque necessitudinibus, neque cognationibus?

ᵇ Vidisti aquam inclusam vasis aheneis, percussam Solis, ac Lunæ radiis, vti ex se lumen vagum ac discurrens emittat, & nunc tecta, nunc parietes ocyssimè percurrat, idque sæpe, nam sæpe radiis percutitur: talem finge Æneam. Ita fermè Donatus.

NOTÆ.

Laomedontis prudentia.

1. LAOMEDONTIVS.] Hîc aptiùs, quàm Dardanius, aut quiduis aliud, vt innuat callidum Æneam, vigilantem, & prudentem ad motus omnes Turni. Nota enim prudentia Laomedontis. Suprà, meliùs D *Dardanius*, vt vidisti in Explicatione. Primum Donatus vidit, Seruius alterum. Vt videas Poëtam non pro libidine vti his vocibus.

Fluctus curarum.

2. CVRARVM FLVCTVAT ÆSTV.] Pulchrè Sil. lib. 8. *vndantes dolores*. Lucret. 6.

Voluere curarum tristes in pectore fluctus.

Petron. *in hoc dictorum æstu motus incedo.*

Statius 5. Theb.

——*vario sic turbidus æstu*

B *Angitur.*——

Valer. 5. Arg.

Præcipuè Æsonidem varios incerta per æstus

Mens rapit vndantem curis, ac multa nouantem.

Curis vndare.

Catull.

——*magnis curarum fluctuat vndis.*

Apul. lib. 4. *In cogitationis salo fluctuare.* Ammian. lib. 15. *In æstu mentis ancipiti.* Latini proculdubio à Græcis, qui pari energia. Oppian. 5. Hal. νοῦς δ' οἱ ἠΰτε κῦμα ἑλίσσεται: *torquetur ei animus, tanquam fluctus.* Sophoc. in Electra, & de illa ἑλίσσει, *fluctuat*. Herodian. de Commodo, κυμαίνουσαν ὑπ' ἔχων ποικίλαις φροντίσι τὴν ψυχὴν: *Habens animum tantis curis fluctuantem.* Ioann. C Chrysostom. hom. de Patient. κύματα τῶν λογισμῶν, Sic vicissim tranquillum animum dicunt ἀκύμαντον, & ἀκύμονα, vt qui careat fluctibus curarum. Ad eum modum, quo dixit Synes. lib. de Insomn. σχολάσασα τοῦ κατακλυσμοῦ τῶν ἀγοραίων φροντίδων: *Anima vacans forensium curarum diluuio.* Præclarè verò notat Seru. præoccupatam à Virgil. futuram comparationem. Qui enim dicturus, *Sicut aquæ tremulum*, &c. hîc præmittit consentaneè æstus, & fluctus curarum.

Animus in plura distractus.

3. ATQVE ANIMVM NVNC, &c.] Ennius in Iphig.

Imus huc hinc, illuc: cùm illuc ventum est, ire

Hinc lubet: incertè errat animus.——

Ad Ennium allusit Cicero 3. Tuscul. *Animus æger, &c. vt ait Ennius, semper errat: neque pati, neque perpeti potest, cupere nunquam desinit.* Est hoc, quod Homer. Od. 1. δαίεται ἦτορ: *diuiditur cor.* Lactant. *animus in multa dispersus.* Illud, *nunc huc, nunc illuc*, ab Homer. qui, θυμὸς ὁρμᾶται ἔνθα καὶ ἔνθα. Præclarè lib. 4. Anthol. Medea dubia inter pietatem, & furorem dicitur δίχα μερισθεῖσα. Idem affectus exprimitur per verba συνιδεῖν, & ἐνιδεῖν, quæ sanè rei Virgilij conueniunt. Basilius Seleuciens. lib. 1. Teclæ, ἐναντίας διχασθεῖσαν vocat. Plutarch. in vita Pyrrhi διχοστασίαν ψυχῆς. De animi porrò celeritate ego iam 4. Æneid. vbi similia.

4. PERQVE

Alternatio animi in varia. 4. PERQVE OMNIA VERSAT.] Sic in 4. de Didone, *partes animum versabat in omnes.* Synes. lib. de Insomn. ἐστι γὰρ τις ὥσπερ πνεῦμα εὐστροφον : *Nihil tam est versatile quam spiritus.* Homero satis fuit 1. Iliad. διάνδιχα μερμήριξεν. Isocrati, δόξαν ἐπαλλάττειν, vt Virg. in 4. *alternanti.* Philo dixit, τῆς διανοίας ἀμφικλινοῦς οὔσης, καὶ ἀλλαττομένης : *variante animo, atque in vtramque partem vicissim propendente.* Æschynes, ἀπόρως διακεῖσθαι. Græci omnes ἀπορεῖν, καὶ διαπορεῖν. Sed nemo meliùs Plutarcho de hac animi alternatione, idque in vita Iulij, cùm hic Princeps ad Rubiconem accessit sub initium Ciuilis belli. Et, vt ego puto, Virgilius in suo Ænea ad amnē Tyberinum sub initium belli ita agitato rem Iulij expressit. Ergo Plutarch. λογισμὸς αὐτὸν εἰσῄει, μᾶλλον ἐγγίζοντα τῷ δεινῷ, καὶ περιφερόμενον τῷ μεγέθει τῶν τολμωμένων, ἔσχε δρόμου, καὶ τὴν πορείαν ἐπιστήσας, πολλὰ μὲν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ διήνεγκε σιγῇ τὴν γνώμην ἐπ' ἀμφότερα μεταλαμβάνων, καὶ τροπὰς ἔσχεν αὐτῷ τότε τὸ βούλευμα πλείστας: *Cogitatio illum inuasit appropinquantem terribili rerum articulo; ac fluctuabundus magnitudine ausorum, quæ inceptabat, cursum continuit. Multa secū agitauit animo, tacitusq́, huc, illuc sententiā versabat: babuitq́, consilium eius tunc plurima volumina.* Alibi de eodem Iulio belli mole agitato. νύκτα πασῶν ἐκείνην ἀπαρατάτην διήγαγεν ἐν ἀπόροις λογισμοῖς: *Noctem egit omnium illam in perplexis consiliis mæstissimam.*

5. SICVT AQVÆ, &c.] Illustro hanc comparationem aliis, qui similem in suis carminibus. Incipio ab Apollonio, à quo Virg. sed cum victoria. Ille itaque 3. Arg.

Locorum similitudo.

Ἠελίου ὥς τίς τε δόμοις ἐνιπάλλεται αἴγλη
Ὕδατος ἐξανιοῦσα, τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι,
Ἠέ που ἐν γαυλῷ κέχυται. ἡ δ' ἔνθα, καὶ ἔνθα
Ὠκείῃ στροφάλιγγι τινάσσεται ἀΐσσουσα:

Aquæ splendor ex lebete.

Solis veluti aliquis in ædibus resultat splendor
Ex aqua exsiliens qua modo aut in lebete,
Vel certè in situla infusa, huc, illúcque
Celeri conuersione commouetur impulsa.

De Annibale Silius lib. 7.

Nulla vacant incepta dolis, simul omnia versat,
Miscétque exacuens varia ad conamina mentem.
Sicut aqua splendor radiatus lampade Solis
Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans
Luminis, & tremula laquearia verberat vmbra.

Non multùm abit Claud. in descriptione orientis diei lib. 2. Rap.

Diei orientis descriptio.

Impulit Ionios præmisso lumine fluctus,
Nondum pura dies, tremulis vibratur in vndis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.

Credo, habuit ante oculos Ouidium ita scribentem,

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum celsa spargit in æde iubar.

Valer. lib. 13. Arg. dixit,

Stagna vaga sic luce micant, vbi Cynthia cælo
Prospicit, aut medij transit rota candida Phœbi.

De re Virgilij Sidon. epist. 10. lib. 2.

Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fuluo vt concolor erret in metallo,
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras.

Non omittam Aristænetum Poëtas æmulantem lib. 2. epist. 5. ποικίλα τῆς διανοίας ὑπεκκαίει μοι κύματα. καθάπερ αἴγλη τις ἡλίου πάλλεται, εὐχερῶς περὶ τοῖχον ἐξ ὕδατος ἀπαυγάζεται κατὰ σκαφίδος, ἢ λέβητος κεχυμένου. καὶ ἀστάτῳ θορῷ τὴν ἐκλαμψιν συστρέφει ἀπεικαζομένη τῶν ὑδάτων: *Varij ex mea mente curarum fluctus exæstuant. Sicuti radius Solis densis ictibus parietem quatit reflexus ex aqua* A *aheno: aut caldario fusa, & instabili motu fluctuantem vndarum repræsentat vertiginem.*

Reflexus ex aqua.

Nec Dionem Chrysost. Orat. 21. ἴσως ἑώρακας ἐν τοῖς τοίχοις τὸ κινούμενον, καὶ περιτρέχον φῶς, οὐκ ὂν ἀληθινόν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὕδασιν αὐγῆς τοῦ ἡλίου γινόμενον πρὸς τὸ μάλιστα κεκλασθέν: *Et fortasse vidisti in parietibus vibratum, & circumcursitans lumen, non verum sed à Solis splendore in aquis factum ad id quod maximè ex aduerso directè est.* Lucret. lib. 6. non adhibet comparationem, sed repræsentat idem cum reliquis, ita canens.

Præterea Solis radiis iactatur aquaï
Humor, & in lucem tremulo rarescit ab æstu.

Tremor de lumine.

6. TREMVLVM LVMEN.] Ennius in Menalippa:

B *Lumine sic tremulo terra, & caua cærula candent.*

Et Lucret. lib. 4.

Iámque rubrum tremulis iubar ignibus.———

Et lib. 5.

———*tremulum iubar hæsitat ignis.*

Vide quæ fusè lib. 7. ad illud;

———*splendet tremulo sub lumine pontus.*

Præclarè Sidon. epist. 2. lib. 2. de radio Solis, *radio peregrinante.* Nam tametsi ille de cursu Solis loquatur, sed trahi huc potest.

Percutio, de luce. Verber. Telum.

7. SOLE REPERCVSSVM.] Lucretius, *radiorum verbera,* &, *diei tela.* Adiungo hîc verba Scaligeri. *Malè putant quidam, re, vacare. Nam lumen aut est rectum, aut reflexum, ἀνακεκλασμένον vocat Aristoteles. Percutitur igitur aqua à lumine, deinde lumen ab aqua reflectitur, sicut & vox in Echo.*

C 8. AVT RADIANTIS IMAGINE LVNÆ.] Adhibeo verba Plinij cap. 9. lib. 2. ita loquentis de Luna. *Solis fulgore eam, vt reliqua sydera, regi: siquidem in totum mutuata ab eo luce fulgere, qualem in repercussu aquæ volitare conspicimus.* Sed cur dixerit, *imagine Lunæ.* non, *Luna;* cùm lumen non sit ab imagine Lunæ, sed ab Luna, est enim imago species rei: cur (inquam) hoc dixerit; ita explicat senior Scal. *An Poeta sciebat hoc à Philosophis disputari, lumenne res sit quadam suapte natura existens? id quod est veluti color in herba viridis. An imago quædam corporis lucentis? qualitas est viriditas in speculo ex vero herbæ colore manans. Idcirco Lunæ imaginem lumen ipsum intellexit, vt sit, lumen in laquearibus esse Lunæ imaginem exceptam, atque repercussam. Libet (inquam) Poëtam supra triuialia ingenia interpretari: nusquam enim Musa illius* D *mortale quicquam sonat.*

Imago Lunæ, cur.

Laquearia ædificiorū.

9. LAQVEARIA.] Sic dicuntur summa ædium à variis laqueis & scalpturis, quibus polita esse solent, vt de cœlo dixit Manil. lib. 1.

Hæc igitur texunt æquali sydera tractu
Ignibus in varias cœlum laqueantia formas.

Lacus in ædificiis quid.

Non contemnendi tamen, qui aiunt, *lacum* præter vulgarem significationem, esse etiam trabem planam in ædificiis, vnde Lucill. *resultant ædésque, lacusq́.* Ergo à *lacu lacunar, lacunare, lacunarium:* & per antistœcon *laquear, laqueare.* Iuuat hanc sententiam verbum rusticum *ablaqueo,* quod non à *laqueis,* sed à *lacubus:* est enim *ablaqueare,* tanquam *ablacunare.* lacunas videlicet & fossas facere ad caudices arborum. Inde E *ablaqueatæ vites* in Plin. & aliis. Ergo, si huic extremæ sententiæ adhærendum sit, in quam inclino; non tam *lacus,* aut *laqueare.* aut *lacunar* in ædibus erit trabs illa plana, vt Grammatici explicant; quàm caua illa, quæ in tectis apparent, nos *bouedas* dicimus. Hoc enim magis consentaneum cum lacu, & ablaqueo. Lacus etiam in re simili Sidonius meminit epistola secunda libr. 2. vbi loquitur de cœnatione, quæ erat in triclinio. Porrò ab his cauis, aut laquearibus pendebat ensis ille Damoclis, cuius non solùm Cicero

Ablaqueare, verbum rusticum.

meminit, sed etiam Plato lib. 3. πολ. Athen. lib. 6. & alludunt Cassiod. epist. 21. lib. 6. Nilus Martyr A in Gnomis, & Vopiscus loquens de Imperatore Saturnino.

[a] Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudúmque genus sopor altus habebat.
[b] Cùm Pater in ripa, gelidíque sub ætheris axe
Æneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit, serámque dedit per membra quietem.
[c] Huic Deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus: eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.
[d] Tum sic affari, & curas his demere dictis.

ARGVMENTVM.

Inter has curas somnus Æneæ obrepsit, cui dormienti apparet fluuius Tyberinus.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIPTIO noctis à sopore, quo alites, & pecudes profundissimo capiuntur: ideo *sopor* signatè, non, somnus. Hunc adiuuat labor, præmittit enim, *fessa animalia.*

[b] Æneas quoque tristi bellorum cogitatione distractus, ad ripam Tyberini cùm esset, & sub nudo æthere, non tam in somnos concessit, quàm fessus procubuit, & seram tandem quietem admisit, ac sibi indulsit. Vicit quippe illum vigilantem, & veluti obluctantem somno natura ipsa, & humana necessitas.

[c] Dormienti apparet fluuius Tyberinus, qui illius loci Deus. Describitur eius ætas, & ornatus. Ætas, nam *senior*: ita enim fluuij ab æternitate sua. Ornatus duplex. Inerat illi in corpore vestis tenuis carbasina, cui glaucus color: in capite corona arundinea, qua vmbrabantur crines. Extulit verò se inter populeas frondes, quia ripa fluminis prætexta populis.

[d] Affatur, vt qui consolabundus, & demit curas, quibus Æneas turbatus instante bello.

NOTÆ.

1. ALITVVM.] Deflexit paululùm à Lucret. lib. 4. *alituum genus, atque ferarum.* Noluit hoc vltimum, quia non omnes feræ noctu dormiunt, imò multæ tunc exeunt è latebris prædam facturæ. Alius imitator incogitanter *ferarum* diceret, quia sic Lucret. Stat. 1. Sylu. non contentus est, nisi tria adiungeret, vt sciamus illum explorasse Lucretium, & Virgilium. Versus est,

Alituum, pecudúmque mihi, durique ferarum
Non remeere greges.———

Et 5. Sylu.

———*tacet omne pecus, volucrésque, feraq;.*

Imitatio. Seneca Rhetor Controu. 16. ait, Virgilium expressisse in melius versus hos Varronis,

Desierant latrare canes, vrbésque silebant,

B *Omnia noctis erant placida composta quiete.*

Vide & longam descriptionem Apollon. lib. 3, ab eo versu,

Νὺξ μὲν ἔπειτ' ἐπὶ γαῖαν ἄγεν κνέφας,&c.

Ceterùm Latini Poëtæ *alituum*, pro, *alitum*, imitatione Græcorum. Qui Homerum libarunt, sciunt esse in eo φαάνθεν, pro φάνθεν: ἀντιόωσαν, pro ἀντιῶσαν: ἴω, pro ὦ: ὄρωρε, pro ὦρε: συνέηκε, pro συνῆκε: ἀάτα, pro ἄτα: ἀταρτηρὲς, pro ἀτηρὲς: τετραγών, pro τετράγων: ἠγερέθοντο, pro ἠγερέθοντο: ἔεδνα, pro ἕδνα. & millena. — Alituũ imitione Græcorum.

2. GENVS.] Ita Ennius: *genus altiuolantum.* Alibi: *genus pennis condecoratum.* Et: *genus pennigerum, pennipotentum.* De psittaco Stat. 1. Sylu. — Genus de feris.

Occidit aeria celeberrima gloria gentis. — Gens de feris.

C 3. CVM PATER, &c.] Non dubium, quin hæc pars respiciat Homericum Achillem, de quo 23. Iliad. — Imitatio.

Πηλείδης δ' ἐπὶ θινὶ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Κεῖτο βαρὺ στενάχων πολέσιν μετὰ Μυρμιδόνεσσιν
Ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠϊόνος κλύζεσκον
Εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε, λύων μελεδήματα θυμοῦ,
Νήδυμος ἀμφιχυθείς: μάλα γὰρ κάμε φαίδιμα γυῖα:
Pelides autem in littore multisoni maris
Iacebat grauiter ingemens, multos inter Myrmidonas
In loco puro, vbi fluctus littus alluebant.
Quando hunc somnus cepit, soluens curas animi
Dulcis circumfusus: vade enim lassauerat formosa membra.

D Ab vtroque Sil. lib. 8. ita describit anxium de futuro bello Annibalem, — Locorum similitudo.

Ille virûm cœtu tum ferè remotus ab omni
Incertos rerum euentus, bellique voluntans
Anxia ducebat vigili suspiria voce.

Somnus ab Eurip. in Orest. dicitur φίλον θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου: *dulce delinimentum, remedium morbi.* — Somnus remedium malorum.

4. GELIDIQVE SVB ÆTHERIS AXE.] Est hoc, quod Horat. *sub Ioue frigido*; quod omnes, *sub dio*, ὕπαιθρον. — Sub axe, Ioue, dio.

5. TVRBATVS PECTORA.] Græca constructio. Externi κατὰ subaudiunt. Pind. Od. 8. Nem. χεῖρας ἱμάντι δεθεὶς, κατὰ χεῖρας. Dionys. Hal. 5. Antiq. ῥώμην κάλλιστος: κατὰ ῥώμην. In illo Hom. 1. Iliad. τὸ πᾶν ἔργον ὑπείξομαι, subaudiri εἰς, vel κατὰ πᾶν ἔργον, iam Scapula E adnotauit. Ita Plaut. Mer. *consulam hanc rem amicos*, id est, circa hanc rem. Et Cas. *Quid tibi hunc tactio fuit?* id est, quid tibi tactio fuit ad hunc? quid hunc tetigisti? Neque aliunde Horat. epist. 1. lib. 1. *coronari Olympia.* Nam & Græci στεφανοῦσθαι ὀλύμπια, pro, κατὰ ὀλύμπια. Et Phil. περ. ἀθλ. τί οὖν ἆθλον πρόκειται τῷ στεφανωθέντι τὸν ἀγῶνα τοῦτον; *Quod igitur præmium proponitur* — Græca constructio.

tur ei, qui sit coronatus hoc certamen? id eſt, κατὰ ἀγῶνα, *in hoc certamine*. Hæc de re Grammatica, & eo conſilio, vt expugnentur verba illa quartæ, vt dicunt, claſſis. Non enim poſſunt pendere duo accuſatiui ab vno verbo: Nam in hac. *Doceo te litteras*; vox, *litteras*, pendet à ſubaudita præpoſitione, vt in Græcis, id eſt, *doceo te ad litteras*. Niſi mauis, quod non abnuo, ſubaudiendum verbum *ſcire*, id eſt, *doceo te litteras ſcire*. Et argumentum clarum ab voce paſſiua. Nam in hac, *doceris litteras*, quæ vox reget τὰς *litteras*? Certè aut præpoſitio, aut *ſcire*. Sed ſatis de re pudenda. Ad ſententiam porrò pertinet locus Salluſt. Iugurth. *Primò cura, dein, vti ægrum animum ſolet, ſomnus cepit*. Loquitur de Nabdalſa. Ita quidem Æneam cura belli preſſum ſomnus inuadit: ideo, *procubuit*, & ſub dio, iam ſui impotens. Quippe non tectum adiit, non lectum; ſed in agro, vt erat, procubuit. Nam, vt ait Charidemus apud Curt. lib. 3. *fatigatis humus cubile eſt*.

Quartæ claſsis verba oppugnantur.

Somnus in cura.

6. SERAMQVE DEDIT PER MEMBRA QVIETEM.] Stat. 3. Theb. de Tydeo:

Dux vigilet.

——*animoſaque pectora laxet*
Sera quies.——

Nam dux & Princeps eſſe debet vigil, & ſerò ſomnum capere. Ita de Adraſto idem Stat. lib. 8.

——*ſed agit miſeranda poteſtas*
Inuigilare malis.——

Et de Annibale Sil. lib. 12.

——*vigil ille, nec vllam*
Ad requiem facilis.——

Eundem Polyb. lib. 3. inducit vigilantem ὅλῃ τῇ νυκτὶ, *tota nocte*. Laudatur Iulianus Cæſar ab Ammian. lib. 16. quòd exſurgeret, cùm verſabatur in bello, *nocte dimidiata*. Expende etiam quidpiam aliud. Conſultò Virg. inducit Æneam ſerò capientem ſomnum, quod interpretor, poſt noctem mediam: conſultò hoc (inquam) vt locum det felici ſomnio ſecuturo. Somnia enim, quæ vltra mediam noctem, & iam penè ad lucem, felicia ſunt & vera; quod iam firmaui Æneide quinta: ſecus, quæ contingunt prima nocte, & veſpertino tempore. Inde ſignatè ab Calabro loquente de ſomnio, quod exitium attulit Penthеſileæ, ita ſcribitur.

Somnia felicia, quæ.

Νηπίη, ἥ ῥ' ἐπίθησεν ὀΐζυρῷ περὶ ὀνείρῳ
Ἑσπερίῳ, ὅς φῦλα πολυτλήτων ἀνθρώπων
Θέλγει ἐνὶ λεχέεσσιν ἐπικέρτομα βάζων·
Demens, quæ infelici ſomnio morem geſſit
Veſpertino, quod ærumnoſorum genus hominum
In lectis demulcet, ludibria blatterans.

7. HVIC DEVS IPSE LOCI.] Poſterius hemiſtichium, *fluuio Tyberinus amœno*, explicat prius. Dixerat. *Deus*, & *loci*. Atqui Deus eſt Tyberinus, & locus, ipſe fluuius. Sed poſſit tamen ſimpliciùs explicari, vt tantùm ſit locutio quædam poëtica: ita vt tantùm per *Deum loci* capiat ἐπιχώριον Θεὸν, καὶ ἐντόπιον: &, vt Plato (obſeruante Germ.) αὐθιγενὴς πόταμος, & αὐτόχθονας τὴν ἕδρας ἔχων. Notetur locus Q. Fabij Pictor lib. 2. de Orig. Italiæ. *Deum Tyberinum ſuum dicit eſſe Romæ, eundem & Ianum Vertumnum, & ab his dictum Vadymona*. Quo teſtimonio efficitur, non ſolùm pro Deo habitum Tyberinum, ſed etiam tum ſignatè vocari Tyberinum, non, Tybrim. Quò ſpectat nota Seruij hæc: *In ſacris Tyberinus, in cænoloxia Tyberis, in Poëmate Tybris vocatur*. Quis autem ignorat, fluuios Ethnicis habitos loco numinum? Ælian. 2. Var. cap. 33. Ἀκραγαντῖνοι δὲ τῷ ἐπωνύμῳ τῆς πόλεως ποταμῷ παιδὶ ὡραίῳ εἰκάζοντες, θύουσι: *Agrigentini cognominem vrbi fluuium ſpecioſi pueri forma effingentes, illi ſacrificant*. Huc pertinent verſus Heſiodi,

Tyberinus cùm Deus, non Tybris.

Fluuij olim Dij.

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα·
Neque perennium fluminum pulchrifluam aquam
Pedibus tranſire, priuſquàm preceris pulchra fluenta.

Sic apud Ægyptios Nilus, quem & Oſirim exiſtimarunt: & apud Colchos Phaſis, cui ideo dicatus Sacerdos, canente Val. lib. 6. Arg.

Indigenis ſacratus aquis, magnique Sacerdos
Phaſidis, Arctoïs Aquites errabat in armis.

Illud, quod dixi de nomine Tyberini in re ſacra, aſtrui poteſt ex Tullio lib. 3. de Nat. vbi ait, in Augurum precatione inueniri Tyberinum. Ab S. Cyprian. de Idol. van. numerantur facti Dij, *Picus, & Tyberinus, & Pilumnus*. Hi, vt vides, abſtinent à *Tybris* voce in re ſacra, & vſurpant nomen *Tyberini*. Adduco alia teſtimonia infrà in Nota alia.

8. POPVLEAS, &c.] Similis attollentis ſe fluminis imago placita Statio, credo ex perluſtrato Virgilij loco, apud quem Vulturnus lib. 4. Sylu.

Locorum ſimilitudo.

Crinem mollibus impeditus vlmis
Vulturnus leuat ora.

Et Iſinenus lib. 9. Theb.

——*leuat aſpera muſco*
Colla, grauémque gelu crinem, ceciditque ſoluta
Pinus adulta manu, demiſſáque voluitur vrna.

Vt etiam Claudiano de 6. Conſ. Hon. vbi de Eridano.

——*ille caput placidis ſublime fluentis*
Extulit, & totis lucem ſpargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.

Ibidem de aliis amnibus,

——*frondentibus humida ripis*
Colla leuant pulcher Ticinus, & Addua viſu
Cæruleus, & velox Atheſis.——

Et de Tyberino Pang. Olib.

——*illicet herbis*
Pallentes thalamos, & ſtructa cubilia muſco
Deſerit, atque domum Nymphis commendat herilem.

Apud Sil. quoque lib. 4. Iuno apparet Annibali ſub forma Thraſimeni lacus,

Et madida frontis crines circundata fronde
Populea.——

Auſonius de Moſella,

Exeris auratæ Taurinæ frontis honorem.

9. VISVS SE ATTOLLERE.] Huc aſpirauit Stat. 4. Theb.

Attolli de fluuiis.

Amnis adhuc imis vix truncam attollere frontem
Auſus aquis.——

Et Val. 4. Arg. vbi de Hyla,

Ecce puer ſumma ſe tollere viſus ab vnda.

10. EVM TENVIS GLAVCO VELABAT AMICTV, &c.] In deſcribendo eodem flumine, eiúſque amictu verboſiſſimus fuit Claud. Paneg Olib. ſed nequaquam cum Virg. conferendus. Ait ille.

Tybris deſcriptio.

Illi glauca nitent hirſuto lumina vultu,
Cæruleiſque infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: criſpo denſantur gramine colla,
Vertice luxurias toto crinalis arundo,
Quam neque fas Zephyris frangi, nec Sole peruſtam
Æſtiuo candore mori; ſed viuida frondes
Æquanum complexa caput: taurina leuantur
Cornua, temporibus raucos ſudantia riuos.
Diſtillant per pectus aquæ, frons hiſpida manat
Imbribus, in liquidos fontes ſe barba repectit.
Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor
Ilia percurrens vitreas ſub gurgite telas.

Eſſent hæc pulchra, ſi abeſſet Virgilius, qui mira ſobrietate caſtigat hanc luxuriam. Veriſſimum eſt, à multis Poëtis multa probari, quæ Virgilius reſpuit. Nam,

Nam cur Claudianus in amne placido,& miti probat hirsutum vultum, frontem hispidam? Deinde, cur à temporibus fluunt riui aquarum, à fronte imbres, à barba fontes, & ab vno tantùm pectore fit distillatio? Quod cauens Sidon. Paneg. Anthem. cùm dederit Tyberino vndam copiosam in mento, & barba, addit, *Pectore ructabat lacuces*, vt omnia essent paria. Quid, quòd tanta aquarum exuberantium luxuria reprehendenda est quoque? sufficiebat enim dixisse semel. Tertiò, quid est, *barba repectit se in fontes?* Quartò, quid facit *palla* in corpore tot imbribus humectato? annon ipsa quoque humectabitur, nullo ornamento cultus? Ego enim, audito Claudiano, fingo natatorem emergentem è fluctibus, ac se sindone exsiccantem: quod spectaculum deforme est, & ad nullum ornatum. Quanto meliùs Virgil. qui dans indutum, abstinet ab imbribus? Meliùs idem Claud. de 6. Consulat. Hon. ornat Eridanum, hunc in modum.

Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos, rami caput vmbrauère virentes
Heliadum, totisque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, curruque paterno
Intextus Phaëton glaucos incendit amictus.

Amictus in re somni.

11. AMICTV.] Obseruo hîc, si hoc est aliquid, amictum dari in re somni. Petron. Sat. *Ego precipuè quasi somnio quodam turbulento circumamictus, diu vocem collegi.* Et Tibull.

Et cùm te fusco somnus velauit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.

Ergo, dormienti Æneæ fluuius apparet cum amictu.

Glauci fluuij.

Facit hûc Poëta *glaucum*, quem colorem in re fluminis probant Silius, Statius, Claudianus. Dat illi *carbasum*, ex quo lini genere fiunt tenuissima vela.

Arundine fluuij coronati.

12. CRINES VMBROSA TEGEBAT ARVNDO.] Hæc videlicet fluuiorum corona. De Calydonio amne Ouid. lib. 9. Metamorph.

———*inornatos redimitus arundine crines.*

Dio Chrysostom. Orat. 4. de Regno, inducit fluuios μυρίκην, ἢ καλάμην ἐστεφανωμένους: *coronatos myrica, aut arundine.* Nonn. lib. 24. Hydaspi dat δόνακας, vt etiam Eridano Silius lib. 4. Euripid. Helen. δονακόεντος Εὐρώτα: *arundinosi Eurotæ.* Ibidem Eurotas dicitur καλλιδόναξ: & in Aul. δονακοτρόφου: & in Taur. δονακόχλοα Εὐρώτα, quòd nutriat arundines, illisque vireat. Claud. 2. Rap.

———*hunc fracta Cephissus arundine luget,*

id est, fracta corona capitis. Inter reliquum apparatum, quo à Valer. inducitur Hylas, factus iam aquarum Deus, hunc leges,

———*subita cur pulcher arundine crines*
Velat Hylas? cur vrna humeris, niueósque per artus
Cærulea vestes?———

Æschines epist. 10. de quodam Cimone, qui se Scamandrum fluuium assimulauit, καὶ στέφει ἑαυτὸν δόναξιν: *coronat se arundinibus.* Et Paterculus lib. 2. scribit, Plancum fuisse cæruleatum, atque habuisse in capite arundinem, cùm in conuiuio saltauit Glaucum, Deum marinum. Ideo hoc, quia ripæ fluminum vestiri solent arundinetis. Stat. 6. Thebaid. de Inacho,

Latus, arundinea recubánsque sub aggere ripa.

Et Virg. 3. Georg.

Mincius & tenera prætexit arundine ripas.

Tybris amictus.

Sed quidem, vt ad Tyberim redeam, Gullielmus Choül lib. Romanarum Antiquit. profert nummum Vespasiani, in quo esset Roma, ad cuius pedes iaceret Tybris, habens tantùm in manu ramum iunceũ. Et Ion. Bapt. Cauall. in perfectissimis iconib. editis ann. 1585. Tyberim exhibet nullo in capite, aut in manu ramo; sed horum loco dextra tenentem cornu opertum floribus, vt pingi solent alia flumina, subtúsque illum lupam cum gemino puero pendente ab vberibus. Sed quidem Sidon. Paneg. Anthem. loquens de Tyberi,

———*& arundinis alta*
Concolor in viridi fluitabat sylua capillo.

Affari in mulcimẽto.

TVM SIC AFFARI, &c.] Silium, qui Maroniano commento delectatus, exhibuit Iunonem conuersam in formam Trasimeni lacus adhortantem ad bellum Annibalem dormientem, iam Symbolarum Collector præbuit. Abstineo. Porrò mulcimentum sermonis, quod continetur in verbo *affari*, Homer. 1. Iliad. sic expressit, καθάπτεσθαι μαλακοῖς ἐπέεσσι. Aristophan. Equitib. ἀπογλυκαίνων ῥημάτιοις: & θελχθῆναι λόγοις, atque etiam ἀγκάλλειν. Ad locum istum Virg. allusit Auctor Paneg. Constant. *Sancte Tyberis, quondam hospitis monitor Æneæ*, &c. Videatur locus Dion. Chrysost. vbi loquitur vti Poëtæ inducant fluuios loquentes, & cum humana specie.

a O sate gente Deûm, Troianam ex hostibus vrbem
Qui reuehis nobis, æternáque Pergama seruas,
Expectate solo Laurenti, aruísque Latinis:
b Hîc tibi certa domus, certi (ne absiste) Penates,
Neu belli terrere minis. Tumor omnis, & iræ
Concessêre Deûm.
c Iámque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa, iacebit
Alba solo recubans, albi circum vbera nati.
d Hìc locus vrbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo ter denis vrbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, aduerte, docebo.

ARGVMENTVM.

Præbet illi argumenta, quibus non vanum esse somnium putet.

EXPLICATIO.

a CAPTAT illum initio sermonis, nam à Diis genitus propter Venerem. Pergit. *Reuehis nobis Troianam vrbem*, id est, Troianos ciues, hósque ereptos à Græcis hostibus. Quasi dicat: Tu vnus tantæ cladis reparator. Et *reuehis* ait propter Dardanum; de quo alibi, *hinc Dardanus ortus, huc repetit*. Sequitur; *æternáque Pergama seruas*, id est, seruando facis, vt sint æterna. Quæ sequuntur, attollunt animum Æneæ, *Expectate*, &c. Dat enim aruis Latinorum affectum incredibilem visendi Æneæ. Expectant te, Ænea, terræ Laurentes, & arua ista gestiunt cupiditate tui.

b Petiuerat Æneas in 3. Æneid.

Da propriam Tymbrae domum, da mœnia fessis.

Ecce nunc Tyberis; *Hîc tibi certa domus, certi Penates.* Ne verò fatiscat, addit, *ne absiste, ne terrere minis belli.* Quin tibi, addit Fluuius, propitia & fausta promitto numina. Nam *tumor Deorum*, quo in te inflati; *iræ*, quibus commoti, iam *concessêre*, cessêre, abiêre.

c Adhibet indicium vaticinij, ne Æneas putet se decipi somni ludibrio. Inuenies in littore, ac sub ilice suem, cui triginta porcelli, ipsa alba, & nati albi: iacebit illa, & nati pendebunt ab vberibus. Vide, quot circumstantias complexus verbis paucissimis.

d Iam ad rem. Solum, vbi illa recubat, erit vrbis condendæ solum, ac proinde laborum requies. Pergit. Quia porcelli triginta, ideo post annos triginta Ascanius tuus vrbem condet: & quia sus alba, ideo vrbs ipsa Alba dicetur, claro quidem nomine, vt quæ parens Regum Albaniæ, Romuli, & Romæ. Certissima hæc erunt, ô Ænea, sed quia instat bellum, docebo te, vti expedire illud facilè queas.

NOTÆ.

1. O SATE.] Metaphora hæc venustissima, & vsitatissima. Sophoc. Aiace, σπέρμα Λαρτίου πατρός. Pind. Od. 6. Olymp. de Hercule, σεμνὸν θάλος Ἀλκαΐδᾶ. & Od. 9. σπέρμα μέγιστον. Philostrat. Imag. ἄρρεν σπέρμα. Hom. 2. Iliad. ὄζος Ἄρηος. Plutar. Porciã Catonis Vticensis filiam vocat ἀγαθὴν χώραν ἐντεκνώσασθαι, *terram fertilem ad liberos procreandos*. Superiora sunt, *semen, germen, ramus*. — *Satus de fi… à re rustica.*

2. GENTE DEVM.] Ita sæpe Æneam suum nobilitat ἐπεὶ huius Heroẽm; vt, cùm ait, *Deûm gens Ænea. Deûm certissima proles*, & sæpe aliàs. Homer. de suis Heroibus. γένος θεῶν, θεοειδής, θεογενής, διογενής, θεοείκελος, ἀντίθεος, διοτρεφής, ἰσόθεος, δῖος, θεῖος, θεοῖς ἐπαλίγκιος: & talia huiusmodi. — *Æneas à Diis. Heroës à Diis.*

3. TROIANAM VRBEM.] Tale illud, *Ilium in Italiam portans*. Lege, & hîc adiice Silium lib. 5. — *Vrbs fertur.*

Sacra, domúmque ferens, & aui genitalia Tauri.

Et lib. 7.

Hesperidum veniens lucis domus vltima terræ.

4. EXPECTATE.] Hæc lectio firmat illam lib. 6. *tuáque expectata parenti vicit iter durum pietas*. Vbi tamen aliqui, *spectata*, non malè ad eum modum, quo *explorata fides*. dixit Stat. 5. Sylu. Ceterùm huic excursui similis ille Electræ apud Soph. vbi illa anxiè expectat fratrem Orestem ὅταν ἐκεῖνον δέξωμαι μολόντα τὸν ἐς γᾶν, *venturum in patriam terram felici Deorum cursu*. Neque dispari affectu Antiphila apud Teren. Heaut. Act. 2. sc. 4. — *Expectatũ. Locorum si militudo.*

O mi expectate Clinia, salue.

5. TVMOR OMNIS, ET IRÆ.] Probata, & vera lectio, non *timor*, vel ex illo Arnobij lib. 1. *Nullus tumor indignationis in Diis est.* & Minutij. *Nam indignationis eius tumorem effusa orationis impetus relaxauerat.* — *Lectio Virgiliana.*

6. CONCESSERE DEVM.] Vide, vt explicui. Nam Seruij nugas non fero: & quis feret assutelam illam? Eius argumento facilè occurras; nam Virg. non dixit, cessasse iras omnium Deorum: & ad eius sententiam satis est, Iouem, & alios commutatos: de quo tamen in 2. *ferus omnia Iuppiter Argos Transtulit.* Hic igitur Deus iam mitis. Sic Neptunus, qui fundamenta Troiæ quassauit, postea se mitem Troianis in naufragio præbet; & in 5. etiam fauet nauiganti Æneæ ad preces Veneris. Cùm enim alius hemistichium suppleuerit, nescio cur *mirè* factum dicat Seruius? De imitatione breuiter. Huic loco hæsit Silius lib. 8. vbi Anna apparet Annibali, excitátque ad bellum. Lege ab eo loco, — *Seruij nugæ. Locorum similitudo.*

Omnis iam placata tibi manet ira Deorum, &c.

Et postea ipse Annibal,

——placauimus iras
Cælicolûm, redeunt Diui.——

Inde apud eundem Paulus obtestatur Varronem temerè ruentem ad bellum, hunc in modum.

——cladi parce obuius ire,
Dum transit Diuûm furor, & consumitur ira
Fortunæ.——

7. NE VANA PVTES, &c.] Simili poësi apud Silium lib. 8. Dido apparens Annæ signum præbet, ne Anna putet se falso somnio decipi.

8. SVS.] De hac porca iam, credo, alibi dedi dissidia auctorum, & Poëtarum; &, esto, non dederim, facilè vndecunque peti possunt.

9. TRIGINTA.] Apto hîc verba Varron. de Re Rust. *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat: si minus pariat, fructuariam idoneam non esse; si plures pariat, esse portentum. In quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quòd sus Lauinij Æneæ triginta porcos pepererit albos. Itaque, quod portenderit factum XXX. annum, vt Lauinienses condiderint oppidum Albam. Huius suis, ac porcorum etiam & nunc vestigia apparent.* Iuuenal. Sat. 12. de hac sue, — *Suis partus.*

——lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Meminit eiusdem & Tertull. lib. 1. contra Marcion. Notat Festus, dici in sacris *suem conferiam*. quæ cum omni fœtu admouebatur ad sacra, vt etiam *ambegnam bouem*. quæ ibat ad sacra, cum fœtu ad latera: sic possis vocare ouem & confertam, & ambegnam. — *Sus cõferta. Bos ambegna.*

10. CAPITVM.] Caput, præcipuam partem animalis, sumi pro toto animali, multa probant, quæ iam Collector Symbolarum, & hîc, & 1. Trist. Eleg. 1. & nos alicubi. — *Caput pro toto corpore.*

11. SOLO.] Non abundat vox, ô Serui, vt tibi placitum; imò necessaria est, vt notetur solum vrbis condendæ. — *Virgilius caret pleonasmo.*

12. REDEVNTIBVS ANNIS.] Lucret. prior libro primo: — *Anni etymon.*

Quin etiam multis solis redeuntibus annis.

Vterque expressit Græcum ἐνιαυτὸς. Et adhuc clariùs 2. Georg.

Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

vbi vide me.

13. COGNO

Cognominis vti accipiatur à Virgilio.

13. COGNOMINIS.] Cur hoc? nónne Alba nomen est vrbis, & non cognomen? Spectat Poëta ad suem: quasi dicat; Cognomines erunt sus, & vrbs: sus alba, vrbs Alba. Hæc verissima solutio. Ita Silius de Tago duce Hispanorum,

Auriferi Tagus adscito cognomine fontis.

Alba longa à sue.

Sed pergo ad historiam, quam etiam alij attingunt. Propert. dixit Eleg. 1. lib. 1.

Et stetit Alba potens albæ suis omine dicta.

Iuuenal. Sat. 12. de Alba loquens, *cui candida nomen Scrofa dedit*. Stat. 1. Sylu. *Latiis ingessit montibus Albam Ascanius.* Mitto historicos.

Tybris vates.

14. HAVD INCERTA CANO.] Ab Plin. lib. 3. c. A 5. Tybris dicitur *vates, ac monitor religiosus*. Loquitur de inundationibus, quibus semper futurum aliquid nunciabatur. De qua re ego ad exitum huius lib. in Araxe fluuio.

Doceo, verbum fabularum.

15. DOCEBO.] Propriè: nam in re fabulosa, & quidem hæc fluuij apparentis imago tota est fabulosa, atqui *doceo* est fabularum. Horat. *vel qui docuere togatas*. Cicero Bruto. *Liuius, qui primus fabulam docuit*. Inde κωμῳδιδάσκαλοι, & τραγῳδιδάσκαλοι, quos simpliciter Plutar. de Musica, διδασκάλους vocat, id est, *doctores*. Præterea hac voce vtuntur Suidas, & Isocrat. Orat. de Pace. Hæc non ab vno adnotata, traduci ad Maronem queunt.

[a] Arcadas his oris, genus à Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegêre locum, & posuêre in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.
[b] Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina,
Hos castris adhibe socios, & fœdera iunge.
[c] Ipse ego te ripis, & recto flumine ducam,
Aduersum remis superes subuectus vt amnem.
[d] Surge, age nate Dea, primísque cadentibus astris
Iunoni fer ritè preces, iráſque, mináſque
Supplicibus supera votis: mihi victor honorem
Persolues. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cœlo gratissimus amnis.
[e] Hîc mihi magna domus celsis caput vrbibus exit.

ARGVMENTVM.

Docet Æneam, quæ debeat auxilia contra Latinos comparare: deinde sacra erga Iunonem, & se: tertiò, quis sit, aperit.

EXPLICATIO.

[a] EVANDER, pronepos Pallantis Regis Arcadum, patrem suum occidit; inde patria relicta in exilium vnà cum comitibus profectus Italiam appullit, vbi, pulsis Aboriginibus, vrbem condidit, dictam à proauo Pallanteum, eo loci, vbi postea Roma extitit. Notat Seru. debere capi *profectum*, vt dicat, *genus profectum ad has oras*: non, genus profectum à Pallante.

[b] Sunt Arcades Latinis inimicissimi, ac propterea hos tibi socios para iunctis fœderibus. Ait, *ducunt*, non, gerunt, vt indicet continuas bellorum inimicitias.

[c] De via ne cogita, ipse te eò ducam *recto flumine*, id est, tecto itinere, vt alibi *littore littore*; tantùm tibi parandi remi ad cursum, eundum enim aduerso D amne: ideo *subuectus*, &, *superes*, quibus signatur aduersa vnda.

[d] Vna tibi imprimis, albente statim cœlo, placanda est Iuno tuis conatibus inimica, vt iras tandem deponat, & minas, quibus æstuat. Mihi quoque honorem persolues, victis hostibus; nam te vi- B ctorem fore ne dubita. Sum enim Tybris Italiæ fluuius, qui pleno semper aquarum agmine ripas perstringo; terris quidem salutifer, vt quas cursu meo pinguissimas reddo; cœlo verò, ac cœlestibus omnibus gratissimus.

[e] Adiungit futuræ Romæ vaticinium. *Hic*, id est, in Italia, quam ego seco, mihi erit domus magna, id est, Roma, quæ omnibus vrbibus futura caput.

NOTÆ.

Arcadum migratio.

C 1. ARCADES.] Huius Arcadum migrationis in Italiam meminit, citante Seruio, Varro: *Nónne Arcades exules confugerunt in Palatium duce Euandro?* Pleniùs Pausan. Arcad. Ait enim, Euandrum σταλέντα εἰς ἀποικίαν, *missum in coloniam*, conditúmque ab illo Pallantium, quod fuit postea vrbis Romæ pars. Et

Palatiũ vnde dictum.

inde demptis litteris *L*, & *N*, dictum Palatium. Et nomen hoc sumptum ab oppidi Arcadici nomine. Iustin. lib. 43. paria fermè cum Pausan. Liu. lib. 1. ait, Euandrum fuisse *profugum ex Peloponneso*. Verè; nam Arcadia sita in Peloponneso, & huius pars. Solin. cap. 2. *Palatium verò nemo dubitauerit, quin Arcades habeat auctores, à quibus primùm Pallanteum conditum.* Plutar. in Rom. inter dissidia reliqua, tum hoc adducit, sedes has iuxta Palatium excitatas fuisse, non ab Arcadibus; sed à Troianis, qui profugi post captam Troiam.

Euandri natales.

2. EVANDRVM.] Fabulosos natales huic assignat Pausan. dicto loco: facit enim παῖδα νύμφης

θυγα

θυγατέρα τῷ Λάδωνος καὶ Ἑρμοῦ, *filium Mercurij, & Nymphæ cuiusdam filiæ Ladonis fluminis*. Longè aliter Seruius, quem vide, & Virgilius: dans enim Euandro proauum Pallantem, nihil indicat de Ladone, aut Mercurio. In Carmentam inclinat pars plurima fabulantium; & fortasse hæc est filia illa Ladonis. Elogium Euandri hoc extat in Pauſ. γνώμην γενέσθαι, καὶ τὰ ἐς πόλεμον ἀρίστῳ τῶν Ἀρκάδων: *excelluiſſe Arcadibus consilio, & belli virtute*. In Liu. autem lib. 1. *Venerabilis vir miraculo litterarum, rei noua inter rudes artium homines: venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant.*

Elogium eiuſdem.

3. POSVERE IN MONTIBVS VRBEM.] Pari forma Sil. lib. 12. *ſedes poſuêre*. Et Horat. epiſt. 10. lib. 1.

Ponendaq́; domo quærenda eſt area primùm.

Pono, pro ædifico.

Sic 6. Æneid. *poſuit templa*. Et Iuuen. Sat. 12. *pono altaria*. Hi omnes pro ædifico. Ait verò, *in montibus*, quia vrbs Roma ſita in ſeptem arcibus, ac proinde vrbs quoque Euandri, quæ, iuxta Pauſaniam, pars Romæ.

4. PALLANTIS PROAVI.] Euander ergo pronepos, non nepos, vt ait Seru. Cur enim dicam confundi nomina, vbi nulla lux hiſtoriæ, ſed omnia fabuloſa? quo enim teſte probabit Seru. fuiſſe auum?

Pallanteum.

5. PALLANTEVM.] Satis fuerit attuliſſe de origine huius nominis Pauſaniam, vt in re fabuloſa. Legat Seruium, qui plura velit, & Solinum cap. 2.

Aduerſum flumen.

6. ADVERSVM.] Polyb. lib. 3. Hiſt. πεπεζευμένοι τὴν πορείαν ἐναντίαν τῷ ῥεύματι παρὰ τὸν ποταμὸν. Itaque, quod nos *aduerſo flumine*, ille ἐναντίον τῷ ῥεύματι. Ibidem præclarè alio flexu, ἐκ τοῦ ῥεύματος βίας, & ideo ſtatim pari conſecutione, βιάζεσθαι πρὸς τὸ ῥεῦμα, quod Virg. *ſubuectum*.

Subuehi.

7. SVBVECTVS.] Sidon. epiſt. 5. lib. 1. *per eſtia aduerſa ſubuectus*. Tacit. 2. Ann. *Nilo ſubuehebatur.*

8. PRIMISQVE CADENTIBVS ASTRIS.] Dictum iam lib. 2. Æneid. Sed quid, *primis aſtris*? Placeat ſcholion Seruij. Id eſt, primùm cadentibus, cùm primùm nox occiderit. Sed ego hîc morem aperio, quem Poëta attingit: ad quem audiendus interpres Apollon. Τοῖς μὲν ἐν καταχθονίοις περὶ τὰς τοῦ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζομεν, τοῖς δὲ οὐρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω τοῦ ἀνατέλλοντος θύομεν: *Mortuis circa occaſum Solis parentamus, cæleſtibus autem aurora tempore ſub exortum Solis ſacrificamus*. Ergo, quia Iunoni res ſacra fieri præcipitur, ideo *cadentibus aſtris*. Inde poſtea,

Mortuis parentandum in occaſu Solis. Superis ſacrificandum diluculo.

Surgit, & ætherei ſpectans orientia Solis
Lumina.——

9. IVNONI FER RITE PRECES.] Eodem conſilio adhibetur præceptum à Tyberi, quo ab Heleno in 3. vide. Eſt verò *ferre preces*, quòd in 6. *fundere preces*. Et *ferri* dicuntur preces, quia res ſacræ. Sic ferre Diis thura, ſolemnia, piacula. Seges exemplorum, tum in Briſſon. tum in Heraldo ad lib. 7. Arnob.

Ferre preces.

10. HONOREM PERSOLVES.] Quippe Deo: nam *honor* in ſacris. Sil. lib. 12. *& delubrum ſanguine honorant*. Æneas ſtatim ad Tyberim.

Honor, vox ſacrorum.

Semper honore meo, ſemper celebrabere donis.

11. PLENO FLVMINE.] Arroganter, vt & de Iſineno Stat. lib. 9. Theb.

Plena flumina.

Iámque ſuper ripas vtroque exſtantior ibat
Margine.——

Quod in 3. dixerat, *magnóque in aggere ripæ*. Et de Vulturno 4. Syl. *Et ripas habitare neſciemem*. Huiuſmodi fluuij πλημμυροῦντες dicuntur ab Simocatt. cap. 17. lib. 7. De Tyberi, ſed in tempeſtate Plin. lib. 8. epiſt. 17. *Alueum exceſſit, ripis altè ſuperfunditur, innatat campis*. Eſt hoc, quod de Lyco amne Curt. lib. 3. *Maiore vi, ac mole agentem vndas*. Hom. 5. Iliad. πλήθοντα ποταμῷ. Plutar. in vita Alexan. plenum fluuium vocat μεστὸν.

12. STRINGENTEM RIPAS.] Explicat, quid ſit plenum flumen. Cùm aqua attingit, & lambit ſummas ripas, quam gloriam dant Itali ſuo Tyberi, vt pleno ſemper ſit alueo. Quod etiam de Iſmeno Stat. 1. Theb. *aſſuetum ſtringere ripas*. Eſt hoc omnino, quod Sil. lib. 12. de inſula quapiam, *caſtigatur aquis*. &: *compreſſáque gurgite*. & Lucret. lib. 5. *ripas radentia flumina rodunt*. Quod ante illum Attius Oenom. apud Nonn. in Anguſtianrem: *& ſub eo ſaxo exuberans ſcatebra fluuij eradit rupem*. Hac etiam laude Moſellam ſuum afficit Auſon. abrepto integro Virg. verſu. & de eodem, *Diues aquis*. Talem fluuium ἐρευγόμενον vocat Oppian. lib. 2. Cyn. & ἀφρίζοντα, *eructantem, creſcentem*. Sed quidem hæc, vt dicebam, gloria Tyberis eſt. Inde Stat. 1. Theb.

Tyberis gloria.

Vos mihi, quæ Latium, ſeptenáque culmina Nymphæ
Incolitis, Tybrímque nouis attollitis vndis.

Dionyſ. lib. 9. Antiq. ait, eam eſſe Tyberis profunditatem, vt magnis nauibus queat nauigari. Loquor de eius profunditate, quia, quò exſtantior, eo profundior. Plin. cap. 9. lib. 36. ait, patuiſſe experimento nauium, non minùs aquarum Tyberi eſſe, quàm Nilo; quæ gloria maxima eſt. Et lib. 3. cap. 5. ait de eodem, *quamlibet magnarum nauium capax*. Sil. lib. 6. *altis Albula ripis*. Ab hac profunditate natura, vt Tybris fluat aqua turbida; quod illi elogium attribuit Sidon. epiſt... lib. 1. Vt enim nigra aqua datur altiſſimis fluminibus, ita & turbida. Auctor Paneg. Conſtantini de Tyberi, *Violentus & turbidus*. Hanc abundantiam Tyberis *gloriam* vocat Tacit. lib. 1. Ann. Cùm enim ageretur, an fluuij, qui in ipſum vergunt, auertendi eſſent, ne ipſe tanta mole aquarum, ita reſponſum eſt: *Ipſum Tyberim nolle prorſus accolis fluuiis orbatum minore gloria fluere.*

Tyberis profunditas.

Turbida aqua de magnis fluminibus.

13. CÆRVLEVS.] De hoc fluuiorum colore alibi.

14. COELO.] Sic δόμοις, pro τοῖς ἐν τῷ δόμῳ, dictũ ab Æſchylo in Agam. Vrſinus notat, eo verſu,

Cœlum, pro cæleſtibus. Domus pro habitatoribus.

δόμοις γ' ἀγαθοῖς καὶ Κλυταιμνήστρᾳ μέλειν λέγω:
Par eſt, hanc rem curæ eſſe domibus, & Clytæmneſtræ.

Ergo cœlo, pro cæleſtibus.

15. DOMVS.] De aquis. Sic & 4. Georg.

Domus de aquis.

Iámque domum mirans genitricis, & humida Regna.

Et 1. Æneid. *Nympharum domus*. Prop. Eleg. 20. lib. 1.

Grata domus Nymphis humida Thyniaſin.

16. CAPVT VRBIBVS.] Romam vocat Liu. lib. 21. *Arcem & caput Italiæ*. Maiore incremento Noſter, ac nullo termino, præfert vrbibus omnibus: nam de omnibus intelligendus. Dionyſ. Afer. περ. Romam vocat μέγαν οἶκον ἀνάκτων, & μητέρα πασάων πολίων: *magnam domum Regum, matrem omnium vrbium*. Sil. lib. 1.

Romæ elogia.

——*magnanimis Romam caput vrbibus altè*
Exerere.——

Auſon. Moſell. *Caput rerum, Romam*. Sidon. epiſt. 6. lib. 1. *Domicilium legum, gymnaſium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi*. Cum illa matris appellatione, qua Dionyſ. illam afficit, congruunt verſus iſti Corippi lib. 1.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto, & nudam geſtantem pectore mammam,
Altricem Imperij, libertatiſque parentem.

Claud. quoque Paneg. 3. Stil. *matrem* vocat. Sed elogia Romæ iam lib. 6.

[a] Dixit. deinde lacu fluuius se condidit alto
Ima petens: nox Æneam, somnúsque reliquit.
[b] Surgit, & ætherij spectans orientia Solis
Lumina, ritè cauis vndam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effudit ad æthera voces.
[c] Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus vnde est,
Túque ô Tybri tuo genitor cum flumine sancto
Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.
[d] Quo te cunque lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, quocunque loco pulcherrimus exis,
Semper honore meo, semper celebrabere donis.
[e] Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum,
Adsis ô tandem, & propiùs tua numina firmes.

ARGVMENTVM.

Abit fluuius, & nox: excitatur, & surgit Æneas, precatur Nymphas, & Tybrim, ac promittit sacra.

EXPLICATIO.

[a] His dictis, fluuius statim se in suum antrum (*lacum* hic vocat) abdidit, in quo antro erat Regia Tyberis. Vix hoc ille, cùm nox abiit, & ab Ænea somnus.

[b] Vt primùm surrexit, conuersus est ad Orientem precabundus, priùs tamen aquis se purificauit, idque è veteri sacrorum more: hoc est enim *ritè*.

[c] Inuocat primùm Nymphas Laurentes, & Nymphas quidem, vt à quibus amnes ducant originem, videlicet à lymphis. Mox se ad Tyberim conuertit, quem vocat genitorem, & eius flumen sanctum. Huic se, & Nymphis totum committit, vt pericula arceant, quæ multa esse poterant in alieno solo, venienti ab Asia homini.

[d] Promittit in posterum Tyberi sacra, quippe Deo (hoc enim indicat) quocunque loci eius sit Regia, vnde pulcherrimus oritur, & vbi ærumnas ducis miseratus est. Distinctio Donati inter *lacum*, & *fontem*, non ad mentem Virgilij, qui clarè confundit. Ait enim, *quocunque fonte tenet te lacus*. Itaque liquida sententia est: vbicunque tua est Regia (hanc enim per *lacum*, & *fontem* intelligit, nam ibi credenda est esse Regia fluminis, vnde erumpit) & vndecunque exis, semper, &c.

[e] Demum absoluit magnificè inuocato fluuio. Vocat enim Regem aquarum Italiæ, quæ laus præclara; petitque, vt adsit ad iuuamen; &, quæ promisit, confirmet, idque *propiùs*, id est, citiùs.

NOTÆ.

Lacus de fluuiis. 1. LACV.] Antrum vocat Claudianus 3. Rapt. apud quem Iuppiter fluuios *humentibus inuocat antris*. Et de eodem Tyberi Sil. lib. 8. *sacro se coniugis antro Condidit*,

Antrum fluuiorum. 2. CONDIDIT.] Est hoc, quod Nonnus lib. 23. de Nympha quadam,

A *Ὣς φαμένη, κατέδυσεν ἐς ὕδατος φοίνιον ὕδωρ:*
Sic locuta, auitam subiit cruentam aquam.

Flexu alio Hom. 1. Iliad. loquens de Thetide, εἰς ἅλα ἆλτο βαθεῖαν: *desiluit in profundum mare*. Et de Neptuno 15. Iliad. δῦνε δὲ πόντον: *subiit pontum*. Cui Homer. idem opponit, ἀνεδύσετο κῦμα θαλάσσης. Stat. lib. 4. de Nilo dixit, *se magnis suppressit in antris*. Sidon. epist. 2. lib. 2. de flumine, *lacu conditur*. Oppositio.

3. NOX ÆNEAM SOMNVSQVE RELIQVIT.] Homer. 2. Iliad. ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν: *dimisit me dulcis somnus*. Euripid. Orest. ἔβαλες ἐξ ὕπνου. Ibidem, quæ excitant à somno dixit μεθέστηκε ὕπνου. Græci alij, ἐξυπνίζειν, διυπνίζειν, διανιστᾶν. In Platone 8. Polit. est ἀποσείσασθαι ὕπνον, cui confine διαρρίπτεσθαι, & ἀποσείεσθαι. Quæ verba reddit Stat. 2. Theb. per *somnos excussit*. Quod verbi etiam est in Calpurnio, & Q. Sereno, atque aliis. Sed Virg. ideo *reliquit*, quia de placido somno: nam *excussio* de turbato, & formidoloso. Ideo minùs probandus Ennius, qui in graui somno dixit, Relinquo de somno placido.

Vix ægro tum corde meo me somnus reliquit.

Cùm enim premimur dormientes, excutere somnum volumus: omnino ἀποσείσασθαι, διασείεσθαι, διαρρίπτεσθαι. Vt verò Virg. *nox reliquit*; ita Eurip. in Herc. νὺξ ἔχει βλέφαρα: *nox habet palpebras*, pro, dormit.

4. SPECTANS ORIENTIA SOLIS LVMINA.] Viguit hic mos inter Gentiles, cuius etiam fit mentio 12. Æneid. Orientem spectabant orantes.

C *Illi ad surgentem conuersi lumina Solem.*

Hunc precum ritum aliunde indicamus. Valer. 3. Argon.

Imperat hic altè Phœbi surgentis ad orbem
Ferre manus, totísque simul procumbere campis.

Tertull. Apolog. *Deinde suspicio Solem nos adorare, quòd innotuerit ad Orientis regionem precari: sed & plerique vestrûm affectatione aliquando & cœlestia adorandi ad Solis ortum labia vibratis.* Latin. Pacat. Paneg. Theodos. *Nam, vt diuinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora conuertimus, à qua lucis exordium est: sic ego,* &c. Apul. lib. 2. *Tunc Orientem obuersus, & incrementa Solis augusti tacitus imprecatus.* Dio apud Plutarch. in vita, inducitur ἀνατέλλοντα τὸν ἥλιον προσδεξάμενος, *orientem Solem*

D *adorans.* Mos hic originem traxit ab eo, quod Vitruuius scribit lib. 4. cap. 5. his verbis: *Ædes autem sacræ Deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent, sic erunt constituendæ; vti si nulla ratio impedierit, liberáque fuerit potestas ædis signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cœli regionem; vti, qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli orien-* Ædiû Deorû positura.

li orientis, & simulacrum, quod erit in æde: & ita vota suscipientes conuertantur ad eam, & orientem cæli. Itaque, quia qui in templis vota faciebant, conuersi ad simulacra erant, ac proinde ad orientem Solem, idque ex ædium positione; factum, vt mos idem vsurparetur etiam extra templa. Christianorum mos huic confinis. Quia enim Christus Seruator Max. pendens in Cruce Occidentem spectauit, & à tergo Orientem habuit; factum, vt fideles in precibus Orientem inruerentur, tanquam intuerentur vultū Christi. Clarè Damascen. lib. 4. cap. 3. *Dominus, cùm in Cruce penderet, ad Occasum prospiciebat, eóque nomine ita adoramus, vt eum obtineamur.* Ambros. quoque de his, qui myster. initian. c. *Ad Orientem conuerteris: qui enim renuntiat diabolo, ad Christum conuertitur, illum directo cernit obtutu.* Itaq; honor, qui priùs Soli deferebatur, datus deinde Christo, vero Soli: ad eum modum, quo de Circensib. qui fiebant in honorem Solis, loquitur Corippus lib. 1. his versibus.

Christi pendens positio.

Circenses in cuius honorem.

> *Hunc veterum primi ritum non ritè colebant,*
> *Esse Deum Solem recta non mente putantes.*
> *Sed factor Solis, postquam sub Sole videri*
> *Se voluit, formamque Deus de Virgine sumpsit,*
> *Humani generis, tunc dempto Solis honore,*
> *Est Christo delatus honos.* ———

Sed redeo ad viam. Hunc morem fuisse antiquissimum Hierosolymitanis, etiam ante Christum natum, vt conuerterentur in precibus ad Orientem, satis indicat Cyrill. Alexand. Comment. ad Oseam; vbi explicans illud, κηρύξατε ἐν τῷ οἴκῳ ὤν, *prædicate in domo* ὤν: ait, ὤν esse Solem, & reprehendi Israëlitas, quòd posteriora sua obuerterent templo Domini, & facies suas contra Solem. Græca sunt. [Greek text largely illegible] ἀντίπροσωπα αὐτῶν ἀντιτάττει τῷ ἡλίῳ. Quem morē firmo etiam ab Lino, qui in historia Petri de Paulo Apostolo decollando ita ait: *Ad Orientem versus tensis in cœlum manibus; clarissimè cum lacrymis Hebraicè orauit.* Quin apud Ethnicos ita disposita erant templa, vt aperta statim Solem exciperent: quod ita scribit Dionysius Thrax lib. 2. Diatres. οἱ γὰρ ναοὶ τῶν παλαιῶν, & τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι ἱδρύθησαν, & τὸ φῶς εὐθὺς ἐμπιμπλᾶσθαι τῶν θυρῶν ἀναπετασθεισῶν, ὅπου ἂν ἡ ἱερὰ ἔρξων: *Antiquorum templa statim orientem Solem solebant excipere, & statim orto lumine fenestris, ac foribus patefactis repleri, vbi sacrificia fiebant.* Huc refero Paulinum epist. 12. ad Seuerum: *Prospectus verò Basilicæ, non, vt vsitatior mos est, ad Orientem spectat.* vbi *prospectus* capiendus de templi foribus. Inde Possidippus in Epig. loquens de templis Phœbi, ac Vulcani (*ναοί* ab illo dicuntur) ita ait.

Iudæorum mos in oratione.

Sol dictus ὤν.

Templa antiquorū qua fuerint positione.

> Ἠοῖ δ' ἀνοιγόμενοι πρῶτον λάβον ἠελίου φῶς:
> *Aperta manè accipiunt primum Solis lumen.*

Sed adhuc quidpiam peculiare video in Virgilio, quod te scite velim. Cùm somnus in Ænea præcessent, quid si locutus Vates ex more veterum, quem interpres Sophoc. in Elect. explicat ad ea verba, τὸ ἡλίῳ δείκνυσι τοὔναρ: *Cùm Soli narrauit somnium?* Ad hæc (inquam) verba ita interpres. ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπότε καθ' ὕπνους ὄναρ δεινὸν θεάσαιντο, ἅμα πρωῒ πρὸς τὸν ἥλιον λέγειν, ἵνα ἐπειδὴ ἐναντίος ἐστὶ τῇ νυκτὶ, ἀποτρέψῃ τὰ ἐν ταύτῃ: *Mos fuit veteribus, vt viso graui aliquo insomnio, statim summo mane, illud Soli narrarent: vt is, qui contrarius est nocti, infortunium auerruncaret.* Eurip. loquēs de noctis phasmatib. ait, λέξω πρὸς αἰθέρα, *ad cœlum loquar*, videlicet, εἰς ἄκος, *ad salutē.* Si non ad morem hunc allusit Maro, ex alicuius Critici supercilio, certè nihil obfuit, cognatum morem aperuisse.

Soli somnium narrare.

Potest etiam mos alius latere in Virg. Ait Eurip. in Iphig. in Taur. eorum, qui passi aliquid in somnis graue essent, oculos, cùm excitarentur, tegendos, ne viderent Solem, quasi indigni (vt explico) sacro illo iubare. Versus est.

Solà quibus non videndus.

> Καλυπτρὰ φάρεσιν ἀπόλοισιν ἡλίου προσθεὶς φλογός.
> *Tegentes peplis (vultus) à Solis flamma.*

Æneas ergo pariter vndam hauriens, Solem aspectat, non priùs ausurus id facere. Certè hi duo postremi mores, quos aperui, eius sunt conditionis, vt alludere illos Virgilius potuerit, &, vt clariùs dicam, aliquid illis simile suo carmini aptare. Non enim necesse est, vt semper directè mores attingat, sed aliquid ex antiquis moribus hauriat, quod imitetur. Hæc ego latè, vt mederer interpretum oscitantiæ.

5. CAVIS.] Tibullus etiam dixit, *caua manu*, &, *caua palma.* & Propert. *cauis manibus.* & Aristophan. κοίλῃ.

Caua manus.

6. VNDAM DE FLVMINE PALMIS SVSTVLIT.] Nihil aliud signat his verbis, quàm ablutas manus Æneæ: quippe manus abluebant antiqui ad preces fundendas, præsertim si à somno surgerent. Quis nescit illud Pers. 2. Sat. *& noctem flumine purgas?* Quis non Aristoph. ὦ τέκνον ἐν ἱερὸν ἀπονιψάμην: *somnium abluam?* Hæc alij inuenerunt. Ego addo Stat. 2. Theb.

Manuum ablutio fundendis precibus.

> *Torua sagittiferi mater Thegeatis Ephœbi*
> *Crine dato passim, plantísque ex more solutis*
> *Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas*
> *Purgatura malum fluuio vincente soporem.*

Horatium Sat. 3. lib. 2.

> *Lauit manè senex manibus currebat.* ———

Tertullianum Apolog. *Non lauor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam.* Propert. lib. 3.

> *Ac primùm pura somnum tibi discute lympha.*

Medea etiam apud Apoll. lib. 4. expiat aqua summo mane nocturnos timores. Huc trahendus Æschylus in Pers. cùm enim dicat, βωμῷ προσέστην, *adstiti altari*, præmisit, indicans matutinam post lectum purgationem, ἐπεὶ δ' ἀνέστην, καὶ χεροῖν καλλιῤῥόου ἔψαυσα πηγῆς: *postquam autem surrexi, ac manus tetigi pulcherrimo fonte.* Sed & in genere aqua ante preces veteribus fuit in more, etiam extra somnium. Marius apud Plutarch. Diis vota facit [Greek text partly illegible] *lotis manibus sublatisque in cœlum.* Apud Ouid. 4. Fast. Claudia ante preces haurit aquam puram fluminis. Apud Stat. lib. 10. Sacerdos, qui fecerat cædem, audet tollere madidas ad sydera palmas, *nondum ablutus aquis.* Et idipsum morem firmat; nam quæpiam subiicit, cur hoc excuset. Tertull. de Bapt. cap. 5. *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.* Lactant. lib. 5. cap. 10. *Se piè sacrificasse opinantur, si cutē lauerint, tanquam libidines intra pectus inclusas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent.* Mos hic viguit apud Iudæos. Antiquissimus enim scriptor Aristeas: *Atque, vt mos Iudæis omnibus, manibus priùs in mari lotis, Deo preces effundunt.* Morē hūc aliquoties Hom. attingit. Nunc satis illud 16. Iliad. vbi Achilles sacra facturus, νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας: & 2. Odyss.

Aquæ vsus ante preces.

Aqua purgat.

> ———ἰὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης,
> Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ
> ———*cùm iret ad littus maris,*
> *Lotis manibus in mari cano, precabatur Mineruam.*

Hic volo notes, opponi *lauationem*, & *aspersionem*: *Lotio* in sacris Superùm, *aspersio* in sacris Inferorum. De illis Arnob. lib. 7. *Quorum templa cùm adire disponitis, ab omni labe puros, lautos, castissimósque præbetis.* De his vide, quæ iam ego plenè lib. 6. ad illud, *Spargens rore leui.* Ita tamen ista opponuntur, vt tamen Euripidem inuenerim,

Lauatio & aspersio opponuntur.

uenerim, qui in Ione *rorem* nominet in sacris Superûm. A

——καθαρᾶς ἢ δρόσοις
Ἀφυδρανάμενοι, στείχετε ναούς:
——*puro rore*
Abluti, pergite in templum.

Sed dici potest non abire à more, cùm dicat ἀφυδρανάμενοι: & cùm ait, δρόσοις, capi potest συνεκδοχικῶς.

Viua aqua. 7. DE FLVMINE.] Signatè. Nam fluuialis & viua aqua necessaria ad hanc ablutionem. Lege, quæ dedi 2. Æneid. ad illud, *me flumine viuo Abluero.* Orestes apud Eurip. in Elect. cùm sermo sit de sacro peragendo, ait:

——ἀρτίως ἡγνίσμεθα B
Λουτροῖσι καθαροῖς ποταμίων ῥείθρων ἄπο:
——*modo lustrati sumus*

Fluuialis aqua. *Lauacris puris ex vndis fluuialibus.*

Apud eundem in Alcest. requiritur ad purgationem lauacrum, quod hauriatur ὕδασι ποταμίοις, *ab aquis fluminеis.* Hippolytus in eodem Tragico loquens de impuris sceleribus Phædræ, quæ à nutrice audierat,

Ἃ γὼ ῥυτοῖς ναμασιν ἐξομόρξομαι:
Quæ ego abluam vndis fluentibus.

Aristoph. in Ran. in purgatione somnij ait, ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε: *sumite rorem ex fluminibus.* Porphyrius de re sacra loquens, σῶμα ποταμοῖς, ἢ πηγῇ ἀποκαθήρας: *Fluuio, aut fonte corpus purgans.*

8. NYMPHÆ, LAVRENTES NYMPHÆ.] Simili venustate 4. Georg. *Mater, Cyrene mater.* C

9. GENVS AMNIBVS VNDE EST.] Illustrat hanc sententiam distichon Hermocreontis (nam Seruij hypallagen non agnosco) hoc,

Νύμφαι Ἐφυδριάδες, τῷ Ἑρμοκρέων τάδε δῶρα
Εἶσεν, καλλινάου πίδακος ἀντιάσας.
Munera Ephydriades vobis tulit Hermocreon, quòd
Est fontem nactus fortè perennis aquæ.

Nymphæ aquarum. Non nego, Nymphas quoque induci filias fluuiorum: sed non iccirco negandum, aquas munus esse Nympharum. Has Ephydriadas nominarunt veteres ἀπὸ τῶ ὕδατος. Inde est, vt repertis aquis fiant sacra Nymphis, tanquam boni illius auctoribus. Et D quidem à Poëtis, nisi aliter expediri sententia nequeat, amandandæ sunt ὑπαλλαγαί. Quasi verò illi non scirent, quæ vellent, dicere.

10. TVQVE O TYBRI, &c.] Hic versus traductus ab Ennio 1. Annal.

Imitatio. *Túque pater Tyberine tuo cum flumine sancto.*

Vnde & apud Liu. Horatius Cocles: *Tyberine pater te sancte precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias.* Hæc duo testimonia adiici possunt Seruianæ Notæ, quam iam præmisi ad illud, *Huic Deus*

Tyberinus in re sacra. *ipse loci.* Hunc enim fluuium signatè vocabant *Tyberinum* in re sacra, non Tybrin, aut Tyberin. Idem Seru. hic agnoscit formam sacrorum, cùm ait, hunc fluuium vocari in precibus, *Adesto Tyberine cum tuis vndis.* Auctor Paneg. Constantini videtur ignorasse E hanc formam; nam ille *Sancte Tybris,* dixit, nisi quis ex hac Nota vel corrigat, *Sancte Tyberine:* vel negligat cum potiore auctore Virgilio.

Tybris cum flumine. 11. CVM FLVMINE.] Nihil est aliud, *Tybris cum flumine,* quàm Tybris ipse, aut flumen ipsum. Ita Silius lib. 8.

Sed pater ingenti medios illabitur amne
Albula.——

Et lib. 9.

——*Eridanus captiuo defluis alueo.*

Imitatio. 12. ACCIPITE ÆNEAM.] Sapit versum Soph. Elect.

Δέξασθέ μ᾽ εὐτυχοῦσα τῇ ὁδοῖς:
Accipite me læto successu per hasce vias.

Et Virgilium Statius 4. Theb. vbi precatio fit ad fluuium

——*bellis modo latus ouantes*
Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas
Flumina, defensásque velis agnoscere turmas.

Non autem dubium, quin Poëta hæserit formæ illi, quam iam attuli, cùm Cocles se in flumen proiecit. Bacchus apud Nonn. lib. 11. loquens cum fluuio, ἠϊθέοιο δέχοιο, *iuuenem accipito;* qui videlicet iuuenis natatui se committebat. Idem Nonn. lib. 10.

Δέξο με καὶ σὺ θάλασσα, μετὰ χθόνα δέξατο Νηρεῦ
Χειρὶ φιλοξείνῳ.——
Accipe me, & tu mare, accipe me Nereu post terram
Manu benigna, hospitali.——

Pari gustu Propert. Eleg. 8. lib. 1.

Accipiat placidis Oricos æquoribus.

13. QVO TE CVNQVE, &c.] Ex perlustrato hoc loco Sat. 4. Theb. in oratione ad fluuium, Locorum similitudo.

——*æterna largitor corniger vnda*
Lætus eas, quacunque domo gelida ora resoluis,
Immortale tumens.——

14. QVOCVNQVE SOLO EXIS.] Silius loquens cum Trebia lib. 4. *quóque aperis te fonte.* Ex hoc gustu Valer. 1. Arg.

Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras
Pasces honos, vbicunque rotis horrendus, equisque
Stas pater.——

Dubitat verò Æneas de loco, vnde exeat Tyberis, vel quia peregrinus ipse: vel quia caput Tyberis extra Latium est, vt scribit Varr. lib. 4. ling. Lat. Inde ab Ouid. 2. & 5. Fast. Tybris dicitur *aduena*, vtique ἀποικος. Tybris cur aduena.

15. PVLCHERRIMVS.] Ita de Enipeo Hom. Odyss. 11. πολὺ κάλλιστος ποταμῶν. Sed & de Tybri ipso Dionis. Afer περ. Θύμβρις ἐϋρρείτης: *Tybris pulcherrimus.* Frequentissimum est attributum fluminum, vt dicantur καλλίῤῥοα. Quin Oppian. 2. Cyn. præclarè dixit, εὐπλοκάμους λίμνας, quasi aquæ cirratæ sint, & cincinnatæ. Pulchritudo de fluuiis. Aquæ cirratæ.

16. SEMPER HONORE MEO, &c.] Fluuio quippe tantarum rerum monitori promittuntur sacra. Apud Sil. lib. 3.

Placatur meritis monitor Cyllenius aris, Locorum similitudo.

scilicet ab Annibale, qui etiamsi aliis sacra fecit, vni imprimis Mercurio, qui sibi indicauerat exitum Italici belli. Est etiam par Virgiliano locus eiusdem Sil. lib. 4.

At Pœnus multo fluuium veneratus honore,
Gramineas vndis strauit socialibus aras.

Versum Virgilij mutauit Claudian. Paneg. Olibr. flexu isto,

Semper honoratus nostris celebrabitur vndis
Iste dies.——

17. CORNIGER.] De hac poësos ratione iam 4. Georg. Incidi deinde in Aristot. Problem. sect. 25. quæst. 2. vbi meminit βρυχμῶν aquarum. Est enim fluuiorum mugitus annexus cornibus. Hunc dat Stat. mari lib. 8. *Oceani mugire domum.* Eidem Nonn. lib. 23. ὑδατόεν μύκημα, *aquosum mugitum.* Et Ioann. Chrysost. Orat. 2. de Sancto Roman. θαλάττης μυκωμένης: *mugientis maris.* Sed & de cornibus, quæ signat Poëta, videndus Claud. qui de Nupt. Hon. & Mar. Nilo dat cornua. & 1. Stil. Rheno. Stat. 7. Theb. Acheloo; & de aquis Nonn. lib. 23. κεραὸν ταυρώπιδα μορφήν: *cornutam taurinam formam.* Scribit Ælian. lib. 2. Variar. cap. 33. apud veteres coli solitos fluuios, partim boum forma, partim humana, Sic

Mugitus de aquis. Cornua fluminum.

Flumina sub forma duplici.

Sic Erasinum, Metopam, Asopum, Cephissum, cultos boum forma: Erymanthum contra, Alpheum, & alios figura humana. Additque Cephissum cultum ab Athenienſibus, vt virum, ſed cornutum. Quæ res facit, vt credam Tybrim à Romanis cultum, vel bouis forma, vel humana, ſed cum cornibus. Atque ita ſpeciali quadam ratione dici à Poëta *corniger um*, non generali illa aliorum fluminum. Ita etiam explicati Horat. poteſt Od. 14. lib. 4. vbi, *Tauriformis Aufidus*: quia videlicet cultus Aufidus forma tauri. Et Poëtæ reliqui, qui fluuios faciunt ταυρόπης, κεραεφόρους: & Heſiodus, qui in Scut. Oceanum vocat ταύρεον.

Fluuius in vocatiuo.

18. FLVVIVS.] Vocatiuum agnoſcit Seru. more antiquo, quo omnes quinti caſus ſimiles erant rectis in omni nomine. Quæ ratio apta expediendis multis, non ſolùm Latinis, ſed etiam Græcis: vt cùm ait Agamemnon apud Hom. Iliad. 4. loquens cum fratre, φίλος ὦ Μενέλαε, non, φίλε. Sed ego puto, hanc ſubtilitatẽ neceſſariã non eſſe, nam abſque illa ſalua eſſe poteſt Latinitas, hoc modo: ô tu Tybri, qui fluuius corniger. Sic, cùm audis crebrò, *Deus meus*; explica, ô tu, qui Deus meus. Nam Prudent. in Symm. *Dee* dixit in 5. caſu. Nam ſi eſſet caſus quintus, dicendum fuiſſet, Deus mi. Sed res hæc appellet viri docti Mineruam.

Dee, vocatiuus, non Deus.

19. REGNATOR.] Ita de Eridano, *fluuiorum Rex*. Sed de ipſo Tybri Dionyſ. ποτ. ποταμῶν βασιλεύτατε ἄλλων: *aliorum fluuiorum longè Rex*. Et Sil. lib. 8. *Sceptriferi qui potant Tybridis vndam*. Martial. lib. 10. *Tybris dominus*. Auſon. in Moſell. loquens de Tybri, *honores* dixit. De Acheloo Hom. 21. Iliad. κρείων, *imperans*. Inde fortaſſe *Tagus* Rex fluuiorum Hiſpaniæ. Nam ταγὸς Græcis eſt, ἀρχηγὸς, id eſt, dux, princeps.

Tybris fluuius Rex.

Tagus dictus quia princeps fluminum.

20. ADSIS O TANDEM.] De hac formula videndus Briſſ. Produco imitatorem Sil. lib. 4.

Adſis, ô, firméſque tua Pater alitis omen:

21. TVA NVMINA.] Contendit enixè Mellerus in ſuis Spicilegiis legendum *omina*, ex veterum more ſatis trito, qui omina firmari poſcebant: & nihil putat obſtare hiatum verſus. Nam Virg. ipſe. *Credimus, an qui amant*. Agnoſco formam, nec muto verſum. Dicuntur enim Dij tueri, firmare, vindicare, ſancire ſua numina. De quo alibi.

a Sic memorat: gemináſque legit de claſſe biremes,
Remigióque aptat, ſocios ſimul inſtruit armis.
b Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum:
Candida per ſyluam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridíque in littore conſpicitur ſus.
c Quam pius Æneas (tibi enim) tibi Maxima Iuno
Mactat ſacra ferens, & cum grege ſiſtit ad aram.
d Tybris ea fluuium, quàm longa eſt, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita ſubſtitit vnda,
Mitis vt in morem ſtagni, placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo vt luctamen abeſſet.

ARGVMENTVM.

Aptat ſe ad iter nauticum, mactat ſuem in honorem Iunonis: Tybris lenit fluuium ſuum, vt placida ſit nauigatio.

EXPLICATIO.

a QVIA feſtinato opus, ideo ſe ſtatim ad curſum accingit, atque ex tota claſſe biremes duas eligit præſtãtiores, & fortiores: hanc enim præſtantiam indicat verbo *legit*. Aptat illas *remigio*, id eſt, remigibus: & hos remiges, quos vocat *ſocios*, adornat *armis*, id eſt, armamentis nauticis, & remis. Poſſet hic verſus aliter expediri, ſed in re parui momenti hoc ſatis.

b Petiuerat Æneas, vt Tybris rem firmaret; ecce iam firmamentum, de quo in ſomnis fluuius. Videt in ſylua, atque in ipſo littore ſuem albam cum albis porcellis; hoc eſt enim *ſus concolor cum fœtu albo*. Quia verò ibi *iacebit*, ideo hîc *procubuit*: ibi *fœtus*, hîc *fœtu*: ibi *littoreis ſub ilicibus*, hic *per ſyluam in viridi littore*.

c Explicat iuſſum; quippe Tybris, *Iunoni fer ritè preces*. Ergo mactat ſuem in honorem Iunonis, & cum grege toto, id eſt, triginta porcellis. Particula *enim* reſpicit præceptum fluminis. Itaque ait. *Quam Æneas mactat tibi ô Iuno Maxima, tibi enim* mactandam præcepit Tybris. Inde parentheſi incluſi.

d Tybris in gratiam Æneæ leniit nocte illa tumorem fluminis: ita verò reddidit placidum, vt inſtar ſtagni, aut paludis, refluente vnda, ſubſiſteret, ſterneretúrque verè *æquor*, id eſt, æquum; ne videlicet diu remis fieret obluctatio: ſed perquàm placidè abſolueretur nauigatio.

NOTÆ.

1. SIC MEMORAT.] Reddit Homericum, ὣς φάτο, ὡς ἔφατο.

2. BIREMES.] De hoc Poëtæ ad poſteriora tempora reſpectu, iam ego alibi plenè.

3. SOCIOS.] Qui ſint in re maris *Socij, Remiges, Milites*, iam à me lib. 5. Æneid.

4. MONSTRVM.] Propria vſus voce à monſtrando, & prædiuinando: vt & portentum à portendendo. Videatur Cic. de Diuin.

Monſtrum vnde. Portentum vnde.

5. PROCVBVIT.] Sen. epiſt. 65. ita extulit flexu alio: *Fœtus ſuos non diſtinguunt feræ, & ſe in alimentum pariter omnium ſternunt.*

6. IN LITTORE.] Id eſt, fluminis: nam in 3.

Cùm tibi ſollicito ſecreti ad fluminis vndam
Littoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus.

Littus de fluminibus etiam.

Nec nouum dari littora fluminibus, vt & ripas mari. Mitto rem tritam.

Ripa etiam de mari.
Seruij nugæ.

7. CONSPICITVR SVS.] Ride Lector Seruij censuram, ni velis infinitis locis ridere Homerum, & Virgilium, ac proinde reliquos, qui his principibus institerunt, Græci suo, Latini suo.

Iunonis duplex hostia.

8. TIBI ENIM.] Duplicem hostiam mactat Maro Iunoni, hîc suem, in 4. ouem.

Iuno Maxima.

9. MAXIMA IVNO.] Dici hoc ad discrimen Proserpinæ, quæ dicta Iuno Inferna, Turn. notat. Seru. de Terra vult capi, & inde porcam immolari. Vide illum. Credo Poëtam quæsisse æqualitatem cum Ioue; dum facit illam parem huic, qui Maximus Deorum dictus. Quò spectant multa Hom. 4. Iliad. vide ab eo versu,

Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν ὅθεν σοι:
Nam & ego Dea sum, genus autem mihi, vnde tibi.

10. MACTAT.] Verba ista, *mactat*, *ferens sacra*, *sistit*, sacrorum sunt, & Brissonio iam obseruata.

Quàm lõga.

11. QVAM LONGA EST.] Par locutio illa 4. Æneid.

Nunc hyemem inter se luxu, quàm longa, fouere.

Tumor de aquis.

12. TVMENTEM.] Ita & in 11. Tybrim *tumidum*. Liuius lib. 40. in communi, *inflati amnes*.

Aquæ tacitæ.

13. LENIIT.] Est hoc, quod Homer. Odyss. 5. παῦσε ῥόον, ἴσχε κῦμα, πρόσθε γαλήνην. Poëta multis. Nam, *sterneret vnda tacita*, *mitis stagni*, *paludis placida*. Stat. 2.

Modestia de aquis.

Syl. ita, *nullóque tumultu stagna modesta iacent*. iterum: *maria ipsa vetantur obstrepere*. Quod apud Claud. Eridanus de tertio Cons. Hon. *blandósque iubet mitescere fluctus*. & de Mincio in Epith. Pallad. *ereptis obmutuit vnda querelis*. Quod Nonnus loquens de Hydaspe

Mitis aqua.

lib. 24. ἐν λίχιον ἀγροέτας ἱκέτην ῥόον; *mitem sternens supplicem fluctum*. Idem lib. 23. χεύμασιν ἀκλύστοισι, γαληναίοιο ποταμοῖο, ῥόος ἄψοφος. Quibus omnibus explicatur amnis ἀκύμαντος, καὶ ῥέων πρᾳέως, καὶ ἀψοφητὶ: *sine fluctibus, mansuetè*. & *leniter fluens*, & *sine vllo strepitu*. Ouid. 9. Metamorph. *Clementissimus amnis*, dixit: & pulcherrimè, *obsequium aquarum*. Pulcherrimè etiam Apollon. Arg. αἰθὴρ δ' ἔνασε πόντον, *ather sopiuit pontum*. Videntur enim dormire aquæ in in summa tranquillitate. Plutarch in Rom. μαλακὴν ὄχθην. Sil. lib. 4. *nitidum amnis liquorem mites ripas opaci fluminis*. Delectat me locutio eiusdem Plutarchi in vita Luculli, qui lenem fluuium non solùm vocat πρᾷον, *mansuetum*: sed etiam χειροήθη, quasi *cicurem* & *manu tractabilem*. Sed & verbum *lenio* à Virg. accepit Tibullus. Nam de Cydno, *tacitis qui leniter vndis*. & addit, *placidis per vada serpit aquis*. Vt & Auson. in Mosell. *Cùm vada lene meant*.

Sopor de aquis.
Cicures aquæ.

14. TACITA VNDA.] Hæc taciturnitas tota à sedato vento. Vt Horat. Od. 29. lib. 3.

Tumor in aquis à vento.

—— carétque
Ripa vagis taciturna ventis.

Itaque fecit Tyberis, ne fluuius tumeret ventis.

15. PALVDIS.] Ex vera historia, vt apparet, sumptum. Nam Solin. cap. 2. vbi meminit Pallantei conditi ab Euandro, vicinam illi oppido paludem *Tyberis* adhibet. Itaque Poëta veram paludem ad omen traxit, quasi tunc eam Tybris effecerit ad placiditatem cursus.

Tyberis palus.

16. STERNERET ÆQVOR.] Pari verbo Græci: nam Apollon. 1. Arg. αἰθὴρ νήνεμος ἐστόρεσεν δίνας: *ather tranquillus procellas strauit*.

Sterno de aquis.

17. REMO VT LVCTAMEN ABESSET.] Nam alibi, *luctantur marmore tonsæ*. Et Claudianus 1. Paneg. Stilicon.

Luctamen de remis.

Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi:

Describit vtique Poëta milites ὑποθιάζοντας, & qui nullo essent πόνῳ, & nullo ῥᾳδίῳ κώπῃ, vt loquitur Aristid. Orat. πρὸς τὰς αἰτίας. Ouid. 4. Trist. Eleg. 5. ab Nostro *luctamen* dedit remis; vt etiam Auson. in Mosella.

[a] Ergo iter inceptum celerant rumore secundo.
[b] Labitur vncta vadis abies, mirantur & vndæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longè
Scuta virûm fluuio, pictásque innare carinas.
[c] Olli remigio noctémque, diémque fatigant,
Et longos superant flexus, variísque teguntur
Arboribus, viridésque secant placido æquore syluas.
[d] Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cùm muros, arcémque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquauit; tunc res inopes Euandrus habebat.
[e] Ocyùs aduertunt proras, vrbíque propinquant.

ARGVMENTVM.

Describitur nauigatio Æneæ ad Euandrum iucundissimis circumstantiis.

EXPLICATIO.

[a] DVPLEX res, & celeritas, & felicitas.

[b] Quia *celerant*, ideo explicatiùs *labitur abies*, & addit causam, quia *vncta*, & *vadis*, quia scilicet tranquillæ vndæ & lenes. Sequuntur miræ prosopopœiæ, vndæ, & nemus mirantur insueta arma, scuta non visa, & fulgentia in ipso fluuio: mirantur etiam naues pictas.

[c] Troiani, noctem diémque remigando perpetim, se lassant, superant flexuosum fluuium, teguntur variis arboribus, quæ ad ripam fluminis. Ea verò erat placiditas amnis, vt arbores in fundo ipso cernerentur, ac proinde viderentur secari vnà cum vndis. Obserua diem integrum consumptum Æneæ in apparanda nauigatione, & sacrificio porcæ: ac proinde

inde nauigatio incepta sequente nocte. Inde priùs *noctem*, deinde *diem fatigans*.

d Erat iam Sol in medio cursu sequentis diei, cùm cernunt vrbem Euandri. Mouet affectus à præsenti fortuna, & futura. A præsenti; nam *rara tecta, res inopes*: à futura, *quæ nunc Romana potentia cælo æquauit*.

e Visa vrbe cursum sistunt, vertunt proras ad littus, appropinquant.

NOTÆ.

Rumor secundus quid. 1. RVMORE SECVNDO.] Accipio plausum nautarum, ad eum modum, quo lib. 5.

Nauticus exoritur vario certamine clamor.

Vt & Sil. lib. 11.

Nauticus implebat resonantia littora clamor.

Sic illud Ennij lib. 7. Annal. *populi rumore secundo*, accipio, læto populi plausu, ac fauore. Ita & illud Suetonij apud Macrob. 6. Satur. cap. 1. *Redeunt, referúntque petita rumore secundo*. Et veterem Poëtam apud Tull. 1. Diuin. *Soluere imperat secundo rumore, aduersáque aui*. Quæ verba clarè notant celeusma nauticum. Hæc simplex, & vera, vt puto, explicatio. Germanus tamen, vir doctissimus, inclinat, vt *rumor* hîc sumatur pro *strepitu* aquæ remis proscissæ, quia rumor dici videtur à ruendo. Rumor à ruendo. Non dissident, qui rumorem ducunt à Græco ῥόν, aut ῥῦ. Seruius autumat legendum *Rumone*: & *Rumonem* explicat Tybrim, qui sic dictus. Tybris dictus Rumo. Vnde & *ficus* illa *Ruminalis*, quæ prope Tybrim.

Imitatio. 2. LABITVR VNCTA VADIS ABIES.] Fortasse totus hic tractus ab explorato Ennio, qui 14. Annalium.

Verrunt extemplo placidè mare marmore flauo,
Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum,
Labitur vncta carina, volat super impetus vndas.

Idem lib. 8.

Labitur vncta trabes, remis rostrata per altum.

Alibi:

Labitur vncta carina per æquora cana celocis.

Mirantur aquæ. 3. MIRANTVR ET VNDÆ.] A Virgilio se Statius nobilitat 9. Theb. vbi de Ismeno fluuio.

——stupet hospita belli
Vnda viros, claráque armorum incenditur vmbra.

Silius quoque lib. 10. inducit *mirantem Tybrim* ad natatum Clœliæ. Apud Simocatt. lib. 6. Hist. cap. 6. Ἴστρος ὁρᾷ πολεμίων ὄψιν: *Ister videt spectaculum hostile*. Confine illud Stat. 2. Theb. *nemus adstupet*. Ouid. 2. Amor. de prima naue loquens, *mirantibus æquoris vndis*. Claudianus etiam secundo Eutrop. *mirantibus vndis*.

Hypallage. 4. INSVETVM.] Hypallagen agnosco: fluuió enim insuetæ erant naues illæ, & arma.

Imitatio. 5. FVLGENTIA.] Ita Apollon. 1. Arg. in nauigatione Argon.

Στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης
Τεύχεα.——

Fulgebant verò à Sole instar ignis, naue eunte,
Arma.——

Pictura Phrygum. 6. PICTAS CARINAS.] Explico, Phrygias: pictura enim in Phrygibus; vnde & Phrygiones, qui acu pingunt. Ceterùm de nauium pictura iam aliis locis. Neque nego capi posse hunc locum de pictis numinibus, iuxta ea, quæ alibi. Inde & maior admiratio à visu Diis, quos Tybris non nouerat.

Fatigo. 7. FATIGANT.] Explicui, vt vidisti, quia voculam, *se*, in his verbis subaudiri frequens est. Possit,

A qui velit, aliter accipere, ad eum videlicet modum, quo Propert. lib. 4.

Sat tibi sunt noctes, quas de me Paule fatiges.

Et Symm. epist. 4. lib. 1. *priuatam pecuniam pro ciuitatis ornatu certatim fatigant*. A sententia Virg. non abit illa Stat. . Theb.

Interea Danai noctémque, diémque sub armis:
Noctem iterum, rursúsque diem, sic irà ferebat,
Ingeminant.——

Nec non illa Silij lib. 1.

Talibus illacrymant noctémque, diémque querelis.

Nox, diésque in labore. Et Symm. epist. 4. lib. 1. *nox diei iungitur ad laborem*. Atque etiam Calab. lib. 14. μίμνομεν νύκτας τε, καὶ ἦμαρ. Soph. Elect. ὅτε νύκτ' εἶναι, ὅτ' ἐξ ἡμέρας στενάζειν. Fortasse verò Poëta habuit ante oculos Sal-

B lust. qui Iugurth. *diu, noctúque fatigare animum*. ait Imitatio. Apollon. qui 1. Arg.

Νῆα δ' ὁ πανημέριος ἄνεμος φέρε, νύκτι τε πάσῃ:
Ferebat ventus nauem diem totum, noctémque.

Heliodor. lib. 5. dixit, νύκτας, καὶ ἡμέρας ἐπινυκτίζειν.

Tybris dictus Coluber. 8. ET LONGOS SVPERANT FLEXVS.] Notat Seru. Tyberim in libris Augurum dici *Colubrum*, quia flexuosus. Cùm verò hîc dicat Poëta superatos amnis *flexus*, & *longos*, quibus indicat satis flexuosum esse Tyberim, dubitabam ego, an suprà in illo versu,

Lectio Virgiliana. *Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,*

non sit legendum *recto*, sed *tecto*, cum respectu ad ea, quæ continentur hoc tractu, vbi Tyberis dicitur tectus fuisse arboribus: ita vt dicat Tyberis. Ducâ te

C ipse amœnissimis meis ripis, & flumine variis arborû generibus tecto intertextóque. Rem in medio relinquo discutiendam doctis. Ceterùm, vt hîc *superant*, ita in 1. *fontem superare Timaui*.

Locorum similitudo. 9. VARIISQVE TEGVNTVR ARBORIBVS.] Stat. 2. Achill. non longè ab hoc, cùm ait.

Iámque per Ægæos ibat Laertia fluctus
Puppis, & innumeras mutabant Cycladas auræ.

Et simillimum apud Plut. in vita Alexand. vbi ἅμαξαι, id est, *currus*, eunt per viam, ὕλης ἀεὶ προσφάτου καὶ χλωρᾶς σκιαζόμεναι κλάδοις: *arborum semper recentium & virentium inumbrati ramis*.

Virides aquæ, & 10. VIRIDESQVE SECANT, &c.] Statius 4. Syluarum *Tyberis lucos* nominat. Vide, quæ iam ego libro septimo, vbi celebrantur Tyberis nemora. De

D imagine syluarum in vndis, est locus eiusdem Stat. 5. Theb.

——ingenti tellurem proximus vmbra
Vestit Athos, nemoriumque obscurat imagine pontum.

Et lib. 1. Sylu.

Indulsit natura sibi, nemora alta citatis
Incubuêre vadis.——

Huc pertinet illud Claud. 2. Rap.

Haud procul inde lacus (Pergum dixêre Sicani)
Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis.—— Pallidæ.

Silius lib. 6. proximè ad hanc poësin, cùm scripsit,

——micat æreus alta
Fulgor aqua, trifidi splendentis in æquore rostri.

Fortasse libatum aliquid ab illo Soph. Antig. Διρκαίων

E ὕδωρ ῥεέθρων μολοῦσα. Ait enim Solis, aut diei lucem incurrisse super Thebana flumina. Legatur elegans descriptio Sidon. epist. 2. lib. 2. de lacu quodam, vbi similes deliciæ: & de Mosella Auson.

——liquidarum & lapsus aquarum
Prodit cærulea dispersas luce figuras.

Iterum;

——quà sese animi confundit imago.

Et adhuc:

Reddit nautales vitreo sub gurgite formas.

Albert. Krant. lib. 2. Hist. Vandal. cap. 20. meminit freti cuiusdam, cui species esset viridissima ex natura. Propert. egregiè dixit Eleg. 6. lib. 4.

Armorum radiis picta tremebat aqua.

Ita enim hîc *picta aqua ab armis*, vt Virg. virides syluas in aquis; aut, virides aquas ab syluis.

Secare syluas in aquis. Remigare hortos. 11. SECAT SYLVAS.] Vt Virg. secari syluas dixit, quia vnà cum vndis viderentur secari: ita Sen. epist. 114. ex correctione Ios. Scal. *versóque vado remigant hortos*. Sed de loco Sen. vide Lips.

Sol medius. 12. SOL MEDIVM, &c.] Ad verbum Hom. lib. 8. Iliad.

——— *ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει.*

Repetit 8. Odyss. Stat. 5. Theb.

Sol operum medius summo librabat Olympo.

Claud. 3. Rapt.

Sed postquam medio Sol altior astitit orbe.

Sumpsit fortasse Claud. ab Sophoc. qui Antig.

——— *ἐν αἰθέρι*

Μέσῳ κατίσχει λαμπρὸς ἡλίου κύκλος.

——— *in æthere*

Medio adstitit splendidus Solis ortus.

Valer. 3. Arg.

Iam summas cœli Phœbus candentior arcus
Vicerat, & longas medius reuocauerat vmbras.

Accepit Valerius ab Ouid. qui 14. Metamorph.

——— *cœli medio cùm plurimus orbe*
Sol erat, & minimas à vertice fecerat vmbras.

Pulchrè Nazian. Carm. 50.

A *Ἠ πτερόεν βάλλοντες ὑπὲρ κρατὸς ἠελίοιο.*

Quia videlicet tunc est Sol supra hominum capita.

Diei medij descriptiones. 13. IGNEVS.] Exploret Lector testimonia superioris Notæ, & discat idem esse *Solem igneum* Virgilij, *summum Olympum* Statij, *Solem altiorem* Claudiani, *λαμπρὸν* Sophoclis, *summas arces* Valerij, *Solem plurimum* Ouidij, *ὑπὲρ κρατὸς* Nazianzeni. Itaque non solùm adducunt *medium diem*, sed aliquid addunt aliud ad rem signandam. Sic Ouid. Stat. Sidon. aliquid etiam addidêre venustè ad hoc tempus indicandum: nam post mentionem *diei medij*, primus dixit de Sole lib. 11. Metamorph.

Tantùm respiceret, quantùm superesse videret.

Alter 4. Theb. elegantissimè,

——— *atque omnes admittunt æthera luci.*

B Tertius epist. 2. lib. 2. *solidus dies, & abundantia lucis inclusa*. Hæ notulæ necessariæ auspicantibus poësin.

Locorum similitudo. 14. QVÆ NVNC ROMANA POTENTIA, &c.] Ab hoc loco Stat. 3. Sylu.

Nec mora iam Latij montes, veterésque Penates
Euandri, quos mole noua Pater inclytus vrbis
Excolit, & summis æquat Germanicus astris.

Et 2. Æneid. *æquatáque machina cœlo*. In Græco Epig. *πρὸς ὄλυμπον ἐμηχανατο κολοσσόν*. Silius lib. 11. miro incremento, *saxa impellentia cœlum*. Loquitur scilicet de Alpibus & de iisdem in 4. *& saxa minantia cœlo*. Sed hæc obuia in Poëtis.

[a] Fortè die solemnem illo Rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno, Diuísque ferebat
Ante vrbem in luco: Pallas huic filius vnà,
Vnà omnes iuuenum primi, paupérque Senatus
Thura dabant, tepidúsque cruor fumabat ad aras.
[b] Vt celsas vidêre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis;
[c] Terrentur visu subito, cunctíque relictis
Exsurgunt mensis: audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptóque volat telo obuius ipse.
[d] Et procul è tumulo. Iuuenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis? inquit.
Qui genus? vnde domo? pacémne huc fertis, an arma?

ARGVMENTVM.

Euander, Pallas, ceteri Arcades dabant operam sacris Herculeis, cùm ad eos Æneas appulit: terrentur omnes ad visas naues, spectatur vnius Pallantis ardor.

EXPLICATIO.

[a] BENE notat Seru. venientibus Troianis statim felix omen affulgescere; fiebant enim sacra Herculi, quippe Deo victori, vt proinde se victores futuros arbitrarentur. Ergo ait, eo fortasse die incidisse celebritatem Herculis. Vide verò, vt omnia distinctissimè à personis, à locis, à sacris. Personæ; nam Euander, Pallas, primi iuuenes, & senes (hos C enim intelligit Senatum nominans) sacra ferunt Herculi, & Diis reliquis, sed Herculi *κατ' ἐξοχήν*. Locus; nam ante vrbem, & in luco, & ad aras. Sacra; nam thura dabant, fumabat cruor.

[b] In hoc medio sacrorum apparatu vident naues, à quibus suspicari vim possent; nam taciti remi, & adlapsus potiùs, quàm nauigatio, præsertim inter opacitatem nemoris: quæ omnia nata ad insidias.

[c] Hinc terrentur, consurgunt, mensas linquunt. Sed ecce Pallantis ardor, quippe in iuuentute feruida. Inde illum audacem facit, & volantem cum D telo, & obuium hostibus. Additque rationem, quam non capient, nisi pij & fortes, ne scilicet sacra interrumpantur. Pulchrè enim notat Scal. lib. 3. cap. 27. Pallantem hîc induci religiosum, fortem, acrem; nam vetat sacra rumpi: rapit telum, non sumit: volat ipse, non alius eius iussu.

[d] Au

4 Audacem dixerat. Vide an ita. Nam statim, vt militares esse agnouit (hoc enim indicat iuuenes nominans) nihil territus, rogat causam aduentus, finem viæ, quo sint genere, qua domo? Demum, vt ad omnia se paratum indicet, adiicit, *pacémne huc fertis, an arma?* Libet huic explicationi annectere verba Hieronymi Comment. ad Ionam cap. 1. *Notanda breuitas, quam admirari in Virgilio solebamus.* Mox versus subiicit, & addit. *Interrogatur persona, regio, iter, ciuitas, vt ex his cognoscatur & causa discriminis.*

NOTÆ.

1. FORTE, &c.] Locum Hom. cui insistit, ex Odyss. 3. iam Vrsin. & Germ. aduocant. Omitto. Tu, si locum adeas, videbis longissimum discrimen. In Græco enim nullus affectus ad aduentum Telemachi, omnia languida, & puerilia, & quæ nunquam lectores illectabunt. *Homerum superat Virgilius.*

2. AMPHITRYONIADÆ, DIVISQVE.] Nam tametsi Hercules è numero quoque Deorum, sed ille κατ᾽ ἐξοχὴν nominatur, etiam nominatis Diis. Tale illud Hom. 5. Iliad.

Ζεὺς ἐπεὶ ἂν Τρῶας τε, καὶ Ἕκτορα ποσὶ πέλασσε.

Atqui Hector vnus è Troianis, tamen nominatur vt Princeps. Ita 1. Æneid.

Troas, relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.

Huc refero illud Lucani lib. 1.

Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Etenim aquilæ fuerunt inter Romana signa: sed quia augustius signum, &, sic dicam, princeps, nominatur à Lucano κατ᾽ ἐξοχήν. Scio ab Lipsio aliter expediri Lucani versum. Sed nihil video, quod obstare explicationi meæ queat. Ita quoque explico Sil. lib. 5. *Ante aquilas, & signa* Non enim fero dici, aquilas non comprehendi in numero signorum, quia Lucanus, & alij separant à signis. Separant quidem κατ᾽ ἐξοχήν. Ceterum, cur Hercules dicatur *Amphitryoniades*, peti vndecunque potest. *Aquilæ Lucani quæ.*

3. MAGNO.] Apparet hoc fuisse epithetum proprium Herculis. Sic infrà, *Maximus vltor.* Arnob. etiam lib. 1. *Nonne ipsum Herculem magnum?* Magnitudo enim Herculei corporis celebrata omnibus, vt etiam animi. *Hercules magnus corpore.*

4. FEREBAT.] Verbum sacrum. Plaut. Asin. *Fero, verbũ sacrorum.*

Tum si coronas, serta, vnguenta iusseris
Ancillam ferre Veneri, aut Cupidini.

5. ANTE VRBEM.] Vt sacra sæpe intra vrbem, ita sæpe extra vrbem, & in agris, ex religione. Sed de vnis sacris Herculis extra vrbem locus est insignis in Orat. Demosth. de Falsa Legat. vbi, cùm dixerit coactos fuisse Athenienses alterius oratione, Ἡράκλεια ἐντὸς θύειν τειχῶν, εἰρήνης οὔσης, *Herculis sacra intra mœnia facere, cùm pax esset*, postea subiicit. ὁ καὶ θαυμάζω, εἰ μηδεὶ τῶν τῆς θεοῦ καθ᾽ ὁ πάτριον ἦν, τιμᾶσθαι ἐκείνῳ, τοῦ δὲ ἀτιμωρητὸν ἀφίσεται: *id quod miror, si eum, per quem Deos patrio ritu colere non licuit, impunè dimittetis.* Hinc colligo, non illum erraturũ, qui Euandri sacra referat ad Græcũ ritũ. Norat verò senior Scal. lib. 3. Poët. cap. 26. fieri sacra à Virg. Herculi extra muros, *quia fuit penè semper peregrinus.* Scaligero accinit obseruatio mea ex Plutar. ἐν ῥωμ. vbi ait, pueros iuraturos per Herculem ὑπὸ ὑπαίθρον προϊέναι, *exire sub dium.* Et ratio, quia hic Deus, οὐκ ἐγχώριος. ἀλλὰ ἀπρόσοδον ξένος, *non indigena, sed hospes & peregrinus.* Accinunt etiam, quæ dicam, cùm sermo sit de scypho. In Epig. etiam lib. 4. Hercules dicitur ξένος, vt ab Horat. *vagus.* Huiusmodi Principes vocantur ab Aristide de laude Vrb. Rom. βασιλεῖς πλανῆτες. Idem Aristid. Orat. priore de Societate ait, Ἡρακλῆς ἐμυήθη ξένων πρῶτος: *Hercules peregrinorum primus initiatus est.* Plutar. in vita Niciæ, meminit templi Herculei, quod esset extra vrbem: & in vita Themist. adducit ἔξω πυλῶν γυμνάσιον Ἡρακλέους, *gymnasium Herculis, quod esset extra vrbem.* *Herculis sacra extra vrbem.* *Hercules Deus peregrinus.*

6. PAVPERQVE SENATVS.] Opponit iuuenibus, ex Nota Seruij; nam Senatus à senibus. Sed hærere quispiam possit, non enim quia Senatores, ideo senes, cùm scribat Dionys. lib. 2. Ant. à veteribus senes dici solitos viros non solùm ætate, sed etiam virtute præstantes. Inde est, vt Græcis γέρας (quam vocem ἀπὸ τῶν γερόντων ducit Plut. in Opere, *An seni gerenda sit Resp.*) sit honos, & præmium honorarium. Vt verò *pauper* de Senatu illo antiquo, ita Sil. 1. *castáque beatos Paupertate patres.* Idem lib. 6. adumbrato hoc Virg. loco: *Senatores an senes.* *Senes dicti qui præstabant virtute.* *Paupertas in laude.*

———*tunc Arcadius (sic fama) locabat*
Inter desertos fundata Palatia dumos
Paupere sub populo ductor.———

7. THVRA DABANT.] Explicat Briss. lib. 1. quid sit *thura dare*, videlicet quod Arnob. *ante ipsa numinum signa altaribus inicere*; quod Ouid. *thura focis imponere*; quod Plin. cap. 14. lib. 12. *aris ingerere.* *Thura dare, Inicere, Imponere, Ingerere.*

8. CRVOR FVMABAT AD ARAS.] Videlicet taurorum. Nam postea, *Viscera tosta ferunt taurorum.* Fuit quippe solemne in conuiuiis, & sacris Heroum tauros mactari. Athen. enim lib. 1. Homerum laudat, quòd apponens Regibus assatas carnes, vt plurimùm illas bouinas exhibeat, καὶ ταῦτα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ βόεια. *Tauri in cõuiuiis Heroum.*

9. TACITIS INCVMBERE REMIS.] Frigidè Seruius, id est, ipsos tacitos, & sine celeusmate: nam suprà *rumore secundo.* Nec moror, iam exitum esse nauigationis. Has enim ὑπαλλαγὰς semper abominor, nisi cùm aliter nequeas expedire. Nec refert, *tacitos* legi in vno, aut altero codice. Itáque hîc dictum *tacitis remis*, vt lib. 10. *tacitis subremigat vndis.* Quia videlicet adlapsus potiùs fuit, quàm remigatio in amne placidissimo, nullo remorum luctamine. Itáque hoc est, quod Stat. lib. 8. *ratis conticuit per fluctus.* & lib. 4. *tacitas vndas.* ibid. *pigra vado Langia tacente.* & 12. *tacent sine littore fluctus.* Quod Aristid. in Ægyptiaca de aquis, ἀτρεμεῖ μένει. Quod Nonn. loquens de Nymphis lib. 22. *Taciti remi vnde.* *Locorum similitudo.*

Σιγαλέοις ἐλικηδὸν ἐμυκήσαντο ῥεέθροις,
Taciturnis volutim sonabant fluctibus.

Quod Claud. Pang. Manl. vbi describit placiditatem Nili, Danubij, Gangis, his versibus.

Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat
Vtilior, nullas confessus murmure vires.
Acrior at Rhodanus: tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia faui
Gurgitis immensum deducit in ostia Gangem.

Hanc lenitatem, taciturnitatem, clementiam habuit nauigatio Æneæ. Adiicio adhuc, allusum à Virg. ad Hom. 8. Iliad. μὴ μὰν ἀσπουδί γε νεῶν ἐπιβαῖεν ἕκηλοι. vbi ἀσπουδὶ, & ἕκηλοι indicant rem Virgilij. Nam Hector ibi loquens eo est animo, vt putet abituros Græcos nullo nauium strepitu, vt solent, qui insidias per aquas struunt, quarum exemplum habes in Ammian. lib. 18. vbi loquitur de Iuliano Cæsare, ad cuius imperium milites *decurrere iubentur per flumen adeò taciti, vt etiam remi suspenderentur, ne Barbaros sonitus excitaret vndarum.* *Imitatio.*

10. CONSVRGVNT MENSIS.] Videtur hæc vox fuisse solemnis ad rem hanc, vel ex vno Catullo, qui *Consurgo, vox mensarum.*

qui in Nupt. Carmine, mensarum mentione non facta, tantum, *vesper adest iuuenes, consurgite*, id est, à mensis.

Sacra nō interrupenda.

11. RVMPERE SACRA VETAT.] Abominandum videlicet interrumpi sacra: itaque abesse hinc non debent verba Seruij hæc: *Cùm ludi Circenses Apolini celebrarentur, vt Annibal nuntiatus est circa Portam Collinam vrbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reuersi postea cùm piaculum formidarent, inuenerunt saltantem in Circo senem quendam: qui, cùm interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, dictum est hoc Prouerbium: Salua res est, saltat senex.* Nam videlicet senex gnarus Pontificalis iuris, piaculum continuata saltatione procurauit, ceteris concurrentibus ad arma. Vide quæ iam ex Pauf. & Plut. attuli 3. Æneid. ad illud, *Ne qua inter sanctos ignes*, &c. Sed hac superstitione imprimis imbutos fuisse Iudæos, ex Plut. in lib. περὶ δεισ. notabis.

Iudæorum Sabbatha.

Qui cùm hostes die Sabbathi scalas mœnibus admouerent, murósque ocuparent, illi tamen sedebant, & οὐκ ἀνέστησαν, ἀλλ' ἔμειναν ὥσπερ ἐν σαγήνῃ μιᾷ τῇ δεισιδαιμονίᾳ συνδεδεμένοι, *neque surrexerunt, sed superstitione quadam, tanquam reti capti se continuerunt.* De iisdem Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 1. *Iudæi Ptolemæum non arcuerunt, tum quòd nihil hostile suspicarentur, tum quòd τὴν ἡμέραν ἐν ἀργίᾳ, καὶ ῥᾳθυμίᾳ διάγοντες, diem illum in quiete, & otio agerent.* Et mox aduocat verba Agatharchidæ scriptoris exprobrantis, quòd passi fuerint vrbem capi à Ptolemæo, nolentes arma capere, videlicet διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν, *propter inanem superstitionem.* Hæc ita magna fuit, vt dicat idem Iosephus lib. 1. Bell. Iud. c. 5. Sacerdótes trucidatos ad ipsas aras, sacris non intermissis, cùm Pompeius vrbem Hierosolymorum cepit. Verba eius Latinè reddita: *vbi plurimi Sacerdotum, cùm hostes strictis gladiis irruentes cernerent, intrepidi persistebant* ἐπὶ τὰς θρησκείας *diuinis rebus operantes; donec preferentes saluti Religionis obsequium, mactati sunt* σπένδοντές τε, καὶ θυμιῶντες, *in ipso libandi, & adolendi ministerio.*

Sabbathū Iudæorum quo cultu.

Sanctus etiam Ambrosius in lib. Offic. *Cùm essent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis suis, dolo hostium die lacessiti Sabbathi, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora, quàm repugnare; ne violarent Sabbathum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti.*

Ancilium religio.

Eodem pertinet religio ancilium apud Romanos, quibus motis, nec dum conditis iter impediebatur. Liuius lib. 37. *Statiua deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies fortè, quibus ancilia mouebantur, religiosi ad iter inciderant.* Sic apud Tacitum 1. Hist. quidam adferebant *proficiscenti Othoni moras religionémque nondum conditorum ancilium.* Quin, vt Iudæi a bello abstinebant die Sabbathi; ita & Romani Imperarores se ab exercitu subducebant per eosdē dies ancilium. Quod expresse Liu. ibid. *Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, seiunxerant ab exercitu.* Apud Simocattam lib. 2. Hist. Mauricij cap. 2. decernunt Persæ aggredi Romanos die Dominica, arbitrati illos non comparaturos defensionem, propter religionem diei.

Dominicæ diei religio.

Demosthen. contra Midiam sæpiùs inculcat, violatam ab illo festi Bacchici celebritatem, cùm eo die iniurias sibi inferret. Adeo peruagata hæc inter Gentiles opinio, vt etiam atrocius esset inferre iniurias die festo, quasi ita violarentur sacra.

Festo die iniuriæ non inferendæ.

Plutarch. in vita Coriolani explicans vim harum vocum, *hoc age* quæ in sacris dicebantur, inter alia ait, hanc esse illarum potestatem, μηδὲν ἱερῶν ἀναβολὴν λαμβάνειν μέσον, *nulla vt res interrumperet sacra.*

Hoc age, quid sit.

Vide vt idem Plut. in vita Agesilai laudet Lacedæmonios, qui accepta grauissima clade passi non sunt formam publicæ festiuitatis immutari, quę tunc peragebatur. Hæc mihi non visa obuia in more obuio.

12. ET PROCVL E TVMVLO.] Sequentem orationem ex parte æmulatur Valer. 4. Argon. vbi inducit Amycum conuolantem ad visos Argonautas: cui adimit hanc Pallantis comitatem. Nam Pallas, etiamsi audax, tamen comis: rogat enim de genere, patria, domo; at verò Amycus.

Locorum similitudo.

Deuolat inde furens, nec quò via, cúrve profecti,
Nec genus antè rogat, sed tali protonat ira.

13. QVI GENVS, &c.] Versus penè Homeri Odyss. 1.

Qui gen

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

vt etiam Odyss. 3.

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;

Quem versum repetit Odyss. 9. & aliàs sæpe. Odyss. etiam 7.

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; τίς τοι τάδε εἵματ' ἔδωκεν;

His locis etiam institit Euripid. in Cyclop. vbi Polyphemus magna cura Græcos examinat.

Εἶεν· φράσαθε· πόθεν ἐπλεύσατ', ὦ ξένοι;
Ποδαποί; τίς ὑμᾶς ἐξεπαίδευσεν πόλις;

Et in Hel. Ἀτὰρ τίς εἶ; πόθεν; τίνος; & in Rhes. τίς; ἢ πόθεν; ἢ ποίας πάτρας. Hæc nolui reddere, vt quæ eandem contineant sententiam cum Virgiliana. Vt verò Hom. & Eurip. paria multa loca de re eadem: ita & Virg. Nam etiam in 1.

Sed vos, qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Iterum.

Quis te nate Dea, per tanta pericula casus, &c.

Et in 6.

Sed te qui viuum casus age, fare, &c.

Vnde domo.

14. VNDE DOMO?] Arripuit Horat. epist. 7. lib. 1. *Quære, & refer, vnde domo? quis?* Sil. lib. 10. *Ingentia bella Clusina venêre domo.* Sueton. cap. 2. Vitell. *Vitellius domo Nuceria.* Plaut. Pœn. *domo Carthaginiensis.* Virg. 7. *Qui Cerete domo.* In his omnibus patriam intellige, sedésque cuiusque, & domicilium. Sil. lib. 3. *Alpina domo*, quasi in Alpibus fuerit domicilium. Sed præclarum est Sidonij testimonium epist. 11. lib. 1. *Ceterùm si requisisses, qui genus? vnde domo? non eminentiùs, quàm municipaliter natus, &c.* vbi domum explicat per municipium. Clarè etiam Eurip. Supplicib.

Domus & domicil. o sedium.

Λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σόν:
Miscens splendidam tuam domum polluta.

Id est, genus, & familiam tuam. Græci plenissimi sunt hac locutione.

[a] Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta:
Paciferæq; manu ramum prætendit oliuæ.
[b] Troiugenas ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello profugos egêre superbo.
Euandrum petimus: ferte hæc, & dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.

[c] Obstu

c Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas.
Egredere ô quicunque es, ait: corámque parentem
Alloquere, ac nostris succede Penatibus hospes.
Accepítque manu, dextrámque amplexus inhæsit,
d Progressi subeunt luco, fluuiúmque relinquunt.
Tum Regem Æneas dictis affatur amicis.

ARGVMENTVM.

Declarat Æneas, quis sit: humanissimè à Pallante excipitur, à quo ducitur ad patrem Euandrum.

EXPLICATIO.

a NEMINI potiùs committi potuerunt partes respondendi quàm ipsi Æneæ: ideo ille fatur, & ab puppe, qui eius locus, de quo iam alibi. Primò aûtem omnium pacem præfert prætento ramo oleæ; vt re ipsa indicet, se pacem ferre, non arma, quod Pallas rogauerat.

b Rogauerat Pallas, *qui genus?* Ergo Æneas. *Vides Troiugenas*: & addit. *Vides tela Latinis inimica*; quia audierat à Tybri.

Hi bellum assiduè ducunt cum gente Latina.

Adicit,

Quos illi bello profugos egêre superbo;

sicut & vos. Cùm ait *profugos*, acerbat crimen. Quasi dicat: Nulla est in his humanitatis nota; arcent suis finibus vos profugos Arcadia, nos profugos Phrygia. Rogauerat etiam Pallas, *quò tenditis?* Respondet Æneas, *Euandrum petimus*: & adiicit caussam itineris, *socia arma rogantes*. Itaque petitio ista non hostilis, sed amica est.

c Obstupescit Pallas ad nomen Troianorum, ac statim perhumanus, *egredere*. Et quia nomen ignorat, *ô quicunque es*. Ne verò aliquid confirmaret sine patris auctoritate, contentus offerre hospitium, reliqua ad patrem reiicit; dato interim amplexu, & prehensa manu, ad amoris notam. Quasi dicat: Non sumus, vt Latini; non profugos arcemus; sed admittimus hospites.

d Hoc facto relinquunt fluuium, progrediuntur ad lucum, Æneas statim Euandrum alloquitur.

NOTÆ.

1. PVPPI.] Hic scilicet locus Principis. Euripid. in Iphig. in Taur. Principes nauigationis Orestem, & Pyladem inducit πρύμνηθεν ἑστῶτας. Sed de re hac latiùs loco alio. *Puppis locus Principis.*

2. PACIFERÆ OLIVÆ.] Pacis nota data huic arbori. Ouid. 6. Metamorph. *oleis pacalibus*. & 1. de Pont. Eleg. 1. *pacatæ ramus oliuæ*. Inde Virg. in 6. illam Numæ attribuit Regi pacifico. Silius lib. 13. eius ramum vocat, *pacis pignora*. Prudent. περὶ στεφ. *pacis honorem*. Valerius quinto Argon. *frondémque imbellis oliuæ*. & libro quarto, *virgo paciferam*. Tertullianus de Coron. milit. Stat. lib. 12 *ramis insontis oliuæ*. & 2. Theb. *pacem præfatur oliua*. Polyb. lib. 3. cùm quospiam induxerit Barbaros cum ramis oleæ, adiicit. τοῦτο γὰρ ἐστὶ σύνθημα φιλίας παρὰ πᾶσι τοῖς βαρβάροις, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς Ἕλλησι: *Est hoc ferè apud omnes Barbaros ami-* *Oliua in nota pacis.*

A *citiæ signum, vt inter Græcos caduceum*. Et quidem quamuis Virg. taceat de velamentis supplicum, sed ipsum intelligendum esse, liquidum ex his, quæ dicebam lib. 7. ad illud, *Caduceum pacis nota.*

Præferimus manibus vittas, & verba precantum.

3. MANV.] Do parergon nõ iniucundũ. Non solùm *manu*, sed *ore* quoque interdum. Eurip. interp. in Androm. ἔθος ἦν παλαιὸν τοῖς ἱκέταις κλάδους ἐλαίας ταῖς χερσὶ, καὶ τῷ στόματι ἔχοντας ἱκετεύειν: *Moris fuit supplicum, vt in supplicando ramum oleæ tenerent, & manibus, & ore.* *Oliua à supplicibus & manu, & ore.*

4. QVOS ILLI BELLO, &c.] Aptè ad concitandum Pallantem pro se, & contra Rutulos, proponit quæ bello superbissimè gesserant Rutuli. Apud B Curt. Alexand. lib. 5. vt acuat Græcos contra Persas proponit bella illata ab his contra vniuersam Græciam, Darij & Xerxis insolentiam, expugnatas vrbes, violata omnia.

5. VENISSE.] Propriè admodũ. Supplices vult indicare, & *venisse* ait. Nam ἱκέτης, id est, *supplex*, dicitur παρὰ τὸ ἱκέσθαι, *à veniendo*. Infrà coniungit, *supplexque ad limina veni*. Homer. Iliad. 22. οὐδ' ἂν ἐγὼ μὲν ἵκωμαι ἰὼν, *non ipsi supplicabo iens*. Ad verbum; *non ibo iens*. Itaque *supplex* est: quasi *iens, vadens*. Et quidem hoc loco verbum, *venisse*, referendum esse ad sermonem supplicum, liquidum tum ex olea, tum quia statim, *socia arma rogantes*. *Venio, verbũ supplicum.* *Supplex, quasi iens.*

6. EGREDERE Ô, &c.] Perlustratio aliqua Apollon. lib. 1. vbi nuntiatur Argonautis, vt ingrediantur peramicè in Lemnum, inuitantúrque placidè ad hospitium. Locus est longus; omitto. *Imitatio.*

C 7. ACCEPITQVE MANV, DEXTRAMQVE, &c.] Nam dextra fidei nota; quem morem penè ad satietatem inculcat Maro. Ter in hoc lib. bis in 4. semel in 3. & in 6. & sæpe alibi. Interpres Aristoph. ad verba hæc ἐν νεφέλ. τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν, ἐπὶ τούτῳ ἔθος ἦν ἐπὶ πίστει, καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις: *Mos fuit, dextras inuicem dare fidei, & fœderibus firmandis*. Tull. Philipp. 11. *Dextræ, quæ fidei testes esse solebant*. Medea apud Sen. *Dextra fidei nota.*

Fidémque supplex præsidis dextra petit.

Omitto rem admodùm tritam, & facilè parabilem: & noto locutiones quasdam, quæ natæ ab hoc more, quæque alicui videri possint insolentes. Pollux lib. 2. ab Xenophonte adducit, δεξιὰν πέμπειν, *dextram mittere*, pro pacta; ad faciendam fidem. Simocatta lib. 3. Hist. cap. 5. pro, fidem nolle, dixit, δεξιὰς ἀνανεύεσθαι, *dextras respuere*. Aristot. 1. Rhet. cap. 14. pro, temerare pacta, παραβαίνειν δεξιὰς, *transgredi dextras*. Tacit. 2. Ann. pro, fidem renouari, dixit, *renouari dextras*. Hæc mihi visa digna, quæ scirentur. Adiicio etiam, quæ coniici in Virg. possunt. Videlicet non solùm acceptam à Pallante Æneæ manum, sed etiam exosculatam. Cùm enim veteribus in vsu esset, manus alterius exosculari in salutatione, quod facilè ex Tacit. 1. Hist. conuincitur, *mere manibus in castra, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum*, & ex inultis aliis. Cùm etiam notet Lips. ex Vopisc. *Dextrã mittere.* *Dextrã respuere.* *Dextrã transgredi.* *Dextras renouari.* *Osculatio dextræ.*

Accedere ad manum. pisc. & Capitol. *ad manum accedere*, esse, *manum exosculari*, cur non coniiciam, verbis istis, *accepitque manu*, innui osculum, præsertim sequente amplexu, & inhæsione, quæ strictissimæ beneuolentiæ notæ?

Inhæsio manus, quid. 8. INHÆSIT.] Quid si signatissimo hoc verbo alludit ad morem, quem Tacit. explicat lib. 12. Ann. his verbis: *Mos est Regibus, quoties in societatem coëant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodóque perstringere?* A Eadem lux dari Homero potest 6. Iliad. ἐν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρί, *illique in manum hæsit.* & Apollonio lib. 1. Arg. χεῖρα δὲ χειρὶ ἄκρην ἀμφιβαλών, *manui inserens summam manum.* & aliis. Obserua etiam hanc manus inhæsionem factam ex more hospitalitatis, quam rem iam latè Stuchius lib. 1. Antiq. Conu. quem adeas.

9. DICTIS AFFATUR AMICIS.] Est hoc, quod Plut. in Lucullo προσέπεσον ἀλλήλοις φιλοφρόνως.

[a] Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos;
[b] Non equidem extimui Danaûm quòd ductor, & Arcas,
Quódque à stirpe fores geminis coniunctus Atridis.
[c] Sed mea me virtus, & sancta oracula Diuûm,
Cognatíque patres, tua terris didita fama,
Coniunxêre tibi, & fatis egêre volentem.
[d] Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & auctor,
Electra (vt Graii perhibent) Atlantide cretus,
Aduehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios numero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, qnem candida Maia
Cyllenus gelido conceptum vertice fudit.
At Maiam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sydera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab vno.

ARGVMENTVM.

Sermo Æneæ ad Euandrum, quo explicat, post captatam beneuolentiam, quæ sit ratio cognationis inter Arcadas, & Troianos.

EXPLICATIO.

[a] VIDE, vt captet. Græci fraudulenti sunt, & dolosi, tu vnus inter illos optimus. Adiicit. Non dedignor, eò me redactum à fortuna, vt ad te supplices manus tendam. *Rami compti vitta*, sunt, innexi, & illigati vitta lanea; vt ipse, *tum ramum innectit oliuæ*. Ergo, quòd illic *innectit*, hic *comptos*.

[b] Duo poterat timere Æneas, ne Euandrum adiret: primum, esse illum Principem Græcum: alterum, esse cognatione coniunctum cum Agamemnone, & Menelao.

[c] Diluit primum. Quasi dicat: Non timeo, te esse Principem Græcum: nam virtus mea, & Deorum oracula tutum me inter hostes faciunt. Diluit alterum. Non timeo, te esse cognatione coniunctum cum Agamemnone, & Menelao: nam patres D vestri, & nostri, cognati quoque; & addit famam, quæ de virtute Euandri sparsa in omnem locum. Hæc me tibi (inquit) non coniungunt modò, sed etiam volentem (vide vt renuam) adigunt. Quod enim voluntatis meæ fuerat, egit necessitas fati. Ex hac explicatione, quæ certè cognatior menti Poëtæ, capio in illis, *mea me virtus*, non tam ἀνδρείαν, quàm ἀρετήν.

B [d] Diluerat alteram rationem, hanc nunc explicatiùs exhibet. Dardanus Troianæ vrbis pater & constitutor primus, filius fuit Electræ filiæ Atlantis: Mercurius primus Arcadum pater, filius fuit Maiæ filiæ Atlantis. Itaque Electra, & Maia sorores fuerunt, illa mater Dardani, hæc Mercurij: ergo, cùm Troiani à Dardano, Arcades à Mercurio ducant originem; fit proinde, vt Troiani, & Arcades cognati sint, vt qui ab vno Atlantis sanguine & semine, scindente se inde amborum genere. Sed quæ rei huius firmamenta? Audi. Electram fuisse filiam Atlantis, & ab ea natum Dardanum, vestri perhibent Græci: Maiam fuisse Atlantis filiam fama fert, C & auditis credimus. Itaque primum validè firmauit, & Græcos ipsos testes adduxit, ne Euander negaret, qui Græcus: alterum in famam coniicit, contentus ea; non enim Euander negaret, quæ essent proprij decoris.

NOTÆ.

1. OPTIME GRAIVGENVM.] Notat Gifan. Conl. ad Lucret. pro *Graigenis*, & *Troigenis*, dici, *Graiugenas*, & *Troiugenas*, ad eum modum, quo *dissupare*, *carnufex*, *optumus*: nam aliter per *i*, dicendum esset; vt *primigenus*, *ventigenus*, *Pœmgenus*, *Phœbigenus*. Quæ in hunc locum Seru. scribit de re Grammatica, falsa sunt. Vocem, *optime*, retuli in explicatione ad virtutem animi: possit, qui velit, ad militarem, ad eum modum, quo Homerus sæpe ἀγαθὸν βοὴν Μενέλαον. & 4. Iliad. ἐσθλὸν ἐνὶ προμάχοισι, loquens de Echepolo, *bonum inter antesignanos*, id est, fortem. Vtique, quod ipse sæpe ταλασίφρονα, ταλαίφρονα, κρατερόν. Atque ita

1. in v. Optimus de re militari.

ita postea reddens Euander vicem Æneæ, ait; *vt te fortissime Teucrûm.* Hanc explicationem inf. agnoscit Seruius. A

Precor cum terno casu.

2. CVI PRECARI.] Græcum omnino. Hom. εὔχεο Ἀπόλλωνι, Διί, θεοῖς. Scal. verò lib. 4. Poët. cap. 16. *Antiquitatem probè, & pudicè veneratus est, cuius maiestatem imitaretur, cui me fortuna precari.* Sed cur non antiquitas quoque ex Græco?

Supplicum ...

Olea supplicum.

3. ET VITTA COMPTOS, &c.] Erat habitus supplicum, *ramis oleæ compti vittis*, id est, ornati, innexi, illigati. Æschyl. in Suppl. exhibet λευκοστεφεῖς νεοδρέπτους κλάδους: *ramos recèns decerptos coronatos albo*, id est, ramos oleæ lana obuolutos. Vel, explicatore Plut. in Thes. κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος: *ramus sacræ oleæ redimitus lana alba.* Ex his itaque Plutarchi verbis explicandi omnes, quoties hanc rem attingunt non plenè. Vt cùm Appian. in Hispan. tantùm dicit ἱκετηρίας. & Eurip. ἱκεσίοις κλάδοις. & Soph. Oedip. ἱκτηρίοις κλάδοις. Hi omnes, & reliqui, quos mihi exhibeas, capiendi de olea, & lana illi obuoluta. Sed de his iam ego lib. 7. & 11. in quæ duo loca digessi notam omnem antiquitatis. Hic non te prætereat obseruatio Caroli Paschal. lib. 5. Cor. cap. 15. coniungi scilicet hæc duo ex societate, quæ est in pace inter oleam, & lanam. Cùm enim supplices pacem peterent, duo pacis symbola præferebant, oleam, & lanam. Iustinus lib. 2. *Primi Athenienses lanificij, & olei, & vini vsum monstrauere: quibus scilicet omnibus homines fruuntur in pace.* Volo hîc obserues locum Petron: vnde lux Virgilio. Ait ille Sat. *Prætendit ramum oleæ à tutela nauigij raptum.* Idem factum fortasse ab Ænea. Itaque cùm tutelares Dij nauigiorum ramis ornarentur, facile erat nauigantibus inde sibi ramos sumere ad ἱκετηρίας.

Lana, & oleæ societas.

Tutelares ramis ornati.

4. CONIVNCTVS ATRIDIS.] Explicat latè Seru. quæ hæc cognatio inter Euandrum, & Atridas. Lege.

5. MEA VIRTVS.] Quadrant in hunc locum, quæ iam latè 1. Æneid. ad illud, *Sum pius Æneas.* Tibull. dixit lib. 4. *mea cognita virtus.*

6. ET SANCTA ORACVLA DIVVM.] Nonnulla est allusio ad versum Hom. 4. Iliad.

Imitatio.

> Πειθόμενοι τεράεσσι θεῶν, καὶ Ζηνὸς ἀρωγῇ:
> *Confisi signis Deorum, & auxilio Iouis.*

Cognatio de quibus.

7. COGNATIQVE PATRES.] Quadrat vnicè in hunc locum nota, quam dedi lib. 7. ad illud, *Heu stirpem inuisam.* Hæc enim cognatio Arcadum, & Troianorum tota per feminas deriuata Electram, & Maiam. Itaque probè, *cognati patres*, non, *agnati.* Notetur verò ex toto hoc excursu Virgilij præceptum politicum. Princeps, qui velit plurimùm posse, καὶ τῶν πολλῶν κρατεῖν, ita res suas gerat, vt multas affinitates contrahat: sic fiet, vt, quouis instante malo, habeat à quibus auxilium petat. Probè hoc intellexit Dumnorix ille, de quo Iulius 1. Gall. *Neque solùm domi, sed etiam apud finitimas ciuitates largiter posse: atque huius potentiæ causâ, matrem in Biturigibus, homini illic nobilissimo ac potentissimo collocasse: ipsum ex Heluetiis vxorem habere: sororem ex matre, & propinquas suas nuptum in alias ciuitates collocasse.* D

Affinitates contrahendæ maxime Principibus.

8. DIDITA FAMA.] Lege illud lib. 7. *Diditur hic subitò Troiana per agmina rumor.*

9. VOLENTEM.] Videtur alludere ad *voluntarium militem*; vt Eurip. in Helen. ἑκοῦσι ἄρξας: *imperans volentibus*: & inf. ἄγων πρὸς βίαν στρατηλατῶν: *ducens copias non per vim.*

Voluntarius miles.

10. ADVEHITVR TEVCROS.] De hac Dardani peregrinatione satis iam variis locis; vt etiam in 4. de Atlantis fabula.

11. VOBIS MERCVRIVS PATER EST.] Dionys. lib. 1. Antiq. *Euander filius Mercurij, & Nymphe cuiusdam Arcadiæ, quam Græci Themin appellant, & numine diuino afflari, atque agitari dicunt. Sed antiquitatum Romanarum Scriptores eam patrio sermone Carmentam appellant: quod Nympha nomen Græca lingua θεσπιῳδὸς, id est, fatidica diceretur. Nam ᾠδὰς Romani vocant carmina.* Vide, quæ hîc latè Seru. Huic Virg. loco gemellus est Nonni lib. 31. vbi Iuno volens ad gratiam suam pertrahere Venerem, rem efficit simili modo. Debes (inquit) mihi hanc gratiam, quia tu vxor es Vulcani, Martis concubina: atqui vterque meus est filius, ac proinde διπλῆ δὴ γαμίην ἑκυρὴ σέθεν, *duplici ex parte tibi sum socrus.* Neque abit argumentum Eurip. in Suppl. ταυτὸν πατρῷον αἷμα σοι κεκτήμεθα: *habemus vna tecum eundem paternum sanguinem.* Sed mihi tamen non dubium, quin Virg. vnicè hæserit eidem Eurip. in Heraclidis, vbi Iolaüs, vt Demophoontem pertrahat ad auxilium præbendum liberis Herculis contra vim Eurysthei, simili modo ratiocinatur. Locus est longus, ideo tantùm sententiam. Ergo Iolaüs ad Demophoontem. Pelops Pittheum genuit, Pittheus Æthram; Æthra Theseum, Theseus te: rursum, Peleus filiam habuit, quæ genuit Alcmenam, Alcmena Herculem ab Ioue, Hercules hos liberos: ac proinde tuus pater Theseus, & horum pater Hercules fuêre consobrini, tu igitur, γένους μὲν ἥκεις ὧδε τοῖς, Δημοφῶν: *Sic hos attingis genere ô Demophoon.*

Euandri natales.

Carmenta.

Locorum similitudo.

Imitatio.

B

C

12. CANDIDA MAIA.] Id est, pulchra, vt, *candida Dido.* Nescio enim cur Ser. obsistat huic explicationi. Vel locutus Poëta cum respectu ad Pleiadas; nam Maia est vna Pleiadum, & ceteris splendidior. Vel demum *candida* est πότνια, *veneranda* (explicatorib. Parrhas. in Claudian. & Erythæo in Indice) nam Aratus πότνια Μαῖα dixit.

Maia cur candida.

13. CYLLENES.] De Cyllenio Mercurio dictum iam 4. Æneid.

14. FVDIT.] Refert Seru. hoc verbum ad felicitatem, & ad rationem physicam. Primum; nam edi infantes celeri partu, omen est felicitatis: alterum, nam Mercurius planeta celerrimus est, quam celeritatem videtur traxisse ab ortu celeri. Pari verbo Arnob. lib. 3. *Caduceator ille Cyllenius in algido fusus monte.* & lib. 1. *Mercurius vtero fusus Maiæ.* Ad quæ loca Heral. similia aliorû. Nam Lactant. cap. 19. lib. 2. *Locus in quo quisque est fusus ex vtero.* Et Zeno Veronens. *Communi cum pecudibus lege fundimur à natura.* Arnob. quoque lib. 4. *Iouem ex femina effusum aluo.* De natalitio Mercurij in promptu est Hesiodus Theog.

Fundo in partu, cur.

> Ζηνὶ δ' ἄρ' Ἀτλαντὶς Μαῖη τέκε φαίδιμον Ἑρμῆν:
> *Ioui Atlantis Maia peperit illustrem Mercurium.*

[a] His fretus, non Legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: meme ipse, meúmque
Obieci caput, & supplex ad limina veni.
[b] Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello

Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt
Quin omnem Hesperiam penitùs sua sub iuga mittant;
Et mare, quod suprà, teneant: quódque alluit infrà.
ᶜ Accipe, dáque fidem: sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus.

ARGVMENTVM.

Adiungit rationes alias, quibus impellat ad statuenda secum fœdera.

EXPLICATIO.

ᵃ FRETVS virtute mea, Deorum faris, cognatione, quæ est inter Arcadas, & Troianos, nolui per Legatos rem gerere, nolui arte aliqua & callido consilio tentare te; nihil pactus sum antea tecum, vt solent illi, qui non satis fidunt alteri; non enim se credunt, nisi pacto aliquo. Ita omni dolo abiecto, nullo consilio occultato, me tibi, & B caput meum obieci, & supplex ad te veni. Vide, quàm tibi fidam.

ᵇ Efficacissima sunt hæc. Qui mihi hostes sunt, tibi hostes sunt. si me Italia pellent, te Italia pellent. Credunt enim nihil abfuturum, quin, me victo, Italiam omnem suam faciant, etiam penitissima quæque, & extrema. Neque his contenti tenebunt mare superum, mare inferum, id est, Adriaticum, & Tyrrhenum. Quæ tibi tunc spes Euander? ergo accipe, &c.

ᶜ Conclusio argumenti. Nihil iam restat, nisi fidem à me accipias, & des vicissim. Ne dedignare socios Troianos: sunt nobis fortia pectora, fortes animi. Quæris experimentum? Spectati sumus & probati rebus contra Græcos gestis decem annorum cursu.

C

NOTÆ.

Fretus. 1. FRETVS.] Quod sæpissimè Hom. πεποιθὼς, & πεποιθότες.

Tentamēta quæ sint. 2. TENTAMENTA.] Pacisci tentamenta per artem, nihil, credo, est aliud, quàm tentare pacta arte & calliditate. Non iccirco improbo, quæ latè Germ. Capax enim Maronis littera multarum allusionum. Itaque potuit spectare ad demissiones bolidum, ad spicilla chirurgica, ad instrumenta putcariorum. Vide illum. Animaduerti ego vocem hanc poni sæpe ab Scriptoribus, cùm res est inter hostes, estque necessaria calliditas: vt cùm ait Sallust. de Metello volente per insidias interficere Iugurtham; *paulatim tentando*; & statim, *insidiis locum tentare*. Ideo signatè D

Tento in dolo. Æneas *tentamenta*, & *artem* iunxit, ad indicandum dolum, quo non vult agere cum Euandro. Sic & Sallust. idem, *artibus tentari*, dixit, pro, apperi insidiis.

3. OBIECI CAPVT.] Clarum, quid dicat. Sed, quid si attingit morem alium, quem aperit Silius lib. 1. loquens de Legatis Saguntinis in Senatu Romano?

Supplicum mos.
——miserabile visu
Affligunt proni squallentia corpora terræ.

Aliqui, *affigunt*, ad rem nihil. Quid ergo si Æneas A corpus solo affixit? nam additur, *supplexque ad limina veni.* Quo sensu, non tam *obieci* legendum esset, quàm *abieci*: sed nihil mutandum. Si legeretur *abieci*, esset, quod Horat. epist. 12. lib. 1. dixit, loquens de supplice, *genibus minor*. Et de Legatis Locrensium Liu. lib. 29. *Cum flebili vociferatione humi procubuerunt.* Quin, si velis, hoc sit parergon. — Lectio Virgiliana.

4. GENS EADEM, &c.] Eodem argumento Æneas vtitur ad Euandrum, quo Turnus suprà, cùm mittit Legatos ad Diomedem. Ait enim.

Quid struat his cœptis, quem si fortuna sequatur,
Euentum pugnæ cupiat, manifestiùs ipsi,
Quàm Turno Regi, aut Regi apparere Latino. — Locorum similitudo.

Itaque concinnus est Poëta, qui Turno, & Æneæ eandem dat rationem, illi petenti auxilium ab Diomede, huic ab Euandro. Nam vterque, *quid de te fiet,* B *si ego vincar?* Putat verò præclarè Vrsin. adumbratam orationem Corcyræorum apud Thucydidem lib. 1. Hoc verum putabit, qui legat eam orationem: initio enim aiunt, postulata sua commoda esse Atheniensibus. In excursu addunt, Corinthios inimicos esse iisdem Atheniensibus. Signata verba: καὶ προκαταλαμβάνοντας ἡμᾶς νῦν, ἐς τὴν ὑμετέραν ἐπιχείρησιν: *Dum nos primos nunc aggrediuntur, vos petunt, & inuadunt.* & iterum: καὶ μέγιστον, ὅτι αὐτοὶ πολέμιοι ὑμῖν ἦσαν: *quod est maximum, iidem vestri sunt hostes.* Reperi ego locum alium eiusdem Thucyd. ad rem eandem lib. 3. vbi pulcherrima est hæc gnome. τὸ δ' ἀντίπαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν: *Mutui metus æqualitas societatem solà facit fidelem.* Timebat Turnum Æneas, timebat Euander, ac proinde firmior inde societas inter Æneam, atque Euandrum. Et quidem efficacissimum est ad inueniendam gratiam apud aliquē; afferre rem communem, & vtrique conuenientem. — Imitatio. — Communitas periculi facit societatem.

C Sic quispiam apud Simocattam lib. 2. Hist. cap. 13. in oratione ad milites: κοινὸς μὲν ὁ κίνδυνος, ἡ δὲ σωτηρία ἁπάντων ἀμέριστος: *Commune est periculum, salus omnibus indiscreta.* Neque alia ratione Orest. apud Sophoc. in Elect. inuenit aditum ad interficiendum Ægysthum, quàm præmisso nuntio τῷ κοινῷ. Clarè etiam ad rem Virgil. facit locus alter eiusdem Simocattæ lib. 4. cap. 11. vbi Chosroas auxilium petens à Mauricio contra Varamum, ait, hunc non solùm conari in Persas, sed etiam habiturum procedente tempore κατὰ τῶν παρ' ὑμῶν φορολογουμένων ἐθνῶν κράτος ἄμαχον, *robur inexpugnabile contra vestras gentes stipendiarias.* Eodem argumento vsus Adherbal contra Iugurtham in Senatu Romano; *Vestra beneficia mihi erepta sunt P. C. Vos in mea iniuria despecti est.* Iugurtha quoque Bocchum excitat ad arma contra Romanos hac ratione: *Communes omnium hostes esse, eandem illos causam belli cum Boccho habere, quam secum.*

5. SVA SVB IVGA MITTANT.] Alludi ad infame iugum militare, clarum; quod cui ignoratum? — Iugum militare.

6. ACCIPE, DAQVE FIDEM.] Credibile hoc puncto temporis datas dexteras ab Euandro, & Ænea: erat enim symbolum acceptæ, & datæ fidei duarum manuum innexio. Hom. 6. Iliad. — Manus iunctio fidei symbolum.

χεῖράς τ' ἀλλήλων λαβέτην, καὶ πιστώσαντο:

Manisque

Manúſque mutuò prehenderunt ad fidem.

Et lib.21. χειρὶ τε χεῖρα λαβόντας ἐπιστώσαντο ἰοῦσαι. Et Pind. Od. 4 Pyth. χερσί οἱ χεῖρ' ἀνερείσας. Georgius Gemiſtus de Artaxerxe ita loquitur lib.2. Μέντορα δὲ διὰ τῆς δεξιᾶς ... ᾠκειώσατο: *Mentorem data dextera conciliauit.* Scribit autem Varro ex Callimacho, & aduocat Seru. in lib. 1. Æneid. hanc manuum innexionem fuiſſe ſalutationem apud veteres. Id ipſum admonuit Cælius lib. 4. cap. 3. Notauit iam Macrob. Virgilium inſtitiſſe huic verſui Ennij, Salutatio ex manuũ innexione.

Accipe, dáque fidem, fœdúſque feri bene firmum. Imitatio.

7. SVNT NOBIS, &c.] Prudentiſſimè qui ab alio auxilium petit, ſuum promittit. Annecto verba Symmachi epiſt. 64. lib. 3. *Ego in referenda viciſſitudine par eſſe curabo: nam qui ab alio poſcit, ſui quoque ſtudij frequentem operam pollicetur.* Hinc nata videtur trita ſententia: *Ab alio officia poſcens promittit ſua.* Poſcens officia promittit ſua.

[a] Dixerat Æneas. Ille os, oculóſque loquentis
Iamdudum, & totum luſtrabat lumine corpus.
[b] Tum ſic pauca refert. Vt te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio, agnoſcóque libens? vt verba parentis,
Vt vocem Anchiſæ magni, vultúmque recordor?
[c] Nam memini Heſiones viſentem Regna ſororis
Laomedontiadem Priamum Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos inuiſere fines.
[d] Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuenta:
Mirabárque duces Teucros: mirabar & ipſum
Laomedontiadem; ſed cunctis altior ibat
Anchiſes: mihi mens iuuenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ coniungere dextram.
Acceſſi, & cupidus Phenei ſub mœnia duxi.
[e] Ille mihi inſignem pharetram, Lyciáſque ſagittas
Diſcedens, chlamydémque auro dedit intertextam:
Frænáque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.
[f] Ergo, & quam petitis iuncta eſt mihi fœdere dextra:
Et lux cùm primùm terris ſe craſtina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibúſque iuuabo.
[g] Interea ſacra hæc (quando huc veniſtis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate fauentes
Nobiſcum, & iam nunc ſociorum aſſueſcite menſis.

ARGVMENTVM.

Repetit Euander cauſas ab initio, quibus libentiſſimè adducitur ad amorem Æneæ & Troianorum. Dat dexteram in ſignum fœderis, promittit auxilia, inuitat ad celebranda ſacra Herculis.

EXPLICATIO.

[a] AVIDISSIME Euander Æneæ os, oculos, corpus totum perluſtrat, vt videlicet recognoſceret in eo paterna Anchiſæ lineamenta.

[b] Ab perluſtrato diligentiſſimè erumpit in eius laudes, vocans fortiſſimum: quaſi habitus corporis, quod luſtrauerat, totus eſſet factus ad fortitudinem. Additque, verè ſe in illo agnoſcere Anchiſæ verba, vocem, vultum. Quæ laus magna Æneæ. Particula, *vt*, eſt admirantis conſentientem habitum Æneæ cum Anchiſa. Illud, *pauca refert*, explica præ magnitudine rerum, dici quæ poterant: non enim Seru. placet.

[c] Superior affectus petebat, vt diceret, vbi Anchiſen agnouiſſet Græcus homo, cùm hic Troiano bello non interfuiſſet: hoc iam explicat. Heſione ſoror Priami nupſerat in vrbe Salamine Telamoni. Abiit eò Priamus, ſororem vt videret: adduxit ſecum ad comitatum, tum multos Principes, tum præſertim Anchiſen. Poſt viſam Salamina, placuit *protinus* (id eſt, ſtatim, deinceps) Arcadiam inuiſere, & totam illam regionem perluſtrare. Hinc factum, vt Priamus, & reliqui Troiani Principes exciperentur hoſpitio ab Arcadibus. Amputaui ab hac explicatione occaſionem, cur Heſione nupſerit Telamoni: nam ea fabula in Seruio, & aliis.

[d] Pergit narratio Euandri. Eram ego tum in prima pubertate. Mirabar Troianos omnes, Priamum ipſum, ſed neſcio, quo amore rapiebar in Anchiſen. (laudauit quippe illos, quo prçſtantior appareat Anchiſes, quem præfert) ardebam alloqui illum, vt eſſe ſolent iuuenum ſtudia, dextram dare; acceſſi tandem, & cupidus demerendi viri duxi ad Pheneum vrbem meam.

[e] Cùm abiit à me, reliquit ſymbolum amoris, & hoſpitij, videlicet *pharetram*, & hanc *inſignem*: deinde *ſagittas*, & has *Lycias*: tertiò *chlamydem*, & hanc *auro*

intertextam; demum *frena duo*, & hæc *aurea*. Quæ ceſsêre in vſum Pallanti meo. Vide vt munera elogiis ornauerit optimus beneficij æſtimator.

f Ab narratione redit ad rem. Petitis dexteram ad notam fœderis, hanc iam dedi vobis, cùm dedi Anchiſæ; itaque iuncta iam eſt. Petitis auxilia, hæc dabo affulgente die craſtino.

g Inuitat demum ad celebranda ſacra, quæ ſibi erant in manibus. Ratio duplex. Prima, nequeunt differri: altera, ſic iam nunc hoſpitalibus menſis aſſueſcetis.

NOTÆ.

Luſtrare corpus. Permetiri oculis.

1. TOTVM LVSTRABAT LVMINE CORPVS.] Ex Statij Muſa lib. 6. dices hoc idem, *permetiri aliquem oculis*; ait enim, *vt ſeſe permenſi oculis*. Quod enim Virg. *totum*, ille reſtaurat adiuncta præpoſitione *per*; quia totum indicat corpus. Silius lib. 5. ad Noſtri veſtigia,

——clypeúmque viri, atque immania membra
Luſtrabat viſu.——

Deficit, tum in aliis, tum in acumine: nam Virg. ideo *lumine*, quia *luſtrabat*. Conſentaneè enim duo lucis verba adhibentur. Hom. dixit 17. Iliad. παπταίνων Αἴαντα μέγαν. Theocr. ειδ. 24. à quo fortaſſe

Imitatio. Maro.

Καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδεν:
Et me à capite ad pedes perpetuò vidit.

Æneæ maieſtas. Indicat verò Virg. quidpiam magnum ineſſe Æneæ, quem tam auidè, & attentè Euander perluſtrabat.

Locorum ſimilitudo. Non aliter ac de congreſſu primo Scipionis, atque Annibalis ſcripſit Liu. lib. 30. *Pauliſper alter alterius conſpectu, admiratione mutua, propè attoniti conticuère.* Catull. dixit, *cupido conſpexit lumine*; &, *cupidè ſpectando.* Hunc affectum ita expreſſit Heliodor. lib. 6. πολλοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀθρήσαντες: *multis oculis perluſtrans.* Indicat auiditatem videntis.

Vt, ὡς. 2. VT.] Græci ad verbum ὡς. Euripid. in Herc. ὡς ἄσμενος ιδών. Plut. in Anton. ὡς δ' ἐγὼ τοὺς ἄνδρας.

Imitatio. 3. VT VERBA PARENTIS, ET VOCEM ANCHISÆ MAGNI.] Non abeunt Homerica Odyſſ. 4.

Γνωτὸς ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων ὄλβον ἐπικλώσῃ.
Proles viri, cui Iuppiter gloriam dabit.

4. NAM MEMINI, &c.] Homeri loca duo non abſimilia vide in Vrſ.

Salamina prius Halamina. 5. SALAMINA.] Hanc olim dictam Halamina; quia ſita in mari Ægæo, certum, & poſtea Salamina, more Græco. Sic Helli tranſiêre in Sellos, Hardiæi in Sardiæos, Hamnitæ in Samnitas, Halmantica,

Salmantica, vnde dicta. arx litterarum, in Salmanticam: & ſexcenta alia. Eſt qui putet, Salmanticam dictam, quaſi ἀντρον μαντικόν, à trito illo antro dæmonum. Cui minùs aſſentio; nam hoc nuperrimum eſt ſi comparetur cum antiquitate Salmanticæ, & fortaſſe fabuloſum.

Veſtio de barbitio. 6. VESTIBAT.] Pulchra metaphora. Lucret. lib. 5. ante Virg. *Veſtit molli lanugine malas.* Ab vtroque Claud. Paneg. Olib.

Oráque ridenti lanugine veſtiat ætas.

Inde *veſtis* pro barba. Lucret. lib. 5.

——impubem molli pubeſcere veſte.

Sen. in Herc. Oet.

Nondum teneras veſtire genas.

Plin. lib. 8. cap. 48. lanam ouium *veſtitum* nominat: *In ipſa oue ſatis generoſitatis oſtenditur breuitate crurum, ventris veſtitu.* Inde etiam Apul. *inueſtis* dixit, & *veſticeps*, cùm ſcripſit: *inueſtem à nobis accepiſti, veſticipem illuc reddidiſti.* Palladio quoque *inueſtis puer* dicitur pro imberbi, vt Statio *nudus* lib. 5. *Nudus vterque genas.* Cùm addit *florem*, liquidum eſt, ſumi metaphoram ab agris, qui *veſtiri* dicuntur. Vide quæ iam ego 2. Georg. ad illud,

Quáque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit.

Flos de barba. 7. FLORE.] Pari venuſtate Græci, qui ἀπὸ τῶν ἀνθέων barbam nominant ἀνθερεῶνα: & Hom. 13. Iliad. ἥβης ἄνθος. Sic à Platone dicti ἀνθοῦντες ἐν ὥρᾳ, qui incipiunt pubertatem: & Odyſſ. ἐπανθεῖν λάχνη. & Pind. 1. Olymp. ποτ' ἀνθεμον φυάν. Quis neſcit ab Hom. ſæpe

Iulius de barba. iuuenes θαλερούς dici? Huic affinis vox ἴουλος, quæ propriè notat lanuginem arborum. Eam verò ad iuuenes transferunt Hom. 11. Odyſſ. & Æſchyl. ἐν ἑπτ. Theophylactus quoque Scholaſticus, τοῖς ἰούλοις καλλωπιζόμενος τὸ πρόσωπον. Theodoret. de Prouid. Serm. 4. ἴουλος ἀνθεῖ. Procedo. Χνόος quoque de arboribus dicitur; atqui Callimach. ἔτι χνόος ἤλθε παρειαῖς. & Apollon. lib. 2. χνοάουσας ἰούλους. Non minùs venuſtè Nonnus lib. 25. aliam vocem ad hanc rem intruſit, cùm ſcripſit σταχυν ἥβης, *ſpicam iuuentutis*. Ex hac Nota

Spica de barba. diſcant iuuenes barbam ſuam eſſe ἄνθος, λάχνην, ἴουλον, χνόον, στάχυν & ſe eſſe θαλεροὺς αἰζηούς, & ... θυμούς. Ab Græcis Latini ſæpiſſimè: nam Lucret. lib. 5. *tùm flore ætatis iuuentus.* Statius, Claudianus, Seneca paſſim. Huic affine verbũ *verno*, quo vſus Mart. lib. 2.

Verno de barba. *Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ.*

Separaui ab his Pacuuium, vt in quo non legendum,

Nunc primum opacat flore lanugo genas;

ſed pro flore *Flora*, vt ex vet. cod. auctoritate, & doctorum iudicio, alij. Vide Scal. in Feſt.

Præterita laudantur. 8. MIRABARQVE DVCES.] Eſt huic ſententiæ ſuus fundus. Solent ſenes laudare & admirari, quæ geſta ſunt ipſis iuuenibus: ea diſplicent, quæ nunc accidunt. Horat. epiſt. ad Piſon. *Laudator temporis acti.* Exemplum huius rei abundè extat in Neſtore Homerico, in Virgiliano Euandro.

Altior cunctis. 9. CVNCTIS ALTIOR IBAT ANCHISES.] Eſt hoc, quod Hom. 3. Iliad. ἔξοχος Ἀργείων. Quod Claud. 2. Ruff. *& Principe celſior ibat.* Quod Stat. 1. Sylu.

——quantùm Latonia Nymphas
Virgo premit, quantùm egomet Nereïdas exſto.

Heroës procerì corpore. Sed de hac re iam ſup. ad calcem lib. 7. vbi ſermo eſt de Turno. Notat Iul. Scal. lib. 1. Poët. Heroas ſolitos induci à Gentilibus mira quadam corporum proceritate, vno excepto Tydeo. Affine hoc notæ Germani in hunc locum, quam ditat verbis Ariſtotelis. Lege.

Compello & appello in mulieribus. Pello, pellax antiquum vnde. 10. COMPELLARE.] Nota eſt verbi huius, atque *appello* ſignificatio in re blanditiarum, atque amoris. Vnde hìc vſurpata Virgilio. Incidit ſuſpicio, an antiquum *pello* ducatur ἀπὸ τῆς πέλλης, vaſe lactario. Cùm enim videam plura verba, quæ pertinent ad blanditias, ducià lacte; cur non idem putem de hoc verbo, ſimili argumento?

Seruij nota. 11. PHENEI.] Contemno notam Seruij. Nam cur Poëta poneret Pheneum pro Palanteo. An ille elinguis? Itaque nulla ratio huius coniecturæ. Pheneum fuiſſe oppidum in Arcadia ſcimus auctoritate Hom. 2. Iliad. & Plin. lib. 4. cap. 6. & Poëtam

Pheneũ oppidum. de illo intelligi nihil obſiſtit. An Euander dominus. Palantei tantùm? imò totius Arcadiæ. Exemplum, quo errorem ſuum firmat Seruius, de Tyro, & Sidone, alibi euerti. Sciret Poëta alia ratione verſum circumflectere, & Palanteum ponere. Tu & Plinij locum alterum corrige lib. 12. cap. 26. vbi pro *Pſophide Arcadiæ*, legendum. *Pheneo Arcadiæ*, ex lib. vet.

12. ILLE

Hoſpitalia munera.

12. Ille mihi, &c.] Ex ritu gentium omnium, quibus in vſu hoſpitalia munera. Notus Hom. locus 6. Iliad. vbi Oeneus dat hoſpiti ſuo Bellerophonti ζωςῆρα φοίνικι φαεινόν. Contrà hic illi χρύσεον δέπας ἀμφικύπελλον. & alter Odyſſ. 8. Lege ab eo loco: Ἀλλ᾽ ἄγε οἱ δῶμεν ξεινήιον. Virtutem hanc de Athenienſibus Plutar. prædicat, de Germanis Tacitus in illorum moribus. Vide etiam eundem lib. 4. Annal. De Perſis Ammian. lib. 18. De Leucanis Ælian. lib. 4. per initia ab eo loco, λέγει τὶς νόμος Λευκανῶν. De Abydenis Suidas. Vide quæ de Cimone Athenienſi Cic. 2. Off. quæ de Lucullo Plut. ἐν ἀποφ. ἀποφθ.

Pharetræ Lyciæ.

13. Insignem pharetram.] Lyciam capio ex adiunctis ſagittis. Itaque inſignis pharetra; nam Lycia. Vide 7. Æneid. ad illud, *Lyciámque pharetram.* Et nota varietatem poëſeos: ibi celebrat pharetram Lyciam, hîc ſagittas Lycias; vt tu ſcias vtranque rem commendari ab eadem prouincia debere. Alia ſimilia in hoc Vate. Pyrrha, & Deucalion orbem reſtituerunt iactatis lapidibus: & tamen 6. Eclog. *Hinc lapides Pyrrhæ iactos*, nulla facta mentione viri. Contra 1. Georg.

Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem,

nulla facta mentione vxoris. In hoc lib. Cacum vocat iam *ſemihominem*, iam *ſemiferum*. Poëtæ alij inſipidi ſunt, ſæpiùs ad rem eandem confugientes.

Chlamydis ornatus ab auro.

14. Chlamydem auro intertextam.] Signatus ornatus chlamydis. Sic 5. Æneid. *Victori chlamydem auratam.* Tacit. 12. Ann. *chlamyde aurata.* Spartian. in Hadrian. *Cùm à Pharaſmane ipſe ingentia dona accepiſſet, atque inter hæc, auratas quoque chlamydes trecentas.* Sed notanda Virg. verba, quam alij *auratam chlamydem*, ipſe *auro intertextam*, vt ſic explicet, cur dicatur *aurata*. Ergo, non *aurata*, quia tantùm ad oram cum auro, vt viſum nonnullis humanioribus æui mei principibus: ſed quia *tota intertexta auro, & purpura.* Bene itaque S. Iſidor. loquens de paludamento, quod idem cum chlamyde, *cocco, purpura, & auro diſtinctum.* Dubitaui aliquando, quid eſſet apud Plut. in vita Anton. ἀπόρφυρον: & credo eſſe veſtem ὁλόχρυσον, id eſt, quæ nihil haberet purpuræ, ſed tota ex auro eſſet. Ibi enim illam τήβεννον vocat, & datam filio Antonij. Itaque, cùm careret purpura, & daretur filio Antonij, & ab ipſo patre, & in re honoris, quæ eſſe alia, niſi ὁλόχρυσος, potuit?

Aporphyron veſtimenti genus.

15. Frænaque bina.] Simpliciter locum capio, vt dicat duo fræna. Ita omnes interpretes: & ſi voci Latinæ hæreas, nihil aliud videbis poſſe intelligi. Quid, quòd hæret mori? Principibus enim, & Heroïbus bina ſemper dabantur, & duplicata munera; vt facilè elicies ex his, quæ dico ſeptima Æneide ad illud,

Abſenti Æneæ currum, geminóſque iugales.

Sed, ſi quis velit, poſſit, me coniectore, aliud ſuſpicari, vt Poëta vnum tantùm inſtrumentum intelligat. Præeunt ad hanc coniecturam verba Pollucis lib. 1. cap. 20. ad finem, τὰ ἑκατέρωθεν αὐτῶν ἐπὶ τὰς γνάθους καθήκοντα, χαλινοί. Quibus ait, fræna dici partes illas deſinentes vtrinque ad equorum maxillas. Ergo, cùm hæ partes duæ ſint, propriè Poëta, *bina fræna*, intelligens ab his partibus, notiſſimo tropo, totum illud inſtrumentum, quo equus compeſcitur, & ducitur in omnem partem. Vnum videlicet, vt ſic loquar, frænum, non duo. Etenim, cùm multæ ſint partes inſtrumenti huius, quas latè exhibet idem Pollux lib. 1. videlicet, μαστὸν, ψάλιον, χαλινὸν, ἡνίας, & plures alias; potuit Poëta recurrere ad partes illas vtrinque maxillis inhærentes. Sic lib. 7. à parte alia, quæ ori equi inſeritur, totum inſtrumentum intellexit, eo verſu, *fuluum mandunt ſub dentibus aurum.*

Fræna duo de vnico tantùm inſtrumento.

16. Aurea.] Poëtarum loca, qui equos ornant aureis, argenteiſque, illuſtrat Baſilius in Orat. πρὸς πλουτοῦντας, etiamſi reprehendens. Χαλινοὶ, καὶ ζῶναι, καὶ περιδέραια, πάντα ἀργυρᾶ, πάντα χρυσόπαστα, τάπητες ἁλουργεῖς κοσμοῦντες τοὺς ἵππους ὥσπερ νυμφίους: *Fræna, zonæ, frontalia, argentea omnia, atque aurea, tapetia purpurea equos ornantia, non aliter atque ſponſos.* Apul. lib. 10. *Me phaleris aureis, & fucatis ephipiis, & purpureis tapetis, & frænis argenteis, & pictilibus baltheis, & tintinnabulis perargutis exornatum.* Par ſplendor in iſtis Appiani in Mithrid. καὶ ἵππων χαλινοὶ, καὶ προστερνίδια, καὶ ἐπωμίδια παραπλησίως διάλιθα, καὶ κατάχρυσα: *Equorum fræna, pectoralia, tergoralia, omnia pariter gemmis ornata, & aurea.*

Equorum ornatus.

17. Crastina.] Ad hoc exemplum Claud. lib. 1. Rapt.

Locorum ſimilitudo.

Craſtina puniceos cùm Sol detexerit ortus.

Virg. iterum in 12.

——cùm primùm craſtina cœlo
Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit.

18. Auxilio.] Habetur hic verſus etiã lib. 1. Æneid.

19. Opibusque iuvabo.] Seru. *id eſt, militibus. Opes antiqui vocabant milites.* Non abit, dici à Polluce lib. 1. ςρατιώτας χρησίμους; nam quamuis explices, *milites vtiles*, ſed certè χρήσιμοι dicuntur ἀπὸ τῶν χρημάτων. Suidas ex Eunapio, τὸ χρῆμα dixit de exercitu: iterum Virg. in hoc lib. *opulenta caſtra*; quod non de opibus: nam *tunc res inopes Euandris habebat.*

Opes dicebantur milites.

20. Annva.] Sunt hæc, quæ aliis *anniuerſaria*, quæ Thucyd. ϑυσίαι ἐτήσιοι. Videant, qui iam ſcribunt *ſolemnis* (& ego vnus horum ſum) & non *ſolennis*, an vertere debeant ſtilum. Nam Virg. quæ hîc *annua*, ſuprà, *ſolemnem honorem.* Video poſſe eſſe effugium.

Solemnis ſcribendum, an ſolennis?

21. Qvæ differre nefas.] Non dubium, quin alludat ad ſacrorum ritus, quæ, ne nuntiato quidem hoſtium aduentu repentino, interpellari poterant, cauente ſic Numa. Inde ſup. *audax quæ rumpere Pallas Sacra vetat.* Quem locum vide, & quæ iam lib. 3.

Sacra non interrumpenda.

22. Celebrate faventes.] Vult ſibi à Troianis εὐφημεῖν. Notetur obiter locus Plutar. de gloria Athenienſ. vbi ait, hoc verbum proprium eſſe Poëtarum.

Fauentia vox propria Poëtarum.

23. Sociorvm assvescite mensis.] Nihil magis ad ſocietates coniungendas validum, quàm eorundem ſacrorum participatio: ideo inuitat ad eaſdem ſacrorum epulas, vt firmetur ſocietas. Alludit quippe ad δοχὰς, καὶ ὑποδοχὰς, καὶ ξένια συμπόσια, ſiue, vt Pindarus vocat, ξενίας τραπέζας. Quintil. Declam. 301. dixit *menſæ ſocietatem.*

Societas à rebus ſacris.

[a] Hæc vbi dicta, dapes iubet, & ſublata reponi
Pocula, gramineóque viros locat ipſe ſedili.
[b] Præcipuúmque toro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolióque inuitat acerno.
[c] Tum lecti iuuenes certatim, aræq; Sacerdos

Viſcera toſta ferunt taurorum, onerántque caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchúmque miniſtrant.
[d] Veſcitur Æneas, ſimul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.

ARGVMENTVM.

Reponuntur dapes & pocula, fit ſeſſio ad epulas, Æneas præ aliis honeſtatur loco, & cibo.

EXPLICATIO.

[a] REDIT ad inchoata ſacra. Turbata fuerant omnia aduentu Troianorum, præceſſit quippe,

Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis
Conſurgunt menſis.———

Ergo ſublato iam terrore, dapes quoque, quæ ſublatæ fuerant (hoc κατὰ σιωπώμενον) & pocula reponuntur. Et Euander nemini præcipiens, ſed *ipſe* humanitatis, & hoſpitalitatis iura adimplens *locat* hoſpites in ſediblibus herbidis & gramineis.

[b] Æneas reliquorum Princeps (nam *præcipuus* hîc Princeps eſt) honeſtandus erat loco. Itaque cùm alij in ſedilibus herbidis, ipſe inuitatur *ſolio acerno*; hoc quippe toro accipitur. Subſternitur verò pellis leonis, vt Heroëm decebat.

[c] Sederat iam vulgus, & Principes, ac ſtatim ad epulas diſcurritur. Adſunt *iuuenes* miniſtraturi, & hi *lecti* ex more: adeſt etiam *Sacerdos aræ Herculeæ.* Sed quæ fercula? Duo tantùm, videlicet *taurorum viſcera, dona Cereris*, id eſt, panis: vinum præterea. Fiunt hæc *certatim* ad indicandum ſtudium.

[d] Explico hos duos verſus, vt nemo priùs. Æneas veſcitur, & Troiani reliqui, ſed cum diſcrimine. Nam ille *perpetui tergo bouis*, iſti *luſtralibus extis.* Hæc profectò mens Virgilij. Non ſcitè, qui confundunt.

NOTÆ.

Dapes de Diis.

1. DAPES.] Propriè, vt notatum Seruio: *Dapes epulæ Deorum propriæ, vt Iouis cœna.* Feſtus. *Daps apud antiquos dicebatur res diuina.* Inde notante eodem *dapicè*, pro magnificè; & *dapicum*, amplum, & magnificum: nam quæ Deorum ſunt, magnifica ſunt. Addit idem δαὶς apud Græcos eiuſdem eſſe poteſtatis, vnde *daps* Latina vox. Illuſtro Feſtum ab Polluce, qui lib. 6. δορπία, ἡ πρώτη τῶν Ἀπατουρίων, προσήκει δ' ἂν αὐτοῖς καὶ δαὶς, ἀφ' ἧς καὶ δαιτυμών: *Dorpia, dies prima ſacrorum Apaturiorum, quibus conuenit* δαὶς, *vnde* δαιτυμών. Vides, vt conuiuium ſacrorum dicat δαῖτα, & conuiuatorem illorum δαιτυμόνα. Scio aliter capi poſſe Pollucem: ſed quæ dixi, abſurda non ſunt.

Daptice, pro magnificè.

Dorpia. Apaturia ſacra.

Pocula in menſis olim, non in abacis.

2. REPONI.] Videtur hac voce indicari mos veterum. Apparet enim, pocula ſolita apponi interdum, non in abacis, ſed in ipſis menſis, neque porrigi ſemper à miniſtris, ad eum modum, quem nunc in vſu habent religioſi cœtus. Eundem morem clarè attigit 4. Georg.

Pars epulis onerant menſas, & plena reponunt
Pocula.———

Athen. lib. 4. de cœna Cleopatr. ἦν δ' ἠγεμόσιν ἰδ' ὧ

A ἑκάστῳ καθ' ἣν κατέκειτο κλίνην, καὶ τὰ κυλίκια, καθὼς ἦν ἑκάστῳ μεμερισμένα, ἐπέτρεψεν ἀποφέρειν: *Dedit ſingulis ducibus lectum, in quo accubuerant; & pocula, vt in menſas diuiſa fuerant, ſecum auferri permiſit ſingulis* Ciaconius in lib. de Tricl. hæc verba Plutarcho attribuit, ſed ἁμάρτημα μνημονικὸν nihil lædit doctum virum. Redeo. Allucet quoque is mos ex Sueton. in Claud. *Conuiuæ, qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, reuocato in diem poſterum, calicem fictilem appoſuit.* His morem hunc firmat Ciacon. Adiungo Plutarch. in vita Anton. eo loci, quo filius Antonij donat Philotæ cuipiam medico menſam conuiuialem, πολλῶν ἰδεῖν καὶ μεγάλων ἐκπωμάτων μεστὴν, *plenam multis & magnis poculis.* Pocula ergo in menſa. Et verba Sidonij epiſt. 2. lib. 1. vbi loquens de conuiuiis Theodorici Regis: *Si in conuiuium venitur diebus profeſtis, ſimile priuato eſt,* B *non ibi impolitam congeriem liuentis argenti menſis cedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit.* Negans ſcilicet rem, morem aperit. Eſt enim ſententia, ſolere menſas premi onere argenti, & cedere, ac vexari.

3. GRAMINEO SEDILI.] Suppetente quippe hanc materiam agro ipſo. Sed notetur curſim, apud Græcos adhuc in ipſis tectis epulatum in gramine & herbis; nam videlicet aulæ ipſæ ſub dio erant. Quod ex Homer. Athen. notat lib. 3. & 5. Vates enim de Peleo, αὐλῆς ἐν χόρτῳ ἔχε δὲ χρύσειον ἄλεισον: *Tenebat aureum poculum aulæ in gramine.* Propriè χόρτος fœnum eſt. Sed & hunc morem Strabo ſuppetit loquens de Gallis. καθεζόμενοι δὲ δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι: *ſedentes cibum capiunt in ſtramentis frondeis.* Pollux quoque inter loca, in quibus fit accubitus στιβάδας nominat. Ab C Nonno lib. 14. Bacchus inducitur conuiuium exhibens ſuis militibus ἐν ἄλσεσι, *in lucis.* Sed hoc non cogit. Poterant enim menſæ excitari inter arbores; tantùm inclinat. Sidonius epiſt. 11. lib. 1. ſtibadium adhibet in conuiuio Imperatoris. Eius verba: *tantúmque remoratus, quantùm ſtibadij circulum celerantia miniſteria percurrunt cubitum toro reddidi.* vbi præclarè *circulum* nam ſtibadia habebant formam penè Græci ſigmatis: meliùs ſemiſectæ Lunæ. Notent obiter quoque noſtri erudituli morem alium, quo, qui triſtem habitum ſibi inducebant, decumbebant ἐν στιβάδι, ad permouendos aliorum animos, tanquam ſibi agreſtem vitam delegiſſent. Talem Plutarch. exhibet Cleopatram, quæ ad ceteras doloris notas, vt ſpectaretur ab Auguſto, mortuo iam Antonio, hanc D quoque adiecit. Verba Scriptoris. ἡ δ' ἔτυχε μὲν ἐν στιβάδι κατακειμένη ταπεινῶς: *Iacebat perquàm ſordidè in ſtibadio.*

Stibadia.

Triſtabundi in ſtibadiis.

4. SEDILI.] Repete, quæ lib. 7. ad illud,

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

Vbi indicatus mos vetus de ſeſſione in menſis, non accubitu. Et lib. 2. Epigram. cap. in Glutones, mentio fit cuiuſdam, qui epulabatur καθίζων. Hîc tantū Macrobij nota neceſſaria, qui ait lib. 3. cap. 6. non vacare vocem *ſedili*; nam propria obſeruatione cautum erat, in Herculis ſacris epulari ſedentes. Adducítque Cornelium Balbum ἐξηγητικῶν lib. 18. ita ſcribentem: *Apud aram Maximam obſeruatum, ne lectiſternium fiat.* Eſt autem *ara Maxima*, Herculea, de qua poſtea.

Seſſio in epulis Herculis.

5. PRÆ

Côuiuantiû mos in sessione.

5. PRÆCIPVVM, &c.] In conuiuiis cùm multis rebus honor spectaretur, tum maximè in sede, qua quis accipiebatur. Attigit hoc Athen. lib. 1. agens de conuiuiis Homericis. Σαρπηδὼν δ' ἑδρῃ Λυκίων τοῖς αὐτοῖς τιμᾶται, καὶ ἕδρῃ, καὶ κρέασιν: *Sarpedon à Lyciis afficitur iisdem honoribus, & sede, & carnibus.* Telemachus lib. 1. Odyss. excipiens Mineruam conuiuio, αὐτὴν δ' ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων: *ipsam in throno collocauit:* & addit, lectum illi appositum ἔκτοθεν ἄλλων μνηστήρων, *seorsum ab aliis procis.* Valer. 1. Arg.

Paretur: molli iuuenes funduntur in alga,
Conspicuúsque toris Tirynthius.———

Annibal à Capuanis excipitur simili honore. Silius lib. 11.

Instituunt de more epulas, festámque per vrbem
Regifice extructis celebrant conuiuia mensis.
Ipse Deûm cultu, & sacro dignatus honore.
Præcipuis, multóque procul splendentibus ostro,
Accipitur sublime toris.———

Vt verò in re conuiuij dixit Virg. *precipuum toro*, ita Tacit. 12. Annal. *præcipuum honore*, in re eadem: *Sciscitanti causam, apud Cæcinam Thuscum epulari multos, præcipuum honore Iunium Blæsum nuntiatur.* Vidisti etiam in Sil. *præcipuis toris.* Græci agnoscunt ius προεδρίας. In his Aristophan. in Equitib. Νῦν δ' ἐὰν μὴ προεδρίαν εἴπωσι, καὶ τὰ σιτία: *Nunc si præbeant proëdrian, & cibos,* id est, locum principem.

Sessionis ius [illegible]

6. TORO.] Propriè; nam Latinus *torus* respondet Græcorum στιβάς, quæ vox signat stramenta frondea, & graminea. Sumi autem solent epulæ super stibadibus, vt, non longè hinc, dicebam. In lib. 7. Anthol.

Tori in [illegible] Stibadia in [illegible]

———πολὺ δ' ἄστεος ἐκτὸς ἰοῦσαν,
Εὐνῇ κεκλιμένην εἶδον ἐν στιβάδι:
———*ad conuiuium cùm irem,*
Vidi illam communi accumbentem in stibade.

Pelliû vsus apud Heroas.

7. VILLOSI PELLE LEONIS.] Magnus vsus pellium in æuo Heroum ad tentoria, epulas, tegmina armorum, rem omnem sacram. Horum omnium facile esset complere paginas. Fortasse in his omnibus respectum ad fabulam Iouis, qui pugnans contra Titanas, pro scuto habuit pellem capræ, Græci αἰγίδα dicunt. Inde omnes Heroës vsi pellibus in re omni. Sed puto verius, hæc omnia sapere antiquitatem. Quippe homines primùm nati, exigente necessitate, vtebantur pellibus, quia nullus tunc alius vestitus. Quod & Lucret. notat lib. 5. Assuescebant enim

Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Et Arnob. lib. 2. *Quòd corticibus contegi, & amiciri desierim pellibus, postquam vestis excogitata est textilis.* Inde Gotthi, qui nati in loco horrido, & inculto, & rebus necessariis carente, dicuntur ab Scriptoribus *pelliti.* Itaque, quemadmodum glandes habebantur in religione, ob memoriam prisci victus; ita pelles ob memoriam prisci vestitus. Et quidem Afros, propter penuriam, semper solitos decumbere ἐν αἰγείοισι δέρμασι, *in pellibus caprarum*, Hippocrates scribit libello de Morbo Sacro. Natum hoc etiam est ex opinione veterum, qui putabant, vt auctor est Xenoph. apud Stobæum [illegible] pueros ἱματίοις διαθρύπτεσθαι, *vestibus eneruari.* Videlicet vestibus laneis: ac propterea illos δερμάτων δι' ἔτης προσεθίζεσθαι, *pellibus per annum assuefaciendos.* Quin & Agesilaus Lacedæmonius iam Princeps factus cubat ἐπὶ τῆς κωδίου apud Plutarch. Sidonius in Paneg. laudis loco dixit, *pelliti Principis:* & alius Senatores vocat *pellitos Patres.* Quis nescit historias Caligulæ, & Commodi? Vterque sibi Herculis nomen assumpsit, & indui voluit λεοντῇ ad maiestatem & venerationem. Interpres Apollonij in lib. 1. [illegible] φορεῖν. Prosper Aquitanicus de Prouidentia satis explicat, quo in pretio habitæ pelles apud Barbaros. Illius versus sunt.

Gothi [illegible] Puerorum nutriendorû vsus.

Leonis pellis ad venerationé.

Quòd si forte lupos, lyncésque, vrsósque creatos
Displicet: ad Scythiæ proceres, Regésque Getarum
Respice, queis ostro contempto, & vellere Serum
Eximius decor est tergis horrere ferarum.

Inde Annibal apud Silium lib. 17.

———*iam membra cubili*
Erigit, & fului circumdat pelle leonis.

Proci Penelopes apud Hom. lib. 1. Odyss. inducuntur ἥμενοι ἐν ῥινοῖσι βοῶν: *sedentes in pellibus boum.* Nonnus lib. 24.

Δέρμασιν αἰγείοισιν ἐπεστορέσαντο χαμεύνην:
Caprinis in pellibus sternebant lectum.

Parco innumeris. Ceterùm, vt hîc *villosi pelle leonis*, ita Sil. æmulans lib. 16.

Villosû de leonina.

Aurifero perfusa Tago villosa leonis
Terga feri.———

Leonina Herculis.

8. LEONIS.] Cùm alij Poëtæ suis Heroibus attribuant λεοντῆν, nemo congruentiùs Marone (vidit hoc Seru.) nam in celebritate Herculis.

9. SOLIOQVE INVITAT ACERNO.] Hanc tibi notam Germane adscribo. Ducta mens Poëtæ ab æuo Heroüm, in quo Reges ὀόσσυσι, hoc est, *ligneo solio* vtebantur. Congruit hoc cum superiore Nota de vestitu Heroum. Itaque Apollon. lib. 2.

Ligneû soliû apud veteres.

Αὐτὰρ ὁ ἐν ὑψίσῳ βασιλεὺς μόσσυνι θαάσσων
Ἰθείας πολλοῖσι δίκας λαοῖσι δικάζει.
Porrò in altissimo ligneo solio Rex sedens
Æqua multis iura populis dictitat.

Interpres malè μόσσυνα reddit *domum*, cùm debeat, *suggestum, solium, tribunal ligneum.* Hunc igitur morem cursim, & quantû licet Poëtæ, Virg. adumbrat. Inde Homerum explico Iliad. 8. & 12. vbi Diomedes, & Sarpedon honestantur in conuiuio ἕδρῃ. Quod hoc sedimen, nisi ligneum, quod Virg. celebrat? Ab Homero accepit Plato lib. 5. Polit. vbi ait, viros bonos honestandos, cùm aliis, tum in conuiuio ἕδραις.

Sessio honestior in conuiuio.

10. LECTI IVVENES.] Fusè hoc libro primo. Æneid.

Conuiuia in sacris.

11. SACERDOS.] Aliqui ex Pinariis. Vide infrà. Veteres sua conuiuia in sacris numerabant, inde Sacerdos in conuiuio. Apud Athen. lib. 5. infertur ἱερεὺς Διονύσου. Hoc alibi.

Viscera olim in pretio conuiuiorum.

12. VISCERA.] Hæc pars animalium in præcipuo honore fuit in conuiuiis veterum. Lege Athen. lib. 3. vbi huius rei multa argumenta. Data enim viscera, intestina, omasum: quæque his annecti solent, pedes, crura, capita, linguæ, rostra animalium, & acrocolia quædam. Nihil fortasse in Plauto hac re frequentius: non ita in Aristophane; sed magna tamen mentio. Valer. 2. Arg. in conuiuio Heroum,

———*sacris dum vincitur extis*
Prima fames.———

Qui scribunt historias Hispanicas, referunt ad veteres Græcos morem, quem Gotthi ab illis arreptum ad nos transtulerunt; videlicet abstinendi Sabbathis à carnibus reliquis, & vescendi intestinis tantùm, & extremis animalium partibus. Vide Ioannem Marianam lib. 11. cap. 14. ad finem.

Sabbatho cur Hispani abstineant à carnibus, nô à visceribus.

13. TOSTA.] Nihil tu frustra Maro, qui in sacro Herculis tostas carnes exhibes. Athen. lib. 14. ὀπτὰ κρέα καλεῖσθαι φλογίδας. Στράττις γοῦν ἐν Καλλιππίδῃ ἐπὶ τοῦ ἡρακλέους φησίν: αὐλίκα δ' ἤρπασε λιμάχη, θερμάς τε κάπρου φλογίδας: *Assatæ carnes vocantur phlogides*

Tosta in sacro Herculis.

gides. Strattis ergo in Callipide de Hercule sic scribit: sta tim frusta vas ut, atque apri calidas phlogidas. Theocrit. etiam *id.* 24. pari voluptate ait, amari ab Hercule spolium leonis, & assas carnes. Verba eius.

Δέρμα λεόντειον μάλα οἱ κεχαρισμένον αὐτῷ.
Δεῖπνον δὲ κρέα τ' ὀπτά.———
Exuuium leonis valde gratum illi,
Cœna autem assæ carnes.———

Assæ carnes in cœna Herculis.

Apud Philostrat. 2. Icon. in Thiodamante, Hercules ipse ἀπανθρακίζει τὸν βοῦν, *super prunis bouem assat.* Apud Val. 1. Arg. in conuiuio, in quo ipse Hercules, ministri afferunt exta *rapta verubus.* Hæc de sacris Herculis. Nam in genere de aliis Heroibus, quibus in honore assæ carnes, iam ego alibi. Hîc adducio, adhuc ab ipsis Romanis in eodem pretio haberi, quod ex Plut. satis colligas variis in locis, tum in Antonio, vbi loquens de illius immoderatis epulis, πτανῶν nominat, & τοὺς ἀγρίους ὀπτωμένους. Qui mos ad Romanos à Græcis. Nam Pausan. Attic. μηροὺς καιομένους inducit *tosta femora*, loquens quæpiam de Græcorum ritibus.

Assa in pretio apud Romanos.

14. FERVNT.] Verbum conuiuiale, & hac doctrina sæpe illatum Maroni hîc, & 4. Georg. & 1. ac 5. Æneid. In Græcis vidi φέρω, εἰσφέρω, εἰσκομίζω. Athen. lib. 3. φέρεται τρέγημα, Xenoph. 7. Anab. τρίποδες εἰσηνέχθησαν πᾶσιν κρεῶν μεστοί. Ath. 3. εἰσεκομίσθη πέταλα.

Fero, verbũ conuiuiale.

15. TAVRORVM.] Doctè: nam Liu. vbi sacrum hoc commemorat lib. 1. mactatam ait fuisse eximiam bouem captam de reliquo grege. Causa huius moris peti potest ab ipso Hercule, qui dictus βουφάγος, & βουθοίνας, quia deuorator boum. Philostrat lib. 2. Imag. ἀλλὰ τὸ δράσας ὀργίζεται τῷ Ἡρακλεῖ ὁ Θειοδάμας, ὅτι ἀροῦντι αὐτῷ ἐπιστὰς, ἀπέσφαξε τὸν ἕτερον τοῖν βοῖν, καὶ σιτεῖται, σφόδρα εἰθὰς ὢν τῷ τοιούτῳ σιτίῳ: *Herculi Thiodamas irascitur, quòd aranti assistens bouem alterum iugulat, atque epulatur, huiusmodi cibo admodùm assuetus.* Et postea adducit Pindarum, qui scribit, Herculem comedisse bouem integrum; atque ita, vt, ne ossa quidem omiserit. Nazianzenus etiam Orat. 3. non longè à fine. ὁ βουθοίνας, ὁ τὸν γεωργὸν τυραννήσας, καὶ τὸν ἀροτῆρα βοῦν λαφύξας, καὶ τὸ κλέος λαβὼν ἐκ τοῦ σφάξαι: *Buthœnas, qui agricolæ vim attulit, & bouem aratorem vorauit, cognoménque ex hoc facto accepit.* Lib. etiam 4. Epig. leges βουθοίναν Ἡρακλέα. & de eodem lib. 1. βουφάγος. Eurip. etiam in Alcest. loquens de sacris Herculis dicit, instituta sacra in honorem eius βουθύτοισι προστροπαῖς, *supplicationibus boum.*

Hercules dictus Buphagus, & Buthœnas.

Buthœnas Hercules.

16. ONERANT.] Est hoc, quod infrà, *cumulant.* Plaut. per verbum *augeo* in Mercat.

Onero, cumulo, augeo de mensis.

Aliquid cedo, qui hanc vicini nostri aram augeam.

17. DONA.] Sic in re quoque frumentacea Græci, præsertim cum mentione Cereris. Isocr. Pang. loquens de hac Dea ait, dedisse illam mortalibus δωρεὰς διττὰς, *duplex donum,* nimirum καρπούς, καὶ τελετήν, *fruges, & initiationem.*

Donum in re frumentacea.

18. LABORATÆ.] Ita Græci πεπονημένον in rebus simillimis. Firmat testimoniis Germ.

19. BACCHVM.] Cautè: non pocula; nam hæc reposita iam in mensis: tantùm ergo illatum vinum.

20. MINISTRANT.] Respondet huic διακονία. Anacr. αἶθε μοι διακονίτω. Athen. lib. 4. διακόνων ἄνδρες μαχαιροφόροι. Pari consecutione eodem lib. ministrum mensarum vocat *diaconum.* Non abit acceptio Xenophon. qui 1. Memor. *diaconum* vocat ἀγοραστὴν, id est, *obsonatorem, emptorem.*

Ministro in conuiuiis.

Diaconus in conuiuiis.

21. PERPETVI TERGO BOVIS.] Dicit, appositum vni Æneæ (vide vt explicui) integrum tergum bouis. Hic enim Heroum honos in conuiuio. Athen. lib. 1. ἦσαν δὲ καὶ ἀρίστοις καὶ δαιταὶ τιμαί. Τυδείδης γὰρ καὶ κρέασι, καὶ πλείοις δεπάεσσι τιμᾶται: καὶ Αἴας νώτοισι διηνεκέσι γεραίρεται: *Sunt & optimatibus in conuiuio honores. Diomedes enim & carnibus, & plenis poculis honoratur: & Aiax honestatur longis tergoribus.* Alludit quippe in re Diomedis ad 8. Iliad. vbi is dicitur solitus coli à Græcis ἕδρῃ τε, κρέασιν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι, *sede, carnibus, plenis poculis.* In re autem Aiacis ad 7. Iliad. vbi Agamemnon,

Perpetuus bos, quid.

Principum honores in conuiuio.

Νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν.

Ergo, *perpetuum* Virgilij, & διηνεκὲς Homeri sibi respondent. Est enim διηνεκὲς *longum, continuum, porrectum.* Eodem modo explicandus Plato 5. Polit. nam & ipse ad Homeri locum contendit, cùm ait, viros principes honestandos κρέασιν, &c. Tractat & Homeri locum Dio Chrysost. Orat. 2. καὶ τὸν Αἴαντα μετὰ τὴν νίκην φιλοφρονεῖται τοῖς νώτοις: *Aiacem post victoriam accipit dorso bouis.* Allucet quidpiam ad hanc rem illud Eubuli apud eundem Athen. lib. 2. ἐσθίομεν κρέας βόειον, ἑφθὸν, ἀσόλεκτον, μέγα: *Vescerer bouina carne, cocta, pura, magna.* vbi vox magnitudinis eò inclinat. Notat etiam Eustathius in adductum Homeri locum, παρατίθεσθαι κρέα παρατίθεσθαι τοῖς ἐν ὑπεροχῇ, *apponendas carnes ex humeris victimarum his, qui præstant dignitate.* Confirmátque ex Herodoro, qui ait, Reges solitos in conuiuio, θυομένων τὰ δέρματα, καὶ τὰ νῶτα λαμβάνειν, καὶ πρώτους ἵζειν ἐν τοῖς δείπνοις, καὶ διπλάσια νέμειν αὐτοῖς τὰ πάντα: *accipere victimarum pelles, humeros, locum principem, dupla omnia in distributione.* Herodoti locum iuuenies lib. 6. Neque verò turbet nouitium Lectorem, integrum tergum bouis, quantus quantus ipse est bos, appositum: nam integros boues assari solitos satis docet Athen. Coqui etiam apud Plutar. integros apros assant ad cœnam Antonij. Quin hoc ad exemplum Herculis ipsius, qui apud Philost. 2. Imag. in Thiodamante, non iam tergus, sed σιτεῖται βοῦν ὅλον, ὡς μηδὲ τὰ ὀστέα παραλιπεῖν: *totum edit bouem, adeò vt, ne ossa quidem omittenda duxerit.* Quæ Virg. nominat *terga*, & Homerus νώτους, Aristoph. in Iren. ὀσφῦν, *lumbum.*

Homerus dati Principibus in conuiuio.

Boues integri assati.

Hercules totum edit bouem.

22. LVSTRALIBVS EXTIS.] Multi hîc mihi videntur φλυαρεῖν. Tantùm illos sequor, qui *exta lustralia* explicant, quæ lustrant, purgant, vt pars sacrorum. Itaque ἀφοσιοῦμαι illos, qui confugiunt ad bouem πενταέτηρον. *quinquennem.* Scio hunc bouem induci ab Hom. sed ad Virg. hoc nihil. Vt Virgilius, capiendus quoque Stat. 2. Theb.

Lustralia exta, quæ.

———*lustraliáque exta*
Lacte nouo perfusus edit Vulcanius ignis.

Neque enim placent, quæ ibi interpretes. Non omittenda Turnebi Nota, dici à Virg. *lustralia*, quæ ab Liu. loquente de hoc sacro *solemnia.* Neque Coluij scribentis in Apuleium, veteribus in vsu fuisse cibum, qui reliquus fuisset è sacrificio. Apul. ipse lib. 9. *Sacrificules epulas cum Sacerdotibus Deæ cœnitabat.* Horat. 2. Serm.

Solemne, & lustrale idẽ.

Sacrificales epulæ.

———*Vernásque procaces*
Pasco libatis dapibus.———

Tertull. de Spect. *Non sacrificamus, non parentamus: sed neque de sacrificato, & parentato edimus.* Vescitur ergo Æneas, & Troiani carnibus, quæ fuerant reliquæ è sacrificio.

a Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non hæc solemnia nobis,

Has

Has ex more dapes, hanc tanti Numinis aram,
Vana superstitio, veterúmve ignara Deorum
Imposuit. Sæuis, hospes Troiane, periclis
Seruati facimus, meritósque nouamus honores.
[b] Iam primùm saxis suspensam hanc aspice rupem,
Disiectæ procul vt moles, desertáque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxêre ruinam.
[c] Hîc spelunca fuit, vasto summota recessu,
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat,
Solis inaccessam radiis: sempérque recenti
Cæde tepebat humus, foribúsque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

A

ARGVMENTVM.

Post epulas aperit Rex sacri illius originem: incipit verò à notitia Caci, cuius describit speluncam, crudelitatem, genus.

B

EXPLICATIO.

[a] POSTQVAM satisfactum necessitati, en *exempta fames*: postquam voluptati, en *amor compressus* (placuit hoc Seruianum præ Donato) Euander incipit, & multus quidem, quo senectutis ἀδολεσχίαν intelligas, ad exemplum Homeri, qui ita in suo Nestore. Quid verò ait? solemnia illa, videlicet dapes & aram (sic explico, nam sic concinnius) ortum habere, non à superstitione, aut ignoratione Deorum sed ab grato animo, quo seruati sacra faciunt Herculi, & quotannis renouant. τὸ *imposuit*, tanquam onus.

C

[b] Vide, vt explicet ædificium laceratum, à rupe iam labante; nam hoc est, *suspensis saxis*: deinde à mole ruderum, quæ creuerant parte ædificij lapsa. Inde sequitur optimè *deserta domus montis*; quia, labante iam rupe, quis se illi domicilio crederet? & *ruina ingens scopuli*, propter disiectas moles ruderum. Itaque duo postrema ex duobus primis necessariò consequuntur. Ita solet Maro suas narrationes.

[c] Iam ad tria dilabitur; ad domicilium Caci, quod fuerat in spelunca, quæ latebat longo quodam recessu in rupe illa, erátque admodùm deformis, vt quæ nunquam adiretur radiis Solaribus: ad crudelitatem Caci qui semper recenti hominum cæde lætabatur, & scelus quidem ostentabundè admittebat, nam in foribus erant indicia crudelitatis, ora hominum affixa foribus, eáque pallida, vt mortuorum, & *tristi tabo* diffluentia: demum ad genus illius: nam filius Vulcani, inde ignes ex ore vomiti, & magna moles, qua se in omnem partem ferebat. Intellige hic per *molem magnam*, ignes, incendium, fumum, atram nebulam. Hæc enim omnia Cacum comitabantur, in quamcunque se partem commoueret.

D

NOTÆ.

1. POSTQVAM EXEMPTA FAMES, &c.] Quis ignorat Homericum illud? — Fames exempta.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

Sed ego hîc adiungam, vti alij. Eurip. in Ione δείπνων δ' ἕξιν λάβωσι. ibid. βορᾶς ψυχὴν ἐπλήρου. Calab.

Οἱ δ' ὅτε δὴ παύσαντο πότης, δαιτός τ' ἐρατεινῆς.

Ælian. 12. Var. Hist. cap. 1. μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς. Hippoc. lib. de flatib. βρῶσις παύει λιμόν, δίψαν ἔπαυσε πόσις. Hom. 11. Iliad. nouo flexu,

Αὐτὰρ ἐπεὶ τάρπημεν ἐδητύος, ἠδὲ ποτῆτος.

Et 19. Iliad. σίτοιο κορεσσάμενος, καὶ ἐδωδῆς. Non reddidi, quia clara. Athen. lib. 4. pulchrè, ἐπειδὴ δ' ἡμῶν ἡδέως ἀπηλλαγμένων τοῦ σωφρονεῖν: *cùm iam omnes suauiter alieni a temperantia essemus.* Quid Latini? Ouid. 4. Metamorph. *epulis functi.* Sil. lib. 11. *pulsa fames.* Valer. 2. Arg. *vincunt fames*: vt etiam Stat. 1. Theb. *victa fames.* & 2. Achill. *placata fames epulis.*

2. AMOR EDENDI.] A Lucret. lib. 6. *& amorem obiuret edendi.* Vterque ab Hom. qui ἐδητύος ἔρον. — Amor edendi.

3. REX EVANDRVS AIT.] Maluit hîc Græcum Εὔανδρος, quàm Latinum *Euander.* Et *ait*, scilicet post epulas; nam nulla narratio iucunda crepante ventre. Ita Hom. Odyss. 8. post versum illum, αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος, &c. sequitur, — Euandros Græca forma. Fames nihil fini esse iucundum.

Μοῦσ' ἄρ' ἀοιδὸν ἀνῆκεν ἀειδέμεναι κλέα ἀνδρῶν:
Musa iubet canere hinc illustria facta virorum.

Ceterùm ad imitationem Maronis Stat. 1. Theb. inducit Adrastum narrantem hospitibus Polynici, & Tydeo originem sacri Apollinei. Lege ab eo loco, — Locorum similitudo.

Forsitan, ô iuuenes, quæ sint ea sacra, quibúsque
Præcipuum causis Phœbi obtestemur honorem.
Rex ait, &c.——

4. TANTI NVMINIS.] Hæc ἀξίωσις respicit Herculis fortitudinem. hæc enim virtus in illo præ aliis spectanda, ideo *tantum Numen.* inde postea *seruati*, vt de militari Deo. Quis enim ignorat, *seruari in bello*, quid sit? vt & Græcis ζωγρεῖν. Ego verò, si iuuarent codices, libenter legerem, *hanc tanti nominis aram.* Quia hæc ara dicta *Maxima*, & ideo *tantum nomen.* — Lectio Virgiliana.

5. VANA

Superstitio filia superbiæ. 5. VANA SVPERSTITIO.] Præclarè *vana*, nam omnis superstitio superba est. Stob. ex Socrate Serm. 22. ἡ δεισιδαιμονία καθάπερ πατρὶ τῷ τύφῳ πείθεται: *superstitio superbiæ paret, vt parenti.*

Hercules Seruator. 6. SERVATI.] Quasi agnoscat Herculem Deum SERVATOREM, non minùs ac Iuppiter dictus est SERVATOR peculari eponymia. Ergo, quia Seruator aliorum Hercules, ideo Deus: nam sacra hæc instituta tantùm ex memoria beneficij accepti. Vide, quæ ego 1. Eclog. ad illud,

Namque erit ille mihi semper Deus.

Hercules ipse lib. 4. Anthol. ait, natum se esse σώζειν ἀγαθοὺς ἐξ ἀχέων, *ad seruandos bonos ex doloribus.* Quia

Alexicacos Hercules. videlicet vnus fuit ex numero Deorum ἀλεξικάκων: & illum dictum ab Coïs Ἀλέξιν Aristid. scribit.

Suspensa rupes. 7. SVSPENSAM RVPEM.] De Anagnia Silius lib. 12. *Surgit suspensa trementi dorso.* Et Statius secundo Sylu.

Littus & in terras scopulis pendentibus exit.

8. TRAXERE RVINAM.] Plutarch. in Ant. verbo κατηνέχθη. Has moles ὄγκους appellat Aristid.

Locorum similitudo. 9. HIC SPELVNCA FVIT.] Totum hunc locum adumbrat Valer. lib. 4. Lege ab eo loco,

Littore in extremo spelunca apparuit ingens
Arboribus super, & dorso contecta minanti.

Nec non Silius cùm scribit lib. 6.

Intus dira domus, curuóque immanis in antro
Sub terras specus, & tristes sine luce tenebræ.

Spelũca Caci. Ouid. de hoc ipso Caci antro 1. Fast.

Proque domo longis spelunca recessibus ingens
Abdita, vix ipsis inuenienda feris.

Liuius quoque *speluncam* vocat hanc domum Caci, Dionys. ἄντρον, & δίαιταν.

Summoueri recessu. 10. VASTO SVMMOTA RECESSV.] Vti Manil. lib. 1. Virgilium imitans dixit de astris *longo summota recessu*; sic tu poteris de te quauis longinqua: vt de maris longitudine, de orbis distantia, de cœli capacitate, de temporis interuallo. Neque hoc solùm, sed quicquid Græci per ἐξαλλάξεις, διαστήματα, ἀναχωρήματα, ἀποχωρήσεις: demum hiatus omnes terrarum. Ista enim omnia dicentur poëticè *summoueri recessu.*

Fugiens locus, id est, summotus. Eleganter dictum à Propert. Eleg. 6. lib. 4. *fugiens portus* ad signandum hunc recessum: & Eleg. 10. eiusdem lib.

Et si quà extremis tellus se subtrahit oris.

Caci feritas. 11. SEMIHOMINIS.] Id est, semiferi. Nam infrà, *villosáque setis pectora semiferi.* Sed poëticè ista; nam Liu. tantùm, *pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus.* Ab Martiali Cacus, *syluarúmque terror.* Ab Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Incola Cacus erat metuendo raptor ab antro.

Martialis procul ab Ouid. qui 1. Fast.

Cacus Auentinæ timor, atque infamia syluæ.

Porrò hæc vocum compositio trita est. Notandus versiculus ille Nasonis,

Semibouémque virum, semiuirúmque bouem.

De quo vide, quæ scribit Sen. Rhet. Declam. 2.

12. CACI.] A peruersitate morum ita dictus, quasi κακός. Aliquis detorqueat nomen ad vnam

Fures mali. furacitatem. Nam fures & Latinè *mali* dici queunt, & Græcè κακοί. Et quidem *statuam Maleuoli Mercurij*,

Maleuoli Mercurij statua. de qua Festus loquitur, de furacitate possum accipere; nam Mercurius Deus latronum. Hoc profectò commodius, quàm quæ Festus, *quòd in nullius tabernam spectet.* Volo etiam notet Lector, Virgilium furantis Caci historiam adduxisse ex peruagata opinione, quam lib. 7. Leg. attingit Plato de Italia furtis & latrocinijs obnoxia. Verba Philosophi: καὶ ἔτι

A τῶν λεγομένων ἀδικιῶν, τῶν περὶ τὴν Ἰταλίαν γιγνομένων, ὧν τὰ πολλὰ κλοπῶν ἐγγέγονε καὶ ληστειῶν: *prætereum* quoque *furta, & latrocinia, quæ maximè in Italia abundant, hinc oriuntur.* Quæ ego verba contra te ô Maro. Italia latr. Hæc si de tuis Italis animaduerteres, non Hispanos *impacatos* diceres ob latrocinia. Et quidem περὶ τὴν γῆν, pro, ἐν τῇ γῇ dici Græce certissimum est. Ne quis dicat, notari à Platone, non Italiam, sed loca alia, quæ circum illam. Et quidem rem Platonis probant hodie Italici Asasini.

13. SOLIS INACCESSAM RADIIS.] Est hoc, quod Inaccessum. Hom. 5. Odyss.

——οὐδέ ποτ' αὐτὸν Ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν.

Nonnus lib. 31. ad verbum, ἀνήλιον.

B 14. SEMPERQVE RECENTI CÆDE, &c.] De antro Amyci paria Valer. lib. 4. Amyci crudelitas.

Infelix domus, & sonitu tremebunda profundi,
Et varij pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, strictóque immortua cæstu,
Ossáque tetra situ, & capitum mœstissimus ordo.

Essent hæc pulcherrima, si abesset Virg. Nam quid tu conferas cum istis?

——*sempérque recenti*
Cæde tepebat humus, foribúsque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.

Attigit nonnihil Sil. lib. 6. *semesa iacebant ossa solo informi.* A Virgilio Ouidius 1. Fast. de Caco, Caci crudelitas.

Ora super postes, affixáque brachia pendent,
Squallidáque humanis ossibus albet humus.

Stat. 2. Sylu. *atráque Caci Rura.* Non hinc abit descri-

C ptio domus Tyrannidis apud Dionem Chrysost. Orat. 1. de Regno; nam vix omnes ad eius Regiam Tyrannidis domus. πεφυρμένας αἵματι, καὶ μεστὰς νεκρῶν: *conspersa sanguine, & plena mortuorum:* &, δέρματα ἱερείων κρεμάμενα: *pelles victimarum pendentes.* Neque strages, quam leo facit post satiatam famem, apud Claud. de Bell. Gildon. Leonis strages. vbi inter alia,

——*pecudum strages, passímque iuuenci*
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabo,
Sparsáque sanguineis pastorum funera campis.

Neque ista Statij lib. 1. Theb.

——*& nunc inhumata procorum*
Relliquiis trunca ora rigent.——

Præclarè idem 2. Theb. loquens de Sphinge, *Monstrat* Sphinx. *sylua nefas.* Nonnus etiam vagatur simili conquestio-

D ne & affectu lib. 20. Dionys. describens Lycurgi domum, qui hospites mactabat, hunc in modum,

——φονίοιο παρὰ προπύλαια Λυκούργου
Ἄκρα ποδῶν, καὶ χεῖρες ἐπηώρηντο φονήων
——*homicidæ ad vestibula Lycurgi*
Extrema pedum, & manus pendebant occisorum.

Nec non Eurip. in Taur. vbi multa de mactatis hospitibus, & omnia παθητικά: vt cùm ait: περὶ κίονας ναοῦ αἷμα βρότειον: *humanus sanguis ad columnas templorum.* & in Alcestid. vbi sermo est de Diomede pascente equos humano sanguine. Diomedes equos humano sanguine pascit

Φάτνας ἰδοις ἂν αἵμασιν πεφυρμένας:
Videbis præsepia conspersa sanguine.

E Excitat & hinc affectus Opp. 2. Cyn.

——κατὰ δὲ χθονὶ πολλὰ κέχυνται
Λείψανα ἀσπαίροντα καὶ ἀσπαίροντα φόνοισι:
——*humi verò multa iacent effusæ*
Reliquiæ spirantes, & palpitantes cædibus,

15. PENDEBANT PALLIDA TABO.] Ab hoc diro spectaculo Propert. Eleg. 10. lib. 4. vocat domum Caci, *antrum metuendum.* Caci domus metuenda.

16. HVIC MONSTRO VVLCANVS, &c.] Quæ numerosè Virg. solutè Plutarch. ἐν τῷ ἐρωτ. τὸν μὲν γὰρ Ἥφαιστον οἱ δὲ Ῥωμαῖοι κάκον ἱστοροῦσι, πῦρ, καὶ φλογὰς ἀφιέναι Vulcanus pater Caci.

ἄθλιαι διὰ τοῦ στόματος ἔξω ῥιπίζει. Non opus versore, lecto Virgilio. Ouid.

Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande, pater monstri Mulciber huius erat.

17. ILLIVS ATROS ORE VOMENS IGNES.] Quippe filius Vulcani flammas paternas eiectabat.

A Geminus itaque huic loco locus Nonni lib. 29. vbi de duobus Vulcani filiis ita ait.

Ἡφαίστου δὲ τοκῆος ἐρευγομένου πυρὸς ἀτμῷ
Συγγενέας σπινθῆρας ἀκοντίζεσκον ὀπωπαί:
Vulcani verò patris eructantis flammas ignis vapore
Cognatas scintillas eiaculabantur oculi.

Locorum similitudo.

^a Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, aduentúmque Dei: nam Maximus vltor
Tergemini nece Geryonis, spoliísque superbus
Alcides aderat: taurósque hâc victor agebat
Ingentes, vallémque boues, amnémque tenebant.
^b At furiis Caci mens effera, ne quid inausum,
Aut intentatum sceleríſve, dolíve fuisset;
Quattuor à stabulis præstanti corpore tauros
Auertit, totidem forma superante iuuencas.
^c Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versísque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.

ARGVMENTVM.

Aduentus Herculis in ea loca, Caci furtum, & dolus.

EXPLICATIO.

^a SICVT multis aliis, ita *& nobis* saluti fuit Hercules, & maiore incremento; nam *optantibus*. Itaque aduenit, & cum auxilio. Est in Poëta hysteron proteron. Accessit verò ad nos plenus gloriarum; nam post mortem Geryonis, & cum spoliis, & signatè *aderat*, vt qui ad auxilium. Sed quæ spolia? *Agebat tauros*, eósque *præstantes*, quos huic valli, & littori pascendos dedit.

^b Sed furiæ Caci, & feritas nihil habuit inausum, nihil intentatum in scelere, & dolis. Probat hoc à furto, quo inuasit Herculis tauros, & vaccas. Itaque abduxit à stabulis tauros quattuor: illos *præstanti corpore*, has *forma superante*. Vtrumque aptum ad magnitudinem declarandam.

Ne furtum deprehendi posset, Cacus boues cauda compulit ad speluncam, atque ita vestigia fallebant Herculem explorantem.

NOTÆ.

1. ATTVLIT.] Sil. lib. 12. *Marcellus opem, auxiliúmque ferebat.*

2. ÆTAS ATTVLIT.] Quod ipse alibi; *voluenda dies attulit.*

3. AVXILIVM, ADVENTVMQVE DEI.] Artemid. lib. 2. cap. 42. de Hercule, ἀεὶ γὰρ ὁ θεὸς, ἔτι ἦν ἐν ἀνθρώποις, ἐπήμυνε τοῖς ἀδικουμένοις, καὶ ἐτιμώρει: *Semper*

B *hic Deus, cùm in humanis erat, auxilium tulit iniuria oppressis, eorúmque vindex fuit.* Ideo statim; *Maximus vltor.* Eurip. de hoc Deo,

Εὐεργέτης βροτοῖσι, καὶ μέγας φίλος:
Benefactor mortalium, & magnus amicus.

4. TERGEMINI.] Pulchrè Hor. Od. 24. lib. 2. *Ter amplum Geryonem.* Vterque cautè, Virg. (inquam) & Horat. in magna discrepantia. Nam Hesiod. τρικέφαλον Γηρυονῆα. Æschyl. verò in Agamem. τρισώματος Γηρυών. Pausan. Eliac. priorib. τρεῖς ἄνδρες Γηρυόνης. Nonnus lib. 25. τρίλοφος. Ergo in hac discrepantia siue capitum, siue corporum, siue virorum, siue cristarum, spectanda est cautio Virg. & Horat. Notabis vnicè, hanc vocem *tergeminus*, cùm sermo est de Geryone, de Cerbero, & de Diana, semper esse idem, quod *triplex* De aliis verò, idem quod *multiplex*. Vt apud Tibull. lib. 1. *Mors tergemina.* apud Horat. *tergemini honores.* De Geryone nihil hîc dicam in tanta C luce auctorum, nouis præsertim Commen. Ioannis Marianæ de rebus Hispanicis, viri omni doctrinarum cumulo præstantis, & rari inter rarissimos. Porrò Talum illum immanem, quem celebrant Poëtæ, qui Argonautica scripsêre, τριγίγαντα vocat Orpheus, *trigigantem*, ab paribus, credo, fabulamentis.

Geryonum fabulæ.

Tergeminū, quid sit.

Talus.

5. GERYONIS.] Sitne ita scribendum, an *Geryonæ*, dixi iam lib. 7. de arboribus, quæ dictæ *Geryonæ*, vide Philost. lib. 5. de vit. Apoll. c. 1.

Geryonæ arbores.

6. SPOLIIS.] Non negligenda nota Seruij: *Spolium est quicquid de hostibus tollitur, vt: Addit equos, & tela, quibus spoliauerat hostes.* Itaque hîc *spoliis*, id est, *bobus*. Inde Poëta se explicans, *tauros agebat.*

Spoliū, quid.

7. ALCIDES.] Hoc primum nomen viri huius, si credis Sex. Empyrico lib. 8. Math. Nam postea Herculis nomen superinduxit, cùm iam Deus. Propriè D itaque Poëta *Alciden* nominat, & iterum postea; *Non tulit Alcides animis.* Quia in his locis de hoc viro loquitur, vt de homine. Iam ab illo loco, *Ex illo celebratus honos*, &c. vbi Deum factum memorat, ad Herculis nomen confugit; vt cùm ait.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

Alcides, vt humanus dictus Hercules.

Hercules dictus in sermone diuinitatis.

Iterum:

Iterum:

Dixerat, Herculea bicolor cùm populus vmbra.

Gratiæ tibi Empyricæ, qui me tua Nota duxisti ad indagandam diligentiam Poëtæ. Quis verò Poëtarum hoc obseruaret, nisi tu Maro? Adiungo Empyrico Pindarum Od. 6. Olymp. σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν: *nobile germen Alcidarum*; videlicet de Hercule nondum Deo. Dio etiam Chrysost. Orat. 31. ἐν γοῦν Θήβαις Ἀλκαῖός ἀνάκειταί τις, ὃν Ἡρακλέα φασὶν εἶναι: *Thebis Alcæus quidam consecratus est, quem esse aiunt Herculem.* Inde iam tu Lector infinitis locis Poëtarũ lucẽ dabis.

8. TAVROSQVE HAC VICTOR AGEBAT.] De eodem Hercule in Anth. lib. 4. βόας ἤγαγεν ἐξ Ἐρυθείης. Pausan. lib. 4. ad exitum. ἐλάσαι τῶν Γηρυόνου βοῶν τὴν ἀγέλην. Quo verbo & Plato in Georg. τοῦ Γηρυόνου ἠλάσατο τὰς βοῦς. Præpositio additur in 4. Anthol. πείρατας ἐξελάσασθαι. Oppian. 2. Cyn. ἀγέμεν ἐξ Ἐρυθείης. Et Philost. lib. 5. vit. Apollon. τὰς βοῦς ἐλᾶν. Dio Chrys. Orat. 8. τὰς βοῦς ἀπήλασε. & Orat. 64. τὰς βόας ἀφείλετο Γηρυόνου. Omnes isti loquuntur de Hercule, & omnes vario flexu. Ouid.

Agere tauros.

Ecce boues illuc Erytheidas applicat Heros.

Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Amphitryoniades qua tempestate iuuencos
Egerat à stabulis, ô Erythræa, tuis.

9. VICTOR.] Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 6. refert, vel ad victorias omnium animalium, vnde Romæ ædes duæ VICTORIS HERCVLIS. Vel ad historiam Octauij Herennij, qui fortissimè contra prædones pugnauit ope Herculis, atque adeò huic Deo ædem sacrauit VICTORIS nomine. Adducit hoc Macrob. ex Masurio. P. Victor meminit Herculis Victoris in foro Boario, in vndecima regione.

Herculis victoris ædes.

10. VALLEMQVE BOVES, AMNEMQVE TENEBANT.] De Baulis, qui dicti veluti Boaulia, aut Boalia, corruptione vocabuli, videlicet à loco, ad quem Hercules compulit boues Geryonis ad stabulandum, lege elegantes versus Symm. epist. 1. lib. 1.

Boaulia quæ essent.

11. FVRIIS CACI MENS EFFERA.] Non describit iratum hominem, sed moribus perditissimum: &, vt cum Demodoco loqui liceat lib. 2. Anth. φαῦλοι φαυλοτέρων, id est, *pessimum supra pessimos.* qua voce ille vtitur contra Cappadocas.

Cappadocum elogiũ.

12. INTENTATVM.] Visum Victorio lib. 31. cap. 24. reddi à Poëta Græcum ἀπείρατον; vel ex illo Demosth. pro Ctesiph. οὐδὲν ἀπείρατον ἢ τούτοις κατ' ἐμοῦ. Vide plura in illo. Græci alij ἀθικτον, ἀνεπιχείρητον.

Intentatum.

13. SCELERISVE, DOLIVE.] Hîc ego aperio præceptum Virgilianæ poëseos. Bina sunt omnia: videlicet, *furiæ, feritas: inausum, intentatum: sceleris, doli.* Non hæc cura alij Poëtæ; nam præcedenti vni voci duas subiiciunt, vel contrà. Hoc vnicè obseruandum in principe Oratorum Tullio. Audi illum 1. Catil. *Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna seruauit.* In quibus singula singulis subiiciuntur. Alius incogitans alteri cuipiam horum aliquid adderet. Vis bina? in Maniliana leges: *Bellum expectatione Pompeij attenuatum, atque imminutum est: aduentu sublatum, ac sepultum.* Diceret alius. *Bellum expectatione Pompeij attenuatum, atque imminutum est: aduentu sublatum.* Ergo, quia præcesserunt bina, sequuntur bina.

Virgilij concinnitas.

Ciceronis concinnitas.

14. QVATTVOR.] Arctat Ouid. 1. Fast.

Tauri Herculi rapti quot.

De numero tauros sensit abesse duos.

Liuius nihil finiens, *partem* tantùm auersam ait. Dionys. ὀλίγας τινὰς: *paucas.* Propert. nullum assignat numerum. Ceterùm origo huius voculæ *quatuor* digna est, quæ sciatur ab magistro Iul. Scal. à quo dicisse testatur Christian. Florens in Iren. Aristoph. Veteres tantùm habuerunt tres numeros, ἕν, δύο, τρία. postea dixerunt. ἕτερον, pro, καὶ ἕτερον. vnde corruptè *quatuor.* & deinde καὶ ἓν καί: vnde *quinque*: sic & κάτερα, vnde *cetera.*

Quatuor, vnde dicta hæc vox.

15. PRÆSTANTI CORPORE.] Intellige ἐξαιρέτους, ἐξόχους, ἐκκρίτους, vt & postea, *forma superante.*

16. AVERTIT.] Præclarè: nam à tergo, & per caudam. Sic *auersa vulnera*, quæ in tergo accipiuntur: & *auerta* est ὑπερμάζαλον ἐπὶ τῷ νώτῳ ἵππου, *lorum in tergo equi*; quod iam Budæus ex Græco interp. καλεῖσθαι δ' ἀβίρτον ἐκ τοῦ ἀποστρέφεσθαι. Vsi alij hoc verbo, vt cùm Stat. 11. Theb. *auertit bonus error equos.* Sed cum proprietate Maronis nemo: nam eo expressit non solùm furtum, sed furti modum. A Virgilio arripuit Liu. ad rem eandem: *Auersos boues, eximium quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit.* Vt & Ouid. 1. Fast.

Auerto.

Traxerat auersos Cacus in antra ferox.

Et Prop. Eleg. 10. lib. 4.

Auersos cauda traxit in antra boues.

Martial. aliter Epigram. 66. lib. 5.

Ducere nec rectas Cacus in antra boues.

In genere autem verbum *auerto*, est, quo furtum pecorum indicatur; vt cum Catull. in Nupt. Pel. *Colchis auertere pellem.* Inde explicabis illud 1. Æneid. quod ego omisi;

Auerto de furto pecorum.

Non nos aut Libycos ferro populare Penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Id est, non erimus populatores domorum, non prædones pecorum. Claudianus, & Mela rem hanc expressêre per verbum *auebo.* Ille 3. Rap.

Aueho de furto.

Arduus Hircana quatitur sic matre Niphates,
Cuius Achæmenio Regi ludibria natos
Auexit tremebundus eques.———

Mela verò: *Eques vbi interceptos catulos cœpit auehere.*

17. NE QVA FORENT PEDIBVS VESTIGIA RECTIS.] Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Locorum similitudo.

Hinc ne certa forent manifestæ signa rapinæ.

18. CAVDA IN SPELVNCAM, &c.] Qui Liuium legat in historia Caci, videbit clarè illum Maroniano ductui institisse. Dionys. narrans eadem, ἔμπαλιν (ait) τὸ κατὰ φύσιν τοῖς ζώοις πορείας. Dicit, auersos tauros *contra naturam incessus huiusmodi animalium.* Quia videlicet Cacus εἶλκεν ὁμοῦ κατ' οὐράν. Simili fraude Mercurius Apollinis boues auexit, vt habetur Hymno ipsius Mercurij, his versib.

Cauda trahere.

ἴχνι' ἀποστρέψας, δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης,
ἀντία ποιήσας ὁπλὰς τὰς πρόσθεν, ὄπισθεν,
τὰς δ' ὄπιθεν, πρόσθεν· κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινεν.
Vestigia reflexit, non oblitus dolosæ artis,
Conuersim faciens vngulas priores, posteriores;
Posteriores autem, priores: conuersim quoque & ipse incedebat.

Mercurij furtum.

Tullius dixit, fures, ne deprehenderentur, signa solitos commutare. Non errabit, qui dicat, Maronem in hac Caci fraude rorum aspirasse ad prædictum hymnum, & technam Mercurij. De eodem Mercurio scribens Apollod. lib. 3. ἵνα μὴ φωραθῇ ὑπὸ τῶν ἰχνῶν, ὑποδήματα τοῖς ποσὶ περιέθηκεν: *Ne in furto vestigiis deprehenderetur, calceos pedibus adaptauit*; ea videlicet arte fabricatos, vt dignosci vestigia nequirent.

Furum ars.

Imitatio.

19. SAXO OCCVLTABAT.] Volo obserues variationem, & miros flexus Virgilij. Ouid. cùm idem narret in Fast, Propert. & alij, ieiuni sunt tamen collati cum hoc magistro. Nam in hoc audies *rupem, molem, domum, scopulum, speluncam, recessum, humum, saxum, antrum, montem, dorsum, specum, Regiam, cauernas,*

Virgilij variettas.

nas, tenebras; item mille alia, quæ his adnexa ad ornatum. Vt Noster, *saxo occultabat*, ita Hom. de Polyphemo 9. Odyss. πέτρῃ ὑπὸ θῆκε θύρην.

Vestigia inobseruata. 20. QVÆRENTEM NVLLA, &c.] Ouid. 1. Fast.

Nulla videt tacitè quærens vestigia furti.

Liu. *vestigia omnia foras versa vidit.* Dionys. lib. 1. ἐναντίας φανησομένας τῆς ἴχνεσι τῆς ὁδοῦ: *via erat vestigiis contraria.* Est hoc, quod Stat. 6. Theb. *vestigia indeprehensa.* Alludit cum hoc excursu ille Soph. in Antig. vbi sepulti Polynicis nulla apparent signa, aut vestigia, cùm tamen sepultus esse sciatur. Latè hoc Tragicus, ideo omitto. Theocrit. εἰδ. 25. dixit.

Καὶ οὐδ᾽ ὅπη ἴχνια τῶ φραζθῆναι δυνάμην:

Neque vsquam vestigia illius obseruare poteram.

Imitatio. 21. SIGNA FEREBAT.] Fortè à Lucillio, qui apud Non.

Spectent, atque ferant vestigia se omnia prorsus.

ª Interea cùm iam stabulis saturata moueret
Amphitryoniades armenta, abitúmque pararet:
Discessu mugire boues, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
ᵇ Reddidit vna boum vocem, vastóque sub antro
Mugiit, & Caci spem custodita fefellit.
ᶜ Hîc verò Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodísque grauatum
Robur, & aërij cursu petit ardua montis.
ᵈ Tum primùm nostri Cacum vidêre timentem,
Turbatúmque oculis: fugit ilicèt ocyor Euro,
Speluncámque petit; pedibus timor addidit alas.

ARGVMENTVM.

Furti deprehensio ex mugitu boum.

EXPLICATIO.

ª PARABAT iam Hercules profectionem, quæsitis bobus, neque inuentis. Atque tunc, vt fit, clamor excitatus est, veriùs *querela*: quippe boues ab vsitatis & amatis pascuis non discedunt nisi cum aliquo indicio mœstitudinis.

ᵇ Ad clamorem abeuntium redditus quoque est clamor vnius bouis, quæ inclusa in antro furis, atque ita delusa spes Caci.

ᶜ Quis iras Herculis denarret, veriùs furiam, ardorem, & dolorem cum felle? hæc omnia Poëta coniungit ad αὔξησιν. At tunc *rapit* (vide festinantiam) *arma* (sagittas capit Seru.) deinde *robur nodis grauatum.* (sic nominat ἀνάλογον ad incrementum.) est verò *grauatum*, graue: & concitato cursu *petit* (nam conatus hic hostilis est) speluncam, cuius vt signet altitudinem, vocat *ardua montis aërij.*

ᵈ Nemo hactenus Cacum timentem viderat. Nunc timuit, timórque in oculis primùm apparuit, animúsque ad fugam addidit, qua ventos ipsos superans se in specum abdidit concitabundus. τὸ *ilicèt* explicat Seru. continuò.

NOTÆ.

1. AMPHITRYONIADES.] Ita etiam ab Hom. Hercules 11. Odyss.

Parare abitum. 2. ABITVMQVE PARARET.] In Teren. est, *fugam parare.* Et signatè *abitum*, vt sup. de eodem *aduentum.* Nam Deus hic semper peregrinus. Ipse apud Stat.

B *Lustro vagus terras.* Sed de hoc iam alibi in hoc lib. & bis. Hercules Deus peregrinus.

3. DISCESSV MVGIRE BOVES.] Retuli hunc mugitum ad mœstitudinem relicti pascui, vel ex *querelis* Virgilianis. Aliam tamen rationem indicat Liu. *Inde, cùm actæ boues, quadam ad desiderium, vt fit, relictarum mugissent.* Et huc etiam trahi possunt querelæ Virgilij. Iuuat Lucret. lib. 2. vbi loquens de dolente vacca, Mugiunt boues ex mœstitudine, ex amore,

——— *complétque querelis*
Frondiferum nemus adsistens, & crebra reuisit
Ad stabulum, desiderio præfixa iuuenci.

Iuuant hanc explicationem, quæ ego latè 3. Georg. ad illud,

C *Ecce autem duro fumans sub vomere taurus.*

Vbi ex variis auctoribus repræsentantur viuidè affectus boum, cùm à se inuicem separantur. Possit etiam esse ratio alia. Huic animali insitum, vt in omni discessu mugiat. Inde Poëta, *discessu mugire*, &c. *montes clamore relinqui.* Sic apud Homer. 18. Iliad. hæc animantia, in discessu omni.

Μυκηθμῷ δ᾽ ἀπὸ κόπρου ἐπεσσεύοντο νομόνδε:
Cum mugitu à stabulo ruebant ad pastum.

4. ET COLLES CLAMORE RELINQVI.] Videlicet ex repercussione Echûs. In Græco Epig. lib. 4. μυκηθμὸν ἀχεῖ ἠχώ.

D 5. REDDIDIT VNA BOVM VOCEM.] Pergit Liu. *Reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem conuertit.* Dionys. αἱ ὑπὸ θῆν ἀντεμυκῶντο τῶν ἰχθύων. Ouidius, & Propertius aliter à Virgilio, Liuio, Dionysio. Quippe aiunt mugitum editum ab inclusis bobus in spelunca, & subticent de abeuntibus. Prior.

Mugitum rauco furta dedêre sono.

Posterior; *furem sonuêre iuuenci.* Ne abeat inobseruatum scribi à Lactan. lib. 1. cap. 20. indicium huius furti factum Herculi à Caca sorore Caci. Sed exhibet hanc Notam, vt solet, Claudianus, cui semper Musa florida. Ille de Bell. Get. describit, vti boues soleant reddere auditas voces, hunc in modum. Caca soror Caci.

Sic armenta boum, vastis quæ turbida sylvis
Spargit hyems; cantus, & sibila nota magistri
Boum mugitus describitur.
Certatim repetunt, vel nota pascua vallis:
Inq; vicem se voce regunt, gaudentque fideles
Reddere mugitus, & quas sonus attigit aurem,
Rara per obscuras apparent cornua frondes.

Vox etiam de inanimis.
6. VOCEM.] Dici hanc etiam de inanimis astruit Germanus ex variis locis Aristotel. Omitto, quia in promptu. vide me Eclog. 5. ad illud,

——*vocem ad sydera iactant*
Intonsi montes.——

7. FELLE.] Noluit bilem Poëta Heroicus, sed descripsit illam per *fel atrum*. Sententiam Virgil. iam Camerarius Decur. 2. problem. 8. retulit ad naturam atræ bilis, quæ, commoto ac perturbato animo, hominem in furias rapit. Non enim dubium, quin Poëta in sermone de Hercule alluserit ad morbum Herculeum, qui ab hoc Heroë nomen accepit: hic autem morbus totus ab commotione atræ bilis, vnde μελαγχολικοί. Aristotel. enim in Problem. sect. 30. ita quærit: *Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in studiis Philosophiæ, vel in Rep. administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videamus? & alios ita, vt etiam vitiis atræ bilis infestarentur, ceu inter Heroas de Hercule fertur. Hic enim ea ipsa fuisse natura putatur, & morbum comitialem Sacrum ab illo, & Herculeum prisci nominauêre.* Theocrit. etiam Herculem inducit ταρασσόμενον ob raptum Hylam; *conturbatum*, alludens, credo, ad eandem passionem Herois. Et Plutarch. in vita Lysandri meminit loci Aristotelis, qui Herculi dederit φύσιν μελαγχολικήν. Idem Heros à Theocrito loco laudato dicitur μαινόμενος. Notabis obiter, cur hic morbus dictus fuerit *Sacer*. Quia videlicet sederit in homine diuino ac sacro: id enim clarè colliges ex Aristotele. Scio alios aliter. Sed tu vide Hippocratis aureum opus de hoc morbo, vbi latissimè probat, stultè illi nomen *sacri* impositum, cùm verè humanus sit; &, vt reliqui morbi, ex humanis causis procedens.

Herculeus morbus. — Melancholici vnde. — Sacer morbus cur ita dictus. — B — C

Arma Herculis sagittæ.
8. RAPIT ARMA MANV.] Explicui sagittas cum Seruio, quem iuuat Theocrit. qui in Hyla ait, hunc Heroëm, cùm turbatus esset à rapto puero, cepisse tum arcum, tum clauam. λαβὼν εὐκαμπέα τόξα, καὶ ῥόπαλον. Et Poëta ipse, qui infrà: *Desuper Alcides telis premit.*

9. ROBVR.] Ita & Herculis clauam vocat Valer. 1. Arg. D

Magnanimus spectat pharetras, & inutile robur.

Claua Herculis cum nodis.
Stat. in Sylu. *exitiale ferebat robur.* Facit *nodosum*, vt Ouid. *claua trinodis.*

Aërii iter.
10. AERII.] Quasi per aërem iter carperet: hoc enim indicat Poëta. Sic apud Calab. lib. 11. dicitur carpi δι' ἠέρος οἶμος, *iter aerium*, ab his qui Troianos muros oppugnabant, in eósque ascendebant.

11. TVM PRIMVM, &c.] Lege Pet. Victorium lib. 3. var. cap. 5. vbi similitudo Virgiliani loci cum Platonico, de Thrasymacho, cùm primùm timuit. Omitto, quia iam à Victorio Vrsinus, Germanus, E Pontanus. Addo à me locum Valer. lib. 4. Arg. vbi ait,

Locorum similitudo.
Ille dies agros Amyci sudoribus artus
Primus, & arenti cunctantem vidit hiatu.

Dicit, Amycum pugnantem cum Polluce, tum primùm timoris notas dedisse, quod nunquam prius. Addit.

Nec sua defessum noscunt loca, nec sua Regem
Agmina.——

Cacus qui timidus.
Adiungo etiam, fortasse in illis *Cacum timentem* re-A spectum ab ingenioso Poëta ad vocem Græcorum κακός, cui inter alia significata est etiam timor, & ignauia in bello. Vnde Hom. synonymicas κακός & ἄναλκις: & Græci alij sæpe κακίαν pro ignauia.

Turbatio apparet in oculis.
12. TVRBATVMQVE OCVLIS.] Eurip. in Iphig. pari nota ταραγμὸν ὀμμάτων. Nam turbatio in oculis apparet. Sen. controu. 16. *Torpent manus, & nescio quâ perturbatione tenebræ stupentibus offunduntur oculis.* Soph. in Antig. de perturbato iratóque Creonte dixit, ὄμμα δεινόν. Præclarè tu verò Maro. Timent viri fortes, & magni duces, vt Æneæ *soluuntur frigore membra.* Non ita tamen timent, vt sine absque consilio. Ignauorum alius est timor; abducuntur enim à ratione, quod timoris genus ex turbatione oculorum, & fuga satis indicat Poëta. Itaque abeat Castelue- trij calumnia reprehendentis Virgilium, quòd Æneam timentem induxerit. Eadem enim opera non Homerum solùm, quod facit, sed infinitos alios potuisset reprehendere. Itaque commodè Virg. Æneã, & Cacum timentes inducit: sed illum constantem in metu, hunc profligatum timore.

Virgilius defenditur.

Ventis ocyor.
13. FVGIT ILICET OCYOR EVRO.] Lib. 1. Anth. Ζεφύρου ἐλαφρότερος. Nonnus lib. 21. dixit ἀελλόπος. Eurip. in Aulid. Achillem facit ἰσάνεμον ποδοῖν: *pedibus parem ventis*. Silius lib. 10.

Hemonio Borea, pennaque citatior ibat.

& lib. 3. *velocior Euris.* Stat. 6. Theb. *volat ocyor Euro.* Sed signatiùs omnibus Virgilius *fugit*, non *volat*. Locutus enim ex natura timoris, dicente Homero 11. Iliad. φύζα φόβου κρυόεντος ἑταίρη: *fuga frigidi metus socia.* Et Eurip. in Ione, fugam vocat πτερόεσσαν, ab timentium alis: & Thoanti in Taur. dat. ὠκὺν πόδα ἴσον πτεροῖς, *pedem celerem similem alis*. Sed de hoc in sequenti Nota. Sed cur, qui timent, illicò fugiunt? cùm dicat Aristot. 2. Rhet. cap. 5. ὁ φόβος βουλευτικοὺς ποιεῖ, quasi metus locum det ad consultandum. Adiicit tamen; en causa, οὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀνελπίστων, *nemo consultat de rebus desperatis*. Ergo, cùm metus is est, vt desperata sint omnia, nullus tum certè locus est consilio, & magnus fugæ. Consimilis Virgiliano locus Homeri Iliad. 22. vbi de duce Troiano in magno timore,

Fuga socia timoris. — Timidi cur aut fugiant, aut consulent.

Ἕκτορα δ', ὡς ἐνόησεν, ἕλε τρόμος· οὐδ' ἄρ' ἔτ' ἔτλη
Αὖθι μένειν, ὀπίσω δὲ πύλας λίπε, βῆ δὲ φοβηθείς:

Locorum similitudo.
Hectorem postquam agnouit, cepit timor, neque dein sustinuit
Illic manere, à tergo portas liquit, iuitque fugiens.

Timoris nota est fuga.
14. PEDIBVS TIMOR ADDIDIT ALAS.] Non alia mente Lucret. dixit lib. 3. *ventosam ceruorum mentem*: dat enim ventosam celeritatem timidissimo animalium. Et Sil. lib. 7. *Gnauus abire timor.* & lib. 4.

——*haud segnis cuncta magister*
Præcipitat timor.——

Pari timoris nota Eurip. Suppl. φόβος μ' ἀναπτεροῖ, quasi timor det alas. Græcus etiam quispiam ἄδυλος (aduocat illum H. Steph. lib. 6. Sch. cap. 3.)

Τοῖς τοῦ φόβου πτεροῖς ὀξέως φερόμενος:
Alis timoris citò ablatus.

Non abit Ouidiana gnome 1. Trist. Eleg. 3.

——*audaces cogimur esse metu.*

Et Stat. 1. Theb.

——*dat stimulos animo vis mœsta timoris.*

Metus interdum audax.
Apud Pauf. Attic. Barbari spectantur in pictura quapiam fugientes, ac præ vi timoris inducentes se in maius periculum. Inde Stat. 6. Theb. *audáxque metus.* Seneca epistola 103. *timore coguntur ad pugnam.* Lucanus.

——*multos in summa pericula misit*
Venturi

Venturi timor ipse mali.—
Vt verò hi alas dant timori; ita Silius pudori lib. 12. *pennásque addente pudore.* ita scilicet loquendum de humanis affectibus. Pudor dat alas.

ª Vt sese inclusit, ruptísque immane catenis
Deiecit saxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultósque emuniit obice postes
ᵇ Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnémque
Accessum lustrans huc ora ferebat, & illuc,
Dentibus infrendens: ter totum feruidus ira
Lustrat Auentini montem: ter saxea tentat
Limina nequicquam: ter fessus valle resedit.
ᶜ Stabat acuta silex, præcisis vndique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu,
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
ᵈ Hanc, vt prona iugo læuum incumbebat ad amnem,
Dexter in aduersum nitens concussit, & imis
Auulsam soluit radicibus, inde repentè
Impulit; impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ, refluítque exterritus amnis.

ARGVMENTVM.

Expugnatur ab Hercule Caci spelunca.

EXPLICATIO.

ª ITA celerrimè Cacus sibi præsidia comparauerat, vt catenas non soluisset, sed rupisset, quibus pendebat saxum, quo antrum obstruebatur. Itaque, catenis ruptis saxum deuoluit, atque eo obice communiit postes, id est, fores antri, ita iam fultas. Illud, *ferro quod & arte paterna*, est, ferro elaborato Vulcani arte. Itaque fecerat Vulcanus, vt saxum illud libra- C tum esset in aëre catenis ferreis, vt facilè, cùm opus esset, demitteretur ad occlusionem antri.

ᵇ Vix se Cacus abdiderat, vix saxo munierat aditum speluncæ, cùm adfuit Hercules; cúmque diligenter lustraret ex omni parte accessum, sæpe etiam montem circumiret, atque etiam tentaret, si posset perrumpere saxum illud, quo obstructum antrum: sed nihil cùm posset, consilij inops sedit.

ᶜ In hac consilij inopia, conspecta rupes occasionem præbuit edendi præclari facinoris. Rupis huius formam, & situm describit. Erat illa non explicata sed erecta in summam altitudinem, ideò, *stabat, insurgens, altissima visu*; & quia *altissima*, ideo *domus volucrum*, & quidem *dirarum*, id est, rapacium; istæ enim nidificant in locis editis. Deinde erat *acuta*, ideo statim *præcisis vndique saxis*, id est, abruptis. En D formam. Situm breuiter expedit; nam ad dorsum speluncæ, & postea adiicit, Tyberim illi fuisse læuum.

ᵈ Quid tum Hercules? Nitens dextro humero in hanc rupem, illam concussit, soluit, auulsit, impulit in Tyberim, qui hos scopulos læuus præterfluebat, & inde Hercules ipse *dexter*, quia ab contraria B parte. Itaque *dexter*, siue accipiatur cum hoc respectu, siue ab dextra parte, vtrunque quadrat. Quis verò strepitus ad hanc ruinam? Æther insonat, dissultant ripæ, amnis refluit præ terrore. *Rem naturæ* (ait Seru.) *vertit in fabulam, cùm ruina rupis in se recurrere necesse sit impetum fluminis.*

NOTÆ.

1. DEIECIT SAXVM.] Hoc machinamento adiicit Poëta animum ad artificiata illa, quibus fores præcludebantur, de quibus fusè Vitruu. Cyrillus in Michæam dixit, ἐπεκύλισε τῷ στόμαλι (τοῦ σπηλαίου) λίθον: *aduoluit lapidem ori speluncæ.* Deiicere, de claustris.

2. OBICE.] Ouid. 1. Fast. in hac eadem re. Obex.
Ille aditum fracti præstruxerat obice montis,
Vix iuga mouissent quinque bis illud onus.

ECCE FVRENS, &c.] Scias, integram loci huius imitationem ductam ab Apollonio lib. 1. Argon. vbi Hercules nuntiata calamitate Hylæ, redit, dolet, currit, iam lustrat, iam sedet. Locus est longus, ideo omissus, & tantùm indicatus: sed qui conferat, videbit plenam similitudinem. Notabis & voculam *ecce*, qua indicatus celerrimus procursus Herculis contra hostem. Vulgaris est sententiola illa, *Qui territum statim opprimit, tutò opprimit.* Alexander apud Curt. lib. 6. dixit: *Quanto autem præstat territum adhuc, & vix mentis suæ compotem opprimere?* De Ænea in 10. *trepidanti feruidus instat.* Liban. Declam. 15. de re eadem loquens. δεῖ σπεύδειν ταχύ: *properato est opus.* Imitatio. Ecce, quo vsu. Territo instandum.

4. TIRYNTHIVS.] Pind. Od. 10. Olymp. τιρύνθιον ἔπεφνεν. Ita dictus Hercules ab oppido, vbi natus: tametsi ista incerta ex fabulis. Tirynthius.

5. ACCESSVM LVSTRANS.] Sil. lib. 12. de Annibale hærente prope Neapolim,
Nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat
Infesta portas, fremitúque tinnore cauentum.
Pari imagine Ouid. 4. Trist. Eleg. 1.

Saeuus anhelanti moenia lustrat equo. A

Venatio ad locutiones sumitur. Virg. infr. *Lustrat Auentini montem.* In his omnibus locutio ducitur à re venatoria. Qualem Soph. expressit in Aiace per initia, vbi Vlyssem inducit κυνηγετοῦντα: & Aiacis ipsius μετρούμενον ἴχνη νεοχάραχθ', *metientem vestigia recens impressa.* & postea Vlysses ipse κἀκεῖνος ἴχνιον. & de se κυκλῶν; est enim & hoc proprium venatorum. Ideo Sil. lib. 12.

Lustrat inops animi, rimatur & omnia circum.

Vbi *rimari* & *lustrare circum*, est, κυκλοῦν, venatorium. Lustro, de lustris ferarum. Et quidem verbum *lustro* clarè nos ducit ad ferarum lustra. Nam lustrare est, quod statim idem Vlysses persistens in re eadem,

Εὐθέως δ' ἐγὼ κατ' ἴχνος ᾄσσω:

Ego verò statim persequor vestigia.

Sed hoc interest inter Virgilium, & Sophoclé; quòd Latinus semper tecto sermone, & tantùm alludens, absque vlla ostentatione: Graecus ostentator est sui; nam clarè dixit κυνηγετοῦντα, *venantem*, & iterum Minerua fauens Vlyssi ait, B

Ἔγνων Ὀδυσσεῦ. καὶ πάλαι φύλαξ ἔβην

Τῇ σῇ πρόθυμος εἰς ὁδὸν κυνηγίᾳ:

Scio Vlysses, & iampridem custos prodij

In viam, tuae fauens venationi.

Est autem Virgilij quo tectior sermo, eo illustrior.

Dentibus infrendere nota irae. 6. DENTIBVS INFRENDENS.] Nota irati hominis. De Hormisda Rege Persarum Simocatta lib. 4. cap. 1. ὁ δὲ βασιλεὺς χαλεπαίνων τι, καὶ τετριγὼς τοὺς ὀδόντας: *Rex autem furens, & infrendens dentibus.* Est hoc fermè, quod de irato leone Theocritus εἰδ. 25.

—— λασίους δὲ γένυν ὑπέδειξεν ὀδόντας,

—— *hians terribiles ostendit dentes.*

Claudianus, vt notet mitem Manlium, neque iracundum esse, ait:

—— *nec dentibus vnquam*

Instrepit horrendum. ——

Manuum confricatio nota irae. Huic notae adiuncta alia, videlicet *manuum confricatio.* Itaque irati & dentibus infrendent, & manus confricant. Haec res satis iam ab aliis illustrata, praesertim ab vno Seneca. Omitto: tantùm in gratiam illorum adduco alterum Simocattae locum, qui dentes, & manus coniungit cap. 4. lib. 4. ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς ἐπιτρυφῶντας ταῖς ἀδικήμασι, καὶ κροτοῦντας τὰς χεῖρας, τοῖς ὀδοῦσι δὲ τετριγότας: *Video vos gaudentes aliorum iniuriis pulsantes manibus, frendentes dentibus.* Itaque adiungant eruditi testimoniis aliorum verba haec Simocattae.

Sedent inopes consilij, & 7. RESEDIT.] Quia ter; itaque ab repetita sessione, non sedit, sed resedit. Notat Seru. *sedisse* Herculem, vt in consilij inopia. Nam, vt fatigatus (ait ille) de corpore, ita fessus de animo dicitur. Iuuo illum loco Eurip. in Furent. καθήμεθ' ἀπορίᾳ σωτηρίας: *sedemus consilij inopes ob salutem.* Et Plutarchi, apud quem Antonius victus nauali certamine ab Augusto, παρελθὼν δὲ μόνος εἰς πρῷραν, ἐφ' αὑτοῦ ἐκαθέζετο σιωπῇ, ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις ἐχόμενος τῆς κεφαλῆς: *Solitarius transijt in proram, atque ibi tacitus consedit, vtraque manu caput premens.* Et in vita Periclis ait idem Plut. Teleclidem ἠπορημένον καθῆσθαι, sedisse inopem consilij. Dixi haec in gratiam Seruij: & adiicio, sedisse Herculem in summa ira. Fuit enim sessio habitus iracundiae. Irati. Soph. in Antig. καθήμεθα de iratis dicit, vt legenti apparebit ex circumstantiis. De Iunone & Pallade summè iratis ait Hom. 4. Iliad. ἥσθην. Locum integrum non adduco, quia est longissimus. Ouid. 2. Trist.

Vig. sedet vultu fassus Thelamonius iram.

Loquitur de simulacro Aiacis, quod in aedibus Augusti. Calaber de Ioue lib. 4.

Ἧστο γὰρ ἀχνύμενος κραδίην, καὶ πολλὰ μενοινῶν:

Sedebat irato corde, & voluit ans multa.

Huc refero imaginem Furoris apud Nostrum lib. 1. Furor cum sedens. qui inducitur *saeua sedens super arma.*

Locorum similitudo. 8. STABAT ACVTA SILEX.] Ad totum hunc locum, qui de virtute Herculis disturbantis, conuellentisque scopulos allusum à Silio lib. 3. his versibus.

Primus inexpertas adiit Tirynthius arces.

Scindentem nubes, frangentémque ardua montis

Spectarunt Superi: longisque ab origine saclis

Intemerata gradu magna vi saxa domantem.

Praeruptus locus. 9. PRAECISIS SAXIS.] Sil. lib. 3. vocat *inaccessos aditus.* Alij *praerupta loca.* Homero sunt προβλῆτες ἀκταὶ lib. 13. Odyss. Plutar. in Anton. similem locum vocat ἄβατον, καὶ ἀπροσπέλαστον. & in Agide χαλεπὸν καὶ δυσπρόσοδον. Simocatta lib. 5. cap. 4. ἀπρόσιτον Polyb. lib. 3. ἐρυμνότητας, καὶ τραχύτητας. Iosephus lib. 1. Bell. πετρώδη, καὶ δύσβατα χωρία. Hippoc. sect. 3. χωρία ἐρυμνά, τετριμμένα, ὑψηλά. Basilius Seleuciens. τὸ στενὸν ἢ ὀλίσθρομεν. Idem viam admodùm difficilem vocat, ἀμυδράν, ἀγνῶστον, λεπτήν, ἀφανῆ: & maiore adhuc incremento γραμμήν. Quasi linea potiùs, quàm via esset.

Dorsum de montibus. 10. DORSO.] Quid frequentius hac locutione? Eurip. Iphig. in Taur. χθονὸς νῶτα. Idem in Elect. & Plato etiam in Phaed. νῶτον οὐρανοῦ dixère. Pind. νῶτα θαλάσσης. Huic elegantiae vicinae aliae. Neque enim solùm Graeci νῶτον de hac re, id est, *dorsum*, aut *humerum*: sed alia pari elegantia, videlicet αὐχένα, ῥάχιν, C δειράν, *ceruicem, spinam, collum.* De primo Eurip. Elect. Ceruix de montibus, Spina, Collum. γῆς αὐχένα. Herodot. αὐχὴν τῆς χώρης. Simocatta lib. 1. cap. 12. ὄρους αὐχένα. Pollux etiam lib. 1. partem claui nautici vocat αὐχένα. De altero Apollon. ῥάχιν σκοπιαῖς. Herodot. ῥάχις τοῦ ὄρεος. in Epig. ῥάχις γῆς. De tertio, certum est iuga montium dici δειράδας ἀπὸ τῆς δειρῆς.

Altissimum visu. 11. ALTISSIMA VISV.] Notat Graecorum ἀκρώρεια, *cacumina* vocare possumus, quae εἰς μέγιστον ὕψος ἐκτείνεται, *in maximam extenduntur altitudinem.* Pulchrè Stat. 3. Theb. *audaci seductus in aethera dorso.*

Dirae aues. 12. DIRARVM.] Accepi rapaces: qui velit capiat mali ominis. Frequentissimè certè quae rapax, eadem malè ominans auis.

Domus de nido. D 13. DOMVS.] Ita Stat. lib. 5. nidum vocat *querulam domum.* & in 9. nidum Halcyonum, *fluctiuagam domum.* Sed hoc iam ex Graecis, & Latinis illustraui 2. Georg. ad illud, *Antiquásque domos auium.*

Nitens concussit. 14. NITENS CONCVSSIT.] Ouid. in re eadem,

Nititur hic humeris, coelum quoque sederat illis,

Et vastum motu collabefactat onus.

Par eius virtus praedicatur à Propert. Eleg. 10. lib. 4.

—— *Ille humeris postes concussit opacos.*

Radix de haerente saxo. 15. RADICIBVS.] Pari tralatione Claud. 2. Eutrop.

Concurrere freti fauces, radice reuulsa.

Et Stat. lib. 5. *Ortygiam abruptam radicibus.* In Graeco Epig. lib. 4. Anthol. saxa, quibus constructus pons Caligulae, dicuntur καταρριζωθῆναι. Virg. fortasse à Lucret. qui lib. 5. *Scilicet auolsis radicibus.* Notetur duplex locutio. Prima Hom. Iliad. 20. à quo radices E montis dicuntur πόδες, *pedes.* Altera Opp. qui id Pes montis. Radix maris. nominis traduxit ad mare. Nam 1. Hal. dixit ῥίζαν ἁλὸς, *radicem maris.* vt & 4. ῥίζας ἁλὸς.

16. INDE.] Potest esse ordinis, non loci, vt dicat *inde*, pro, *deinde.*

Echûs loca quatuor. 17. INSONAT.] Vide vti à Vitruu. lib. 5. cap. 8. distinguantur τόποι κατηχοῦντες, περιηχοῦντες, ἀντηχοῦντες, συνηχοῦντες, id est, *loci dissonantes, circumsonantes, resonantes, consonantes.* Poëtae tamen liberi sunt in enun-

tian

ciandâ hac vocis & Echûs responsione. Quod vel ab vno Claud. satis disces. Ille 2. Ruff. *Nemus resonat clamore, tonat Ossa, geminatur fragor pulso Olympo.* & 2. Eutrop. *Athos responsat, nemus remugit. Rhodope ingeminat* De 6. Cons. Hon. *fragor reboat, Echo insonat.* Pang. Olib. *resultant colles,* Tertull. de Pœn. dixit, *dissiliunt montes.* Quod cognatum Virg. qui, *dissultant ripæ.* Iosephus cap. 11. lib. 7. Bell. συνήχει ὄρη: Cedren. συναπηχούντων τῶν ὀρέων. Apollon lib. 4.

Φθόγγῳ ἢ ἰῶντες ἀΰτευν ἀν ὕψεα τηλόθι βῆσαι.

Soph. Antig. dixit ὁ ἠχῶν ἀντιπλῆγες ἀκταί. Sil. lib. 9. *mugitum* in re simili. Addit Virg. mira αὐξήσει insonuisse ætherem. Basil. Seleuciens. lib. 1. locutus est vt Poëtæ; nam de simili strepitu. βοῆς εἰς αὐτὸν τὸν αἰθέρα φθασάσης. Ouid. de ipso loquens Caco in auulso scopulo, *fragor æthera terruit ipsum.* Non insulsè in Virg. legi posset, *intonat æther,* tum ex multis aliis,

Cælum resonat.

A

tum ex Appian. qui 1. Ciuil. ait tantum fuisse strepitum ὡς γινομένης βροντῆς: *ac si factum esset tonitruum.*

18. ÆTHER.] De etymo huius variè. Aristotel. ab æterno, & irrequieto ambitu. Quasi ἀεὶ θέον. Alij quasi ἀεὶ θέειν, καὶ θερμαίνειν, quòd semper calefiat.

Ætheris etymon.

19. DISSVLTANT RIPÆ.] Fortasse hic versus ab Hom. 21. Iliad. vbi, βράχε δ' αἰπὰ ῥέεθρα. & statim, ὄχθαι δ' ἀμφὶ περὶ μεγάλ' ἴαχον. In quibus dicuntur *insonuisse flumina, ripæ inclamasse.* Auson. Mosell.

Imitatio.

——————*adstrepit ollis*

Et rupes, & sylua tremens, & concauus amnis.

20. REFLVIT.] Ita sup. *refluens vnda substitit.* Ouid. de Istro, *in caput vertet iter.* Sta. 4. Theb. *refluus Nilus.* Plin. lib. 2. cap. 103. *amnes retrò fluere.* Græci rem hanc dicunt παλιρροεῖν. Hom. 18. Iliad. ἀψόρροον ὠκεανοῖο. Eurip. in Med. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.

Refluo in amnibus.

[a] At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & vmbrosæ penitùs patuêre cauernæ.
[b] Non secus, ac si qua penitùs vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & Regna recludat
Pallida, Diis inuisa, supérque immane barathrum
Cernatur: trepident immisso lumine manes.
[c] Ergo insperata deprensum in luce repentè,
Inclusúmque cauo saxo, atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit: omniáque arma
Aduocat, & ramis, vastísque molaribus instat.
[d] Ille autem (neque enim fuga iam super vlla pericli est)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit, inuoluítque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis, glomerátque sub antro
Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.
[e] Non tulit Alcides animis, séque ipse per ignem
Præcipiti iecit saltu, quà plurimus vndam
Fumus agit, nebuláque ingens specus æstuat atra.
[f] Hîc Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
[g] Panditur extemplò foribus domus atra reuulsis,
Abstractæq; boues, abiuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur; pedibúsque informe cadauer
Protrahitur: nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosáque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.

B

ARGVMENTVM.

Apparent immissa luce interiores cauernæ, comparanturque cum inferno: tuetur se Cacus contra vim Herculis fumi nebula, quam vomebat: Hercules primùm telis rem gerit, mox se coniicit in speluncam, complectitur ferum, atque elidit, boues recuperantur.

EXPLICATIO.

[a] POST auulsum scopulum, qui tegebat speluncam, apparuit specus, & Caci Regia, atque etiam cauernæ illæ, quæ secretissimæ, ac penitissimæ.

[b] Adhibet comparationem. Hiante terra, quæ

subtus sunt inferorum loca, apparent; manes etiam trepidant ad visam lucem: sic detectæ Caci tenebræ, sic ipse timuit. Est hîc *super* idem, quod *desuper*.

[c] Primam vim contra hostem comparat Hercules ab telis suis (sagittas intellige) atque etiam ab ramalibus, & saxis ingentibus, quibus obruere conatur. Illud, *insueta rudentem*, quia nunquam Cacus in eo periculo. Itaque ab insueto malo insueta defensio. Et *rudentem* ait, quia semper de Caco, vt de fera loquitur. Sunt *vasti molares*, saxa grandia.

[d] Quid tum Cacus? Cùm videat se non posse effugere, eructat fumum è pectore, vt ita prospectum Herculi eripiat, & sic lateat, qua possit ratione.

[e] Cupidus vindictæ Hercules se in speluncam conijcit, & signatè in eam partem, vbi fumus plurimus, & maior nebula, ratus videlicet ibi latere furem.

[f] Prudentissimè hoc Hercules, vt Caci defensionem præuertat, quæ tota posita in eructando fumo: ergo, illum complectitur medio pectore, angit guttur, elidit oculos; vt sic tandem æstus ille conquiescat, caligo, & fumus. Esset hîc Poëta alius incogitans, & claua conficeret eructantem fumos. *Siccum guttur sanguine* notat Cacum iam exanimem.

[g] Cùm iam & fumus quieuisset, & fores essent reuulsæ, patuêre omnia, videlicet domus atra, boues furto sublatæ: cadauer quoque præ magnitudine *informe*, id est, sine modo, extractum inde est, atque omnibus datum intuendum. Satiari vix poterant deformi spectaculo, cùm cernerent oculos terribiles, vultum irarum plenum, pectus setis horridum, ac fauces tanquam vomitoria ignis, sed iam extincti.

NOTÆ.

1. AT SPECVS, &c.] Versus hic factus ad imitationem Enniani illius 16. Ann. *(Imitatio.)*

Tum caua sub montem latè specus intus patebat.

Patuit verò specus ad deiectum scopulum. Habes huius rei imaginem in expugnatione quapiam apud Ammian. lib. 20. *Turri collapsa, cùm patuisset iter in vrbem.* Hîc etiam considera, nihil tandem esse virtuti inuium. Possem multis firmare; sed tantùm tibi in memoriam adduco historiam Alexandri apud Curt. de expugnata Tyro: Marij apud Sallust. de rupe saxea occupata, vbi Iugurthæ thesauri; Traiani apud Plin. in Paneg. vbi ait, virtuti illius non obstitisse intersfusum mare, immensa flumina, mõtes præcipites: Annibalis apud Polyb. & Liu. de expugnatis Alpibus. Istæ enim historiæ adsimiles expugnationi rupis Herculanæ. *(Virtuti nihil inuium.)*

2. REGIA.] Sic antra Æoli dicta *regna* 1. Æneid. sic pastorum domunculæ & caules. Demum quicquid ad possessionem alicuius pertinet, dici regnum eius quit. Nihil enim olim regno maius mortales putabant. Inde puto à magnis Scriptoribus sæpissimè αὐτοκράτορες, id est, *Imperatores*, dici βασιλεῖς, id est, *Reges*. Ita Iustinianus Imperator lib. 4. Epig. dicitur ἄναξ: & Michaël Paleologus ab Phile in Iambis βασιλεύς: & Tiberius Imperator Constantinopolitanus ab Simocatta lib. 1. Hist. cap. 1. βασιλεὺς Τιβέριος. Taceo alios. Quasi Regio nomine potiùs, quàm Imperatorio gauderent. Inde iura Imperialia absolutè *Regalia* dicebantur. Sed quidem ad speluncam Caci dictam *regiam*, pertinet, ianuam mediam scenarum (è tribus, quibus se histriones in publicum dabant) dictam βασίλειον, ἢ σπήλαιον, *regiam*, *aut speluncam*, quod Pollux scribit lib. 10. Adeunda, quæ de Regno Rusticorum iam ego in Eclog. Quibus non malè annecti quit actio illa in iure, quæ dicta, *finium regundorum* in re agresti. Lege Brisson. & Simonem Schardium. *(Regia, vox communis ad multa.)* *(Imperatores dicebantur Reges.)* *(Regalia quæ sint.)* *(Regia de antro histrionum.)*

3. VMBROSÆ PENITVS PATVERE CAVERNÆ.] Ad gustum hunc Claud. 2. Stilicon.

——penetrale profundum
Panditur, & sedes, atque arcana patescunt.

4. NON SECVS, AC SI.] De consecutione harum vocum vide Godesc. lib. de Ling. Lat. *(Non secus ac si.)*

5. TERRA DEHISCENS.] Notetur locus Aristotelis lib. de Mundo, vbi numerat sex genera terræ motuum. Primò, ἐπικλίνται, qui in obliquum quatiunt. Deinde, βράσται, qui non in obliquum, sed rectis angulis succutiunt. Tertiò, χασματίαι, qui sunt in hiatibus, & caueis. Quartò, ῥῆκται, qui terram discindunt, hiatúmque aperiunt. Quintò, ὧσται, qui labefactant, & subuertunt. Sextò, παλματίας, qui vibrant, quassántque. Poëtam itaque ad ῥήκτας refero, vt etiam Statium lib. 8. loquentem de Amphiarao, *(Terræ motuum sex genera.)*

Lethiferásque domos, orbísque arcana sepulti
Rupit.——

Et cùm ait,

——dissiluisse nouo penitus telluris hiatu
Tartara.——

Idem lib. 9 *terra abrupta*, dixit, & lib. 7. *praeceps humus ore profundo dissilit*. Ad ῥήκτας (inquam) Virg. & Stat. nam tantùm terram discindunt. Quod genus hiatus dicitur ab Eurip. in Elect. περίτομα χθονός. Claud. 2. Rapt. ad ῥήκτας, ὥστας, παλματίας respexit, cùm scripsit,

Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronáque vibratis radicibus oppida verti.

In fragore ῥήκτας adhibet, in turrium concussione παλματίας, in subuersione ὥστας. Homer. Iliad. 20. tantùm ad παλματίας. Subiungo versus, quia aliis visum, aspirasse ad illos Virg. *(Imitatio.)*

——αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξε
Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.
Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπιδάκου Ἴδης,
Καὶ κορυφαί. Τρώων τε πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν:

——sed subter Neptunus concussit
Terram immensam montiúmque alta cacumina,
Omnes autem mouebantur radices fontosæ Idæ,
Et vertices. Troianorúmque vrbs, & naues Achiuorum.

Eurip. in Taur. etiam ad παλματίας, cùm ait.

——χθονὸς δὲ νῶτα σεισθεῖσαν σάλῳ:
——terræ autem terga motu concuti.

Silius lib. 5. multa coniunxit in suo terræ motu hærens Homero, & Virgilio.

Cùm subitus per saxa fragor, motúque repentè
Horrendum colles, & summa cacumina totis
Intremuêre iugis, nutam in vertice sylua
Pinifero, fractæq; ruunt super agmina rupes.
Immugit penitus conuulsis ima cauernis
Dissiliens tellus, nec paruos rumpit hiatus.

Ex loco Aristotelis, quem adduxi initio Notæ, non parum illustrabitur Ammian. lib. 17. vbi persequitur genera terræ motuum. Et ego miror Hadrianum Iunium, non ex Aristotele opem quæsiuisse, cùm posset, ad locum Ammiani, quem emaculat lib. 5. Animad. cap. 15.

6. DEHISCENS.] Græci omnes διαρραγεῖν.

7. DIS

Deorũ inimicitiæ. 7. DIIS INVISA.] Inimicitiæ quidem inter θεοὺς οὐρανίους, & καταχθονίους. Plato apud Stat. lib. 8.

Quæ superum labes inimicum impegit Auerno
Æthera? quis rupit tenebras?———

Hom. Iliad. 20. ait de Diis cœlestibus στυγέουσι, videlicet οἰκία Plutonis, vbi odium vides: & de Cerbero Sen. *diem inuisum expuit.*

Barathrum, quid propriè. 8. BARATHRVM.] Quid propriè sit, aperit interpres Aristoph. in Plut. τὸ βάραθρον, χάσμα τι φρεατῶδες καὶ σκοτεινὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, εἰς ὃ τοὺς κακούργους ἔβαλλον: *Barathrum, hiatus in Attica tenebrosus, & instar putei, quem in locum nocentes deturbabantur.*

Lux inimica manibus. 9. TREPIDENT IMMISSO LVMINE MANES.] Vicinum hoc Notæ superiori. Timent enim manes cœli lucem. Inde minæ Magæ apud Lucanum libro sexto.

———*tibi, pessime mundi*
Arbiter, immittam ruptis Titana cauernis,
Et subito feriêre die.———

Inde etiam apud Sen. in Fur. horror Cerberi ad visam lucem. Lege & Claud. etiam de horrore equorum Plutonis ad visum Solem. Pluto apud Stat. lib. 8. *Iucundáque offensus luce.* Claud. 1. Rap. de extremo malo, *pubes Titania vidisset cœleste iubar.* In simili terræ hiatu Hom. 20. Iliad.

Imitatio. Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς,
Δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθε
Γαῖαν ἀναρρήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
Οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη:
Timuit verò subtus Rex inferorum Pluto,
Territus autem ex throno desiliit, & clamauit, ne ei desuper
Terram discinderet Neptunus quassator,
Domus autem ipsius mortalibus, & immortalibus apparerent.

Propertius de re Caci loquens Eleg. 10. lib. 4.

Atque vni Stygias hominum iunxisse tenebras.

10. INSPERATA DEPRENSVM IN LVCE REPENTE.] Lucan. 6. *Et subito feriêre die.* De Cerbero Sen. *Nuor percussit oculos lucis ignotæ.*

Saxum pro monte. 11. SAXO.] Ita vocat montis illius specum. Sic & Hom. Iliad. 12. πέτρην de monte. Et Epigram. 3. de scopulo maris πρὸς πέτρησι. & lib. 1. scopulum, vbi aues nidificant, πέτρα. Cicero 2. Tuscul. reddens versus Æschyli, *ex sublimi vertice saxi.* vbi per *saxum* intelligit montem Oetam. Sic capi potest illud 2. Æneidos.

Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Id est, de montis vertice.

12. INSVETA RVDENTEM.] De Caco Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Per tria partitos qui dabat ora sonos.

Cacus quo telo victus. 13. TELIS PREMIT.] Sagittis fortasse, quod suprà indicaui. Liu. ait, Cacum ictum fuisse claua. Accepit, credo, ab Ouid. qui,

Occupat Alcides, adductáque claua trinodis
Ter, quater aduersi cadit in ora viri.

Dionys. quoque, ἡρακλῆς αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει. *Hercules illum claua interficit.* Sed Virg. quidem contra Cacum *omnia arma aduocat*, & conficit ferum *telis*. id est, sagittis: *ramis*, id est, claua: *vastis molaribus*, id est, saxis grandibus.

Herculis claua dicta est Ramus. 14. RAMIS.] Quiuis obuiè interpretabitur, caudicibus, ramalibus, truncis. Non sic est. *Ramus* hoc loco est claua Herculea: etenim Hercules cepit contra Cacum *robur nodis grauatum*, & frustra certè cepit, nisi hic interpreteris de eo robore, aut claua. Etenim si Propertio libro quarto Eleg. 10. licuit dicere,

Mænalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus.———

Si Propertio (inquam) licuit dicere *ramum Mænalium* pro claua Herculana, cur non Virgilio *ramus* pro claua tricuspide? Orpheus in Hymno Herculis, loquens cum illo,

Ἐξέλασον δὲ κακὰς ἄτας, κλάδον ἐν χερὶ πάλλων:
Expelle mala nocumenta vibrans ramum manu.

Ramus de claua Herculis. Lib. 4. Anth. claua Herculis dicitur ὄζος θηρολέτης, *ramus feras conficiens.* & adhuc πλήθος μίζας. *ramus magnus.* Pausan, Corinth. ait *clauam* Herculis *repullulasse*, ῥόπαλον ἀνεβλάστησε. hoc autem proprium est rami. Vides vti claua Herculana, clarè nominetur *ramus.* Virgilius voluit *ramis* in plurali, quia integra arbor gestata Herculi, cum omnibus ramalibus & radicibus, quod satis indicat Theocritus εἰδ. 25. ait enim;

Εὑρὼν, σὺν πυκινῇσιν ὁλοσχερὲς ἔσπασα ῥίζαις:
Cùm inuenissem, vnà cum densis integram auulsi radicibus.

Claua dicta à ligno. Ab his, quæ dicta in hac Nota, sciat iuuentus, vnde gestamen hoc Herculis dictum sit *claua*: non certè aliunde, quàm à *ramo*, aut *ligno*. Inde illi, quos

Calones vnde dicti. Clauatores, id est, calones. in exercitu Romano Scriptores vocant *calones* ἀπὸ τῶν κάλων, id est, *à lignis*; illi (inquam) dicti quoque *clauatores.* Apertè Veget. ait, datas tyronibus *clauas ligneas*, pro gladiis: & *claua* fustis erat. Eurip. quoque in Hercule, huius viri clauam vocat ἀλεξητήριον ξύλον, *lignum quo nocumenta propulsarentur.* Non itaque probè Isidor. dixit, clauam Herculis dictam à clauis ferreis. Nihil in ea claua ferreum fuit, sed quia tota

Eleuata calceamenta quæ. è ligno, ideo claua. Studeo etiam affirmare *eleuata calceamenta*, quibus rustici vtebantur (*sculponeas* possis nominare) non dicta à clauis ferreis, quibus confixa, sed à materia lignea. Hinc etiam intelligetur, qui sint *clauatores* apud Plaut. in Mercat. & Ruden. Neque contra hoc est, aureos interdum clauos Principum crepidis subiectos. Vt de Antiocho scribit Valer. Max. & de Principe alio Plin. lib. 33. c. 3. In Plauto quoque est, *soccis aurum suppactum.* Absolui rem. Sed, quando sum in claua Herculana, dicam duo. Primum de materia. Virg. cùm nominatit *robur*, vi-

Oleaster materia clauæ Herculanæ. detur inclinare in roboream. Sed veritas est, eam fuisse ex oleastro: nam Theocrit. εἰδ. 25. eam vocat ἀγριέλαιον, id est, *syluestrem oleam*, atque etiam κότινον *oleastrum*, quod idem. Pausan. etiam lib. 2. ita scribit. τὸ δὲ ἡρακλέα λέγουσιν ἀνδρὸς ... πρὸς τῇ Σαρωνίδι κότινον, ἀπὸ τούτου τεμεῖν ῥόπαλον: *Ferunt Herculem abscidisse clauam ab oleastro, quem ad paludem Saronidem inuenerit.* Vnde cùm Apollon. 4. Arg. hanc clauam vocat ὄζον ἐλαίης, *ramum oleæ*, explicandus est, ἀγριελαίης: & Virg. qui *robur* dixit, capiendus tantùm de firmitate. Alterum est de loco, vbi inuenta hæc cla-

Herculis claua vbi inuenta. ua. Vidisti in Pausan. ad paludem Saronidem. Prop. indicat inuentam in Mænalo; qui mons in Arcadia, nam vocat *ramum Mænalium.* Apollodorus tamen lib. 1. loquens de Hercule, ῥόπαλον αὐτὸς ἔτεμεν ἐκ Νεμέας: *clauam ipse excidit è Nemea sylua.* hæc autem in Achaia fuit.

Imitatio. 15. FVGA PERICLI.] Similis locus Catulli.

Nulla fugæ ratio, nulla est spes, omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia lethum.

Fuga nulla est mali. Eurip. quoque in Alcest. οὐδ' ἐστὶ κακῶν ἄκος οὐδέν. A quo proculdubio Opp. 2. Hal. ἀλλ' ἔτι κακῶν ἄκος, οὐδ' ἀλεωρή.

Caci flammæ. 16. FAVCIBVS INGENTEM FVMVM.] Ita de Caco Ouid.

Prima mouet Cacus collata prælia dextra,
Remque ferox saxis stipitibúsque gerit.

Queis vbi nil agitur, patrias malè fortis ad artes
Confugit, & flammas ore sonante vomit.
Quæ quoties spirat, spirare Typhoea credas,
Et rapidum Ætnæo fulgur ab igne iaci.

Porrò de isto fumante & flammato anhelitu Sil. 12. *Stygios exhalat in aera flatus.* & de Iapeto, *fumantem, eiectantem ore flammas, anhelantem igni, & sulphure.* Taurum Cretæ spirantem flammas πυρπνόον vocat Poëta quidam lib. 4. Anth. & lib. 3. hic ignitus flatus dicitur ἆσθμα πυρός.

17. INVOLVITQVE DOMVM CALIGINE CÆCA.] Quàm multis rem eandem? essent alij ieiuni. Hic vides: *Euomit fumum ingentem, inuoluit domum cæca caligine, eripit prospectum oculis, glomerat noctem fumiferam, commiscet igne tenebras, fumus plurimus agit vndam, æstuat specus atra nebula, vomit in tenebris vana incendia.* Verissimum est, ab vna Virgilij pagina plura disci posse, quàm à multis aliorum. Et nota, illum abstinuisse à verbis *spiro*, & *exhalo*, quia iam 1. Georg. *tauri spirantes naribus ignem.* & ibid. *quæ tenuem exhalat nebulam.* & à *subtexo*, quia iam 3. Æneid. *Cælum subtexere fumo.* Demum ab aliis, quæ eodem lib. intulit loquens de Encelado, & Ætna. Et (quod miror) à verbo *eructo*, quod videbatur vnicè dandum Caco ἐρεύγοντι fumum è faucibus. Hæc certè, & huic similes Notulæ perducent te ad imitationem Virgilij, præsertim si illum compares cum siccitate aliorum. Occasionem Apollonio res similis suppeditabat ostentandi ingenij, cùm sermo esset de tauris flammiuomis. At ille tantùm, πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες. & inf. θεινὴν φλόγα φυσιόωντε. ô ieiunium. Theoc. εἰδ. 24. ἐναπλήσθη ὄρφνας.

(Margin: Virgilij vbertas. — Flammas euomere.)

18. GLOMERAT FVMIFERAM NOCTEM.] Est hoc, quod in re simili Sil. lib. 12. *expallescere cœlum.* Vt hîc *glomero* de igne, ita Manil. lib. 1. *ignis glomeratur in orbes.*

(Margin: Glomero de igne.)

19. VNDAM.] Dari hanc fumo, & igni, satis illustraui 2. Georg. ad illud, *Vndantem Ætnam.* & aliàs. Hîc notetur locus Tertul. Apolog. *lucernis vestibula enubilabant.* & Pers. Sat. 5. *nebulam vomuere lucernæ.* Ita enim nebula datur lucernis, vt vnda ignibus. Vtrunque enim aqueum.

(Margin: Vnda de igne. Nebula de lucernis.)

20. INCENDIA VANA.] Vel, quia frustraneum hoc munimen contra Herculem: vel potiùs quia verè vana, vt in quibus fumi multùm, ignis parùm.

(Margin: Vanitas de igne, cur.)

21. IN NODVM COMPLEXVS.] Id est, ligat complexu, & nodo brachiorum. Nonn. lib. 21. χαλκῷ δεσμῷ: *Valido membrorum vinculo.* Lucan. lib. 4. *Herculeos nodos* dixit. Ambros. de Virginit. *manum stringentem nodo manus.* Itaque nodus præclarè ad signandam strictionem. Sen. in Furen. *arctos nodos* de serpentibus; vt etiam de iisdem 2. Æneid. *diuellere nodos.* & Theoc. εἰδ. 24. δεσμὸς etiam de serpentibus. Et non dubium, quin Virg. alluserit ad *Herculanum nodum.* Hos nodos brachiorum Herculis Sil. lib. 3. *nexum* vocat, *nexúque elisa leonis ora.* Cic. 2. Tusc. ait leonem extinctum *pressu* Herculis. Stat. 2. Theb. *attritu.* Eurip. in Hercul. βραχιόνων ἀγχόναισιν. Itaque *nodos* illos vocabis *nexum, pressum, attritum,* ἀγχόνην. Lucanus lib. 4. copiosus est in explicandis his amplexibus Herculis, loquens de Antæo. Signatiora sunt; *alligat terga, arctat medium compressis ilibus, hæret pressis membris, stringit pectora.* Pulchrè certè Ouid. 9. Metamorph. *forcipem* vocat, cùm ait, *ceu guttura forcipe pressus.* Hi omnes proculdubio alludunt ad magnitudinem corporis Herculei, qui vastos homines Cacum, & Antæum, vastum etiam leonem circumdaret brachiorum nodo. Certè Sen. in Oet. illum Gi-

(Margin: Nodus in complexu. Vinculum de complexu. Herculeus nodus. — Nexus in complexu. — Forceps de complexu. — Hercules staturosus.)

A gantem vocat. Valer. Flacc. ait, *Conspicuúsque toris Tirynthius.* & Sen. in Oet. ad incrementum,

Æquas Herculeos iam iuuenis toros.

Cic. 2. Tusc. *O pectora, ô terga, ô lacertorum tori.* Val. lib. 2. dat illi *lata pectora.* Ouid. 9. Metamorph. *grandia ossa.* Ab Orpheo in Hym. dicitur καρτερόχειρ. Theoc. εἰδ. 25. illum vocat χειρὶ ἐνκαρτερόν. Sed quid in amplexibus, & brachiis moror, cùm ministratori in epulis prauè sibi poculum porrigenti mortem attulerit, percutiens tantùm τῷ δακτύλῳ ἑνὶ, ait Pausan. in Corinth. id est, *vno digito?*

22. ANGIT.] Videlicet gutture, vel ex verbo *ango*, vt Græci ἄγχω. Itaque presso gutture, oculos Caco B elisit. Sic Nonnus lib. 25. ait datam necem leoni ab Hercule ἀσίδηρον, *sine ferro*, tantùm λέοντι βραχίονα λοξώσας, *circumdans brachium leoni.* Itaque hoc est, quod de Hercule lib. 4. Epig. ἀγχόμενος παλάμαις. Et de Antæo ibid. ἔγχει σφιγγόμενον ἐν παλάμαις. & de Icone Dio Chrys. Orat. 64. ἄγξας ἔπνιξε. & quod Stat. 4. Theb.

(Margin: Mors sine ferro qua.)

———*rabidi cùm colla minantia monstri*
Angeret, & tumidos animam angustaret in artus.

23. ELISOS OCVLOS.] Ab arctissimo, vt dicebam, complexu. Quam sententiam illustro Græco Epig. lib. 4. vbi Hercules dicitur ita ceruam compressisse, vt illa linguam exsertaret.

(Margin: Oculi elisi.)

C Ἡ δ' ὑπὸ χάσματι πολλὰ καὶ ἄσθματι φυσιόωσα,
Γλώσσῃ σημαίνει θλιβομένην κραδίην:

Illa autem distema flatu, hians multùm, atque anhelans
Indicat lingua pressum cordis.

24. SICCVM SANGVINE GVTTVR.] Ita in 9. *Et siccæ sanguine fauces.*

25. ABIVRATÆQVE RAPINÆ.] Notat Germ. dictum id more Græcorum, quibus ἀπομνῦναι, est ἀποφατικῶς ὀμνῦναι, id est, *negare cum iuramento*: sicut contrà ἐπομνῦναι, est καταφατικῶς ὀμνῦναι, id est, *affirmare cum iuramento.* Dionys. historiam narrans de iuramento tacet: tantùm ait, rogatum Cacum respondisse, boues à se non visas. Virgilius periurium addit ad augendum crimen, ad eum modum, quo Symm. D epist. 86. lib. 2. *Partem pretij emptor abiuras.* Et Claud. 6. Hon.

(Margin: Abiuro, quid.)

Abiurata palàm Libya possederat arua.

Notat Collect. Symb. ex Scipione Gentili, esse *abiuratum*, quod emptum est, & non solutum, imò abnegatum. Et has ipsas boues Plato in Protag. vocat ἀπωμοτους.

26. COELO OSTENDVNTVR.] Aspirat huic Stat. 1. Theb. de Oedip. deformato ab oculis erutis.

(Margin: Locorum similitudo.)

Tum vacuos orbes, crudum & miserabile vitæ
Supplicium ostentat cœlo, manibúsque cruentis
Pulsat inane solum.———

27. PEDIBVSQVE, &c.] Iuuenal. Sat. 5.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
E *Et ponêre foras.*———

(Margin: Pedibus trahi.)

Erasm. Chil. 2. Cent. 1. cap. 18. ait, *pedibus trahi*, dici de victis, sumpta locutione vel ab historia Vulcani, quem Iuppiter deiecit de cœlo ποδὸς τεταγών: Vel ab Hectoris, quem illigatum pedibus equi raptarunt. Hinc itaque lux Virgilio, & Iuuenali.

28. NEQVEVNT EXPLERI CORDA TVENDO.] Stat. 1. Theb. perpetuus Virg. imitator,

———*iuuat ire, & visere iuxtà*
Liuentes in morte oculos, vterique nefandam.
Proluuiem, & crasso squallentia pectora tabo.

Et post pauca,

———*nequit iram explere potestas.*

Latet & in Virg. Homeri imitatio 22. Iliad. vbi Græci, interfecto Hectore, currunt visuri illum, admiran

(Margin: Imitatio.)

mirantur eius staturam, & speciem. Valer. lib. 4. *Ipse* A *etiam expleri victor nequit.*

Vultus mortui repræsentat pristinam iram.

29. TERRIBILES OCVLOS.] Hanc notam deformitatis post mortem dat Stat. Capaneo, & Suetonius Neroni. Prior 11. Theb.

Ille iacet laceræ complexus fragmina turris
Toruus adhuc visu. ———

Posterior cap. 29. Principem mortuum exhibet *exstantibus, rigentibúsque oculis vsque ad horrorem, formidinémque visentium.* Iterum Stat. 3. Theb.

Seruantem vultus, & toruum in morte peracta.

Non absimile illud Valer. 2. Arg. qui de Gigantibus versis in lapides,

Quisque suas in rupe minas, pugnámque, metúsque
Seruat adhuc. ———

Lucan. lib. 5. *Torquet adhuc oculos.* Ouid. 8. Metamorph.

Immanémque feram multa tellure iacentem
Mirantes spectant, neque adhuc contingere tutum
Esse putant. ———

Claud. 3. Rap.

——— *& adhuc crudele minantur*
Affixæ facies truncis. ———

Florus lib. 1. *Relicta in vultibus mina, & in ipsa morte ira viuebat.* Sallust. de Catil. interfecto: *Ferociámque animi, quam habuerat viuus, in vultu retinens.* Poëta hanc terribilitatem vnis oculis attribuit; vt in quibus sedes irarum. De oculis enim Ioan. Chrys. Orat. Pelagiæ Virg. δριμὺ καὶ φοβερὸν: aciem illorum πικρὸν καὶ ἄκρατον vocat Plut. in Sylla. Eurip. Phœniss. ὄμμασι γοργὸς.

Oculi irarum sedes.

30. EXTINCTOS IGNES.] Vertant stilum, qui dicunt hoc tantùm verbum dici de igne, non alia. Quid dicent de Petron. qui Sat. *lucernis occidentibus?* Alij, *mori* & *commori* de lucernis.

Occido de igne, & mori.

ᵃ Ex illo celebratus honos, lætíque minores
Seruauêre diem: primúsque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.
ᵇ Quare agite ô iuuenes tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris:
Communémque vocate Deum, & date vina volentes.
ᶜ Dixerat, Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauítque comas, foliísque innexa pependit;
Et sacer impleuit dextram scyphus. Ocyùs omnes
In mensam læti libant, Diuósque precantur.

ARGVMENTVM.

Datur Herculi diuinitas & ara in memoriam accepti beneficij. Inuitat Euander Troianos ad similem celebritatem, coronat se, & scyphum accipit, fit libatio, & precatio.

EXPLICATIO.

ᵃ Victo Caco suscepta sunt sacra Herculis ab Euandro, & arrepta à posteris simili pietate. Primus auctor aræ huius, quæ dicta Maxima, Potitius fuit; atque Pinarius, ad cuius postea domum & familiam pertinuit custodia sacrorum Herculis. Porrò grauis illa geminatio de *ara semper Maxima* continet veluti omen quoddam nunquam desituri Romani Imperij, sicuti neque illius sacri.

ᵇ Hîc iam ad parem celebritatem inuitat Troianos. Indicia erunt, coronæ in comis, pocula in manibus, vt ita cum coronis precentur, cum poculis libent. Itaque, sententia, parùm hactenus expensa, hæc est. Cingite vos coronis, vt inuocetis communem Deum, præbete nobis mutua pocula, vt ita fiat libatio.

ᶜ Consequenter ista: nam statim Euander se coronauit, & arripuit poculum. Inde secutæ ad coronam preces, ad poculum libatio. Vide, quàm sibi B in omnibus Virg. constet. Itaque quatuor ista coniuncta sunt. *Cingite fronde comas; communémque vocate Deum; velauit comas, Diuósque precantur.* Rursum hæc quatuor. *Pocula porgite dextris; date vina volentes, impleuit dextram scyphus, in mensam læti libant.* Vide, quàm leuiter solet Virg. à Grammaticis percurri.

NOTÆ.

1. MINORES.] Despuo Seruianas nugas. Loquitur Virg. cum respectu ad reliquam ætatem, & ideo probè *minores*. Hoc nouum in Poëtis non est. Itaque non discedit Poëta à significato huius vocis. Propriè enim *minores*, qui vltra trinepotes: sicuti *maiores*, qui vltra tritauum. Sic, cùm postea dicit, C *domus Pinaria*, loquitur proculdubio cum respectu ad ætatem posteram, sicut & Liu. Nam clarum est, assumptum ab Hercule vnum è Pinariis, vt vnum quoque è Potitiis; non totam Pinariorum familiam. Quod efficax argumentum contra Seruium.

2. PRIMVS.] Videtur mihi Poëta alludere ad illum, quem Græci vocant protomystam, id est, principem Sacerdotum. Qua voce vsus Sidon. epist. 17. lib. 4.

3. POTITIVS.] Inane est ad alios decurrere, vbi adest Liuij auctoritas. Is ait, Euandrum, cùm sacra Herculis, & aram condebat, adhibuisse Potitios, & Pinarios, quæ tunc familiæ inclytæ loca illa incolebant. Fortasse autem accidit, vt Potitij primi adessent,

Potitij in sacris Herculis, &

sent, & exta apponerent; mox autem, adesis dapibus, Pinarij accessere. *Inde Potitij* (ait Liu.) *ab Euandro edocti antistites sacri eius per multas aetates fuerunt.* Hinc liquidum, cur Poëta Potitium principem nominarit, deinde Pinariam familiam, quae *custos* dicitur, id est, ministra. Vt, *At Triuiae custos.* In eandem sententiam loquitur Dionys. lib. 1. vbi Potitios duces vocat ministrorum, & Pinariis secundum honorem attribuit, quòd scilicet tardiùs venissent. Macrob. quoque ait lib. 5. Satur. cap. 6. Herculem statuisse, vt Pinarij *ministrandi tantummodo causa, non ad epulas conuenirent.* Sed subiungo verba Liu. vti leguntur à Nannio lib. 5. Miscell. ex duplici codice, ex qua lectione apparent etymologiae Potitiorum, & Pinariorum: *Forte ita euenit, vt Potitij ad tempus praesto essent, iique exta potirentur; Pinarij ad ceteram dapem venirent.* Ergo Potitij à potiendo, Pinarij ἀπὸ τῆ πεινᾷ. Consentit Plutarch. qui ἐν ῥωμ. Pinarios ducit ἀπὸ τῆ πεινῆν, quòd, aliis edentibus, ipsi ab epulis excluderentur. Expleui pensum, adiicio duo. Primum, Potitios omnes extinctos fuisse sub Appio Claudio Censore, eósque omnes intra annum vnum, cùm duodecim familiae illorum fuissent, quia videlicet, *Appio auctore Potitia gens, cuius ad aram Maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos, ministerij delegandi causa, solemnia eius sacri docuerat.* Agnosce verba Liuij lib. 9. Quod exemplum rarum est, ne quis audeat dimouere statu Religionem, ait ille. Hinc est, vt Mamert. Paneg. Maximi mentionem faciat Pinariorum in sacris Herculis, quae durabant vsque ad illud aeui, praeteritis Potitiis, qui iam extincti. Alterum, haec sacra accepta à Romulo, & familias has initiatas ad ea peragenda exemplo, credo, Atheniensiu, apud quos in sacris Cereris Eumolpidae solùm initiabantur. Apud Pausan. Corinth. quaedam fiunt sacra, in quibus εὐκλήτορες tantùm ministri. In sacris etiam Bacchi familiae quaedam destinatae erant, quod claret ex verbis Arnob. lib. 5. *Nebridarum familiam pellicula cohonestauit hinnula.* Itaque possis sacra haec appellare *gentile familiarum donum*, quibus fermè verbis ad rem aliam vsus Tacit. 2. Annal. Et quidem in eodem lib. idem Tacit. ait, è certis familiis assumi Sacerdotem ad sacra Apollinis Clarij. Et lib. 6. ait, sacerdotia quaedam destinata familiae Blaesiorum. Ista historiarum concinnitas plausibilis saepe est.

Custos, id est, minister.

Etymon.

Potitij quando extincti.

Religio non dimouenda ab statu.

Eumolpidae Atheniensium.

Familiae destinatae ad sacra.

4. HANC ARAM LVCO STATVIT.] Quia luci sacri, & olim pro templis, inde altaria in lucis. Stat. 3. Sylu.

Festaque pallentes hilarent altaria luci.

Et 4. Theb.

—hic magna lucus signabitur ara.

Sed de hoc iam locis aliis. Inde rami lucorum cum coronis, quia sacri. Ouid. 8. Metamorph.

—equidem pendentia vidi

Serta super ramos.—

Et Apul. lib. 1. *ramum coronatum* dixit.

Altaria in lucis.

Rami coronati.

5. QVAE MAXIMA SEMPER.] Haec est illa ara, quae in Herculis honorem extructa, de qua Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Maxima quae gregibus deuota est ara repertis.

Sed praestat audire verba Liuij, quae ore Euandri ad Herculem: *Ioue nate Hercules salue, te mihi mater veridica interpres Deûm aucturum caelestium numerum cecinit, tibique aram hic dicatum iri, quam opulentissima in terris gens MAXIMAM vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere se omen, impleturúmque fata, ara condita atque dicata ait.* Habes aram Maximam à Liuio. Rationem, cur ita dicta, quam ille tacuit, exhibet Dionys. quia videlicet cùm aras multas haberet in Italia Hercules (adeo vt rarus esset locus, vbi is nô coleretur) haec inter ceteras veneratione erat praecipua. Nam & deierationes fiebant per eam, conuentionésque, quibus voluissent plurimùm firmitatis inesse. Dionys. ὁ ἢ βωμὸς, ἐφ' ὧ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ ῥωμαίων Μέγιστος: *Ara, vbi decimas sacrificauit Hercules, vocatur à Romanis Maxima.* Notabis Ouidium, & Tacitum oppositos esse. Nam ille 1. Fast.

Ara Maxima.

Eius religio.

Constituítque sibi, quae Maxima dicitur, aram.

Hic vbi pars vrbis de boue nomen habet.

Vbi vides, Herculem sibi aram statuisse. Scriptor verò 15. Annal. *Magna ara, fanúmque, quae praesenti Herculi Arcas Euander sacrauerat.* Sed vtrumque esse verum poterit, cùm vterque operam dederit his sacris. Demum addo (si hoc est aliquid ad illustrationem) eundem Herculem constituisse apud Pind. Od. 6. Olymp. ἀκρότατον βωμὸν in honorem Iouis *aram summam, maximam.*

6. ET ERIT QVAE MAXIMA SEMPER.] Eadem geminatione Propert. lib. 4. Eleg. 10.

Maxima quae gregibus deuota est ara repertis

Ara per has (inquit) Maxima facta manus.

7. MVNERE.] Quis nescit maximas celebritates, & in quibus esset religio, dici *munera*? Tertullianus Apolog. *munera in arena.* Martial. *nam post tua munera Caesar.* Inde *munerarij* in eodem Tertull. Sed haec trita iam est obseruatio.

Munera in arena.

8. CINGITE FRONDE COMAS.] Sciunt omnes, quae sit *prima mensa*, quae *secunda*: sciunt etiam fuisse inter vtranque interuallum, quod *quietem* vocat Virgil. 1. Aeneid. Sed, cùm hoc sciant, de Poëtae animo ne cogitarunt quidem. Hunc aperiam. Dabantur in prima mensa cocta, aut elixa, vtique carnaria omnia: in secunda (Graeci δευτέραν τράπεζαν nominant) bellaria, τραγήματα, ἐπιδορπίσματα, ἐπίδειπνα, ὑπερήμματα, τραγάλια. Haec enim omnia inuenio ad rem eandem. Ergo Poëta primam mensam apponit ab eo versu,

Quies, spatium inter mensam vtramque.

Haec vbi dicta, dapes iubet, & sublata reponi

Pocula.—

vsque ad illud,

Postquam exempta fames, & amor compressus edendi.

In hac mensa vidisti *viscera taurorum*, *exta lustralia.* Pergo. Secundam apponet infrà, eo versu,

Instaurant epulas & mensae grata secundae.

Iam ad rem. Interuallum inter vtramque mensam dicabatur *coronis*, *vnguentis*, *vinóque ad libationem.* De *vnguentis* tacuit Poëta, *coronas*, & *vinum* intulit. Inde itaque in hoc loco, quod non expensum hactenus,

Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris.

Coronis in conuiuio quod tempus assignatum.

Sed iam ad firmamenta moris huius seruari soliti in interuallo vtriusque mensae. Athen. lib. 4. in conuiuio, quòd ex Matrone Parodo adducit, post versum illum,

αὐτὰρ ἐπεὶ δόρποιο μελίφρονος ἐξ ἔρον ἕντο

Postquam compressus amor dulcis coenae;

inducit puerum vnum formosulum, qui adducit μύρον ἡδὺ, *vnguentum suaue*: & alium, qui στεφάνας, *coronas*: & tandem κρητὴρ, ἐκ Βρομίου ἐκεράννυτο, *miscebatur crater Bromij.* Post quae omnia (ego enim cursim, quae ille latè) subiicit,

δεύτεραι αὖτε τράπεζαι ἐφωπλίζοντο γέμουσαι,

Secundae rursum mensae plenae apparabantur.

Nihil clarius ad rem Maronis. Idem Athen. lib. 3. ex Archestrato locum dat coronis post primam mensam: στέφεσθαι (inquit) & mox imperat acciri tragemata. Multa sunt loca in Athen. his simillima. Qui attentè

attentè legat opus Plutarch. de Conuiuio septem sapientum, hoc apertè deprehendet. Nam post illa verba, ἐπεὶ δὲ ἤρθησαν αἱ τράπεζαι, *postquam sublatæ sunt mensæ*, id est, primæ, vt apparebit statim. Post hæc (inquam) verba, deinde subiicit, καὶ στεφάνων διαδοθέντων ὑπὸ τῆς Μελίσσης, *& coronæ distributæ sunt à Melissa*. Longo tandem deinde spatio redit secunda mensa, cùm videlicet Periander præbibit magnum calicem Chiloni. Hæc enim nota est secundæ mensæ. Idem lib. 5. Sympos. παντοδαπῶν γὰρ μετὰ τὸ δεῖπνον ἤδη στεφάνων περιφερομένων, *circumlatis omnigenis coronis post epulas*, videlicet primas. Sic enim intelligendus Plut. nam Symp. 8. clarè ait στέφανον, id est, *coronam* allatam ἀπηρμένων τῶν πρώτων τραπεζῶν, *sublatis primis mensis*. Credo, me iam mentem Poëtæ, & cursum hunc integrũ aperuisse. Scio, dissidium esse inter auctores (vt constat ex Ath. lib. 15.) vtrùm coronæ primis, an secundis mensis adhiberentur? Sed hoc nihil Poëtam lædit: potuit enim in re libera sequi hunc, vel illum morem. Et quidem, si rem exactè perpendis, nullus aptior locus, quàm interuallum illud. Nam, cùm coronæ adhiberentur ad sedandum feruorem ebrietatis, debebant certè imponi ante secundam mensam, in qua largior ebrietas, & capaciora pocula: quod ego iam 1. Æneid. An alia ratio, cur melilotum ἰσόποτον dicatur ab Athen. lib. 15. nisi quòd præseruaret à futura ebrietate? Vide Hieron. Mercurial. lib. 5. Var. c. 6. Demum omnes coronarias herbas huic vsui natas, quis dubitat?

Propinatio secunda mensa.

Primis, & secundis mensis coronæ adhibitæ.

9. PORGITE.] Stat. 2. Sylu. *porxit*. Sil. 9. *porgebat*. Val. 2. Arg. *porgens carchesia*. Fest. *exporgere* pro *exporrigere*. Titinnius (citante Nonnio) *exporge frontem*. Par illud apud Varr. Rust. cap. 1. *subduxe*. & Teren. Adelp. *produxe*. Horat. Sat. 9. lib. 1. *surrexe*. & Sat. 4. lib. 1. *surpite*. & Od. 13. lib. 4. *surpuerat*; quod acceptum à Lucret. qui *surpere*. Plaut. Asin. *surruit pallam*, pro, *surripuit*. Et Heraldus in Arnob. agnoscit *surgere*, pro *surrigere*. Porrò, sciri velim, verbum *porrigo* esse conuiuiale, quod apparet ex Virg. hîc, & Valerio iam adducto; & Ouid. 1. Art. *pocula porrige*. Itaque respondebit τοῖς ἐκτείνειν, ἐπιβάλλειν, ὀρέγειν. quæ variis locis Athen. attribuit conuiuantibus: & τῷ προτείνειν, quo vsus Plut. in vita Alex. φιάλην προτείνειν.

Porgere. Subduxe. Produxe. Surrexe. Surpite. Surruit. Porrigo cõuiuiale verbum.

10. COMMVNEM DEVM.] An propterea *communis Deus* Hercules, quòd cultus ab Troianis & Arcadibus, vt vult Donatus? An quia medius inter Deos, atque homines, vt Mediusfidius dictus? sunt enim Deorum alij Cœlestes, alij Terrestres, alij Medij, quos Medioximos vocat Apul. Ita sentit Seruius. Adiicit rationem aliam, dici posse Deum communem, quia Põtificali ritu, idem est Hercules & Mars. Inde postea Salij Herculi attribuntur, qui verè sunt ministri Martis: atqui Mars communis est Deus. Ergo, si Hercules ritu Pontificum Mars est, erit proinde communis. Tertiò (ait ille) dici quit communis (in hoc inclino) quia humanus, & φιλάνθρωπος. Patuit enim Herculis bonitas in omnes mortales, debellatis vbique monstris, & virtute asserta. Inde Seneca in Oet.

Hercules toto iacet mundo gemendus.

Dij enim quidam in vna tantùm prouincia colebantur, vt vnus Faunus in Arcadibus, in hos tantùm beneficus. Hercules vbique terrarum. Sic Mercurius dictus est κοινός, *communis* ab Luciano, Plutarcho, Aristide, quia, inuentis artibus, bonus in omnes. Ergo Hercules accessit Marti, Bellonæ, Victoriæ, qui dicti *Dij communes*. Inde illud Sen. Agam. loquentis cum Hercule,

Imparem æquasti numerum Deorum.

Hercules Deus communis.

Communis Deus cur dictus Hercules.

A 11. DATE VINA.] Cape Poëtam de largissimo potu, & capacissimis poculis in libatione, post primas epulas. Inde Ælian. lib. 2. var. Hist. c. 1. ait, μετὰ γὰρ τὸ ἐμφορηθῆναι τροφῆς, tum maximè indultum οἴνου καὶ προπόσεων. Calaber etiam lib. 2. κισσυβίῳ κυπέλλῳ in re simili, grandem enim cyathum indicat. De forma hac, *date vina*, dictum in Georg.

Pocula capacissima in libatione.

12. VINA.] Duo dicam in hac Nota. Primum, nulla fermè sacra in Gentilibus esse absque ebrietate. Inde ab Aristotele (aduocat hunc Athen. lib. 1.) μεθύειν, id est, *inebriari*, sumitur pro *vti vino in sacris*, quasi nulla sacra absque ebrietate. Et ex Seleuco adducit, cautum veteribus, ne se vnquam vino ingurgitarent, nisi tantùm in sacrificiis. Indè fortassè Scriptores, cùm reprehendunt vanitates Gentilium,
B qui falsis Deis honores indebitos tribuebant, illos ebrios esse aiunt. Origenes contra Celsum lib. 3. πάντας γὰρ καθ' ἡμᾶς μεθύειν οἶδε τοῖς ἀψύχοις ὡς θεῷ προσλαλοῦντας: *Quicunque enim res inanimas, tanquam Deum, alloquuntur; ebrij habentur à nobis.* Satis indicat hoc nomine traduci solitos Ethnios. Alterum est, respuere me Seruianam commentationem hanc; *Date vina: quia tantùm Dijs Superis vina libari decebat.* Falsum hoc. Apud Apollon. lib. 2. Iason, cùm primùm Colchos appulit, vinum fudit, non solùm in honorem Telluris, ac Deorum Patriorum, sed etiam τῶν ψυχαῖς καμόντων ἡρώων, *animabus mortuorum Heroum*. Apud Plaut. etiam Lar Familiaris ait,

Huic filia vna est: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat.

C Atqui Lares esse, quos Dionys. lib. 4. vocat τοὺς κατ' οἰκίαν ἥρωας, certum est, id est, *Heroës domorum*. Inde illos Priscian. interpretatur θεοὺς κατοικιδίους quia præsunt domibus. Intelligebant verò Gentiles per θεοὺς ἥρωας, *animas defunctorum*, qui domos olim habitassent, & mortui tueri easdem crederentur.

Ebrietas in sacris Gentilium.

Gentiles cur dicti ebrij.

Vina in honorem etiã Inferorum Deorum.

Lares qui Dij.

13. BICOLOR CVM POPVLVS.] Explico quid sit hoc loci *bicolor*. Dixi iam 7. Eclog. populum albam sacram esse Herculi, non nigram. Inde non inclino, sed clarè assero, Poëtam capiendum, non de corona facta ex vtraque populo, alba, & nigra; sed tantùm de alba. Roges: si *alba* tantùm, qui *bicolor*? Audi Ouidium, qui de olea

Ponitur hic bicolor sinceræ baccha Mineruæ.

Atqui olea non alba, & nigra. Ergo vt Ouid. oleam
D vocat *bicolorem*, ità Maro populum. Et vterque capiendus de discrimine illo, quod est inter vtramque faciem. Ita Petron: *oliuas in altera parte albas, in altera nigras*. Stat. præclarè 1. Sylu. notans hoc discrimen dixit, *discolor vmbra populus*. Vt Virg. 6.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit,

videlicet color dissidens in vno eodemque loco. In Pers. Sat. 5. *bicolor membrana* est, introrsum candida, extrorsum purpurea, aut lutea. Itaque, vna & eadem membrana dicitur *bicolor*. Et clarum, candidam fuisse introrsum, vbi scriptio ipsa: extrorsum verò, aut luteam, quia Tibull. Eleg. 1. lib. 3.

Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.

E Aut purpuream, quia Martial. Epig. 5. lib. 11.

Et iam purpureis dat tertia nomina fastis.

Hieronym. etiam Prol. in Iob. *membranis purpureis*. Iuuat etiam Seruius, qui de Hercule: *Cùm ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur, de hac arbore corona facta, caput velasse: vnde foliorum pars temporibus cohærens, & capiti abluit sudore; pars verò exterior, propter inferorum colorem, nigra permansit.* Demum Virgilij bicolor idem est, quod Ouid. 10. Metamorph. *acerque coloribus impar*. Pugnaui istis; nam video quosdam mirè cespitantes. Notandum verò vnicè ex Seruio est,

Poëtam

Bicolor cur populus.

Membranæ ornatus.

Herculis corona.

Coloribus impar, quid.

Poëtam capiendum de æuo ipsius Euandri tantùm: nam postea qui ad aram Maximam sacrificabant, laurum sumebant ad sacra, ex proximo Laureto, quod in ipso Auentino, aduocátque Varronem. Inde in sacro Herculis Sen. in Furen.

Laurus etiā in sacris Herculis.

——densa quòd læto venit
Clamore turba, frontibus laurum gerens,
Magnique meritas Herculis laudes canit.

14. REPENDIT.] Non hoc referas ad pendentes lemniscos; nam nulli in hac corona: tantùm est honesta, & poëtica locutio.

B

15. SCYPHVS.] Propriè: nam *scyphus* vas est Herculis. Plutar. in vita. Alex. ad finem. σκύφον Ἡρακλέους, *scyphum Herculis*. Sen. in Epist. *Alexandrum intemperantia bibendi, & ille Herculaneus, ac fatalis scyphus perdidit.* Stesichorus loquens de Hercule,

Scyphus vas Herculis.

Σκύφιον δ' λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον
Πῖν' ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας:
Scyphum accepit, vas plenum, capáxque trium lagenarum,
Bibit, exhausitque; quod & Pholus miscuit & præbuit.

Apud Eurip. Alcest. ipsemet Hercules meminit sui σκύφου. Ideo verò fortasse hoc poculum sacrum Herculi, quia eius sacra mira omnia celebritas; atqui Horat. Od. 27. lib. I.

Natis in vsum lætitiæ scyphis.

Vidit verò quidpiam oculatissimus Poëta, quod te scire velim. Scribit Ath. lib. 11. veteres vsos scyphis, cùm rem sacram facerent extra muros, atque in agris. Inde ergo vaganti Deo, ac peregrino hoc poculum assignatur: & eo Euandrus rem sacram facit extra muros, vt vides. Ex dictis Stat. illustro lib. 6. Theb. qui profectò scyphum intellexit his versibus,

Scypho fiebant sacra extra vrbem.

Huic pretium palmæ, gemini cratera ferebant
Herculeum iuuenes: illum Tirynthius olim
Ferre manu solus, spumantémque ore supino
Vertere, seu monstri victor, seu Marte, solebat.

Ex hac magnitudine dictum Horat. Od. 9. Epod.

Capaciores adfer huc puer scyphos.

Et Alcm. apud Athen. lib. 4. μέγαν σκύφον. In Stesichoro vidisti τριλάγυνον. Arnobium in animo habuisse Herculem credibile est, cùm scripsit: *Date quæso immortalibus Diis, bibant scyphos, brias, pateras, sympinia depromite.* Nec mihi dubium, quin Epigramma Græcum lib. 4. Anth. οὐ γὰρ τρεχοντὴρ, &c. capiendum sit de scypho. Demum affertur scyphus, quia, vt dicebam, vas capacissimum, & in secunda mensa & libationibus res fiebat poculis largissimis.

Libatio in poculis capacioribus.

A

Quod iam alibi, & nunc offero Eurip. qui in Ione, loquens de extremo conuiuio,

——ἀναρπάζειν χρεών
Οἰνηρὰ τεύχη σμικρά, μεγάλα δ' εἰσφέρειν:
——auferre necesse est
Parua vinaria pocula, & magna afferre.

Inde verbum μεθύειν apud Græcos, id est, *inebriari*, quia videlicet, explicatore Philone περ. φυτουργ. dictum μετὰ τὸ θύειν: quasi post sacra fiat largissima ebrietas. Absolui rem: & tantùm tibi explico locum Plinij ex collatione cum Suetonio. Scribit Plin. lib. 37. cap. 2. *Nero amissarum rerum nuntio accepto duos calices crystallinos in suprema ita fregit illisos.* Hos calices fuisse scyphos intellige, quia Sueton. in Neron. cap. 47. eandem rem narrans, ita ait. *Duos scyphos gratissimi vsus, quos Homericos, à cælatura carminum Homeri, vocant, solo elisit.*

Calices Pliniani qui.

16. IN MENSAM LÆTI LIBANT.] Videlicet effusa aliqua parte vini è patera in mensam. Ex eodem more in 1. dixit, *in mensam laticum libauit honorem.* Et Sil. lib. 11.

Libare in mensam.

——ante omnes ductor honori
Nominis augusto libat carchesia ritu.

C

Cetera quem sequitur, Bacchique ex more liquorem
Irrorat mensis turba.——

Sed quæ ratio huius moris? Quia veteribus mensa pro ara fuit, & sacrum quiddam. Inde, sicut Diis libabatur, ita & mensæ. Seru. aptè hîc: *Apud antiquos inter vasorum supellectilem, etiam mensam cum aris mos erat consecrari, quo die templum consecrabatur. Vnde bene ait; in mensam læti libant, quam constabat cum ara Maxima dedicatam, vt alibi, mensæq; Deorum.* Et lib. 1. ait, veteribus fuisse *mensas consecratas.* Quo ritu sacrarentur mensæ attingit Arnob. lib. 2. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Indicat Deos ἐπιτραπεζίους, de quibus Stat. in Sylu. & Martial. vbi de Hercule loquuntur. Inde θυωρὸς, & θυωρὶς Hesychio, & Polluci mensa conuiualis, vt quæ sacris esset destinata. Vide Scal. in Festum, & Lips. lib. 3. Antiq. Lect. Oppugnat posterior, imò ridet Macrobium interpretantem Virgilium lib. 3. Sat. cap. 11. secus, ac par est. Non ego moror Nascimbænum, atque Hortensium, hærentes Macrobio. De religione, qua habita conuiuia iam ego 1. Æneid. Porrò mori, quem aperui, annexus cottabus. Vel enim in mensam aliquid vini effundebatur, vel in pauimentum: si in mensam, dicebatur ἀπὸ κοτ..., & λείβειν, si in pauimentum, κοτταβίζειν.

Mensa veteribus sacra.

Salino mensæ sacrabantur

Epitrapezij Dij.

D

Cottabus.

ᵃ Deuexo interea propior fit vesper Olympo.
Iámque Sacerdotes, primúsque Potitius ibant
Pellibus in morem cincti, flammásque ferebant.
ᵇ Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulántque oneratis lancibus aras.
Tunc Salij ad cantus, incensa altaria circum
Populeis adsunt euincti tempora ramis.
ᶜ Hic iuuenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt: vt prima nouercæ
Monstra manu, geminósque premens eliserit angues,
Vt bello egregias idem disiecerit vrbes,
Troiámque, Oechaliámque: vt duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Iunonis iniquæ,

Pertulerit. Tu Nubigenas inuictè bimembres,
Hylæúmque, Pholúmque manu, tu Cressia mactas
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygij tremuêre lacus, te Ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento.
Nec te vllæ facies, non terruit ipse Typhœus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
[d] Salue vera Iouis proles, decus addite Diuis:
Et nos, & tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantémque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collésque resultant.

ARGVMENTVM.

[a]Adsunt cum pellibus Sacerdotes, ferunt flammas, peragitur secunda mensa, saltant Salij, fit chorus musicus iuuenum, ac senum, quo canuntur Herculis præclara gesta: adstrepunt nemora, & colles dulci cantilenæ.

EXPLICATIO.

[a] INCLINANTE in noctem cœlo Sacerdotes adueniunt, & illorum princeps Potitius, pelliti quidem, & cum flammis, vtrumque ex more sacrorum.

[b] Hucusque durauit quies, id est, spatium inter primam, & secundam mensam. Hæc iam peragitur, ac propterea dicuntur instaurari epulæ. In qua mensa iterum ad sacra recurritur, atque ideo, *cumulantque oneratis lancibus aras*. Inter hæc sacra fiunt etiam saltationes Saliorum, & quidem *ad cantus*. Erat ignis in altaribus, & Sacerdotes coronati Herculis populo.

[c] Sequitur post saltus musica, facto iuuenum, & seniorum choro, vbi canuntur Herculis præclara gesta. In his recensendis cum sequitur ordinem, vt primùm dicat, quæ infans fecerit: deinde quæ vir, tum in terris, tum in inferno. Omittenda hæc sunt, & adeundæ Notæ.

[d] Clausula præcedentis cantus, qua vult chorus saluere Herculem, & faustum felicémque adire sacra illa. Absoluitur demum cantus cum repetitione Caci domiti, & strepitu nemorum ac collium, reddentium voces chori.

NOTÆ.

Pelles in sacris. 1. PELLIBVS IN MOREM CINCTI.] Hunc morem peto ab Eurip. Bacch. vbi in re sacra loquens de duobus senibus bacchantibus,

Θύρσους ἀνάπτειν, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν,
Στεφανοῦν τε κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασι.
Thyrsos ligare, & agnorum pelles habere,
Et coronare caput hederaceis germinibus.

Sil. etiam lib. 3. sacra exhibet cum cinctione nebridis. Ergo, vt Bacchi ministri incincti nebride, ita

A credamus Sacerdotes Herculis vsos λεοντῇ in eius sacris: & *cincti* ait; nam hic habitus sacrorum. Stat. 5. Silu. Cinctio habitus sacrorum.

Verbera succincti formidauêre Luperci.

2. FLAMMASQVE FEREBANT.] Hæ quoque ex more sacrorum. Curt. de Alexandro lib. 3. *Multis collucentibus facibus, patrio more, sacrificium Diis præsidibus loci fecit*. Ouid. 3. Fast. Faces in vsu sacrorum.

Sæpe potens votis frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab vrbe faces.

Stat. 2. Theb.

Centum ibi virgineis vota Calidonides aris
Actæas tibi ritè faces, & ab arbore castra
Nectent purpureas niueo discrimine vittas.

Apul. lib. extremo in re sacra: *Ad manum dextram gerebat flammis adultam facem*. Palinus 6. Natal. B Felicis,

Sanctáque præfixis obducant lumina lamnis.

Panegyr. Theodosij: *Quid portas viremibus sertis coronatas, quid aulæis vndantes plateas, accensísque funalibus auctum diem referam?* Plutar. in Arato. ὁ μὲν μικρὸν ἑωρᾶτο τῶν οἰκετῶν αὐτοῦ δι' ἀγορᾶς, ὁ μὲν στεφάνους φέρων, ὁ δὲ λαμπάδας ὠνούμενος: *& paulo pòst ex eius familiaribus cernebatur vnus per forum gestans coronas, alius emens lampadas.*

3. INSTAVRANT.] Integrant, & renouant. Varr. *Instaurare, quasi instar nouare*. Itaque cautior Virgilius Valerio lib. 5. Arg. nam hic absolutè, *instaurant mensas*. Sed Virg. secundis tantùm attribuit. Esse verò verbum sacrorum, liquidum ex Liuio, qui sæpe attribuit sacris ludis, videlicet libris 29. 31. 37. & sæpe alibi, vt & Tacitus. Instauro; verbum sacrorum.

C 4. MENSÆ GRATA SECVNDÆ.] Secundæ mensæ mentio sparsa apud plures scriptores. Sed præsertim videndus Ath. lib. 14. Græci nominant δευτέρας τραπέζας: & Ath. explicat verbo ἐπιδειπνίζειν, quasi *iterum cœnare*. Inde est, vt etiam dicantur ἐπιδειπνίδες, quæ vox vsurpata Martiali Epig. 32. lib. 11. & τράπεζαι ἐπιδόρπιαι, & ἐπιδειπνίσματα, atque etiam ἐπιφορήματα. Ab Platone (teste Athen.) dicuntur ἐπιτραπεζώματα. Natæ omnes istæ voces ab secundo loco, quo illatæ hæ mensæ. Intelligebant verò antiqui *secundæ mensæ* nomine cibos omnes delicatiores ex saccaro, aut melle (veriùs ex melle tantùm; nam saccarum non ita in vsu veterum) qui post quietem inferebantur ad gulam de nouo excitandam; tum etiam omnis generis poma. Dulcia illa Græci vocant τρωγάλια, πέμματα, τραγήματα, Latini *bellaria*: poma suis nominibus noscebantur; vt cùm Horat. Mensæ secundæ. Bellaria.

Poma in secunda mensa.

dixit, *ab ouo vsque ad mala*, id est, ab initio vsque ad secundam mensam. Et Lampridius in Alex. *Pomis vehementer indulsit, ita vt secunda mensæ illi sæpius ponerentur.* Ita & Virg. *Rhodium* exhibet secundis mensis. Itaque cùm dulciaria certo nomine afficerentur, dicerentúrque *bellaria*; de fructibus arborum nullum certum nomen. Distinctissimè Ouid. 8. Metamorph. rem vtramque, à quo in secundis mensis adhibentur primò, *nux, carica, prima, mala, vua:* & deinde, *candidus in medio fauus est super omnia.* Pulchrè Cedrenus (neque enim ille semper ἀλόγως, vt de illo Heral. censet) secundæ mensæ attribuit verbum παρακμάζειν, quasi iam in languore sint conuiuæ. ἀγχίνους (inquit) παρακμαζόντως. Et Pind. apud Athen. vocat *desinentem*, quia hæc in exitu, δείπνου λήγοντος (inquit) γλυκὺ τρωγάλιον. Et nota γλυκὺ τρωγάλιον Pindari, vnde & Poëta, *grata dona*; quia mellita omnia suauiora. Et quidem Clemens 1. Pædag. non solùm vocat τραγήματα, vt & Plato lib. 3. Polit. sed etiam μειλίγματα. Adeò hoc verum, vt notet Stuchius lib. 3. Antiq. Conu. cap. 2. dici secundas mensas à Platone παραμυθίας ἀδονῆς, quasi voluptatis solatia. Quin Ath. obseruat, adeò gratas illas fuisse, vt à nonnullis non τράπεζαι δεύτεραι, sed absolutè τράπεζαι dicerentur κατ' ἐξοχὴν, vt quæ sua suauitate tantùm dici mensæ mererentur. Inde ab Symm. epist. 23. lib. *secundæ mensæ*, & *scitamenta* ponuntur synonymicè. Vide & de secundis mensis Plutar. in Cleomene. In exitu scias ab vno, quod sciam, Martiali fieri mentionem tertiæ etiam mensæ: in loco enim aduocato, ita ait;

Fauus in secundis mensis.

Mensa desinens de secunda.

Secundæ mensæ elogia.

Mensa tertia.

> *Has prima feret, alterave cœna,*
> *Has cœna tibi tertia reponet.*

5. ONERATIS LANCIBVS.] Credo intelligi copiam thuris, quo lances cumulabantur, neque dabantur in acerra; ad eum modum, quo Ouid. Eleg. 8. lib. 4. de Pont.

> *Nec quæ de parua pauper Diis libat acerra*
> *Tura, minùs grandi, quàm data lance valent.*

Lances thuris, quid.

Itaque in magnifico sacro, non acerra thuris, etiamsi plena, sed lances plenæ, vt effusim altaria cumularentur. Sic Tibull.

> *Natalis Iuno sanctos cape thuris aceruos.*

De his aceruis nulla mensura Arnob. capio lib. 3. scribentem: *Ægyptiorū ridetis ænigmata, quòd mutorum animantium formas diuinis inseruerint causis, eásdemque quod species multo thure accipiant, & reliquo ceremoniarum paratu.* vbi *thus multum* est depromptum ex lancibus. Ouid. etiam Metam. *Largis satiantur odoribus ignes.* Ita & Plin. c. 14. lib. 12. scribentē. *Alexādro Magno in pueritia sine parsimonia thura ingerenti aris pædagogus Leonidas dixerat, vt illo modo, cùm deuicisset thuriferas gentes, supplicaret.* Et inf. *largè Deos adoraret.* In quibus *ingestio* illa, & hæc *largitas* carent modo acerræ, & sapiunt lances.

Salij.

6. SALII.] Frustra quærit Macrob. cur Virg. Salios dederit Herculi, qui tamen Martis sunt? Nam ludios omnes & saltatores antiqui dicebant *Salios*, aut *Salisubsulos*, vt notat Scal. in Castig. ad Catull. Qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχημα, doctore Ænea, in Italia saltarunt, Salij dicti sunt, vt scribit Polemon scriptor rerum Italicarum. Hoc potiùs amplector, quàm Turnebianam mentem, vt Salij, qui essent Herculis, traducerentur ab Numa ad choros Martis. Non sic est, sed communiter omnis saltator dici quit *Salius*: sed & cantor. Nam vet. Gloss. ὑμνῳδός, *Salius*. Nec abit à Dionysij mente. Quod enim Græci dicunt ἐξάλλεσθαι, aut πηδᾶν, Latinè *salire*, ait ille. Imò, qui Dionysij integra legat, videbit nihil aut de Marte, aut Hercule: sed duodecim iuuenes saltatores ab Numa ex patritiis creatos ad sacras saltationes. Plutar. quoque in Numa ait, dictos ἀπὸ τῆς ἐγκινήσεως. Itaque dicamus, saltatores omnes dici posse Salios, ac proinde Poëtam ex proprietate vocis sic nominasse illos, qui saltarunt ad aram Herculis. Hoc idem probo ex Ammiano, & Liuio collatis. Ait prior lib. 17. *Petit primùs omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellauit.* Ait posterior lib. 38. loquens etiam de Gallis: *Cantus ineuntium prælium, & vlulatus, & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus.* In quibus posterior facit *tripudiantes*, quos prior dixerat *Salios*. Vnde colligas, generalem fuisse vocem ad omnes saltatores. Qui chorum Saliorum ductabat, dicebatur *Magister Saliorum*, vti apparet ex inscriptione apud Smett. fol. 43. numer. 7. vbi L. Antistius dicitur SALIVS, & MAG. SALIORVM. Porrò Saliorum origo obuia in Plut. & Dionys. Hîc enim ego tantùm volui Poëtam defendere à calumnia Macrobij. Sed neque inepta erit defensio, si dicam, potuisse hoc suo iure Poëtam, cū similia multa in aliis. Esto, sint verè Martis; traduxit ad Herculem. Potuit, quia Virgilius. Quid magis receptum, quàm Dianam esse venationis Deam? atqui Aiax apud Soph. loquens cum Minerua.

Salisubsculi.

Saltator omnis Salius.

Salius vox generalis.

Magister Saliorum.

Virgilius defenditur.

> ——— καί σε παγχρύσοις ἐγὼ
> Στέψω λαφύροις τῆσδε τῆς ἄγρας χάριν:
> ——— *& te aureis ego*
> *Coronabo spoliis huius venationis gratiâ.*

Vide etiam, vti illum defendat Scal. in Castig. ad Festum, in vocibus *Axamenta*, & *Festram*. De generibus Saliorum vide eundem ex Seruio, in voce *Salios*.

7. AD CANTVS.] Ea fortasse forma, qua, *seruus ad pedes*. & Martial. *ad pedes vernam.* Vide Turn. lib. 16. cap. 5. Sic Propert. Eleg. 1. lib. 4. *pastorem ad baculum.* ibid. *sobrius ad lites.*

Ad cantus.
Ad pedes.
Ad baculū.
Ad lites.

8. POPVLEIS.] Arbore quippe Herculea. Stat. 3. Sylu. de hoc Deo,

Populus arbor Herculis.

> *Populeáque mouens albentia tempora sylua.*

Inde Claud. dicturus laudes Herculis:

> *Pone habitum, quo mollis amas, & frondis amatæ*
> *Linque nemus, mollique exsutus tempora lauro,*
> *Populea mecum carmen luctare sub vmbra.*

Theocrit. in Pharm. λεύκαν, id est, *populum*, dicit esse ἡρακλῆος ἱερὸν ἔρνος, *Herculis sacram plantam.* Quin nulla alia ratio, cur magni Heroës (vt apud Horat. Od. 3. lib. 2. Teucer) populeas gestarent coronas, quàm ad imitationem fortissimi Herois. Ergo, vt Bassarides, Satyri, Sileni ministri Bacchi coronabantur hedera, corymbis, pampynis: vt Gratiæ apud Martian. lib. 2. rosis; nam illæ ministræ Veneris, & rosa ipsa est Veneris: vt Cyrenenses (quod est apud Macrob. lib. 1. c. 7.) ficis cùm sacrū faciunt Saturno, quia ficus Saturni est: ita pari consecutione ministri Herculis populo Herculea. Volui ad exitum dare Tertull. verba tanquam appendicem, complectentis omnes arbores sacras Herculi. In lib. de Cor. *Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleastrum, nunc apium.*

Heroës populo coronati.
Hedera Bacchantium.

Rosæ Veneris.

Ficus Saturno sacra.

Herculi tres arbores sacræ.

9. HIC IVVENVM.] In his choris iuuenum & seniorum potuit alludere ad varios ritus, vt Poëtam par est facere. Puberum choros inuenies apud Pausan. in Lacon. in celebritate Apollinis. Eadem attingit in Att. aliud agens, παίδων (ait) ἐν χοροῖς. Apud Hom. 1. Iliad. inducuntur

Chori puerorum.

> Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν:
> *Latum canentes Pæana pueri Achiuorum.*

Plut. in instit. Lacon. adducit choros γερόντων, ἀνδρῶν, παίδων, *seniorum, virorum, puerorum.* Et de choris præ-

sertum puerorum Lacedæmoniorum meminit Arist. 3. Polit. cap. 4. In fragmentis Bacchilidæ leges, παιδικοὶ ὕμνοι φλέγονται: *vigent chori puerorum.* Max. Tyr. dissert. 21. ἀθηναίοις δὲ ἡ μὲν παλαιὰ Μοῦσα, χοροὶ παίδων ἦσαν, καὶ ἀνδρῶν: *Antiqua Athenienſium Muſa, nihil aliud, quàm puerorum, virorúmque.* Plato etiam 2. Leg. triplicis chori meminit, *puerorum, iuuenum, ſenum.* Ex his ergo variis ritibus potuit Poëta dare choros iuuenum, & ſenum. Hoc diſcrimen in aliis celebritatibus ſeruatum leges in Vlpiano, in Orat. Demoſth. contra Midiam. Notat enim, Demoſthenem meminiſſe χορηγὸς τῶν ἀνδρῶν in feſtis Bacchi, *virorum ludionum:* cum tamen alibi dixerit eſſe χορηγοῦντα παισὶ Διονύσια, *præbuiſſe eum in Bacchanalibus puerorum.* Poſſum ſuſpicari verba Philon. lib. de Præm. & Pœn. poſſe lucem accipere ab his, quæ tracto in hac Nota. Ait ille: πᾶσαι μὲν αἱ ἀρεταὶ παρθένοι, καλλιστεύει δὲ ὡς ἐν χορῷ παραλαβοῦσα τὴν ἡγεμονίαν ἥ τε εὐσέβεια, καὶ δικαιοσύνη: *Sunt quidem virtutes omnes virgines, ſed harum choros ducunt pulcherrimæ Pietas, & Iuſtitia.* Vides tum choros, tum Pietatem, & Iuſtitiam: quarum prior reſpicit iuuenes, qui pij erga parentes; poſterior ſeniores, quorum eſt propria erga inferiores æquitas. Nihil certe vetat, Philoſophum Iudæum aliud agentem huc alluſiſſe. *[Pietas, & Iuſtitia ducit choros.]*

10. CHORVS.] Alluſum ad antiquum morem, quo poſt epulas aderat chorus. Ath. lib. 1. ἐπὶ τούτοις χορὸς εἰσῆλθεν ἀνθρώπων ἑκατὸν ἐμμελῶς ᾄδοντων γαμικὸν μέλος: *Adhæc ingreſſus eſt chorus hominum centum, qui ſuauiter canebant carmen nuptiale.* Et lib. 12. in conuiuio Alexandri ait, primò ingreſſos pſilocithariſtas, deinde cantores, tertiò choros. Valer. 5. Arg. de conuiuio Deorum, *[Chorus poſt epulas.]*

Tunc aſſuetus adeſt Phlegræas reddere pugnas
Muſarum chorus, & cithara pulſator Apollo.

Potuit ſumere à Calab. qui lib. 4. in conuiuio Deorum exhibet etiam Gratiarum ὀρχηθμὸν, *ſaltationem;* & Muſarum μολπὴν, *cantum.* Hac enim re Gentiles ſæpe ſacra ſua adornabant. Apud Soph. in Elect. Clytæmneſtra in ſacris χοροὺς ἵστησι. Ceterùm chori ſignatè in honorem Herculis meminit Euripid. in Alceſt.

11. SENVM.] In inſcriptione illa L. Antiſtij, cuius ſuprà memini, notat Smetius fuiſſe in eo cippo, *ſculptum ſtemma, hoc eſt, caput cum pectore ſenis macilenti, barba ad viuum raſa, capite tonſo & nudo;* vt videatur hic fuiſſe habitus Saliorum, cùm iam ſenes. *[Saliorũ habitus iam ſenum.]*

12. LAVDES HERCVLEAS.] Non geſta, aut facta, aut quiduis aliud; ſed ſignatè *laudes.* Itaque, fortaſſe alluſum ad Græcam vocem, ſcribente Catone in Orig. dici à Græcis *Heraclionem,* quaſi Iunonis gloriam. Nam *Hercules* (ait) eſt vox Ægyptia. Obſerua, propoſitum ad imitationem locum Calab. ex lib. 4. in celebritate, quæ fit in gratiam Thetidis, inducit Neſtorem connumerantem latè ipſius Deæ laudes. Omitto locum, vt longum. *[Heraclio. Hercules vox Ægyptia.]*

13. FERVNT.] Alij, *ferant,* quod præfero.

14. NOVERCÆ MONSTRA.] Claud. de laudibus Herculis.

——datur inde nouercæ
Materies, grauibúſque odiis augmenta miniſtrat,
Et vinci cœpiſſe pudet: mox improba binos
In tua membra iubet, dum naſceris, ire dracones.

Pind. Od. 1. Nem. loquens de Iunone, πέμπει δράκοντας.

15. GEMINOS PREMENS, ELISERIT ANGVES.] Ita Pauſan. Attic. de hoc labore, ἄγχει τοὺς δράκοντας. Theocrit. εἰδ. 24. *[Dracones Herculei.]*

——χείρεσσιν ἀφύκτοις ἀμφοτέρους ἐσφίγξε ...

συμπλήγδην.——

Quibus ait, tenuiſſe illum manibus teneris tenaciter & conſtrictim. Pind. Od. 1. Nem. ſerpentes ait δεξαμένος ab Hercule, quos apprehendit διὰ αὐχένων. In Græco Epig. lib. 4 *[Premere angues.]*

Θλῖβε δρακοντείους φοινίκικας εὐρείας χέρας
Ἡρακλέες, δακέθων ἀγχιβαθεῖς φάρυγας:

Quod ſic redditur. *Preme, ô fortiſſime Hercules, ſuis manibus ſerpentium fauces dracônticas, oblongas, profundas.* Græci alij aliis flexibus. Nam Philoſtr. Iunior ἀπολαβὼν dixit. & Pauſan. μάρψας. Quo verbo etiam Plaut. Amph.

Alterum altera eos manu prehendit perniciter.

Claud. ita,

Corripis exiguis mox grandia guttura palmis.

Sidon. Epithal. Polem.

Paruulus hic gemino cinctus ſerpente nouercæ
Inſcius arridet monſtris, ludúmque putando
Inſidias, dum neſcis, amat: vultúque dolentis
Extingui deflet, quos ipſe interficit angues.

16. TROIAM.] Hom. 5. Iliad. loquens de Hercule. *[Troia expugnata ab Hercule.]*

Ἰλίου ἐξαλάπαξε πόλιν, χήρωσε δ' ἀγυιάς:
Ilij ciuitatem diripuit; viduauit vias.

Calab. etiam lib. 1. ait, expugnatam à Græcis Troiam, ἅμ' Ἡρακλῆι δαΐφρονι, *vnà cum forti Hercule.*

17. OECHALIAM.] Erat hæc Euryti Regia in tractu Meſſeniaco, diruit eam Hercules, quia pactam filiam Iolen Eurytus non daret. Ouid. Epiſt. *[Oechalia.]*

Gratulor Oechaliam titulis accedere noſtris.

Et 4. de Pont.

Alcides capta traxit ab Oechalia (laudem.)

18. MILLE LABORES.] Ideo Hercules ab Orpheo dicitur παντοδυνάστης: & lib. 4. Epig. μυριόμοχθος, & παιδευμάτωρ. Homer. 15. Iliad. πολλοὺς ἀθλῆσαι. Nam tametſi duodecim præſertim decantentur labores, vnde & Nonnus lib. 55. illum vocat [illegible], ſed plures alios fuiſſe, liquidum ex Pauſan. multis in locis. Plin. Paneg. *ſuos labores, duráque imperia Regi ſuo indomitus ſemper indefeſſúſque referebat.* Inde adagij forma Cedren. pag. 614. ἄθλα γὰρ δὴ ἕκαστον, ἆθλος ἡράκλειος: *Referre ſingula, Herculeus ſit labor.* *[Herculis labores.] [Prouerbiũ.]*

19. REGE SVB EVRYSTHEO.] Vt eſſet inutilis in hac re mora! Arreptus, credo, verſus Hom. Iliad. 8.

——τετρύχετο ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων. *[Imitatio.]*

20. FATIS.] Horat. *fatalem laborem* dixit de Hercule epiſt. 1. lib. 2. *[Fatale de Hercule.]*

21. IVNONIS INIQVÆ.] Hoc auſu loquebantur Ethnici de ſuis Diis. Liu. lib. 26. *Nec iam Q. Fuluy ſæuitiam in ſeſe, ſed iniquitatem Deûm, atque execrabilem fortunam ſuam incuſabant.* Hom. 15. Iliad. Ζεὺς κακὰ ἔργα μητίσεται: *Iuppiter machinatur opera mala.* & 12. Odyſſ. θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται, *mortales incuſant Deos.* Sed quidem Max. Tyr. diſſert. 3. poſt adductas quaſdam ſententias Homeri, adiicit, ἔοικε δὲ καὶ ταῦτα τὰ ὀνόματα εἶναι μοχθηρίας ἀνθρωπίνης, εὔσχημος ἀποστροφή ἀναθέντων αὐτῆς τὴν αἰτίαν τῷ δαιμονίῳ, καὶ ταῖς Ἐριννύσιν: *Videntur autem hæc eſſe nomina humanæ improbitatis conferentis, ſpecioſo prætextu, culpam ſuam in Deos, & in Erinnyas.* Falſus tamen in hoc Maximus; nam cur non incuſentur Dij ταραχώδεις, βάσκανοι, ἀλιτήριοι, ἀπατεῶνες, ἀμείλικτοι, φόνων ἀθεμίτων ἐρασταί. Adduxi verba Baſilij Seleucienſ. lib. 1. Hiſt. Teclæ, id eſt, *turbulenti, inuidi, impuri, abominandi, implacabiles, cædium ſceleſtarum amantes?* Iterum eos vocat τυραννοῦντας: & pater ipſe mendaciorum dæmon, θρασὺς, ἀναιδὴς, τολμηρὸς, παμπόνηρος, εἴρων, φιλοπόλεμος, πανοῦργος, θωπευτικός: *audax, impudens, temerarius, inſigniter malus, comenticſus, belli amicus, improbus, adulator.* Arnob. lib. 4. de Diis loquens: *Amatores, adulteri caſtitatis, nec cum feminis tan-* *[Dij Gentilium.]*

tum, sed cum viris etiam propudiosos flagitiosósque miscere A
concubitus.

22. NVBIGENAS.] Centauros intelligit. Cur dicantur geniti è nube, obuium in fabulis. De pugna Herculis contra hos aliquid spargere, non erit ingratum. Pulchrum est Græcum Epig. lib. 4. in Herculem vino captum.

Οὗτος ὁ νῦν ὕπνῳ βεβαρημένος, ἠδ' ἐ κυπέλλῳ,
Κενταύρους νήφων ἐκτεβαρὺς ὄλεσεν:

(Margin: Centauri victi ab Hercule.)

Qui nunc est grauis somno & vino,
Sobrius vicit ebrios Centauros.

Pausan. Heliac. prior. modum pugnæ adiungit; ait enim Herculem ἐξοινοῦντα Κενταύρους. & in Lacon. meminit pugnæ singularis Herculis cum Oreio Centauro. Notetur pulchra locutio Simocattæ lib. 4. cap. 6. ab fera & immani horum natura. Nam de Hormisda. λίαν κενταυρικῶς ἐλοιδορεῖτο τοῖς διακονουμένοις αὐτῷ: *reprehendebat admodùm Centauricè ministrantes sibi.* Vt *Nubigena* à Virg. ita ab Stat. 5. Theb. *Nubigenæ caluere mero.*

(Margin: Centauricè, pro, superbissimè.)

(Margin: Bimembres.)

23. BIMEMBRES.] Mitto Stat. qui *bimembres* cum Poëta libris 1. & 12. Silium lib. 3. Claudianum 7. Ruff. Cornificium indicatum à Macrob. lib. 6. cap. 5. & adduco aliorum flexus. Cic. 2. Tusc. *biformato impetu Centaurorum.* Manil. lib. 1. *Mistus equo.* iterum: *tergo pectus commissus equino.* Claud. 1. Ruff. *cognatis aptantis equis.* Stat. 4. Theb. *duplex Hylæus.* Cic. ex Soph. 2. Tusc. *bicorporem manum,* id est, exercitum bicorporeorum. Demum Manil. de Capricorno, *duplici formatus imagine.* Notetur locus Stat. 7. Theb. qui Centauris dat duplicem animam, equi vnam, hominis alteram.

(Margin: Hylæus Centaurus, & Pholus.)

24. HYLÆVMQVE, PHOLVMQVE.] Hylæi Centauri qui meminerint adduco 2. Georg. vide & ibid. de Pholo: & auctoribus ibi indicatis adiice Iuuen. Sat. 12. & Stesichorum Poëtam; qui ait, hunc Centaurum fuisse pocillatorem Herculis, οἱ παρίθηκε φόλος κεράσας. Pholi, sed non Centauri, mentio est apud Stat. & Sil. 8. Theb. & 1. Pun. Pausan. in Lacon. meminit oppidi Pholi, vbi pugna Herculis cum Centauris. Verba eius: καὶ ἡ παρὰ Φόλῳ τῶν Κενταύρων μάχη. D

25. CRESSIA PRODIGIA.] Sublimiùs aliis Virgilius, addo & signatiùs. Sublimiùs: nam quid tu confertas cum hac maiestate, *Cressia mactas prodigia?* Reliqui, nisi taurum nominent, contenti non sunt. Hi sunt Ouid. Sen. alij. Sed eximo ab hoc numero Theocritum, qui εἰδ. 25. mira maiestate de hoc tauro loquitur. Signatiùs: quia allusum ad res Cretensium, & flammas tauri. Ad res Cretensium, quia ferax monstrorum Creta fuit, vt apparet ex hoc tauro, & ex Minotauro. Sic & Theoc. εἰδ. 25. leonem Nemæum vocat τέρας. & eundem Panyasis, βεμβινήταο πέλωρον. Ad flammas, quia ideo taurus prodigiosus, quia flammiuomus. Lib. 4. Epig. inter labores Herculis.

(Margin: Prodigium de tauro.)

(Margin: Creta ferax monstrorũ.)

———Ἐκ Κρήτης τὸν πυρίπνοον ἤλασε ταῦρον. E

Fuit verò hic taurus in vrbe Cnosso. Pauf. Heliac. prioribus inter labores Herculis, καὶ τὸν ἐν Κνωσσῷ ταῦρον. Sed Poëta generatim Cretam maluit. Seruius verba Poëtæ refert ad leonem, non ad taurum; ἀτόπως, & inepte satis. Ratio illius, quam omitto, nulla est: nam fabulæ liberæ sunt. Quid, quòd esset discrepantia in Poëta? Non enim quadrant Cressia prodigia cum leone Nemæo ex distantia locorum. Est & dolus alius contra Seru. Nàm Marathonius taurus, quem Theseus interfecit, nihil ad Cretam. Est enim Maratho in Achaia. Vt intelligas quæ hîc à me dicta contra Seru. opus est Seruio adito. Itaque, alius est taurus Herculis, alius Thesei: ille in Creta

(Margin: Taurus Herculeus vbi. Seruij nugæ.)

interfectus, hic in Attica; quod clarè scribit Isocrat. attingens res Thesei in encomio Helenæ.

26. PRODIGIA.] Hanc vocem duci à verbo *prodico,* certum ab Tullio 2. de Nat. vbi ait: *Ostendi, monstrari, portendi, prodici: ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur:* Itaque legendum in Tullio *prodici,* non, *predici.*

(Margin: Prodigium vnde dictũ. Prodico.)

27. NEMEÆ SVB RVPE LEONEM.] Ferunt fabulæ, latuisse leonem hunc in antro. Ergo, *sub rupe,* id est, in antro rupis. Stat. 3. Sylu. *& formidatus Nemees ager;* quia ab antro leo excurreret in vicina arua. & lib. 4. *Nemees frondentis alumnus.* Sen. in Fur. *Nemea timor.* & in Oet. *Nemei mali: Nemea pestis.* Pind. quoque huic feræ dat ἄλσος. Sicut Eurip. in Furent. Διὸς ἄλσος ἠρήμωσε λέοντος. Pauf. Heliac. prior. τὸν λέοντα ἐν Νεμέᾳ. Theoc. εἰδ. 25. Νεμέου θηρός. Hesiod. Theog. Νεμειαῖον λέοντα. Sed quidem Val. pro interprete Virg. est; nam quod hic *sub rupe,* ille clarè *antrum,* cùm ait lib. 8.

(Margin: Leo Nemæus.)

Talis ab Inachiis Nemea Tirynthius antris.

Atque etiam Pausan. Corinth. vbi ait, videri suo adhuc æuo Nemei leonis σπήλαιον, *antrum.* & Theocrit. εἰδ. 25. vbi,

Θηρίον, αἰνολέοντα, κακὸν τέρας ἀγροιώταις,
Κοίλην αὖλιν ἔχοντα Διὸς Νεμέοιο παρ' ἄλσος:
Feram, sæuum leonem, malum monstrum agricolis,
Cauum domicilium habentem in nemore Iouis Nemæi.

Digna sunt, quæ legantur duo Epigrammata lib. 4. Anthol. Initium primi; μηκέτι ταυροβόροιο. Alterius: ἐκ Νεμέης ὁ λέων. Sciat Lector, fuisse vrbem in Thessalia, cui nomen Νέμεα. de qua hîc nihil. Nam ager iste Nemæus, qui honori Herculeo, & vbi interfectus leo, in Peloponneso fuit. Pausan. generaliùs de hac fera in Heliac. prior. Nam, ἐν τῇ γῇ τῇ Ἀργείᾳ λέοντα. Panyasis verò, βεμβινῆτα λέοντα, videlicet à Bembina vrbe Nemeæ.

(Margin: Nemea duplex.)

28. TREMVERE LACVS.] Pulchrè me Hercule, & à nemine expensum. *Tremor* aquarum est. Græci illis dant ταραχήν. & Hom. ταράσσεται πόντος. & Ouid. in Can. epist.

(Margin: Tremor, cur de aquis.)

Vt mare fit tremulum, tenui cùm stringitur aura.

Ergo, Virg. ita aquis dedit humanum affectum, vt non recederet à proprietate illarum.

29. IANITOR ORCI.] Multus est in his Sen. in Furente. In Poëta est ἐξήγησις. Nam, ideo *lacus tremuere,* quia Cerberus. Pausan. in Hel. prior. τὸν κύνα τοῦ ᾅδου, inter labores Herculis reponit. Et in Arcad. loquens de Eurystheo ex vet. Poëta.

(Margin: Cerberus.)

Εὖτέ μιν εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο προὔπεμψεν
Ἐξ Ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο:
Tunc, cùm ipsum indomiti demisit in atria Ditis,
Colla canis traheret furui quo Regis ab aula.

30. OSSA SVPER RECVBANS.] Poëtæ, qui loquuntur de carnificina Cerberi in damnatos, essent verè optimi, si abesset hic versus: ille item Horat. Od. 11. lib. 3.

Spiritus teter saniésque manet
Ore trilingui.

Cum his duobus collati reliqui, infantes sunt.

31. NEC TE VLLÆ FACIES.] Id est, formæ, & species malorum. Cùm totus hic tractus, & imprimis is versus, spiret virtutem Herculis, audienda aliqua illius elogia, in quæ incidi, quæ pertinent ad virtutem. Ab vno Orpheo in Hymno dicitur ὀβριμόθυμος, μεγασθενής, ἄλκιμος, ἀδάμαστος, βρύων ἄθλοισι, ἀγριόθυμος, ἔχων ἦτορ πάγκρατες, ἀκάμας, ἀπειλέσσας, ἀστεφίλικτος. Theoc. εἰδ. 25. illius virtutem vocat ὑπέροπλον. Callimach. Artemide, ἀκμητα. Coï illum vocarunt ἀλεξιν, vt auctor est Aristides. Calab. δαΐφρονα.

(Margin: Herculis elogia.)

ἐ ... Hom. 5. Iliad. θρασυμέμνονα, θυμολέοντα. Theoc. A εἰδ. 13. ταλαεργὸν, ab patientia in laboribus, & χαλκεοκάρδιον, vt cui cor ferreum ad tolerantiam. Græca Epigrammata κρατερὸν. θρασὺν, ἀεθλοφόρον, βαρύχειρον. Theoc. de illo εἰδ. 24.

Οὔ χαὶ θηρία πάντα, καὶ ἀνέρες ἥσσονες ἄλλοι:

A quo & feræ omnes, & viri superantur.

Euphemia Herculea. In lib. 1. Epig. ita canitur εὐφημία, θεὸν ἀνίκατον μὲν ὁ ... : *Faciat te inuictum Hercules.* Ibid. fingitur pennata victoria sustinere Herculem. Opp. lib. 2. Cyn. vocat κρατερὸν, ἀθλεύοντα. Latinos si adducerem, quis finis?

32. NON TERRVIT.] Græcum Epigramma lib. 4. dat Herculi ἀταρβῆ θυμόν. De illo Sen. Oct. *Non lethæos horret amnes.* & Furen. *Ad omne clarum facinus audaces manus.* Ait Seru. dici *terruit*, pro, terreret, aut terruisset, nam cum Typhoro nunquam Hercules. Certè Pausan. in Lacon. adducit ἡρακλέους μάχην πρὸς θηρίων γίγαντα. Itaque, cùm pugnarit cum aliis Gigantibus, potuit Poëta illum Typhoro quoque obiicere, præsertim cùm virtus Herculis abierit in Prouerbium ad virtutem exaggerandam, vt cùm Simocatta lib. 2. cap. 18. dixit, Ἡρακλῆς γὰρ ἦν τὴν ψυχήν: *erat virtute Hercules.* — Hercules contra Gigantes.

Typhœus. 33. IPSE TYPHOEVS, &c.] In hoc vno *ipse* ..., cùm ab aliis ademerit. Itaque, qui consideret, quæ de Typhoro scripsit Hesiod. videbit nihil dici potuis posse ad virtutem Herculis celebrandam. Versus parauerem, sed ademi vt multos.

Rationis egens. 34. RATIONIS EGENTEM.] Ab Lucret. credo, C qui lib. 4. *præstat rationis egentem.* Ab his alij. Nam Manil. lib. 2. *rationis eget.* Stat. 3. Theb. *rationis egebit.* & lib. 1. flexit alio, *rationis inops.* Hom. ἀμηχανῶν. Vulgus Græcorum, ἄνοιαν, ἀσέβειαν. Vix verò dici potest, qua auiditate arripuerit locutionem istam Statius trāsferens ad res alias, vt cùm ait lib. 5. *egentem sanguinis ensem.* & 1. *nec stirpis egemus*, id est, sumus nobiles. Cui in 5. opponit directè, — Inops. Oppositio.

Obscurum proauis, & priscæ lucis egentem.

35. LERNÆVS.] Ab palude, vbi hic anguis. Eurip. in Herc. ὕδραν ἕλειον, quasi dicas, *hydram palustrem.*

Hydræ capita. 36. TVRBA CAPITVM.] In Græco Epig. lib. 4. πολυκάρηνον ὄφιν. & in alio, πολυαύχενον ὕδρην. Eurip. in Herc. μυριόκρανον, & παλιμβλαστῆ ὕδραν. Plato in D Euthydemo, & Pausan. Corint. de eadem, πολλὰς κεφαλάς. Horat. Od. 4. lib. 4. hanc numerositatem expressit verbo *creuit*: vt etiam Ouid. *nec profuit hydra crescere.* Idem statim aliter, *geminásque resumere vires.* Sen. Oct. *Hydram centum anguibus.* & in Furen. *numerosum malum.* Arnob. lib. 1. *multiplicium capitum superauit, compescuitque natrices.* Mart. Epig. 104. lib. 9. *fœcundam hydram.* Propert. vsus numero multitudinis Eleg. 24. lib. 2. *Lerneas hydras.* Eurip. in Herc. certo, sed magno numero, ἑκατογκέφαλον ὕδραν, vbi ... centum capita; explica, multa: nam idem in Bacch. πολύκρανος δράκων. His omnibus nescio quid altius, *turba capitum.* A Virg. proculdubio Sen. Oct. *turba pastoris feri*, pro triplici corpore Geryonis. Ait Pauś. Corinth. ex quopiā, verè huic monstro vnum caput fuisse; sed à Pisandro Poëta data multa capita, quò & fera terribilior, & carmina sua plus dignitatis habere viderentur. Et quidem Aratus Phœnom. tantùm dixit, ὕδρης κεφαλή. Vti fera hæc confecta fuerit ab Hercule, variè omnes. Pausanias illam sagitis confectam ait, Philostratus gladio, Seneca igne. Mitto alios. Verba primi Hel. prior. ὕδραν ἑξήνοντι. Alterius lib. 6. vit. Apollon. cap. 5. πολλὰς ὕδρας ἐντεμόντα. Tertij, *non igne demum vicit, & docuit mori?* Quid, si omnibus istis modis gestum certa- — Hydræ interemtus quis.

men contra repullulantem feram? Quemadmodum in expugnandis monstris Africæ vsus est Hercules igne, claua, sagittis, quod scribit Dio Chrysost. Orat. 5.

37. CIRCVMSTETIT.] Quia *turba*. Idem omnino, quod Sen. Oct. *Centum anguibus vallatus.* Et est sensus: Non te premi siuisti, non es pauefactus.

38. SALVE.] Apud auctores pro *precari* frequentissimè: & ita hoc loco accipio. Est enim è more, vt finita narratione factorum preces dirigantur ad Numen. Max. Tyrius dissert. 30. καὶ ἦν ὁ βίος Σωκράτους μεστὸς εὐχῆς: καὶ γὰρ Πυθαγόρας ηὔξατο, καὶ Πλάτων, καὶ ὅστις ἄλλος θεοῖς προσήγορος: *Non est aliud Socratis vita, quàm perpetua preces: etiam Pythagoras precatus est, & Plato, & quisquis alius Deos salutaret.* Achilles Tatius B loquens lib. 2. de his, qui absoluta nauigatione egrediūtur è portu, παιανισμὸς ἦν, & πολλή τις εὐχή, θεοὺς γὰρ σωτῆρας ἐκάλουν: *Excitabatur plausus, & preces multæ; Deos enim seruatores vocabant.* vbi verbum ἐκάλουν est, *salutabant*, aut *precabantur*. Huc pertinent verba Sancti Maximi, quæ habentur 7. Syn. act. 4. *Omnes cum gaudio, & lacrymis surrexerunt, pœnitentiámque egerunt, factáque precatione, vnusquisque sancta Euangelia, venerandámque Crucem, & imaginem Seruatoris nostri Iesu Christi, nec non Dominæ nostræ Deiparæ salutarunt, ponentes manus suas super ea, in confirmationem eorum, quæ locuti fuerant.* Vox Græca Maximi, quæ ad rem, ἠσπάσαντο. Quod verbum Constantinus in eadem Synodo, ita explicat: *Verbum hoc salutarunt hoc loco Sanctus Pater sumpsit pro adorarunt: siquidem sanctum Euangelium, & viuificam Crucem ipse adorauit, deinde imagines venerandas Seruatoris, & inculpatæ eius Matris.* Reperi etiam in veteri Lexico, προσήγορος, *salutatiuus*, προσκυνητής, quo nihil clarius. Cùm Aristides hymno in Serapin, dixisset, salutatione finiendum sermonem Deorum, mox confugit ad preces: quasi salutatio, nihil aliud, quàm precatio ipsa. Inde explico verba Vitruuij lib. 4. cap. 5. *Si circum vias publicas erunt ædificia Deorum, ita constituantur, vti prætereuntes possint respicere, & in conspectu salutationes facere*; id est, vt interpretor, precari, & adorare. — Saluto, pro, precor. — Saluto, pro, adoro.

39. VERA IOVIS PROLES.] Quia verus filius Iouis, neque suppositicius; vt videlicet euertat quod iactatum de Amphitryone. Ita Propert. Eleg. 9. lib. 2. *Veris gaudebat Græcia natis*, id est, legitimis. Contrà Ouid. 1. Metamorph. — Oppositio.

——*Et es tumidus genitoris imagine falsa.*

40. DECVS ADDITE DIVIS.] Eodem planè sensu Horat. Od. 19. lib. 2. de Ariadna relata in cœlū, — Decus addite.

Fas & beatæ coniugis additum

Stellis honorem.——

Eadem phrasi Stat. 3. Theb. *decus addere.* Val. 4. Arg. de Iside, *iam Diuis addita.* Auson. Mosell. *magnóque honor additus amni.* Notat Germ. Herculem ab Luciano dici μέτοικον, id est, παρέγγραπτον, quasi cooptatum in Deorum numerum.

41. DEXTER ADI PEDE SACRA SECVNDO.] E Vtrumque coniungit, & manum, & pedem, ad eum modum, quo dici solet *velis, remísque.* Ergo, adsis nobis *dexter*, id est, dextra manu: *pede secundo*, id est, dextro pede. Itaque, existimo ductum hoc ab Sophocle, apud quem Electra in Tragœdia sui nominis ita loquitur cum fratre Oreste, — Imitatio.

Ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιστον δ' ἔχων

Ποδῶν ὑπηρέτημα.

Sententia est. *O manus amantissimæ, quàm exoptato pede fers opem.* In eadem Tragœdia optat Elect. vt Orestes adueniat vlturus patrem, irruátque in hostes manu valida, dextro pede. ὑπερτέρας χερὸς, ζῶντ' ἐπεμβῆναι ποδί.

ποδὶ. Iterum coniungit hunc in modum.

Ἥξει ϡ πολύπους, ϗ πολύχειρ ἁ δεινοῖς
Κρυπτομένα λόχοις
Χαλκόπους Ἐρινύς:
Veniet cum multis pedibus, & manibus horribili
Tecta caligine
Ferrea Erinnys.

Manibus pedibúsque. Prouerb. — Itaque, ex Soph. licet agnoſcere formam Prouerbij hanc, *manibus pedibúſque*. Redeo. Sed cur Poëta *dexter*? quia dextra omnia propitia, fauſta, & ſiniſtris fauſtiora.

Dextra fauſta. — Ariſtot. lib. de Animal. inceſſu cap. 4. φύσει ϡ βέλτιον τὸ δεξιὸν τοῦ ἀριστεροῦ: *melius eſt natura dextrum ſiniſtro*. Inde eſt, vt actio motus detur parti dexteræ, paſſio rei motæ parti ſiniſtræ, quod ibidem ſcribit Philoſoph. κινεῖν γὰρ πέφυκε τὸ δεξιὸν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερόν.

Siniſtra infelicia. — Itaque, ab ipſa rerum natura natum, vt dextra ſint fauſta, ſiniſtra infelicia. Pollux lib. 1. cap. 10. δεξιὰ explicat αἴσια, καλά: & his contraria, ἐναίσια.

Oppoſitio. — Ariſtid. de Laudib. Romæ ex Eurip. ἐμμελῆ τε καὶ δεξιὸς, pro, *propitius*. ſic & alij δεξιὸς καὶ σκαιὸς directè opponunt. Ariſtoph. Plut. dixit. ὦ σκαιότατε, vt infeliciſſimum nominaret. Ab his non abit narratio Artemidori lib. 5. de homine, qui mortuus eſt, quòd ſomniaſſet ablatam ſibi à Cerbero manum dexteram; quaſi mors ſequatur infelicem. Nec non verba interpretis Ariſtophanij in Ran. ad verba illa, μαθάνετ᾽ ἀπὸ δεξιᾶ, *diſcit dextera*, id eſt, optima.

Dextri, id eſt, pugnaces. — Adhæc (inquam) interpres, δεξιοὺς νομίζουσι τοὺς ἐστρατευμένους, καὶ ἐπαίνου ἀξίους: *Putant dextros eſſe viros pugnaces, & laude dignos.* Et his opponit δραπετεύοντας: quaſi qui fugiunt ab acie dici debeant ſiniſtri, id eſt, infauſti, & infortunati.

Dexter, id eſt, bonus. — Sed propiùs ad Virg. idem interpres in Equit. ad verba illa, καὶ τῶν θεατῶν ὅστις ἐστὶ δεξιὸς, explicat, δεξιὸς, ἀγαθὸς, εὔνους ἡμῖν: *Dexter, bonus, beneuolus nobis.*

Dij dextri dicti. — Peruagata hæc locutio vſque ad Deos ipſos. Sic Iuuenal. Sat. 10 *dextro Ioue*. Ouid. 5. Triſt. Eleg. 4. *dextro Apolline*. Plut. in vita Arati, Ἀπόλλωνα ὑπερδέξιον.

Hercules dexter. — Et vni imprimis Herculi datum hoc: nam Virg. hîc, *dexter adi*. Perſ. Sat. 2. *Dextro Hercule*. Horat. Sat. 6. lib. 2. *amico Hercule*. Fortaſſe, quia Hercules vnus eſſet ex his, quos vocabant ἀλεξικάκους, id eſt, *depulſores malorum*. ad quos pertinebat bonos ſeruare. Ipſe enim de ſe lib. 4. Epig.

Πημαίνειν οὐ πάντας ἐπίσταμαι, ἀλλὰ κακούργους,
Καὶ σώζειν ἀγαθοὺς ἐξ ἀχέων δύναμαι.
Non didici omnibus nocere, ſed tantùm peſſimis:
Poſſúmque bonos ab incommodis ſeruare.

Siniſtri Dij. — Contrà Dij ſiniſtri, aut læui, de quibus locutus Arnob. lib. 4. *Dij læui ſiniſtrarum regionum ſunt præſides, & inimici partium dexterarum.* & Virg. *Numina læua*. Quod verò omnes (hoc demum notetur) dicunt *dextro pede*, Eurip. in Hecub. decurrens ad colorem album,

Albus pes, id eſt, felix. — βαίνουσα παλλεύκῳ ποδὶ: *pede albo incedens.*

42. Adi pede.] Catull. in Nupt. Iul. & Manl. flexu iſto, *Quare age, huc aduum ferens.*

43. Pede sacra secvndo.] Nonnihil eruditionis, quæ hîc latet, reſeruo ad illud lib. 10. *Phrygibúſque adſis pede Diua ſecundo.*

Fabulæ præcipua pars. — 44. Spelvncam adiicivnt.] Credo Poëtam adieciſſe animum ad veterum Comicorum choros, à quibus pars fabulæ præcipua ſæpiùs ſubindeitidem repetebatur. Cius rei abundè exſtant exempla in vno Ariſtophane.

Strepitus in re læta. — 45. Consonat omne nemvs strepitv.] Adnecto his Pind. Od. 10. Olymp. ἀείδετο ϡ πᾶν τέμενος τερπναῖσι θαλίαις, τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον. *Perſonat totum nemus iucundis conuiuiis, laudatorium in modum.* & Od. 1. Pyth. παρθένων ϡ χοροὶ, λυρᾶν τε βοαὶ, καναχαί τ᾽ αὐλῶν δονέονται: *Chori virginum circumquaque, lyrarúmque clamores, & ſtrepitus tibiarum volitantur.* Et Calabrum, qui lib. 4. poſt celebratum conuiuium Deorum, ita canit.

——ἐγεγήθει δ᾽ οὔρεα πάντα,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ θῆρες. ἰαίνετο δ᾽ ἄφθιτος αἰθὴρ,
Ἄντρα τε Χείρωνος περικαλλέα &c.——
——*lætabantur montes omnes,*
Et fluuij, & feræ. exultabat & immortalis æther,
Atque etiam perpulchra Chironis antra ——

Non autem dubium, quin Poëta indicet ſtrepitus adfrementis Echûs ad cantum chori. Cuius rei duplex mihi obſeruatus Nonni locus de ſimili celebritate. Nam lib. 27.

Καὶ σάτυροι κελάδησαν ὁμοφθόγγων ἀπὸ λαιμῶν,
Καὶ τυπάνου κελάδοντος ὁμόφρονος ἔβρεμεν ἠχώ:
Et Satyri reſonabant concordantibus in gutturibus,
Ac reſonante tympano concors reſonabat Echo.

Lib. etiam 22.

Κούρη δ᾽ ὑστερόφωνος ὀρεσσαύλων ἀπὸ λαιμῶν
Πετραίοις στομάτεσσιν ἀμειβομένη κτύπον αὐλῶν
Μιμηλὴ χλωρίζεν μέλος πολέμιον ἠχώ:
Puella autem vocem reddens montano à gutture,
Saxeo ore alternatim reſponſans ad ſonitum tibiarum
Æmula infremebat cantum bellicum Echo.

Echûs vox. Echo vnde. — 46. Collesqve resvltant.] Ammian. lib. 19. *Reſultabant altrinſecus exortis clamoribus colles.* Indicatur hoc verbo, quid ſit Echo; eſt enim vocis reſultantia. Plato in Phædro. καὶ οἷον πνεῦμα, ἤ τις ἠχὼ ἀπὸ λείων τε, ϗ στερεῶν ἁλλομένη, πάλιν, ὅθεν ὡρμήθη φέρεται: *Ac veluti aër, & Echo à leuibus ſolidiſque repulſa corporibus, eodem, vnde venerunt, iterum reflectuntur.*

[a] Exin ſe cuncti diuinis rebus ad vrbem
Perfectis referunt: ibat Rex obſitus æuo,
Et comitem Æneam iuxta, natúmque tenebat
Ingrediens, varióque viam ſermone leuabat.
[b] Miratur, faciléſque oculos fert omnia circum
Æneas, capitúrque locis, & ſingula lætus
Exquirítque, audítque virûm nocumenta priorum.
[c] Tum Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.
Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq; tenebant,
Génſque virûm truncis, & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat: nec iungere tauros,

Nec

Nec componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque asper victu venatus alebat.

ARGVMENTVM.

Iter in vrbem perfecto sacro. Quæris in via Æneas de initio Pallantei; incipit Rex narrationem à moribus barbaris, qui ibi ante vrbem conditam.

EXPLICATIO.

a SACRA Herculis facta extra vrbem in luco sunt, his absolutis redeunt *cuncti* (quia omnes simul) vnde egressi. Rex medius inter Æneam, & Pallantem. Ratio, quia & *Rex*, & *æuo obsitus*. Credibile verò Æneam à dextra, filium à sinistra Regis. Hic, vt erat facundus, *sermone viam leuabat*, quia *vario*.

b Adiungitur vnius Æneæ admiratio. Vertebat oculos in omnem partem captus locorum dignitate, quærebat singula, audiebat singula. Videor in Ænea agnoscere *curiosos oculos* Apuleij libro vndecimo, & Petron. Sed de hoc in Notis contra nugas Seruij.

c Erant ante conditum Pallanteum in eo spatio meri luci, ac proinde agrestia tantùm Numina, & Nymphæ: atque etiam consentaneè homines barbari, queis nihil bene moratum, & cultum. Adhibet verò notas gentis incultæ, atque impolitæ. Prima, non vtebantur tauris ad colendam terram: altera, non iungebant in vnum opes (intellige de singulis, qui enim prouidus iungit opes suas in vnum horreum, aut congerit in locum alium) tertia, si quid inerat, absumebatur, nulla crastini cura habita: quarta, alebatur vita fructibus arborum syluestribus, & ferarum venatu. Vel dispone aliter sententiam, hunc in modum. Nullus erat mos, nullus cultus. Cultus, quia non iungebant tauros: mos, quia nesciebant opes componere, aut parcere parto. Ergo, pro fructibus terræ, quos non colebant, erant rami inculti: pro opibus, quas dissipabant, erat venatus asper. Hæc melior consecutio, & ex ingenio Maronis, qui mirè solet sententiam astringere.

NOTÆ.

Imitatio. 1. PERFECTIS.] Fortè ab Lucret. lib. 1.
...demni more sacrorum perfecto. Simile & Theocritus ...l. 25.

Τὼ δ᾽ εἰς ἄστυ, λιπόντε καὶ αὐτόθι πίονας ἀγρούς
Ἐστιχέτην.———
Illi verò in vrbem, relictis ibi agris pinguibus,
Ibant.———

Obsitus æuo quid sit, & vnde dicatur. 2. OBSITVS ÆVO.] Plenum annis intelligit Turn. Nam Lucret. lib. 1. *& lumine conserit arua*, id est, complet. Sic explicat Terentium, & alios. Sed in Lucret. *conserit*, est, collustrat; idem quod lib. 2. de Sole,

Conuestire sua perfundens omnia luce.

Dici etiam posset (hæc enim libera sunt) duci à verbo *sino*, non à *sero*. Vt *obsiti*, & *consiti* dicantur, quasi desiti, & qui diu in hac vita. Qua ratione & mortuos A *sitos* dicimus. Si quis obiiciat, non esse in vsu verba *obsino*, & *consino*, nihil hoc est. Quia non est nouum, multa participia in vsu esse, quorum primogenia non in vsu. Sed hoc Grammaticum est.

3. INGREDIENS.] Pertinere hoc verbum ad incessum Heroum, iam alij adnotarunt, quasi Martium quiddam gradi, vnde & Mars Gradiuus. Ingredi os de Heroib.

4. VARIOQVE VIAM SERMONE LEVABAT.] Vide, quæ attuli ex Platone Eclog. 9. ad illud, Viam sermonibus leuare.

Cantantes licet vsque (minùs via lædet) eamus.

Et hîc adiice Ouid. 4. Metamorph.

Utile opus manuum vario sermone leuemus.

Ad solatium viæ pertinent illa Taciti 2. Annalium. *Sermonibus variis tempus, atque iter ducens.* & Heliodori lib. 3. Hist. Æth. τὸν πόνον τῆς ὁδοιπορίας ὑποκουφίζων, καὶ τοῖς διηγήμασι παραμυθούμενος: *Molestiam itineris leuans, & narratione amoliens.* Ouid. 8. Metamorph. fermè ad hanc rem,

B *Interea medias fallunt sermonibus horas.*

Varro Eumenidib. iam ab aliis citatus est.

5. FACILESQVE OCVLOS.] Verus & proprius habitus hospitis, qui omnia auidè lustrat. Apage hinc Seruianum commentum de ebrietate. Quod dico de habitu hospitum, propius ad rem. Silius lib. 12. de Annibale capto deliciis Baiarum, Hospitis habitus in oculis.

Stagnorum, terræque simul miracula lustrat.

Et de eodem ingrediente Capuam lib. 11.

Exin victor ouans sedato pectore tandem
Spectandis vrbis tectis, templisque serenos
Lætos circumfert oculos, & singula discit.

Stat. etiam 1. Achil. in re hospitij,

Iamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu.

Apud Hom. 17. Iliad. Menelaus quærens auidè Antilochum, inducitur πάντοσε παπταίνων. & statim eius ὄσσε φαεινὼ πάντοσε δινείσθην: *oculi lucidi in omnem partem vertebantur.* Ab eodem Hom. Nestor 1. Iliad. infertur

C ἐνδινάλων εἰς ἕκαστον. Ammian. de Constantio adeunte Romam lib. 16. *Pérque omne latus, quò se oculi contulissent, miraculorum densitate perstrictus.* Ab Sophoc. in Elect. Orestes, cùm rediit in patriam, dicitur λιιοσειν πρόθυμος, *spectandi auidus.* Germanico Tacitus 2. Ann. Asiam & alia perlustranti dat *cupiditatem veteres locos, & fama celebratos noscendi.* Stat. 2. Theb. *sparsoque per omnia visu.* Nonn. lib. 41. ἀστεμφὴς ἐλέλιξε γεγηθότα κύκλον ὀπωπῆς, *circumtulit hilarem circulum oculorum.* & lib. 40. etiam in re hospitis, παράμειβε δι᾽ ἄστεος ὄμμα τιταίνων, *pertransiit vrbem intendens oculos.* Pyladi, atque Oresti, cùm essent noui hospites in Ponto hunc dat habitum Euripides in Iphigenia in Taur. Nam Pylades,

Ὁρῶ, σκοποῦμαι δ᾽ ὄμμα πανταχοῦ στρέφων.
Video, speculórque conuertens oculos in omnem partem.

D Et postea Orestes,

———Ἐγκυκλοῦντ᾽ ὀφθαλμὸν εὖ σκοπεῖν χρεών:
Oportet oculis in orbem circumactis bene speculari.

Volui hæc multis ad nugas Seruij euertendas. Ceterùm ab Nostro Manil. lib. 1. Seruij nugæ.

Circumfert tacitos oculos, vultúmque per orbem.

Quæ de oculorum mobilitate scripsit Cælius lib. 5. cap. 28. cuiuis in promptu sunt. Sed cur ibi desideratur Aristot. qui Problem. sect. 7. quæst. 8. εὐκινητότατον ὁ ὀφθαλμός: *oculus, res mobilissima.* In Græco etiam Epig. est πολυστρέπτους ὀπωπάς. Et Nonn. lib. 19. dixit, ὀφθαλμοὺς ἐλέλιξεν ἀλήμονας: *vibrauit vagos oculos.* & lib. 10. Oculi celeritas.

lib. 10. στροφάδας ὀπωπάς, quasi *versatiles*. Euripid. Elect. ὄμμασι τροφαῖσιν, *oculis versilibus*. His omnibus oppone ἀπλανὲς ὄμμα, vt loquitur Nonnus libro trigesimo primo.

Imitatio. 6. EXQVIRIT, &c.] Comparat Macrob. lib. 7. Sat. c. 2. locum hunc cum Homerico. Nestori enim, & Euandro senibus dantur ab interrogantibus semina, quibus naturæ pruritum expleant; nam senes sunt loquendi auidissimi.

Euander cur dicatur Romæ conditor. 7. EVANDRVS ROMANÆ CONDITOR ARCIS.] Propter Palatium, vbi Regiam suam Euander condidit. Rem aperient verba Dionys. lib. 1. Omitto enim alios. Ergo ille. *Faunus Arcadas, quorum numerus erat exiguus, magna cum humanitate excepit, ipsisque de suo agro dedit, quantum voluerunt. Arcades vero, vt Themis diuino furore correpta ipsos monuerat, collem a Tyberi non longè distantem delegerunt, qui nunc ferè in ipso vrbis Romæ meditullio est situs. Atque iuxta collem istum ædificarunt paruum pagum, quem temporis progressu ad tantam magnitudinem fata prouectura erant, quantam nulla alia vrbs, aut Græca, aut barbara esset adeptura: siue sedium amplitudinem, siue maiestatem Imperij, ceteràsque felicitatis humanæ partes spectemus. In fatis etiam erat, vt tamdiu duraret, quamdiu mortale genus hominum est duraturum, & nominis celebritate omnes vrbes superaret. Huic oppidulo nomen Pallantium posuerunt, in memoriam veteris patriæ, quæ in Arcadia. Nunc Palatium à Romanis dicitur.* Iudicaui non debere ista in breuius contrahi. Tu Iustinum leges lib. 43.

Dij Romani. 8. INDIGENÆ FAVNI.] Respicit Deos αὐτοχθόνας, ἰθαγενεῖς, αὐθιγενεῖς, atque ἐγχωρίους. Latinè dicebantur *Aborigenes*. Creditum sanè veteribus cuique loco Deum suum ibi adnatum, non aliunde adscitum. Huc spectat, quod de Gytheatis prodit Pausan. in Lacon. Vide ibi. Sed imprimis respectum à Marone est ad prima incunabula nascentis Imperij, in quo hoc vnicè obseruarum. Postea tamen, procedente Imperio, asciti sunt aliunde Dij, vt Pessinuntia, Venus, alij: imò sic dicta *Venus*, quasi aduena. Hæc enim Dea primùm culta ab Assyriis; inde ad Græcos translata, inde ad Romanos. Vide Pausf. Attic. & quia transmarina, ideo *Venus*, quasi aduentitia. Ad eum modum, quo Tull. 3. de Orat. *transmarina doctrina, atque aduentitia*, pro Græcanica. Sic contrà à Persio Sat. 6. sapientia Romana dicitur, *maris expers*. Sed redeo. Interpres Apollonij lib. 2. satis indicat, Aborigenes, quos ille αὐτόχθονας nominat, esse Heroas locorum, cùm dicat, moris esse aduenis, vt sacrificent regionis ἥρωσι: quod quadrat cum Poëta, qui Faunum vocat indigenam. Fuit enim Faunus Rex Italiæ (de quo lege Iustin. lib. 43.) ac proinde cultus postea, vt Heros eius loci. Sic apud Lelegas Rex Lelax αὐτόχθων, de quo Pausan. Lacon. per initia. Et Demosth. de Corona ait clarè, ἐπεύχομαι τοῖς θεοῖς, καὶ ἥρωσι τοῖς κατέχουσι τὴν πόλιν, καὶ τὴν χώραν τῶν Ἀθηναίων. Vbi Deos vrbis nominat Heroas. Inde & Dio lib. 51. loquens de relatione Iulij in Deos, nominat ἥρωα Ἰούλιον. Itaque ex interprete Apollonij, ex historia Fauni, ex Pausania, Demosthene, & Dione efficio, Aborigenes esse verè Heroas. Eosdem Deos dici *Genios locorum*, notius est, quàm indigeat explicatione. Symm. sua illa Relatione de restituendo cultu Deorum: *vt animæ nascentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur.*

Dryades. 9. NYMPHÆ.] Dryadas capio, quæ semper mistæ Faunis & Satyris. De iisdem cape Statium 6. Theb. vbi in luco quodam constituit, *Nymphas, Faunorùmque greges*. Vide, quæ iam 1. Georg. ad illud,

Imitatio. *Ferte simul Faunique pedem, Dryadésque puellæ:*

A Versus ipse factus ad imitationem Lucret. lib. 4.

Hæc loca Capripedes Satyros, Nymphásque tenere Finitimi memorant. ———

Stomachor in Ouid. 4. de Pont. Eleg. vlt. (&, si quos alios mihi offeras) scribentem,

Naiadas à Satyris caneret Fontanus amatas,

Cùm posset;

A Satyris Dryadas caneret Fontanus amatas.

Hoc enim magis proprium: neque vlla defensio Ouidij ad gustum.

Homines cur dicti filij arborum. 10. GENSQVE VIRVM TRVNCIS, &c.] Lycophron in Cassan. homines vocat ἐκγόνους δρυὸς, *nepotes quercus*. Versus est,

Χερσαῖος αὐτόδαιτος ἐκγόνων δρυός:

B *Terrigena comitiua nepotum quercus,*

Arbores erant domicilia. id est, hominum. Ita verò putati sunt homines, primò, quia ante vrbes (ita putat Seru.) & domicilia viuebant in cauis arborum. Ouid. 1. Fast. *Pro domibus frondes norant.* Lucret. lib. 5.

Glandiferas inter curabant corpora quercus.

Iterum:

Et frutices inter condebant squallida membra.

Glande olim homines victitabant. En prima ratio. Altera; quia homines prisci glande victitabant, ac proinde esse filij quercuum dici poterant, non minùs atque alumnus dici quit filius nutricis. Et quidem homines eo vsos cibo, certum. Inde Arcades dicti βαλανοφάγοι: & ab interp. Apollon. lib. 4. dicuntur ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσι, *viuere,*

C *edentes fagum in montibus.* In lib. 4. Anthol. inducitur quercus petens à lignatore, ne se exscindat, & affert pro ratione, quercus esse προτέρας ματέρας, *primas matres*. Quod ad cibum refert Schol. τὸ γὰρ παλαιὸν βάλανοι φαγεῖν τροφὴ τῶν ἀνθρώπων ἦσαν. Tertia; quia sæpe

Infantes expositi in cauis arborū. expositi infantes sub cauis arborum, quod de nobili & Regio infante Stat. 2. Theb.

Non tibi digna puer generis cunabula tanti,
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus, clausa arbuti sub cortice libri
Membra tepent. ———

Quarta demum (hæc mihi probabilior) quia ante fabricatas domos, mortales sub arboribus ritu pecorum commiscebantur; inde ibi nata soboles dici

D poterat filia esse arborum. Hoc clarè Homeri interp. in 22. Iliad. γυναῖκες τίκτουσαι ἐν τοῖς ὄρεσιν ὑπὸ τὰ κοιλώματα τῶν πετρῶν καὶ δρυῶν ἀνέστρεφον. ἐυρίσκοντες δέ τινες

Arborum soboles. ἐνόμιζον ἐκεῖθεν γεγεννῆσθαι: *Parientes feminæ versabantur in montibus sub cauis rupium & quercuum, qui verò inuenerant, putabant inde genitam sobolem.* Ex hac opinione procedunt versus pulcherrimi Statij lib. 4. Theb.

Arcades huic veteres astris, Lunáque priores
Agmina fida datis, nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, cùm prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit: nondum arua, domúsque, nec vrbes,
Connubiísque modus; quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbrosa creauit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.

E Et lib. 3.

Sanguis auum, scopulísque satæ, vel robore gentes.

Ex hac Hom. lib. 19. Odyss.

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ' ἀπὸ πέτρης:

Nam neque è quercu es fatidica, neque è saxo.

Ab Homero vetus Epigram.

Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι, οὐδ' ἀπὸ πέτρης.

Ex hac locutus Nonn. lib. 41. his versibus.

Ἔνθάδε φῶτες ἔναιον ὁμήλικες ἠελίοιο,
Οὓς φύσις αὐξήσασα λόχῳ ἀνυμφεύτῳ τινὶ θεσμῷ
Ἠοῦς νόσφι γάμων, ἀπάτωρ, ἀλόχευτος, ἀμήτωρ:
Habitabant hic viri coæui Auroræ,
Quos ex se ipsa nata natura lege quadā carente sponsalibus
Genuit

Genuit absque nuptiis, sine patre ipsa, matre, conceptu.

Locus Endimionis sub quercu. Huc pertinet fieri mentionem ab Calab. lib. 10. tori illius, qui erat sub quercu, & sub qua Luna concubuit cum Endimione. Verba Calabri,

——ἧς ἔτι νῦν περ

Εὐνῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυσίν:

——*huius etiam num*

Tori monimentum exstat sub quercubus.

Plato quoque huc spectauit lib. 8. Polit. ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν, ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι; *An existimas è quercu, aut è petra gigni Respublicas?* Homerus Iliad. 22. Homo non è quercu, id est, homo mansuetus. vt indicet, truculentis moribus præditũ esse Achillẽ, ait, illum non esse hominem è quercu, & petra. Quasi dicat, non esse hominem prisci æui, in quo homines mansuetiores. Video hanc extremam rationem non multùm abire à prima, quam attuli.

11. QVEIS NEQVE MOS, &c.] De hoc æuo Manilius lib. 1.

Nam rudis ante illos nullo discrimine vita

In speciem conuersa operum ratione carebat.

12. NEC IVNGERE TAVROS.] Adeò hoc verum in barbaro sæculo, vt vni contrà agriculturæ politica vita debeatur. Agriculturæ debetur vita humana. Liban. in Progymn. ante agricolationem, ait, vitam hominum nihil à feris distasse, οὐδὲν διέφερεν ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος τοῦ τῶν θηρίων. & postea addit, γεωργίαν δ' ἡγοῦμαι συναγαγεῖν τε ἀνθρώπους, καὶ ἄστη κτίσαι, καὶ ὁμόνοιαν ἐμφυτεῦσαι: *Opinor itaque agriculturam coniunxisse homines, vrbes ædificasse, concordiam inseruisse.* Pulchrè hoc extremum, quasi vnà cum insitione, quæ est res agrestis, insita quoque virtus. Ex eadem opinione Manil. lib. 1. loquens de æuo rudi.

Terráque sub rudibus cessabat vasta colonis.

Quasi cessante hac arte omnia essent barbara. Ita ex Xenoph. lib. 5. ὑπομν. hanc artem vocat, ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν: *aliarum artium matrem & nutricem.* Quo loci vide artis huius mira elogia. Plutar. ἐν ῥωμ. ait, Ianum traduxisse Italos ad vitam politicam, cùm docuit agriculturam, πείθων ὅτι γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι, quasi esse agricolam, & politicum, idem sit. Ouid. 2. Fast. inter notas æui rudis,

Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus.

Quod consonat versui Manilij adducto. Pari consensione Lucret. lib. 5.

Nec robustus erat curui moderator aratri,

Quisquam, nec sciebat ferro molirier arua,

Nec noua defodere in terram virgulta, &c.

Inde & 1. Georg. *nulli subigebant arua coloni.* Adeatur Max. Tyrius dissertat. 11.

13. PARCERE PARTO.] Parta tueri. Nota insignis Barbarorum, nescire conseruare rem semel partam. Plin. dixit epist. 37. lib. 9. *Rapiunt etiam, consumúntque, quod natum est, vt qui putent se non sibi parcere.* Sicuti contrà sapientis est, partam rem tueri. Quo sensu dixit Sall. Catil. *Virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opibus tantum Imperium fecerunt; quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.* Et in Iugurth. *Maius dedecus est parta amittere, quam omnino non parauisse.* Demosthen. Olynth. 1. χαλεπώτερον εἶναι δοκεῖ τὸ φυλάττειν τἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι: *Difficilius esse videtur seruare parta, quàm acquirere.* Claud. 2. Stil.

——*plus est seruare repertum,*

Quàm quæsisse nouum.——

Curt. lib. 4. *Facilius est quædam vincere, quàm tueri.* Cyrus apud Xenoph. lib. 7. παιδ. μέγα μὲν γὰρ, οἶμαι, ἔργον καὶ τὸ ἀρχὴν καταπρᾶξαι, πολὺ δ' ἔτι μεῖζον τὸ λαβόντα διασώσασθαι: *Magnum equidem aliquid esse arbitror Imperium parare: sed multò maius, quod sis adeptus, conseruare* Hinc magna illa Traiani laus apud Plin. Paneg. *Obstinatum enim tibi non suscipere Imperium, nisi seruandum fuisset.* Et quidem nescire conseruare, quæ semel sunt comparata, vocat idem Cyrus τὴν τῶν κακῶν ἀνθρώπων ἡδυπάθειαν, *ignauorum hominum voluptariam vitam.* Huc pertinent verba Polyb. Excerp. Legat. 25. in orat. Rhod. vbi loquens de laude & gloria, ἃ καὶ κτήσασθαι μὲν ἐστὶ δυσχερέστερον, κτησαμένους δὲ διαφυλάξαι χαλεπώτερον: *Quæ & parantur difficiliùs, & parta conseruantur difficillimè.* Florus lib. 4. *Difficilius est prouinciam obtinere, quàm facere.* Ælian. lib. 4. Var. Hist. cap. 14. adducit verba ista Anaxagoræ lib. de Regno, χαλεπὸν χρήματα συναγείρασθαι, χαλεπώτερον δὲ φυλακὴν τούτοις περιθεῖναι: *Difficile est opes coniungere, sed difficilius seruare.* Habes Lector, quibus illustres sententiam illam Ouid. 2. Remed.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Et illud Tull. pro Leg. Man. *Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis Imperij gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit illud, quod accepistis, tueri, & conseruare non posse.* Rectè itaque exclamator ille,

O faciles dare summa Deos, eadémque tueri

Difficiles.——

14. SED RAMI.] Ita in æuo rudi, de quo Max. Tyr. dissert. 11. Victus æui rudis. αἱ τροφαὶ τοῖς ἀνθρώποις φηγοὶ καὶ ὄχναι, καὶ διὰ τοῦτο ἐπεφημίσθη φέρειν ἡ γῆ τοὺς καρποὺς αὐτομάτως: *Victus erant fagi & pyri. Inde ortum, vt terra diceretur ferre sponte sua fruges.* Ouid.

Contentique cibis, nullo cogente, creatis,

Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,

Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis,

Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

De culto tamen, sed in summa fame Lucan. lib. 6.

——*cernit miserabile vulgus*

In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,

Et morsu spoliare nemus, lethúmque minantes

Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

15. ASPER VICTV VENATVS ALEBAT.] Non minùs cibo hoc, quàm superiore, explicata æui illius ruditas: vt ab Ammian. lib. 14. *Victus vniuersis caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, & herbæ multiplices: &, si quæ alites capi per aucupium possunt.* De Numid. Sallust. Iugurth. *Plerunque lacte, & ferina carne vescebantur: & neque salem, neque alia gulæ irritamenta quærebant.* De Tartaris Albert. Krantz. lib. 6. Hist. Vand. cap. 8. *Agros nullos colit, venatione, & pecorum suorum cibo contenta.*

[a] Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo.
Arma Iouis fugiens, & Regnis exsul ademptis.
[b] Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legésque dedit, Latiúmque vocari
Maluit: his quoniam latuisset tutus in oris.
[c] Aureáque (vt perhibent) illo sub Rege fuêre
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

Deterior

Initia Cereris unde dicta.

res, non alia ratione mysteria illius dicta sunt *initia*, A nisi quia data sunt, cùm primùm homines traducti ad humanitatem ex vita inculta & ferina, quod expressè Tull. 2. Leg. his verbis: *Nam mihi cum multa eximia diuinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitam hominum attulisse; tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti, immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus: initiaque, vt appellantur, ita rè vera principia vitæ cognouimus.*

Latium à latebra Saturni.

6. HIS QVONIAM LATVISSET TVTVS IN ORIS.] Minutius: *Itaque latebram suam, quòd tutò latuisset, vocari maluit Latium.* Sanct. Cyprian. de idolorum vanitat. *Latium de latebrâ eius nomen accepit.* Notat Scal. in Coniect. Saturnum lingua Syriaca, aut Aramæa, qua vsi Thusci, significare latentem, & inde agrum Latinum dictum Latium, quòd ibi latuerit, qui dictus Latens. Idipsum in Plin. monet Dalecamp. cap. 8. lib. 2. & addit, inde & Saturni vxorem, dictam Latiam, seu Latiam Saturni. Varro sentit, dici Latium, quòd Italia lateat inter præcipitia Alpium, & Apennini. Vtramque rationem arripit Deüsa ad explicandum Horatium, qui Od. 37. lib. 1. de Ægypto dicit *Latentes oras*. Quia videlicet Ægyptus perfugium præbuit Gigantibus, vexatis à Diis cœlestibus post bellum, vt Italia Saturno: vel qui inter tractus montium, velut in latebris sita; & inde esse, vt Cic. Ægyptum *reconditam* dicat. Sed pace Deüsæ Horatium aliter explico. Profero locum. De Cleopatra victa ab Augusto ita ait;

Saturnus significat latentem.

——quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expauit ensem, nec Latentes
Classe cita reparauit oras.

Ægyptus cur dicatur latens.

Solent victi Reges interiora Regni petere, & ea præsidiis firmare. Neglexit hoc Cleopatra, quæ *latentes*, id est, remotas Regni oras noluit reparare citissimè dimissâ classe. Ad hanc explicationem nulla opus hypallage. Ideo verius, quòd tentasse hoc Cleopatram scribit Plut. in vita Anton. Victa enim nauali bello à Cæsare classem misit, conata Isthmum perfodere, qui dirimit mare rubrum ab Ægypto, & Asiam ab Africa. Et ratio scriptoris est, ἀποφυγοῦσα δουλείαν καὶ πόλεμον, *vt effugeret seruitutem & bellum* & ita decreuisse ἔξω χαλεπῶν, *viuere in locis remotis*. Quod igitur priùs tentauerat, postea neglexit, fortasse quia non data opportunitas. Quod erit liquidum legenti Plutarchum. Sic de Tacfarinate victo Tacit. 3. Ann. *Reparatis per intima Africæ auxiliis.* Hoc fuit studium Iugurthæ, hoc Darij: & quorum non?

Aurei æui virtutes.

7. AVREA.] Constare hæc sæcula *meliore metallo* dixit Claud. 6. Hon. Per *aurum* indicantur æui huius virtutes. Symmach. cum blandimento Principum lib. 10. epist. 21. *Credimus igitur his remotis ad Regnum suum rediisse virtutes. In ditionibus parsimonia, in Senatu ordo retinebitur: nec se ostentabit opulentia semper bonis infesta temporibus.* Loquitur videlicet cum respectu ad æuum aureum, in quo hæ virtutes.

Pax vitæ aureæ.

8. IN PACE.] Est hoc propè singulare ἰδίωμα vitæ aureæ. Nam de hoc æuo Ouid.

Mollia securæ peragebant otia gentes.

De eodem Auctor Octauiæ,

——humanum genus
Non bella norat, non tubæ fremitus truces,
Non arma gentes.

Et Claud. de Cons. Theod.

Nonne vides vt nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios?——

Iterum: *Exultat cum Pace Fides.* Arat. Phænom. inter notas æui huius.

Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο,
Οὐδὲ διακρίσιος περιμεμφέος, οὐδὲ κυδοιμοῦ:
Nondum perniciosam tum Litem nouerant,
Nec disceptationem contentiosam, nec Seditionem.

Duci hæc in longum poterant.

Decolor ætas, cur.

9. DETERIOR, AC DECOLOR ÆTAS.] Vnum est causa alterius. Erat ætas *decolor*, id est, vitiato colore, quia *deterior*, id est, detrito colore. Sic Ouid. 4. Trist.

Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.

Id est, vitiato erat colore Rhenus. Detritio autem maximè colorem vitiat ac deformat. Itaque *decolor*, non est sine colore, sicuti neque ἄχροος Græcis: sed tam Græcus, quàm Latinus explicat sua voce deperditum & deformatum colorem. Ita Hippoc. lib. de Aër. Loc. & Aq. coniungit synonymicè ἀχρόους καὶ B ἀρρώστους, *decolores & infirmos* homines. Ouid. Eleg. 2. lib. 3. Pont.

Araque, quæ fuerat naturâ candida saxi,
Decolor affuso tincta cruore rubet.

Scortatio decolor.

Sic & apud Hipp. de morbis vulg. lib. 7. ad finem, πορνείη ἄχροος δυσεντερίης αἴτιος: *Scortatio decolor causa dysenteriam.* Quia qui operam dant scortillis deformato sunt colore. Porrò de loco Hippoc. iam Foësius ex Aëtio, & Paulo.

Rabies de bello.

10. BELLI RABIES.] Contra Pacem æui aurei. Eleganter verò *rabies* de bello. Claud. 3. Hon. *Martis rabies.* Sil. 5. *belli rabiem.* Ammian. 16. *Barbara feritate certaminum rabiem vndique concitante.* & lib. 18. *subcrescentis rabiem belli.* Horatius Od. decimaquinta lib. 1.

C *——iam galeam Pallas, & Ægida,*
Currúsque, & rabiem parat.

Sicani.

11. SICANÆ.] De Ausoniis alibi dictum. De Sicanis Myrsilus Lesb. de Orig. Italiæ. *Italiam coluêre Græci, Arcades, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi.* Marlian. in Topograph. lib. 1. cap. 2. *Vrbem Romam in Occidenti ad Tyberim conditam centum, & viginti stadiis à mari distantem Siculos primùm inhabitasse constat.* Sed quid sentiendum peculiariter de Sicanis iam ego lib. 5.

Italiæ nomina.

12. SÆPIVS ET NOMEN, &c.] Huc pertinent verba hæc Catonis de Originib. *Italia complura à Diis, & ducibus sortita fuit nomina. A Iano quidem Ianicula, quem quidam Oenotrum dictum existimant, quia inuenit vinum & far. Camesena à Camese: & à Saturno Saturnia. Saleombrona quoque à Gentilibus. Durauit Saturniæ nomen totidem ferme annis, quot aurea ætas, vsque ad Apim D Deorum Italiæ vltimum, vt Antiochus Syracusanus scribit, à quo Apennina, quam Taurinam idem interpretatur. Etsi Græci de more quidam à bobus Herculis, vel quòd opimos gignat Italia, vt ait Hellanicus: aut à vitulo egresso, vt Herodotus: vel quidam Græci boues vocant ἰταλοὺς, vt fabulatur Timæus, dictam existimant. Inde à duobus fratribus, altero Hispania, altero Italia postremum nomen retinuit.* Satis sit hunc adduxisse in magna discrepantia auctorum.

Albula fluuius.

13. TYBRIS.] Duo dicit, & vocatum fluuium priùs Albulam, & deinde à Tybri Rege Tybrim. Messala Coruinus in lib. de progenie Augusti: *Tyberinus in Albula flumine demersus mutauit fluuio nomen, E Tyberi deinceps nuncupatio.* Dionys. 1. Antiq. eadem, tantùm addit, immersum Regem prælio iuxta commisso. Eadem Cato de Originib. adiicit, nomen Albulæ datum huic fluuio ab Ianigenis. Demum idipsum Sextus Pompeius, Plin. lib. 3. cap. 5. Ouid. 1. Fast. & Varro lib. 4. Ling. Lat. qui ait, fluuium fuisse sepulcrum Tyberini. Similia multa in Historiis. Sic Tagus Rex Hispanus nomen Tago dedit, Eurotas Eurotæ, de quo Paus. Lacon. Scirus dux Sciro flumini,

Tybris vnde nomen.

Fluuij plurimi acceperunt nomen à Principibus.

Heliogabalus dictus Tyberinus, & Tractitius, & Impurus.

de quo idem Attic. Inachus Inacho, vt idē Corinth. Notetur disparitas historiæ. Rex vnus in fluuiū mersus, nomē illi dedit: alter mersus quoque, nomen ab illo accepit; is est Heliogabalus. Lamprid. de hoc: *Appellatus est per mortem Tyberinus, & Tractitius, & Impurus, & multa, si quando ea erant designanda, quæ sub eo facta videbantur. Solúsque omnium Principum & tractus est, & in cloacam missus, & in Tyberim præcipitatus.* Itaque, quia præcipitatus in Tyberim, *Tyberinus*: quia tractus, *Tractitius*: quia missus in cloacam, *Impurus*. Porrò de orthographia, variè omnes. Ego *Tybrim* scribo Latinè, non *Tybrin* Græcè.

Fortuna omnipotēs.

14. FORTVNA OMNIPOTENS.] Erat hîc seges amplissima euagandi: sed ego tantùm quasdam veluti auctorum notulas. Fortuna à Tullio pro Marcel. dicitur *rerum omnium domina*. A Menand. πάντα κυβερνῶν, στρέφων, σώζων, *gubernans omnia, rotans, seruans*. A Plin. lib. 2. cap. 7. *Numen*. Ab Horat. Od. 35. lib. 1. *Diua*. Ab Actio apud Non. *domina*. Sen. Agam. *Regum casus fortuna rotat*. Vide an *omnipotens*, quæ humana omnia ludibundè. Nam apud Horat. ludit *insolentem ludum*. Græcus Poëta de illa, μεγάλων τυραννεῖ. Aristotel. dixit, mortalia omnia esse τύχης παίγνιον, *ludibrium fortunæ*. Ab illo accepit Simocatta, qui lib. 4. Hist. cap. 13. Alexandrum Mag. vocat τύχης παίγνιον. Curt. lib. 3. *omni ratione potentior fortuna*. Sallust. Jugurth. de illa, *regit*. Sic & Græci βασίλειαν vocant, & βασιλεύουσαν. Plutar. de audien. Poët. A illi dat δύναμιν ἰσχυράν.

Fatum ineluctabile.

15. INELVCTABILE FATVM.] Hoc etiam illustro breuibus Notulis. Hom. Odyss. 3. οὐ θεῶν τρέπεται νόος. Nonnus lib. 25. ἄτρεπτα λίνα μοίρης. Eurip. Alcest. τύχα δυσπάλαιστος. Pausan. Attic. ἀλλ' οὐδ' ἐς πόρος ἐστὶν ἀνθρώπῳ παραβῆναι τὸ καθῆκον ἐκ τοῦ θεοῦ. Plutar. de consol. ad Apollon. τὴν μοῖραν τὰ ὄντα ἐκφυγεῖν. Soph. Elect. ἀνήνυτον ἐστιν κακῶν. & Antig. μοιριδία δύνασις δεινά. Pind. Od. 1. Olymp. ait αἶσαν vinci non posse. Calab. de Ioue lib. 11. οὐ γάρ τι μετατρέπεται νόος αἰεί. Nonn. lib. 40. ἀκαμπέα νήματα μοίρης. Max. Tyr. dissert. 30. ἄτρεπτον ἐπικεκλωσμένον. Plutar. de Poët. audien. ἀφύλακτον. & in vita Lysand. ἄφευκτον τὸ πεπρωμένον. Aristid. Hymn. in Iouem, ἄφυκτος εἱμαρμένη. Ioseph. cap. 3. lib. 7. Bell. Iudaïci, eandem εἱμαρμένην vocat ἀμήχανον, & quam nemo potest διαφυγεῖν. B & cap. 10. ἄφυκτον οὖσαν, scilicet εἱμαρμένην. Maiore incremento loquitur cap. 12. οὐ δυνατὸν ἀνθρώποις τὸ χρεὼν διαφυγεῖν, οὐδὲ προορωμένοις. Ait videlicet, non posse homines effugere fatum, etiamsi præuiderint, & prouiderint. Itaque nulla satis prouidentia. Latinos nolui in hac Nota, quia nullus finis: neque interpretamenta, quia nota hæc, qui Græca tantillùm libarunt.

Monita, id est, fata.

16. CARMENTIS NYMPHÆ MONITA.] De Carmente obuium in quolibet. Sunt *monita*, fata, aut etiam responsa.

[a] Vix ea dicta: dein progressus monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant Nymphæ priscum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ; cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.
[b] Hinc lucum ingentem (quem Romulus acer Asylum
Rettulit) & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
[c] Nec non & sacri monstrat nemus Argilethi,
Testatúrque locum, & lethum docet hospitis Argi.
[d] Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.
Iam tum relligio pauidos terrebat agrestes
Dira loci: iam tum syluam, saxúmque tremebant.
[e] Hoc nemus, hunc (inquit) frondoso vertice collem
(Quis Deus, incertum est) habitat Deus. Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem, cùm sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbósque cieret.
[f] Hæc duo præterea disiectis oppida muris,
Relliquias, veterúmque vides monimenta virorum:
Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

C

ARGVMENTVM.

Post verba habita, indicat iam digito quadam vrbis loca; facit præcipuam moram in Capitolio.

EXPLICATIO.

[a] HÆC cùm dixisset, placuit aliqua oculis perlustrare, & indicare digito. Ergo, *progressus* mon

monstrat aram dicatam Carmentæ, & *portam*, quam ab eadem placuit *Carmentalem* dicere *Romano nomine*. Hoc ἐμφατικῶς. Quasi Roma ornare res suas voluisset nomine peregrinæ feminæ. In sequenti versu aliquid subaudiendum, hunc in modum. *Quam portam memorant* retinuisse *honorem priscum Nymphæ Carmentis vatis fatidicæ*. Quia cecinit aduentum Troianorum in ea loca, ideo *vates fatidica*, & futuram Pallantei notitiam, & gloriam. Vtramque rem studiosè coniungit Euander ad Æneæ gustum, ad sui gloriam. Vide verò, vti delinitus memoria materni nominis, ter repetat.

b Deinde monstrat lucum illum, quem Romulus Græcorum æmulatione, relata ab illis consuetudine, Asylum fecit, vt ita cresceret nouæ vrbis structio: atque etiam *Lupercal Panos Lycæi dictum*, id est, consecratum, dicatúmque *de more Parrhasio*, id est, Arcadico. Est enim Parrhasia, Arcadia.

c Ostendit prætetea *nemus Argileti*, ita dicti ab letho Argi. Acceperat Euander hunc hospitio, sed, violata fide hospitalitatis, in Euandrum coniurabat. Intellecta est res, & ille occisus à comitibus Euandri. Inde *Argileti sacri*, id est, exsecrandi: & *testatur*, id est, iurat, obtestatúrque locum, quasi is locus sciat veros Argi interfectores. Facit hoc Euander, tum vt se purget; tum, ne veniat in suspicionem Æneæ hospiti. Quasi dicat: obtestor locum ipsum, vbi cædes patrata, nunquam me eo parricidio maculasse.

d Ventum iam ad Capitolium, quod tum dumis horridum, mox aureum futurum. Sed horror ipse iam tum religionem incutiebat, tremebántque agrestes saxosam & syluosam rupem.

e Ratio huius pauoris, quia inest Numen loco. Quod hoc Numen, incertum est; sed certum tamen ibi esse. Probat ab opinione Arcadum, qui se ibi Iouem vidisse credebant, horrendum Ægide, nimbis frementem.

f Demum monstrat *duo oppida*, potiùs *reliquias* oppidorum; nam disiecti iam muri; Iani vnum, Saturni alterum, à quibus manserant nomina: illud *Ianiculum* dicebatur, hoc *Saturnia*.

NOTÆ.

Aræ in honorem Principum, & Templa.

1. ARAM.] Frequentissimum hoc in historiis, & nihil fortasse in vno Pausania frequentius, quàm aras solitas excitari in memoriam Principum. Siue, quia verè excitarentur altaria; siue, quia sepulcra dicerentur aræ. Aras dixi? possem templa. Sic ille in Lacon. Achillæi fani meminit, vbi Achilli fiebat res diuina à puberibus euntibus ad pugnam. Et in Attic. tēpli Aiacis, cui statua ex ebeno. Et in Corinth. Persei. Alibi Thesei. Principum dixi? possem ferarum. Adducit enim in Lacon. monimentum equi. Vide in illo causam dedicationis. Ceterùm in toto hoc loco videtur adumbratus Soph. in Elect. per initia, vbi pædagogus reducto Oresti ab exilio indicat digito loca omnia, quorum erit videndi cupidus Orestes, videlicet, antiquum Argos, lucum sacrum, forum Apollinis, Iunonis templum, &c.

Ferarum monumenta.

Imitatio.

Carmentalis porta.

2. CARMENTALEM PORTAM.] In hac hostiæ immolatæ annuæ à matronis in honorem Carmentis. Erat quippe ibi sepulta. De quo more (sepeliendi, inquam, in portis vrbium, dicebam 2. Æneid.) & hîc adiicio Paus. qui Attic. ad Meletidem, Athenarum portam sepulcrum adhibet. Putet aliquis, ingentem illam Fabiorum cladem hinc manasse; nam videlicet egressi ad bellum per eam portam, vbi erat cadauer. Sic portæ Troianæ infelicissimæ, & verè Scææ, in quibus tumulus Laomedontis. Porta hæc à Plut. in vita Camill. Καρμεντὶς πύλη dicitur, & festa Carmentæ Καρμεντάλια. De quibus videndus idem Plut. ἐν ῥωμ. & Strab. lib. 5. Postea ab clade, quam attigi, Fabiorum, dicta est *scelerata*. Lege Ouid. 2. Fast.

Sepulcra in portis.

Fabiorum clades vnde.

Scelerata porta.

3. CARMENTIS HONOREM.] Dictum hoc, quia ibi retentum nomen Carmentæ, sicut in 7. de Caieta,

Et nunc seruat honos sedem tuus.———

Quo loci iam à me aliqua de simili honore. Hîc volo obserues, habitos illi fortasse honores sacros, quia Romanos docuit artem vaticinandi carminibus. Vnde Plutar. ἐν ῥωμ. οὐ τὰ κάρμινα τῇ Καρμέντῃ τοὔνομα παρέσχεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπ' ἐκείνης ἐκλήθη: *Non carmina Carmentæ nomen dederunt, sed potiùs carmina ita appellata ab illa sunt*. Atqui moris fuit prosequi diuinis honoribus illos, qui beneficio aliquo suos ornassent. Pausan. Corinth. loquens de Polemocrate filio Machaonis, ἰᾶται τοὺς ταύτῃ, καὶ τιμὰς διὰ τοῦτο ἀγχωρίων ἔχει.

Carmina à Carmenta.

Benefici cū diuinis honoribus.

4. ÆNEADAS MAGNOS.] Arnob. lib. 4. *Venerem Æneadûm matrem, & Romæ dominatricis auctorem*.

Æneadæ. id est, Romani.

5. PALLANTEVM.] De etymo variæ opiniones; has coniungit Varro lib. 4. Ling. Lat. quem satis sit audire, aliis ademptis. *Quartæ regionis Palatium, quò Palantes cum Euandro venerunt: aut quia Palatini, qui & Aborigenes, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt: sed hoc alij à Palatia vxore Latini putarunt: eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam, itaque Næuius Balantium appellat*. Quia verò Romulus hunc sibi locum elegit, & postea Augustus, factum vt Regiæ Principum dicantur *Palatia*, quod in Augusto Xiphil. & Claudian. Paneg. Hon.

Pallanteum.

Balantium.

Palatia Principum vnde dicta.

6. ASYLVM.] De his locis iam 2. Æneid. & bis. Hîc tantùm de more à Græcis repetito, nam id attingit Vates verbo *retulit*, & ita Seru. interpretatur. Ergo, credit Seru. Romulum constituisse suum Asylum ad imitationem illius, quod apud Athenienses constitutum à posteris Herculis, cùm eos insequerentur, qui fuerant à patre oppressi. De illo Stat. 7. Theb.

Fama est, defensos acie post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.

Sed potius est, vt credam, manasse hoc ab exemplo Cadmi, qui cùm Thebas conderet, Asylum aperuit, ad quod confugientes serui, aut liberi, ob omni pœna tuti essent. Vide Alex. 3. Gen. cap. 3. Hoc enim vicinius cum re Romuli, qui vrbem condebat. Vel, si capiendum de ara Atheniens. credamus, eam veniam datam non tantùm nepotibus Herculis, sed vniuersis. Et quidem Claud. absolutè de Bell. Gild.

———*flentibus aram,*
Et proprium miseris Numen statuistis Athenæ.

Paus. etiam Attic. nulla facta Herculis mentione, exhibet Ἐλέου βωμὸν, *aram Misericordiæ*. Adiicitque, huic Numini singularem ab solis Atheniensibus exhiberi honorem. Dignissima sunt, quæ legantur, Statij carmina, quibus describit templum Misericordiæ. Abstineo, quia multa.

Asyli Romani origo. Atheniensium ara.

Cadmi Asylum.

Misericordiæ ara.

7. LVPERCAL.] Sit pro commento Dionys. lib. 1. Antiquit. *Arcades, qui sedes coniunctas sub colle posuerant, cùm alia multa ædificia egregia more patrio exstruxerunt, tum etiam templa fundarunt. Primum quidem Pani Lycæo, monitu Themidis (Pan enim apud Arcadas Deorum antiquissimus habetur, éstque in summo honore)*

Lupercal.

inuento loco apto, quem Romani Lupercal appellant, nos vero Graci Lycaum diceremus. Vide & Iustin. lib. 43. qui paria. Longissimè hæc Ouid. 2. Fast. ab eo versu,

Lycæum.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos.

vbi aperit, cur locus iste, aut templum sacrum Pani, dicatur Latinè Lupercal, Græcè Lycæum. Et rem reuocat, vel ad Lupam nutricem Romuli; vel (quod ad mentem Poëtæ aptius, qui loci huius meminit ante natum Romulum) ad ipsosmet Arcadas. Ait enim,

Quid vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet:

8. PARRHASIO DE MORE.] Intellige ceremoniam quampiam (quæ qualis esset, me fugit) qua templa apud Arcades sacrarentur. Ad eum modum, quo Pausan. Att. ait, succisa quædam femora ad sacra, & succisa quidem κατὰ νόμον Ἑλλήνων, *more ritúque Græcorum.* Et ibid. ait, Alexandrum sepultum νόμῳ τῶν Μακεδόνων, *ritu Macedonum.* Sic & Cic. de legib. *Neue initianto, nisi vt assolet Cereri Græco sacro,* id est, more aut ritu Græco. Sup. Virg. *Pellibus in morem cincti.* Cur ergo Heraldus mutat in Arnob. lib. 7. lectionem hanc, *illa minutim insecta de more?* non debet, proba enim lectio.

Græcum sacrum.

Argilethū.

9. ARGILETHI.] Varr. 4. Ling. Lat. *Argilethum sunt qui scripserunt ab Argo, seu quòd is huc venit, ibique sepultus sit; alij ab argilla, quòd ibi hoc genus terræ.* De duplici loco ita dicto, disertim Fab. Pictor lib. 1. de Orig. Italiæ: *Subsidens septem collibus campus Argeus dictus est ab Argo Euandri hospite, & comitibus Argiui Herculis, qui ad Euandrum venerunt, & in Saturnia subsederunt. Hinc extrema Argiletha dicuntur. Superior Argilethus dicitur in principio vici Thusci sub Caeliolo, inter circum Maximum, & Auentinum, vbi lethum Argi simul, & sepulcrum est. Imus verò Argilethus est, vbi Ianus Quadrifrons, qui & Vertumnus in fine vici Thusci, ad radices Capitolij in foro Boario, vbi Saturniæ vestigia.* Ab Argiletho *tabernæ* illæ *Argilethanæ* celebratæ Martiali.

Argique lethum.

10. LETHVM.] Coniunxit carmine superiore *Argilethum,* dissoluit in hoc, *lethum docet hospitis Argi.* Ita dissoluit Mart. lib. 1.

Argi nempe soles subire lethum.

Et lib. 2.

Argique lethum multus obsidet sutor.

Tarpeia rupes.

11. TARPEIAM.] Cur ita dictum Capitolium, in Liuio, & aliis. Satis indicat Poëta in toto hoc tractu religionem, qua habitum Capitolium. Hanc euertit Tertull. Apolog. *Pronuntians hac, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit: nouit enim sedem Dei viui.*

12. AVREA NVNC, OLIM, &c.] Verè Manil. lib. 1.

Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis.

Nihil enim magis ad admirationem, quàm moles Capitolina ex humili exordio. Inde multi sunt Poëtæ omnes in hac re cantanda. Propertius Eleg. 1. lib. 4.

Romæ tenuissimæ in amplissimā mutatio.

Hoc quodcunque vides hospes, quàm maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit:

Tibull. Eleg. 5. lib. 2. de æuo Romuli,

Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.

Ouid. 1. Fast.

Hic vbi nunc Roma est, tunc ardua sylua virebat,
Tantáque res paucis pascua bubus erant.

Iterum:

Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis,
Pascebátque suas ipse Senator oues.

Idem 5. Art.

Quæ nunc sub Phœbo, ducibúsque Palatia fulgent,
Quid nisi araturis pascua bubus erant?

Nec solùm Poëtæ admiratores, sed alij. Nam Sen. Rhet. 5. Controu. cùm præmiserit, *nudi stetère colles,* subiicit, *fastigiatis suprà tectis, auro puro fulgens praelucet Capitolium.* Et Philosophus ad Heluiam cap. 10. de maiorib. Romanorū, *quorum tecta nondum auro fulgebant, quorum templa nondum gemmis nitebant.* Tertull. Apolog. *Nondum tamen templis aut simulacris res diuina apud Romanos constabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo.* Absolui quæ pertinent ad Capitolium, & adiicio pari plausu scriptam à multis collationem inter Deos olim fictiles, postea aureos. Ouid. 1. Fast.

Dij olim fictiles, postea aurei.

Iuppiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.

Varro lib. 1. de vita Populi Romani exagitans æuum suum: *Quid inter hos Ioues interfit, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo aduertere, & horum temporum diuitias, & illorum paupertates.* Quia videlicet, quando Dij fictiles, præstantior virtus. Cato apud Liuium lib. 39. *Ego hos malo propitios Deos,* id est, fictiles, quàm aureos. Propert. Eleg. 1. lib. 4.

Fictilibus creuere Deis hæc aurea templa.

Et quos hîc *fictiles,* postea vocat *vilia sacra,* quia è vili materia. Notetur in exitu Poësis Ouid. 8. Metam. similis excursui auctorum, quos dedi initio Notæ. Apud quem casa paupercula Baucidis, & Philemonis, quæ tota prius è straminibus, & stipulis, postea in aurum mutatur, furcæ eius in columnas, pauimentum terreum in marmora.

Sacra cur dicta vilia.

13. RELLIGIO.] An quicquam notius, quàm Romanos ornasse vrbem suam Religionis & sanctitatis nomine? Sil. lib. 11. dixit, *Quirini sacratas sedes.* Sed res ista petenda ab elogiis vrbis Romæ, quæ iam ego in 6. inter quæ est etiam sanctitas.

Roma religiosa.

14. DIRA.] Intelligit δεισιδαιμονίαν. Ita verò dicta de Religione *diritas,* vt à Silio lib. 12. de luco Auerni,

Dira religio.

Relligione sacer sæuum retinebat honorem

Et Claud. Paneg. 1. Stil. vocat lucos *Relligione truces.* Etenim *diritas, sæuitia, truculentia* pertinent ad horrorem, quem Religio incutit. Inde hîc *pauidos* agrestes, id est, religiosos, quod iam sæpe illustraui. Et quæ ista pertinent ad genus quoddam ὀξύμωρον, ad eum modum, quo Stat. 6. *miseranda voluptas.* Claudian. 2. Ruff. *metuenda voluptas.* ibid. *pulcher timor.* Ennod. Declam. *lugenda felicitas.* Stat. Sylu. *beatus carcer.* Pacatus Paneg. Theod. *blandam iniuriam.* Tacit. 1. Ann. *arrogantí moderatione.* Sic Græci, κόσμος ἄκοσμος, δῶρα ἄδωρα, θάνατος ἀθάνατος, νύμφη ἄνυμφος, νεκρὸς ἔμψυχος, & millena.

Sæuus honor.

Truculentia de religione.

Oxymoron.

15. QVIS DEVS INCERTVM EST.] Dij locorum sæpe ignorati. Et quidem hîc ignorat Euander, tametsi ex opinione Arcadum Iouem putet. Ita in 5.

Dij locorū ignorati.

Numina magna loci iussi veneramur.——

Nominaret, si sciret. Natum hoc ex disciplina Gentilium, nam cùm singulis locis præsideret Numen aliquod, quî tot Numina cognosci poterant?

16. HABITAT DEVS.] Nihil dici signatius poterat. Designat enim ναὸν, id est, *templum,* quod dictum ἀπὸ τοῦ ναίειν, *ab habitando.* Sic passim apud Græcos οἶκοι θεῶν pro templis, & Latini *domum* dicunt, & *ædem.* Itaque præclarè Arnob. lib. 6. *Apollo hic habitat, in hoc manet Hercules; illa Summanus.* Iterum de re consimili loquens: *Si simulacra hæc omnia Superorum sunt*

Habito cur de Diis.

Domus de templo.

ſunt imagines Numinum, ergo & in cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, &c. Claud. de 6. Conſ. Hon. loquens de monte Palatino, *Exultatque habitante Deo.* Signatè Eurip. Hecub. Ἄδης φιλοῖ . ab domo: & Baſilius Seleucienſ. Epiſcopus Sancti Pauli templum οἶκον vocat; ac deſcribens Teclam è templo in templum commeantem, ait, οἴκοθεν οἴκαδε ἐπερχομένην. Quin idem (quod in nemine alio reperi) templum Pauli vocat ἑστίαν, notans focum & larem domorum. Sed redeo ad οἶκον, quam vocem etiam pro templo accipit Cyrillus Alex. in cap. 1. Mich. numer. 4. vnde & κατοικεῖν de Deo, cùm ſcribit. κατοικεῖ μὲν ὁ ὕψιστος, οὐ ἐν γε τοῖς ἐκ λίθων ναοῖς, ἢ χειροποιήτοις ἱεροῖς: *Habitat igitur altiſſimus non in templis lapideis, aut lucis manu factis.* Loquor & de hac re alibi. Vide, an hinc aliquid lucis capiat illud Seruatoris Chriſti Matth. 23. *Quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipſo.*

Οἶκος pro templo.

17. CREDVNT.] Quaſi non certò ſciant. Mortalibus enim videre Numina non dabatur poſt aureum ſęculum (loquor ex doctrina Gentilium, quos explico) in quo illa obuia. Eget affirmatione Horat. vt credatur Od. 19. lib. 2.

Dij cernebantur in aureo ſeculo.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphaſque diſcentes.

Et tamen quaſi recantans, addit,

Euæ recenti mens trepidat metu,
Plenâque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. Euæ parce Liber,
Parce graui metuende thyrſo.

Dolet videlicet dixiſſe, ſe vidiſſe Bacchum. Dictum verò ab Euandro, credi ibi viſum Iouem, vt Religionem Ænéæ incutiat, ad eum modum, quo Silius lib. 3.

Has vmbras nemorum, & conuexa cacumina cœlo,
Calcatóſque Ioui lucos prece Boſtar adora.

18. NIGRANTEM.] Omnino ab Homero, qui Iliad. 4. ἐπισσείησιν ἐρεμνὴν αἰγίδα, id eſt, σκοτεινήν, ἢ μέλαιναν: *concutit nigrã, & tenebricoſam Ægida.* Scio in Hom. ἐρεμνὴν reddi σοβερὴν, ſed Poëta verbum *nigrantem* maluit: & præterea *nigrantem*, ab horrore tempeſtatis & nimborum, tanquam ab effectu; vt Eurip. in Helen. μέλαν ξίφος, *nigrum gladium.* Et obſerua, induci Iouem hoc apparatu, quia ex arce Capitolina: quin adhuc in genere arces omnes ſacræ erant Ioui. Ariſtides Hymn. ad hunc Deum, καὶ ἀκροπόλεις ἐξεῖλον Διΐ: *conſecrarunt arces Ioui.*

Imitatio.

Nigrum de re plena horroris.

19. ÆGIDA CONCVTERET.] De Ægide obuia notitia. Omitto. Attende ſtripitum verborum, quibus fulminantem Iouem notat, vt Sil. lib. 12.

Ægida turbato quatientem in prælia mundo.

Iterum de eodem:

Ægida commoueat nimbos, flammáſque vomentem.

Præclarè iſta Poëtæ. Minutius quippe diſtribuens, ita ait, *Iuppiter, cùm Hammon dicitur, habet cornua: &, cùm Capitolinus, tum gerit fulmina: & cùm Latiaris, cruore perfunditur.* Vide, vt Ioui obſidenti Capitolium dentur fulmina. Quid, ſi huc ſpectatum ab Tullio contra Verrem? *Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia Populus Rom. Optimum, propter vim Maximum nominauit.* Cur *Maximus*? & quæ hæc *vis*, niſi ab iactis fulminibus? Inde Poëtæ omnes in mentione Iouis Capitolini inducunt fulmina, & tonitrus, vt Martialis Epig. 59. lib. 7. & Prop. lib. 4.

Capitolinus Iuppiter fulminator.

Tarpeiúſque Pater nuda de rupe tonabat.

Quod Virg. *Ægida concuteret*, Græci, σείειν, ἐπισείειν αἰγίδα.

20. DISIECTIS OPPIDA MVRIS.] Scitè Albert. Krant. lib. 1. Hiſt. Vand. cap. 1. *Sunt oppidis, vt hominibus, ſua fata, ſunt ſtata tempora, quibus euoluta paulatim decidunt.*

Oppidis ſua ſunt fata.

21. IANVS PATER.] Ita ſæpe Ianus ex Religione veterum. Athen. lib. vlt. Ἰανὸς, ὁ παρ' ἡμῶν θεὸς, ὃν πατέρα προσαγορεύομεν: *Ianus, qui Deus eſt apud nos, quem Patrem vocamus.* Martial. lib. 8.

Ianus dictus eſt Pater.

Addas Iane tuam Pater rogamus.

Victor in Breuiario: *In ſacris omnibus primum locum Iano detulerunt, vſque eò, vt etiam, cùm aliis Diis ſacrificium fit, dato thure in altaria, Ianus prior nominetur, cognomento quoque addito, Pater.* Quid etiam, ſi ex hac dignitate hic ante Saturnum ponitur? Ait enim, *Hanc Ianus Pater*; poſtea, *hanc Saturnus*, &c. Quò confero & verba Seruij in lib. 7. Æn. vbi: *Quidam Ianum Eanum dicunt ab eundo, eúmque eſſe Martem: &, quod apud Romanos plurimùm poteſt, ideo primum in veneratione nominari.* Hoc annexum mori alteri: Ianus enim ante Deos alios placabatur; quod expreſsè Ouid. 1. Faſt.

Iani etymõ, & veneratio.

Mox ego, cur, quamuis aliorum Numina placem,
Iane tibi primùm thura, merumq́; fero?

22. IANICVLVM SATVRNIA.] Arnob. lib. 1. *Ianus Ianiculi conditor, & ciuitatis Saturniæ Saturnus auctor.* Minutius: *Itaque latebram ſuam, quòd tutò latuiſſet, vocari maluit Latium, & vrbem Saturniam de ſuo nomine: & Ianiculum Ianus ad memoriam vterque poſteritati reliquerunt.* Eadem Varr. lib. 4. Ling. Lat. Sed quis ſitus vtriuſque oppidi? Ianiculum trans Tyberim ſitum Dionyſ. ſcribit lib. 5. Appian. 1. Ciu. id nomen tribuit colli vni ex ſeptem Romanis, τὸν λόφον τὸν καλούμενον ἰάνικλον. De altero ita legitur in fragmentis Origin. quæ exſtant Catonis nomine; *à quo Saturnia olim, vbi nunc Capitolium, & ab ea latè Saturnia terra.* Itaque, vrbicula hæc Saturnia eſt, quæ deinde dicta Capitolium, conſentiente etiam Dionyſ. qui lib. 2. per initia: *Ad collem alterum, qui nunc Romæ habitatur, tum Saturnium ab incolis, nunc à Romanis Capitolium appellatum.* Sed redeo ad verba Catonis, in quibus ille primò alluſit ad verſum Ennij,

Ianiculum.

Saturnia.

——*Saturnius illi*
Nomen erat, de quo latè Saturnia terra.

Deinde ex eius verbis videtur poſſe intelligi, nomen hoc datum proximè oppido, & hinc in Italiam reliquam manaſſe. Itaque, à Saturno priùs vrbicula illa dicta eſt Saturnia, & mox reliqua Italia. Obiecit mihi quiſpiam, inſcitè factum à Poëta, qui montes, & arces appellet oppida, vrbes. Cui reſpondi duo. Primum, non omnibus in confeſſo eſſe, hos tantùm fuiſſe montes, ſed verè parua oppidula, quibus ditutis, manſit mons Ianiculus, & mons Capitolinus. Deinde dicebam, id poſſe conſiſtere antiquo more, ſcribente Plutarcho in Pelopida, hunc in modum. τὰς γὰρ ἀκροπόλεις ἐπιεικῶς οἱ τότε πόλεις ὠνόμαζον: *Nam arces eo tempore vocabant vrbes.*

Arces olim dicebantur vrbes.

[a] Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant
Pauperis Euandri: paſſímque armenta videbant,
Romanóque foro, & lautis mugire Carinis.
[b] Vt ventum ad ſedes. hæc (inquit) limina victor

Alcides subiit, hæc illum Regia cepit.
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo, rebusq; veni non asper egenis.
ᶜ Dixit: & angusti subter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit, stratisque locauit
Effultum foliis, & pelle Libystidis vrsæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.

ARGVMENTVM.

Itur ad domum Euandri, & quietem.

EXPLICATIO.

ᵃ HIs dictis, locisque indicatis, eunt ad domum Euandri, *tecta* potiùs dicas, nam ille *pauper*. Vident armenta liberè iam pascentia, quia liberata à metu Caci: vident & ea loca, vbi postea forum Romanum, & Carinæ.

ᵇ Sed neque hîc senex conquiescit ab loquendo. Vides Ænea hanc sedem pauperem? Ista fuit Herculis victoris Regia; huc diuertit post monstra domita. Imitari Deum si vis Herculem, opes contemne, & aude contemnere. Est magnum, & supra omnem audaciam florentem rerum fortunam despicatui ducere: hac vna re finges te simillimũ Herculi potiùs, quàm monstris victis. Quamobrem ne *asper*, id est, cum fastidio, hanc meam tenuitatem abiice, imò veni, & lubens amplectere.

ᶜ Post hanc admonitiunculam, Regiam verè, & dignam Heroë, neque æui huius, in quo regnat voluptas, Æneam perduxit ad domum pauperculam, quamuis ingentem, & maximum, & vtique Heroëm. Apparatus domus par ipsi domui: nam strata, in quibus locatus ad quietem somni, ex foliis erant, & pellibus ferarum. Itaque, vterque se quieti dedit, inuitante nocte, quæ ruebat, & terram omnem nigris alis amplectente. Hîc expendo ciuilitatem Poëtæ, cui satis fuit noctem describere, vt tu intelligas itum in somnos. Quod Homero non satis, nisi exprimeret lib. 1. Iliad. nam post πόλεις καλέσω, subiecit; δὴ τότε κοιμήσαντο.

NOTÆ.

Euãdri paupertas.

1. TECTA.] Nullum cadit temerè Virgilio verbum. Noluit *domum*, *ædes*, aut aliud simile, sed *tecta*, vt meram paupertatem exprimeret, quasi nihil aliud esset in eo tugurio, quàm tectum, & tota Regia tantùm non sub dio esset. Infrà quoque, *angusti subter fastigia tecti*: quia *res inopes Euandrus habebat*. & hîc; *Pauperis Euandri*. Iterum;

Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma.

Vides vt semper de hac Regia consentaneè ad paupertatem loquatur. Ait *subibant*, quia in cliuo. Claud. 6. Con. Hon. *mons Euandrius*.

2. ARMENTA.] Ouid. 5. Fast.

Atque, vbi nauali stant sacra Palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuêre boues.

Cùm verò expendat hic Seru. *Armenta, quæ post mortem Caci, passim nullo timore vagabantur*, ad eius verba

A annecto sententiam Græci Epigram. lib. 4. vbi ipse Hercules ita loquitur.

Locorum similitudo.

φῶρες τε στείχειν κλοπίην ὁδὸν ἀρνήσονται,
Εἰ καὶ κνώσσοντας ἀγρέτας ὕπνος ἔχει.
Recusabunt fures hâc iter facere ad rapinam,
Etiamsi profundus somnus rusticos occupet.

In eodem Epig. agri dicuntur, οὐκ ἐμβατὰ λύκοις, *non iam à lupis adeundi*. Et in alio eiusdem libri, Nemea dicitur peruia iam esse, & adeunda à Ioue, postquam Hercules leonem interfecit. Hîc verò in mentione

B armentorum obserua, quæ de pecorosa Italia Dionys. scribit, vocans πολύβοτον, αἰγινόμον, ἱπποφόρβον, βουκολίδα, à pecoribus, quibus abundat.

Italia pecorosa.

3. ROMANOQVE FORO.] Sermo προληπτικός. Non enim tum forum, sicut neque Carinæ. Fuit verò hoc forum, vbi postea Rostra. Et nisi aliquid sit, quo auctores ad fora alia determinentur, de hoc intelligendi, cùm loquuntur absolutè: vt cùm dixit Plin. lib. 19. cap. 1. *Cæsar Dictator totum forum Romanum* (carbasinis velis) *intexit, viamque sacram ab domo sua ad cliuum vsque Capitolinum.* Et quidem Stat. κατ' ἐξοχὴν lib. 1. Sylu. *Stat Latium complexa forum.* Itaque, quamuis fora alia, hoc tantùm dici *Latium* meruit. Est & *Romani fori* mentio apud Ouid. 6. Fast. Propert. Eleg. 1. lib. 4.

C Albinouan. ad Liuiam. Tria fora laudem præ aliis habuêre, videlicet forum Romanum, forum Iulij Cæsaris, forum Augusti. De quibus Mart. Epig. 38. lib. 3. *triplici foro*. Et Stat. in Sylu. *trino foro*. Sen. 2. de Ira cap. 9. *trina non sufficiunt fora*. Cùm Martial. dixit lib. 2. Epig. 4. *fora litibus omnia feruent*, capiendus de hoc triplici. Adducit Victor fora decem & septem. Notabis coniungi à Virg. forum, & Carinas tantùm vicinitate narrationis & historiæ, non loci quippe forum longè à Carinis, vel teste Horat. epist. 7. lib. 1. *atque foro nimium distare Carinas*.

LAVTIS CARINIS.] Hoc malo, quàm *latis*. Et quidem in bonis omnibus exemplaribus *lautis* est. Itaque, pars Romæ dicta est *Carinæ*, quòd ibi ædi-

D ficia in modum carinarum; & *lautæ*, quia ædificia ista speciosa. Seruius is, qui prodiit ex schedis Pet. Daniel. plures adfert rationes, cur Carinæ dicantur *lautæ*. Videre cuiuis in promptu est. Inclino tantùm in eam, quæ de ædificiorum magnificentia. Certè domus Pompeij permagnifica in Carinis fuit, vt liquidum ex Suetonio in Tiber. cap. 15. & clarius ex Xiphilino in Augusto, vbi loquens de Antonio. τὴν οἰκίαν αὐτοῦ (Σέξτου) τὴν πατρῴαν τὴν ἐν ταῖς Καρίναις κατεῖχε: *domum paternam ipsius* (Sexti) *occupauit, quæ erat in Carinis*. Notetur hîc verbum *carinare*; cuius meminit Seru. pro, obtrectare. Ennius,

Carinare.

E *Contra carinantes verba atque obscœna profatus.*

Iterum:

Neque me decet hanc carinantibus edere cartis.

5. VICTOR.] Iam sup. ad illud, *taurosq; hâc victor agebat*. Porrò cum sententia Euandri ostendentis Æneæ Herculis Regiam, & loca alia suprà annumerata congruit locus Plin. Pang vbi ita loquitur cum Traiano: *tibi ingentiũ ducũ sacra vestigia iisdẽ in locis monstrabantur.*

Locorum similitudo.

6. REGIA

6. REGIA.] Adi, quæ scripsi in Eclog. de casulis pastoralibus, quæ dictæ Regiæ. Ea enim in locum istum congruunt, vbi repræsentatur vita prisca pastorum; talis enim hîc fingitur Euander, cui armenta: talis Hercules, qui secum Erytheas agebat boues.

Liberalitas refertur ad fortitudinē. 7. AVDE.] Eadem ratione dictum τόλμα ab Eurip. Victor. notat lib. 31. cap. 9. Non immeritò præceptores eloquentiæ liberalitatem, quæ virtus pecunias temnit, ad fortitudinem referendam censent. Est enim viri fortis, Poëta maiore incremento, audacis, opes temnere. Lege Sen. epist. 18. Alexander ad Abdolominum apud Curt. lib. 4. *Libet scire inopiam qua patientia tuleris.* Ita scilicet explorandus vir fortis, cùm in angusta fortuna magnum animum admittit, vt loquitur Symm. epist. 46. lib. 7. Marius apud Sal-*Inopia tolerandi virtus fortibus.* lust. Iugurth. hanc de se virtutem prædicat: *Doctus sum inopiam & laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor, neque illos arte colam, me opulenter.* Ita è contrario ignaui est inopiam non ferre. Iulius lib. 7. Gall. *Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse.* Sed nihil tu mirête Iuli, est enim difficile. Docet te hoc senior Sen. lib. 2. Controu. *Faciliùs possum paupertatem laudare, quàm ferre.*

8. DIGNVM FINGE DEO.] Pari ratione dictum ab Stat. lib. 10. *digna secundis Pectora ferre Deis.* Quadrant verò in locum istum, quæ dicā lib. 12. ad illud,

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis. ———

Vtrenim Æneas ibi labores à se disci vult, non fortunam: ita hoc loco Euander dignum censet Hercule virum illum, qui temnit opes, non qui prosperam ambit fortunam. Nam Hercules, etiamsi magnus virtute, tamen domicilia habuit inculta & aspera. Vnde de illo Tibull.

Quin etiam Alcides Deus ascensurus Olympum
Læta Molorchæis posuit vestigia terris.

Sen. in Epist. tractat locum istum Poëtæ, exhortans ad paupertatem, & adiicit in argumentum, Deos *Fictiles Dij magis propitij, quàm cùm aurei.* ipsos *fuisse fictiles cùm propitij fuerunt.* nam, cùm aurei, non ita. Quò pertinent, quæ iam ex Catone apud Liu. suprà attuli.

9. EGENIS.] Stat. 11. Theb. *rebúsque exercita egenis Membra, vides.* Plaut. Capt. *Rebus in dubiis, egenis.*

Ædes angustæ magnorum Principum. 10. ANGVSTI.] Præclarè ingens hospes Æneas succedit subter angustum tectum. Ita Sidon. lib. 3. epist. 2. *Parua tuguria magnus hospes impleſti.* Estque hoc, illud *indecorum habitaculum*, de quo loquitur Symm. epist. 10. lib. 1. & *inomilis* illa *casella*, qua exceptus hospitio magnus ille Herulorum Rex Odoacer, de qua loquitur Albert. Krant. 1. lib. Hist. Vand. cap. 36. Sed quidem Sidon. (ad quem redeo) à Plin. accepit, qui Pang. Traiani, *quod denique tectum magnus hospes impleueris.* Præclarè Paulin. de Sancto Martino,

———*Succedens humili tecto celsissimus hospes.*

Estque hoc ferè illud, quod Claud. de Bell. Get.

stat pallidus hospite magno
Pastor. ———

Et de 4. Cons. Hon. loquens de Sarrano Dictatore, qui exceptus parua casula, *lustrata lictore casa.* Herculis domicilium *casam* vocat Stat. 4. Theb. Inde etiam magna illa Lucani conquestio lib. 5.

———*peregrina ac sordida sedes*
Romanos cepit proceres, secretáque rerum
Hospes in extremis audiuit Curia tectis.

Dolet videlicet de indignitate domicilij. Ouid. 8. Metamorph. de Diis,

Summissóque humiles intrarunt vertice postes.

Itaque fuit necessarium, vt capita demitterent ingentes ipsi præ tecti angustia. Quis nescit quæ latè Plutar. de locis sordidissimis, quibus acceptus Marius? Idem in Catone Maiore, & Crasso huiusmodi habitaculum exiguum, & humile vocat οἰκίαν μικράν. Et in vita Pompeij affectum excitat, quòd is Princeps post cladem Pharsalicam pernoctauerit ἐν καλυβίῳ ἰχθυηρῷ. Vt Electra apud Eurip. quòd ἐν χερνῆσι δόμοις. Quintil. Declam. 31. *Habuisti honorem, & illud humile limen intrasti.* Sen. epist. 8. vocat *culmum.* Lege eundem epist. 90. Plut. in Catone Maiore. οἰκίσκος ἰσ λιτόν. Sed, quid si adumbrata historia Iulij Cæsaris, vt *Iulij Cæsaris historia adumbrata.* sæpe in hoc opere? De illo enim Plutar. idem in eius vita ait compulsum succedere εἰς ἔπαυλιν ἀνθρώπου πένητος: *in tuguriolum hominis pauperis.*

Ingens vnde dictus. 11. INGENTEM ÆNEAM.] Cum oppositione ad tectum angustum. De etymo huius vocis varia multi. Mihi aliquando vir quidam doctus insusurrauit, *ingentem* dici, quasi *incensem*, vt *incens* sit, qui non in communi aliorum censu, extra censum vtique & vulgus. Quod effici ex vicinitate harum litterarum potest.

12. STRATISQVE LOCAVIT.] Homeri locum vnum, Theocriti duo vide in Vrs.

13. EFFVLTVM FOLIIS.] Lege, quæ iam 6. Ecl. *Effultus.* ad illud,

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Stat. de Adrasto 7. Theb.

Fulgebat stratis, solióque effultus eburno.

Claud. 3. Stil. *Solio seu fultus eburno.*

14. LIBYSTIDIS VRSÆ.] Agitatus iam hic locus lib. 5. de vrsis (inquam) Africanis. Nam, quantùm ad sententiam loci huius, nihil inconuenit, speciem vnam pro qualibet sumptam. Quascumque enim pelles potest intelligere. Aliqui hîc *Libyssidis* legunt. Sed, cùm dicto loco probauerim, fuisse verè in Africa vrsos, hîc adiicio nouum testimonium ex Suetonio, & Xiphilino collatis. Ait prior in Claud. cap. 21. *Africanas per turmam equitum Prætorianorum ducibus tribunis, ipsóque Præfecto confecit.* Quas Africanas? *Vrsi in Africa.* Xiphil. de eodem, ἄρκτους τετρακοσίας μεθ' ἑτέρων λιβυκῶν θηρίων: *Vrsos quadringentos cum aliis feris Libycis.* Quo fit, vt iam non debeam Lipsio dare, quod dabam quinta Æneide, nimirum paucos esse vrsos in Africa. Non certè pauci, cùm vnum spectaculum quadringentos abripuerit. Obiicies, non rectè trahi Xiphilinum, quia vrsi aliunde esse quiuerunt: imò rectissimè, quia Suet. tantùm, *Africanas.*

15. FVSCIS.] Hom. 1. Iliad. de adueniente nocte, νυκτὶ ἐοικώς, quo indicatur ζόφος νυκτός. Inde ὄρφνα, id est, *obscuritas* simpliciter à Pind. pro nocte ponitur Od. 1. Olymp. Itaque noluit νυκτὸς ὄρφνα, vt in Ran. Aristophanes, & Calab. 3. νὺξ ὀρφνήεσσα: sed simpliciter ὄρφνη. Hom. 8. Iliad. νύκτα μέλαιναν. Nonn. lib. 25. Dionys.

Καὶ σκιερὴν ἐμέλαινεν ὅλην χθόνα σιγαλέη νύξ:
Et vmbrosam denigrauit totam terram silens nox.

Fuscum de nocte. Sed expendo adhuc verbum Poëtæ præmissis verbis Cornelij Frontonis. Ait hic: *Fusco album opponitur, nigro candidum.* Præclarè ergo *fuscus color* in exitu diei, qui in ortu est *albus.* Nam de oriente luce proferri *albente die, cælo,* &c. nō, *cælo candido,* quis est, qui ignoret? Ab eodem Frontone illustro Ouid. 11. Metamorph. canentem,

Candida de nigris, & de candentibus atra.

vbi *candida nigris* opponit. A Virgilio corrigendus Tibullus Eleg. 1. lib. 2. vbi de Somno, *fuluis circumdatus alis* legendum, *fuscis.*

Amplector, de nocte. 16. AMPLECTITVR.] Ita Stat. 11. Theb.

Nox fauet, & grata profugos amplectitur vmbra.

Et lib. 1.

Nox quæ terrarum, cœlique amplexa labores.

Nocti dantur alæ. 17. ALIS.] Alæ nocti dantur. Eurip. Orest. vbi nox inuocatur, μόλε, μόλε κατάπτερος: *veni, veni pennigera.* A Ennius 16. Annal.

Nox quando mediis signis præcincta volabat.

Stat. 1. Theb. loquens de nocte, *volat vmbra.*

[a] At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumq; minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamóque hæc coniugis aureo
Incipit, & dictis diuinum aspirat amorem.
[b] Dum bello Argolici vastabant Pergama Reges
Debita, casurásque inimicis ignibus arces,
Non vllum auxilium miseris, non arma rogaui
Artis, opísque tuæ: nec te, charissime coniux,
Incassúmve tuos volui exercere labores.
Quamuis & Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ fleuissem sæpe laborem.
[c] Nunc Iouis imperio Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo genitrix nato. [d] Te filia Nerei,
Te potuit lacrymis Tithonia flectere coniux.
Aspice qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me, excidiúmque meorum.

ARGVMENTVM.

Interea Venus pro nato sollicita alloquitur Vulcanum coniugem, petit ab eo arma, illius arte fabricata, quibus Æneas vtatur in bello Italiæ contra Turnum.

EXPLICATIO.

[a] DVM Æneas, & Euander somnos capiunt, visum Poëtæ tempus commodum ad poësin exornandam interuentu Veneris, quæ adeat Vulcanum ad imploranda arma pro filio. Incipit verò ab affectu, qui obuius: terretur Venus, quia *mater.* Caussa terroris, *Laurentum minis, & duro tumultu* Est, *haud nequicquam*, non frustra. Ergo, ex hoc terrore consequens, vt Vulcanum Deum ferrariæ, & coniugem alloquatur, instillata priùs dictis quadam amoris dulcedine, vt æquiùs audiatur.

[b] Ratio, quare ardente Troiano bello, nihil à coniuge petiuerit pro nato, quia fata exitium Troianum afferebant, quibus obsisti non potest. Itaque, quia Pergama *debita* erant, id est, obnoxia ruinæ, & arces erant casuræ, nolui rogare arma, ne frustra laborares, quamuis multa deberem filiis Priami, & mei Æneæ labores sæpe defleuissem.

[c] Ratio superiori opposita. Iam fata aliter volunt, iam imperio Iouis Æneas ad Italiam appulit. Faue ergo Vulcane ei viro, cui fauet Iuppiter. Cerne me supplicem, non deprecatorem pro me submitto, *eadem ipsa supplex venio*, quæ tacui Troiano bello. Rogo itaque arma. Cur non impetrem, cùm laborem *genitrix nato* meo? & cùm à te peram, qui vnus mihi *sanctum es numen?* Hæc sententia. Expendi possunt multa, ego pauca quædam. Remouet nomina vitri- B ci, & priuigni, ne Vulcani animus lædatur reuocato in memoriam adulterio Veneris cum Anchisa. Tantùm ergo, *Arma rogo genitrix nato.* Obiiciet aliquis. Nónne reuocata iniuria in animum, cùm illa natum diceret, & Vulcanus sciret non esse suum? Huic obiectioni satis prouisum illis, *coniux charissime, sanctum mihi numen.* Quid, quòd ita indicatum, quanta sit vis amoris, & vti feminæ dominentur viris? Apage verò, vt placeat Seru. qui verba illa, *genitrix nato*, coniungit cum sequentibus, hunc in modum, *genitrix nato te filia Nerei.* Non sic est.

[d] Adhibet exempla, quibus adducat virum. Flexit te Thetis filia Nerei pro Achille filio sollicita: flexit Aurora, non coniux tua, sed Tithoni, sollicita etiam pro filio Memnone. Da igitur coniugi tuæ, quod Thetidi, & Auroræ, non tuis coniugibus: da meo nato, quod Achilli, & Memnoni extraneis, præsertim in magno periculo. Aspice ipse, vt coëant, coniuréntque, non vnus, sed plures populi: aspice, vt multæ C *vrbes ferrum acuant*, & quidem *clausis portis*, vt tutæ sint, donec erumpant in apertam audaciam. Istæ verò minæ comparantur contra me, contra meos, & quidem ad exitium. Aliquis putet *portis clausis* esse in tertio casu, hac sententia. Acuunt mœnia ferrũ contra clausas meorum portas. Quasi dicat: clausi mei sunt (quod habetur in 9. Æneas enim abiens ad Euandrum hoc præcepit) & vrbes omnes in eos conspirant, nam *tela nouant Atina potens*, &c. quod habetur in 7. Æneid.

NOTÆ.

1. AT VENVS, &c.] Cùm totus hic locus factus sit ad Homeri vmbram, placitum indicare in hoc initio verè vmbram esse Homeri, lucem Virgilij. Imprimis negabit nemo sobrietatem Latini, cùm Græcus Homerũ superat Virgilius.

cus solita effusione vtatur. Deinde, quale est, ferrariam in cœlo constitui à Græco, intérque stellatas ac puras domos inueniri folles, ac fuliginem? quãto meliùs ista releganrur ad Liparen & Sicaniam? Itaque, apud Græcum Thetis è terra ascendit cœlum, vbi arma à Vulcano fabricanda: contrà apud Latinum fit descensio è cœlo ad terram. Tertiò, cur feminæ & puellæ graciles, formosulæ, delicatulæ exercent apud Græcum labores duros ferrariæ? ò tu præclarè Maro, qui ministros facis Cyclopas, Brontem, Steropem, &c. Quartò, cur eædem ministræ venustissimæ sunt, & auratæ inter ea opera; & vnus Rex Vulcanus ad deformitatem horridus, vt etiam spongia indigeat ad abstergendum quicquid inhæserat ex illo opificio? Minimè enim decent Dei personam, quæ ibi Vulcano affinguntur ab Homero. Et B quidem cùm se mundat Vulcanus, & sceptrum arripit, vt appareat coram Thetide, videor videre ridiculos Reges histrionum in scena, qui iam vilem personam, iam Regiam referunt; ac iam sceptrum ponunt, iam resumunt. Quintò, quæ ratio Thetidis ad Vulcanum? Vexat me Iuppiter; nam me Nympham maris nuptum dedit Peleo. Hæc ratio frustranea est ad arma. Altera: Achilles meus tristis propter ereptam puellam noluit pugnare, sed dedit Patroclo sua arma, quæ iam in potestate Hectoris victoris, ac proinde eget nouis armis. Ratio hæc minimè decebat Heroëm Achillem. Quid agis Theti, nisi vt tuus *Heros* proprias iniurias vlciscatur, & in re vilissima *voluptatis*? Quanto præstantior oratio Veneris ad C Vulcanum hæc? Iuua Vulcane Iouis consilium, iuua fata. His enim, & Ioue disponentibus meus Æneas Italiam attigit ad promissum Imperium. Sextò demum, omnes omnium literatorum cohortes spectatrices appello artificij illius extra rem, quod in scuto Achillis Vulcanus fabrica sua expressit. At (inquies) pulchra sunt, quæ ibi de cœlestibus circulis, de vrbe duplici, de nouali, segetibus, vinetis, choreis. Demus hæc pulchra, sed quod tandem ad propositum: Correcta hæc sunt à Poëta Principe, qui in scuto Æneæ exhibet res Italas, Romani Imperij exordium, Augusti gloriam: nam videlicet hæc omnia, tanquam ab origine, ab vno Ænea profecta, qui pater Romani Imperij. Sed multis hæc.

Locorum similitudo.

2. EXTERRITA MATER.] Ab toto hoc Virgilij D loco (mitto Hom. de quo iam superiore Nota) non abhorrent, quæ scripta sunt Statio lib. 3. Theb. vbi Venus exterrita etiam, & sollicita pro Thebis inducitur ante Martem furentem minis contra illas. Lege ab eo loco,

Cùm Venus ante ipsos nulla formidine gressum
Flexit equos.———

3. THALAMO.] Id est, in thalamo. Obseruata Poëtæ occasio aptissima huic sermoni. Nam in thalamo, id est, in loco dicato amoribus, quid non vxor consequeretur? Hæc sunt illa tempora, quæ 4. Æneid. dicuntur *mollissima*, & *molles aditus*. Vnicè quadrant in hunc locum versus Lucret. lib. 1. vbi monens Venerem, quo puncto temporis debeat petere pacem à Marte, ita ait. E

Mollissima tépora quæ sint.

Hunc tu Diua tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaues ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.

Priceps quo adeũdus tépore.

Obseruandum itaque, qua occasione Principem adeas, aliquid petiturus. Martialis volebat librum suum tradi Domitiano, cùm lætus esset post epulas, non matutino tempore. Hoc idem vult caueri libris suis Ouid. 1. Trist. *si cuncta videbis mitia*, &c. & lib. 2. Ponti,

Cumq; serenus erit, vultusq; remiserit illos,
Qui secum terras, Imperiúmque mouent.

Sed aurei sunt versus Horat. lib. 1. epist. petentis à Vinnio, videat qua occasione Cæsarem pro se adeat.

Si validus, si lætus erit, si denique poscet,
Ne studio nostri pecces, odiúmque libellis
Sedulus importes opera vehemente minister.

Aurea omnia Deorũ.

4. AVREO.] Similis sæpe nitor in Poëtis omnibus, & in vno Homero sæpissimè, in cuius paginis frequentissimè de Deorum ornatu, quorum ædes, cubicula, currus, thalamus; aurea, argentea, nitida omnia. Iuno 14. Iliad. dicitur χρυσόθρονος. lib. 18. Vulcani domum vocat ἄφθιτον, ἀστερόεντα, μεταπρεπέα. Diana 6. Iliad. χρυσήνιος. & 16. Ἄρτεμις χρυσηλάκατος. Mars, & Pallas 18. χρυσείω. & χρύσεια εἵματα ἕσθην. In 8. Iuno, & Minerua sedent χρυσείοισιν ἐπὶ κλισμοῖσι. Ibidem Iuppiter χρύσειον ἐπὶ θρόνον. Iuno 14. Somno pollicetur θρόνον χρύσειον. Dij in 4. sedent χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ, seque excipiunt χρυσέοις δεπάεσσι. Euripid. Phœniss. Palladem vocat χρυσάσπιδα. Conuiuia Deorum apud Calab. lib. 4. χρυσείοις κανέοισι. Callimachus in Hymno dat Apollini indumentum, fibulam, arcum, pharetram, lyram, calceos, omnia χρύσεα. Deorum *aurea barba* celebratur. Vide Sueton. c. 52. Calig.

Homeri vitium.

5. DICTIS DIVINVM ASPIRAT AMOREM.] Non eguit Virgil. apparatu Homeri, imò noluit egere detestatus illius effusionem, & vbique esse voluit Parthenius. Qui legat librum 14. Iliad. vbi Iuno se comparat ad blanditias, vt placeat Ioui purgata sordibus, vncta oleo, capillis pexa, induta chlamyde, cincta zona, ornata inauribus, vittis, calceis, & multis, censebit inde multa amputanda. Poëtæ nostro satis fuit ad expugnandum animum Vulcani machina sermonis, quo ita suauiter locuta est Venus, vt quicquid vellet, exorauerit. Ideo dictis visa amorem inspirauit. Max. Tyr. dissert. 37. οἰκονομεῖ ἡ πῶλον μὲν θυμὸν χαλινὸς, ὁ ῥυτῆρες, ὁ ἱππικὸς, καὶ ἡνιόχου τέχνη. ψυχὴν δὲ ἀνδρὸς λόγος: *equi animos habena & lora, equitisque ac magistri ars moderatur: animum hominis oratio*. Homer. etiam lib. 14. Iliad.

Oratio moderatrix hominum.

Πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων:
Blandiloquentia, quæ decipit mentem valdè etiam prudentium.

Venus & Mercurius simul culti.

Auctor est Plut. in Præcept. Connub. veteres olim vno in Sacello Venerem, & Mercuriũ collocauisse, quòd voluptas genialis præcipuè sermonem postulet: Suadámque, & Gratias, vt impetrent blandimentis mutuò à se, quæ cupiunt. Præterea, Solonem præcepisse, vt sponsa vorato malo Cydonio sponsum adiret: qua re obscurè innuebat, debere comem esse, & suauem gratiam oris, & vocis. Certè reprehendentibus Virgilium, quòd careat Homeri apparatu, θεοὶ φρένας ἐξέβαλον, vt Homerus ipse loquitur, *Dij mentem ademerunt*. Vis probem? Post ingentem apparatum, quo Iunonem adornat ad illiciendum Iouem, demũ in id descendit Iuno, vt petat à Venere munus aliquod, quo sit venustior; nam reliqua sine hoc frigida. Ac tũ Venus dat illi cestũ, κεστὸν ἱμάντα, in quo θελκτήρια πάντα, *omnes illecebræ*. Ergo, cũ tota vis Iunonis posita in dono Veneris, & hæc secum dona omnia gestaret, otiosus fuerat reliquus apparatus.

Cydonium vorabatur ab spõsa adeunte sponsum.

Vastare.

6. VASTABANT.] Theucyd. alicubi, τὴν χώραν διεπόρθουν. & lib. 3. ἔδῃουν τὴν γῆν. & statim, κακουργεῖν: quod verbi Scholiastes explicat λῃστεύειν. Alij πορθεῖν τείχη. & in re Troiana aptius πυρπολεῖν, igne enim ea ciuitas vastata.

7. ARTIS, OPISQVE TVÆ.] Consentit hic

 locus

locus cum multis Homeri, in quibus interpretes illius celebrant Deorum αὐτοδιακονίαν, nam sæpe Hom. inducit Deos suos variis artibus occupatos, imò nulla alia multarum artium origo quàm Dij ipsi. Indicat sanè Hom. artes mechanicas non fuisse indignas maximis viris. Hoc laudat Sanct. Hieronym. in Nepotiano, qui tractaret μηχανικά. Vbi etiã scribit: *Vnde & apud Græcos Philosophus ille laudatur, qui omne, quo vteretur, vsque ad pallium, & annulum, manu sua factum gloriatus est.* Hinc fortasse fictum à veteribus, vt vna Gratiarum dicatur Vulcano assidere, & esse eius coniux prædicetur Venus; quia nihil mechanicis artibus aut gratiosius, aut venustius ad humanam vitam.

Deorum αὐτοδιακονία.

Artes mechanicæ nô indignæ magnis viris.

8. NATIS.] Præcipuè vni Paridi propter iudicium pulchritudinis. Sed & reliquis, qui aras exstruxerant in honorem Veneris. Sic enim credi potest ex fauore, quo hæc Dea erga omnes Troianos.

9. ÆNEÆ FLEVISSEM SÆPE LABOREM.] Mater quippe filij. Præclarè Symmach. epist. 34. lib. 1. *Mollis est animus diligentis, & ad omnem sensum doloris argutus.*

Amans alterius.

10. SVPPLEX VENIO.] Allusum ad ἱκέτας, sic enim dicti supplices, παρὰ τὸ ἱκέσθαι, quod venirent. Inde apud Curt. lib. 4. *Si veneris supplex, & matrem, & coniugem, & liberos recepturum te esse promitto.* Itaque *venire supplicem*, est ἱκέσθαι ἱκέτην: qua forma, *furere furorem, sæuire sæuitiam*, &c. Sed carent Latini simili paronomasia. Barbarè diceres *venientem venire*, id est, esse supplicem: sed cultè *supplicem venire*. Sic in 11. *en supplex venio*. Stat. 1. Theb. *supplex aduenio*. Arnob. lib. 1. *supplices irent*. Inde Tertull. de idololat. *De aduersaria officina in domum Dei venire*, id est, venire supplicem.

Venio verbum supplicum.

11. ARMA ROGO GENITRIX NATO.] Ita Thetis apud Hom. υἱ ἐμῷ. Eadem apud Stat. 1. Achill. *fas sit pro nato timuisse mihi.*

12. FILIA NEREI.] Satis hoc fusè Hom.

13. CLAVSIS.] Dio Chrysost. Orat. 38. ἐν τοῖς πολέμοις, ὥσπερ ἐν τοῖς πένθεσι, καὶ συγκλειόμεθα ἔσω πυλῶν, καὶ δεδοίκαμεν πάντα: *in bellis concludimur intra portas, vt solet fieri in luctu, & omnia timemus.* Sed de hoc iam 2. Æneid.

[a] Dixerat: & niueis hinc atque hinc Diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet: ille repentè
Accepit solitam flammam, notúsque medullas
Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit.
[b] Non secus, atque olim tonitru cùm rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
[c] Sensit læta dolis, & formæ conscia coniux.
[d] Tum Pater æterno fatur deuinctus amore.
Quid causas petis ex alto? fiducia cessit
Quò tibi Diua mei? similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset.
[e] Nec Pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decémque alios Priamum superesse per annos.
[f] Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidóve potest electro,
Quantùm ignes, animæq; valent: absiste precando
Viribus indubitare tuis, [g] ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidúmque petiuit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.

ARGVMENTVM.

Post verba sequuntur affectus alij, quibus victus Vulcanus promittit se facturum, quæ petuntur, dormitque cum vxore.

EXPLICATIO.

[a] CVNCTABATVR Vulcanus ad verba Veneris, inde illa non verbis contenta coniugem fouet mollissimo brachiorum complexu, ac tum ille repentè (hæc vis tactus feminei) solitis amoris flammis exarsit, quæ etiam ossa ipsa, & medullas penetrarunt. Pulchrè Virg. de Deo ignis, *solitam flammam, notus calor.* Inde enim ille fingitur coniux Veneris, quia res huius calore consistunt, ait Seru. Sunt ossa *labefacta*, tabida præ amore, & liquefacta.

[b] Vidisti ad ruptam nubem cum tonitru flammam nimbos percurrentem, talem finge hunc successum. Horridus est Vulcanus, & instar superciliosæ ac nimbosæ tempestatis ipse superciliosus, & ferreus: accessit affectus Veneris, ac statim rupit sese vsque ad ossa horror ille Vulcani, & amoris flammæ emicuerunt.

[c] Sensit Venus, effecisse dolis, quod volebat,

ac

ac proinde *læta* fuit: & quidem conscia etiam fuit, quantùm potuisset eius forma ad virum dementandum. A

d Quid verò ad illam Vulcanus *deuinctus iam amore æterno*, id est, diuino, qualémque habent æterni Dij? Frustra, ô Venus, rem ex alto ducis, id est, ab Troiano bello. An cessit tibi fiducia, quòd te in eo bello non iuuerim? Etenim, si tùnc voluisses, armassem ego, & communiissem Troianos contra Græcos, nullo obstante fato: hoc est enim, quod ait, *fas nobis fuisset*, quasi dicat, fata nihil contra.

e Reddit rationem extremi huius, *fuisset nobis fas*. Quia nec Iuppiter, nec fata vetabant, Imperium Priami superesse decem alios annos. Quod Seruius explicat, quia fata non immutantur, sed differuntur. Moriturus erat Priamus, ruitura Troia ex fatorum dispositione, sed clades ista, me adiuuante, differri poterat ad decem alios annos. B

f Nunc, cùm iam tibi in animo bellum sit, quicquid possum, promitto, siue ex ferro, siue ex electro; quicquid ignibus fornacis meæ, quicquid flatibus meorum follium. Itaque, ne me precare, ab hoc absiste, tuus sum totus, nihil de me dubita: esset enim hoc dubitare de tuis viribus, quæ maximæ. Nam quidem nimiæ tuæ preces faciunt, vt videaris dubitare de tuis viribus.

g Hæc cùm dixisset, ruit totus in vxoris complexus, & dulcissimos somnos. Et *ruit*, dixit, ad vim voluptatis indicandam. Sicut Horat. *tauri ruentis in Venerem*, Od. 15. lib. 2. Puer sic ordinet litteram. Infusus, immistúsque gremio coniugis (signat quippe pudentissimè ...) petiuit soporem placidum per membra, id est, soporem placentem ac gratum membris. Longissimus est Seruius. C

NOTÆ.

1. NIVEIS.] Ad exemplum fortasse Homeri, qui suam Iunonem sæpissimè λευκώλενον. A quo etiam Arnob. lib. 4. loquens de Iunone, *Vlnarum niuei, marmoreique candores*. Calp. Flacc. Declam. 2. *niuea membra*. Nonnus lib. 31. Dionys. χιονέῃσι παρειαῖς. Eurip. in Aul. λευκὸν δέμας. Sententia quoque ab eodem Hom. 14. Iliad. D — *Niueum de humano corpore.*

Ἦ ῥα, καὶ ἀγκὰς ἔμαρπτε Κρόνου παῖς ἣν παράκοιτιν:

Dixit, & vlnis complexus est Iuppiter suam vxorem.

Tale illud Horat.

——brachia candida

Ceruici iuuenis dabat.——

Venustulè Ouid.

Sæpe tuos nostra ceruice onerare lacertos.

Sed omnes omnium Veneres superat Venus Virgiliana quatuor primis versibus. E

2. AMPLEXV, &c.] Οἷδεν δυνάστης Eurip. in Hecuba loquens de re coniugum. — *Amplexus potentissimi.*

Ἐκ τοῦ σκότου γὰρ, νυκτέρων τ' ἀφεγγέων,

Φίλτρων ὅμως τε, τῆς βροτοῖς πολλὴ χάρις.

3. FLAMMAM.] Omnia explicant vim amoris, *flammæ, medullæ, ossa*. Horat. de amore, *torret*. Noster de Didone, *ardet*. Ab Apollon. lib. 3. amor dicitur ...., *ferus*. Quia videlicet, ὑπὸ κραδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρῃ, *sub corde tectus occultè ardebat*. & sup. dixerat, βέλος δ' ἐνεδαίετο κούρῃ: *sagitta ardebat in virgine*, quæ ὑπὸ κραδίῃ. Hanc amoris vim in ipso Vulcano, de quo hîc sermo, explicat Pallada lib. 1. Epig. — *Flamma ad vim amoris.* — *Ardeo, de amore.*

Υἱὸν ἔχεις ἐρῶτα, γυναῖκα δὲ τὴν Ἀφροδίτην,

Οὐκ ἀδίκως χωλεύεις τὸν πόδα, χαλκεῦ, ἔχεις.

Filium habes amorem, coniugem Venerem,

Non immeritò, ô Ferrarie, claudus es pede.

Quia corpus debilitatur vsu Veneris, & ideo ille claudus. Hanc vim figmento alio expresserunt antiqui. Nam Mars, qui ferreus, & iam domitus à Venere, dominatur Scorpio, quæ fera signat libidinem. Hinc fortasse natum, vt ...., id est, *viriles* dicantur Græcis impudentes, & ad omnia procaces. Exemplum habes in Plutar. Alcibiade, eo loci, quo describit Hyperbolum. Vide & ειδ. 13. Theoc. de Hercule domito. — *Veneris vsus corpus debilitat.* — *Scorpius signat libidinem.*

4. RVPTA.] Hoc Græci ῥήγνυσθαι. Iliad. 16. ὑπερράγη αἰθήρ. & Plut. in caus. Phys. πῶς οἱ κεραυνοὶ ῥαγέντι. & in Lucul. ἀήρ ἀπορραγῆναι. Sic & Stat. 1. Theb. *rumpitur æther*. & 7. *fulmina rupta*. Manil. lib. 1. *cœlum fulmine ruptum*. Ex Musa Virg. Petronius, — *Rumpi, de nubibus.*

Vix dum finierat, cùm fulgure rupta corusco

Intremuit nubes, elisósque abscidit ignes.

5. IGNEA RIMA.] O pulchrum, & ex penu tuo Virgili, à quo ditati alij. Plin. clarè à te cap. 43. lib. 2. *coruscare igneas nubium rimas*. Manil. lib. 1. mutauit in verbum, — *Rima ignea.*

Dum noua per cæcam rimamur lumina noctem.

Circumscripsit, credo, idem has igneas rimas per *tenues flammas*. Hinc etiam colorem traxit Sidon. epist. 11. lib. 1. *dedit hiantis interregni rima fulgorem*. Pulchro flexu Val. 4. Arg. *noctem lux dirimit*.

6. PERCVRRIT.] Ab Lucret. qui lib. 5. — *Percurro, de fulminibus.*

——& magnum percurrunt murmura cælum.

Ab vtroque Propert. Eleg. 16. lib. 2.

Vidistin toto sonitus percurrere cælo?

Noster maluit *nimbos* signatè & propriè, non cœlum: nam fulmina generantur in nubibus. Itaque Manil. lib. 1. *fabricantes fulmina nubes*. Poëtæ, qui fulmen è cœlo ducunt, ardore ducuntur poëtico.

7. SENSIT LÆTA DOLIS.] Sapor Homericus 14. Iliad. — *Imitatio.*

Τὴν δὲ δολοφρονέουσα προσηύδα πότνια Ἥρη.

Et Virgilianus in Lucano lib. 10.

Quem formæ confisa suæ Cleopatra, sine vllis

Tristis adit lacrymis simulatum compta dolorem.

8. ÆTERNO.] Turn. explicat magno, atque immenso, quia Curt. lib. 4. *Ablue corpus illuuie, æternísque sordibus squallidum*. Possis etiam ira Lucretium, qui lib. 1. de Marte amante Venerem, ad quem certè aspirauit Virg. — *Æternum, id est, magnum.*

——in gremium qui sæpe tuum se

Reiicit, æterno deuinctus vulnere amoris.

9. DEVINCTVS.] Tibull. Eleg. 2. lib. 2. *vincula* dixit de amore: & Horat. Od. 33. lib. 1. *compedem*. Certè ad vincula, & compedes allusit Virgilius. — *Vinculum de amore, & compes.*

10. QVID CAVSAS PETIS EX ALTO?] Vidit primus omnium Gifan. huic versui concordantem illum Attij in Arm. iudicio, — *Imitatio.*

Cur cetera tam ex alto appetissis dissidia Agamemnon?

11. FIDVCIA CESSIT QVO TIBI DIVA MEI?] Hanc satis firmam concipit Venus eadem apud Stat. 3. Theb. ita iactabunda,

——at non eadem Vulcania nobis

Obsequia, & læsi seruit tamen ira mariti.

Illum ego perpetuis mihi desudare caminis,

Si iubeam, vigilésque operi transmittere noctes

Gaudeat.——

12. PRIAMVM.] Sic dictus ἀπὸ τοῦ πρίασθαι, quia emptus, cùm priùs *Podarces*. Quæ hîc Seru. attingit de libris Acheronticis, plana tibi Heraldus facit in Not. ad Arnob. lib. 2. — *Priamus vnde dictus. Podarces. Acherontici libri.*

13. BELLARE.] Non dubium, quin hæc respiciant Homericam Venerem, quæ inter arma, vt Iuno, — *Venus armata.*

Iuno, & Pallas. De armata Venere exstat Epigram. Leonidæ lib. 4. Anthol.

Ἄρεος ἔντεα ταῦτα τίνος χάριν ὦ Κυθέρεια
Ἐνδέδυσαι, κενεὸν τοῦτο φέρουσα βάρος;
Αὐτὸν Ἄρη γυμνὴ γὰρ ἀφώπλισας. εἰ δὲ λέλειπται
Καὶ θεὸς, ἀνθρώποις ὅπλα μάτην ἐπάγεις.

Cuius (obſecro) *gratiâ ô Venus Martis arma hæc*
Induiſti, ferens inane hoc pondus?
Nuda enim cùm eſſes Martem ipſum viciſti. Si itaque victus
Deus, fruſtra in homines arma geris.

14. LIQVIDO.] Vide Eraſm. Adag. *electro lucidior*, Chil. 4. Cent. 4. cap. 71.

Poteſtur.

15. POTEST.] Enixè contendunt multi, legendum *poteſtur*, antiqua voce, quâ vſus Pacuuius, *ſi qua poteſtur inueſtigare via.* & Lucret. 5.

Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

Adducunt etiam pro ſe argumentum; nam Virgilius delectatur ſimili obſoletorum antiquitate: ille enim *fuat*, & *conſieri*, & adhuc in ſermone Deorum. Nam primum Iouis eſt in 10. alterum Iunonis in 4. Hîc ergo par eſt, vt Vulcanus quoq; priſcè loquatur. Addunt exempla, nam in Homero Dij loquuntur aliter atque homines. Probant, quia homines *Scamandrum* dicunt, Dij *Xanthum*: homines *Ægeonem* Dij, *Briareum*. Si iſtis obiicias, hac lectione, *poteſtur electro*, corripi ſyllabam contra legem; huic etiam malo occurrunt exemplo eiuſdem Virg. qui in Cyri,

Dij loquuntur aliter atque homines.

Coralio fragili, & lacrymoſo mouit electro.

Hæc ſunt firmamenta, quæ excogitari queunt pro hac lectione, quam tuentur Priſcianus, Albericus, Erythræus, alij. Sed me profectò illi in caſtra non ducunt ſua. Quæris rationem? Non placet, non probo. Eſt enim conflictio cum peſte gemina. In adductis exemplis ſimplex eſt bellum, hîc preminur duplici malo. Nam, cur fiat ſimul bellum & elegantiæ Latij, & quantitati ſyllabæ? Fruſtra mihi obiicies peruetuſta illa, *fitur*, *faceſſitur*, *poſſuntur*, *quitur*. Demum, ſi neſciam rationem pro me reddere, tamen non probo, & vſurpo illud,

Lectio Virgiliana.

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere, quare:
Hoc poſſum Sabidi dicere, non amo te.

16. ANIMÆ.] Sunt hîc *animæ* ſpiramenta, explicatore Macrob. lib. 1. Somn. cap. 14. Et quidem *animam* pro vento ſumi, illuſtratum iam 6. Eclog. Hîc aduoco commodè Claud. qui rem Virg. attingens 1. Rapt.

Anima pro vento.

——nullum tantum ſudore Pyracmon,
Nec Steropes conſtruxit opus, nec talibus vnquam
Spirauêre Notis animæ.——

vbi *animæ*, ſunt venti, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου. Sic & Lucret. *aurarum animæ.* & Plaut. Aſinar. *fœtet anima vxoris tua?* Vetus ſcriptor apud Nonium, *reciproca animam*, ſignans πνοὴν, & ἀναπνοὴν, Perſ. Sat. 1.

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.

Id eſt, explicante Cornuto, pulmo vento abundans.

17. ABSISTE PRECANDO.] Hac forma Liu. *abſiſtere obſidendo.* Vt verò cum infinito, *abſiſte indubitare*, ita in 6. *abſiſte moueri.* Phæd. in fabell. *timere abſiſtite.*

Abſiſte precando.

18. INDVBITARE.] Non vacat *in*, quod malè Seru. imò auget vim, quod bene Scal. 4. Poët. cap. 16. vt *infractum*. Sed de *infracto* ego loco debito.

In auget vim.

19. OPTATOS DEDIT AMPLEXVS.] Quales hi eſſent, explicat Claud. in Magn.

——Cytherea maritum
Sponte rapit, cœlique toros imitata priores
Pectora laſciuo flatu Mauortia nectit.

Lege Agell. lib. 9. cap. 10.

20. PLACIDVM.] In 4. *placidam quietem.* A Bacchilide, ſomnus μελίφρων. Cum toto hoc Virgilij curſu conſentaneus locus Statij 3. Thebaid. vbi Venus Martem ſupplex aggreditur, ille vincitur lenocinio ſermonis, atque etiam in amplexus ruit.

Locorum ſimilitudo.

[a] Inde, vbi prima quies medio iam noctis abactæ
Curriculo expulerat ſomnum: ceu femina primùm,
Cui tolerare colo vitam, tenuíque Minerua,
Impoſitum cinerem, ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famuláſque ad lumina longo
Exercet penſo: caſtum vt ſeruare cubile
Coniugis, & poſſit paruos educere natos:
Haud ſecus Ignipotens, nec tempore ſegnior illo
Mollibus è ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.
[b] Inſula Sicanium iuxta latus, Æoliámque
Erigitur Liparen fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Ætnæa tonant: validíque incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: ſtridéntque cauernis
Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat,
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

ARGVMENTVM.

Excitatur à ſomno ſtimulatus cura Veneris, adhibetur comparatio ad explicandam diligentiam Vulcani, deſcribitur eiuſdem officina.

EXPLICATIO.

[a] PRIMÆ tantùm quieti Vulcanus indulſit, non nocti integræ; itaque exſurgit exacto medio noctis curſu. Puer ita ordinet. *Prima quies expulerat ſomnum*

somnum in medio curriculo noctis abactæ. Pergo. Hanc A somni parsimoniam, quam Vulcanus accepit, eamque, qua stimulatus surrexit, comparat egregiè Poëta cum femina, cui victus positus tantùm in colo, & tenui lanificio. Solet hæc surgere post tenues somnos; ac dimoto cinere, perscrutari latentes ignes, atque inde lucernam accendere; vt ita noctem quoque addat labori diurno, exerceátque famulas ad accensam lucernam penso prolixiore. Adhibet finem huius tam exactæ diligentiæ, vt habeat, vnde viuat ipsa, & nati, seruata maritalis tori pudicitia. Non aliter (inquit) Vulcanus surrexit è lecto ad fabriles operas. Præclarè *Ignipotens*, ex vi adductæ comparationis, vbi de femina, *sopitos suscitat ignes.*

b Sequitur descriptio officinæ Vulcaniæ, quam constituit in insula, quæ erigitur iuxta latus Siciliæ, B & Liparen vnam Æolidarum. Ea insula tota fumat ignitis saxis, & quia *erigitur*, ideo *ardua*. Procedit. Subter hanc insulam est specus, & Cyclopum antra vastissima, quæ *exesa caminis*, id est, ambusta ignibus inde erumpentibus. In his antris mera sunt tonitrua ex validissimis ictibus, quibus incudes impinguntur: ac proinde consequens, vt ibi semper ferrum stridat, anhelet ignis erumpens ex fornacibus. Hæc est igitur *domus Vulcani*, ac tota tellus ab illo *Vulcania* dicitur.

NOTÆ.

Quies prima quæ. 1. PRIMA QVIES.] Ita vocat somnum vsque ad mediam noctem. De Iuliano ait Ammian. lib. 16. solitum surgere, cùm esset in bello *nocte dimidiata*. Integram noctem suis militibus dormire non permittebat Annibal, de quo Sil. lib. 12.

Pœnus vt ad somnos vix totam cursibus actæ
Indulsit pubi noctem.———

Est in Stat. 1. Theb.

———*vix lucis spatio, vix noctis abactæ.*

Imitatio. 2. CEV FEMINA.] Petita proculdubio comparatio ab Apollon. 3. Arg. vbi postquam descripsit sollicitos Medeæ amores, continuò subiicit.

Ὡς δὲ γυνὴ μαλερῷ περὶ κάρφεα χεύατο δαλῷ
χερνῆτις, τῇπερ ταλασήϊα ἔργα μέμηλεν,
Ὥς κεν ὑπωρόφιον νύκτωρ σέλας ἐντύναιτο
Ἄγχι μάλ' ἐγρομένη. τὸ δ' ἀθέσφατον ἐξ ὀλίγοιο
Δαλοῦ ἀνεγρόμενον σὺν κάρφεα πάντ' ἀμαθύνει:

Non aliter quàm mulier candenti ab igne stipulas iniicit titioni
Paupercula, cui lanaria res curæ est,
Vt familiarem noctu ignem excitare possit
Ocyùs surgens: illéque plurimus ex paruo
Torre suscitatus stipulas omnes consumit.

Lanificium pudicarū est. Ita & Terent. Heaut. act. 2. scen. 3. inducit pudicam feminam, occupatam *ad lanam, texentem telam studiosè.*

Tolero, de tenui vita. 3. TOLERARE.] Huic verbo annexa iam vsu auctorum significatio vitæ, quæ peragitur cum parsimonia & tenuitate. Iulius 1. Gall. *Nihil erat, quo famem tolerarent.* Liu. lib. 26. *Nec famē tolerare seruitia, & plebs poterant.* Lucret. 2. *angustis toleraret finibus æuum.* Cui respondet ὀλιγοκαρτερεῖν. Dicuntur enim ὀλιγοκαρτερῆται ἑαυτῶν, qui se modicè & paruo sustentant. Vt Iulius 7. Gall. *extremam famem sustentare.* Sed & mulier, quæ vitam lana, & colo sustinet, χερνῆτις dicitur ab Apollon. superiore Nota, atque etiam ab Hom. lib. 12. Iliad. versibus huc aptandis, vt quos potuit Virg. respicere.

Imitatio. Ἀλλ' ἔχον, ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής,
Ἥτε σταθμὸν ἔχουσα, καὶ εἴριον ἀμφὶς ἀνέλκει
Ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται:

Sed habebant se, vt mulier pauper & iusta lances tenens,
Quæ pondus habet, & lanam vtrinque appendit
Exæquans, vt liberis tenuem mercedem ferat.

vbi γυνὴ χερνῆτις est mulier, quæ nendo victum quæritat, ἀπὸ τῆς χειρὸς, & τὸ νεῖν. Pollux enim, νεῖν, κλώθειν, & στρέφειν æquabiliter dixit de lanificio. Itaque, χερνῆτις est in femina, quod in viro χειρόβιος. Suid. χειρόβιοι, οἱ ἐκ χειρῶν ζῶντες, ἢ ταῖς τέχναις προσκαθήμενοι: quia artifices, qui manibus laborant, vt plurimum sedent. Ab locutione Virg. non abit illa, *vitam ferre*, qua vsi multi. In oculis nunc habeo Quintil. Declam. 335. Chernetis. Chirobius.

4. TENVIQVE MINERVA.] Ita & Mineruam pro lanificio vsurparunt alij. Prop. loquens de Penelope lib. 2. Eleg. 9. Minerua pro lanificio.

Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.

Ouid. 4. Metamorph.

Infestáque sacra colunt, solæ Minoïdes intus
Intempestiua turbantes festa Minerua.

Id est, intempestiuo opere lanificij, nam Poëta explicans, addit protinus,

Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut hærent telæ, famulásque laboribus vrgent.

Arnob. lib. 5. *Mineruam pro stamine.* Ratio est in Tertull. lib. de Pall. *Sed vos omnem lanificij dispensationem, structurámque telarum Mineruæ maluistis.* Basil. Seleuciens. lib. 1. Teclæ, hanc Deam exhibet in arce quapiam C adstrepentem textoribus, futilibúsque homuncionibus, λοῖς ἀεὶ εἰώθει περιοικοῦσιν ὑφάνταις καὶ λήροις ἀνθρωπαρίοις ἐπικλαγγάζει. Itaque ταλασίαν, & ἱστουργίαν ad Deam hanc veteres referebant. Quæ dixi hactenus firmant omnium explicationem, à quibus neque ipse abeo. Sed Lectori candido propono aliam. Cur enim hîc *Minerua* non queat sumi pro oleo; cùm soleant diligentissimæ feminæ ad lucernas vigilare multam ad noctem, pensi absoluendi causâ? Itaque, vt Ouid. *Palladem* dixit pro oleo Eleg. 5. lib. 4. Trist. *reuixit*, ait, *vt vigil infusa Pallade flamma solet*; ita Virg. *Mineruam* pro eodem. Facit aliquid, Higynum dare inuentionem acus, quæ coniuncta cum lanificio, non Mineruæ pacificæ Deæ, sed Bellonæ bellatrici. Ait enim cap. 274. *Bellona prima acum reperit, quæ Græcè belone appellatur.* Ita Polluci lib. 7. venditores, D venditricésque acuum dicuntur βελονοπῶλαι, & βελονοπώλιδες. Sed sit Ouid. 2. Fast. interpres Virgilij. De Lucretia ita scripsit. Minerua pro oleo. Bellona acū repetit. Locorum similitudo.

Inde cito passu petitur Lucretia, cuius
Ante torum calathi, lanáque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant.

vbi *lumen exiguum* videtur esse *tenuis Minerua* Virgilij. Et Lucretia noctu laborat, vt Virg. *Noctem addens operi.* Demum in Ouidio, *famulæ data pensa trahebant*, vt Virgilius, *famulásque ad lumina longo exercet penso.*

5. IMPOSITVM CINEREM, ET SOPITOS SVSCITAT IGNES.] Sententia est, *suscitat impositum cinerem*, videlicet, dimouendo, ad eum modum, quo in E Georg. *suscitat æquore terga*, vbi loquitur de aratro dimouente terram. Ergo, dimoto cinere, sequitur etiam, vt suscitentur ignes sopiti cinere. Ad locum Virgilij pertinet ille Statij 1. Theb. Suscitare cinerem.

———*canis etiamnum altaribus ignes,*
Sopitum cinerem, & tepidi libamina sacri
Seruabant.———

6. NOCTEM ADDENS OPERI.] Annectit Germanicus illud Iulij 3. Ciuil. *Quò properans noctem dies continuaret* Noctem addens operi.

iunxerat, neque iter intermiserat. Et quidem in re Virg. Apollon. 4. Arg. κλωστῆρα γυνὴ ἔτ. ἀνεστρωφήσατο ἰννυχίη: *Mulier fusum versat laboriosa ac nocturna.*

7. CVBILE.] Possum accipere de lecto coniugali, quod reseruo ad 12. Æneid. Vult. Seru. sententiam ductam ab illo Terent.

Imitatio.

Primo hæc vitam parcè ac duriter agebat.

Nam similiter Virg. repræsentat in sua femina tenuem vitam ad seruandam castitatem. Sed Germano visum, sumi ab Eurip. qui in Helen. ἁγνὸν ὡς σώσαιμι Μενέλεω λέχος: *purum vt seruarem Menelai lectum.* Apud eundem Clytæmnestra ad Agamemnonem, σοῦ ζῶ· ἱστουργεῖν. Et quidem Iuuen. Sat. 6. lanificium castis feminis attribuit. Eius versus sunt.

Lanificium exercent castæ feminæ.

Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parua sinebant
Tecta, labor, somnique breues, & vellere Tusco
Vexatæ duræq; manus ———

Inde ergo illustratur *cubile castum* Virg. in femina, cui tenues opes.

Locorum similitudo.

8. PARVOS EDVCERE NATOS.] Vidisti iam in præmissis: ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄροιτο. Apollon. lib. 4. inducit feminam insudantem lanificio, quòd habeat ὀρφανὰ τέκνα, *viduos liberos,* marito mortuo.

9. IGNIPOTENS.] Vt dicitur Mulciber à mulcendo ferro, ita Ignipotens à domando illo; potens enim ignis in duram materiam. Sed respicit, credo, sapiens Poëta ad virtutem & potestatem, quæ celebrata antiquis. Omnia enim artificia à igni attribuebant. Nec alia origo fabulæ Promethei, qui ignem Solis rapuit, & communicauit mortalibus; nam videlicet docuit rerum structuras. Prometheus ipse de se lib. 4. Epig. τέχνης πυρπνόον ὄργανα ἐς βίον, vbi igni dat artem, atque illum dedisse vitam rebus. Inde ignis dictus est *sapiens* ab Tertull. in Scorpiaco, & ab Minutio. Clemens etiam in Protrept. πῦρ vocat σωφρονοῦν. Non alia credo, mente dictum à Virg. 1. Georg. de Ioue mundum in deterius commutante,

Igni debentur artificiata omnia.

Ignis cur dictus sapiens.

Melláque decussit foliis, ignémque remouit,
Vt varias vsus meditando extunderet artes.

Sicut ab Hesiod. κρύψε δὲ πῦρ. Quia videlicet omnia parata sunt ab igne; &, si absit, difficiliores sunt artes. Quid enim ignis non emolliat? Lucret. etiam lib. 5. describens rude sæculum, & nullis artibus excultum, ita ait:

Nec dum res igni scibant tractare. ———

Quasi ignis ad omnem fabricam res potissima. Huc pertinet etymon Varronis, ignem dictum à *nascendo,* quòd inde omnia nascantur. Atque inde etiam puto natum Prouerbium, *Ab igne,* ad significandum initium cuiusque rei. Quo vsus Basilius Seleuciensis Episcop. lib. 1. vit. Teclæ, ἀφ' ἑστίας φησὶ, ὡς εἰπεῖν, ἀρξαμένη τῆς κατηχήσεως ἡ μάρτυς: *Ab igne enim, vt dicitur, martyr auspicata est catechesin.* Quo genere loquendi satis indicat, vulgare hoc esse Prouerbium. Existimam, fortasse ignem dici ab Homero ἀκάματον, *indefessum,* vt à quo omnes artes, nullo suo labore. Valer. Flacc. 1. Argon. cùm occupatur in prima naue fabricanda, ait, *Lentéque sequaces molliri videt igne trabes.* Nec alia ratio, cur Homero lib. 21. Iliad. *Vulcanus* dicatur *sapiens,* πολυμήτις ἥφαιστος. Et post pauca: ἥφαιστε πολύφρονα. Inde etiam in honorem Vulcani inuentoris artium erant Athenis festa, quæ Græci vocabant λαμπαδηδρόμους ἀγῶνας ab igne, erantque λαμπαδηφορίαι: & victor dicebatur λαμπαδηφόρος. Scribit hoc interp. Aristophan. in Ran. & Vesp. Præclarè itaque dixit Aristoteles, ignem esse organum artium; αἱ τέχναι πυρὶ χρῶνται, ὥσπερ ὀργάνῳ: *Artes vtuntur igne, tanquam organo.* Et Tull. 2. Nat. ait esse *ignem artificiosum, & magistrum artium reliquarum.*

Ignis etymon. Ab igne. Prouerb.

Atheniensium festa.

10. MOLLIBVS E STRATIS.] Lucret. lib. 4. *lecti mollia strata.* Hom. Odyss. 20. ἐν λέκτροισι μαλακοῖσι. Sed cùm Virg. *surgit,* respectû ad illud Odyss. 23. ὦρτο δ' Ὀδυσσεὺς εὐνῆς ἐκ μαλακῆς: *Surrexit Vlysses ex molli cubili.*

Molle stratum. Imitatio.

11. INSVLA.] Intelligit Hieram, vnam Æolidarum, cuius situs inter Siciliam & Liparen, cuius rei oculi sunt indices, si cernis descriptiones Ptolemæi, & Abrahami: & in vtroque dici hodie *Vulcaniam* inuenies. Itaque, ipsissima est *Hiera,* quæ hodie *Vulcania,* & à Plinio *Therasia* etiam dicitur. Verba eius cap. 9. lib. 3. *Inter hanc* (Liparen) *& Siciliam altera, antea Therasia appellata, nunc Hiera, quia sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas euomente flammas.* Itaque ideo *Hiera,* quia Vulcano ἱερά. Sumpsit Plin. ab Aristot. lib. 2. Meteor. cap. 8. vbi ait, hanc insulam, vnam esse ex Æoliis, & solitam in ea intumescere partem terræ, quo tumore disrupta, ἐξῆλθε πνεῦμα πολὺ, καὶ τὸν φέψαλον, καὶ τὴν τέφραν ἀνήνεγκε, *multùm spiritus prodiit, qui scintillam, cinerémque sustulit.* Et addit: καὶ τήν τε Λιπαραίων πόλιν, οὖσαν οὐ πόρρω, πᾶσαν κατετέφρωσε. *Vrbem Liparæorum vicinam vniuersam cinere obruit.* Hæc ergo ratio, cur ea insula dicatur officina Vulcani. Et profectò ex perlustrato Aristotele in eam mentem Virg. abiit. Idem lib. de Mundo. Λιπάρα τε, καὶ Αἴτνη, καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις. ἃ δὴ καὶ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην, καὶ μύδρους ἀναβλύζουσι διαπύρους: *Lipara, Ætna, & insulæ Æoli. hæ sæpe fluunt more fluminum, & ignitas ferri glebas eructant.* Hæc verò Hiera sita est ad Pelorum. De altera etiam Hiera, quæ sita ad Lilybæum, vide Indicem Abrahami. Considera iam in exitu Notæ, vti septem versibus insula hæc describatur, & oppone tibi ex aduerso Homeri ieiunium hoc,

Hiera insula.

Therasia insula.

Ἥφαιστου δ' ἵκανε δόμον Θέτις ἀργυρόπεζα
Ἄφθιτον, ἀστερόεντα, μεταπρεπέ' ἀθανάτοισι,
Χάλκεον, ὅν ῥ' αὐτὸς ποιήσατο κυλλοποδίων:
Vulcani autem peruenit ad domum Thetis argentipes
Incorruptam, stellatam, decoratam inter immortales,
Æream, quam quidem ipse fecit claudus.

Homerum superat Virgilius.

Ieiunium dixi? Vide, an stultitiam? Quid stultius, quàm constituisse in cœlo officinam Vulcani? ac proinde stultissimum ἀστερόεντα. Frui mora Suada si velis, adi Iulium Scalig. euertentem Homerum. Sed non credo opus tam forti euersore in rebus plenis ineptiarum.

Homeri vitium.

12. ÆOLIAM LIPAREN.] Lege Plin. dicto loco, & omnes Geographos, nemo est enim, qui non meminerit Lipares. Faciunt illam omnes vnam Æolidarum, nam septem illæ insulæ (aliqui plures volunt) sacræ erant Æolo ventorum Deo. Hanc paribus flammis cum aliis nobilitat Claud. 3. Hon. vt etiam alij,

Lipare.

Ignifluisque gemit Lipare fumosa cauernis.

13. FVMANTIBVS ARDVA SAXIS.] De his locis, Lemno (inquam) vbi etiam Vulcani officina, Valer. 2. Arg.

Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
Fumant saxa iugis, coquitúrque vaporibus aer.

Locorum similitudo.

Ait *ardua,* quod in 6. dixerat, *Cyclopum educta caminis.* & Eurip. in Elect.

Κυκλώπεια τ' οὐράνια τείχεα:
Cyclopea aëria mœnia.

14. CYCLOPVM.] Ex veterum opinione. Plin. lib. 7. cap. 56. *Fabricam ferrariam inuenere Cyclopes.* Sed de hoc iam alibi.

Cyclopes inuenêre ferrariam.

15. ANTRA ÆTNEA.] Caue fallaris; non in Ætna

Vulcani officina.

Ætna officina Vulcani, sed in Hiera, vt explicui: nam Ætna in ipsa est Sicilia, Hiera extra illam. Igitur *antra Ætnea*, vel ex necessitate cum Ætna Siciliæ, ad eum modum, quo Sidonius ad Felicem, *Vulcanum Lipare*. & inf. *Ætnæi Cyclopes*. Et Callimach. Hymn. Dianæ Cyclopas Vulcani ministros constituit νήσῳ ἐνὶ Λιπάρῃ. Vel potiùs *antra Ætnæa*, id est, vasta & magna. Quicquid enim magnum, dictum olim *Ætnæum*. Vide, quæ iam lib. 3. ab illud, *Ætnæi Cyclopes*. Inde inf.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.

Ætneum, id est, magnū.

16. TONANT.] Nam ictus malleorum in incudibus instar tonitrui. Stat. 3. Sylu.

Tonat, de incudibus.

Non tam grande sonat (lego, *tonat*) *motis incudibus Ætna,*
Cùm Brontes, Steropésque ferit, nec maior ab antris
Lemniacis fragor est, vbi flammeus Ægida calat
Mulciber.———

Nam & Valer. 4. Arg.

Et tonat afflicta semper domus ignea massa.

Scio in aliis esse *sono*; nam Callimach. Hym. Dian. loquens de Cyclopib. δοῦπον ἄκμονος ἠχήσαντος, *strepitum sonantis incudis*. & Oppian. 5. Hal. ἄκμοσι δουπε-λάδοις. Sed cùm Stat. videatur pergere ad Virg. placuit legere *tonat*, non *sonat*. Apollon. lib. 4. de incudibus Vulcani ferreis hoc flexu, στιβαρῇσιν ἀράσσετο τυπίδεσσιν, *durissimis tunduntur malleis*. Iterum: σιδηρείων τυπίδων. Claud. 2. Eutrop. *multisque gemunt incudibus æra*. Sic Virg. statim *gemitum*.

Lectio Virgiliana.

17. STRICTVRÆ.] Non dubium, quin significet vel μύδρους, *massas ferri ignitas, quæ candent in fornacibus*: vt etiam Lucill. lib. 3. Sat. *Crebræ vt scintillæ in strictVris, quod genus olim feruenti ferro*. Et Seru. in sua finitione: *Strictura est terra ferri in massam coacta*. Vel scintillas erumpentes. Nam Nonius: *Strictura dicuntur propriè scintillæ, quæ de ferro feruenti exeunt*. Rutilius lib. 1. Itiner.

Strictura ignis quæ.

Non Biturix largo potior strictura camino.

Max. Tyr. dissert. 25. σπινθῆρες τ' ἐξ ἀκμόνος, καὶ ἐκ βαύνου αἰθάλωσσες: *Scintillæ ab incude, à fornace fauillæ*. Adduxi Maximum; nam multi σπινθῆρας reddunt *stricturas*. Ex dictis habes duplicem *strictura* significationem, vel vt massa ignita, vel scintilla. Sed scias, quando sum in hac voce, vsum alium. Dicitur certè strictura etiam extra ignem. Nam Plin. cap. 14. lib. 34. *Stricturæ vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, à stringenda acie vocabulo imposito*. Corrige Plinium ab Isidoro, *à stringendo aptè vocabulo imposito*. Persius etiã *venas ferri stringere* dixit Sat. 2. Demum Glossæ: *strictura*, μάζαλλον. Sed mitto rem Grammaticam. Velim notes locum Nonni lib. 22. in quo multa similitudo cum Virgiliano, omitto quippe Sophoclem indicatum Germano. Ergo Nonnus.

Stringo de ferro.

Ὡς δ' ὅτε χαλκείων τις ἐπ' ἄκμονι χαλκὸν ἐλαύνων
Ἀκαμάτῳ ῥαιστῆρι πυρίβρομον ἦχον ἰάλλει
Τύπτων γείτονα μύδρον: ἀποθρώσκουσι δὲ πολλοὶ
Ἀλλόμενοι σπινθῆρες ἀρασσομένοιο σιδήρου
Ἠέρα θερμαίνοντες.———

Locorum similitudo.

Vt verò cùm faber quispiam in incude ferrum tenuans
Indefesso malleo igne stridentem sonitum emittit
Percutiens vicinam massam candentem: exsiliunt verò multæ
Salientes scintillæ pulsati ferri,
Quæ aërem calefaciunt.———

18. CHALYBVM.] De ferri inuentoribus iam in Georg.

19. ANHELAT.] Ita Claud. 1. Rap. de Phlegetonte ignito amne, *Vorticibus anhelat* Pulchrè Stat. 9. Theb. *omnis anhelat vnda nefas*. Et lib. 3. Epig. ἆσθμα πυρός: *ignis anhelitum*. Pers. Sat. 5. *anhelanti coquitur dum massa camino*.

Anhelo.

[a] Hoc tunc Ignipotens cœlo descendit ab alto.
[b] Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
Brontésque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon.
[c] His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Deiicit in terras: pars imperfecta manebat.
[d] Treis imbris torti radios, treis nubis aquosæ
Addiderant, rutili treis ignis, & alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitúmque, metúmque
Miscebant operi, flammísque sequacibus iras.
[e] Parte alia Marti currúmque, rotásque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes.
[f] Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squammis serpentum, auróque polibant,
Connexósque angues, ipsámque in pectore Diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

ARGVMENTVM.

Inuenit Vulcanus Cyclopas variis operibus distinctos. Tria numerat, Ioui fulmen, currus Martis, Ægidem Palladis.

EXPLICATIO.

[a] COELVM iuerat Venus aditura Vulcanum, fit inde descensio ad Hieram, vbi ferraria.

b Ministros tres numerat, Brontem, Steropem, Pyracmonem. Primo nomen ἀπὸ τῆς βροντῆς, *a tonitru*: alteri ἀπὸ τῆς στεροπῆς, *a fulgetra*: tertio ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ ἄκμονος, *ab igne, & incude*. Isti igitur ferrariam exercebant, vt ministri Vulcani, & nudi quidem ex decoro, & necessitate operis. Quod enim de vno, de aliis nihil vetat capi. Et vide consecutionem miram magni verè Poëtæ. Ideo isti nominantur, quia horum iam nomina repræsentata in superiori descriptione. Ergo *Brontes*, quia *antra Ætnæa tonant*: & *Steropes*, quia *striduntque cauernis strictura Chalybum*: has enim de candentibus & ignitis, aut massis, aut scintillis explicabamus. Demum *Pyracmon*, quia præcessit, *validique incudibus ictus audiri referunt gemitum*. Quis putas, hanc diligentiam haberet? O miseros Poëtas reliquos, si tecum conferantur Maro.

c Fortasse illi fulmen Iouis fabricabant, ita vt iam illud informatum esset, nam vna ex parte politum, ex altera imperfectum. Et obiter ait, his fulminibus vti Iouem è cœlo in terras. Quid sit *informare*, dico in Notis.

d Nihil patitur Maro non consequenter dictum. Dixerat: pars fulminis formata iam erat & polita, pars adhuc imperfecta. Pars illa formata erat, quæ ad radios pertinet, & isti omni ex parte terni. Ergo, quia hæc pars iam formata, nó perfecto modò tempore, sed adhuc plusquàm perfecto, *addiderant*. Erat hæc (sic dicam) substantia fulminis. Procedo. Pars illa erat imperfecta, quę pertinet ad accidentia. Nondum enim fulgores, sonitus, metus, flammæ, iræ; ideo tempore imperfecto, *miscebant*. Nemo enim neget, quin fulmini accidant sonitus, pauores, metus, &c. Expende adhuc hoc apparatu formari fulmina, quia hæc nunquam sine tonitru. Atqui tonitrum nunquam sine nubibus, & ventis; sicuti neque fulmina sine fulgore, metu, ira.

e In alia officinæ parte fabricabantur currus, & rotæ Martis bellorum Dei, quibus ille solet metum vniuersis incutere. De hoc opere, *instabant*, quia necque dum factum.

f Labor vltimus Ægis Palladis, quæ & adhuc ipsa poliebatur. Mirè hanc describit, & ad horrorem, Sententia est, poliri certatim ab omnibus Ægida squaminis serpentum, auróque, id est, squammis aureis: in medio verò Ægidis, quæ pars ad pectus Dinæ statuenda, erat caput Gorgonis, cui connexi angues pro crinibus. Vertebat verò oculos in obliquam partem (adhibet quidem itatè respicientis habitum) post defectum collum.

Notæ.

Hoc, pro, huc. Illo, pro, illuc. O, pro, u.

1. Hoc.] Notat Seru. dictum olim *hoc*, pro *huc*: idque auctoritate Verrij. Sic & *illo*, pro *illuc*. In inscriptionibus hoc frequentissimum, in quibus sæpe *consoles, faciondum Hercoli, poloati, font*. pro, *consules, faciendum, Herculi, mulatai, sunt*. Consule inscriptiones Smetij, & Gruteri. Sed quidem in libro Colatij scriptum hoc loco, *huc*, non *hoc*, attestatur Vrsinus.

Vulcanus, viator.

2. Descendit.] Sedes Vulcani in cœlo erat (loquor, vt Gentiles, quos interpretor) ferraria tamen illius in terra, inde necessarius descensus. Quid ergo si hæc causa, cur viator describeretur Vulcanus à Gentilibus, ex frequenti in officinam suam migra-

Cum pileo.

tione? Huc traho Arnobium lib. 6. *Cum pileo Vulcanus & malleo*. Veteres Romani (quod transire in Deos potuit) intecti erant, & quinque tantùm tectionis

A tempora, quod iam alij latè. Horum vsum fuit peregrinatio & iter. Itaque pileus commodus peregrinanti Vulcano, & viatori. Arrhian. quoque lib. .c. 8. (hunc Arnobio Heraldus adiungit) Vulcano dat πῖλον.

3. Ferrum exercebant.] Ita Thetis apud Hom. 18. Iliad. cùm Vulcanum adiret,

Imitatio.

Τὸν δ' εὗρ' ἱδρώοντα, ἑλισσόμενον περὶ φύσας.
Hunc inuenit sudantem, motantem se circa folles.

Et nota voculam *ferrum*. Itaque mirum quod scribit Pausan. Corinth. vbi ait, iuxta templum Cephisi esse caput Medusæ λίθου, *e lapide*: & tamen adiicit, Κυκλώπων φασὶν εἶναι καὶ τοῦτο ἔργον. *Dicunt opus hoc esse Cyclopum*. Ibidem quoque meminit muri facti à Cyclopibus. Itaque illi fuêre opifices in duplici distinctissima materia.

Cyclopes etiam circa lapides.

B

4. Cyclopes.] Hi ministri Vulcani in ferraria. Silius lib. 4. de Marte,

——multóque labore Cyclopum
Sudatum thoraca capit.——

Diana apud Callimach. in Hymno,

Ἐμοὶ Κύκλωπες ὀϊστοὺς
Αὐτίκα τεχνήσονται.
Cyclopes mihi sagittas
Statim elaborabunt.

Ab Nonno lib. 9. dicuntur ἱδμονες, & ζηλήμονες ἔργων Ἡφαίστοιο: *scientes operum Vulcani. eiúsque æmuli*. Idem eodem lib. ἀμφὶ ... Κύκλωπες: *adsistantes camino Cyclopas*. Dat his Hesiod. ὀβριμόητορ, vt duri operis ministris. Inde illi Dij Ethnicorum, vt Vulcanus. Nam Cyclopum aram Pausan. nominat lib. 2.

Cyclopes Dij.

C Stat. 2. Theb. adiungit Cyclopibus Telchinas, qui illos pari operum labore adiuuant. Vti verò inducuntur? *Ferrum exercebant*. Intellige stantes, ex necessitate artis huius. Malè Apollonius libro primo Argonaut.

Ἐν μὲν ἔσαν Κύκλωπες ἐπ' ἀφθίτῳ ἥμενοι ἔργῳ.
Intrant quidem Cyclopes in immortali sedentes opere.

Laudo Callimachum, qui in aduocato opere Cyclopas exhibet ἐπ' ἄκμοσιν Ἡφαίστοιο ἑσταότας περὶ μύδρον, *stantes ad ferri massam super Vulcani incudibus*. Eandem rem indicat descriptio Vulcani apud Arnob. lib. 6. de quo, *fabrili expeditione succinctus*. Quæ succinctio stantis est, non sedentis. Hoc vnicè quadrat Cyclopibus eius ministris. Adiungit Arnobio Heral. Arrhianum lib. 4. cap. 8. dissert. Epict. qui de fabro loquens, περιζώμα περιζώσηται: *perizomate cingatur*. Hic scilicet habitus laborantis ad incudem.

Stantes esse debent ferrarij. Succinctio laborantis est.

D

5. Brontesque, Steropes, &c.] Ad exemplum Virg. Claud. 3. Honor.

Brontes, Steropes, Pyracmon.

Brontes innumeris exasperat Ægida signis,
Alium fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes, nectit thoraca Pyracmon.

Idem 1. Rap. omisso Bronte,

——nullum tanto sudore Pyracmon,
Nec Steropes construxit opus.——

Hesiod. Theogon. Pyracmonem omittit,

Βρόντην τε, Στερόπην τε, καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον.

A quo & Stat. 1. Sylu.

——lassum Steropem, Brontémque reliquit.

E Et 4. Sylu. vnius tantùm *Brontæ* meminit. Et quidem in versu Hesiodi legendum, vt vidisti, non, vt alij ἀστεροπὴν, quod & Vrs. monet. Et ego adiicio, similem fermè errorem irrepsisse in codices Plin. cap. 10. lib. 35. vbi loquens de Apelle, ait: *Pinxit, & quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra, fulguráque: Brontem, Astrapem, Ceraunobolon appellant*. vbi legendum, *Steropem*, non *Astrapem*, nam illa nomina cum allusione ad Cyclopas. Vt verò Hesiod. Ἄργην nominat inter hos,

Steropes Plinianus.

hos, ita Callim. Hym. Dian. Ἄργην, ἢ Στερόπην.

6. INFORMATVM.] Monet Germ. non esse hîc idem, quod *informe*, id est, sine forma: habebat enim formam suam iam fulmen. Sed significat Poëta κεραυνὸν ὑποτετυπωμένον. Nam *informare*, verbum est statuariæ, aut pictoriæ, significans primam & rudem formam; & σκιογραφίαν intelligit. Ita *informatum* in Virg. est habens quidem formam, sed rudem; nam parte polita, parte imperfecta. Sic infr. de clypeo nondum perfecto, *ingentem clypeum informant.*

7. IAM PARTE POLITA.] De sagittis Herculis Hesiod. in Scut. μέσσοι δὲ ξεστοί: *mediæ politæ erant.*

8. FVLMEN.] Cyclopes quoque apud Hesiod. Theog. inducuntur τεύξαντες κεραυνόν. quo commento vagati reliqui Poëtæ.

9. PLVRIMA.] Præcessit fulmen, sed iam auctoritate Lucret. lib. 4. German. astruxit, Poëtas non semper sequentia præcedentibus κατὰ λέξιν reddere solitos. Eadem sæpe in Arnob. inculcat Heral. manifestissimis exemplis.

10. PARS IMPERFECTA MANEBAT.] Locus planus Apollonij primo Argon. nam de Cyclopib.

Ζηνὶ κεραυνὸν ἄνακτι πονεύμενοι. ὃς τόσον ἤδη
Παμφαίνων ἐτέτυκτο, μιῆς δ' ἔτι δεύετο μοῦνον
Ἀκτῖνος, τὴν οἵγε σιδηρείοις ἐλάασκον
Σφύρησι.——
Ioui fulmen Regi fabricantes. quod tamen iam
Fulgurans erat, vnóque adhuc carebat solo
Radio, quem illi ferreis cudebant
Malleis.——

Sed non dubium, quin hoc quoque ad imitationem Homeri, qui lib. 18. Iliad. inducit Vulcanum fabricantem tripodas, ita tamen, vt cùm Thetis aduentauerit ad illum, οὔατα δ' οὔπω δαιδάλεα προσέκειτο, τά ῥ' ἤρτυε, *nondum ansæ additæ essent, quas iam apparabat.* Et sicut Virg. de imperfecto, *manebat*, quia *pars imperfecta*: ita ibi Vulcanus de tripodibus, ἐτεῦχεν, *faciebat*, quia opus nondum perfectum. Iterum pari consecutione, ταῦτ' ἐπονεῖτο: *hæc laborabat.* Imperfectū tempus.

11. TREIS IMBRIS, &c.] Perplexus locus. Sudant enim interpretes in explicanda physica rerum natura, quæ hîc latet. Multa hîc Seru. quæ mihi vehementer displicent; nam nihil consequenter: tantùm videor probare, quæ scribit de manubiis Iouis, Iunonis, Martis, Austri. Sed & hæc quoque vitio laborant, nam etiam Palladi datæ manubiæ, & aliis, quæ ego iam latè 1. Æneid. Quæ scribit Iulius Scal. tractans hunc locum, etiam respuo. Ego puto, illam esse veram sententiam, quæ maiore consecutione adhæret verbis Poëtæ, ac proinde sic explico. Solent torqueri fulmina, vel *grandinante cœlo*, vel *ruentibus magnis pluuiis*, vel *aëre æstuante*, vel *ventis flantibus*. Fulmē quadruplex. Grandinem intelligo per *imbrem tortum*, in quo tantùm consentio cum Seruio: nam, quæ de hyeme ait, omnino errat: pluuiam immensam, per *aquosam nubem*: æstuantem aërem, per *ignem*: flatus ventorum agnosco in *Austro*; hic enim ventus præ aliis positus κατ' ἐξοχήν, nam eo flante, pertinaciores esse solent tempestates. Ergo, compingit Poëta hoc Iouis fulmen, formátque illud partibus, vt det huic Deo fulmen, quod iaculetur hac quadruplici tempestatum opportunitate. Vnicuique autem parti assignat tres cuspides, vt omnes sint duodecim, hoc typo, quem tibi ex antiquis marmoribus subiicio.



Fulmina cur trisulca. *Si quis quærat, cur Poëtæ semper faciant radium Iouis trisulcum, intelligat nullam esse aliam rationem, quàm celeritatem cadentis fulminis vnà cum vibratione: ita enim celeriter rotatur, vt triplex in aëre appareat vibratio: sic Poëtæ linguas serpentum dicunt trisulcas, quod iam alibi. Si quis rationes alias quærat, adeat quæ scripsit Hadr. Iunius lib. 5. Animaduers. c. 16. Qui volunt nouem tantùm cuspides dari à Virg. huic fulmini, videant non satis consequenter loqui.*

12. IMBRIS TORTI.] Accepi de grandine, secutus Seruium, & vim vocis. Lapides enim dicuntur torqueri, vt & tela omnia. Horat. 2. epist. *torquet nunc lapidem.* Atqui Claud. Cons. Manl. grandinem vocat saxa, eo versu.

Quis trahat imbriferas nubes? quî saxa creentur
Grandinis? vnde rigor niuibus.——

Itaque, *tortus imber*, erit imber saxeus qui torquetur. Imber saxeus de grandine. Quod Soph. Antig. πυρὶ παλτῷ, à vibratione, qua fulmen torquetur. Et Pind. Od. 1. Pyt. αἰχματὰν κεραυνόν: nam cuspidata quoque torquentur; sic de telo, hasta, sagittis, aliis.

Aquosa nubes. 13. NVBIS AQVOSÆ.] Alibi: *Torquet aquosam hyemem.* Ad hoc fortasse genus fulminis alludit Calab. lib. 4. vbi Iuppiter vocatur ἀργικέραυνος, quasi *qui vtatur albente fulmine.*

Addo, in artificiatis. 14. ADDIDERANT.] A Virg. Ouid. 3. Metamorph. nam in fabrica fulminis.

Est aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sæuitiæ, flammæq; minus, minus addidit iræ.

Ruber ignis. 15. RVTILI.] Claud. Conf. Manl.

——quæ flamma per auras
Excutiat rutilos tractus?——

Valer. 7. Arg. *rutilique à fulminis æstu.* Pind. Od. 9. Olymp. Iouem vocat φοινικοστερόπαν, *rubentem fulmine.* De eodem Hor. *rubente dextera.* Sunt, qui in Poëta legant, *rutuli ignis*, tragica quadam affectatione, & maiestate, vt *maxumus, optumus*: vt etiam *lutare*, pro *litare.* Nam verbum Varronis, quod est apud Nonium voce *lutaui*, docti notæ non inferioris pro *litaui* positum dicunt.

Luto, pro lito.

16. ALITIS AVSTRI.] Obuium hoc. Græci ἀνέμους πτερόεντας.

Fulgor ad terrorem. 17. FVLGORES TERRIFICOS.] Præclarè, & cum quadam oppositione; videtur enim esse species ὀξύμωρ-: læti enim fulgores sunt, sed fulmina ad terrorem. Ad quem modum Stat. 3. Theb. de Marte, *armaque in auro tristia.* Et Tertull. Apolog. *Luget Sol filiū iactatum de cœlo lætantibus verbis.* Seru. 1. Æneid. ad illud, *& fulmine terres*, agnoscit genus fulminis, quod terreat. Nam est fulmen, quod terret, quod punit, quod præsagit. Primi exemplum;

Fulminum triplex genus.

Fulminis afflauit ventis.——

Alterius;

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras.

Tertij;

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Fulmē, quod ad terrorem. Ergo de fulmine, quod ad terrorem, capio Pind. Od. 10. Olymp. βέλος ἐριγδούπου Διὸς, *telum Iouis horrisoni.* Et Plaut. Amph. *Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus, vt subitò, vt properè, vt tonuit validè.* Et Arnob. lib. 4. *Tonans, fulgens, fulminans, & nubila terribilia conducens.* Atque etiam Nonnum lib. 24. ipso initio.

Ζεὺς δὲ πατὴρ κοτέοντος ἀπέτρεπε παιδὸς ἀπειλὴν
Δινεύων ὁμοπλεκέων νεφέων βροντεῖον ἱμάσθλην·
Iuppiter Pater auertit irati filij minas
Flagellans fulmineum fremitum nubium complicatarum.

Hoc enim tantùm ad terrorem fuit, vt Bacchus à pugna desisteret, quod postea aperit.

18. SONITVM.] Propter tonitrum, nam semper comes fulminum. Ita infrà in hoc lib. volens significare tonitrum, *cum sonitu venit.* Claud. 2. Stil. *sonoro concutiens tonitru.* Et hic sonitus à concussione. Nonn. lib. 10. βροντῆς κτύπον. Et Hom. sæpe, ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Et Manil. lib. 1.

Sonitus comes tonitrui.

Nubila cur toto quaterentur pulsa fragore.

Misceo, verbum statuariæ. 19. MISCEBANT.] Ita lib. 4. Epigram. λύσιππος χαλκῷ ἐγκατέμιξ' ὀδύνην: *Miscuit Lysippus æri dolorem.* Iterum;

Οἶκτον ὁμοῦ καὶ λύσσαν ἐτήτυμον ἔνθεος ἀνὴρ
Μαρμάρῳ ἐγκατέμιξε.——
Misericordiam simul, & verè rabiem
Diuinus vir marmori immiscuit.——

Currus Martis. 20. MARTI CVRRVM.] Hunc Deum vsum in bellis curru Poëtæ passim clamant. Ita illum Homerus sæpe; & 15. Iliad. etiam equos iungit hic Deus Δεῖμόν τε, Φόβον τε. & 6. Odyss. χρυσήνιος dicitur: ab Auctore Hymnorum ἁρματοπηγὸς: & ibi dicitur sedere ὑπὲρ ἄντυγος. Latinos quid numerem? Silius libris 3. & 4. Stat. 3. Theb. Claud. 2. Eutrop. omnes illi dant currus. Alij etiam qui passim obuij.

Instare. 21. INSTABANT.] Callimach. Hym. Dian. de iisdem Cyclopib. ἐπεὶ γέ σφ' μέγα ἔργον: *Vrgebat ipsos opus magnum.*

22. ROTASQVE VOLVCRES.] Vt Mars θοὸς ab Hom. 15. Iliad. ita eius currus celeres & volantes. Fortasse, quia nulla in re magis necessaria celeritas, quàm in bello. Inde Sil. lib. 12. *Volucres cohortes.* &, *agmine volucri.* Ab Nostro Stat. 5. Sylu. *volucris Phœbi rota.*

Volucre cur in re belli.

Ægis. 23. ÆGIDAQVE HORRIFICAM.] Ad exemplum fortasse scuti Herculei, quod graphicè Hesiod. Nam in scuto Virgiliano est caput Medusæ, connexi angues, & serpentes, omnia ad terrorem: vt in Hesiodo lis, tumultus, cædes, fragor, discordia, draco insuper in medio ἔμπαλιν ὄσσοισι δεδορκὼς, *retrò oculis aspiciens*; qui habitus Virgilianæ Gorgoni; de qua, *vertentem lumina.* Sed non dubium tamen, quin aspirauerit ad Homericam descriptionem 5. Iliad. hanc de Pallade.

Imitatio.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσανόεσσαν
Δεινὴν, ἣν περὶ μὲν πάντη φόβος ἐστεφάνωται,
Ἐν δ' ἔρις, ἐν δ' ἀλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα ἰωκή.
Ἐν δέ τε γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου,
Δεινή τε, σμερδνή τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο:
Circum autem humeros posuit Ægidem fimbriatam
Horribilem, circum quam vndique inerat Terror,
Inerat etiam Contentio, Fortitudo, horribilis Insecutio.
Erat & Gorgoneum caput diri monstri,
Dirúmque, horrendúmque Ægiochi Iouis portentum.

Idem 15. Iliad. ait, Ægidem fabricatam ἐς φόβον ἀνδρῶν. Nonnus lib. 24. γοργεῖον βλοσυρὴν μίμημα καρήνων: *terribile simulacrum capitis Gorgonei.*

Oculi Mineruæ cur turbidi. 24. TVRBATÆ PALLADIS.] Id est, concitatæ ad bellum, vt volunt aliqui. Sed ego hanc turbationem refero ad Mineruæ oculos; illa enim perpetuo epitheto γλαυκῶπις, ac proinde illius oculi φοβεροὶ, turbidi quidem & irati. Turbatio enim siue in metu, siue in ira, in oculis apparet. Suprà de Caco, *turbatúmque oculis.* De irata Pallade Sil. lib. 9.

——obliqua retorquens
Lumina, turbato superauit Gorgona vultu.

Turbatio in oculis irati est tortio, aut retortio. Cæsius autem, aut glaucus color Palladis, totus est flammeus, atque iracundus. Itaque sicut leo ab Aristot. χαροπὸς ab oculis; quam vocem interpres Aristoph. in Iren. per *terrorem* explicat. χαροποῖς, inquit, id est, φοβεροῖς; & sicut Hesiod. Scut. cum colore glauco terrorem coniungit, cùm ait, γλαυκιόων δ' ὄσσοις δεινόν: sic iras Palladis præcipuè puto in oculis spectari; ac proinde cùm dicat *turbatæ*, id est, iratæ, accipio turbatæ, irátæve in oculis: præsertim cùm Agell. Palladem interpretetur γλαυκῶπιν, non tam à cæsiis oculis, quàm ab horrendo, & formidoloso aspectu. Inde ea γοργωπὸς dicta, ἀπὸ τοῦ γοργοῦ, καὶ ὠπὸς, *ab terribili aspectu*: quod Ouid. 2. Metamorph.

Pallas cur γλαυκῶπις.

Vertit ad hanc torui Dea bellica luminis orbes.

Et Eurip. in Hercul. ἤλασεν γοργωποὺς κόρας: *voluit truculentos oculos.* Ad verbū. *Voluit oculos, quales habet Pallas.* Hoc Græci, μανικὸν, καὶ βλοσυρὸν, καὶ ἄγριον, καὶ φρικῶδες βλέπειν. Quatuor hæc sunt in Callistrato, variis locis. Quibus omnibus oppones ἵμερον βλέπειν, quod est apud Philostratum iuniorem in Iconib.

Oppositio.

Ægis fuit multorum Deorum. 25. PALLADIS ARMA.] Non solius. Itaque malè scriptum est ab Aristide orat. 2. de hac Dea. Καὶ γὰρ ἔτι μόνη μὲν τὴν αἰγίδα δ' αἰῶνος φορεῖ, μόνη δὲ τοῖς τοῦ πατρὸς ὅπλοις ἐν τῷ ὁμηρικῷ πολέμῳ κοσμεῖται: *Sola Ægidem fert perpetuò, & paternis armis in Homerico bello sola ornatur.* Malè (inquam) nam Homer. ipse lib. 15. Iliad.

——ἦρχε

——ἦρχε δ᾽ ἄρ᾽ Ἕκτωρ
Μακρὰ βιβάς, πρόσθεν δ᾽ κί αὐτῶ φοῖβ@ Ἀπόλλων
Εἱμέν@ ὤμοιιν νεφέλην, ἔχε δ᾽ αἰγίδα θοῦρον,
Δεινήν, ἀμφιδάσειαν, ἀριπρεπέ᾽, ἥν ἄρα χαλκεὺς
Ἥφαιςς@ Διὶ δῶκε φορήμεν ἐς φόβον ἀνδρῶν:
——*praibat autem Hector*
Longè incedens, ibat autem ante ipsum Phœbus Apollo
Indutus humeris nebulam, tenebatque Ægida impetuosam,
Grauem, vndique villosam, insignem, quam Ferrarius
Vulcanus Ioui dedit gestandam ad terrorem hominum.

Debuisset hæc legere versatissimus in Homero. Sed & Iunoni datam Ægida iam indicaui 1. Æneid. ex Val. Flacc. 5. Arg. Verum est, præcipuè gestatam à Pallade, sed non ab sola: & quia præcipuè, ideo apud Plutar. in Themist. habetur prodigiosum ἀφανῆ τὸ γεγόρνειον ἀπὸ τῆ θεῆ τῦ ἀγάλματος: *desiderari Ægidem ab simulacro Deæ*, id est, Palladis; nam de illa est sermo. Ait Eurip. in Ione, Palladem gestasse hæc arma tum primùm, cùm venit in pugnam Deorum. Notes hîc non solùm Gorgona esse arma Palladis, sed ipsam adhuc Deam simpliciter dictam Gorgona; quod astruit Eurip. in Hel.

Palladis præcipua fuit Ægis.

Gorgon dicta est Pallas.

ἁ μὲν τόξοις Ἄρτεμις,
ἁ δ᾽ ἔγχει γοργῶ πάνοπλος.
Sagittis quidem Diana,
Hasta verò Gorgon armata.

Sed redeo ad viam. Non solùm dabatur Diis aliis, sed etiam gestabatur à Principibus. Nam apud hunc eundem Eurip. in Rhes. Gorgon gestatur μετώποις ἱππικῶν πρὸς δέσμοις: *illigata equorum frontibus.*

Ægis gestata à Principibus.

26. AVROQVE POLIBANT.] Ab Pauf. Attic. exhibetur Μεδούσης τῆ γοργόνης ἐπίχρυσος κεφαλὴ: *inauratum caput Medusæ Gorgonis.* Ab eodem Hel. prior. ἀσπὶς χρυσῆ Μεδούσης τῆ γοργόνα ἔχουσα ἐνειργασμένην: *clypeus aureus, in quo caput Medusæ Gorgonis.*

Medusæ caput aureum.

27. CONNEXOSQVE ANGVES.] Ita caput Gorgonis ab omnibus. Sil. lib. 9.

Angues Medusæ.

Sibilaque horrificis torquet serpentibus Ægis.

Nonnus lib. 25. loquens de Perseo volante cum capite Medusæ, δρακοντείης τρομέων συνεχμὸν ἐθείρης: *tremens sibilum serpentinæ comæ.* Quæ vis esset in his crinibus, liquidum ex Pausan. in Arcad. vbi ait, templum apud Tegeates fuisse dictum ἔρυμα, id est, *propugnaculum*, quòd vrbem illam inexpugnabilem Pallas fecisset, donato crine detonso ex capite Gorgonis.

Medusæ crinis potentia.

A 20. IN PECTORE DIVÆ.] Expressissimè. Tunc enim Ægis, cùm à Diis gestaretur, secus cùm à mortali. Mart. lib. 7. Epig. 1.

Ægis Deorum fuit.

Dum vacat hac, Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore si sacro sederit, Ægis erit.

Et lib. 9. Epig. 21.

At te protexit Superûm Pater, & tibi Cæsar
Pro iaculo & parma, fulmen & Ægis erat.

Et lib. 14. Epig. 179. ad Mineruam argenteam.

Dic mihi virgo ferox cùm sit tibi cassis, & hasta,
Quare non habeas Ægida? Cæsar habet.

In quibus omnibus assentatoriè Domitiani diuinitatem prædicat. Ab lecto Martiali Seru. ita scribit *Ægis propriè est munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore Numinis fuerit, Ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in* B *antiquis Imperatorum statuis videmus, lorica dicitur.* Ergo signatè Poëta, *in pectore Diuæ Ægida.* Pauf. Attic. loquens de statua Palladis. καὶ οἱ κὰ τὸ στέρνον ἡ κεφαλὴ Μεδούσης: *erat illi in pectore caput Medusæ.* Ouid. 4. Metamorph. de Pallade,

Pectore in aduerso, quos fecit, sustinet angues.

29. GORGONA.] Plures descriptiones cùm viderim Gorgonis, ista Sidonij præ aliis placet Epithal. Polem.

Gorgo tenet pectus medium, factura videnti,
Et truncata moras, nitet insidiosa superbum
Effigies, viuitque anima pereunte venustas.
Alta cerastarum spiris caput asperat atrum
Congeries, torquet maculosa volumina mordax
Crinis, & irati dant sibila tetra capilli.

Gorgonis descriptio.

C Notabis cursim *Gorgona*, aut *Mormo*, siue *Mormona*, rem esse eandem, tantùm diuersum nomen. Inde nata sunt τραγικὰ μορμολύκεια, καὶ προσωπεῖα αἰσχρά, vt auctor est interp. Aristoph. in Iren. Sunt hæc terriculamenta tragica & personæ, vtique ἐκφόβητρα. Et quia hæc terricula pingebantur cum magnis maxillis & dentibus, ideo ab Comico ibid. γοργόνας ὀψοφάγει.

Mormo & Gorgon idē.

Tragica terriculamēta.

30. DESECTO COLLO.] Hinc Propert. Eleg. 11. lib. 4. *desecta Tolumni ceruix.*

31. VERTENTEM LVMINA.] Sunt hi oculi, quos *obliquos* vocat Horat. lib. 1. epist. & ab eo Petron. Sat. Calab. lib. 14. βλοσυρὸν ὄμμα, cùm de Ægide.

Ἐν γάρ οἱ πετάλοισι κάρη βλοσυροῖς Μεδούσης
Σμερδαλέον.——

Ab eadem intuitione Pallas γοργῶπις dicitur ab Soph. in Aiace.

[a] Tollite cuncta (inquit) cœptósque auferte labores
Ætnæi Cyclopes, & huc aduertite mentem.
[b] Arma acri facienda viro: nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
[c] Præcipitate moras. Nec plura effatus: at illi
Ocyùs incubuêre omnes, paritérque laborem
Sortiti; fluit æs riuis, aurúmque metallum,
Vulnificúsque chalybs vasta fornace liquescit.
[d] Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum, septenósque orbibus orbes
Impediunt. [e] Alij ventosis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alij stridentia tingunt
Æra lacu; gemit impositis incudibus antrum.

[f] Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versántque tenaci forcipe massam.

ARGVMENTVM.

Exhortatur illos ad fabricam clypei, qui hic describitur distinctim.

EXPLICATIO.

[a] SERMO προτρεπτικὸς ad Cyclopas, quo iubet, vt omnia simul (nam hæc sunt *cuncta*) inde amoueant, & *labores*, quamuis *cœptos*, auferant, & differant. Quin vult attentè audiri, vt in re graui.

[b] Vt in re festinabunda, non enim alio exordio, sed statim, quid velit, aperit. *Arma facienda*. Cui? *viro acri*, militari, forti. Pro quo, quid mirũ, Iouis etiã fulmen, Martis currus, Ægidem Palladis differatis? Hîc volo vsum virium vestrarum, hîc manus rapidas, hîc artem omnem, in qua vos magistri.

[c] Conclusio ex dictis. Cùm ita sit, præcipitè ô vos. Vix hæc, cùm illi ocyùs, festinantiúsque solito ad præsentiam sui Regis incubuêre (quippe Vulcani præsentia vrgebat) diuiso inter omnes labore. Vide verò an festinantet; nam vix hæc Vulcanus, cùm iam æs, aurum, ferrum (pro ferro enim chalybem ponit) fluunt, omnia ignibus colliquefacta, ac formata in riuos, in vastissimis illis fornacibus.

[d] Sequitur forma clypei, qui ingens; & cum septem orbibus, septies videlicet multiplicata fabrica & connexa. Et addit in excursu, *vnum* illum Æneæ clypeum fore contra omnia Latinorum arma. En iam formatus clypeus. Vix tantam animo festinantiam comprehendas, quantam Cyclopum opere significauit Poëta.

[e] Redit statim ad artifices; nam fabricato iam clypeo, derant arma reliqua, gladius, thorax, ocreæ, galea, &c. Hæc est mens Poëtæ, nam tametsi non nominet: sed reliqua facta, certissimum, vt liquidum ex ipso, nam postea infert. Hæc est ergo causa, cur iterum recurrat ad artifices, qui toti festinabundi, *alij auras accipiunt redduntque ventosis follibus, alij in lacu tingunt æra stridentia*, quia candens ferrum stridit cùm in aquam mergitur. Et quidem ex frequentia ictuũ *gemit impositis incudibus antrum*, id est, ab impositis incudibus, in quibus sonitus excitatus ex percussu malleorum.

[f] Placuit Poëtæ rem ita abrumpere, quasi illi nondum finierint. Itaque, relinquit illos attollentes brachia ad cusionem, & percussionem, versantésque in ignibus metallicam massam ferreis forcipibus.

NOTÆ.

1. LABORES.] Signatissimè. In Epigram. sæpe in re simili, πεποιημένα, πεποίηνται, & talia. Hom. 18. Iliad. ἐποίησε. Sicut & ipsa: & in Plin. *opera*, sic *operata*, vt εἰργασμένα. (Labor de quibus.)

2. ACRI VIRO.] Notat hominem, qui τῷ ἰσχὺν ἔρρωσθαι, vt loquitur Diodorus. Vel vt Suid. πολεμιστὴς (Acer de militari viro.)

A πάντας μάχῃ, & κρατητὴς. Itaque acritudo ista tota ad bellum, & militarem virtutem, propriè ὀξύμωρος. Nam Xenoph. 4. παιδ. ἵππικοί εἰσι μαχέσθαι. Obserua huiusmodi promptitudinem, & alacritatem dici ab Arnob. (notauit Heral.) sæpe *viuacitatem*, & *pectus viuum*. Nam contrà tardi homines, quasi mortui sunt. Inde & Seru. in 6. Æneid. *In sano enim corpore alia est viuacitas mentis, in ægro pigrior*. Est hoc verò, quod Poëta, *haud segnior*, quod meritò laudat Scaliger. (Viuacitas de viro militari.)

3. VIRIBVS VSVS.] Pro, vtimini vestris viribus, sit vobis vsus vestris in viribus. Græci, χρῆμα ἀρίστης, nam χρῆμα παρὰ τὸ χρῆσθαι. Itaque, hîc *vsus* nihil est aliud, vt etiam colligo ex Polluce lib. 9. quàm πρᾶγμα, ἔργον, ἐπιχείρημα, ἐγχείρημα: & Seru. explicat per vocem *opus*.

4. RAPIDIS MANIBVS.] Vt in festinatione. Sic suprà, *rapit arma manu*; & coniungit cum manibus B *artem magistram*. Itaque quadrant in hunc locum verba Hippoc. lib. de Flatib. τὸ γὰρ ἔθος πάσῃ χειρὶ κάλλιστον διδάσκαλον. *Nam videlicet admouere manum operi est optimus magister docendi*. Colum. lib. 1. Rei Rust. *Vsus & experientia dominantur in artibus*. (Experientia in artibus.)

5. OCYVS.] Addidi explicans, *ocyus solito*. Verissimè: non enim verum plausibile illud Grammaticorum, comparans sumi pro positiuo. Est hoc inuertere naturas vocum. Itaque in his mera est ellipsis. Sic postea in hoc libro, *grauior ne nuntius aures vulneret*, est, grauior solito: & in 5. *comitis senioris Acestæ*, non est, senis; sed loquitur cum respectu aliorum. Et, cur Vechnerus in sua Hellenolexia infinitas ellipses agnoscens hanc adimit? Nec verum est in Soph. πλεῖον ἐχθίονα, explicandum πολὺ, sed aliquid subaudiatur, necesse est. (Ellipsis in cõparatiuis.)

6. FLVIT ÆS RIVIS.] Illustrare hunc locum Plin. potest cap. 8. lib. 34. ad finem, vbi meminit æris, quod C ipse *caldarium* vocat, estque fusile æs; & eo ait Cyprum abundare. Et credibile est, hoc assumi à Vulcano, vt ea pars terræ, quæ sacra est Veneri, æs daret ad arma conficienda in vsum filij. Præsertim cum æs Cyprium seruiret fusionibus, quas in Virg. agnoscis. Ait enim, *fluit æs riuis*. Et profectò verissimum hoc est, addente Plinio, eiusmodi æs excoctum, purgatúmque vitiis formari in ductile & regulare. Quod certè Vulcanus præstat in hac armorum fabrica. Æs quoque ductile in Claud. agnosce Paneg. 2. Stil. vbi ad ductum Virg. (Caldariũ æs. Cyprus ære abundat.) (Æs ductile.)

Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quæ non fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas?———

Alludit & Paneg. 3. celebrans eiusdem liberalitatem,

———*si solueret ignis* D
Quas dedit immanes vili pro pondere massas,
Argenti potuêre lacus, & flumina fundi.

7. AVRI.] Locus notandus. Apud veteres non ita discriminatæ artes, vt apud nos. Qui nunc separati medici, ac chirurgi, olim coniuncti, quod alibi dicam. Sic etiam nunc separantur artifices fabri, qui ferrum cudunt, & qui aurum poliunt, olim tamen eâdem officinâ inclusi. Ergo in officina Vulcani, etiamsi hic ferrarius, non tamen materia omnis ferrea. En hîc aurum admistum æri, & ferro. Suprà quoque Cyclopes *polibant auro* Ægidem Palladis. Regia Solis apud Ouid. (quod opus Vulcani est) (Artes non discriminatæ apud veteres.) (Aurum in officina Vulcani.)

con

construitur auro, pyropo, argento, ebore. Claudiani locus de Nuptiis Hon. & Mar. nitidus est ad hanc rem.

Lemnius hac etiam gemmis exstruxit, & auro,
Admiscens artem pretio, graubúsque smaragdis
Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, & iaspide lubrica surgunt
Limina, despectúsque solo calcatur Achates.

Apud eundem lib. 2. Rap. in reliquo ornatu Veneris, tum

——sudata marito
Fibula purpureos gemma suspendit amictus.

Tertull. de Cor. loquens de Pherecyde: *Dat Priapo & tanias idem, & Ariadna sertum ex auro, & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, post & sydus.* De armis Achill. Eurip. Aul. χρυσέων ὅπλων ἡφαιστοπόνων. Iubæ Achill. Iliad. 22. dicuntur χρύσεα, & additur auctor Vulcanus.

——ἅς ἥφαιστος ἵει λέοντ' ἀμφὶ θαμειάς.

Apud Stat. 2. Theb. monile Augiæ habet smaragdos, & adamanta, aitque fabricatum Cyclopum opera. Calab. lib. 2. meminit poculi aurei, quo Priamus excepit Memnonem, & addit esse opus Vulcani. Hesiod. Theog. facit στεφάνην χρυσέην, eiusdem Vulcani opus.

Metallum vox communis. 8. METALLVM.] Rectè coniungit, *aurique metallum.* Est enim *metallum* vox vniuersalis ad fodinas omnes, siue aureas, siue argenteas, siue ferreas. *Hispani minas* dicimus. Vlpian. in Orat. Demosthen. contra Leptinem. Θάσος κατὰ τ' ἄκρου τῆς Θράκης, ὅπου ἦν καὶ τὰ μέταλλα ποτὲ τῶν Ἀθηναίων: *Thasus è regione Thraciæ est, vbi metalla fuerunt aliquando Athenienſium.* Herodot. Musa 7. loquens de monte Pangæo. ἐν τῷ χρυσεά τε, καὶ ἀργύρεα ἔνι μέταλλα: *In quo sunt metalla aurea, & argentea.* Itaque fodinas quoque marmoris possis metalla nuncupare. Nam & Alciat. 1. Parerg. cap. 39. alumen dici metallum ex Vlpiano I. C. obseruauit. Sed frequentiùs scriptores species septem numerant metalli: videlicet aurum, argentum, æs, electrum, stannum, plumbum, ferrum. Has formas ad septem planetas Galeotus conformat, quem lege lib. de Prom. Doct. cap. 14.

Metalli etymon. Notio nominis, nam ἄλλον reperitur μετ' ἄλλον, perscrutando scilicet: inde μεταλλᾷν, *perscrutari.* Quod etymon probant Eustathius, Isidorus, Plinius, & ab omnibus Galeotus lib. adducto.

Chalybs. 9. CHALYBS VASTA FORNACE LIQVESCIT.] Explicui de ferro: inuentorem enim ferri pro ferro posuit. Sed considera Poëtæ assultantiam in versu hoc,

Vulnificúsque chalybs vasta fornace liquescit.

Qui versus si non esset, esset pulcherrimus Persius Sat. 5.

——anhelanti coquitur dum massa camino.

Et Stat. qui 3. Sylu.

Indomitúsque silex curua fornace liquescit.

Et iterum eodem lib.

Qua Diuûm in vultus igni formanda liquescat
Massa.——

Pulchrè Soph. Antig. σίδηρον ὀπτὸν ἐκ πυρὸς: *ferrum assatum igni.* Qui ita ferrum tractant χαλκοτύπους vocat Aristotel. 2. de Cœl. cap. 9. Nazianz. carm. 50. πυρὸς μέσος σίδηρον, subaudi μαλθάσσει.

Orbes orbibus. 10. ORBIBVS ORBES IMPEDIVNT.] Sic in 5. in lusu puerili: *alternísque orbibus orbes impediunt.* Hi orbes dicuntur κύκλοι ab Hom. in fabrica scuti Achillis Iliad. 18.

11. VENTOSIS FOLLIBVS.] Huc traho historiam Pausan. Lacon. vbi ait ænigmate quodam folles ferrarios appellari *ventos*, quòd folles vi expellant conceptas auras. Græca sunt, ἀνέμους μὲν τὰ χαλκέως εἰκάζων τὰς φύσας, ὅτι καὶ αὗται βίαιον πνεῦμα ἀφίεσαν.

Venti, pro follibus.

12. ACCIPIVNT, REDDVNTQVE.] Hippocrat. περὶ φυσ. ita opponit, ἱματίσας, ἐκπνέουσα. & πνεῦμα δέχονται ὁμῶς, καὶ πάλιν ἐξερχόμενον. item huic ἕλκειν πνεῦμα opponit ἀὴρ διαπνεῖ. Quæ opponat Pollux lib. 4. in promptu sunt. Manil. lib. 1. ita, *reddit, recipit.* & 2. *reddit. rapit.* & de Luna, *reddit, repetit.* De re Virg. locus est Auson. in Mosella, vbi sic opponit,

Oppositio.

Sic vbi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibétque foramine ventos.

13. TINGVNT ÆRA LACV.] Euripid. in Hercul. βαλεῖν εἰς χέρνιβα ζέοντα: *torrem in aquam intingerent.*

14. LACV.] Lucret. *imbrem* nominat, nam de candente ferro,

Lacus de ferraria.

Stridit, vbi in gelidum properè demisimus imbrem.

Claud. 1. Rap. *flumen*, cum ait,

——nec flumine tanto
Incoctum maduit lassa fornace metallum.

Vbi cùm aliqui legant *flamine*, legendum esse *flumine*, ex hac Poëtarum consecutione, Clauerius monet. A Virg. Ouid. 9. Metamorph. *lacus*, nam,

——ceu quondam lamina candens
Tincta lacu stridit.——

Philostrat. hos ferrariæ lacus in vit. Sophist. vocat τὰς ἐμπύρους τῶν πηγῶν: *calidos fontes.* Etenim frigida calidis apposita acriùs excitant, & inde fit hæc intinctio. Est hac de re Plutarch. locus in vita Pomp. ῥεῖν καὶ πεπυρωμένος χαλκὸς τῷ πεπηγότι, καὶ ψυχρῷ ἀλειφθεὶς, λέγεται τοῦ πυρὸς μᾶλλον ἀναγράφειν, καὶ συνατάκειν: *fusum & candens æs, si concreto, & gelido circunfusum sit, magis quàm ignis dicitur id dissoluere, & colliquefacere.* Sed redeo ad versum Luc. in quo scio ab aliis legi,

Stridit, vbi gelidum properè demisimus imbrem.

Ceterùm à vicino ferrariæ vsu credamus dictum Plauto in Cistell. *Aquam frigidam subdolè suffundunt.* quo notat maius & acrius fieri irritamen in iniuriis: vt ignis in ferraria fit acrior aspersus frigida. Quid, si hinc quoque *aspergere maledictis*, de conuitiantibus? quia ferrarij ignem excitant, tantùm vsi sparsione, non plena aqua, & ideo *suffundunt*, quod verbum signat sparsionem, non plenam fusionem.

Aquam frigidam suffundere, quid sit. Aspergere maledictis, vnde.

15. GEMIT.] Ita vis illa explicata. Vt enim Hom. 18. Iliad. tela dicuntur στονόεντα, *suspiriosa, & gemebunda*, ad notandum impetum, quo emissa: & 8. Iliad. dicit, πύλαι μύκον οὐρανοῦ, *mugierunt cœli portæ*, ad magnum strepitum indicandum; sic Latini *gemo.* Vt hîc Virg. & Claud. 2. Eutrop. *multísque gemunt incudibus æra.* Et 3. Hon.

Gemitus de inanimis ad explicandũ impetum.

Ignifluísque gemit Lipare fumósa cauernis.

Et Callimach. de follibus Vulcani, βαρὺν στόνον, *grauem gemitum.* Hos siue gemitus, siue strepitus Callimach. mirè exaggerat, loquens de sonitu malleorum in antris Cyclopum.

——ἄυε γὰρ Αἴτνη,
ἄυε δὲ Τρινακρίη, Σικανῶν ἕδος, ἄυε δὲ γείτων
Ἰταλίη: μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἀΰτει.

Dicit, totam Ætnam insonuisse ad ictus malleorum, (nam de his loquitur) totam Trinaciam, solum omne Sicanorum, Italiam vicinam, Corsicam quoque insulam.

16. ILLI INTER SESE, &c.] Hic locus integer habetur lib. 4. Georg. vbi laborem apum, & illam officinam mellis comparat Virg. cum ferraria Cyclopum disciplina.

17. BRACHIA.] Cyclopum brachia *operosa* vocat Stat. 1. Theb.

In numerũ. *Musicæ exordia.*

18. IN NVMERVM.] Cùm dicatur Pythagoras A ex fabrilium malleorum ictibus deprehendisse numerorum auspicia & musicæ, vt credebant Gentiles, sunt qui huius rei non nescium Poëtam putent, & hac vna vocula *in numerum*, sine ostentatione, vt assolet, rem indicasse. In his est Iul. Scal. lib. 4. Poët. cap. 45. Quò trahendus Callimach. Hym. in Dian. qui de Cyclopib.

> Εὖθ' οἵγε ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων,
> Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἠὲ σίδηρον
> Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἐπεὶ μέγα μοχθήσειαν:
> *Cùm illi malleis sublatis super humeros,*
> *Aut æs cadens è camino, aut ferrum*
> *Alternè ferientes, validè cùm laborarent.*

Vbi vocula ἀμβολαδὶς respondet τῷ *in numerum*. Quam vocem de musica debere accipi satis aperui Eclog. 6. Nota etiam eadem vocula *in numerum*, indicari celeritatem in fabricando; nam tollebant brachia *inter sese in numerum*, vt qui contenderent. Certè olim *Numerios* vocabant celeriter natos homines, quia *numerò* dicebatur fieri, quòd celeriter fiebat. Inde etiam *Dea Numeria*. Vt verò hîc *in numerum* de laborantibus ad ferrariam, ita de laborantibus ad remos Ouid. Eleg. 1. lib. 4. Trist.

Numerij dicti celeriter nati. *Numerò, id est, celeriter.* *Numeria Dea.*

> *In numerum pulsa brachia versat aqua.*

19. FORCIPE.] Præclarè Festus: *Forcipes dicuntur, quòd his forma, id est, calida capiuntur.* Seru. *Forcipes, quibus aliquid forbum tenemus, quasi forbicapes, nam forbum est calidum.* Inde itaque *formum* veteribus pro forbo, aut calido. Atque inde etiam *formidum*, id est, calidum. Festus: *Exta, quæ dantur, formida appellantur.* Ita enim legendum iam censuit Scal. non, *deforma.* Ita certè est, nam & Cato (citante eodem Festo) ait: *De quodam ædificio æstate frigido, hyeme formido.* Isidor. lib. 20. cap. 13. *Forcipes, eo quòd formum capiant, quæ sunt fabrorum, formum enim dixerunt antiqui calidum.* Addunt Seru. & Isid. alij etiam, inde *formosos* dictos; excitant quippe isti amoris ignem. Cete- B rùm Hom. 18. Iliad. dat Vulcano πυράγρην, quæ vox respondet Latinorum *forcipi*.

Forcipis etymon. *Formum, id est, calidum.* *Formosi vnde dicti.*

20. MASSAM.] Μύδρον. Est enim μύδρος *massa ferri candefacta.* Interpreti Æschyli μύδρος explicatur πεπυρακτωμένος σίδηρος: & μυδροκτύπου Ἡφαίστου exponitur χαλκέως, quasi vox hæc propria sit ferrariæ. Inde ἀμυδρὸν, *cui lux extenuata, & obscura, intermortuum penè, & interextinctum ferrum.* Valer. 2. Arg. 41. de re eadem, *incussæ sonitum mirabere massæ.* quo loco rem Poëtæ extulit flexu isto, *fulmina Cyclops prosubigit.* Quod verbum à Nostro sumpsit in Georg.

Massa ferri.

> [a] Hæc Pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
> Euandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
> Et matutini volucrum sub culmine cantus.
> [b] Consurgit senior, tunicáque inducitur artus,
> Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
> Tum lateri, atque humeris Tegeæum subligat ensem,
> Demissa ab læua pantheræ terga retorquens.
> [c] Nec non & gemini custodes limine ab alto
> Procedunt, gressúmque canes comitantur herilem.
> Hospitis Æneæ sedem, & secreta petebat
> Sermonum memor, & promissi muneris Heros.
> [d] Nec minùs Æneas se matutinus agebat.
> Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
> Congressi iungunt dextras, mediísque residunt
> Ædibus, & licito tandem sermone fruuntur.
> Rex prior hæc.

ARGVMENTVM.

Interim surgit Euander, induit se, & gladio cingitur, adsunt canes comites, it ad Æneam. Hic etiam surgit, conueniunt ad sermonem, cum illis vna Pallas, atque Achates, ille Euandri, hic Æneæ comes. Euander incipit.

EXPLICATIO.

[a] QVASI ex æquo opponit laborantem in insulis Vulcanum, & Heroëm Regem surgentem ad labores: vt docearis Virgilianos Deos, atque Heroas laboribus addici, non segni luxuria defluere. Duo verò Euandrum excitant, & lux, & volu- C cres. Indicat hirundines ex circumstantia, nam *sub culmine*: potest & gallos, imò hos veriùs; & adhuc luscinias, si velis, capias.

[b] Discriminat indumentum Regis, cui tunica tegendis artubus: Thusca sandalia pedibus: ensis Arcadicus lateri, atque humeris: pellis pantheræ, quæ demissa ab læuo humero torquebatur, reuocabaturque in partem dexteram.

[c] Eunt vnà cum Rege canes duo ad custodiam corporis destinati. Ibat hoc apparatu ad eam partem ædium, vbi Æneam hospitio acceperat, memor scilicet promissi auxilij.

[d] Pari cura surrexit Æneas stratis, in quibus relictus hesterna nocte. Conueniunt in vnum Reges, cum Euandro Pallas, cum Ænea Achates, iungunt dexteras, quod solemne in omni salutatione, sedent ad sermonem, Euander incipit ἐκ τοῦ πρεσβυτέρου, nam senior. Illud, *licito tandem sermone fruuntur*, possis referre,

ferre, vel ad præteritæ noctis moram, quæ visa longior volentibus loqui de rebus magnis. vel ad sermonem, qui habitus secretò, tantùm coram Pallante & Achate. Multa enim in hoc sermone, quæ non fuerunt audienda vniuersæ plebi hesterna die.

NOTÆ.

Propero adhuc. Festino adhuc. 1. HÆC DVM PROPERAT.] Ita Ennius, *festinat diem*. Neque his verbis neganda actio. Sed de hoc iam aliàs. Sic Græci suo σπεύδειν.

Lemnius Vulcanus. 2. LEMNIVS.] Huic nomini originem dedit fabula, quæ narrat Vulcanum è cœlo à Iunone præcipitatum, à Lemniis susceptum fuisse.

3. EVANDRVM.] Nunquam eminentissimus Vates obliuiscitur sui. Antequam Æneas è lecto surgat, Euander surgit, qui senior. Sunt quippe senes somni patientissimi, quod ratio astruit, & hic Eurip. locus in Aulid. ibi enim senex famulus Agamemnonis, (Senes somni patientissimi.)

Μάλα τὸ γῆρας τοὐμὸν ἄϋπνον,
Καὶ ἐπ' ὀφθαλμοῖς ὀξὺ πάρεστιν:
Admodùm senectus mea insomnis est,
Et acumen est in oculis.

4. HVMILI TECTO.] Quod sup. *angusti tecti*. *Surgit verò* Euander memor illius, quod longo antè tractu dixerat,

Et lux cùm primùm terris se crastina reddet,
Auxilio lætos dimittam, opibúsque iuuabo.

5. LVX SVSCITAT ALMA.] Ita apud Stat. 3. Theb. Adrastum iacentem in lecto

Lux mouet, ingentésque iubent assurgere curæ.

Legendum fortasse *monet*. Redeo. Alia ratio in Hom. 2. Iliad. de surgente Agamemnone, scilicet vox diuina,

Ἔγρετο δ' ἐξ ὕπνου: θείη δέ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή:
Surrexit è somno: diuina enim ipsum circumfudit vox.

Imitatio. Itaque, potiùs Sophocli putandus est Noster hæsisse, apud quem in Elect.

Ὡς ἡμὶν ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας
Ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ.
Nam nobis iam splendidum Solis iubar
Excitat matutinos auium cantus.

Lux itaque excitat Euandrū ad colloquium, Adrastum ad bellum, volucres ad cantum. Virgilij sententiæ confinis vox Græcorum, quibus Sol dicitur ἠλέκτωρ, quòd homines ἀλέκτρους, id est, *sine lecto* faciat. Notátque commodè Germ. vbi in Supplicib. Æschyli dicitur, Ζηνὸς ὄρνιν τόνδ' ἐπὶ κικλήσκετε, scribi ab interprete, Ζηνὸς ὄρνιν, *auem Iouis* esse ἥλιον, *Solem*. Ratio: quia ἐξανίστησι ἡμᾶς ὡς ἀλεκτρυών, *excitat nos, vt gallus*. (Sol, cur ἠλέκτωρ. — Sol auis est Iouis.)

Hirundines. 6. ET MATVTINI VOLVCRVM, &c.] Dixi hirundines indicari, quia Apul. 1. Flor. *hirundinis cantus matutinus*. & in Epig. ὀρθολάλους χελιδόνας. & Antipat. ὀρθρινὰ χελιδόνων φωνά. Quæ voces aperiunt cantum matutinum. Anacreon etiam τὰς χελιδόνας queritur abripi sibi dulces somnos, & Bathyllum excitari earum ὑπορθρίαισι φωναῖς. Sed non opus auctoribus, vbi audiuntur diluculi illarum cantus. Deinde vox (*sub culmine*) ducit nos quoque ad hirundines, quæ in Epig. dicuntur habitare ἀμφὶ μέλαθρα. & ab Oppian. 5. Hal. ἐν ὀρόφοις, &c. Quæ voces sunt de tectis domorum. Arnob. quoque lib. 6. *hirundines circa ipsos ædium circumuolantes tholos*. Sed & hoc quoque oculis spectatur, nec opus auctoribus. Ego tamen inclino in gallos, ductus argumento (Galli matutini.)

A domuncula Euandri, de qua *humili tecto*: &, *angusti fastigia tecti*. Non enim hirundines se credunt tectis humillimis, & parum fastigiatis, quod ipsi cernunt oculi. Itaque, vt apud Theocrit. εἰδ. 7 ὁ ὄρνις ἀλέκτωρ, *matutinus gallus*, sic apud Virg. & Prop. Eleg. 3. lib. 4. gallos vocat *auctores lucis*. Sed me præsertim in hanc mentem ducit Soph. Scholiastes in Elect. qui ad illa verba, ἑῷα φθέγματ' ὀρνίθων, *matutinos auium cantus*, accipit ὀρθρινὰς τῶν ἀλεκτρυόνων ᾠδάς, *matutinas gallorum cantiunculas*. Nam propriè gallus dictus ἀλέκτωρ, quòd nos à lecto excitet. Inde & Simocatta lib. 2. Hist. cap. 18. περὶ τὰς ἑωθινὰς τῶν ὀρνίθων κελαδήσεις, id est, *sub matutinos auium strepitus*.

B Quibus verbis κατ' ἐξοχὴν intelligit gallos; vt etiam Ouid. 2. Fast.

Iam dederat cantus lucis prænuntius ales.

Et Virg. Ipse in Moreto:

Excubitórque diem cantu prædixerat ales.

Quibus in locis κατ' ἐξοχὴν galli intelliguntur. Et non posse esse hirundines effici potest. Nam Æneas ineunte vere ad Italiam appulit, vt habetur in 7. & sequenti æstate profectus est ad Euandrum, vt clarum ex circumstantiis; nam Æneas in ripa gelida, & sub dio somnos carpebat, cùm illi apparuit Tyberis. Non enim, nisi in æstate, se huic loco ad somnos crederet. Ad rem. Cùm hirundines primo

C vere aduenerint, initio æstatis abeant, intelligi illæ nequeunt. Possit demum, qui velit, capere luscinias; nam Euandri domuncula in ipso erat penè agro, & circa Tyberim, & verè in luco, vbi istæ auiculæ. Iuuat etymon; nam vnica lusciniarum nota est tempus matutinum. Isid. *Luscinia auis inde nomen sumpsit, quòd cantu suo significare solet diei surgentis exortum, quasi Lucinia*. Et Theoc. εἰδ. 7. hanc auem inducit ad matutinam excitationem, quæ ἐν πυκινῇσι βάτων τρύζεσκεν ἀκάνθαις, *trinsabat inter densa spineta*. Et Cic. in Progn. (Lusciniæ etymon.)

Et matutinos exercet acredula cantus.

Est verò acredula eadem quæ luscinia. Has nobis moras, etiamsi in te tenui, Lector condonet. (Acredula.)

D 7. TVNICAQVE INDVCITVR ARTVS.] Homerus de surgente Agamemnone 2. Iliad. μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα. & de surgente Telemacho lib. 2. Odyss. εἵματα ἑσσάμενος. & de surgente Penthesilea Cal. lib. 1. ἀμφ' ὤμοισιν ἔδυνε τεύχεα. Lege Magium lib. 3. Miscel. cap. 3. vbi ex hoc Virgilij loco, ex duplici Homeri, ex duplici Suetonij, disserit de vsu tibialium negato veteribus. Quod ex his locis Magius elicit, alij ex Quint. lib. 11. cap. 3. alij ex Agellio lib. 13. cap. 20. Quin huc referre possis consuetudinem illam, qua supplices genua tangebant, vt quæ nuda; ita enim efficacior affectus. Nec leue argumentum sumi potest ex iconibus Imperatorum; visuntur enim absque femoralibus perpetua pictorum & (Tibialibus veteres caruere.)

E statuariorum consensione. Nolui agitare hanc quæstionem contentus indicasse loca, quæ alij obseruarunt, quæ ego. Scias hîc, cùm plurima Homeri loca repræsentata, tum imprimis locum lib. 10. Iliad. vbi Agamemnon surgit aliis dormientibus tunicam induit, ligat calceos, circumdat sibi pellem leonis: idem facit Menelaus, itque fratrem congressurus, inuenit, sedet, loquuntur. Tu cetera κατὰ λεπτόν. (Imitatio.)

8. TYRRHENA PEDVM, &c.] Recurrat & huc Homer. qui de suo duce 2. Iliad. (Imitatio.)

Ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

Quem versum repetit etiam de Telemacho. & iterum de Agamemnone lib. 10. id est,

Ligauit sub pedibus teneris pulchra calceamenta.

Si pla

Si placeat hoc in iuuene Telemacho, nemo certè laudet in viro Agamemnone, nam ista teneritudo longè ab duce exercitus: callosum malim Imperatorem. Sed quæ sunt Tyrrhena vincula Virgilij? Vtique Thusca calceamina, de quibus Hesychius. τυῤῥηνικὰ σανδάλια κάττυμά τι ὑψηλὸν οὕτω καλεῖται: *Tyrrhenica sandalia dicuntur altum quoddam calceamentum.* Sed maior lux ab Polluce, qui lib. 7. cap. 22. describens Tyrrhenica calceamenta, ita ait. τυῤῥηνικά. τὸ κάττυμα ξύλινον, τετραδάκτυλον, οἱ δ' ἱμάντες ἐπίχρυσοι, σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπέδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν, ἐκάλουν δ' αὐτὰ τυῤῥηνικά: *Tyrrhenica, quorum solea lignea, quatuor digitorum latitudine, lora autem inaurata; erat enim sandalium. hoc Mineruam induit Phidias, & hæc vocabant Tyrrhenica.* Vides formam, & materiam, & mentionem vinculorum. Seruius ait, fuisse *Thusca calceamenta, quasdam crepidas, quas primò habuère Senatores, pòst equites Romani, mox milites*; de quibus videtur locutus Agellius lib. 13. cap. 20. *Omnia enim fermè id genus, quibus plantarum calces tantum infimè teguntur, cetera propè nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt, nonnunquam voce Græca, crepidulas.* Et Festus, de hoc calceamento loquens, ait, *pedis solo subiicitur.* Imò inde dictæ soleæ, quòd solo pedis subiiciantur. Ex dictis habeo, *Tyrrhena vincula* Virgilij esse, *meras soleas*, quibus plantæ tegerentur, & quibus corrigiæ ad ligationem. Nam Hesych. qui κάττυμα ὑψηλὸν dixit, explicandus est de altitudine, quæ esset in lignea solea, non quòd excurreret in crus altum, hoc enim si velit, omninò errat. De hoc genere sandalij intelligendi veteres, cùm nominant *vincula.* Vt Ouid. 5. Fast. *habent gemini vincula nulla pedes.* & lib. 2. loquens de Hercule muliebribus calceis induto,

Scindebant magni vincula parua pedes.

Et 3. Metamorph. *vincla duo pedibus demunt.* Et Tibull. lib. 1. Eleg. 5.

Vinclaque de niueo detrahet ipse pede.

Et Noster 4. Æneid. *vnum exuta pedem vinclis.* Itaque in his omnibus non accipienda pars pro toto, vt malè aliqui interpretati; neque enim calcei, quibus nos vtimur, tecti vndique, aptè dicentur vincula: sed soleæ istę, in quibus tantū visuntur vincula; nam ipsæ sub plantis sunt. Probè itaque Pollux definiens, κάττυμα (ait) κάθον, ὡς ἐγγὺς εἶναι τῆς κόνεως τὸν πόδα. Respicit quidem κονίποδας, de quibus mentio est apud Clement. lib. 2. Pædag. cap. 11. Quibus soleis, aut sandaliis vsum fuisse Christum Seruatorem, trita iam est eruditio. Et *corrigiæ* illæ calceamentorum Christi sunt, quas Virgilius vocat *vincula*, Pollux ἱμάντας, Agellius *habenas*, Isidorus *obstrigillos*, quòd videlicet corrigiis constringantur. Imò, calcei Græcè dicuntur ὑποδήματα ab his vinculis. Nam is fuit primus vsus calceamentorum apud veteres, & ita nunc visuntur statuæ, & picturæ antiquissimæ: mox addita sunt tegumenta ex superiore parte, loco vinculorum.

Thusca calceamenta. Soleæ. Tyrrhena vincula, genus calceamenti. Sandalia. Vincula pro sandaliis. Conipodes. Corrigiæ calceamentorum Christi. Habenæ de calceis, & Obstrigilli.

9. Tvm lateri, atqve hvmeris, &c.] Militum cinctio, quibus baltheus è collo pendebat, & ex eo gladius reiectus in latus. In 12. etiam. *humero cùm apparuit alto Baltheus.* Homerus secundo, & decimosexto Iliad.

Gladius veteribus vnde penderet.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον:
Circum humeros posuit ensem, cui claui argentei.

Et Odyss. 2. περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ. Apud Calab. lib. 1. Penthesilea,

——ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν
θήκατο κυδιόωσα μέγα ξίφος.
——*humeris autem*
Imposuit magnum ensem gloriabunda.

Et 15. Iliad. dicuntur gladij pugnantium cecidisse in terram ἀπ' ὤμων, *ab humeris.* Hunc morem appensionis seruatum sequenti æuo Gotthis Sidon. scribit epistola vigesima libri quarti. *Penduli ex humero gladij, balteis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.*

Gotthorum & Romani gladius.

10. Pantheræ terga retorqvens.] Explicatum hoc iam lib. 7. duplici Nota; ad illud, *tegmen torquens immane leonis.* Prima de pellibus ferarum, quibus vsi Heroës: altera de tortione ista Poëtæ. Consule etiam, quæ dixi in hoc libro ad illud, *villosi pelle leonis accipit Æneam.* A Virgilio Silius libro septimo.

—iam membra cubili
Erigit, & fului circundat pelle leonis,
Qua super instratos proiectus gramine campos
Presserat antè toros.—

Locorum similitudo.

11. Limine ab alto.] Astruitur hac vocula, quod alibi dixi de gradibus domorum.

12. Gressvmqve canes comitantvr.] Solemnis mos, & ab æuo Heroum ductus. Homer. 2. Odyss. de Telemacho,

Canes Heroum.

Οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο:
Non solus, simul eum duo canes veloces sequebantur.

Huius loci meminit Philostrat. libr. 6. Apollon. cap. 14. & Martial. lib. 11. meminit *canis Dulichij.* Pollux lib. 1. cap. 4. εἵπετο ἄρα τῷ Ἡρακλεῖ καὶ κύων κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον. ἴσθι γὰρ ὅτι τοῖς ἥρωσι συνεισῄεσαν μέχρι τῆς ἐκκλησίας οἱ κύνες: *Sequebatur Herculem canis veteri instituto. Scis enim canes vnà cum Heroibus conciones ingredi.* Hoc de se prædicat Priam. 22. Iliad.

Οὕς (κύνας) τρέφον ἐν μεγάροισι τραπεζῆας θυλαωρούς:
Quos (canes) nutriui in ædibus mensarios ianitores.

Et Iliad. 23. de Achille dicitur,

Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν:
Nouem huic Regi mensarij canes erant.

Inde in sermone magnorum ducum magna etiam mentio canum. Videndus enim tibi (si otium) Plutarch. in vita Themistoclis, vbi de cane Xantippi, & Periclis. Vide eundem de cane Alcibiadis, qui erat θαυμαστὸς τὸ μέγεθος, καὶ τὸ εἶδος, *admirandus magnitudine, & specie*: quique steterat ἑβδομήκοντα μνῶν, *septuaginta mnis.* Eundem in Pelopida de cane Alexan. Pheræorum. Alexander etiam Magnus (vt idem testificatur) canem habuit στεργόμενον, vt in deliciis. Cogitanti vndenam tractus hic mos, occurrebat, à prisca vita Heroum, qui cùm nullis domiciliis vterentur, sed perpetuò essent peregrini, adhibebant canes ad comitatum. Inde est, vt Lares, qui apud veteres pingebantur habitu peregrinantium, quos ideo Pers. Sat. 5. vocat *succinctos*, pingerentur vnà cum cane comite. Non solùm quia custodes domorum, sed quia peregrini. Vide historiam quampiam de cane comite viæ apud Cedren. pag. 362. & Plutarch. ἐν ἠθ. vbi Hyperocho Regi Inachiorum dat comitem canem. Et quidem esse canem feram μάχιμον id est, *pugnacem*, & inde Marti sacrificari apud Lacedæmonios, Plutar. scribit ἐν ῥωμ. Dixi originem, quæ mihi occurrit; sed Seru. testificatur tractum hoc à Romana historia: nam *Syphax inter duas canes stans Scipionem appellauit.* Certè apud Pausan. Corinth. exhibetur Æsculapius, cui ὁ κύων παρακατακείμενος. Eustath. in lib. 22. Iliad. ἔθος ἦν τὰς αὐλείους θύρας τηρεῖσθαι ὑπὸ κυνῶν. Porrò ab illo cane, qui Herculem comitabatur, factum vt templum Herculis diceretur κυνόσαργες, quia is canis albus, cuius meminit Pausan. Attic. Ab hoc pretio, quo habiti canes, putabam aliquando natam formam iuramenti, *Per canem*, quasi

Lares vnà cum cane. Canis Marti sacer. Cynosarges templum Herculis. Iuramentū per canem.

per

per rem ſacram, qua vſus Plato in Gorg. μὰ τὸν κύνα ὦ Γοργία: niſi vidiſſem in eodem Platonis opere ſcriptum, μὰ τὸν κύνα τὸν Αἰγυπτίων θεόν, *per canem Ægyptiorum Deum*. De canibus porrò catenatis videndus Artemid. lib. 3. Seneca lib. 3. de Ira cap. 37. & Petron. Satyr.

13. HOSPITIS ÆNEÆ SEDEM.] Quæ de duplici domo, alio in loco dixi, hîc quadrant. Inde poſtea, *ædibus in mediis*. Nam quia *duplex*, ideo *ædes*. Itaque, Euandri hæc domuncula ea fingitur forma, qua poſtea Romanæ ædes.

Principum fides. 14. SERMONVM MEMOR.] Hac fide eſſe debent Principes; hanc celebrat in Theodoſio Latinus Pacat. *Nihil ita labris primoribus polliceris, quin promiſſo fidem ſubdas, & verba re ſancias. Nemo iam, nemo beneficia quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis: quia tam ſunt certa, quæ ſpondes, vt tum videantur accepta, cùm ſpondes.* Præclarè ergo de Euandro; *memor ſermonum, & promiſſi muneris.*

Matutinus. 15. SE MATVTINVS AGEBAT.] Hac loquendi forma frequentiſſimi ſunt Græci, & ab iſtis aduentitia hæc in Romanos. Hom. Odyſſ. 16. νύκτερος ἤλυθεν, *veſpertinus venit*. & 8. Iliad. ἠῷοι θωρηχθέντες. *Matutini armabantur*. & 19. χθιζὸς ὑπέστη Ὀδυσσεύς: *Heſternus promiſit Vlyſſes*. Quin apud illos hæc locutio ad dies quoque tranſiit, quod nos hactenus (quod ſciam) imitati non ſumus. Nam Theoc. εἰδ. 10. ἐράμαι ἐνδεκαταῖος. & Hippocrat. lib. 7. ἐπιδημ. ad exitum, ἑβδομαῖος ἀπέθανεν. Quaſi dicas. *Amo vndecendius, Obiit ſeptemdius*, id eſt, *vndecim dies elapſi ſunt, poſt quos amo. Obiit die ſeptimo.* Vndecēdius. Septemdius.

Domus ſecretior pars. 16. MEDIIS ÆDIBVS.] Vt ad capienda conſilia in ſecretiore parte domus. Sen. in Thyeſt. nominat *arcanam Regiam*. Stat. 3. Theb. *arcanam aulam*. & 2. Thebaidos ita ait, loquens de Adraſto, Polynice, Tydeo,

——poſtquam mediis in ſedibus aulæ
Congreſſi, inq́; vicem dextras iunxêre, locúmque,
Quo ſerere arcanas aptum, atque euoluere curas,
Inſidunt.——

Pars enim media ſecretior, vt quæ ab omni parte remotior ab auſcultatoribus. Tacit. 6. Annal. de Tiberio: *Quoties ſuper negotio conſultaret, edita domus parte, ac liberti vnius conſcientia vtebatur.*

17. LICITO.] Arcano, vt interpretor: qui ſermones à Plutarch. in Lucull. dicuntur λόγοι ἀπόῤῥητοι. Licebat enim iam Euandro ſecreta animi patefacere. Eſt verò, *frui ſermone*, loqui ad inuicem, quod Calab. lib. 2. ἀλλήλοις ὀάριζον.

[a] Maxime Teucrorum ductor, quo ſoſpite nunquam
Res equidem Troiæ victas, aut Regna fatebor.
[b] Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc Thuſco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circumſonat armis.
[c] Sed tibi ego ingentes populos, opulentáque Regnis
Iungere caſtra paro: quam fors inopina ſalutem
Oſtentat; fatis huc te poſcentibus affers.
[d] Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: vbi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis inſedit Hetruſcis.
[e] Hanc multos florentem annos Rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſæuis tenuit Mezentius armis.
[f] Quid memorem infandas cædes? quid facta Tyranni
Effera? Dij capiti ipſius, generíque reſeruent.
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componens manibúſque manus, atque oribus ora
(Tormenti genus) & ſanie, tabóque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

ARGVMENTVM.

Poſt captatum Æneam, excuſat tenuitatem ſuam ad auxilium, quod petebatur: ait tamen aliunde fortunam illuxiſſe, quod vt oſtendat, incipit narrare res Mezentij, qui Agyllinam vrbem occupauit, tenuitque cum ſæuo imperio.

EXPLICATIO.

[a] ILLVSTRISSIMA Æneæ commendatiò, quo ſaluo, Imperium Troiæ victæ non victum. Dic an maior poſſit excogitari?

[b] Troianum nomen ita magnum eſt, vt pro illo exiguæ nobis ſint vires ad auxilium, quod petitur. Sed cur exiguæ? Nam & breue eſt Imperium, claudimur enim amni Thuſco: & premimur à Rutulis, qui ad muros penè ipſos cum armis accedunt, & circumfremunt. Inde eſt, vt partem hanc in qua ſum, exarmare non poſſim.

[c] Artificium agnoſcit Seru. vt auxilia, quæ monſtrantur, videantur eſſe ipſius Euandri, ideo ait, *paro iungere*, &c. Sunt verò hi *populi ingentes*, & *caſtra opulenta* Thuſcica. Et addit, ſalutem redditam ab inopinata fortuna, nam Æneas id temporis eò appulit, quo tempore Thuſci ducem quærebant, ideo *affers te fatis poſcentibus.*

[d] Non

d Non longè hinc est Agylla vrbs in Hetruria, antiquissima quidem, quam Lydi olim in Italiam coloni profecti Imperij sui sedem constituerunt. Itaque *incolitur* dictum cum respectu ad coloniam. Iunge, *quondam insedit*, non, *quondam gens praclara*; nam & tunc quidem viri bello fortes.

e Contigit rerum successu, vt sunt humana omnia, Mezentium eius vrbis principatum obtinere, sæuum quidem & insolentem.

f Digreditur ad Mezentij sæuitiam narrandam. Solebat ille viuis corporibus mortua coniungere, componens manus manibus, ora oribus: vt ita miseri diro illo complexu, & longa morte cruciati perirent, sanie toti ac tabo fluidi. Annon lacrymas post tot sæcula Maro excitat? Quem enim legentem non perculit miser iste, ac dirus complexus, non quidem ad solatium, sed ad dolorem?

NOTÆ.

1. MAXIME.] Non dubium, quin militaris virtus signetur; nam hæc superlatio non tam à Latinis fontibus manat, quàm à Græco, in quo μάχιμος est *pugnax, bellicosus*, & μαχιμώτατος, *bellicosissimus*. — Maximus, de militari viro.

2. QVO SOSPITE, &c.] Blanditur locus Manil. lib. 1. vbi loquens in gratiam Cæsarum ait, victam Troiam imperaturam, imò verò iam imperare, cùm Græcia prematur fatis Troiæ, atque Asiæ. Versus sunt. — Locorum similitudo.

Quot post excidium Troia sunt eruta Regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Seruitium, imperiúmque tulit, variéque reuertit
Troianos cineres? quantúmque oblita refouit
Imperium? fatis Asia iam Gracia pressa est.

In omnibus pugnis hæc est cura, vt Princeps semper incolumis euadat; eo enim viuo reliquarum rerum iactura resarciri posse existimatur, & in pristinam dignitatem resurgere. Liuia ad Augustum ita loquitur apud Xiphilin. σωζομένου μὲν σοῦ, καὶ αὐτὴ τὸ τήμερον ἄρχειν, εἰ ἄν δέ τι παθόντος (ὃ μὴ γένοιτο) συναπολοῦμαι: *te sospite & ipsa regno: si quid mali accidat, (quod absit) tecum vnà pereo.* — Princeps in pugna seruandus.

3. CLAVDIMVR AMNI.] In 10. *claudit nos obiice pontus*. Et *amni* pro amne, antiqui enim sic finiebant hos casus, quod iam alibi.

4. MVRVM CIRCVMSONAT ARMIS.] Est hoc, quod 10. *Rutuli portis circum omnibus instant.*

5. INGENTES POPVLOS.] Dictum hoc propter duodecim Lucumones, id est, Reges, quos Tuscia habuit, Seru. interpretatur. — Lucumones Thusci.

6. OSTENTAT.] Ita & de fortuna in 2. — Ostento, de fortuna.

——quáque ostendit se dextra, sequamur.

7. AFFERS.] Vt in 7. Æneid.

Consilio hanc omnes, animísque volentibus vrbem
Afferimur, pulsi Regnis, qua maxima quondam.

8. VRBIS AGYLLINÆ.] Vrbem Agyllam dicunt etiam Ceretanam. Sed quia Agylla nomen vrbis antiquum, ideo *saxo fundata vetusto*. nam postea Cere. De transmigratione Lydorum in Italiam, iam. — Agylla vrbs

9. SÆVIS TENVIT MEZENTIVS ARMIS.] Quippe homo barbarus. Ammian. lib. 17. *Barbaris esse omne ius in viribus assuetum.* — Barbarorum ius in viribus.

10. EFFERA.] Rectè Seru. interpretatur cruenta. Est enim vnica ferarum nota, cædes. Ergo, quia præcessit *cædes*, ideo *facta effera*, vt instar ferarum. Et quidem Plutar. in Catone, loquens de Rege Eumene, ἀλλὰ φύσει τοῦτο τὸ ζῷον ὁ βασιλεὺς, σαρκοφάγον ἐστί: *Animal hoc, quod Rex dicitur, carniuorum est natura*. Quod à feris peti, clarum. Intelligit verò Cato Tyrannos eo nomine. — Efferum, id est, cruentum.

11. DII CAPITI, &c.] Imprecari hostibus, quæ acciderent mala, mos tritus. Demosth. 4. Phil. ὅντιν (θεοὶ) ἄν τιν ἐξολέσειαν: *quem (Dij) illum perdant.* Æschyl. in Prometh. — Hostibus imprecari malum.

χλιδῶντας ὧδε τοὺς ἐμοὺς ἐγὼ ἐχθροὺς ἴδοιμι:
Ita ego hostes meos gestientes videam.

Electra apud Soph. ὡς ὁ τάδε πορὼν ὄλοιτο: *Sic pereat, ista qui gessit.* Priamus apud Hom. 22. Iliad. optans malum Achilli,

——αἴθε θεοῖσι φίλος τόσσον γε γένοιτο,
Ὅσσον ἐμοί, τάχα κεν ἑ κύνες καὶ γῦπες ἔδοιεν.
——vtinam Diis charus tantùm esset,
Quantùm mihi, citò eum canes & vultures vorarent.

12. CAPITI.] In hanc partem hominis, vt in principem dirigebantur imprecationes. Sic Græci, εἰς κεφαλήν, forma prouerbiali. Iosephus cap. 20. lib. 1. Bell. Iudaici, φθείρου δυσσεβεστάτη κεφαλή, *dispereat impium caput.* Nazianz. Carm. 50.

Δυσμενέων κεφαλαῖς οὗτος βίος ἀντιάσειε:
Vita hac contingat capitibus hostium.

Et esse prouerbialem formam satis indicat Cic. ad Attic. lib. 8. *Multa mala cùm dixisset suo capiti, vt aiunt.* Addo etiam hanc formam præcipuè esse poëticam, quod astruo ex Æliano cap. 13. lib. 2. Var. Hist. ἔτισεν μὲν ὁ Μακαρεὺς οὐ μεμπτὴν τὴν δίκην. τοῦτο δὴ τὸ ποιητικὸν, σὺν τῇ ἑαυτοῦ κεφαλῇ, καὶ τῇ τῆς γυναικὸς, καὶ νὴ καὶ τῇ τῶν παίδων προσέτι: *Macareus igitur non immeritam pœnam dependit, iuxta Poetarum illud, suo ipsius, vxorisque, & liberorum capitibus.* — Capiti imprecari, poëtica forma.

13. MORTVA QVINETIAM, &c.] Audito Virgilio, & crudelitate Mezentij, possis ita cum Manilio lib...

Ah, quanta est scelerum moles per sacula cuncta!

Vsurpa etiam illud Claud. 2. Rap.

——quid viua sepultis
Admisces?——

Verè dixit Plutar. in vita Cicer. οὐδέν ἐστιν ἀνθρώπου θηρίον ἀγριώτερον ἐξουσίαν πάθει προσλαβόντος: *Nullum est animal sæuius homine, si cum libidine habeat potestatem.* Sed ingredior in viam. Abominandi huius supplicij sparsa mentio in auctoribus. Clemens in Protrept. non longè ab initio: *Maligna enim & serpens bellua (dæmon) oculos perstringens redigit in seruitutem, & in hodiernam vsque diem homines affligit. Barbarorum ritu, vt mihi videtur, puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipsis quoque putrescant.* Græca necessaria. οἱ νεκροῖς τοὺς αἰχμαλώτους συνδεῖν λέγονται σώμασιν, ἵν' αὐτοῖς καὶ συσσαπῶσιν. Hunc ad locum notat Heruetus, morem istum tractum à Scythis, qui ita solebant sæuire. Sed nescio, an dici ita queat: imò verò ab ipsis Hetruscis. Credo itaque Heruetum falli. Nam hoc supplicium hæsit verè in Hetruria, neque aliunde ascitum est. Illud Clementis, *Barbarorum ritu*, Græcè habetur, βαρβαρικῶς. Atqui Italia dicta est olim *Barbaria*. Festus illud Plaut. *Heus tu in Barbaria, quod dixisse dicitur liberta sua patrona, vapula Papyria*; explicat ex Sisinnio, *in Barbaria*, *est, in Italia*. Plautus idem Mostell. *Non hæc pultiphagus opifex opera facit Barbarus*, est Italus. Plutar. ἐν ῥώμῃ. ait Ianum fixisse sedes inter Barbaros, vbi de Italis loquitur. Hoc, vt certum, probare omitto. De his itaque Barbaris, id est, Italis Hetruscis capiendus Clemens. Nam Valer. lib. 9. cap. 2. vbi loquitur de crudelitate ita scribit. *At ne Hetrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui viuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata, atque constricta, ita vt singula membrorum partes singulis essent accommodata, tabescere simul patiebantur:* — Homine nullum sæuius animal. — Mortuis viuos alligare, genus supplicij. — Hetrusci supplicium inuenere sæuissimum. — Italia dicta est Barbaria.

tur: amari vita pariter ac mortis tortores. Vides, vt non solùm Hetruscis attribuat supplicium hoc, sed dicat, ab illis excogitatum. Capitolinus etiam cum respectu tantum ad Mezentium, qui Hetruscus, loquitur, cùm ait de Imperat. Macrino: *Reddidit etiam Mezentij supplicium, quòd ille viuos mortuis illigabat, & ad mortem cogebat hac tabe confectos.* Nam, quod ait Heruet. allucere ab Historicis illud de Scythis, neque ipse suppeditat aliquem, neque nos hactenus in eum incidimus. Huc etiam pertinet fragmentum Tullij in Hortensio, quod legitur apud S. Augustinū lib. 4. contra Pelagianos. Omitto præcedētia, quæ ad rē, hæc sunt: *Simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondā, cùm in prædonū Hetruscorū manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accōmodata, quàm aptissimè colligabātur: ita nostros animos corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse coniunctos.* Hinc libet suspicari ab vno Tullio rem totam Maronem hausisse, vt etiam Valerium. Absolui rem, & vagor tantillùm in gratiam eruditulorum. Ab hac crudelitate non abit illa Persarum, de qua iam Plutar. & Zonaras, apud quos miser mactandus ita scaphis duabus commissis includebatur, vt excrementis vesicæ, & alui vermicantibus miserè absumeretur mortuorum tabe. Hoc genus supplicij *scaphismus* dicebatur. Par quoque illa aliorum crudelitas, qui viuos homines defodiebant, donantes illos mortuorum sepulchris. Multos hoc fecisse, certum. Mihi nunc in oculis Plutar. in Pelopida, qui de Alexandro Pheræorum Tyranno: ζῶντας μὲν ἀνθρώπους κατώρυττεν. Et Cedrenus, apud quem pag. 452. Bardas homo barbarus virum probum τάφῳ ἀπολλύει. Nec dissimilis crudelitas illorum, qui viuos homines præcipitabant in cineres. Vide Leopard. lib. 13. Emen. cap. 20. Sed, cur non ad rem Maronis traham prodigium, quod est apud eundem Cedren. pag. 260. de infante nato, & ab vmbilico, dissecto in duo pectora, & duo ora, cum diuersa, vt apparuit, anima? Nam vigilante vno alter dormiebat. Cùm verò vnus decessisset, quatriduo pòst discessit alter. Annon obsecro alterius mors à putredine primi mortui? Hic verissimus fuit complexus Mezentij.

Imitatio.

Viui homines defossi.

Infans prodigiosus.

14. LONGA SIC MORTE NECABAT.] Fuit hoc barbarorum & crudelissimorum hominum ingenium. Caligula apud Sueton. volebat ita homines lentè interficere, vt iuberet in eos *crebris, & minutis ictibus animaduerti.* Quin addebat præceptum; *ita feri, vt se mori sentiat.* Inde ab eodem Senator *graphiis confossus*, quæ mors necessariò cum lentitie. Et curatorem quendam munerum fecit *in conspectu suo* interfici *per continuos dies catenis verberatum.* De Barbaris quibusdam Valer. loco iam laudato, ait, necandos homines includi ab illis ferarum pellibus, egestis priùs intestinis, *atque vt diutiùs pœnæ sufficiant, cibo & potione infelice spiritum prorogare.* In boue illo æneo, cui subditæ flammæ, quid aliud quærebatur, quàm atrocitas mortis & lentities? Lucan.

Longa mors ex barbarorum ingenio.

Caligulæ crudelitas.

—— morémque nefanda
Dirum sæuitiæ pereuntis parcere morti.

Duo nempe illa, atrocitas, & lentities reperta ab Tyranno in Lucianum Martyrem Iohannes Chrysost. scribit Orat. 46. Ait enim quæsiuisse supplicij genus ὁμοῦ καὶ δριμυτάτην γενέσθαι, καὶ μακροτάτην, *quod simul acerbissimum, & longissimum esset.* & in Orat. de Machabæis meminit horribilium suppliciorum cum summa lentitie. Verba eius. φρικταῖς τιμωρίαις καὶ μακροῖς. Tiberius mortem vocabat *leue supplicium*, & maturitatem in moriendo *gratiam*; quare *mori volentibus vis adhibita viuendi,* ait Sueton. cap. 61. Cui affine illud Sophoc. Elect. οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, *non triste est mori,* sed eum, qui mori cupit, non posse consequi. Eurip. Hippolyt. dixit

Acerbitas in supplicio & longitudo.

Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ:
Festinata mors grata homini infelici.

Mors festinata, grata est.

Quintil. Declam. 305. ita ait: *Non licet tibi gladium supra ceruices diu tenere, non licet iugulo necem admouere lenè: occide vel statim; vel, si differre potes, miserere.*

ᵃ At fessi tandem ciues infanda furentem
Armati circumsistunt ipsúmque, domúmque:
Obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.
ᵇ Ille inter cædes, Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
ᶜ Ergo omnis furiis surrexit Hetruria iustis,
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
ᵈ His ego te Ænea ductorem millibus addam:
Toto namque fremunt condensæ littore puppes,
Signáque ferre iubent, retinet longæuus aruspex
Fata canens: ô Mæoniæ delecta iuuentus,
Flos veterum, virtúsque virûm, quos iustus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italûm tantam subiungere gentem:
Externos optate duces. Tum Hetrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Diuûm.

ARGVMENTVM.

Non ferunt Agyllini acerbitatem Imperij, noua in Regem moliuntur, fugit ipse ad Turnum, volunt ciues bello illum persequi, retinet illos aruspex, qui ait fatis statutum, vt illi externi ducis imperium secuti bello Mezentium aggrediantur, non aliter. Cerda in Æneid. tom. 2.

EXPLICATIO.

[a] Præcesserat Mezentij sæuitia, meliùs, furor. Ergo, Agyllæ vrbis ciues non ferentes furentem hominem, illius Regiam armati inuadunt, flammas iniiciunt, socios interficiunt.

[b] Ille tum fuga elabitur, ad Rutulos, & Turnum confugit, hospitalia arma precaturus. Hîc debet Lector verbum aliquod subaudire, vel interpretari more historico hac ratione. Confugiebat ad agros Rutulorum, defendebatur armis Turni hospitis. Est *defendier* poëticum, pro, *defendi.* & hoc pro, *defendebatur.*

[c] Non contenti ciues, neque adhuc tota Hetruria Mezentij fuga, decernunt hominem bello persequi, si possent interficere. Hoc enim notat illud, *reposcunt ad supplicium.*

[d] His tot millibus, eorúmque nauibus, quæ in Mezentium fremunt, & bellum contra illum poscunt, ductor tu eris ô Ænea; nam ire in hostem cùm vellent, illos aruspex retinuit, dicens esse prædiuinatum à fatis, vt ituri in bellum auspicia & ductum externi ducis sequerentur. Quo oraculo illi exterriti cessarunt quidem tunc à bello, sed acies adhuc in campo sedet parata ad iter, si externum ducem habeat.

NOTÆ.

1. At fessi tandem cives, &c.] Fessi videlicet acerbitate suppliciorum, quæ narrata: ideo illius Imperium diuturnum esse non potuit. Sallust. epistola illa ad C. Cæsarem de ordinanda Repub. *Equidem ego cuncta Imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna arbitror.* De Iugurtha idem: *fatigati Regis suppliciis.* — Crudelia Imperia non diuturna.

2. Infanda.] Notat enormia supplicia. Est autem maxima ars Tyrannorum (inquit Aristot. lib. 5. Polit. cap. 11.) μικρὰ φρονεῖν τοὺς ἀρχομένους, *vt ciues gerant spiritus humiles.* Ratio illius. οὐδενὶ γὰρ ἂν μικρόψυχος ἐπιβουλεύσειε, *nam, qui abiecto est animo, nemini insidias struxerit.* Hanc autem rem Tyranni vnicè consequuntur suppliciis. Fit enim, vt ciues affecti suppliciis seruilibus, abiectè se gerant. Inde à Dione Chrysost. Orat. 1. de Regno, non solùm ὠμότης, id est, *crudelitas*, inducitur socia Tyrannidis, sed etiam ὕβρις, id est, *contumelia.* Nam supplicia, tum acerba, tum contumeliosa iuuant Tyrannidem. — Tyrannorū Imperia.

3. Obtrvncant socios.] Non dubium, quin eminentissimus Poëta attingat facilem illam rationem expugnandi Tyranni, quæ fit diminutione virium. Si enim priùs illos opprimas, qui sunt fidi, & socij Tyranni, non dubium, quin faciliùs illum possis opprimere. Abundant exempla. Deinde in verbo (*obtruncant*) agnosce genus victoriæ claræ, cùm victos E victor cædit ad satietatem, resistente nemine. Cùm enim fit obtruncatio, repræsentatur cædes illa, quæ fit *pecorum modo*, vt loquitur Curt. lib. 5. & Veget. cap. 20. lib. 1. *Cum maximo dedecore trucidantur, vt pecudes.* Græci hoc σφάξαι, & ἀποσφάξαι in magnis victoriis. — Tyranni vti expugnādi. — Obtrūcatio quod genus cædis notet.

4. Confvgere.] Monet Seru. inuerti historiam; nam potiùs ad Mezentium Turnus confugit. Fortasse, quia scriptum à Liu. lib. 1. *Turnus, Rutulique diffisi rebus ad florentes Hetruscorum opes, Mezentiúmque* A *eorum Regem confugiunt, qui Cere opulento tunc oppido imperitans iam inde ab initio minimè lætus nouæ originis vrbis,* &c. Ceterùm, si quæris similem historiam, lege Albert. Krantium lib. 6. Hist. Vandal. cap. 3. vbi Bulgari Regem suum annisi sunt interficere, nisi ille fuga elapsus Constantinopolim se reciperet. — Virg. aliquādo historiā inuertit.

5. Fvriis ivstis.] Et statim, *quos iustus in hostem fert dolor.* & adhuc: *merita accendit Mezentius ira.* Itaque idem, *iustæ furiæ, iustus dolor, merita ira.* Et quidem Aristotel. lib. 5. Polit. cap. 10. inter modos soluendæ Tyrannidis illum adhibet, qui fit ex ira ciuium conflata ex inuidia Principis. Græca omitto vt obuia, & in illo, & in Germ. qui aduocat. Latinè ita: *Impressiones aliæ fiunt in corpus Principum, aliæ in principatum. Et quidem, quæ in corpus Principum ortum habent ex contumelia.* B *Cùm multa autem genera sint contumeliarum, vnumquodque iram commouet. Qui verò irascuntur, vt plurimùm inuadunt alterum, acceptæ iniuriæ vlciscendæ causâ.* Expressa his mens Virgilij. Indignissimis suppliciis, & vsque ad contumeliam Mezentius ciues affecerat, iustè ciues irascuntur ad vlciscendam iniuriam. Itaque inuolant in ipsum corpus, id est, in ipsum Principem. — Iustus dolor. — Tyrannidis soluendæ ratio.

6. Regem ad svpplicivm, &c.] Ad hanc partem Stat. 5. Theb.

——*fremit impia plebes*
Sontibus accensa stimulis, facinúsque reposcunt.

7. Præsenti marte.] Videlicet, dum calent animi, ne furor tepescat, & languescat ardor. Est hæc vna militarium virtutum. Ammian. lib. 17. in re simili: *statim, ne alacritas intepesceret pugnatorum.* Iulius C magnus tractandi militum dux 3. Ciuil. milites suos *conquiescere ante iter confectum vetuit.* quia videlicet ardebant desiderio pugnæ. Pompeius quoque statim, *moram nullam ad insequendum intulit.* — Diligentia virtus insigna ducum.

8. Addam.] Quia iam habebant Tarchontem ducem. Illud *signa ferre,* trita est formula. De aruspice ait, *longæuus,* vt argumento ætatis (ait Seru.) rem probet.

9. Retinet arvspex fata canens.] Cùm superstitio plurimùm in Ethnicis dominaretur, tum maximè erat illius vsus, cùm refrænanda esset multitudo. Nam vulgus aliter non continebatur. Inde ab aruspice Virgiliano confictum mendacium Deorum. Opportunus est Polyb. locus D lib. 6. Omitto Græca, vt multa. Latinè sic loquitur: *Nulla re æquè præstare ceteris populis Romanos arbitror, ac opinione illa, quam de Diis habent. Atque adeò, quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipsa continere Romanam Rempub. mihi videtur: superstitionem dico. Nam quod meritò multi mirentur, vsque eo apud hos superstitio in maius est exaggerata, & cùm in priuatam hominum vitam, tum in publica consilia est inducta, vt non queat magis. Quod equidem multitudinis causâ factum ab illis existimo. Enimuerò si ex solis sapientibus constitui posset Respub. esset fortasse totum illud genus non necessarium: nunc, cùm omnis multitudo sit leuis, plena illicitarum cupiditatum, ira æstuet præcipiti, & ad vim iracundia impellatur, hoc restat, vt terroribus nec manifestis, & eiusmodi terribilibus figmentis vulgus cohibeatur.* — Superstitio ad frænandam multitudinem.

10. Mæoniæ.] Quia Lydi, qui Hetruriam tenuerunt, ex Lydia, Mæonia, & prouinciis aliis conflati sunt.

11. Flos vetervm.] Signat filios, qui à bonis, & bellicosis parentibus. Itaque, quamuis magnos duces possis nominare *florem* sui æui. Sed hîc Poëta strictiùs adhuc pro iuuentute, quæ verè ætatis flos. Ita vetus inscriptio in agro Veronensi, FLORENTES ANNOS MORS IPSA ERIPVIT, indi — Flos de iuuentute.

indicatur iuuentus. Signatissimè Liu. lib. 8. *Prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat.* vbi non solùm *iuuenum*, sed *pubescentium*, ab flore pubertatis. Et lib. 32. *flos Achæorum iuuentutis.* Pind. Od. 13. Olymp. ἄρης ἀνθεῖ νέων ὐλίαις αἰχμαῖσιν: *Mars floret iuuenum perniciosis præliis.* In his vides florem cum iuuentute. Quin Demades apud Athen. lib. 3. vocat adolescentes *ver ciuitatis*, ait enim, τοὺς ἐφήβους ἔαρ τοῦ δήμου. Sed cùm Poëta dicat *flos veterum virûm*, notans, natos esse à bellicosis parentibus (mitto aliam posse esse sententiam) posset compingi cōmunis locus de liberis, qui similes parentibus, reuiuiscente in eis maiorum claritate: sed tantùm adduco Iulianum Cæsarem in Misopogone, qui non dissimili comparatione rem explicat, videlicet à plantis, vt Virg. à floribus. Ita enim proles similis parentibus, ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς φυτοῖς εἰκὸς ἐστι διαδίδοσθαι μέχρι πολλοῦ τὰς ποιότητας, *quemadmodum in plantis verisimile est diffundi qualitates quàm latissimè.*

in de adolescentibus.

Arboribus comparati nobiles.

12. IVSTVS DOLOR.] Illi, quos iusto odio prosequimur, dici Græcis ἀξιομισήτους ex Plutarch. Germ. notat, sicut ex Æschylo εὖ στυγεῖν, *bene odisse.* Loquuntur sic Gentiles: nullum enim iustum odium. Sed de iusto dolore Poëtæ accipe Notam nostram. Cùm *iustus dolor* dicatur Iureconsultis, is dolor, quem maritus ex adulterio vxoris capit, vt liquidum ex verbis Papiniani istis: *Diuus Pius in hæc verba rescripsit Apollonio, ei, qui vxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, vltimum supplicium remitti potest. Difficillimum enim est, iustum dolorem temperare.* Qua voce vsus etiam ad rem eandem Tacit. Quid ergo, si Poëta innuat hoc genus contumeliæ illatum à Mezentio maritis plurimis? Credi hoc potest; nam Princeps sæuus, est etiam libidinosus, quod docent exempla Neronis & Caligulæ. Igitur insurgunt ciues vlturi diram contumeliam. Iuuat Aristotelis locus hic lib. 5. Pol. c. 11. πολλαὶ δ' ἐπιθέσεις γεγένηνται, καὶ διὰ τὸ εἰς τὸ σῶμα αἰσχύνεσθαι τῶν μονάρχων τινάς: *Impressiones multæ factæ sunt: quòd aliqui Principes aliorum corpus constuprauerint.* Cur non & ista in Mezentium impressio ex dolore hoc processerit?

Iustus dolor, quis.

13. NVLLI FAS ITALO, &c.] Applaudit huic loco ille lib. 7. vbi etiam fata canunt, externo genero iungendam Lauiniam, vt hîc externo duci committendum exercitum.

Locorum similitudo.

14. SVBIVNGERE.] Locutio ducta à bobus. Sic *subiuges boues*, quibus opponuntur *iniuges*, qui nunquam sub iugo.

Subiuges boues. Iniuges.

15. OPTARE.] Eo significato, quo in 1. *Pars optare locum tecto.* Itaque non capio *optare*, pro *exoptare*, sed pro *adoptare*. Dici porrò *optiones*, illos, qui adiutores dabantur centurionibus, quòd ab aliis optarentur, id est, adoptarentur, notum iam labore doctissimorum Cuiacij, Turnebi, Lipsij, Bisciolæ, qui loca Festi, & Taciti producunt, & corrigunt.

Opto, pro adopto. Optiones. i. milites adiutores cẽturionum.

16. HETRVSCA RESEDIT HOC ACIES CAMPO.] Est hoc omnino, quod Thucyd. lib. 4. καὶ καταλαβόντες χωρίον ἐπιτήδειον παραταξάμενοι: *occupato loco idoneo acie instructa quiescentes.*

17. RESEDIT.] Vt pugnatura & parata ad bellum. Iulius 3. Ciuil. *Ad asparagum consedit Pompeius.* Castra enim dicuntur *considere*. Itaque militare verbum. Lucan. lib. 6. *insedit castris.* Eurip. Supplement. παρ' ὅπλοις ἥμενος: *in armis sedens.* Sed Virgil. non, *consedit*, sed *resedit*, quia, *surrexerat furiis iustis.* Sic Capitol. in Pertin. *in templo Concordiæ resedit*: quia præcesserat illius è castris ad Senatum itio.

Resideo, verbum militare, Consideo, Insideo, Sedeo.

ᵃ Ipse Oratores ad me, Regníque coronam
Cum sceptro misit, mandátque insignia Tarchon,
Succedam castris, Tyrrhenáque Regna capessam.
ᵇ Sed mihi tarda gelu, sæclísque effœta senectus
Inuidet Imperium, seræq́; ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabella,
Hinc partem patriæ traheret. ᶜ Tu cuius & annis,
Et generi fatum indulget, quem Numina poscunt,
Ingredere ô Teucrûm, atque Italûm fortissime ductor.
ᵈ Hunc tibi præterea spes, & solatia nostri,
Pallanta adiungam: sub te tolerare magistro
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.
ᵉ Arcades huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo: totidémque suo tibi nomine Pallas.

C

ARGVMENTVM.

Audito oraculo, Thusci Imperium deferunt ad Euandrum, qui nec se propter senectutem, nec filium propter maternum genus aptos declarat, ac propterea ex mente oraculi Imperium illud Æneæ mandandum, quem Pallas sequetur cum equitibus quater centum.

EXPLICATIO.

ᵃ CVM dixisset oraculum externo duci committendum exercitum, Thusci Euandrum, vt externum, inuitant ad Imperium, præsertim Tarchon, qui illis præerat: & inuitant quidem missis corona, sceptro, insignibus.

Iliad. nonaginta anni sunt, explicatore Plutarcho. Nam is, cùm dicat in Catone Maiore, virum hunc ætatis anno nonagesimo Seruium Galbam accusasse, adiicit, peruenisse illum & vita,& factis ad triplicem ætatem Nestoris. Græca sunt. Σέρβιν Γάλβα κατηγόρησεν ἐνενηκοστὸν γεγονὼς ἔτη. κινδυνεύει γὰρ ὡς ὁ Νέστωρ, εἰς τριγονίαν τῷ βίῳ, καὶ ταῖς πράξεσι κατελθεῖν. Triplex ergo ætas ex sententia Plutarchi, nonaginta anni sunt. Hanc triplicem ætatem in se agnoscit Euander, ex prima Seruij explicatione, cui hæreo. Notetur hic (volo enim aberrare aliquantulùm ab labore commentandi) triplex senectutis diuisio apud Galen. lib. de Conseru. valet. cap. 12. Dicit enim senes esse, aut ὠμογέροντας, *crudos*: qualem senectutem Charonti dat Vates, quasi penè viridem, & accedentem ad annos iuuentutis. Hunc primum gradum in Priamo capio, qui ab Hom. Iliad. 22. & 24. constituitur ἐπὶ γήραος οὐδῷ, *in senectutis limine*. & in Sophista quodam apud Philistrat. lib. 2. qui cùm esset πόῤῥω ὑφ' ἡλικίας, *grauis ætate*; tamen habebat νεάζουσαν ὁρμὴν ἐς τὰς σπουδάς, *impetum iuuenilem in affectibus*. & in Iolao apud Eurip. in Heraclid. qui senex licèt, tamen annis cingitur, it ad bellum, ac vincit, atque, vt ait Tragicus,

Senectutis diuisio triplex.
Primi senes crudi.

> νέος μεθέστηκ' ἐκ γέροντος αὖθις αὖ:
> *Factus est iuuenis rursus ex sene.*

De Christi Martyre Nazianz. Orat. 1. cont. Iulian. ὁ πρεσβύτης ἐκεῖνος, καὶ νέος πρὸς τοὺς ἀγῶνας: *Senex ille, & iuuenis ad certamina.* Deinde constituit Galenus senes μέσην ἡλικίαν τοῦ γήρως ἔχοντας, *habentes mediam senectutis ætatem.* Qualem ego hîc senectutem Euandri accipio, in quo etiamsi iam non vires, tamen prudentia, consilium, & vis vegeta ingenij: qualémque videtur indicare Stat. 5. Theb. *iam senior, sed mente virens.* Et qualem in Nestore Calab. lib. 4. qui pressus senectute cùm esset, tamen erat in eo ἔμπεδος θυμὸς, καὶ νόος, *animus vegetus, & mens.* Et hunc gradum ætatis describit Cyrillus Alexand. Comm. in Ioëlem num. 35. his verbis: τῇ τελειότητι τῆς ἀρετῆς προύχοντά τι, καὶ ὑπερκειμένην, καὶ οἷον λαμπροῖς πεπολισμένην κατορθώμασι, καὶ φρονήσει τῇ τελειοτάτῃ διαπρέποντα, καὶ τεθαυμασμένον: *virtutis præstantia prominentem, ac progressam, & quasi illustribus factis canam, atque absolutissima prudentia eximiam, & admirandam.* Hanc & Apollon. agnoscit in Polyphemo quodam duce lib. 1. Arg. in quo iam sene μένεν δ' ἔτι θυμὸς ἀρήιος *manebat*, si non vires, certè *adhuc animus Martius.* Adhiber demum Galenus gradu tertio παμπέλας, *decrepitos.* Sunt enim πέμπελοι quasi iam capulares, & quos expectat pompa funeris. De hac accipio senectutem Metelli apud Plutar. in vita Luculli. Μέτελλος (inquit) παρηβηκότος. & ibid. de re alia loquens ait, ὑπὸ γήρως παρηλλάχθαι, quasi præ senectute mens loco cedat: & de eodem Metello in vitâ Pomp. ἤδη σβεννύμενον ὑπὸ γήρως. Philostrat. lib. 1. in vit. Sophist. γῆρας βαθὺ vocat, *profundam senectutem.* Ita etiam capias senes illos, qui dicti *Depontani senes*, & *Casnares*, ac notiore voce *sexagenarij*, qui deiecti de ponte, quòd iam præ senectute inualidi ad consilium: & Pelei senectutem, de qua Iliad. 18. γήραϊ λυγρῷ ἀρημένος, *confectus difficili senio.* Et ipse de se Peleus apud Eurip. And. ait esse,

Deinde mediam ætatem habentes.
Demum decrepiti.
Depontani senes. Casnares. Sexagenarij.

> ——— γήρως ἐσχάτοις πρὸς τέρμασι:
> *In extremis finibus senectutis.*

Summa est (ego enim sic Galenum interpretor) in primo gradu esse, qui adhuc valent viribus; in secundo, qui non viribus, sed consilio: in tertio, qui nec viribus, nec consilio. Hoc enim indicant exempla quæ adhibui. Sed redeo ad laborem commentandi.

10. EFFOETA SENECTVS.] Est hoc, quod Attius in Epinausimach. *Exsangue hoc corpus mihi annis puret.* *Senectus effœta.*

11. SENECTVS INVIDET IMPERIVM.] Ita apud Herodian. lib. 2. Pertinax inducitur γῆρας προϊσχόμενος, *prætendens senectutem*, vt excuset se ab Imperio. Applaudunt & verba Taciti lib. 1. Hist. *Ipsa ætas Galbæ, & irrisui, & fastidio erat adsuetis iuuentæ Neronis, & Imperatores forma ac decore corporis (vt mos est vulgi) comparantibus.* *Principes senes non vulgo in pretio.*

12. SERÆQVE AD FORTIA VIRES.] De hoc langore senectutis Sophronius apud Stob. γῆρας μαραίνει πράγματα: Marcor enim comitatur res tabidas. Cui accinit Aristot. qui per verbum μαραίνεσθαι explicat solutionem senum. Ab eadem imbecillitate vidi in Græco quodam dici senem ἀδρανέστατον. Aristot. Probl. sect. 30. δειλοὺς vocat, vt etiam 2. Rhet. cap. 13. προωδοπεποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ: *senectus viam aperuit timiditati.* Quæ fermè repetit in Probl. loco adducto, προωδοποίηκε γὰρ τοῦ φόβου. De Scipione Africano Liu. lib. 38. *in iuuenta bella assiduè gesta, cum senecta res quoque defloruère.* Nam, vt ait Sen. in Fur. *Senectutis incommoda.*

> *Post multa virtus opera laxari solet.*

Aristot. 3. Rhet. senectutem vocat καλάμην *stipulam.* Plutar. de Mario iam sene. τοῦ γήρως τὸ δραστήριον ἐκείνο, καὶ θερμὸν ἐν αὐτῷ κατασβεννύντος: *extinguente senectute strenuitatem illam, atque ardorem.* Eurip. in Hercul. *Stipula, de senectute.*

> Γήρᾳ δὲ τρομερὰ γυῖα, καὶ ἀμαυρὸν σθένος:
> *Membra trementia senectute, & robur inualidum.*

Seras istas vires Græci nominant γῆρας ἀκρότατον, ἔσχατον, πρεσβυτικὸν, μακρότατον, πολυετῆ: *senectutem summam, vltimam, progressam, longissimam, multorum annorum.* Pulcherrimè Plato 8. Leg. ὑπέρμετρον, vltra modum. βαθὺ γῆρας *profundam senectutem* ex Philostr. iam adduxi. *Seræ vires.*

13. GNATVM.] Alij *natum.* Placuit primum; nam ex Poëtarum more. Fortunat. lib. 3. Rhetor. *Aliena verba quæ sunt? quæ non sunt Oratori accommodata, sed Historico, aut Poëtæ, vt si genitorem, & genitricem, & gnatum dicamus.* *Gnatus, poëticum est.*

14. MISTVS MATRE SABELLA.] Tale illud Sidon. Paneg. Anthem. vbi de Ricimere, *Mistus matre.*

> *In Regnum duo Regna vocant, nam patre Suëuus,*
> *A genitrice Getes.*———

15. PARTEM PATRIÆ.] Sidon. epist. 21. lib. 4. ad Asprum, cùm præmiserit, *Heduus pater tibi, mater Aruerna est*, exemplo Maronis, à quo hanc Pallantis duplicem originem adducit, ita absoluit: *Ecce habes magnum maximo auctore (Virgilio) documentum, quòd patriæ pars computanda sit & regio materna.* *Pars patriæ.*

16. QVEM NVMINA POSCVNT.] Sup. *fatis huc te poscentibus affers.* *Poscũt fata.*

17. INGREDERE.] Verbum militare, & in quo ferocia atque ostentatio. Val. 1. Arg. de Iasone, *Ingredi, verbum militare.*

> *Heu quibus ingreditur fatis, qui gentibus horror*
> *Pergit!*———

Et lib. 2. de tauro victore,

> ——— *qualis per pascua victor*
> *Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis.*

Sic & Lucan. lib. 2. præmissa Cæsaris ferocitate,

> *Ingreditur pulsa fluuium statione vacantem.*

Quis nescit de Marte Gradiuo? Quis non illud Hom. 3. Iliad. μακρὰ βιβῶντα: *grandia ingredientem?* Procedunt ista è maiestate Poëtarum, qui pleni hoc fastu. Inde Basil. Seleuciensis lib. 1. vitæ Teclæ. ἀμα *Ingredi grandia, poëtica locutio.*

ἅμα καὶ τὴν ὕβριν κ, ὁ θάμυρις ἴδοι, μακρὰ βιβὰς ποιητικῶς τις ἄν εἴποι, παρὰ τὸ δικαστήριον: *Inter quos & Thamyris grandia,vt poeticè quippiam loqueretur ingrediens,ad tribunal conjuabat.* Simocatta lib.3.Hist.cap.14.in re belli dixit, μετὰ σοβαρᾶ τῷ βαδίσματος: *cum superbo ingressu, incessu.* A

Liberi spes patrum, & Solatia. 18. SPES, ET SOLATIA.] Ad filium suum Annibal apud Sil. *spes ô Carthaginis altæ.* Ideo liberi *spes,* quia propagaturi genus. Vt *solatia*, ita ab Agathone Poëta filij dicuntur ἡδὺ φυτεύσαντι, *genitorum iucundias.*

19. PALLANTA ADIVNGAM.] Fortasse ex ductu Apollonij 2. Arg. vbi Lycus offert filium suum comitem Iasoni, Vidit Germ.

Locorum similitudo. 20. SVB TE TOLERARE MAGISTRO.] Quasi Æneas daretur custos, magisterque instituendo ad bellum Pallanti. Hinc procedunt illa Valerij lib.1. Arg.quibus Peleus commendat Chironi filium Achillem,

———te paruus lituos & bella loquentem
Miretur,sub te puerilia tela magistro
Venator ferat,& nostram festinet ad hastam.

Necnon Silij lib.4.

Te duce primitias pugnæ,te magna magistro
Audeat,& primum,&c.———

Est verò,vt apparet, vtque visum iam Henr.Steph. lib.1.Sched. cap. 6. sententia Virgilij expressa à verbis Plat.lib.7.Polit. οὐκοῦν μνημονεύεις ὅτι ἔφαμεν καὶ εἰς τὸν πόλεμον ἄξειν τοὺς παῖδας εἶναι αὐτῶν ἐπὶ τῶν ἵππων θεωροὺς; κἄν που ἀσφαλὲς ᾖ, προσακτέον ἐγγὺς καὶ γευστέον αἵματος, ὥσπερ τοὺς σκύλακας; *Nónne dixisse nos meministi ducendos in equis esse pueros ad spectandum bellum? &, si quis tutus sit locus,propè esse admouendos? & sanguinis,non secus ac catulos gustum præberi oportere?* Respicit quidem Plato ad ea,quæ ipse scripserat lib. 5. ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀναβιβαστέον ὡς νεωτάτους, καὶ διδαξαμένους ἱππεύειν, ἐπὶ ἵππων αὐτοὺς ἐπὶ θέαν: *Equitare condiscant primis ab annis pueri cúmque hoc didicerint, equis ad spectaculum belli ducentur.* Hinc certè & Horat.sua illa præclara Od. 2.lib.3. *Angustam amici.*&c. vult vt puer ab annis teneris bellum condiscat. Quia prælium *formidat indoctus,* ait Veget.lib.3.cap.13.Plutarch.in vita Fabij hac de re loquens, πεπαίδευκας, *erudiuisti, instituisti.* Ab

Imitatio.

Pueri ducendi ad belli spectacula.

Theoc. εἰδ.13.Hylas puer dicitur doctus ad bellum, πεπεραμένος, magisterio Herculis, vt ita *ἀληθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη, in virum verum euaderet,*id est,in virum fortem: atque adeò *οἱ πάντ' ἐδίδαξε, omnia illum docuit.* Xenoph.de Rep.Lacedæmoniorum, pueros ait esse apud illos παιδονόμους. Non alia, credo,causa, cur Pausan.loquens de templo Achillis, ita scribat Lacon. ἐπιδὴ δ' ἂν τῶν ἐφήβων ἀγωνίζεσθαι μέλλωσιν ἐν τῷ πλατανιστᾷ, καθέσθαι αὐτοῖς τῷ Ἀχιλλεῖ πρὸ τῆς μάχης θύειν: *Puberibus omnibus, quotcunque in Platanetum descensuri pugnaturi, solemne est Achilli ante pugnam rem diuinam facere.* Non (inquam) alia causa, quasi pugnaturi sint sub auspiciis pugnacissimi magistri. B

Achilli fiebat res diuina à puberibus.

21. TOLERARE.] Desumptum apparet ex Ennio lib.10.Ann.

Duxit delectos bellum tolerare potentes.

Sallust.de milite dixit in Iugurth. *Inopiam,& laborem tolerare.* Idem Sallust. obseruante Diomede, inuentutem *bellipatientem* voce vnica nominat.

22. MIRETVR.] Symmach.epist.39. lib.1. *Frater meus Gorgonius admirator virtutum tuarum.* Valer.lib.1. Argon.de Achille adhuc puero,

———stupet in ducibus,magnúmque sonantes
Haurit.———

Sed lib.4. vsurpat verbum Virg. Nam Hercules ad Hylam iam raptum; *nec res vltra mirabere nostras.* Xenoph.de Repub.Lacedæm.ἀγασθεὶς ψυχὴν: *admirans* (alterius)*animam.*

Graue opus. 23. GRAVE MARTIS OPVS.] Manauit hoc proculdubio à Græcis,quibus nihil frequentius.Sic Homer. μέγ' ἔργον Ἄρηος. & Calab.lib. 5. ἔργα μόθοιο,ἰσχυρίας. Ouid. de ipso Martis opere Eleg. 9.Pont.2. *forte opus.* Videsis, ne actum agam, quæ longissimo tractu congessit Rittershus. in lib. 1. Hal. Oppian. vers.105. contra Homerum Iliad. 22. διαφόρητος πόλεμος. C

Robur cur de Arcadib. 24. ROBORA PVBIS.] Expressissimè in sermone Arcadum,qui valentissimi, & fortissimi ex roboreo cibo.Stat.7.Theb. prædicans de Aconteo, solitum feras prosternere,addit rationem, cur huic homini tanta virtus, *Arcas erat.* Omnia videt Virg. Alij *virtutem* Arcadum dicerent,aut quid simile; ille in *robore* glandes respexit. Si quæras imitationem, fortasse à Catullo, qui in Nupt.Pelei, *Argiuæ robora pubis.* Imitatio.

[a] Vix ea fatus erat,defixíque ora tenebant
Æneas Anchisiades,& fidus Achates:
Multáque dura suo tristi cum corde putabant,
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
[b] Namque improuisò vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit,& ruere omnia visa repentè,
Tyrrhenúsque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt: iterum,atque iterum fragor intonat ingens.
Arma inter nubem cœli in regione serena
Per sudum rutilare vident,& pulsa tonare.
[c] Obstupuêre animis alij: sed Troïus Heros
Agnouit sonitum,& Diuæ promissa parentis.
Tum memorat: ne verò hospes,ne quære profectò
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo:
Hoc signum cecinit missuram Diua creatrix,
Si bellum ingrueret,Vulcaniáque arma per auras

Latu

Laturam auxilio.
[d] Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi Turne dabis! quàm multa sub vndas
Scuta virûm, galeásque, & fortia corpora volues
Tybri Pater! poscant acies, & fœdera rumpant.

ARGVMENTVM.

Inter hæc verba, ac sereno tum cœlo repentè omnia cœpta commutari splendore fulgurum, tonitruorum strepitu, fragore cœli, armorum in nubibus collisione. Obstupescunt reliqui, lætatur Æneas; aperitque Euandro causam obmurmurantis cœli, & quæ sciebat de promissis sibi Vulcani armis. Ad extremum interminatur Italis belli cladem miserabilem.

EXPLICATIO.

[a] POst sermonem Euandri inducit Poëta Æneam, atque Achatem cogitabundos, defixísque in terram (id, credo, indicat) & intentis oculis, pressos etiam dolore ingenti. Fortasse dolor hic ortus ex verbis Euandri, qui atrox bellum nuntiauerat. Seru.inf. refert ad breuitatem auxilij, quod promittebatur. Non placet; nam hoc non ex decoro præsentis Euandri. Sed eam ægritudinem, ex quacunque orta esset causa, ademit Venus dato è cœlo signo.

[b] Erant omnia tranquilla in aëre, nubes nulla, & flatus nulli, cùm subitò fulgor ab æthere, & ingens sonitus (istis describit fulgur, & tonitrum) quo puncto temporis visa sunt omnia ruere. Nam vnà cum fulgure, & tonitru auditus quoque in æthere clangor mugientis tubæ. Pauefacti omnes attollunt oculos, & tunc audita duo alia tonitrua, frangente se cœlo. Ac iam in serena cœli parte nubes coaluerat, in qua portata arma, quæ intra ipsam nubem sudo aëre rutilabant, & pulsa intonabant. His signat venientium armorum strepitum.

[c] Aliis pauentibus Æneas vnus lætari cœpit, vt qui sonitus illos cognosceret, eorúmque causas, & promissa Veneris. Ac statim ad Euandrum, ne anxius sit de portentis illis; se enim vnum illis designari, non alium; nam hoc est, *ego poscor Olympo.* Nec facilè diuellar ab hoc sensu, quamuis alij aliter explicent. Nam ratio, quæ subiungitur, hoc indicat. Designant me hæc portenta; nam Venus daturam se hæc signa iam promisit, laturámque per auras Vulcani arma, ad ingruentem belli molem. Hoc totum κατὰ σιωπώμενον: nam nullibi legitur hæc promissio.

[d] Fauore cœlesti recreatus iactat minas in Turnum, & Rutulos, vt qui à se habeat Deorum auspicia. Adiungit argumenta futuræ cladis à Tybri portaturo scuta, galeas, corpora interfectorum. Absoluit tandem, *poscant acies, & fœdera rumpant.* Quasi dicat: Ita scilicet expiabunt religionem contemptam, abrupta fœdera. Clariùs! Tunc rumpunt fœdera icta inter me, & Latinum, cùm poscunt aciem: sed punientur.

NOTÆ.

1. TRISTI CVM CORDE.] Clarum testimonium veræ syntaxeos. In hac oratione, *putare multa tristi corde*, sextus casus pendet à præpositione tacita, quam tamen subiunxit Virg. qui, *putare cum corde.* Sicut & Sallust. Iugurth. *facinus suum cum animo reputans*, pro, *reputans animo.* Sic & *de.* Seru. in 10. Æneid. *de lapide feritur*, pro, *lapide feritur.* Vnde Heraldus ad Arnob. Gelenium reprehendit, qui legerat *discobinata limis*; nam vetus lectio, *discobinata de limis.* Idem Arnobius libro primo. *Ex malleis fabricatos*, pro, *malleis fabricatos.* Plaut. Mercat. *Ex summis opibus, viribus vsque experire, nitere*, pro, *summis opibus.* Factum hoc Græcorum imitatione, aiunt Germ. atque Heral. Homer. enim (ait prior) ὅρμαινε ἀνὰ θυμὸν, pro, ὅρμαινε θυμῷ. Euseb. (ait posterior) lib. 5. Præp. ἐκ τῶν οἰκείων βελῶν, καὶ τοξευμάτων βαλλόμενοι, pro, βέλεσι, καὶ τοξεύμασι. Vide etiam, quæ obseruata Vechnero in Hellenolexia. Hinc explico locum difficilem Tertulliani de Pall. vbi constituit has tres orationes, loquens de mari: *de tranquillo probum: de flustris temperatum: de decumanis inquietum.* Non enim dicit mare fieri probum, cùm priùs esset tranquillum; & sic in aliis: hoc enim ineptissimum esset. Sed sententia est, mare probum esse cùm est tranquillum: temperatum, cùm sunt flustra: inquietum, cùm sunt decumani fluctus. Et ego ipse, qui alicubi explicationem Mercurij amplexus sum, deceptus fui. Itaque ait Tertull. *mare probum est tranquillo*, id est, tranquillitate: *temperatum flustris, inquietum decumanis.* Sed adhibuit præpositionem more antiquo: vt Seru. *de gladio feritur*, pro, *gladio.* Sed ab testimoniis, quæ contuli, satis est liquidum, omnes sextos casus pendere semper ab præpositione tacita, etiamsi aliquando non facilè alluceat, quæ ea esse debeat. Contendo etiam, nullum esse casum illum absolutum, quem Grammatici prædicant; ille enim etiam pendet à præpositione. Nam, *absoluto prælio ibo*, nihil est aliud, quàm, *ab absoluto prælio*, id est, post absolutum prælium. Sed de re tenui μάλα πολλά.

Præpositio vltimi casus semper subaudienda.

De tranquillo.

De gladio.

2. SIGNVM COELO DEDISSET.] Dionys. lib. 2. ait. σημεῖα οὐράνια φανῆναι. Hom. 2. Iliad. ἰοῦσα μέγα σῆμα. Idem 11. κυδοιμὸν ὦρσε Κρονίων. Illud *è cœlo*, ἐνδ' ἔθεν. ἐξ αἰθέρος. Omitto infinita loca, quæ in hoc excursu adumbrare Virg. potuit: & tantùm indico, non profero locum Sophoc. in Antig. vbi, vt aduentus Antigonæ videatur esse diuinus ad inferias soluendas pro fratre mortuo, excitantur magni turbines, syluæ concutiuntur, & omnia horrore implentur.

Imitatio.

3. CYTHEREA.] Antonomasticè pro Venere. Ita & Theocrit. τὸν δ' Ἄδωνιν ἡ Κυθέρεια. Ab vrbe, aut insula, vbi colebatur, & in quam delata, cùm primùm nata ex vndis est. Hesiodus enim προσέκυρσε Κυθήροις, *appulit ad Cytheras.* Itaque plures istæ insulæ. Vnius tantùm Cytheræ insulæ Plin. meminit lib. 4. cap. 12. ad promontorium Maleæ, quod non longè à Cypro, vbi nata Venus Κυπρογένεια dicitur. Sed certè, cùm Hesiodus *Cytheras* nominet, & vnam tantùm Plin. afferat, ego existimo tres olim fuisse, quas coniungit Plin. Theganusam, Cothonem, Cytheram; tametsi, labente æuo, vna tantùm retinuerit

Cytheræ insulæ.

Cythera vnde dicta.

nomen. Cytheram verò sic vocatam ἀπὸ τὸ κεύθειν, καὶ κρύπτειν τὸ αἶσχρον, ab occultando turpi, Phornutus ait. Hesychius etiam ait, dici quasi κεύθειρον. Turpe illud, quod occultatum, est Venus ipsa nuda, cùm eò appulit.

Apertum, id est, serenum.

4. APERTO.] Sereno, explicat Seru. Nam Virg. alibi: *& aperta serena.* & infrà,

Arma inter nubem cæli in regione serena.

Apertū cœlum, id est, hians tonitribus.

Inclinant ista, sed non cogunt, ô Serui. Ego aliter explico. *Aperto cœlo*, id est, rupto, & hiante tonitribus, fulguribus, fragore. Nihil enim inconuenit ita accipi hîc hoc verbum. Imò liquida totius loci sententia esse videtur, signum datum à Venere disrupto cœlo, quod explicans, addit: *Namque improuisò*, &c. Transactis verò fremitibus pacatum est cœlum, & visa sunt in serena parte arma intra nubem emicare. Hæc melior consecutio Poëtæ. Quin, tantùm abest, vt *apertum cœlum* semper sit serenum, vt potiùs Basil. Seleuciens. in vita Teclæ lib. 1. id verbi adhibeat ad magnas pluuias indicandas: ita enim loquitur de Deo; καὶ κλείσας ἔτη τρισὶν ὅλοις ἔτεσι, καὶ μησὶν ἓξ τὸν οὐρανὸν, καὶ τηρήσας ἀνέφελον: καὶ πάλιν ἀνοίξας αὐτὸν, καὶ ποιήσας ὀμβροτόκον: *Clausit cœlum annis tribus, & mensibus sex, præstans illud innube: rursùmque illud aperuit, reddiditque nimbosum.* vbi *clausum cœlum*, est serenum, *apertum*, cum pluuia.

Vibro, de fulminibus.

5. VIBRATVS AB ÆTHERE FVLGOR.] Manil. lib. 1. *in cœlo vibrantia fulmina.* Iterum:

Fulgura cùm videas tremulum vibrantia lumen.

Silius quoque lib. 10.

Et densi ante oculos iterùmque, iterùmque tremendum
Vibrabant ignes.———

Hi verbum telorum transferunt ad fulgura. Sic contrà cometæ dicuntur *iaculari* faces, ignes, crines verbo telorum.

6. CVM SONITV.] Hic sonitus à vento. Manil. lib. 1. *Et sonitum ventis concessit.* Claud. Cons. Manl. *quo fracta tonitrua vento.*

Deorum aduentus plenus maiestate.

7. RVERE OMNIA VISA.] Tale prodigium Claud. 2. Rap.

Pronáque vibratis radicibus oppida verti.

Putabant Gentiles pertinere ad maiestatem Deorum, vt in illorum aduentu omnia tremerent. Vide quæ iam lib. 3. ad illud,

——*tremere omnia visa, repentè,*
Liminàque, laurúsque Dei, totúsque moueri
Mons circùm, & mugire adytis cortina reclusis.

Tuba ortum habuit à Tyrrhenis.

8. TYRRHENVSQVE TVBÆ, &c.] Attingit Poëta hoc loco inuentionem tubæ, quæ apud Hetruscos. Ex qua opinione locuti alij. Stat. 6. Theb. *Tyrrhenum murmur.* & 3. *Tyrrhenus clangor.* Athen. lib. 4. τυῤῥηνῶν δ' ἐστὶν εὕρημα κέρατά τε, καὶ σάλπιγγες: *Tyrrhenorum inuentum sunt & cornua, & tuba.* Pollux lib. 4. τυῤῥηνὸς αὐλὸς, *Tyrrhenica tuba.* Eurip. Phœniss. τυρσηνικῆς σάλπιγγος. & in Heracl. τυρσηνικῇ σάλπιγγι. Inde Stat. lib. 7. pro, bellicos tumultus, dixit, *Tyrrhenos tumultus.* Sed notanda vis Virg. supra Poëtas alios. Isti, vt lubuit, & nulla occasione, tubam eo epitheto ornarunt: vnus Virg. ex occasione (vidit iam Seru.) quasi ea tuba vocentur Tyrrhenorum castra, quæ promissa ab Euandro. Vt verò tubam belli prænuntiam inducit Maro, ita Tryphiodor. qui

Οὐρανίη δ' ἐκ Διὸς ἐλελίζετο πόλεμον μαντεύουσα σάλπιγξ:

Præcinuit cœlestis tuba venturum bellum.

Quod confine verbis Varron. citatis à Seru. *auditum sonum tubæ de cœlo.*

Mugio de tuba.

9. MVGIRE.] Ab Lucret. qui lib. 4.

Cùm tuba depresso grauiter sub murmure mugit.

A

Nonn. lib. 23. Dionys. ἐμυκήσατο σάλπιγξ: *humida mugiebat tuba.* Pari elegantia attribuitur rebus aliis. Aristoph. tonitruo, μυκᾶται (inquit) ἡ βροντή. Nonnus mari lib. 32. πόντος μυκώμενος. Ammian. Marc. lib. 17. terræ motibus. *Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores, fremitúsque terrenos.* Stat. lib. 10. tonitribus, ad imitationem fortassè Aristoph. *arcanum mugire polus.* Non abit verbum Calab. lib. 1. βόησε δ' ἄρ' ἀμφὶ θεῶν ἀκραής. Nam verbum βοᾶν à bobus duci volunt aliqui. Hom. Iliad. 1. hoc extulit per verbum ipsius tubæ; σάλπιγξεν (inquit) οὐρανός.

Tonitru.

Mari.

Clangor, de tuba.

10. CLANGOR.] Sic & de tuba Silius lib. 1. *Tyrrhenæ clangore tubæ.* Virg. alib. *clangórque tubarum.* Valer. *Luctificum clangente tuba.* Apul. de Mund. *Cum tuba bellicum cecinit, milites clangore incensi.* Hic clangor

B

à claritate, credo, sonitus. Inde in 5.

Inde, vbi clara dedit sonitum tuba.———

Et clarus hic sonitus, quia tuba instrumentum est directum, & oppositum raucedini cornuum. Ouid.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

11. ITERVM, ATQVE ITERVM.] Quasi iterum, & tertiò firmaretur omen. Quod ego alibi: vbi explicatum iam discrimen inter *alterum omen*, & *secundum omen*. De fulminibus, aut fulguribus *Consilij, Auctoritatis, Status*, vide hîc Seru.

Fulminum triplex genus.

Fragor, de tonitru.

12. FRAGOR.] Nam frangit se nubes in fulmine. Stat. lib. 10. *tonitru malus æthera frangit Iuppiter.* Simocatta lib. 2. Hist. cap. 7. καὶ δ' αὖ ῥαγέντος. Sen. Rh. controu. 16. *terribili fragore horrida tempestates.* Præclarè Stat. dixit verbo *cædo* lib. 12. Theb.

C

Cædo, de nubibus.

———*tum prælia cæsis*
Nubibus, & tonitrus, insanáque fulmina gaudent.

13. ARMA INTER NVBEM.] Illustrabitur satis hic locus his, quæ dicta 1. Georg. ad illud,

Armorum sonitum toto Germania cœlo.

Neque enim dubium, quin fiat allusio ad prodigia illa.

14. SERENA.] De fulminibus, quæ ἀναιθρίας, & quæ αἴθριος accidunt ex serenitate cœli. Vide hîc Germ.

15. PER SVDVM.] Huic voculæ duplex dant significatum, vt sit quasi *semihudum*; & tunc explicabitur Poëta cum respectu ad nubem, quæ præcessit: deinde, vt sit quasi *seudum*, id est, serenum, vtique non vdum; & tunc explicabitur Poëta ex mentione serenitatis, quæ præcessit quoque. Si me consulis, puto *sudum* esse serenum, & verè seudum, id est, sine vdo: & testimonium nullum reperi, quod me cogat ad primam illam *humiditatis* significationem; multa verò, quæ ad *serenitatem*. Tiberianus apud Fulgentium: *Aureos subducit ignes sudus ora Lucifer*, id est, serenus. Tertull. lib. de Pall. directè opponit humiditati. Nam de cœlo: *dein substillum, & demùm sudum.* Est verò *substillum*, id est, subliquidum, substillánsque cœlum. Vir etiam doctus Passerat. *sudum* in hoc Virg. loco accipit, vti illud Horat. *Per purum tonantes Egit equos.* vt idem sint *per purum*, & *per sudum*.

D

Sudum quid propriè.

Oppositio.

E

Similitudo locorum.

16. OBSTVPVERE ALII, SED, &c.] Non abit Hom. affectus 19. Iliad. vbi, visis armis cœlestibus, quæ afferuntur ad Achillem, ceteros ἕλε τρόμος, *cepit timor*, vnum Achillem ἔδυ χόλος, *subiit ira.* Nec illud Sueton. in Vitell. cap. 8. vbi, *consternatis, & quasi omine aduerso anxiis omnibus*, ipse Vitell. *bono animo.*

Creatrix, pro genitrix.

17. CREATRIX.] Pro, genitrix, vt apud Catull. *Patria ô mea creatrix, patria mea ô genitrix.*

18. VVLCANIAQVE ARMA LATVRAM.] Verba Hom. Iliad. 18. ἡφαίστοιο πὰρ' εἵσομαι ἔντεα καλά.

19. HEV.

A 19. HEV, QVANTÆ, &c.] In Virgilio magistrum agnosce, discipulos in Silio & Statio. Ille 2. Pun. *Virgilius magister Poetarum.*

Heu quantùm Ausonio sudabitis arua cruore?
Quas belli vindex pœnas mihi Curia pendes?

Prior versus spectatior, quia ex illo Virg. 2. Æneid.

Dardanium quoties sudarit sanguine littus.

Stat. verò lib. 1. Achill.

Quem tu illic natum Sigæo in puluere? quanta
Aspicies victrix Phrygiarum funera matrum?
Cùm tuus Æacides tepido modò sanguine Teucros
Vndabit campos, modò crassa exire vetabit
Flumina, & Hectoreos tardabit funere currus.

Sed alluceat tibi magister alius. Is est Horat. Od. 15. lib. 1.

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor? quanta moues funera Dardanæ
Genti? iam galeam Pallas & Ægida,
Currúsque, & rabiem parat.

20. SVB VNDAS.] Mutauit verba Lucretij grandiore syllaba. Hic enim lib. 1. *Voluitque sub vndis Grandia saxa.* Hoc potiùs credo, quàm legendum in Virg. *vndis.*

21. SCVTA VIRVM, GALEASQVE, &c.] Imago huius stragis à multis exhibita, sed æquat nemo Virgilij ostentationem, addo & breuitatem. Vides enim vnico versu simulacrum cladis fœdissimæ, ex *scutis, galeis,* corporibus in fluuio. In longitudine *Silius* peccat: nam, quasi nihil haberet aliud, quo exornaret suam poësin, sæpissimè recurrit ad hanc rem in mentione Ticini, Trebiæ, Thrasimeni, Aufidi, Druentiæ, Eridani. De tribus primis multis in locis, præsertim lib. 1. & 6. de Aufido lib. 1. & 10. de Druentia in 3. de Eridano lib. 11. Claudian. etiam sæpe huc recurrit; vt 2. Eutrop. & bis in Paneg. 1. Stil. & de Bell. Get. Similem imaginem sæpe repræsentat Nonnus. Loca quæpiam Hom. alibi adducta. Hîc tantùm de Calab. qui lib. 4. *Imitatio.*

Αἵματι ἐρυθρῷ ἄδην ποταμοῖο ῥέεθρα
Ξάνθου, καὶ νεκύεσσιν ἀπειρεσίοισι καλύψῃ
Πάντα ῥόον κελάδοντα: ———
Sanguine vsque ad satietatem rubefecerit vndas fluminis
Xanthi, & ingenti cæsorum strage obtexerit
Totum fluuium strepitantem. ———

B Adeò cognata fœditas ista fluminum cum magnis cladibus, vt Simocat. lib. 3. Hist. cap. 5. ad explicandam integram & perfectam cladem Colchorum dicat. ὁ δὲ φᾶσις οὐκ ἐθολοῦτο τοῖς αἵμασιν. ἠρεμαῖον γὰρ ῥεῖθρον, &c. *Phasis nullo sanguine inquinabatur; pacifico fluento,* &c. *Fluuij sanguinei ad clades belli indicandas.*

21. VOLVES.] Constantini Paneg. *Aliorum quidem hostium corpora, & arma preceps fluuius voluendo deuexit.* Possis idipsum per verbum *roto.* Nam Auctor Theb. de torrente, *Voluo, aquarum.*

Partésque lapsi montis exesas rotat.

23. POSCANT ACIES, &c.] Eodem planè sensu, quo lib. 7. *Poscere aciem.*

Hac gener, atque socer coëant mercede suorum.

Quem locum adi. Vt hîc *poscant acies*; ita Sueton. cap. 9. Othon. *pugnam deposcentium.* Stat. 8. Theb. *prælia poscunt.* Curt. lib. 9. *pugnas deposcimus.*

[a] Hæc vbi dicta dedit, solio se tollit ab alto,
[b] Et primùm Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem, paruósque Penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes.
Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus.
[c] Post hinc ad naues graditur, sociósque reuisit:
Quorum de numero qui sese ad bella sequantur
Præstantes virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisq; secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumq; patrísque.
[d] Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulua leonis
Pellis obit totum, præfulgens vnguibus aureis.

C

ARGVMENTVM.

Fiunt sacra ab Ænea & Euandro. Legit ille, quos secum ducat, atque ab his separat, qui per Tyberim ituri ad Ascanium, successum patris narraturi. His, quos Æneas legerat, equi dantur, ipsi etiam Æneæ extra omnem sortem.

EXPLICATIO.

[a] CONSEDERANT Æneas atque Euander *ædibus in mediis.* Quod ibi tacuit de *solio,* hîc adiungit. Notetur locutio mirè poëtica, *tollere se ab sede,* pro, surgere.

[b] Hyppallagen agnoscunt interpretes, vt sit *sopitas ignibus aras,* pro, sopitos ignes in aris. Pergit. Adit Euander *hesternum Larem,* id est, *cui pridie sacrificauerat*; ait Seru. sed ego simpliciter capio pro foco; nam Deorum mentio postea sequitur. Cur verò Penates paruos, dicam in Notis. Postquam itum in Larem, mactantur ab Euandro, ab Ænea, ab reliquis Troianis *bidentes,* & hæ *lectæ.* & *de more.*

[c] Facto sacro pergit Æneas ad naues, visit socios Troianos, legit ex illis, qui aliis virtute præstarent, partem reliquam committit fluuio, vt illicò pergat ad Ascanium, nuntiétque, vti res patris gestæ apud Euandrum fuerint. Perplexum circa historiam locùm in Notis enodo.

[d] Euntibus pedestri itinere ad Tarchontem, & Hetruscos dantur ad viam equi, & vni Æneæ extra omnem

omnem sortem, vt reliquorum Principi. Ornatus A equi planè Regius; Regius (inquam) ex more illius æui, in quo pelles ferarum in pretio atque honore apud Heroas. Itaque erat Æneæ equus constratus leonis pelle, & quidem generosi, quod ex colore indicatur; nam pellis fulua. Addit *totum*, vt indicet magnitudinem leonis. Adiungitur ornatus; nam pro veris vnguibus additi ex arte aurei, quibus pellis præfulgida.

NOTÆ.

Solium.

1. SOLIO.] Sic dicta sedes Principum. Herodian. solium Principum vocat βῆμα. Simocatta lib. 1. Hist. B καθέδραν.

2. HERCVLEIS SOPITAS IGNIBVS ARAS.] Expressissimè hoc. Accenditur ad sacrificium ignis ex Herculeis ignibus, qui pridie asseruati. Fuit enim moris populi illius ignem ad sacra non accendi ex profano igne: sicut nec contrà, ignem profanum ex sacro. Ergo, ignis ad sacra accenditur à Virg. ex igne sacri præcedentis diei. Phædrus clarè in fabell.

Ignis ad sacra accendebatur ex igni nō profano.

Itaque hodie, nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Sumit quippe *lucernam* pro vulgari igne, & non sacro. Ita accipio Callimachum Hymn. Apollinis,

—ἀεὶ δέ τοι αἴναον πῦρ
Οὐδέ ποτε χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη:
—*semper tibi perpetuus ignis.*
Neque vnquam hesternum absumit carbonem cinis.

Vt videlicet sacra Apollinis non egerent profano igne. Huc trahi potest Tib. lib. 4. ad Messalam,

———*abditus aris*
Lætior eluxit structos super ignis aceruos.

3. SOPITAS.] Dixi superiori Nota de igne sacro, hîc vniuersim de omni. Fuit quidem è more ignem in ædibus celari & obtegi, non extingui. Ita in Moreto Virg.

Ignis hesternus seruabatur.

Paruulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ.

Et Ouid. cum aperta imitatione Virg. lib. 8. Metam.

Inde foco tepidum cinerem dimouit, & ignes
Suscitat hesternos.———

Neque verò extinguebatur, nisi graui ex causa, qualem Plaut. indicat Aulul.

Caue quemquam alienum in ædes intromiseris.
Stat. *Quid si quisquam ignem quærit?* Euc. *Extingui volo:*
Ne causæ quid sit, quòd te quisquam quæritet.
Nam si ignis viuet, tu extinguere extemplo.

Sententiam ipsam ita Simocatt. lib. 3. cap. 18. πυνθῆρα ἐν σποδιᾷ ἀποκρύπτει.

4. PARVOSQVE PENATES.] Erant Penates Prouinciarum, Vrbium, Ædium, de quibus iam ego lib. 1. Æneid. Extremi, id est, Penates Ædium dicebantur *Parui*, cum discrimine ad Prouinciales, & Vrbanos: ideo *Domesticos* vocat Tertull. Apolog. *Domesticos Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis,* E *pignerando, venditando.* Sidon. epist. 8. lib. 1. *Familiares*: vt etiam Cato de Re Rust. cùm ait: *Calendis, Idibus, Nonis festus dies cùm erit, coronam in focum indat, per eosdémque dies Lari Familiari pro copia supplicet.* Plinius *Priuatos* opponens *Publicis* lib. 21. cap. 3. *Honorem Deorum, & Larium Publicorum, Priuatorúmque, ac sepulcrorum.* Tacitus 2. Ann. *Modicos Penates*, nam cum respectu ad hos Deos locutus. Auctor Theb. *Exiguos*, etiam loquens de Ædibus. & Ammian. lib. 18. *Fragiles.* Iuuenal. Sat.

Penates Parui, qui. Domestici, Familiares, Priuati, Modici, Exigui, Fragiles,

12. *Paternos*, quia culti in ædibus paternis. Vt etiam Soph. Orest. πατρῴαν ἑστίαν. Idem Iuuen. Sat. 9. *Paruos*, cum Virg.

Paternos.

O Parui nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre aut tenui soleo exornare corona.

Sic & Matt. & Horat. Prior lib. 9. *Parui sunt & in vrbe Lares.* Posterior lib. 3 Od. 23.

Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

Obiicies. Testimonia hæc ad Lares pertinent, non ad Penates. Non hoc turbat: nam Penates, & Lares verè confusim Dij iidem. Et Græci vtrosque ἐφεστίους θεοὺς nominant ab igne. Nec locus Penatium alius, quàm ipse focus, vt clarè hîc indicat Virgil. Quid, quòd Vestam in numero Penatium antiqui ponunt? & esse eandem Larariam, & Ignariam Deam nemo sapiens dubitat. Ceres quoque inter Penates fuit, & eam ἑστιοῦχον vocat Eurip. in Suppl. Etenim qui historias Deorum Gentilium attentè legerit, multa in his similia inueniet. Et ab fabulosis Diis quid aliud expectes, quàm meras fabulas? Præeunt ad hæc omnia, quæ de vno Sole multis capitib. disserit Macrob. Sed quidem de Laribus, & Penatibus locus est Tullij in Quinctiana clarus, vbi, cùm præmittat; *at hic quidem iam de fundo depulsus, iam à suis Diis Penatibus deiectus esset,* subiungit postea: *illud dico, dominum depulsum esse de prædio, domino à familia sua manus illatas esse ante suos Lares familiares.* Ecce, quem priùs *fundum*, mox *prædium*: quos priùs *Penates*, mox *Lares*. Postquam hæc scripseram incidi in Comment. Ioach. Camerar. in C Elect. Sophoc. vbi θεοὺς πατρῴους, aut ἐφεστίους Græcorum, id est, *Lararios, & Focarios Deos*, ait esse, quos Romani appellant Penates. Et in Isidorum, qui lib. 8. Orig. ita scribit: *Penates, Gentiles dicebant omnes Deos, quos domi colebant.* Cùm ergo Lares culti essent in ædibus, includentur quoque numero Penatium. Et in Delrium, qui clarè ait, Penates sumptos sæpe pro Laribus, tametsi non Lares pro Penatibus.

Lares, & Penates interdū confunduntur.

Lararij Dij, & Focarij.

Penates, vox communis.

5. MACTAT LECTAS, &c.] Indicat oues τελείας, (vel, vt Hom. vocat, τελήεσσας,) ἐξαιρέτους, ἐκκρίτους, λογαδας, ἀφελεῖς, ἀρκίας. Multa alia attingit in vocibus *mactat*, & *de more*; sed quæ iam è me locis aliis. Hîc notes, sacra hæc facta ad ipsos Lares, vt ex textu liquidum, & ex more, quem aperit Dionys. lib. 4. ἐφ' D ἑστίας συντελεῖσθαι, καὶ ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχάς: *fieri in foco libationes de cœna.* Vide & quæ Plutarch. scribit de Ocrisia virg. lib. de Fort. Populi Rom. Inde factum, vt iuxta focum, ac Lares conciperentur preces, tanquam is locus sacer esset. Vnde Apollon. lib. 4. Arg. μηδέ με γουνάσαιο ἐφέστιος: *ne me orauerit in ipsis Laribus.* Confugiebant quippe eò ad preces Ethnici. Et Vlysses quidem apud Hom. in foco sedet precaturus. Locus est tritus lib. 7. Odyss. quem in locum obseruat Spondan. idem factum ab Themistocle, & Coriolano, qui precaturi ad sordes cinerum confugerunt. In Xenoph. quoque 2. Ἑλλην. leges ἱκέτην τῆς ἑστίας, *supplicem foci.* A Pers. Sat. 3. patella dicitur *cultrix foci.* Omnia hæc rem sacram indicant.

Lectæ oues.

Focus sacer.

Supplices confugiebāt ad focū.

6. BIDENTES.] Quæ istæ essent, explicui 5. Æneid. hîc addam quidpiam consimile, neque indignum, quod sciatur. Sicut oues à binis dentibus dictæ bidentes: ita hominibus nascuntur dentes duo dicti σωφρονιστῆρες, quia cum ipsis tunc homini adueniat τὸ σῶφρον, id est, *sapientia*, ac tunc dici sapiens queat. Hippocrat. lib. de Carnib. καὶ ἐν τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι ὀδόντες φύονται δύο τοῖσι πολλοῖσι τῶν ἀνθρώπων. οὗτοι καλέονται σωφρονιστῆρες: *Hominibus plerisque quarto septenario dentes duo nascuntur, qui moderatores nominantur.* Quem in locum malè scriptum à Fœsio, hos dici à Cicerone &

Dentes duo moderatores.

nec & Plinio *geminos*: in quo duplex error. Primus, ab Cicer.2.Nat.& ab Plin.lib.11.cap.37. *genuini* dicuntur, non *gemini*. Alter, isti ipsi *genuini* Ciceronis & Plinij, non sunt σωφρονιστῆρες Hippocratis. Nam Græcus clarè ait, non omnibus innasci, sed πολλοῖσι, *multis*: ex Cicerone autem & Plinio diuersum colligas; ita enim de illis loquuntur, tanquam omnibus adnascantur: & Plin. ait dici *nouissimos*, quòd postremo loco nascantur. Deinde σωφρονιστῆρες Hippocratis τετάρτῃ ἑβδομάδι. Sed Plin. de suis genuinis ita: *hominì nouissimi, qui genuini vocantur, circiter vicesimum annum gignuntur, multis & octogesimo.*

Euandrus, cur aliquando, & non Euander. 7. EVANDRVS.] Sic Græci Εὔανδρος. hoc maluit, non *Euander* Latinorum. Nam sequitur *pariter*, & quidem bis; itaque voluit vitare ὁμοιοτέλευτον: vt etiam alibi. *Tum Pater Euandrus*, non *Euander*, quia præcessit, *Pater*. Miror in tanta etymographorum copia, omnes de Euandri etymo siluisse: ego certè vidi Euandri etymon. neminem. Erit fortasse. Puto dictum Εὔανδρον, quasi *fortem, & robustum*, quia erat Arcas, videlicet à glandium cibo, quo victitabant Arcades. Cum quo alludit, Arcadiam dictam à Pind. Od.6. Olymp. εὐάνορα à viris virtute præstantibus.

8. PRÆSTANTES VIRTVTE LEGIT.] Perplexus locus quantùm ad historiam. Sciendum, hunc Vatem, vt sæpe aliàs indicaui, solitum tacere vno loco, quæ in alio aperit: ac propterea idem ipse optimus Copiæ Æneæ triplices. est sui interpres. Ego itaque triplicem diuisionem video copiarum. Hic duplicem agnoscis: Troianorum enim partem secum ad Tarchontem ducit, partem committit fluuio. Rursum, postquam itum ad Tarchontem, equitem in partem duplicem diuisit, & vnam præmisit ad Ascanium, terrestri, vt credo, itinere (hoc iam Seru. vidit) & de hac parte militum accipienda illa lib.10.

Iam loca iussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques.———

Quæ verba sunt Cymodoceæ, antequam Æneas exiret è nauibus. Alteram ipse secum nauibus exportauit; de qua in 10. *media Æneas freta nocte secabat*. Itaque aliqui vecti Tyberi, equites partim mari, partim equis terrestri itinere. Ceterùm sententia Virgiliana Præstantes eligendi ad bellum. de hac præstantium virorum lectione est in Simocatta c.1.lib.5.Hist. ἐκ τῶν ὑπηκόων ἀπολέγεσθαι τοὺς ἄνδρας τοὺς ὑπεροχῇ κεκοσμημένους χειροτονεῖ στρατηγός. Non opus versione lecto Virgilio. Et Iulian. apud Ammian. lib. 20. *Lecta expeditiore manu, vigore corporúmque leuitate præstanti cum iisdem, profectus est, spe potiorum erectus.* Nam, vt ait Pind. Od.1. Olymp. ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. Ideo ad magna pericula legendi, qui præstant virtute.

9. PARS CETERA.] Sunt, qui enixè contendant, hanc vocem, vbicunque reperiatur, esse quartum casum numeri multitudinis, & semper subaudiendum κατά. Itaque, non solùm in 3. Æneid. *cetera Graius*. & in Horat. *cetera fuluus, cetera lætus*. Sed adhuc in hoc loco, & in illo 3. Georg.

Cetera nec facture habilis, nec fortis aratris.

Cetera, vnde dictum. ita vt *pars cetera*, sit pars χἀτέρα, id est, καὶ ἡ ἑτέρα. Nam *cetera* dictum, quasi καὶ ἑτέρα, vnde χἀτέρα, si credimus Iulio Scaligero.

Prona aqua. 10. PRONA AQVA.] Horat. Od.29.lib.1. *pronos riuos.*

Exsortia dicuntur Principibus. 11. EXSORTEM.] Indicat equum ἐξαίρετον, id est, *egregium & præcipuum*, vt qui datus extra omnem sortem: sors enim omnia æquat. Ergo, extra sortem quod datur illud est præstantius, vt quod ἀπόκληρον. Et quidem hic honos habitus magnis ducibus. In 5. Æneid.

———*nam te voluit Rex magnus Olympi*
Talibus auspiciis exsortem ducere honorem.

Et in 9.

—*ipsum illum clypeum, cristásque rubentes*
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia Nise.

Martial. lib.14. in signum victoriæ,

Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde falerna puer.

Apud Apoll. lib.1. Arg. magni illi duces loca sibi in naue πάλῳ διεμοιρήσαντο, *sorte distribuerunt*, sed vni Herculi datus locus ἄτερ πάλου, *non sorte*. Quæ hîc Seru. longo excursu de dignitate Pontificia Æneæ, ad rem Virg. otiosa sunt.

12. QVEM FVLVA LEONIS PELLIS OBIT, &c.] Equi ornatus ex pellibus ferarũ. Ex equi huius Virgiliani imagine Stat. lib.9.

Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, & auratos aduerberat vnguibus armos.

Et lib.4. pari poësi,

Cornipedem trepidos suetum præuertere ceruos,
Velatum geminæ deiectu lyncis.———

Dicit *geminæ lyncis*, vt suppleat illud Maronis, *Pellis obit totum*. Notat enim Seruius indicatam magnitudinẽ leonis. Ergo, cùm lynx leone sit minor, duplex pellis adhibenda pro vna leonina. Pulchrè Valer. lib.6. Arg. de chlamyde, quam Aron gestabat, *implet equum*, videlicet, quod Noster, *obit totum*. De equo Flamminij Cons. Silius,

Caucaseam instratus virgato corpore tigrim.

Hom. Iliad.11. ad indicandam hanc magnitudinem pellis leoninæ, δέρμα λέοντος μεγάλοιο ποδηνεκές: *pellẽ leonis magni demissam ad pedes*. Ab Hom. Apollon.1. Arg. δέρμα ταύροιο ποδηνεκές. Qua pelle Statius suum equum, ea Claud.1. Rap. ornat Iacchum,

———*quem Parthica velat*
Tigris, & auratos in nodum colligit vngues.

Liceat hinc explicare versum Ouid. 8. Metamorph. vbi de equo Minois in bello,

Purpureisque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi.———

Strata picta, quæ. Quæ sunt hæc *strata picta*, nisi pellis feræ alicuius cum maculis? Nam ad serica, & in æuo illo, & in bello, quis referat? Præsertim, cùm Ouid. idem scribat in Halieuticis, de equo.

Nonne vides victor quanto sublimius altum
Attollat caput, & vulgi se venditet auræ?
Celsáve cum cæso decorentur terga leone,
Quàm tumidus, quamóque venit spectabilis actu?

13. VNGVIBVS AVREIS.] Quinam isti vngues? Vngues quibus equi ornantur. Possis accipere leoninos, nam in pelle leonis. Sicuti Stat. & Claud. accipiuntur de vnguibus tigridis, in adductis superiori Nota versibus. Dixi, quod obuiũ cuique esse potest. Sed quid, si isti vngues verè sint equorum in Virgilio, Statio, Claudiano? Ducet te in hanc sententiam Pausan. qui in Att. ita scribit loquens de Sarmatis. *Equis non ad belli munia solùm vtuntur, sed ex eodem pecore hostias suis Diis cædunt, & cibum sibi comparant: vngulas vbi legerint perpurgatas & diffectas, ad similitudinem squammarum draconis expoliunt. Quòd si quis draconem non viderit, haud errarit, si opus illud vngulis consertum pineæ nucis adhuc viridis torulis simile esse putarit. Has itaque squammulas perforant, & equinis, vel bubulis neruis consuunt, inde sibi loricas concinnant, quæ neque elegantia, neque firmitate loricis Græcorum inferiores sunt.* Erit ergo sententia Virg. pellem illam leonis, qua equus ornabatur, plenam fuisse his squammulis, & ad firmitudinem, & ad elegantiam. Nam, cur non, vt loricæ his squammis, ita etiam indumentum cataphracti equi? Parco scribere de loco Martial. Epig.2. lib. 7. vbi

7. vbi de lorica Domitiani,

Texuit innumeri lubricus vnguis apri.

A ne cogar dare me arbitrum inter Turnebum, & Lipsium.

[a] Fama volat paruam subitò vulgata per vrbem,
Ocyùs ire equites Tyrrheni ad littora Regis.
[b] Vota metu duplicant matres, propiúsque periclo
It timor, & maior Martis iam apparet imago.
[c] Tum Pater Euandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lacrymans, ac talia fatur.
[d] O mihi præteritos referat si Iuppiter annos:
Qualis eram, cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Straui, scutorúmque incendi victor aceruos:
Et Regem hac Herilum dextra sub Tartara misi,
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horendum dictu) dederat: terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat: cui tum tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
[e] Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vsquam
Nate tuo: neque finitimo Mezentius vnquam
Huic capiti insultans, tot ferro sæua dedisset
Funera, tam multis viduasset ciuibus vrbem.
[f] At vos ô Superi, & Diuûm te Maxime Rector
Iuppiter, Arcadij quæso miserescite Regis,
Et patrias audite preces. Si Numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reseruant:
Si visurus eum viuo, & venturus in vnum,
Vitam oro: patiar quemuis durare laborem.
[g] Sin aliquem infandum casum fortuna minaris,
Nunc nunc ô liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri:
[h] Dum te chare puer, mea sera, & sola voluptas
Complexu teneo, grauior ne nuntius aures
Vulneret. i. Hæc genitor digressu mœsta supremo
Fundebat: famuli collapsum in tecta ferebant.

B

ARGVMENTVM.

Adest iam tempus profectionis, timent matres suis liberis, & vnus Euander Pallanti suo, qui etiam in eius complexu, & cum lacrymis multa ad illum, & ad Deos fundit. Ad illum, optans vires pristinas, quibus confecit Herilum: eas enim si vires haberet, non natum mitteret contra Mezentium, potens ipse ad suam vindictam. Ad Deos, optans vitam, si visurus est Pallantem redeuntem viuum: sin mortuum, mortem. Collabitur senex in exitu sermonis, non iam sui potens præ dolore.

EXPLICATIO.

[a] SPARSIT subitò fama profectionem ad Regem Tyrrhenum, id est, Tarchontem: eámque ocyùs fere, quàm quis putaret.

[b] Incipit metus ab imbecillo sexu, nam iam tum matres vota suscipiunt pro liberis: quippe maior timor ab instante iam periculo. Et quidem ad naturam metus explicandam nihil aptius istis, maior Martis iam apparet imago, vbi gestuosa omnia, & signatissima.

[c] Expirant ista Tragicum quidpiam. Neque verò Euander dextram solùm nati complectitur, sed pectus quoque, nam *hæret*: & hoc cum lacrymis, hisque inexplebilibus; nam quod solatium abeunte nato? Fateor hærere me in expedienda hac sententia. Nam *complecti dextram*, non ita liquidum. Posset versus ita legi.

Tum Pater Euandrus dextra complexus eunti
Hæret.——

vt sit: hæret eunti nato complexus illum dextra. Sed nihil muto, nam defendi vulgata lectio potest.

[d] Quid verò senex ad natum? Optat præteritos annos iuuentutis, virtutémque illam, qua Præne-

stino

ſtino bello Herilum interfecit, cui triplex anima ab matre Feronia, ac proinde terna arma, & ideo triplici letho vaſtandus. Neque hoc ſolùm, ſed aciem hoſtium ante ipſam vrbem proſtrauit, & eorum clypeos incendit. Vidit iam Seru. Euandrum in interfecto Herilo adſpirare ad Herculem, qui interfecit Geryonem triplicem. Pergit. Has tot animas, hæc tot arma vna hæc manus abſtulit. Quo facto quid glorioſius? Hiſtoria, quam attingit, breuiter hæc eſt. Venientem ex Arcadia in Italiam Euandrum conatus eſt repellere Herilus Rex Prxneſtinorum. Sed bellum habuit exitum quem glorioſè prædicat Euander.

e Concludit ex dictis. Si eſſem his viribus, quibus tunc, non à te nunc diuellerer, quippe Mezentium interfeciſſem, neque eſſet neceſſe, vt tu hinc pergeres reſiſtendis illius conatibus, quibus mihi inſultat, & ciues morti dedit, vrbem exitio.

f Hactenus ad natum: ſe iam ad Deos, & Iouem imprimis conuertit; à quo petit incolumem vitam, ſi natus rediturus incolumis & cum victoria: tunc enim durare in vita optat, & laborem quemuis ſubire, etiamſi extrema ſenectute oppreſſus. Illud, *venturus in vnum*, eſt, futurus vnà cum nato, conuenturus illum.

g Relictis Diis, ſe conuertit ad Fortunam, quæ plurimùm in bello dominatur, eámque obteſtatur, *ſi minetur mortem* Pallanti, in ſe quoque ſæuiat, *dum adhuc in ambiguo res eſt*, & ipſe incertus futuri ſucceſſus.

h Mouent plurimùm apoſtrophæ. Præceſſit duplex, vna ad Deos, altera ad Fortunam, en tertiam iam ad natum. Eſt enim totus hic ſermo παθητικός. Quid verò ad illum? Opto mori, dum te hîc viuum teneo meo complexu, vt ſuperſtes ſis mihi, priuſquàm me grauiſſimus nuntius de morte tua inuadat. Nam tu mihi *voluptas*, & *ſola*, & *ſera*. Ideo *ſola*, quia nulla alia Euandro proles. *Sera*, quia ſuſceptus in ſenectute.

i Hoc quaſi diuinans Virgilius. Fuit ſanè greſſus hic ſupremus, quia ſupremus congreſſus, nunquam enim vidit deinde viuum filium. Vide verò non ſolùm pulcherrimum πάθος, ſed modum optimum finiendarum querelarum. Finiuntur enim Euandri extaſi, quæ hominé præ dolore inuaſit. Nota etiam decorum aliud. In tanto patris luctu nihil loquitur filius. Nam quid ille loqueretur, quod non frigidum poſt tantum patris ardorem? Laſciuiret hîc vulgaris Poëta, & Pallanta reſpondentem faceret: & fortaſſe Æneam ſe interponentem, vt omnia eſſent ridicula.

NOTÆ.

1. FAMA VOLAT.] Græcus quiſpiam, ὁ περὶ τῶν διαδόσεως φημῶν. Sed plus eſt *volat*. Stat. 3. Theb. *antevolat*. Vide quæ iam 4. Æneid.

Volatus de fama.

1. DVPLICANT.] Non ſignat duo vota, ſed multa, id eſt, multiplicant. Nam quod Horat. Od. 6. lib. 1. *curſus duplicis Vlyſſei*, eo verſu,

Duplico, pro multiplico.

Nec curſus duplicis per mare Vliſſëi,

ſic [illegible], non *duplices*, hoc (inquam) Hom. πολύτροπος, & πολύμητις: vt iam *duplex* Horatij, non ſit διπλοῦς, ſed πολύτροπος. Ita Sidon. epiſt. 7. lib. 1. *Vota facimus, preces, ſupplicationéſque geminamus*, id eſt, multiplicamus. Cùm Propert. Eleg. 8. lib. 1. ſcripſit,

Duplex Vlyſſes.

O vtinam hyberna duplicentur tempora brumæ,

non tam duplicem brumam optat, quàm longam, & perpetuam, vt nunquam Cynthia nauigaret. Cùm Eurip. in Rheſo ita opponit,

Φιλῶ λέγειν τἀληθὲς αἰεί, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ:

Amo verum ſemper dicere, neque duplex ſum natus,

non tam de duplici capiendus, quàm de multiplici, quia veritati multa opponuntur, omnia ſcilicet, quæ contra illam. A Virg. Prudentius Hym. 12. περὶ στεφ.

Mox huc recurrit, duplicátque vota.

3. MATRES.] Quibus ſcilicet eſt odio bellum propter metum liberorum. Salluſt. Catil. *Ad hoc mulieres, quibus pro magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe, manus ſupplices ad cœlum tendere, miſerari paruulos liberos, rogitare, omnia pauere*, &c. Apud Valer. lib. 1. abeuntibus Principibus ad Colchicam expeditionem *increſcunt matrum gemitus*.

Fœminarum metus ingruente bello.

PROPIVSQVE PERICLO IT. TIMOR.] Tractat locum iſtum Ariſtot. cap. 5. lib. 2. Rhet. vbi ait, non omnia mala metui, ſed ταῦτα, ἂν μὴ πόῤῥω, ἀλλὰ σύνεγγυς φαίνηται, ὥστε μέλλειν, *hæc, quæ non longè, ſed proximè apparent, vt futura ſint*. Nam τὰ πόῤῥω σφόδρα οὐ φοβοῦνται, *quæ longè admodùm non metuuntur*. & inf. ἐγγὺς γὰρ φαίνεται ὁ φοβερόν, *propè apparet, quod metuitur*. Imò [illegible], illud eſſe verum periculum, cùm res metuenda eſt in proximò, τοῦτο γάρ ἐστι κίνδυνος, φοβεροῦ πλησιασμός. Soph. in Antig.

Timor de malo proximo.

Φεύγουσι γάρ τοι χ' οἱ θρασεῖς, ὅταν πέλας
Ἤδη τὸν Ἅδην εἰσορῶσι τοῦ βίου: ———
Nam & audaces fugiunt, quando propè
Iam mortem vident. ———

De Alexandro Curt. lib. 3. *Ceterùm, vt ſolet fieri, cùm vltimi diſcriminis tempus aduentat, in ſolicitudinem verſa fiducia eſt*. Quia videlicet videbat tantùm *vnam ſupereſſe noctem, quæ tanti diſcriminis moraretur euentum*. Claudian. Bell. Get. *propiore periclo omnibus attonitis*. Ammian. lib. 25. *palleſcentem morte propinqua Machameum*.

5. IT TIMOR.] Optimè præmiſit metum timori. Dixerat, *Vota metu duplicant matres*, iam vt augeat, *propiúſque periclo it timor*. Metus quippe de re longinqua, timor de propinqua. Inde metus ſpei, timor gaudio opponitur. Videlicet malum abſens abſenti bono, malum præſens præſenti bono. Mortales omnes mortem metuunt, quocunque ætatis gradu: timent illam vni ſenes, vt propiores. Enarrator Demoſt. in 5. Philipp. δέδιε δὲ ὁ μηδέπω πεπονθὼς, φοβεῖται δὲ ὁ προσδοκῶν. *Metuit, qui nondum paſſus, ſed qui expectat*. Nam δέδω de malo abſente, reſpondétque *metui*: ſicut φόβος de malo præſente, & reſpondet *timori*. Inde apud Soph. Elect. præſente iam interfectore Ægyſthi, [illegible]; Sen. Rhet. Cont. 16. *Sunt qui caſtra timeant, ſunt qui cicatricibus ſuis gaudeant*. Vides, vt *gaudio*, quod bonum eſt præſens, opponat timorem.

Timor, & metus vti diſcriminentur.

6. MAIOR MARTIS IAM APPARET IMAGO.] Præclarè. Sumitur ſermo ab hiſtrionibus perſonatis. Imago nihil eſt aliud, quàm ſimulacrum & ſpecies rei, non res vera. Stat. 6. Theb.

Vibratúrque fretis cœli ſtellantis imago.

Nihil enim ſub aquis cœleſte eſt, etiamſi ibi imago appareat. Græcè dicas εἶδος, & εἴδωλον: Latinè *formam*, ſeu *formulam*, explicatore Tertulliano lib. de idol. cap. 3. ita enim ille. *Omnis formula, vel forma idolum ſe dici expoſcit*. Ad rem. Laruæ, ſeu perſonæ hiſtrionum inanes ſunt intus, dicuntúrque imagines, & quædam phaſmata. Et de his propriè verbum *appareo*. Nam verbi huius vſus plurimus eſt in ſcenis, & ideo *geſtuoſum verbum* dictum ab Iul. Scal. Ac proinde *apparet imago*, eſt, obiicitur falſus quidam terror

Imago de re inani.

Appareo, verbum hiſtrionum.

& addit *Martis*, non belli, ad maiorem terrorem. Aptus est locus Simocattæ cap.8.lib.2. Histor.vbi, cùm præmiserit vanam rerum vmbram, atque inanem ostentationem, adiicit. ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς φοβερόν τινα σωματοποιοῦντος ... : *velut cùm cuipiam in scena aliquid formidandum producitur.*

Lectio Virgiliana. 7. DEXTRAM COMPLEXVS.] Defendi potest lectio ex imitatione Val.2.Arg. *dextrámque amplexus & hærens.* & supr. Virg. *dextrámque amplexus inhæsit.*

8. INEXPLETVM LACRYMANS.] Affectus naturæ, abeunte filio, sed cum magna parsimonia, vt solet. Exultat pluribus Papin.4.Theb.iam iuuenibus abeuntibus ad bellum,

Locorum similitudo.

Iámque suos circum pueri, innuptaq; patrésque
Funduntur misti, summísque à postibus obstant.
Nec modus est lacrymis, rorant clypeique, iubaq;
Triste salutantum, & cunctis dependet ab armis
Suspiranda domus: galeis iuuat oscula clausis
Inserere, amplexúque truces deducere conos.

Et pluribus adhuc Apollon. 1. Arg.ore Alcimedæ abeunte filio Iasone ad Colchicam expeditionem. Lege ab eo loco, ὡς ἰχῶδε κλαίουσα, &c. Parcè Ouid.11. Metamorph.vbi Alcyone, abeunte viro, *lacrymásque*

Inexpletum. *emisit obortas. Amplexúmque dedit.* τὸ, inexpletum, Græci, ex nota Germ. ἀμοτον, ἀπλήρωτον, ἄπληστον. Ex mea Apollon. 1. Argon. ἀδινώτερον: nam de matre Iasonis κλαῖεν ἀδινώτερον. Iterum; ἀδινὸν κλαίεσκεν.

Senum vota quæ. 9. O MIHI PRÆTERITOS, &c.] Votum senum, quale Hom.sæpe repræsentat. Nam sub persona Eumæi lib.14.Odyss. εἴθ' ὡς ἡβώοιμι, lege reliqua, *vtinam sic pubescerem.* Et sub Nestoris 7.Iliad.

Αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
Ἡβῷμ', ὡς ὅτε.———
Vtinam Iuppiter pater, Minerua, & Apollo,
Ætate florerem, sicut cùm.———

Omitto & locum 11. Iliad. & sæpiùs inculcantem eadem. Tale illud Entelli 5.Æn.*Si mihi quæ quondam vires.* Vide & Valer. 1. Arg. sub persona Peliæ mittentis Iasonem ad Colchos: & latiùs in eodem lib. sub persona Æsonis, abeunte Iasone, *ô si mihi sanguis,* &c. Et Calab.lib.2.ab eo loco, ὡς ὄφελόν μοι ἀλκὴ ἔτι ἔμπεδος εἴη, vbi inducitur Nestor pari arrogantia eructans. Et Eurip.in Herc.vbi Amphitruo,

Εἰ δ' ἦν νέος γε, κἄτι σώματος κρατῶν,
Quòd si essem iuuenis, & adhuc valerem corpore.

Iterum post multa,

Εἰ δ' ἐγὼ ἐθ' ἡβῷμι
Quòd si ego pubescerem viribus.

Et eundem in Heracl.vbi Iolaus simili est iactantia. Lege ab eo loco, ὦ βραχίων, *vtinam ô brachium.* Omitto infinita.

O,si. 10. SI.] Præcessit, ô, est hîc elegans pleonasmus. Sic in 6. *ô si qua via est.* & in 11. *ô si solita,* &c. Sed cur pleonasmus? quia, cùm vult, adimit, nulla iactura sententiæ, vt in 6. *si nunc se nobis.* vbi poterat: *ô si nunc.* & 1.Eclog. *ô tantùm libeat.* vbi poterat: *ô si libeat.* Itaque iam, ô: iam, si: iam, ô si, potes in tuis affectibus. Sed non do, vt Virgilius omnino pleonasmum det, attollitur enim affectus ex vtraque dictione.

11. PRÆNESTE.] Dixi 7.Æneid.ad illud, *Prænestinæ vrbis.* Iterum: *Quiq; altum Præneste.*

Armorum aceruicremati in victoria. 12. SCVTORVMQVE INCENDI VICTOR ACERVOS.] Cauerunt ab hac iniuria Numantini, qui *arma ipsi cremauerunt,* ait Flor.lib.1. Notat verò Seru. in hunc modum: *Hoc traxit de historia. Tarquinius enim Priscus, victis Sabinis, in honorem Vulcani eorum arma succendit, quem postea secuti sunt ceteri.* De Mario in eius vita Plutar. τῶν δ' ἄλλων (ὅπλων) ἐπὶ πυρᾶς μεγάλης κατασωρεύσας τὸ πλῆθος, ἐπέθυσε τὴν πυρὰν, καὶ τὴν θυσίαν ἀπε-

A τελείωσε: *Reliquorum armorum aceruo in pyram magnam accumulato, subdidit flammam pyræ, & peregit sacrum.* In Hispanica Historia, rebúsque Alphonsi VIII. scribitur, maximos hastarum & sagittarum aceruos crematos ab Hispanis victoribus in nobili victoria, qua Mauri affecti ingenti clade. De qua præter veteres, adeatur Iohan.Mariana, vir eximius, lib. 11.cap.24. Poëta videtur animum adiecisse ad ῥίψασπιδας, notans Prænestinos, qui scuta abiecerint: & ideo signatè huius armaturæ meminit, non alterius.

13. ET REGEM HERILVM, &c.] Rectè notat Iul. Scal. audaciam Grammaticorum, qui audent conferre cum oratione Euandri orationes Nestoris, qui 1.Iliad.loquax est, in 7.non minùs, in 4. odiosus, in Homerum superat Virgilius.

B 11.obtundit, in 23.nugatur. Occupatur quippe in 11. in bobus, quos abegit. Cùm Euander numeret Regem Herilum, qui & fortis, & cui fatalis vita, & triplex anima. Pro illius bobus sunt aceruí clypeorum. Nec minùs venire in contentionem cum his debent, quæ scribuntur 14.Odyss. vbi narrantur victoriæ sine gloria, & collatæ insidiæ. Seneca, relicto Homero, Virgilio institit. Apud quem Thyestes iam senex Locorum similitudo. de se iuuene non ignaua & abiecta, vt cùm ait:

———*cerno Cyclopum sacras*
Turres, labore maius humano decus,
Celebrata iuueni stadia, per quæ nobilis
Palmam paterno non semel curru tuli.

Porrò de Rege Herilo, aut Erylo (vt alij) parca est mentio, præter ea, quæ Seru.suppeditat, amissis veterum monimentis, quorum iactura sæpe dolenda in-

C terpretibus.

14. CVI TRES ANIMAS FERONIA MATER.] Seruij nugæ. Quæ hîc Seru.de tribus aut quatuor animis, risui expono, vt quod alienum à Poëta, qui tantùm aspirauit ad gloriam Euandri contendentis ad exemplũ Herculis, ex aliquo aut fabulamento, aut fragmento historiæ, quod iam periit. Claud. 4. Hon. ait duplicem animam datam mortalibus à Prometheo.

15. FERONIA.] De hac Dea iam in 7. Hîc notetur Feronia Dea libertorum. cum Seru.fuisse illam, Deam libertorum, in cuius æde illi raso capite pileum accipiebant. Inde in eius templo, quod cultum Tarracinæ, incisus hic versus. BENE MERITI SERVI SEDEANT, SVRGANT LIBERI. Eodem pertinent verba hæc Liuij: *Inter prodigia procuranda statutum fuisse, vt libertinæ mulieres Feroniæ Deæ pro facultatibus donum facerent.*

D 16. HVIC CAPITI.] Pro toto. Soph.Elect. ὦ καρα Caput pro toto. σίγηστον κάρα. Sen. Rhet. Contr.16. *in caput testimonium dicere.* Max.Tyr.dissert.30. εἰς ἐχθρῶν κεφαλὰς ἀπιλθεῖν. Synes.epistola 49. θεοφιλῆ κεφαλὴν, id est, ἄνθρωπον θεοφιλῆ.

17. INSVLTANS.] Sumptum id verbi à canibus, Insulto à canibus. dicebam secunda Æneide, hîc adiicio Basilium Seleuciens.qui lib.1.vit.Teclæ. κατὰ δὲ τοὺς λυττῶντας κύνας, ἢ δαιμονῶντας ἀνθρώπους ἀθρόον ἐπιπηδήσαι τῷ παρθενικῷ, καὶ σωφρονεστάτῳ σώματι: *instar rabientium canum, aut hominum malo genio agitatorum, virgineo, & castissimo corpori repentè insiliret.* & Ioann.Chrysostom. Orat. 2. de incom-

E prehensib.Dei natura, vbi, ὥσπερ γενναῖοι σκύλακες λύκους ὁρῶντες ἐπεισιόντας, καὶ τὴν ποίμνην ἅπασαν διαφθείροντας, οὕτως ἐπεπήδησαν, &c. *Quemadmodum generosi canes, vbi lupos vident inuadentes, & vastantes gregem: sic insultantes.* Cyrill. quoque inde vsurpat sermonem Comm.in Michæam cap.2.num.27. θηριοτρόπως ἐπιθρασύνοντες παντὶ θράσει, καὶ δυσφημίᾳ μαχόμενοι: *instar ferarum summa audacia insilientes, & gerentes bellum maledicè.* Iterum in cap.3.num.30. τοῖς ἀγελαίοις ὁμοῦ καθάπερ τισὶ προβάτοις ἐπιθρώσκουσι: *insiluerunt in gregem velut in oues.* & in Nahum num.17. θηρὸς γὰρ ἀγείν δίκην ἐπι

ἐπιθρώσκων: *insiliens instar sæuientis feræ.* Quibus testimoniis vides non solùm canibus datum id verbi, sed etiam feris aliis. Hinc factum, vt illud semper sit contumeliosum, vt in hoc loco Virgil. & Hom. 4. Iliad. τύμβῳ ἐπιθρώσκων Μενελάου κυδαλίμοιο: *insultans sepulcro gloriosi Menelai.* Et Lucret. 3.

Et contempsit aquis insultans murmura ponti.

Ammian. lib. 25. *Dolores omnes, vt insultant ignauis, ita persistentibus cedunt.*

18. VIDVASSET CIVIBVS VRBEM.] Pari forma Sen. in Oedip. *(Viduatæ vrbes.)*

——viduas colonis

Respicis terras miseranda Thebe.

Etenim vox ista eleganter transfertur ad plura. Quin de virgine quoque dicitur. Consule, quæ Delrius scripsit ex Labeone in Medeam. Et adde ex mea obseruatione vocem quoque *orphanus*, qui non de eo tantum, qui caret patre, cùm dixerit Pind. Od. 9. Olymp. ὀρφανὸν γενεᾶς, *orphanum prolis.* Formas similes Virgilianæ tres Græcas colligit Germ. Ex Eurip. & Epig. κενώσαι δόμον, πόλιν. Ex Pind. & Epig. ἐρημῶσαι. Ex Eurip. χηρῶσαι Ἑλλάδα. Conformo ego cũ his omnibus Virgilium. Ab κενῶσαι, in 3. Georg. *vacantes saltus.* Ab ἐρημῶσαι, in 1. *ingentes & desolauimus agros.* Ab χηρῶσαι, hic *viduasset ciuibus vrbem.* Adiicio Basil. Seleuc. lib. 1. de vit. Teclæ notans χηρεῖαν & λειτανδρείαν, ait, ἐκένωσε τὴν γῆν. Lucret. etiam lib. 6. *exhausit ciuibus vrbem.* *(Orphanus vox cõmunis.)*

19. AT VOS Ô SVPERI, &c.] Perculit hîc subitò Euandrum horror timentem de nati exitu; verè enim Liu. lib. 24. de Consule eunte ad bellum: *Subiit inde cogitatio animum qui belli casus, quàm incertus fortunæ euentus, communisque Mars belli sit aduersa, secunda* &c. Si in omnes hæc quadrãt, certiùs in Euandrũ, qui senex, & pater, & iam tacito quodam animi sensu ferebatur, putabátque non deinde visurum se viuum natum. Inde rerum insciens ad preces confugit, *At vos ô Superi*, &c. Tritus ille versiculus, *(Paternus animus ergà filios.)* *(Senum preces.)*

Ἔργα νέων, βουλαὶ δ' ἀνδρῶν, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

Consule Henr. Steph. lib. 4. Sched. cap. 17.

20. ET PATRIAS AVDITE PRECES, &c.] Sequuntur vota pro filio, qualia & in Claud. agnosce lib. 3. Cons. Honor. *(Patrum vota pro liberis.)*

——Rex ô stellantis Olympi,
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus
Assyria: sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, & grato respersus puluere belli,
Armáque gauiso referat captiua parenti.

Magnifica sunt vota, quæ pro filio Hector concipit suo lib. 6. Iliad.

Ζεῦ, ἄλλοι τε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
Παῖδ' ἐμὸν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν,
Ὧδε βίην τ' ἀγαθὸν, καὶ Ἰλίου ἶφι ἀνάσσειν.
Καί ποτέ τις εἴπησι, πατρός δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,
Ἐκ πολέμου ἀνιόντα. φέροι δ' ἔναρα βροτόεντα
Κτείνας δήϊον ἄνδρα, χαρείη δὲ φρένα μήτηρ.

Iuppiter, aliique Dij, date iam & hunc fieri
Filium meum, sicut & ego, valde clarum inter Troianos,
Sic viribus valentem, & in Troia fortiter regnare.
Et aliquando quis dicat; patre hic multo est melior,
Cum viderit ex bello redeuntem, & referat spolia cruenta
Interfecto inimico viro, gaudeat autem animo mater.

Nec minus quæ Annibal pro suo apud Silium libro tertio.

——spes ô Carthaginis altæ
Nate, neque Æneadûm leuior metus, amplius, oro
Sis patrio decori. & factis tibi nomina condas,
Qui superes bellator auum: iámque ægra timoris

Roma tuos numeret lacrymandos matribus annos.

Et post aliqua.

Inde, vbi flore nouo pubescet firmior ætas,
Emicet in Martem, & calcato fœdere victor
In Capitolina tumulum mihi vindicet arce.

Horum, & similium locorum crisis cum Virgiliana victoria prompta apud Scal.

21. FORTVNA RESERVAT.] Est hoc, quod Eurip. Helen. τίνα ὑπολείπομαι τύχην; *quam fortunam expecto? cui destinor? cui reseruor?*

22. SI VISVRVS EVM VIVO, &c.] Vt qui timeat an visurus, quod de se quoque Annib. adducto loco:

Si quis forte Deus tantos inuiderit actus,
Vt nostra abrumpat letho primordia rerum, &c.

Rectè verò sentit Germ. exprimi ab eminenti Poëta effigiem humanæ vitæ sub persona Euandri, eiúsque metu, cùm fata sæpe corrumpant parentum gaudia, ademptis liberis, prolato Plutarch. loco è libro περὶ τῆς εἰς τὰ ἔγγονα φιλοστοργίας, quòd videlicet parentes priùs decedant ex vita, quàm viderint virtutem filiorum. Nam virtus ista tardè se solet ostentare. Quod postea exemplis confirmat Neoclis, Miltiadis, Xantippi, quorum primus non vidit Themistoclis filij victoriam, alter Cimonis, tertius concionantem Periclem; excurritque in exempla alia. Nihil enim ardentiùs patres optant, quàm videre filiorum virtutem. An hanc visurus Euander timet? Non solùm hoc Euander timet; sed annon filius superstes futurus? Nulla parentes punguntur acriore cura. Thamyris apud Basil. Seleuciæ Episcopum lib. 1. sanctiss. Teclæ, ait, hoc maximum esse parentum votum, καὶ παῖδας, καὶ παίδων παῖδας καταλιπεῖν: *relinquere liberos, & liberorum liberos.* Verè Chorus apud Euripidem Supplic. *(Parentum vota sæpe frustrata.)* *(Parentes optant filios superstites.)*

τί γὰρ ἂν μεῖζον τοῦδ', ἔτι θνατοῖς
Πάθος ἐξεύροις, ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι;

Quod enim hominibus maius hoc
Malum inuenias, quàm intueri mortuos liberos?

Idem Eurip. Androm.

Θανεῖν σὲ πρέσβυ χρῆν πάρος τῶν σῶν τέκνων:

Oportuisset te senex mori ante tuos liberos.

23. INFANDVM CASVM.] Non nominat mortem, sed circumscribit, territus omine. Itaque, vitam nominauit, mortem non audet; sed loco mortis *infandum casum* dixit. Quæ vox cædem notat vsu Virgiliano. In 3. *infandi Cyclopes, gentem nefandam*, quia illi occisores hominum. In 2. *Iámque dies infanda aderat*, in qua ego occidendus. & : *vos aræ, ensésque nefandi*, quibus ego occidendus. Sup. clarè, *Quid memorem infandas cædes?* Itaque vocem, quæ mortem notat, pro morte posuit. Quia quæ sunt ἐξάγιστα esse debent ἄρρητα. Ad hunc modum Ouid. in epist. Laodomiæ, *(Infandum, de cædibus.)* *(Mors non nominabatur, sed pro ea aliud.)*

Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris,
Siue (quod heu timeo) siue superstes eris.

Id est, siue moriaris, siue viuas. Sed primum non ausa Laodomia, dixit, *quod heu timeo*: alterum de vita clarè posuit. Apud Xiphil. Liuia ita loquitur cum Augusto fratre. σωζομένου μὲν σοῦ καὶ αὐτὴ τὸ μέρος ἄρχω, δεινὸν δέ τι παθόντος (ὃ μὴ γένοιτο) συναπολοῦμαι: *Te sospite, & ipsa regno: te patiente terribile quiddam (quod absit) & ipsa vna pereo.* vbi τὸ δεινὸν est *infandum* Virgilij. Itaque Liuia σωζόμενον nominauit, τεθνηκότα noluit, sed loco huius, δεινόν τι. Apud Eurip. in Hecub. cùm dixisset Helena, θέλεις λέγεσθαι μὴ θανὼν θανεῖν; *visne, viuus cùm sis, mortuus nuntiari?* Vt Menelaus audiuit θανεῖν, respondet, κακὸς μὲν ὄρνις: *malum quidem omen.* Ab hoc, credo, affectu Soph. in Electra loquens de

Electra ipsa à *morte* abstinet, & tantùm confert articulum τ, adimens θάνατον. Ἠλέκτρα (ait) τ ἀεὶ πατρὸς στενάζει. Ad verbum. *Deflet Electra τ patris.* Vbi Schol. subaudit θάνατον, aut μόρον, aut φόνον, quæ accipio: non χρόνον admitto, quod ille etiam admittit. Itaque respuo subaudiri χρόνον, admitto θάνατον, μόρον, φόνον. Idem video obseruatum à Val. lib. 1. Arg. vbi Æson abeunte filio Iasone ad bellum Colchicum,

——si fata reducunt
Te mihi, si trepidis placabile matribus æquor,
Possum equidem lucémque pati, longúmque timorem:
Sin aliud fortuna parat.——

Id est, si parat mortem. Ex hac obseruatione apud Heliod. lib. 4. Hist. Æthiop. Persina mater Chariclíæ, cum exposita infante filia ita loquitur. εἰ μὲν περιβιώσῃς, γνωρίσματα: εἰ δὲ, ὅπερ καὶ ἀκοῦσαι λάθοι τὴν ἐμὴν, ἐπιτύμβια, καὶ μητρὸς ἐπικήδεια δάκρυα. Sermo est de pignoribus, cum quibus illam exposuit: id est, *si seruata fueris, indicia tibi erunt; sin, quod vtinam nunquam audiam, sepulcralia erunt, & matris funebria.* vbi iam vides, quid dixerit loco *mortis*. Hinc etiam possum illustrare Horatium, qui Od. 1. Epod. ad Mæcenatem,

——quibus, te, vita sit, superstite,
Iucunda: si contrà, grauis.

Homeri vitium. Semper, vel nolens etiam, impingo in Homerum, qui caruit hac virtute, vel affectauit hoc vitium. Nam apud illum Priamus Iliad. 22. dubitans, viuerentne, an mortui essent filij Lycaon, & Polydorus, vtramque rem nominat. Ait enim; εἰ μὲν ζώουσι, *si viuunt*: & postea. εἰ δ' ἤδη τεθνᾶσι. *si autem iam mortui sunt.* Debuisset abstinere ab hoc extremo, neque mortem nominare. Caruit etiam hac virtute Eurip. in Elect. vbi, cùm Orestes non agnitus à sorore diceret, afferre se mandatum ab Oreste, statim soror,

Ἆρα ζῶντες, ἢ τεθνηκότες;
Virum viuentis, an mortui?

Fortunæ verba. 24. FORTVNA MINARIS.] Fortuna aduersans apud Virg. *minatur*, vt hoc loco. *negat* in 10. *recedit* in 3. *fatigat* in 6. *implicat, sollicitat. inuidet* in 11. *concutit* in 12.

Imitatio. 25. NVNC O NVNC LICEAT, &c.] Cognati istis affectus Electræ apud Soph. quæ, mortuo Oreste, nolebat viuere.

——ὡς χάρις μὲν ἦν κτάνῃς.
Λύπη δ', ἐὰν ζῶ. τοῦ βίου δ' οὐδεὶς πόθος.
——quàm gratum, si quis occidat.
Pœna verò, si viuam. nulla enim vitæ cupiditas.

Nec dissimiles sunt preces Antonij apud Plutar. εἴ τις ἄρα Νέμεσις τὰς πρόσθεν εὐτυχίας αὐτοῦ μέτεισιν, εἰς αὐτὸν ἐλθεῖν, τῷ δ' ἄλλῳ στρατῷ σωτηρίαν διδόναι, καὶ νίκην. Precatur videlicet in se recidere quiequid deformare præteritas eius fortunas potest, dummodò saluus esset, & victor exercitus.

Ambiguæ curæ. 26. DVM CVRÆ AMBIGVÆ.] Manil. lib. 2. *Ambiguis fatis.* Videtur verò mihi Poëta notare communem Martem. Virgilium ita reddidit Val. lib. 1. in re planè simili: *Dum meus est, nec adhuc dolor.*

27. DVM SPES INCERTA FVTVRI.] Tacit. 4. Annal. *belli incerta metuens.*

28. SERA.] Ita in 6.

Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux.

Serus filius quis. In vtroque loco *serus filius* est, qui nascitur patri in senectute. Græci τηλύγετον vocant, & τηλυγέτην, quasi τηλοῦ γεννητόν. Ad τηλυγέτας refert Guliel. Cant. lib. 2. Nou. Lect. cap. 10. Catullianum hoc,

Nam neque tam charum confecto ætate parenti
Vna caput seri nata nepotis alit.

Et Ausonium Protrept.

——pappos, auiásque trementes
Anteferunt patribus seri noua cura nepotes.

Hos τηλυγέτας ita definit Hom. interpres. Καλοῦνται οἱ τηλοῦ τῆς γενῆς παῖδες ὄντες, ὅ ἐστιν ἐν γηροντικῇ ἡλικίᾳ σπαρέντες: *Dicuntur ita filij, qui longè absunt à fætura, hoc est, qui seminantur in senili ætate.* Et adiicit: δοκοῦσι γὰρ μετ' ἀπόγνωσιν τῆς παιδοποιΐας γενόμενα μᾶλλον ἀγαπᾶσθαι: *Videntur plus diligi, qui gignuntur desperata iam ætate.* Inde *voluptatis* nomen in Poëta. Et in Hom. Iliad. 20. Polydorus, qui τηλύγετος, dicitur φίλτατος, *charissimus.* Et vide apud Eurip. in Hecuba, quæ indicia amoris in hunc, qui νεώτατος ab eo dicitur. Inde & τηλυγέτης ab Appollon. (obseruante Gem.) sumitur ἀντὶ τοῦ ἀγαπητοῦ, id est, *serò natus pro dilecto.* Quem iuuo Pollucis loco lib. 3. cap. 2. τηλύγετος ἡ παρὰ ποιηταῖς, ὡς ὁ ἀγαπητός, ὡς καὶ ὁ ὀψίγονος. Filij qui plus diliguntur.

29. SOLA.] Indicatur filius μονόπαις, & μονογενής, id est, vt vertit Catull. *vnigena.* De Oreste apud Soph. Electra, αἵ μοι μόναι παρῆσαν ἐλπίδων ἔτι: *Quæ mihi sola spes erat reliqua.* Non dubium autem, quin hi filij impensiore cura amentur, vt contrà plures filij minùs amantur, diuiso amore: vt de gente Afror. Claud. Bell. Gild. Filius vnicus impensiore cura amatur.

——connubia mille,
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.——

Inde incrementum orationis Apollon. lib. 1. Arg. Hinc enim auget animum Alconis, qui Phalerum filium ad bellum miserit, tum τηλυγέτου, *genitum in senectute*: tum μοῦνον ἐόντα, *vnicum.* Cui loco videtur Poëta institisse, cùm Euander Pallantem ad bellum mittat, & τηλύγετον, & μόνον: *serum, & solum.* Imitatio.

30. COMPLEXV TENEO.] Dignus est, qui legatur locus Eurip. in Hecuba, vbi miri excitantur affectus inter extremos complexus Hecubæ matris, & Polyxenæ filiæ, cùm hæc ibat ad mactationē. Ibi videas querimonias & πάθη: ibi παρειὰν προσβαλεῖν παρειᾷ. quibus notātur oscula, & complexus arctissimi: ibi λειποψυχία & ἀφαίρεσις, vt hîc de Euādro, *collapsum.* Certè Sen. Tragicus Euripidem habuit pro magistro cùm filius Hectoris rapitur à Græcis à sinu matris. Imitatio.

31. VVLNERET.] A Virg. Lactantius, & Arnobius. Vsus enim vterque est eodem verbo: ille lib. 7. cap. 1. hic lib. 1. Et omnes adhuc ab Tullio, qui 1. Catil. *voce vulnero* Symm. epist. 8. lib. 6. *muniij vulnus.* Horat. dixit Od. 12. lib. 3. *verbera linguæ*, quod à Græcis. Nam Artem. lib. 1. cap. 25. μαστιγοῦσθαι τὰ ὦτα, *flagellari aures.* Claud. Bell. Get. ita, *festæ doleant ne tristibus aures.* Quod etiam à Græcis, nam Soph. in Antig. ἀνιᾷ τὰ ὦτα, *contristat aures.* Elegans est illa eiusdem Soph. vsurpatio ibid. ἐν τοῖσιν ὠσὶν δάκνει: *morderis in auribus*, pro, offenderis, vulneraris. Tacitus 1. Annāl. dixit, *percussus* de eadem re. Quod refero quoque ad Græcos fontes. Nam Cyrill. in Mich. πλήττει dixit de verbo; hoc enim *percutit, ferit* aures. Non abit verbum Simocattæ cap. 17. lib. 2. qui ab apibus ἐκβομβεῖσθαι: quod verbum vsurpat in re aspera, tanquam eo murmure, quod fama spargebat, aures læderentur. Itaque non sine Græca imitatione Plin. Paneg. Traiani, in re molesta dixit, *Principis aures adstrepebant.* Hanc Notam, & similes, in quibus Latini auctores cum Græcis componuntur, pluris ducat iuuentus. Illustrauimus enim Horatium ab Artemidoro, Claudianum ab Sophocle, Tacitum à Cyrillo, Plinium ab Simocatta, ac proinde

Vulnerare aures. Verbero, de sermone. Flagellari aures.

inde Virgilium, Tullium, alios ab Græcis. Hinc est, vt frequentissimè in meis Notis alluceant Græci, & Latini.

Deliquium in dolore. 32. COLLAPSVM.] Hoc exitu expressa vis affectuum, vt etiam lib. 4. in sermone Didus,

——suscipiunt famulæ, collapsáque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.

Apud Ouid. Laodomia simili affectu,

Succiduo dicor procubuisse genu.

Ab Simocatta lib. 5. cap. 12. Golinducha nobilis femina ἔδοξεν ἐξαπιναίως γεγενῆσθαι παρετός: *visa est repentè viribus defici.* Sen. Cont. 16. *Sublapsum est intercepto spiritu corpus.* De Alexan. Curtius lib. 3. *Expiranti similem ministri manu excipiunt, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferunt.* De Cybele Claud. 3. Rap. *Succidui titubant gressus*, notans λειποθυμίαν. De Byblide Ouid. 9. Metamorph.

Et pauet obsessum glaciali frigore corpus.

Iohann. Chrysost. Orat. 3. de nat. Dei. κατέπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν, ὅπερ ἐπὶ τῶν ἐκλυομένων συμβαίνει: *In terram decidit, vt solent exanimati.* De Cornelia Lucan. lib. 5.

Labitur infelix, manibúsque excepta suorum.

Et de Fuluia vxore C. Gracchi Plutar. καταρρυεῖσα τοὔδαφος ἔκειτο πολὺν χρόνον ἄναυδος: *Jacuit diu delapsa in terram sine vlla voce.* Matrem Iasonis Val. lib. 1. *collapsam* præ dolore inducit, & Alcyonem Ouid. 11. Metamorph. abeunte viro.

[a] Iámque adeò exierat portis equitatus apertis.
Æneas inter primos, & fidus Achates;
Inde alij Troiæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.
[b] Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasq; resoluit.
[c] Stant pauidæ in muris matres, oculísque sequuntur
Puluerеam nubem, & fulgentes ære cateruas.
[d] Olli per dumos, quà proxima meta viarum
Armati incedunt. it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.

ARGVMENTVM.

Describitur exitus euntium ad bellum, Pallantis pulchritudo, pauor feminarum, via militum, equorum strepitus.

EXPLICATIO.

[a] MEMINERIS iam pedites commissos flumini, vt portarentur. Itaque, hic tantùm mentio equitum, qui, loquente Euandro cum nato, iam portis exierant, & principe loco Princeps Æneas, Achates, & Troiani alij proceres. Post illos Pallas in medio Arcadum, quem chlamys, & picta arma conspectissimum reddebant.

[b] Comparatur forma Pallantis Lucifero exorienti primo mane ab Oceano, ostentanti speciem, dissipanti tenebras, pressiùs, *resoluenti.* Additque Luciferum amari à Venere præ aliis stellis, vt nihil mirum tantam illi communicatam pulchritudinem: quæ ómnia in Pallantem redundant, qui Veneris dono conspicuus.

[c] Mira poësis. Ab illa Troianorum promptitudine in exeundo, ab illa Pallantis pulchritudine conuertit se subitò ad rem longè aliam, ad pauentes matres, quæ in muris stabant non sine horrore, spectantes egressum filiorum, quos fortasse deinde non visuræ, spectantesque oculis nubem pulueris, abeuntia agmina.

[d] Illi tamen nihilo segniùs, per viam, quæ se statim dedit obuia, iter ingressi cum clamore militari per dumos incedunt agminatim: auditurque maximus equorum strepitus confrementium, & persultantium.

NOTÆ.

1. AGMINE PALLAS IN MEDIO.] Explicui, in medio agmine Arcadum. Vide quæ dicam lib. 10. ad illud, *Palláſque sinistro Affixus lateri.* Insigniter deceptus Gorop. Lege Lips. 2. Elect. cap. 2.

2. CHLAMYDE.] Indicat paludamentum Imperatorium, de quo alibi; nam cum respectu ad militiam Romanam Poëta loquitur. Itaque, ita chlamydatus it ad bellum Pallas, vt apud Liu. lib. 41. Licinius Consul *paludatus ab vrbe profectus est.* — Chlamys de Romano paludamento.

3. PICTIS CONSPECTVS IN ARMIS.] Hoc ex veterum elegantia. Apud Val. lib. 6. Arôn gestat chlamydem discolorem. Adiungo versus, quia Virgilium explicant. — Picta arma.

Nec lenior comitatur Aron, horrentia cuius
Discolor arma super, squallemésque ære lacertos
Barbarica chlamys ardet acu. ——

Itaque in Virg. *chlamyde, & pictis conspectus in armis,* est, picta chlamyde. Agnosco enim ἓν διὰ δυοῖν, quod in hoc Vate frequentissimum. Sed de pictura armorum dicam in 10. *Conspectus*, pro, conspicuus, participium scilicet pro nomine, quod iam Seru. monuit, & Gifanius in Lucret. & in hunc locum Iacob. Pont.

Imitatio.

4. QVALIS, VBI, &c] Locus clarus Hom. lib. 5. Iliad. vbi de Diomede

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο :

Stellæ similis.

Lucebat ei ex galeaque, & scuto indefessus ignis
Stellæ autumnali similis, quæ maximè
Splendidè lucet lota in Oceano.

Omitto comparationem Scaligeri, & aduoco eiusdem locum alium lib. 22. vbi de Achille,

Οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ
Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ·
Qualis autem stella oritur inter astra noctis vespera
Hesperus, quæ pulcherrima in cœlo stat stella.

Sunt & alia in Homer. loca paria, quæ prætermitto, sed non Poëtas alios, qui gloriam hinc quæsierunt, quos visum non relinquere; nam hic locus propriè imitationis est. Est verò pulchrum spectaculum cernere plures certantes de gloria ingenij. Ergo Nonn. lib. 16. Dionys.

Ὃς τότε Βελλιγγεσσι μετέπρεπεν, ὡς μέσος ἄστρων
Αἰθέρα φαιδρύνων ἀμαρύσσεται ἕσπερος ἀστήρ,
Ἕσπερος ἐσσομένης λιποφεγγέος ἄγγελος ὄρφνης.

Ego non dubitauerim (parcant Homeri manes) versus hos Nonni præferre loco præmisso ex Iliad. 22. Loquitur Nonnus de duce quodam Indorum,

Hespero similis.

Qui tunc Belingibus imperabat, tanquam medius astrorum
Ætherem illustrans splendicat Hesperus stella,
Hesperus nuntius caliginis futuræ, ac luminis relinquentis.

Pind. Od. 3. Pyth. ἀστέρος οὐρανίου τηλαυγέστερον κείνῳ φάος ἐξικόμαν: *stella cœlesti splendidius illi lumen venissem.* Sic & ab Apoll. lib. 2. Tyndarides dicitur ἀτάλαντος οὐρανίῳ ἀστέρι. Orest. apud Soph. Elect. ἄστρον ὣς λάμψειν. De Argon. Apollon. lib. 1. φαεινοῖ ἀστέρες ὥς. & de Iasone, φαεινῷ ἀστέρι ἶσος. Aristid. in Panathen. ἐξέλαμψεν ὥσπερ ἀστήρ. Eurip. Hippolytum vocat φανερὸν ἀστέρα. Penthesilea ab Calabro comparatur fulgentissimæ Auroræ. Germanico lib. 1. Epig. dantur ἀκτῖνες. Sed ne Græcis tantùm obstrepam, adiungo Latinos. Claud. de Bell. Get.

Syderi similis.

———*syderis instar*
Emicuit Stiliconis apex.———

Et 1. Rap. de pulchritudine trium Dearum,

———*diuino femina gressu*
Claruit, augurium qualis Laturus in orbem
Præceps sanguineo delabitur igne cometes.

Sen. de Hippolyto,

Hæc illa facies igne sydereo micans.

Iterum insistens Virgilianæ luci,

Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modo lotus vndis
Hesperus: pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

Ouid. lib. 2. Pont. Eleg. 5.

Lucifero similis.

Surgit Iülæo iuuenis cognomine dignus,
Qualis ab Eoïs Lucifer ortus aquis.

Mitto Ammianum lib. 21. Ennodium Orat. 4. Claudianum 2. Eutrop. qui vocarunt *sydera*, primus Iulianum, alter Firmium, tertius Stiliconem.

5. OCEANI PERFVSVS LVCIFER VNDA.] Iulius Scaliger: *Tetigit antiquiorum opinionem, qui dicebant humore ali syderum splendorem: icirco Luciferum perfundit vnda.* Sed de hac re iam ego 1. Æneid. Vide & Bisciol. lib. 1. Subs. cap. 7. Propertius Elegia prima libri quarti.

Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua?

6. QVEM VENVS ANTE ALIOS, &c.] Respectum quendam agnoscit Seruius, Scaliger optimam philosophiam. Ait prior: *Venus in cœlo habet vnam propriam stellam, quæ oriens Luciferum, occidens Vesperum facit. Habet etiam duas alias, vnam in signo Tauri, & vnam in Septemtrione. Inde etiam domus esse dicitur Veneris.* Cum respectu igitur ad has stellas ait, Luciferum diligi ante alios astrorum ignes. Non placet. Puto potiùs locutum Poëtam cum respectu ad omnes stellas. Sed quid posterior? *Venus amat Luciferum, qua eadem cum illo existimatur. Verùm optimus Philosophus Luciferum intellexit globum & corpus ipsum: Venerem autem numen illud quam intelligentiam vocant Metaphysici: cuius sola ac simplici intellectione orbis ipsius rotatio perpetuatur.* Credamus etiam allusum ad versum hunc Moschi in Idyl.

Philosophia Virgilij.

Ἕσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας:
Hespere lux aurea dilecta Veneris.

Imitatio.

Porrò de Lucifero, & Hespero, quod Seru. attigit, iam ego 8. Eclog.

7. EXTVLIT.] Fortassè à Catull. qui Carm. Nupt. cum Hespero loquens,

Extulit.

Nec iunxère prius, quàm se tuus extulit ardor.

8. OS.] Dari os astris alibi indicaui, & illustrant. Manil. lib. 5. ex correctione Scalig. *cum corniger extulit ora.*

Os de astris.

9. TENEBRASQVE RESOLVIT.] Redeat Scal. *Resoluit autem tenebras icirco, quia syderum omnium Lucifer solus tantùm iacit luminis, vt obiecta corpora vmbram reddant, quemadmodum & ad Solem, & ad Lunam.* De illo Stat. 6. Theb.

Luciferi lux.

———*sed clarior omnia supra*
Hesperus exercet radios.———

10. STANT PAVIDÆ IN MVRIS MATRES.] Eximius locus ad excitandum affectum. Statius 2. Theb.

Feminarum affectus sub bellum.

———*attonitæ tectorum ex culmine summo*
Prospectant matres.———

Idem lib. 7.

———*trepido tamen agmine matres*
Conscendunt muros, inde arma nitentia natis,
Et formidandos monstrant sub casside patres.

Lib. etiam 5.

At nuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes
Mœnibus effusi per plana, per ardua passim,
Quisque suas auidi ad lacrymas miserabile currunt.

Idem lib. 11. mirificè,

Cuncta madent lacrymis, & ab omni plangitur arce:
Hinc questi vixisse senes: hinc pectore nudo
Stant matres, paruosque vetant attendere natos.

Eadem conquestio apud Valer. 1. Arg. vbi abeuntibus Argonautis, *stant litore matres.* Eadem apud Ouid. 11. Metamorph. vbi loquitur de Alcyone, eius viro abeunte. Affectum istum repræsentat Sidon. epist. 3. lib. 3. *Quem te, quantùmque nuper omnis ætas, ordo, sexus de semirutis murorum aggeribus conspicabatur.* Et Horat. Od. 2. lib. 3.

Illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis Tyranni.

Capiet affectus horum Poëtarum, qui expendat illud Horat. Od. 1. lib. 1. *belláque matribus detestata.* & illud eiusdem Od. 16. Epod. *Parentibúsque abominatus Annibal.* Sunt verò *matres* nuptæ; istæ enim bellum detestantur tum coniugum, tum liberorum causâ.

11. OCVLISQVE SEQVVNTVR.] Non minùs ista ad excitandum affectum. Repræsentatus etiam Romanus concursus in re simili, quo ciuitas illa hoc veluti auspicio sequebatur abeuntes in bellum. Huius rei egregius est locus apud Liuium lib. 42. vbi abeunte ad bellum Licinio Consule, ita: *Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maiestate geritur: præcipuè tamè conuer-*

Imperatores abeuntium ad bellum mos.

conuertit oculos, animósque, cùm ad magnum nobilémque aut virtute, aut fortuna hostem euntem Consulem prosequuntur. Contrahit enim non officij modo cura, sed etiam studium spectaculi, vt videant ducem suum, cuius imperio, consilióque summam Remp. tuendam permiserunt. Libat rem eandem lib. 45. abeunte Paulo ad bellum: & lib. 2. abeuntibus Fabiis. Ceterùm excursui poëtico similia multa Poëtarum loca. Statij 5. Sylu.

Locorum similitudo.

Seu super Ægæas hyemes abeuntis amici
Vela sequar, spectémque ratem iam celsus ab altis
Rupibus, atque oculis longo querar aëre vinci.

Et lib. 4. Theb.

——tandémque relicti
Stant in puppe tamen: fugientia carbasa visu
Dulce sequi, patriósque dolent crebrescere ventos.

Et lib. 5.

Prosequimur visu, donec lassauit euntes
Lux oculos.——

Similiter 2. Achill.

——oculísque in carbasa fixis
Ibat, & ipsa fretum, & puppim iam sola videbat.

Sil. lib. 3.

—abripitur diuulsa marito.
Hærent intenti vultus, & littora seruant.

Ouidij loca quatuor prætereo, apud quem Oenone è summo loco spectat abeuntem Paridem, Laodomia Protesilaum, Ariadna Theseum, Hypsipyle Iasonem; in quibus omnibus varij affectus. Locutionem præter indicatos arripuit Auctor Paneg. Constant. *non solum oculis sequi, sed*, &c.

Nubes de puluere.

12. PVLVEREAM NVBEM.] De puluere *nubem* dixêre Silius lib. 3.

Incita pulueream campo trahit vngula nubem.

Idem lib. 14. omitto. Claud. Bell. Get. *Pulueris ambiguam nubem.* Quintil. Declam. 315. *in illa nube pulueris.* Isti à Lucret. qui lib. 5. *Pulueris exhalat nebulam.* Et omnes adhuc ab Hom. qui 23. Iliad. de puluere excitato ab equis, ὥστε νέφος, ἠὲ θύελλα, *vt nubes, aut procella.* Et *procellam* dixit, vt etiam Soph. in Elect. κλύδων' ἱππικόν, *equestrem procellam*, loquens de cursu equorum. Ostentabundè admodùm Stat. 4. Thebaid. de

A Hippomedonte eunte ad bellum.

——vmbráque immane volanti
Implet agros, longóque attollit puluere campum.

Quadrupedo.

13. QVADRVPEDANTE PVTREM, &c.] Plautus Captiu. *Qui aduehuntur quadrupedanti crucianti canterio.* Hinc verbum *quadrupedare.* Sed & inueniri *quadripedes*, pro, *quadrupedes*, alij iam notarunt. Sed iam ad exornationem Poëtæ. Equorum flammatum ardorem meliùs ex versu hoc Virgiliano agnosco, quàm ex multis Statij lib. 8.

Locorum similitudo.

Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem
Cornipedes, niueóque rigant sola putria nimbo.

Idem lib. 12.

Icta gemit tellus, virides grauis vngula campos
Atterit, innumeris peditúmque, equitúmque cateruis
Exspirat protritus ager.——

B Claud. cum fastu 2. Ruff.

Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.

Cum languore Silius lib. 6.

Cornea gramineum persultans vngula campum.

Pari, & maiore etiã demissione in locis aliis. Silium, & alios sæpe adduco, non vt dignos, qui cum Virg. conferantur, sed vt in eis videas studium, quo annisi ad suum Principem, & ita assurgas ad parem gloriam illorum; nam hanc de Virgilio nemo speret. Minutulos hos Poëtas vide vt Horat. superet Epod. 16.

——vrbem
Eques sonante verberabit vngula.

Campus in sermone equorũ præclarè.

14. CAMPVM.] Obseruo (si hoc est aliquid) rectè à Poëta induci hanc vocem post mentionem equorum. Itaque *equi campum* quatiunt. Rectè hoc, inquam. Nam καμπὸς vocem esse Siculorum, & ea significari ἱππόδρομον, iam Scal. animaduertit. Inde & C καμπτὴρ flexus est equorum circa metas. Plato in Theæteto dixit, ἱππέας εἰς πεδίον προκαλεῖς, Σωκράτην εἰς λόγους: *Equites ad campum prouocas, Socratem ad sermones.* Quod dictum forma Prouerbij; nam equi campo gaudent. Tibull. lib. 4. *equum rigidos percurrere campos.* Cui adiungit Passeratius Ennium, qui de equo,

Fert sese campi per cærula lætáque prata.

[a] Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem
Relligione patrum latè sacer: vndique colles
Inclusêre caui, & nigra nemus abiete cingunt.
Syluano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Aruorum, pecorísque Deo, lucúmque, diémque,
Qui primi fines aliquando habuêre Latinos.
[b] Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis: celsóque omnis de colle videri
Iam poterat legio, & latis tendebat in aruis.
Huc pater Æneas, & bello lecta iuuentus
Succedunt, fessiq; & equos, & corpora curant.

ARGVMENTVM.

Agmen ad collem peruenit iuxta lucum, cuius luci ex occasione religio describitur.

EXPLICATIO.

[a] IVXTA amnem Cæretanum lucus erat, sacérque maiorum religione. Erat hic lucus, & intra col- D les inclusus, & refertus densitate arborum. Erat verò fama, Græcos, qui primi ad Italiam appulerunt, patriæ propriæ religione imbutos, consecrasse Syluano suo, Deo aruorum, ac pecoris lucum istum, diem etiam solemnem, in quo eius sacra peragerentur.

[b] Non longè ab hoc luco Tarcho stationem habebat in summo colle, qui munitus natura: Æneas appulit cum suo agmine ad lucum, vt ita coniuncti essent exercitus. Habita hîc cura militum & equorum. In explicandis his versibus secutus sum

ductum poëticum, nam Seru. variè se implicat.

NOTÆ.

1. CÆRITIS AMNEM.] Minionem intelligit Seru. nam in 10.

Qui Cerete domo, qui sunt Minionis in aruis.

Luci sacri.

2. RELIGIONE PATRVM LATE SACER.] De lucorum religione iam à me non vno in loco. Sed quia hîc mentio insignis est luci sacri, adiiciam alia, in quæ deinde incidi. Stat. ab hac religione 3. Theb. dixit, *sanctis stirpibus.* Idem lib. 6.

—— stat sacra senecta
Numine, nec solos hominum transgressa veterno
Fertur auos, Nymphas etiam mutasse superstes,
Faunorúmque greges. ——

Ab hoc honore dicti luci τιμένη, ἀπὸ τῆς τιμῆς. Luci (inquam) ipsi, non solùm delubra Deorum, quæ in illis. Claud. 3. Rap. de luco, in quo Gigantum trophæa, *inde timor, numénque loco.* & Pan. 1. Stil. *& robora numinis instar.* & 1. Rap. de Ida, *sedes augusta Deæ.* Plin. de lucis lib. 12. c. 1. *Fuêre Numinum templa, priscóque ritu simplicia rura etiamnum Deo praecellentem arborem dicant.* Adduco & locum Statij 4. Theb. vbi de luco,

Nec caret vmbra Deo: nemori Latonia cultrix
Additur; hanc picea, cedrique, & robore in omni
Effictum sanctis occultat sylua tenebris.

Rami coronati.

Inde factum, vt rami syluarum sertis coronarentur, non aliter ac Dij. Ouid. 8. Metamorph.

—— equidem pendentia vidi
Serta super ramos, ponénsque recentia, dixi,
Cura Deûm Dij sint &, qui coluêre, colantur.

Religio vnde.

3. VNDIQVE COLLES INCLVSERE.] Aptat huic loco Macrob. lib. 3. cap. 3. finitionem Sulpitij, qui dicebat *religionem* dictam à *relinquendo.* Itaque, quicquid remotum, ac sepositum, & veluti à communione populi secretum, & *relictum*, id *religiosum* est. Ideo ergo, *colles inclusère,* & *nigra nemus abiete cingit.* Eadem ex Massurio Sabino Agell. lib. 4. cap. 9. Scio alios aliunde ducere. Vide etymologicum Fungeri.

Nigrum, pro obscuro.

4. NIGRA.] Seru. *obscura, more suo.* Alluceat hic mos. In 3. Georg. *nigrum nemus.* & 1. Georg. *turbine nigro* in 6. *nigra Tartara.* in 5. *nigra nube.* 4. Georg.

Et caligantem nigra formidine lucum.

In his, & multis aliis obscuritas indicatur.

Lectio Virgiliana.

5. ARVORVM, PECORISQVE DEO.] Vehementer inclino, legendum hîc, *Syluarum, pecorísque Deo,* non *aruorum.* Quia sermo Poëtæ, qui hîc totus de luco, ad syluas nos ducit, non ad arua. Deinde, quia lib. 1. Georg. Deum istum inuocauit ad argumentum lib. 4. nam in nemoribus & hortis apiaria, quæ res longè ab aruis & campis, in quibus frumenta. Quod vt intelligas, adi Explicationem nostram in eum locum: tum etiam, quæ diximus in Notis ad 1. Eclog. ad illud, *Syluestrem tenui Musam:* vbi indicatum cum pecoribus coniugi syluas, nulla ratione arua. Quam ad rem consentaneè Horat. Epod. 2.

Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpura:
Qua muneretur te Priape, & te Pater
Syluane tutor finium.

Et in Epist. *Syluanum lacte piabunt.* In quibus ex vicinitate syluarum, & pecoris fiunt sacra huic Deo, & pyris, & lacte. Ab his longè arua. Itaque, si in Virg. legas *aruorum*, nescio an tibi commodum aliquod testimonium alluceat, quo possis lectionem istam defendere.

Natalitia Gentilium.

6. DIEM.] Ex Gentilium sacris, qui suis Diis dies sacrabant ad illorum celebritates. Quin hic mos sequenti æuo transiit ad Imperatores, ita vt illorum natalitia colerentur cum vacatione rerum & negotiorum. Possumus existimare sacrum Ecclesiæ ritum, quæ Sanctos colit, dicato illis die, traductum ab Gentilibus, vt multa alia.

7. QVI PRIMI FINES, &c.] Pelasgorum errores, bella, victorias, aduentum in Italiam multis persequitur Dionys. lib. 1. vbi & vrbes nominat ab illis ortas.

8. CELSOQVE OMNIS DE COLLE VIDERI, &c.] Explicui de colle, qui esset prope lucum, qui collis latus esse poterat, & capiendæ legioni idoneus. Hoc enim me docet ductus poëticus. Ad hunc certè modum Stat. 5. Theb.

Tunc viridis latè lucus iuga celsa Mineruæ
Propter, opacus humum niger ipse, sed insuper ingens
Mons premit, & gemina pereunt caligine Soles.

9. TENDEBAT.] Vt in 2. *hic saeuus tendebat Achilles.*

10. HVC PATER ÆNEAS.] Non absimilis locus Nonni lib. 24.

—— ἐναυλίζοντο λόχμαις,
Καὶ κλισίας πήξαντες ἐν ἠρέμα δάμα δασκίῳ ὕλῃ:
—— stabulabantur in lucis,
Et lenè figebant tentoria in vmbrosa sylua.

Lectio dicitur electa ætas.

11. ET BELLO LECTA IVVENTVS.] Semper Virg. in re militari *iuuentutem* assumit, quæ flos ætatis, & ideo *lecta.* Et quidem in sacris hostia, aut victima, cùm multis aliis, tum etiam ab ætate dicebatur *lecta*: nam nec recèns nata, nec iam vetula. Et semper cum allusione ad pubertatem iuuentutis. Vnde Gelo Tyrannus apud Herodot. Musa septima, vt ostendat Græcos carere milite ad pugnam, ait ὅτι ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ αὐτῇ (Ἑλλάδι) ἐξαραίρηται, *anni illius ver exaruisse in Græcia.* Quæsiuit certè similitudinem à pubescente vere ad pubescentem iuuentutem.

Ver, iuuentus.

Cura, de victu.

12. CVRANT.] Firmat satis Iacob. Pont. potestatem verbi huius in rebus, quæ pertinent ad vitam, & victum. Vide illum, & adde à me, simili argumento dici *Curatores, qui pupillis loco tutorum dantur.* Illos etiam, *qui rei frumentariæ, agrísve diuidundis præpositi sunt.* agnosce verba Festi. Vocantur isti ab Hom. 19. Iliad. σίτοιο δοτῆρες. & ab Soph. in Elect. τροφὰς κηδόμενοι, etiamsi de re alia loquatur. Et, quid si *Curiales mensæ* dictæ, non ab Iunone Curite, vt vult Festus, sed ab hac ipsa victus ratione, vt probabili argumento possumus suspicari? Sic & *curatura* ad rem victus pertinet. Nam Terent. Eunuch. *Reddunt curatura iunceas*; videlicet parcitate victus & alimoniæ. De *Curatoribus corporum* iam Pratcius, vt etiam de *Curatoribus frumenti, & olei,* quos σιτώνας, & ἐλαιώνας possis nominare. Non dubium, quin omnia hæc pertineant ad victum.

Curatores qui essent.

Curiales mensæ vnde dictæ.

[a] At Venus æthereos inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natúmque in valle reducta
Vt procul egelido secretum flumine vidit,

Talibus

Talibus affata eſt dictis, ſeque obtulit vltrò.
ᵇ En perfecta mei promiſſa coniugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes nate ſuperbos,
Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum.
ᶜ Dixit, & amplexus nati Cytherea petiuit:
Arma ſub aduerſa poſuit radientia quercu.

ARGVMENTVM.

Apparet nato Venus in ſecreto loco ſylua, adfert arma, quibus is pugnaturus cum Turno, amplexata illum arma collocat ſub quercu.

EXPLICATIO.

ᵃ MIRI ſunt Poëtæ in intercidendis rebus, & mox reſumendis, cùm opus eſt: id enim ſpectat ad varietatem poëſeos, & ineſcandum Lectorem. Quis non putaret, in ſuperiore illo ſtrepitu mugientis, & admurmurantis cœli debere arma apparere. & tamen ibi dilata, vt ſemper Lector nouitate rerum pungatur, & reſeruata in hunc locum. Ergo Venus, quæ ibi ſignum dedit aduentus ſui, iam hic adeſt, & cœleſti quidem nimbo candida. Vt verò illa natum vidit in ſecreta vallis parte, ſeparante illum ab aliis ipſo flumine, illi ſe conſpicua obtulit, locuta in hunc modum.

ᵇ Promiſi tibi (hoc κατὰ σιωπώμενον, vt iam ſuprà) arma Vulcani mei; en illa ad te, & quidem fabricata perfectiſſima ex arte. Non iam tibi timendi Itali, etiamſi ſuperbi: non Turnus, etiamſi bello acer; hunc poſce, hunc prouoca.

ᶜ Confirmat omnia materno amplexu, incendens natum hac face amoris, poſuítque arma, quæ longè latéque emicabant (hoc enim per *radios* intellige) ſub quercu, quæ obiecta Æneæ oculis è regione. Ac ſtatim receſſit: hoc enim intelligendum, cùm nullus iam deinde ſermo de Venere.

NOTÆ.

Imitatio. 1. AT VENVS, &c.] Locus clarus Hom. in exitu lib. 18. Iliad. vbi de Thetide Achillis matre.

Ἡ δ' ἴρηξ ὥς, ἆλτο κατ' Οὐλύμπου νιφόεντος
Τεύχεα μαρμαίροντα παρ' Ἡφαίστοιο φέρουσα:
Hæc verò. velut accipiter deſiliit ab Olympo niuoſo
Arma ſplendentia à Vulcano afferens.

Candor cur de Venere. 2. DEA CANDIDA.] Affine hoc *niueis lacertis*, & *colori aureo*, quæ duo alibi prædicat de hac Dea. Ad hunc modum Od. 7. Olymp. Pind. *χρυσαῖς νιφάδεσσι, aureis niuibus*. Qua nix non ſolùm præfert album colorem; ſed hunc cum fulgore. Ita & Hom. de Sole, *λαμπρὸν φάος*, cùm tamen alibi *χρυσεόν*. Ita Venus & *candida*, & *niuea*. & *aurea*.

3. NIMBOS.] Semper de Venere ſpectatiſſimus apparatus. Credo, quæſitum blandimentum Auguſti, qui ab hac Dea ſe originem ducere gloriabatur.

Ferre dona. 4. DONA FERENS ADERAT, &c.] Et Virgilio, & ſuperioribus Homeri adhæſit Silius lib. 2.

Ecce autem clypeum ſæuo fulgore micantem
A *Oceani gentes ductori dona ferebant,*
Callaicæ telluris opus. ——

Thetis apud Hom. *θεῷ πάρα δῶρα φέρουσα.*

Reducta vallis. 5. VALLE REDVCTA.] Explicant Seru. & Paſſerat. *ſecretam*. Sed quid verè, iam ego 4. Georg. & de *reductis fluctibus*, quod ſimillimum, iam 1. Æneid.

Egelidum, vnam tantùm habet ſignificationem. 6. EGELIDO.] Nunquam mihi perſuaſi duplicem vocis huius ſignificationem. Itaque ſemper *egelidus*, eſt tepidus, nunquam frigidus. Pro primo ſignificato teſtes plurimi; pro altero rarus, imò nullus. Catull. *egelidos tepores*. Colum. in hort. *Egelidum ver*. Suet. de Auguſto, *perfundebatur egelida aqua, vel Sole multo calefacta*. Cornel. Celſus. *Vinum auſterum, meracum: per æſtatem frigidum, per hyemem* B *egelidum*. Gloſſ. *Egelidus, tepidus*. Inde, *egelatum* idem quod *galactodes*. Teſtimonia quæ pro parte altera afferuntur, aut ſunt falſa, aut queunt mutari. Falſa; nam falsò adducitur Auſon. quamuis enim ille dixerit, *egelido Iſtro*, & *egelidæ Moſellæ*, cur trahi non poteſt ad ſignificationem, quam defendo? Queunt mutari; nam ille verſiculus Ouid. *Egelidum Borean, egelidúmque Notum*, à Coluio, & Sauaro legitur, *Et gelidum*.

Homeri vitium 7. SECRETVM FLVMINE.] Eſt hoc, quod Hom. ἐς ποταμοῖο λιασθείς. & 1. Iliad. ἑτάρων ἄφαρ ἕζετο νόσφι λιασθείς: *ſedebat ſolus ſeorſim à ſociis*. Conſidero prudentiam Virg. qui Homerum correxit. Solum Æneam mater occupat, vt ſe vni videndam præ- C beat, non aliis. Neſcio enim cur Thetis arma Vulcani afferens, filium adit ſociorum multitudine circumfuſum. Neque enim hoc fuit è doctrina veterum: & poſtea miſcentur ſermones illi ridiculi de muſcis. Prudentior Calab. lib. 4. vbi ait, Thetidem locutam cum Aiace, νόσφ' ἄλλων Δαναῶν. tametſi paulo pòſt impingat in eoſdem Hom. ſcopulos, cùm eandem Deam exhibet venientem Ἀργείων εἰς ὅμιλον.

Imitatio. 8. EN PERFECTA MEI, &c.] Hom. 19. Iliad. vbi Thetis ad filium.

Τύνη δ' Ἡφαίστοιο πάρα κλυτὰ τεύχεα δέξο,
Καλὰ μάλ', οἷ' οὔπω τις ἀνὴρ ὤμοισι φόρησε:
Tu verò à Vulcano inclyta arma accipe,
Pulchra admodùm, qualia nondum quiſpiam vir humeris geſtauit.

D Ab Hom. quoque Nonnus lib. 25.

Ἀλλὰ παρ' Ἡφαίστοιο, καὶ ἀθανάτης σέο Ῥείης
Δέχνυσο τεύχεα ταῦτα τάπερ κάμε Λήμνιος ἄκμων:
Sed à Vulcano, & immortali tua Rhea
Accipe arma hæc, quæ laborauit Lemnia incus.

Munus & donum ſæpe confunduntur. 9. MVNERA.] Qui nimiùm ſunt acuti in diſcriminandis his duabus vocibus, videant confundi à Poëta. Nam, quæ ſuprà *dona*, nunc *munera*. Sic 1. Æneid.

Munera præterea Iliacis erepta ruinis.

de quibus poſtea: *dona Cupido Regia portabat*. Lib. etiam 6. de ramo aureo,

Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus.

& tamen inf. *ille admirans venerabile donum.*

10. ACREM

Acer, id est, θοῦρος. 10. ACREM IN PRÆLIA POSCERE.] Accipe A *acrem*, θοῦρον, quæ vox obuia in Hom. Hesiodus etiam in Scuto; θοῦρος ἀνὴρ, de Hercule. Est *poscere*, prouocare; vt Cicero, *poscunt maioribus poculis*, id est, prouocant. Ab hac Musa Stat. 11. Theb.

Posco, pro prouoco.

Nomine te crebro, te solum in prælia poscens.

11. SVB ADVERSA QVERCV.] Existimo repræsentatam à Poëta imaginem quandam trophæi. Sicut enim in erigendo trophæo arma in quercu statuebantur; ita nunc similis species redditur à Venere. Itaque vestita est quercus armis. Nec repugnat Maronis textus: nam sub quercu erunt, si sint affixa, & infixa ramis. Neque enim credas proiecta in solum accruatim, sed digesta ramis, ad eum modum, quo Valer. Flacc. & Stat. ille lib. 5. Arg. quercum vestit aureo Martis vellere, imò apud illum Phryxus,

Trophæi imago.

—at vellera Martis in vmbra
Ipse sui Phryxus, monimentum insigne pericli
Liquerat ardenti quercum complexa metallo.

Apud Stat. quoque lib. 9. Theb. Diana quercum ornat armis suis, & venatoria præda.

Quercus ornata armis.

Nota per Arcadias felici robore syluas
Quercus erat Triuiæ, quam desacrauerat ipsa,
Electam turba nemorum, numénque colendum
Fecerat. hic arcus, & fessa reponere tela,
Armáque curua suum, & vacuorum terga leonum
Figere, & ingentes æquantia cornua syluas.
Vix ramis locus, agrestes adeò omnia cingunt
Exuuiæ, & viridem ferri nitor impedit vmbram.

12. RADIANTIA.] Sic & ab Græcis ἀκτῖνες dantur armis. Propert. Eleg. 4. libr. 1. *miles radiabat in armis.* Hi radij fortasse ab insertis gemmis. Nam Ouid. Eleg. 4. lib. 3. Pont.

Radij in armis.

Scuta, sed & galeæ gemmis radientur, & auro.

a Ille Deæ donis, & tanto lætus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula voluit,
Miratúrque, intérque manus, & brachia versat.
b Terribilem cristis galeam, flammásque vomentem,
Fatiferúmque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis, cùm cærula nubes
Solis inardescit radiis, longéque refulget.
c Tum læues ocreas electro, auróque recocto,
Hastámque, & clypei non enarrabile textum.

ARGVMENTVM.

Lætatur Æneas ad visa arma, atque auidè intuetur illa, & admiratur, mox etiam manu versat singula.

EXPLICATIO.

a SEQVVNTVR Æneæ affectus, qui necessarij ad visa cœlestia arma. Lætatur donis & honore, quo affectus, præsertim auctore Dea. Ita auidè intuetur, vt nequeat expleri; inde est, vt oculos passim voluat per singula. Hinc consurgit admiratio incredibilis, & tanquam vix credat (hoc enim fieri solet in magna admiratione) illa arripit manu, tractat, versat, fortè an falsus. Etenim, si perpendas, quòd non C expleatur, quòd oculos in cuncta intendat, quòd miretur, & verset, intelliges (ait Scaliger) magnum esse opus, magnum Æneam, magnum Virgilium.

b Recenset singula, & cum præconio, videlicet *galeam, ensem, loricam.* Galeam commendat à cristis, quibus terribilis, & à sæuo quodam (sic Silius loquitur) flammarum fulgore, quas vomebat: ensem à fato, cui iam destinatus miser Turnus, & tota Italia: loricam ab ære, quo riget; à colore, qui sanguineus; à magnitudine, nam ingens. Quæ pertinent ad loricam, illustrat comparatione nubis, quam Sol irradiat, redditque latè splendidam. Tale erat æs loricæ adnusto sanguineo illo, & rutilo colore. In hac comparatione nubes æri respondet, Solis radij lucidi colori cruento, id est, flauo, & lucido. Audi & hîc verba Scal. *Profectò nihil potuit aptius cùm cæruleam nubem* B *impleuit splendore, idem namque in ferro polito est.*

c Adhibet reliqua, nimirum ocreas, quæ læues, id est, lucidæ ac tersæ. Earum materia ex electro, & auro, & hoc *recocto*, ex repetita coctura. Versauit etiam manu hastam: demum clypeum, cuius fabricam nemo satis narrando assequatur.

NOTÆ.

1. ILLE DEÆ DONIS, &c.] Continuat Homeri filum 19. Iliad. vbi Achilles visis armis, Imitatio.

Τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα.
Αὐτὰρ ἐπεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἐτέρπετο δαίδαλα λεύσσων:
Oblectabatur in manibus tenens Dei dona splendida.
At postquam mentibus suis delectatus est artificiosa aspiciens.

2. EXPLERI.] Verba hæc ad animum transferri firmaui multis 1. Æneid. ad illud, *animum pictura pascit inani.* Expleo, ad animam.

3. OCVLOS PER SINGVLA VOLVIT.] Ita Eurip. Pœniss. ἀν ἔνικα ὄμμα πανταχῆ διοιστέον. & Hom. 17. Iliad. ὄσσε φαεινὼ πάντοσε δινείσθην.

4. TERRIBILEM CRISTIS GALEAM, &c.] Vides, vt galeam ornet à cristis, quibus terribilis: à flammis, quas vomit. Hom. galeam Achillis ita:

Τεῦξε δέ οἱ κόρυθα βριαρὴν κροτάφοις ἀραρυῖαν,
Καλὴν, δαιδαλέην. ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε:
Fecit ei galeam fortem temporibus aptatam,
Pulchram, variegatam, supráque auream cristam posuit.
Imitatio.

Vides & victoriam. Quid, quòd vno versu, quod duobus ille, imò plura? nam addit flammas, quæ

desunt

desunt Homero,& adimit varietatem,quæ hîc non necessaria.Sil.lib.1.

——galeámque coruscis
Subnixam cristis vibrant,cui vertice coni
Albentes niuea tremulo nutamine pennæ.

Et *terribilem* dixit, reddens frequentissimum illud Hom.δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν: *Horrendè desuper conus nutabat.*

5. FLAMMASQVE VOMENTEM.] Vidi,qui hærerent,an hæc pars annectenda præcedenti galeæ, an sequenti ensi: tum, quia Hom.cui in tota hac narratione Virg. insistit, in galea sua nihil de igne: tum, quia Virg.9.Æneid.ensem vocat *fulmineum*, & à fulmine non abest ignis. Sed verè inconcinna est sententia, si ita accipias. Homeri argumentum nullum, quia potiùs illum Virg.correxit. Alterum de ense,tu vides quàm languidum.

Ensis fatalis. 6. FATIFERVMQVE ENSEM.] Quia in eo sita fata Turni. Ad hunc modum dixit Cicero hostilem sicam suo lateri deuotam. Et Sil.de Annibale:

Ensem vnum,ac multis fatalem millibus hastam.

Et Hesiod.in Scut.ait de sagittis Herculis,esse in illis mortem præfixam. πρόσθεν μὲν θάνατόν τ' εἶχον. Sic ergo in ense Æneæ fixa mors Turni.

Imitatio. 7. QVALIS CVM CÆRVLA NVBES.] Addit vim comparationi adducta nube; nam Hom.tantùm,

Τεῦξ' ἄρα οἱ θώρηκα φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς:
Fecit ei thoracem splendidiorem ignis fulgore.

Et fortasse,quod deerat Homero, sumpsit ex Eurip. qui in Phœniss. νέφος ἀσπίδων πυκνὸν φλέγει: *Splendicat nubes densa clypeorum.* Sed neque Eurip. de Sole.

Ocreæ. 8. TVM LÆVES OCREAS.] Numero multitudinis ex veteri more. Ocreata enim vtraque militum olim tibia. Medio quodam æuo immutatus est mos, & iam dextrum, iam sinistrum crus tectum, non vtrumque. De dextro Veget.lib.1.cap.20.*Pedites autem scutati præter cataphractas & galeas, etiã ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere.* De sinistro Silius lib.8.vbi loquens de Sabinis.

Cunctis hasta decus,clypeúsque refertur in orbem,
Vertice & implumes,& læui tegmine cruris
Ibant.——

Sed nulla in his pugna; nam Veget.& Sil. de pedite loquuntur,Virg.de equite, qui etiam contendit ad Homerum scribentem 18.Iliad.

Τεῦχε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο:
Fecit & ei ocreas ex ductili stanno.

De quæstione illa, in qua discrepant Veget.& Sil. videnda, quæ iam lib.7.ad illa, *vestigia nuda sinistri instituère pedis.*

9. ELECTRO, AVROQVE.] Non agnosco *electrum* illud,quod *succinum* dicitur,& succus gummi est,de- A fluitque ex populis ad amnem Eridanum, vt scribit Dioscor.lib.1.Hoc enim fabulosum multi putant.Et Dioscor.non affirmat,tantùm ἱστορεῖται, *narratur.* Et Pausa.de eodem lib.5. σπανίζεται δὲ μάλιστα, vt quod rarum inuentu sit.Plin.clarè lib.37.cap.1.*Falsum* esse ait Sidon.epist.5.lib.1. *In Eridanum breui delatus, cantatas sæpe commessaliter nobis risi & Phaëtontiadas, & commentitias arborei metalli lacrymas.* Hoc igitur,vt falsum,excludo,& admitto illud, de quo ibid. Pausa. τὸ δὲ ἄλλο ἤλεκτρον, ἀναμεμιγμένος ἐστὶν ἀργύρῳ χρυσός: *Est electrum aliud, aurum argento permistum.* Quota argenti pars debeat permisceri,explicat Plin.lib.33.cap. 4. *Vbicunque quinta argenti portio est,electrum vocatur.* Obiicies. Si electrum habet aurum,& argentum,cur additur à Poëta,*auróque*:satis enim fuisset *electro* Audi Str.lib.3.vnde disces, cur Virg.nominato *electro*, addiderit,*auro*,& *recocto*.Verba illius.ἐκ δὲ τοῦ χρυσοῦ ἑψομένου,& καθαιρομένου στυπτηριώδει τινὶ γῇ, τὸ κάθαρμα ἤλεκτρον εἶναι. πάλιν δὲ τούτου καθεψομένου μίγμα ἔχοντος ἀργύρου καὶ χρυσοῦ, τὸν μὲν ἄργυρον ἀποκαίεσθαι, τὸν δὲ χρυσὸν ὑπομένειν: *Ex auro autem excocto, & tenaci quadam creta repurgato purgamentum electrum esse:rursum hoc excoquitur, commistionem auri,atque argenti habens,argentum quidem exuritur,aurum autem remanet.* Inde ergo nominato *electro*.addit,*auro*,rem attingens quantùm Poëtæ licuit: & ait, *auro recocto*, indicans secundam illam coctu- B ram,quod Strabo καθεψόμενον. Ad rem. Electrum est, quod mistum ex argento,& auro:aurum verò recoctum,quód iam caret omni argento, & purissimum est, neque iam electrum est. Ergo ocreæ Virgilianæ factæ ex duplici & diuersa materia,videlicet ex electro,& ex recocto auro,quod fit ex ipsomet electro. Ad hunc etiam modum explicandus est Hesiod. in Scut.cùm ait,

Electrum verũ quod.

C Ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε φαεινῷ
Λαμπόμενον.——
Erat electro subsplendidum, fulgenti verò auro
Splendidum ——

Sed Virg.signatiùs rem attingens *recocto* addidit,quo Hesiodus caret.

10. CLYPEI NON ENARRABILE TEXTVM.] Refert Seru. ad bella,quæ ibi sculpta. Non probo. Ego ad varia metalla,è quibus confectus, & veluti textus clypeus. Itaque,sicuti ocreæ ex electro,& auro factæ,sic potuit clypeus; in quo acumen inuenio. Quasi dicat: Materiam ocrearum potui explicare, clypei nequeo; ideo *non enarrabile.* Neque hoc nouum. Nam Lucret.lib. 6.*ferrea texta.* Sunt qui sententiam referant ad θυσάνους,id est, *fimbrias* scuti; nam Hom.vocat αἰγίδα θυσανόεσσαν. Displicet. Sunt,qui ad multa tergora. Nam ipse alibi, *Transiit intextum tauris opus.* Hoc quoque displicet.Nam fabrica ista Vulcani tantùm ex ære. Clypeus Æneæ. Texta ferrea.

[a] Illîc res Italas,Romanorúmque triumphos,
Haud Vatum ignarus,venturíque inscius æui
Fecerat Ignipotens. [b] Illîc genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio,pugnatáque in ordine bella
Fecerat. [c] & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros,& lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos,& corpora fingere lingua. D

ARGVMENTVM.

Incipit fabrica clypei, in quo futuri Romanorum triumphi, stirps ab Ascanio, bella, lupa nutrix Romuli, & Remi.

EXPLICATIO.

a FINGIT Poëta in gratiam Augusti expressas in clypeo Æneæ res Italas, triumphos Romanorum, & à Vulcano, qui, vt Deus, sciens futurorum. Illud, *haud Vatum ignarus*, est, non ignarus artis vaticinandi.

b Præcessit, Vulcanum fuisse scientem futurorum. Hæc ergo causa, cur incipiat à futura Ascanij stirpe. De Ænea, & de ipso Ascanio non oportuit verbum addi, qui tunc viuebant; nam in hoc nullum vaticinium.

c Transit ad natales Romuli, & Remi. Fecit itaque Vulcanus lupam *fœtam*, id est, quæ iam pepererat, *procubuisse in antro Mauortis*. Accipe istum procubitum non de integro, & pleno iactu in terram; nam statim pueri describuntur *pendentes*, sed tantùm de inclinatione quadam: voluit enim Poëta (ait Seru.) gestum exprimere, qui visebatur in statuis lupæ. Ex multis & Seruij, & aliorum explicationibus hanc elegi. Procedit. Pendebant pueri ex vberibus, ludebant, lambebant matrem, & quidem impauidi, etiamsi feram lamberent, vt iam in illis agnosceres magnum genus: lupa pari amore ceruicem flectebat, mulcebat iam hunc, iam illum, & formabat lingua tenerrima infantulorum corpora. Bene notat Seru. exhiberi à Poëta non tam, quæ erant in pictura (nam inalternatim lambi pueri non poterant) quàm quæ facta intelligimus. *Ceruix teres* est, rotunda, & firma, & porrecta in longum.

NOTÆ.

Comparatio Poëtarum. 1. ILLIC, &c.] Poëtæ sex (mitto alios) vocari in certamen possunt: Græci tres, Homerus, Hesiodus, Nonnus: Latini tres, Virgilius, Statius, Silius. Hi omnes clypeos suos simili apparatu exornarunt. Homeri iudicium sit penes Scaligerum, de quo ait, *licuisse illi in ea verborum opulentia ineptire*. Sed esto, alij defendant: non certè negabunt, illum loqui extra chorum. Nam ea omnia ad Agamemnonem, & bellum Troianum, aut ad Græcos nihil. Hesiodus in Scuto Herculis longissimè Homero præstat, in quo res Herculis non paucæ, & res aliæ vicinæ rebus Herculis: vnde ab hoc plura Virg. quàm ab Homero, mutuatus est. Nonnus lib. 25. Dionys. totus hæsit Homero in effingendo clypeo Bacchi, iaculans etiam extra scopum: tantum in eo certus, quòd Thebarum structionem, & lyram Amphionis persequitur; hoc enim ad Bacchum pertinuit. Latini duo, Statius, & Silius rectius multò, quia ad Virgilij formam: vt enim hic in clypeo Æneæ res Romanas posuit, quia ab Ænea Romani, ita illi sectati sunt debita argumenta. Tu vide Statium lib. 9. ab eo loco,

Arma decent humeros, clypeusque insignis, & auro
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis.

Et Silium lib. 2. ab eo,

A *Condebat primæ Dido Carthaginis arces.*

Nam in clypeo Annibalis æquum fuit exhiberi Carthaginis primordia. Scio ab aliis fabricata scuta cum simili pictura, quos in Notis dabo, vt se occasio dederit. Enituit etiam in re simili ingenium Calabri lib. 5. in fabrica scuti Achillis, qui tamen totus, vt assolet, ad Homeri vmbram.

2. TRIVMPHOS.] Cùm mox sequatur, *haud Vatum ignarus*, non abludit ab hoc loco finitio triumphi, quæ est apud Cedren. pag. 221. ὠνομάσθη δὲ θρίαμβος ἀπὸ τῶν ὕμνων τῶν εἰς τὸν Διόνυσον: θρίασιν γὰρ τὴν τῶν ποιητῶν μανίαν λέγουσιν: *Triumpho nomen est à carminibus, quibus Bacchus celebratur: furorem enim Poëtarum thriasin vocant.* Si ergo id nomen à carminibus poëti- Triumphus vnde dictus.

B cis, & furore poëtico, cur non dicam coniungi ex studio duo illa? Quot obsecro res minore probabilitate ab aliis iactantur in suis commentationibus? Adiicit illud de Baccho, quia is primus omnium triumphauit.

3. PVGNATA BELLA.] Forte à Catull. qui *magna bella pugnata*. Aut à Lucill. qui apud Donat. Comm. Terent. Pugna pugnata.

Vicimus ô socij, & magnam pugnauimus pugnam.

Liu. lib. 8. *bellum à Consulib. bellatũ*. & lib. 9. *pugnam pugnatã*. quod repetit lib. 40. Latini hoc à Græcis. Aristoph. Plut. μέμψιν μέμφεσθαι. ibid. λῆρον ληρεῖ. Quem in locum notat Schol. esse hanc phrasin, & figuram Atticorum, aduocans hæc exempla, μανίαν μαίνε,

C φυγὴν φεύγεις. Tucyd. lib. 1. πόλεμον ἐπολέμησαν. A quo Demosth. περὶ στεφ. πόλεμον πολεμοῦντες. & ab vtroque Xiphil. πόλεμος πολεμεῖται. Volui hoc loco hæc libare, pleniùs lib. 11. ad illud, *furere furorem*.

4. FOETAM.] Verè allucinantur, qui hanc vocem trahunt ad duplicem significationem, in sermone animalium. Semper enim in sermone animalium significat leuatam partu feminam. Plin. lib. 8. cap. 16. loquens de leæna, *cùm pro catulis fœta dimicat*. Silius lib. 10. Fœta muliebre, vnius tantùm significati.

Haud secus ac Libyca fœta tellure leæna,
Inuadunt rapidi iamdudum, & inania tentant
Nondum sat firmo catuli certamina dente.

Dixi signatè, in sermone animalium; nam extra

D hunc exempla suppetunt contrarij significati. Ego iam illa alibi, nunc Silium offero, qui lib. 11.

Multa fœta gerens ira præcordia Pœnus.

Vbi fœta præcordia sunt, quæ adhuc æstuant, ira concepta. Vide 1. Æneid. ad illud, *loca fœta furentibus Austris*.

5. MAVORTIS IN ANTRO.] Explicui, vt vidisti; nam Seru. adducit illud Fabij, *Speluncam Martis*. Itaque dicit, procubuisse lupam in antro Martis, non lupam Martis fuisse fœtam in antro. Huc pertinet Sidon. qui de historia eadem, *antra Rhea* dixit, locum postea adducam. Martis antrum.

6. LVPAM.] An vera hæc, an femina huius nominis, otiosum sit quærere, vbi exstant Liuius, Dio-

E nysius, Plutarchus. Sed Poëtam de vera lupa intellexisse, clarum. Similes successus illorum, qui nutriti à feris, lege apud. Alex. 2. Gen. cap. 31. Vide & Notas Dalecamp. ad lib. 15. Plin. c. 18. vbi de ficu Ruminali. Lege etiam Ælian. lib. 12. Var. Hist. c. 42. & lib. 13. cap. 1. vbi successus Atalantæ simillimus Romulidis. Et natales Lycasti, & Parrhasij Regum Arcadiæ apud Plut. de Fort. Rom. qui etiam nutriti à lupa: & historiam Æsculapij apud Pausf. Corinth. De historia Romuli, in qua sum, audi Plinij iudicium lib. 8. cap. 17. *Quæ de infantibus, ferarum lacte nutritis, cùm essent expositi, producuntur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta ferri aquiùs*, Lupa multorum nutrix.

quam

Locorum similitudo. *quam ferarum naturæ arbitror.* Adduco locum Sidon. A qui Paneg. Maioriani, ad vmbram Virgilij describens clypeum Romæ, ait.

——videas hîc crasso fusa metallo
Antra Rhea, fœtámque lupam, quam fauce relicta
Blandiri quoque terror erat: quanquam illa vorare
Martigenas, & picta, timet,——

Claud. quoque Paneg. Olibr. & Prob. simili historia clypeum ornat,

Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mauortis amor, fœtúsque notantur
Romulei, pòst amnis inest, & bellua nutrix:
Electro Tyberis, pueri formantur in auro,
Fingunt æra lupam, Mauors adamanta coruscat.

Gemini qui. 7. GEMINOS.] Id est, vno partu editos. Plut. Menæchm. eo loci, quo seruus Messenio agnoscit Menæchmum vtrumque.

Vter eratis, tûne, an ille maior? Men. *Æquè ambo pares.*
Mess. *Qui potest?* Men. *Gemini ambo eramus.*

Palilia, vel Parilia. Et obserua obiter geminos vocari à Plauto *pares*. Inde est, vt festa illa Natalitij Romæ dicta *Palilia* à Pale Dea, à multis dicantur *Parilia*, à partu Iliæ, quæ pares geminos edit Remum, & Romulum. Porrò ad locum Plauti adductum allusit Varro lib. 9. Lin. Lat. *In geminis, cum similem dicimus esse Menachmum Menachmo.*

Lupa Romuli. 8. LVDERE PENDENTES PVEROS.] Scribit ex Q. Fabio Pictore Dionys. lib. 1. Antiq. suo æuo Romæ Sacellum extitisse, vbi esset statua huius rei index; videlicet lupa duobus infantibus mammas præbens, opus antiquum, atque ex ære. Statuæ Romuli lactentis meminit Cic. lib. 2. Diuinat. Credendum allusisse Poëtam ad hanc statuam. Et hoc est, quod dixit Seru. Virgilium expressisse gestum, *quem in ipsius lupæ cernimus statuis.* Existimo statuam illam, cuius meminit Dionysius, esse illam, quam Liu. lib. 10. factam scribit ex bonis fœneratorum: *Ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum vrbis sub vberibus lupæ posuerunt*, videlicet Ædiles. Ad versum Virg. allusum ab Iuuenale Sat. 11. eo versu,

Pendentésque Deos perituro ostenderet hosti,

id est, Romulum, & Remum pendentes de lupa. Scio versum hunc aliter ab aliis legi, & aliter explicari. Sed mihi quoque meus genius. Ad rem. Virg. allusit Propert. Eleg. 9. lib. 3.

B *Eductósque pares syluestri ex vbere Reges.*

9. LAMBERE MATREM.] Dionys. lib. 1. ἐδίδου τὰς θηλὰς τοῖς στόμασιν αὐτῶν, καὶ τῇ γλώττῃ τὸν πηλὸν, οὗ κατάπλεω ἦσαν, ἀπελίχμα: *Dabat illis mammas, & lingua abstergebat lutum, quo erant pleni.* Liu. lib. 1. *Summissas infantibus præbuisse mammas, vt lingua lambentem pueros magister Regij pecoris inuenerit.* Ouid. 1. Fast. Lambo, ferarum erga prolem.

Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.

Hoc extremum à Virg. qui statim, *& corpora fingere lingua.* Græci λιχμᾶσθαι dicunt, quod in vno Opp. crebrum, vt cùm ait 3. κυν. de vrsa. λιχμᾶται γλώσσῃ φίλον γόνον. alibi λιχμῶν. nam post pauca: ἄρκτος λιχμῶσα C παῖδας.

Teres ceruix. 10. TERETI CERVICE REFLEXAM.] Ex Lucret. lib. 1.

Atque ita suspiciens tereti ceruice reposta.

Cic. etiam ex Arato de Nat. Deorum:

Obstipum caput, & tereti ceruice reflexum. Reflexa ceruix.

Catull. de Acme & Septim. *Leuiter caput reflectens.* Virg. iterum in 10. *reflexa ceruice.*

11. MVLCERE.] Hinc Sil. lib. 5.

Ceu fœtum lupa permulcens puerilia membra.

[a] Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caueæ, Magnis Circensibus actis
Addiderat. [b] Subitóque nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatióque seni, Curibúsque seueris.
[c] Pòst iidem inter se posito certamine Reges
Armati Iouis ante aram, paterásque tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.
[d] Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabátque viri mendacis viscera Tullus
Per syluam, & sparsi rorabant sanguine vepres.

ARGVMENTVM.

Iuxta conditores erat Roma ipsa, Sabinæ raptæ, &, propter raptum hunc, Sabinorum in Romanos bellum. mox pax Tatij, & Romuli ante aram Iouis, vnà cum sacris, quæ tunc facta. Non inde procul Metius raptatus ab Tullo, quia mendacis & falsæ in Romanos fidei.

EXPLICATIO.

[a] ROMAM Vulcanus iuxta Remum, & Romulum effinxit, & raptum Sabinarum, quod D factum verè improbum. Sed quid illud?

Consessu caueæ Magnis Circensibus actis.

Raptæ sunt Sabinæ mense Martio in Consualibus, qui dicti etiam Magni Circenses, ad quos ludos cùm finitimi conuenirent, non solùm viri, sed feminæ, occasio præbita est raptus. Ergo ait. Addidit Vulcanus Sabinas raptas in consessu caueæ, id est, cùm populus spectaret in Circo; nam Circum vocat *caueam, actis Magnis Circensibus,* id est, cùm agerentur, vt explicat Seru.

[b] Multæ aliæ raptæ sunt; nam non vni Sabini conuenêre ad ludos; sed illi tamen præ ceteris doluêre rapi suas filias. Itaque, statim consurgunt in bellum contra Romanos duce Tatio. Vocat *Cures*, id est, Sabinos, *seueros* à morum grauitate. Scio ab aliis

aliis eam vocem variè explicari. Vocat Romanos *Romulidas*, vt qui ab Romulo. Nam, qui *Romulidas* capiunt pro Romulo tantùm, & Remo, non possunt: ante raptum enim iam Remus ceciderat, & regnabat solus Romulus.

c Sed tandem positis armis ad preces Sabinarum quæ mediæ inter viros & patres, Reges ipsi Romulus, & Tatius, vt erant in armis, conciliatis iam animis, ad sacra accedebant ante aram Iouis, tenebant pateras de more sacrorum, iungebant fœdera cæsa porca.

d Metius Suffetius, cui princeps locus apud Albanos, vocatus est à Romanis, Societatis iure, contra Fidenates; in prælio ad hostes defecit. Potitus victoria Tullus Hostilius transfugam quadrigis binis illigauit, & ita miser discerptus est. Historia hæc in multis obuia, sed non obuia Virgiliana locutio. Vide, an miseriùs potuisset exprimi hic laniatus. Nam distractus in diuersa, raptata viscera, sparsi sanguine, & rorantes veptes. In verbis illis, *at tu dictis Albane maneres.* &, *mendacis viri*, adiungitur causa mortis.

NOTÆ.

1. RAPTAS.] Historiam omitto, vt tritam; tantùm explicabo mores inde pendentes in nuptiis. Quia hi, quorum hoc institutum, minùs dilucidè.

Rapi ex sinu matris.

Primum explicant verba Festi: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur, quòd videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Ex quo more Catull. loquens cum Hymenæo,

Tu fero iuueni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio suæ
Dedis ô Hymenæe, &c.

Cùm enim dicit *fero iuueni*, &, *matris è gremio*, apertè alludit ad raptum Sabinarum. Eundem morem attigit in Carmine Nuptiali,

Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardenti castam donare puellam?
Quid faciunt hostes capta crudelius vrbe?

Ex eodem more locutus Maro in 10. *& gremiis abducere pactas.* Quod verbum vim notat. Pluto apud Stat. 8. Theb. *Siculo rapui connubia campo.* Explicui primum morem. Pergo ad alterum. Ex eadem historiæ, & raptus imagine vsitatum, vt noua nupta non attingeret limen, cùm ducebatur domum sponsi, sed ingressura tolleretur, ac si raperetur. Hoc apertè Plutarchus scribit in Rom. ex quo more Catull.

Limen non attingebat noua nupta.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Lucanus lib. 2. de Nupt. Catonis & Martiæ.

Translata vetuit contingere limina planta.

Et quidem hoc fieri cum respectu ad raptum Sabinarum, liquidum ex Optato, apud quem noua nupta in altum tollebatur, ne limen contingeret, & addit rationem, *vt inuita virginitatem amittere videatur.*

Ratio prima.

Verum est moris huius duas alias adduci posse rationes, Seruij vnam, Iul. Scaligeri alteram. Verba Seruij 8. Eclog. ad illud, *Mopse nouas incide faces*, hæc sunt. *Varro in Ætiis dicit, sponsas faces praire, quod antea non nisi nocte ducebantur ab sponsis. Quas ideo etiam ait, limen non tangere, ne à sacrilegio inchoarent, si depositura virginitatem calcent rem Vestæ, id est, numini castissimo consecratam.*

Seconda.

Videlicet limen, quod sacrum Vestæ. Scaligeri hæc lib. 3. Poët. cap. 101. *Iam illud, nunc quoque, aliquot Italiæ locis seruari videmus: vt egrediens paterna domo nupta pedem tollat, néve attingat limen. Ei rei diuersas causas assignarunt: mihi illa propior vero videtur, ne Magicis pharmacis lædi posset, quæ sub limine ad destruendam coniugum vel concordiam, vel vim genitalem, defodi solent à veneficis.*

Tertia.

Non abeunt hæc Scal. ab illis, quæ ego iam Eclog. 8. ad illud, *Has olim exuuias*, &c. Lege & Plutarch. tam in Romulo, quàm in Quæstionib. Rom. Ex dictis in hac Nota illustrabis Plautum, & Lucretium, qui duo morem attingunt. Prior Casin.

Sensim superattolle pedes limen noua nupta.

Posterior lib. 1.

Nam sublata virum manibus, tremebundáque ad aras
Deducta est, non vt solenni more sacrorum
Perfecto posset claro comitari Hymenæo.

Et quidem Plautus nouam iam rationem indicat moris huius, cùm ait, *sensim superattolle*, ne videlicet caderet, cùm intraret, ideo *sensim*. Nam lapsus siue in aditu, siue in exitu, ominosus. Volui hos duos tantùm mores, quia illi vnicè pendent à raptu Sabinarum.

2. SINE MORE.] Id est, *improbè*, non, *sine exemplo*, vt malè Seru. Itaque formula hæc, *sine more*, par est huic, *malo more*, quæ habetur *l. 19. ff. de negot. gest. & l. 8. ff. quod metus causâ.* Stat. etiam 7. Theb. dixit, *nullo more*, quod idem est. His tribus contraria est forma ista, *more maiorum*, de qua lege Simonem Schardium. Itaque vt istis, *sine more, malo more*, significatur res facta improbè: ita hac, *more maiorum*, significatur res facta laudabiliter. Et, vt omittam Iurisconsulros, certè formam Virgilij, & explicationem meam stabilit Stat. lib. 1. Theb. vbi loquens de Oedippo, ait.

Sine more, id est, improbè.

More maiorũ, quid sit.

Ille tamen Superis æterna piacula soluit,
Proiecitque diem, nec iam amplius æthere nostro
Vescitur: at nati (facinus sine more) cadentes
Calcauère oculos.———

Roges, cur exspuerim Seruium explicantem *sine exemplo?* Quia contra illum Dionys. lib. 1. Antiq. qui post narratum raptum Sabinarum, ita. *Romulus consolatus earum mœstitiam, docuit, non iniuria, sed connubij causâ ipsas raptas fuisse: & demonstrauit morem istum & Græcum & antiquum esse, istámque rationem omnium, quibus inter viros & mulieres matrimonia contrahuntur, esse maximè insignem.* Sed hic mos non excusat improbitatem: sicut neque abeunt ab improbo, qui viuebant ex rapinis; quæ tamen ratio victus frequentissima Gentilibus. Neque verò hic mos desitus (ita malo nostro vitia continuantur) posteriore æuo. Nam simillimam raptui Sabinarum historiam habet Albert. Krantius lib. 2. Hist. Vandalor. cap. 35. vbi Bohemorum Regis filius, amore feruidus, virginem forma præstantẽ, filiam Otthonis I. Imperatoris rapuit ad coniugium. Adest Ottho cum magno exercitu, occurrunt Bohemi, filia patrem precatur pro viro, & impetrat, manet ea cum viro, reducuntur agmina sine noxa. Volui narrare, quia simillimum raptui Sabinarum. Hæc ratio coniugiorum videtur deriuata ad Gentes ex falsis Diis. Nam Iuppiter Europam rapuit, Bacchus Ariadnam, Pluto Proserpinam. Ab his illi Heroës: nam Iason Medeam, Theseus Helenam, & hanc eandem Paris. Vti Seruium explosi, ita & Fabrum 2. Sem. cap. 18. vbi *sine more* explicat, *contra morem*.

Raptus virginum olim in vsu.

Origo eius.

3. CAVEÆ.] Habes in Virg. insignem hunc locum, quo probes caueam dici de Circo. Certè dictant de Theatro, & Amphitheatro, iam alibi. De Circo, non ita in promptu testimonia. Circi caueam refert

Cauea etiã de Circo.

Sext.

Seru. ad vallem, vbi editi ludi. Vide quæ ille de monte Murco, & Dea Murcia. Mihi videtur verosimilius esse, si vox referatur ad spectacula. Omnis enim locus, vbi sunt spectatores, dici quit cauea. Omitto, quia aliis iam à Plauto, & aliunde astructum.

Circenses. 4. MAGNIS CIRCENSIBVS.] De his vide Liu. lib. 1. Sueton. in Iul. cap. 39. Sed quos non? Non vacat *Magnis*. Ludi enim Circenses spectatissimi omnium, & celebratissimi. Neque hoc solùm, sed simpliciter dicti *Magni*, vt etiam *Romani*, ex dignitate. Itaque, cùm audis ludos *Magnos*, & *Romanos*, intellige *Circenses*. Adiicio adhuc *Plebeios*, & esse eosdem cum Circensibus, quod iam alij ex Liuio, Valerio, Asconio. Et, tametsi ludi alij editi fuerint in Circo, vt Cereales, quod ex Ouid. 4. Fast. facilè elicitur, non tamen icc irco Circenses, quod iam contra Politianum Bulengerus. Scio ab his, quæ dixi, aliquos dissentire, nec putare *Romanos* ludos debere confundi cum *Circensibus*. Sed audiant isti verba doctissimi Asconij Pediani in Verr. 1. *Romani ludi sub Regibus instituti sunt, Magnique appellati, quòd magnis impensis dati. Tunc enim primùm ludis impensa sunt ducenta millia nummûm. Alij ideo Magnos ludos dictos putant, quòd Conso consiliorum, secretorumque Deo, id est, Neptuno, & Diis Magnis, id est, Laribus vrbis Romæ dati sunt: quibus ludis aiunt rapias Sabinas, vt videatur propter hoc dicere Virgilius, Magnis Circensibus actis. Nam Magni, & Circenses iidem sunt.* Hæc ille. Adde etiam, *Consuales*, & *Circenses* esse eosdem ludos. Nam cùm Liu. lib. 1. & alij dicant, raptas Sabinas in Consualibus, atque etiam Ouid. 3. Fast. in illis, *Festa para Conso*, &c. & Virgilius in Circensibus, liquidum, quod dixi, apparet ex hac collatione. Ergo, *ludi Magni*, *Romani*, *Consuales*, *Circenses*, *Plebeij*, iidem sunt ludi. Vidisti in hoc excursu, quare hi ludi dicti *Magni*. Sed certè hæc magnitudo non aliunde meliùs elici queat, quàm ex verbis Tertull. de Spectaculis: *Sed Circensium paulo pompatior suggestus, quibus propriè hoc nomen pompa præcedit, quorum sit in semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant: quot collegia, quot Sacerdotia, quod officia moueantur, sciunt homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuenius consedit.* Finiam Notam adducto etymo Circensium. Varro, *quòd ibi circum metas pompa feratur.* Tertull. scribit, Gentiles putauisse id nominis contigisse Circo à Circe Solis filia, quæ patri prima omnium hoc munus edidit. Idem etiam Isid. scribit. Illud de ensibus Cassiodori, & Seruij, ridiculum. Volo scias in exitu, non esse eosdem ludos Magnos, & Megalesia, sed planè distinctos. Sed hoc non meum est. Omitto.

Magni ludi Circenses, & Romani, & Plebeij, & Consuales. Circensium apparatus, & Etymon.

5. CONSVRGERE BELLVM.] Ad hoc bellum vnos Sabinos, aut Cures (quod idem) Maro aduocat, vt qui poëticè rem. Sed apud Liu. lib. 1. Ceninenses, Crustumini, & Antemnates ad id bellum conspirant. Ouid. quoque 3. Fast.

Immunère Cures, & quos dolor attigit idem.

Tatij elogium. 6. TATIOQVE SENI.] Exstat apud Liu. Tatij elogium hoc: *Maximum Tatij nomen in his regionibus erat.*

Sabini seueri moribus. 7. CVRIBVSQVE SEVERIS.] Cicero epistol. ad Trebonium, loquens de quodam alio: *Modestus eius vultus, sermóque constans habere quiddam à Curibus videbatur.* Horat. *Rigidos Sabinos.* Iuuenal.

——sanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.

Martial. lib. 1.

Casta, nec antiquis cedens Læuina Sabinis,

A

Et quamuis tetrico tristior ipsa viro.

Liu. loquens de Numa: *Disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinorum.* Debes hanc Notam Aldo lib. 1. Quæsitorum, & mihi Plutarchum, à quo disco rationem huius seueritatis; nam de illis κωμας δ' ᾤκουν. Etenim illi, qui vicatim degunt, seueriores sunt, & penè rusticiores. Fuit *Cures* Sabinorum oppidum, cui Tatius imperabat.

8. PATERASQVE TENENTES.] De hoc more alibi.

9. CÆSA IVNGEBANT FOEDERA PORCA.] Liuius *porcum* maluit ad hunc ritum fœderis. Nam lib. 1. *Sic ferito (ô Iuppiter) vt ego hunc porcum hodie feriam.* Varro etiam in fœderibus cæsum *porcum*. Et indicat morem sumptum à Regibus Hetruriæ, in quorum coniunctione nuptiali noua nupta, & nouus maritus *primum porcum* immolabant. Inde fortasse Seruij ὀλιγωρία, qui ait Virgilium falsum, quòd *porcam* adhibeat. Verè ipse fallitur; nam etiam porca adhibita. Sueton. Claud. cap. 25. *Cum Regibus fœdus in foro icit, porca cæsa, ac veteri Fecialium precatione adhibita.* Festus. *Porci effigies inter militaria signa locum quintum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsa porca fœdus firmari solebat.* Quin Liuium ad Virgilium trahamus. Docet enim Turneb. potiùs & de femina dici, testimonio Ciceronis, qui dixit, *porco femina piaculum dare.* In quam rem affero fulcrum aliud. Nam Græci ἄνθρωπον simpliciter sumunt pro femina. Demosthen. enim de falsa legatione, εἰδυιῶν τῆς ἀνθρώπου. Est & pro Marone trita iam Nota, in sacris omnibus potentiores esse femineas victimas. Inde est, vt, si per marem non fieret litatio, succidanea esset femina, vt potentior: contrà, non litato per feminam, nulla iam erat succidanea.

Porcus in fœderibus. Seruij nugæ. Porca in fœderibus. ἄνθρωπος simpliciter pro femina. Feminæ victimæ potentiores in omni sacro.

B

C

10. PORCA.] Notetur sententia Athen. scribentis lib. 9. σῦν, id est, *suem*, ab aliquibus dici θῦν, τὸν εἰς θυσίαν εὔθετον, *quasi thyn quòd aptus sit sacrificiis.* Dicit hoc, quia θύω Græcis est *sacrifico*. Idem scribit Clemens Alex. in Strom. Nec noua est hæc mutatio. Sic σιὸς, θιὸ: σίβυλλα, σιβύλλα, &c. Fuit quippe semper porcus hostia mystica, inde sacris adhibitus. Plaut. ad expiandum insanum in Menæch. quærit. *Quanti hîc sunt porci sacris?* Hæc eò pertinent, vt intelligas suem potissimam esse inter hostias. Quam ad rem trahendus Varro, qui lib. de Re Rust. ait, initium immolandi sumptum à pecore suillo.

Sus potissima inter hostias.

D

11. METIVM.] Historiam huius vide in Dionys. lib. 3. & Liu. lib. 1. Vulgus appellat Metiū Suffetium. Sed viri docti (nunc mihi in oculis Philander, Sigonius, Columna) notant falsò ita inscribi in codicibus Liuij, aliorúmque scriptorum, cùm debeant scribere *Metium Fufetium*. Orosius etiam lib. 2. cap. 4. *Fufetium* nominat. Sed & idem Orosius *Mettum* legit, non *Metium*; vt etiam Seruius. Nihil hoc moror, sicuti neque rixam eiusdem Seruij cum Donato de voce *citis*. Lege contra illos Turn. lib. 6. Adu. cap. 24. Certissimè Virg. allusit ad Circum: & Plaut. Aulul. dixit, *citis quadrigis cenius, properes persequi.*

Fufetius, nō Suffetius. Citæ quadrigæ.

E

12. IN DIVERSA.] Est hoc, quod Ouidius Elegia tertia libri primi Tristium *in contraria*, eo disticho,

In diuersa.

Sic doluit Metius tunc, cùm in contraria versos
Vltores habuit proditionis equos.

Ita legit versum hunc Elias Vinetus, non, vt vulgò, *Priamus*.

13. QVADRIGÆ DISTVLERANT.] Eodem significato Horat. Epod. *Membra differant lupi.* Græci ad verbum διαφέρειν. Liu. de hac ipsa historia corpus

Differre, de raptatione.

distrahendum. Sophoc. Elect. πῶλοι διασπάρησαν. Ibidem de rapto homine, φορούμενος πρὸς οὖδας. Non dissimili verbo Nazianz. Orat. 25. de his, qui pereunt diuerso elemento, aqua, & igni. ὕδωρ (ait) καὶ πῦρ ἐμερίσαντο πρεσβυτέρους. De verbis *dispico*, & *displico* ad eandem rem, ego hîc nolo, quia iam Iunius lib. 3. Animad. cap. 12. Ceterùm de supplicio ipso inuenio parem fermè locum in Elect. Sophoclis.

Dispico. Displico.

Locorum similitudo.

Ἢ ἢ χαλαργεῖς ἐν ἀμίλλαις,
Οὕτως ὡς κείνῳ δυστάνῳ
Τμητοῖς ὁλκοῖς ἐγκῦρσαι;
Etiámne in incitatis certaminibus,
Quemadmodum ille miser,
Sectilibus tractibus discerpantur?

B

Est & in vita Teclæ apud Metaphrastem simillimum. ἐκδύσαντες ξένην τῶν ποδῶν Θέκλαν μέσην τῶν ταύρων ἐξάπτουσιν. εἶτα πυρωθέντα τὰ σίδηρα τοῖς αἰδοίοις ἐκείνων ὑποτιθέασιν, ἵνα οὕτω διαταραχθέντα τὰ ζῶα, καὶ τὴν φυσικὴν ἀγριότητα ἔτι μᾶλλον ἐρεθισθέντα ἑλκύσωσί τε ταχύτερον, καὶ ἀπολέσωσι Θέκλαν: *Theclam itaque exutam, mediam inter tauros pedibus illigant, deinde ferrum igne candens eorum genitalibus subiiciunt, vt animalia infestata, & ad naturæ insitam feritatem magis irritata Theclam citius differant, atque interimant.* Ab hac carnificina non distant supplicia illa, quibus absumpti sæpe fortissimi Christi athletæ, illigati diuersarum arborum ramalibus contra naturam inflexis, vt mox dissiliens quodque, corporis partem abriperet. Quod supplicij genus multo antè in Persis hæsit, narrátque in Alexan. Plutar. ita absumptum Bessum, qui Darium necauerat. Nec dissimile est supplicium nauticum, quo miser necandus diuersis scaphis illigatur, & discerpitur.

Raptatio, supplicij genus.

A

Persarum supplicium.

14. Viri mendacis.] *Perfidum* vocat Claud. Paneg. 4. Hon.

Perfidiam damnas? Metij satiabere pœnis.

15. Vepres.] Claud. Bell. Gildon.

Exemplum sequerer Tulli, laniandáque dumis
Impia diuersis aptarem membra quadrigis.

Cum aliqua allusione ad Virg. scripsit Auctor Thebaidos,

——— *quà per horrentes rubos*
Tauri ferocis sanguis ostentas fugas.]

Et Virg. cum clara allusione Eurip. in Bacchis, vbi corpus Penthei laceratur in syluis, & vepretis, ὕλαις ἐν βαθυξύλῳ.

Imitatio.

[a] Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentíque vrbem obsidione premebat.
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
[b] Illum indignanti similem, similémque minanti
Aspiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluuium vinclis innaret Clœlia ruptis.
[c] In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleóque recens horrebat Regia culmo.
[d] Atque hîc auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
[e] Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscant
Gesa manu, scutis protecti corpora longis.

ARGVMENTVM.

Sequitur duplex historia, prima Porsennæ volentis restitui Tarquinium, dolentísque propter facinus Coclitis, & Clœliæ: Manlij altera defendentis Capitolium à Gallis beneficio anseris; describitur obiter Gallorum habitus & arma.

EXPLICATIO.

[a] Tarqvinivs Roma pulsus ad Porsennam confugit Regem Tuscorum. Hic infesto exercitu Romam venit, Ianiculum cepit repentino impetu, vrbem obsedit. Hæc omnia cælata erant in clypeo. Contrà, Romani gloriosè dimicabant, adeò vt in ferrum & mortem ruerent pro tuenda libertate, id est, pro tuendis Consulibus, & Rep. Libertatis enim dulcedine nolebant, semel in illam asserti, Regibus se iterum submittere.

C

[b] Effinxerat Vulcanus Porsennam cum ingenti indignatione & minis ad facinus Coclitis, & Clœliæ. Narro breuiter. Vnus tantùm aditus relictus Porsennæ ad inuadendam vrbem per pontem Sublicium, hunc Cocles occupauit, & impetum hostium excepit, obstinato hærens gradu, donec à tergo ruptus pons, Cocles in fluuium armatus desiluit, & incolumis ad suos tranauit. Pergo ad Clœliam. Virgo hæc data *Porsennæ, vna ex obsidibus, cùm castra Hetruscorum fortè haud procul ripa Tyberis locata essent, frustrata custodes, dux agminis virginum inter tela hostium Tyberim tranabit, sospitésque omnes Romam ad propinquos restituit.* Attuli verba Liuij. *Romani* (ait idem) *nouam in femina virtutem nouo genere honoris, statua equestri donauêre. In summa sacra via fuit posita virgo insidens equo.* Dionys. addit commentum, quo elapsæ virgines.

Nam petunt à custodibus, vt liceat flumen adire lauandi causâ, impetrant: deinde petunt, vt recedant pudoris causâ, hoc quoque impetrant. mox amnem tranant. Sed quid illud, *rupiis vinclis?* Duplex explicatio. Dici potest rupisse vincula, quæ frustrata est custodias. Vel referenda est sententia ad ipsum fluuium. Tranauit Clœlia amnem natatu, quia is sine ponte, nam is iam ruptus. Est quippe pons veluti vinculum. A

c Sequitur Manlij facinus, quod in summa parte clypei. Probè: nam arces in summa parte vrbium esse solent. Sed quæ historia? Occuparant Galli Senones, duce Brenno, Romam, in qua tantùm Capitolium fuit reliquum, & in hoc penè irripuissent, nisi Manlius custos illos detrusisset excitatus clangore anseris. In illis, B

Romuleòque recens horrebat Regia culmo,

meminit casæ Romuli factæ ex stramentis, & culmis pauperibus fastigiatæ. Erat hæc in Capitolio.

d Erat in clypeo anser effictus similis volanti, & ex argento ipse, cùm tamen porticus capitolij auratæ essent. Hoc ad varietatem picturæ, nam Capitolium horrebat culmis, porticus erant auratæ, anser argenteus. Canenti similis anser videbatur, cùm iam Galli adetant Capitolium penè penetraturi. Sic enim capiendum illud, *arcémque tenebant.* Non enim tenuerunt, sed penè tenuerunt. Ideo Poëta consultissimè imperfecto, *tenebant*, vsus. Adhibet circumstantiam temporis, tenebras, & somnum, tunc enim facilior irruptio. C

e Habitus Gallorum. Cæsaries aurea, & barba aurea signat colorem rutilum comæ, & barbæ. Sagula virgata, colla cādida, torques in collis aurei, cuique gesum duplex in dextera, in sinistra scutum longum ad corpus tegendum.

NOTÆ.

Vergilius defenditur. 1. OBSIDIONE PREMEBAT.] Vidi, qui Poëtam damnaret; aiebat enim vrbem non obsessam à Porsenna, tantùm castra iuxta illam locata in Ianiculo. Qui hoc obiicit, legat Dionys. lib. 5. qui clarè ait, Romanos intra vrbem compulsos & obsessos. Id etiam clarè Liu. lib. 2. *Porsenna primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda vrbe ab obsidendam versis, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano, ripisque Tyberis castra posuit.* Lege, quæ sequuntur, in quibus mera & perspicua obsidio: tantùm Poëta, vt qui non historicus, tempus mutauit; præmisit enim obsidionem facto Coclitis, & rupto ponti, cùm contrà acciderit. Nam priùs ille vrbem inuasit, à quo consilio repulsus facto Coclitis, deinde obsedit. Lege Silium lib. 10. ab illis: *ingentia bella Clusina venere domo.* D

Porsenna Romam obsedit.

Libertate nihil dulcius. 2. PRO LIBERTATE.] Qua nihil dulcius. Eurip. apud Stob. serm. 47.

Τὸ λεύθερον γὰρ ὄνομα παντὸς ἄξιον.
Κἂν μικρ' ἔχῃ τις, μεγάλ' ἔχειν νομίζεται:
Libertatis nomen rei omni præferendum.
Pauca etiamsi quis in illa habeat, magna se habere putat.

Notetur locus Simocattæ lib. 1. Hist. Maur. cap. 4. qui ῥωμαϊκὴν ἐλευθερίαν, *Romanam libertatem*, veluti prouerbialiter dixit; & addit illam esse δίκην σώφρονος δεσποίνης, *instar pudicæ dominæ*: ac proinde velut in thalamo custodiendam, neque constuprandam, id est, semper retinendam integram saluámque. & cap. 5. ait. τί γὰρ ῥωμαΐων τῶν πώποτε γῆς ἐκκλησίασεν ὑπὲρ ἐλευθερίας ἀθ-

Romana libertas. Prouerb.

λόντων; *Quæ vnquam fuit gens Romanis pro libertate decertantibus illustrior?* A

3. INDIGNANTI SIMILEM.] Græci ita omnino. Nam ὅμοιος πράξαντι, πλαττομένῳ, τεχθεῖς.

4. PONTEM AVDERET QVOD VELLERE.] At non ipse Cocles, sed Romani: nam ille tantùm hostem sustinuit. Sed defendi potest: nam Cocles auctor facti & audaciæ illius. Liuius de illo: *Itaque monere prædicere, vt pontem ferro, igni, quacunque vi possint, interrumpant: se impetum hostium quantùm corpore vno posset obsisti, excepturum.* Paria Dionys. lib. 5. Ad hunc modum explicui alio in loco Neptunum & Phœbum dici posse conditores Troiæ, quia auctores. Dicit *vellere*, pro, *reuellere*. Propert. Eleg. 11. lib. 3. *abscissos pontes.* Pons Coclitis.

5. COCLES.] Gloria, quæ secuta Coclitem ex hoc facto, ita Dionys. lib. 5. *Hoc facinus illi immortalem gloriam comparauit. Confestim enim Romani eum coronatum celebrantes in vrbem retulerunt, vt vnum de Heroibus: ac tota vrbana turba egressa effundebatur, cupiens, dum adhuc superstes esset, eius vultum postremò videre.* Liu. 16. ait; *Rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quàm fidei.* B Coclitis elogium.

6. CLOELIA.] Silius lib. 10. ita hanc celebrat. Clœlia.

——bis Clœlia senos
Nondum complerat primæui corporis annos,
Vna puellarum Laurentum, ac pignora pacis,
Inter virgineas Regi transmissa cateruas
(Facta virûm sileo) Rege hac, & fœdere, & annis
Et fluuio spretis, mirantem interrita Tybrim
Tranauit, frangens vndam puerilibus vlnis.

Vide Auctorem Pang. Constantini, qui celebrat Clœliæ, & Horatij facinus. C

7. TARPEIÆ MANLIVS ARCIS.] Historia Manlij, & cur Capitolium dictum *rupes Tarpeia*, obuium cuique.

8. CAPITOLA CELSA.] Nolo hîc desint versus Posthumij Albini citati Vrsino. Capitolia celsa.

Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte Deum patuêre, cui freta nulla repostos
Abscondêre sinus, non tuta mœnibus vrbes.

Quis hic Albinus lege in Vrsino.

9. HORREBAT REGIA CVLMO.] Non hoc ex historia sumpsit, sed ipse vidit. Nam Vitruu. qui vixit æuo Iulij, ita scribit lib. 2. cap. 1. *Athenis Areopagi antiquitatis exemplar ad hoc tempus luto tectum. Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa, in arce sacrorum, stramentis tecta.* Prudent. lib. 2. in Symm. Romuli Regia ex stramentis. D

Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo.

Tibull. Eleg. 2. lib. 2.

Et stabant humiles in Iouis arce casæ.

Petron. etiam *Romuliam casam* dixit. Sen. 9. Controu. *Colit etiamnum in Capitolio casam victor gentium populus.* Ait, *etiamnum*, quod æuum & post Virgilium. Ouid. 3. Fast. Casa Romuli.

Quæ fuerit nostri, si quæris Regia, nati?
Aspice de canna, straminibúsque domum.

Expressè *aspice*, quia æuo superstabat, & hoc idem cum Virgiliano. Idem 1. Fast. E

Dum casa Martigenum capiebat parua Quirinum.

Hanc casam fuisse *Curiam Calabram*, Seru. explicat. Sic dicta est à *calando*, quòd ad eam Senatus calaretur, id est, vocaretur. Inde Prop. Curia Calabra quæ.

——in pratis sæpe Senatus erat.

Lege de hac Curia Macrob. lib. 1. Sat. cap. 15. Notet verò diligenter Lector, duplicem fuisse casam casam Romuli; vnam in Palatio, cuius meminit Dionys. lib. 2. & Victor: alteram in Capitolio, & de hac capiendus Virgilius. Nam post mentionem Capitolij, statim, vt vides, de ea casa loquitur. De eadem capiendi Romuli casa duplex.

piendi necessariò Vitruu.& Tibull. quos iam adduxi. Nam primus id clarè: alter indicat ex mentione illa Iouis. Nam τὸ *in Iouis arce*, est, in arce Iouis Capitolini. Adiice etiam de hac eadem capiendum Martialem Epig.80.lib.8.cùm scribit,

Sic priscus seruatur honos, te preside, templis,
Et casa tam culto sub Ioue Numen habet.

Et quidem plures fuisse Romuli casas, satis colligo ex Dionys.qui lib.2.ita: *nunc vna cuo meo superest.* καὶ ἔτι ἐμοί. Plures ergo. Itaque, credamus factas reliquas ad similitudinem primæ, causâ religionis augendæ.

Picturæ varietas.

10. AVRATIS.] Expendebam varietatem picturæ, in qua alia argentea, alia aurea; vt cùm Hesiod. in Scuto Herculis exhibet vnica periodo τίτανον, ἐλέφαντα, ἤλεκτρον, χρυσὸν, κύανον: *gypsum, ebur, electrum, aurum, cyaneum colorem.* Idem animaduertes in Calab. lib.5. vbi quædam coniunctim exhibentur, aurea, argentea, ærea.

Argenteus, pro, cādidus.

11. ARGENTEVS.] An, quia ex argento, quod primò obuium? an, quia candidus? Nam Propert. Eleg. 4. lib.4. *argentea lilia.* & Thetis ab Hom. propter candorem ἀργυρόπεζα.

12. ANSER.] Historia vbique nota. Ouid. alludens ad eam dixit 1. Fast. *Capitolia defensa.* & 2. Metamorph. *defensuris anseribus.* vt & Plin. lib. 10. cap. 22. *Est & anseri vigil aura, Capitolio testata defenso.* Basilius in Hexam. vocat genus anserum ἄγρυπνον, *insomne*, & πρὸς τὴν τῶν λανθανόντων αἴσθησιν ὀξυτάτην: *acerrimum ad sentiendum quicquid lateat.* Ducitque argumentū ab hac ipsa historia; nam illi τὴν βασιλίδα πόλιν διεσώσαντο: *seruauerunt Regiam ciuitatem.* Propert. Eleg. 3. lib.3.

Anser insomnis,

Anseris & tutum voce fuisse Iouem.

Lucret. lib.4.

——humanum longè præsentit odorem
Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Sed libet quærere rationes huius facti. Tres inuenio. Prima est, hoc animal esse amicum homini: quod clarum ex Plinio, qui ait Olenum puerum Argis amatum ab ansere. Plutarch. etiam de solertia animalium proponit τὸν ἐν Αἰγύπτῳ παιδεραστήσαντα χῆνα, *anserem, qui in Ægypto amauit puerum.* En prima causa, cur excitarit suos Romanos dormientes. Altera, quia præsagum est animal, quod Plin. scribit lib.18. cap.35. & à Plut. dicitur ἱερόν. Tertia petatur à Plutarch. Orat.1. de Fort. Alexandri, cùm præmiserit esse hoc animal φυλακτικώτατον, *vigilantissimum*, subiicit tantæ vigilantiæ rationem hanc: *Id animal ea natura est, vt facilè expauescat, & ad omnem strepitum perturbetur. Et tunc ob magnam in arce difficultatem rerum, quia negligebamur, leui & famelico somno iacebant. Itaque statim sensum perceperunt hostium*, &c. En causas. Sed quis honor habitus volucri? Audi eundem Plut. ibidem: *Etiamnum solenni pompa gestatur canis in crucem actus, & anser splendidè admodum in lectica, & veste stragula pretiosa sedens.* Vide eundem in vita Camilli. En primus honor. Alter. Plinius loco laudato: *Quamobrem cibaria anserum Censores imprimis locant.* Meminit & Cic. pro Sex. Rosc. & Arnobius lib.6.

Amicus hominum,

Præsagus,

Pauidus,

Anseris honores.

Insidiæ in vallibus, & dumetis.

13. PER DVMOS.] Tacitè carpit Gallos; notat enim insidias, quæ tendi solent in syluis, vallibus, dumetis. De qua re iam in Eclog.4. dicam etiam lib. 11. Porrò ad saporem Virg. Stat. 2. Theb.

Fert via per dumos propior, qua calce latenti
Præcelsam, densæq; legunt compendia syluæ.

Lucan. lib.6. loquens de Cæsare,

Signa mouet, tectusque vias dumosa per arua.

Donum noctis.

14. DONO NOCTIS.] Græci sæpe somnum dicunt δῶρον θεῶν: vt etiam Latini, *donum Deorum somnum.*

A

15. AVREA CÆSARIES.] Attollit Musam suam dans aurum Gallis, quorum comæ rutilæ, & flauæ. Liu. de illis lib.38. *promissæ & rutilatæ comæ.* Tertullian. lib. de cultu feminarum, Gallis dat *colorem croceum.* Hunc ergo colorem siue *flauum*, siue *rutilum*, siue *croceum* Poëta *auro* expressit. In genere Septemtrionales omnes hoc sunt colore. Sic Val. lib. 6. Samothracas facit *flauos crine*, vt Iuuenal. Germanos Sat. 13. & Vitruuius lib.6. cap.1. *directo capillo, & rufo.* Cæterùm ex loco Virgilij, in quo sum: tum etiam ex versibus Silij lib. 4. probat Velserus lib.1. Rer. Boicarum, non Gallos solùm, sed Boïos etiam capiendæ Romæ interfuisse, imò præfuisse. Nam videlicet notas, quas Gallis attribuit Virg. Boïs dat Silius, his versibus.

Flauus crinis Septemtrionalibus.

Boij Romā ceperunt.

B

Boïorum ante alias, Chrixo duce, mobilis ala
Arietat in primos, obiicitque immania membra,
Ipse tumens, atauis Brenni se stirpe ferebat
Chrixus, & in titulos Capitolia capta trahebat,
Tarpeiòque iugo demens, & vertice sacro
Pensantes auro Celtas vmbone ferebat.
Colla viri fuluo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ vestes, manicæq; rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

Sed satis est, demus illos *interfuisse*: nam *præfuisse*, quis audeat in tanta historiarum luce, quam non obnubilabit profectò vnus Silius?

C

16. CÆSARIES.] Fuit semper cæsaries nota bellicæ virtutis, atque ex hoc animo data magnis viris à magnis scriptoribus. Et quidem Æneam cæsariatum inducit Virg. ad indicandam militarem illius virtutem: & Traianum Plin. Paneg. *ad augendam maiestatem ornata cæsaries.* Nescias enim quam ferocitatem indicat coma prolixa. Hanc rem multa probant. De prædonibus ait Heliod. lib.2. Hist. Æth. aluisse illos comam, vt terribiliores apparerent. Nam, sicut coma prolixa amatores efficit gratiosiores (ait ille) ita prædones formidabiliores. Quam ad sententiam pertinent vnicè verba hæc Ambros. lib. 6. Exam. *Comam esse reuerendam in senibus, venerandam in Sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adolescentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris.* Sed cùm Virgilius Gallis det hanc notam, vt faciat terribiliores, adducam aliqua huic rei firmandæ. Ab Eurip. in Orest. Menalaus inducitur ἐπ' ὤμων βοστρύχοις γαυρούμενος. Philost. facit Achillem ὀρθοθρίχα, ab densissima coma. Silius lib. 6. de illa, *terribilis decor.* Suos Græcos Hom. sæpe καρηκομόωντας. Plut. Apoph. ait, Barbaros cæsarie effici φοβερωτέρους. De Germanis Ammian. lib. 16. *sæuientium comæ fluentes horrebant.* Luctatores olim cæsariatos fuisse apparet ex Eurip. apud quem Pentheus Bacchum increpans, quòd comam longam gestaret, ait.

Cæsaries nota virtutis.

Comæ capillis.

D

Πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς, οὐ πάλης ὕπο:
Tibi coma est prolixa, non propter luctam.

Quasi dicat: propter mollitiem. Sed quidem cùm Poëtæ sermo sit de vnis Gallis, notanda verba Liuij lib.38. qui cùm de illis loquens dicat, *omnia de industria comparata ad terrorem*, inter reliquas terroris notas dat illis *promissas comas.* Ita in genere omnes Septemtrionales. Sueui videlicet apud Tacitum de moribus Germanorum. Thraces apud Eurip. in Hecub. nam Polymestor κόμης tenetur, trahitur, agitatur. Gotthi ab Cassiodor. lib.4. cap. 49. inde illi simpliciter dicti *capillati.* Volo hîc notes morem quorundam Barbarorum, qui cùm à fronte tonderentur, à tergo comam alebant, quod de Abantibus scribit Plut. in

E

Septemtrionales promissa coma.

Capillati, id est, Gotthi.

Cæsariati tergo.

in vita Thesei. Vnde Pollux illos vocat ὀπισθοκόμας. & ab Hom. 2. Iliad. dicuntur ὄπιθεν κομόωντες. Lucanus hos dixerit *crine refugo*; nam de gente Indorum loquens lib. 10. *refugósque gerens a fronte capillos.* Est hoc omnino, quod Sidon. epist. 2. lib. 1. *Capitis apex rotundus, in quo paululum a planicie frontis in verticem cæsaries refuga crispatur.* De vnis Regibus Gallorum vide locum nobilem apud Agath. lib. 1. Hist. vbi loquitur de Clotomero, qui obiit eo prælio, quod gessit aduersùs Burgundiones, quem ego, vt satis longum omitto.

Refugus crinis.

17. OLLIS.] Litteræ, *i*, & *v*, cùm sint exiles, transeunt sæpe in *o*, grandem & vocalissimam litteram. Sic *ollis*, pro, *illis*. Sic in Script. apud Smettium, *Dederont. Hercoli. sont, Consoles*, pro, *Dederunt, Herculi, sunt, Consules.*

Illo.

18. AVREA VESTIS.] Id est, *aurea barba*. Ita Seruius, Germanus, Gifanius, & docti quique. Vide, quæ iam ego suprà in hoc lib. ad illud, *vestibat flore iuuenta*.

Vestis pro barba.

19. VIRGATIS LVCENT SAGVLIS.] Propertius quoque lib. 4. Eleg. 11. Virdomaro Regi Gallorum dat braccas *virgatas*. Sed quæ *sagula virgata*? In quibus scilicet colores distincti instar virgarum. Proprietate vocis vsus Catull. vocans calathos ex virgis *virgatos*. Itaque intelligit Poëta, fuisse hæc sagula ῥαβδωτὰ, aut *segmentata*, vel *picta*, & *versicoloria*; vt satis indicat *Sil.* nam tigrim feram *virgatam* vocat, loquens de equo Flamminij Consulis, cuius equus instratus *caucaseam virgato corpore tigrim*. Senec. quoque Hippolyt. *virgatas tigres* dixit. & in Octau. *virgata vbera*, etiam de tigri. Sic ergo *virgata sagula* erunt *versicoloria*. Hom. scutum Sarpedonis exornat lib. 12. Iliad. χρυσείῃς ῥάβδοισι διηνεκέσιν: *continuis aureis virgis*. Et ego credo has virgas esse, quæ eidem 11. Iliad. dicuntur οἶμοι in scuto Agamemnonis, id est, *via, semita*. Addit Scalig. in Coniectan. aliud ad perfectam cognitionem formæ huius, videlicet esse has virgas *scutulas*. Nam, quæ Diodor. loquens de sagis Gallorum vocat πλινθία id est, *laterculos*, Plinius *scutulas* reddit. Atqui Diodor. hoc sagulum ῥαβδωτὸν nominat, id est, *virgatum*. & Pollux ῥαβδωτόν. Erat igitur hoc opus quadris veluti latereulis distinctum. Plin. idem cap. 48. lib. 8. *inter artifices vestium*; tum etiam: *scutulis diuidere, Gallia*. Certè Liu. in funda *scutale* vocat illud, quod est in medio fundæ. Plinius quoque maculas, & plagulas in retibus vocat *scutulas*, vt cùm loquitur de cassibus araneorum. Quod addunt alij, interque illos Scalig. hæc πλινθία, aut scutulas *reticulatas* fuisse; intellige (explicante Velsero lib. 1. rerum Boicar.) sagula in tessellatam propè speciem distincta, & interstincta, vt si quis plagas retium pictis tabellis solidaret. Hæc de forma. Sed quis color sagulorum? Non desunt viri docti, qui capiant purpuram. In his sunt Cælius lib. 16. c. 7. & Germ. Hi duo in Virg. παρυφὰς agnoscut. Sunt autem παρυφαὶ virgæ purpureæ intextæ vesti, inde & ἐπάρυφος. Huc pertinent verba interpretis veteris Iuuenal. in Sat. 8. *Qua tunica* (Galli) *vtuntur in sacris in modum organi vtrinque decrescentibus virgulis purpureis.* Imò Seru. *virgatis* explicat *purpuratis*; & ait lingua Gallorum dici virgam. Trahi etiam in argumentum potest verbum Poëtæ *lucent*, quod depurpurata dici alibi indicabam. Et clarè Silius lib. 3.

Virgata sagula quæ.

Vix in scuto quæ. Scutulæ.

Scutale fundæ.

Paryphi virgæ.

——humeróque refulget

Sanguinei patriam saguli decus.——

Probauit tamen iam Lipsius ex Valar. & Hirt. non semper sagum fuisse purpureum, sed interdum album. Vnde lux accedet Martiali in illo versiculo,

Vis te purpureum Marce sagatis amem?

20. SAGVLIS.] Hæc vox à sago ducitur. Quæ sint saga Appian. explicat in Iberic. loquens de Lusonibus Hispanis accolis Iberi fluminis. χρῶνται δὲ διπλοῖς ἱματίοις παχέσιν ἀντὶ χλαμύδων, αὐτὰ περιπορπούμενοι, καὶ τοῦτο σάγον ἡγοῦνται: *Vtuntur duplicibus vestimentis crassis chlamydum vice, & fibulis connectunt, eáque pro sagis ducunt.* An hoc indumentum Galli ab Hispanis acceperint, an contrà (cùm Celtæ ad nos peruenerunt, vnde nomen Celtiberorum) non satis liquidum. Dici possunt Galli ab nostris accepisse argumento voculæ in Hispania adhuc hærentis. Nam à sagulis *Sayagueses* dicimus; &, *los de Sayago*. Dici contrà possunt Hispani accepisse à Gallis. Nam Sueton. in Iul. cap. 48. per *sagatos* intelligit Gallos. Et Trebellius in Galieno, *Perdita Gallia arrisisse, & dixisse perhibetur, non sine trabeatis sagis tuta Resp. est.* Porrò in Poëta Lector per *sagula* intelligat militares chlamydes, & paludamenta, legátque Lipsium lib. 2. de Mil. Rom.

Sagula.

Sagati, id est, Galli.

21. LACTEA COLLA.] Hac commendatione prædicati Galli. Sil. lib. 4.

Galli candidi, & pulchri.

Colla viri fuluo radiabant lactea torque.

Loquitur de Chrixo duce Boiorum. Ammian. lib. 15. *Candidi penè sunt Galli omnes.* Petron. Sat. *Quin tu, inquit, Giton, circumcide nos, vt Iudæi videamur: & pertunde aures, vt imitemur Arabas, & increta facies, vt suos Gallia ciues putet.* Certè omnes in vniuersum Septemtrionales *candidis coloribus* honestatos Vitruu. scribit lib. 6. cap. 1. Et imprimis Gallos fuisse pulcherrimos Iulianus Cæsar in Misopog. his verbis ait. καλοὶ δὲ πάντες, καὶ μεγάλοι, καὶ λεῖοι, καὶ ἀρτιγένειοι, νέοι τε ὁμοίως καὶ πρεσβύτεροι ζηλωταὶ τῆς εὐδαιμονίας τῶν Φαιάκων: *Sunt omnes formosi, proceri, glabri, & recèns barbati, iuuenes pariter & senes felicitatem Phæacum imitantur.* Poëta signatè collo *lac* attribuit, quia hæc pars corporis in candidis videtur lactis potiùs, quàm alterius rei colorem imitari; tum colore ipso, tum etiam teneritudine. Itaque ab Nostro Nemesian. Eclog. 2.

Lacteum de collo.

Purpureas laudando genas, & lactea colla.

Stat. quoque Glauciam lib. 2. Syluar. laudat à lacteo collo; & Eurip. in Hippol. Phædram λευκὴ δέρα. Potius hoc est, quàm quod Anacreon suo optabat Bathyllo, vt in eo esset ἐλεφάντινος τράχηλος, *eburneum collum.* Nam etiamsi in ebore sit candor, non certè mollities, & teneritudo, ac flexibilitas, quæ abhorret ab ebore. Simili vitio laborat Næuius, qui in Iliade,

Collum marmoreum torques gemmata coronat.

Et Lucill. qui lib. 18. Satyr. *stare papillas pectore marmoreo.* Quid, quòd Poëta allusit ad etymon? nam Galli, vt multis placet, ἀπὸ τοῦ γάλακτος, *à lacte*. Ita quoque improbo Apuleium, qui dentes dixit *lacteos*, eburneos esset satius. Et Sidon. epist. 2. lib. 1. dat Theodorico Regi *cutem lacteam*. Non enim color lacteolus toti conuenit cuti, etiam Regiæ.

Gallorum etymon.

22. AVRO INNECTVNTVR.] De hoc more locutus sum lib. 5. Poëta certè torquem intelligit. Audisti versum Silij in superiore Nota, qui Gallis illam dedit. Adisce & Claud. qui Paneg. de laudib. Stiliconis,

Torques Gallorum.

——tum flaua repexo,

Gallia crine ferox, euinctáque torque decoro.

Et Propert. Eleg. 11. lib. 4. vbi de Virdomaro Rege Gallorum,

Torquis ab incisa decidit vnca gula.

Varro apud Non. voce *torquem*, ait, loquens de Gallis victis: *torques auri multa relata Romam, atque consecrata.* Lucil. apud eundé: *Cónuenus pulcher bracca, saga, fulgere torques.* Qui de Gallis loquitur, vt apparet ex *braccis*,

 &

& *fagis*. Denique torques Gallorum, vel ... Torquati historia satis sunt celebres.

Alpinæ hastæ. Montanæ arbores duriores campestribus.

23. Alpina.] Hoc iam Turn. explicuit lib. 23. Adu. cap. 3. Nam montana materia durior est ac rigidior campestri, vt quæ à ventis firmitatem accipiat. Vnde & Hom. hastam Achillis cæsam à vertice Pelij montis (Πηλίου ἐκ κορυφῆς ait 19. Iliad.) vocat ἔγχος ἀνεμοτρεφές, quasi rigidam, vt expositam ventis. Inde & fortasse dictum quoque à Catullo,

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas.

Nam firmiores hæ pinus campestribus contra maris tempestates.

24. Gesa.] Leuiculum teli genus; inde bina portari commodè poterant. Sic Gallos in antiquis nummis expressos cerni Lazius testificatur lib. 8. Comm. cap. 17. Qui adiicit, Gallos quosdam dici ab hoc genere hastilis *Gesatas*. Quorum & Polyb. meminit: & Seru. ait, viros fortes dici à Gallis *Gesos*. Oros. cap. 13. lib. 4. *Gesatos*. Claudian. Galliam ipsam cum duplici geso inducit Paneg. de laudib. Stilic. Varro de vita Pop. Rom. lib. 3. *Qui gladiis cincti sine scuto cum binis gesis essent*. Inuenio in auctoribus discrepantiam circa armaturam Gallorum, quæ adduci nequeat in concordiam, nisi ex vario æuo. Dixi initio Notæ secutus Lazium, *gesum* fuisse leue teli genus, & hoc puto ad mentem Poëtæ: nam bina, & cum longo scuto nequirent gestari, nisi leuia. Contra est Festus, qui, *gesum, graue iaculum*. Cui fauet Varro iam adductus, qui scutum adimit. Itaque æuo alio grauia fuisse intelligamus, & ideo tum Galli sine scutis à Varrone, quia gesorum grauitate premerentur. Summa est, grauia gesa à Gallis portata sine scuto, leuia cum illo. Adduxi primam discrepantiam. Ecce & aliud dissentiens in Liuio. Nam Manlius Consul apud illum lib. 38. ita de Gallis: *Procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladij*. Plutar. quoque in vita Camilli Gallis quoque dat μαχαίρας, id est, *enses*. Etenim μάχαιραν esse *ensem*, multi & docti satis, affirmant. Et probo efficaciter; nam idem Plut. statim ξίφη vocat, quas primùm μαχαίρας. Per ξίφος autem intelligi *ensem*, & *gladium*, nemo potest dubitare. Vides in his nullam mentionem gesorum, sed ensium. Sed &, si Agathiā adeas (quem ego omitto, quia longissimus est locus) lib. 2. videbis diuersam omnino armaturam ab Liuiana, & Virgiliana. Nam nulla mentio scutorum, gesorum, aut gladiorum. Dat enim illis vilem admodùm, & neglectam armaturam, vt qui ignorent loricas, ocreas, galeas. Hæc omnia ex diuerso æuo debent conciliari. Feci finem Notæ, si addam, sentire Delrium Non. Comment. ad Sen. Hippol. vers. 110. ex lib. 6. Ath. gesum fuisse proprium inuentum Hispanorum, & Gallos ab Hispanis accepisse. Sed non suadet. Nam frequens scriptorum consensus ad Gallos nos ducit; à quibus, vt alij, ita etiam accipere potuerunt Hispani: & ab illis quoque Itali petere, quod Athenæus scribit; neque vllum est aliud pro Hispanis argumentum. Certè, si extraherem à Gallis, ad Macetas contruderem, non ad Hispanos, dicente Stat. 2. Achil. *Quo Macetæ sua gesa citent*; nam *sua* cùm dicit, propria esse illorum indicat. In orthographia mira dissidia, nam *gesa, gessa, gæsa, gæssa, gæza*. Placuit *gesum* scribere *à gestando*. Scio aliquos ducere hanc vocem ἀπὸ τῶν ὑσσῶν. Quod tamen falsissimum, si Plutar. consulis in vita Camilli, vbi ille μαχαίραις Gallorum directè opponit ὑσσοὺς Romanorum.

Galli Gesi, & Gesatæ.

Gesum Gallorum duplex.

Gallorum diuersa arma ex diuerso æuo.

Gesum cuius nationis proprium.

25. Scutis protecti corpora longis.] Scutum directè oppositum clypeo. Clypeus enim est rotundus, & ideo Cyclopis oculus cum illo comparatur 3. Æneid. estque Græcis ἀσπίς: contrà, scutum Græci vocant θυρεὸν, à similitudine forium, quæ longiores sunt, quàm latiores. Probè itaque *longis*, & *protecti corpora*, quasi promissa essent scuta, & producta. Consonant omnes penè cum Virgilio. Ammian. lib. 24. *scutis oblongis*. Iosephus θυρεοὺς vocat ἐπιμήκεις ab longitudine, vt & Plutar. ποδήρεις, quia demissa ad pedes. Diodorus loquens de Gallis ait, eos vti scutis ἀνδρομήκεσι, quia ad longitudinem humanam. Attigerunt hæc iam alij, Turnebus, Lipsius, Lazius. Addam ego quæpiam mihi obseruata. Primò reprehendo Spondanum, qui illud Hom. 12. Iliad. ἀσπίδος ἀμφιβρότης, reddit, *scuti totum corpus circumdantis*. Perperam. Non enim ἀσπὶς potest totum hominem circumdare; & ἀμφὶ tantùm notat *circum*. Similiter errat, cùm in eodem lib. ἀσπίδας εὐκύκλους reddit, *ingentem orbem*, accipiens de magnitudine, cùm debuisset de perfectione. Deinde obseruo, *scutum*, etiamsi hîc detur Gallis, non inde sequi fuisse proprium illorum. Nam ea magnitudine, qua hîc prædicatum vides, datur Romanis à Liuio lib. 9. Nam in comparatione rerum Alexandri, & Romanorum, ita ait: *Arma, clypeus, sarissæque illis* (Macedonibus) *Romano scutum, maius corpori tegumentum, & pilum*. Lib. etiam. 34. *Missilibus enim Lacedæmonij pugnabant, à quibus se magnitudine scuti perfacilè Romanus tuebatur miles*.

Scuta longa erant & clypeis opposita.

Clypeus.

Scutum commune nationibus.

[a] Hinc exultantes Salios, nudósque Lupercos,
Lanigerósque apices, & lapsa ancilia cœlo
Extuderat: castæ ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus. [b] Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis:
Et scelerum pœnas, & te Catilina minaci
Pendentem scopulo, Furiarúmque ora trementem:
Secretósque pios, his dantem iura Catonem.

D

ARGVMENTVM.

Exhibet variam rerum imaginem, quæ excusa in clypeo, Salios, Lupercos, Apices, Ancilia, Matres in pilentis; Tartarum, & in eo Catilinam; Pios, & in eis Catonem.

EXPLICATIO.

[a] Attingit in hoc tractu varia illius populi sacra, ornátque omnia commodis attributis. Nam Salij exultant, Luperci sunt nudi, apices lanigeri,

geri, ancilia labuntur cœlo, matronæ sunt castæ, pilenta mollia. Sunt Salij Sacerdotes Martis, dicti à *saliendo*, propter tripudia: Luperci Panos, apices ad flamines pertinent. De ancilibus, & pilentis dicam in Notis.

b Non oportuerat Vulcanum prætetire loca suæ officinæ proxima. Erant ibi *sedes Tartarea*, appositiuè, *alta ostia Ditis*. Vbi *alta* sunt profunda, quia Tartarus profundior pars inferi. Picto Tartaro, par erat damnatorum aliquem ibi effingi, Catilinã elegit Poëta, qui penderet ex scopulo altissimo, & qui videretur ruinam minari. Damnatis opponit pios, & Iudicem illorum facit seuerissimum Catonem.

NOTÆ.

1. SALIOS.] Dixi iam in hoc lib. ad illud, *Tum Salij ad cantus*. & dicam infrà in ancilibus.

2. NVDOSQVE LVPERCOS.] De his obuia vbique notitia; & ego iam ad illud, *gelidum monstrat sub rupe Lupercal*. Sed cur *nudi?* Satis commentatio Seru. *Luperci cur nudi.* Cùm celebrarentur à Lupercis Lupercalia in honorem Panos, pecora subitò rapta sunt à latronibus. Luperci reiectis vestibus illos insequuntur, opprimunt, ac, re bene gesta à nudis, nudi celebrant Lupercalia. Tantùm reprehendo Seruium referentem nuditatem ad vestes abiectas. Non sic est: sed sublatæ sunt vestes, & cinctæ, vt expeditiùs sequerentur, inde pedibus, tibiis, femoribus nudi, vt exhibent marmora. Vnde ab Ouid. *cinctuti*. ab Statio *succincti*. *Cincti Luperci.* Quam ob rem à Plutar. dicuntur γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι: *nudi & incincti currentes*.

3. LANIGEROSQVE APICES.] Est apex propriè pileus in coni fastigium assurgens. Itaque pileus, si acuminetur instar galeri, iam erit apex. Erat horum *Apices sacri.* vsus in re sacra, vt liquidum ex historia Val. Max. lib. 1. vbi ait, Sulpitio inter sacrificandum à capite prolapsum apicem. S. August. lib. 11. de Ciuit. scribit, in Romanis sacris apicem ipsum testari genus Sacerdotum; eo enim distinguebantur. Latin. Pacatus: *insignes apicibus Sacerdotes*. Apices vocat *sacros* Corippus Paneg. Anastasij, & Sidon. epist. 5. lib. 1. Dixi *Lanigeri cur apices.* de apicibus. Sed cur *Lanigeri?* Gestabatur lana in apice, quæ dicta filamentum, inde dicti Sacerdotes *flamines*, tanquam *filamines*, auctore Plut. in Numa, & Dionysio. Notat verò Turnebus, flamines per æstatem, si non possent gestare apicem, saltem debere tegi hoc filo, quòd nefas esset nudo esse capite. Ad quod potuit alludere Tibull. lib. 1. Eleg. 5.

Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota nouem Veneri nocte silente dedi.

In quo versu, vt hoc obiter dicam, Passerat. contendit legendum *Triuiæ*, non *Veneri*. Sed ex loco Arnobij lib. 6. quem affert Achilles Stat. & non expendit, retineo *Veneri*. Sed hæc non Virgilij.

4. ET LAPSA ANCILIA COELO.] Ferunt è *Ancilia.* cœlo lapsam peltam æneam, in qua, si esset seruata, Imperij fata erant. Inde, ne locus furto esset, vndecim aliæ factæ à Mamurio, ne dignosci posset lapsa è cœlo, ac proinde nec furto auferri. Peltæ istæ dicuntur ancilia, repositæque in sacrario Martis, ac datæ Saliis ad custodiam. Ferebantur à Saliis per vrbem cum tripudio, ac tum dicebantur moueri, ac certo die recondebantur. Dies illi medij, à motis vsque ad condita ancilia, religiosi erant. Habitus *Saliorum habitus.* Saliorum fuit, picta tunica, æreum tegmen in pectore, tum balthei, atque galeæ æneæ, gladij quibus

A sacra ancilia percutiebant. Ita per vrbem vagabantur repetito sæpe Mamurij nomine. Vulgaria hæc sunt, sed quæ abesse à Commentario non poterant.

5. ANCILIA.] Plura etyma huius vocis collegit *Ancilia vnde dicta.* Ioach. Camerar. Problem. 8. Decur. 9. An à figura curua ἀπὸ ἀγκύλης, iuxta Plut. in Numa? An quia gestarentur in cubitis brachiorum ἀπὸ ἀγκώνων; An quia è cœlo descendissent, quasi ἄνωθεν ἵκεσθαι; An ἀπὸ τῆς ἀκέσεως, quòd consecrata causâ auertendæ pestis? An quia eorum consecratio opem tulit mortalibus ἀνακῶς ἔχουσι, *perturbatis ac sollicitis?* An demum Latina est origo, non Græca, & dicta, quia vndique circumcisa? Huic Ouid. hæsit 3. Fast.

Idq; ancile vocant, quod ex omni parte recisum est.

B Festus: *Ancile appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum; vt summum, infimumque eius latus medio pateret.* Est hoc, quod Ouid. post adductum versum, statim,

Quémque notes oculis angulus omnis abest.

Sed nihil æquè ancilium formam explicat, ac verba *Illorum forma.* Plutar. in Numa, quæ ideo subiungam. *Ancilia vocant propter figuram, circulus enim non est, neque exprimit vt pelta orbiculatam formam*, ἀλλ' ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, *sed excisa est, ita vt reuoluta linea fiat.* Abeant Græci cum suis etymis. Nam hoc nomen ἐπιχώριον est ipsis Romanis: & Plut. Græcus Latinam originem agnoscit.

6. COELO.] Fuerunt Gentiles hoc errore imbu- *Simulacra è cœlo lapsa.*
C. ti, vt, in qua re maximè religionem sitam vellent, eam è cœlo lapsam mentirentur. Et talia simulacra, quæcunque illa essent, διοπετῆ dicebant, quasi *missa à Ioue*. Idipsum de Pessinuntia Deâ Herodian. scribit. Palladium quoque è cœlo lapsum Gentes sentire, Clemens asserit in Protrept. Et de Diana Ephesia S. Lucas πρ. τῶν πράξ. Ἀποστόλ. cap. 19. Alexandri cuiusdam ore, τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ διοπετοῦς. Hos Gentilium dolos Suidas multis aperit; & coarguit. omitto Non ponimus hoc numero multa, quæ in historiis Christianorum verissimè leguntur: vt effigiem Christi Seruatoris, quam celebrat Theophylact. Simocatta lib. 1. Hist. Mauricij cap. 3. quam ἀχειροποίητον vocat, quòd facta nullis mor-
D talium manibus. De eadem loquitur lib. 5. cap. 1. Fuisse quoque ἀχειροποίητον ædiculam Clementis Martyris Scriptores Ecclesiastici clamant, quæ facta in medio mari. Talem fuisse credunt Carauacenses Hispani Crucem suam. Sed falsò: nam ea *Carauacensis Crux.* verè Crux fuit Antistitis Hierosolymitani, factáque è ligno vitæ, in quo Christus pependit, & ministerio Angelorum ablata ab Antistite, & Carauacam delata inter Missarum solemnia. Sed hæc res appellet labores doctissimi viri Societatis nostræ Hieronymi De La Higuera Toletani, qui rem istam indagauit, etiamsi alieno nomine circumferatur nunc liber manu scriptus, & citò è schedis lucem visurus. Sed ego nolui verum auctorem in tenebris esse.

E 7. DVCEBANT SACRA PILENTIS MATRES.] *Ducere, verbum sacrorum.* Vt Latini *ducere sacra*, Græci ad verbum, ἄγειν ἱερά. Sic 3. Georg. *ductus alta ad donaria currus*. Et Prop. Eleg. 1. lib. 4.

Ducebant macræ vilia sacra boues.

Par verbum *fero*; vt in Georg. *Quarum sacra fero*. Inde *Canephoræ* virgines, quarum 6. in Verr. meminit *Canephoræ virgines.* Cic. & de quibus Horat. Sat. 8. lib. 2.

——*velut Attica virgo*
Cum sacris Cereris.——

Sed à formis verborum ad rem. Scribit Fest. pilen- *Pilentia. Carpenta.* tis & carpentis per vrbem vehi matronis concessum, quòd

quòd cũ aurũ deesset ex voto, quod Camillus vouerat Apollini Delphico, illud cōtulerũt. Sed Liu. clariùs distinguit lib. 5. inter pilenta, & carpēta concessa matribus, his verbis: *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra, ludósque: carpentis festo, profestóque vterentur.* Vehiculum nominat idem Liu. lib. 34. vbi loquens de lege C. Opp. Trib. Pleb. ait, illum tulisse, *ne qua mulier iuncto vehiculo in vrbe oppidóve, aut propiùs inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causâ veheretur.* Vbi per *vehiculum* intelligit pilentum, non carpentum. Quia ipse videlicet lib. 5. *pilento ad sacra.* Ad sacra hæc spectant Claud. de Nupt. Hon. & Mar.

Vehiculum simpliciter de pilentis.

Ante fores iam pompa sonat, pilentáque sacra,
Præradiant ductura nurum. ———

Atque etiam Prudent. 2. Symm.

Fertur per medias vt publica pompa plateas
Pilento residens molli. ———

Suidas vehiculum, quo matronæ vehuntur, vocat λαμπήνην. Sunt qui festa Matronalia, de quibus locutus Ouid. 3. Fast. ab eo loco, *Cùm sis officiis Gradiue,* &c. confundant cum his, quæ hoc loco Poëta attingit.

Pensiles lectuli in curribus.

8. MOLLIBVS.] Ex Seru. interpretatione collige indicari à Poëta lectos pensiles in ipsis pilentis. Apud Hispanos certè mos nunc viget, quo in curribus excitantur lectuli pensiles ad molliorem habitum. Neque aliunde Virgil. *oscilla* appellat *mollia* 2. Georg. nisi, quia pensilia. Hos lectulos pensiles non longè abesse ab his, quæ Græci vocant σκιμπόδια Mercur. animaduertit 3. Gymn. cap. 12. De quibus accipit Iuuenal. Sat. 1.

Mollia, id est, pensilia.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis? ———

Et quidem hic Seru. plumarum quoque pensilium commeminit.

9. ALTA OSTIA DITIS.] Allusum ad Plutonem πυλάρτην iam Germ. Quod melius, quàm suspicari aliquid de fluminibus inferorum.

10. CATILINA.] Cuius gentis hic fuerit, quod non ex historiis liquidum, vide vt enodet Iacobus Crucius adnot. ad Sallust.

Pendere scopulo, tragicum.

11. PENDENTEM SCOPVLO.] Non est sententia, vt quidam putant, pendere Catilinam alicunde sub scopulo minaci: sed verè pendere in ipsomet scopulo. Erat enim hoc Tragicis execrabile, vt quis insepultus penderet ex sublimi aliquo scopulo. Apparet hoc ex Thyeste Ennij.

— ipse summis saxis fixus asperis
Euisceratus, latere pendens, saxa spargens tabo,
Sanie, & sanguine atro, neque sepulcrum,
Quò se recipiat, habeat, portum corporis, vbi
Remissa humana vita, corpus requiescat à malis.

Ab his non abeunt, quæ de pœna Promethei alligati ad rupem Caucasi scribunt Tragici. Placuit itaque Poëtæ dare Catilinæ, quod sciebat esse Tragicis execrabile. Insinuat aliquid Propert. Elegia quinta libri tertij.

Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas?

Insinuat (inquam) coniungens rotam cum scopulis. Atqui è rota pendebant miseri. Scio posse alludi à Prop. ad saxum Sisyphi.

Secreti pij.

12. SECRETOSQVE PIOS.] Horat.

Iuppiter illa piæ secreuit littora genti.

Et alibi:

———*sedésque discretas piorum.*

13. CATONEM.] In gratiam Italiæ, dicunt aliqui; nam sicut Græcia Æacum præfecit & Rhadamantum iuri inferorum: ita Latium suos habuit Iudices in illis locis. Ego potiùs puto in gratiam Augusti, vt esset Iudex apud inferos, qui fuerat inimicissimus Iulio. Non enim Seruium audio, qui Catonem Censorium accipit. Ego Vticensem puto, & de hoc intelligendum Poëtam ratione triplici. Primam iam attigi. Quia æquum erat hominem Cæsaribus detestabilem in inferno præfici iuri dicundo, vt ibi suam illam seueritatem exerceret, gaudérétque Cæsar hostilem sibi hominem in ea loca relegatum, falsa illa & ridicula iudiciorum existimatione. Alteram duco ab seueritate ipsius Catonis. Ipse de se apud Sallust. *Qui mihi atque animo meo nullius vnquam delicti gratiam fecissem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam.* Par ergo, vt ius in inferno exerceret, qui sibi nullius delicti gratiam fecit, qui nullius libidini condonauit. Mitto ab Martiali dici *seuerum*: ab eodem lib. 5. & ab Stat. 2. Sylu. *grauem*; ab Lucano *horridum*. Tertiam suppeditat Galeot. Martius de Promiss. Doct. cap. 27. qui Vticensem accipiens commendat diligentiam Poëtæ. Ideo enim (ait ille) præficitur Vticensis Cato iuri inferorum, quia eas pœnas veras putauit, quas multi ridebant, cùm in Sallust. Iulium Cæsarem coarguit, vt putantem vana hæc, quæ prædicantur de inferis. Catonis verba non affert. Si quis velit, hæc sunt. *Bene & compositè C. Cæsar paulo antè in hoc ordine de vita, & morte disseruit, credo falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda, atque formidolosa habere.* Sunt hæc postrema, quæ de discretis piis dixit Virgilius, ac proinde videtur huic loco ille hæsisse in omnibus, & neminem alium ab eo intelligi præter Vticensem.

Cato Vticensis Iudex inferorum.

[a] Hæc inter tumidi latè maris ibat imago
Aurea: sed fluctu spumabant cærula cano,
Et circùm argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstúmque secabant.
[b] In medio classes æratas, Actia bella
Cernere erat, totúmque instructo Marte videres
Feruere Leucaten, auróque effulgere fluctus.
[c] Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar
Cum patribus, populóque, Penatibus, & Magnis Diis
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Læta vomunt; patriúmque aperitur vertice sydus.

d. Parte

d Parte alia ventis,& Diis Agrippa ſecundis,
Arduus,agmen agens,cui belli inſigne ſuperbum,
Tempora nauali fulgent roſtrata corona.

ARGVMENTVM.

Erat & mare in clypeo,cui forma aurea, ſed fluctus cani,& ex argento Delphines:in medio bella Actiaca,& claſſes,ac mirus belli apparatus. In puppi viſebatur Auguſtus cum ingenti & hominum, & Deorum comitatu,cum armis apprimè conſpicuis: parte alia Agrippa cum agmine, cum corona nauali.

EXPLICATIO.

a PRÆCESSERVNT inferi,ſequentur mox ſuperi: in horum medio viſebatur mare, & ipſum quidem ex auro, fluctus in eo cani ab albente ſpuma, præternatabant in orbem Delphines verrentes caudib.& ſecantes maria; erant verò clari,vt qui facti ex argento. Ait Seru. mare ideo in confinio inferorum & ſuperorum cælatum,quia nos diuidit ab Antipodis, qui reſpectu noſtri dici queunt inferi. Vocem *cærula* accipit Poëta pro mari, non pro ſignato colore; nam præceſſit *imago aurea*. Itaque ſententia eſt:*Cærula*,id eſt,maria ſpumaſſe cano fluctu. In verbo *ibat*, ſignat fluxum,& refluxum.

b Viſebatur in medio claſſicus Actiaci belli apparatus,& omnia ad bellum inſtructiſſima, ex miraque diſciplina. Cernebatur ex concurſu nauium mare feruere iuxta Leucaten promontorium Epiri, & in mari aurei fluctus. Eſt in medio vel ſcuti,vel maris. Hoc potiùs credo. Heſiod. in pictura ſui ſcuti ἐν μέσῳ accipit de medio ſcuti. Sed alia ratio in Virg. vocat hîc *aureos fluctus*,quos ſuprà tamen *canos*; quod refero ad diuerſam partem picturæ.

c Erat Auguſtus tanti dux belli. Notæ in eo magni Principis Romanorum. Nam patres, populus, Penates,Dij Magni,locus etiam,qui in puppi,illum eſſe ducem indicabant: deinde galea mirè ſplendida,ac penè flammea ex fulgore auri,& ſydus Iulij in galeæ vertice. Nihil verò eſt aliud *aperitur*,quàm apparet; ſed illud maluit,quaſi eximius ſplendor præferret in galea feneſtræ imaginem: ad eum modum, quo cœlum videtur aperiri Sole, Luna,ſtellis.

d Primas in eo bello poſt Auguſtum Agrippa habuit. Notæ in eo conſpicuæ quoque. Nam cum Diis, & agmine venti erant à puppi,hi enim ſunt ſecundi, & Dij quoque ſecundi erant. Ipſe arduus, & cum ſuperbo inſigni coronæ naualis, à qua corona tempora ipſa cernebantur roſtrata. Potes multa à Seruio petere,quæ omitto.

NOTÆ.

1. TVMIDI MARIS.] Sen.Rhet.Cont.16.*Intumuerat ſubitis tempeſtatibus mare*. Ita verò proprius maris tumor,vt Græci κύματα,id eſt, *fluctus*,vocent οἴδματα, id eſt, *tumores*,οἴδματα (inquam) pro οἰδήματα. Orph. Hymn. πόντιον οἶδμα. Sidon.epiſt.1.lib.2. *immane tur-*
A *geſcit*. Nihil verò Virg. in caſſum. Vocat *mare tumidum*, quia cùm in conflictu hoc Cæſaris, & Antonij mare tranquillum fuerit,diebus tamen præcedentibus,& hos hîc deſcribit Poëta,mare tumuerat. Audi Plut.in Anton. ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν, καὶ τρεῖς τὰς ἐφεξῆς μεγάλῳ πνεύματι κυμαῖνον τὸ πέλαγος τὴν μάχην ἐπέσχε: *Die illo & tribus ſequentibus vento magno tumens pelagus pugnam inhibuit*. & addit; πέμπτῃ δὲ νηνεμίας καὶ γαλήνης ἀκλύστου γενομένης συνῆλθον: *Die quinto ſedato vento,& tranquillo mari, congreſſi ſunt*. Congreſſum hunc poſtea deſcribit Poëta, ac propterea nunc tumore iſto putandus eſt alluſiſſe ad illum, qui præceſſit in mari. Tumor in mari cur in bello Actiaco.

2. FLVCTV SPVMABANT CÆRVLA CANO.] Canicies hæc ab ſpumis. Catull. Canicies maris.

Tortáque remigio ſpumis incanuit vnda.

B Sidon.epiſt.2.lib.2.*ſpumoſo caneſcit impulſu*. Ouid.*ſpumiſque ſonantibus albet*. Græci πολιὸν κῦμα, πολιὸν ἅλα. Pulchrè Eurip.Iphig.

λάβετε κώπας, ῥόθιά τε λευκαίνετε:
Remos ſumite, fluctus dealbate.

Quod Lucret.lib.2.

Vertitur in canos candenti marmore fluctus.

Heſiod.in Scut. cùm dicat in eo fuiſſe mare, portum exhibet ex ſtanno, exprimens ita ſpumas, quæ illidunt littoribus. Calaber etiam lib. 5.in Scut.Achillis. μέλας λευκαίνετο πόντος, à quo,credo, Virgilius, *cærula*,vt ille μέλας, *cano fluctu*,vt ille λευκαίνετο. Sicut & Sen.Agamem.

Dirimúntque cana cærulum ſpuma mare.

Ennius prior apud Agellium lib.2.cap.26.

Cæruleum ſpumat ſale conferta rate pulſu
Per mare.———

3. ARGENTO CLARI DELPHINES.] Non du- Imitatio.
C bium,quin expreſſa hęc ex Heſiod.Scut.vbi inter reliquam ſcuti illius fabricam.

———πολλοὶ γὰρ μὲν ἀμμέσον αὐτοῦ
Δελφῖνες τῇ καὶ τῇ ἐθύνεον ἰχθυάοντες,
Νηχομένοις ἴκελοι.———

———*multi verò per medium ipſius*
Delphines hac & illac ferebantur piſcibus inhiantes,
Natantibus ſimiles.———

Delectatus Calab.in Scut.Achill.ſimili pictura. Nam poſt exhibitum in ea Neptunum adiicit,

———τοὶ δ᾽ ἑκάτερθεν ἀολλέες ἀμφὶς ἄνακτα
Ἀγρόμενοι δελφῖνες ἀπειρέσιον κεχάροντο,
Σαίνοντες βασιλῆα. κατ᾽ ἠερόεν δ᾽ ἁλὸς οἶδμα
Νηχομένοις εἴδοντο. καὶ ἀργύρεοι περ ἐόντες:

———*frequenti vtrinque agmine circa Regem*
Congregati Delphines effuſè lætabantur,
Blandientes Regi,& per ventoſam maris vndam
Natantium ſpeciem habebant, quamuis conflati ex ære.

D Ab Apoll.quoque 1.Arg. deſcribuntur piſces ἀίσσοντες ὑπεὶρ ἁλὸς, διασκαίροντες, *exultantes,ſubſilientéſque ſupra mare*. Credo verò Poëtam in varietate colorum hæſiſſe vni Theocrito εἰδ. 19. (ſunt qui Moſcho attribuant.) Inter reliqua,quæ depicta in Calatho Europæ,tum hæc.

Ἀργύρεος μὲν ἔην Νείλου ῥόος. ἡ δ᾽ ἄρα πόρτις
Χαλκείη. χρυσοῦ δὲ τετυγμένος αὐτὸς ἔην Ζεύς:
Argenteus erat Nili fluuius,ipſa verò vitula
Ærea,ex auro verò factus erat ipſe Iuppiter.

4. IN

Delphinorũ natura.

4. IN ORBEM.] Verè & propriè ex animantis huius natura. Ita ab Nazian. Carm. 50. Delphinus inducitur γυρὰ τὶς ἐγκαμπτόμενος ἐν ἰνδάλμασι, quia videlicet ludibundus exhibet gyros, flexus, tortiones. Eurip. Helen. τῶν καλλιχόρων δελφίνων, à pulchris choreis, quas exercent. Et in Elect. ἔπαλλε δελφίς. vbi saltus agnoscis. & ibidem dicitur φίλαυλος, est enim amicus musicæ, & tibiarum. Vide Plutar. in Conuiu. Sept. Sapient.

Imitatio.

5. ÆQVORA VERREBANT.] Ad imaginem fortasse Calab. lib. 9. qui extra picturam loquens.

Ἀμφὶ δ' οἱ δελφῖνες ἀολλέες ἐσσεύοντο
Κῦμα διαπρήσσοντες, ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα:
Circum autem Delphines congregatim ruebant
Fluctum secantes, & maris cani vias.

Verrere æquora.

Τὸ *verrebant*, quis nescit illustrari posse vel ab Catull. qui Nupt. Pel.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.

Vel ab Ennio, qui apud Agell. cap. 26. lib. 2.

Verrunt extemplo placide mare marmore flauo.

Seco, de aquis.

6. SECABANT.] Frequenti vsu datum iam mari: & quidem pistris, ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα, à *secandis fluctibus.*

Feruo, feruis olim.

7. FERVERE LEVCATEN.] Sic Stat. *deferuere campo.* Cato, *efferueris*, vti ex manu scrip. restituit Victorius. Lucill. *feruit ad amnem.* Attius Meleag. *Cor ira feruit.* & in Achille. *Feruat pectus iracundia.* Afran. Vopisco: *vociferatione feruitur.* Pomponius Scriptor Atellanarum in Pappo Agricola, *Domus hæc feruit flagitiis.* Terent. Varro in Desultorio,

Feruere piratis, vastarique omnia circum.

Feruor de aquis.

Denique ita multa sunt veterum testimonia, vt putem apud veteres non agnitum aliud verbum. Et *ferueo, ferues*, debet existimari nouitium respectu illius. Pulchrè verò Maro expressit sententiam suam verbo caloris: vt etiam Cal. lib. 9.

———μέλαν δ' ἀμφέστενε κῦμα
Φυρόμενον, πολλὸς δὲ ἀνέζεε πάντοθεν ἀφρός:
———niger autem circumgemebat fluctus
Sulcatus, & albida vndequaque circumferuebat spuma.

De Leucate dixi 3. Æneid. De classe Cæsaris ad Leucaten scribit Florus lib. 4. cap. 11.

Aquæ fulgidæ.

8. EFFVLGERE FLVCTVS.] Græci aquis dant μαρμαρυγήν: & Catull. Nupt. Pel. de illis, *refulgent.*

Augusti partes Senatus, & populus sequebãtur.

9. CVM PATRIBVS, POPVLOQVE.] Duplex nota ad firmandum legitimum Imperium Cæsaris contra Antonium, quasi Cæsar verus Princeps, à quo starent Senatus, & populus: ille contrà Tyrannus, qui contra Senatum, & populum. Vidit hoc acutissimè Germ. Itaque applaudunt verba Taciti lib. 17. Ann. vbi de Otthone ita scribit: *Vocata concione maiestatem vrbis, & consensum populi, ac Senatus pro se attollens, aduersum Vitellianas partes modestè disseruit.* Quasi videlicet hoc ipso verus Princeps esset Ottho, cui adessent populus, & Patres: Vitellius Tyrannus. Ottho etiam ipse sup. in oratione ad milites. *Nationes aliquas occupauit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: Senatus nobiscum est. Sic fit, vt hinc Respub. inde hostes Reipub. constiterint.*

10. PENATIBVS, ET MAGNIS DIIS.] Non iidem Dij hoc loco Penates, & Magni: sed diuersi. Lege 3. Æneid. initio ad illud,

Cum sociis, natóque, Penatibus, & Magnis Diis.

11. STANS CELSA IN PVPPI.] Illustratum alibi.

12. GEMINAS CVI TEMPORA, &c.] Indicat galeam. Cùm enim Principes & duces exercituum tum aliis notis, tum maximè galeis cognoscantur, insignem galeam Augusto dedit, vt is esse nosceretur. Hinc Theophylact. Simocat. lib. 2. Histor. Maurici cap. 4. galeam vocat ἐπίσημον, & καταδήλον ducum; nam ipsa ducem indicat: & addit Philippici in bello Persico ducis stratagema, qui satelliti suo Theodoro galeam suam imposuit, vt pro duce haberetur, facinori cuipiam patrando. Adeò certa est nota ducis galea. Sic apud Albert. Krant. lib. 6. Hist. Vand. cap. 20. dux belli Danici feriendus designatur à catapultario hostili, tantùm luce armorum distinctus. Ideo apud Hom. 10. Iliad. Diomedi eunti ad insidias dant Græci galeam ἀφάλοντι, καὶ ἄλοφον, *sine cono, & crista.* Apud Plutar. Pyrrhus, cùm non agnosceretur, & quæreretur, statim ac galeam sibi & cristam imposuit, agnitus est, ἐγνώσθη τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι. Et post multa ait, eandem sibi ademisse Pyrrhum, ne agnosceretur. Et in vita Alexan. ait, hunc ducem fuisse τῷ κράνους τῇ χαίτῃ διαπρεπῆ: *conspicuum galea crista.* & in vita Arati, τῷ κράνει δῆλον εἶναι τὸν στρατηγόν, *Principem esse galea notum.* Quæ dixi, vera puto, videlicet accipiendum Poëtam de galea, qua notus inter reliquos Augustus. Sed proponam coniecturam, capi illum fortasse posse de diademate gemmis micante, ita vt ista, *geminas cui tempora flammas Læta vomunt*, indicent diadema: quod sequitur, *patriumque aperitur vertice sydus*, galeam, in qua sydus Iulij. Probant hanc coniecturam *flamma vomitæ*; quæ, cur non à gemmis, præsertim *circum tempora?* Ammian. lib. 21. loquens de Iuliano: *Ambitioso diademate vtebatur lapidum fulgore distincto.* Prudent. Psychom.

Galea maximum insigne ducum.

Gemmæ in diademate.

Gemma refulgenti diadema amplectitur auro.

Claud. lib. 2. Ruff.

Imperij certus, tegeret cùm purpura totum
Corpus, & ardentes ambirent tempora gemmæ.

Ignis de gemma.

Et 3. Cons. Hon. gemmas diadematum vocat *ignes Sidonij rubríque maris.* Quin coronæ dicuntur quoque ardere à gemmis. Idem 1. Stil. *lapidum distinctas igne coronas.* Certè, qui ad igneos Cæsaris oculos Virgilium ducunt, torquent illum.

Iulij stella.

13. PATRIVMQVE APERITVR VERTICE SYDVS.] Cùm fierent ludi funebres in honorem Iulij mortui crinita stella apparuit, vt ait Plin. lib. 2. cap. 25. per dies septem. Vel per triduum, vt ait Seru. nisi hic corrigendus ab illo, & verè corrigendus. Nam Sueton. in Iulio cap. 88. septem etiam dies assignat. Hæc stella putata est Iulij anima. Inde illa adiecta omnibus eius statuis, & gestata ab Augusto in galea. Sil. lib. 13.

———ille Deûm gens
Stelligerum attollens apicem Troianus Iulo
Cæsar auo.———

Et Manil. lib. 1.

———Venerísque ab origine proles
Iulia descendit cœlo, cœlúmque repleuit.

Sed qui non locuti de stella Iulij? Horat. *Iulium sydus.* Prop. Eleg. 6. lib. 4. *Idalio astro.* Ouid. 15. Metamorph. *sydus nouum, stellam comantem, flammigerum crinem.* Virg. 9. Eclog. *astrum Cæsaris.* Procedunt ista ex opinione veterum existimantium, animas Heroum verti in sydera, quod iam astruxi Eclog. 5. ad illud,

Candidus insuetum miratur limen Olympi.

Heroum animæ in sydera.

Nota 2. vbi locutus sum de lacteo circulo. Et hîc adiicio versus Aristoph. in Irene

Οὐκ ἦν ἄρ' οὐδ' ἃ λέγουσι κατὰ τὸν ἀέρα,
Ὡς ἀστέρες γιγνόμεθ' ὅταν τις ἀποθάνῃ;

Verúmne

Verúsne magnum rumor est per athera,
Nos sydera esse quando mortui sumus?

14. AGRIPPA.] Fuit hic ex gente Vipsaniorum.

Naualis coronæ Agrippa non primus donatus naualí corona.

15. TEMPORA NAVALI FVLGENT, &c.] Dissidium inuenio in auctoribus. Nam Velleius lib. 2. *Insigne corona classica, quo nemo vnquam Romanorum donatus fuerat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit.* Eadem habet Liuiana Epitome. *Marcus Agrippa nauali corona à Cæsare donatus est, qui honos nemini ante eum habitus est.* Contrà Plinius lib. 16. cap. 4. *Rostratæ in duobus maximè ad hoc æui celebres, Marco Varrone è piraticis bellis, dante Magno Pompeio: itémque Marco Agrippa, tribuente Cæsare.* Vides, vt Varro ante Agrippam donatus fuerit. Quin Festus ait, non solùm donatum ea Varronem bello piratico, sed etiam Mar. Attilium bello, quod gestum est contra Nabim. Duo iam ante Agrippam. Falsus itaque est Sen. lib. 3. de Benef. cap. 32. *Agrippa nauali corona insignis, vnum adeptus inter dona militaria decus.* Non certè vni-

A *cum.* Sed & inferiore æuo hæc gloria est aliis communicata; vt à Iuliano Cæsare apud Ammian. lib. 24. Quamobrem falsus quoque & Dio, qui post mentionem Agrippæ, cui data hæc corona, adiicit. ὃ μὴ πρότερον, μήτε αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο: *Quod nec antè, nec postea alij cuiquam contigit.* Sed is vsque ad suum æuum, ideo non reprehendendus. Sed obiiciet aliquis contra Poëtam, cur Agrippa cum hac corona ante ipsum bellum? nam præmium post bella esse solet. Nota diligenter, coronam hanc datam Agrippæ bello nauali Siculo, quod gestum contra Pompeium filium Magni Pompeij. Itaque ex vera historia inducitur à Poëta cum ea ante bellum Actiacum. B Vide Velleium dicto loco, & Plin. lib. 16. cap. 4. Qui duo hoc expressè.

Rostratæ coronæ. Classicæ, Turritæ, Nauales.

16. ROSTRATA.] Ita vocat tempora ab corona ipsa, quæ cum rostris nauium. Plin. lib. 16. cap. 4. *Subière in capita ciuium rostra.* Velleius dicto loco *classicam* nominat, Silius lib. 13. *turritam.* Ouidius 3. Art. atque etiam Agell. lib. 5. cap. 6. *naualem.*

[a] Hinc ope barbarica, variísque Antonius armis,
Victor ab Auroræ populis, & littore rubro,
Ægyptum, virésque Orientis, & vltima secum
Bactra vehit: sequitúrque (nefas) Ægyptia coniux.
[b] Vnà omnes ruere, ac totum spumare reductis
Conuulsum remis, rostris stridentibus æquor.
[c] Alta petunt: pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos,
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
[d] Stupea flamma manu, telísque volatile ferrum
Spargitur: arua noua Neptunia cæde rubescunt.
[e] Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.
[f] Omnigenúmque Deûm monstra, & latrator Anubis
Contra Neptunum, & Venerem, contráque Mineruam
Tela tenent: sæuit medio in certamine Mauors
Cælatus ferro, tristésque ex æthere Diræ,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

ARGVMENTVM.

Consistunt contra Romanam classem Antonius, & Cleopatra, Ægyptus, Oriens, Bactra. Accedunt ad bellum hinc, inde naues. Pugnatur acerrimè flammis, & telis. Non duces solùm ducibus, sed Dij Ægyptij etiam oppositi Diis Romanis. Est in exitu pulchra hypotyposis Martis, Dirarum, Discordiæ, Bellonæ.

EXPLICATIO.

[a] POST numeratos Romanos duces, Augustum, & Agrippam, subiicit aduersæ partis duces, Antonium, & Cleopatram. Pro Senatu & populo, qui C in comitatu Augusti, sunt milites collecti à populis Auroræ, mari rubro, Ægypto, Oriente, Bactris. Vocat Bactra *vltima*, non orbis, sed Antoniani in Oriente Imperij.

[b] Non itur in bellum, sed ruitur, adeò crudelia odia. Videbatur in pictura mare totum conuelli remis & rostris; illis reductis ad pectus remigum, his stridentibus in findendo mari, spuma vbique albicante. Sed videtur mutanda lectio. Vide Notas.

[c] Putaret quispiam, cùm naues cerneret petentes alta, videre Cycladas reuulsas, innantes, concurrentes: aut certè montes obuios montibus. Nam videlicet puppes nauium turritæ.

[d] Sequitur iam bellum, quod fit flammis iactatis, telis volantibus, quæ duo missilia, vt in congressu nautico: ac iam tum mare rubebat sanguine ad primos belli impetus: & *cæde noua*, id est, ingenti, & inusitata.

c Inducit, ad pudorem Antonij, Cleopatram cum A sistro Ægyptiaco pro Romano classico, & eo vocantem agmina: iusserat quippe Antonius, vt legiones parerent feminæ. Adiicit Poëta, cælatos à tergo Cleopatræ angues illos, quorum morsu illa periit, quos tum non respiceret.

f Dij Ægyptij, mera quidem monstra, & omni ex colluuie, inprimisque Anubis cum canino capite, pugnabant contra Deos Romanos, Neptunum, Venerem, Mineruam. Acuebat ardorem belli Mauors Romani Imperij Pater sculptus è ferro (alias explicationes vide in Seruio) sæuiebátque in medio certamine. Erant vnà Diræ, Discordia, Bellona. Diræ ex æthere aduenerant missæ ab Ioue ad inflammandos animos: Discordia cum pallæ, & hac scissa, quales esse par est vesanientes; & cum gaudio, vt quæ videret B bellum ciuium: erat Bellona cum flagello sanguineo, quæ pergeret, quacunque Discordia vaderet.

Notæ.

1. Hinc ope barbarica.] Hanc numerat exactè Plutarch. in vita Anton. interfuêre enim *Bocchus Africæ, Tarcondemus Ciliciæ, Cappadociæ Archelaus, Paphlagoniæ Philadelphus, Comagenæ Mithridates, Adallas Thraciæ Reges.* Misêre verò auxilia Manchus, Herodes, Amyntas, primus Arabas, alter Iudæos, tertius Lycaonas. Medorum quoque Rex auxilia misit C Antonio. Florus lib. 4. cap. 11. meminit *Arabúmque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Africæ.* Itaque per Barbaros hoc loco non necesse est intelligere ipsos Ægyptios: sed eos qui auxilia misêre Ægyptiis, cùm præsertim dicat Herodotus Musa secunda, βαρβάρους δὲ πάντας οἱ Αἰγύπτιοι καλέουσι τοὺς μὴ σφίσι ὁμογλώσσους: *Ægyptij vocant Barbaros omnes, qui ipsorum lingua non loquuntur.*

Barbari qui in comitatu Antonij.

2. Victor.] Dici ita potest; nam tametsi infelicissima fuerit expeditio illius in Orientem, tamen μάχαις ὀκτὼ καὶ δέκα Πάρθους ἐνίκησεν, ait Plutarch. *Parthos vicit prœliis decem & octo.*

Antonius cur victor.

3. Littore rubro.] Qui hæreat verbis istis Curtij lib. 10. *Rubrum mare, non à colore vndarum, vt plerique credunt, sed ab Erythro Rege appellari.* Qui his D (inquam) hæreat (vt hæsit iam Brodæus, & non pauci alij) mirè decipietur. Adeant isti, quæ iam scripsi 3. Georg. operam præterea Ioannis Pinedæ in Pro. Salom. præsertim quæ adducit ex Barrio doctiss. scriptore lib. 3. cap. 11. num. 4. Non enim opiniones veterum semper sunt oracula. Vt Poëta *littore rubro*: ita Horat. Od. 35. lib. 1. *Oceanóque rubro.*

Rubrũ mare.

4. Vltima Bactra.] Propert. Eleg. 1. lib. 3. *finem Imperij Bactra.*

Bactra.

5. Seqvitvrqve (nefas) Ægyptia conivx.] Ideo *nefas*, quia Romanis legibus vetabatur feminas castra sequi cum coniugibus. Propert. clarè Eleg. 3. lib. 4.

Feminæ militiam sequi Romanis legib. vetabantur.

Romanis vtinam patuissent castra puellis.

Stat. 5. Sylu. loquens de Priscilla. E

Et, si castra darent, vellet gestare pharetras,
Vellet Amazonia latus intercludere pelta.

Tibull. lib. 2. Eleg. 7.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet amori?

Quia videlicet absque amica in castris. Apud Liu. lib. 5. Tribuni plebis queruntur fieri hybernacula, cùm milites, *hyeme saltem in domos ac tecta reduci oporteat, & aliquo anni tempore parentes, liberósque, ac coniuges inuisere.* Seuerus Cæcinna apud Tacit. lib. 3. Ann. *Ne quem Magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur. Haud frustra placitum olim ne feminæ in Socios, aut gentes exteras traherentur. Inesse enim mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur: & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessu conuertant.* Allusit Ouid. Eleg. 14. lib. 2. Amor.

Quid iuuat immunes bello cessare puellas?

Huc pertinet ab Grammaticis nonnullis *castra* dici, quasi *casta*. In his est Cassiodorus in Psalm. 77. Sed Cæsar Scal. lib. 1. Poët. cap. 21. à *casis* ducit; & cetera in nugis ponit. Ego tamen non puto me nugari, qui deduco à *claudendo*. Claudebantur quippe castra vallo & fossa. Sed abij ab instituto. Redeo. Volo notes locum Herodiani lib. 3. Non solùm milites in castris ab vxoribus abstinebant, sed cùm redirent domum à militia, neque cum his viuebant. Hoc colligo ex laudato auctore; nam scribens qua ratione Seuerus militarem disciplinam corruperit, multa militibus permittendo, inter alia ait. καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρῆσθαι ἐπέτρεψε, γυναιξί τε συνοικεῖν: *Aureis annulis vti permisit, & habitare cum vxoribus.* Qui legat Herodianum, videbit sermonem esse non in bello. Hoc ego per tempus aliquod intelligendum puto. Quæ attuli, pertinent ad vulgarem explicationem Virgilij coniungentium *nefas*, & *sequitur*. Ideo enim nefas, quia vxor it ad bellum contra Romanas leges. Sed non video, cur non possit *nefas* coniungi cum *Ægyptia coniux*, vt dicat, ideo nefas, quia duxit Ægyptiam, præsertim spreta Octauia sorore Augusti; ad eum modum, quo Terentius Andria, *dementiam* nominat,

Castra dicta à claudendo.

Militum Romanorũ castitas.

Sed quid hoc? adeon' est demens? ex peregrina?

Ergo ita nefarius, vt cum Ægyptia? Proper. loquens de Anton. & Cleopatra, *obscœni coniugis*. Iterum, *incesti meretrix Regina Canopi*. De eadem Plin. c. 35. lib. 9. *Regina meretrix*. Etenim matrimonia cum externis illicita fuerunt iure patrio, & Romano. Quod etiam interdictum fuisse ciuibus Atticis ex orat. Demosth. κατὰ Νεαίρας, aut quæ Demostheni ascribitur, Germanus efficit. Itaque in verbis Virg. videtur esse stomachus indignantis Ægyptiam coniugem Romano ciui nupsisse: vt etiam in Ouid. 15. Metamorph. *Romanique ducis coniux Ægyptia.*

Matrimonia externa interdicta.

6. Ægyptia coniux.] Videtur Germano Seruius fuisse acutus, qui viderit inductam Cleopatram à Poëta ad sempiternam inuidiam acti triumphi ab Augusto de Antonio. Nam Romæ insolens erat, & inusitatus triumphus de patria & ciuibus. Itaque, non tam triumphus habitus de Antonio, quàm de Cleopatra. Annectitque versus Eurip. Phœniss. quibus Iocasta simili planè argumento Polynicem à bello, & armis reuocat; quia nulla est gloria Græcum esse victorem Græcorum.

Cleopatra quare in triumpho Augusti.

7. Convvlsvm.] Σπαραγμὸν θαλάσσης, & σπάσμα dixerunt Appian. lib. 5. & Plutarch. in vita Ciceron. id est, *maris conuulsionem*. Quod noster Bisciola lib. 18. cap. 13. interpretatur de ea procella, qua nauis huc, illuc impellitur, & neque vltrà, neque retrò, variatis sæpe fluctibus, nauigat. Ego puto, conuelli mare tantùm esse extrahi à se, & diuelli, siue fluctibus in tempestate, siue remis in quacunque nauigatione, præeunte hîc Virgilio, qui *conuulsum æquor*, in summa tranquillitate. Nam auctore Plut. in vita Anton. hic nauium conflictus factus νηνεμίας, καὶ γαλήνης ἀκλύστου γινομένης: *sedato vento, & tranquillo mari.*

Conuulsum mare quid.

8. Rostris stridentibvs.] Lege, *rostrísque tridentibus*. Nam, tametsi defendi queat lectio vulgata, sed inclino in hanc, secutus Erythræum in Indice, Germanum hîc, Turnebum cap. 29. lib. 26. Iulium

Lectio Virgiliana.

Scal.

Scal. 4. Poët. cap. 16. cum etiam veteres picturas, & nummos, in quibus rostra nauium visuntur trifida. Vrsinus etiam attestatur ita scriptum in codice, qui fuit Pomponij Læti. Rostra hæc Polybius, & Appianus vocant ἐμβόλους.

Credas. 9. CREDAS.] Vt ab Hom. φαίης. Expendit vocem istam Sen. Rhet. Suas. 1. quasi non dicat fieri, sed videri, ideo *credas*.

Actiacæ naues ingêtes. 10. INNARE REVVLSAS CYCLADAS.] Nihil hoc loco Virg. ὑπερβολικῶς. Nam de hac ipsa pugna ita loquitur Dio. εἴκασεν ἄν τις ἰδὼν τὰ γιγνόμενα (ὡς μικρὰ μεγάλοις ὁμοιῶσαι) τείχεσί τισιν, ἢ καὶ νήσοις πολλαῖς καὶ πυκναῖς ἐν θαλάσσῃ πολιορκουμέναις: *Hæc qui videret, haud absimilia (vt parua magnis componamus) putaret muris quibusdam, aut etiã insulis multis, & frequentib. quæ in mari oppugnarentur.* Florus dat nauibus Antonij lib. 4. cap. 11. *castellorum & vrbium* speciem. Verba postea adducam. Horat. Od. 1. Ep. *alta propugnacula*. Plutar. τειχομαχίαν nominat, quasi muri oppugnari, non naues viderentur. Idem μέγεθος vsurpat de nauibus Antonij, & ὕψος, *magnitudinem, altitudinem*. De re eadem Propert. Eleg. 6. lib. 4. *moles pinea*. Quiddam simile Ammian. lib. 17. *Erectisque vsque periculum altis trabibus, vt machinarum cerneres nemus*, &c. Albertus Krantius libr. 1. Hist. Vand. cap. 9. in nauali certamine: *Hostibus allabi nemus, non armatæ naues videbantur*.

11. MONTES CONCVRRERE.] Plin. lib. 2. cap. 82. *Montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes*.

Imitatio. 12. TANTA MOLE VIRI.] Aliquis sapor ad locum Attij Argonaut.

———tanta moles labitur
Fremebunda ex alto ingenti sonitu, & spiritu,
Præ se vndas voluit, vortices vi suscitat,
Ruit prolapsa, pelagus respergit, reflat.

Turritæ naues. 13. TVRRITIS PVPPIBVS.] Harum turrium & in hoc bello, Dio, & Plutarch. meminêre. Fuêre autem illæ & in prora, & in puppi, tametsi Virg. tantùm mentionem faciat earũ, quæ in puppibus. Clarè Appian. lib. 5. Bell. Ciuil. πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατὰ πρῷραν, καὶ κατὰ πρύμναν. Florus nihil de puppi, aut prora, tantùm de nauibus Anton. lib. 4. cap. 11. *Turribus, atque tabulatis alleuatæ, castellorum, & vrbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur.* Sed hîc est grauis difficultas, an turres istæ tantùm fuerint in Antonianis nauibus, an etiam in Cæsarianis? Qui legat Plutarch. clarè hærebit priori parti, nam ita ille de hoc belli apparatu, vt altitudinem det tantùm nauibus Antonij, nihil loquatur de nauibus Augusti; non omissurus rem necessariam. In idem proculdubio inclinant omnes Romani Scriptores, qui locuti de bello Actiaco. Sed cùm Virg. posteriorem videatur sequi, videlicet pares altitudines fuisse vtrique classi, adiungam quæ pro hac parte reperi firmamenta. Imprimis magnum pondus Virg. ipse, qui ait, *montes montibus concurrere*. Deinde clarè Prudent. lib. 2. in Symm.

Augusti naues etiam cum turrib

Instar erant tenuis cymbæ, fragilisque phaselli
Inter turritas Memphitica rostra Liburnas.

Liburnæ naues. Vbi inferiores adhuc facit naues Antonij nauibus Augusti; nam hic (vt clamant omnes) Liburnis pugnauit, non Antonius. Tertiò, Seru. ad Virg. locum ita scribit. *Hoc de historia traxit: nam Agrippa primus hoc genus turrium inuenit, vt de tabulatis subito erigerentur, simul ac ventum esset in prælium, turres hostibus improuisæ, in nauigando essent occultæ.* Neque hoc refellit Rhodig.

Turres naues quorum inuentum. lib. 19. cap. 27. Quartò, nemo putet, has in nauibus turres inuentum fuisse Ægyptiorum in Actiaco bello, nam verè vsurpatæ à Romanis ipsis, ac proinde nihil mirum eas ipsas in hoc bello ab Augusto structas. Adducam verba Iulij lib. 1. Ciu. tum huic rei firmandæ, tum etiam vt noscatur, qua ratione fierent hæ turres, & ad quem vsum. *Alias deinde pari magnitudine rates iungebat, has terra, atque aggere contegebat, ne aditus, atque cursus ad defendendum impediretur: in fronte, atque ab vtroque latere cratibus, ac pluteis protegebat. In quarta quoque earum turres binorum tabulatorum excitabat, quò commodius ab impetu nauium, incendiisque defenderet. Contra hæc Pompeius naues magnas onerarias, quas in portu Brundusino deprehenderat, adornabat. Ibi turres cum ternis tabulatis erigebat, easque multis tormentis, & omni genere telorum completas ad opera Cæsaris adpellebat.* Hoc testimonium integrum volui, vt à quo multa habeo. Primò, turres in vsu Romanarum nauium. Deinde, modum fabricæ. Tertiò, vsum eius. Quartò denique discrimen. Nam Iulij turres habuêre tabulata bina, Pompeianæ terna. Hinc fit, vt hoc discrimine salui sint Plutarchus, aliique Scriptores, qui naues Augusti minores faciunt Antonianis. Potuêre enim Antonianæ esse plurium tabularorum in turribus: sed non vt illis carerent Cæsarianæ; ac propterea optimè Poëta de vtraque classe, *turritis puppibus*. Istud de vsu turrium in Romanis classibus firmatur etiam ab Appiano lib. 5. Ciu. vbi πύργους dat nauibus in eo bello, quod gestum inter Augustum, & Sext. Pompeium.

14. STVPEA FLAMMA, &c.] Intellexit versum hunc nemo hactenus. Si illum diuidas, capies. Illud, *stupea flamma*, accipe de nauibus Cæsarianis contra Antonianas. Quod sequitur, *telisque volatile ferrum*, de Antonianis contra Cæsarianas. Itaque Cæsariani ignitis telis rem gerebant; Antoniani aliis missilibus, non certè ignitis. Inde ex decoro Augusti primo loco, *stupea flamma*, quasi Augustus prouocasset. Sed iam ad firmamenta. Dio de hac pugna, & de Cæsarianis, οἱ μὲν γὰρ βέλη τε πυρφόρα ἐπ' αὐτοὺς ἐξετόξευον, καὶ λαμπάδας ἐκ χειρὸς ἐνηκόντιζον, καί τινας, καὶ χυτρίδας ἀνθράκων, καὶ πίττης πλήρεις πόῤῥωθεν μηχανῆς ἐσέβαλλον: *Hi enim in aduersarios tela ignita coniiciebant, facesque ardentes manu emittebant, ollas complures carbonibus, & pice refertas eminus machinis iaculabantur.* Lege, quæ sequuntur, & videbis extremam perniciem apportatam ab his flammis classi Antonij. Florus quoque: *Singulas (Antonianas) plures (Cæsarianæ) adortæ missilibus simul cum rostris, ad hoc ignibus iactis ad arbitriũ dissipauêre.* Firmaui Augusti flammas, pergo ad iacula Antonij, productis verbis Plutarch. ex oratione Antonij ad milites, vbi loquitur de suis nauibus, & classico apparatu. Omitto Græca, quia multa. *Nunc autem cùm tot sagittarij, & funditores in eis nauigent, & præterea ex turribus è loco superiore tela iacere, & impetum hostium arcere possint, poteritne quisquam illorum nobiscum congredi, & ad naues nostras accedere? quòd si quis accesserit, nónne multitudine remorum obruetur? nónne & de nauium nostrarum tabulatis, & de turribus iaculis appetitus mersabitur?* In his nulla mentio ignis, vt neque in vllo alio Scriptore. Cæsar contra Antoniũ ignitis telis. Antonius contra Cæsarem non ignitis.

Volo, de armis. 15. VOLATILE FERRVM.] Creberrimum hoc. Simocatta lib. 2. cap. 18. ὑπερίπτατο δὲ πολλὰ τῶν βελῶν: *superuolabant tela complura.* Cato, citante Seru. *tela volitabant*. Lucret. lib. 1. *volatile telum*. & lib. 4. *tela volarent*. Eurip. in Herc. πτηνὰ βέλη, *tela volucria*. Iterum: πτηνοῖς βέλεσι. & adhuc: πτεροτοῖς τοξεύμασι. Sed & imaginem pugnæ huius habes in Ammian. lib. 20. *facesque cum telis ardentibus, & malleolis ad exurendum imminens malum vndique conuolabant.* Iterum: *telisque igniferis, quæ per tegumenta turrium volitantia.* Et in Non.

lib. 39. καὶ ἀθρόον ἰωπέων ἴδεν ἀλήτην: *alatas & errantes sagittas per mare.* & post pauca: ἀλίδρομος ἔγχος αἰχμή. vbi inducuntur cuspides hastarum percurrentes maria.

Arua de aquis. 16. ARVA.] Vt *campus*, sic etiam *arua* de mari. Oppian. 1. ἁλιευτ. in exitu lib. ποσειδάωνος ἀλωή. *Neptuni area.* Pin. Od. 1. Pyth. πλάκα πόντου. Sedul. lib. 3. *& vasti premit arua freti.* Iterum;

Libera per vitreos mouit vestigia campos.

Campus de aquis. Sidon. epist. 2. lib. 2. *Pelagi mobilis campus cymbalis latè secatur peruagabilibus.* Vide plura lib. 10. ad illud, *campos salis aere secabant.*

Rubor de aquis. 17. RVBESCVNT.] Par verbum ἐρυθραίνειν in Hom. & Cal. vbi loquuntur de cæde facta in aquis. Frigidè Lucan. lib. 4. de re simili, *multúmque cruoris infudêre mari.* Laudo Nonnum, qui lib. 39. cum oppositione, ἀφρὸς ἐρευθόμενος πολιῆς ἅλμης: *spuma rubens cani maris.* ibid. ἐρυθαίνετο νῶτα θαλάσσης: *rubebant terga maris.* Aristid. in Panath. θάλατταν αἵματι, καὶ ξύλοις ζέουσαν: *mare feruens sanguine, & fluctibus.* Si esset Poëta, explicarem, *sanguineis fluctibus.*

Sistrum Ægyptiorum. 18. SISTRO.] Peculiare instrumentum musicum Ægyptiorum. Ouid. 3. Am. Eleg. 8. *Ægyptia sistra* Apul. lib. 2. *sistra Phariaca.* Mart. lib. 12. Epig. 29. *sistrata turba*, de Ægyptiaca: Claud. 3. Hon. *Nilotica sistris Ripa sonat.* Stat. 1. Theb. *arisoni Nili.* Sistra circumscripsit Sil. lib. 11.

Vi strepit assiduè Phrygiam ad Nilotica loton
Memphis Amyclæo passim lasciua Canopo.

vt etiam Tibull.

Quid tua nunc Isis tibi Delia, quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?

Habitum in magno honore hoc instrumentum apud hanc gentem: quin illud gestare in dextera Isis credebatur, vt in sinistra situlam. De illa Val. lib. 4. Arg.

Aspide cincta comas, & ouanti persona sistro.

Et Iuuen. Sat. 13.

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

Sed quod hoc instrumentum? Nebriss. tubæ genus esse existimat. Ineptè. Alij cornu incuruum. ἀτόπως. Alij dant formam tympani. Iunius confundit cum crotalo. Ego tamen hæreo eximio in literis viro Antonio Augustino; qui lib. 3. Icon. ex marmoribus, & antiquis monumentis ait fuisse instrumentum instar

Quod instrumentũ. palæ, ea forma, qua Gallis est *Raquetta*, quo instrumento & Hispani vtimur in ludo pilæ, ab Gallis accepto. Habebat hoc instrumentum tres aut quatuor fidiculas, vtebatúrque illo Sacerdos Isidis. Sistra hæc symphoniæ nomine expressit Prudentius 2. Symm.

Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Ægypto dederat, clangebat buccina contrà.

Crotalus, quid. Scire vis (hoc sit πάρεργον) quid sit crotalus? Antonius Aug. putat respondere illis, quas ab sonando Hispani *sonassas* dicimus. Secus sentio, & inclino in instrumentum illud percrepum, quod Hispani *cascauelum*, quod est genus tintinnabuli. Validè enim contra virum doctum pugnat Eurip. qui in Helena ait, κρόταλα βρόμια, *Bacchica crotala.* Quis verò ignorat tintinnabula vsurpata in celebritatibus Bacchi? nisi ille *sonassas* referat quoque ad tintinnabula, quod certè potest.

Cleopatræ mors. 19. GEMINOS ANGVES.] An morsu anguium, an alio veneno interierit Cleopatra, nulla certa historia compertum. Lege Plut. in vita Antonij, & Cedrenum pag. 150. Tantùm Poëta locutus ad opinionem Augusti; qui ex duabus punctionibus,

A quæ visæ in brachio Cleopatræ, credidit morsu aspidis interiisse. Inde ex hac opinione, cui, neglectis aliis, hæsit Augustus, gestata est in triumpho imago Cleopatræ cum aspide seta affixa mordicùs brachio: atque ita ex eadem opinione placitum Poëtæ loqui ad gustum sui Principis. Sed quare illud, *non respicit?* Hoc videor posse explicare ex historia. Iactabatur (ait Plut.) iussisse Cleopatram, vt ita bestia contecta afferretur, vt illa ipsius ignorantis Cleopatræ corpus inuaderet, μηδ' ἐν ἰδούσης αὐτῆς, ait scriptor. Quid ergo, si Poëta aspirauit ad hanc studiosam Cleopatræ ignorationem? Sed cur *gemini angues*, cùm Velleius, & Plut. aspidem vnam memorent, & vna quoque in triumpho affixa brachio? Refero ad δύο

Aspides Cleopatræ cur duæ.

B νυγμὰς, *geminas punctiones*, de quibus Plut. Ita etiam Prop. lib. 3. Eleg. 11.

Brachia spectaui sacris admorsa colubris.

A Virg. Martialis lib. 4.

Elisit geminos infans, nec respicit angues.

Ægyptiorũ Deorum monstra. 20. DEVM MONSTRA.] Iuuen. Sat. 15. *portenta* vocat. Qua voce vsus quoque Minutius, & S. Cyprian. de idol. vanit. Cic. lib. 3. de Nat. *Omne ferè genus bestiarum Ægyptij consecrarunt.* Nazian. Orat. 2. contra Iulian. Ægyptiorum Deos vocat θηρία σύνθετα, *bestias conflatas.* & Orat. 24. numerat omnium reptilium plasmata. Dixi in genere. Si bestias numerem, quis finis? Iuuenalis numerat *crocodilum, ibidem, cercopithecum.* Prudentius *simiam*, scribens in Symm.

C Plinius lib. 3. cap. 11. *scarabæos.* Tertull. Apolog. *Cynocephalum.* Plut. 4. Sympos. *gryphem, felem.* Phil. περὶ δεκ. λογ. *canes, lupos, accipitres.* Euseb. lib. 2. Præp. cap. 1. *bouem, ouem, Ichneumona, aquilam, hircum, Panas, Satyros.* Max. Tyr. dissert. 38. *Nili pisces.* Adde *lactucas, cæpe, allia*; vnde illud,

Felices gentes quibus hæc nascuntur in hortis
Numina. ———

Multi auctores, quos adduxi, plura afferunt numina, quæ ademi, ne repeterem. Redeo. Si tot infanda, an non meritò Virg. *Omnigenúmque Deum monstra?* Probè ergo Cyrill. Alexand. in Mich. cap. 7. num. 71. τὰς βδελυρὰς τε, καὶ ἀκαθάρτους τῶν δαιμόνων ἀγέλας: *abominandos, & impuros dæmonum greges.* &

D Tertull. Apolog. *Deorum dedecus.* & Plut. 4. Symp. Deorum Ægyptiorum, metas ἀλογίας, *ineptias* nominat.

Anubis cur latrator. 21. LATRATOR ANVBIS.] Nam colebatur hic Deus canino capite, quod scribit Plut. de Is. & Osir. & Euseb. de Præp. lib. 2. c. 1. Rationes huius formæ vide in vtroque. Eundem hunc fuisse cum Cynocephalo, cui caninum caput, certum est. Sunt

Mercurius est Anubis. & qui putent verè hunc Mercurium fuisse. Seru. hîc: *Quia capite canino fingitur, hunc volunt esse Mercurium. ideo, quia nihil est cane sagacius.* Iuuant verba ista Apul. *Ille superûm commeator, & inferûm, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis ceruices arduus Anubis, læua caduceum ferens, dextra palmam virentem*

E *quatiens.* Plutar. etiam de Is. & Os. ait, Anubin vocatum aliquando *Hermanubin.* Hermes autem Mercurius est. Vt Virg. ita & Ouid. 9. Metamorph. & Prud. 2. Symm *latrator Anubis.* Idem Prud. in Apoth. & Prop. Eleg. 11. lib. 3. *latrantem Anubin.*

Hermanubis Hermes, id est, Mercurius.

Homeri vitium. 22. CONTRA NEPTVNVM, &c.] Miserrimus, est Homerus in pugnis Deorum, quæ res iam notata Platoni, & Dioni Chrysostomo. Non enim decuit maiestatem Deorum lacerari vulneribus, effluere sanguinem ex eorum corporibus. Mira est Virgilij sobrietas, & cultus; apud quem animis tantùm Dij diffident, non armis. Inde in 10.

Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Iuno.

Ibid.

A Ibid. *animis certatis iniquis.* Vide verò hîc, qua moderatione loquatur. Tenent tantùm tela Dij Ægyptiorum contra Romanos Deos, non emittunt. Apollo verò, qui infrà *arcum tendit*, non certè in Anubin, sed in Arabas, & Sabæos. Cùm statim Mauors, & Bellona inferuntur, tantùm notantur affectus irarum, quæ in eo bello, ideo, *medio in certamine*, quasi vtrique aciei animos dent, non secum pugnent. Itaque etiam Neptunus, Venus, Minerua spectatores sunt certaminum, & veluti addentes animos. Ceterùm ad imitationem Virgilij opponentis Deos Ægyptios contra Romanos, scripsit Propert. Eleg. 11. lib. 3. de Cleopatra,

Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tyberin Nili cogere ferre minas.

B 23. SÆVIT MEDIO IN CERTAMINE MAVORS.] Pro vtraque acie, vt nunc dicebam. Ita Stat. lib. 8.

Mars in medio pugnantium.

Stat medius campis etiam num cuspide sicca
Armipotens, iámque hos clypeum, iam vertit ad illos
Arma ciens, abolétque domos, connubia, natos.

Ita in 7. *bacchatur vtrisque Tisiphone castris.* Ab Soph. in Elect. Mars dicitur φυσῶν, quòd furorem inspiret. Apud Calab. lib. 1. belli furor ardescit λαοῖς ἐν μέσσοισιν. *in medio copiarum.*

Martis ministri in bello.

24. TRISTESQVE EX ÆTHERE DIRÆ.] An quicquam crebrius in bellis? videsis miserrimum comitatum Martis, Diras, Discordiam, Bellonam. Plauserunt sibi in re simili describenda Poëtæ, ducti gloriæ stimulis. Apud Stat. lib. 9. Ira est comes Marti vagû *per inane ruenti.* Apud eundem lib. 3.

——— *comunt Furor, Iráque cristas,*
Frena ministrat equis Pauor armiger. ———

Apud Claud. lib. 1. Ruff. Mars ipse

Surgit, & hortatur celeres clamore ministros.
Fer galeam Bellona mihi, nexúsque rotarum
Tende Pauor, frenet rapidos Formido iugales.

Apud Hom. 13. Iliad. φόβος Martis filius armatur cum illo, itque ad bellum. Apud Calab. lib. 11. versatur inter cohortes φόβος, Ἄρης, θυμός. & extrema hæc pestis dicitur φοινήεντι λύθρῳ πεπαλαγμένος: & omnes illæ λαοῖς ἐπιθύουσιν. Ab Nonno lib. 29. φόβος, καὶ δεῖμος sunt comites Martis. Sed vide in imitando Virgilio studium Silij lib. 4. vbi post descriptionem Martis,

D ——— *exercitus vnà*
Irarum, Eumenidésque simul, Lethíque cruenti
Innumera facies, frenísque operata regendis
Quadriiugos atro stimulat Bellona flagello.
Fertur ab immenso tempestas horrida cælo,
Nigrantésque globos, & turbida nubila torquens
Inuoluit terras. ———

Inuenio in Poëta tacitam imitationem Soph. in Elect. vbi Marti spiranti minas dantur comites Furiæ, quæ ibi dicuntur ἄφυκτοι κύνες.

25. SCISSA DISCORDIA PALLA.] Egregia Discordiæ hypotyposis sub humana figura. Ita apud Stat. lib. 7. sub humana forma, *geminúmque tenens Discordia ferrum.* Latam pestis huius descriptionem hanc habet Petron.

Discordiæ hypotyposis.

——— *scisso Discordia crine*
Extulit ad Superos Stygium caput: huius in ore
Concretus sanguis, contusáque lumina flebant.
Stabant irati scabra rubigine dentes.
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora;
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebant lampade dextram.

Omnino Petron. Virgilio institit tam ex lacerato vestium habitu, quàm ex occasione: nam illam inducit detestans ipse bellum ciuile inter Cæsarem, & Antonium. Ab Virg. 6. Æneid. est pestis eadem cum crine vipereo, cum vittis cruentis. Ab Pausan. in pictura quapiam lib. 7. ἐς αἶσχιστον τὸ εἶδος: *facie turpissima.* Ab Hom. 4. Iliad. ἄμοτον μεμαυῖα, *inexplebiliter furens*, diciturque esse Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη, ἑταίρη τε. *Martis homicida soror, & socia.* Ab Calab. lib. 1.

Ἔρις ἰχνεύουσα μόθου ἀνὰ στρατὸν αἰπὺν,
Discordia turbarum auctor ruit per exercitum.

Eurip. Phœniss. δεινὰ Ἔρις θεός: *atrox est Dea Discordia.* Neque enim aliud *Discordia* Latinis, quàm Ἔρις Græcis. Ideo Nonnus lib. 20. Ἔρις πτολέμοιο τιθήνη *Eris belli nutrix.* Et, vt in Virg. Discordia acies turbat, ita Hom. 11. Iliad.

Ζεὺς δ' Ἔριδα προΐαλλε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν,
Ἀργαλέην, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν:
Iuppiter Eridem misit veloces ad naues Achiuorum,
Difficilem, belli signum in manibus gestantem.

Quod hoc signum in manu, nisi lampas illa Petronij; aut certè vipera, quo insigni sæpe hæ pestes? Sed in hoc descriptionum cumulo non omittendus Aristides, qui στάσιν, id est, *seditionem*, quæ eadem cum Discordia, aut Eride, ita describit orat. de Concordia ad Rhodios. θεαμάτων πάντων πικρότατον, τὴν μὲν κεφαλὴν ὑπτία, τὰ δὲ χείλη πελιδνή, τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς διεστραμμένη, ἐξῳδηκυῖα, δάκρυσι περιρραινομένη ἀεὶ συνεχομένη, τὼ χεῖρε ἀκρατής, τὸ ξίφος εἴσω πρὸς τὸ στῆθος ἔχουσα, ἐπὶ λεπτῶν τῶν ποδῶν καὶ σκολιῶν αἰρομένη. & plura alia. *i.*

C *Visu maximè formidabilis, supina capite, labris liuida, distorta oculis, inflata, perfusa semper recentibus lacrymis, intemperans manibus, ferens gladium inclinatum pectori, exilibus & obliquis pedibus sublata.* Sed nihil viuidius ad pestis huius imaginem, quàm *scissa palla* Virgilij. Sic de Luctu Stat. 3. Theb. *sanguineo discissus amictu.* & de eodem Claud. 1. Ruff. *scisso mærens velamine.* & de Perfidia in Cons. Manl. Theod. *fractis vt lugeat armis.* Vide multa in Dione Chrysost. qui sæpissimè huius pestis meminit in re ciuili. Lege & cap. 35. Sen. lib. 2. de Ira, vbi mirè, adductis etiam, & expensis Virgilij locis.

Scissio vestium ad affectum Discordiæ.

26. SANGVINEO BELLONA FLAGELLO.] Ita fingitur, & pingitur, vel quia Martis armígera est, & flagello agit illius equos, quod ex adductis Silij versibus patuit. Vnde apud Claud. Pan. Olib. ea Martis equos soluit bello tepentes. Vel quia flagello milites ad bellum acuit. Sed vide, vti ab aliis describatur. Stat. 7. Theb.

Bellona ministra Martis.

——— *regit atra iugales*
Sanguinea Bellona manu, longáque fatigat
Cuspide. ———

Pruden. 2. in Symm.

Miscebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armabátque feras in vulnera mutua dextras.

Sed audi furorem Silij lib. 5. ardentioris solito,

Ipsa facem quatiens, & flauam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona peragrat.
Stridit Tartareæ nigro sub pectore Diuæ
Lethiferum murmur. ———

E Claud. 1. Eutrop. inducit hanc Deam *pectentem hydros*, quæ fictio tota ad horrorem. Vide & furorem Nonni lib. 31.

Σείουσα βαρύδουπον ἐχιδνήεσσαν ἱμάσθλην,
Quatiens & grauiter personans viperinum flagellum.

Maxim. Tyr. dissert. 26. dicit Deam hanc pictam à Phidia, ὑψηλήν, αἰγίδα ἀνεζωσμένην, κόρυν φέρουσαν, δόρυ ἔχουσαν, ἀσπίδα ἔχουσαν: *proceram, cum Ægide, cum galea, cum hasta, clypeo.* Hesiod. Theog. ità.

Δεινήν, ἐγρεκύδοιμον, ἀγέστρατον, ἀτρυτώνην,
Πότνιαν, ᾗ κέλαδοί τε ἅδον, πόλεμοί τε, μάχαι τε:

Terribilem, tumultuantem in agris, ducem exercituum, indomitam,
Formidandam, cui clamores placent, bella, pugnæ.

Lucan. à Virg. lib. 7.

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagello.

Bellonæ sacra sanguinea.

In attributo *sanguinis*, quod dat flagello, respicit (credo) Poëta ad Bellonæ sacra, quæ tota sanguinea. Audi Lactantium lib. 1. cap. 12. *Alia sacra virtutis, quam eandem Bellonam vocant; in quibus ipsi Sacerdotes, non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & vtraque manu districtos gladios exerentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* Ad quæ sacra Horat. allusit Sat. 3. lib. 2. *gaudens Bellona cruentis.* Fortasse & Ammian. lib. 21. apud quem Iulianus: *incertúsque de militum fide, placata ritu secretiore Bellona.* Dixi fortasse: imò certè allusit. Nam *incertus de fide.* Ergo vt certò sciret, ideo A placauit Bellonam. Etenim ministri Bellonæ post hæc sacra putabantur diuinare. Iuuenalis Satyra quarta:

Bellonæ ministri diuinabant.

——sed vt phanaticus œstro
Percussus Bellona tuo diuinas.——

Lucan. lib. 1.

——quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet, cecinêre Deos.——

De his etiam sacris Tibull. Eleg. 6. lib. 1.

Hæc vbi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

Vidi, qui ad rem Poëtæ traheret *sanguineas virgas*, aut *frutices* Plinij lib. 9. cap. 10. & lib. 16. cap. 37. & lib. 24. c. 10. quasi flagellum Bellonæ desectum ex his esset. Sed ὅπως, καὶ δυστυχῶς. Rectius multò est illud, quod præmisi de sacris sanguineis.

[a] Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
[b] Ipsa videbatur ventis Regina vocatis
Vela dare, & laxos iam iámque immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat Ignipotens vndis, & Iapige ferri.
[c] Contrà autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentémque sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosáque flumina victos.

ARGVMENTVM.

Victoria Phœbo tribuitur, qui intento arcu omnes in fugam vertit; in quam se etiam dedit Cleopatra, iam pallida timore mortis. Erat ibi quoque Nilus vocans ad se fugientes milites.

EXPLICATIO.

[a] CONSTITVIT suprà Deos Magnos ab Augusto contra classem hostilem. Illorum vnus Apollo, cùm dubia adhuc victoria, *arcum intendebat.* Nota mentem Virgilij. Non iaculatur sagittam, tantùm intendit arcum, imò *intendebat* de imperfecto. Et hic leuis nutus satis ad terrorem, & fugam, quia nutus Dei. Incepit verò fuga ab Ægyptiis, Indis, Arabibus, Sabæis; quæ gentes mollissimæ.

[b] Vix fuga occœperat, cùm Cleopatra quoque visa est dare vela, vocare ventos ad fugam, funes laxare. Et nota prudentiam. Nullum hîc verbum de Antonio, ne Romanus dux, etiamsi hostis Augusti, nominetur in re turpi. Pergit pictura. Videbatur Cleopatra iam pallens futura morte, quasi iam tum illa coniectaret infelicem exitum illius fugæ, & belli. Dicit illam ferri *Iapige*, id est, vento Apuliæ, qui ad Orientem ducit.

[c] Non oportuerat Nilum intactum relinqui in hac pictura, tum quia is fluuius Ægypti, tum quia imagines etiam fluuiorum vinctæ in triumphum B ducebantur. Pingit illum *mœrentem*, vt par est in suorum clade: & *magno corpore*, vt pingi fermè solent flumina; *vocantem victos ad gremium*, vt laterent in suo flumine: idque *veste tota* significantem. Refert Seru. latebras ad incognitam Nili originem. Non placet.

NOTÆ.

1. ACTIVS.] Augustus creditus est Phœbi filius. Nam Actia Augusti mater credita est compressa ab Apolline sub forma draconis, vnde fit occulta allusio ex Accia ad Actium Apollinem. De hoc iam ego lib. 6. Æneid. Inde huic Deo victoria tribuitur, vt patri Augusti. Rationem aliam suppeditat C Iulianus Cæsar sermone de Cæsaribus, vbi ait, tutelare Numen Augusti fuisse Apollinem. Nam, cùm Alexander Magnus ad Herculem confugisset, Iulius Cæsar ad Martem & Venerem, Imperator Marcus ad Iouem & Saturnium, Ὀκταβιανὸς (ait ille) πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα: *Octauianus ad Apollinem.* Huc traho initium Apollon. in Argonautic.

Augustus creditur Phœbi filius. [illegible]

Apollo tutelare N[…] Augusti.

Ἀρχόμενος σέο Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν
Μνήσομαι.——
Incipiens à te Phœbe priscorum laudes virorum
Memorabo.——

quasi Phœbus præsit claris viris. Inde itaque Augustus huic Deo in Leucadio littore, & ante fauces sinus Ambracij, vt scribit Dio lib. 5. iuxta quem victoria habita, templum dicauit, ampliato (vt ait Sueton.)

Phœbus præest claris viris.

vetere

vetere templo Apollinis. A quo littore dictus Apollo Actius, aut Actiacus, aut Actæus. Prima duo obuia sunt: extremum vidi in Strab. lib. 13. μαντεῖον (inquit) Ἀπόλλωνος Ἀκταίου. Orpheus Arg. ἀκτίην vocat. ζ τι παιευσαῖο (inquit) καὶ ἐπακτίῳ Ἀπόλλωνι. Et quidem littora omnia sacra fuisse Apollini iam animaduertit præstantissimus Turnebus ex hymno, qui Homero tribuitur, vbi dicuntur Phœbum canere.

Actius Apollo, Actiacus, Actæus.

Littora omnia sacra Apollini.

Ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης:

Protensa ad salum littora, ac maris portus.

Apollonius quoque Apollinem vocat ἐμβάσιον ab eadem re. Et Higin. de cœl. sign. scribit ex Callim. constructum templum ab Argonaut. Apollini *Littorali*. Inde inter *Littorales Deos* intelligat necesse est Catullus Phœbum. Quem Poëta *Actium*, Propert. nominat *Leucadium*. Nam de hac ipsa victoria Eleg. 11. lib. 3.

Leucadius Phœbus.

B

Leucadius versas acies memorabit Apollo.

Sed idem tamen Actium voluit Eleg. 6. lib. 4.

Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quod eius
Vna decem vicit missa sagitta rates,

Notetur & imitatio Apollonij 1. Arg. apud quem Iuno fingitur esse νηὸς ἀφλάστοιο, *in nauis tabulato*, ferens auxilium Iasoni. Itaque credibile visum, Apollinem sedere in ipsa naue Augusti.

Imitatio.

2. ARCVM INTENDEBAT.] Inde Apollo dictus *Belenus* ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Cuius Dei Auson. meminit in Profess. Epig. 4.

Apollo Belenus.

Beleni sacratum ducis è templo genus.

Vide Pithœum lib. 1. Adu. cap. 3. qui & cap. 4. Tertullian. quoque locum corrigit ab eadem notitia, legens in eo *Belenum*, vbi priùs malè *Tibilenem*. Verum est, scribi à Pithœo ita dictum à iactu radiorum. Sed cur non à iactu sagittarum? imò hoc potiùs, scribente Capitolino in Maximinis hunc in modum: *Cùm igitur frustra obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem vrbem misit, quibus populus penè consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam Deum Belenum per aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum. Vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur Apollinem contra se pugnasse: neque illam Maximini aut Senatus, sed Deorum fuisse victoriam.* Quid, quòd *Belenus* idem qui & τοξότης est? Ceterùm Virgil. imitatus videtur Ennium, qui in Alcmæone,

C

Et vnde ita dictus.

Imitatio.

——intendit crinitus Apollo
Arcum auratum Luna innixus.——

Vrsinus spectatum ad locum Homeri ait libr. 15. Iliad. vbi ad aduentum Apollinis Troiani exultant, Græci timent. Sed ego ad Calabrum refero lib. 3. vbi Apollo sagittam intendit contra Achillem, & interficit. Vsitatum Gentilibus, vt magna vulnera Diis attribuant, quasi ipsi vnicè essent Principum & Tyrannorum interfectores. Quintil. Declam. 328. *Sed fecimus suum titulum reddere liberatoribus nostræ ciuitatis. Illum Dij occiderunt.* Et Aristid. loquens de Temistocle ait, καὶ θεοὶ, καὶ ἥρωες οἱ κοινοὶ τῶν Ἑλλήνων σύμμαχοι συνηγωνίζοντο καὶ συνεναυμάχουν: *Dijque, & Heroës communes Græcorum socij simul è nauibus pugnarunt.* Porrò ad Virg. spectauit Propert. Eleg. 6. libr. 4. vbi Phœbus ita loquitur cum Augusto.

D

Diis attribuebantur magna vulnera.

Vince mari, iam terra tua est, tibi militat arcus,
Et fauet ex humeris hoc onus omne meis.

3. ÆGYPTVS.] Annecto verba Achill. Tatij Alexand. lib. 4. Clitoph. & Leucippæ. ἀνὴρ δὲ Αἰγύπτιος ἐς τὸ δειλὸν τα φοβεῖται, δι' ἄλλων, καὶ τὸ μάχιμον ἐς οἷς θάρρει παροξύνεται: ἀμφότερον καὶ κατὰ μέτρον, ἀλλὰ τὰ μὲν ἀσθενέστερον δυστυχεῖ, τὸ δὲ θρασύτερον κρατεῖ: *Ægyptiorum enim gens periculosis in rebus animum abijcit, in secu-*

Ægyptiorum...

ris autem spiritus sumit: in quo non eundem modum seruat, nam aut ignauissimè cedit, aut superbissimè dominatur. Probè ergo in Poëta statim fuga incipit ab Ægyptiis.

A

4. INDI.] Aut veros Indos, qui vltra Persidem, quósque interfluit Indus; & hoc potiùs credo, nam suprà, *vltima Orientis*: aut cape Æthiopes, qui in Africa; nam credibile hunc militem conductum ab Ægyptia Regina. Et quidem Indos dici de Æthiopibus notius est, quàm vt egeat fulcro vllo. Mediterranea etiam Africæ dici Indiam, iam Turn. astruxit ex Higino scribente in Fab. c. 275. *Liber in India Ammonem.*

Indi de Æthiopibus, & Africanis.

5. VERTEBANT TERGA.] Phrasis Hom. μεταβαλὼν νῶτα. Non possum non laudare Simocattam, qui lib. 3. cap. 13. Historiam indicans, quale esset vitium in bello terga vertere, expressit verbis dignissimis, quæ audiantur. Est verò sermo ducis Romani hortantis suos ad conflictum. διὸ μή τις ὁράτω τὰ νῶτα τοῖς πολεμίοις φρουρήσατε, ἀμύντας αὐτοῖς τῶν μεταφρένων ἐστεγάσθαι: *Quapropter curate vti terga vestra hostes ne aspiciant: dorsa vestra iisdem, vt mysteria* (profanis) *occultate.* Nihil concipi melius potuit.

Terga ad fugam esse debent plena mysteriis.

6. VIDEBATVR.] Non dubitat, sed certò ait, dedisse illam vela. In Cic. hoc verbum nullies est de re certissima; vt cùm ait pro Pomp. *Satis mihi multa verba fecisse videor.* Ita Vlpian. in 1. Olynth. verbum νομίζω, id est, *puto*, in Demosthene explicat de re certa, & per verbum κρίνω, id est, *iudico.* & subiungit: τὸ δὲ νομίζω, καὶ δοκεῖ, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὐ πάντως ἐπὶ ἀμφιβόλου τάττουσιν οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ πολλάκις, καὶ ἐπὶ τῆς ἀληθείας: *Verbum puto, & videtur, & alia eiusdem generis, non semper in re dubia vsurpant veteres, sed sæpe etiam de re vera.*

Videtur de re certa.

7. VELA DARE.] Qui legat Plut. & Romanos alios Scriptores, videbit fugam istam incepisse à Cleopatra, quam deinde secutus est Antonius, cùm tamen eius milites perseuerarent in acie, fortissimè absque duce pugnantes. Florus cap. 11. lib. 4. *Prima dux fugæ Regina cum aurea puppi, veloque purpureo se in altum dedit.* Vide & Prop. Eleg. 6. lib. 4.

Cleopatra prima fugit.

8. PALLENTEM.] Nam obiit veneno, quod pallorem inducit. Vnde Ian. Guliel. lib. 3. verisi. c. 19. illud Martial. lib. 1. Epig. 79.

Palleo, de his qui intereunt veneno.

Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Demisitque animam nobiliore via.

legit, *pia pallnit ora veneno.*

9. IAPIGE.] Apul. lib. de Mundo: *Horum nomina plerique commutant de loco, vel similitudine aliqua: vt Galli Circeum à turbine eius & vortice; Apuli Iapigem, ex Iapige sine, id est, ex ipso Gargano venientem. Hunc Caurum esse manifestum est, nam ex Occiduo venit, & Virgilius eius sic meminit, illum inter cædes,* &c. Mox subiungit integros versus.

Iapix ventus.

10. MAGNO CORPORE.] Ad Nili magnitudinem, quam hîc celebrat Poëta, aduoco verba Simocattæ lib. 7. cap. 16. à quo Nilus, cùm is prodigiosè humana forma apparuit in ipsis vndis, ita describitur. Omitto Græca, vt multa. *Obstupendus magnitudine, facie Gigantis, ferus aspectu, subflauus coma, eaque canis intermista, malæ adsimiles habitioribus hominibus, quique ad palæstram exercentur, lumbi nautici, pectus validum, humeri lati, qualésque Heroum, brachia torosa.* Additque de hoc tam grandi homine, λόγος δὲ ἐκεῖνον αὐτὸν περιφοιτᾶν τὸν Νεῖλον: *Rumor fuit hunc illum fuisse fluuium Nilum.* Sed & in his triumphis corpora fluminum inferebantur magnitudine vltra modum. Pers. Sat. 6.

Nili magnitudo in corpore.

E

Iam chlamydes Regum, iam lutea gausapa captis,
Essedáque, ingentésque locat Cæsonia Rhenos.

Flumina in triumphis magnitudine vltra modum.

Vbi signatè, *ingentes Rhenos*, vt & Virg. *magno corpore.* Quin semper ad pompam triumphi eligebantur captiui qui essent grandiore corpore. Ioseph. lib. 7. Bell. cap. 24. ait, electos à Tito ad triumphum homines, μεγέθει τε καὶ κάλλει σωμάτων ὑπερβάλλοντας: *magnitudine corporum & pulchritudine praestantes.* Et triumphus Marcelli fuit spectandus, ait Plutar. σωμάτων ὑπερφυῶν αἰχμαλώτων, *immanibus captiuorum corporibus.* Sed hoc, cùm non sit Virgilij, attigisse sit satis. Verumtamen ex verbis Simocattæ adductis initio Notæ huius ego explico locum Cedreni pag. 328. qui historiam narrans, quid ea historia significaret, ipse non intellexit. Ait ille apparuisse in Nilo (præternauigante amnem hunc Mena præfecto Ægyptiorum) mõstra duo, viri vnum, feminæ alterum. Simulacrũ viri hoc erat: εὔστολος, εὔστερνος, καταπληκτικὸς τὴν ὄψιν, ξανθὸς τὴν κόμην, μιξοπόλιος, καὶ μέχρι τῆς ὀσφύος γυμνὸς τὴν φύσιν, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τοῦ σώματος τὸ ὕδωρ ἐκάλυπτε: *Vir erat bene compositus, amplo pectore, terribili aspectu, fuluo crine, intermistis canis, vsque ad lumbos nudus, ceteras partes aqua tegebat.* Mox adhibet speciem feminæ. omitto. Ad rem. Mihi non dubium, quin monstri huius effigies sit ipsamet Nili species, quam Simocatta exhibuit. Quo simulacro delusa est Gentilitas, putans magnum esse numen. Etenim verba aliqua Cedreni sunt etiam in Simocatta. Nam hic, εὔστερνος, καταπληκτικὸς, τὴν κόμην ὑπόξανθος μεμιγμένην πολιᾷ. Femina, quæ huic monstro comes, eius fortasse vxor. Talia quippe Gentiles connubia.

Captiui ad triumphum grandiore corpore.

Nili species.

11. NILVM.] Ducebantur imagines fluuiorum in triumphis. Ouid. 1. Art. in triumpho Cæsaris.

Flumina in triumphis,

Hic est Euphrates præcinctus arundine frontem,
Cui coma dependet cærula, Tygris erit.

Tacit. 2. Ann. in triumpho Germanici: *vecta spolia, captiui, simulacra montium, fluminum, præliorum.* Claud. 2. Stil.

Hi famulos traherent Reges, hi facta metallis
Oppida, vel montes, captiuáque flumina ferrent.
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes,
Inde catenato gemeret Germania Rheno.

Sil. lib. 3.

———*dabit hic in vincula Tybrim.*

Ab Sidonio in Burgo Leontij adhibentur aliquæ notæ, vnde pleniùs res ista cognoscetur.

Et lugentia.

Corniger inde noui Ganges it pompa triumphi:
Cernuus impexam faciem stetit ore madenti,
Arentes vitreis adiuuit fletibus vndas,
Conіectas in vincula manus post terga reuinxit

A

Pampinus: hic sensim captiuo humore refusus
Sponte refrondescit per brachia roscida palmes.

Lege, quæ de triumpho Balbi scribit Plin. cap. 5. lib. 5. vbi inter plura oppida, & *flumen Dasibari.* & quæ Iosephus lib. 7. Bell. cap. 24. vbi exhibet in triumpho fluuios Iudæorum tristissimos, non quidem pura aqua, & quæ necessaria ad potum, sed tanquam per vastissima incendia decurrerent. De re alia loquens Stat. 1. Theb. *lugentia flumina Nili.* Propert. de Rheno Eleg. 3. lib. 3.

Saucia mœrenti corpora vectat aqua.

Ab Petron. loquente de Pompeio, inducitur pontus *fracto gurgite*; & Bosphorus *submissa vnda.* Ab Ouid. Eleg. 2. lib. 4. Trist. Rhenus in triumpho Augusti *fractis cornibus.* Hi omnes instar Virgilij, qui *Nilum mœrentem.* Mart. lib. 5. Epig. 3. Istri aquas vocat *famulas.* & lib. 7. Epig. 79. *captiuo Istro.*

B

12. PANDENTEMQVE SINVS.] Allusum ad Nili septem ostia. Theocr. in Europ. ἑπταπόρῳ Νείλῳ. de qua re alibi. Ab Plin. Paneg. Traiani Nilus dicitur *panditor amnis.*

Nilus panditor.

13. TOTA VESTE.] Putat Gif. legendum *torta.* Nam Auson. Mosell.

Tota vestis.

Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus
Torta veste vocat.———

Verùm est tamen à multis legi in Auson. *tota.* Et quamuis non respuam lectionem Gifanij, sed mihi certè pleniùs dici videtur *tota*; quasi Nilus sinus aperiret, & vestem totam panderet ad tegendos fugientes. Alicui poterit placere legendum *mota.* Nam Veget. lib. 3. cap. 5. loquens de significationibus militaribus: *Manu aliquid, vel flagello, more barbarico: vel certè mota, qua vtitur, veste significat.* Si iudicium meum quæris, antepono *tota*, deinde *mota*, tertiò *torta.*

Lectio Virgiliana.

C

14. VOCANTEM CÆRVLEVM IN GREMIVM.] Sententiam Propert. arripuit, qui de hac ipsa re loquens lib. 3. Eleg. 11.

Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili.

Et iterum Eleg. 6. lib. 4.

Illa petit Nilum cymba malè nixa fugaci.

Auctor Octauiæ loquens de Antonio.

Locorum similitudo.

Superatus acie puppibus Nilum petit
Fuga paratis.———

Est & in Poëta aliquis sapor ad Hom. 21. Iliad. vbi Scamander

———Ζωὸς δ᾽ ἐσάω κατὰ καλὰ ῥέεθρα,
Κρύπτων ἐν δίνῃσι βαθείῃσιν, μεγάλῃσι:
———*viuos autem seruauit in pulchris fluentis,*
Occultans in vorticibus profundis, magnis.

[a] At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho
Mœnia, Diis Italûm votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per vrbem.
[b] Lætitia, ludísque viæ, plausúque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras ipsi terram strauêre iuuenci.
[c] Ipse sedens niueo candentis limine Phœbi
Dona recognoscit populorum, aptátque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes,
Quàm variæ linguis, habitu tam vestis, & armis.
[d] Hîc Nomadûm genus, & discinctos Mulciber Afros,
Hîc Lelegas, Carásque, sagittiferósque Gelonos

Finxerat.

Finxerat. Euphrates ibat iam mollior vndis:
Extremíque hominum Morini, Rhenúſque bicornis,
Indomitíque Daæ, & pontem indignatus Araxes.
[e] Talia per clypeum Vulcani dona parentis
Miratur, rerúmque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famámque, & fata nepotum.

ARGVMENTVM.

Deſcribitur in libri exitu triumphus triplex Auguſti, illius votum, vrbis lætitia, ſacra in templis, dona ad victorem allata ab diuerſis gentibus, multitudo populi, vniuerſus orbis domitus. Liber clauditur.

EXPLICATIO.

[a] TRES continuos dies Auguſtus Romæ triumphauit. De hoc in Notis. Auxerunt ſplendorem triumphorum vota Principis, nuncupatis plurimis templis in honorem Deorum.

[b] Commendat triumphos Cæſaris à circumſtantiis, tunc enim & lætitia viguit, & ſacri ludi peracti, & plauſus omnium incredibilis. Adhæc, templa omnia, & aræ frequentata matronarum choris, & cæſæ paſſim victimæ.

[c] Effinxerat Auguſtum Vulcanus in Phœbei templi limine accipientem populorum dona, aptantémque illa, & ſuſpendentem poſtibus: corámque illo maximum victarum gentium agmen, quæ omnes diſtinctæ linguis, armis, veſtibus.

[d] Numerat has gentes, & aliquas cum elogiis. Erant ibi Numidæ, Afri, Lelegæ, Caræ, Geloni. Erat Euphrates, non vndis quidem minacibus, ſed manſuetiore aquarum agmine, vt qui ſe victum ſentiret. Vt verò Euphrates Orientales comitabatur, ita Rhenus Morinos, Araxes Daas: ſicuti ſuprà Nilus Ægyptios, Arabas, Sabæos. Vides verò, vt omnia illuſtret epithetorum luce.

[e] In exitu eſt admiratio noua Æneæ ad clypei fabricam, gaudium ex varia rerum futurarum imagine. Cùm verò humero clypeum attolleret, viſus eſt geſtare ſuorum & famam, & fata.

NOTÆ.

1. TRIPLICI.] Nam videlicet Auguſtus *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes*; verba ſunt Sueton. cap. 22. Sic etiam Virgilium accipiunt interpretes, fortaſſe quia has tres victorias maiore in pretio habuit. Videndus etiam Dio lib. 51. Nam de Philippenſi victoria cum contra Brutum & Caſſium, & de Sicula contra Sex. Pompeium, tantùm ouauit. Qui legat tamen Iulianum in Sermone de Cæſaribus, tria potiſſimùm bella videbit Auguſtum commemorantem, videlicet *Germanicum, Actiacum, Philippenſe*: vbi neque Dalmatici, neque Alexandrini meminit; & de Siculo ait, fuiſſe tanquam ſuorum operum πάρεργον. Velleius lib. altero *triumphos* nominat numero multitudinis. Adhibeo eius verba initio huius tractus, & prima in Nota, quia conſentanea

Augusti triumphi.

A reliquo tractui, & Notis. Loquitur de Auguſto poſt victum Antonium: *Cæſar autem reuerſus in Italiam, atque vrbem occurſus, quo fauore omnium hominum, ætatum, ordinum exceptus ſit; qua magnificentia triumphorum eius, quæ fuerit munerum; nec in operis quidem iuſti materia, ne dum huius tam reciſi dignè exprimi poteſt.*

2. INVECTVS.] Nam curru, ideo enim *Curules triumphos* dixit Sueton. Plin. de Traiano in Paneg. *Videor intueri ipſum te ſublimem, inſtantémque curru domitarum gentium tergo: ante currum autem clypeos, quos ipſe perfoderis.* De triumphis nihil hîc dicam in magna luce auctorum, eſſet enim abuti otio. Originem afferre non grauabor, quã fortaſſe nemo animaduertit. Romani, vt erant in re omni æmuli Græcorum, fecerunt victis hoſtibus, quod Græci in certamine Olympico. Audi Vitruuium in præfatio-

Triumphorum origo.

B ne lib. 9. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Græcorum maiores ita magnos honores conſtituerunt, vti non modò in conuentu ſtantes cum palma & corona ferant laudes, ſed etiam cùm reuertantur in ſuas ciuitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias inuehantur.* Et quid aliud in triumphis? Nulla maior gloria in Romano Pop. Atqui de ludis Horat.

Terrarum dominos euehit ad Deos.

Itaque quæſita paritas inter triumphorum, & ludorum gloriam. Quæret aliquis, biniſne, an quatuor equis inuectus Cæſar? In binos inclino, ſcribente Plutar. in vita Camilli, hunc in modum. τάτε ἄλλα σοβαρῶς ἐθριάμβευσε, καὶ τέθριππον ὑποζευξάμενος

Equi in triũphis quot.

C λευκόπωλον ἐπέβη, καὶ διεξήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος ἡγεμόνος πρότερον, οὐδὲ ὕστερον: *Triumphum duxit* (Camillus,) *cùm alias ſuperbum, tum quòd curru quatuor iuncto equis albis ſit inuectus Romam, nullo exemplo vel priorum, vel inſequentium Imperatorum.* Inde de ſuperbiſſimo homine in 6. *Quatuor hic inuectus equis,* &c. Neſcio itaque, an poëticè magis, quàm verè Ouid. ſcripſerit de Auguſto,

Quando erit ille dies, quo tu pulcherrime rerum,
Quattuor in niueis aureus ibis equis?

Illi enim oppono validam Plutarchi fidem, qui certè ad ſuum vſque æuum hoc factum negat. An poſt æuum Plutarchi id factum fuerit, diſquiri poteſt ab his, quibus otium. Et Ouidius quidem faci-

D lem habet exitum: ſcribit enim, non quod factum, ſed quod præſumit fore.

3. MOENIA.] Signatè, & propriè, non portas, quia ruptis mœnibus ingrediebantur triumphatores.

Triumphatores ruptis mœnibus ingrediebãtur.

4. DIIS ITALIS.] Seru. capit ædem Apollinis, quæ in Palatio. Poſſit aliquis intelligere *Deos loci*, qui in magno cultu apud veteres. In 3. Æneid.

Numina magna loci iuſſi veneramur.——

5. VOTVM.] Nam qui erant in aliquo periculo ad hanc aram confugiebant, id eſt, ad nuncupationem voti, quo ſe ad templi fabricam obligabant. Teſtis Romulus in bello Sabino, & Elpis Samius, de quo lege Plin. lib. 8. cap. 16. Teſtis tota antiquitas. In vno Pauſan. innumera.

Vota in magnis periculis.

6. TIR.

Augusti pietas.

6. TERCENTVM DELVBRA.] Verè: nam Liu. lib.4. vocat *Augustum Cæsarem templorum omnium conditorem, aut restitutorem.* Adeatur Suetonius.

Triumphorũ lætitia.

7. LÆTITIA LVDISQVE, &c.] Quis nescit plausus triumphorum? nihil enim lætius victoria. De Ephatmosto hanc adepto Pind. Od.9. Olymp. κωμάζοντι φίλοις Ἐφαρμόστῳ σὺν ἑταίροις. & quidem κωμάζειν signat lætitiam vltra modum. Simocatta cap.6. lib.3. post victoriam ἱλαρύνεταί τε, καὶ καλλωπίζεται. & libr.7. cap.15. post eandem, γέλωτος κυματίζοντος. De triumpho Augusti Ouid.1. Art.

Spectabunt iuuenes læti, mistæq; puellæ,
Diffundétque animos omnibus ille dies.

Hanc rẽ à nemine meliùs disces, quã à Dionys. lib.2. loquente de Romulo, & ab Ouid. Eleg.2. lib.4. Tristium, & à multis locis Liuij. omitto. Per *ludos* Seru. intelligit *Compitalitios.* Vox (*Lætitia*) ducit me ad vocem triumphis affinem, *Io triumphe.* Nam Ouid.1. Metam. loquens cum lauro,

Compitalitij ludi.
Io triũphe.

Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & celsas visent Capitolia pompas.

Sed potes Lector capere gaudia omnigena, scribẽte ita Vell. lib. altero: *Nihil deinde optare à Diis homines, nihil Dij hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus post reditum in vrbem, Reipub. Populóque Rom. terrarúmque orbi repræsentarit.* Loquitur post victum Antonium.

Triumphatori populus occurrebat extra vrbẽ.

8. VIÆ.] Nam procedebat populus ad vias extra vrbem excepturus triumphatorem. Dionys. lib.2. in triumpho Romuli: *Ciues ex vrbe cum coniugibus, & liberis ab vtraque viæ parte illi obuiam venerunt.* De Traiano Plin. Paneg. *oppletas vndique vias, angustúmque tramitem relictum tibi.* De Vespasiano redeunte è bello Solymorum Iosephus cap. 22. lib. 7. ἅπαν ἤδη τὸ λοιπὸν πλῆθος ἅμα γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐπὶ ταῖς παρόδοις ἐξεδέχετο: *Reliqua omnis multitudo cum coniugibus & liberis eum excipiebat per vias.* & de Tito filio cap. 24. ait progressum populum τριάκοντα σταδίων ἐπὶ πλεῖον, *ad tricesimum, & eo ampliùs, stadium.* Huc allusum à Martiali lib.10. Epig.7.

Quando moræ dulces, longúsque à Cæsare puluis,
Totáque Flaminia Roma videnda via?

Et à Claud. de Bell. Get. vbi de populo excipiente Stiliconem,

———portas secura per omnes
Turba salutatis effunditur obuia signis.

9. PLAVSVQVE FREMEBANT.] Ita optat lib.3. Propert.

Ante meos obitus sit precor ille dies:
Quo videam spoliis oneratos Cæsaris axes,
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.

Chorus in triumphis.

10. MATRVM CHORVS.] Dionys. in triumpho Romuli; *Reliquæ tum pedestres, tum equestres copiæ sequebantur acie instructa, & patriis hymnis Deos celebrantes, & carminibus ex tempore compositis suum ducem laudantes.* Romani cùm Francos strauêre χορείας ἐστέλλον (ait Agath. lib.2.) vbi vides *choreas.* Simocatta loco adducto, in re simili saltus inducit, κατορχεῖσθαι. & libr.7. cap.15. etiam post victoriam meminit ὕμνων, καὶ συμφωνίας χορῶν, *hymnorum, & symphoniæ peractæ in choris.* Herodian. lib.4. adhibet concentus musicos, vbi Alexandrini excepêre Antoninum. Hoc nostro æuo vsitatissimum. Et nota choros datos feminis, non viris, ex magno decoro. Ioann. Chrysost. in Laudat. Pelagiæ, ait, viros in aduentu Principum, debere ἠρέμα, καὶ μετὰ ῥυθμοῦ πολλοῦ χωρεῖν, ὥστε τοῖς θεωροῦσιν αὐτοὺς ἀξιοθέατοι φαίνεσθαι: *gradu quieto incedere, moderato, ac reuerente, vt videlicet digni videamur oculis spectatorum.*

Victimæ in triumphis.

11. CÆSI IVVENCI.] De victimis in triumphis locutus sum in Georg. Hîc offero Plin. qui Paneg. Traiani: *vt plena altaribus, angusta victimis cuncta! vt in vnius salutem collata omnium vota, cùm sibi se, ac liberis suis intelligerent precari, quæ pro te precarentur!*

12. NIVEO CANDENTIS LIMINE PHOEBI.] Vtranque vocem *niuis* & *candoris* refert Seru. ad marmor; quo constructum templum Apollinis in Palatio, quod marmor allatum à portu Lunæ, qui est in confinio Thusciæ, & Liguriæ. Quibus videtur niuem & candorem referre ad Lunam, quæ niuea & candida. Sed sollicitudo hæc superuacanea est. Capiendus Poëta est de marmore: & hîc *candentis*, est μαρμαίροντος, ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν, qua voce significatur & *marmor*: & μαρμαρυγὴ, id est, *luciditas marmoris.* Ego huc traho etymon marmoris: ita enim eius luciditas celebrata veteribus, vt diceretur *marmor*, tanquam vnicè album, quo visus disgregatur: ita vt *marmor*, & *visus disgregatiuum* (loquor vt Dialectici) idem sit. Ait enim Porphyrius in Homericis Quæstionibus 8. Iliad. μαρμαίρειν (vnde marmor) dici pro *splendere.* Quod verbum est *partiri, diuidere, discernere.* Vnde ἀμαυρὸν, *quod tenebrosum est, & obscurum.* Nata, credo, est hæc Porphyrij obseruatio ex affinitate, quæ est inter μαρμαίρω, & μερμηρίζω.

Marmor, vnde.

13. DONA RECOGNOSCIT POPVLORVM, &c.] De coronis accipio, quod sic explico. Imprimis vocat coronas *dona*, quod non nouum. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertentem; præferebantur enim coronæ aureæ octo,* &c. Liu. lib.6. *Dona Imperatorum ad 40. in quibus insignes duas murales coronas.* Procedo. Duplex mos fuit in eo populo receptissimus. Primus, vt triumphantibus mitterentur coronæ. Alter, vt coronæ istæ dicarentur Diis in templis. Vtrumque agnoscit Virgilius. Primum; nam triumphans Cæsar, *Dona recognoscit populorum.* Alterum in illis, *aptátque superbis postibus.* Sed iam ad fulcra vtriusque moris, vt plenè constet explicatio. De primo Liu. lib.37. in triumpho M. Acilij: *Tulit coronas aureas, dona sociarum ciuitatum.* Idem lib. 38. post victos Gallogræcos à Manilio: *Missæ vndique legationes non gratulatum modo venerunt; sed coronas etiam aureas, pro suis quæque facultatibus, attulerunt.* Plutarchus ait missas ad Paulum Æmilium triumphantem de Perse ab vrbibus coronas quadringentas. Parthi apud Iosephum lib. 7. Bell. cap. 24. στέφανον χρυσοῦν ἐπὶ τῇ κατὰ τῶν Ἰουδαίων νίκῃ κομίζοντες: *ferebant auream coronam pro victoria Iudæorum*, videlicet ad Titum. Sunt hæ coronæ aureæ, quas *Prouinciales* vocat Tertull. lib. de Cor. quia missæ à Prouinciis. De more altero Suet. in Claudio, vbi ait, hunc Principẽ inter reliqua spolia, *coronam naualem fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixisse.* Idem cap.25. Neron. *Sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit.* Quia videlicet Nero donaria templorum ad domum suam transtulit: Pollux lib.1. cap.1. inter Deorum munera numerat στεφανώματα. Philostrat. de imaginib. loquens de Euadne, καθάπερ οἱ ἐς τὰ ἱερὰ στεφάνους τε, &c. Plutarch. in Mario post victoriam Cimbricam. Βόκχος δὲ ὁ Νομὰς σύμμαχος Ῥωμαίων ἀναγεγραμμένος, ἔστησεν ἐν Καπιτωλίῳ νίκας τροπαιοφόρους: *Bocchus Rex Numidiæ socius Populi Romani appellatus, triumphales victorias in Capitolio dedicauit*, id est, coronas triumphales. Nisi quis velit referre ad bella depicta, & dedicata. Liuius lib.28. loquens de Legatis Saguntinorum expressè ad hunc morem. *Non grates tantùm agere iussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium, victoriæ igitur, ferre.* Demum, vt rem absoluam, coronæ istæ suos titulos præferebant. Clarè Plin. lib. 23. cap.3. *Claudius cùm de Britannia triumpharet, inter coronas*

Coronæ inter dona.
Dona data triumphantibus sunt coronæ.
Prouinciales coronæ.
Coronæ in templis.
Coronæ triumphales cum titulis.

nas aureas, vnam XII. pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior: alteram IX. quam Gallia comata, sicuti titulus indicauit. Inde ergo ex titulis, *Dona recognoscit populorum.* Hæc satis ad rem Virgilij. Sed scias breuiter, has coronas dictas ab Scriptoribus *aurum coronarium.* De quo iam Alciat. lib. 6. cap. 4. & post illum Lipsius lib. 2. de Magnit. Rom. cap. 9. & post vtrunque Carolus Paschal. de Coronis; deinde etiam iam plures. Quin Seru. hunc Virgilij locum de auro coronario accipit, tametsi in ratione erret (notante in illum Lipsio.) Non enim hæ coronæ, aut aurum coronarium (quod idem) dabatur ab hostibus victis ob datam vitam, vt vult Seru. sed ab Prouinciis sociisque gratulantibus de victoria. Inclinante Imperio, non solùm à Prouinciis, sed ab ipsa Italia missæ coronæ. Auctor Paneg. Constantini, post victoriam huius Principis: *Meritò igitur tibi Constantine & Imperator, Senatus signum Dei, & paulo antè Italia scutum, & coronam, cuncta aurea, dedicarunt.* Ex dictis explicabis Plinium, qui Paneg. loquens de moderatione Traiani in triũpho, ait, fore illum clarum spoliis Prouinciarum. Verba adduco in Nota sequente.

Aurum coronarium.

Victi in triumpho catenati.

14. INCEDVNT VICTÆ LONGO ORDINE GENTES.] Hæret mori. Herodian. καλὸν δέ σοι θριαμβεύοντι ἢ καὶ δεσμίους ἐπάγοντι, καὶ αἰχμαλώτους βασιλεῖς τε καὶ σατράπας: *Gloriosum tibi triumphanti erit, vinctósque, & captiuos Reges præteragenti, ac satrapas barbaros.* Plin. Paneg. *Video iam cernere non spoliis Prouinciarum, & extorto sociis auro: sed hostilibus armis, captorúmque Regum catenis triumphum grauem.* Symm. epist. 57. lib. 10. *Vidimus, quæ acta miramur, catenatum agmen victæ gentis induci, illósque iampridem truces vultus misero pallore mutatos.* Ouid. 1. Art. de triumpho Augusti.

Ibunt ante duces onerati colla catenis,
Ne possint tuti, qua priùs, esse fuga.

Varietas in lingua.

15. VARIÆ LINGVIS.] Hinc ἀνθρώπων μερόπων. Vide Lexicographos. Lucret. lib. 5. dixit.

Quóve modo genus humanum variante loquela
Cœperit.——

Locutionem arripuit Symmach. epist. 14. lib. 1. *Quàm nominibus varia, tam coloribus.*

16. NOMADVM.] Statius vocat *mutatorésque domorum.* Sed de his iam in Georg.

17. DISCINCTOS AFROS.] Nondubium, quin ignauos notet Afros, ἀσόλους vtique, & ἀνόπλους; sed cum allusione tamen ad vestem illorum; erant enim habitu fluente. Itaque Afri erant & veste laxa in pace, & ignaui in bello: vtrumque complectitur Poëta discinctione sua. Primum probo ab Tertull. lib. de Pall. cap. 1. vbi de tunicis Afrorum loquens. *Sed nec cingulo sinus diuidente expeditæ.* Plaut. Pœn. (hoc Seru. adducit) ridet quendam hunc in modum, *Quænam illæc auis est?* cùm videlicet vidisset Afrum trahentem vestem demissam. Idem Plaut. Capt. ad Hannonem quendam Carthaginensem,

Afri veste laxa.

——*tu, qui zonam non habes,*
Quid in hanc venisti vrbem, aut quid quæritas?

Auson. in Grat. Act. *Carthago discincta.* Apud Iustin. lib. 19. Imperator Carthaginensium inducitur *tunica discinctus.* Alterum de ignauia illorum satis indicat Liu. lib. 35. ita loquens de Numidis: *Nihil primo aspectu contemptius, equi hominésque paululi & graciles, discincti, & inermis eques.* Neque impedit postea præclarum illorũ facinus subiici. Liu. enim expressit, quod verè est. Et, si non aliunde, certè ex discinctione, qua illi vsi, id possis colligere: nam Ouid. libr. 1. Amor. Elegia nona ignauiam, & discinctionem coniungit,

Et ignaui.

Discinctio ignauiam notat.

Ipse ego segnis eram, discinctáque in otia natus.

ex Sueton. cap. 24. Augusti, vbi ignaui iubentur per diem totum discincti stare. Quam pœnam etiam ignauis militibus Lucullus dedit, Plutarch. auctore. Sed de hac pœna militari vide Volf. Lazium lib. 4. Comment. cap. 11. & post illum, Lipsium lib. 5. Mil. Rom. & Brissonium 1. Antiq. c. 7. Demum, quis nescit ἀζώνους esse *ignauos*, & εὐζώνους *strenuos?* Qui exauctorabantur, & qui sub iugum mittebantur, priùs discingi solitos, iam Briss. monuit. Quid, quòd Virg. ad versum Attij in Philoct. alludens hunc,

Cinctio virtutem.

Heu Mulciber arma ignauo inuicta es fabricatus,

clarè *discinctionem* accipit pro *ignauia?* Sic Sen. epist. 33. Persas ignauos Romanis gnauis opponens, dixit: *Industria, & ad bellum prompta mens tam in Persas, quàm in altè cinctos cadit.* Fuerunt scilicet Persæ fluente veste in bello, sicut Romani cincta. Idem epist. 92. *Altè cinctum putes dixisse, habuit enim ingenium & grande, & virile, nisi illud ipse discinxisset.* Itaque hæc explicatio conueniens est non solùm Romanis moribus, sed etiam Punicis. Nam discinctio semper ignaua.

Altè cingi.

18. MVLCIBER.] De huius etymo vide Seru. Fest. alios. Adde aliorum operæ dictum fortasse à *mulcando*, quod verbum coquorum, & illud in Petron. agnoscit Ian. Doüsa lib. 2. Præcidan. Et quidem etymologiæ esse debent liberæ.

Mulciber vnde dictus.

19. LELEGAS.] Hi in Thessalia, de quibus Lucanus,

Lelegæ.

Mox Lelegúm dextra pressum descendit aratrum.

Adhibet verò nomina gentium domitarum ex more, quo gentes domitæ titulum nationis præferebant. De triumpho Traiani Plin. Paneg. *Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare.* Sed de hoc more vberiùs in 11. Æneid.

Titulos præferebant victi.

20. CARAS.] Insulanos agnoscit Seru. Subiit aliquando, an legendum *Carrhas*, & accipiendum esse Poëtam de notissima vrbe Mesopotamiæ, aut Arabiæ, vt vult Plin.

Caræ.

21. SAGITTIFEROSQVE GELONOS.] Quis nescit Scythas præstitisse sagittandi peritia: atqui Geloni in Scythis numerantur. Redde *sagittiferos* ex Homero ἰοδόκας. Nam ita ille afficit pharetram 15. Iliad.

Geloni.

22. EVPHRATES MOLLIOR.] Nescio an hîc vox *mollitudinis* capienda sit significatione vulgari. Aliter à vulgo puto, & præmitto Græcam cognitionem. τέρην Græcis, id est, *tener*, & *mollis*, ducitur à verbo τείρω, id est, *vexo, affligo*; quasi illa dicantur tenera, quæ attrita iam & vexata. Sic apud Plautum in Mil. Glor. *Mitis sum equidem fustibus*, id est, attritus, & vexatus verberibus. Idem Curcul. *Hisce ego, si tu me irritaueris, placidum te hodie reddam*, vbi placiditas referenda est ad molestiam illatam fustibus. Terent. quoque Eunuch. *commitigari sandalio caput*, id est, tundi & atteri. Ergo Euphrates *mollior*, erit, afflictus iam, ac bello domitus, & vexatus; non aliter, quàm si quis pellem tundendo, mollem reddat ac teneram. Est hoc, quod Horat. Od. 9. lib. 2.

Mollis, id est, vexatus.

Medúmque flumen gentibus additum
Victis, minores voluere vortices.

Tale & illud veteris inscriptionis factæ in honorem Drusi,

Dum tibi Roma decus, æternáque sudo trophæa,
Ister pacatis lenior ibit aquis.

Vidit Germ. datam à Poëta Euphrati hanc submissionem, qui soleret, *nulla imbrium vi, sponte, & in immensum attolli*, verba sunt Taciti lib. 6. Annal. Inde natum, vt eius aqua præsaga & fatidica haberetur. Porrò, Euphratem dictum, quasi qui ferat fructũ, aperit Anastas. Sinayta: inde Euphratæi, quorũ tellus ferax.

Euphrates cur domitus à Virg.

Eius etym.

23. Ex

Morini extremi hominum.

23. EXTREMIQVE HOMINVM MORINI.] Plin. A lib. 19. cap. 1. *Vltimique hominum existimati Morini.* De Morinis triumphasse Augustum ex Dione lib. 51. notauit iam Turn. lib. 23. Aduer. c. 5. Cùm verò Morini non verè sint extremi terrarum, satius est, vt ἀγχιάλους interpreteris, id est, *littorales*; quod ex interprete Hom. Germ. astruit.

Extremum, id est, littorale.

Vbi enim Græcus 4. Iliad. ait, πείρατα γαίης, *extrema terræ*, Eusthatius ex Appione docet esse τὰ πρὸς τῷ κατὰ Νεῖλον θαλάσσῃ, *quæ sunt vicina mari iuxta Nilum.* Quemadmodum & Æschylus de Canopo vrbe, ἐσχάτη χθονός, *terra vltima.* Nam videlicet, πᾶσα ἀγχίαλος ἐσχάτη χθονός: *terra omnis vicina mari extrema est terræ.* Inde fortasse Homer. lib. 1. Odyss. de Æthiopibus, ἔσχατοι ἀνδρῶν, *virorum vltimos.* Et notetur obiter forma Homeri; nam ex ea Virg. *extremi hominum.* Sic & Hispani partem quandam Galleciæ Oceano proximam, dicimus *fines terræ.*

Rhenus cur bicornis.

24. RHENVSQVE BICORNIS.] Refert Turn. non ad generalem omnium fluminum rationem, B quæ cornuta appellantur; sed ad peculiarem huius fluuij: nam Rhenus exit in Oceanum duobus ostiis. Dicuntur autem ostia à Valer. lib. 8. Arg. *cornua,*

Haud procul hinc ingens Scythici ruit impetus Istri,
Fundere non vno tantùm qua flumina cornu
Accipimus. ———

Id est, non vno tantùm ostio; quia videlicet sex aliis inuadit pontum Euxinum.

Daæ.

25. DAÆ.] Ita legendum, non, *Daci*, aut *Dacæ.* nam in his pugnat syllaba. Deinde Daæ viciniores sunt Araxi. Ita etiam Sil. lib. 13. *cui peruia Bactra, Daæq;* non, *Dacæ.* Verum est, dici ab Steph. *Daas*, & *Dasus* esse eosdē. Fortasse etiam & in Sen. Thyest. legendum, *Qui sparsos agitant Daas*, non, *Dacas.* Vide Delr. Nou. Comm. Aliqui scribunt, *Dahas*, & inde error in *Dacas.*

Araxes.

26. PONTEM INDIGNATVS ARAXES.] Volunt allusum ad historiam Alexandri, qui cùm vellet transgredi amnem hunc ponte fabricato, inundans aqua pontem diruit. Vide Isid. lib. 13. c. 21. Postea verò Augustus firmiore ponte illum ligauit, vt ait Seru. Itaque hoc Vates ad Augusti gloriam. Seruianum hoc firmat Stat. 1. Syl. *patiens Latij iam pontis Araxes.* Alij aiunt respectum ad historiam Xerxis; qui conatus est hunc fluuium pontibus conscendere. Ad easdem historias Sidon. Paneg. Anthem.

———*non vt mihi pressus Araxes*
Imposito sub ponte fluat. ———

Et Claud. 1. Ruff. ad finem

——— *calcabitur asper*
Phasis equo, pontémque pati cogetur Araxes.

Ab eodem in 4. Cons. Hon. *impacatus* dicitur. Stat. 5. Sylu. dat illi *feritatem*, & *exultantiam*, cùm ait, *ferus exultabit Araxes.* Hæc omnia non abeunt ab etymo huius fluminis, quod dictum ait Eusthat. ἐκ τοῦ ἀράσσειν τῇ ἐξωτάτῃ τοῦ ῥεύματος. Fuit verò veteribus genus quoddam superstitionis, vt putarent amnes ipsos vaticinari cùm inundarent, indignarentúrque magna aquarum mole.

Eius etymon.

Fluuij, cùm inundabant, putabantur vaticinari.

Inde est, vt ad hæc vaticinia allusisse Virgilium credant aliqui. Fauet locus Taciti lib. 1. Ann. vbi, inundante Tyberi, censetur, vt adeantur, tanquam in re diuina, libri Sibyllini. & lib. 1. Hist. vbi cōmemoratis signis aliis Romanæ cladis, dicit præcipuum fuisse subitam Tyberis inundationem, in qua situs futuri exitij pauor. Huc pertinet historia Albani lacus, qui neque cœlestibus imbribus, neque vllius amnis inundatione auctus prædixit fore, vt Romani Veios vincerent. De qua historia videndus Val. Max. cap. 6. lib. 1. Plutar. in vita Camilli, & Liu. lib. 5. Contrà de Nilo Plin. lib. 5. c. 9. vbi ait, hunc amnem minimo incremento inundasse bello Pharsalico, *veluti necem Magni prodigio quodam flumine auersante.* Porrò Araxen dici à Barbaris *Eras*, Simocatta scribit lib. 3. Hist. c. 6.

Indignari de aquis.

27. INDIGNATVS.] Ita dictum à Plut. (ait Victorius lib. 36. cap. 10.) ἀγανακτεῖν de vino, quod feruet, & se claudi ægrè patitur, neque vult vase contineri. ὁ γὰρ οἶνος εἰκὸς ἐστι μένειν ζέων, καὶ ἀγανακτεῖν. De mari Valer. 1. Arg.

Oceanus Phrygios prius indignatus Iülos.

Pari emphasi Claudian. 6. Cons. Hon.

Atque indignantes in iura redegerit Arctos.

C Sed iræ istæ imprimis Araxi conueniunt, qui ab Appiano in Parthicis dicitur ἐν βάθει καὶ τραχύτητι χαλεπός, *asper profunditate, & rapiditate.*

Ignarus gaudet.

28. IGNARVS IMAGINE GAVDET.] Non abit ille affectus lib. 6.

Incenditque animum famæ venientis amore.

Et Claud. de Nuptiis Honor.

Lætitiæ causas ignorat dicere miles,
Lætatúrque tamen. ———

Doctè Germ. ait in hac *imagine* respectum ad ἄγαλμα; nam hæc vox παρὰ τὸ ἀγάλλεσθαι, ideo adiungit *gaudet.* Sed quid proprè sit ἄγαλμα, plenè docet Heral. in Notis ad Arnob.

29. ATTOLLENS HVMERO, &c.] Ita lib. 5. Epig.

Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπωμαδὸν ἦεν ἀείρων:
Attollens humeris terribilem Ægida.

FINIS LIB. VIII.

P. VIRGI

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS
LIBER IX.

ARGVMENTVM.

APPARET Iris Turno ferianti paternis manibus, hortatur ad bellum ex occasione absentis Æneæ; agnoscit ille benignitatem Deorum erga se, ac dicto citiùs it iam agmen contra vrbem Lauinum, vbi Troiani: claudunt hi statim portas, hoc enim Æneas abiens præceperat, ne se absente aleam belli subirent. Vult illos Turnus ad pugnam elicere, nec potest, cogitat classem incendere, cui vt succurrant vrbem relinquent, sed naues tamen Deorum miseratione in Nymphas conuertuntur, atque euadunt periculum noua illa metamorphosi. Obstupescunt Rutuli, vnus tamen audacior Turnus prodigium in sui vtilitatem conuertit, & ad exitium Troianorum, quibus fuga iam adempta, via vnica ad salutem. Itaque stant in armis Itali, & Troiani; illi intenti obsidioni, hi defensioni. Custodia portæ data est Niso, atque Euryalo, quo iacitur semen ad futuram narrationem. Hi enim duo amore gloriæ incensi, decernunt ire ad Æneam (hic tum cum Euandro) per medios hostes nuntiaturi periculum, in quo erat Ascanius. Obtinent ab hoc eundi facultatem, intercipiuntur ab hostibus in medio itinere, & cadunt, editis priùs maximis virtutis argumentis cum strage hostium: apparent in contis capita, quæ Troiani vident lacrymabundi, quo in tractu vnius præcipuè matris Euryali lacrymæ cernuntur, querelæ audiuntur. Post quos gemitus tuba vtrinque militem excitat, fit testudo hostium ad oppugnandam vrbem, Troiana turris igne expugnatur, fiunt permistæ cædes, fœda & varia vulnera, tragicè omnia. Interponitur Ascanij facinus, qui Numanum interfecit petulanter in Troianos debacchantem. Adest spectator & laudator virtutis Ascanij Apollo, exemplo iuuenis acris pugna sæuit, sed præcipuè spectatur virtus Pandari, & Bitiæ fratrum, qui ausi portas aperire occasionem dedére cruentissimæ cædi. Audit Turnus apertas portas, & ruit illicò, primò Bitiam interficit, Pandarus vt tanto malo medeatur portas claudit, sed rem pessumdat, nam irrumpit Turnus ignoratus intra mœnia. Primò omnium Pandarus vincitur, deinde edit stragem miserandam solus ipse intra mœnia. Audiunt cladem Troiani Principes, aduolant statim, & vnus imprimis Mnestheus fugam suorum sistit, incumbunt omnes in Turnum, qui nequit resistere telorum multitudini, atque ita in fluuium ex muro desilit, reditque ad suos lætabundus, patrata priùs ingenti cæde.

[a] ATque ea diuersa penitùs dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Iuno
Audacem ad Turnum. Luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
[b] Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.
Turne, quod optanti Diuûm promittere nemo
Auderet, voluenda dies en attulit vltrò.

[c] Æneas, vrbe, & sociis, & classe relicta,
Sceptra Palatini, sedémque petiuit Euandri.
Nec satis, extremas Coriti penetrauit ad vrbes,
Lydorúmque manus, collectos armat agrestes.
[d] Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, & turbata arripe castra.
[e] Dixit, & in cœlum paribus se sustulit alis,
Ingentémque fuga secuit sub nubibus arcum.

A

ARGVMENTVM.

Apparet Iris Turno ferianti maiorum manibus, hortatur ad bellum ex occasione absentis Æneæ.

EXPLICATIO.

[a] AVSPICOR librum à Seruiana Nota. Fit in hoc libro rerum omnium commutatio. Nam personæ aliæ, loca alia, negotia alia. Ab Ænea quippe transitur ad Turnum, ab Thuscia ad Ardeam, à petitione auxiliorum ad bellum. Addo ego, ab monitore Tyberi ad monitricē Irim. Ergo, dum Æneas in penitissima Thuscia occupatur in petendis auxiliis, nihil Iuno inimicitiarum oblita, mittit Irim ad Turnum, verè *audacem*, quia exhortandus ad audendum. Iuno dicitur *Saturnia*, quia semper Troianis nocua. de qua re iam alibi. Quid verò tum Turnus? Parentabat manibus maiorum, qui siti in luci valle ex veterum religione.

[b] Quid verò ad illum Iris? Attulit tibi vltrò dies ipsa, quod nemo Diuûm nemini mortalium, quantumuis optanti, auderet promittere. Hac re nihil dici potuit maius. Vota mortalium capacissima sunt, Dij ipsi potentissimi. Nihilominùs tamen nec mortales optare maius possent, nec Dij promittere.

[c] Aperit iam, quæ sit illa rei gerendæ pulchra occasio. Abest Æneas ab vrbe Lauino, ab sociis, ab classe, iuit ad Euandrum petiturus ab illo contra te auxilia. Neque verò hoc satis: sed adhuc profectus est ad vrbes Coriti, quæ extremæ in Thuscia, ad Lydos armandos, ad colligendos agrestes. Notet Lector, explicatum iam primum versum hunc,

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur.

Nam *diuersa pars* est Hetruria, vbi Euander: & *penitus* dictum propter Coritum, & Lydos, ideo hîc signatè *penetrauit*, explicans quid sit *penitus*.

[d] Ex hac occasione concludit, nihil dubitandum Turno, nunc esse tempus eundi ad bellum, rumpendas moras, dum, absente Ænea, turbata sunt castra. *Arripe turbata castra*, est, arripe, & turba; vt, *incensum animum inflammauit amore*, est, incendit, & inflammauit.

[e] His dictis rediit in cœlum Iris. *Pares alæ* sunt, ita se commouentes, vt nulla videantur agitatione ferri, sed tantùm labi, ad eum modum, quo ipse alibi, *celeres neque commouet alas*. Ideo *fuga* ad explicandam hanc celeritatem. *Secuit arcum*, quasi ipsa Iris humana forma rediret in medio sui arcus imagine quadam spectabili. Finge feminā in medio cœlestis arcus volantem per aërem; talis Iris. Nam Seru. fuget. Et bene, *sub nubibus*; nam arcus, nisi nubium beneficio (ait Seru.) non videtur.

NOTÆ.

1. IRIM DE COELO.] Nam certum hoc discrimen inter Irim, & Mercurium, vt hic, vel è cœlo, vel ex inferis nuntius à Diis mittatur; illa semper è cœlo, vt liquidum ex Hesiod. in Theog. & aliis. Est & alterum discrimen. Mercurius sæpe ad res pacis mittitur, vnde & εἰρηνοποιός, *pacificator*, dictus: Iris semper ad lites & dissensiones. Inde hîc autumat Seru. dictam *Irim*, quasi *Erin*, ἔρειν, vt ἐρεῖν. Scio ab aliis duci παρὰ τὸ εἴρειν, *ab loquendo*. Mittitur verò à Iunone, quia etiamsi aliorum Deorum sit nuntia, sed præsertim vni addicta erat Iunoni. Inde hæc Dea loquens cum illa apud Apollon. 4. Arg. Ἶρι φίλη. & Stat. 5. Syluar. *Iunonia virgo* de Iride. In exitu Notæ volo audias verba Ammiani lib. 20. loquentis de Iride: *Quoniam indicium est permutationis auræ; à sudo aëre nubium concitans globos; aut contrà, ex concreto immutans in serenam lætitiam cœlum, ideo apud Poëtas legimus, Irim sæpe de cœlo mitti, cùm præsertim rerum sit status mutatio.* Commodè ergo à Poëta mittitur exordiente rem nouam, & commutante tranquillos Æneæ cum Euandro congressus in belli turbines. Certè ab Homer. 17. Iliad. dicitur ex æquo esse signum ἢ πολέμοιο, ἢ χειμῶνος: *aut belli, aut tempestatis*:

Iridis & Mercurij in nuntiando discrimina.

Iridis etymon.

Iris quando mittatur.

2. AVDACEM.] Seru. explicat *fortem sine felicitate*. Donat. *inconsultum, & temerarium*. Præfert hunc Seruio Noster Delrius. Quia audacia semper à Poëtis cum temeritate coniungitur. Probat ex Seneca, Horatio, Claudiano. Mitto. Ego ex Sophocle, qui Elect. coniugit θρασεῖα, id est, *dicta temeraria*, cum his, quæ πέρα δίκας, id est, *cùm fiunt, aut dicuntur petulanter, & extra æquum*. Ibidem coniungit θάρσος, & ἀβουλίαν, quasi vbi audacia, ibi & temeritas. Arnob. etiam lib. 2. coniungit *audaces, temerarios*.

Audacia coniuncta cum temeritate.

3. LVCO. Turno operanti sacris dat *lucum*, qui veteribus religiosus, quod aliàs monui, & hîc offero Tacit. de mor. Germ. *Lucos ac nemora consecrant, Deorúmque nominibus appellant secretum illud, quod sola reuerentia vident.* Quin addit, in lucis fuisse sacra, vt sunt in templis. Verba eius: *Effigies, & signa quædam detracta lucis in prælium ferunt.* Inde itaque in lucis, vt in templis, erant mortuorum sepulcra, quibus parentat Turnus, vt sitis in luco. Apud Calab. lib. 4. Glaucus tumulatur in luco, vbi variæ deliciæ. Nihil fortasse crebrius in vno Pausan. nam quot ab illo non in lucis monumenta?

Loci sacri.

4. PILVMNI.] Lege in hunc locum interpretes. Præterea Lil. in Syntag. Politian. in Miscell. & Alex. Neapol. Confundunt aliqui Pilumnum, & Pitumnum. Ego credo hîc auo parentatum, quem vocat *parentem*, vt alibi, *Pilumnúsque illi quartus pater*. Nam feriatum manibus patris tum viuentis, quis amens credat?

Pilumnus, & Pitumnus.

5. SEDE

Sedere in re mortuorum & extra.

5. SEDEBAT.] Hic habitus operantium manibus A mortuorum,& in genere,habitus lugentium. Hom. Odyss.10.

Ἑζόμενοι δὲ κατ᾽ αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας:

Sedentes autem illic gemebant, vellebantque comas.

Feriæ Denicales.

Cic.2. Leg. *Feriæ Denicales residentur mortuis.* Virtus apud auctorem Pepli (putant aliqui fuisse Aristotelem) inducitur sedens supra Aiacis sepulcrum, vt luctuosa. ἀρέτα ἥδ᾽ ἐγὼ τῷδ᾽ κάθημαι Αἴαντος τύμβῳ. Apud Eurip. Iphig. Auliden s. δακρύοις μόνη κάθημαι: *lacrymabunda & sola sedeo.* De Achille lugente Patroclum 9. Ilid. ἧσται ὀδυρόμενος: *sedet lugens.* Hesychius (hunc iam Turn. aduocauit) καθίζεσθαι, ταῖς ἡμέραις ἐπὶ τετελευτηκόσι, *sedes, sunt dies luctus pro mortuis.* Tibullus lib.3.

Sedebant in luctibus.

Illius ad tumulum fugiam, suppléxque sedebo.

Propert. Eleg.16. lib.3. *ad mea busta sedens.* Calab. lib. 10. de Priamo parentante Hectori.

Ἀλλ᾽ ἐγ᾽ Ἕκτορος ἧστο τάφῳ ἔπι δάκρυα χέων:

Sed sedebat ille ad Hectoris tumulum fundens lacrymas.

Ex dictis lucem accipit Stat.5. Sylu. in Epiced. patris mortui,

Nam me ter relegens cælo, térque ora retexens
Luna videt residem nullàque Heliconide tristes
Solantem curas.———

Resid. id est, parentans.

Vbi *residem* explica *parentantem.* Et Calaber lib.1. vbi de Achille, & Aiace, περὶ σῆμα χεχυῖτο. quippe fusi ad sepulcrum parentant Patroclo. Et quidem generatim sacræ res sedendo factæ sunt, vt ex disciplina Numæ tradit Plutarchus: indicárque in Laconic. Pausanias cùm scribit de lapide, qui dictus ἀργὸς, id est, C *otiosus*, ὅτι ἐπὶ τούτῳ λέγουσι καθεσθέντα τὸν Ὀρέστην παύσασθαι τῆς μανίας: *Dicunt Orestem liberatum ab insania, cùm in eo sederet.* Dixi, indicari. Nam certum est, liberatum Orestem, cùm sacris operaretur. Eò spectant Cyrilli verba hæc in Ionam Proph. cap.1. τὸ δέ γε ἰζῆσαι καθημένας, τὸν ἠρεμαῖον, οἶμαι, πω, καὶ ἀπεστησμένον βίον, καὶ τὸ ἀπαλλάττεσθαι μεριμνῶν, καὶ φροντίδος βιωτικῆς, καὶ τὸ μὴ ἀναμὶξ εἶναι τοῖς ἄλλοις, οἳ τὴν φιλήδονον, καὶ εὐτελὲς καὶ χρον ἐπιτιμῶσι ζωήν: *Sedere solitariè, vitam, opinor, quietam, curis & sollicitudinibus rerum labentium solutámque, & aliorum, qui voluptatibus, & carnis oblectamentis totos se tradunt, consortia vitantem significat.* Quibus verbis satis innuit animi, & factorum curam. Sed quæ ratio, cur dicantur *sedere*, qui defunctos lugent? Credo, quia sepulcrum *sedes* dicebatur. Sedebant ergo ad sedem, D id est, lugebant ad sepulcrum. Ita 6. Æneid.

Sedendo fiebant sacra.

Lapis otiosus.

Sepulcrum dicebatur sedes.

Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulcro.

Ibid. *quàm sedibus ossa quierint.* Paulus I.C. lib.11. Pandect. tit.7. lege 40. *Quod ibi sepeliret mortuum, & quasi æterna sede dare destinauerit.* vbi alij. *æternam sedem.* Vetus inscriptio. *Hanc æternam sedem sibi posuit.*

Rosæ dignitas.

6. ROSEO.] Dignitas, & pulchritudo rosæ efficit, vt quæ sunt pulcherrima honestentur hoc flore: ita cum datur hic Iridi *os roseum*, vt Veneri *ceruix rosea* lib.1. & *os roseum* lib.2. Sic Apul. plantas Veneris facit *roseas.* & Anacreon de hac Dea, ῥοδέων μαζῶν. Telephi amaroreculi *ceruicem roseam* Horat. Auroram *roseam* dicunt omnes Poëtæ Græci, & Latini: præsertim, cum de eius ore, vlnis, digitis loquuntur. Inde hunc florem Anacr. *Amorum esse florem* dixit, ῥόδον ἐρώτων. Theocrit. in Epig. ῥόδα ponit inter flores dicatos Heliconiadib. Adduxi hanc partem eruditionis, quia omnino puto Virgilium allusisse ad dignitatem oris Iridis, quam exhibet humana forma: nullatenus ad colores Iridis; nam nemo eorum, qui physicam rationem cœlestis arcus exsequuti sunt, illi hunc colorem attribuit: neque oculi ipsi illum vident. Hoc planum fiet adeunti quæ iam ego lib.4.

Iris cur rosea.

Æneid. ad finem. Ex eadem dignitate vocatur Iris ab Nonno lib.31. χρυσόπτερος.

7. THAVMANTIAS.] ἀπὸ τοῦ θαύματος. Qui de arcu multa velit, adeat Aristotel. Plutarch. Ammian. Sed quos non?

8. OPTANTI, &c.] Par locus ille, Votū supra.

Vt quamuis auido parerent arua colono.

Itaque vota agricolarum superat prouentus agri culti, & vota Turni occasio rei gerendæ. Terent. Phorm. *Quàm sæpe temerè eueniunt, quæ non audeas optare!* Sym. epist.20. lib.1. de Alexandro Magno: *cui supra votum fortuna fluxit.* Et Alexander ipse apud Curtium ad Medicum suum: *Si Dij, Philippe, tibi permisissent, quo maximè modo animum velles experiri meum, alio profectò voluisses: sed certiorem, quàm expertus es, ne optasses quidem.*

B Est hoc, idem quod Plutarch. in vita Fabij. μείζονα χαρὰν ἁπάσης ἐλπίδος: *lætitiam maiorem omni spe.* Sed Poëta maiore, quàm reliqui, incremento; nam neque ipsi Dij auderent promittere. Quod enim magnum erat, nec Deos ipsos posse facere dicebant Ethnici. Tale illud 6. Æneid.

Vis, vt nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant.———

Et in 5.

Magnanime Ænea, non si mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.

9. VOLVENDA.] Pro, voluta iam, vel, voluens se. Est enim mira turbatio in participiis. Sic Lucret. lib.6. Voluenda dies. Participiorū turbatio.

Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

Et Symm. epist. 47. lib.7. *Quando ita voluenda attulit dies.* Pari turbatione vocula *voluens* passionem signat, vt multi volunt in istis 1. Æneid. *voluentibus annis.* 1. Georg. *voluentia plaustra.* Lucret. lib.3. Voluens.

Multáque per cœlum Solis voluentia lustra.

Tametsi ego in his libentiùs subaudiam *se.* Ad hanc rem pertinent, quæ iam Philippus Ruben. doctè de vocula *vehens.* pro eo, qui vehitur, ex Cicerone, Quadrigario, Liuio, Apuleio. Cui adiungo & clarum aliud; est enim certum per *vectores* signari, qui vehuntur nauibus: vt cùm Cic. 7. Philipp. *Gubernatores in magnis tempestatibus à vectoribus admoneri solent.* Sed, si quis velit propriè Virg. explicare, poterit hunc in modum. Dies attulit, quam nisi arripis, voluenda erit, id est, voluetur, & abibit. Vehens de eo, qui vehitur. Vector, passiuè.

10. DIES EN ATTVLIT VLTRÒ.] Exhortatur ad arripiendam occasionem. Apud Tacitum Valens legatus ita instimulat Vitellium lib.1. Hist. *Panderet modò sinus, & venienti fortunæ occurreret.* Lucanus libro quinto, Occasio arripienda.

Necessa præbere Deo tua fata volenti.

Seneca epist.22. *Occasionem obseruare properantem.* Plutarch. in Nicia hunc temporis articulū vocat ἀκμήν. Simocatta lib.4. Hist. c.13. ait, duci vtendum παρόντι καιρῷ. Scipio ad Iugurtham apud Sallust. *Vltrò illi & gloriam, & Regnum venturum.* De Germanis rebellantibus Iosephus lib.7. Bell. cap. 23. μάλιστά γε πάντων ὁ καιρὸς αὐτοῖς θαρσεῖν συνεβούλευεν.

E 11. ATTVLIT.] Phrasin arripuit Symm. epist.10. libr. 6. *Expecto anxiè, vt, si quid boni dies attulit, indicetis.* Dies attulit.

12. ÆNEAS VRBE, ET SOCIIS, &c.] Cùm hic exhortetur Iris Turnum ad inuadendos Troianos, cùm soli sunt absente Ænea, innuit planè militarem doctrinam. Apud Polyb. lib.3. Annibal cædit in traiectu fluminis plurimas Hispanorum manus, singulas vt egrediebantur, priùs quàm ab aliis adiuuarentur. Apud Sallust. Metellus, & Marius, *duobus locis haud longè inter se castra faciebant*, sed, *vbi opus erat*, Diuisæ copiæ faciliores expugnatu.

cuncti aderant. Fuisse hoc è disciplina Persarum, Curtius aperit: *ne diuidi quidem copias posse seruato more maiorum, qui vniuersas vires semper discrimini bellorum obtulerint.* Applaudit plurimùm locus Soph. Elect. vbi pædagogus concitat Orestem, & Pyladem ad inuadendum domum Clytæmnestræ, cùm ea sola est, antequam aduenìant, qui possint defendere. Versus illius sunt.

Σφῷν δ' ἐννέπω γε ζῷν παρεστῶτιν, ὅτι
Νῦν καιρὸς ἔρδειν. νῦν Κλυταιμνήστρα μόνη,
Νῦν οὔτις ἀνδρῶν ἔνδον. εἰ δ' ἐφέξετον,
Φροντίζεθ' ὡς τούτοις τε καὶ σοφωτέροις
Ἄλλοισι, τούτων πλείοσιν μαχούμενοι:

Vobis autem edico, qui adstatis, quòd
Nunc tempus rei gerendæ, nunc enim Clytæmnestra sola est,
Nunc vir nullus est intus: si verò differetis,
Cogitate, quòd & cum his, & prudentioribus aliis,
Cumque pluribus, vobis deinde dimicandum erit.

Sceptrum, pro Rege. 13. SCEPTRA.] Id est, Regiam, aut opes Euandri. Sic Sophoc. Elect. σκῆπτρα ἀμφέπειν, *administrare sceptra*, pro, Regnum administrare. Simocatta lib. 8. cap. 10. Hist. κύριος τῶν σκήπτρων ὁ τύραννος προχειρίζεται: *Tyrannus eligitur sceptrorum dominus*, id est, Imperij.

Palatinum. 14. PALATINI.] Hac forma Mart. lib. 9. Ep. 40. *Palatino Tonanti.* & sæpe alibi. Vindicianus, qui viguit sub Valentiniano Augusto,

Templa Palatinæ subiit sublimia Romæ.

Ducta est forma à Palatio, quod Euander construxit, & ita vocauit à Pallante filio. Inde etiam & domus Augusti dicta est *Palatina.* Atque etiam ab eodem Euandro *aula Parrhasia* à Martiali lib. 8. Ep. 36. & lib. 12. Ep. 15.

Sedes de domo Principis. 15. SEDEM.] Sic dictas domos Principum, ex hoc Virgilij, & ex illo Claudiani 3. Honor. *vt ventum ad sedes*, alij iam notarunt. Sed potuissent certiùs aduocare ad rem suam illud eiusdem Claud. 6. Honor.

Haud aliter Latiæ sublimis signifer aulæ
Imperij sydus prima cum sede locauit.

Lectio Virgiliana. 16. PETIIT.] Hoc malo, quàm *petiuit* cum Erythræo, & *petit* cum Politiano, ac Turnebo. Nam Erythræus peccat cōtra ius syllabæ, neque defensio eius ad gustum. Duo alij, tametsi defendi queant, qui dicunt positum *petit* pro *petiit*; sed certius est, coitum illum meliùs contrahi ex *petiit*, quàm ex *petit*. Vtcunque, certum est extremam hanc syllabam produci vsu frequentissimo. Lucret. lib. 1. *virtutem irritat animi.* & 6. *Disturbat vrbes.* & millena.

Coriti fines. 17. EXTREMAS CORITI, &c.] Ita in 10. sibi consentiens, *Coriti de finibus* De Corito iam alibi. In scriptura hæreas. Nam vidi *Coritum, Coryium, Corythum.* Extremum probat Delrius in Sen. Hæsit, credo, etymologiæ tritæ.

Lydi. id est. Thusci. 18. LYDORVM.] Thuscos intelligit. Nam Lydi, Tyrrheno duce, in Italiam venêre, & Etruriæ partem magnam occupauêre. Sic 2. Æneid. *Lydius Tybris*, id est, Thuscus. & 10. *gens Lydia*, de Thuscis.

Colligo, militare. 19. COLLECTOS.] Pari verbo Græci. Soph. Elect. Ἀγαμέμνονος στράτευμ' ἀγείραντος. Cyrill. in Ioëlem cap. 3. συλλέγεσθε τὰ ἔθνη πρὸς μάχην τὰ ἔθνη. Iosephus lib. 7. Bell. cap. 25. στρατιωτικὸν συναγαγών. Diuersa omnia sunt, ἀγείρω, συλλέγω, συνάγω. Plutar. in Nicia flexu alio. εἰς τὸ ἄστυ κατακλείσας τὸν ἀπὸ τῆς χώρας ὄχλον: *turbam ex agris in vrbem concludens.*

Agrestes apti bello. 20. ARMAT AGRESTES.] Dixi iam in Georg. nullum esse hominum genus opportunius gerendæ in bello rei, quàm rusticos. Hic denuò offero Hippocratem, qui lib. de Aër. Loc. & Aq. iudicat ἐς τὰ πολέμια ἀμείνους, *meliores ad bellum*, homines σκληρούς, ἰσχνούς, διηρθρωμένους, εὐτόνους, δασέας. *duros, graciles, articulis discretos, rigidos, hirsutos.* Qui hi, nisi, vt plurimùm, rustici? Post cladem Cannensem ait Valer. lib. 7. cap. 6. *à pastoralibus casis collecta mancipia*, ad bellum. Huc pertinent illa Pacati Paneg. Theodos. *Sic agrestes Curij, sic veteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabricij, Cincinnati, cùm induciæ bella suspendebant, inter aratra viuebant: &, ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri rusticabantur.* Eodē traho Varronē in Bimar: *Aui & ataui nostri, cùm allium & cæpe verba eorum olerent, tamen optimè animati erant.* De Achille Hom. Iliad. 22. μῆνιν ἄγριον. & de Diomede lib. 6. ἄγριον αἰχμητήν. Quæ quamuis duci queant à feris, sed nescio, cur non etiam ab agrestibus viris? A Plut. in vita Crassi pastores & bubulci, qui collecti ad bellum, dicuntur πλῆκτοι, vt pugnaces, & bellatores.

Bello apti qui.

21. NVNC TEMPVS EQVOS, NVNC POSCERE CVRRVS.] Figurata locutio, pro, poscere equos iungendos curru: aut, currus, quibus iuncti equi. Est verò simile illud Orestis apud Soph. Elect. exhortantis senem ad cædem Ægysthi.

——Καιρὸς γὰρ, ὅσπερ ἀνδράσι
Μέγιστος ἔργου παντός ἐστ' ἐπιστάτης:
——*Tempus iam est, quod inter homines*
Omnibus in rebus maximè dominatur.

Est videlicet tempus rerum gerendarum arbiter, & iudex. Idem Antig. ponit καιρὸν in re illa, quæ magni interest. Itaque hoc loco Poëta καιρὸν respicit, non χρόνον. — Tempus arbiter rerum gerendarum.

22. RVMPE MORAS OMNES.] Credo duci locutionem à re nautica. Nam qui festinant è portu egredi, non soluunt, sed rumpunt funem.

23. PARIBVS.] Verissimè explicui. Bulengeri explicatio lib. 1. de Circ. cap. 57. qui accipit *paribus* pro, duabus, ἀπεντῷ. Seneca, quem aduocat, nihil ad rem. Ait enim *pararios* dici ab illo 2. de Benefic. qui duobus tantùm equis vehebantur in Circo; & *æs pararium* esse duplex stipendium. Seneca (inquam) nihil conducit, in quo *pararij* sunt conciliatores, &, sic dicam, interpositores, aut intercessores. Hispani nominant *medianeros*. Nescio, quî Bulengero venit in mentem illud de equis duobus. Verba Senecæ lib. 2. de Benef. c. 23. *Quidam nolunt, nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographum dare.* & lib. 3. c. 15. *Adhibentur ab vtraque parte testes, ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis facit: ille,* &c. Illud etiam, quod de *æs parario* scribit, possum existimare esse falsum; nam Seruius, quem testem in hoc loco aduocat, nihil tale. Laudarem potiùs Donatum, qui explicat parem nixum in volatu, nam si ala vna esset debilis, non aptè is fieret. E contrario Simocatta lib. 6. Hist. c. 11. de curru, qui inæqualiter trahebatur, ἀσυμφώνου τῆς ὁλκῆς γινομένης, quia videlicet trahentes currum non paribus simul nixibus laborabant. Sed satis de re leuicula. — Pares alæ, quid. — Pararij qui sint.

24. INGENTEM.] Ita in Georg. *ingens arcus.* De magnitudine arcus videndus Seneca.

25. FVGA.] Ad explicandam celeritatem. Inde à Græcis ἀελλόπους dicitur Iris, & ποδήνεμος ἄγγελος.

26. SECVIT ARCVM.] Quippe fingebatur Iris vehi suo arcu, inde hîc ab illo separatur. Ouid. lib. 11. Metamorph. — Iris suo arcu vecta.

Effugit, & remeat per quos modò venerat arcus.

Ibidem:

——*arcuato cœlum curuamine signans.*

a Agno

[a] Agnouit iuuenis, duplicésque ad sydera palmas
Sustulit, ac tali fugientem est voce sequutus.
[b] Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? vnde hæc tam clara repentè
Tempestas? video medium discedere cœlum,
Palantésque polo stellas. sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. [c] & sic effatus, ad vndam
Processit, summóque hausit de gurgite lymphas,
Multa Deos orans, onerauítque æthera votis.

ARGVMENTVM.

Agnoscit ille benignitatem Deorum erga se, loquitur cum Iride, videt cœlestia prodigia, arripit hæc omina, haurit aquam precaturus.

EXPLICATIO.

[a] AGNOVIT Irim, non à quo missa: & sequitur nota maxima interni affectus, scilicet sublatio manuum, qui habitus precantium est. Quia verò suprà *fecit fuga arcum*, ideo nunc sequitur *fugientem*, & *voce*, quia aliter nequiit.

[b] Incipit ab eius illustri compellatione; nam *decus cœli*. Deinde maximi sunt affectus ab visa Iride, & ab nouis prodigiis, quæ secuta. A visa Iride; nam dubitat, à quo, missa illa, tantum beneficium acceperit: à nouis prodigiis, nam admiratur tria, videlicet repentè serenitatem secutam, euanescentibus nubibus, in quarum comitatu necessariò Iris; deinde hiatum in cœlo, quo recepta Iris; tertiò, vagas discursantésque stellas. Ab tot prodigiis erumpit in illud, *sequor omina tanta, Quisquis in arma vocas*. Id est, sequor omina, & Deum illum, quicunque ad me Irim misit. Lego, non *sequar*, sed *sequor*, maiore affectu.

[c] Haurit aquam, & manus lauat, vt purior sit ex more Gentilium precatio. Mox Deos, & multis quidem orat, nec vno se tantùm voto, sed multis alligat; ideo *onerat*, quasi duplicet, & repetat eadem sæpiùs vota.

NOTÆ.

1. AGNOVIT IVVENIS.] Nonnus lib. 20. in re simili, γνώσκων ταχὺν ὄρνιν: *agnoscens velocem auem*, id est, Irim.

Precantes sublatis manibus.

2. DVPLICESQVE AD SYDERA PALMAS SVSTVLIT.] Ex more precantium. Sic Sacerdos ad Apollinem 1. Iliad. ἀνασχὼν τὰς χεῖρας, id est, ἀναστείνας εἰς εὐχὴν, explicatore Eustathio. & 2. Æneid. *Cœlo palmas cum voce tetendit*. Sen. Contr. 16. *vtrasque ad cœlum manus sustulit*. ibid. *Ad cœlum manibus leuatis*. Ex hoc precantium ritu conuincit Aristot. lib. de Mundo, esse Deos. πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν εἰς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας εὐχόμενοι.

A 3. IRI, DECVS COELI.] Sententia planè Hom. 18. Iliad. Imitatio.

Ἶρι θεά, τίς γάρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκε;
Iri Dea, quis te Deorum mihi nuntium misit?

4. DISCEDERE COELVM.] Alij hîc, *descendere*. Sed probo vulgatam lectionem. Nam eo verbo significantur chasmata, & hiatus. Vide me 3. Georg. ad illud, *scena vt versis discedat frontibus*. Idem dicit Virg. quod Lucret. 6. *cœli diuisis partibus*. & 8. *cœlo aperto*. & 3. *abruptis nubibus*. Et procul dubio à Lucret. qui, *mœnia mundi discedunt*, pro, hiant. Discedo, de fulminibus.

5. PALANTESQVE POLO STELLAS.] Fulgetra
B intelligit, & volantes scintillas. Vide quæ iam latè 1. Georg. ad illud,

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi. ———

Vbi de hac re duabus Notis, videlicet 18. & 19.

6. SEQVOR, &c.] Similis locus lib. 4. *Sequimur te sancte Deorum, Quisquis es.*

7. HAVSIT DE GVRGITE LYMPAS.] Ita scilicet puriores preces. Nonnus lib. 29. Lotio ante preces.

Ὕδατι χεῖρας ἄειρε, καὶ εὔχεο μητέρι γαίῃ:
Aqua manus lustra, & precare matrem terram.

Hom. 9. Iliad.

C *Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,*
Ὄφρα Διὶ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ' αἴκ' ἐλεήσῃ:
Ferte autem manibus aquam, & linguis fauere iubete,
Vt Ioui Saturnio supplicemus, si misereatur.

Hesiod. 2. Erg.

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι:
Neque vnquam manè Ioui libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.

Manibus illotis non sacrificandum.

Sumpsit ab Hom. qui 6. Iliad. ore Hectoris.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι. ——— ———
Manibus illotis Ioui libare nigrum vinum
Vereor. ——— ———

D Clemens Protrep. reprehendens Gentiles. λελουμένους φασὶ δεῖν ἐπὶ τὰς ἱερουργίας, καὶ τὰς εὐχὰς ἰέναι καθαροὺς καὶ λαμπρούς: *Aiunt oportere lotos, & mundos, atque splendidos accedere ad sacra, & preces*. Testimonia alia moris huius inuenies lib. 8. vbi precaturus Æneas Tyberim, *vndam de flumine palmis sustulit*.

8. MVLTA.] Ita in 12. *Multáque se incusat*. Cæcinna Ciceroni lib. 6. Fam. *Multa Deos venerari*. In his, & aliis poni *multa* pro *multis* volunt vulgares Grammatici. Ego subaudio κατὰ more Græco; vt cùm ait Soph. Elect. βιασθεὶς πολλά. iterum: πολλὰ ἐπιστάσα, id est, κατὰ πολλά.

[a] Iámque omnis campis exercitus ibat apertis,
Diues equis, diues pictaï vestis, & auri.
[b] Messapus primas acies, postrema coërcent

Tyrrhidæ iuuenes: medio dux agmine Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est:
[c] Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cùm refluit campis, & iam se condidit alueo.
[d] Hîc subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campo.

ARGVMENTVM.

It agmen hostium contra vrbem Troianorum Lauinum, comparaturque cum Gange, & Nilo.

EXPLICATIO.

[a] VIde præcipitantiam. Vix Turnus dixerat, *sequor omina tanta*, & iam it exercitus, cuius elegantiam describit ab equis, qui mirè ornati, & cum magnis diuitiis: à vestibus militum, quæ pictæ, & mistæ auro.

[b] Describit ordinem euntis exercitus, cui non assignat cornu dextrum, aut sinistrum, quia non ibatur explicato, aut porrecto agmine, sed conglobatim conferto, nam postea Caicus, *Quis globus ô ciues*, &c. Igitur in hoc globo Messapus primas acies coërcebat, postremas Tyrrhidæ; in medio agmine erat Turnus, procera corporis statura conspicuus. *τὸ vertitur*, explica, agit se, & rotat furenter ad bellum.

[c] Comparat euntem exercitum Gangi, aut Nilo. Credo comparationem exhiberi ad indicandam tùm maiestatem euntis agminis, tum silentium: ideo quæsita flumina, quæ & dignitate aliis, & profunditate præstarent. Nam vbi profunditas, ibi quies aquarum. Ideo de Gange, *altus*, *tacitum*, *sedatis amnibus*. Et de Nilo tempus illud assumit, quo ille minùs streperus & turbulentus. Non (inquam) cùm inundat, sed cùm refluit, & se ab impetu reuocat, & alueo conditur. Sed aptior adhuc alia explicatio. Ibat exercitus primùm apertis campis, mox coërcetur à Messapo, & Tyrrhidis: ergo assumpta flumina, quæ inundant Indiam, & Ægyptum, & mox rediguntur in alueos. Hæc verissima explicatio. Præclarè verò agmen comparatur cum fluminibus, de quibus etiam *agmen* dicitur. Nam Virg. *leni fluit agmine Tybris*.

[d] Prodidit exercitum, non clamor; quietè enim ibatur, & cum sedato & tacito incessu: sed nubes pulueris, & tenebræ inde ortæ, ac statim Troiani intelligunt adesse hostem. Erant quippe in speculis, σκοπιάζοντες ἀπ' ἄστεος, diceret Calab. lib. 2.

NOTÆ.

1. CAMPIS APERTIS.] Sermo militaris. Hinc traxit colorem Sidon. epist. 11. libr. 1. vbi loquens de maledicentia, quæ genus belli: *Multis Satyricis hoc iurgio campus aperitur*. Xenoph. 4. ἀλλ. patentia loca vocat ἀναπεπταμένους τόπους, quibus opponit στενά, χαραδρώδεις, loca septa. (Campus apertus, sermo militaris.)

2. PICTAI VESTIS, ET AVRI.] Intelligit vestem (ὑ διὰ δυοῖν.)

A auro pictam & intertextam, sed loquitur suo & poëtico more, vt, *pateris libamus, & auro*. Itaque diuisim dixit, quod iunctim Iuuenal. Sat. 6.

Aut latum pictæ vestis consideret aurum.

Et fortasse Virg. intelligit paludamenta; nam hæc non solùm fuêre στρατηγικά, *imperatoria*, sed etiam στρατιωτικά, *militaria*. Itaque describit vniuersum exercitum paludatum. Et, tametsi non turba militum, sed duces tantùm in suis paludamentis aurum intextum gestarent, tamen potuit Poëta hoc dare vniuerso exercitui ad ambitionem. Nisi quis arctet illum ad duces tantùm, qui in eo agmine. Est verò dictum *pictaï*, vt alibi *aulaï*: qua solutione vsi Poëtæ, & sæpissimè inscriptiones. Romæ, BONAI DEAI SACRVM. Firmi in agro Piceno, QVAISTORES. In alia. AIRE, pro, ære. (Pictaï.)

3. COERCENT.] Liu. dixit, *agmen claudere*. Hom. B 4. Iliad. πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν, id est, οὐραγῶν. & Iliad. 17. ὀπίσω μαχεσόμεθα, de duplici Aiace, qui in pugna agmen claudebant. Xenoph. 4. ἀλλ. αὐτὸς ἦν σὺν τοῖς ὄπισθεν ἐπιμελούμενος. Idipsum aliter Iosephus lib. 7. Bell. cap. 25. τὸ τελευταῖον ἀπεῖναι, quasi dicas, *extremum in abeundo*. Polyb. lib. 3. ἐπιμελητὴς οὐραγίας ἀπολείπεσθαι. Plutarch. in vita Themist. Ἀθηναίων ἐπὶ πᾶσι τεταγμένων. & in vita Fabij. ἐξώπισθε τῶν ἐσχάτων. (Agmē claudere.)

4. TYRRHIDÆ.] De Tyrrho dixi in 7. Inde eius filij hîc numerantur, vt quos propiùs clades attigit. Volunt enim vlcisci fraternam cædem: nam in eo præliolo cecidit Almon maximus natorum Tyrrhi.

5. MEDIO.] Morem attingit militiæ Romanæ, quo dux in media acie, aut ferè: imò omnium gentium, vt liquidum ex omnibus historiis. (Dux in media acie.)

C 6. ET TOTO VERTICE SVPRA EST.] Fortasse intelligit, toto capite Turnum eminere; id colligas ex imitatione Hom. 3. Iliad. ἔξοχος Ἀργείων κεφαλήν: *superans Græcos capite*. Ibidem. (Corporis magnitudo.)

Ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασι:

Certè quidem capite etiam altiores alij sunt.

Sed non credo fuisse hanc magnitudinem Turno. Itaque cautior Virg. iccirco *verticem* propriè capio, & tantùm signari hominem ὑπεραίροντα, *summitate eminentem*, & *vertice* non, toto capite. Vel, si caput intelligit, cape illum ὑπερβολικῶς, ad eum modum, quo Stat. 4. Theb. *toto despectat corpore bellum*. Ducem quempiam Nonnus lib. 22. vocat ὑψικάρηνον. De Anchisa Virg. 8. *sed cunctis altior ibat*. De Nympha quapiam Claud. 2. Rapt. *totum supereminet agmen*. De Traiano D Plin. Paneg. *Te sola corporis proceritate elatior aliis, & excelsior*. Calab. lib. 1. de Penthesilea, πασάων μέγ' ὑπείροχοι. De Surena Plutarch, in vita Crassi. μέγιστος, & μεγέθει σώματος οὐδενὸς ἥττων, *vt qui esset proceritate corporis nemini comparandus*. Est hoc, quod Nazianz. Orat. 16. dixit loquens de Gigantibus. ὑψηλοὶ ὑπὲρ ἀνθρώπους. De Masistio Plutarch. in Aristid. μεγέθει σώματος περιβλεπτος. Magnum est Eunapij incrementum in vita Proæresij. ὁ δὲ μέγεθος ἦν ἡλίκον ἄν τις οὐ πιστεύσειεν, ἀλλὰ εἰκάσειε μόλις, ἀνεστηκει γὰρ εἰς ἐννέα τὸν πόδα

κατεφαίνετο, ὥστε κολοσσὸς ἐδόκει τοῦ μεγέθους δρώμενος τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων: *Maiore fuit statura, quàm quis credat imo ne coniiciat quidem facilè, vno namque pede ceteris altior extabat, Colossum imitatus, & inter procerissimos quosque sui temporis eminens.* Vel, hoc vno testimonio fultus accepi initio Notæ Turnum tantùm ὑπερμεγέθη. Nam si capias totum caput, vnum fermè pedem dabis. Sed certè multa Poëtarum ad hyperbolen sunt reiicienda, vt cùm ait Silius libro quinto, *Hyperbolice Poëtæ.*

——lati super agmen vtrumque
Ingens tollebant humeri caput.——

Quid, quòd Poëtæ accipi etiam queunt de cristis galearum? vt idem Sil. libro octauo, *surgunt super agmina cristis.*

7. SEPTEM.] Negat hoc Strab. qui de Gange ita scribit lib. 15. μίαν ἐκβολὴν ποιεῖται μέγιστος ὢν τῶν κατὰ τὴν Ἰνδικὴν ποταμῶν: *Vnum ostium habet, quanquam omnium Indicorum fluminum maximum.* Neque ab Strabone dissentit Plin. lib. 2. c. 108. *A Gange amne, ostióque eius, quo se in Eoum Oceanum effundit.* Dicturus ostia, si plura essent. Mendax ergo Poëta? Non nego, si verbum lenias: nam in fabuloso flumine fabulas sequitur. Flumina enim, præsertim longinqua, exposita huic incertitudini. Strabo quippe ait, Craterum multa docere de hoc amne, quæ longè à veritate, & parum fidei consona. Idem dicit Artemidorū quoque multa scripsisse de Gange συγκεχυμένως, καὶ ἀργῶς, καὶ οὐ φροντιστέον, *confusè, otiosè, & quæ non curanda.* Maro ergo dat illi septem lapsus sumpta occasione à multiplici fabulamento huius amnis. Nam situs ille in extremis Indiæ finibus (vt ait Plin. lib. 7. cap. 2.) magnam segetem mentiendi antiquis suppeditauit. Audi Apul. lib. 1. Florid. vltra omnem fidem. *Nec quòd Ganges apud eos (Indos) vnus omnium amnium maximus,* *Gangis ostia.*

Eoïs regnator aquis in flumina centum
Discurrit, centum valles illi, oráque centum,
Oceanique fretis centeno iungitur amni.

Moderatior Seru. cuius hæc sunt: *Secundùm Senecam in situ Indiæ nouem alueis fluit, secundùm Melonem septem; qui tamen & ipse commemorat, nonnullos dicere, quòd tribus alueis fluat.* Defendi hactenus Poëtam à fabulis, quas secutus est. Sed iam aliter, & verissimè. Dixi in Explicatione, assumi amnes inundantes Indiam, & Ægyptum, qui mox recipiantur intra alueos, vt sic quadret comparatio exercitui priùs eunti apertis campis, deinde arctato à ducibus. Ergo septem isti amnes Gangis erunt multiplices aberrationes, & discursus fluminis errantis per Indiam, illámque inundatione sua irrigantis. Inundare Nilum, nihil est, quòd probem: de Gange Solinum accipe. *Maximi in ea (India) amnes Ganges & Indus, quorum Gangem quidem fontibus incertis nasci, & Nili modo exundare perhibent.* Est hoc, quod Strabo attigit lib. 15. ἅπασα δ' ἐστὶ καταῤῥυτος ποταμοῖς ἡ Ἰνδική: *tota India fluminibus irrigatur.* *Virgilius defenditur.*

8. SEDATIS AMNIBVS.] Non malè inclinat Io. Passerat. accipiendum Propert. Eleg. 22. lib. 3. eo versiculo, *Sedati amnes.*

Et qua septenas temperat vnda vias,

de Gange. Nam tametsi Nilo septem sint ostia, vt omnes clamant, & septem Tanai, vt ait Sen. in Troadibus,

Septena Tanaïn ora pandentem bibit,

sed verbum Propertij *temperat*, ducit nos ad *sedatos amnes* Virgilij.

9. ALTVS.] Vide an altus, cùm scribat ex Cratero Strabo lib. 15. visa κάτω ἐπ' αὐτῷ, *cete in illo?* ad quam rem necessaria mira profunditas. Adducit etiam Artemidorum dantem huic flumini crocodilos & Delphinas, quæ bestiæ non nisi in magna profunditate. Quo argumento probat Sen. lib. 4. Nat. Quæst. Nilum esse profundissimum. *Gangis profunditas.*

10. PER TACITVM.] Sic Horat. de Liri amne, *taciturnus.* & Nonn. lib. 22. σιγαλέοις ῥεέθροις, *tacitis fluxibus.* De Nilo Plin. Paneg. *placido molliqúe lapsu.* De eodem auunculus lib. 5. c. 9. *lenis & confractis aquis, domitáque violentia.* Seneca 6. Nat. Quæst. de aliis, *leniter ac quietè fluunt.* Illustrabis satis hunc locum his, quæ iam 8. Æneid. ad illud, *Taciti aquæ.*

Tybris ea fluuium, quàm longa est, nocte tumentem
Leniit.——

Et iterum ad illud eiusdem libri; *tacitis incumbere remis.*

11. PINGVI FLVMINE NILVS.] Cùm signet Poëta fœcunditatem Nili, placitum audias auctores, qui de illa. Si tibi tædium, transuola hanc paginam. A Plinio Paneg. Traiani dicitur *fœcunditatis parens.* Ibidem de Ægypto: *alendis, augendísque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus, cœlóque deberet: siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pinguescere, quàm quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris, quasi nunquam cessura, certaret.* Mitto multa, quæ peti ab eodem Plin. possent. Huius verò auunculus cap. 9. lib. 5. *Per totam spatiatus Ægyptum fœcundus innatat terræ.* Dionys. περιηγ. ποταμοῖο ὕδατι Νείλου. Iterum: *Nili elogia.*

Ὕδασι πιαίνων λιπαρὴν πέδον Αἰγύπτοιο:
Aquis pinguefaciens fertile solum Ægypti.

Theophyl. Simocatt. lib. 7. Hist. cap. 17. ἀμέλει δὲ πολυγονώτατον αὐτὸν ὑπὲρ ἅπαντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς προδεικνύναι φασίν. *Dicunt sanè, hoc omnium fluminum, quotquot terram ambiunt, fœcundissimum esse.* Ammian. lib. 22. dat illi *pinguem cespitem*; vocátque *beneuolum omnium flumen.* Sen. lib. 4. Nat. Quæst. ait, hoc flumen ferre secum *pingue.* Præclarè de illo Stat. lib. 8. *Scindit fontis opes.* & 3. *fœcunda clementia Nili.* Iuuenal. Sat. 13. *diuitis Nili.* Claud. de illo Paneg. Manl. *cunctis amnibus vtilior.* Maxim. dissert. 34. Νεῖλος πυρὸν. & dissert. 15. Νεῖλος γόνιμος. Nazianzenus Orat. 21. vocat ἀεὶ σαχῶ, vt Nonn. lib. 31. εὐαχνυόεντι Νείλῳ. Plut. orat. 1. de esu carnium dat ei γόνιμον, καὶ καρπόφορον ῥεῦμα. Aristid. in Ægyptiaca, θεοφόρον. Et in exitu. Νεῖλος δὲ ποταμῶν ἀρχῆθεν κάλλιστος, ὁ μέγιστος, καὶ χρείας, καὶ θέας ἡδονῇ, καὶ τοῖς πᾶσι πολὺ νικῶν: *Nilus omnium est fluuiorum tum pulcherrimus, tum maximus, quique vsu & spectabili voluptate, ac omnibus rebus alios longè superet.* Inde Dio Chrysostom. dat illi, non solùm ὠφέλιμον, sed etiam θαυμαστόν, vt qui non tantùm sit *vtilis*, sed *diuinus*, & *admirandus.* Dicitúrque ab illo μέγιστος καὶ καλλίας. Eurip. Helen. ait eius aquam esse ἀντὶ Δίας ψακάδος. Nazianz. Orat. 21. χρυσορόαν facit, ab ramentis auri. Philo in lib. de Abrah. dat Ægypto ἄφθονον εὐθηνίαν, καὶ εὐετηρίαν: *ingentem fertilitatem, atque exuberantiam.* Oppian. 2. Cyn. ἰχθύας ἀγλαοκάρποις Νείλου πυροφόροιο. vocátque illum ἱερὸν ὕδωρ.

12. REFLVIT.] Hunc Nili refluxum, quem Virg. explicat verbis *refluit.* &, *se condidit alueo*, vocant Plin. lib. 5. cap. 9. & Senec. lib. 6. de Benef. cap. 7. *recessum.* Idem Plin. *reuocatur intra ripas.* Alter Plin. Panegyr. Traiani: *Nilus amet alueum suum, & fluminis modum seruet.* Ammian. lib. 22. *Minuitur, & mitigatis ponderibus aquarum nauibus antea peruius equitabiles campos ostendit.* Primum verbum accepit à Senec. lib. 4. Natural. Quæst. *Minuitur, & ad hybernam magnitudinem redit.* Herodot. Musa 2. de eodem Nilo, ἀπίει δὲ ὀπίσω. Stat. 4. Theb. à Virg. *Refluxus fluminis.*

Sic vbi se magnis refluus suppressit in antris.
& addit à se elegantissimè, *fumant deserta gurgite valles.* Fluuium Tyberim redeuntem ad alueum vocat Tacit. 1. Ann. *relabentem.* iterum: *coërcendi fluminis.*

Puluis nuntius hostiû.

13. Hic svbitam nigro, &c.] Tale illud Liu. lib. 30. *Densior deinde incessus tot hominum, equorúmque oriens puluis, signum propinquantium hostium fuit.* & Simocattæ lib. 2. Hist. c. 3. ἐπεὶ δὲ τὸ πολέμιον παρεφαίνετο καὶ ἦν κόνις πολλή: *vbi adesse hostilem aciem ex multo puluere intellectum est.* Polyb. lib. 3. ἅμα δὲ τῷ πλησιάζειν αὐτοὺς καὶ συνιδεῖν τὸν κονιορτὸν ἐξαιρόμενον, εὐθέως συνετάττοντο πρὸς μάχην: *simulac oriens puluis propinquantium hostium signum ambobus dedit, acies vtrinque ad prælium instrui cœperunt.* Romani apud Sallu. in Iugurth. adesse sentiunt hostem, cùm *ex improuiso pulueris vim magnam animaduertunt.*

Nigredo de puluere. Glomero de eodem.

14. Nigro.] Eurip. Elect. κελαινὰ κόνις.

15. Glomerari.] Significantius Homerico, A κονίη ἀειρομένη, Iliad. 23. & Sophoclæo, κόνις δ' ἄνω φορεῖθ', in Elect. *attolli* enim, & *ferri* vulgaria sunt.

Tenebræ de eodem.

16. Nvbem.] Transfer huc, quæ dixi lib. 8. ad illud, *oculísque sequuntur Puluerëam nubem.* & hîc adiice Ammian. lib. 20. vbi *fumi nubes*, quod vicinum pulueri. Stat. etiam lib. 4. *nubem* dixit de puluere. & Calab. lib. 2. ingentem vim pulueris comparat cum nubibus. Omitto locum, vt longum.

17. Tenebras insvrgere campo.] Hom. 13. Iliad. κονίης ὀμίχλην, *caliginem pulueris.* Calab. 2.

———ἀμφὶ πόδεσσι κόνις πεπότητ' ἀλεγεινὴ
Ἥ ῥά τε καὶ φάος ἠὺ κατέκρυφεν ἠελίοιο
Αἰθέρ' ἐπισκιάουσα.———
———*volitabat ante pedes puluis molestus*
Qui Solis claram lucem obtexit
Obumbrans ætherem.———

ᵃ Primus ab aduersa conclamat mole Caïcus:
Quis globus, ô ciues, caligine voluitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, & scandite muros:
Hostis adest, eia, ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent.
ᵇ Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas, si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modò, & tutos seruarent aggere muros.
ᶜ Ergo, etsi conferre manum pudor, iráque monstrat,
Obiiciunt portas tamen, & præcepta facessunt,
Armatíque cauis expectant turribus hostem:

B

ARGVMENTVM.

Animaduertit primus omnium Caïcus aduentum hostium, occludunt Troiani portas vrbis, ex præcepto Æneæ.

EXPLICATIO.

ᵃ Erat fortè Caïcus in vrbis *mole*, per quam nihil aliud intelligo, quam turres pro muris adstantes, & illis annexas, de quibus postea Poëta loquitur. Erat verò hæc moles aduersa venienti agmini. Ergo ille, vt vidit caliginem à puluere excitatam, & hoc signo adesse præsentiens hostem, clamare cœpit, ferrent ferrum, darent tela, muros scanderent. Quo audito Troiani illicò portas muniunt, & muros occupant.

ᵇ Hoc videlicet Æneas præceperat, cùm profectus est ad Euandrum, rei bellicæ scientissimus; vt, si quis belli casus se absente contigisset, portas clauderent, neque tentarent belli aleam æquo cum Rutulis certamine.

ᶜ Pudor, atque ira Troianos ad exeundum hortabantur: contrà, præcepta Æneæ vetabant ne exirent: vicit obedientia militarem ardorem. Itaque hostem expectant in turribus muniti armis. Est *monstrat*, hortatur, vt ait Seruius, vel, suadet, vt Muretus.

Notæ.

Globus militum.

1. Globvs.] Non dissimilis hæc forma militum ab ea, quam Sallust. Iugurth. vocat *orbē*, cùm ait: *Romani, si quos locus, aut casus coniunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus simul tecti & instructi, hostium vim sustentabant.* Homer. sæpe ὁμιλαδὸν, quasi *turmatim* & *conglobatim.*

Imitatio.

2. Caligine volvitvr atra.] Ductum volunt ab illo Furij Antiæ,

Omnia noctescunt tenebris caliginis atræ.

Amian. dixit lib. 20. *Cœlum subtextum caligine cernebatur obscura.* Ibidem ad saporem Poëtæ: *Vmbrarúmque nigrantibus inuoluitur globis.*

Præcipitantia ad viuum expressa.

C 3. Ferte citi ferrvm, &c.] Æqualis præcipitantia in illo lib. 4. ore Didus,

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

Quem ad locum attuli Aristophanem, & Propertium, nescio an alios. Subiungam hîc eiusdem notæ loca. Sophoc. in Aiac. ἴθ', ἐγκόνει, σύγκαμνε: *ito, accelera, adiuua.* Idem Elect.

Locorum similitudo.

Ἔλθετ', ἀρήξατε, τίσασθε πατρὸς
Φόνον ἡμετέρου.———
Venite, ferte opem, vlciscimini patris
Cædem nostri.———

Æschyl. Prometh.

Στεῖλλε, κόμιζε, σῶζε τὸν παρόντα νοῦν:
Perge, propera, retine hanc mentem.

Latini pari præcipitantia. Lucilius lib. 28. *Diuidam, differant*

differant, dissipent, distrahant. Ennius in Iliona seu Polydoro: *Age, adsta, mane, audi, itera.* Plaut. Milit. *Sumat, habeat, auferat.* Prudent. περὶ στεφ. *Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt.* Delectati Historici. Tacit. in vita Agricolæ: *sequi, vulnerare, capere.* Sallust. Iugurth. *sequi, fugere, occidi, capi.* Liuius lib. 40. *classis victa, fusa, contusa, fugata.* Quadrigarius: *venit, accessit, ligna subdidit, submouit Græcos, ignem admouit.* Sanè hæc rotatio orationis tota posita in demptis coniunctionibus. De qua re consule locum lib. 4. Æneid. vbi adductus locus Demosthenis, & Vlpiani. Ait enim Vlpianus orationem vnis tantùm coniunctionibus tardari. Sic ego soleo expendere versum Soph. in Elect. hunc,

Coniunctiones tardant orationem.

Ἤνεγκα, κἄξέσωσα, κἀξεθρεψάμην:
Abstuli, & seruaui & eduxi.

Loquitur videlicet Pædagogus cum Oreste, quem è patria furtim abstulerat, ne interficeretur vnà cum patre Agamemnone. Et tametsi auferebatur ad salutem, sed cum dolore, vt in exilium: ideo coniunctiones illæ ad indicandam ægritudinem.

Eia.

4. EIA.] Esse hoc Ennij, qui *eia machæras*, Seru. notat. Ego puto, particulam hanc referendam ad Caïcum, vt hic dicat: *Hostis adest, eia.* Itaque se frustra Seru. lassat. Ita quoque ad loquentem retulit Sidon. epist. 9. lib. 1. *Tum patronus, eia, inquit, Solli meus.*

Imitatio.

5. CONDVNT SE.] Aptat huic versui Germ. verba Iulij de Bell. Gall. affinia: *Portas claudere, murum complere cœperunt.* Vt hîc, *complent mœnia*, ita Liban. Declam. 15. ἐπλήρωσαν ναῦς. & Ammian. lib. 20. *Cuncta oppidi membra compleuerant.* Loquitur de militibus qui occuparunt loca omnia vrbis. Polyb. lib. 3. loquens de Annibale. τοὺς μὲν λιμένας πεπληρωκώς.

Complere mœnia.

Mœnia quæ sint.

6. MOENIA.] Significat propugnacula, & turres, quæ in muro erant. De distinctione harum vocum iam alibi. Ita Sallust. Iugurth. in obsidione vrbis vnius: *cuncta mœnia exercitu circumuenit.*

7. OPTIMVS ARMIS.] Ita à Val. 1. Arg. *optimus hasta*, vt Hom. 4. Odyss. ἔγχεϊ ἄριστος. Sed Virgilij mens altior, quippe qui Æneam ita vocet, non tantùm ab armorum tractatione, sed à consilio, quo suis prouidit, præsertim filio Ascanio, quem noluit pugnare aperto campo. Timuit enim pater filio. Æmilius Probus in vita Thrasybuli: *Præceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni, nec sine causa dici, matrem timidi flere non solere.* Muta ad rem; *patrem timidum flere non solere.* Sed de prouidentia ducis omnia complectentis, etiam cùm absens sit, est locus apud Polyb. lib. 3. vbi Annibal præcepta dat Asdrubali, cùm contingat separari ab inuicem. Tale & præceptum datum Syracusanis ore aruspicum apud Plutar. in Nicia. μὴ καταρχομένοις μάχης, ἀλλ' ἀμυνομένοις. Dicebant videlicet aruspices, illos fore victores, si non committerent bellum, sed tantùm propulsarent. Ceterùm, præceptum, quo Æneas Troianos communit, vt se intra muros contineant, apud Calab. est lib. 14. vbi Polydamas ita loquitur cum Troianis.

Patres timêt filiis.

Ducis prouidentia in bello.

Imitatio.

Νῦν δ' ἄγε δὴ πύργοισιν ἐϋτμήτοισιν ἐπεμβάντες
Μίμνωμεν νύκτας τε, καὶ ἤματα δηριόωντες:
Nunc igitur conscensis turribus bene munitis
Perseueremus noctes, diésque in propugnatione.

Et adhibet rationem. Nam sic Græci vel remeabunt in sua, vel desperabunt à nostris.

8. FORTVNA.] Id est, si quis belli casus. *Fortunam belli* omnes dicunt, quos Delr. conmixit in Theb. Sen. vers. 629. Poëta locutus strictiùs ademit, *belli.*

9. CAMPO.] Opponit campum castris & muris. Ne (inquit) se campo crederent, sed seruarent castra & muros. Ita postea,

Campus de loco plano.

———*Teucrûm mirantur inertia corda,*
Non æquo dare se campo, non obuia ferre
Arma viros: sed castra fouere.———

Ita & Propert. Eleg. 11. lib. 4. vbi loquens de pugna Tolumnij & Cossi, ait de Tolumnio,

Forte super portæ dux Veiiùs astitit arcem,
Colloquiúmque sua fretus ab vrbe dedit.

Et postea Cossus cum illo ita loquitur,

Cossus ait, forti melius concurrere campo.

Vbi *campum*, quem petit Cossus, opponit *arci*, qua se Tolumnius tuetur; ac statim,

Nec mora fit, plano sistit vterque gradu.

Vbi *planum* vocat campum cum oppositione ad *arcem.* Ad eum fermè modum opposuit Virg. lib. 2. Georg.

Collibus, an plano melius sit ponere vites.

10. CASTRA MODO, &c.] Par præceptum in Claud. de Bell. Get.

Exiguámque moram muris impende tuendis,
Dum redeo.———

Troiani apud Calabrum lib. 1. cùm carerent duce, ἔμιμνον ἀνὰ Πριάμου πτολίεθρον, *continebant se in vrbe Priami.* Et addit, id factum propter timorem Achillis, δειδιότες μένος ἠῢ θρασύφρονος Αἰακίδαο. Quod omnino hîc Troianis contingit propter timorem Turni. Libro etiam 2. idem capiunt consilium, vt pugnent tantùm ἐκ πύργων, καὶ τείχεος, *ab turribus, & muro.*

Imitatio.

11. PVDOR.] Est enim hic magnus stimulus ad gloriam. Transfer huc, quæ dixi lib. 5. ad illud,

Pudor stimulus ad gloriam.

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

Et adiunge Tacitum 1. Ann. *quos* (milites) *iam pudor & gloria intrat.* Ammian. lib. 21. *Licèt pauore discriminum anxij, pudore tamen, ne sordes viderentur & segnes,* &c. Nec alia ratio Liuij lib. 2. cur Horatius duos socios habuerit in conflictu pontis. Ait enim: *duos tamen cum eo pudor tenuit.* Iosephus lib. 7. Bell. c. 3. δεινὴ τοὺς στρατιώτας εἶχεν αἰδώς: *grauis pudor milites tenuit.* Et cap. 5. eiusdem lib. ait, pudorem fuisse militibus tanquam ducem ad rem gerendam, ἐστρατήγει δὲ τῶν μὲν αἰδὼς, τῶν δὲ ἀνάγκη: *Dux erat, his quidem* (Romanis) *pudor, his autem* (Iudæis) *necessitas.* De pudore Tacit. 3. Hist. ait *profuisse disciplinæ* militari.

12. IRAQVE MONSTRAT.] Coniungit iram cum pudore, quia vterque stimulus aptus ad bellum. Claud. 6. Hon.

Ira & pudor cognati affectus.

Aut pudor, aut dictis mouêre procacibus iræ.

Val. 4. Arg. *insequitur flammata pudore iuuentus.* vbi flammæ ad iram pertinent: imò, vix est, vt pudor in generoso sine ira sit.

13. OBIICIVNT PORTAS, &c.] Tale Ammian. lib. 20. *Propugnatores viso hoste longissimè, clausis omnibus portis, ingentibus animis per turres discurrebant: & minas, saxa, tormentáque bellica congerentes, cunctisque præstructis, stabant omnes armati, multitudinem parati propellere,* &c. Aliquid ad hanc rem Sallust. Iugurth. *Vaccenses, vbi animaduertêre ad se vorsum exercitum pergere, portas clausêre.*

Locorum similitudo.

14. TAMEN.] Consecutio harum vocum, *etsi, tamen*, elegans est, & testimoniis firmata ab Godes. Variatur per hæc: *etsi, at: etsi, attamen: etsi, sed.*

Etsi, tamen.

15. PRÆCEPTA FACESSVNT.] Ab Ennio, & Afranio. Prior 1. Ann. *dicta facessunt.* Posterior. *dicta facessat.* Polyb. 3. Hist. πειθαρχεῖν ὑπὸ τῶν παραγγελλομένων.

Facessere præceptum.

a Turnus

ᵃ Turnus, vt anteuolans, tardum præcesserat agmen
Viginti lectis equitum comitatus, & vrbi
Improuisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristáque tegit galea aurea rubra.
ᵇ Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem?
En, ait: & iaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.
ᶜ Clamore excipiunt socij, fremitúque sequuntur
Horrisono: Teucrûm mirantur inertia corda,
Non æquo dare se campo, non obuia ferre
Arma viros, sed castra fouere. huc turbidus, atque huc
Lustrat equo muros, aditúmque per auia quærit.

ARGVMENTVM.

Antecessit suos Turnus pugnæ cupiditate inflammatus, prouocat Troianos hasta in altum iaculata, tenent se illi intra mœnia.

EXPLICATIO.

ᵃ VISVM est Turno tardum esse agmen suum; itaque non ire ille, sed penè visus ante alios volare cum viginti lectis equitibus, inde adest vrbi *improuisus*. Indicat, vix conditos intra mœnia Troianos, cùm ille iam adfuit. Describit verò duo, quibus agnitus à Troianis (nam hæc mens Poëtæ) Turnus, equum, & galeam. Equus erat Thracius cum albis maculis, & ἀξίῳ θέας, vt loquitur Iosephus cap. 24. lib. 7. Bell. galea aurea cum cristis rubris.

ᵇ Vix adfuit, cùm ad suos conuersus, rogat, quis primus secum in hostem ruat? & verbum adimit ad explicandam celeritatem loquentis, imò facientis; nam à verbis statim ad facta. Itaque, abrumpit verba, & minuit orationem, vt hastam iaculetur, quod signum pugnæ. Misso iaculo sese campo gloriabundus infert prouocans hostes verbis, hasta, corpore. Verbis, *ecquis erit*, &c. hasta, *& iaculum intorquens*, &c. corpore, nam *campo sese arduus infert*.

ᶜ Dicit, quid tunc Itali, quid Troiani, quid Turnus. Itali probant factum, plaudúntque suo duci sublato clamore, & fremitu. Troiani tenent se intra mœnia, non se campo credunt, non ferunt obuia arma, fouent castra, adeò vt Itali mirentur, puténtque eos esse inertes: quippe ad ignauiam referebant illorum cautum. Turnus huc, illuc cum equo discurrere, lustrare omnia, quærere aditum, vel quà non aditus.

NOTÆ.

Narratio sicca, florida. 1. TVRNVS, &c.] Hunc & sequentes versus adhibet Macrob. in exemplum siccæ orationis, & opponit floridæ narrationi, quæ habetur lib. 11. de Chloreo, ab eo versu, *Fortè sacer*. &c.

Anteuolo. 2. ANTEVOLANS.] Tale illud, *ante malorum*. & Amm. lib. 20. *antegressus*. & Fest. *antefixa*. & illud Sen. A sæpe inculcatum, *inantecessum*. Sallusth. Iugurth. *antevenit*. Indicatur verò Turni promptitudo in re belli. Constantini Panegyristes: *rapto agmine aduolasti*. Ammian. lib. 20. *Occupauêre Regiam*. Eadem virtus prædicata à Polybio lib. 3. de Annibale, & Scipione, nam vterque præiuit agmen. De Coriolano Plutarchus, Μάρκιος προπηδήσας ... De Timoleonte idem, ἡγεῖτο πρῶτος. De Traian. Plin. *Cùm iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires*. Idipsum de Catilina Sallustius. De Hectore Homerus Iliados vndecimo. Inantecessũ. Ducis promptitudo.

Αὐτὸς δ᾽ ἐν πρώτοισι μέγα φρονέων ἐβεβήκει:
Iuit ipse inter primos magna anhelans.

Laudat hoc in Pompeio Plutarch. quòd iam sexagenarius promptissimus esset in rebus bellicis, adeò vt neque iuuenes vigentes ætatis flore illum æquarent.

3. COMITATVS.] Tum ex decoro Principis, qui B non debet solus esse: tum ex belli periculo, in quo nihil negligendum.

4. IMPROVISVS ADEST.] Tacit. 1. Ann. *Chattis* (hostibus) *improuisus aduenit*. Symmach. epist. 5. libr. 1. *Quàm vellem deliciis vestris improuisus obrepere?*

5. MACVLIS QVEM THRACIVS ALBIS.] Consentit sibi, dixerat quippe lib. 5. Equus Thracius

——*quem Thracius albis*
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis, frontémque ostentat arduus albam.

Itaque ex vtroque loco facile est coniectare, equos Thracios tum in pretio fuisse, cùm albis maculis distincti essent. Et hæ quidem esse videntur illæ *belli notæ*, quas dat Stat. equo Domitiani, cui ora erant *mista notis belli*. Nisi quis Statium referat ad atras maculas, nam eidem 4. Theb. militaris equus describitur *discolor maculis atris*. Xenophon lib. 7. Anab. Thraci cuidam attribuit ἵππον λευκὸν, *equum album*, fortasse ab albis maculis. Ita interpretor Calabrum lib. 1. ab quo datur Penthesileæ Amazoni αἰόλος ἵππος, *equus varius*. atqui Amazones fuerunt Thraciæ. Rhesi equos, qui Thraces fuerunt, fuisse candidissimos, quis ex Hom. ignorat Iliade decima? Quem tamen candorem de maculis tantùm capio; nam Eurip. in Rheso, qui de iisdem equis dixerat, πώλων χιόνος ἐξαυγεστέρων, *equorum niue candidiorum*, postea se explicans ait, Rhesum venisse ζαλιάσι πώλοις, *equis variegatis*. Nec turbet te versus Eurip. qui Iouem pro Rheso nominat. Nam verè de Rheso loquitur. Quasi dicat. Tu ô Rhese, qui mihi es Iuppiter, venis cũ equis variegatis. Adeunti clara hæc. Redeo. Non solùm Thracij equi, sed omnes illi, quibus istæ maculæ, prædican Albæ maculæ notant equos militares.

dicantur militares. Homer. 23. Iliad. non de Thracio equo,

Ὅς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο περίτροχον ἠΰτε μήνη:

Qui erat cetero corpore rufus, in fronte autem Inerat alba macula rotunda instar Lunæ.

Eadem est nota in Nisæa equa apud Philost. lib. 2. Icon. cui erant *στέρνα λευκά*, *alba pectora*, atque etiam crura, & nares. Et Eurip. in Aulid. *πώλους λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιούς*: *equos varios albis maculis distincto crine*.

6. PORTAT EQVVS.] Calaber libro primo, *ἵππος φέρεν*.

7. CRISTA.] Erant cristæ non solùm ornamenta galeæ, sed ferocitati ostentandæ in bello. Inde Plin. admonet lib. 29. c. 3. cristatos non fuisse serpentes, qui erant in caduceo Mercurij, quia illi pacem significabant, & fœdus. Ride verò, Lector, audaciam Seruij: & mirum est, ita fœdè lapsum nobilem Grāmaticum in versus huius censura, quam in ipso vide, ne ego, ea repetita, paginam inquinem,

Mercurij serpentes sine crista. Seruij nugæ.

Κἀλλ' οὐ γὰρ πως ἐστιν ἀϋπνους ἤματα πάντα ἀνθρώπους.———

Sed non semper datur vigilantes esse homines.

8. ECQVIS ERIT, &c.] Vult Germ. ductum hoc ex illo Xenoph. apud quem Cyrus suos milites cum ardore & impetu inclamans, ait. *τίς ἕψεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ;* *Quis sequetur? quis strenuus? quis virum opprimet?* Sed possum existimare propositum ad imitationem Hom. 8. Iliad. vbi, cùm Græci intra munitiones suas se tenerent, Hector inclamare suos cœpit, vt irruerent. Quo facto ipse adhortatus est equos suos. Itaque planè videtur tota illa pars libri perlustrata Virgilio, cùm hæc scriberet.

Imitatio.

9. IACVLVM INTORQVENS, &c.] Insistit planè Romanæ consuetudini; aut, vt Seru. loquitur, solemnitati. Nam Fecialis post indictionem belli (quam *clarigationem* vocabant, quia clara voce proponebatur) hastam torquebat in fines hostium, ac tum putabatur datum principium pugnæ. Probant hoc verba Liuij lib. 1. vbi non morem solùm aperit, sed circumstantias, cùm ait de Feciali: *Hastam ferratam, aut sanguineam præustam ad fines eorum* (hostium) *ferret, non minùs tribus puberibus præsentibus diceret*, &c. Varro etiam ita scribit, citante Seru. *Duces, cùm primùm hostilem agrum introitum erat, ominis causâ, prius hastam in eum agrum mittebant, vt castris locum caperent.* Attingit morem istum Val. lib. 3. vbi initium pugnæ inter Cyzic. & Argonautas, datur hastæ tortione, sic enim canit:

Clarigatio.

Hasta Fecialium.

Donec hasta volans immani turbine, transtris Insonuit, mouitque ratem rapere obuia cæca Arma manu.———

Et lib. 4.

———*pugnas mota pater incitat hasta.*

Hunc belli denunciandi ritum attingunt & Græci. Apud Liban. enim, loquitur Menelaus in Declam. vbi sermo est de Paride, aitque, vt Paris fruatur Helena, si δεῖ ἐχθρὸν ἐν φανερῷ καταστήσας, καὶ χεῖρα ἀνταιρόμενος, ἢ βέλος ἀφιείς, ἢ δόρυ δεξάμενος ἐναντίον, *inimicitias palam denuntiauit, si sublata contra illos manu, & telo emisso, atque arrepta lancea fecit impetum.* Hoc ipsum de Alexandro Iustinus scribit lib. 11. cùm primùm ille hostilem Persarum terram attigit: *Cùm delati in continentem essent, primus Alexander iaculum, velut in hostilem terram, iecit: armatúsque de naui tripudianti similis prosiluit, atque ita hostias cædit, precatus, ne se Regem illæ terræ inuitæ accipiant.* Fuit verò tanti momenti hic denuntiandi belli ritus, vt scribat Seru. hunc in modum: *Cùm Pyrrhi temporibus aduersum transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent, neque inuenirent locum, vbi hanc solemnitatem per Feciales indicendi belli celebrarent; dederunt operam, vt vnus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flaminio locum emere, vt quasi in hostili loco ius belli indicendi implerent.* Notetur apud Græcos pro hasta solitam iactari etiam facem. Exstat huius rei testimonium apud Eurip. Phœniss.

Belli denuntiandi mos.

Fax ad denuntiandum bellum.

Ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσὸς, σῆμα φοινίας Μάχης.———

Pugnæ cruentæ symbolum postquam fuit Emissa fax.———

Eundem morem etiam cum hasta Stat. attingit lib. 4. apud quem Dea belli

Prima manu rutilam de vertice Larissæo Ostendit Bellona facem, dextrâque trabalem Hastam intorsit agens.———

10. ET CAMPO SESE ARDVVS INFERT.] Ostentabundè. Applaudit locus Soph. in Elect. vbi Orestes, ingressus in curule certamen, dicitur *λαμπρός*, idque *πᾶσι τοῖς ἐκεῖ σέβας*, nam magna fuit admiratio astantium. Postea: *δρόμον δ' ἰσώσας τῇ φύσει τὰ τέρματα.* Quia videlicet videbatur par esse certamini præstantia illa, qua præditus. Demum, *νικῶν ἔχων ἐξῆλθε πάντιμον γέρας*. Prodiit enim in medium ea ostentatione, quasi iam ferens præmium victoriæ. Similes ostentationes facile esset colligere ex Poëtis, qui suos certatores inducunt spectandos Theatris.

Imitatio.

11. CLAMORE EXCIPIVNT SOCII.] Indicatur applausus. Calab. libro quarto post orationem Nestoris,

Clamor in applausu.

Ἀργεῖοι δ' ἄρα πᾶσιν ἐπευφήμησαν ἔπεσσιν:

Argiui verba omnia secundo exceperunt rumore.

In Hom. etiam lib. 12. Iliad. ita leges,

Ὣς ἄρα φωνήσας ἡγήσατο. τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο Ἠχῇ θεσπεσίῃ.———

Vt ille clamans præiuit, illi simul sequebantur Clamore horribili.———

Apud Calab. lib. 1. Ann. post orationem Percennij, *adstrepebat vulgus diuersis incitamentis.* Apud Polyb. lib. 3. loquenti viro Romano, qui erant in concilio *ἀντεφώνησαν*. Apud Ammian. lib. 21. post orationem Iuliani: *Mota est incitatius concio, & rerum cupida nouandarum, vnanimi consensu voces horrendas immani scutorum fragore miscebat, magnum, elatúmque ducem, & vt experta est, fortunatum domatorem gentium appellans, & Regum.* Apud Simocatt. cap. 8. lib. 6. post orationem ducis; *κρότος ὑπὸ τοῦ πλήθους ἀνῄθορε*: *plausum concio sustulit.* Et in re simili cap. extremo libr. 4. multitudo *ἐπαινοῦσα ἐκρότει*. Apud Plutarchum in Otthon. quorundam oratio excepta est *μετὰ φωνῆς πολεμικῆς*. Plausum istū multitudinis Sidon. sæpe per *fragorem*. Vide epistolam 11. lib. 1. Glossæ explicant per *κρότον*, & per *συγκρότησιν*.

Scutorum fragor in applausu.

12. ÆQVO CAMPO.] Nihil frequentius, quàm æqua loca pro campestribus & planis. Hæc Sallust. in Catil. Iulius, & Curtius opponunt *montibus*. Lucan. lib. 4. *Campum miles descendat in æquum.* Ibidem ita explicat: *relicto colle aciem aruis committere.* Polyb. lib. 3. loquens de Fabio detrectante pugnam, & colles semper obsidente, ait, *εἰς δὲ τὸ πεδίον οὐ καθίει τὴν δύναμιν*, *in campum nunquam copias deducebat*, id est, *in æquum*, vt etiam reddit interpres nuperus.

Æqua loca de campestrib.

13. CASTRA FOVERE.] Verbum contumeliosum, quippe feminarum fouentium liberos. De apib. 4. Georg. *nidos fouent*, cùm clausæ in latebris. Potes huic loco accommodare verba Plin. Paneg. Traiani: *Sed, vbi proximus tu, illi quidem latibulis clausi, tenebantur, nostra agmina percursare ripas.* Et illud Claud. Bell. Get. *in pecorum morem formidine clausi.* Hæc enim omnia nata ad contumeliam. Vnde Polyb. lib. 3. loquens

Fouere castra contumeliosum.

loquens de Fabio, quamuis dicat illum detrectasse pugnam cùm Annibale océtque φυγομαχοῦντα, ita tamen cauit rem hanc, vt dixerit, nunquam illum latuisse intra munimenta, ne videretur coactus metu hoc fecisse, sed semper sese ostentauisse adhærendo vestigiis Pœni. Lógo excursu hæc Polyb. vt etiam Liu. nimirum quod Plut. in Nicia, ὑποδεῖξαι τὰ ὅπλα, *ostentauisse arma.*

Huc, atque huc. 14. Hvc tvrbidvs atqve hvc.] Hom. ἔνθα, καὶ ἔνθα. & in 8. de Hercule, *huc ora ferebat, & illuc.* De lupo Stat. lib. 4. *huc, illuc turbida versans Lumina.* Est hoc, quod Tacit. 2. Ann. *terrorem circumferre.* quod Amm. lib. 21. *aduentus sui terrorem vbique* A *dispergens.*

15. Lvstrat eqvo mvros, &c.] Amm. lib. 21. *Suburbana omnia circumibat, diligenter inquirens, qua vi, vel machinis posset patefactam irrumpere ciuitatem.* De Hercule Theoc. εἰδ. 25. ὄρος ἐρεύνων. Et nota, loqui Poëtam cum respectu ad feras; nam statim adducturus comparationem lupi. Ita Iohann. Chrysost. Paneg. Luciani Martyris loquens de Tyranno, περιϊὼν ζητῶν, *circumibat quærens*, quasi fera, quæ ouilia circumit & lustrat. Ita Oppian. de leone 4. Cyn. ἀμφί τε δινεῖ. Spectatum quoque ad naturam murorum, qui in ambitum dispositi. Inde Eurip. Phœniss. τειχέων περιπτυχαί, *murorum circumuolutiones.* Lustro, de venatione.

[a] Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus, & imbres,
Nocte super media: tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille asper & improbus, ira
Sæuit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces.
[b] Haud aliter Rutulo muros, & castra tuenti
Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet:
Qua tentet ratione aditus, & qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
[c] Classem, quæ lateri castrorum adiuncta latebat,
Aggeribus septam circùm, & fluuialibus vndis,
Inuadit; sociósque incendia poscit ouantes:
Atque manum pinu flagranti feruidus implet.
[d] Tum verò incumbunt. vrget præsentia Turni.
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuêre focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commistam Vulcanus ad astra fauillam.

ARGVMENTVM.

Rem illustrat comparatione lupi quærentis aditum ad caulas ouium. talis enim Turni ardor: qui tamen, nihil cùm posset, decernit classem Troianorum exurere, vt ita clausos cogat ad exitum, auxilium classi laturos.

EXPLICATIO.

[a] Amplificat mirè Poëta rabiem lupi meditantis exitium ouibus, ex fremitu ad caulas gregis, ex perpessione ventorum & imbrium: omnia enim tolerat, vt potiatur præda, vnde postea dicitur *asper & improbus* ex hac tolerantia. Deinde adhibet causam, nam illi non fames, sed *rabies*, & hæc *collecta ex longo* tempore, atque adeò illi *fauces siccæ sanguine.* Quia videlicet hic egressus lupi ad pabulum narratur factus *nocte super media.* en cur collecta rabies ex longo tempore. Tertiò adhibetur stimulus alius; nam quo tutiores agni sub matribus, eo ille asperior, & in absentes sæuior.

[b] Ergo, Turnus lupus est, Troiani agni, caulæ muri & castra. Ille itaque instar lupi ardet irarum B plenus, cogitans secum, qua ratione congredi cum illis possit æquo campo. Notetur illud *qua via.* vbi *qua* est casus Latinus, non aduerbium, vt pessimè Grammatici: & subauditur, qua parte, vt in præcedenti, *qua ratione*; & *via* est in recto, vt sententia sit. Meditatur qua ratione, qua parte via aliqua Teucros excutiat.

[c] Subit consilium inuadendæ classis, atque exurendæ; nam hoc visum est commodius ad eliciendum hostem ex muris: erat sanè credibile Troianos classi subuenturos. Vix mens hæc Turno, cùm statim ignem poscit, & pinum arripit flammantem. Describit Poëta obiter situm, vbi classis: erat ea inter castra & fluuium in occulto loco.

C [d] Vix hæc Turnus, cùm statim omnes arreptis facibus in idem opus incumbunt, auidi ostentandi se Turno, in cuius præsentia res gerebatur. Itaque focos diripiunt ad iactandas faces: ac statim visus est aër compleri piceo quodam ac fumante lumine, fauillísque igne commistis, & ad cœlum vsque ferri omnia.

Notæ.

1. Ac velvti pleno, &c.] Comparatio hæc ducta Lupi comparatio.

ducta apparet Apollonij filo lib. 1. Arg. qui tametsi lupum non nominet, sed lupum intellexisse putandus est, vel ex Marone imitante. Versus illius sunt.

Imitatio.

——— ἠΰτε τις θὴρ
Ἄγριος, ὅν τ' ἐπὶ τε γῆρυς ἀποπρόθεν ἵκετο μήλων,
Λιμῷ δ' αἰθόμενος μεθέπει ἤϊεν, οὐδ' ἐπέκυρσε
Ποίμνησιν. πρὸ γὰρ αὐτοὶ ἐνὶ σταθμοῖσι νομῆες
Ἔλσαν. ὁ δὲ στενάχων βρέμει ἄσπετον, ὄφρα κάμῃσιν.
——— ceu quadam fera
Agrestis, ad quam è longinquo peruenit vox ouium,
Fame furens accedit, nec tamen potitur
Grege. prius enim ipsi in septa opiliones
Venerant, illa verò ingemiscens fremit, donec languescat.

Eodem pene ductu Stat. 5. Theb.
Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie grauis, hirtáque setis
Ora, cruentata deformis hiantia luna:
Decedit stabulis, huc, illuc turbida versans
Lumina.——

Neque abit comparatio Claud. in Bell. Get. etiamsi loquatur de leone:

Leonis comparatio.

——— *sic ille relinquens*
Ieiunos antro catulos, immanior exit
Hyberna sub nocte leo, tacitúsque per altas
Incedit feralis niues: stant colla pruinis
Aspera, fluentes astringit stiria setas.
Nec meminit lethi; nimbósve, aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret.——

Ouid. Eleg. 2. lib. 1. Pont.
Hic eques instructus perterrita mœnia lustrat
More lupi clausas circumeuntis oues.

Insidiator de feris.

2. Insidiatvs.] Arnob. lib. 1. *Ouilibus insidiatur lupus.* Dicit *ouili*, pro *ouibus* metonymicῶς, vt 5. Eclog. *Triste lupus stabulis.* & 4. Georg. *stabuli custos*, id est, ouium.

Fremo, ferarum est.

3. Fremit.] Quod Apollon. βρέμει. Et quidem *fremitum* Poëtæ multis dant feris, equo, lupo, leoni, aliis. Cassiod. in Psalm. 2. *Fremitus propriè ferarum est, qui insitè furentibus datus est, quando, ratione postposita, bellino furore succensi sunt.* Itaque in eo Psal. *Quare fremuerunt gentes*, locutio ducitur à feris, ita scilicet redditum Græcum ἐθρυάξαν. Opp. 3. Cyn. lupo eunti ad prædam dat πολλὸν ῥοίζον: nam fremitus ille ab stridore est.

Caula, vox Græca.

4. Cavlas.] Vox Græca addita prima littera, nam illi stabula ouium vocant αὐλάς. Inde in re rustica frequentissima sunt προαύλια. Sidon. epist. 6. lib. 1. loquens de ouibus, *antra olida caularum*. Ad hunc modum Hispani *brusco* addita prima littera; nam Latini *ruscum*.

Brusco.

Lupi quando exeant ad prædam.

5. Nocte svper media.] Præclarè; nam ex obseruatione huius feræ. Lupi enim dant se in viam ad prædandum post noctem mediam, ac penè matutino tempore, & summo diluculo: tunc enim collecta maior fames ex toto præcedente vespere. Rem hanc probat Oppian. lib. 3. Cyn. vbi inter genera luporum, vnum adducit, de quo ait:

Πολλὰ σὺν ῥοίζῳ δὲ μαλ' ὄρθιος εἶσιν ἐπ' ἄγρην
Πρῶτον ὑπ' ἀμφιλύκην.——
Multo cum stridore matutinus valdè it ad prædam
Primum sub crepusculum. ——

Lupus à luce.

Obserua verba Oppiani. Crepusculum vocat ἀμφιλύκην alludens ad etymon lupi. Hic enim dictus est à luce: nam, hac apperente, ille se dat in prædam. Nazianz. etiam Carm. 50. ita scribit.

Amphilyce quid sit.

Οἷον κιρναμένης φωτὸς πρὸς νυκτὸς μελαινάς,
Ἀμφιλύκην δ' ἄρα τήνγε σοφοὶ μίξιν καλέουσι:
Splendida lux tenebris veluti cùm iungitur atris,
Amphilyce à doctis solet hæc commistio dici.

A Præclarè itaque Pausan. Corinth. & ex more huius feræ, ἀρχομένης δὲ ἡμέρας ἐς βοῶν ἀγέλην νεμομένων πρὸ τοῦ τείχους ἐσπίπτει λύκος: *Summo mane lupus impetu fecit in gregem boum, qui ante murum pascebantur.* Inde itaque λύκην dictam *lucem*, trita iam est obseruatio Macrobij lib. 1. cap. 17. vt videantur Latini *lucem* à *lyce* deriuasse. Et præsertim lux prima dicta est λύκη ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, vnde & *lupus* λύκος, quòd prima luce eat ad prædam. Nec aliud verius etymon Apollinis Lycij, quàm à lupo, aut luce, quod idem. Firmat hoc Macrob. dicto loco, in cuius ego gratiam Sophoclem confero, qui in Electra, vbi inducit Clytæmnestram implorantem opem Apollinis Lycij, subiicit.

Lux vnde dicta.

Lycius Apollo.

Τοὺς ἐκ Διὸς γὰρ εἰκός ἐστι πάνθ' ὁρᾶν:
B *Ex Ioue enim genitos par est videre omnia.*

Quasi reddat rationem, cur Lycium inuocauerit. Iuuant hanc rem quæ de lupo Phile scripsit in Iambis istis.

ὁρᾷ δὲ μακρὰν, ὀξυδερκὴς ὢν φύσει,
Καὶ γλαυξ ἀτεχνῶς ὑπό γε νύκτα καὶ σκότος:
Acie oculorum præualens luce fruitur,
Ceu noctua, atra noctis in caligine.

Lupi acies oculorum.

Obiiciet aliquis, Maronem falsum esse, & quæ astruxi falsa; nam experimento compertum sæpe est, lupos dare se in prædam prima nocte, & statim obortis tenebris. Possunt hi pro se adducere Calab. lib. 2. vbi nulla facta distinctione temporis, tantùm ait, ὁμίχλην φίλην ὀλοοῖσι λύκοις, *caliginem esse amicam perniciosis lupis.* & Nazianz. qui nullo etiam discrimine
C ait, lupos obseruare nocturnam caliginem. Diluet hoc facilè Oppian. & satisfaciet Lectori. Commemorat ille quinque luporum genera, & secundo generi attribuit hanc naturam, non omnibus, ac proinde de hoc secundo capiendus Poëta. Hunc lupum ait Oppianus superare reliquos magnitudine, & celeritate, & propriè esse ἅρπαγα, id est, *raptorem*. vnde & 2. Æneid. *lupi raptores.* Volo in exitu obserues locum Statij lib. 5. Theb. de pari tempore, quo leæna it ad prædam.

Virgilius defenditur.

Locorum similitudo.

——— *non aliter Scythicos armenta per agros*
Hyrcanæ clausêre leæ, quas exigit ortu
Prima fames, auidique implorant vbera nati.

D Idem de leone lib. 7.
Qualis vbi primam leo manè cubilibus altis
Erexit rabiem, & sæuo speculatur ab antro
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum.

Hom. etiam. 17. Iliad. de leone abeunte iam à præda ἠῶθεν dicit.

6. Balatvm.] Non abeo ab opinione illorum, qui non agnoscunt *balatum*, sed *belatum* Sicut nec *balo, balas*, sed *belo, belas*. Nam oues *be* dicunt, non *ba*. Vnde Petr. Victorius verba Varron. 2. Rust. cap. 1. ita legit è vetustis libris: *Oues, be, clarè vocem efferentes, à quo belare dicunt.* Et Lipsium laudo, qui lib. de Recta pronuntiatione Ling. Latinæ cap. 16. ita scribit: *Quin tu litteram, R, igitur spernis, quia canum? M, quia boum? B, quia ouium? Nam irretiunt hæc animalia, mugiunt, belant.*

Balatus, an belatus dicendum.

E Ita tamen adhærendum his opinibus, vt communis scriptio damnanda non sit. Ego fateor oues *be*, dicere, à Græca syllaba, βη. Sed cur non ex Dorico idiomate, βα, vertam in βη? Sicut Græcis μήτηρ est, quæ nobis, non *meter*, sed *mater*, videlicet à Doribus, qui non μήτηρ scribunt, sed μάτηρ. Omitto vocem. Obserua, balatu ouium acui famem lupi, ea enim mens Poëtæ, quod iam præmisi in laudato Apollonij loco, & adiicio Oppianum, qui 4. Cyn. loquens de leone.

Ouium balatus acuit famem lupi.

Τοῦ δὲ πιναλέην κραδίην ἐπάταξεν ἰωή:
Illius autem famelicum cor ferit balatus.

Et Theocrit. εἰδ. 13. vbi ait leonem properare ad præ-

dam ... , cùm à longè A audit hinnulum clamantem.

Asperitas & de irato, & de sitibūdo. 7. ASPER.] Vel quia iratus; nam sequitur, *ira fæuit*: vel quia sitiens sanguinis; nam *sicca sanguine fauces*. Primum firmat Simocatta lib. 4. Hist. cap. 8. vbi asperitatem dicit in re irarum, ... *verborum minis exasperaret Tyrannum*. Alterum de asperitate in sitibundo idem Virg. qui 3. Georg. loquens de angue,

——flammantia lumina torquens
Sæuit agris, asperque siti, atque exterritus æstu.

Improbitas de pertinacia. 8. IMPROBVS.] Cape pertinaciam, qua diu expectat prædam. Ad quam rem pertinet locus Stat. libro primo Achill. vbi ait, lupum ea esse perseuerantia, vt diu toleret, & dissimulet famem. Versus sunt.

Lupi tolerantia.

——ceu fœdere iuncto
Hyberna sub nocte lupi, licèt & sua pulset
Natorúmque fames; penitùs rabiémque, minásque
Dissimulant, humilésque meant: ne nuntiet hostes
Cura canum, & trepidos moneat vigilare magistros.

De leone ait Hom. Iliad. 17. manere perseueranter totam noctem ob prædam faciendam, &, nisi apperente luce, non cedere.

Lupi sæuities. 9. SÆVIT.] Hanc sæuitiam exhibet Eurip. in Hecub. λύκε ... *cruento vngue lupi*. & Sil. lib. 7. his versib.

—ceu nocte sub atra
Munitis pastor stabulis, per ouilia clausum
Impauidus somni seruat pecus: effera sæuit,
Atque impasta truces vlulatus turba luporum
Exercet, morsúque quatit restantia claustra.

Imitatio. Disce & imitationem Virgilij, qui sententiam à Vario traxit. Hic enim ante Nostrum ita de cane loquitur:

Si veteris potuit ceruæ comprendere lustra,
Sæuit in absentem, & circum vestigia lustrans
Æthera per nitidum tenues sectatur odores.

Albert. Krantz. lib. 3. Hist. c. 13. explicaturus sæuitiam Bolislai Regis Poloniæ gregem Domini perdentis, comparat rapaci & sæuienti lupo. Philost. in Heroïc. dixit λύκε ..., *lupi impetum*, rem exaggerans, quasi nihil maius sæuitia & ira lupi. Demosthen. apud Plutarch. Alexandrum Magnum in Principum omnium fortunas sæuientem appellabat μονόλυκον, *vnicum lupum*.

Fames reddit feras efferaciores. 10. COLLECTA FATIGAT, &c.] En causa torminarum, & sæuitiæ; nam videlicet famelicus & sitiens. Causam hanc adhibuit Plaut. Capt. *Quasi lupus esuriens, metui ne in me quoque faceres impetum*. & Apollon. nam de sua fera, λιμῷ αἰθόμενος, *furens fame*. & Sil. à quo turba luporum *impasta* dicitur. & Virg. 2. Æneid.

— quos improba ventris
Exegit cæcos rabies.—

Oppian. quoque de lupo lib. 3. Cyn.

Πᾶσαν ... ἀναιδείην ... εἵνεκ' ἐδωδῆς:
Erumpit in omnem impudentiam propter cibum.

Ad quem locum, vide quæ ex Catone, Homero, Hesiodo adducit Ritershusius. Adiungo tria Homeri, quibus caret. Nam Odyss. 6. κέλεται δὲ ἡ γαστήρ: *venter imperat*. & 18. γαστὴρ ὀτρύνει κακοεργός: *venter excitat mala meditans*. Et Iliad. 17. de leone eunte ad prædam, κρειῶν ἐρατίζων: *carnium cupidus*. Ouid. Eleg. 5. lib. 1. Trist.

Vtq; rapax, stimulante fame, cupidúsque cruoris
Incustoditum captat ouile lupus.

Notentur elegantes versus Phile de luporum fame.

Λύκος φαγὼν ... ὁ λύκος,
Ἀλλ' ἀμνός, ἂν φθάσῃ ποιμένων μέσος.
Οὐ γὰρ δύναται γ' ὁ φθορεὺς ἐκπιεῖν,
Ἀλλ' ἐστὶν οἰδῶν τῇ τροφῇ τὴν γαστέρα,
Καὶ τὴν ὑπογλωττίδα τῶν παρειῶν.
Καὶ τὸν κόρον πάθη ἐν βραχεῖ χρόνῳ,
Ὁ θὴρ πάλιν δείκνυσι τὸν πρῶτον λύκον.
Pasto lupus ieiunio, non iam lupus,
Balantium sed inter erit agnus greges.
Recondat aluo namque tunc haud quidpiam,
Cum turget inflatus cibo præcordia,
Tuméntque clausa faucium repagula.
Ast, vbi breuis decoxerit pastum mora,
Ad pristinum lupus lupum reuertitur.

Luporum fames.

Hinc aptiùs Poëtam capies. Parua sanè mora famis lupum reddit famelicum, collecta autem ex longo B iam rabidū. Inde ergo *rabies*, vt etiam in 2. & de lupo Theoc. εἰδ. 4. λυσσῆν. Absolui quæ pertinent ad lupū, & Virgilium; à quo priùs quàm recedam, placitum audias versus Claud. 2. Pan. Stil. ex dictis illustrandos, nam loquens de auaritia totus hæret his, quæ de lupo dixi longo excursu. Id tu mecum iudicabis audiris versibus. Ait itaque.

Ac primùm scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Auaritiam: cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribúsque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum,
Pulsa simul.——

Auaritia à lupis.

Nónne hæc sitis, & fauces patulæ, & excubatio ante vestibula, lupi sunt omnia?

C 11. IGNESCVNT IRÆ.] Ignis in ira frequentissimus. Stat. 1. Theb. *tristes ignescunt sanguine vultus*. Plutar. in vita Lucull. ... : *flagrans iam igni hostili*. Psal. 89. ἐκκαυθήσεται ὡς πῦρ ἡ ὀργή σου: *Exardescet sicut ignis ira tua*. Tacit. 2. Ann. *incendit iras*. Stat. 4. Theb. *recalet furor*.

Ignis ad affectum iræ.

12. DOLOR OSSIBVS ARDET.] Præclarè iungit dolorem cum ira, qui affectus cognati. Tacit. lib. 1. Ann. de Germanico: *ipsi, vt erat recens dolore & ira*. & lib. 1. *Germanos ea species dolore & ira accendit*. Stat. 2. Theb. *exedere animum dolor, iraq; demens*. Arist. 2. Rhet. cap. 2. ἔστω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης: *Iam verò sit ira appetitio cum dolore coniuncta vlciscendi, quæ apparet, vltionis*. Itaque prudenter Poëta, postquam dixerat, *ignescunt iræ*, adiecit, *dolor ardet*. Nam D plerunque alter horum affectuum est languidus, nisi alter accedat. Cuius rei exemplum est in Metello apud Sallust. de quo, re quapiam malè gesta, ita ait in Iugurth. *Paulisper mœstus è conspectu abit; dein, vbi ira, & ægritudo permixta sunt, cum maxima cura vltum ire iniurias festinat*. Vide hominem paulisper tantùm mœstum: mox, admisso vtroque affectu, supra modum iratum.

Dolor & ira cognati affectus.

13. OSSIBVS.] Ad αὔξησιν. Sen. epist. 49. *fixam medullitus famem*. Sidon. epist. 5. lib. 1. *Febris, sitisque penitissimum cordis, medullarúmque secretum depopulabantur*.

Ossa ad incrementum orationis.

14. QVA TENTET RATIONE ADITVS, &c.] E Ad explicandam ardentissimam hanc Turni [illegible]tatem inhiantis Troianorum vrbi, perlustra [illegible] fortasse Soph. in Antig. vbi Eteocles induci[illegible] ... κύκλῳ vrbi Thebanorum. Aut Euripides in Phœniss.

Imitatio.

Βεβὼς ἑπτὰ προσβάσεις τεκμαίρεται
Πύργων ... ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν:
Ille septem aditus intentè considerat
Turrium, sursum ac deorsum metiens muros.

15. EXCVTIAT.] Non vtcunque pertrahat, sed cū nocumento illorum: hoc enim notat hoc verbi.

Excutio, de nocumento.

16. EFFVN

Effundere. 16. EFFVNDAT.] Nota diligentiam Poëtæ, quia effundat, ideo, *æquor*, cognatione vocabulorum. Qua diligentia caruit Stat.4. Theb. vbi, *decurrit in æquum vertice ab Ogygio*. Est verò hoc loco *effundat*, quod Tacit.1. Annal. *elicere hostem*. Etenim Turnus hac nauium vstione conatur illos ad prælium elicere; ad eum modum, quo Marius apud Sallust. *Primò mediocria gerebat, existimans Iugurthem ob suos tutandos in manus venturum*. Ita Turnus putabat Troianos in manus venturos ob tutandam classem.

Latus de innumeris. 17. LATERI CASTRORVM.] Ab homine ad innumera. Sic in exercitibus πλευρὰς dicunt Græci, quæ alij *cornua*; & *costas* nauium πλευρὰς Varro. & *ripas* fluuiorum πλευρὰς Dionys. Περιηγ.

Septa aquis. 18. SEPTAM PLVVIALIBVS VNDIS.] Tacit. 1. Annal. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium*.

Incitatio. 19. ATQVE MANV PINVM, &c.] Tale quidpiam Eurip. Phœniss. in obsidione Thebarum

——δεξιᾷ δὲ λαμπάδα
Τιτὰν Προμηθεὺς ἔφερεν, ὡς πρήσων πόλιν:
—— dextera verò facem
Gigas Prometheus ferebat, vt incensurus vrbem.

Aduerte, Turnum iam olim lib.7. admonitum à Furia in somnis, vt classem hanc exureret. Fuit & simile consilium Deriadæ ducis Indorum volentis comburere naues Bacchi. Lege Nonnum lib.39. Dionys.

Ducis præsentia stimulus militibus. 20. VRGET PRÆSENTIA TVRNI.] Huic sententiæ suus fundus. Nullo enim maiore stimulo miles rem gerit, quàm cùm pugnat coram suo duce. Ita Sil. lib.5. *præsentia sæui Exstimulat ducis*. Itaque, nec Virgilij, nec Sil. sentẽtia est, milites vrgeri, stimularíq; ab duce: sed ipsos milites acriùs incumbere, vt à suis ducibus conspiciantur. Videlicet, quod Sallust. Catil. *conspici dum tale facinus faceret, properabat*. Ammian. lib.5. loquens de Iuliano: *Verissimus testis adfuturus industriis, & ignauis*. Iterum lib.6. loquens signifer cum eodem Cæsare. *I prauius, vt faustus antesignanus & fortis, experieris quid miles sub conspectu bellicosi ductoris, testisque indiuiduus gerendorum, modò adsit supernum numen, his rebus efficiet excitatus*. Et lib.20. ait milites pugnantes sub conspectu Principis nudasse galeis capita, vt ab illo agnoscerentur, quę res multis exitio fuit; nam ita patuêre ictibus sagittariorum. Adeò auidus est miles ostentandi se suo Principi. De Traiano Plin. Paneg. *Vulnera, quibus statim laudator, & testis contigisti*. Iterum: *Felices illos, quorum fides & industria, nõ per internuntios, & interpretes, sed ab ipso te; nec auribus tuis, sed oculis probantur*. Annibal se ipse laudat apud Liu. lib. 21. quòd fuerit suorum militum *virtutis spectator ac testis*. Hector apud Hom.17. Iliad. vult vt Glaucus Lycius adsit sibi in bello, vt inspector sit, & iudex virtutis suæ. Reprehenderat quippe Glaucus Hectorem ignauiæ. Titus Imperator apud Iosephum lib.7. Bell. cap.3. in locum certum abit futurus αὐτόπτης, καὶ μάρτυς ἁπάντων, *inspector, & testis omnium*. & reddit rationem, ὁ καὶ τὸ κολάζειν καὶ τὸ τιμᾶν κύριος, vt qui *dominus vel ad puniendum, vel ad remunerandum*. & postea subiicit, acriter Romanos dimicasse, ὡς ἐφορῶντος Τίτου, *inspectore scilicet Tito*. Plutarch. in vita Luculli dicit, præsentiam ducis in periculis magni esse momenti, ὁλίκον ἐστὶν ἐν ἀγῶνι καὶ ἐν κινδύνῳ παρουσία καὶ ὄψις ἡγεμόνος ἐμφρονος. Huc pertinent illa Nonni lib. 22.

Θρασαλέοι δ' ἤϊξαντο παλίσσυτοι εἰς μόθον ἀνδρες,
Αἰδόμενοι βασιλῆι φανήμεναι ἄνευθε νίκης:
Audaces verò rursum ad conflictum redibant,
Verentes Regi apparere absque victoria.

Nec non illa Claud. 4. Honor. vbi, inter præcepta, quibus iuuenis communitur à patre sene, & bellandi perito, tum hoc,

——*tum promptiùs ibunt*
Te socio, tum conspicuus, gratusque feretur
Sub te teste labor. —

Notetur & sententia Calabri lib.12.

——πολὺ λώϊον ἄνδρες
Ἔργῳ ἐποίχονται ὅτ' εἰσορόωσιν ἄνακτας:
——*longè meliùs viri*
In opus incumbunt, cùm Reges in conspectu habent.

21. ATQVE OMNIS FACIBVS PVBES, &c.] Ad exemplum scilicet Turni ducis. Orestès aggressurus cædem Clytæmnestræ apud Soph. Elect. ita loquitur cum suo pædagogo, — Ducis exemplum.

Ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, κἀυτὸς ἐν πρώτοις ἴτης:
Nos incitas, atque ipse primus rem aggrederis.

22. ACCINGITVR.] Explicat hoc verbo expeditum militem; de quo alibi.

23. PICEVM, &c.] Ex pice, fumo, fauillis, lumine, egregiam exhibet descriptionem excitati incendij: quod necessarium in terreno igne, cui opponetur πῦρ ἀκήρατον, vt canit Calab. lib.4. id est, *incorruptus, purus ignis*; quod explico, sine fumo aliquo. Hinc est, vt sæpe cum ingenti ignis fulgore adiungatur atricies: nã ita terrenus ignis explicatur. Sic Auctor Theb. *igne flagrãtes trabes fumare*. De incẽdio loquens Soph. in Antig. πευκάεντ' Ἥφαιστον, *piceum Vulcanum*. Stat.4. Theb. *lampade nigra*. Cyrill. quoque in Nahum coniunxit, ἐκκάυσειν ἐν καπνῷ, *succensurus fumo*. Valer. lib. 3. Arg. *piceo comitem miserata refulsit Luna polo*. vbi, *fulgor*, & *pix*. Eurip. Troadib. πυρὸς μέλαιναν αἴγλαν, *ignis atrum splendorem*. Horat. Od.11. lib. 4. *nigrorum ignium*. Sic itaque Virg. *piceum lumen*. Lusit in hac re egregiè Aristoph. Vesp. vbi describens propudiosam meretriculam, vocat *lampadem* λαμπάδα: nam sic olim vocabantur scortilla. Sic Apul. suam illam φωτίδα, *Fotida*, à luce: sic Lucret. — Ignis terrenus. — Scorta multa à luce.

At flagrans odiosa loquacula, lampadion fit. — Lampas de scorto.

Ergo Aristoph. vocans meretricem *lampada*, dat illi, τὸ μέλαν, *nigrum quiddam*. & statim; — Lampadion, Fotis.

Ἡ πίττα δ' ὑπὸ καομένης ἐξέρχεται:
Pix liquescit ab ea exusta.

Quod profectò traxit à fumante luce, & piceo fulgore, & nigrore splendente.

24. VVLCANVS.] Reprehendit has locutiones Plutarch. lib. de Isid. & Osid. non enim vult, vt Deorum nomina attribuãtur rebus ἀναισθήτοις, καὶ ἀψύχοις, καὶ φθειρομέναις, *sensu carentibus, inanimis, pereuntibus*. Atque ab his, qui hæc dicunt, induci δεινὰς καὶ ἀθέους δόξας, *opiniones pessimas, & impias*. Ratio Plut. est, quia, cùm Dij subiecti non sint manibus hominum, res verò istæ pereant vsu mortalium, indignum est, res perituras affici nominibus immortalium Deorum. Sed Poëtis tamen nihil tritius, qui Cererem sumunt pro pane, Bacchum pro vino, Vulcanum pro igne. Sed de hac re iam in Georg. & in loco alio explicui Virgilium, qui his nominibus nunquam abutitur, vt alij Poëtæ, sed semper cum dignitate ad signandum incrementum rerum. — Deorũ nomine mortalia non nuncupãda.

ᵃ Quis Deus ô Musæ tam sæua incendia Teucris
Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?

Dicite, prisca fides facto, sed fama perennis.
[b] Tempore quo primùm Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, & pelagi petere alta parabat:
Ipsa Deûm fertur genitrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Iouem. [c] Da nate petenti,
Quod tua chara parens, domito, te poscit, Olympo.
[d] Pinea sylua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit summa, quò sacra ferebant,
Nigranti picea, trabibúsque obscurus acernis.
[e] Has ego Dardanio iuueni, cùm classis egeret,
Læta dedi: nunc sollicitam timor anxius vrget.
[f] Solue metus, atque hæc precibus sine posse parentem:
Neu cursu quassatæ vllo, neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.

A

ARGVMENTVM.

Aggreditur narrare, vti naues ereptæ fuerint ab incendio Turni, repetitque rem à primo exorsu nauigationis Æneæ, qui cùm ligna fabricandæ classi secuisset ab luco Cybeles, ea ab Ioue tum petiit, ne vnquam naues illæ perirent.

EXPLICATIO.

[a] VVLT, vt Musæ sibi suggerant, vti naues effugerint paratum iam incendium, & quo annuente id factum numine. Nam, vbi prisca est fides, tametsi fama semper perennet, necessarius est Musarum fauor, ne aberret narratio.

[b] Initium narrationis sumitur ab initio nauigationis Æneæ, qui sectis in Ida lignis ad compingendam classem, hísque ex pineto sacro Cybelæ, Dea ipsa Iouem adiit supplicabunda pro materia sibi sacra. Sunt enim pinus in tutela Cybeles. B

[c] Colligit beneuolentiam initio sermonis, primùm illis, *da nate, quod petit, quod poscit parens chara.* Deinde efficaciùs illis, *domito Olympo.* Quid enim non consequaris ab illo, cuius laudes grandes prædicas? quid verò grandius victo cœlo?

[d] Sequitur narratio Cybeles, cui sacer fuit in monte Ida lucus abundans pinis, & occulta quadam caligine inumbratus, quę semper veteribus religiosa fuit. In eo autem honore erat is lucus, vt Phryges ad eum sacra sua conferrent.

[e] Addit, se has pinus Æneæ contribuisse ad fabricandam classem in fuga, & lætam quidem, cùm tamen nunc eam lætitiam timor nouus inuadat, qui se sollicitam reddat. C

[f] Hunc mihi metum eripe, possit hoc apud te parens, nam quod isto maius vinculum? Fac, ne intereant cursu vllo victæ, vento vllo profligatæ. Nónne illis prodesse debet, natas esse in meis montibus? imò in tuis quoque; ideo *nostris.* Quasi montes omnes sacri Cybelæ, sacri quoque fuerint Ioui.

NOTÆ.

Imitatio.

1. QVIS DEVS, &c.] Hi duo versus facti à totidem Homericis. 17. Iliad. etiamsi diuersa sententia.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι,
Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν Ἀχαιῶν.
Dicite nunc mihi Musæ cælestes domos habentes,
Vt primùm igne correpta fuerint naues Græcorum.

2. FACTO, SED FAMA.] Factum, & famam opponit, ad eum modum, quo Soph. Elect. λόγον, & ἔργον, apud quem ita Orestes, — Oppositio.

Τί γάρ με λυπεῖ τοῦθ᾽, ὅταν λόγῳ θανὼν,
Ἔργοισι σώζω; ———
Quid enim mihi incommodi, si fama sim mortuus,
Facto autem viuam? ———

3. FAMA PERENNIS.] Vt quæ à Musis deriuari debeat, & ortum duxerit à Cybele Deorum matre. Apud veteres enim *perennitas* dicebatur de rebus sacris, & rebus Deorum. Sic *perennia fluuiorum* de genere quodam ominis: nam fluuij culti, vt Dij. Adducam verba Prosperi reprehendentis Prædict. 7. eos, qui vocarent Imperatores *perennes*: nam hic honor, & vox vltra mortales est. Ait ille. *Æterna cùm dicitur, quæ temporalis est vtique, est nomen blasphemiæ, cùm mortales, licèt Reges, in ea dicantur Diui, eísque supplices dicant: Numini vestro, altaribus vestris, perennitati vestræ.* Sic & Græcis ἀέναον de re diuina dictum alij adnotarunt. Vt enim Latinis *perenne* ab aquis dicitur, ita & Græcis quoque ἀέναον ab aquis. Herod. in Thal. ἀέναος ποταμός. Hinc est, vt aliqui non *perenne* scribant ab anno, sed *peremne* ab amne; inde & *peremnia fluuiorum.* — Perennitas de rebus sacris. Perennia fluuiorum.

4. TEMPORE QVO, &c.] Respectum ad illud lib. 3.

——— classémque sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ.

5. FORMABAT.] Ita Hom. 4. Odyss. ἀρμόζετο σχεδίην, *nauem forma.* Obuium ποιήσασθαι νηῦν, &, πεποιημέναι νῆες. — Formo, de nauibus.

6. PELAGI PETERE ALTA.] Locutio trita. Ita in 8. *pelagi extrema.* & 1. Georg. *freta ponti.* Symm. lib. 1. epist. 11. *rerum subita.* & epist. 16. *prospera nuntiorum.* Sidon. epist. 5. lib. 1. *amœna fontium, abstrusa puteorum.* Tacit. sæpissimè, vt cùm ait: *honorum noua, inculta montium, castrorum sincerum, obstantia syluarum.* & signatè, *alta pelagi:* quia *altum* non nisi in *pelago.* Inde *pelagij pisces* oppositi *littoralibus.* — Alta pelagi.

7. IPSA DEVM GENITRIX, &c.] Scribit Seru. totum hoc figmentum sugillatum à Criticis, vt quod exemplis careat. Cui rectè opponit Germanus, maiore figmento vsum Apollonium in sua naue, — Virgilius defenditur.

quam

Nauium narrationes prodigiosæ. quam non solùm facit vocalem; sed etiam vaticinantem vectoribus. Eadem ratione Lilius Poëtam defendit lib. 7. de Nauigiis, adiungítque alia plena prodigiis. Phæacum naues apud Hom. nullis instrumentis indigebant, doctæ ipsæ locorum, ad quæ debuissent appellere. Alcinous dat nauem Vlyssi, quæ mutata est in scopulum à Neptuno. Vbi illorum mens, qui dicunt, Virgilium caruisse exemplo in hac transformatione? Alterius nauis conuersæ in lapidem Athen. meminit. Narrationi Homericæ de nauibus se ipsis doctis par illa Sen. Rhet. Cont. 16. apud quem, nauem exarmatam, sine velis, & remige, tamen illam *diuinitas armat, subitò visa sunt vela, subitò nauis cœpit & regere se, & attollere.* Quid, quæ de Sipylo fabulantur Poëtæ, & fusim vnus Calaber libro primo?

Berecynthia. 8. BERECYNTHIA.] Ita quoque dicta Cybele lib. 6. Æneid. & ab Ouid. 4. Fast. & ab Horat. lib. 3. Od. 19. & ab centenis. Vnde illi nomen hoc contigerit lege in Lil. 4. Synt. Plausum, quo hæc Dea Romæ accepta fuerit, cùm primùm coli in Italia cœpit, vide apud Herodian. lib. 1. Eius verò mythologicas significationes satis fusè Lucret. lib. 2.

Locorum similitudo. 9. DA NATE PETENTI, &c.] Simile illud Nonni lib. 31. Dionys. δὸς χάριν ἀχνυμένῃ σῇ μητέρι: *Da gratiam* (hanc) *dolenti tuæ matri.* Hic ego expendo maiestatem, qua Cybele ad Iouem, etiamsi supplicabunda, in quo sæpissimè Hom. peccat, qui nullo decoro supplicantes Deos inducit: & vix est in eo vlla pagina, quæ non plena hoc peccato. *Homeri vitium.* Aliter Latinus Vates: & decentissimè Lucan. lib. 4. in duce supplicabundo,

Victoris stetit ante pedes, seruata precanti
Maiestas, non fracta malis, intérque priorem
Fortunam, casúsque nouos, gerit omnia victi,
Sed ducis, & veniam securo pectore poscit.

Victores indulgentissimi. 10. DOMITO TE POSCIT OLYMPO.] Læta est omnis victoria (quid non cœlestis?) & parata omni concessionum generi. Annibal apud Polyb. lib. 3. suis militibus, expugnata iam Sagunto, σώματα διένειμε, *captiuos diuisit*, nullum sibi reseruans: adeò læta est victoria. Par liberalitas in Mario apud Sallust. qui *omnia ibi capta militibus donat*, id est, capta in agro quodam fertili, & onusto præda. Reges victores dicuntur à Calab. lib. 1. ἀγαλλόμενοι περὶ νίκης, *lætabundi victoria.* Orestes apud Soph. Elect. ait, post victoriam partam gaudendum, & ridendum, χαίρειν, καὶ γελᾶν. Præclarè ergo Berecynthia Iouem precatura, adducit illi in memoriam victoriam cœli; quid non illa consequatur?

Pinus Cybeles. 11. PINEA SYLVA.] Pinus quippe sacra fuit huic Deæ Sen. Troad. *pinus matri sacra Cybeli.* Rationem habet Ouid. lib. 10. Metamorph.

Et succincta comas, hirsutáque vertice pinus.
Grata Deûm matri: siquidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncóque indurait illo.

12. LVCVS.] Syntaxis huius, *pinea sylua, lucus,* similis est illi, *raucæ, tua cura, palumbes.* & illi;

Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ.

13. IN ARCE SVMMA.] Gargara intelligit Seru. quæ in summa parte Idæ montis, & ita dicta quasi κάρα κρατός, quasi dicas, *caput capitis*, aut, *altitudo altitudinis.* nam κάρα est etiam κεφαλή. Eodem loci Auctor Theb. posuit Gargara cùm scripsit, *Gargara, pars summa Idæ.*

Hinc grata Cereri Gargara, & diues solum,
Quod Xanthus ambit niuibus Idæis tumens.

14. QVO SACRA FEREBANT.] Nullum aliud hoc sacrum, quod ferebatur in lucum, quàm ipsamet pinus, præeunte ad hanc coniecturam Arnobio lib. 5. vbi ait: *Pinus illa solemniter, quæ in matris infertur sacrum Deæ, nónne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum demessis genitalibus abstulit?* Iterum: *Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in Deûm matris intromittitis sanctuarium?* *Pinus prælata in sacris Cybeles.* Possis etiam intelligere sacra alia, videlicet velamina, quibus in sacris pinus coronabatur, de quibus idem Arnob. qui hanc historiam, potiùs fabulam, latè: *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis, & circumuolutus stipitem?* *Lanæ in sacris Cybeles.* *Nónne illarum repetitio lanarum est, quibus iam deficientem* (Attin) *contexit* (Cybele) *& teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus?*

15. NIGRANTIS.] Expressissimè; vt etiam *obscurus.* Nam tota lucorum religio posita in tenebris, & horrore syluarum: intra illam enim caliginem credebantur habitare Numina. *Nigredo ad religionem.* Et luci quidem dicti à lucernis, quæ eò ad res sacras adferebantur. *Luci vnde dicti.* Apage enim quæ de antiphrasi Grammatici.

16. IVVENI.] Explico, heroï, iuxta ea, quæ iam à me locis aliis. *Iuuenis, id est, Heros.*

17. SOLLICITAM TIMOR ANXIVS VRGET.] Hæc scilicet vis timoris. *Timor reddit solicitos.* De timente Sen. Cont. 16. *Sollicitus pendeat, nihil speret, timeat omnia.* Tacit. 1. Ann. *Pauidos intrat metus.* Creon apud Soph. Antig. ita loquitur cum timente homine. τί δ᾽ ἐστίν, ἀνθ᾽ οὗ τήνδ᾽ ἔχεις ἀθυμίαν; *Quid est, de quo adeò sollicitus es?*

18. SOLVE METVS.] Ita in 1. *Soluite corde metum Teucri.* Soph. Elect. ἀπαλλάχθαι φόβου. *Solui metu.* Sen. de Tranquill. c. 15. *cura solu mur.* Græci quoque ad rem eandem κατάλυσιν, id est, *solutionem.* Eam enim vocem vsurpat Nazianz. Orat. 3. cùm ait, Christianos Iuliani morte, liberatos fuisse metu.

19. ATQVE HOC PRECIBVS SINE POSSE PARENTEM.] *Locorum similitudo.* Ita Iocasta apud Auctorem Thebaïdos deprecabunda ad filium: *media se opponit parens.* & iterum: *Donate matri pacem;* loquitur cum liberis.

20. QVASSATÆ.] Ita in 1. *quassatam classem.* *Quassatæ naues.* Quod Sen. Cont. 16. *resolutis compagibus.*

21. VINCANTVR.] Ita in 1. *vicit hyems.*

22. PROSIT NOSTRIS IN MONTIBVS ORTAS.] Nihil maiore pertinacia defendebant Dij Gentium, quàm lucos suos. Plenæ his rebus fabulæ.

[a] Filius huic contrà, torquet qui sydera mundi.
O genitrix, quò fata vocas? aut quid petis istis?
[b] Mortalíne manu factæ immortale carinæ
Ius habeant? certúsque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta Deo permissa potestas?
[c] Imò, vbi defunctæ finem, portúsque tenebunt
Ausonios, olim quæcunque euaserit vndis,
Dardaniúmque ducem Laurentia vexerit arua,

Mortalem eripiam formam, magníque iubebo
Æquoris esse Deas: qualis Nereïa Doto,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
[d] Dixérat, idq; ratum Stygij per flumina fratris,
Per pice torrentes, atráque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

ARGVMENTVM.

Respondet Iuppiter matri, daturum se immortalitatem, non omnibus nauibus, illis tantùm, quæ Æneam ad Italiam perduxerint, mutatis in formas Nympharum.

EXPLICATIO.

[a] VIDE maiestatem loquentis Iouis. Quid enim grandius, quàm torqueri ab illo cœlum, & astra? Quid verò ad matrem? Ait, fata vocari non posse, quò quisque velit. Nam esse debent firma, & fixa; & quæ nec ad preces matris queant mutari. *Quid petis istis?* est, quid petis istis nauibus? vel, quid tu istis precibus?

B [b] Sequitur prima ratio, cur non possit annuere omnia, etiam matri. Nam mortalia quæ sunt, habere ius immortalitatis non possunt. Altera. Non est fas, Æneam inter incerta pericula, qualia sunt maris, certum esse, & securum sui; nam hoc, quid est aliud, quàm esse Deum? hoc autem cui Deorum concessum est? cui permissum? Et noto duplicem hanc rationem opponi duplici petitioni Cybeles. Primò petierat, ne pereant meæ naues nauigationis cursu: respondet Iuppiter, peti hoc non debet; nam mortales sunt, & factæ mortali manu, non itaque assurgant ad ius diuinitatis. Petiuerat secundò, ne pereant tempestate: respondet Iuppiter, esset hoc Æneam Deum fieri; nam Dij certi, & securi sunt calamitatis maritimæ & tempestatis.

C [c] Aliquid tamen tibi concedam (inquit Iuppiter.) Quæ cursu suo defunctæ fuerint vsque ad Italiam, quæ tempestates vicerint, & ita incolumem pertulerint Æneam ad finem nauigationis, his auferam formam mortalem, vt, ea ablata, consequi possint immortalitatem, atque ita iubebo, Deæ vt sint maris, vt Doto est, vt Galatea est. Hîc quoque obserua, loqui Poëtam consentaneè cum respectu ad duo illa, quæ petiuerat Cybele. Dixerat illa, ne pereant cursu, ne pereant tempestate. Ait Iuppiter, neutrum do: sed si forte aliquæ nec cursu, nec tempestate perierint, illæ Deæ erunt mutata forma. Cursum notat illis, *vbi defunctæ tenebunt finem, portúsque Ausonios*: tempestatem illis, *quæcunque euaserit vndis*. Hæc est certissimè mens Virgilij: & nulla res magis curanda, quàm rationum illius connexio.

D [d] Hæc cùm dixisset Iuppiter, iuramento rem firmauit, quo Dij vtuntur, nempe per Stygiam paludem, & flumina, quibus præest frater Pluto: ac tùm ad Iouis annutum, & capitis commotionem cœlum totum visum est tremere.

NOTÆ.

1. TORQVET.] Ita in 4. *cœlum ac terras qui numine torquet*. Statius octauo Thebaid.

Torquet, & astriferos inclinat Iuppiter axes.

Torqueo, verbũ iouis.

2. SYDERA MVNDI.] Id est, cœli. Etenim *mundum* sumi non tantùm pro toto hoc composito, sed pro eius partibus, certum. Sen. in Fur. pro cœlo clarè eo versu,

Mundus pro cœlo.

Mundus puellæ serta Cnosiacæ gerit.

Idem pro inferno in eadem Tragœdia, *& nigro sedet Nox atra mundo.* Adi, quæ ex Græcis attuli Eclog. 3. ad illud,

Tres pateat cœli spatium, non amplius, vlnas.

3. CERTVS INCERTA.] Ita etiam opponit Auctor Theb. *præmium incertum petis, certum scelus*. Et Vitruu. præfat. lib. 7. *De incerta re certæ imagines*. Exempla pluria coniunxit Iohann. Sauar.

Certus incerta.

4. DEFVNCTÆ.] Par locus lib. 6.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

5. TENEBVNT.] Esse verbum nauticum Seru. monet.

Teneo, verbum nauticum.

6. MORTALEM ERIPIAM FORMAM.] Est hoc, quod Prop. Eleg. 33. lib. 2. *agrestem detraxit ab ore figuram.*

7. MAGNI ÆQVORIS.] Intelligit Mediterraneum; cuius rei trita iam est multorum obseruatio auctorum, etiam veterum, qui non Oceanum, sed Mediterraneum vocant *mare magnum*. Non, quòd non maior Oceanus, sed quia antiquis non ita notus. Ad hunc modum mare rubrum dici *suph* Hebræis, id est, *vltimum*, certissimum est: non quia verè mare illud vltimum, nam sinus Persicus maiore merito posset vocari vltimus; sed quia rubrum notius Hebræis.

Magnum mare de Mediterraneo. Rubrũ mare dictum vltimum.

8. NEREIA.] Forma alia Calab. lib. 4. Νηρηΐνη de Thetide, ad eum modum, quo Catull. *Neptunine*.

9. DOTO.] Ita legendum, non Clotho: nam & Valer. lib. 1. Arg. *Hanc Panope, Dotóque soror*. Et Claud. de Nuptiis Honorij, *vellitque coralia Doto*. In quibus etiam pessimè aliquando legebatur *Clotho*. Doto enim nomen Nympharum, Clotho Parcarum est; vt etiam astrui ex Homero potest decimooctauo Iliad.

Doto Nympha. Lectio Virgiliana.

Δωτώ τε, Πρωτώ τε, Φέρουσά τε, Δυναμένη τε:

Dotóque, Protóque, Pherusáque, Dynamenéque

Multos quippe errores in Auctores irrepsisse ex hac litterarum vicinitate, adnotatum iam Leopardo lib. 10. Emendat. cap. 25. Parum enim distant *cl* & *d*. Ita pro, *Telecles Teledem*, apud Diodorum: pro, *Androcles*, *Androdum*, apud Agell. Quid, quòd Maro *Nereïam* vocat; cùm verò Hesiod. quinquaginta numeret Nerei filias, nulla est ibi Clotho, cùm sit Doto. Nec nomen Parcæ iungendum erat (ait Eryth.) formosissimæ Galateæ,

10. ET GALATEA.] Sic & Homerus vtramque Nympham coniunxit, vt & Valerius loco laudato,

Huc Panope, Dotóque soror, lætáque fluctu
Prosequitur mediis pariter Galatea lacertis
Antra petens ———

11. STY

Stygis iuramentum.

11. STYGII PER FLVMINA FRATRIS.] Senec. Thyest.

—diræ Stygis
Deformis vndæ quæ facit cœlo fidem.

Et in Furente. *Hunc* (laticem Stygium) *iurant Dei.* Sed hoc est otio abuti.

de aquis infernis.

12. PER PICE TORRENTES.] Elegantissimè *pix* de infernis aquis. Claudianus 1. Ruff. loquens de Furia,

—Phlegethonta sonorum
Poscit, & ambusto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo succendit gurgite pinum.

Sed obsecro, quem non teneat nausea aliorùm Poëtarum, qui locuti de Styge, audito Virgiliano versu? Nam quid hoc grandius?

Per pice torrentes, atráque voragine ripas.

13. ANNVIT. Hom. 2. Iliad. κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα: *Annuisse potentissimum Saturnium.* Annuo Deorum.

14. NVTV TREMEFECIT OLYMPVM.] De Ioue Horat. Od. 1. lib. 3. *Cuncta supercilio mouentis.* Hom. 1. Iliad. post Iouis annutum, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Catull. de Nupt. Pel. Nutus Iouis.

Annuit inuicto cœlestum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sydera mundus.

His magistris Ouid. 1. Metamorph.

Terrificam capitis concussit térque, quatérque
Cæsariem, cum qua terram, mare, sydera mouit.

[a] Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant, cùm Turni iniuria matrem
Admonuit sacris trabibus depellere tædas.
[b] Hîc primùm noua lux oculis effulsit, & ingens
Visus ab aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæíque chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum, Rutulorúmque agmina complet.
[c] Ne trepidate meas Teucri defendere naues,
Néve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quàm sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ,
Ite Deæ pelagi; genitrix iubet. [d] & sua quæque
Continuò puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinúmque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. hinc virgineæ (mirabile monstrum)
Reddunt se totidem facies, pontóque feruntur,
Quot priùs æratæ steterant ad littora proræ.

ARGVMENTVM.

Naues transformantur in Nymphas ad iussum Cybeles, transcurrente priùs aërem nimbo, qui tanti prodigij indicium.

EXPLICATIO.

[a] CVM vellet iam Turnus sæuire in naues, & sacras matris Deorum pinus exurere, admonita est Cybele de hac ipsa iniuria, voluítque depellere à nauibus abominandos ignes, cùm præsertim adesset iam dies promissa, & Parcæ debita tempora complessent. Dicit, *dies promissa*, & *debita tempora*, quia iam naues Æneam ad Italiam perduxerant saluum & incolumem, quod tempus Iuppiter illis transformandis præscripserat.

[b] Ante ipsam transformationem visa in cœlo lux est, & nimbus, in quo inclusi Dij: hic verò ab aurora aërem transcurrit. Deinde ex nimbo illo diuina quædam vox audita à Troianis, & Rutulis.

[c] Admonet primùm vox ea Troianos, ne festinent ad nauium suarum defensionem; nam priùs Turnus maria, quàm naues exuret. Deinde naues vox eadem hortatur, vt se funibus, quibus ligatæ erant, exsoluant, futuræ deinceps Deæ pelagi. Idque ad imperium iubentis Cybeles.

[d] Hactenus vox è nube: ac statim nauium omnium puppes (hæc enim pars ligatur) abrumpunt vincula, atque in ima maria demergunt rostra, quæ sunt in proris, ad eum modum, quo possent Delphines; ac tum totidem in mari Nymphæ apparent, quot naues in littore fuerant.

NOTÆ.

1. ADERAT PROMISSA DIES.] Illustrat hoc Germ. ex Hom. Odyss. 9. qui μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο. &, περιτελλομένου ἔτεος. &, ἐπήλυθον ὧραι. & Iliad. 17. αἰὼν ἔπλετο.

2. TEMPORA PARCÆ DEBITA COMPLERANT.] Videtur idem esse hoc, quod Æschyl. χοηφ. dixit μοιρόκραντον ἦμαρ. Et lib. 3. Epig. τὴν μαῖ' ἀναπλήσας ὑπομοίριαν. Plato in Epinom. μοίρας ἀναπλήσει. Compleo, de tempore.

3. TVRNI INIVRIA.] Accipit Seru. in proprio significato, pro in iustitia, ἀντὶ τοῦ ἀδικήματος. Nam bellum commotum est ab Turno contra rationem fœderis initi iam ab Latino, & Ænea. Iniuria, id est, iniustitia.

4. DEPELLERE.] Pari verbo sup. *ratibus quis depulit ignes?* Auctor Thebaidos, *nefandas mœnibus patriis faces auerte.*

Nimbus Deorum.

5. NIMBVS.] Seruij interpretamentum est, *nimbum* in sermone Deorum fuisse splendorem instar luminosæ nubis, quo Deorum capita amiciebantur, cùm apparerent mortalibus. Itaque chori Idæi putantur inclusi fuisse in hac luce. Hic enim ait: *Nimbus, lumen quod capita Deorum ambit.* Inde 2. Æneid. de Pallade, *nimbo effulgens*, interpretatur, *nube diuina, est enim fulgidum lumen, quod Deorum capita tinguit.* Eodem lib. ad illud, *multa cum luce cucurrit*, ait, *nimbum descendentis numinis.* Eadem fermè lib. 3. ad illud,

Et Lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Fuit itaque è maiestate Deorum, vt ita apparerent mortalibus. Inde & Iuno in 10.

——cœlo se protinus alto

Misit, agens hyemem nimbo succincta per auras.

B Ita explico Calabrum lib. 4. vbi de Thetide apparente Græcis ita loquitur.

Καὶ τότ' ἄρ' ἐκ πόντοιο κίεν Πηλῆος ἄκοιτις,

Αὔρῃ ὑπ' ἠοίῃ ἐναλίγκιος. ——

Et tunc ex ponto se extulit vxor Pelei,

Auræ matutinæ similis. ——

Itaque Græci viderunt tunc non tam Thetidem, quàm nebulam fulgidam, vbi illa inclusa.

Chori Cybeles.

6. IDÆIQVE CHORI.] Lucret. lib. 2. vocat *Phrygias cateruas*, quæ in comitatu huius Deæ. De illis Prop. Eleg. 17. lib. 3.

Vertice turrigero iuxtà Dea magna Cybelle

Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.

C Et Eleg. 7. lib. 4.

Quà numerosa fides, quàque æra rotunda Cybelles,

Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Itaque in eo nimbo fuit & Dea Cybele, & chori Idæi, id est, Phrygij comites: fuit enim Ida in Phrygia.

Vox horrenda.

7. VOX HORRENDA.] Quod hîc *vox horrenda*, scriptores sæpe, *humanâ maior.* Clamantes hunc in modum Græci vocant μεγαλοφωνοτάτους, qua voce vsus Nazianz. Orat. 3. Ita videlicet delusi Gentiles. Putabant enim quid diuinum inesse in voce dæmonum. De Cæcinna Tacit. 1. Ann. *Quinctilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum cernere, & audire visus est velut vocantem.* Voces Geniorum auditas à Bruto, & Iuliano narrant Plutarchus de illo, de hoc D Ammian. lib. 20. & de Constantio Imperat. idem lib. 21. De his vocibus iam ego lib. 1. Georg.

Trepido, pro, festino.

8. NE TREPIDATE.] Ne festinate. Sic omnes interpretes, & cum illis Mellerus in Spicileg. firmátque multis. Ita verè est, si adiungas *festinantiam cum metu*; nam hoc est *trepido.* Neque aliud voluit Varro loquens de apibus: *Si intus bombum faciant, ac foris trepident.* & de iisdem Virg. 4. Georg. *Tum trepidæ inter se coëunt.* Quibus indicatur & festinantia, & metus. Sunt qui putent, hoc verbum habere propriè sedem in equis. Nam Cato, *sedere non potest in equo trepidante.* Lege Seru. in 4. Æneid. & Pont. in hunc locum. Ceterùm Poëtæ Musam imitatur Stat. lib. 4. Theb.

Trepido, de equis.

——certa est victoria Thebis,

E *Ne trepida, nec Regna ferox germanus habebit.*

Locorum similitudo.

9. NEVE ARMATE MANVS.] Non aliter iuuenis Drusus apud Tacit. 1. Ann. *Quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus.* Ita detrectationem pugnæ in religionem vertit Poëta. Nulla re poterat commodiùs excusari hæc Troianorum inertia; nam in hanc vertebat Turnus illorum cautum.

Impossibilia adagialia sunt.

10. MARIA ANTE EXVRERE TVRNO.] ἀδύνατα cognationem habere cum Prouerbiis Collector Adagiorum monuit Chil. 4. Cent. 5. c. 53. Tale il-

A lud Græcorum de re impossibili, θάλασσαν ἀντλεῖν: *mare haurire.* Tale & illud Prop. Eleg. 32. lib. 2.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos.

Non abit Horat. Od. 29. lib. 1.

——quis neget arduis

Pronos relabi posse riuos

Montibus, & Tyberim reuerti?

Tale & illud lib. 2. Epig.

Θᾶττον πείσει μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ,

Ἢ σύ τι ποιήσεις, σκορπίε, σὸν, ἀγαθόν.

Lac dabit ante culex, aut mel scarabæus habebit,

Scorpie, quàm dignum laude patrabis opus.

Pinus pro nauibus.

11. SACRAS PINVS.] Sic suprà, *sacris ratibus.* Et vnas quidem *pinus* signatè pro nauibus sumi, & κατ' ἐξοχὴν, iam ego alibi. Hîc adiungo Artem. lib. 2. B Onirocr. cap. 25. Πίτυς δὲ καὶ στρόβιλοι ναυκλήροις μὲν, καὶ πᾶσι τοῖς ναυτιλλομένοις πρὸς τὰς ναῦς εἰσὶ λυσιτελεῖς, διὰ τὴν κατασκευὴν τῶν νεῶν: *Pinus & strobili naucleris, & omnibus nauigantibus ad naues referenda sunt propter nauium structuram.*

12. VOS ITE SOLVTÆ, &c.] Lege Ouid. 14. Metamorph. vbi de hac nauium transformatione bellè, vt solet.

13. DEÆ PELAGI.] Ita in 10.

Et dedit esse Deas, æuúmque agitare sub vndis.

Suprà: *magnique iubebo Æquoris esse Deas.*

Iubeo, in imperio.

14. GENITRIX IVBET.] Forma hæc solita in imperio. Soph. Antig. ὅτ' ἂν κελεύσαιμι. Iuppiter suprà, *iubebo.* Tacit. 1. Ann. de duce: *prouurbare hostem iu-* C *bet.* & de Principe: *occidi Coryn iubet.*

Locorum similitudo.

15. DELPHINVMQVE MODO.] Alia fuit comparatio Apollonij de Nereïdibus lib. 4.

Αἱ μὲν κατὰ βένθος ἁλίγκιαι αἰθυίῃσι δῦνον:

Illæ autem profunditatem subierunt mergis similes.

Ita omnes explicant αἰθυίαν. Ego fulicam capio; coniecturas iam attuli lib. 1. Georg.

Rostratæ naues æratæ.

16. ÆRATÆ.] Præclarè, qui suprà *rostris* dixerat, etiamsi cum allusione ad Delphinas, nunc *æratas* dicit: nam *rostratæ* & *æratæ* naues eædem; quod iam Bayf. astruxit. Quas enim Liu. *rostratas*, Iulius *æratas* dicit. Præterea hæ naues χαλκέμβολοι Græcis dicuntur ab ære in rostris. Cùm verò hic versus integer habeatur in 10. sunt qui illum hinc excludant, & D ibi tantùm agnoscant. Alij, qui hîc illum agnoscunt, mutant, leguntque, *naues*, aut *puppes*, non, *proræ.* In his est Florid. Sabin. lib. 1. Succis. c. 3. nam puppes littus spectant, sicut proræ maria. Non ergo bene *ad littora proræ.* In 6. enim, *Obuertunt pelago proras, &c, littora curuæ Prætexunt puppes.* Non ergo potuit dicere Virg.

Quot priùs æratæ steterant ad littora proræ.

Lectio Virgiliana.

Sed pace horum vulgatam lectionem retineo. Primò, cur isti non mutant versum etiam in lib. 10. cùm de iisdem nauibus sit sermo, vt adeunti apparebit? Deinde dico, eos decipi in situ harum nauium. Cùm naues sunt in portu, verè proræ mare spectant, puppes terram, quia tunc in vndis sunt. Hæ verò naues E Æneæ, non in vndis erant, sed extra illas in sicco: inde proræ ipsæ (quod necesse est) spectabant oram littoralem, ne, cùm rursus machinis trahendæ essent ad aquas, deberent cum magno labore conuerti. Inde suprà, *demersis rostris*, quia pars illa aquis proxima. Fuisse autem classem hanc Æneæ in sicco, satis colligo ex superioribus illis,

Classem, quæ lateri castrorum adiuncta latebat,

Aggeribus septam circùm, & fluuialibus vndis.

vbi non dicit, fuisse in vndis, sed septam vndis ex parte vna, ex altera aggeribus. Neque verò nouum naues ad siccum extrahi, vt reficiantur, imò huic

rei proprium verbum dicauit Latium. Nam *subducere naues* est, ex vndis ad siccum extrahere, & id voluit Dido lib. 1. in illis, *subducite naues:* cui verbo oppositum *deducere*, id est, è sicco naues in aquas per- Oppositio.

A trahere. Et quidem mirandum esset, non eguisse hac ope naues Æneæ longissima nauigatione defatigatas.

[a] Obstupuêre animis Rutuli, conterritus ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, reuocatque pedem Tyberinus ab alto.
[b] At non audaci cessit fiducia Turno:
Vltrò animos tollit dictis, atque increpat vltrò.
[c] Troianos hæc monstra petunt: his Iuppiter ipse
Auxilium solitum eripuit. [d] non tela, neque ignes
Expectant Rutulos. [e] ergo maria inuia Teucris,
Nec spes vlla fugæ: rerum pars altera adempta est:
Terra autem in nostris manibus. [f] tot millia gentes
Arma ferunt Italæ: nil me fatalia terrent,
Si qua Phyges præ se iactant responsa Deorum.

ARGVMENTVM.

Obstupescunt Rutuli, vnus tamen audacior Turnus prodigium in sui vtilitatem conuertit, & ad exitium Troianorum, quibus fuga iam adempta, via vnica ad salutem.

EXPLICATIO.

[a] CONTVRBANTVR omnia ad insolitum prodigium, videlicet, Rutuli, Messapus, equi eius: Tybris cursum continuit, imò retrò rediit stupore miraculi, raucum quiddam submurmurans. Fit præcipua Messapi mentio, quia is Neptuni filius videbatur nihil debuisse timere ex marino prodigio. Ita coniectat Seruius.

[b] Non iccirco Turnus quicquam de furore remisit, imò audacior, & fidentior animos militum, qui videbantur iacere, cœpit attollere, atque increpare.

[c] Callidè, quæ facta in gratiam Troianorum, vult conuertere in illorum perniciem: & his prodigiis ait illos peti. Ratio: nam Iuppiter illis *eripuit auxilium solitum*, id est, naues ad fugam. Hoc cum ingenti contumelia, quasi semper Troiani fuga sibi consuluerint, non bello & virtute. Carpit enim Æneam, qui nauibus fugit è Troia; & hæc est solita illius ars.

[d] Sententia est: Puta illos iam periisse, non opus nostris telis, non ignibus: nam, absumptis nauibus, non iam nocumentum aliud spectant. Hi sunt, & tales sunt, qui hoc vnico malo corruerint.

[e] Colligit ex dictis, nihil iam reliquum esse Troianis ad salutem; nam maria inuia; nam nulla spes fugæ. Sunt illis *maria inuia*, quia *pars altera adempta est*; videlicet absumptis nauibus, ademptæ vndæ sunt: *nulla spes fugæ*, quia *terra in nostris manibus*. Romani enim *rerum domini* dicebantur propter terras, & maria. Itaque *pars altera rerum*, est, pars altera Imperij, id est, mare. Ergo illis nec mare est, nec tellus: non mare, quia absumptæ naues; non tellus, quia hæc in nostris manibus. Ita certè maiore consecu-

B tione explicabitur Poëta, quàm solet vulgò.

[f] Hoc argumento munitus Turnus, non iam tantùm Troianos contemnit, sed ipsa adhuc Deorũ responsa, quæ illis Italiam promiserant, & quæ passim Troiani gloriabundi iactabant: imò iactasse eos imponit illis Turnus, notans illorum arrogantiam. Aitque eo minùs timere se ea responsa, quo maiores sibi copiæ; nam gentes Italæ multæ pro se, quasi dicat audacissimè; illi iactant vanissimè Deorum responsa, mihi verissimè sunt millia arma, id est, infinita.

C

NOTÆ.

1. OBSTVPVERE ANIMIS RVTVLI.] Est hic suus fundus, Lector. Commoti Rutuli cœlesti prodigio, occupantur stupore, languore, inertia ad patrandum facinus. Habent enim hoc magna scelera, vt torporem inducant volentibus aggredi. Inde postea notat Turni supra omnes audaciam, qui non de terreretur cœlesti prodigio, ab admittẽdo scelere. Quæ dixi probant egregia verba Sen. Rhet. Cont. 16. *Subitò mihi ferrum non sentienti cum animo pariter excidit, torpent manus, & nescio qua perturbatione tenebræ stupentibus offunduntur oculis. Intellexi, quàm difficile esset parricidium facere.* Iterum: *Obortæ sunt subitò tenebræ, diriguit animus, sublapsum est intercepto spiritu corpus. Non possum fratrem occidere.* Breuior Tacit. 4. Ann. *Magnitudo facinoris metum, prolationes, diuersa interdum consilia afferebat.* Hæc proculdubio mens eminentis Poëtæ, & quam Donatus intellexit; nam loquens de equis Messapi, qui turbati restiterunt, ait: *Qualem interea putamus terrorem fuisse; cùm illa fierent, quando maiestatis potentiam animalia etiam muta senserunt?* Scelera magna interdum afferunt torporem.

D

2. TVRBATIS MESSAPVS EQVIS.] Clarè allusum ad illud Hom. 8. Iliad. vbi, tonante Ioue, Imitatio.

E

Τὼ δ᾽ ἵππω δείσαντε καταπτήτην ὑπ᾽ ὄχεσφιν:
Equi territi collapsi ante currum sunt.

3. CVNCTATVR ET AMNIS.] Est hoc, quod Hom. de Xantho, Amnis timor.

Δεινὸν δ᾽ ἀμφ᾽ Ἀχιλῆα κυκώμενον ἵστατο κῦμα:
Horrenda autem circum Achillem turbata constitit vnda.

& Virg. 8. Æneid. *refluens substitit vnda.*

4. RAVCA

Raucedo fluuiorum. 4. RAVCA SONANS.] Calaber lib. 4. loquens de Xantho, ῥόον κελάδοντα: &, ποταμοὶ ἤχησαν. Eidem dat Hom. 21. Iliad. παφλάζοντα, βρομέεσκεν: *strepitum, fremitum.* &, βράχε ῥεῖθρα, ὄχθαι ἴαχον: *strepuerunt fluenta, clamarunt ripæ.* De eodem μορμύροντα, *murmurans.* Sed non dubium, quin hac raucedine alluserit Virgil. ad mugitum, qui dari solet fluminibus. Ibidem Hom. μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος: *mugiens tanquam taurus.* De qua re iam ego locis aliis.

Refluens amnis. 5. REVOCATQVE PEDEM.] Pari turbatione de Xantho Hom. 21. Iliad. πάντα δ' ὄρινε ῥέεθρα κυκώμενος. & de Tybr. 8. Æneid. *refluitque exterritus amnis.* A Virg. Propert. Eleg. 15. lib. 1. de fluminibus, *ad caput reuocare liquores.* Et obserua assumi plerunque ad hanc rem verba composita ab re. Nam Horat. Od. 29. lib. 1. *relabi riuos, reuerti Tyberim.* Ouid. 4. de Pont. *flumina reditura.* & in Epist. *versa recurrat aqua.* Virg. 8. Æneid. *refluens vnda.* Plin. *mare refugum.* Auctor Thebaid. *regeret in fontem citas reuolutus vndas amnis.* vbi regero, & reuoluo: ita possis, ἀναχωρεῖν, ἀναρρεῖν. Vide 8. Æneid. ad illud, *refluitque exterritus amnis.*

Pes de aquis. 6. PEDEM.] Datur pes vndis magna elegantia. Nam cùm dicantur fugere, currere, recurrere; consequens est, vt pedem habeant. Lucret. lib. 5. & 6. *liquido pede detulit vndas.* Virg. Culice,

Castaliæque sonans liquido pede labitur vnda.

Horat. Od. 16. Epod.

Leuis crepante lympha desilit pede.

Sed hæc obseruatio iam trita est. Neque abit dari etiam vino. Corn. Seuerus in Ætna: *ipse suo flueret Bacchus pede.*

Audacia temeraria. 7. AVDACI CESSIT FIDVCIA.] Vtramque vocem coniungit. Gloss. *Audax,* θρασύς, τολμηρός. Nam audacia hæc Turni, tota ad temeritatem. Gloss. θρασύς, *temerarius, ferox.* & θρασύτης, *ferocia, ferocitas.* Curt. lib. 3. *temeraria Regis fiducia.* Cùm Sallust. in Catil. dixit, *audacia pro muro habetur*, verè innuit temeritatem: hanc indicauit Poëta per *fiduciam*, vt in 2. de Sinone,

—fidens animi, atque in vtrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.

Inde Gloss. *fiduciam*, ἄδειαν. Nam qui ita fidit, nihil timet, vt qui se impunem putet.

Imitatio. 8. INCREPAT.] Esse hoc, quod Hom. ἐνίπτει, Vrsinus notat. Millies Tacitus hoc verbo vsus in hoc significato. Hîc tu agnosce hominem ἰχθρὸν, πολέμιον, μανιώδη, ἀπειλητικόν. Has enim quatuor voces in re simili coniungit Nazianzenus loquens contra Iulianum.

Monstra, id est, Deorum ostenta. 9. MONSTRA.] Obseruat Germ. Græcis quoque τέρας sumi non solùm vulgari significatione; sed etiam pro signo misso à Numine, idque sæpe apud Hom. Euripides quoque Phœniss. dixit δεξιὰν Διὸς τέρας ἰδόντες. Glossæ non solùm reddunt σημεῖον, *monstrum*; sed etiam τέρας. Virg. 3. Æneid. *Monstra Deûm refero.* Itaque hîc verè *monstra* sunt ostenta, & monita Deorum.

Imitatio. 10. HIS IVPPITER IPSE, &c.] Reddit versum Hom. 8. Iliad.

Ἦ οὐ γιγνώσκεις, ὅτι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή;
An non cognoscis, quòd ex Ioue non sequitur auxilium?

Ducis præsentis fatis contra hostes. 11. NON TELA, NEQVE IGNES.] Hoc argumento vsi passim magni duces, cùm suos milites exhortantur ad bellum. Constantini Paneg. *Ad primum aspectum maiestatis tuæ, primùmque impetum totius tui victoris exercitus, hostes territi fugatique.* Constantius apud Ammian. lib. 21. *Ita pauore torpescent, vt nec oculorum vestrorum vibrata lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum.* Sen. de Prouid. *Statim arma submittet; non opus est in illum tota potentia mea; leui comminatione pelletur.* Non dissimilis iactantia P. Scipionis apud Polyb. lib. 3. vbi ait, Carthaginiéses, cognito tantùm legionum aduentu, fugisse. Et postea ait, satis esse tantùm ad victoriam, ἐπιφανῆναι τοῖς πολεμίοις, *ostentare se hostibus.* Alexander apud Curt. lib. 3. *Vix gladio futurum opus.* Sic ergo Turnus, non opus nostris telis, non ignibus, victos putare. Non abludit Claud. Bell. Gild.

Nónne meam fugiet Maurus cùm viderit vmbram?

Locorum similitudo. 12. NEC SPES VLLA FVGÆ.] Pari fermè argumento Darius lib. 4. apud Curt. *Nam ne illis quidem ad fugam locus est, hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos.* Arminius apud Tacit. lib. 2. Ann. *Inane victis ventorum, remorúmve subsidium.* Huc spectare potest Homericum illud lib. 15. Iliad. ore Aiacis,

Πόντῳ κεκλιμένοι ἑκὰς ἥμεθα πατρίδος αἴης:
Mari circumdati longè sumus à patria terra.

Pars rerum altera, est mare. 13. RERVM PARS ALTERA ADEMPTA EST.] Contraria sententia Albutius apud Sen. Rhet. Controuers. 16. *Fortuna ipsa, quæ miseria eius est, nihil illi, præter mare, reliquit.* Vt verò hîc, *rerum pars altera*, pro mari; ita Tibullus lib. 4. explicatore Passeratio,

Téque interiecto mundi pars altera Sole.

Huic etiam Turni diuisioni, *Dij illis ademerunt maria, nos terras*, par illa Sen. Rhet. Controuers. 16. *Pater tuus nobis maria præclusit, meus terras.*

Locorum similitudo. 14. TOT MILLIA.] Quæ latè recensita libr. 7. Æneid. Ab sententia verò Turni contemnentis fata, & fiduciam habentis in armatis militibus, non longè abit illa Hectoris 12. Iliad. ad Polydamantem nimis addictum auium augurio.

Τύνη δ' οἰωνοῖσι τανυπτερύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθαι, τῶν οὔτι μετατρέπομ', οὐδ' ἀλεγίζω:
Tu verò auibus alas expandentibus iubes
Obedire, quas minimè moror, neque curo.

Et post pauca,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης:
Vnum est optimum augurium pugnare pro patria.

[a] Sat fatis, Veneríque datum est, tetigêre quòd arua
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contrà
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Coniuge prærepta: nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solísque licet capere arma Mycænis.
[b] Sed periisse semel satis est? peccare fuisset
Antè satis, penitùs modò non genus omne perosos
Femineum: quibus hæc medij fiducia valli,
Fossarúmque moræ, lethi discrimina parua

Dant

Dant animos. annon viderunt mœnia Troiæ
Neptuni fabricata manu considere in ignes?

ARGVMENTVM.

Explicat fata Troianorum, & pro se alia adducit Græcorum exemplo. Deinde soluit, quæ obiici pro salute Troianorum possent.

EXPLICATIO.

a ACcEPERAT Venus responsum à Ioue, venturos Troianos in Italiam. Ait Turnus, satis adimpleri fata, cùm venerint: de dominatione, quæ promissa quoque Troianis fuerat, tacet. Deinde ait esse quoque sibi sua fata; sed quia hæc non verè erant, contendit probare argumento, potuisse esse sibi fata. Argumentum hoc est. Consentaneum est Deorum voluntati, vt puniantur scelerati, qui præripiunt aliena coniugia, quod crimen hæret in Troianis. An soli Græci vlciscantur hanc iniuriam, rapta Helena? solæ Mycænæ contra illos armentur? Nónne & mihi Lauinia mea prærepta?

b Obiicit pro Troianis. Perierunt iam semel Græcorum bello. Diluit. Peccauissent semel: sed cùm sæpiùs peccent, quid mirum si sæpius quoque pereant? Neque dum illi perosi sunt feminas. Ergo, qui semel perierunt Græco bello, propter raptam Helenam, pereant iterum Latino, propter raptam Lauiniam. Adiicit insultans. A tam nefario scelere nulli muri eos tuebuntur, nullæ fossæ. Discant hoc experimento sui. Nónne viderunt Troiana mœnia euersa, etiamsi fabricata Neptuni manu? Cur nunc ergo fidunt exiguo hoc vallo, paruisque fossarum moris, à quibus non longè abest mors? Argumentum est à comparatione maiorum. Non texerunt illorum scelus structissima mœnia, tegent exigui muri?

NOTÆ.

1. SAT FATIS, VENERIQVE DATVM.] Ita 2. Æneid. *Sat patriæ, Priamóque datum.* *(Sat datum.)*

2. TETIGERE QVOD ARVA, &c.] Non abit hic locus ab eo lib. 7. *Si gener externa petitur de gente,* &c. vbi quemadmodum Amata interpretatur fata in gratiam Turni; ita hîc Turnus in gratiam quoque sui. *(Locorum similitudo.)*

3. FERTILIS AVSONIÆ.] Tacit. 1. Ann. *fœcundissimos Italiæ campos.* Sed elogia fœcunditatis Italiæ iam ego fusim 2. Georg. Locus hic videtur respicere illum 2. Æneid. vbi ad Æneam Creüsa, *(Italiæ fœcunditas.)*

Ad terram Hesperiam venies, vbi Lydius arua
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.

vbi mentio aduentus in Italiam cum elogio fertilitatis.

4. SVNT ET MEA CONTRA FATA MIHI.] Allusum fortè ad Hom. 5. Iliad. πάρα γὰρ θεοὶ εἰσιν ἀμῖν: *Adsunt & nobis Dij.* Tale & illud Ouid. *habétque Deos pars vtraque.* Hæc duo alij iunxerunt. Addo Tacitum qui 1. Ann. *Non hic syluas & paludes, sed æquis locis æquos Deos.* Achill. quoque ad Hectorem Iliad. 20. *(Sunt & mihi mea fata.)*

A ——τις ἐμοίγε θεῶν ἐπιτάρροθός ἐστι.
——*aliquis etiam mihi Deorum est adiutor.*

Non abludit Calab. lib. 10. ἔσται ποθι Ζεὺς χραισμήσων: *& Iuppiter aliquando erit adiutor.* Plutarch. in Nicia. ἀλλ' ἑτέρους ἔχων μάντεις ὁ Ἀλκιβιάδης: *sed alios habet Alcibiades vates.* Simillimum illud Eurip. in Heracl. vbi Iolaüs, *Si Argiuis præest Iuno, nobis Minerua.* Græca sunt. τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ, ἡμῶν δ' Ἀθάνα. Inde in Phœniss. Polynices Argiuus inuocat Iunonem contra fratrem, Eteocles Thebanus Mineruam contra fratrem.

5. EXSCINDERE GENTEM.] Ita in 7. Iuno, *amborum populos exscindere Regum.*

6. CONIVGE PRÆREPTA.] Ad inuidiam augendam. Non enim Lauinia coniux Turni, tantùm sponsa. Sed vt rem aperiat, addit *prærepta:* quia rapta B ante nuptias coniugales. An verò est quicquam, quod magis homines in furias agat? Tacit. 1. Ann. *Arminium, super insitam violentiam, rapta vxor, subiectus seruitio vxoris vterus, vecordem agebant.* *(Coniugũ furor quis maximus.)*

7. NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS ISTE DOLOR.] Comparat Macrob. lib. 5. cap. 9. locum hunc cum illo Homerico lib. 9. Iliad. *(Imitatio.)*

——τί δὲ λαὸν ἀνήγαγεν ἐνθάδ' ἀγείρας
Ἀτρείδης; ἦ οὐχ Ἑλένης ἕνεκ' ἠϋκόμοιο;
Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεῖδαι;——

——*quid autem populum huc attulit, congregauitque,*
Agamemnon? nónne causa Helenæ pulchricomæ?
An soli mortalium vxores diligunt
Atridæ?——

Et quidem versum Homericum iactatum instar C Prouerbij Erasmus iam monuit ex Vlpiano. Lege illum Chil. 4. Cent. 6. cap. 34. A sententia verò Poëtæ non longè abit locus Calab. lib. 4. Vt enim hîc Turnus ait, se quoque vltorem fore iniuriarum, non solùm Atridas; ita ibi Aiax interminatur Troianis, se, non solum Achillem, fore vltorem cladium.

8. TANGIT.] Est hoc, quod Hom. sæpe in re simili ἱκάνει, & ἵκετο. Alij ἅπτεσθαι, & θιγεῖν. Ouidius Epist. *nec te Pari munera tangunt,* id est, non te afficiunt, & commouent munera. Val. 8. Arg. *socios ea gloria tangit.* *(Tango, ad affectum.)*

9. ISTE DOLOR.] Eadem planè efficacia Quintil. Declam. 279. *Habebat mariti dolorem.* Vterque indicat zelotypiam, qui sanè dolor viuens & vigens. Inde in Virg. *iste* ἐμφατικῶς. Idem Declam. 286. *Acrius incalescunt ignes legitimi.* & Declam. 291. D *Maiores habet vires ignis, qui legitimis facibus accenditur.* *(Iste, emphaticè. Dolor de zelotypia.)*

10. SOLISQVE LICET CAPERE ARMA MYCÆNIS.] CVm gustu ad Eurip. qui Heracl. *(Imitatio.)*

Οὐ σοὶ μόνῳ τεύχεα, οὐδ' ἐ-
Τέα κατάχαλκος ἐστι:
Non tibi soli hasta, neque
Clypeus munitus ferro.

11. SED PERIISSE SEMEL, &c.] Hoc genus argumentationis, cùm aliquid obiicitur, & statim diluitur, venustum est. Aduoco ad exemplum verba Albutij apud Senecam Rhet. Controuers. 16. *vbi spes? in gubernaculo nulla. in remigio? ne hoc quidem. in comite? nemo repertus est naufragij comes, in velo, in arte? omnia penè instrumenta circumcisa sunt.* *(Argumentationis genus.)*

12. MODO NON.] Explico, *nunquam satis;* vt & Tibullum lib. 1. Eleg. 1. *(Modò non.)*

Iam

Iam modò non possum contentus viuere paruo.

Ita enim meliùs constat sententia, quàm vt alij explicant.

Muri fiducia.

13. MEDII FIDVCIA VALLI.] Tibull. lib. 4. *tutam castris producere fossam.* Itaque *fiducia valli* in Virg. & *tuta fossa* in Tibullo, idem. Hoc per voculam *fretus* explicuit Propert. Eleg. 11. lib. 4. loquens de Tolumnio, quem vicit Cossus,

Fortè super porta dux Veius astitit arcem,
Colloquiúmque sua fretus ab vrbe dedit.

Videlicet fretus muris vrbis & fidens.

Lethi discrimen paruũ.

14. LETHI DISCRIMINA PARVA.] Quantùm scilicet murus habet latitudinis, tantùm à morte est discriminis. Quis nescit illud Iuuen. Sat. 12.

——digitis à morte remotus
Quattuor: aut septem, si sit latissima tæda.

A Cestius apud Sen. Rhet. Cont. 16. *Parua materia seiungit fato.* Quem ad locum And. Schott. adducit verba Theonis Sophistæ. Quæ præcipuè ad rem faciunt, hæc sunt. πλησίον ἔχοντες τὸν θάνατον πλέουσι, λεπτὴν ἔχοντες εἰς σωτηρίαν ἐλπίδα, τὰ ξύλα, ἐφ' ὧν φέρονται: *Proximam habent mortem, qui nauigant, tenui lignorum, quibus feruntur ad salutem, spe.* Ideo Plin. eleganter lib. 35. c. 7. naues vocat *pericula.* Quasi nihil periculosius, quàm vbi est minimum discrimen à morte. Curt. lib. 3. de re alia loquens, *tenue discrimen* dixit. Hom. 15. Iliad. τυτθὸν γὰρ ὑπ' ἐκ θανάτοιο φέροντο: *paulùm enim à morte distant.* & lib. 10. ὀλίγος δ' ἔτι χῶρος ἐρύκει. quia exiguum loci spatium à morte arcebat.

15. CONSIDERE IN IGNES.] Ita 2. *considere in ignes Ilium.* Prop. Eleg. 9. lib. 3. *in cineres arcem sedisse.* & Tacit. 3. Hist. *Cùm omnia sacra, profanáque in igne considerent.*

Considere in ignes.

[a] Sed vos, ô lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat, & mecum inuadit trepidantia castra?
[b] Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros: addant se protinus omnes
Hetrusci socios; tenebras & inertia furta
Palladij, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in aluo.
Luce palàm certum est igni circumdare muros.
[c] Haud sibi cum Danaïs rem faxo, & pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
[d] Nunc adeò melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus,
Procurate viri, & pugnam sperate parati.

ARGVMENTVM.

Ita Græcos in oppugnandis Troianis cum Latinis comparat, vt his det gloriam, quippe gesturis bellum longè aliter, quàm illi: deinde, quia serum diei, pugnam trahit in diem crastinum, monitis militibus, vt curent corpora.

EXPLICATIO.

[a] CONVERTIT se ad suos, quos *lectos* vocat grandi elogio: quibus vt ardorem iniiciat, se principem fore in inuadendo ait, tantùm rogat, qui se velint sequi; & indicat καιρὸν, ideo, *dum trepidant.* Et notes, illum non ambigere de victoria, adeò est præfidens sui: tantùm vult, vt scindatur vallum, de reliquo nihil dubitat.

[b] Ex occasione factæ mentionis Troiæ vastatæ à Græcis, se & res Italas confert cum Achille, & rebus Græcorum. Achillis arma facta sunt à Vulcano, non egeo (inquit) hoc adiumento: naues mille nauigarunt in Troiam, non his mihi opus: addat se illis in auxilium Euander cum suis Hetruscis, nihil timebimus. Non enim noctu pugnabimus, vt Græci: non furabimur Palladium, non interficiemus custodes arcis, non condemur præ metu in vtero

B equi, vt illi: palàm, & sine insidiis rem geremus, ac luce media igni muros circumdabimus.

[c] Putant nos Danaos fore, efficiam ne hoc putent. Danaï enim ita languidi fuerunt, vt vnus tantùm Hector bellum distulerit in annos decem. Dictum hoc cum ingenti inuidia Æneæ, cui nulla virtus contra Græcos (ex Turni maleuolentia) hanc enim gloriam tantùm attribuit Hectori.

[d] Decernit non iam pugnare, quia transacta prima diei pars, & melior, qua recreari equi, & milites solent: remittitque illos ad curanda corpora, vt parati sint ad pugnam diei sequentis.

C

NOTÆ.

Imitatio.

1. SED VOS, O LECTI, &c.] Totus hic locus Homerum sapit ex Nota Macrob. lib. 5. c. 9. Habentur versus lib. 12. Iliad.

ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες, ῥήγνυσθε δὲ τεῖχος
Ἀργείων, καὶ νηυσὶν ἐνίετε θεσπιδαὲς πῦρ:
Surgite bellatores Troiani, frangite munitionem
Græcorum, & nauibus impingite ignem noxium.

O lecti.

2. O LECTI.] Nescio quid hoc grandius ad beneuolentiam, quàm illud omnium, *ô socij.* quàm illud Ammiani lib. 20. ore Iuliani, *propugnatores mei fortes, & fidi.* quàm illud eiusdem lib. 21. *magni commilitones.* Tales milites κεκριμένους vocat Hom. Iliad. 13.

3. SCINDERE VALLVM.] Tale illud Hom. Iliad.

Iliad. 12. apud quem Hector hortatur suos τάφρον διαβαινέμεν. Expende verò, Lector, altiùs mentem Poëtæ: vt enim semper pium erga sacra Æneam exhibet, ita vecordem Turnum. Vide amentiam ad cœleste indicium. Tantùm abest, vt resipiscat, vt acriùs incumbat. Non malè in illum iactabitur, quod de Demetrio Polyb. 5. Hist. ἀνὴρ θρασὺς μὲν, καὶ τόλμαν κεκτημένος, ἐλάχιστον δὲ ταύτην καὶ τελέως ἄκριτος: *Vir præsentis quidem animi, & audax, sed temerarius & nullius planè iudicij.* & quod de Libone Tacit. 2. Ann. *Iuuenem improuidum, & facilem inanibus.*

Tamen vecors.

4. MECVM INVADIT.] Sup. quoque se exemplum proposuit,

Ecquis erit mecum, ô iuuenes, qui primus in hostem, &c.

Ducem exemplum militibus.

Alexander apud Curt. lib. 4. *Nec postulare se, vt fortiter capesserent prælium, nisi ipse ceteris fortitudinis fuisset exemplum; se ante prima signa dimicaturum spondere.* & de eodem lib. 3. *ante prima signa ibat.* De Iuliano Amm. lib. 15. *Pugnatores accendens praeundo.* De Annibale Polyb. 3. Hist. τότε μὲν ὑπόδειγμα τῷ πλήθει ποιῶν αὐτόν: *Se ipse multitudini in exemplum dabat.* & statim. παραβόλως διδοὺς αὐτὸν εἰς τοὺς κινδύνους: *temerè se in pericula obiiciebat.* Marius ab Sallust. Iugurth. dicitur, *in prælio consultor idem, & socius periculi.* Plin. de Traiano Paneg. *dux & miles.* Vt de Alexandro Curt. 3. *Non ducis magis, quàm militis munera exsequebatur.* De Catilina Sallust. *Strenui militis, & boni Imperatoris officia simul exsequebatur.* Vide Albertum Krant. lib. 6. Hist. Vand. c. 20. vbi loquitur de Absalone Episcopo belli duce.

5. TREPIDANTIA CASTRA.] Nam hæc occasio rei gerendæ. Respectum, credo, ad illud Iridis, quæ suprà ad Turnum, *& turbata arripe castra.* Idem Turnus in 10.

Occasio arripienda.

———vltrò occurramus ad vndam
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.

6. NON ARMIS MIHI VVLCANI.] Consideratè *armis*, quia non arma omnia habuit Turnus à Vulcano (hoc iam Seruius vidit) tantùm ensem, nam in 12.

Ensem, quem Dauno Ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.

7. ADDANT SE, &c.] Nihil timet turbam, cùm hæc potiùs futura sit incrementum gloriæ. Alludit Turnus ad opinionem magnorum ducum, qui minoribus copiis aggressi sunt maiores, nihil multitudinem curantes. Alexander apud Curt. lib. 4. *Itaque illinc plures stare, hinc plures dimicaturos.* De eodem Alexandro Auctor Paneg. Constantini: *Nunquam maiores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus quicquid excederet. & turbam potiùs, quàm exercitum.* Inde postea de eodem Constantino: *Tu verò etiam minoribus copiis bellum multo maius aggressus es: tanto scilicet tua virtute propria potior, quanto ille numero instructior.*

Copiæ minores numero.

8. TENEBRAS, ET INERTIA FVRTA, &c.] Quæ hic tribus versibus, petuntur ex variis locis lib. 2.

9. LVCE PALAM.] Adiungebat ad locum istum Morlanius meus illud Ouid. de Nuce,

Locorum similitudo.

Quid tamen hoc prodest, media si luce palàmque
Verberor?———

10. IGNI CIRCVMDARE MVROS.] In gloriam sui, in contemptum Troianorum: nam hoc genus belli totum ad contemptum hostium. Auctor Paneg. Constantini: *Neque vallo, fossâque obsessio inchoata est, nec cuniculis agendis, nec machinis admouendis, nec incutiendo ariete tentati, quibuscunque sunt muri: sed statim iniectæ faces portis, scalæ propugnaculis,* &c. Hæc enim in oppugnando facilitas, & celeritas despicatum arguit: & de hac re est sermo Panegyristæ. Inde in 12.

Ignis in contemptu hostium.

Scalæ improuisò, subitúsque apparuit ignis,

quasi ira facilè oppugnaretur Larini ciuitas. Hoc belli genus tentatum Polynici contra Thebas, attestante Sophocle in Antigone, ἐθέλων μὲν πυρὶ πύργων κατάκρας. Nam videlicet hæc pugnandi ratio habita pro facillima, & veluti in despicatum hostium. Quod etiam satis indicat Tacit. lib. 2. Annal. *Metanti castra Cæsari Angriuariorum defectio à tergo nuntiatur: missus illicò Stertinius cum equite, & armatura leui, igne, & cædibus perfidiam vltus est.*

B 11. DANAIS.] Quippe Græci imbelles habiti ad bellum. Laudatus superiore Nota Auctor Paneg. *Facile est vincere timidos, & imbelles, quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educunt.* Apud Tacit. 2. Annal. irridentur Græci tanquam imbelles. Marius apud Sallust. sese iactat de militaribus virtutibus, aitque, Romanos Græcæ doctrinæ addictos nihil habuisse vtile ad virtutem. Plin. Paneg. Traiani de æuo illo, in quo non vigebat militaris virtus, ait, *postquam exercitationibus nostris, non veteranorum aliquis, cui decus muralis, aut ciuica, sed Græculus magister assistit.*

Græci imbelles habiti.

12. DECIMVM QVOS DISTVLIT HECTOR IN ANNVM.] Est hoc, quod in 11. de eodem Hectore & Ænea, *& in decimum vestigia rettulit annum.* Ita etiam Hector à Sen. Troadib. dicitur *mora fatorum;* C vt etiam à vetere Poëta Aproniо Silone apud Sen. Rhet. Suas. 2. *belli mora concidit Hector.* Andromacha 22. Iliad. loquens cum suo Hectore

Hector rem Troiæ distulit in annum decimum.

Οἶος γάρ σφιν ἔρυσο πύλας, καὶ τείχεα μακρά:
Solus enim ipsis defendebas portas, & muros longos.

Ab eadem 24. Iliad. Hector dicitur Troiæ ἐπίσκοπος. & addit, breui casuram vrbem illo sublato. & lib. 12. Troiani dicuntur vnius tantùm Hectoris virtute, & prodigiis confisi quidpiam ausuri, τεράεσσι πεποιθότες, ἠδὲ βίηφι. Adeò in hoc vno spes omnium sita. Philostrat. in Heroïc. de eo loquens, καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ, καὶ μὴ ἐπ' ἄλλῳ εἶναι τὴν Τροίαν, *in illo, & in alio nemine Troianorum rem sitam.* Inde incrementum illud D 6. Iliad. Andromachæ ad virum suum, πάντες ἐφορμηθέντες, vbi ait, Hectorem non casurum, nisi Græci omnes in illum irruant. Itaque ad delendum vnum opus toto exercitu. Ab Calab. 2. dicitur μέγα κράτος Τρώων. & lib. 10. ἐρυσίπτολις ἄστεος πάτρης. Vide & Strabonem lib. 13. vbi Fimbria, cùm gloriaretur, vndecimo die Troiam cepisse, cùm Agamemnon vix annis decem, audiuit, οὐ γὰρ ἦν Ἕκτωρ ὁ ὑπερμαχῶν τῆς πόλεως, *non enim Hector aderat, qui pro ciuitate pugnaret.* In 2. Æneid. *spes ô fiducia Teucrûm.* Sen. Trag. *columen patriæ.* Qua laude Theron ab Pind. 2. Olymp. Ἀκράγαντος ἔρεισμα. & ab Oppiano Antoninus 1. Cyn. γαίης ἔρεισμα. & Nonn. lib. 4. τεῖχος ἱμερόεν.

13. MELIOR.] Pars diei melior in Poëta non E censenda iusta sectione vsque ad meridiem; bene enim autumat Turneb. indicari ab Turno aduenientem vesperam. Ac proinde à summo mane vsque ad horas siue septem, siue octo, siue nouem, aut decem, erit diei pars melior. Calcagnin. *de verb. & rer. significat.* inclinat ex sententia I. C. in priores septem horas tantùm, quæ dicantur melior pars diei, non à maiore harum numero, sed quia illæ sint actuosiores. Iuuat hanc sententiam Martial. qui in diei diuisione septem primas horas dat rebus forensibus; reliquas palæstris, ludis, balneis, sympotiis. Et quidem generatim ante meridiem fiebant res seriæ. Exemplum sit lex hæc vetus: *In Comitio, aut in foro ante meridiem causam coniicito: post meridiem fœdus ne ferito,*

Melior diei pars quæ.

ferito, ne auspicator; Senatusconsultum ne facito, &c. & verba Plutar. in Quæst. Rom. hæc. ἡ μεσημβρία πέρας ἐςὶ τοῖς πολλοῖς τῶν ἐν δημοσίᾳ, καὶ σπουδαῖα πράττειν: *Meridies multis finis est tractandi quæ publica sunt & seria*. Nihil grauius Regni administratione; atqui apud Sidon. epist. 2. lib. 1. Theodoricus Rex *manè administrandi Regni curam sibi deputat*. Senec. de Tranquill. c. 15. *Quidam medio die interiunxerunt, & in pomeridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt*. Non hinc abeunt *meliores anni* apud Ouid. Eleg. 10. lib. 4. Trist. quibus Eleg. 5. lib. 1. Pont. opponit *ætatem deteriorem*. Ab Eurip. Orest. iuuentus florida dicitur βίου τὸ πλεῖον μέρος, *maior pars vitæ*.

Meridies finis seriorũ.

14. PARS DIEI.] Hor. Sat. 9. lib. 1. *quarta iam parte diei*. Enn. 7. Ann. *magna cùm lapsa dies Parte fuisset*. Sallust. Iugurth. *decima parte diei*.

Pars diei.

15. QVOD SVPEREST, &c.] Permulcet Turnus suos ad prandium amica quadam inuitatione, cùm Hom. quasi præco (ait Scal.) 19. Iliad.

Militum ante pugnam cibus.

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα:

Nunc autem venite ad prandium, vt bellum ineamus. Apud Amm. lib. 20. rectorum monitu exercitus *cibo exiguo refectus & somno* paratur ad futuram pugnam. & lib. 21. *curatis vtrobique cibis* tuba concrepat. De disciplina Annibalis Polyb. lib. 3. reficiunt se milites ex præcedente labore, ἀναπαύοντες σφᾶς ἐκ τῆς προσγεγενημένης κακοπαθείας. Eodem lib. iubet suos θεραπεύειν σφᾶς. Vt Alexander apud Curt. lib. 3. *corpora milites curare iussit*. Marius apud Sallust. *milites cibum capere, atque paratos esse iubet*. Agesilaüs apud Xenoph. 4. ἑλλ. δειπνήσαντας παρήγγειλε παρεῖναι: *pransos adesse iussit*. Priamus apud Calab. lib. 2. τέρπεο θυμὸν εἰλαπίνῃσιν, quia sequitur, ἔπειτα μαχήσεαι. Sunt & de hac re loca duo longissima in Hom. Iliad. 2. & 19.

16. PROCVRATE.] De potestate huius verbi, cùm pertinet ad rem cibariam, vide quæ sup. lib. 8. ad illud, *& equos, & corpora curant*. Græci commodissimè vsurpant ad hanc rem militare verbum, quo venustate carent Latini. Itaque ἐσοπλίζειν, est *armare*, atque etiam *cibum militarem curare*, quasi cibus quoque reponendus sit inter arma. Hector apud Homerum 8. Iliad. δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα.

Procuro.

17. BENE GESTIS.] Commentatio Seruij hæc; *in eo tantùm, quòd hostes non ausi sunt egredi, nam nihil egerant*.; adducit mihi in memoriam illud Alexandri apud Curt. lib. 4. *tertium diem iam metu exangues* (Persas) *armis suis oneratos, in eodem vestigio hærere*. Itaque, quemadmodum Turnus ait, rem bene gestam, tantùm quia Troiani non sunt ausi egredi: ita Alexander trahit in argumentum suæ gloriæ metum hostium, hæsisséque illos in eodem vestigio tertium iam diem. Sed ego tamen aliter Virgilium expendo. Laudat Turnus suos milites, & illis dat stimulos, nam quid hac re potentius? Audi Ennodium epist. 8. lib. 4. *Cuius robur ducis præconio non nutritur? quibus se denegent etiam minus valida tyronis membra conflictibus, quando rectoris testimonio videt sibi non perire, quod gesserit?*

Ducis præconio excitatur miles.

18. PARATI.] Polyb. lib. 3. ἑτοίμους σρατιώτας. Et quidem hoc ex præcepto apud Sallust. in Iugurth. *pro tempore, atque loco paratis rebus*. Sed laudo hoc loco vnicè Poëtam, qui ad prandij etymon allusit. Trebellius Pollio in vita Salonini Gallieni ita ait: *Dictum est prandium ab eo, quòd ad bellum milites paret*. Et inde Prouerbium illud, de quo sup. *pransus, paratus*. Inde etiam Cato lib. 5. Orig. *Exercitum suum pransum, paratum, cohortem eduxit foras, atque instruxit*. Inde etiam ἄριστον, id est, *prandium* Græcis dicitur, μεθ' ὃ δεῖ ἀριστεύειν, *post quod oporteat fortes esse in bello*. & δεῖπνον, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν, *post quod laborandum sit*. Tanquam milites ἐν τῷ πονεῖν ἐρείδοιντο τῇ τροφῇ, *eo cibo ad laborandum fulciantur*. Non displiceret, qui prandium à Græco duceret, quasi τὸ πρὶν πονεῖν.

Prandiũ vnde dictum,

Pransus, paratus. Prouerb.

[a] Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.
[b] Bis septem Rutuli muros qui milite seruent
Delecti: ast illos centeni quemque secuti
Purpurei cristis iuuenes, auróque corusci,
Discurrunt, variántque vices, fusíque per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes, noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
[c] Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontésque, & propugnacula iungunt,
Tela gerunt, instant Mnestheus, acérque Serestus
Quos Pater Æneas, si quando aduersa vocarent,
Rectores iuuenum, & rerum dedit esse magistros.
[d] Omnis per murum legio sortita periclum
Excubat, exercétque vices, quod cuique tuendum est.

ARGVMENTVM.

Sunt in armis Itali, & Troiani: illi intenti obsidioni, hi defensioni.

EXPLICATIO.

[a] PRÆCIPVA cura obsidionis datur Messapo, is præficitur excubiis militum, & excitandis flammis

mis circum muros Troianos.

b Deinde assignantur viri quatuordecim, qui muros Troianos obseruent: cuique horum dati centum iuuenes (centuriones, & militiam Romanam repræsentat Po ëta) discurrunt hi circum muros variatis vicibus. Nam alij excubias agunt, alij vino indulgent per herbam fusi.

c Vident omnia Troiani è suo vallo, neque aliquid remittunt de cura: portas explorant, an sint tutæ; iungunt pontes, qui esse solent inter propugnacula, vt facilis sit illis transitus ad discursum: stant cum telis in muris; illis Mnestheus & Serestus stimulos ad gloriam addunt: hos enim Æneas abiens præfecerat rei gerendæ, vt essent rectores, & magistri iuuenum, si quid, se absente, accidisset aduersi.

d Omnes itaque variatis vicibus excubias agunt, lecti sorte ad periculum tuendi muri.

NOTÆ.

1. INTEREA VIGILVM EXCVBIIS.] Notant Grammatici excubias esse diurnas, vigilias nocturnas: ita tamen, vt excubiæ pro vigiliis sumantur, non contrà vigiliæ pro excubiis. Credo illos decipi in hoc extremo, nam vigiliæ fortasse pro excubiis, inclinante hoc Ammiani loco lib. 20. *Proinde dies & noctes intemi vigiliis, cautiores stantes vtrobique faciebant*, Vbi vigilias nominat de diebus pariter & noctibus, nullo discrimine. Et statim, cùm narratur bellum, die factum, non noctu, ait: *Defensores, ni vigilassent, exitium adfore iam sperantes.*

Vigiliæ fortasse pro excubiis.

2. CVRA DATVR MESSAPO.] Eos, qui præsunt ignibus in excubiis exercituum, vocat Homer. 10. Iliad. φυλάκων ἡγήτορας. Locum integrum postea adducam. Qui generatim mandatis præficiuntur, dicuntur ab Soph. Antig. σκοποὶ, & ἐπίσκοποι. Polyb. lib. 3. Hist. προστάτης τῶν ὅλων dixit de vniuersa administratione, &, ἀρχὴν ποιησάμενος, &, συστάσεις καθηγεμόνας.

Exercitus præfectus.

3. ET MOENIA CINGERE FLAMMIS.] Posset aliquis decipi, putans esse hoc idem, quod suprà;

Luce palàm certum est igni circumdare muros.

Cùm tamen nihil hoc pertineat ad illud: hîc enim sermo est de vigiliis, atque excubiis, quæ nocte aduentante parabantur à Rutulis in castris; ibi de expugnatione murorum, quod liquidum ex comparatione Græcorum ibi facta. Quasi dicat: Non immittam in vos nocturnas flammas, vt Græci; luce id fiet.

Imitatio. 4. BIS SEPTEM RVTVLI.] Locus Hom. clarus Iliad. 9.

Ἑπτ' ἔσαν ἡγεμόνες φυλάκων, ἑκατὸν δ' ἑκάστῳ
Κοῦροι ἅμ' ἔστειχον, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντες:
Septem erant duces custodum, centum verò cuilibet
Iuuenes vnà ibant, longas hastas manibus habentes.

Expende verò cur Virg. voluerit supra Homerum, *bis septem*. Videlicet, quia infrà, *variantque vices*. Itaque, etsi non dicat, certum est tamen, septem præpositos vigiliis, dum alij septem interquiescerent; deinde variatam vicem.

Centeni. 5. CENTENI.] Veget. cap. 13. lib. 2. cum respectu ad hunc locum: *Cùm centum milites sequerentur non solùm vexillum, sed etiam centurionem.* Malè in vulg. *cum cuncti milites.* Vidit hoc Steuechius. Ceterùm de centurionum numero, ordine, prærogatiua exactè Lipsius lib. 2. de Mil. Rom. Dial. 8. Apud Hom. 8. Iliad.

A πεντήκοντα tantùm milites comitantur singulos, qui ignibus præerant.

6. SECVTI.] In re simili Hom. Iliad. 12. ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕποντο: *sequebamur duces suos.*

7. PVRPVREI CRISTIS IVVENES.] Figurata, & elegans locutio, pro, *purpureis cristis*: ipsi enim à cristis purpurei. Ita lib. 3. Epig. ὀστέα σωρὸν θεὶς εἷς ἐπίχει σκόπελος: *Mortuorum ossa continet vnus scopulus aceruatus*, pro, *aceruata ossa*. In eodem lib. Enallage.

Οὐκ ἔτι χρυσοχάλινον ὁρᾷς δρόμον ἠελίοιο
Λαῒς, ἐκοιμήθη δ' ὕπνον ὀφειλόμενον.
Non iam vides Solis cursum, cui fræna aurea;
Laïs, dormis iam somnum, cui mortales obnoxij.

Vbi vides dici δρόμον χρυσοχάλινον, pro, ἠελίοιο χρυσοχαλίνου: nam fræna aurea Solis sunt, non cursus, tamen
B cursui dat ea. Sic infrà vocat Nisum *iaculo celerem*, pro, *iaculo celeri*. Iterum,

Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus.—

pro *armis aureis*. Sic Pers. Sat. 5. *recutita Sabbata*, pro, Sabbata Iudæorum recutitorum. Iudæi enim recutiti, & verè apellæ, non Sabbatum. Hom. lib. 11. Iliad. φοίνικι φαεινὸς, id est, *splendidus purpura*. Eurip. in Herc. πολιὸν δάκρυον, loquens de Amphitryone, *lacrymas canas*, pro, lacrymas cani hominis. & in Tauris. ἀΰπνους ἀκτὰς, *insomnes petras*. Non certè petræ marinæ insomnes, sed qui præternauigabant, ibid. κλισίαν λύχνων δολίαν, pro, λύχνων δολίων. & in Rheso, φωτὸς αἱμύλον δόρυ: *hominis hastam deceptricem*, pro, φωτὸς αἱμύλου.

8. VARIANTQVE VICES.] Videlicet post duas vigilias; nam hic fuit mos Romanus, vel ex Lucano Vigiliarum quis ordo.
C (vt alios omittam) qui lib. 5.

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

Itaque primi vigiles durabant primam & secundam vigiliam: secundi tertiam, & quartam. Audis enim in Lucano secundos vigiles surrexisse ad tertiam vigiliam.

9. FVSIQVE PER HERBAM.] Itaque partito labore alij discurrunt, alij fusi sunt. Ergo, cùm Eurip. in Rheso dixit de vigilibus Troianis, Τροίας προκάθηνται, *sedent ante Troiam*, capiendus fortasse est de his, qui tunc non obibant.

10. ET VERTVNT CRATERAS AHENOS.] Imitatio. Hemistichium Ennij, attestante Seruio. Innuitur verò largissimum potandi genus; ita enim bibebatur, vt Vertere poculum, de potu largissimo.
D toti crateres verterentur. Ita accipe Plautum in Sticho.

Namque edepol quamuis subitò vel cadus verti potest.

Et Stat. lib. 6. Theb. *spumantemq́; ore supino vertere*, scilicet craterem. & Horatium duobus in locis. Nam Od. 19. lib. 3.

Non ante verso lene merum cado.

Et Sat. 8. lib. 2.

Inuersum Aliphanis vinaria tota.

Sicut ergo *inclinare cadum*, erit parcè bibere: ita *vertere*, erit largissimè. Nam, cùm eò res deuenit, vt cadus vertatur, iam tum fundus hauritur. Cùm Statius 2. Theb. inducit milites dormientes inter *vacuos mero crateras*, satis indicat largum hoc potandi genus. Inclinare poculum, de potu sobrio.
E Idem quinto Thebaidos, *vacuánque profundo Aurum immane mero.*

11. COLLVCENT IGNES.] Hom. 8. Iliad. πυρὰ δὲ στὶ καίετο πολλά. &, καίωμεν πυρὰ πολλά. Ex cuius loci imitatione apparet quæ sit mens Virg. Nam ibi Hector iubet ignes accendi, ne ea nocte Græci fugiant taciti. Hoc itaque & Turnus vult: potuisset enim putare, clàm inde Troianos abituros, volebátque illos ad satietatem perdere. Addit postea Hector & causam aliam; ne quis Græcorum vrbem intret: quò Imitatio.

etiam spectare Turnus potest, & cauere, ne qui A Troiani castra sua inuadant.

Noctem ducere.

12. NOCTEM CVSTODIA DVCIT, &c.] Est hoc, quod Horat. epist. 5. lib. 1.

Æstiuam sermone benigno tendere noctem.

Locutus verò Virg. phrasi Plauti Trucul. *noctes ducere.* Propert. Eleg. 3. lib. 1. *perducas noctes.* Stat. 2. Theb.

Insomnem ludo certatim ducere noctem.

Valer. 1. Arg. *ludóque educite noctem.* Lucan. lib. 4.

Extrahit insomnes bellorum fabula noctes.

Plutar. in Themist. νύκτας ἄγρυπνεῖν.

Custodia de ipsis custodibus.

13. CVSTODIA.] Nota diligenter, *custodiam* non solùm dici de carcere, vbi vincti, sed etiam de ipsis custodibus: & ita hoc loco *custodia* sunt ipsi milites. Iosephus cap. 15. lib. 7. Bell. τὸ τεῖχος φρουραῖς ἐπιμελεστέραις διελάμβανον: *tenebat murum diligentibus custodiis.* Vbi φρουρὰς dixit, quos statim φρουροὺς se explicans. Adiicit enim, οἱ μὲν ἀντίχειν οἱ φρουροὶ πρὸς τὰς αὐτομολίας ἴσχυον: *& tamen custodes profugientibus obstare non poterant.* Et Claud. 2. Eutrop. in sermone etiam vigiliarum, *vicibus custodia nullis Aduigilat vallo*, id est, nulli custodes per vices vigilant. Sed & *custodiam* sumi pro ipsis vinctis, omitto, ne agam, quæ iam Lipsius. Itaque vox vna contrariam habet significationem: nam significat & custodientem, & custoditum.

Et de ipsis vinctis.

14. PONTESQVE, ET PROPVGNACVLA IVNGVNT.] Explico, *iungunt pontes propugnaculorum.* Est enim figurata locutio, vt, *pateris libamus, & auro.* C Sunt verò hi pontes, qui parati ad discursum militum, ideo excitabantur inter turres, aut propugnacula. Hos pontes fuisse apud Amm. intellige, cùm de obsessis ait lib. 20. *Ingentibus animis per turres discurrebant*, scilicet, mediis pontibus. Inde idem eodem lib. nominat *mænium membra*, videlicet ab hac distinctione formati operis; sunt enim hi pontes tanquam brachia, quæ porriguntur inter turres. Quo etiam modo locutus Cassiod. in Psal. 148. *Palatium, quod multis membris, multis spatiis ambiatur.* Vide Sidon. epist. 2. lib. 1. & ibi Sauarum.

Pontes propugnaculorum.

Rector iuuenum in bello.

15. RECTORES IVVENVM.] Ex disciplina militari, vt apparet ex Tacit. lib. 1. Ann. c. 7. vbi Druso iuueni eunti ad Pannonias datus rector à Tiberio Ælius Seianus. Et ex eodem lib. 3. vbi, *datúsque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti.* Hos Æschines contra Timarchum vocat διδασκάλους, vt postea Virg. *magistros.* Liban. in Progymn. virum hunc iuuentuti præpositum vocat ἐφεστηκότα, ἐπόπτην, ἡγούμενον, παιδευτήν: *præsidem, inspectorem, ducem, institutorem.* Plutar. in vita Alexandri, καθηγητήν, quasi dicas, *praeuntem.* Xenophon de Rep. Lacedæmoniorum, κύριον, ἄρχοντα, παιδονόμον. Nam is, *dominus, princeps, doctor.* Herodotus Musa prima, φύλακα, & φυλάσσοντα; nam *custodit. Rectores*, vt Poëta, Ammian. lib. 20. Sed Sallust. *monitorem* in oratione Marij; vbi Marius ipse ait, plerumque contingere, ita ineptum fuisse Imperatorem Romanum, vt sumeret *aliquem ex populo monitorem officij sui.* Ennodius etiam in Declamat. Chironem Centaurum vocat *monitorem* Achillis. Sic & Stilico dictus est Honorij Imperatoris *tutor*, & *Regni administrator* ab Scriptoribus. Et de illo Honorius ipse ad Patrem Paneg. de 4. Cons.

Magister.

Præses. Inspector. Dux. Institutor. Dominus. Princeps. Doctor. Custos. Monitor.

Tutor. Administrator.

Subnixus Stilicone tuo, quem fratribus ipse
Discedens clypeum, defensorémque dedisti.

Ita & Imperator Constantinopolitanus moriturus Ioanni filio adolescenti, quem Imperij successorem relinquebat, Ioannem Cantacuzenum attribuit *curatorem, rectorem, tutorem.* Vide historiam Protonotiarij cap. 11. lib. 1. Apud Apollon. lib. 1. Arg. Oeneus filio suo eunti ad bellum dat κοσμήτορα. Talem virum Horat. Od. 3. lib. 1. vocat *Regem*, eo versu,

Curator.

Rex.

Acta non alio Rege puertia.

Dabantur etiam hi rectores ad vsum alium, quàm ad belli. Nam Sueton. Aug. c. 48. *Rectorem quoque solitus est apponere ætate paruis, aut mente lapsis, donec adolescerent, aut resipiscerent.* Hos dici in iure *Curatores* notat ibi Læuinus. Consentiunt cum Suetonio verba Platonis lib. 5. Polit. οὐ τοὺς φαυλοτάτους αὐτοῖς ἐπιστήσουσι, ἀλλὰ τοὺς ἐμπειρίᾳ τε, καὶ ἡλικίᾳ ἱκανοὺς, ἡγεμόνας τε, καὶ παιδαγωγοὺς εἶναι: *Præficiunt illis rectores, & pedagogos, non sanè stupidos, sed probatos experientia, & ætate.* B Nec non verba alterius Platonis, videlicet Philonis de Legatione, apud quem Caius indignans in Macronem. πάρεστιν ὁ διδάσκαλος τοῦ μηκέτι μανθάνειν ὀφείλοντος, ὁ παιδαγωγὸς τοῦ μηκέτι παιδὸς ὄντος, ὁ νουθετῶν τοῦ φρονιμωτέρου: *Adest magister mihi, cui non opus discere; pedagogus, cùm iam non sim puer; monitor, cùm sim ipse sapientior.* Absolui rem. Sed liceat in exitu aliquid coniectare. Quid si ab his, siue rectoribus, siue custodibus, siue magistris, siue vt mauis vocare, dicti *Comites* inclinante Imperio? Etenim Stilico dictus est Theodosij *Comes*, Constantius Honorij, Bonifacius Valentiniani. De quibus vide Albertum Krant. lib. 1. Hist. Vand. c. 28. vbi ait, regundis prouinciis præpositos, dictos Comites. Imò ex coniectura potiùs affero, hos ipsos custodes Principum dictos Comites. Nam nomen me ad custodes potiùs ducit, quàm ad præfectos. Inde postea *Comes-stabiles*, non ab stabulo, vt vulgus.

Pædagogi.

Comites vnde dicti.

16. RERVM.] Certum est, Imperia omnia, aut Resp. aut horum opes *rem* dici Latinis. Itaque generalis est vox ad omnia hæc. In qua re Latini pares sunt Græcis, qui hac vna voce τῇ πολιτείᾳ, intelligunt omnia dominationum genera. Nam Aristot. lib. 1. Rhet. cap. 8. cùm dicat quatuor esse πολιτείας (quæ vox sonat *Remp.*) diuidit illas in Democratiam, Oligarchiam, Aristocratiam, Monarchiam.

Res, de Imperio.

17. MAGISTROS.] Inde verbum *magistrari* apud Festum, pro *moderari.*

Magistrari.

18. OMNIS PER MVROS LEGIO, &c.] Tale quid D Enn. 3. Ann.

——mœros, vrbémque, foríque
Excubiis curat.——

Sed duplex Nota Poëtam illustrabit. Iungit, vt vides *muros* cum *sorte*, & cum *legione.* In primo alludit ad etymon, ait Columna in Enn. Nam *muri*, aut *mœri* (quod idem) dicti sunt ἀπὸ τῆς μοίρας, quòd quisque pro parte, aut sorte sua illos tueatur. In altero alludit hac coniunctione ad veterem notitiam, qua *murus* vsurpatus est pro legione, ait Lips. in Analect. ad Militiam Rom. Clarè Veget. *Antiquos murum dixisse pedestrem exercitum.* Dio lib. 54. ταῦτα τείχη τῶν ἐκ καταλόγου στρατευομένων. vbi τείχη sunt *muri*, & Dio pro legionibus posuit. Quis scit ergo an ex hac affinitate significationum quæsita Poëtæ affinitas vocum E trium, *murum legio sortiua?*

Muri vnde dicti.

Murus, pro legione.

19. EXCVBAT.] Imaginem harum excubiarum habes in Hom. lib. 10. Iliad.

Excubiæ.

Οἱ δ᾽ ὅτε δὴ φυλάκεσσιν ἐν ἀγρομένοισι γένοντο,
Οὐδὲ μὲν εὕδοντας φυλάκων ἡγήτορας εὗρον,
Ἀλλ᾽ ἐγρηγορτὶ σὺν τεύχεσιν εἵατο πάντες:

Hi verò quando iam custodes inter congregatos venerunt,
Neque dormientes custodum duces inuenerunt,
Sed vigilanter cum armis sedebant omnes.

Studium hoc Troianorum adducit mihi in memoriam

-dam illud Thucyd. lib. 8. vbi in magno periculo ... παρὰ τὸ παραχρῆμα ... *propter præsentis metus magnitudinem, ad omnia rectè administranda parati erant.*

20. EXERCETQVE VICES.] Est hoc, quod Prop. Eleg. 12. lib. 4. *Fungere maternis vicibus*, &c. Sup. alio flexu, *variántque vices*. Hom. 9. Iliad. ἀμειβόμενοι φύλακας ἔχον: *per vices habebant custodias.* Vices in excubiis.

ᵃ Nisus erat portæ custos acerrimus armis
Hyrtacides: comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, iaculo celerem leuibúsque sagittis.
ᵇ Et iuxtà comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadûm, Troiana nec induit arma,
Ora puer prima signans intonsa iuuenta.
ᶜ His amor vnus erat, paritérque in bella ruebant;
Tunc quoque communi portam statione tenebant.
ᵈ Nisus ait: Dijne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an sua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.

ARGVMENTVM.

Custodia portæ data est Niso, atque Euryalo: vnius genus, alterius pulchritudo, vtriusque amor explicatur. Deinde aperit Euryalo Nisus, esse sibi animum egregij alicuius edendi facinoris.

EXPLICATIO.

ᵃ INSERIT Poëta historiam Nisi, atque Euryali, quæ maximam libri huius partem occupat, estque plena multarum virtutum, præcipuè fidei inter amicos, fortitudinis inter hostes. Incipit verò rem à Niso, qui, vt armis egregius, ideo præpositus custodiæ portarum. Describit illius genus; fuit eius pater Hyrtacus, mater Ida (montem capio.) ipse à matre, quæ venatrix, inclaruit sagittandi arte.

ᵇ Erat iuxta illum Euryalus Troianorum pulcherrimus. Iuuabat hanc pulchritudinem lanugo; hanc enim intelligit Poëta per *primam iuuentam*. Et quia lanugo in puero, ideo *ora intonsa*, & *signans*, quasi linea quædam lanuginis excurreret per genas. Duo hîc aperio. Dicit *Æneadûm*, non *Troianorum*, cum blandimento ad Æneam, qui libris primo, & quarto descriptus est pulcherrimus. Deinde explico, quid sit, *Troiana nec induit arma*. Displicet summopere Seru. ita explicans. *Nondum bellicosa arma induerat.* Non hoc est: imò; nemo illo pulchrior arma induit. Quasi dicat: omnium, qui arma Troiana induerunt, hic fuit pulcherrimus. Nónne statim, *paritérque in bella ruebant*? An sine armis? Deinde, *tenebat portam statione*, non certè inermis. Et cur non armatus, etiamsi imberbis? An hoc nouum in militia Romana, quam sæpe adumbrat Poëta? Quin de se postea Euryalus, *Argolicum terrorem inter*, &c.

ᶜ Amabant se vicè. Argumentum. Nam, *paritérque in bella ruebant*. Huic amori sors ipsa fauerat; nam cùm sorte darentur hæ custodiæ, accidit vtrique sors. Sic expendit locum hunc Donatus.

ᵈ Ardorem animi sui declaraturus Euryalo, dubitat an is sibi à Deo sit additus, an ipse à se habeat. Sed quis hic ardor? pugnam inuadere, aut quidpiam magnum: ducítque pro argumento, non se otio illo esse contentum, nec satis quietum. Vocat quietem aut otium, inertes illas & segnes vigilias.

NOTÆ.

1. HYRTACIDES.] Sunt qui putent (neque verò hoc illepidum quæsitu existimat Victorius lib. 28. c. 16.) Nisum fuisse fratrem Asij, quem Homerus celebrat: tum quia Asius ab Græco ὑρτακίδης quoque dicitur: tum etiam, quia vterque aggressus est audax facinus, Asius apud Homerum, Nisus apud Virgilium. Hyrtacides.

2. IDA.] Capio montem: & suspicor hunc Heroëm esse ex numero illorum, qui dicti geniti è montibus, vt alij ex fluminibus, ex vetere heroïcorum temporum consuetudine, quibus lupanaria in his locis celebrata sunt, vel certè coniugia. Hinc est, vt multi Heroës dicantur fluuiorum, aut montium filij, de qua re iam alibi à me. Ida verò *venatrix* dicitur figurata locutione, vt statim, *celerem iaculo*, pro, celeri iaculo. & sup. *purpurei cristis iuuenes*, pro, purpureis, quem locum vide, vt hunc illustres. Nam pari ratione Ida *venatrix* est, quia edidit venatorem Nisum. Heroës filij montium. Enallage.

3. ET IVXTA COMES EVRYALVS.] Paria amicorum multi coniunxerunt, quæ eruditio diluta est satis: sed sunt, qui hæc quærant in Commentatoribus. Hæc si velis, adi Ioannem Scopam lib. 1. Collectan. cap. 10. vbi ex Plutarcho, Philostrato, Val. Max. Amicorum paria.

4. INDVIT ARMA.] Hom. 3. Iliad. ἔδυνε τεύχεα καλά. & lib. 4. κατὰ τεύχε' ἔδυν. quod verbi millies repetit. Hesiod. etiam in Scuto. δύσατο τεύχεα ... θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε. Induere arma.

5. ORA PVER, &c.] Dixi, indicari erumpentem lanuginem, quæ Græcis ἴουλος, vt clarè ex Calpurn. Ecl. 2.

——etenim sic flore iuuentæ
Induimus vultus, vt in arbore sæpe notaui
Cærula sub tenui lucere Cydonia lana.

Vide in hunc locum collectorem Symbolarum, qui Calpurnio alia adiungit: & me lib. 8. ad illud,

Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta.
vbi per tres aut quatuor Notas rem hanc fusè. Est verò ridiculus Macrob. conferens versum hunc cum illo Homerico, πρῶτον ὑπηνήτῃ. Hîc volo notes vicissitudinem metaphorarum: vt enim arbores res suas dant hominibus ad horum ornatum, ita vicissim homines arboribus. Nam Simocatta lib. 4. c. 8. ita scribit. τὰ δένδρα ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις τὰ ἱμάτια ἀπεδύσατο: *arbores per hosce dies vestes suas nudarunt.* Frondes voluit, & vestes dixit, ἱμάτια enim hominum sunt.

Cômutatio metaphorarum.

Imitatio.

6. His amor vnvs erat.] Reddit versum Hom. 16. Iliad.

Πάτροκλός τε, καὶ Αὐτομέδων ἵνα θυμὸν ἔχοντες.

Sidon. epist. 9. lib. 5. *Animæ duæ, animus vnus.* Minutius in Octau. *Crederes vnam mentem in duobus fuisse diuisam.* Manil. lib. 2.

Vnum pectus habent, fideique immobile vinclum.

Theocr. εἰδ. 12. ἀλλήλους δ᾽ ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ: *mutuò se amabant æqua lege, æquo iugo.*

Amicorum studium vnum.

7. Pariterqve in bella rvebant.] Videlicet *consociato studio,* vt loquitur Amm. lib. 19. aut, vt Polyb. lib. 3. Hist. διὰ τὸ συμπεπολεμηκέναι καὶ μετεσχηκέναι τῶν κινδύνων: *eorundem periculorum socij in bello & participes.* Audi & Musam Silij lib. 9. de Mario, & Caspro conantem ad Virgilium.

Lucis idem auspicium, ac patrium, & commune duobus
Paupertas, sacro iuuenes Prænesse creati
Miscuerant studia, & iuncta tellure serebant.
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus.

Sen. epist. 109. ait. *Idem velle atque idem nolle,* esse, *dulcissimum honestissimúmque.* Ouid. 10. Metamorph. ait, Phœbum solitum ire comitem Hyacintho ad venationem, & inde alitum amorem, *longáque alit assuetudine flammas.* Quint. Declam. 310. *Cùm duo homines omnes fortunas suas contulerunt, omnes casus miscuerunt.* Orestes ad suum Pyladem apud Eurip. in Taur.

ὦ συγκυναγὲ, καὶ συνεκτραφεὶς ἐμοί:
O comes meorũ venationum, ac mecum pariter enutrite.

De Telamone, & Hercule Theocrit. εἰδ. 13. ἀμφω ἑταίροι.

8. Commvni portam statione tenebant.] De stationibus ad portas satis copiosè Lips. 5. de Mil. Rom. Dial. 8. quæ omitto, tum quia in promptu apud illum, tum quia iam ab eo Symbolarum collector. Notetur, Poëtam vti *stationis* nomine in vigiliis nocturnis; nam de nocturnis loqui illum, certum ex sequentibus circumstantiis. Itaque, etiamsi discrimen illud certum esset (quod ambigi tamen potest) stationes esse propriè diurnas, vigilias nocturnas, quod iam Lips. astruxit: tamen Poëta non errauit; nam præcedente noctem hanc die custodes adhibiti sunt portis, cùm primùm apparente Turno clausa omnia sunt: atque adeò dici potest Poëta locutus cum respectu ad diem. Sic ab Soph. Antig. custodes præpositi seruando cadaueri Polynicis, dicuntur absolutè ἡμεροσκόποι, etiamsi noctu quoque asseruarent. Dixi posse ambigi de illo discrimine: nam locus Taciti lib. 1. Ann. vehementer contra Lipsium inclinat. *Iuuit nox syderibus illustris, ventúmque ad vicum Marsorum, & circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nulla metu, non antè positis vigiliis.* Hoc tantùm inclinat contra Lips. non cogit. Sed ecce telum certius: nam Amm. lib. 21. ita clarè: *Mandabat tamen egressis, vt, tanquam hoste protinus occursuro, tutius graderentur, stationésque nocturnas agerent, & vigilias, ne improuiso inuaderentur excursu.* Stationes ergo etiam nocturnæ sunt, & Virgilius locutus propriè. Si quis hinc euadat, legens ita: *stationésque, nocturnas agerent & vigilias;* hic fugam inueniet, non effugium. Nam dispositio verborum primam interpunctionem amat, non alteram. Quin Virg. clarè infrà ait, *statione relicta, in nocturna vigilia.*

Stationum, & vigiliarũ discrimen.

Statio etiam de nocturna vigilia.

9. Diine hvnc ardorem, &c.] Putabant scilicet Ethnici vehementissimas quascunque cupiditates à Diis ortas. Firmant hoc multa. Orestes apud Soph. Elect. cùm rediit in patriam ad paternam cædem vlciscendam, interficiendúmque Ægysthum, θεοί γ᾽ ἐμ᾽ ὤτρυναν μολεῖν: *Dij me impulerunt, vt venirem.* Et statim ad illum soror, εἴ σε θεὸς ἐς μέλαθρα, *Si te Deus in ædes compulit.* Iterum: δαιμόνιον αὐτὸ τίθεμ᾽ ἐγώ: *Diuinum id ego esse puto.* Et in Antig. θεὸς ἄγει πρὸς ἄτας: *Deus impellit ad exitium.* Maximus Tyrius differt. 3. ἡ δὲ ἐριννὺς, καὶ ἡ ἄτη, καὶ οἱ δαίμονες, καὶ ὅσα ἄλλα τραγικὰ εἰμαρμένης ὀνόματα, ὅσα ἐν τῇ ψυχῇ καθειργμένα: *Erinnys, & mala sæua, & vis Deorum, & si quæ alia vocabula, quæ fatalem exprimunt potentiam, in animo nostro circumgestamus.* Auctor Paneg. Constantini: *Quisnam te Deus, quæ tam præsens hortata est maiestas, vt omnibus ferè tuis comitibus tacitè mussantibus, & omen apertè timentibus, contra consilia hominum, contra auspicum monita, ipse per temet liberandæ vrbis tempus venisse sentires?* Vlysses cùm cogitauit de aggredienda nece Cyclopis, ita apud Eurip. in Cyclop. εἰσῆλθέ μοι θεῖον: *inuasit me Deus.* Sallustius de Mario aggrediente rem summè difficilem, ait, conari illum *Diis fretum.*

Diis tribuebantur vehementissimæ cupiditates.

10. An sva cviqve Devs fit dira cvpido?] Intelligit *genium*, quem Græci appellant *dæmona.* Quo nomine putabant veteres capi quicquid cuique rei insitum esset. Atque adeò naturalis conditio hominum, locorum, fluuiorum dicebatur genius, quasi res ingenita. Inde hic Deus propriis attributis dicebatur ἀποτρόπαιος, ἀποτρόπαιος, ἀλεξίκακος, λύσιος, φύξιος, λύων τὰς ἀράς: *auersor, defensor, depulsor malorum, liberator, fugans mala, auerruncãs diras.* Sic contrà ἀλιτήριος, προστρόπαιος, παλαμναῖος, μιάστωρ, ἐναγὴς, κυρῶν τὰς ἀράς: *Noxius, sceleratus, impurus, fœdus, execrabilis, ratas faciens diras.* Nam videlicet cuique mortaliũ insunt istæ affectiones ad admittenda, aut depellenda mala. Est ergo *dira cupido* in Poëta impetus ille, quo velut inuiti (vt loquuntur Gentiles) trahuntur homines. Non malè ad hanc rem trahas Pythagoræorum doctrinam, qui putabant cuique hominum adnasci aliud animal, quo dictante homines impellerentur ad res agendas. Quod animal esse ipsammet virtutem impellentem ad res, explicat Sen. epist. 113. his verbis: *Desideras tibi scribi à me, quid sentiam de hac quæstione iactata apud nostros. An iustitia an fortitudo, prudentia, ceteraq; virtutes animalia sint?* Vt & Stob. in Excerptis Physicis, loquens de Stoicis. βούλονται πᾶσαν ἀρετὴν ζῷον εἶναι: *sentiunt omnem virtutem esse animal.* Sed ipse mox explicans, addit, ἐπειδὴ αὐτὴ διάνοιά ἐστι καὶ τὸ νοῖον. Sentit itaque hoc animal, nihil aliud esse, quàm rationem, aut mentem. Ad hanc doctrinam allusum ab Auctore Paneg. Constantini, illis verbis: *Sua enim cuique prudentia Deus est.* Sed quidem (vtcunque de virtute sit) mentem & animum esse Deum veteres putauerunt. Quam opinionem Tull. 2. Diuinat. attribuit Platoni, Socrati, Aristoteli, Heraclidi, Theophrasto. Menander apud Plut. ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός: *vnicuique suus est animus Deus.* Idem Menander apud Amm. lib. 21.

Dira cupido.

Virtutes esse animalia putabant Ethnici.

Animal de ratione.

Mens cuiq; est Deus.

Ἅπασι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ,
Vniuersis mortalibus dæmon est,

scilicet mens propria. Ouid. 9. Metamorph. *sibi quisque profectò Est Deus.* Sub distinctione Homerus 6. Iliad.

Deus sibi est quisque.

Ἥτις

ἤ τίς σφιν ἐνίσπε θεοπροπίων ἐῢ εἰδώς,
ἠέ νυ καὶ αὐτῶν θυμὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει:
Vel aliquis ipsis dixit vaticiniorum bene peritus,
Vel ipsorum animus impulit ac iussit.

Quasi par potestas factorum & animorum. Commentiolus magnus bello dux apud Simocatt. cap. 5. lib. 1. reprehendens Chaganum, θεὸς δέ σοι τὸ βούλημα ἔσται καὶ θέλει σφριδῶν: *Cupido tua tibi Deus est, agens te quò lubet.* Hinc factum, vt animus dicatur diuinare, quæ potestas Dei est. Scipio apud Liu. lib. 26. *Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus Vates, præsagit, nostram Hispaniam esse.* & post pauca. *Quod mens sua sponte diuinat, idem subiicit ratio haud fallax.* Omitto Plutarchi elegantem locum præoccupatum Germano, & subiicio Ammiani intactum, qui lib. 21. loquens de Constantio, ita ait: *Ferunt Theologi in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari: admodùm tamen paucissimis visa, quos multiplices auxêre virtutes.* Per-git pluribus. Et quidem Romanis Mens culta est, vt Deus. Ouid. 2. Fast. *Mens quoque numen habet.* & addit. *Menti delubra videmus vota.* Subiicit causam; *metu belli Perfide Pœne tui.* Videndus Cic. 2. Nat. & Plut. non vno in loco.

Animus diuinus est.

Mens habita vt Deus.

A

11. DIRA CVPIDO.] Dixi ibi de hoc attributo; & nunc addo. Iosephum cap. 4. lib. 7. Bell. εἰ καί τις αὐτὸν ἔρως κακὸς ἔχει τοῦ μάχεσθαι: *Si quis illum teneret malus amor pugnandi,* id est, dirus, & sæuus. Non abit locutio Plin. in Procemio libri septimi, *magna & sæua mercede.*

Dira cupido.

12. IAMDVDVM INVADERE, &c.] Expressus duplex Homeri locus decimæ Iliad. vbi Diomedes ad Nestorem,

Imitatio.

Νέστορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στρατὸν ἐγγὺς ἐόντα.

B

Et Dolon ad Hectorem,

Ἕκτορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη, καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέσθαι.

Vterque ait, impelli se à corde suo, & generoso animo, primus ire ad castra hostium, quæ erant propè; alter ad naues, vt exploraret.

[a] Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum,
Lumina rara micant, somno, vinóque soluti
Procubuêre: silent latè loca. [b] percipe porrò
Quæ dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
[c] Ænean acciri omnes, populúsque, Patrésque
Exposcunt: mittíque viros qui certa reportent.
[d] Si tibi, quæ posco, promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros, & mœnia Pallantea.
[e] Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus: simul his ardentem affatur amicum.

ARGVMENTVM.

Explicat facinus, nempe se ardere cupiditate eundi ad accersendum Æneam, etiam per medios hostes, quod Euryalus obstupuit.

EXPLICATIO.

[a] SVMIT Nisus occasionem aggrediendi facinoris ab hostium fiducia, quæ ita magna, vt etiam inertes reddiderit, certè parum cautos. Nam præ fiducia nec ignes curabant, hi enim rari: nec operi erant intenti, imò soluti vino, & somno; ac tanquam nulli essent vigiles, silebant latè omnia.

[b] Attende Lector huic explicationi, nam hinc pendent aliæ. Ait Nisus: vnum dubito, alterum certum est mihi. Etenim verba ista, *& quæ nunc animo sententia surgat*, indicant certam aliquam sententiam, quæ sedit animo. Præmisit verbum *percipe*, non *cape*, aut obuium aliud, vt in re, quæ egeret magna attentione.

[c] Procedit. Cupiunt summopere Troiani, tam ductores ipsi, quàm reliqui, Æneam acciri; aut reportari ab illo aliquid mandatorum, certo nuntio.

[d] Sententia horum versuum perplexa est. Interpretes Seruius, Donatus, Ascensius in diuersa abeunt:

C

alij aut tacent, aut errant; vt & fortasse nominati iam. Ego quoque in diuersa abeo, fortè meliora; ita tamen vt suum cuique sensum relinquam. Sed satis verborum. Iam ad rem. Dixerat, vnum dubito, alterum certum est mihi. Ait nunc: iturum me ad reuocandum Æneam, certum est mihi, hoc enim coniicio ex facilitate itineris, quod mihi Dij inter tot arma præmonstrarunt; hinc iam enim videor reperisse viam sub illo tumulo (hoc δεικτικῶς) ad vrbem Euandri; vel si non tandem euadam, tentasse satis erit ad meam gloriam: an verò Patres, qui exposcunt acciri Æneam, egóque mihi hoc posco, promittant, vt vnà tu mecum eas, hoc dubito, quippe puer, & non obiiciendus tanto discrimini; insinuat enim illum remansurum, non ausus clarè dicere, ne lædat amici animum. Si tui videbor suppleuisse aliqua, consideret solentissimum hoc esse in Poëtis; &

D

in Græcis multa subaudiuntur penè supra modum. Et quidem Nisi oratio perplexa esse hîc debuit, quod quisque cognoscet expensis circunstantiis. Nam, in magna cupiditate aggrediendi facinoris, erat dolor magnus relinquendi amici, & maior, si secum duceret, propter periculum: & adhuc maximus, cùm nesciret, qua ratione, amico non offenso, se explicaret; nam eius certè animus fuit relinquere, & non offendere. Fortasse in Poëta legendum *permittunt*, commodiore sententia, vt infrà, *si fortuna permittitis vti.*

[e] Admiratur, imò obstupescit Euryalus ardorem Nisi, loquitúrque ad illum amore laudis stimulatus.

NOTÆ.

Vigiliæ desides.

1. LVMINA RARA MICANT.] Hæc prima occasio edendi facinoris, & contemnendi hostis. Æmilius Probus de Thrasybulo: *Cum præter classem in Siciliam appulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliæ, à Barbaris interfectus.* De simili inertia Tacit. 1. Ann. *Apud Romanos inualidi ignes, interrupta voces, insomnes magis, quàm peruigiles.* Stat. 8. Theb.

Incertæq; faces, & iam malè peruigil ignis.

Pet. Apollon. lib. 2. Excid. Hierosolym.

Romanos sopor altius habet, tum lumina sparsis
Viua micant iam nulla locis.———

Vino, somnóque soluti.

2. VINO, SOMNOQVE SOLVTI.] Occasio altera rei gerendæ. Simocatta c. 9. lib. 6. Hist. Mauricij. οἱ μὲν βάρβαροι καταφορεῖς τῷ ὕπνῳ ὄντες ἐτύγχανον, ἔξοινοί τε γεγονότες, λίαν τῶν ἐνυπνίων ἀντείχοντο: *Barbari tum somno sepulti, tum ebrij cùm essent, suis insomniis detinebantur.* Est ibidem locus alius Poëtæ cursui simillimus. τοίνυν οἱ Ῥωμαῖοι φρονηματισθέντες ἐπὶ τοῖς συγκυρήμασι, πρὸς τρυφὴν κατεκλίνοντο. εἶτα τῇ μέθῃ συρράπτονται, καὶ τῇ παροινίᾳ τὰς εὐπραξίας νοθεύσαντες, τῆς διαφρουρᾶς κατημέλησαν: *Romani, his rebus gestis, confidentia elati, ad delicias & compotationem conuertuntur, felicitatémque suam helluatione corrumpentes, custodiam negligunt.* Hanc etiam causam in re simili attingit Albert. Krant. lib. 6. Hist. Vand. c. 18. *Buggislaüs per mediam belli tempestatem crapulæ indulserat, vt non bellum, sed diem festum agere videretur. Ea re Danis nuntiata, etsi pauci numero viderentur, certam tamen victoriæ spem præsumpserunt, quod aduersus ebrios illis esset certamen ineundum.*

3. SILENT LATE LOCA.] Lucret. lib. 1.

———*fera mœnera militiaï*
Per maria, ac terras omnes sopita quiescunt.

Ducis præsentia multùm interest.

4. ÆNEAN ACCIRI, &c.] Multùm quippe interest rerum gerendarum præsentia ducis. Polyb. lib. 3. Hist. inter ea, quæ ad firmandos animos conducunt, principe loco ponit, ἡ δὲ παρουσίας ἑκάστοτε τῶν ἐπαινουμένων. Nam nihil efficacius, ideo signatè ἐνέργεια.

Fama facti satis est.

5. NAM MIHI FACTI FAMA SAT EST.] Est hoc, quod Tacit. de Germanico 2. Annal. post præclarum confectum bellum, *ratus conscientiam facti satis esse.* Et Aristotel. 5. Polit. de viris hac mente præditis, οἳ μοναρχίας ἐγχειροῦσιν, οὐχ ἵνα λάβωσι βουλόμενοι μοναρχίαν, ἀλλὰ δόξαν: *inuadunt Principes, non cupidi Principatus, sed gloriæ.* Tullius 1. Tusc. de Ennio:

Gloria sibi merces.

Mercedem gloriæ efflagitat ab his; quorum patres affecerat gloria. Loca quæpiam eiusdem Tullij hac de re obuia sunt cuique. Sententia Græca teritur ista:

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν θέλε:
Famam lubenter opibus anteponito.

Silius lib. 6.

Arripuit, traxitque virum fax mentis honesta
Gloria.———

Grauiter Val. Flacc. 1. Argonaut.

Si qua operis tanti domito consurgere ponto
Fama queat, tu sola animos, mentémque peruris
Gloria: te viridem videt, immunémque senectæ
Phasidis in ripa stantem, iuuenésque vocantem.

Plura adducere, est otio abuti in feracissimo argumento. Sed Homeri locus 17. Iliad. dignus est, qui consideretur, etiam ab properante. vbi Hector acriter pugnanti promittit dimidium spoliorum; gloriam verò integram, & parem suæ. Habebit (inquit) dimidia mecum spolia, τὸ δ' αὖ κλέος ἔσσεται ἴσον ἐμοί περ: *gloria autem ei erit, quanta & mihi.*

Stimulus gloriæ.

6. LAVDVM PERCVLSVS AMORE.] De virtute Cic. pro Archia: *animum gloria stimulis concitat.* Xenoph. lib. 1. παιδ. τοὺς ἐπαίνου ἐραστάς.

7. ARDENTEM.] Nam suprà: *Dii'ne hunc ardorem mentibus addunt?*

[a] Méne igitur socium summis adiungere rebus
Nise fugis? solum te in tanta pericula mittam?
[b] Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter, Troiæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi
Magnanimum Ænean, & fata extrema secutus:
[c] Est hic, est animus lucis contemptor: & istum
Qui vita bene credat emi, quò tendis, honorem.
[d] Nisus ad hæc. Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas; non, ita me referat tibi magnus ouantem
Iuppiter, aut quicunque oculis hæc aspicit æquis.
[e] Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)
Si quis in aduersum rapiat casúsve Deúsve,
Te superesse velim: tua vita dignior ætas.
[f] Sit qui me raptum pugna, pretióve redemptum
Mandet humo solita: aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decorétque sepulchro.
[g] Neu matri miseræ tanti sim causa doloris,
Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa
Prosequitur: magni nec mœnia curat Acestæ.

ARGV

ARGVMENTVM.

Querelæ & argumenta Euryali, quibus debeat cum Niso ire: excusatio & argumenta Nisi, quibus abnuat Euryalum secum abducere.

EXPLICATIO.

a EN querelæ. Non oportet diuelli amicos in aggressu summorum (innuit extrema pericula) quin potiùs tunc adiungendi sunt. Cur ergo *fugis me socium, & in summis*? &, si alius hoc faceret, non certè mecum hoc debeat Nisus. Ideo *Nise* ἐμφατικῶς. Sed esto, me ipse fugias, non certè ego *te solum mittam in tanta pericula*, id est, in summas res. Expende verbum *mittam*. Non certè ipse missurus, sed Patres. atqui ita vis amoris declaratur. Quasi dicat: Tu, lege amoris, meus es, quem amo, non mittam solum in pericula.

b Pulcherrima argumenta. Natus (inquit) sum inter arma, eorúmque terrorem, cùm Græci Troiam decennali bello oppresserunt, eruditúsque sum à parente exercitatissimo. En primum. Alterum. Edidi tecum magna virtutis meæ experimenta. Tertium. Secutus sum Æneam, non vt vitæ studeam, sed gloriæ, ideo *magnanimum*, & cum Ænea *extrema fata*. Quasi dicat: Si natus sum inter terrorem armorum, cur non tecum ibo in hoc periculum? si Æneam secutus sum, cur non Nisum? si cum illo extrema fata, cur non tecum pariter res summas?

c Scio ego quoque vitam contemnere, scio vel vita ipsa honorem emere, ad quem ipse aspiras. Diceret hoc Sen. Rhet. Cont. 8. *Malo gloriam, quàm vitam.* Ausim dicere, non posse infinitas aliorum Poëtarum paginas conferri cum his duobus versibus.

d En iam excusatio Nisi. Absit, vt hoc de te vererer. Sed meliùs Poëta imperfecto *verebar*. Quasi dicat: Nec leuiter quidem hoc putabam; nec fas, hoc vereri de iuuene, qui natus inter arma, qui gessit talia, qui secutus Æneam, & fata extrema. Non contentus hoc affirmasse, adhibet iuramentum per rem, quæ sibi charissima, quasi nihil magis optet, quàm viuus ipse viuum cernere Euryalum.

e Sequuntur tria argumenta, cur noluerit secum ducere Euryalum. Primum à persona Euryali, alterum à sua, tertium à persona matris. A persona Euryali; nam eius ætas, & pulchritudo digna est longiore vita, nec temerè obiicienda periculis, si ipse casu aliquo abripiatur. Addit *Deus* cum relatione ad superiora. Quasi dicat: Si quis Deus non me aspexerit æquis oculis.

f A sua persona. Sit qui cadauer meum aut raptum, aut emptum sepeliat: si neutrum, saltem absenti cadaueri det inferias, sepulcrúmque erigat plenum decoris. Quasi dicat Nisus: Pietatis tibi maternam relinquo, vt loquitur Tacit. 2. Ann.

g A persona matris, ne illa doleat te amisso, quæ culpa in me hærebit. Debes illi vitam tuam; nam sola secuta est, & cum ausu obiiciēs se procellis maris, cùm reliquæ tamē matres remāserint in Sicilia, videlicet in Segesta vrbe Acestæ Regis. Hæc latè narrata in 5. Expendit Seru. voculā *puer* adhiberi, vt dissuadeat: & ego cōcinnitatē boni Poëtæ, qui triplici argumēto tres versus vnicuiq; assignat æqua portione.

NOTÆ.

Feminarum constantia in sequendis viris.

1. MENE IGITVR, &c.] Similis constantia Agrippinæ apud Tacit. 1. Ann. nolentis à viro Germanico diuelli, etiam inter summa pericula, *cùm se Diuo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula testaretur.* Et Planciæ erga virum Pisonem; apud eundem lib. 3. Ann. quæ *sociam se cuiuscunque fortunæ, & si ita ferret, comitem exitij promittebat.* Similis Honorij apud Claud. 4. Cons. qui adhuc puer volebat ire ad bellum cum patre. Itaque inter alia,

Cur annos obicis? pugna cur arguor impar?

Similes querelæ Imilces apud Sil. lib. 3. cùm vir Annibal nollet eam secum ad Italiam abducere,

Méne oblite tua nostram pendere salutem
Abnuis inceptis comitem? sic fœdera nota,
Primitiaq́; tori? gelidósne scandere tecum
Deficiam montes coniux tua? crede vigori
Femineo: castum haud superat labor vllus amorem.

Hanc cōstantiā etiā exprimit Stat. 3. Theb. his versib.

Turbati exemplo comites, & pallida coniux
Tydea circum omnes fessum bellíque viaq́;
Stipantur.———

Et in Cornelia Lucanus 5. Phars. quæ optat non relinqui in Lesbo, sed ire ad bellum cum viro Pōpeio:

———*sic est tibi cognita Magne*
Nostra fides? credísne aliquid mihi tutius esse,
Quàm tibi? nónne olim casu pendemus ab vno?

Et in Alcyone Ouid. lib. 11. Metamorph. volente comitari virum Ceyca:

Quòd tua si flecti precibus sententia nullis
Chare potest coniux, nimiùmque es certus eundi,
Me quoque tolle simul, certè iactabimur vnà.
Nec, nisi quæ patiar, metuam, pariterque feremus,
Quicquid erit.———

Apud Plut. in vita Dionis coniux quædam optat συναπολαῦσαι καὶ μετασχεῖν τῆς αὐτῆς (ἀνδρὸς) τύχης: *adniuigare, & esse vnà particeps laborum viri.*

Socius belli.

2. SOCIVM.] Ad res belli socium Græci vocāt ex Nota Germani συλλήπτορα, συνεργὸν, ξυνεργάτην, συμφράδμονα. Ex mea, ἐπίκουρον, ἑταῖρον, ξυμμαχοῦντα, ξύμμαχον. Duo prima frequentissima in Homero, duo postrema in Thucydide, & aliis. Soph. in Elect. δορυξένους vocat, & ibidē auxiliatorē συμπονοῦντα. Poëtæ omnes passim ἀρωγὸν, & Hom. aliquādo ἐπιτάρροθον. Qua voce vsus 17. Iliad. in oratione Æneæ ad Hectorē, & Troianos. Xenoph. 4. ἑλλ. φίλον, id est, *amicum*, accipit in re belli. verba eius. ἐγὼ ὑμῖν, ὅτε τοῖς Ἀθηναίοις ἐπολεμεῖτε, φίλος, καὶ ξύμμαχος ἐγενόμην: *Ego vobis, cum bellum aduersus Athenienses gerebatis, amicus, & socius fui.* Possis etiā adiungere ἀοσσητῆρας Hom. lib. 15. Iliad. & ἀρθμίους, qua voce vsus Herodot. pro sociis in re belli, & fœderatis. Homer. dixit ἀρθμήσαντε loquens de Hectore, & Aiace 7. Iliad. qui amicitiā inierunt. Plutarchus in vita Pelopid. adhibet βοηθὸν, quæ vox passim in aliis obuia.

Amici in aduersis rebus.

3. SVMMIS ADIVNGERE REBVS.] Quibus desse nō decet, vt loquitur Lucan. lib. 8. nam de amicis, *Aduersis non deesse decet*: imò, vt tritus versus Græcorum,

Τρόπους νόμιζε τῶν φίλων τὰς συμφοράς:
Casus amicorum esse censeas tuos.

Res summæ, quæ.

Intelligit verò Poëta per *res summas*, belli postrema pericula & ardua, quæ Ammian. vocat lib. 20. *ardorē rerum terribiliū*, in quibus ait, nō diuidendos à se principes exercituum. & lib. 22. *metum vltimorū discriminū*. Et Polyb. lib. 5. Hist. ἐκπληκτικὸν ἀγωνίας. Eodē lib. extremū hoc periculū vocat ὁλοσχερῆ διακεκριμένον κίνδυνον.

Fugio, de praetextu.

4. FVGIS.] Cùm hoc verbum hoc loco accipiatur de prætextu & excusatione, qua vtebatur Nisus, ne ferret secum Euryalum, huc traho Soph. in Antig. qui verbum φεύγω eodem planè significato,

Κοὐδεὶς ἦν σαφὴς, ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι:
Nemo erat, qui certò sciret, & quisque excusabat se scire.

Ad verbum, *fugiebat scire.* Sic ergo Euryalus *fugis*, id est, prætendis excusationem.

5. SOLVM

Imitatio. 5. SOLVM TE IN TANTA PERICVLA MITTAM?] Non dissimile illud Pyladæ apud Euripid. in Orest. vbi ad amicum ita,

——ἐν μὲν ὀρθῶς σοι μέμφομ' ἔχω,
Εἰ ζῶντα μ' ᾔδεις σοῦ θανόντος ἐλπίσας.
——viuum hoc te imprimis accuso,
Si sperasti me velle viuere, te mortuo.

Imitatio. 6. NON ITA ME GENITOR, &c.] Allusio aliqua ad illa Aiacis apud Hom. 7. Iliad. iactantis virtutem suam,

——ἐπεὶ οὐδ' ἐμὲ νήϊδά γ' οὕτως
Ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνί γε γείνασθαί τε τραφέμεν τε:
——nam neque me rudem adeo
Puto in Salamine genitum, educatúmque esse.

Obserua in ista amicorum contentione adumbratam aliqua ex parte illam Orest. & Pylad. cùm neuter vellet diuelli ab altero, sed vnà aut seruari, aut mori. De qua re latè Eurip. Iphig. in Taur. Elect. etiam ad Orest. suũ, *σὺν σοὶ κατθανεῖν αἱρούμεθα, καὶ ζῆν: tecum volo mori, & viuere.*

Nati in medio armorũ. 7. ARGOLICVM TERROREM INTER.] De Germanici filio, qui postea Imperator, Tacit. 1. Ann. *Infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus.* Idem postea vocatur *legionum alumnus.* Non abit illud Iuliani apud Amm. lib. 21. *Arbitrio Dei cœlestis vobis inter ipsa iuuentæ rudimenta permistus, irruptiones Alemanorum assiduas, & Francorum populandiq; iugem licentiam fregi.* De Hon. Claud. 3. Paneg.

Et cruda teneras exercuit indole vires.

Tibull. lib. 4. *natus in armis.* Sil. eleganter lib. 2.

Pubescit castris miles, galeáque teruntur
Nondum signata flaua lanugine malæ.

Iterum post aliqua,

——pressæ properata casside malæ.

Quasi adhuc pueri in ipso bello nutriantur. Sed bellissimè hanc rem eandẽ illustrat Claud. 3. Cons. Hon.

Lustrauitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, & in mediis cunabula præbuit hastis.

Et post pauca,

Reptasti per scuta puer, Regúmque feroces
Exuuiæ tibi ludus erant, primúsque solebas
Aspera complecti toruum post prælia patrem.

Quibus omnibus describuntur natales in medio armorũ terrore, ac militũ fremitu. Repetit eandẽ sententiã, etiamsi flexu alio, in 4. Cons. Hon. Inde & Polyb. lib. 3. Annibalẽ laudat, qui *à primis ætatis annis, ἐκ τῆς πρώτης ἡλικίας,* vixerit inter milites, inter hostes, didiceritq; iam inde castrenses artes. Idẽ Annibal de se apud Liu. 21. *Me in Prætorio patris clarissimi Imperatoris propè natum, certè educatum.*

8. SVBLATVM.] His formis Græcorũ *πίπτειν, ὀλισθεῖν, ἐκθορεῖν πρὸς τῆς μητρὸς εἰς γῆν,* in re partus. i. *cadere, labi, exsilire in terrã, ex sinu matris,* quas iã alij illustrarũt, opponitur *tollere* Latinorũ, & Græcorũ *ἀναιρεῖσθαι.* De illo

Tollere liberos. Ter. And. *Quicquid peperisset, decreuerunt tollere.* De hoc Plut. *περὶ φιλ.* *παιδίον οὐδὲν ἐκ τῆς γυναικὸς ἀνελέσθαι ἠθέλησε πολλάκις: filiũ nullũ voluit ex matre tollere, etiãsi sæpe peperisset.* Stat. verbo alio lib. 1. Syl. *tellure cadentẽ excepi.* & 2. *Blando Calliope sinu recepit.* Claud. 1. Ruff. *de matre cadentẽ suscepi gremio.* Itaq; non solũ *tollo,* sed *excipio, recipio, suscipio.* Adde & simplex *capio* ab Hom. 14. Iliad. *μ' ἐν τρεφον, ἠδ' ἀτίταλλον ἐ' δεξάμεναι Ῥείης: educarunt me, & enutrierunt capientes à Rhea.*

Eruditus bello. 9. ERVDIIT.] Par illud Hectoris Iliad. 16.

——μάθον ἔμμεναι ἐσθλὸς
Αἰεὶ, καὶ πρώτοισι μετὰ Τρώεσσι μάχεσθαι:
——didici esse fortis
Semper, & primos inter Troianos pugnare.

Perseus apud Liu. de suis militibus lib. 42. *à pueris eru-* A *diti artibus militiæ.*

10. LVCIS CONTEMPTOR.] Id est, vitæ. Græci *φάος* & *λεύσσειν,* pro *viuere.* Illustrant iam hoc 1. Æneid. Vt hîc *animus contemptor,* ita de Metel. Sallust. Iugurth. *Inerat contemptor animus & superbia.* Et Sen. Rhet. Suas. 7. de his, qui vitam contemnunt, *animi sui contemptus.* Præclarè verò, vt se audacem ostentet Euryalus, dicit se vitam contemnere. Plut. in vit. Bruti ait, electos ad cædem Iulij, qui mortem contemnerent, *θανάτου καταφρονοῦντας:* vnde colligebat esse *τολμηρούς, καὶ ἀπαθεῖς.* Expende etiam, vti pro gloria vitam contemnat. Cui virtuti applaudit locus Agathiæ in Prologo Historiæ, loquentis *περὶ τῆς φιλοτιμίας.* vbi ait, non oleastri, aut apij causâ Olympionicos in arenam descendisse: neque strenuos bellatores spoliorum tantùm & præsentis lucri cupiditate accensos in aperta pericula se B coniecisse, *ἀλλὰ δόξης ἀμφότεροι ἐκεῖ βιβάζουσι, καὶ ἀκρατεῖ.* Tibul. ad Messalam,

Lux, pro vita.

Contẽptor animus.

Gloria præferẽda vitæ.

Laudis & assiduo vigeat certamine miles.

Emere vita. 11. EMI.] Græci hoc sæpe, & ab illis Latini pari frequentia. Simocatta lib. 6. Hist. Mauric. c. 7. *κινδύνοις ψυχῆς τὰς νίκας ὠνούμενοι: periculis vitæ ementes victorias.* & c. 12. lib. 3. *αἰδοῖ τῷ μισθώματι τὸ θανατᾶν παρ' αὐτῶν ἐξωνούμενος: emens ab illis mortem reuerentia præmiorum.* Arist. 5. Polit. *πρίασθαι ψυχῆς: emere vita.* Æschyl. quoque dixit *αἱματόεσσαν ἀρετὴν ὠνίαν: virtus sanguine venditur.* à quo, credo, Plut. in Mario dixit, *τὸ ποτὸν ὤνιον αἵματος, potum aqua vendi sanguine.* Affert idem in vita Coriolani veterem Poëtam, qui, *ψυχῆς ὠνεῖται.* Pind. Od. 6. Pyth. *ὁ θεῖος ἀνὴρ πρίατο μὲν θανάτοιο κομιδὰν πατρός: emit vir diuinus morte recuperationem patris.* Quid Latini? Ademi verba, quæ parauerã; satis sit indica- C re auctores. Vide Horat. Od. 14. lib. 3. Ouid. Eleg. 10. lib. 2. Amor. Propert. Eleg. 16. lib. 3. Sen. Rhet. Suas. 7. Curt. lib. 3. Ennod. Declam. 8. & plures alios.

Iurantur & quæ religiosa, & quæ charissima. 12. ITA ME REFERAT, &c.] Nescio an quicquam ad rem aptius. Vsurpantur ad iuramenta, vel quæ religiosa sunt, vel quæ charissima. Religiosa, nam iuramento exhibetur cultus Diis: charissima, nam ita indicatur amor. Ad rem. Credi vult Nisus. Assumit ergo Iouem, quo nullus ex doctrina Gentilium religiosior: Euryalũ, quo nullus charior. Quasi dicat: Vt nemo à me religiosiùs Ioue colitur; ita nemo te chariùs amatur. Apud Stat. 2. Theb. quidam ita blanditur alteri, *sic optanti victor reuehar is amico.* quod geminum huic, *ita me tibi Iuppiter ouantem referat,* Nota etiã, D Nisum tacitè sibimet vitã precari. Nota & formulã hanc, *ita me referat.* Sic in *ἀποκολοκυντώσει* Sen. *Ita illum saluum & felicem habeã.* & Sen. Rh. Suas. 7. *Ita te fruar.*

Ita me.

13. OVANTEM.] Lege Carol. Pasch. lib. 7. Coron. c. vlt. vbi de hac voce non vulgaria, & ex quibus illustrari queat hic locus. Lege & Plut. in vit. Marcelli, vbi hanc vocem ducit ab oue. Vt enim à triumphantibus bos immolabatur; ita ouis ab ouantibus.

Ouare vnde.

Locorum similitudo. 14. SI QVIS IN ADVERSVM, &c.] Ex hac Musa Sil. suam nobilitat libr. 3. ore Annibalis ad vxorem Imilcen, abnuentis illam secum abducere,

Quòd si promissum vertat fortuna fauorem,
Lætaque sit cœptis, te longa stare senecta,
Æuumque extendisse velim, tua iustior ætas,
Vitra me impropera ducant cui fila sorores.

E 15. RAPTVM PVGNA.] Sunt qui explicent *raptum,* id est, interfectũ acie; nam *rapi* dicuntur, qui moriuntur. Sed puto non hoc Poëtam dicere, imò alludere ad duas nobiles historias, Antigonæ sepelientis fratrem Polynicem raptum è campo; Priami sepelientis filium Hectorem redemptũ pretio. Nam cum distinctione loquitur ita: Sit qui me sepeliat vel raptum, vel redemptum. Sæpe enim hostes vetabant sepeliri inter

Raptus pugna, quid sit.

interfectos; quod fecit Creon contra Polynicem, A quod latè Soph. in Antig. Obiicies. Ait; *raptum pugnæ*, non *campo*. Nihil id moror. Nam ita explico. *Raptum pugnæ* id est, campo pugnæ. Qui putant has locutiones esse insolitas, non tenent Poëtarum elementa.

Absens id est, mortuus. Oppositio. 6. ABSENTI.] Id est, mortuo. Sic Græci mortuum dicunt ὁ ἀπεληλυθότα, οἰχόμενον, ἀποιχόμενον, *discedentem, euntem, abeuntem*. Soph. in Antig. opponit ἀλομένην, & ἐμφανῆ, id est, *mortuam*, & *viuam*. *Est vero* ἐμφανὴς *apparens, præsens*. Vt verò Soph. ἐμφανῆ dixit pro *viuo*, ita Pind. Od. 1. Olymp. ἄφαντος pro *mortuo*, nam loquens cum Penelope; ὡς δ' ἄφαντος ἔπλεες: *vt non fuisti apparens, aut conspicuus*, id est, *vt mortuus es*. Rursus Soph. in Antig. ita opponit. θανὼν ἐπ' ὄντα κατθάνοις με: *Mortuus viuam me occidisti*. vbi ἀντὶ τοῦ ζῶσαν, dixit, ὄντα, quasi εἶναι, idem sit, quod ζῆν. Hom. Iliad. 22. B

Esse, id est, viuere. οὐκ ἐόντος, *non viuente*; ad verbum, *non existente*. & Iliad. 6. δὴν ἦν: *diu fuit*, pro, *diu vixit*. Quod verbum Græci referunt ad præsentiam. Plaut. Trucul. loquens de prælica, *conlaudare absentes*, id est, mortuos, ex interpretatione Varronis. Vt hoc verum; ita falsum in illo 4. Æn. *sequar atris ignib. absens*, sermonem esse de mortua Didone. Nā sequitur; *At cùm frigida mors*: &c.

Inferiæ ab inimicis detestabiles. 17. FERAT INFERIAS.] Erant hac opinione Gentiles, vt nollent fieri mortuis iusta ab inimicis. Ergo vult Nisus inferias ferri sibi ab amico. Applaudit huic rei vehementer locus Soph. in Elect. vbi cùm Chrysothemis filia Agamemnonis ferret inferias defuncto patri datas ab Clytæmnestra, ita Electra admonet sororem Chrysothemin. C

> Ἀλλ' ὦ φίλη, τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν,
> Τύμβῳ προσάψῃς μηδέν· οὐ γάρ σοι θέμις,
> Οὐδ' ὅσιον, ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
> Κτερίσματ', οὐδὲ λουτρὰ προσφέρειν πατρί.
> *Sed ô chara soror, horum quæ manibus portas,*
> *Nihil sepulchro admoneas: non enim fas est,*
> *Nec pium, ab inimica muliere afferre*
> *Inferias, aut libationes patri.*

Pergit pluribus, admonens, vt vel abiiciat eas inferias, vel condat sub alio tumulo.

Inferiæ continent res sex. 18. INFERIAS.] Qui attentè Poëtas Græcos legerit, Sophoclem, Euripidem, Homerum, aliósque; Latinos item, Virgilium, Statium, Silium, & alios; is D inueniet sex præcipuas res contineri nomine *inferiarū*, videlicet, Aquam, Mel, Lac, Vinum, Sanguinem,

Aqua inter inferias. Comas. De Aqua nihil dicam, quia iam Kirmannus. De aliis placitum loqui distinctiùs, quàm alij, erunt & quæpiam in hac Nota non vulgaria, & intacta aliis. Illustris est locus Euripid. qui habetur in Orest. vbi Helena ita ad Electram,

> Καὶ λαβὲ χοὰς τάσδ' ἐν χεροῖν, κόμας τ' ἐμάς,
> Ἐλθοῦσα δ' ἀμφὶ τὸν Κλυταιμνήστρας τάφον,
> Μελίκρατ' ἄφες γάλακτος, οἰνωπόν τ' ἄχνην.
> Καὶ στᾶσ' ἐπ' ἄκρου χώματος, λέξον τάδε,
> Ἑλένη σ' ἀδελφὴ ταῖσδε δωρεῖται χοαῖς.
> *Accipe inferias has in manibus, & comas meas,*
> *Pergénsque ad sepulcrum Clytæmnestræ,*

Mel, lac, vinum, inter inferias.

> *Demitte ibi mel cum lacte mistum, & vini spumam.* E
> *Et stans in summo tumulo dices ista,*
> *Helena soror donat te his inferiis.*

Sanguinem, quem hîc omisit, habes in Iphigen. in Taur. vbi Iphigenia ipsa,

> ——— ᾗ τάσδε
> Χοὰς μέλλω, κρατῆρά τε
> Τὸν φθιμένων
> Ὑδραίνειν γαίας ἐν νώτοις,
> Πηγαῖς τ' οὐρείων ἐκ μόσχων,
> Βάκχου τ' οἰνηρὰς λοιβὰς,
> Ξουθᾶν τε πόνημα μελισσᾶν,
> Ἃ νεκροῖς θελκτήρια κεῖται.
> *Cui, id est, fratri Oresti, has*
> *Inferias paro, poculúmque*
> *Mortuorum,*
> *Vt in terræ dorsum effundam.*
> *Fontes (sanguinis) ex montanis vitulis,*
> *Bacchi vineam libationem,*
> *Et flauarum labores apum,*
> *Hæc sunt, quæ mortuos placant.*

Sanguis inter inferias.

Et Troadib. de eadem re loquens,

> Αἷμα γῆ δωρήσεται,
> *Sanguinem terræ donabit.*

Istis illustrabuntur duo Virgilij loca. Nam libr. 3. in funeratione Polydori,

> *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
> *Sanguinis, & sacri pateras.*———

Et lib. 5. in funeratione Anchisæ,

> *Hîc duo ritè mero libans carchesia Baccho,*
> *Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.*

Senec. in Oedip.

> ———*sanguinem libat focis,*
> *Solidásque pecudes vrit, & multo specum*
> *Saturat cruore, libat & niueum insuper*
> *Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu.*

Soph. quoque in Elect. πηγὰς γάλακτος adhibet, *fontes lactis*. & ibidem meminit capilli ita scribens.

> Ἡμεῖς δὲ πατρὸς τύμβον, ὡς ἐφίεται,
> Λοιβαῖσι πρῶτον, καὶ καρατόμοις χλιδαῖς
> Στέψοντες.———
> *Nos verò patris tumulum, vt præceptum est,*
> *Libationibus primùm, & è capite desectis capillis*
> *Coronabimus.*———

Comæ numerandæ inter inferias. Et quidem comas esse verè inferias, satis indicat Eurip. Phœniss. nam illas vocat ἀπαρχάς. Itaque nescio, cur illi qui ante me scripserunt, comas excludant ab inferiis. Ausim affirmare, nihil frequentiùs ab vno Eurip. induci inter inferias. Sed clarissima sunt loca Heliodori. Hic lib. 5. τὰς ἐπιφέρω χοάς, καὶ ἅμα ἔτιλλε τὰς τρίχας: *inferias adfero, & statim vellebat crines*. Et lib. 7. καὶ ἐπιφέρω χοὰς ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλοκάμων: *do in inferias capillos mei capitis*. Hæc testimonia Kiremannum, & alios reuincunt. Sed notandum quidpiam, quod qui notet, vidi neminem. Comæ illi sepulcro, vt plurimū, inferebantur, in quo iaceret cadauer, aut cinis, nō inani & honorario tumulo. Cùm itaque reliquæ inferiæ darentur corpori, siue absenti, siue præsenti; vnæ comæ præsenti. Huius rei locus est apud Eurip. in Iphig. in Taur. Post versus .n. suprà adductos, nec longè ab illis, in quibus absenti fratri obtulerat sanguinem, vinum, mel, ita subiicit eadem Iphigenia.

Comæ semper præsenti defuncto dabantur.

> ——— οὐ γὰρ πάρος
> Τύμβῳ σοι ξανθὰν χαίταν,
> Οὐ δάκρυα οἴσω.
> Τηλόσε γὰρ δὴ σᾶς ἀπενάσθην
> Πατρίδος, καὶ ἐμᾶς, ἔνθα δοκήμα-
> Κεῖμαι, σφαχθεῖσα τλάμων:
> ———*non enim ante*
> *Sepulcrum tibi flauam comam,*
> *Neque lacrymas adferam.*
> *Procul enim absum à tua*
> *Patria, & mea, vbi existimor*
> *Iacere ego misera mactata.*

Ab hoc more ita explicato lucē dabis infinitis Poëtarū locis, apud quos comæ sæpe dantur præsenti cadaueri. Theoc. amores inducit κειραμένους χαίτας ἐπ' Ἀδώνιδι, *tondētes comas super Adonidem*. Ouid. 5. Metam. de sororibus Narcissi, *sectos fratri imposuēre capillos*. Apud Calab. libro tertio in funere Achillis Myrmidones sectis capillis νέκυν ἐκάλυψαν ἅπαντα, *operuerunt cada-*

ner.

uer Regis. Apud Sophoclem in Electra in ſepulcro, vbi erat corpus Agamemnonis, Oreſtes imponit βόστρυχον τετμημένον: *ſectum capillum.* Eadem narrat Eurip. tum de ipſo Oreſte, tum de aliis, infinitis in locis. Demum hoc ita eſſe inuenies, ſi non ſemper, certè plurimis in locis & Poëtarum, & aliorum. Roget aliquis, cur flores inter inferias non numerarim, cùm nihil frequentius in tumulis mortuorum? Audi cauſam. Propriè inferiæ erant, quæ igni abſumebantur. Inde Soph. in Elect. inferias abſolutè vocat ἔμπυρα, *ignea.* Rogat enim Electra ſororem Chyſoſthemin.

Flores non inter inferias.

Ignea, de inferiis.

Ποῖ δ' ἐμπορεύῃ; τῷ φέρεις τάδ' ἔμπυρα;
Quonam vadis? aut quò fers iſta ignea?

Illa verò reſpondet,

Μήτηρ με πέμπει πατρὶ τυμβεῦσαι χοάς:
Mater mittit me, vt patris tumulo inferias adferam.

Vides, vt priùs vocet ἔμπυρα quas poſteà χοάς. Et hæc ratio, cur comas numerarim inter inferias; nam illæ quoque igni abſumebantur. De Antonino Feſti liberti cadaueri ſacrificante ait Herodian. lib. 4. πλόκαμον ἐπιθεῖναι τῷ πυρὶ ζητῶν: *quærens capillum, quem igni imponeret.* Ad rem. Cùm flores non comburerentur, liquidum non numerandos inter inferias. Flores autem tantùm aberant à cõbuſtione, vt potiùs optaretur *in vrna perpetuũ ver,* ait Sat. 7. Iuuenalis. & Auſon.

Comæ inter inferias.

Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis vrna.

Et hoc erat votum omnium, vt ſemper ſepulcra virerent floribus. Et quidem flores referendi potiùs ad ornatum ſunt. Vnde Prop. lib. 3. *Sertiſque ſepulcrũ Ornabit.* Antoninus apud Herodian. lib. 4. inducitur ſepulcrũ Achillis στεφάνοις τε κοσμήσας, καὶ ἄνθεσι πολυτελῶς, *coronis floribúſque magnificè ornans.* Et quidem Eurip. in Oreſte illos diſtinguit ab inferiis, cùm ait,

——Κλυταιμνήστρας τάφον
ἔστεψας, καὶ ἐπέσπεισας νερτέροις χοάς.
——*Clytæmneſtræ ſepulcrum*
Coronaſti, & libaſti inferis inferias.

Itaque inter coronas numerabantur, non inter inferias. Roget ſecundò aliquis, cur ſex tantùm res numerauerim inter inferias? Quia verè ſolemnes erant. Nam, etiamſi alia inferrentur, vt veſtes, aurum, &c. ſed iſta potiùs dona, quàm inferiæ. Atque adeò ſermone preſſo inferiarum tantùm ſex illa continebãtur. Ideo initio Notæ *præcipuas res* dixi. Neque lacrymas intruſi in hunc numerum, etiamſi Oreſtes dixerit apud Eurip. in Tragœdia ſui nominis, δακρύοις κατασπένδω σε: *libo tibi lacrymas.* Quia iſtæ, non tam inferiæ, quàm comites inferiarum. Hæc ego hic volui dilucidè.

Dona mortuorum.

Lacrymæ non inter inferias.

19. DECORETQVE SEPVLCRO.] Verè mortuis ſepulcrum eſt decus. Liban. Declamat. 15. ἐκοσμήσατε τοὺς ἐν τῇ μάχῃ καλῶς ἀποθανόντας: *Qui præclarè in bello occubuerunt, decorauiſtis.* Soph. in Elect. de honore mortuorum καλόν dicit, *honeſtum, pulchrum.* alibi ſepultũ vocat ἔντιμον, *honoratum,* quia ſepultus. Et in Antig. loquens de Creonte ſepeliente Eteoclem ait, τὸν μὲν προτίσας, *hunc quidem honorans:* de eodem nolente ſepelire Polynicen, τὸν δ' ἀτιμάσας, *hunc autem dehoneſtans.* Ibidem Antigone dicitur τάφον κοσμοῦσα.

Sepulcrum decus mortuorum.

20. SEPVLCRO.] Intelligit honorarium, & cenotaphium, de quo iam 3. Æneid.

21. PVER.] Ad affectum, quem expendi ex Seru. pertinet locus Stat. 2. Theb.

Pueri non apti bello.

——*te fortior annis*
Nondum cura decet.——

Pueri enim nondum apti rei militari.

[a] Ille autem: cauſas nequicquam nectis inanes,
Nec mea iam mutata loco ſententia cedit.
Acceleremus, ait. Vigiles ſimul excitat; illi
Succedunt, ſeruántque vices: ſtatione relicta
Ipſe comes Niſo graditur, Regémque requirunt.
[b] Cetera per terras omnes animalia ſomno
Laxabant curas, & corda oblita laborum.
[c] Ductores Teucrûm primi, & delecta iuuentus
Conſilium ſummis Regni de rebus habebant:
Quid facerent: quíſve Æneæ iam nuntius eſſet.
[d] Stant longis adniſi haſtis, & ſcuta tenentes,
Caſtrorum & campi medio: tum Niſus, & vnà
Euryalus confeſtim alacres admittier orant.
Rem magnam, pretiúmque moræ fore. Primus Iülus
Accepit trepidos, & Niſum dicere iuſſit.

ARGVMENTVM.

Vincit Euryalus abnuentem amicum: pergunt ſtatim (ſuccedentibus aliis in vigilia) ad locum, vbi Aſcanius, & proceres conſultabant de rebus Regni, & quis iturus ad Æneam cum nuntio obſidionis: petunt admitti, fit ſtatim, iubet Aſcanius Niſum dicere.

EXPLICATIO.

[a] VIDENTVR Euryalo argumenta Niſi inania, nec ſe abiturum ait à ſenſentia: neque dat locum, vt Niſus contradicat; imò vrget feſtinantiam, & excitatis aliis militibus, qui ſibi ſuccedant, ſtatim locum relinquit, it cum ipſo, & vterque ad Aſcanium.

[b] Id temporis ſilebant omnia animantia, quippe detenta ſomno, qui curas laxat, qui cordibus requiem curarum exhibet inducta obliuione.

[c] Non ita belli principes, & delecti iuuenes; imò, cùm quieti alij eſſent, & ſomno implициti, ipſi conſultabant, quo periculo res ſitæ eſſent: nam hæ ſunt *ſummæ res*, id eſt, extremæ; tum etiam, quis iturus ad Æneam nuntius. Hæc ſumma conſilij.

[d] Habitus

ᵈ Habitus militum hærentium in consiliis; nitebantur hastis, tenebant scuta, stabant, & quidem in medio castrorum & campi, qui locus ductorum. Accedunt amici duo, orant admitti. Ratio, quia res magna, & pretium in mora, id est, ita multum discrimen in mora, vt magno debeat æstimari. Clariùs. Magno stabit omnis tarditas, omnis mora. Admittuntur statim ab Iulo, qui iubet Nisum dicere, maiorem quippe annis. In voce *trepidos* agnosce habitum festinantium.

NOTÆ.

Inanitio. 1. CAVSAS NEQVICQVAM NECTIS INANES.] Factus fortasse versus ab illo Soph. in Elect.

Πολλ' ἀντιφωνεῖς, ἡ δ' ὁδὸς βραδύνεται:

Repugnas verbis multis, & impeditur via.

Causari. Ibidem pro *nectere & producere sermonem ex sermone*, dicit μηκύνειν λόγους. Sallust. Iugurth. *trahere omnia, more causas facere*. Omnes, pro, causari. Cùm Alcyone apud Ouid. 11. Metamorph. non vult persuaderi, ait; *Non tamen iccirco causam probat*. Omnino, quod Virg. *causas inanes nectis*, id est, non probas mihi causam.

2. NEC ME A IAM, &c.] Græci dicunt, ἡ μεταβάλλει ἔπειτα τὴν γνώμην: vel, vt loquitur Soph. in Antig. ἡ ἐνδοῦναι ἔπειτα τὴν γνώμην. Ibidem ita: εἴκειν δ' οὐκ ἐπίστασαι: *nescis cedere*.

Vigiliæ succedunt. 3. SVCCEDVNT, SERVANTQVE VICES.] Est hoc, quod Sallust. Iugurth. de re alia loquens, *euadere alij, alij succedere*. Et Hom. ad verbum 9. Iliad. οἱ μὲν ἀμειβόμενοι φυλακὰς ἔχον. fiunt enim vigiliæ mutuis vicibus. Calab. etiam de eadem re loquens, ἀμειβαδὸν ὑπνώεσκον: *vicissim dormiebant*. Et Eurip. Rhes. τίς ἀμείβει; *quis succedit?* scilicet ad vigiliam.

Gradior, militare verbum. 4. GRADITVR.] Agnosce verbum militare, quod datum puero ad iactantiam & ostentationem. De Traiano Plin. Pan. *Magno gradu anteires*. De militibus Amm. lib. 22. *alacri gradu sequentibus*. De iisdem grassantibus cæde intra Regiam Ægysthi Soph. in Elect. quos ibi Furias vocat,

Βεβᾶσι δ' ἄρτι δωμάτων ὑπόστεγοι
Μετάδρομοι κακῶν πανουργημάτων:
Gradiuntur iam in ædibus
Comites immanium facinorum.

De Deiphobo Hom. 13. Iliad. 13. μέγα φρονέων ἐβεβήκει.

5. REGEM.] Propter ius ad Regnum. Vt illustres hunc locum, adi quæ iam latè lib. 7. vbi Lauiniæ, viuente adhuc patre, datur corona, quod Regium signum.

Locorum similitudo. 6. CETERA PER TERRAS, &c. Similis ea descriptio 2. Æneid.

——*fusi per mœnia Teucri*
Conticuêre, sopor fessos complectitur artus.

Et illa lib. 8.

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumq́; genus sopor altus habebat.

ec non Homeri initio lib. 10. Iliad. à quo fortasse Noster,

Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ:
Ceteri quidem apud naues Principes omnium Achiuorum
Dormiebant per noctem molli domiti somno.

Dux vigilat. Itaque, sicut ibi, dormientibus reliquis, vnus vigilat Agamemnon: ita hîc, in reliquorum somno, vigilant Nisus, atq; Euryalus ad salutem Troianorum. Sic de Annibale Sil. lib. 1. *Noctemq́; vigil ducebat in armis*. Et de Ioue Hom. 2. Iliad. Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος: *Iouem*

A *non cepit dulcis somnus*. Inde & mox Virgilius inducit, aliis dormientibus, vigilantes ductores, consultantésque de rebus Regni. Cuius rei trita est Homeri sententia. Ex cuius ductu Nonn. lib. 26. Dionys.

Παννύχιον ὕπνον ἔχειν ἀλλότριόν ἐστιν ἀνάκτων:
Solidæ noctis somnum habere alienum est ab Regibus.

De Iuliano Ammian. lib. 21. *Formandis in futura consiliis dies impendebat, & noctes*. De Sylla duce Appian. 1. Ciuil. διανυκτερεύων. Eadem virtus ibidem datur Pompeio.

7. LAXABANT CVRAS.] Hæc somni vis, & virtus. Sic nautæ lib. 4. Æneid. *Somnus curas adimit.*

——*somno positi sub nocte silenti*
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Ab his curis, quas adimit somnus, vocat illum Ouid. in Epist. *mulcentem pectora*. & Græci λυσιμελῆ. Quam
B vocem reddit Lucret. lib. 4. nam de somno, *animi curas è pectore soluat*. Martial. lib. 7.

Et dura in noctem curarum vincula soluunt.

Ab Sen. Agam. somnus dicitur *curarum domitor*.

8. DVCTORES TEVCRVM, &c.] Noctu videlicet consultant, vt dicebam tertia ab hinc Nota. Notentur Prouerbia Græcorum duo. Primum, ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖς γίγνεται: *Sapientibus in nocte consilium*. Alterum; νυκτὸς δέ τοι ἐξοτέρη φρήν: *mens in nocte ad consultandum habilior*. Sed cur habilior? quia maius otium. Hanc enim rationem Cyrillus habet Comment. in Michæam cap. 2. ἦσαν γὰρ αὐτοῖς τὰ ἐν νυκτὶ βουλεύματα, ὡς ἡ σχολαία διάσκεψις: *Erant illis consilia in nocte, & per otium deliberatio*. Hinc traho morem Iudicum Areopagitarum, qui noctu iudicabant, fortasse vt maturiùs delibe-
C rarent illa sua incorrupta seueritate. Valer. 6. Arg. dixit, *Consilium in nocte. Nox aptior ad consultandū, quàm dies* *Areopagitæ noctu consultabant.*

—*consiliis dum nox vocat alta mouendis.*

Plutar. ἐν Ῥώμ. τὰ δὲ πολλὰ νύκτωρ ἐν ταῖς στρατείαις ἀναλαμβάνεται τῶν χρησίμων: *In re bellica pleraque noctu capiuntur vtilia consilia*. Idem Plutar. in vita Themist. aduocat versum hunc Græcum,

Νυκτὶ φωνὴν, νυκτὶ βουλὴν, νυκτὶ τὴν νίκην δίδου:
Nocti vocem attribue, nocti consilium, nocti victoriam.

Dignum est animaduersione, noctem à Græcis dici absolutè εὐφρόνην, vt cùm Soph. in Elect. *Nox absolutè dicitur consiliatrix.*

Μέλαινα τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη:
Et nox atra reliquit astra.

Ad verbum;

Atra consiliatrix reliquit astra.

D vbi *consiliatrix* est nox. Scholiast. μέλαινα εὐφρόνη, ἀντὶ μελαίνης νυκτός. Et mox sequitur in Tragico, agitanda tunc esse consilia, ξυνάπτετον λόγους. In eadem Tragœdia idem Soph. vbi inducit Electram querentem, quòd diebus & noctibus semper patrem lugeat, ait, καθ' ἦμαρ, καὶ κατ' εὐφρόνην, id est, *per diem, & per consiliatricem*, id est, per diem, & noctem. Quod nescio, an laudem. Nam hoc est illud, πρὸς ἄκος Ἀχιλλεύς, nulli non damnatum. Debent enim locutiones proposito conducere. Itaque non reprehendo εὐφρόνην poni pro *nocte*, cùm captandum est consilium, vt priore loco Tragicus; sed cùm longè res est à consilio, vt posteriore.

9. DELECTA IVVENTVS.] Nam ad consilium, cui non aptus obuius quisque, sed delecti. Apud Soph. in Antig. Creon consiliaturus, *Consilio adhibendi delecti.*

E Ὑμᾶς δ' ἐγὼ πομποῖσιν ἐκ πάντων δίχα
Ἔστειλ' ἱκέσθαι.——
Vos ego delectos ex omnibus accersiui
Missis nuntiis.——

Et suprà dixerat aduocatum, σύγκλητον, γερόντων, *colloquium senum*. vbi Scholiast. ait, vocatos εἰς ἐκκλησίαν τοὺς ἐντίμους, *qui in magno pretio & honore*, vtique delectos.

Iuuenes ad consilium.

10. IVVENTVS.] Hunc locum illustrat Lips. libro 2. de Milit. Rom. vbi ait, non otiosè à Poëta admistos iuuenes; nam & consiliis militaribus equites admiscebantur, qui ferè è iuuentute. Firmat hoc Liuij loco. Vide in eo. Sed & collector rem eandem loco Isocratis in Archidamo, & Græcis versiculis. Lege. Ego verò auctoritate Homeri libro 10. Iliad. vbi in consilio Græcorum inter alios est etiam filius Nestoris. Et Cassiodorus epist. 22. lib. 9. *Multi iuuenes morum grauitate maturi sunt.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *adhuc adolescens, ac penè puer progressa ætatis hominibus præferretur.* Apul. 2. Flor. *senilis in iuuene prudentia.* Sophoc. in Antig. γνώμη ἀπὸ νεωτέρου: *sapientia ab iuniore.* Dignus est locus Sophoclis qui adeatur integer; vbi Hæmon iuuenis dissertat multo sapientiùs patre Creonte. De Pompeio adhuc iuuene Plut. ἀκμὴ τὸ γεραρόν.

11. CONSILIVM, &c.] Vt Seru. & alij ex Lucill. qui,

Consilium summis hominum de rebus habebant.

Ita apud Thucyd. lib. 8. inducuntur senes, οἵτινες περὶ τῶν παρόντων, ὡς ἂν καιρὸς ᾖ, προβουλεύσουσι: *qui de rebus præsentibus opportunè consultarent.*

Hastæ inniti, habitus militaris.

12. STANT LONGIS ADNIXI HASTIS.] Habitus verè militaris. Ab Homero inferuntur Diomedes bellator, & Vlysses ἔγχει ἐρειδόμενοι: *hastæ innixi.* Itaque de Diomede ait, μενεπτόλεμος, id est, *bellator*, indicans hunc esse habitum bellatoris. & 3. Iliad.

Ἀσπίσι κεκλιμένοι, παρὰ δ᾽ ἔγχεα μακρὰ πέπηγε:
Scutis inclinati, iuxtà autem longæ hastæ erant infixæ.

Et de Achille libro 22. Iliad. meditante mortem Hectoris,

Στῆ δ᾽ ἄρ᾽ ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς:
Stetit verò fraxineæ hastæ innixus, cui cuspis ærea.

Et Hector ipse 8. Iliad. inducitur hastæ ἐρειδόμενος. Auctor Thebaïdos, *Reclinis hastæ.* & Statius 2. Thebaïd.

Adnixi iaculis, & humi posita arma tenentes,
Expectant hostem.——

Claud. Bell. Gild. in re etiam belli, *stat circumfusa iuuentus Nixa hastis.* & lib. de Bell. Get. Geta quispiam militaris & grandæuus inducitur, *capulóque acclinis eburno.* Virtus apud Prudent. Psych. *defixa cuspide sistit.* Aduocantur à Seru. in hunc locum verba Sallust. in Historiis hæc: *Fessi arma quisque stantes incubuêre.* Eurip. in Phœniss. alio habitu inducit milites, cùm ait:

A Καθῆστο Καδμείων λεὼς ἀσπίσιν ἔπι:
Sedebat Thebanus exercitus in clypeis.

Sed notandum vnicè, de qua manu capiendus sit Poëta. Certè de dextra. Itaque, nisus iste, quo nituntur milites, intelligendus est de dextera innitente, quia hasta ad dexteram est. Sicuti, si nisus fieret in scuto, sinistram manum innitentem intelligeres. Est enim hoc totum militare. Ita, *obuertere se ad hastam*, vel, *ad scutum*, valet militari phrasi, *conuertere se ad latus dextrum, vel sinistrum.* Polyb. ποτὲ μὲν ἐπ᾽ ἀσπίδα κλίναντες, ποτὲ δ᾽ ἐπὶ δόρυ. Ad verbum est: *Iam ad scutum inclinantes, iam ad hastam*, id est, iam se ad sinistrum latus, iam ad dextrum inflectentes. *Verti ad hastam, vel scutũ, quid sit.*

13. ALACRES.] Hæc vox notat homines προθύμους ad bellum, id est, *promptos, & feruidos, & verè ardentes.* Vim vocum sæpissimè oppositiones explicant. Sidon. epist. 4. lib. 1. ita opponit: *Vegetis, & alacribus exemplum; desidibus, & pigris incitamentum.* & epist. 6. eiusdem lib. *Cùm sis alacer domi in aggredienda peregrinatione, trepidum te iners desperatio facit.* In quibus vides *alacres* opponi *pigris, trepidis, inertibus.* Ego dubitabam, an in Sidon. legendum esset, *tepidum te iners desperatio facit.* Nam Symm. epist. 32. lib. 1. *alacrem* explicat per *ignem*, vt ita videatur alacritati opponi, quod nõ est igneũ, vtique tepidum. Verba Symmachi: *Ego te vegetum, & alacrem commonebo? eadem opera, auras, vt vigeant, & ignes vt caleant, admonebo.* Vbi, sicut auræ respiciunt vigorem, ita ignes alacrem. Non dedi integra verba Symm. quia, quæ interposita, ad rem meam non necessaria. *Alacer quis.*

C 14. ADMITTIER ORANT.] Cùm Poëta sæpissimè attingat Romanas historias, visum mihi, hanc Nisi alludere ad celebrem illã Mutij Scæuolæ. Clara hæc erũt legenti scriptores Romanos, præsertim Dionysium lib. 5. Antiq. Nam ibi Mutius, obsidente Romam Porsenna, admitti orauit in consilium, admissus proposuit sibi esse in animo, facinus aliquod egregium edere, datur illi eundi facultas, adit castra Hetruscorum. Tu reliqua. *Romana historia sæpe tentata.*

15. PRETIVMQVE MORÆ FORE.] Vide, vt explicui. Alij nõ ad gustum: ad meum, & Virgilij Sophocles Elect. τῷ χρόνῳ κέρδος: *lucrum in tempore*, id est, pretium est temporis. Scio in Soph. per negationem rem dici. Ad rem nihil. Statius quoque ad eundem gustum lib. 7. *Præcipitant, redimuntq́; moras.* Et de Iugurtha Sallust. *belli moram redimebat.* Et Ouid. in Epist. *Grande moræ pretium*, id est, mora quælibet magno æstimatur. *Moræ pretium.*

[a] Tum sic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis
Æneadæ, néve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. [b] Rutuli somno, vinóque sepulti
Conticuêre, locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in biuio portæ, quæ proxima ponto.
[c] Interrupti ignes, atérque ad sydera fumus
Erigitur. [d] si fortuna permittitis vti,
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea,
Mox hîc cum spoliis ingenti cæde peracta,
Affore cernetis; nec nos via fallet euntes.
[e] Vidimus obscuris primam sub vallibus vrbem
Venatu assiduo, & totum cognouimus amnem.

ARGV

ARGVMENTVM.

Aperit mentem suam Nisus coram concilio. Summa est, velle vtrumque ire aduocatum Æneam. Ita verò rem gerit, vt omnes difficultates ab animis auditorum amoueat.

EXPLICATIO.

a INitium orationis à beneuolentia Ascanij, qui dux & Princeps. Ait enim *Æneadæ*, vt subeat puerū patris memoria, qua delinitus quid non concederet? Pergit, *audite æquis mentibus.* Cur *æquis*? quia dicturus, *quæ ferimus ne spectentur ab nostris annis.* Quasi dicat: Estote æqui iudices; rem, non annos ponderate, argumenta supputate, quibus mouemur, non ætatem. Credo, hoc de ætate addi propter Euryalum. Nam Nisus semper inducitur æuo grandior. Nisi quis de vtroque capiat, & rem torqueat ad temeritatem, quæ comes militaris ætatis, vt dicat; ne putate nos temerarios, vt sunt qui in militari sunt æuo.

b Proponit occasionem, qua inducti ad consilium. Hæc duplex. Prima. Rutili, quibus obsessi sumus, tantùm abest, vt vigilent, vt neque dormiant, imò pene mortui sint; nam *sepulti somno, & vino*: si enim vigilarent, clamor illos proderet; sed hoc non ita, nam *sepulti conticuère.* In hoc illorum simillimo morti silentio *ipsi conspeximus* (facit hoc ad fidem) *locum* struendis *insidiis.* Sed vbi hic locus? ille, inquit, *qui patet in biuio portæ, quæ proxima ponto* Tyrrheno. Loquitur de porta muri, quo inclusi Troiani, ad quam portam ait fuisse biuium. Itaque locus signatur triplici circumstantia, à biuio, à porta, à propinquitate maris.

c Occasio altera. Nulla est ignium frequentia; nam multi extincti (nam hoc est *interrupti*) & ab his magna fumi copia. Quo enim maior fumus, & nigricantior, eo minor ignis, & parum lucidus. Et nota concinnitatem boni Poëtæ. Sicut suprà *sepulti* sunt, quod colligit, quia *conticuère*: sic nunc, *interrupti ignes*, quod colligit, quia *ater fumus erigitur.*

d Præmissis occasionibus pergit ad consilium. Est hoc, Æneam quærere. Sed non proponit nudè, imò vestit rebus, quibus faciliùs voluntatem lucretur auditorum, hunc in modum. Si per vos liceat (videat nouitius, vt ordino) cerneris hîc affore cum spoliis, atque ingenti cæde Æneam quæsitum à nobis ad Pallantis mœnia; scimus enim viam qua ituri, qua redituri. Scio aliter explicari Poëtam, sed ita mihi visum, quia simpliciter nulla re subaudita. Omnis enim subauditio fugienda, cùm necessaria non est. Expende hîc aliqua. Illud, *si fortuna permittitis vti*; ex disciplina militari, qua nihil extra imperium: sunt enim seuerissimæ leges militiæ. Ait, rediturum Æneam cum spoliis & cæde ingenti, vt excitet exultantiam Ascanij. Quod Dolon apud Euripidem, οὐκ ἀναιμάκτῳ χερὶ ἥξω πρὸς οἴκους: *redibo domum non incruenta manu.* Deniun, *nec nos via fallet euntes*; vt impetret faciliùs.

e Præmiserat, *nec nos via fallet euntes*; huius nunc rationem reddit. Videre, an possit nos via fallere; nam sæpe cùm venaremur, lustrato Tyberi, lucisque, qui circa illum, cognitis, vidimus vrbem Pallantis, vbi nunc Æneas. Nos itaque via ipsa, & oculi ducent. Explico duo. Primum. Ait *sub vallibus obscuris*, quia hæc est natura è longinquo intuentium. Seruius nihil placet, & ratio eius nulla. Nam tametsi in monte situm Pallatium, sed circa montem arbores & valles, sub quibus eminere visum Pallatium. Et quidem in 8. dicit Poëta, *ante vrbem in luco.* Atque adeò Nisus de hoc luco loquitur, qui ante vrbem. Alterum, cur dicit *primam vrbem*? intelligit (vt puto) frontem ædificiorum.

NOTÆ.

1. MENTIBVS ÆQVIS.] Id est, secundis, explicatore Ammiano lib. 21. qui synonymicè, ore Constantij Imperatoris: *Accipite quæso æquis auribus & secundis.* Nec alio sensu Plin. Paneg. Traiani: *æquiore animo sunt homines*, id est, fauentiore & secundiore. Ergo ait, *audite æquis mentibus*, id est, fauete nostræ petitioni. *Æquæ mentes, id est, secundæ, & fauentes.*

2. NEVE HÆC NOSTRIS SPECTENTVR AB ANNIS, &c.] Nam ad bellum non spectandi anni, sed virtus animi. Hi certè viri sunt, qui in tenera ætate res virorum ostentant. De Traiano Plinius Paneg. *Disiunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti.* De Domitiano ait Iosephus libro 7. Bell. Iud. cap. 23. ætatem illius superari ab egregiè bello factis. Signatiora verba sunt. λαμπρὰς καὶ ἀξιολόγους ὢν κρείττων μὲν τῆς ἡλικίας. Et suprà dixerat, illum supra ætatem fuisse in rebus bellicis exercitatum; τελειοτέραν τὴν ἐμπειρίαν τῆς ἡλικίας περιπεποιημένος. Plaut. Trin. dixit, obtineri sapientiam, non ætate, sed ingenio. De Iuliano ait Eunapius, ὁ καὶ ἐν μειρακίῳ πρεσβύτης: *adolescens & senex.* De Stilicone Claud. *mens ardua semper A puero.* Itaque præclarè ait Nisus, non semper spectandos annos. Nazianzenus ait de se, ἐκ σπαργάνων, id est, *ab ipsis cunis*, ἤδη τὴν αἰδῶ τοῦ γήρως ἐλάμβανον, *grauitatis aliquid præferebam iam senum.* Rutil. Itiner. 1. *Virtus spectanda in bello, non anni.*

Vita flore puer, sed grauitate senex. *Senex grauitate.*

De Paulo adhuc iuuene ait Cyrill. Alex. in Ioëlem num. 35. τὴν φρένα πρεσβύτης, τὸν νοῦν γηραιός: *mente senex, animo grandæuus.* De Pompeio Plutarch. καὶ τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εὐθὺς ἡ ἀκμὴ τὸ γεραρὸν, καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους, *in vigore & flore iuuentutis senilis elucebat, & Regia maiestas.*

3. SEPVLTI.] Alij legunt *soluti.* Nam videlicet *soluo* propriè sedem habet in aquis, quibus nihil solutius, cùm liquores alij astringant. Ita dicunt aliqui: sed hoc ipsum damnat illorum lectionem; nam Poëta de vino loquitur, non de aqua. Ammian. lib. 21. dixit, *mersus in somnum.* *Lectio Virgiliana.*

4. LOCVM INSIDIIS, &c. Quid ais Nise? quæ tua laus? an gloriam assequi per insidias vis? Intellige, Lector, mentem Poëtæ. Nulla res gloriosior ad laudem, quàm se in locum difficilem conicere ad insidias, vbi penè desperata salus: & vbi, nisi fortissimus, actum de te est. Has insidias Nisus intelligit, non languidas, & imbelles, & verè desidiosas. Applaudit Homeri locus 13. Iliad. sed quia longus, omittitur; tantùm sententia ponitur. Ait itaque Idomeneus ad Merionem. *Cùm fortissimi deligimur* εἰς λόχον, *ad insidias, nemo te tunc vituperabit ô Meriones. Nam in insidiis spectatur quis ignauus, quis fortis. Ignaui color mutatur, quietus non est, palpitat illi cor, aberrat animus; contrà fortis cùm it ad insidias, sibi constat, nihil timet, non eius color mutatur, ardet congredi.* Omisi multa, sententiam dedi. Præterea Nisus *insidias* tantùm generatim nominat, quæ possunt esse illustrissimæ, non ad peculiares insidias descendit. In quo reprehendo Euripidem; apud quem in Rheso ait Dolon insidiator, *Insidiis agere cōtra hostem res gloriosa.*

ſidiator, velle ſe indui pelle lupina, vt, ſi opus fuerit, incedat quatuor pedibus, vt lupus, τετρά πουν μιμήσομαι, *imitabor quadrupedem.* Quod cũ abiectiſſimum eſt, neque proferendum ab homine generoſo; nec laudandum ab ipſo Euripide, vt laudat: tum etiam ſine effectu. Nónne Græci ad viſum lupum ruerent cupiditate capiendi? Id certo eſt certius. Quid enim iucundius armatis hominibus eſſe poſſit, quàm viſus lupus? ac proinde detegerentur inſidiæ.

Interrupti ignes vigilum.

5. INTERRVPTI IGNES.] Contra hanc inertiam audi Curtium lib. 3. qui de caſtris Perſarum ita: *ignes deinde totis campis collucere cœperunt, omniáque velut continenti incendio ardere viſa.* Itaque *continens incendium*, & *ignes interrupti*, directè opponuntur. Sed Curtius (quando is mihi in manibus) eget illuſtratione. Credo alludi ad ſomnium Darij, quod in eodem libro præceſſit. Verba Curtij ſunt: *Anxium de inſtantibus curis agebant etiam per ſomnum ſpecies imminentium rerum: ſiue illas ægritudo, ſiue diuinatio animi præſagientis accerſit. Caſtra Alexandri magno ignis fulgore collucere ei viſa ſunt.* Ergo, vt Darius inſomnium hoc & velut oraculum eluderet, fecit vt caſtra ſua in excubiis arderent, & continenti incendio, ſic putans poſſe vincere Alexandri fatum. Redeo. Poëtæ *ignibus interruptis* potes etiam opponere *crebros ignes* apud Salluſt. in Iugurth. & πυρσοὶ ἐπήτριμοι apud Hom. 18. Iliad.

Oppoſitio.

Duce incõſulto nihil conandum militi.

6. SI FORTVNA PERMITTITIS VTI.] Explicui cum alluſione ad militarem diſciplinam, qua nihil conandum militibus inconſulto duce, propter ſeueriſſimas militiæ leges. Habes exemplum Mutij apud Liu. lib. 2. qui editurus ſimile facinus cum facinore Niſi, non auſus eſt penetrare caſtra hoſtium, niſi Conſulibus aditis. Itaque ingreſſus Senatum; *Tranſire Tyberim, inquit, Patres, & intrare, ſi poſſum, caſtra hoſtium volo,* &c. Phraſin ipſam arripuit Plinius Paneg. Traiani: *occaſione ſi permitteres uti,* &c.

Romana hiſtoria repræſentata.

7. QVÆSITVM ÆNEAM, &c.] Obſeruaui ſæpe, nullam ferè eſſe nobilem hiſtoriam, quam Poëta non attingat ſub alienis perſonis. Et hic obſeruo facinus Niſi, atque Euryali, qui volunt per medios hoſtes inuenire viam ad Æneam, eſſe ſimile hiſtoriæ quam narrat Salluſtius in Iugurth. de duobus adoleſcentibus, qui, obſeſſa vrbe, in qua erat Adherbal, inuenêre viam noctu per medias hoſtium munitiones, iuerèque cum literis ad Senatum, vt is doceretur teneri obſeſſum Adherbalem ab Iugurtha. Neque enim alius ſcopus Niſi, atque Euryali, quàm docere Æneam teneri obſeſſum Aſcanium ab Turno. Non multo diſſimilem hiſtoriam habet Albertus Krantius libro 2. Hiſt. Vand. cap. 35. vbi Iulienſes adoleſcentes animo prompti ſub auroram per medios hoſtes penetrant, & Regem hoſtium dolo inuadunt, capiunt etiam, & ſecum obturato ore perducunt. Quo facinore neſcio an aliud præclarius. Obſeruo hic diſcrimen inter Virgilium, & Euripidem. Apud Latinum Niſus ſeſe offert Æneam quæſiturus, quod grandis verè & excelſi animi: apud Græcum Hector quærit, quiſnam eſſe explorator velit.

8. NEC NOS VIA FALLET EVNTES.] Expreſſum ſtrato Homeri verſu Iliad. 23.

Imitatio.

Στεινωπῷ ἐν ὁδῷ παραδύμεναι, οὐδέ με λήσει.
Anguſta in via ſubire, nec me fallet.

Hoſtilis regio cognoſcenda.

9. TOTVM COGNOVIMVS AMNEM.] Non hoc de nihilo. Eſt enim in re belli magnum adiumentum, ſi hoſtium regionem cognoueris, loca, aditus, vias. Iugurtha apud Salluſtium inter alia, quæ videt contra ſe pugnare, tum hanc hoſtis ſcientiam adhibet. Verba Scriptoris ſunt: *Vrbs maxima alienata, ager hoſtibus cognitus, animi popularium tentati.* Ideo poſtea in ſpem victoriæ venit, poſtquam explorato hoſtium itinere, vidit poſſe ſe anteuenire Metelli exercitum *per tramites occultos.* Quo factum, vt ipſi ſaluti eſſet *regio hoſtibus ignara.* Vide verò, an verè, & ex peritia militiæ hoc Poëta dixerit, cùm nulla alia ratio, cur perfugæ tanti habeantur à ducibus, niſi quia ſunt ſcientiſſimi locorum. Inde idem Salluſtius: *Perfugæ regionum ſcientiſſimi, hoſtium iter explorabant.* Auctor ἄδηλος Paneg. Conſtantini inter cauſas comparatæ victoriæ: *quia lenior amnis, & ignari hoſtes erant.* Ioannes Chryſoſtomus Homilia 25. μεγάλη γὰρ ἀσφάλεια τὰ τῶν ἐχθρῶν εἰδέναι σαφῶς: *tuta ſunt omnia, ſi res hoſtium noſcas.* Plutarchus in Lucullo hoc vitium attribuit Mithridati, vt vellet aliquando eſſe hoſtilium rerum ἀγνοῶν, *ignarus*; & quendam interfecit, qui nuntiauit illi aduentum Luculli. Cui vitio videtur, magna ex parte, attribuenda calamitas, quam ille eſt paſſus. Præceptum hoc attigit leuiter Appianus 1. Ciuil. vbi Emotilus dux Samnitum capeſſit viam hoſtibus ignotam, & per anfractus, ὁδὸν ἀδόκητον ἐκ περιόδου. Hoc dolet Menelaus apud Euripidem in Helen. cùm eſſet in Ægypto.

Perfugæ habiti in pretio.

Πεδίων ἄπειροι, βαρβάρῳ τ' ὄντες χθονός;
Imperiti ſumus camporum, & terræ barbaricæ.

a Hîc annis grauis, atque animi maturus Alethes.
b Dij Patrij, quorum ſemper ſub numine Troia eſt,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cùm tales animos iuuenum, & tam certa tuliſtis
Pectora. c ſic memorans humeros, dextráſque tenebat
Amborum, & vultum lacrymis, atque ora rigabat.
d Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus auſis
Præmia poſſe rear ſolui? pulcherrima primùm
Dij, moréſque dabunt veſtri: tum cetera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer æui
Aſcanius, meriti tanti non immemor vnquam.
e Imò ego vos, cui ſola ſalus, genitore reducto
(Excipit Aſcanius) per magnos Niſe Penates,

Aſſaraciq;

Aſſaracíque Larem, & Canæ penetralia Veſtæ
Obteſtor (quæcunque mihi fortuna, fidéſque eſt,
In veſtris pono gremiis) reuocate parentem,
Reddite conſpectum, nihil illo triſte recepto.

ARGVMENTVM.

Commotus Alethes ſenior magnifica adoleſcentium virtute conuertit ſe primùm ad Deos, mox ad iuuenes cum lacrymis, promittitq́; preclaris auſis premia Æneæ nomine, atq; Aſcanij, qui, Alethæ verbis arreptis, iuuenes alloquitur reditum patris obteſtans.

EXPLICATIO.

ᵃ EX magno decoro datur exclamatio non puero Aſcanio; ſed Alethæ. Ratio: quia ætate, & conſilio valens.

ᵇ Incipit à Diis tutelaribus Troiæ. Subaudienda verò aliqua, hunc in modum. Etiamſi irati Dij, non tamen vultis Troiam aboleri. Ratio: quia dediſtis nobis iuuenes egregia virtute præditos, quorum *certa pectora* ad laudem & gloriam; non dubia, non ambigua.

ᶜ Irruit ſtatim in illorum colla amplexabundus, in manus gratulabūdus; & rigabat lacrymis tam vultum ſuum, quàm illorum ora. Hæc vera ſententia: nam qui capiunt vultum, & ora de vno Alethe, non aptè capiunt.

ᵈ Cogitat ſtatim ſenex de præmiis, quæ digna tanta virtute; & ait, hæc primùm expectanda à Diis, & moribus ſuis; deinde ab Ænea, & Aſcanio. Reddit rationem vnius tantùm Aſcanij, aliorum meditandas relinquit lectoribus. Has adiungam. Dij, quia hi ſolùm æqui, & recti examinatores virtutum. Mores, quia (hoc iam Seru. vidit) conſcientia benefacti ſatis ad gloriam eſt; nam virtus ſe ipſa eſt contenta. Æneas, quia Princeps exercitus, ad quem pertinet donare milites præmio, & honore. Aſcanius, quia non immemor tanti beneficij. Tò *actutum*, eſt ſtatim.

ᵉ Cùm virtus vtriuſque eſſet in gratiam Aſcanij potiſſima, ipſe pro ſe iam loquitur, repræſentans, obteſtans, precans. Itaque repræſentat primùm ſalutem ſuam, quę tota pendet à reducto genitore: obteſtatur deinde per Deos Penates, per Aſſaracum, per Veſtam; & omnia exornat, Penates vocat *magnos*, de Aſſaraco dicit *Larem*, de Veſta *penetralia*: precatur tertiò, vt reuocent parentem, vt reddant reſtituántque ſibi illius conſpectum. Ratio: quia *nihil illo triſte recepto*. Parentheſis hanc habet ſententiam. Quæcunque mihi eſt fortuna, vt qui natus ſum Regis Æneæ filius; quæcunque mihi eſt fides, quam præ aliis ſeruare debet Princeps, in vobis ſitas exiſtimate. Quaſi dicat: Abſente patre nulla eſt mea fortuna, nulla fides ad perſoluendum quicquid vobis promiſero. Sunt plures parentheſis huius interpretationes. Adi interpretes.

NOTÆ.

Ætas & prudentia ſpectanda.

1. ANNIS GRAVIS, ATQVE ANIMI MATVRVS.] Pari commendatione Salluſt. de Philippo, citante Seruio. *Qui ætate, & conſilio ceteros anteibat*. Idem de *Cerda in Æneid. tom. 2.*

A Iugurtha, cum reſpectu ad Hiempſalem, & Adherbalem, *ætate, & ſapientia prior*. Itaque, ſicut *æui maturus*, eſt ſenex, ita *animi maturus*, eſt ſapiens, & prudēs. Sunt, qui in Virg. legant, *æui maturus*, fortaſſe quia lib. 1. *grandæuus Alethes*. Atque de ætate etiam Plin. Paneg. Traiani, *ætatis indeflexa maturitas*. Sed præfero *animi*; nam ſic duo dicet pleniore laude, vt Ouid. 8. Metamorph. *Lelex animo maturus, & æuo*. Malè inuertit ordinem Ouidius, meliùs Poëta, nā ad graues annos ſequitur mens valida. Vide Ariſtot. in Problem. ſect. 30. quæſt. 5. qui de hac re latè. Signatiora ſunt. καὶ ὁ νοῦς φύσει οὐκ εὐθὺς, ἀλλ' ἐπὶ γήρως ἡμῖν μάλιστα παραγίνεται, καὶ τότε ἀποτελεῖται μάλιστα: *Mens naturaliter contingit, non ſtatim, ſed in ſenectute, & tunc maximè perficitur*. Inde & Ioann. Chryſoſt. in Laudatione ſancti Mart. Roma- (Sapientia in ſenectute.)

B ni vnà cum robore corporis peritiam adiungit, quaſi hæc creſcat creſcente corpore. Itaque corpori dat ἀνδρείαν, animo τέχνης ἐπιστήμας. loquitur videlicet de athletis. E contrario Oedipus apud Sen. Theb. ait, vnà cum corpore periiſſe induſtriam animi,

———virtus quoque,
Et ingenij ſolertis eximium decus
Periere.———

Vt verò Virg. ad ſignificandam ſenectam, dixit *grauis*, alij clarius, *onus ætatis*. Et Ennod. Declam. 8. *annorum faſce contritus*. (Senectutis onus.)

2. DII PATRII.] Quia *Patrij*, ideo *Troia*. Sic etiam & Deos Patrios, & patriam terram coniunxit Sophoc. in Elect. ἀλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐγχώριοι. Et iterum in Antig. ὦ γῆς Θήβης ἄστυ πατρῷον, καὶ θεοὶ προγενεῖς. (Dij Patrij.)

C 3. NON TAMEN OMNINO, &c.] Similis locus lib. 8. de laude Æneæ.

———quo ſoſpite nunquam
Res equidem Troiæ victas, aut Regna fatebor.

Itaque ad eundem modum ait Alethes, virtute horum adoleſcentium rem Troianam eſſe adhuc ſaluam. Sed Virg. quidem ad Hom. auram 4. Odyſſ.

———οὐ γὰρ ὀΐω (Imitatio.)
Πάγχυ θεοῖς μακάρεσσι γονὴν Ἀρκεισιάδαο
Ἔχθεσθ', ἀλλ' ἔτι πού τις ἐπέσσεται, ὅς κεν ἔχῃσι
Δώματά θ' ὑψερεφέα, καὶ ἀπόπροθι πίονας ἀγρούς:

———non enim exiſtimo
Penitùs Diis beatis ſobolem Arſeciadæ
Inuiſam eſſe. ſed alicubi aliquis ſupererit, qui poſſideat
Domos excelſas, & perrectos fertiles agros.

D 4. RIGABAT.] Præclarum incrementum ad explicandum affectum. Senes ſiccioribus ſunt oculis. τὸ γῆρας ξηρὸν dixit Ariſtot. lib. περὶ μακροβ. καὶ βραχ. Cùm itaque *ſenectus arida* ſit, & ſatis fuiſſet, δάκρυ' εἰβομένη, aut τέγγουσα παρειάν, vt de Antigone loquitur Soph. tamen *rigabat*, ad αὔξησιν, & affectum. & fundit veluti πηγὰς δακρύων, vt ibid. idem Soph. & ſæpe Euripides. (Senectus arida lacrymarum.)

5. INTEGER.] Ita hoc dictum, vt *cauſa integra*, in Tullio. Quaſi adhuc Aſcanius eſſet illibata ætate, & tota hæc eſſet ſuperſtes. Ad hunc fermè modum Stat. 8. Theb. *puer ille puer, malæq́; comámque integer*. (Integer.)

6. ÆVI.] Nemo ſatis aſſequetur Vatis huius vigilantiam. Hanc Seru. aperit, cùm ait: *Ennius Deos æui integros dicit, quibus multùm æui ſupereſt.* Nam æuum de

Dd 3

Æuum de Diis.

de Diis dici, vt qui diu viuant, certum. Seru. quidem 6. Æneid. *Longæuo, id est, Deo. Æuum enim propriè æternitatis est, quæ non nisi in Deos venit*; profertq; Ennium, qui ait,

Romulus in cœlo cum Diis genitalibus æuum
Degit. ———

Et quidem Symmach. epist. 79. lib. 6. æternitatem indicat, cùm ait: *Æuum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit*. Plin. epist. 24. lib. 4. opponit *tempus*, & *æuum*; cùm ait: *si computes annos, exiguum tempus; si vices rerum, æuum putes*. Vide quæ iam dedi 6. Æneid. Ad rem. Magna fuit vigilantia, cùm hanc vocem dedit Ascanio, velut cupiens immortalem: hanc enim ego adulationem concipio. Nam Poëtæ plurimi in hac re sunt. Statius ad suum Principem, *Æternum sibi Roma cupit*. & alij. Auctor enim Paneg. Constantini optat hunc Principem seruari *in omnia sæcula*, permanere *æternum*, degere *omnes in terris ætates*. Quia parum (inquit) est *optare tantæ virtuti, tantæq; pietati longissimum progressum*. Symm. epist. 81. lib. 6. *Vberes precamur annos, & recursum in hac eadem festa numerosum*. Non absimile illud Lucani, *astra petes serus*.

Vita longissima optatur Principibus adulatoriè.

Imò, ad nexum orationis.

7. IMÒ EGO VOS.] Vide nexum orationum. Ita & Stat. 10. Thebaid. *imò ait Amphion*, &c.

8. CVI SOLA SALVS GENITORE REDVCTO.] Conformia huic multa, quæ sunt apud Soph. in Elect. vbi Electra ipsa spes omnes, salutem, gloriam, sita omnia putat in Orestis fratris aduentu.

Penates Magni.

9. MAGNOS PENATES.] Quid de his sentiendū ex vnius Virg. ductu alibi aperui: &, quamuis videam longè aliam esse sententiam aliquorum, qui in hoc sæculum erupêre; non est tamen, cur mutē, quæ iam scripsi. Qui vniuersim multa velit de Penatibus, adeat diligentem operam Deltij in Nouis Commēt. Sen. in Thyest. vers. 264. ab pag. 373. & deinde per plures, vbi diligenter de distinctione Larium, & Penatium. Vide etiam Arnob. lib. 3. vbi recenset varias Gentilium opiniones de Penatibus.

10. ASSARACIQVE LAREM.] Ambitiosè ad laudē sui, ostentans scilicet diuinitatē vnius è maioribus suis, ideo cum Vesta, & Penatibus iungit. Pari ambitione Germanicus apud Tacit. 1. Ann. in oratione ad milites: *Tua Diue Auguste cœlo recepta mens, tua pater Druse imago*, &c. Plin. Paneg. sæpissimè commeminit diuinitatis Neruæ ad iactātiam Traiani, quippe is adoptione filius Neruæ fuit. Ait verò signatè *Larem*, alludens ad opinionem Gentilium, qui putabant, animas Heroum, cùm relatæ essent, ex superstitione eorum, in superos, verti in Lares & Genios. De qua re vide Eclog. 5. ad illud, *Ante focum, si frigus erit*. & adde Ouid. 5. Fast. qui ait animam Augusti versam in Larem.

Heroū animæ in Lares.

Bina gemellorum quærebam signa Deorum,
Viribus annosæ facta caduca moræ.
Mille Lares, Geniumq; ducis, qui tradidit illos,
Vrbs habet, & vici Numina trina colunt.

Vestæ religio.

11. VESTÆ.] Iurat per numen, cuius tanta apud veteres fuit religio, vt ἀνέστιος pro impio etiam, & iniusto accipiatur, quasi iniustus verè esset, qui Deā hanc non coleret. Vocat *Canam*, quia Terra, antiquissima fuit Deorum, & Vestam esse Terram Gentiles dicebant. Sunt qui putent per *Vestam* signari ignem. Abundè hoc fabulatores. Illud certum, in tanto cultu habitam hanc Deam, vt dicat Pausan. lib. 5. θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ Ὀλυμπίῳ Διΐ: *Sacrificant Vestæ quidem primùm, deinde Ioui Olympio*. Hinc non malè primatus iste, & canicies Vestæ elici queat.

Cur Cana.

In manu vestra est.

12. IN VESTRIS PONO GREMIIS.] Memnius apud Sallust. Iugurth. *In vestra manu situm est, Quirites*. Apud eūdem Catilina in oratione ad milites: *Cùm prælium inibitis, memineritis, vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare*. Maluit Poëta *gremiis*, ad indicandam iuuenum charitatem erga patriam, Æneam, Ascanium. Græci vtrumque efferunt pari energia, videlicet ἐγκολπίζειν, & ἐγγυαλίζειν, id est, *ponere in alicuius gremium, & manum*.

13. REVOCATE PARENTEM.] Quod Soph. in Elect. μέτει πάλιν. Ab hac oratione Ascanij non abeunt ea, quæ habentur in Plaut. Capt. vbi senex Hegio mittit vnum ex captiuis, vt filius suus reducatur, qui erat in seruitute. Iubet verò Ascanius, vt pater reducatur, ipse obsessus. Itaque, *augebat auctoritatem iubentis in summum discrimen auctoritas eius adducta*, ait Plin. Paneg. Traiani.

Imitatio.

14. NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO.] Aliquid huic affine Soph. Antig. vbi Ismena soror Antigonæ ita ait amans sororis,

Καὶ τίς βίος μοι σοῦ λελειμμένῃ φίλος;
Quæ verò vita dulcis sine te erit?

Et iterum,

Τί γὰρ μόνῃ μοι τῆσδ' ἄτερ βιώσιμον;
Quid verò me in vita delectet sine ista?

De Traiano Plin. Paneg. *Inde alij se satis vixisse, te viso, te recepto*. Apud Curt. lib. 3. mulieres captiuæ *negabant se captas, si viueret Rex*. Et Horat. Od. 7. lib. 1.

Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.

[a] Bina dabo argento perfecta, atque aspera signis
Pocula, deuicta genitor quæ cepit Arisba:
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
[b] Si verò capere Italiam, sceptrísque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem;
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? ipsum illum clypeum, cristásque rubentes
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia Nise.
[c] Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captiuósque dabit, suáque omnibus arma:
Insuper his, campi quod Rex habet ipse Latinus.

ARGV

ARGVMENTVM.

Sequuntur Nisi præmia, eáque permagnifica sub triplici diuisione.

EXPLICATIO.

[a] IN prima diuisione ponit pocula, tripodas, talenta auri, craterem. Ita verò commendat, vt quemuis inuitent. Nam pocula sunt *argento perfecta*, id est, tota argentea, explicante Seruio: sunt signis asperata, quæ in maiore pretio: demum obtenta sudore belli, & à patre, non à quo sum adoptatus, sed qui me genuit. Offert deinde *tripodas geminos*, de quibus nihil, quia satis notum, esse illos præmia virorum fortium, & fortitudinis: addunt rationem aliqui, quia firmiora, quæ triplici pede sustinentur. Tertiò, *duo talenta auri*, & hæc *magna*. Quartò, *craterem*, quem commendat ab antiquitate, & ab Didone, quæ dedit. Et quidem vile, imò pretiosum ab femina impensè amante. Et nota, bina esse omnia, præter vnum craterem Didûs, nam in sua potestate non situm daret illa vnum, aut duos. Nota etiam varios flexus, *bina*, *geminos*, *duo*. O quot Poëtæ insulsè repeterent eadem!

[b] In secunda Turni equum; arma, quæ tota aurea, clypeum, & eius cristas: quæ omnia, capta Italia, si id Dij annuerint, dicit iam tum excipi ab omni sorte, & seruari Niso. Quid verò maius potuit promittere, quàm equum ducis & arma? Et notetur ostentatio muneris à persona Turni.

[c] In tertia duodecim mancipia, feminas videlicet duodecim, & has lectas, imò *lectissimas*, & *matres*, id est, fœcũdas, ideo sequitur, *captiuósque dabit*, id est, duodecim (explicante Seruio) nimirum filios illarum matrum. Neque verò inermes; nam omnibus sua erunt arma. Adhæc campum Latini. Quæ continentur extra hac diuisione, audet polliceri Ascanius patris nomine: neque enim dubitat, quin ille concessurus, quæ ille promiserit.

NOTÆ.

Miles præmio excitandus.

1. BINA DABO.] Iam nunc Ascanius in hac ætatula repræsentat magnum ducẽ: scit enim suum militem præmiis incitare. De Tiberio illo, quem in collegam asciuit Mauricius, ait Simocatta lib. 3. c. 12. solitum facere, distributione præmiorum, animas suorum militum φιλοκινδύνους. & addit, αἰδοῖ τῆ μισθώματος τὸ θανατᾶν παρ' αὐτῶν ἐξωνεῖσθαι: *reuerentia premij moriendi alacritatem ab illis emens.* Verè enim animam alterius emit, qui, dato præmio, incitat ad periculum vitæ. De Iugurtha ait Sallust. ante bellum militibus beneficia ostentauisse. Adumbrat verò Poëta locum Homeri ex libro 9. Iliad. Omitto, quia iam alij.

Asperitas de signis, & emblematis.

2. ASPERA SIGNIS.] Quia habita hæc olim in magno pretio: & quo sensu accipiat asperitatem ipse se explicat, addens *signis*. Itaque in poculis signa, & emblemata; vt Claud. 2. Stil. *cingula baccis aspera*. Stat. 3. Sylu. *signis crescit torus asper eburnis*. Illud Athen. lib. 11. ἔκπωμα ἀργυροῦν, ἢ τορευτόν, possis explicare de vase asperato. Sũt hæc quæ Plin. c. 22. lib. 14. vocat, *vasa adulteriis cælata*. Quia videlicet sæpe emblemata hæc obscœna. In 5. Æneid. *cratera impressum signis*, est, asperum signis. Vir doctus Marcilius illud Persij Sat. 2.

Vasa cælata.

inclusa auro dona, explicat, aspera signis cudendo impressis. Nam Ser. illud 1. Georg. *lapidem incusum*, explicat, cudendo asperatum. Vt vasa aspera in pretio, ita & nummi asperi. Nero apud Sueton. c. 44. *Exegitq́, ingenti fastidio, & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurũ ad obrussam.* Quia hæc pretiosiora. Sic *nummus asper* in Persio est recens & nouus, neque assiduitate attritus. Sen. epist. 19. synonymicè cõiunxit *asperũ* & *probum* in re nummaria: *nec voles, quod debeo, nisi in aspero & probo accipere.* Hanc asperitatem per colorem albidum explicat Gloss. ἀλευκεκον λευκὸν, *asprium*. & ἀσπρότης, *aspritudo, candor*. Quia, quæ alba, non adhuc detrita. Sed notes aliquando nummos nouos solitos adulterari, & tunc detriti in maiore pretio. Plaut. in Prologo Casin.

Nummi asperi.

Album de nummis.

Nam nunc nouæ quæ prodeunt Comœdiæ,
Multo sunt nequiores, quàm nummi noui.

3. POCVLA.] Promittuntur hæc à puero Principe, & Niso viro clarissimo, & in pretium magni facinoris, quia vix explices, quo in pretio olim pocula. Etenim Principes inter ceterã regiam supellectilem, nescio qua cupiditate ferebantur in pocula. Scribit Duris Samius apud Athen. lib. 6. Philippum patrem Alexandri Magni habuisse poculum aureum tanto in pretio, vt illud semper sub puluino asseruaret, φροντιφυλαττεν. Xenoph. 8. παιδ. & aduocat idem Athen. lib. 11. de Persis, ἢ μὴν ἐκπώματα ἢν μὴν ὡς πλεῖστα ἔχωσι, τούτῳ καλλωπίζονται: *gloriantur maximè, si plura habeant pocula.* Tertull. inter pretiosam supellectilem de Hab. Mul. *Quædam essui, & potui vascula ex ære adhuc seruat memoria antiquitatis.* Apud Hom. 6. Iliad. Diomedes facit præclaram mentionem poculi, quod datum auo suo Oeneo ab Bellerophonte, & addit, asseruatum adhuc in ædibus. Et Calab. lib. 2. ait, poculum deriuatum ad Priamum per maiores omnes. Itaque, primùm fuit Vulcani & Veneris, deinde Dardani, mox omnium Principum, & tandem Priami. Ab hoc factũ, tum vt in solemnibus semper proferentur vasa, tum vt in præmium darentur. Primum firmat Sueton. Vespasian. c. 2. *Auiæ memoriam tantopere dilexit, vt solemnibus ac festis diebus poculo quoque eius argenteo potare perseuerauerit.* Sic in conuiuio Atrei & & Thyestæ apud Sen. profertur *poculum gentile*. & ab Didone 1. Æneid.

Pocula in magno olim pretio.

Impleuitq́, mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti.

Alterum Poëta hoc loco; & Polyb. lib. 6. qui assignat pediti in præmium φιάλην. Et Æmilius apud Plutar. dat Tuberoni genero suo φιάλην Regis Persei. Amphitryoni apud Plaut. donatur phiala ex reliqua prędа, qua solitus potare Rex Pterelas. Cũm verò addat Poëta, hæc pocula fuisse argentea, videat Lector, an lucem capiat à Plin. lib. 33. cap. 12. scribente: *Fabricius bellicosos Imperatores plus quàm pateram & salinum ex argento habere vetabat.*

Patera, & salinum.

4. DEVICTA GENITOR QVÆ CEPIT.] Confinis hæc Nota superiori. Quia pocula in magno pretio, ideo ex reliqua præda Æneæ amata & asportata. Vide Simocattam cap. 6. lib. 3. vbi Hormisda inter magnam prædam capit etiam ἀμφορεῖς. & Plin. lib. 37. c. 2.

5. ARISBA.] Oppidi huius meminit Hom. Iliad. 12. & 21. & Plin. lib. 5. c. 30. vbi coniungit tria oppida vnius tractus, Rheteum, Dardanium, Arisben.

Arisba.

6. TRIPODAS.] Hos etiam Hom. inter sua præmia lib. 9. Iliad. ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας. & de his cape Virgilium. Non enim dat Niso coquinarios, sed Homericos ἀπύρους. Et profectò alludi ad Homericos vel ex Horat. liquidum qui Od. 8. lib. 4.

Tripodes inter præmia.

Donarem tripodas præmia fortium
Graiorum. ———
Vbi signatè *Graiorum*: nam Horat. cum respectu ad Hom. qui Odyss. 15. τρίποδων ἰυχάλκων, in re honoris. Mitto loca alia Iliad. & ad primum illum, quem adduxi, Ouid. contendit in Epist.
Et tripodas septem pondere, & arte pares.
Hom. scilicet ἄπυρα. Sed de hoc præmio, déque discrimine tripodum, copiosè iam lib. 5.

7. AVRI DVO MAGNA TALENTA.] Nunquam modicus Hom. in quo, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα: *decem auri talenta.* Quod & Ouid. arripuit.
Addita sunt illis auri bis quinque talenta.
Quid verò sit *talentum magnum*, iam ego in 5. Æneid.

Oppositio. 8. CRATERA ANTIQVVM.] Inuenio oppositionē in Poëta dignam, quam notes. Pocula sunt *aspera*, crater *antiquus*; quia illa recentia, hic iam vsu tritus. Nam asperitas dici quit non tantùm propter signa, sed etiam propter nouitatem. Sic in Persio *nummus asper* est recèns cusus. In hoc autem cratere antiquo allusum, credo, à Poëta est ad patellas illas aureas, argenteásve, quæ erant in familiis, & sedulò seruabantur. Videndus Val. Max. lib. 4. c. 4. vbi loquitur de Q. Æmilio Papo.

Imitatio. 9. SI VERÒ CAPERE ITALIAM.] Locus clarus Hom. 9. Ilia. vbi post promissa Achilli præmia, adiicitur,
——— εἰ δέ κεν αὖτε
Ἄστυ μέγα Πριάμοιο θεοὶ δώωσ' ἀλαπάξαι,
Νῆα ἅλις χρυσοῦ, καὶ χαλκοῦ νηήσασθαι
Εἰσελθὼν, ὅτε κεν δατεώμεθα ληΐδ' Ἀχαιοί:
——— *quod si rursus*
Ciuitatem magnam Priami Dij dederint euertere,
Naues abundè auro, & ære impleat
Ingressus, quando diuidemus prædam Achiui.
Tandem sententiam Hom. idem cōcepit lib. 1. Iliad.
——— αἴ κε ποθι Ζεὺς
Δῷσι πόλιν Τροίην εὐτείχεον ἐξαλαπάξαι:
——— *si quando Iuppiter*
Dabit Troiam vrbem bene munitam euertere.
Lib. etiam 8. ita cum Teucro loquitur Agamemnon,
Αἴ κέν μοι δώῃ Ζεὺς αἰγίοχος, καὶ Ἀθήνη
Ἴλιον ἐξαλαπάξαι ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω:
Si mihi dederit Iuppiter Ægiochus, & Minerua
Troiæ expugnare bene ædificatam vrbem,
Primo tibi post me honorarium munus in manus ponam.

Homeri vitium. Vt istis bene Homerus, ita pessimè Iliad. 10. aggredienti rem magnam promittit Nestor οἶν μέλαιναν, *nigram ouem.* Quę sequuntur in Hom. sunt etiā satis exigua, si conferantur cum amplissimis Virgilianis.

Homerum superat Virgilius. 10. VIDISTI QVO TVRNVS EQVO, &c.] Notat Seru. alij etiam Homeri inciuilitatē, qui fecerit Dolonem petētem ab Hectore Achillis equos. Prudentior Virgilius, qui Ascanium præoccupantem fecerit, non petentem Nisum. Homeri versus 10. Iliad. sunt.
Ἀλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καί μοι ὄμοσσον,
Ἦ μὲν τοὺς ἵππους τε, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ
Δωσέμεν, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλεΐωνα:
Sed age mihi sceptrum porrige, & mihi iura,
Certè ipsos equosq́, & currus ornatos ære
Daturum, qui vehunt eximium Pelidem.
Notetur & locus alius Hom. Iliad. 17. vbi Hector pugnanti acriter pollicetur, hūc in modū. ἡμισυ τῷ ἐνάρων ἀποδάσσομαι: *partiar dimidium spoliorum.* Sed quidem solitos magnos duces aspirare ad equos illorū, quos ipsi vicerint, & hoc esse admodùm gloriosum, apparet ex hoc loco Virg. & ex altero Hom. Iliad. 17. vbi Iuppiter indignatus propter cædē Patrocli, ita cum equis illius loquitur; erant verò equi illi Achillis.

A Ἀλλ' οὐ μὰν ὑμῖν γε, καὶ ἅρμασι δαιδαλέοισιν
Ἕκτωρ Πριαμίδης ἐποχήσεται. οὐ γὰρ ἐάσω:
Sed non quidem vobis, & curribus variegatis
Hector Priamides vehetur, neque enim permittam.
Quasi hoc summè optaret Hector, & hoc nollet Iuppiter annuere. Agamemnon etiam 8. Iliad. Teucro promittit δύω ἵππους αὐτοῖσιν ὄχεσφιν: *equos duos cū ipsis curribus.* Quid quòd equus fuit etiam inter præmia militaria? Fabius Max. apud Plut. cuipiam Marso militi ἵππον πολεμιστὴν ἐδωρήσατο.

Equus inter præmia militaria.

Ipsum illū. 11. IPSVM ILLVM.] Id est, equū, non, ipsum illum clypeū. Notetur forma Græca, quæ μιν αὐτον. Hō. sup. τοὺς ἵππους, *ipsos equos.* Vide Victoriū lib. 26. c. 1. Eurip. in B Herc. Furent. emphaticè ait, πάλαισμα τόνδ' Ἡρακλέους πατρὸς *illū Herculis.* Ait verò *ipsum illum* δεικτικῶς. Nā, vt bene Albert. Krant. lib. 1. Hist. c. 8. *Spectata ante oculos præmia alacriorem faciunt pugnaturum.*

Præmia alacriorem faciunt militem.

Excipere sorti. 12. EXCIPIAM SORTI.] Attingit Virg. solennem morē, quo ducibus exercituū nō dabatur præmium ex capta præda, pari cū militibus sorte, sed ἐξαίρετως, & citra omnē sortē eximebatur: imò ipsi accipiebāt ad lubentiā, ideo sup. de Ænea *cepit.* & hîc Ascanius *excipiam sorti.* Et Eurip. in Androm. vbi Menelaus,

Dux ipse eligebat quod vellet e præda.

Εἷλόν νιν αἰχμαλωτον ἐκ Τροίας ἐγώ:
Ego ipsam cepi captiuam ex Troia.
Et statim de Pyrrho, αὐτὴν ἔλαβε. & de eodē in Troadib. καὶ τὴν δ' Ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἐξαίρετον. vbi ἔλαβε, vt C Virg. *cepit.* videlicet Pyrrhus Andromachā Principem fœminā. Et Achilles apud Hom. 1. Iliad. αὐτὸς ἕλωμαι, *ipse capiā.* & de eodē Achille 9. Iliad. αὐτὸς ἑλέσθω. ibidem Agamēnon, ἐξελόμην: *ego delegi.* & Hector ad Dolonem apud Eurip. in Rheso, λαφύρων αὐτὸς αἱρήσῃ, *ipse eliges ex spoliis.* Et de Mario Plut. in eius vita post victoriam Cimbricā. τῶν βαρβαρικῶν ὅπλων καὶ λαφύρων τὰ μὲν ἐκπρεπῆ ἐπιλέξας: *Ex armis & spoliis barbaricis præcipua ipse elegit.* Sed, missa locutione, in qua hactenus hæsi, morem ipsum multa confirmant. Inprimis ipsemet Euripid. Troadib. vbi ait, Principes fœminas Cassandram, Andromacham, Polyxenam datas ἀκλήρους, id est, *extra sortem,* τοῖς πρώτοισιν ἐξῃρημένας στρατοῦ, *Principibus exercitus exceptas.* Et in Androm. ait ipsa Andro- D macha, datam se γέρας λείας Τρωικῆς ἐξαίρετον, *in præmium ex Troiana præda extra sortem.* & Hom. 16. Iliad.

Extra sortē præmia Principum.

Κούρην, ἣν ἄρα μοι γέρας ἔξελον υἷες Ἀχαιῶν:
Puellam, quā mihi in præmiū exemerunt filij Achiuorum.
Vbi ἔξελον notat γέρας ἐξαίρετον. Et quidem ἐξαίρειν directè respondet Latino *excipio.* Atq; adeò Festo *excipuū* est præcipuum, quasi exceptū. Est & hoc quod lib. 8. *Ducunt exsortem Æneæ*, videlicet equum. vbi *exsortem* explico nobiliorem, & extra sortem. Et 16. Iliad. dicitur de Achille accepisse Pedasum equum capta vrbe Eëtionis. Huc allusum à Symm. lib. 1. epist. 43. *Nemo enim bellis notus, aut domi clarus exsortē præmij sensit industriam.* Adiungam & verba Eustathij lib. 1. Iliad. hæc. E ἰστέον δὲ ὅτι λείας ἐπισυναχθείσης πολλῆς, ἐμερίζετο ἐπίσης τὰ λάφυρα διά τινος λαγμοῦ. ἰδίᾳ τῷ δὲ ἴδια τοῖς βασιλεῦσι, καὶ ἀριστεῦσι καὶ ἐξαίρετον ἀπομοιραί τινες: *Sciendum, vniuersa præda in locum vnum coniuncta, spoliisq́, sortitione quadā ex æquo diuisis, dari tamen Regibus, & summatibus priuatim quadam extra sortem.* Adiicit Eustathius (quod scire interfuerit) hæc præmia extra sortem dici absolutè γέρας, Inde grauis illa querela Achillis lib. 1. Iliad.

Præmium extra sortē, γέρας.

Καὶ δή μοι γέρας αὐτὸς ἀφαιρήσεσθαι ἀπειλεῖς:
Et iam mihi præmium ipse auferre minaris.
vbi per γέρας intelligit proculdubio *extra omnē sortem præmium,* & ἐξαίρετον. Est huic rei suus fundus, quē attingit Aristor. lib. 1. Polit. c. 7. vbi docet, esse vtile, vt opes ciuium inæquales sint; nam virtute præstantes homines locupletiores esse debent, non æquales reliquæ

Ciuium opes esse debent inæquales.

liquæ plebi. Et, cùm multa in eo capite eleganter dicat, tum hoc imprimis dignum quod hæreat. μᾶλλον γὰρ δεῖ τὰς ἐπιθυμίας ὁμαλίζειν, ἢ τὰς οὐσίας: *Oportet potiùs cupiditates quàm facultates exæquare.* Ab hoc cursu non abeunt verba Plutar. in Lucullo, vbi huic duci Rex Ægypti δαπάνην ἢ καὶ σύνταξιν οὐχ ὅσην ἐδίδου τοῖς ἄλλοις, ἀλλὰ τετραπλῆν ἐκείνῳ παρεῖχεν: *impensarum verò & sumptus, non quantùm cæteris, sed quadruplum illi præbuit.*

Sorti, casus latiuus.

13. SORTI.] Id est, excipiam ab omni sorte. Nam hîc *sorti* ablatiuus est. De quo ego iam Ecl. 6. ad illud,

Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant.

Et alibi bis, aut ter.

14. INSVPER HIS.] Vt Græci πρὸς τούτοις. Alij legunt, *insuper, id campi*, &c.

15. CAMPI QVOD REX HABET IPSE LATINVS.] Dissimulo litem Germani contra Seruium. Nam & in ipso obuia, & aliis iam transcripta. Vide & locum Hom. apud Vrsinum: & mecum nota allusum à Poëta ad morem illum, quo militibus victoribus dabantur, diuidebantúrq; partes agrorum hostilium post habitam victoriam, quod iam in Eclogis.

Campi hostiles militibus victoribus diuisi.

[a] Te verò, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio, & comitem casus complector in omnes.
[b] Nulla meis sine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, seu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborúmque fides. [c] Contrà quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantùm fortuna secunda,
Aut aduersa cadat. [d] sed te super omnia dona,
Vnum oro. Genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia Regis Acestæ.
[e] Hanc ego nunc ignaram huius quodcunque pericli est,
Inq; salutatam linquo (nox, & tua testis
Dextera) quòd nequeam lacrymas perferre parentis.
[f] At tu, oro, solare inopem, & succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo
In casus omnes. [g] Percussa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iülus,
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur.

ARGVMENTVM.

Conuertit se cum magnis notis beneuolentiæ ad Euryalum: hic illi virtutem animi eandem in quacunque fortuna pollicetur, commendat matrem, à qua insalutata discedit. Flent Troiani ad hanc pietatem, commouetúrq; Ascanius paternæ pietatis imagine.

EXPLICATIO.

[a] TEnerrima omnia, vt à puero, & ad puerũ; nam his ætas fermè similis, ideo *spatiis propioribus.* Cõfirmat verò amorẽ verbis, & re. Verbis, nam *te pectore toto accipio.* Re, nam *comitem casus complector in omnes.* Admouit quippe illum suo pectori. Itaque non frustra *accipio te pectore,* cùm sequatur *complector*; nam hoc est, pectore accipere. Cur vocet *venerandum*, dico in Notis.

[b] Quid verò iam illi in futurum promittit? parem secum pace & bello gloriam, quam sine illo nullam quæret. Deinde ait, neminem sibi fore fidentiorem seu rebus, seu verbis: rebus, in bello; verbis, in pace. Nam τὸ *rerum* refero ad bella; τὸ *verborum* ad pacem.

[c] Quid verò Euryalus? Tu me Ascani socium accipis gloriæ tuæ & pace, & bello, ego tibi ipsissimus semper ero & in aduersis, & in secundis; & nunquam ab hac virtute, quoad viuam, degenerabo. Illud *tantùm* ita explica; semper ero fortis, hoc tantùm de me possum promittere; fortuna, quod velit, faciat.

[d] Pungebat puerum maternus amor, nec in tanto ardore belli dissimulare potuit. Itaque, sui impos, & gloriæ, quæ par Ascanio promittebatur, ait, vnum se præ omnibus orare. Sed priùs quàm oret, narrat sibi esse matrem, imò *genitricem*, quod efficacius ad affectum, quæ nobilissima, quæ se perditè amaret. Nobilissima, nam *Priami de gente vetusta.* Quæ se perditè amaret, nam nec Troia illam retinuit, nec vrbs Acestæ in Sicilia, quin me excedentem sequeretur. Illud *miseram*, ad perditum, & flagrantissimum amorem Seruius refert.

[e] Pergit narratio, in qua magnus affectus. Illa noluit me relinquere; nam mecum excedente excessit: ego illam relinquo ignaram mei periculi, insalutatámque. Ne verò tibi crudelis videar; nam nequeo perferre eius lacrymas. Parenthesis hanc habet sententiam. Ne putes me non pium erga matrem, & ingratum, testis mihi nox est, testis tua dextera, abire me ab illa insalutata, tantùm quòd nequeam perferre eius lacrymas.

[f] Post narrationẽ sequitur petitio. Solare illam, nam inops: succurre illi, nam relicta à me: feram

mecum

mecum ſpem,te meis precibus non defuturum.Hoc ſi feceris, quos mihi animos Iüle dabis ad omnes caſus? imò,quam audaciam?

g Perculit omnes Euryali oratio, Aſcanium imprimis:nam,cùm illi lacrymas dederint, hic non ſolùm effudit lacrymas,ſed altiùs paternæ pietatis imagine commoueri animo cœpit. Quippe Euryalus (ait Scal.)repræſentauit charitatem erga parentes.

NOTÆ.

Spatium, de circo.

1. SPATIIS.] Non dubium, quin ab circo petatur locutio, in quo quæ ſint ſpatia, iam in Georg. Sententia ducta fortaſſe ab Hom.Odyſſ.20.vbi Telemachus ad Piſiſtratum, ἀτὰρ δ' ὁμήλικες εἶμεν: *ſed æuo pari ſumus.*

Pulchritudo in veneratione.

2. VENERANDE PVER.] Refero ad pulchritudinem, quæ prædicata de Euryalo. Neſcias enim quo cultu & religione colantur, qui pulchri ſunt. Et quidem viſa pulchritudo ſtatim ingenerat reuerentiam ſui. Latinus Pacatus Paneg. Theodoſ. *Auguſtiſſima quæque ſpecies plurimùm creditur trahere de cœlo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus, dignum priùs metatur hoſpitium: ſiue,cùm venerit, fingit habitaculum pro habitu ſuo*, &c. vbi vides, vt loquatur de forma auguſta,vt de re cœleſti,diuina, religioſa. Inde Pind.Od. 7.Olymp. gratiam, qua quis valet, αἰδοίαν vocat, id eſt, *venerandam*. Adraſti filiæ ita deſcribuntur ab Stat. 2.Theb.

Ibant inſignes vultuq́;, habituq́; verendo,
Candida purpureum fuſæ ſuper ora ruborem.

Quaſi purpureus color miſtus candido, id eſt, pulchritudo oris vtroque conſtans colore, verendas fecerit. Propter formam hanc auguſtam & dignam Deo,credo dictum à Virg.in Cyri;

Octaui venerande meis adlabere cœptis
Sancte puer.——

Iterum: *Et te ſancte puer venerabilis.* Claudianum quoque ita accipio loquétem de Stilicone, cùm is puer,

Iam tum conſpicuus,iam tum venerabilis ibas.

Et Fabium Declam.340. *Sacrum illud prætextarum, quo infirmitatem pueritiæ ſacram facimus,& venerabilem.* Electra ab Euripid.in Oreſt.dicitur σέμνα, vt quæ pulcherrima,id eſt, *veneranda*. Victor Vticenſis in Hiſt. de Perſecut.Vandalica lib.3. *Venerabilis adoleſcẽs Maioricus.* De Helena Ennod.in Declam. *venerandæ vxoris.* Inde credo vetus illud Philoſophi ἀνωνύμου: *Pareat vxor viro, vir vxorem veneretur.* cùm Theoc. εἰδ. 17.dixit,

Κάλλει ἀριςεύοισα θεάων, πότνι' Ἀφροδίτα:
Pulchritudine ſuperans Deas veneranda Venus.

clarè indicat,ideo venerandam, quia pulchrior. Iſocrat.in laude Helenæ vocat κάλλος σεμνότατον, καὶ τιμιώτατον, καὶ θειότατον τῶν ὄντων: *pulchritudinem auguſtiorem, pretioſiorem, diuiniorem rebus omnibus.* Et infrà ait, formoſos coli ſolitos ὥσπερ τὰς θεὰς, *tanquam Deos.* Horum corpora vocat ἱερὸν, *templum.* Illis verò qui colunt formoſos, dat verba θεραπεύειν, & λατρεύειν, quæ Deorum ſunt. Dicit etiam, cultum, quo illos proſequimur,eſſe εὐσεβεῖν. Ac mox loquens de Helena ait,ipſam ingenti pulchritudine adeptam,& ſibi,& fratribus diuinitatem. Adiicitque,plures διὰ τὸ κάλλος ἀθανάτους γεγενημένους, ἢ διὰ τὰς ἄλλας ἀρετὰς ἁπάσας, *propter pulchritudinem adeptos eſſe diuinitatẽ,quàm propter vniuerſas alias virtutes.* Demum,in toto illo ſermone non aliter Iſocrates loquitur de præſtantia pulchritudinis,quàm vt de re diuina.

Argui diſſimilem.

3. DISSIMILEM ARGVERIT.] Ex perluſtrato hoc loco Symm.epiſt.28.lib.1. *Conuenit dictum cum fide morum tuorum,nec vnquã te diſſimilẽ ſcriptis talib. dies arguet.*

Amicitia in vtraque fortuna.

4. FORTVNA SECVNDA, AVT ADVERSA.] Lex veri amoris & amici,qui in vtraq; fortuna eſſe idem debet. Hanc iactat apud Salluſt. Adherbal, cuius familia tunc amicitiam cum Romano Pop. inſtituit, cùm hic bello Carthaginenſium premebatur. Seneca Rhet.in Controu. *In omnem me fortunam, frater,tibi iungam comitem.* Tale illud 2. Æneid. *Vnum & commune periclum, vna ſalus ambobus erit*, id eſt,in aduerſis, in proſperis. Quod Virgilianum ad verbum Simocatta cap.13.lib.2.Hiſt. κοινὸς μὲν ὁ κίνδυνος, ἡ δὲ σωτηρία ἀπάντων ἀμέριςος: *Commune periculum, ſalus omnibus indiſcreta.*

Miſer, de intemperante amore.

5. MISERAM.] De intẽperanre amore. Hoc ſenſu Ouid.9.Metamorph.de Deianira: *blandisq; miſerrima verbis.* Ibid. Byblis impensè amans fratrem, vocat ſe *miſeram,& infelicem.* Ita apud Euripid. Medea dicitur δύςανος, τλάμων, δειλαία, ἀθλιωτάτη, σχετλία, δυςτυχής. Et Theoc. εἰδ. 13. σχέτλιοι οἱ φιλέοντες, *miſeri ſunt amantes.* & εἰδ. 7. δειλὸς ἐρῇ Μυρτοῦς, *miſer amat Myrtonem.*

Parentum amor.

6. TENVIT NON ILIA TELLVS.] Præ amore ſcilicet filij exercitum comitabatur. Poſſis aptare huic parenti illud Eurip.in Iph.Aulid. vbi Clytæmneſtra relinquit vrbem,& ædes; atque, vt comitetur filiam, quam impensè amabat,venit,ait Tragicus,

——πρὸς ἄνδρας ἀσπίσι πεφραγμένους:
——*ad viros munitos ſcutis.*

7. HANC EGO NVNC IGNARAM, &c.] Imitationẽ Homeri,& Calabri,quam Germanus aperit,omitto, quia tam in ipſo,quàm in collectore Symbolarum.

Saluto, de extremo etiam ſermone.

8. INQVE SALVTATAM.] Trita eſt iam notula, verbum *ſaluto* dici non ſolùm de primo ſermone;ſed etiam de extremo, quo alicui valedicimus. Vide & Plaut.Mil.

Etiam nunc ſaluto te familiaris priùs quàm eo:
Conſerui, conſeruæq́; omnes bene valete,& viuite.

Ennod.Epiſt.14.lib.8. *Inſalutatum me velut incognitum linqueretis.*

Nox adhibetur in teſtem.

9. NOX.] Quia ſcilicet illorum, quæ geruntur in die, teſtis eſt dies;illorum, quæ in nocte, nox. Talis item hæc Niſi, & Euryali adgreſſio. Sic Æneæ lib. 6. Æneid.iuratur fides,quæ *tellure ſub ima eſt*, quia ipſe tũc in infernis locis. Qui in mari eſt, Neptunum teſtem aduocat. Qui eſt intra ædes, ſolet teſtari ipſos parietes & tecta; quod alicubi facit Plautus. Qui eſt ſub dio,ipſum teſtatur aërem. Sic Eurip.in Aulid.

Οὗτος αὐτός ἐςιν αἰθὴρ, ὃς τάδ' ἤκουσεν σέθεν:
Aër hic (teſtis) *eſt, qui à te hæc audiuit.*

Sed de Nocte peculiare eſt illud Soph.Elect.

Τὰ δὲ παννυχίδων ἤδη ςυγεραὶ
Ξυνίσασ' εὐναὶ μογερῶν οἴκων:
Nam ea quæ tota nocte fiunt, odioſa
Norunt cubilia triſtiſſimæ domus.

Syneſius lib. de Inſomn. locutus eſt ab Soph. cùm ſcripſit, μάρτυρας ἀκολασίας τὰς ἐν αὐτῇ (κλίνῃ) νύκτας ποιῆσαι: *facere noctes teſtes intemperantiæ in* (lecto) *ipſo.*

Teſtis tua dextera.

10. ET TVA TESTIS DEXTERA.] Quia loquitur cum illo,ideo eius dexteram iurat,& obteſtatur. Sic Æneas loquens cum Regina Afra, *Teſtor vtrumque caput*,id eſt,meum ac tuum.Sen.Rhet.Suaſ.7. *Quid dixiſti? quid? ita te fruar.* Metell. apud Salluſt. Marium obteſtatur *per amicitiam.*

Imitatio.

11. PERCVLSA MENTE,&c.] Affectus Homericus hic eſt,

——φίλοι δ' ἅμα πάντες ἕποντο
Πόλλ' ὀλοφυρόμενοι ὡς εἰ θάνατόνδε κιόντα:
——*amici ſimul omnes ſequebantur*
Plorabundi admodùm veluti moriturum.

Locorum ſimilitudo.

12. ATQVE ANIMVM PATRIÆ, &c.] Par ille locus lib. 10.

Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Non abit affectus Electræ apud Sophoclem, quæ viſa domo, vbi pater perierat, ſtatim animo ſtrin- A gebatur, commota vehementer patris pietate. Neque verſus Hom. libro 4. Odyſſ. de pietate Telemachi.

Δάκρυ δ᾽ ἀπὸ βλεφάρων χαμάδις βάλε πατρὸς ἀκούσας

Fudit ab oculis in terram lacrymas audiens de patre.

[a] Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
[b] Namque erit iſta mihi genitrix, noménque Creüſæ
Solùm deſuerit, nec partum gratia talem
Parua manet, caſus factum quicunque ſequetur.
[c] Per caput hoc iuro, per quod pater antè ſolebat:
Quæ tibi polliceor reduci, rebúſque ſecundis,
Hæc eadem matríque tuæ, generíque manebunt.
[d] Sic ait illacrymans: humero ſimul exuit enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnoſius, atque habilem vagina aptarat eburna.
[e] Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentíſque leonis
Exuuias: galeam fidus permutat Alethes.
[f] Protinus armati incedunt, quos omnis euntes
Primorum manus ad portas iuuenúmque, ſenúmque
Proſequitur votis; nec non & pulcher Iülus,
Ante annos, animúmque gerens, curámque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: ſed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.

ARGVMENTVM.

Suſcipit Aſcanius curam genitricis Euryali, dátque illi enſem: & Mneſtheus Niſo pellem leonis, Alethes galeam. Eunt ad periculum, proſequitur illos turba omnis: Aſcanius dat mandata ad pàtrem, ſed fruſtrà.

EXPLICATIO.

[a] SPondeo tibi omnia. Ratio. Quia omnia digna tuis ingentibus cœptis.

[b] Genitrix tua mihi quoque erit genitrix, & pro Creüſa habebo, nomen tantùm aberit. Ratio. Nam, quæ te peperit, digna eſt hac gratia, hoc fauore; ídque quocunque euentu, id eſt, ſiue moriaris, ſiue viuas. Hæc aliis viſa mens Poëtæ. Sed quid ſi illud, *nec partum gratia talem Parua manet*, referri debeat ad ipſummet Aſcanium: nam præceſſit, *erit mihi genitrix*. Quaſi dicat: Me illam accepiſſe in matrem, nō conſtabit paruo. Hoc meum præfero, cùm omnis adoptio amore conſtet. Sic & Ioannes Mariam ſanctiſſimam accepit in matrem, commendante Chriſto. Potuit enim Aſcanius pro certo ducere, pietatem ipſius erga matrem Euryali compenſandam ab ipſa pari adoptionis affectu.

[c] Firmat ſui capitis iuramento, quod ſibi ſolēne; nam per illud quoque pater ſolitus iurare. Miræ hîc nugæ Seruij. Quid verò iurat? Quę tibi redituro pollicitus ſum, matris tuæ erunt, & generis tui. In his cautiſſimus fuit Aſcanius. Dicendum enim fuit. Si moriare in hoc conatu, erunt nihilominùs matris tuæ, & generis tui, quæ iam promiſi. Sed noluit mortem nominare, cauens vel omen, vel inuidiam; & tantùm, erunt matris tuæ, quæ tu redux habiturus.

[d] Confirmat quæ dixerat, tum lacrymis, quas fu- B dit; tum dono, quod obtulit. Itaque præbet illi enſem, quem variè commendat. Primùm à materia; nam enſis auratus, vagina eburna: deinde, ab arte; nam ita aptatus vagina, vt habilis & commodus geſtando eſſet: tertiò, ab artifice, & artificis patria; ille Lycaon, illa Gnoſos: quartò, à poſſeſſore, id eſt, à ſe ipſo, quia videlicet is enſis non repoſitus alicubi ad ſpeciem, vt ſolet, ſed ipſemet Aſcanius geſtabat ad vſum belli, ſéque illo exuit, amico gratificans.

[e] Viſa liberalitate Aſcanij in Euryalū, Mneſtheus & Alethes liberales quoq; in Niſum ſunt. Prior dat illi τὴν λεοντῆν, poſterior galeam cum illo permutat. Notetur ἀμείνον. Aſcanius puer liberalis in puerum, grādæui alij in Niſum maiorem æuo. Notetur etiam locutio illa, *pellem, horrentiſq́, leonis exuuias*, vbi non bis C idem, vt malè Seru. hoc enim nunquam fero. Sed eſt ἓν διὰ δυοῖν, vt, *pateris libamus, & auro*, id eſt, pellem factam ex leonis exuuio: Clariùs; thoracem factum ex leonis exuuio: ſic enim dixit *pellem* pro thorace, vt Homerus χαλκὸν pro galea, à materia, & μελίην pro haſta Achillis.

[f] Fit diſceſſio cum magnis notis amoris. Nā, cùm iam armati abirent, turba omnis Principum, ſenum, & iuuenum illos comitatur, illorum reditū precantes; id enim eſt, *proſequitur votis*. Enituit inter omnes Aſcanij pietas, qui etiamſi puer, vir tamē cura, multa ad patrē dabat mandata. Sed (en πάθος) irrita omnia ſunt, & vaneſcunt per auras. Quia videlicet non ea mandata ad Æneam peruenêre. Illud, *iuuenumq́, ſenumq́*, ait Seru. poſſe quoq; explicari cum diuiſione, D hunc in modum. Turba iuuenum proſequitur illos ad portas, turba ſenum proſequitur illos votis. Rationem huius diuiſionis me tacente ſcis ipſe.

NOTÆ.

Lectio Virgiliana.

1. SPONDEO.] Vrſinus emendat *ſponde*, tū ex vetuſti Colatiani

Colatiani codices, tum ex Gabrielis Faërni auctoritate. Est verbum fori. Pers. Sat. 5. *Marco spondente recusas*. Rem hanc ita Cal. lib. 1. πολλὰ δ' ὑπέστη δωσέμεν *daturum plura in se recepit*.

Locorum similitudo.

2. NAMQVE ERIT ISTA MIHI GENITRIX.] Non absimile illud Adherbalis ad Romanos apud Sallust. *Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, vos mihi cognatorum, vos in locum affinium ducerem.* Neque illud Plauti in Captiu.

> *Pol ego, si audeam, te meum patrem nominem,*
> *Nam secundùm patrem, tu es pater proximus.*

Mortis nomen abominandum.

3. FACTVM CASVS QVICVNQVE SEQVETVR.] Proculdubio mortem intelligit; sed non nominat, vt caueat omini. Erat enim mortis mentio abominanda. De qua re iam ego plenè lib. 8. & hîc adiicio similem poëticæ locutionem. Qui faciebant testamenta, primùm sibi bene ominabantur, deinde addebant, *si quid verò accidat*, ad significandam mortem, non ausi illam nominare. Cui formæ nónne similis ista, *factum casus quicumque sequetur*? Prædictæ formæ auctor Laërtius, apud quem Aristoteles in suo testamento; ἔσται μὲν εὖ. ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, &c. sic & Theophrastus: ἔσται μὲν εὖ. ἐὰν δέ τι συμβῇ. &c. Dio Chrysost. Orat. 6. ait, nihil esse tristius, quàm μεμνῆσθαι τοῦ θανάτου, *meminisse mortis*, adeò vt hæc cura Reges quoque opprimat indulgentes cuicunque voluptatis generi. Apud Sueton. Claudius moriturus cùm *mortalitatem* nominaret, qui aderant abominati sunt vocem.

Si quid acciderit, quid sit.

Iuramentum per caput. Caput sacrum veteribus.

4. PER CAPVT HOC IVRO.] Exempla huius moris multa in hunc locum congerit Iac. Pontanus, Tiraquellus in Alexandrum, Brissonius in Form. Omitto omnia, & aduoco Athenæum lib. 2. ita scribentem. ὅτι δ' ἱερὸν ἐνόμιζον τὴν κεφαλὴν, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ κατ' αὐτῆς ὀμνύειν, καὶ τοὺς γινομένους ἀπ' αὐτῆς πταρμοὺς προσκυνεῖν, ὡς ἱερούς: *Quòd autem caput sacrum veteres existimarent, ex eo liquet, quòd per ipsum iurarent, adorarent etiam sternutationes inde ortas, tanquam sacras.* vbi vides rationẽ; non enim tantùm iuratur per caput, quia charissimum: sed etiam, quia sacrum. Inde iuramẽtum capitis ait Hom. esse μέγαν ὅρκον, *magnum iuramentũ*. Inde & Ouidium expendo 3. Pont. Eleg. 3. vbi Cupido,

> *Per mea tela faces, & per mea tela sagittas:*
> *Per matrem iuro, Cæsareúmque caput.*

Vbi omnia sacra sunt, & Augustus augustior omnibus. Nec fuisset fas, post tot sacra quidpiam non sacrum. Eurip. in Helen.

> ———ἁγνὸν ὅρκον σὸν κάρα κατώμοσα:
> ———*Adiuro tuum caput sacrum iusiurandum.*

Secundæ res pro victoria.

5. REBVSQVE SECVNDIS.] Victoriam intelligit: sæpe enim in scriptoribus *res secunda* pro victoria.

6. HÆC EADEM MATRIQVE TVÆ, &c.] Applaudo loco Tullij Philip. 14. cui Pont. *Atque etiam censeo P. C. quæ præmia militibus promisimus nos, Rep. recuperata, tributuros ea viuis victoribúsque cumulate, cùm tempus venerit, persoluenda: qui autem ex his, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.* Additque legem Solonis de liberis ornandis illorum, qui pro patria in bello occidissent. Lege Germ. in Paralip. vbi de decreto Iuris hac in re.

7. HVMERO SIMVL EXVIT ENSEM.] Notetur mos plenus charitatis. Eũt iuuenes ad bellum, & armantur à suis, quasi omnes illis salutem velint. Apud Liu. lib. 7. in historia Manlij contra Gallum, *armant inde iuuenem æquales*. Apud Hom. 10. Iliad. Thrasymedes armat Diomedem euntem ad periculum ense, scuto, galea: sicut & Meriones Vlyssem arcu, ense,

A galea. Et notes vitium Homeri (consente iam Scal. qui egit Grammaticum. Quid enim oportebat dicere? Dedit Thrasymedes Diomedi galeam, ἣ τε καταῖτυξ κέκληται, *quæ cassis vocatur*. Redeo. Apud Apollon. lib. 1. Atalanta eunti Iasoni ad expeditionem dat in viam ἔγχος ἐκηβόλον. Sed & armant amici Nisum, ita vt partem quisque conferat. Hoc enim pertinet ad dignitatem bellatoris Nisi. Hanc rem obseruatam à Plutar. video in vita Alexand. vbi narratis arma, quibus hic Princeps indutus ad debellandum Darium, ait gladium, quo armabatur, fuisse donum Κιτιέων, *Citieorum*. De baltheo, τιμὴ δὲ τοῖς ἑδρῖν πόλεως, ὃ ὁ ἐδίδου δῶρον. *erat donum Rhodiensium, quo illum ea ciuitas ornauerat.* De thorace, ἐκ τῶν λαφύρων τῶν ἐν Ἰσσῷ, *ex præda Issensi*. De amictu, qui supra thoracem, τῶν Σικελικῶν, *ab Siculis*.

Homeri vitium.

B 8. MIRA QVEM FECERAT ARTE LYCAON.] Similia sæpe Hom. qui variè solet commendare dona. Apud illum Hector dat Aiaci ensem ἀργυρόηλον. Aiax Hectori baltheum φοίνικι φαεινόν. Vide etiam vn lib. 10. Iliad. commendentur variè arma, quibus Diomedes, atque Vlysses induuntur.

Commendatio munerum.

9. VAGINA APTARAT EBVRNA.] Odyss. 8. leges, κολεὸν δὲ νεοπρίστου ἐλέφαντος: *vaginam elephanti secti recens.*

10. DAT NISO MNESTHEVS PELLEM, &c.] Par donum 5. Æneid.

Locorum similitudo.

> ———*tergum Getuli immane leonis*
> *Dat Salio villis onerosum, atque vnguibus aureis.*

Tale etiam munus apud Sil. lib. 15.

> ———*fraternum lena nitebat*
> C *Demissa ex humeris donum, quam fœderis arcti*
> *Trinacrius Libyco Rex inter munera pignus*
> *Miserat, Æolüs gestatum insigne Tyrannis.*

Leones nigri qui.

11. HORRENTIS.] Explico, *nigri*. Itaque, vt aliàs *fuluus leo*, ita hîc *niger*. Ita Hom. 10. Iliad. δέρμα λέοντος αἴθωνος: *pellem leonis nigri*. Rectè verò Poëta explicaturus hunc colorem confugit ad horrorem. Sic luci dicuntur Poëtis horrere, non solùm propter religionem, sed propter tenebras. Ne verò capias *nigrum* hoc cum oppositione ad *album*, nam nigrum leonem nemo vidit: sed colorem quendam degenerantem à flauitie, aut fuluore; verè *subcrispum*, aut *subflauum*, vtique αἴθωνα, id est, *ardentem* leonem. Nam quamuis Plin. cap. 17. lib. 8. scripserit, leones in Syria nigros nasci, sed absit, vt intelligam de saturato nigrore;

D tantùm de flauitie degenerante, & subfusca, ad eum modum, quo de leone Africano Opp. 3. Cyn. μέλαν κυάνοιο φέρει μεμορυγμένον ἄνθος: *habet florem nigrum temperatum fusco.*

Homerum superat Virgilius.

12. GALEAM FIDVS PERMVTAT ALETHES.] Te Homere Virgilius notat, & reprehẽdit. *Permutat*, ait. Habebat ergo Nisus galeam, quippe miles, & in ipso bello; & tantùm cum meliore commutata est. Esset enim turpe, carere galea: at quanto turpius carere ense? Itaque Hom. 10. Iliad.

> Τυδείδῃ μὲν δῶκε μενεπτόλεμος Θρασυμήδης
> Φάσγανον ἄμφηκες· τὸ δ' ἑὸν παρὰ νηῒ λέλειπτο:
> *Tydidæ quidem dedit constans in prælio Thrasymedes*
> *Ensem ancipitem: nam suum apud naues remanserat.*

D Rectè ergo Scal. *Diomedes ergo, si reuiuiscat, animaduertat ab Hom. hanc iniuriam, qui se sine ense exire fecit è tentoriis.* Quidpiam Virgilio adsimile Calab. lib. 1. apud quem Penthesilea donatur galea, cùm esset exitura ad pugnam. Sed & permutatio armorum ducta quoque ab ipso Hom. lib. 6. Iliad. vbi Glaucus, & Diomedes arma permutant in nota amicitiæ. Cuius loci, vt in hac re, sic dicam, notabilis, Plutar. meminit aduersùs Stoicos.

13. QVOS

13. QVOS OMNIS EVNTES, &c.] Prosequitur Virgilius, Homerus, victoria. Virg. hîc, vt vides. Homerus ita:

Τὼ δ', ἐπεὶ ἂν ὅπλοισιν ἐνὶ δεινοῖσιν ἐδύτην,
Βάν ῥ' ἰέναι. λιπέτην δὲ καὶ αὐτόθι πάντας ἀρίστους:
Hi verò postquam grauia arma induerunt,
Perrexerunt ire. reliquerunt autem ibi omnes optimates.

Homerũ superat Virgilius. Victoria iam clara. Rude illud Homeri sæculum expositum huic inciuilitati. Quanto ciuilius est, & politius, iuisse vnà cum Niso, atque Euryalo ad portas primorum manum, iuuenum scilicet, & senum, & ipsum adhuc Ascanium? Vbi illi, qui Homerum vocant patrem elegantiarum? an quicquam inuenustius? Ego nunquam dubitaui Homerum altissimo ingenio fuisse, sed coniicio culpam in rude sæculum, quod nactus est. Qui fauor Virgilio contigit nacto æuum Augusti, quo nullum ciuilius. Itaque, quale est audire, *turba omnis prosequitur votis?* Quibus verbis concipe quicquid lætum, & faustum, quale illud Constantij Imperatoris ad Cæsarem Iulianum abeuntem ad bellum apud Ammianum libro decimoquinto. *Perge vir fortis ductùrus viros itidem fortes.* & libro decimosexto ore signiferi ad eundem: *Perge felicissime omnium Cæsar, quò te fortuna prosperior ducit: tandem per se virtutem, & consilia militaria sentimus.* Nec dubites fuisse amplexus, & oscula, ac reliquas significationes amoris, quales Plinius de Traiano in Paneg. *Gratum erat cunctis, quòd Senatum osculo exciperes, vt demissus osculo fueras.*

14. PVLCHER IVLVS.] Vt in Ænea Augustum, ita in Iülo Iulium repræsentat. Iulus repræsentat Iuliũ. Atqui de Iulio Velleius libro altero: *forma omnium ciuium excellentissimus.*

Sapientia supra ætatẽ. 15. ANTE ANNOS, &c.] De Hæmone filio Creontis ait Sophocles in Antig. *natum fuisse senem*, φῦναι πρέσβυν, quo indicat maiore fuisse sapientia, quàm ætate. Illud Pindari Ode quarta Olymp.

Φύονται δὲ καὶ νέοις
Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
Ἐοικότα χρόνον.

capiendum est de sapientia .i. *Nascuntur autem & iuuenibus in viris cani cùm crebrò, etiam præter ætatis congruum tempus.* Idem Od. 4. Pyth.

Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος,
Ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς:
Ille inter pueros iuuenis,
In consiliis senex.

Iosephus libro duodecimo Antiquitatum capite quarto de Iosepho, non illo magni Iacobi filio, sed alio, Ἰώσηπός τις, νέος μὲν ἔτι τὴν ἡλικίαν, ἐπὶ σεμνότητι δὲ, καὶ προνοίᾳ, καὶ δικαιοσύνῃ δόξαν ἔχων: *Iosephus quidam, ætate planè iuuenis, sed notus grauitate, prudentia, iustitia.* Cassiod. lib. 9. cap. 12. *faciens fidem generis morum pondere, non ætate.* De Alexan. adhuc puero Plutar. in eius vita. ἔτι φιλοτιμία παρ' ἡλικίαν ἐμβριθὲς εἶχεν τὸ φρόνημα καὶ μεγαλόψυχον: *gloriæ cupiditas eius supra ætatem spiritus habebat solidos & celsos.* Aduocat Vrsinus Pindarum, qui Pyth. dixit, κρέσσονα ἁλικίας νόον: *mentem ætate maiorem.* Et Soph. qui apud interpretem eiusdem Pind. vocat Troilum ἀνδρόπαιδα, id est, *puerum, qui tamen vir esset consilio.* Versus Soph. sunt:

Τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότην ἀπώλεσα,
Παῖδα μὲν τῇ ἡλικίᾳ, ἄνδρα δὲ τῷ φρονήματι:
Cerda in Æneid. tom. 2.

A

Perdidi herum, qui vir & puer:
Puer quidem ætate, vir autem prudentia.

Æschyl. ἐν ἑπτ. Θηβ.

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει:
Mentem senilem, corpus vesticeps gerit.

Adlubescit Germano sententiam Virgilij prolatam ex studio familiæ Iuliæ, & in Iülo Ascanio repræsentatum Augustum, qui solutus Romanis legibus Consulatum gessit in prima adolescentia, de quo & Cicero Philipp. 14. *Quandoquidem virtute superauit ætatem.* Quod de Germanico Ouidius Elegia secunda libri secundi Pont. Iulus repræsentat Augustum.

Præterit ipse suos animo Germanicus annos.

Idem Ouid. alio in loco,

B

Ingenium cœleste suis velociùs annis
Curris.———

Notabis, Plutar. dixisse laudato in loco, παρ' ἡλικίαν. quod Virg. *ante annos.*

16. CVRAMQVE VIRILEM.] Ita de eodem in 3. *animósque viriles.* Horat. epist. ad Pison. *mares animos in Martia bella.* Alij *masculos.* Euripid. de Oreste, φρένας ἄρσενας. Virilis cura.

17. MVLTA MANDATA.] Sunt hæc Symmach. epist. 18. lib. 6. *Largiora mandata.* &, *mandata dabat*, vt Sallust. Catil. *mandata verbis dat.* Multa mandata, Largiora.

18. AVRÆ OMNIA DISCERPVNT.] Hic affectus sæpe à multis. Theophylactus Simocat. cap. 5. lib. 1. Hist. Mauric. ἐκφρονεῖ τὰς συνθήκας, καὶ τοὺς ὅρκους ταῖς αὔραις φέρειν ἐδίδου: *Contemnit pacta, & dabat irrata sacramenta ventis ferenda.* & cap. 9. lib. 4. τῆς διαλέξεως εἰς ἀέρα χεθείσης, *colloquio in aërem effuso.* & cap. 4. libri quinti, καὶ μὴ διηχθῆναι τοῦ λόγου τὸ καιρὸν εἰς ἀέρα διαλυόμενον: *quæ à me opportunè dicta sunt, ea in ventos dissolui ne permittite.* Lib. 3. Epig. Ventis committere.

C

Ἐσπείσω δὲ ἐμὰς στοργὰν ἵππηλας εἰς ἀνέμους:
Exspuisti in ventos amorem Spirogene.

Val. lib. 3. Arg.

———*rerum labor omnis in auras*
Soluitur.———

Claud. Bell. Get.

Mandemúsne Noti flabris quoscunque timores
Pertulimus.———

Eurip. Troad.

D

Ἀργεῖ' ὀνείδη, καὶ Φρυγῶν ἐπαινέσεις
Ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι.
Græcorum iniurias, & Troianorum laudes
Ventis ferendas trado.

Anacreon;

Ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις
Φέρειν ἔδωκα λύπας:
Mentis mœrores meæ
Auris ferendos dedi.

Stat. 2. Achill.

Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.

Quod sumpsit à Catullo, qui,

E

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.

Vt etiam Noster, qui ab eodem Catull. verbum *discerpunt*: ille enim priùs,

Quæ cuncta aëriį discerpunt irrita venti.

Lucret. lib. 4. *ventis verba profundam.*

19. IRRITA.] Alij pari significato, *verba cadentia*; vt Prop. lib. 1. Eleg. 17. Irritum, Cadens.

Omnidque ingrato littore vota cadunt.

Et Eleg. 16.
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

A Sic & verba caduca. Nam Ouid. Epist.
——& Zephyri verba caduca ferunt.

[a] Egressi superant fossas, noctísque per vmbram
Castra inimica petunt, multis tamen antè futuri
Exitio. [b] passim vino, somnóque per herbam
Corpora fusa vident: arrectos littore currus;
Inter lora, rotásque viros: simul arma iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus.
[c] Euryale audendum dextra: nunc ipsa vocat res.
Hâc iter est: tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longè.
Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.
[d] Sic memorat, vocémque premit: simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui fortè tapetibus altis
Extructus toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, & Regi Turno gratissimus augur,
Sed non augurio potuit depellere pestem.
[e] Tres iuxta famulos temerè inter tela iacentes,
Armigerúmque Rhemi premit, aurigámque sub ipsis
Nactus equis, ferróque secat pendentia colla
Tum caput ipsi aufert domino, truncúmque relinquit
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra, toriq; madent. [f] nec non Lamyrúmque, Lamumq;
Et iuuenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoq; iacebat
Membra Deo victus: felix si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemq; tulisset.

B

ARGVMENTVM.

Describitur militia socors & ignaua Rutulorum. Mandat Nisus Euryalo, quid velit fieri, & cadem ipse aggreditur, quam incipit à Rhamnete, & continuat in aliis. Itaque eduntur à Niso miseranda, cruenta, atrocia.

EXPLICATIO.

[a] VERBA omnia aspirant audaciam adolescentium, *egressi*, &, *superant fossas*; &, *noctísque per vmbram Castra inimica petunt.* Ab his animis procedit, quod sequitur, *multis tamen antè futuri exitio.*

C

[b] Describitur militaris disciplina Rutulorum ignauissima. Notæ huius ignauiæ multæ. Primò, fusi erant omnes per herbam somno, & crapula ebrij: deinde currus arrecti erant, vt solet fieri cùm equi ab iugo absunt, depresso in terram curru, & sublato in altum iugo: tertiò, iacebant multi temerè inter lora, & rotas, vt in summa pace: quartò, arma etiam iacebant, & cum illis vnà vasa vinaria. Expende illud, *corpora fusa*, quasi exsanguia, & marcida: verè [illegible], non homines.

[c] Visa præclara occasione, Nisus Euryalum primò ad audaciam hortatur: deinde præcipit, vt à tergo custodiat, ne quis sit adgressus hostilis: ipse sibi assumit anteriora, facturus gladio limitem vastum, & latum cum exitio hostium.

[d] Incipit Nisus cædem à Rhamnete augure. Vocat *superbum*, vt cubantem in *altis tapetibus.* Notat eius socordiam; nam *toto proflabat pectore somnum.* Mirè hoc. Noluit enim *stertere*, ne quid humile heroïco operi adiungeret. Demum mouet πάθος, quòd augur cùm esset, nescierit augurio depellere à se exitium.

[e] Sequuntur cædes multæ confusim. Abripiuntur Nisi gladio tres famuli, qui *temerè*, id est, nullo cautu, *iacebant inter tela*, quasi & tela quoque iacerent solo; illa quoque inertia, vt domini: deinde Rhemi armiger, tum etiam auriga. Postremi caput ab equis pendebat (est hic habitus dormientium) atque ita sectum est. Post tres famulos, post armigerum, post aurigam, demum Rhemus ipse passus idem malum, cui cùm caput auferretur, animam cum singultu efflauit: atque ab tot cædibus terra, torique madent cruoris plena. Nota, vt explicuerim; neque enim tres illi famuli Rhamnetis sunt, sed Rhemi. Atque adeò *iuxta*, non est, iuxta Rhamnetem: tantùm significat, illos iunctim fuisse.

[f] En cædes aliæ Lamyri, & Lami: sed præcipua mentio, & plena παθῶν Serrani; nam hic iuuenis,

nam

nam insignis facie, nam plurimùm luserat ea nocte. Hæc enim omnia nata sunt ad conquestionem, excitandósque affectus. Iacebat ille victus Baccho, fuisséque felix, si ludum continuasset vsque ad diluculum.

NOTÆ.

1. SVPERANT FOSSAS.] Hom. Iliad.10. τάφροιο διαβάντες. Xenoph. Hippar. ταφρὰς διαβάντων. Homer. iterum, τάφρον δ' ἐκδιαβάντες ὀρυκτήν. &c, τοὶ δ' ἄλλοι προτέρω.

Nox apta audaciæ.

2. NOCTISQVE PER VMBRAS.] Verè: nam, vt ait Eurip. Phœniss. νὺξ τολμώσι: *nox audentibus*. Texuntur autem ista filo Homerico, vbi sermo est de Diomede, & Vlysse euntibus ad speculandum, B

Imitatio.

Βάν ῥ' ἴμεν, ὥστε λέοντε δύω διὰ νύκτα μέλαιναν,
Ἂμ φόνον, ἂν νέκυας, διά τ' ἔντεα, καὶ μέλαν αἷμα:
Perrexerunt ire, velut leones duo per noctem nigram,
Per stragem, per cadauera, pérque arma, & atrum sanguinem.

Vino, somnóque soluti.

3. PASSIM VINO, SOMNOQVE, &c.] Vides omnia plena incuria, militiam desidem, fusa corpora, &c. Similem ebrietatis notam audies in Petron. Sat. vbi de somnolentis ita loquitur; *alij circa pedes discumbentium sparsi iacebant, alij parietibus appliciti, quidam in ipso limine coniunctis marcebant capitibus*. Hos homines Græci vniuersi dicunt οἰνοπλῆγας: & vnus Polyb. lib.6. Hist. (adnotante Victorio) ἐξβεβρεγμένους. Vide, vt ille comparet Virgilium cum Polybio lib. 35. cap. 17. Omitto. Simocatta cap.8. lib. 4. Hist. Maur. οἴνῳ πολλῷ μεθυσθεὶς, καὶ ὕπνῳ ἀμέτρῳ σεσιβηνωθείς: *probè appotus, & demersus alto somno*. Lib.4. Epigramm. ὑπνοβαρευμένος: *somno grauis*. Et quidem pro Polybio, quem omisi, substituo locum eiusdem Simocattæ, vbi eadem occasio rei gerendæ. Nam, vt in Virgilio ex crapula orta cædes; ita apud illum libro octauo capite tertio, βάρβαροι μηδὲν τῶν ἐν τῇ προτεραίᾳ διεγνωκότες, συμπόσιόν τι καθίσαντες, πάτριόν τε ἑορτὴν ἐπανήγαγον. τὰς τε τῶν φροντίδας ἀναθέντες τῇ μέθῃ, κατεπαννυχίζοντο λυσικεφάλοι: *Barbari rerum pridie gestarum ignari confidentes, & compotantes festum patrium magna frequentia celebrabant, omnibúsque curis ebrietati dicatis, noctem totam in conuiuiis exigebant*. Postea adducit cædem, quæ facta ingens. Et locum Iosephi, qui in oppugnatione Solymorum capite secundo libri septimi, ἀποσφάξαντες δὲ τοὺς πρώτους τῶν φυλάκων κοιμωμένους, κρατοῦσι τείχους: *Occisis primis custodibus somno oppressis, murum occupant*. Apud Cedren. Franci iugulati sunt ad satietatem, postquam saturi ἐπὶ ὕπνους ἐτράπησαν. In eodem opprimuntur Barbari κοιμώμενοι. Plutarch. in vita Camilli ait, Gallos ἀκρατῶς ὑπὸ μέθης, & ὕπνου. Adlubescit & locus Taciti lib. 1. Ann. hic: *Venimúsque ad vicos Marsorum, & circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non ante positis vigiliis. Adeo cuncta incuria disiecta erant, neque belli timor: ac ne pax quidem, nisi languida, & soluta inter temulentos*. Nec non locus Dionys. lib. 7. de occupatis Cumis. vbi hostes irruunt, & confodiunt τοὺς μὲν καθεύδοντας, τοὺς δὲ μεθύοντας, adeò vt cædes fieret προβάτων δίκην, *instar pecorum*. Pari incuria capta Capua à Samnitibus apud Liu. lib. 4. *Grauatos somno, epulisque incolas veteres noui coloni nocturna cæde adorti*. Sic & libr. 8. Romani Calenses *vino, epulisque sopitos*. Et Lemniades feminæ apud Val. 2. Arg. inuadunt viros suos *dapibus, vinóque sopo-tos*. Ab tot exemplis docemur, ebrietatem militi

Cerda in Æneid. tom.2. Ee 2

Ebrietas cauenda militi.

imprimis cauendam. Estque præceptum Nonni lib. 22. Dionys.

Μὴ στρατὸν ὑπνώσσειν μέθη, καὶ κῶμα, καὶ ὄρφνη:
Ne exercitum somno det ebrietas, veternus, caligo.

Militis somnus supra clypeum.

Adiicitque aureum præceptum, capiendum exercitui somnum breuem, & supra militare scutum,

Βαιὸν ἐνυάλιος ὕπνον ἀσπίδος ὕπνον ἰαύων.

Hæc ego multis volui, & multa omisi, admiratus eos, qui mirè gloriati sunt reperto vno exemplulo.

Fundo cur de corpore.

4. CORPORA FVSA.] Notat Victor. ita verbo *humeris* hoc dictum à Virg. vt ab Hom. ἡνία χεῦεν, *habena fluxerunt*. Sed oportuisset expendere altiorem Musam Virg. quia enim de ebriis sermo, & vinum *funditur*; ita *fusa corpora*.

5. ARRECTOS LITTORE CVRRVS.] Cal. lib. 11. *fusos currus* dixit, ἅρματα πολλὰ κέχυντο.

6. INTER LORA.] Ad hunc modum dixit de Hectore Eurip. in Rheso, τὸν ὑπασπίδιον κοῖτον ἰαύει: *Carpit somnos in clypeo*. quia videlicet subiectus clypeus capiti.

Arma, & vina.

7. SIMVL ARMA IACERE, VINA SIMVL.] Ita & Liu. lib. 41. *vino, somnoque mersos iacere*. Huius rei imaginem repræsentat Heliod. lib. 1. Hist. Æth. vbi hinc arma, hinc pateræ, omnia mistim iacebant, tela & vasa, gladij & mensæ. Amm. lib. 22. vnà coniungit *gladios & pocula*, loquens de corruptissima militum disciplina. Hom. in summa ignauia Thracum omisit vasa, & arma tantùm exhibet, quæ χθονὶ κέκλιτο. Vnà nata ingens ea cædes. Idem de armis dixit κεῖσθαι.

Audacia.

8. AVDENDVM.] Græcanicum. Nam Eurip. Iphig. τολμητέον. Pulchrè dixit Simocat. c.18. lib. 2. τὸ πᾶν τῆς ἀριστείας ἀναθεῖναι τῷ θράσει, quasi omnis fortitudinis laus referenda sit ad vnam audaciam. Inde idẽ c.15. lib. 3. directè opponit δειλίαν & τόλμαν in re belli: & illam esse ait feminarum, hanc virorum. Ceterùm exhortatio ista Nisi adumbratur ab illa Vlyssis, qui, vt ad Thracas peruenit, ita ad Diomedem,

Ἀλλ' ἄγε, δὴ προφέρε κρατερὸν μένος.———

Homerũ superat Virgilius.

9. TV NE QVA MANVS, &c.] Alia est apud Hom. diuisio, apud quem Diomed. totus incumbit cædi, Vlysses predę equorũ. Noluit Poëta ita sordidè Euryalum occupari, sed destinatis Niso cædibus, Euryalo dat aggressus hostiles à tergo coërcendos.

10. A TERGO CVSTODI.] Sen. epist. 75. *In hostili regione versantibus huc, & illuc circunspiciendum est, & ad omnem strepitum circumagenda ceruix*. Quod videtur Sen. sumpsisse ab Eurip. qui in Phœniss.

Εἶτ' οὖν ἐχ' ὄμμα πανταχῇ διοπτεύων
Κἀκεῖσε καὶ τὸ δεῦρο, μὴ δόλος τις ᾖ:
Quapropter circunferendi sunt vndique oculi
Huc, atque illuc, ne quis sit dolus.

Locorum similitudo.

HÆC EGO VASTA DABO.] Apto ad hunc locum verba Val. Cons. ad milit. apud Liu. lib. 7. in bello cõtra Samnites: *Agite diũ, vt me videritis, quacunque incessero, in acie hostiũ ferro viã facientem, sic pro se quisque obuios sternite. Illa nunc omnia, quà nunc erectæ micant hastæ, patefacta strage vasta cernetis*. Est dare vasta, idem quod *vastare*; quæ vox insignis ad omnẽ solitudinẽ indicandã. Acriùs in incerta: *Hanc vrbem ferro vastam faciet*. Sic Tacit. 1. Ann. *ferro flammisque peruastat*. Inuenio hîc Homer. imitationẽ. Nam sicut Nisus assumit sibi cædẽ, & curã aliã mandat Euryalo; ita Vlyss. ad Diomed.

Imitatio.

Ἠὲ σύ γ' ἄνδρας ἔναιρε, μελήσουσιν δ' ἐμοὶ ἵπποι:
Tu viros interfice, mihi curæ erunt equi.

Quem versum conuertit Eurip. in Rheso; nam Diomedes ad Vlyssem,

Ἐγὼ φονεύσω, πωλοδαμνήσεις δὲ σύ.
Ego occidam, tu equos domabis.

Ferro viam facere.

12. ET LATO TE LIMITE DVCAM.] Est hoc, quod libr. 10. *ardens limitem agit ferro*. Et de Cassio Chærea Tacit.

Tacit.lib.1.Ann.*Tum adolescens animi ferox inter obstantes, & armatos ferro viam patefecit.* & lib.2.de Rom.milite:*viámq́, strage hostiū aperiret.* Et de Constantino Auctor ἄδηλος Paneg. *Et, nisi viam tibi i cædibus aperuisses, spem totius generis humani, & vota deceperas.* Hunc limitem respondere Homericæ γεφύρῃ obseruauit Spondanus in 10. Iliad. explicans vocem πτολέμοιο γεφύρας, penè ad exitum libri illius. Plutarch.in vita Caton.Censorij ad rem eandem dixit, διαφωτίσαι τὸν τόπον. Nam, qui viam facit cum aliorum strage, clarum reddit, & perspicuū locum, qui multo milite fuerat obscuratus. Id autem *vacuefaciēdo*, vt loquitur Val.Max.lib.4.c.1.

Limes belli.

13. DVCAM.] Theocrit.εἰδ.11.ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον,*eram ego dux via.*

14. RHAMNETEM.] Obseruationem, cur has voces suo poëmati Maro inseruerit, lege apud Turn.lib.22.Adu.c.15.& Passer.Eleg.1.lib.4.in Prop. & Seru. lib.5.ad illud, *Tres equitum numero turmæ.*

Imitatio.

15. QVI FORTE TAPETIBVS,&c.] Aliqua allusio ad Hom.10.Iliad.

——αὐτὰρ ὅγ' ἥρως
Εὗδ', ὑπὸ δ' ἔστρωτο ῥινὸν βοὸς ἀγραύλοιο,
Αὐτὰρ ὑπὸ κρατεσφι τάπης τετάνυστο φαεινός:
——*sed heros*
Dormiebat, substrauerátque pellem bouis agrestis,
Et sub capite tapes extensus erat splendidus.

Extructum de abundātia opum.

16. EXTRVCTVS.] Aut ipse suffultus: aut (quod potius) *extructus*, pro, extructis tapetibus, notissima hypallage Virgiliana. Et signatè *extructus*, quo apparatum, & magnificentiam intelligas. Hor.Od.3.lib.2. *extructis in altum diuitiis.* & Sat.1.lib.1.*quid habet pulchri constructus aceruus?* Cato apud Fest.*Gloria, atque honore, quomodo quisque sibi struxit.* Inde *struices* dicuntur rerum omnium apparatus & copiæ. Ex Virg.Stat.2.Theb.
Fuderat Assyriis extructa tapetibus alto
Membra toro.——

Somnū proflare.

17. TOTO PROFLABAT PECTORE SOMNVM.] Stat. 2.Theb.
——*effusi passim per tecta, per agros*
Seria inter, vacuosq́, mero crateras anhelum
Proflabant sub luce Deum.——
Et lib.5.clariùs ad Virg.Musam,
——*Helymum temeraria Gorge*
Euinctum ramis, altáque in mole tapetum
Efflantem somno crescentia vina, superstans
Vulnera disiecta rimatur veste.——
Quod verò hîc *proflabat*, Soph.in Aiace, φυσῶντ' ἄνω ὀξείας ῥινάς.

Imitatio.

18. SED NON AVGVRIO,&c.] Locus Hom.3.Iliad.
Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν:
Sed non augurio vitauit nigram mortem.
Similis sententia Orestis apud Soph. in Elect.
Καὶ μάντις ὢν ἄριστος, ἐσφάλλου πάλαι:
At cùm Vates esses optimus, errasti iamdudum.
Apollon.quoque lib.2.ἀλλά μιν οὔτι μαντοσύναι ἐσάωσαν: *sed neque illum vaticinia seruarunt.* Et lib.4.de Mopso vate, οὐ φύγεν αἶσαν μαντοσύναις: *non fugit fatum vaticiniis.* In hæc nos incidimus. Germanus adducit Xenophontem, qui ait, vates sæpe, cùm aliis futura præuideant, sibi ipsis non præcauere. Non est alienus affectus ille Hom.6. Iliad. de Axylo, qui cùm benignus esset erga omnes, eósque humaniter exciperet largissimis opibus,
Ἀλλ' οἱ οὔτις τῶν γε τότ' ἤρκεσε λυγρὸν ὄλεθρον:
Tamen nemo ab illo depulit acerbum fatum.
Neque ille Statij 2.Theb. *heu nihil auguriis adiuta propinquis.* Neque Calab.lib.11.
Ἀλλ' οὐ σφιν ἐπὶ πῆμα θαλάσσια ἤρκεσεν ἔργα:
Verum res maritimæ perniciem eis non auerterunt.

19. TEMERE.] Τὸ ἄυλως, οὐκ εὐμάρως. Hæc omnia in Homero.

20. ARMIGERVMQVE RHEMI.] Sermo est, vt vides, in excubiis. Inter munia armigerorum, tum hoc imprimis adesse domino suo excubanti. Cicer. *Quis est iste Lollius? armiger Catilinæ, stipator sui corporis, comes excubitorum.* Lutilius lib.1.Itin.
Officiis regerem cùm Regia tecta magister,
Armigerásque pij Principis excubias.
Cùm verò dominus vnà cum auriga, cum armigero, cum famulis interficitur, repræsentatur cædes facta à Diomede lib.6.Iliad. vbi Axylum interficit, cum quo vnà θεράποντα Καλήσιον, *famulum Calesium,* qui ἵππων ἔσκεν ὑφηνίοχος, *erat equorum auriga.*

21. SECAT.] Hom. Iliad.13.κεφαλὴν ἀπὸ δειρῆς κόψεν Ὀϊλιάδης.

22. SANGVINE SINGVLTANTEM.] Credo exprimi Homericum ἀσθμαίνοντα, *anhelantem.* vbi Diomedes lib.10.Iliad.interficit Rhesū. Pulchrè dixit Sid. epist. 2.lib.2.de aqua, *flexilis plūbi meatibus inplicita singultat.* Singulto.

23. ATRO TEPEFACTA CRVORE.] Hom.lib. 10.Iliad.ἐρυθραίνετο δ' αἵματι γαῖα. Cal.lib.1.de terra, Cruore omnia plena.
Αἵματι δευομένη, νεκύεσσί τε πεπλήθυῖα:
Humectata sanguine, repleta cadaueribus.
Nonnus lib.52.
Ἐχθρῷ δίψας ἄρουρα θαλύμονι λούετο λύθρῳ,
Δεχνυμένη ξεῖνον ὄμβρον ἐνυαλίου νιφετοῖο:
Sitibunda tellus hostili affatim lauabatur cruore,
Accipiens nouum imbrem Martialis niuis.
Vide huius rei elegantē descriptionem apud Philost. lib.2.Icon. vbi loquitur de Cassandra: ibi enim cædes misera describitur inter pocula, vina, mensas, cibos. Heliodori locus tritus iam est.

24. IVVENEM SERRANVM.] Ad excitandum affectum. Nonnus lib.40.νέος ὤλεο: *periisti iuuenis.*

25. PLVRIMA.] Pro, *plurimùm* Grammatici; ego κατὰ subaudio. Sic Aristoph.in Plut.οἰμώξει μακρά. vbi Grammatici etiam, μακρά, id est, λίαν, πάνυ, idque Ἀττικῶς: sed falsò; imò, κατὰ μακρά, *lugebis multa.* ibid. δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος: *plutos res est timidissima.* vbi subaudi κατά. Præpositio subauditur.

26. MEMBRA DEO VICTVS.] Ambigua alicui videatur oratio; potest enim capi vel Bacchus, vel somnus. Vterque enim apud Gentiles Deus est. Sed vox *victus* ad somnum me ducit, vt dicat, Serranum iacuisse victum Deo somno. Nam ὕπνος Homero dicitur πανδαμάτωρ, *vincēs omnia.* Et Prop.Eleg.17.lib.3. Somnus domitor.
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.
Tibull.etiam lib.1.Eleg.2. facta mentione ebrietatis & somni huic dat victoriam,
Adde merum, vinóque graues compesce dolores,
Occupet vt fessi lumina victa sopor.
Sententia etiam postulat, de somno capi, cūm dicat, felicem fore, si vigilasset ad auroram.

27. FELIX.] Quasi somnus, lusus, epulæ, & omnia demum infelicissima fuerint iuueni. Ad eum modum, quo Soph.in Elect.vocat δυσάλαιναν δαῖτα, *infelix conuiuium*; illud videlicet, quo exceptus Agamemnon periit. Itaque hic *felix*, non est eo sensu, quo mortui *felices* dicuntur ab Horat.& ab Menand. qui apud Stob. Felix.
Διὰ ταῦτα γάρ τοι καὶ τελευτῶν μακάριοι.
Πᾶς γὰρ λέγει τις, ὁ μακάριος οἴχεται,
Καλῶς ἀπέθανεν, εὐδαίμων.——
Quapropter & mortui beati dicuntur.
Et omnes dicunt: beatus abiit,
Obdormiuit felix.——

28. IN LVCEM.] Vsque ad lucem; vt Martial. *In lucem semper Acerra bibit.* Vide Alciat.2. Parerg. c.33. Hom.lib.16.Odyss.ἐς ἠῶ. In lucem.

[a] Impaſtus ceu plena leo per ouilia turbans
(Suadet enim veſana fames) manditque, trahitque
Molle pecus, mutúmque metu fremit ore cruento.
[b] Nec minor Euryali cædes, incenſus & ipſe
Perfurit: ac multam in medio ſine nomine plebem,
Fadúmque, Hebeſúmque ſubit, Rhetúmque, Abarímque
Ignaros, Rhetum vigilantem; & cuncta videntem,
Sed magnum metuens ſe poſt cratera tegebat.
[c] Pectore in aduerſo totum cui cominùs enſem
Condidit aſſurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, & cum ſanguine miſta
Vina refert moriens. Hic furto feruidus inſtat.
[d] Iámque ad Meſſapi ſocios tendebat, vbi ignem
Deficere extremum, & religatos ritè videbat
Carpere gramen equos; breuiter cùm talia Niſus
(Senſit enim nimia cæde, atque cupidine ferri)
Abſiſtamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt: via facta per hoſtes.

ARGVMENTVM.

Comparatur Niſi ferocitas leoni graſſanti in pecus. Declarantur facinora, & variæ cædes, quibus ſæuit Euryalus, à quibus illum reuocat Niſus.

EXPLICATIO.

[a] COMPARATIO aptiſſima. Leo, eſt Niſus, cuius eximia eſt virtus: pecus, Latini, qui egregiè ignaui; & quia illi ſomno oppreſſi, ideo *pecus metu mutum.* Vide verò ferocitatem leonis, qui turbat, mandit, trahit, fremit. Ratio: quia *impaſtus*, quia ſummè famelicus, ſummè (inquam) quia penè ad veſaniam præ fame.

[b] Exemplo Niſi furit etiam Euryalus, ſed longum diſcrimen. Nam Niſus Rhamnetem, Rhenum, Principes alios: Euryalus vulgus, & plebem interimit. Itaque ille bellator peritus, hic tyro inconſideratus, ac tantùm cædium auidus. Nominat Poëta aliquos, etiamſi ex vulgo, & quia illos Euryalus occupat ſomno oppreſſos, ideo *ignaros*, quaſi neſcios ſui fati. Vnum excipit Rhetum, qui vigilabat, & videbat cuncta: tamen ignauus vigil, & cum maiore dedecore, quàm Ignari; nam præ metu ſe poſt craterem occultabat, aptiùs, *tegebat*, quaſi ignauo homini crater eſſet pro clypeo.

[c] Perſequitur cædem Rheti, hac varietate poëſin ornans. Vt ille prope ſe Euryalum vidit cum gladio, aſſurrexit: ſed puncto temporis obuiam habuit mortem, ideo *recepit*, dira hoſpitalitate, vbi miſerandum πάθος. & *multa*, propter copiam ſanguinis. Quam copiam explicans ait, vomitam animam purpuream, quia vnà cum ſanguine vina quoque relata, quæ paulo antè ingurgitauerat. Addit, *hic furto feruidus inſtat*, quia Euryalus ſucceſſu proſpero magis ac magis incumbebat nocturnis cædibus.

[d] Hoc ad gloriam Euryali, qui non contentus A cædibus è media plebe, aſpirauit ad ſocios Meſſapi: inuitauit quippe illum tum ignis iam penè deficiens, tum equi ſoluti iugo, & carpentes gramen. Ex vtroque enim facilè potuit coniicere, nullam ibi curam, & facilem adgreſſum. Equi *religati* ſunt, fortiter illigati: *ritè*, id eſt, militari ex more, ne abirent; cum quo tamen ſtat, ſolutos iugo fuiſſe, nam liberè paſcebantur. Sed tum Niſus Euryalum reuocauit, quem ſenſit intemperanter ferri in cædes. Ratio triplex. Appetit iam lux, quæ inimica nocturnæ adgreſſioni; pœnæ iam exhauſtæ, & quidem ad ſatietatem: facta eſt via, & quidem per hoſtes. Itaque, & ſatiata eſt iracundia, & parta gloria.

NOTÆ.

B

1. IMPASTVS CEV, &c.] Pari comparatione Homerus 10. Iliad. de Diomede furente in Thracas ſopitos. Leonis comparatio.

Ὡς δὲ λέων μήλοισιν ἀσημάντοισιν ἐπελθὼν,
Αἴγεσιν, ἢ ὀΐεσσι κακὰ φρονέων ἐνορούσῃ:
Sicut autem leo pecudibus incuſtoditis ſuperueniens,
Capris, vel ouibus mala machinans irruit.

Nuda iſta, vt vides. In Virgilio quot affectus, ſiue leonis ſæuientis, ſiue pecoris patientis? Et *mutum pecus*, quia Niſus dormientes inuaſerat, quod Homerus non vidit. Quid, quòd ratio Virgilij apprimè apta? ideo enim ſæuit leo, quia *impaſtus*, id eſt, ἄσιτος, & ἄποτος, vt loquitur Sophocles in Aiace Flagell. etenim leo, cùm ieiunus, tum ferocior. Phile in Iambis de leone, Homerū ſuperat Virgilius. Ieiunus leo ſæuior.

C

Καὶ θυμοειδὴς, εἰ λιμὸς τοῦτο θλίβοι:
Iráque feruet, cùm premunt ieiunia.

Et addit manſuetiorem eſſe, cùm famē depulit multa carne. Plinius de illis lib. 8. cap. 16. *ſatiati innoxij ſunt.* &, *vbi ſæuit, in viros priùs, quàm in feminas fremit; in infantes, non niſi magna fame.* Ariſtoteles de hiſtor. Animal. lib. 9. cap. 44. καὶ ἔστι δὲ ὁ λέων ἐν τῇ βρώσει μὲν χαλεπώτατός ἐστι, μὴ πεινῶν δὲ καὶ βεβρωκὼς πρᾳότατος:

Leo, quamuis in edendo ferocissimus; tamen pastus, & vacans fame, mansuetissimus est. Inde ergo Virg. *impastus* ad augendam ferocitatem; quod arripuit Silius libro secundo.

Ceu stimulante fame, cùm victor ouilia tandem
Faucibus inuadit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patulóque redundat
Gutture ructatus largè cruor, incubat atris
Semessæ stragis cumulis.———

Sed non detraham Homero, qui 12. Iliad. de Sarpedone loquens ita comparat.

Βῆ ῥ' ἴμεν, ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅστ' ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δέ ἑ θυμὸς ἀγήνωρ
Μήλων πειρήσοντα.———

Perrexit ire, sicut leo in montibus nutritus, qui indigens
Diu fuerit carnium, impellit autem ipsum animus superbus
Oues tentaturum.———

Claudian. quoque de leone in Bell. Get. *immanior,* quia *ieiunos catulos.* Stat. lib. 6. vt augeat metum ceruorum,

Cùm procul impasti fremitum accepêre leonis,

tunc videlicet maior illorum metus; nam *rapit attonitos fuga cæca.*

2. TVRBANS.] Fortasse absolutè ex more Poëtarum, & vnius imprimis Virgilij, qui verbum *turbo* sæpe ponit absolutum. De quo iam ego alibi. Possit tamen hîc, qui velit, tmesin agnoscere, vt dicat, *perturbans ouilia.* Sed in primum inclino, vt *turbans per ouilia:* præsertim accedente Gifanij Nota, qui explicat, turbat, vagatur, ex imitatione Lucret. lib. 2. **Turbo, pro vagor.**

Hoc etiam magis hæc animum te aduertere par est,
Corpora, quæ in Solis radiis turbare videntur.

Id est, errare, vagari: nam postea de eadem re,

Scilicet hic à principiis est omnibus error.

Iterum eodem lib. *turbant semina* id est, errant. Et turbationem illam, atque errorem postea explicat per verbum *moueo,* cùm ait;

Prima mouentur enim per se primordia rerum.

Hinc credo & Silium lib. 2. dixisse, *laceros inter spatiatur aceruos,* id est, vagatur, errat. Et Claud. de Bell. Gild. de leonis carnificina,

Sparsáque sanguineis pastorum funera campis.

Sed & Virg. suo verbo alludit ad Græcum κλονέω, quo in simili re sæpe Homerus vtitur, vt cùm ait 5. Iliad.

———Ἢ βοῶν ἀγέλην, ἢ πώϋ μέγ' οἰῶν
Θῆρε δύω κλονέωσι μελαίνης νυκτὸς ἀμολγῷ.

———*vel boum armentum, vel gregem magnum ouium*
Feræ duæ turbant nigræ noctis tempore.

Fames agit in furias. 3. VESANA FAMES.] Nam verè hæc in furias, & rabiem agit. Sic 2. Æneid. de lupis famelicis, *Exegit cæcos rabies.* Et Calab. lib. 8. dat fami ἀναιδέα θυμόν: nihil enim famelica rabie inuerecundius. Pari verbo Ioseph. cap. 7. lib. 7. Bell. Iudaic. ἀναίδειαν ait τοῦ λιμοῦ. Cyrus apud Xenophont. lib. 6. dicit, neminem ita fortasse esse, vt possit λιμῷ μαχόμενος στρατεύεσθαι, *contra famem pugnando stare in acie.* Calaber libro quarto de fame ait, αἰνὴ ἀνάγκη. &, λιμὸν ἀτερπηλόν. Ioannes Chrysostomus de hoc malo in Oratione Luciani Martyris. ἁπάντων γὰρ θανάτων οὗτος ἐστὶ χαλεπώτατος. Ait famem esse acerbissimam omniū mortem. Cuius rei postea reddit rationem hanc. καθάπερ γάρ δήμιός τις τοῖς σπλάγχνοις ἔνδον καθήμενος ἅπαντα καταξαίνει τὰ μέλη, πυρὸς παντὸς χεῖρον θερμαίνων κατεσθίων πανταχόθεν τὸ σῶμα, δεινήν τινα καὶ ἄρρητον παρέχων ὀδύνην. *Etenim tanquam visceribus insidens carnifex quispiam omnia membra dilaniat, quouis igne feraq; sæuius corpus omni ex parte corrodit, & inexplicabilem dolorē inurit.* Ab hac

A crudelitate, & tortione deinde eandem famem vocat γαστρὸς τὴν τυραννίδα, *ventris tyrannidem.* Qui multa de hoc malo volet, adeat Ioseph. lib. 7. Bell. Iud. c. 7. & 8. & locis aliis. Illud imprimis notabile de femina, quæ hostes cōtumeliis cōcitabat, vt se interficerent: putabat .n. mortē esse malū leuius fame. Hæc est ea femina; quæ postea filium suum interfecit, coxit, edit.

4. MVTVMQVE METV.] Eadem coniunctio amata Lucretio lib. 1. **Muta metu.**

Muta metu terram genibus summissa petebat.

Et quidem Lucret. de metuente Iphigenia; nam metus loquelam adimit: sic ergo *pecus mutum* in summo metu. Cic. 2. Tusc. ait, pueros dolores ferre, neque erumpere in querelas *metu.* Et in Verr. *Metu, conscientiáque peccati mutum, atque exanimatum.* Sic 12. Æneid. **Metus mutos reddit.**

B *Stat pecus omne metu mutum.* Calab. lib. 3. inducit hinnulos τρομέοντας φθίγγον ἐρευγομένοιο λέοντος, *trementes ad vocem leonis grauiter frementis.* Quo in tremore ἀφθόγγους capio.

5. FREMIT ORE CRVENTO.] Est hoc, quod Sil. lib. 2. de hac fera, *murmure anhelo infrendens.* Et lib. 4. Epig. βαρὺ βρύχημα λέοντος. Vox hæc propria leonis. Pollux lib. 5. λεόντων δὲ βρύχημα. Ammon. βρυχᾶται ὁ λέων. Suidas, βρύχων τοὺς ὀδόντας ὁ λέων. Hinc est, vt *fremori,* quo passim vtuntur Latini in rugitu leonis, respondere queat βρύχημα. **Fremitus de leone.**

6. SINE NOMINE PLEBEM.] Demosthenes in Chersoneso, ἀνωνύμους & ἀδόξους, quib. opponit ἐνδόξους καὶ γνωρίμους. Soph. in Elect. ἀγαθοὺς opponit νωνύμοις. Nam νώνυμος idem qui ἀνώνυμος Græca decurtatione. Sil. lib. 8. **Sine nomine, id est, ig. nobilis.**

C

Cetera in obscuro fama, & sine nomine vulgi.

Ennius in Alexandro, *Multi alij aduentant, paupertas quorum obscurat nomina.* A quo fortasse Virg. in 5.

Multi præterea, quos fama obscura recondit.

Inde est, vt sæpe *nomen* pro gloria. Horat. Od. 9. lib. 3. **Nomen pro gloria.**

Multi Lydia nominis.

Liu. libro primo. *Magnas opes, magnúmque nomen sibi fecerunt.*

7. IGNAROS.] Præclarè; nescij enim sui traducti sunt à temporario ad æternum somnum. Claud. 2. Ruff. *alij letho iunxêre soporem.* Liu. lib. 41. *aliis somno mors continuata est.* Q. Serenus de medicina, **Ignoratio mortis, quid sit.**

Denique nonnunquam somno sic membra grauantur,
Vt coniungatur letho sopor altus acerbo.

Petron. Arb. in Halosi,

D

Continuat in mortem vltimam
Somnos.———

Iterum:

Somnúmque morti iungerem.

Est hæc proculdubio Virgiliana ignoratio. Ferunt Abrahamo Bassæ Solymanum Turcarum Principem iurasse, nunquam viuo & scienti vitam ademptur͞ū. Quod vt impleret altē dormientem iussit iugulari. Nam qui dormiens moritur, ignarus moritur. Vide Iouium ad exitum lib. 33.

8. SE POST CRATERA TEGEBAT.] Quippe ebrius, & ita nō scuto. Sicut 2. Georg. Centaurus ebrius pu-

E gnat *cratere.* Cōsule & Ouid. lib. 12. Metam. Virg. Homerū sapit, qui 6. Iliad. ὁ δέ μιν σάκει χρυσείῳ φαεινῷ. **Imitatio.**

9. CONDIDIT.] Notat Germ. dictum imitatione Hom. qui 16. & 20. Iliad. πᾶν δ' ὑπεθέρμανθη ξίφος. Itaque, vt Hom. *totum gladium,* Virg. *ensem condidit.* Sic in 2. *capulo tenus abdidit ensem.* **Imitatio.**

10. MVLTA MORTE.] Sunt, qui legant *nocte,* nō absonè; nā tenebræ oboriūtur morituris: de quo in 11.

11. PVRPVREAM VOMIT ILLE ANIMAM.] Propter cruorē, & eius colorē; nā & Hom. αἷμα vocat πορφύρεον, *sanguinem purpureū.* Quò respectū à Plin. loquente **Purpurea anima.**

de

de purpura lib. 9. c. 38. *Laus ei summa, color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idémque suspectu refulgens, vnde & Homero purpureus dicitur sanguis.* Aristot. lib. 1. de Anim. Critiam adducit, qui putabat animam hominis esse sanguinem. De versu porrò illo vulgatissimo Hom.

Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή,

lege Ælian. lib. 16. Var. Hist. c. 1. atque etiam Eustathium in Homerum ipsum. Quos duos tametsi ad explicandum Virgilium traducant aliqui, assentire his nequeo. Apage enim, vt de occisione purpuræ sermo sit in Virgilio, fortasse neque in Homero. Itaque Virg. tantùm dicit; *vomit animam purpuream*, id est, purpurantis coloris sanguinem, in quo posita vita. Lazius lib. 8. c. 8. explicat *purpuream animam* Virgilij, igneam & ardentem. Nam genus est purpuræ, quam *igneam* Iuuenalis, & *ardentem* vocat Val. in Argon. Hoc tolerabilius esset; nam illud de occisione purpuræ ἀσυνάρτητον. Lege, si placet, iocum Theocriti apud Athen. lib. 12. super versu illo Hom.

Purpura ignea.

Locorum similitudo.

12. CVM SANGVINE MISTA VINA REFERT.] Ouid. 12. Metamorph.

Sanguinis ille globos pariter, cerebrúmque, merúmque
Vulnere & ore vomens.———

Stat. 5. Theb.

———*ingestísque modo torrentis apertis*
Sanguine commisto redeuntem in pocula Bacchum.

13. FVRTO FERVIDVS.] Curtius lib. 4. etiam *furtum* adhibet nocturno bello, his verbis: *Parmenio peritissimus inter duces artium belli, furto, non prælio opus esse censebat, intempesta nocte opprimi posse hostes.* Idem scribit Plutar. in vita Alexandri. Regem enim Parmenio hortabatur, ἐπιχειρῆσαι νύκτωρ τοῖς πολεμίοις, καὶ τῷ σκότῳ τὸ φοβερώτατον συγκαλύψαι τοῦ μέλλοντος ἀγῶνος: *hostes noctu aggrederetur, tenebrísque contegeret summum instantis belli terrorem.* Furtum de bello nocturno.

B 14. NIMIA CÆDE, ATQVE CVPIDINE.] Est hoc, quod infrà de Ascanio, *auidum pugnæ.*

15. ABSISTAMVS, AIT, NAM LVX, &c.] Hom. 10. Iliad. Imitatio.

ἀλλ' ἴομεν, μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς:
Sed eamus, iam enim nox elanguet, & aurora appetit.

Adducit & Vrsinus illud Georgiæ. ἀλλά γε τὸ φῶς πολεμεῖ τοῖς τοιούτοις: *sed lux pugnat pro istis.*

16. EXHAVSTVM.] Ita in 1. *exhaustos casibus.* & Græcorum ἐξαντλεῖν, *exhaurire*, de malis sæpissimè. Eurip. ἐξαντλεῖν γόους dixit, *luctus exhaurire*, & ἀντλεῖν βίον, pro, *vitam traducere malis & ærumnis plenam.* Exhaustum.

17. VIA FACTA PER HOSTES.] Hoc modulo Val. 1. Arg.

———*via facta per vndas.*

[a] Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armáque, craterásque simul, pulchrósque tapetas.
[b] Euryalus phaleras Rhamnetis & aurea bullis
Cingula, Tyburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit dona, hospitio cùm iungeret absens
Cædicus, ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem, bello Rutuli prædáque potiti.
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.
[c] Tum galeam Messapi habilem, cristísque decoram
Induit, excedunt castris, & tuta capessunt.

ARGVMENTVM.

Relinquunt multa spolia, multa secum auferunt: notatur Euryali auiditas.

EXPLICATIO.

[a] EA fuit abeuntium præcipitantia ad apparentem lucem, vt multa reliquerint, etiamsi pretiosa, vel ex materia, vel ex arte: ex materia; nam *ex argento solido*: ex arte; nam *perfecta*. Itaque omnia in pretio, ars, & materia, vt loquitur Plin. lib. 33. c. 1. Quæ verò relicta? *arma, crateres, tapetes.* Hos cùm vocat *pulchros*, explico, acu pictos.

[b] Sed in tanta tamen præcipitantia, Euryali auiditas notatur, qui secum abstulit Rhamnetis phaleras, & cingula. Narrat verò Poëta, vnde hæ phaleræ, & cingula peruenerint ad potestatem Rutulorum, hunc in modum. Moris fuit, vt inter se homines hospitij iura mutuis muneribus coniungerent, etiam absentes: ergo, Cædicus ditissimus, absens cùm esset, misit munera Remulo Tyburtino, vt illum sibi adiungeret hospitio: Remulus moriens C nepoti suo ea reliquit; post nepotis mortem (obiit hic quippe bello conflato inter Tyburtinos & Rutulos) poti sunt Rutuli ea præda: ex Rutulis peruenit pars prædæ ad Rhamnetem; hunc occidit Nisus, ac tunc Euryalus abripuit, sibique adaptauit, sed *nequicquam*; nam non fruiturus; instabat videlicet fatum misero. Texta hæc sunt Seruiano filo.

[c] Messapi quoque (ad quem se tenderat, cùm reuocatus est à Niso) galeam sibi aptauit, cui cristæ decoræ. Hoc facto abeunt.

NOTÆ.

1. SOLIDO ARGENTO.] Theophyl. Simoc. D cap. 6. lib. 3. scribit verè illos agitari τῇ μέθῃ τῇ πλούτου, qui habent ex auro solido ἱππικοὺς κόσμους, καὶ πανοπλίας. Nam ornamenta equestria, & arma fieri ex auro, aut ex argento solido, summa est amentia. Equi cum aureo ornamento ... mundi.

2. CRATERASQVE SIMVL.] Qualis hæc species, cùm pocula natarent in sanguine? Erat enim cernere

Crateras pronos, epulásque in cæde natantes,

ait Stat. lib. 5. Theb.

3. PVLCHROSQVE TAPETAS.] Rhamnetis, credo, qui *tapetibus altis extructus.*

4. Phaleras.] Non desunt, qui phaleras ab equis traducant ad equites, & hi sunt multi; dicántque, eas fuisse ornamentum non modò equorum, sed etiam equitum. Id mihi difficile, neque in vllum incidi locum, qui me cogat id fateri. Solùm fuêre equorum. Lux clara à Virg. 5. Æneid. *equum phaleris insignem.* Iuuen. Sat. 11. *vt phaleris gauderet equus.* Sertorij equum Plutar. inducit φαλάροις ἀ-πλήτοις πολυτελέσι. Appian. in Libyc. ἵππον χρυσοφάλαρον. Itaque *phalera* (verissima est nostra hæc propositio) *tantùm sunt equorum.* Cùm legis frequenter in Scriptoribus, phaleras datas equitibus, intellige ad vsum equorum. Et magnum profectò argumentum, quòd facta mentione phalerarum, fiat quoque signatè mentio equitum. Cùm Liu. scripsit lib. 9. decretum in Comitiis, *vt plerique nobilium aureos annulos, & phaleras deponerent*, significat (me interprete) vt equites detraherent, & ab manibus annulos, & ab equis phaleras. Vis probem? Audi Val. Max. cap. 3. lib. 9. *offensi annulos aureos sibimet ipsis, & phaleras equis suis detractas abiecerunt.* Loquitur videlicet de re eadē, de qua Liu. Inde & Plin. signatissimè lib. 33. c. 1. *Sed & phaleræ positæ, propter quas nomen equitum adiectum est: annulos quoque depositos à nobilitate.* Alludit quippe ad verba Liuij; & ait, ad vocem *phalerarum* adiectum nomen *equitum*, vt clarè intelligas rem. Verba illa Sueton. August. cap. 25. *Dona militaria aliquanto faciliùs, phaleras, & torques, quicquid auro, argentóque constaret, quàm vallares & murales coronas, quæ honore praecellerent, dabat*, capio etiam de phaleris equorum, nam *torques* quidem equitum erant. Sic Calpurn. apud Liu. lib. 39. donat equites suos phaleris. Itaque, nunquam video mentionem phalerarum, quin videam etiam aut equorum, aut equitum. Euerti maximum fundamentum contrariæ partis. Nam verba Liuij lib. 9. quæ pro se illi adducunt, vides capienda de equis ex Valerio Maximo. Remoueo iam minutula alia, quæ possunt contra me pugnare. Primum est, mittit Cædicus Tyburti has phaleras in donum. Sed cur non mitti possint Tyburti ad vsum equi? sicuti in 8.

Phaleræ tantùm equorum.

Ille mihi insignem pharetram, Lyciásque sagittas
Discedens, chlamydémque auro dedit intertextam,
Frænáque bina, meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Cuius rei est etiam exemplum in Xenoph. lib. 4. ἑλλ. ὁ δὲ δεξάμενος, φάλαρα ἔχοντος αὐτοῦ τῷ ἵππῳ Ἰδαίου τοῦ γραφέως πάγκαλα, ἀφελὼν ἀντιδωρεῖ αὐτῷ: *Cùm accepisset* (Agesilaios) *phaleras, quas pulcherrimas habebat in equo Idæus pictor, detractas illas vicissim puero dono dedit.* Si quis in hoc testimonio non vidisset mentionem equi, putaret datas puero phaleras, quas gestaret ipse. Rem eandem Plutar. narrat in vita Agesilai; ait enim phaleras, ab equo detractas, donatas iuueni. Alterum, sunt quæpiam in auctoribus, quæ difficilè traducantur ad equos, vt phaleræ illæ viginti quinque, quas Siccius Dentatus retulit ab hostibus, auctore Valer. lib. 3. c. 2. In cuius etiam donis Dionys. adhibet lib. 10. στρεπτὰς, καὶ φάλαρα, *torques, & phaleras*, illos collo, has pectori, vt quiuis suspicetur. Cum quo alludit Iuuenal. Sat. vlt. & vers. vltimo,

Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Respondeo primò, me non futiliter posse existimare, hos & similes capi posse de equis. Et Iuuenalem quidem (quem pro phaleris virorum multi aduocant), de phaleris equorum capiunt non mali interpretes, Britannicus, & Autumnus. Deinde vir doctus Carol. Paschal. lib. 10. de Coron. c. 19. phaleras constituit inter ornamenta capitis, & militares cristas, aitque esse, τὰς προμετωπιδίους ἀσπιδίσκας, *scutula circa*

Phaleræ inter ornamenta capitis.

A *frontem.* Suidas hoc scutulum, aut clauum galeæ φάλον vocat, & origo vocis ἀπὸ τῷ φάλον: sic enim dicuntur coni galearum. Ergo quid vetat de his insignibus capi posse auctores aliquos? Nihil video, quod pugnet. Hoc verò contra me non est, qui tantùm conor contra illum, qui in lib. de Mil. Rom. scripsit, *phaleras pependisse demissas ad pectus.* Itaque pectora hominum phalerata fuisse pernego. Sed à phalis capitum phaleræ in capitibus. Sic & in re capitis dixit Prudent. lib. 2. in Sym. *vittarum insignis phaleris.* Et Fulgent. in Mythol. de vna Musarum loquens, *phaleratum exoticis diadema carbunculis.* Nec est, quòd mihi Silium obiicias, qui lib. 15.

——*phaleris hic pectora fulget,*
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

B Nam huic nihil credo. Neque enim est princeps classicus in Latio. Cùm enim vidisset in Scriptoribus datas phaleras militibus & torques, putauit illicò κατ' εὐθεῖαν illas gestandas esse ab hominibus in pectore. Neque vidit dari equitibus phaleras & torques; illas equis; hos collo, vt iam astruxi ex Liuio, & Valerio commissis. Cùm alluceat testimonium debiti Scriptoris, qui pectus hominum faciat phaleratum, manus dedam.

5. Aurea bullis cingula.] Hæc cingula equorum quoque sunt, vt & phaleræ. Nec facilè cedam, si quisquam aliò detorqueat, & putet hæc cingula fuisse ad vsum Rhamnetis, non equi, præeunte mihi ad hanc rem Apuleio lib. de Deo Socra-
C tis, vbi ait: *Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, & baltbei polimina inspicimus, & ornatissima ceruicis diuitias contemplamur: si ex argento, & auro, & gemmis monilia varia gaza dependent: si plena artis ornamenta capiti, & collo circumiacent: si fræna cælata, ephippia fucata, cingula bullis aurata sint,* &c. Hic locus, vt contuenti apparebit, factus est ex locis Virgilij nonnullis; nam & postea subiicit locum 3. Georg. *Argutúmque caput*, &c. & illud de *dependentibus monilibus* sumptum est ab lib. 7. Æneid. In cingulo itaque non potuit ad alium locum alludere, nisi ad illum, in quo sum. Non ad illum lib. 1.

Cingula equorum.

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ;

neque ad illum lib. 12. *notis fulserunt cingula bullis*
D *Pallantis pueri.* Nam in vtroque sermo est de cingulis militaribus virorum; baltheos etiam vocant. In hoc vno de cingulis equorum; & nullibi aliàs hæc vox in Virg. est.

6. Bullis.] Attingit hac vocula ornatum cingulorum, de quo alibi loquor. Itaque non aurea cingula, sed tantùm bullæ; vt, *purpurei cristis iuuenes.* Sunt bullæ, clauiculi.

Bullæ.

7. Moriens dat.] Notat Albericus lib. Virgilianæ lectionis cap. 3. innui ab eminente Poëta donationem illam, quæ fit causâ mortis, vt in Eclog.

Donatio in morte.

Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens, te nunc habet ista secundum.

8. Dat habere.] Græca forma, vt, δίδωκεν ἔχειν.
E Ita Hom. 17. Iliad. δῶκε φέρειν. & 6. δῶκεν τῷ θεράποντι κατάξειν. & 7. δῶκε φορῆναι. Stat. 1. Theb. *reddit habere.* Totus verò hic locus texitur ad imitationem Hom. 10. Iliad. vbi galea, quæ Vlyssi imponitur abeunti Troiam ad explorationem, narratur fuisse Amyntoris, deinde Autolyci, mox Aphidamantis, postea Moli, ab hoc peruenisse ad Merionem, demum ad Vlyssem. Pertinent ista ad commendationem. Est enim necesse, vt egregium sit, & pretiosum munus, quod ab tot, & ad tot. Inde Stat. 6. Theb. arma vocat *auorum veterum exuuias.* Est etiam locus simillimus Theocriti in Europa, vbi aureus calathus permu

Dat habere.

Imitatio.

permutat possessores plures. Nam illum Vulcanus dat Libyæ, Libya Telephaëssæ, Telephaëssa Europæ.

Cognominis. 9. NEPOTI.] Notat Seru. cùm nomen filij, aut nepotis non ponitur in Scriptoribus, intelligendum esse eum cognominem aut patri, aut auo. A Ego *nepoti*, id est, Remulo.

10. APTAT.] Et mox *habilem*, vt ipse *aptat habendo*. Hom. τὸ ἄρμενον.

11. TVTA CAPESSVNT.] Quod Terent. *in vado res est*, id est, in tuto. Res est in vado.

ᵃ Interea præmissi equites ex vrbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno Regi responsa ferebant,
Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro.
ᵇ Iámque propinquabant castris, muróque subibant,
Cùm procul hos læuo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in vmbra
Prodidit immemorem, radiísque aduersa refulsit.
ᶜ Haud temerè est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State viri, quæ causa viæ? quíve estis in armis?
Quóve tenetis iter? nihil illi tendere contrà,
Sed celerare fugam in syluas, & fidere nocti.
Obiiciunt equites sese ad diuortia nota
Hinc atque hinc, omnémque aditum custode coronant.

ARGVMENTVM.

Cùm iam excedunt, cernuntur à Volscente, & militibus, qui ex vrbe ad Turnum veniebant cum mandatis, prodente scilicet galea Euryalum.

B in syluas abdunt quàm celerrimè, fidentes illis, & nocti. Occupant statim hostes vias omnes & diuerticula, quibus exitus inde esse posset, ne abirent. Illud, *nihil tendere contrà*, explicant, nihil illi respondere. Ego tamen ita; illi non contra aduersos tendere, sed flectere læuo limite, & se in syluas abdere; ita vt hîc, *nihil*, sit, non.

EXPLICATIO.

ᵃ VENIT id temporis Volscens ab vrbe ad castra cum equitibus trecentis, & omnibus erant arma, ferebántque mandata quæpiam Latini ad Turnum, potiùs responsa. Nam cùm Turnus à Rege (hæc κατὰ συνεκδοχὴν) aliquid quæsisset, isti afferebant responsa. Cur hi dicantur *præmissi*, hæret Seru. neque explicat. Sed sententia est. Legio integra veniebat ad castra, constat hæc equitibus, & peditibus, præmittuntur equites, qui velociores, nam *legio cetera*, id est, pedites, adhuc morabatur campis instructa. Itaque hîc, *cetera legiò instructa campis*, non sunt illi milites, qui cum Turno erant (hoc fortasse Seru. non intellexit) sed pedites, qui de nouo mittebantur, & ante hos præmittebantur equites; nam pedites tardiores. Est hæc mens Donati.

ᵇ Ergo, cùm iam appropinquarent, essentque prope muros Troianos, cernunt Nisum, atque Euryalum, qui, vt hostes fallerent, flectebant læuo tramite. Visi autem sunt, prodente illos galea Euryali; nam tametsi nox esset, sed vmbra tamen sublustris erat, appetente iam luce. Itaque galea refulsit aduersa radiis. Sic mihi visum de mente Poëtæ: nam ipse suprà, *lux inimica propinquat*. Itaque radij isti sunt lucis appetentis, non Lunæ (vt explicat Seru.) neque contra hoc est, orationem Nisi postea dirigi ad Lunam apparentem; nam illo temporis crepero etiam Luna cernitur.

ᶜ Non otiosè, & segniter res notata; nam statim Volscens cœpit clamare, vt starent, rogare causam viæ, qui essent: quò iter: illi nihil; tantùm se fuga

NOTÆ.

1. TERCENTVM.] Adludit proculdubio ad numerum equitum, qui in quaque legione. Liu. lib. 3. *Equites duarum legionum sexcenti ferè ex equis desiliunt.* Trecenti ergo in singulis. Sed de his iam Lips. Godesc. alij. Ceterùm vox ista *tercentum* satis indicat illud lib. 4. *Tercentum tonat ore Deos.* esse Deos trecentos, id est, multos. Displicent vehementer, qui ita coniungunt, *tonat ter Deos centum.* Quia allusio (inquiunt) fit ad Hecatem, cui sacer centenarius numerus. Scio hoc, & non cedo. Nam, tametsi ἑκατὸν sit τῆς Ἑκάτης, & Silius in re inferna dixerit lib. 1. *ordine centum stant aræ.* Sed in Virg. id esse nequit, nam ineptè, facta iam ibi mentione Hecatæ, statim recurreret, *Tergeminámque Hecaten*; nam hoc sequitur. Deinde, Poëta summè esset amphibolus, (quod vitium longè ab hoc Principe) si eadem dictione bis posita, in 4. disiungeret, hîc coniungeret. Equitum numerus in legione. C Tercentum tonat ore Deos, quid sit.

2. SCVTATI.] Id est, armati. Ita capit Iosephus D Scal. in Coniectan. nam arma; scuta sunt. Tarpeia necata est *armis* Sabinorum, id est, scutis. & *ancilia arma*, id est, scuta. Ser. quoque hîc, *scutati, id est, armati.* Glossæ etiam, *scutum*, θυρεὸς, ἀσπίδα, καὶ ὅπλον. Vides *scutũ* reddi per ὅπλα, id est, *arma*. In iisdem ὅπλον, *telum, scutum.* Demum optimi interpretes Thucydidæ, Polybij, Herodoti, horum ἀσπιστὰς reddunt *armatos*, non *scutatos*. Scutati, id est, armati. Arma, pro scuto.

3. MAGISTRO.] Quis non videt, hîc alludi ad magistrum equitum, qui Dictatori adiungebatur?

4. LÆVO FLECTENTES LIMITE CERNVNT.]

Respe

Respectum ad Dolonem Homeri, quem noctu facientem iter ad insidias conspicatus est Vlysses.

5. SVBLVSTRI NOCTIS IN VMBRA.] Non refero ad noctem sublustrem Horat. Od. 27. lib. 3. sed ad ἀμφιλύκην, id est, *erumpentem diei lucem*, propter rationem, quam iam attuli explicans. Itaque hæc est illa *lux lubrica* Sidon. epist. 2. lib. 2. tametsi de re alia loquatur: & verè *lux crepera*, cùm nox se frangit. Vide, quæ hîc doctè Germ.

Lux lubrica.

Crepera.

6. PRODIDIT.] Affinia huic excursui illa Simocattæ cap. 9. lib. 5. τῇ τοίνυν δυσχερείᾳ τῶν τόπων κωλυόμενον τῇ ἐπιβουλῇ συγκαλυπτόμενος, ἥλιος ἀνίσχων καταδηλον Ῥωμαίοις ἐγίγνετο, ὅτι δόλος ἐς τὸ φανερὸν ὑπεξῄγετο: *Locorum itaque difficultate impeditum* (Vatamum) *Sol ortus cum insidiis prodidit, & fraus in aperto fuit.*

Locorum similitudo.

7. RADIISQVE ADVERSA REFVLSIT.] Signat lucem repercussam, vt Ouid. 2. Art.

Vt Sol in liquida sæpe refulget aqua.

Ait, ex Sole conspecto in aqua resilire, & remitti radios. Rectè hunc in locum adducit Germ. illud Aristot. *quæ habent læuorem, etiam noctu splendescere.* Talis enim galea. Τὰ λεῖα πεφυκέναι ἐν τῷ σκότει λάμπειν. Stat. 2. Theb. ex perlustrato Maronis loco.

Fulgor ex lucis repercussione.

Ille propinquabat syluis, & ab aggere celso
Scuta virûm, cristásque videt rutilare comantes,
Quà laxant rami nemus, aduersáque sub vmbra
Flammeus æratis Lunæ tremor errat in armis.

Et lib. 5. *armorum transmittunt fulgura sylue.* Sic itaque in ramos arborum fulserunt arma Euryali.

8. STATE VIRI, QVÆ CAVSA VIÆ? &c.] Æmulatur Stat. 2. Theb.

State.

Ac prior; vnde viri? quidve occultatis in armis?

Et lib. 10. *Exclamat; prohibete gradum quicunque.* Tale & illud Liu. lib. 23. vbi præfectus Romanæ classis ad fugientes quosdã: *Cùm quæreret, qui, & vnde, & quò tenderent cursum:* Quod hîc *state*, Diomedes ad Dolonem, μένε, *mane.* Et Aristoph. Plut.

Ποῖ, ποῖ; τί φεύγεις; οὐ μενεῖς;
Quò, quò? quid fugis? annon manebis?

9. NIHIL ILLI TENDERE CONTRA.] Applaudit Homeri locus de Dolone,

Imitatio.

Γνῶ ῥ' ἄνδρας δηΐους. λαιψηρὰ δὲ γούνατ' ἐνώμα
Φευγέμεναι. τοὶ δ' αἶψα διώκειν ὁρμήθησαν:

Agnouit viros inimicos. velocia autem genua mouit,
Vt fugeret. illi confestim insequi festinarunt.

10. SED CELERARE FVGAM.] Pergit Stat. in 10. *miseri pergunt anteire.*

11. FIDERE NOCTI.] Quod Ouid. 13. Metamorph. *& se committere nocti.* A quo accepit Prop. Eleg. 16. lib. 3. *Committam mene tenebris?*

Nocti fidere.

12. OBICIVNT SESE AD DIVORTIA.] In Sidon. est quidpiam huic simile epist. 9. lib. 2. licèt in re læta: *Iam primum sagacissimis in hoc exploratoribus destinatis, qui reditus nostri iter aucuparentur: domus vtraque non solum tramites aggerum publicorum, verùm etiam calles compendiis tortuosos, atque pastoria diuerticula insedit, ne quo casu dispositis officiorum insidiis elaberemur.* In Curt. est lib. 3. *Armati quoque, qui eos persequebantur, nota diuerticula petere cœperunt.* Nam Virgilij *diuortia*, diuerticula sunt. Liu. lib. 44. dixit: *Prope diuortium itinerum castra posituri erant.* Græci ἐκτροπὰς dicunt. Qua voce Latinis characteribus vsus Varro apud Nonium in *Spissum.* vbi enim multi legunt *exstrophas*, legendum, *ectropas.* Nonius *diuortium* explicat *separationem.* Fauet illi Cic. qui synonymicῶς *dissidium*, cùm ait in Cluentiana; *Sæpe fieri diuortia, atque affinitatum dissidia videmus.* Ibid. *Ecce autem subitum diuortium, discedit à Melino Cluentia.* Inde ad matrimonia, vt in adductis Tullij. Sunt qui putent, peti vocem ab aquis, quæ ab vno loco deriuantur, diuertúntque in varia. Fauent loca Liuij, & Ammiani. Prior lib. 38. *Ad diuortia aquarum castra posuisse.* Posterior lib. 15. *diuortia riparum adradens.* Sed Virg. sermo sumptus est, vt puto, à venatoribus, quod liquidum tam ex Sidonij verbis adductis, quàm ex istis Nazianz. Orat. 20. νέων προκαταλαβόντων τὰς διεξόδους τῆς θήρας: *Iuuenes viarum exitus venaturi præoccupant.*

Diuortia.

Ectropæ.

13. OMNEMQVE ADITVM.] Legendum fortasse *abitum.* Nam infrà;

Lectio Virgiliana.

Nisus abit, iámque imprudens euaserat hostes.

Et Seru. melior lectio, *abitum*, quàm *aditum.* Sententiam ita extulit Iosephus lib. 7. Bell. c. 26. vbi sermo est etiam de sylua cincta equitatu, φρουρὰν μὲν τὰς ἱππέων ἔπαυον κυκλοῦσι τὸ χωρίον. Et Stat. 2. Theb. *densique nemus statione coronant.*

[a] Sylua fuit latè dumis, atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant vndique sentes;
Rara per occultos ducebat semita calles.
[b] Euryalum tenebræ ramorum, onerosáque præda
Impediunt, fallítque timor regione viarum.
[c] Nisus abit, iámque imprudens euaserat hostes,
Atque lacus, qui pòst Albæ de nomine dicti
Albani, tunc Rex stabula alta Latinus habebat.
[d] Vt stetit, & frustra absentem respexit amicum.
Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quídve sequar? rursum perplexum iter omne reuoluens
Fallacis syluæ, simul & vestigia retrò
Obseruata legit, dumísque silentibus errat.

ARGVMENTVM.

Describitur sylua, Euryali impedimenta, Nisi fuga, eiusdem querimonia, & remigratio ad quærendum amicum.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIPTIO syluæ, tum à tenebris, nam tota *dumis horrida, & nigra ilice*: tum à densitate; nam

nam *semites vndique complerant*. Inde natum, vt *rara* esset semita, quæ duceret euntes per occultos calles.

ᵇ Ergo his ramorum tenebris, deinde præda, quam secum gestabat, impeditur Euryalus: accedit timor ab ignotis locis. Consideratè hic ponitur, *falluque timor regione viarum*, vt insultet præteritæ exultantiæ, *nec nos via fallet euntes*; certè fefellit.

ᶜ Erat iam Nisus extra periculum; nam & perplexam syluam, & hostes euaserat, imprudens remanentis Euryali: erat etiam extra lacus illos, qui postea dicti Albani, vbi tum stabula equorum Latini.

ᵈ Vt verò *stetit*, & *amicum respexit*, sed *frustra*, quia *absentem* (vide quot πάθη) rediit, quia *puduit sine fratre reuerti*, ait Stat. 9. Theb. & Nisum sine amico. Tum verò clamabundus, O infelix ego, ô tu infelix Euryale (referri vox ad vtrumque potest) vbi reliqui te? (se auctorem facit ex vi doloris) quà sequar te? Hæc ita breuiter, ne tempus terat, & interim periclitetur Euryalus. Consumeret hoc loco aliquis incogitanter plures versus in iactandis querelis. Itaque statim ad periculum redit, neque horret iter perplexum, syluam fallacem rursus reuoluit, legit retro vestigia, quæ abiens obseruauerat; errat per loca lenticosa, & dumis horrida.

Notæ.

1. Dumis, atque ilice nigra.] Talem locum Hesiod. exhibet in Theb. ἐν ὄρει πυκνοκαρπῷ ὕλῃεντι, *in monte denso, syluoso*. Nost. 4. Georg.

Et caligantem nigra formidine lucum.

Et in 6. *densa ferarum tecta*. Ouid. Epist.

Est nemus, & piceis, & frondibus ilicis atrum.

In 5. Fast. *nemus arboribus densum*. Stat. 6. Theb. syluam vocat opulentam *larga vmbra*. Lucan. lib. 3. vbi de luco antiquissimo,

Obscurum cingens connexis aëra ramis.

Nemoris densitas. Nescio an in his quisquam par Virgilio, in quo *dumi, sentes, ilex nigra, horror, densitas, occulti calles, rara semita, ramorum tenebræ, timor, fraus, impedimentum*. Et postea, *iter perplexum, sylua fallax, silentes dumi*. Ita solet hic Vates. Quid sit *ilex nigra*, dixi 6. Eclóg. ad illud, *ilice sub nigra*.

Horror de religione. 2. Horrida.] Non credo sine respectu ad religionem, in qua syluæ fuerunt, & quæ declarata per horrorem; vt, *Horrendum syluis, & religione parentum*. vbi vides horrorem iungi cum religione. Arnob. lib. 4. εὐωνυμικοῖς, *cuius nomen Ægyptia gens horret, & reueretur exprimere*. Stat. lib. 6. de sylua quapiam, *stat sacra senecta Numine*. Sed hoc iam variis locis.

3. Rara per occultos, &c.] Sunt hæ semitæ, & occulti calles, quos Sallust. Iugurth. vocat *tramites occultos*. & statim de locis, vbi hi tramites, *consita arbustis, pecore, atque cultoribus frequentabantur*. Sidon. etiam dixit epist. 9. lib. 2. *calles compendiis tortuosos, atque pastoria diuerticula*. Explico Virgilium per Sallustium, & Sidonium; nam Seru. accipit *raram semitam inter calles pecorum*. Hæsit, credo, etymo, nam callis à pecorum callo. Sic in 4. *Calle angusto*, de via trita formicarum gressibus. Vtrobique Poëta intelligit ἀτραποὺς, καὶ πεπατημένους τόπους: sic enim Græci vocant factos ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, *a viatoribus*. Non itaque dubium, quin calles Virgiliani sint quos habes in Sallust. & Sidon. accedente explicatione Seruij; cùm præsertim Græci hos calles vocent οἰοπόλους, vt in quibus tantùm versentur oues. Inde & Valerium illustro 3. Arg. vbi viam inter syluas vocat *callem*. Non autem dubium, quin syluæ sint pecorum. Callis vnde.

4. Regione viarum.] Laudo Seruium, qui *regionem* accipit de itinere, quòd regat. Inde sup. *ducebat semita*, vbi non placet lectio aliquorum, *lucebat*: viæ quippe ducunt, regunt, ferunt. Sic Græci ὁδὸς ἄγει, καὶ φέρει. Inde & infrà: Regio de itinere à regendo.

Euryale infelix, qua te regione reliqui?

Id est, qua via, quo calle?

5. Imprudens.] Scilicet relicti Euryali. Ita omnes accipiunt, & ita explicui. Sed vide, an melius, *imprudens*, id est, ἐκλαθών. Fefellit enim hostes Nisus, & occultatus periculum, & angustias euasit. Sic in 4. de pastore percutiente ceruam, *liquitque volatile ferrum Nescius*, id est, ignoratus, neque visus à cerua. Fauet Seru. qui inter alias explicationes: *imprudens, id est, valdè prudens*. Quasi non hic ἄνευ ἐπιτάσεως. Imprudens, id est, occultatus.

6. Atque lacus, qui post Albæ, &c.] Omnino sic legendum, non *locos*. Iuuenal. Sat. 4. Lectio Virgiliana.

Vt, lacus suberant, vbi quanquam diruta seruat
C *Ignem Troianum, & vestam colit Alba minorem.*

Proper. Eleg. 22. lib. 3.

Albanúsque lacus socij Nemorensis ab vnda.

Strabo lib. 5. loquens de monte Albano, ἔχει δὲ καὶ τοῦτο λίμνην: *habet hic mons adiacentem lacum*. Sed quidem de lacu Albano mentio multa in Liuio, Plinio, Valerio, Plutarcho in vita Camilli, aliis, qui loquuntur de victoria parta aduersùs Veientes. Indè fortassè Martialis Epig. 1. lib. 7. per *Thetin* lacum hunc intelligit, cùm ait. Lacus Albanus.

Hoc tibi, Palladia seu collibus vteris Albæ,
Cæsar, & hinc Triuiam prospicis, inde Thetin.

Porrò de duplice Alba Italiæ (nam verè duplex fuit, non vna, vt malè volunt aliqui) vide Strabonem, & reliquos Geographos. Plinius discriminat D vocans *Albam Albanorum*, &c, *Albam Albensium*. Alba duplex in Italia.

7. Quave sequar?] Suaues sunt Grammatici, qui hæc vocant aduerbia. Tu semper substantiuum subaudi, vt hoc loco, *quáve regione sequar?* Sic, *hac, illac, istac*, subaudi via. Qua, non est aduerbium.

8. Vestigia retro observata.] Par historia 2. Æneid. vbi Æneas, *& vestigia retrò obseruata sequor per noctem*. Contrà Catull. *inobseruabilis error*. Est verò hoc, quod alibi, *vestigia torsit*. Nonnus lib. 40. ita, ἴχνος ἐκάμψε. Vestigia obseruata.

9. Dumis errat.] Theoc. εἰδ. 13. de Hercule quærente Hylam, ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις παῖδα ποθέων δεδόνητο: *in inuiis sentibus pueri desiderio errabat*. Imitatio.

ᵃ Audit equos, audit strepitus, & signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, cùm clamor ad aures
Peruenit, ac videt Euryalum, quem iam manus omnis
Fraude loci, & noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.

ᵇ Quid

[b] Quid faciat? qua vi iuuenem, quibus audeat armis
Eripere? an ſeſe medios moriturus in hoſtes
Inferat, vt pulchram properet per vulnera mortem?
[c] Ocyùs adducto torquens haſtile lacerto
Suſpiciens altam Lunam, ſic voce precatur.
[d] Tu Dea, tu noſtro præſens ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos.
Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendíve tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi:
Hunc ſine me turbare globum, & rege tela per auras.
[e] Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Coniicit; haſta volans noctis diuerberat vmbras,
Et venit auerſi in tergum Sulmonis, ibíque
Frangitur, ac fixo tranſit præcordia ligno.
Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis ſingultibus ilia pulſat.
[f] Diuerſi circumſpiciunt; hoc acrior idem
Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure.
Dum trepidant, it haſta Tago per tempus vtrumque
Stridens, traiectóque hæſit tepefacta cerebro.

ARGVMENTVM.

Inuenit inter hoſtes Euryalum, hæret primò quid faciat; deinde, præmiſſa precatione ad Lunam, torquet haſtam vnam, dein alteram: primo ictu Sulmonem, altero Tagum abripit.

EXPLICATIO.

[a] PRÆCESSERAT, erraſſe Niſum per ſilentes dumos, cui ſilentio iam nunc opponit auditum, non poſt multùm temporis, clamorem, equos, ſtrepitus, ſequentum ſigna. An verò ſolùm audit? imò *videt* (hoc ad incrementum doloris) amicum miſerum oppreſſum hoſtili multitudine, in quem omnia ſimul coniurauerant, fraus loci, noctis tenebræ, tumultus hoſtium. At inter tot hoſtes vnus *conatur plurima*, animo non degenere, ſed *fruſtra*; nam quid vnus inter tot?

[b] Quo putas tum dolore Niſum transfixum? Satis indicat Poëta, quàm hic magnus, adhibita aporia. Sed quæ hæc aporia? Duo dubitat, primo occurrit, inclinat in alterum. Ergo dubitat, an audeat iuuenem eripere? ſed ſtatim, *qua vi, quibus armis*? Quaſi dicat: vellem eripere, ſed quæ vis, quæ arma mihi? id eſt, quæ mihi vis armatorum, & militaris copia? Ergo deiectus ab hoc conſilio, proponit alterum, *an moriturus inferat ſeſe in medios hoſtes*? In hoc inclinat, nam ſtatim, *& pulchram properet per vulnera mortem*? Quaſi dicat: Pulchrum hoc eſt, & honeſtum, ac plenum laudis. Expende obiter verbum *eripere*. Manus hoſtium Euryalum *rapit*, amicus vult *eripere*.

[c] Dubitauerat primò (vt vidiſti) an poſſet eripere iuuenem, & tametſi non vis idonea contra tot hoſtes, tamen conatur quod poteſt, inde ſequens contortio haſtarum. Sed cùm hoc non ſuccederet; nam Volſcens Euryalum interfecit; infert ſeſe in hoſtes moriturus, quod ſecundo loco, vt pulchrum, probauerat. Hæc profectò mens Virgilij in toto hoc tractu, hactenus non expenſa. Sed iam ad rem. Adducit retrò lacertum, vt maiore vi haſtam torqueat, & priùs venerabundus ad Lunam. Nam *ſuſpiciens* eſt, & in altum oculos tollere, & venerari. Atque vtrumque hîc quadrat.

[d] In primo & extremo verſu eſt ſumma petitionis, *ſuccurre meo labori, permitte vt conturbem globum hoſtilem*, qui circumdat Euryalum, *rege tela per auras*. Hæc (inquam) ſumma petitionis ad Lunam. Quam vt moueat, vocat decus aſtrorum, cuſtodem nemorum: proponit quæ pro ſe pater Hyrtacus illius aris dona attulerit, quæ ipſe auxerit ſuis venatibus, ſuſpendens in tholo, figens ad ſacra templorum faſtigia. Dirigit videlicet Niſus preces ad Lunam, quæ eadem cum Diana nemorum præſide, venationis Dea. Adhuc obſerua, in illis, *hunc ſine me turbare globum*, ineſſe Niſi mentem totam; nam fortè in illa militum turbatione ipſe poſſet amicum eripere. Vidi qui ſatis ineptè, & *turbare*, pro iacere: & *globum*, pro haſta capiat; vt diceret, ſine me iacere hanc haſtam. ἀτόπως.

[e] Preces ſequitur tortio, & quia *toto corpore*, ideo *connixus, &, coniicit*; non, nixus, &, iacit. Ab eadem vi, *haſta volans*; quia enim toto corpore, & toto nixu, non it, ſed volat. *Vmbras diuerberat*, quia per medias vmbras. *Di* enim hanc habet vim, vt, *diduco, dimoueo*, &c. Erat Sulmo auerſus à Niſo, conuerſus ad Euryalum, ideo haſta in tergum venit, quia auerſus. Lego enim, *auerſi Sulmonis*, non, *aduerſi*. Haſta frangitur in eius tergo; ita tamen, vt non ſolùm ferrum, ſed magna pars ligni penetraret præcordia, quod neceſſarium ad magnum innixum, quo torta. Aliqui hîc legunt *fiſſo ligno*. Poſſunt: nam, quia *frangitur*, ideo

ideo *fisso*, vel *fixo*, quia *transiit*. Itaque insolubilis non est locus, vt malè Seruius, qui etiam in mentione clypei blennus est. Procedit. Cadit statim Sulmo conuolutus, non porrectus. Vomit verè *flumen*, adeò magnum, & patens vulnus; & illud *calidum* ipse iam morte *frigidus*: nota miram oppositionem. Cùm verò iam in terra esset, *pulsat ilia longis singultibus*; sic mirè expressa diuulsio animæ.

i Statim ad hoc spectaculum turbati omnes, *circumspiciunt diuersi*, id est, in diuersa. Ille animosior, vt cui probè ictus successerat, *librat telum aliud*. Itaque in illa omnium trepidatione hasta stridens labitur per Tagi tempora. Nota concinnitatem, ipse *ab aure librat*, & hasta penetrat Tagi *vtrumque tempus*. Hæret in cerebro, quod traiecerat, tota iam tepens sanguine. In versu illo, *Dum trepidant, it hasta*, &c. dissensi & in explicatione, & in punctione ab aliis. Tu vt libeat.

NOTÆ.

Signum, pro sono. 1. SIGNA SEQVENTVM.] Probè Seru. *Militarem sonum dicit, qui varius est: nam interdum canit, vt insequantur eos, qui fugiunt: interdum receptui.*

Longum in medio. 2. NEC LONGVM IN MEDIO TEMPVS.] Græcam hanc esse locutionem iam ex Eurip. & Æsch. Germanus aperuit. Prior, μέσῳ πολὺς χρόνος. Posterior, μῆκος δ᾽ οὐκ ἦν ἐν μέσῳ χρόνου. integra ille.

3. CLAMOR.] Militaris clamor ab Soph. Antig. dicitur πάταγος Ἄρεος.

Conor, de studio inani. Oppositio. 4. CONANTEM.] Quasi nihil proficientem, ideo *frustra*: nam hoc est conari. Cicero in Oratore quasi opponens: *Nos conamur, Demosthenes perficit*. Dædalus 6. Æneid.

Bis conatus erat casus effingere in auro.

Sed nihil tandem, ideo, *Bis patriæ cecidère manus*. Itaque *conari* dicit irritum studium.

Mori in bello pulchrû. 5. PVLCHRVM.] Ita vocat mortem; nam sequitur *per vulnera*. Est enim gloriosum in bello cadere, & inter arma. Apud Soph. Electra vocat infelicem patrem Agamemnonem, quòd non obierit cruento Marte inter Troianos hostes; sed ignauiter cæsus à Clytæmnestra & Ægystho,

Ὅς κατὰ τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ
Πατέρ᾽, ὃν κατὰ μὲν βάρβαρον αἶαν
Φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν:
Perquàm infelicem meum lugeo
Patrem, quem in terra barbara
Cruentus Mars non sustulit.

Pulchrum, de opportunitate. Ab Eurip. in Cyclop. bella & Troiani labores dicuntur esse omnia pulcherrima, κάλλιστοι Τρωϊκοὶ πόνοι. Potest & hoc loco *pulchrum* significare opportunitatem. Nam nullibi opportunius potuit mori Nisus, quàm hîc. Ait Soph. in Elect. νῦν γὰρ ἐν καλῷ φρονεῖν, id est, *nunc sapere, opportunum est*. Ad verbum, *nunc sapere, pulchrum est*. Itaque *pulchrum*, pro opportuno.

Propero actiue. 6. PROPERT.] Actiuè quoque Græci verbum σπεύδω. Pind. βίον ἀθάνατον σπεύδε: *propera immortalem vitam*. Latini sæpe.

Adducere lacertum. 7. ADDVCTO LACERTO.] Apud Hom. 11. Iliad. Vlysses iaculaturus hastam dicitur ἂψ ἀναχωρήσας: *recedens retro*. De hoc iam alibi.

8. SVSPICIENS ALTAM LVNAM.] Quid si à multiscio Poëta allusum ad morem, quem aperit Scholiast. Theocriti? Εἰς ἔρωτι συνεχομένοις τὴν σελήνην μάλιστα ἐπικαλεῖσθαι εἰώθεις: *consuetum inuocari Lunam ab amantibus*. Firmat exemplo Euripid. qui tale quiddam agere inducit Phædram in Hipp. Luna inuocatur ab amantibus.

Preces ante ictum. 9. SIC VOCE PRECATVR.] Frequentissimum est Homero ante similes ictus, atque incursus hostiles precari Numina. Omitto illum, & do Pind. Od. 1. Olymp. apud quem Pelops ante certamen cum Oenomao sic ad Neptunum,

———ἐμοὶ μὲν οὗτος
Ἄεθλος γ᾽ ὑποκείσεται, τὺ δὲ
Πρᾶξιν φίλαν δίδοι:
Sed mihi quidem hoc
Certamen subibitur, tu verò
Euentum gratum da.

Ab Vlysse apud Eurip. aggrediente facinus contra Cyclopem fit precatio ad Vulcanum, & Somnum: illum, quia torre inflammandus Cyclops; hunc, vt dormiat. Ab Electra apud Soph. vt Dij iuuent conatus Orestis in mactando Ægystho. Quod verò hîc, *voce precatur*, Hom. 5. Iliad. in precibus Diomedis, ἠπύε φωνῇ. Quod Homericum satis indicat; nullum esse pleonasmum in Virgilio. Latinus enim tantum constructionem mutat. Nam *voce precari*, nihil est aliud, quàm tollere vocem ad precandum. Hom. enim ἠπύε.

Locorum similitudo. 10. TV DEA, TV PRÆSENS, &c.] Ex per lustrato toto hoc loco ita Stat. 6. Theb.

Diua potens nemorum (tibi enim, tibi crinis honori
Debitus, èque tuo venit hæc iniuria voto)
Si bene quid genitrix, si quid venatibus ipse
Promerui, ne (quæso) sinas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruisse pudorem.

Luna culta, vt Dea. 11. DEA.] Cum respectu ad morem, & religionem Romanam. Nam Luna culta in hoc populo, vt Dea, & illi templum sacrum, cuius meminit Tacit. 15. Ann. in mentione enim aliorum templorum: *vetustissima religione, quod Seru. Tullius Lunæ*, &c. Quem in locum vide Lipsium.

Labor in re belli. 12. LABORI.] Sic Eurip. Phœniss. πόνον dixit in re belli, versu 1418. & Hom. millies.

Lunæ elogia. 13. ASTRORVM DECVS.] Lunæ elogium. Manil. lib. 1. vocat *dominam Phœben*. Æschyl. ἑπτ. ἐπὶ Θηβ. πρέσβιστον ἄστρων, νυκτὸς ὀφθαλμὸς. Itaque par elogium cum Sole; nam sicut hic diei oculus, ita illa noctis. Et *astrorum decus* ait Poëta, quia Luna quoque astrum est, sicut & Sol. Scholiast. ibi. καὶ Πίνδαρος ἄστρον τὸν ἥλιον φησί. Ab Stat. lib. 8. Luna *soror ignea Phœbi*. Rectè *ignea*; nam & Græci φωσφόρον vocant, & sacra Biblia φωστῆρα. vbi etiam illi datur principatus, vt Soli; nam de illa, εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. Sol astrum est.

14. SI QVA TVIS VNQVAM, &c.] Homeri locum lib. 1. Iliad. ab eo, εἴ ποτέ τοι χαρίεντ᾽, &c. quem Vrs. aduocat, & facilem aditu, omitto. Substituo locum alium Iliados octauæ, vbi Iuno, vt animum Neptuni commoueat ad fauorem Græcorum, hac vtitur oratione,

Οἱ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε, καὶ Αἰγὰς δῶρ᾽ ἀνάγουσι, Imitatio.
Πολλά τε, καὶ χαρίεντα, &c. ———
Si autem tibi in Helicem, & Ægas dona adducunt,
Multáque, & gratiosa, &c. ———

Eodem argumento conatur Agamemnon in eodem lib. animum Iouis permouere, in oratione ad hunc Deum, cùm nullam eius aram prætererit sine sacro.

Locorum similitudo. 15. Si qua ipse meis venatibus auxi.] Stat. 2. Theb.

——figámque superbis
Arma tholis, quæq; ipse meo quæsita reuexi
Sanguine, quæq; dabis captis Tritonia Thebis.

Tholus. 16. Suspendive tholo.] Est tholus pars illa ædificij rotundata, & desinens in fastigium, aut in fastigiatum cacumen, instar testudinati vmbilici. Vlpian. in orat. Demosth. de falsa Leg. vbi Orator meminit loci cuiusdam dicti tholi, ita scribit. ἐκλήθη δὲ θόλος, διὰ τὸ θολοειδὲς, καὶ στρογγύλον ἔχειν τὸ σχῆμα. *Dicitur* (locus ille) *tholus, quòd habeat formam tholo similem, & rotundam figuram.* De ratione ergo tholi est rotunditas. Vitruuius cap. 5. lib. 7. signatè, *tholorum rotunda tecta.* Et Stat. 2. Theb. *tholis superbis,* non solùm luculenter, sed propriè: nam notat partem superam. Ego verò libenter accipio in Virgilio totam Deæ cellam, quæ, quia fastigiata, & desinens in apicem, tholus dicebatur, vt locus ille Athenarum, cuius meminit Demosthenes, & de quo in Corinth. Pausan. & in Attic. vbi ait. θόλος, ὀνομαζόμενος, ἔνθα θύουσιν οἱ πρυτάνεις. In hac ergo aut testudine tantùm, aut tota in cella dona suspendebantur. Ideo postea Virg. se explicans, ait, *sacra ad fastigia fixi.* vbi *fastigia*, notans superam partem. Stat. lib. 1. Sylu. *accipit omni exuuias Diana tholo.* De tholo lege Vitruu. & Philand. non vno in loco. Videtur mihi tholum describere Sidon. epist. 2. lib. 2. illis verbis, *tecti apice in conum cacuminato.* & statim, *cameræ pendentis.*

Sine me. 17. Sine me.] Est hoc, quod Hom. in re simili precum, τὸ δέ μοι κρῆναι ἐέλδωρ. In 8. Iliad. addit præpositionem, ἐπικρήηνον ἐέλδωρ. Electra apud Soph. verbis multis, αἰτῶ, προπίτνω, λίσσομαι: *posco, procumbo, supplex oro.* Propius illud Eurip. Phœniss. δὸς δέ μοι κτανεῖν ἀδελφόν. Quod accepit ab Hom. qui 6. Iliad. δὸς δὲ τέ μ' ἄνδρα ἑλεῖν. Itaque, quod vterque δὸς, Virg. *sine.* in 7. tamen *da*, vt Græci. *Hunc mihi da proprium*, &c. Et adhuc *sine* in Hom. est ad rem eandem 8. Iliad. vbi Agamemnon, ἐκ δὲ φυγεῖν, καὶ ἀλύξαι, *sine effugere, atque euadere.* & sæpe aliàs. Soph. Elect. Hexu alio, ἄναξ Ἄπολλον κλύε. quod est etiam in Virg.

Rego, de telis. 18. Rege tela.] Par verbum 6. Æneid. *direxti tela.* Verbo Virg. Lucanus lib. 7.

——superos sperare secundos,
Ipsi tela regent per viscera Cæsaris.——

Illud verò lib. 6. *direxti* Claud. imitatur. 4. Hon. *quæ dirigat arte sagittas Armenius.* Omnes ab Hom. qui 1. Iliad. βέλος δ' ἴθυνεν Ἀθήνη, *telum rexit Pallas.* & 17. Ζευς πάντα βέλη ἰθύνει. His opponit idem

Oppositio. Hom. ἐτώσια πίπτει ἔραζε: *irrita cadunt in terram*; quia videlicet non à Diis regebantur. Affero locum Eurip. in Phœniss. qui fortasse obuersatus est Poëtæ, cùm hæc scripsit.

Imitatio.

Ἐτεοκλέης δὲ Παλλάδος χρυσάσπιδος
Βλέψας πρὸς οἶκον ηὔξατο. ὦ Διὸς κόρη,
Δὸς ἐγχος ἡμῖν καλλίνικον ἐκ χερὸς
Εἰς στέρν' ἀδελφοῦ τοῦδ' ἀπ' ὠλένης βαλεῖν,
Κτανεῖν.——

Eteocles verò Palladis armatæ aureo scuto
Respiciens ad ædem precabatur. ô filia Iouis,
Da vt victricem hastam manu missam
In pectus fratris ab hoc brachio iaculer,
Interficiámque.——

Luna iaculatoribus præerat, sicut & Non omittenda Nota Germ. qui obseruat, rectè ad hunc iactum inuocari Lunam; nam huic arti illa præerat, sicuti & Apollo. Nam Eustath. de vtroque

A sydere, συμβάλλεσθαι τοῖς τοξεύουσι, *prodesse iaculatoribus*, nimirùm διὰ τὰς ἀκτῖνας ἀντιβολίαν αὐτῶν, *ab radiis lucis, quos iaculantur.* Vnde & illud de Apolline, *direxti tela.* Iuuo Germanum verbis Philostrati in Heroïc. qui de Sarpedone. ηὔχετο ἀεὶ τῷ Ἀπόλλωνι, ὅτι τὰ τόξα ἐπὶ μεγάλῳ ἀσκοίη: *supplicabat semper Apollini, cùm arcum simularet, magnæ rei causâ.* Apollo.

Verberare vmbras, ictus. 19. Diverberat.] Ita in 5. Dares, *& verberat ictibus auras.* Stat. lib. 8.

Aeriam Rhodopem solida niue verberat Arctos.

Venio, de telo. 20. Venit.] Ad verbum Hom. 17. Iliad. δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή: *venit cuspis per ceruicem.* Quintil. Declam. 315. *tela illa in nos, & in oculos venientia.*

Lectio Virgiliana. 21. Aversi in tergum.] Non probo

B *aduersi*, etiamsi pro ea lectione pugnet Turn. lib. 29. Adu. cap. 25. Simili ratione corrigendus locus alter, quem pro se aduocat, vt dicam loco debito. Sic enim proprietas vocis seruatur, & expeditior est sententia. Nec mihi placet Seru. qui lib. 10. ad illud, *& tergo decutit hastas*, explicat *tergum* loci huius de scuto. Sed si aliquid ferendum, hoc ferrem potiùs, ita vt sententia esset, *in tergum aduersi*, in scutum aduersi. Vt malis; ego inclino in ea, quæ prius dixi.

22. Frangitvr.] Cuspis, credo, fracta, iuxta illud Horat. Sat. 1. lib. 2. *nec fracta pereuntes cuspide Gallos.*

Porrectim cadere, & Volutim. 23. Volvitvr.] Explicui, cecidisse aduolutim, non porrectim, id est, non ὄρθιον, sed

C κυλινδούμενον. Ista enim directè opponit Nazianz. Carm. 50. loquens de serpente, cui dat verbum κυλίνδεις, quia semper aduoluto corpore, & negat ὄρθιον. Oppones etiam mortuis κυλινδομένοις mortuos κειμένους. quo verbo passim Hom. Sic & τείνεται de porrecto mortuo idem, vt & Pers. *porrigit.* Theocrit. ειδ. 13. habitum mortui aduolutim cadentis ita expressit loquens de Hyla, κατήριπε δ' ἐς μέλαν ὕδωρ ἀθρόος: *cecidit in vndas nigras confertus.* Præclarè satis. Oppositio.

Flumen calidum in cædibus. 24. Vomens calidvm de pectore flvmen.] Ita & Lucret. lib. 2.

Sanguinis expirans calidum de pectore flumen.

Hector apud Hom. 14. Iliad. κελαινεφὲς αἷμ' ἀπέμεσσεν: *atrum sanguinem euomuit.* De Polyxena ma-

D ctanda Eurip. in Hecub. κρουνοῖς μελαναυγεῖ: *latice vndatim nigricante.* & post iam mactatam, κρουνοὶ δ' ἰχώρων: *currebant fontes.* Et de cæde Rhesi, θερμὸς κρουνὸς: *torrens calidus.* Hæc omnia dicuntur ad incrementum. Sic de Turno in exitu huius lib. ad augendam copiam sudoris, *piceum flumen.* Videtur mihi Poëta fingere ortum alicuius fluminis, quod solet ex specu, & abdito erumpere: sic sanguis è pectore. Vnde infrà in hoc lib.

——stomachóque infixa, sub altum
Pectus abit, reddit specus atri vulneris vndam.

Æquor ventris. De re alia Sidon. epist. 13. lib. 3. *exundantis abdominis pelago.* & alibi. *æquor ventris.* Sed cùm flumen hoc vocat *calidum*, præter id, quod obuium cuique est, potuit alludere ad opinionem illorum, qui pu-

Anima, ignis & calor. E tabant animam esse nihil aliud, quàm πῦρ τι, καὶ θερμὸν, *ignem quendam, & calorem.* Hæc quippe verba ex Democriti sententia adducit Aristotel. lib. 1. de Anim. cap. 2. Et reddit rationem, cur hoc putauerint Philosophorum aliqui, quia πῦρ λεπτομερέστατόν τε, καὶ μάλιστα τῶν στοιχείων ἀσώματον: *Ignis subtilissimarum est partium, & longè magis, quàm elementa cetera incorporeus.* Adiicit. ὅτι δὲ κινεῖταί τε, καὶ κινεῖ τὰ ἄλλα πρώτως: *mouetur deinde, & cetera primò mouet.*

Eiusdem

Eiusdem opinionis Democriti commeminit Hermias in opusculo, cui titulus, *Irrisio Gentilium Philosophorum.* Ita & 4. Æneid. de moriente Regina Afrorum,

Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.

Frigidus, id est mortuus. 25. FRIGIDVS.] Iam mortuus. Quis nescit *frigus* pro morte sumi metonymicè? Pulchrè Horat. Sat. 1. lib. 2.

—— ô puer vt sis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat. ——

Ouid Eleg. 2. lib. 2. Pont.

Iam propè depositus, certè iam frigidus. ——

Singultus longi. 26. LONGIS SINGVLTIBVS ILIA PVLSAT.] Soph. Antig. φυσιῶν ἐκβάλλει πνοήν : *anhelans emittit spiritum.* Sic 3. Georg. *imáque longo Ilia singultu tendunt.*

Diuersi. 27. DIVERSI CIRCVMSPICIVNT.] Pacuuius in Medea, *Diuersi circumspicimus, horror percipit.* Sallust. Iugurth. *Diuersi rem quærere.*

Ab aure librare. 28. AB AVRE.] Sil. lib. 5. *tum librat ab aure intorquens iaculum.* Ouid. 2. Metamorph.

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam. ——

Iaculari à capite. Audi verba Seru. *Gestus iaculantis exprimitur: duobus autem generibus tela manualia mittuntur, aut enim ab aure, aut à latere tela iaciuntur.* Notat verò Scal. in Eleg. 11. lib. 4. Prop. *iaculari à capite*, esse è Græco more, producto hoc Euripidis testimonio ex Hippol.

Καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥῖψαι
Θεσσαλὸν ὅρπακα,
Ἐπίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος:
Et ab flaua coma proiicere
Torquem Thessalicum
Cuspide munitum tenens in manu telum.

Sed quidem τὸ *ab aure* tantùm notat magnam vim A adhibitam à iaculatore; idem quod sup. *adducto lacerto.* Sic enim maior fit impetus. Neque aliter capiendus Hom. Iliad. 23. δίσκου οὖρα κατωμαδίοιο. Sunt autem οὖρα, ὁρμήματα, id est, *impetus.* Ergo ait Hom. *impetus disci iactati ab humero.* Quia retrò adducitur discus, & veluti ab humero iacitur ad maiorem vim. Eundem impetum in Prudentio agnosco, qui Psychom.

—— dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediúmque ferit librata cerebrum.

Tempus in singulari de parte capitis. 29. TEMPVS.] In singulari, ἀντὶ τοῦ κροτάφου. Vsi hac voce ante Nostrum Catullus Epithal. Manlij, B Lucret. lib. 2. vers. 45. Est etiam hæc vox in singulari apud Cornificium lib. 4. versus ipse ductus ab Hom. qui 4. Iliad.

Ἡ δ' ἑτέροιο διὰ κροτάφοιο πέρησεν αἰχμὴ
Χαλκείη: ——
Per vtrumque tempus transiit mucro
Ferreus. —— ——

Et lib. 20. flexu alio,

—— Μύλιον οὖτα παραστὰς
Δουρὶ κατ' οὖς, εἶθαρ δὲ δι' οὔατος ἦλθ' ἑτέροιο
Αἰχμὴ χαλκείη: ——
C —— *Mulium vulnerauit adstans*
Hasta ad aurem, statimque per aurem iuit alteram
Mucro ferreus. ——

Stat. 8. Theb. *finduntur vtrinque Tempora.* & lib. 11. præclarè dixit, *vtraque canicies*, pro vtroque tempore senioris.

30. STRIDENS.] Ab Ennio, vt iam notant omnes, qui lib. 11. Ann. Imitatio.

Missáque per pectus, dum transit striderat hasta.

31. HÆSIT.] Hom. 13. Iliad. hoc explicat verbo δάπτω, δάπτει (inquit) χρόα δάπτει, tanquam *hasta corpus mordeat.* & verbo *misceo*, vt cùm ait 11. Iliad. de hasta, μιχθήμεναι ἔγκασι φωτὸς, *misceri visceribus viri.* Hæsit hasta.

[a] Sæuit atrox Volscens, nec teli conspicit vsquam
Auctorem, nec quò se ardens immittere possit.
[b] Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolues amborum, inquit: simul ense recluso
Ibat in Euryalum. tum verò exterritus, amens
Conclamat Nisus, nec se celare tenebris
Ampliùs, aut tantum potuit perferre dolorem.
Me, me: adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit (cœlum hoc, & sydera conscia testor)
Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.
[c] Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transadigit costas, & candida pectora rumpit.
Voluitur Euryalus letho, pulchrósque per artus
It cruor, inq; humeros ceruix collapsa recumbit.
[d] Purpureus veluti cùm flos succisus aratro
Languescit moriens, lassóve papauera collo
Demisêre caput, pluuia cùm fortè grauantur.

ARGVMENTVM.

Iratus Volscens ruebat in Euryalum cum nudo gladio, aduolat Nisus, se cadium auctorem clamans; sed iam ictus ruperat pectus Euryali, cuius obitus comparatur cum flore moriente.

EXPLICATIO.

[a] AD obitus Sulmonis & Tagi sæuiit Volscens, neque habuit tamen, auctore non conspecto, in quem sese ardor ille irarum effunderet, nisi B Euryalum.

[b] Ac tunc illo irarum æstu, quo ardebat, ab eo pœnas se expetiturum clamat, & quidem *sanguine*, id est, vita. Est *interea*, dum auctor inuenitur. Tò *amborum* referri potest, vel ad Sulmonem & Tagum, vel ad Nisum & Euryalum. Sed vide, vt omnia hîc tragica, & magna, puncto temporis, rerum turbatio. Sæuit, & clamat contra Euryalum Volscens; dolet, & clamat pro Euryalo Nisus. Nam Volscens nudo iam gladio in illum ruebat: Nisus, *exterritus* illo spectaculo, & *amens* dolore; è tenebris arborum prosilit, transfixus acerbitate rei, quam videbat, fatetur se esse cædium illarum auctorem: hortatur, vt in se ferrum, non vnus Volscens, sed C omnes conuertant; amicum excusat, primò quia *non ausus*, deinde, quia *non potuit*. Aduocatque, vt credatur, cœlum & sydera, quæ adhuc apparebant, non omnino nocte euanida. Non expendo illa, *Me, me: adsum, qui feci*; quia hoc nemo queat. Adeò Poëta supra vires, certè meas, fortasse omnium. Absoluit versu illo,

Tantùm infelicem nimiùm dilexit amicum.

Huius sententia ex conceptu Seru. hæc est. Si roges à Niso, cur prosiluerit è tenebris, cùm nihil prodesse potuerit amico morienti, respondebit, quia amicum perditè & miserè amauit. Sed non video, cur esse non potuerit epiphonema. *Tantùm*, id est, tantopere amicum miserum deperiit. Vt volês. D

[c] Clamante ista Niso, iam gladius costas, & pectus ruperat, & quidem candidum ad conquestionem. Cadit Euryalus, ceruix collabitur, perfundit cruor artus pulcherrimos. Excitant ista post tot etiã sæcula lacrymas.

[d] Seruius hyacinthum capit in hac comparatione, nam & purpureus, ac pulcher: ac deinde, quia puer ille versus in florem est, atque adeò nonnulla ad illum allusio. Ergo ait, ita Euryalum collapsum, vt solet languescere & mori hyacinthus, cùm aratro succiditur: vt solent papauera caput demittere, grauante pluuia. Nota, primam comparationem respondere cruori, quo perfusus puer. Inde quia *pulchros artus*, *flos purpureus*; & quia *voluitur letho, languescit moriens*. Alteram ceruici collabenti, ideo, E *quia ceruix collapsa, lasso collo papauera demisêre caput*.

NOTÆ.

Imitatio. 1. SÆVIT.] Quia non conspicit auctorem. Applaudit locus Theocrit. εἰδ. 25. cui non hîc solùm, sed toto superiore tractu videtur Poëta hæ- A sisse. Nam ibi Hercules percussurus leonem occultat se inter arbusta, vnde semel & iterum sagittam torquet in feram: cùm verò auctorem ictuum non cerneret, sæuire acriùs cœpit. Versus Theocriti sunt.

Αὐτὰρ ὁ κρᾶτα δαφοινὸν ἀπὸ χθονὸς αἶψ' ἐπάειρε
Θαμβήσας, πάντῃ δὲ διέδρακεν ὀφθαλμοῖσι
Σκεπτόμενος, λαμυροὺς δὲ χανὼν ὑπέδειξεν ὀδόντας:
At ille cruentum caput statim à terra sustulit
Obstupescens, atque in omnem partem oculos circumuoluit
Obseruabundus, ac tunc hians terribiles ostendit dentes.

Reliqua de iaculante è tenebris ramorum Hercule, omisi, quia multa. Demum ab occultis ictibus B ventum palàm ad bellum est. Itaque par in Theocrito, & Virgilio belli gerendi ratio.

2. AVCTOREM.] Puto allusum ad Græcum αὐτόχειρα, cùm sermo sit de cæde facta. Nam tametsi ea vox ad alia traducatur, vt cùm Soph. in Antig. dixit, αὐτόχειρα τάφου, *auctorem sepulcri*, sed præsertim illa in bello, & cædibus hæret. Auctor in re belli.

3. CALIDO MIHI SANGVINE POENAS.] Imitatio. Enn. 1. Ann.

Nec pol homo quisquam faciet iam impunè animatus
Hoc, nisi tu: nam mî calido das sanguine pœnas.

Nonn. lib. 22. θερμὸν ἀποπτύων ῥόον αἵματος, *calidum expuens fluctum sanguinis*. & sup. Noster;

C *Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen.*

Itaque in Virg. est *calido sanguine*, & id verius. & Calab. lib. 1. θερμῷ δ' αἵματι πάμπαν ἐδεύετο. Sed cùm nondum sanguis fusus esset ab Euryalo, cùm ruebat Volscens, posset aliquis dubitare, an potiùs dicat, *calido mihi*, id est, irato. Nam verba caloris ad iras transferri omnes sciunt. Aristoph. in Vespis dixit, Caloris verba ad iras.

Θερμὸς γὰρ ἀνὴρ οὐδὲν ἧττον τῆς φακῆς:
Vir est calidus non minùs lente.

vbi *calidus* est, audax & furiosus, sumpta metaphora à lentibus coctis in lebete. Et Philost. lib. 7. vit. Apollon. cap. 7. τοῖς θερμοῖς τῶν θηρίων, *calidis belluis*, id est, iratis. Iosephus tamen lib. 1. Bell. cap. 13. di- D xit de Herode, significato alio longè elegantissimo, θερμὸς ἐκ τῶν ὅπλων. vt & Plutar. in Pelopid. μετὰ τῶν ὅπλων θερμός.

4. ME, ME.] Qui non celebrant hanc ἀνασίπλωσιν? quam ego inquinê, si similes adducam. Nam quæ similis? Si enim animaduertas tempus, & reliquas circumstantias, quibus Virgiliana prolata, videbis fortasse nullam similem. Prodit se amicus pro amico, contra tot hostes, & in re capitis: admiscentur amor, & dolor; metus, & ira. Quid, quòd subita è tenebris eruptio, & cum micante gladio? tragicum quiddam est, & plusquàm tragicum. Credo Statium territum Virgiliana virtute, aliò Musam torsisse, cùm scripsit Thebaïde decima in re Me, me. E simili,

——ego infandas potior satiare volucres,
Me præbete feris, ego bella audere coëgi.

Pulcherrima esset ἀναδίπλωσις illa Electræ apud Soph. ἄνετέ μ', ἄνετε παράγοροι, si Virgiliana abesset.

5. IN ME CONVERTITE FERRVM, &c.] Ab his illi affectus Petroniani in Sat. *Quòd si vtique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce iugulum, conuertite huc manus, imprimite mucrones, ego mori debeo, qui amicitiæ sacramentum deleui.* Audi & verba Iuliæ loquentis cum natis apud Herodian. lib. 4. πρῶτον δὴ ἐμὲ φονεύσατε, καὶ διελόντες, ἑκάτερος παρ' ἑαυτῷ τὸ μέρος θαπτέτω: Conuertite in me ferrum.

βασιλεύω: *Me primam occidite, me diuidite, dimidiámque vterque apud se partem sepeliat.* Quintilian. Declamat. 59. *Quicquid est istud, ego feci: qualecunque istud est, meum consilium est.* Agnosce verò in Niso verum amantem. *In me* (inquit) *ferrum conuertite.* Plato in Conuiuio. καὶ πρὸ τούτου τεθνάναι ἂν πολλάκις ἕλοιτο, καὶ μὴν ἐγκαταλιπεῖν γε τὰ παιδικά, ἢ μὴ βοηθῆσαι κινδυνεύοντι: *Mori se priùs eligat, quàm dilectum derelinquere, & periclitanti non succurrere.* Imitationem si quæras, fortasse ducta ab Eurip. apud quem Hecuba videns filiam Polyxenam duci ad cædem, ita loquitur ad Vlyssem, & Græcos alios.

Amicus dedet pro amico.

Imitatio.

Κτείνετε (με) μὴ φείδεσθ', ἐγὼ τίκτον Πάριν,
Ὃς παῖδα Θέτιδος ὤλεσεν, τόξοις βαλών:
Occidite (me) *ne parcite, ego peperi Paridem,*
Qui perdidit filium Thetidis, sagittis figens.

Fraus, pro delicto.

6. FRAVS.] Hic est noxa, & culpa. Vide Lexicon Schardij, vbi notat, *fraudem* veteres dixisse pro delicto. Gloss. *fraus*, αἰτία. Cùm Soph. ore Ismenæ dixit in Antig. καὶ ξυμμετίσχω, καὶ φέρω τῆς αἰτίας, *fio socia, & fero culpam*, nihil aliud significauit, quàm fraudem sororis redundare in sororem.

Iuramentum per cœlum.

7. COELVM HOC.] Apud Soph. in Antig. Rex Creon cœlum obtestatur, οἱ Ὄλυμπον. Chorus apud eundem in Elect. Διὸς ἀστραπάς. Vicina ista. Sic & Stat. 2. Theb.

Parce per has stellis interlabentibus vmbras.

Apud eundem Iuppiter 3. Theb.

Arcem hanc æternam, mentisque sacraria nostræ.

Nazianz. Orat. 27. αἰσχυνοίμην μὲν ἂν τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, ἃ καὶ τοῖς παλαιοῖς ἔθος μαρτύρεσθαι: *Erubescerem quidem cœlum, & terram, quæ veteribus attestari moris erat.*

Imitatio.

8. TANTVM INFELICEM, &c.] Eadem ratio est in Calab. lib. 1. vbi Podarcus interficitur nimiùm in bello furens propter interfectum amicum, quem summopere amabat. Verba eius. τὸν γὰρ μέγα φίλαθ' ἑταίρων, *hunc apprimè è sociis diligebat.*

Transadigo.

9. TRANSADIGIT COSTAS.] Stat. 8. Theb.

Hasta viri trans pectus abit.———

Eurip. Phœniss.

Καθῆκεν ἔγχος, σπονδύλοις τ' ἐνήρμοσεν:
Immisit gladium, & ad vertebras spinæ adegit.

Ibidem pulchrè hoc idem. ἐξέτεινε δ' εἰς ἧπαρ ξίφος: *extendit in hepar gladium.* vbi per *extensionem* indicauit gladij transitum. Hom. Iliad. 22. ἐν χροΐ πᾶν κομίσαιο, subaudi, ἔγχος: *in corpore hastam totam recipias.* Bellulè Silius lib. 4. totam hastam transmissam ita expressit,

Atque altum tota metitur cuspide pectus.

Calab. lib. 1. δὴ αὐχένα διαπρὸ ... Ouid. Eleg. 9. lib. 3. Trist. *Perforat ense latus.* Eurip Orest. ἀναλαβεῖν ... ξίφος.

Pulchritudo ad excitandos affectus.

10. CANDIDA PECTORA RVMPIT.] Hic affectus in Calab. est lib. 4. vbi Achilles ἔκτανε δ' ἐρατὸν Τρωΐλον ... : *interfecit hasta speciosum Troilum.* Et in Eurip. Androm. vbi de Pyrrho interfecto,

———πᾶν δ' ἀνάλωται δέμας
Τὸ καλλίμορφον, τραυμάτων ὑπ' ἀγρίων:
———*totum corpus consumptum est*
Formosum illud à vulneribus sæuis.

De moriente Penthesilea Calab. lib. 1. magno affectu, καλὰ πρόσωπα, videlicet, ἐξεφάνη. Itaque elucet pulchritudo in media cæde. & de Memnone lib. 2. λῦθεν περικαλλὴς αἰών: *abrupta est vita pulcherrima.* In Hom. lib. 22. Iliad. vbi trahitur corpus Hectoris, πά-

A ρος χαρίεν, *olim gratiosum.* Vide & affectum Silij lib. 4.

———*per candida membra*
It fumans cruor, & tellus perfusa rubescit.

Est hoc, quod statim, *pulchrósque per artus it cruor.* Sed pleniore Musa idem Sil. lib. 12. ita ad Virg. aspirans.

Soluitur omne decus letho, niueósque per artus
It Stygius color, & formæ populatur honores.
Ambrosiæ cecidêre comæ, violatáque ceruix
Marmoreum in iugulum collo labente recumbit.

Audi & affectus Hom. 17. Iliad. in morte Euphorbi.

Αἵματί οἱ δεύοντο κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι,
Πλοχμοί θ', οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο:
Sanguine ei madefactæ sunt comæ Gratiis similes,
Capillique, qui auro atque argento reuincti erant.

B Nonn. lib. 11. ita exornat,

Λευκὸν ἐρευθιόωντι δέμας φοινίσσετο λύθρῳ:
Album corpus purpurea sanie rubesiebat.

11. VOLVITVR EVRYALVS LETHO.] Agnosco in hoc obitu Euryali moras quasdam, nescio an tu quoque Lector. Nónne sunt moræ, volui letho, ire cruorem, ceruicem recumbere? Apparent istæ moræ etiam in comparatione: vt enim paulatim flos moriens languescit, cùm aratro est succisus, non repentè; ita credas desertum ab anima Euryalum. Itaque quis scit, an vigilantissimus Poëta, & in omni doctrina versatus, alluserit ad opinionem illam, quam lib. 1. Icon. repræsentat Philostrat. his verbis? ἐρῶσι γὰρ τῶν καλῶν σωμάτων καὶ αἱ ψυχαὶ ἴσχειν, ὅθεν ἀκουσίως αὐτῶν ἀπαλλάττονται. ὑπεξιόντος δὲ αὐτοῦ αἵματος, ὀκλάζει,

C καὶ ἀσπάζεται τὸν θάνατον, καλῷ καὶ ἡδεῖ τῷ ὄμματι, καὶ οἷον ὕπνον ἕλκοντι: *Formosorum enim corporum amore ipsæ etiam animæ capiuntur, quò fit, vt inuitæ ab ipsis discedant. Effluente paulatim sanguine labat, pulchróque ac suaui, & vt somnum trahente intuitu mortem salutat, atque amplectitur.* Quid, quòd Virgilianæ moræ debitæ excitandis affectibus pulcherrimi iuuenis?

Formosos sua amant animæ.

12. PVRPVREVS VELVTI, &c.] Tale quiddam Achilles Alexandrin. lib. 3. his verbis interpretis, careo enim Græco codice; nam sic sunt nostra. Ergo ille: *In vultu pulchritudinis pallor admistus erat, hic genas occupans, illa ex oculis affulgens: non tamen eò vsque genæ pallebant, vt suus ei rubor deesset; nec oculorum*

Morientis iuuenis descriptio.

D *fulgor adeò coruscabat, quin languore quodam, qualem in violis paulo antè succisis conspicimus, dehonestaretur.* Sed præstat audire Ouid. lib. 10. Metamorph. conantem Virgilij Musam attingere in morte pueri Hyacinthi.

Vt si quis violas, riguóque papauera in horto,
Liliáque infringat fuluis hærentia virgis:
Marcida demittant subitò caput illa grauatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram:
Sic vultus moriens iacet, & defecta vigore
Ipsa sibi est oneri ceruix, humeróque recumbit.

Mihi non dubium, quin Virgilius Homero hæserit, etiamsi mutauerit comparationis formam. Imò hæc est pulcherrima imitatio, cùm ita rem dissimulas,

Imitatio.

E vt videaris de nouo ipse finxisse, sed te proculdubio alius manu ducit. Ergo Hom. in morte Euphorbi Iliad. 17. quem venustissimum admodùm describit, ita ait.

Οἷον δὲ τρέφει ἔρνος ἀνὴρ ἐριθηλὲς ἐλαίης
Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ, ὅθ' ἅλις ἀναβέβροχεν ὕδωρ,
Καλὸν, τηλεθάον, τὸ δέ τε πνοιαὶ δονέουσι
Παντοίων ἀνέμων, καί τε βρύει ἄνθεϊ λευκῷ.
Ἐλθὼν δ' ἐξαπίνης ἄνεμος σὺν λαίλαπι πολλῇ
Βόθρου τ' ἐξέστρεψε, καὶ ἐξετάνυσσ' ἐπὶ γαίῃ:
Qualem autem nutrit plantam vir virescentem oliuæ
Loco in deserto, vbi abundè scaturit aqua,
Limpida, virescens, illámque flatus mouent

Variorum ventorum, & scatet flore albo.
Veniens autem ventus repentè cum multo turbine,
Fossáque euulsit, & extendit in terram.

Ergo, Virgilius oliuam Homeri in florem vertit, turbinem in aratrum, virorem in purpuram, euulsionem in succisionem, extensionem in languorem: demum illius longitudinem mutauit in breuitatem, arctans quæ ille longissimè. Non abit comparatio Calab. lib. 3. vbi interfectus Glaucus cadit, vt θάμνος, *virgultum*. Sed nota vicissitudinem poëseos: vt Virg. & Ouid. corpus hominum, verè carnem, cum floribus comparant; ita vicissim Apollon. lib. 3. radicem floris cum carne. Illius versus est,

Σαρκὶ νεοτμήτῳ ἐναλίγκιον ἔπλετο ῥίζα:
Carni recèns incisæ similis erat radix.

Imitatio. 13. Svccisvs aratro.] Hoc proculdubio à Catull. qui Epig. 11.

Nec meum respectet, vt antè, amorem,
Qui illius culpâ cecidit, velut prati
Vltimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

Contrà idem Catull. in Carmine Nuptiali,

Vt flos in septis secretis nascitur horti,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber.

Volo hîc audias verba Cyrilli in Michæam num. 50. loquentis queribundè de potestate peccati, quod hominem deuastat, ad quam rem comparationem hanc adducit. ὥσπερ γὰρ ἐν ἀγροῖς ποτὲ, καλυκες, εἰ τὸ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος ἐμπίπτει σέλας, χαλαρὸν ποιεῖ πρὸς τὸ ἀκαλλὲς καὶ μεμαράνθαι: *Quemadmodum in agris si radiorum Solarium fulgor vibretur in lilia, ea facit languescere, & marcescere vsque ad deformitatem, &c.*

Opposita. 14. Langvescit.] Huic opponit Catull. Nupt. Iul. & Manl. *stantem florem*, cùm ait,

Talis in vario solet
Diuitis domini hortulo
Stare flos Hyacinthinus.

Imitatio. 15. Lassove papavera collo, &c.] Ab Hom. 8. Iliad. qui ita comparat Gorgythionem morientem filium Priami,

Μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥ τ' ἐνὶ κήπῳ
Καρπῷ βριθομένη νοτίῃσί τε εἰαρινῇσιν:
Papauer autem veluti in alteram partem caput inflexit, quod in horto
Fructu grauatum, humiditatibúsque vernis.

Homeri vitium. De his Homeri versib. Scal. *Verbula nuda, & sicca.* Cogitanti, cur hac comparatione vtantur Poëtæ, obtulit se ratio hæc. Græci κώδειαν, id est, *caput papaueris*, vsurpant interdum pro humano capite. Nam Peneleus apud Hom. 14. Iliad. loquitur κώδειαν ἀνασχών, *sublato capite*. Igitur ab hac mutua vicissitudine natus vsus comparationis. Papauer cur assumatur ad comparationes.

Imitatio. 16. Plvvia cvm forte gravantvr.] Præcedens comparatio, & hoc imprimis de pluuia Apollonium sapit, qui lib. 3. ad exitum.

Ἔρνεα νεόθηλα, Διὸς ἄσπετον ὀμβρήσαντος,
Φυταλιῇ νεόθρεπτα κατημύουσιν ἔραζε
Κλασθέντα ῥίζηθεν, ἀλωήων πόνος ἀνδρῶν:
Sic, vt fici, Ioue immodicè pluente,
In horto teneræ euertuntur in terram
Reuulsæ radicitus, hortensium labor virorum.

[a] At Nisus ruit in medios, solúmque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
[b] Quem circum glomerati hostes, hinc eminùs, atque hinc
Proturbant, instat non segniùs, ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit aduerso, & moriens animam abstulit hosti.
[c] Tum super examinem sese proiecit amicum
Confossus, placidáque ibi demum morte quieuit.
[d] Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,
Dum domus Æneæ Capitolij immobile saxi
Accolet, Imperiúmque pater Romanus habebit.
[e] Victores præda Rutuli, spoliísque potiti
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
[f] Nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
Exsangui, & primis vna tot cæde peremptis,
Serranóque, Numáque: ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecésque viros, tepidúmque recenti
Cæde locum, & plenos spumanti sanguine riuos.
Agnoscunt spolia inter se, galeámque nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.

ARGVMENTVM.

Continet hic tractus Nisi iras in Volscentem, vtriusque obitum, amicorum laudem, Rutulorum luctum ad visam stragem, quam in castris ediderant Euryalus, & Nisus.

EXPLICATIO.

a Qvis explicet Nisi furias? *ruit in medios*, & *per omnes* vnum *solúmque Volscentem petit*, alios nihil moratur, sed tantùm *moratur in solo Volscente*. Efficit

Efficit Poëta tragœdiam efficaciorem geminatione nominis.

b Agglomerant se statim hostes, vt vnum tueantur Volscentem, vt vnum proturbent Nisum: ille verò *instat non segnius*; ita autem ensem versat, vt potiùs in omnem partem rotet. & quia *rotat*, ideo statim luculenter, & etiam propriè *fulmineum*, quia rotatus ille celerrimus triplicem reddebat ensem instar fulminis tricuspidis. Non est inanis tanta vis. Nam hominem conficit miserando mortis genere, quippe gladio immerso in os clamantis, & ita *moriens* ipse *hosti animam abstulit*.

c Accedit noua, & miseranda tragœdia; nam quo impetu in hostem ruerat, eodem, sumpta iam vindicta, ruit ad infelicem amicum iam exanimem, super quem sese proiecit, & quasi iam adeptus finem votorum *quieuit ibi morte placida*, quia cum amico. Ait Poëta *confossus*, sed non explicat à quo. An ab hostibus? credi hoc potest: illos enim, sumpta iam gloriosa vindicta, nihil curauit, & se confodiendum permisit supra amicum. An se ipse gladio suo confodit, vt qui nollet esse superstes, nec pro se pugnare, adempto amico?

d Aureum elogium, quo fortunatos vocat. Verè: nam fortunatius nihil gloriosè exitu. Addit duraturos illos in omnem æternitatem virtute suorum carminum, & modestissimè loquitur, *si quid possunt mea carmina*. Si non tua, quænam, ô Maro? Hanc æternitatem vt explicet, adducit ἀκίνητον, vt ipse putabat, de Æneæ posteris semper in eodem Imperio duraturis. Verè hoc ad assentationem Augusti, nam Iuliam famuliam intelligit.

e Redit ad filum historiæ, quæ Rutuli pergunt ad castra, hinc gloriosi spoliis, hinc lacrymabundi interfecto Volscente.

f Sed vide quæ seges tragœdiarum. Cædibus Volscentis, Sulmonis, Tagi accedit miserum spectaculum tot Principum interfectorum. Quis hic omnium concursus? Poëta omnia ad horrorem, cùm signat *locum tepidum recenti cæde, riuos plenos sanguine, & spumanti*. Agnoscunt ibi etiam per otium spolia, Messapi galeã, & phaleras. An tu quicquam, Lector, hoc triplici tractu, aut luctuosius, aut magis varium, vbi tot cædes ad luctum, & tanta varietate connexæ? Perlustra Poëtarum omnium Græcorum, & Latinorum paginas, & nihil simile cum exitu Nisi, atque Euryali. Putidum cum istis duobus quicquid Græci euanidè blaterant de suo Oreste, & Pylade.

NOTÆ.

Peto, verbũ gladiatoriũ. 1. PETIT.] Sermo sumitur à gladiatoribus. Seru. in hunc locum: *Petitiones propriè dicimus impetus gladiatorum*. & aduocat verba Tull. in Catilin. hæc. *Quot ego tuas petitiones ita coniectas, vt vitari nullo modo posse viderentur, parua quadam declinatione, & , vt aiunt, corpore effugi?* Omnia sunt gladiatorum, petitiones, vitationes, declinationes, effugia. Notum illud, *Non te peto, piscem peto*. Græci ὁρμὰ, &c, ὁρμᾶς. *petere petitiones*. Itaque *vitatio* & *petitio* directè oppositæ in hoc ludo. Cic. de Oratore. *Gladiatores videmus, nihil vitando facere caute, nec petendo vehementer*. Præclarè: nam qui petit, vehemens est; qui vitat, cautus. Vide qua vehementia petat Nisus, nam *ruit*: vide quo cautu Volscens à suis seruetur. Ab eodem ludo Seneca de Consol. ad Marciam cap. 9. *Alium percussisti, nec petisti*. Eodem trahe illud pro Ligario, *cuius latus ille mucro petebat?* *Oppositio.*

2. QVEM CIRCVM GLOMERATI OMNES, &c.] Pugnæ huius imaginem habet Nonn. lib. 22. Dionys. vbi, *Locorum similitudo.*

> Καὶ μέσος ἀντιβίων κυκλούμενος ἔνθεος ἀνήρ:
> *Et medius inter hostes circulo inclusus diuinus vir.*

Iterum:

> Συμφερτοὶ δ' ἕνα μοῦνον ἐκυκλώσαντο μαχητὴν
> Τυπτόμενον ξίφεσιν, ἐγὼ οὐκ ἀλέγοντα μαχαίρης:
> *Conferti vnum solum circulo cingebant bellatorem,*
> *Qui petitus gladiis omnium gladios contemnebat.*

Talem in Androm. exhibet Eurip. Pyrrhum. Omitto locum longissimum. Vocem *glomerati* elucido inf. in hoc lib. ad illud, *collecti Troes glomerantur*.

3. ROTAT.] Sil. lib. 2. *rotátque coruscum Mucronem*. vbi *coruscum*, quod Virg. *fulmineum*. Hom. vulgariter Iliad. 22. τινάσσων φάσγανον ὀξὺ: *quatiens acutum ensem*. Et quidem sermo est de Hectore, & in vitæ periculo, vbi occasio furendi. Vide verò vt in re simili describat Tydeum Statius secundo Thebaidos. *Rotare ensem.*

> ——— *non segnius ardet*
> *Huc illuc clypeum obiectans, seque ipse recedens*
> *Circuit.* ———

4. FVLMINEVM.] Explicui iam, & addo, visum mihi indicari à Poëta vim Nisi esse supra mortalem, vt qui non tam gladium, quàm fulmen versaret. Ita de Augusto, *fulminat* lib. 4. Georg. quem locum adi, & quæ dixi lib. 6. vbi Scipiadæ *duo fulmina belli*. Ita & Simocatta lib. 2. cap. 7. ducem Romanorum supra mortalem indicat, & à cœlo missum, cùm de illo scribit. οἷα τις λαίλαψ ἐπιθαλάττιος, ἢ ῥαγδαῖος σκηπτὸς ἐνσκήψας: *Irruit vt maris turbo, aut fragore ruptum fulmen*. Et lib. 6. Anth. cap. 15. Epig. 25. Rex Philippus dicitur κεραύνιος, *fulmineus*. Affinis verò Virgilius Homero, qui de ferro hastarum 10. Iliad. λάμπ' ὡς ἀστεροπὴ πατρὸς Διός: *fulgebat velut fulgur patris Iouis*. Val. 1. Arg. de gladio *ardenti ferro*. Ab Philostrat. in Heroïc. hasta Achillis dicitur ἀστράπτουσα, vt instar fulguris. Et adhuc de ipso gladio 14. Iliad. ἄορ ἴκελον ἀστεροπῇ, *ensem similem fulguri*. *Fulmineũ, de telis.*

5. CLAMANTIS IN ORE.] Simile mortis genus habet Hom. 16. Iliad. vbi Idomeneus percutit ferro Erymanta κατὰ στόμα, *in ore*. De Crastino ait Iul. 3. Ciuil. cecidisse in pugna, *gladio in os aduersum coniecto*. Stat. 2. Theb. *Ictus in ore.*

> *Dum clamat subit ore cauo Theumesia cornus.*

Silius lib. 3.

> ——— *calamumque volantem*
> *Dum clamat, patulo excipiens transmisit hiatu.*

Non abit illud lib. 7. *hæsit enim sub gutture vulnus*; quem locum adi.

6. MORIENS ANIMAM ABSTVLIT HOSTI.] Vide illud lib. 4. *Exstinxti te, méque soror.* & adiice locum Soph. Antig. θανὼν γ' ἐμὲ κατειργάσω: *mortuus viuam me occidisti*. Tale illud Ennod. in Declamat. *Dum vincitur, triumpharet*. Sed hoc pertinet ad ὀξύμωρον, de quo in 7. *Moriens interficit.*

7. TVM SVPER EXANIMEM, &c.] Aliqua allusio ad illud Soph. Antig. κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ: *iacet mortuus circa mortuum*. Aut ad Euripid. in Med. vbi Glauce, & eius pater, κεῖνται νεκροὶ πέλας, *iacent mortui simul*. Musæus ita claudit opus Leandri, & Herûs. *Sepulcri eius tam sociétas.*

> Κὰδ δ' Ἡρὼ τέθνηκε σὺν ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ,
> Ἀλλήλων δ' ἀπόναντο καὶ ἐν πυμάτῳ περ ὀλέθρῳ:
> *Mortua est Hero, vnà cum mortuo coniuge,*
> *Suíque potiti sunt in vltimo exitio.*

His simillimum illud Oppiani lib.5. Hal. de Delphino amante puerum, A

——τὸν μὲν ἐπὶ παιδὸς πόθος οἰχομένοιο

Ἔσβεσε. τῷ δὲ θανόντι θανεῖν ἐπόρεσεν ἑταίρῳ:

——illum quidem pueri desiderium defuncti

Exstinxit, & mortuo commori festinauit sodali.

Homer. etiam 16. Iliad. πρηνὴς ἐπὶ νεκρῷ κάππεσεν: pronus concidit super cadauer. & 17. πέσε πρηνὴς ἐπὶ νεκρῷ.
Præclarè Eurip. Phœniss.

——κάλλιστον δυοῖν φίλοιν κεῖσθαι πέλας:

——gloriosum est amicos duos iacere prope.

Hoc sedulò, & anxiè Cleopatra apud Plutar. optat, quæ loquens cum Antonio, ἐνταῦθα με κρύψον μετὰ σεαυτοῦ καὶ σύνθαψον: Hic me vnà tecum conde, & sepeli. & postea Augustum precatur, σὺν Ἀντωνίῳ θάψαι. Euadne in Suppl. Eurip. πόσει γὰρ συνθανοῦσα κείσομαι: cum marito iacebo mortua. Helena amans Menelai apud eundem, κείσομαι δέ σου πέλας. & Menelaus postea reddens vicem, κείσομεσθα δὲ νεκρὼ δύο. & Pylades ad Orestem, ξυνθανεῖν ἦν δεῖ μέ σοι. & Iocasta in Phœniss. B

Θανοῦσι δ' αὐτοῖς συνθανοῦσα κείσομαι,

Cum ipsis (meis liberis) mortuis mortua iacebo.

Est verè hoc factum: nam postea de eadem,

——ἐν δὲ τοῖσι φιλτάτοις

Θανοῦσα κεῖται, περιβαλοῦσ' ἀμφοῖν χέρας:

——inter verò charissimos (liberos)

Mortua iacet, complexa vtrumque manibus.

In Supplicib. dixit idem Tragicus,

Ἥδιστος γάρ τοι θάνατος

Συνθνήσκειν θνήσκουσι φίλοις:

Mors dulcissima planè

Commori morientibus amicis.

Quamuis tot adduxerim in testificationem facti Nisi, non ideo omittam Silij versus lib. 9. hos, C

Occubuêre simul, votisque ex omnibus vnum

Id fortuna dedit, iunctam inter prælia mortem.

Nec Statium, qui 10. Theb.

Tales optaris Regum in complexibus ambo,

Par insigne animis Ætolus, & inclytus Arcas

Egregias efflant animas, lethóque fruuntur.

Vide & Nonnum lib. 11. vbi Carpus vult perire eo loci, & verè perit, quo amicus Calamus perierat. Hoc optat Orestes apud Eurip. in Taur. testificans amorem suum erga Iphigeniam, εἰ σοῦ κτανοῦσαν μὴ θανεῖν. Nec dissidet duos fratres Polydorum, & Polyxenam cremandos μιᾷ φλογὶ, apud eundem in Hecuba. D

8. CONFOSSVS.] Soph. Aiace, περιπετὴς ἐν φασγάνῳ περιπτυχής. Explicui dupliciter, & inclino in alteram explicationem, scilicet vt Nisus sese confoderit: tum, quia hoc magis ad gloriam Nisi, tum ex imitante Statio lib. 10. vbi in re simili amicus supra puerum mortuum iniecit magno proscissum vulnere pectus; & quidem à se: nam præcessit, toto præcordia protinus Arcas Impleuit capulo.

Quiesco, formula defunctorum. 9. QVIEVIT.] Ex formulis defunctorum. Sic in 6. de Palinuro, ossa quierunt. Cicer. ex Poëta vetere lib. 1. Tuscul. vbi remissa vita corpus requiescit a malis. Tibul. lib. 2.

Sic bene sub tenera parua quiescit humo.

Ouidius:

Ossa quieta precor tuta requiescite in vrna.

& sexcenta alia. Inde in Inscriptionibus sepulcrorum dictum REQVIETORIVM. & Cassiod. cap. 8. lib. 7. Defunctorum sacram quietem.

Locorum similitudo. 10. FORTVNATI AMBO, SI QVID, &c.] Silius pari ἐγκωμίῳ lib. 4.

Felices lethi, pietas quos addidit vmbris,

Optabunt similes ventura sæcula fratres,

Extremúmque decus memori celebrabitur æuo.

Si modo ferre diem, miserúsque videre nepotes

Carmina nostra valent, nec famam inuidit Apollo.

Et lib. 2.

At vos syderea, quas nulla æquauerit ætas,

Ite decus terrarum animæ.——

Stat. lib. 10.

Vos quoque sacrati, quamuis mea carmina surgent

Inferiore lyra, memores superabitis annos.

Forsitan & comites non aspernabitur vmbras

Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.

Aspernabitur, neque admittet, ô Stati, non enim ille lyram in Epico carmine, vt tu. Sed excusabitur Statius, qui signatè τὸ suum lyram dixerit, opponens tubæ Maronis, cui ille comparatus lyricen est, non ἐποποιὸς: & ideo inferiore, quia Lyrici inferiores Epicis. Præstant enim Epici reliquis Poëtis, etiam Tragicis. Nec me mouet, aliter scribi ab Aristotele, contra quem lege quæ fusè, & doctè Noster Bisciola lib. 4. Horar. Subs. cap. 22. Ceterùm ad fortunam hanc & locum Virg. videtur allusisse Horat. Od. 13. libri primi. Lyra non de Epicis. Epici præstant Tragicis.

Felices ter, & amplius

Quos irrupta tenet copula, nec malis

Diuulsos querimoniis

Suprema citius soluet amor die.

11. NVLLA DIES MEMORI VOS EXIMET ÆVO.] Nazianzen. Orat. 15. ἃς καὶ ὁ μέλλων ἐκδέξεται χρόνος: quas (linguas) futura excipiet posteritas. De Hypsipyle in egregio & pio facinore Valerius Flaccus 2. Arg.

——non vlla meo te carmine dictam

Abstulerint, durent Latiis modo sæcula fastis,

Iliacique Lares, tantique Palatia Regni.

Notanter eximet, quasi dicat, eximij eritis, & quouis pretio maiores. Hæc enim vis huius vocis. Plautus Merc. eximiam mulierem pretio. Eximo in te pretij.

12. DVM DOMVS ÆNEÆ, &c.] Collati Poëtarum, & aliorum loci hunc illustrabunt. Stat. Sylu. 1. de equo Domitiani, Locorum similitudo.

——stabit dum terra polúsque,

Dum Romana dies.——

Silius lib. 6.

——longo reuirescet in æuo

Gloria, dum cœli sedem, terrásque tenebit

Casta fides, dum virtutis venerabile nomen

Viuet.——

Martial. lib. 8.

Tarpeia summi saxa dum Patris stabunt.

Sen. Rhet. Suas. 7. Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu vsus literis, honor summæ eloquentiæ pretium erit: quamdiu Reip. nostræ aut fortuna steterit, aut memoria durauerit, admirabile posteris vigebit ingenium, & vno proscriptus sæculo proscribes Antonium omnibus. Dicuntur hæc de Cicerone duraturo in omnem æternitatem. Ideo subiungam locum Liban. Declam. 15. vbi lumen alterum Græciæ Demosthenes, & par Tullio, ita de se. E Ἀλλ' ἕως ἂν μένῃ τουτὶ τὸ βουλευτήριον, καὶ ἡ Πνὺξ αὕτη, καὶ τὰ δικαστήρια, καὶ τὸ Μητρῷον (ἀεὶ δὲ μένει, ταῦτα γὰρ οἱ θεοὶ λέγουσιν) ἔσται τις μνήμη τῶν ἐμοὶ πεπονημένων: Verùm donec manebit hæc curia, Pnyx ista, & Prætoria, & Phrygiæ Deæ fanum (atqui semper manebunt, sic enim Dij profantur) quædam erit memoria eorum, quæ labore meo perfecta sunt.

13. DOMVS ÆNEÆ.] Dixi indicari familiam Iulij, nec muto, domus enim pro familia, & gente sæpissimè Domus, pro familia.

ſimè,& à me alibi probatum. Sed fortaſſis capi poſſit ipſa Auguſti materiata domus,quæ erat in Palatio Capitolij. Valer. Max. lib. 6.titulo de Pudicitia. *Tu Palatij columen, Auguſtos Penates, ſanctiſſimumque Iuliæ gentis genialem torum aſſidua ſtatione celebras.* Hoc ſæpe Ouid.Lege Eleg.1.lib.3.Triſt.Ad hanc etiam Auguſti domum locus erat,qui *Sedes Imperij Romani*,teſte Victore,dicebatur.

Capitolium unde dictũ.

14. CAPITOLII.] Originem vocis aperit Cato lib.de Orig. *Capitolium dictum à capite inuento fluente ſanguine, dum Iouini templi fundamenta iaceret Princeps Tarquinius.* Varro lib. 4. Ling. Lat. *Capitolium dictum, quòd hic,cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum inuentum dicitur.* Dionyſ.lib. 4. circumſtantias adhibet inuenti capitis, nimirùm *fuiſſe hominis recens cæſi, cuius vultus viuo eſſet ſimilis,& ſanguinem ex eo capite calidum & recentem manaſſe.* Adhibet etiam omen hoc: *Veſtris ciuibus Romani renuntiate,fatale eſſe,vt locus ille,in quo caput inueniſtis, totius Italiæ ſit caput. Atque ab eo tempore locus, à capite ibi inuento,Capitolinus eſt dictus.* Affinia verba Liuij lib. 1.*Secutum aliud magnitudinem Imperij portendens prodigium eſt. Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuiſſe. Quæ viſa ſpecies haud per ambages arcem eam Imperij, caputque rerum fore portendebat.* Idem lib.5.cum reſpectu ad hunc locum. *Hic Capitolium eſt,vbi quondam capite humano inuento reſponſum eſt,eo loco caput rerum,ſummamque Imperij fore.* Nomen viri,cuius hoc caput,omnes, vt vides,tacent:aperit Arnobius lib. 6.vbi Romanis inſultat,qui maluerint,ex *Toli capite Capitolium, quàm ex nomine Iouio nuncupare.* Sed putat Scal.in Coniect. Arnobianum hoc metam eſſe fabulam, & ad nobilitatem gentis excogitatam. Nam *Capitolium* Latina eſt vox,vt *Pergamum* Phrygia, & ἄκρα Græca, & nihil aliud *Capitolium*,quàm κορυφὴ τῆς πόλεως, *vrbis vertex.* Quò & Cedrenum traho ſcribentem pag. 122. Καπιτώλιον, ὅπερ κεφαλὴν πόλεως σημαίνει: *Capitolium, quod vrbis caput ſignificat.* Idipſum ſentio cum Scaliger. ideo ex induſtria,non ad complendã paginam,attuli Scriptorum Romanorum verba, Catonis,Varronis, Dionyſij,Liuij. Nam qui fieri poteſt,vt alias circumſtantias dixerint, hanc tacuerint? Nam ignoraſſe quis credat,quæ Arnobius ſciuit? Itaque credo, auctores, quos Arnobius exhibet, allucinantes excogitaſſe quidpiam Grammaticum; vel excogitatum ab aliis accepiſſe ipſos,ad eum modum,quo Caſſiodorus dixit Circenſes, quaſi circum enſes, claro errore. Eſt enim Capitolium productio ſyllabica à capite,vt ab epiſtola,epiſtolium; à medio, medulla, & meditullium; à proſto,proſtibulum.Et cùm Dionyſ.dixerit caput hoc fuiſſe recèns cæſum, vt etiam Plutarch.in vita Camill. νεοσφαγῆ κεφαλὴν, proderent illi,cuius eſſet,ſi ſcirent.

Toli caput meracſt fabula.

Termini immobilitas.

15.IMMOBILE SAXVM.]Ex Liuio,Dionyſio,Plutarcho,Floro,Lactantio,aliiſque,ſciunt omnes,Tarquinium, cùm Ioui vouiſſet templum in Tarpeia rupe,velletq; fundamenta iacere, ceſſiſſe alios Deos à Numa iam dicatos,& vnum Terminum(qui imagine colebatur inſtar ſaxi)noluiſſe cedere,quod arreptum à Romanis pro omine, quaſi Imperium nunquam terminum eſſet habiturum.Ad hanc igitur hiſtoriam Virgilium alluſiſſe volunt veteres Grammatici, quod vt illis concedamus, nulla res impedit. Scio ab Plutarcho, & Dionyſio datum ſocium Termino; nam neque Deus Iuuentutis voluit cedere. Quin Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Martem quoque addit,& tres Deos reſtitiſſe teſtificatur.

Pater de Principe.

16. PATER ROMANVS.] Romanum Imperatorem capit Turnebus,cùm prætertim omnes *Patres patriæ* dicerentur,& hoc imprimis titulo affectus Auguſtus, in cuius gratiam hæc Poëta. Sic & Auſon. Theodoſium compellat,

Tu modo te iuſſiſſe Pater Romane memento.

Chryſantas apud Xenoph.lib.3. Cyropæd. ἀλλὰ πολλάκις μὲν δὴ, ὦ ἄνδρες, ἐγὼ ἄλλο τε κατενόησα, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ: *Etiam aliàs ſæpe, ô viri, animaduerti nihil intereſſe inter Principem bonum, & patrem bonum.* Id eſſe verum, in vno Cyro oſtendit. Lege illum,& & me alibi,vbi hoc firmo.

Pondus miſerum, de cadauere. & Vmbra inanis,& Folliculum.

17. VOLSCENTEM EXANIMEM.] Id eſt,ἄθλιον σῶμα, *miſerum pondus*.Sic enim cadauer indigetat Soph. in Elect.& ſtatim ὄγκον.& poſt nõ multos verſus σκιὰν ἀνωφελῆ, *vmbram inanem.* Ab hac inani vmbra non longè abit Lucill. qui corpus vocat *folliculum* apud Nonium, à quo accepit Arnobius libr. 1. quaſi corpus coriaceum quidpiam ſit affixum animæ, ad huius vmbram.

Imitatio.

18. NEC MINOR IN CASTRIS LVCTVS, &c.] Totus hic locus Homericum reſpicit Iliad. 10. vbi inuenta cædes patrata in Thracas ab Diomede, & Vlyſſe,ibi enim videre erat

Ἄνδρας τ' ἀσπαίροντας ἐν ἀργαλέῃσι φονῇσιν:

Palpitantes viros ſæuis cadibus.

Et ſtatim,

Τρώων δὲ κλαγγή τε καὶ ἄσπετος ὦρτο κυδοιμὸς

Θυνόντων ἄμυδις. θηεῦντο δὲ μέρμερα ἔργα:

Troianorũ autem clangor,& immenſus ortus eſt tumultus

Currentium ſimul. admirabantur autem fortia facta.

Homerum ſuperant diſcipuli Virgiliani.

Sed, vt videas Homerum, non à Virgilio ſolùm, ſed ab huius diſcipulis ſuperatum, proponam tibi verſus Statij Thebaide quinta, vbi deſcribit matres egreſſas Thebis ſuos agnouiſſe,qui hoſtiliter fuerant trucidati.

Scrutantur galeas frigentum,inuentáque monſtrant
Corpora procidua, ſuper externóſque, ſuóſque.
Hæ preſſam in tabe comam,hæ lumina ſignant,
Vulneráque alta replent lacrymis: pars ſpicula dextra
Nequicquam parcente trahunt,pars molliter aptant
Brachia trunca loco,& ceruicibus ora repõnunt.

Idẽ præclarè.*patuère furores Nocturni.*& Sen.in Agam.

Et damna noctis triſtis oſtendit dies.

Probè etiam Val.affectus hos perſequitur, vbi poſt nocturnum bellum patuit clades, & ſuos quiſque agnouit,vt cùm ait,

———agnoſcit in alta
Strage virùm ſua texta parens,ſua munera coniux.
It gemitus toto ſinuoſa per æquora cælo.
Pars tenues flatus,& adhuc ſtridentia prenſant
Vulnera,pars fera componunt lumina dextra.

Cædes,pro ſanguine.

19. TEPIDVMQVE RECENTI CÆDE LOCVM.]Eſt hîc *cædes*, pro ſanguine, imitatione Græcorum (ait Turn.lib.18.c.4.)quibus φόνος, eſt interdum *ſanguis.* Adduco Stat. lib. 10. qui clarè, *& cæde recenti Arma rubere notant*,id eſt,rubere ſanguine.

20. SPVMANTI SANGVINE.] Attius in Telepho, *fluctu cruoris.*

[a] Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile:
Iam Sole infuſo,iam rebus luce retectis,

Turnus

Turnus in arma viros armis circumdatus ipse
Suscitat; æratásque acies in prælia cogit
Quisque suos, variisq́; acuunt rumoribus iras.
[b] Quin ipsa arrectis (visu mirabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali, & Nisi.
[c] Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuêre aciem (nam dextera cingitur amni)
Ingentésque tenent fossas, & turribus altis
Stant mœsti, simul ora virûm præfixa videbant
Nota nimis miseris, atróque fluentia tabo.
[d] Interea pauidam volitans pennata per vrbem
Nuncia fama ruit, matrísque allabitur aures
Euryali, ac subitus miseræ calor ossa reliquit.
Excussi manibus radij, reuolutáque pensa,
Euolat infelix, & femineo vlulatu
Scissa comam, amens muros, atque agmina cursu
Prima petit; non illa virûm, non illa pericli,
Telorúmque memor; cœlum dein questibus implet.

A

ARGVMENTVM.

Die iam claro Rutuli se ad bellum comparant, præfigunt lætabundi hastis capita Nisi, atque Euryali, vident lacrymabundi Troiani, fama vrbem complet, & matrem Euryali, cuius dolentis notæ miserabiles.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIBIT aduentum diei ab circumstantiis personarum, illustrantis lucis, illustrati orbis. Personarum, Tithoni mariti, Auroræ coniugis: lucis illustrantis, nam nouum lumen, Sol infusus; orbis illustrati, nam terræ sparguntur lumine, res luce reteguntur, quæ nocte ipsa vnicolores. Omnia sunt bina ex mira consecutione, Aurora, Tithonus: lumen, Sol. terræ sparsæ, res retectæ. Quis putas, hanc diligentiam haberet? Amplector & hic Notam Seruij, morosè describi diem, quippe visurum cædes, & bella. Pergit Poëta. Iam ergo claro die Turnus suos ad bellum excitat, imò *suscitat* dormitabundos; duces reliqui suos cogunt ad Turni exemplum: omnia rumore perstrepunt, iris sæuiunt.

B

[b] Fuit & in hoc apparatu miserum spectaculum, videlicet capita Nisi, atque Euryali hastis præfixa, quæ milites sequebantur magno clamore lætabundi, veluti insultabundi Troianis.

C

[c] Quid iam Troiani? Cùm videant hostem admoueri ipsi suos opponunt à sinistra muri parte, nam dextra tuta erat, cingente eam Tyberi. *Tenent fossas*, id est, tuentur, defendunt; stant in turribus. Sed quidem etiamsi fortes, certè mœsti diro capitum spectaculo à quibus tabus fluidus, & ille ater.

[d] Fama statim vrbem complet, vt *volitans*, vt *pennata*, ideo non it, sed *ruit*. Necesse fuit, vt inter reliquos, vna etiam mater Euryali rem acciperet. Ea subitò tam diro nuntio perculsa, tota pulso calore diriguit, atque ideo nescienti quid tum faceret radij è *manibus excussi* sunt (non proiecti, est enim scientis proiicere) *reuoluta pensa* anilia. Mox tamen eodem impetu ad se reuersa, impatiĕter clamitans, comámque abscindens conuolat, petit prima agmina, præ doloris amentia nihil verita pudorem, ideo *immemor virorum*; nihil verita salutem, ideo *immemor telorum ac periculi*. Itaque *amens* ratio est, cur pudorem, & salutem contempserit. Et præclarè *immemor*, quasi non fuerit fortitudo ire ad tela: vir enim fortis periculum agnoscit, & capessit; at imbellis audet, quia ignarus. Cœpit deinde querelas suas iactare, potiùs (mira *αὔξησις*) cœlum implere, quasi Deos incusans.

NOTÆ.

1. ET IAM PRIMA, &c.] Expressus clarissimè locus Calab. lib. 4. vbi ad exortum lucis, tumultus quoque belli exortus. Versus Græci sunt. Imitatio.

Ἀλλ' ὅτε δὴ κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἀντολίῳ ἔχον ἄρκτοι
Δέγμεναι ἠελίοιο θοὸν φάος, ἔγρετο δ' ἠώς,
Δὴ τότ' ἀνέγρετο λαὸς ὑπέρβιος Ἀργείων
Πορφυρέων Τρώεσσι φόνον, καὶ κῆρ' ἀίδηλον:
At cùm ad ortum capita vertissent vrsæ
Rapidum Solis iubar expectantes, & Aurora surgeret,
Tunc etiam se commouit præpotentum Argiuorum exercitus,
Cædem Troianis, & funestam perniciem meditans.

2. SPARGEBAT.] Ab Lucretio, qui libro secundo. Spargo, de luce.

Primùm Aurora nouo cùm spargit lumine terras.

Inde & 12. Æneid.

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies.———

Lucan. 3. Pharſ.

Vt matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios.———

Boët.

Boët.lib.2.de Phœbo: *lucem spargere cœperit.*

Imitatio. 3. TITHONI CROCEVM,&c.] Habetur hic versus 1.Georg.& 4.Æneid. Imitationes seruaui in hunc locum.Hom.11.Iliad.

Ἠὼς δ' ἐκ λεχέων παρ' ἀγαυοῦ Τιθωνοῖο
Ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι, ἠδὲ βροτοῖσιν:
Aurora autem ex lectis ab splendido Tithono
Surrexit, vt immortalibus lucem ferret, atque mortalibus.

Furius Antias lib.1.Ann.
Interea Oceani linquens Aurora cubile.
Lycophron etiam dixit de Aurora, Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι λιποῦσα: *Tithonum linquens in cubili.*

Aurora in occidente. 4. AVRORA.] Nouum quidpiam vidi in Calab. quod in alio nemine; imitari non ausim. Sciunt omnes auroram adduci in describenda veniente luce: ille (quod miror) libr.4.in veniente nocte. Versus sunt.

Ἠὼς δ' ὠκεανοῖο βαθὺν ῥόον εἰσαφίκανεν,
Κυανέην δ' ἄρα γαῖαν ἐπῄιεν ἄσπετος ὄρφνη:
Aurora autem ad Oceani altum gurgitem peruenerat,
Et nigram densæ tenebræ inuaserant terram.

Rerego, de luce. 5. IAM REBVS LVCE RETECTIS.] Ita etiam 5.Æneid.de Aurora, *radiisque retexerit orbem.* Et quia omnia retegit, ideo illam vocat Hesiod. πολυδερκέα, ab cernendo. Sic contra 6. Æneid. *rebus nox abstulit atra colorem.*

Imitatio. 6. TVRNVS IN ARMA, &c.] Locus Hom.10. Iliad.

Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν
Ἀργείους, ἐν δ' αὐτὸς ἐδύσατο νώροπα χαλκόν:
Timuit Agamemnon, atque armari iussit
Arginos, ipse autem induit lucidum æs.

Dux exemplum sit militi. Ita Turnus, armatus ipse, alios suscitat. Excellentissimus dux apud Simocatt.cap.13.lib.3.ita in orat.ad milites. χειρουργήσω τοίνυν ὁ δημηγόρος ἐγὼ πρῶτος τὸν πόλεμον, τὰς πάντων χεῖρας τῇ προθυμίᾳ μισθωσάμενος: *Itaque ego orator vester princeps prælium ciens, alacritate mea omnium manus quasi mercede pacta ad pugnandum obligabo.* Orest. ad pædagogum suum apud Soph.in Elect.

Ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, κἀυτὸς ἐν πρώτοις ἕπῃ:
Nos incitas atque ipse primum rem aggrederis.

Æs in æuo Heroum. 7. ÆRATAS.] Respectum ad æuum Heroüm, testificante Pauf.in Lacon. ἐπὶ τῶν Ἡρώων τὰ ὅπλα ὁμοίως χαλκᾶ ἦν πάντα: *Heroum æuo omnia fuerunt ærea.* Probat ex Homero describente securim Pisandri, & sagittam Merionæ; ex hasta Achillis, ex ense Memnonis, quæ omnia ærea. Mox adiicit. ταῦτα μὲν δὴ ἰσμὲν ἔχοντα οὕτως: *Hæc ita esse pro comperto habemus.* Loquitur autem Pauf. cum discrimine ad ferrum, quod negat in æuo Heroüm, vt inspicienti quæ in eo præcedunt, de oraculo quodam, notum fiet. Clarè etiam Hesiod.in ἔργ.

Ferrum non in æuo Heroum.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος:
His inerant ærea quidem arma, & domus ærea.
Ære enim operabantur, neque dum erat ferrum nigrum.

Hoc ego Pausaniæ, atque Hesiodi verissimum puto: nec me mouēt docti, qui cōtrà scripserunt; & assero, pessimè reddi Græcos per *ferrum*, cùm illi dicunt χαλκόν. Obiices mihi officinam Vulcani, quæ ante bellum Troianum, in qua ferrum, dicente Virg.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.

Deinde ferri inuentionem, quæ præcessit ea tempora: nam Virg.1.Georg. *At Chalybes nudi ferrum.* Tertiò aliquot loca Poëtarum, qui ferri meminerunt in illo æuo. Quartò, quod fortissimum, cap.4.Genes. dici de Tubalcain, fuisse malleatorem operum æris, & ferri. Expedio omnia vnico verbo. Ferrum fuit,

A fateor, in æuo Heroüm, & etiam ante illud: sed rarum, neque satis, vt tu tibi hanc veniam assumas, vt cùm in Græcis χαλκὸν legis, possis *ferrum* interpretari. Venæ ferri passim postea apparuerunt; sed rarum fuisse priscis, liquidum ex creberrima mentione æris, ex paucissima ferri. Vnde & in loco Genes. æs præponitur ferro: ait enim, χαλκέως χαλκοῦ καὶ σιδήρου. Et attende, artificem tam æris, quàm ferri, dici χαλκέα ab ære, non à ferro. Frequentius enim in eo æuo metallum dedit nomen artifici. Ita etiam explico Aristotelem in Poëticis, vbi ait, χαλκέας, τοὺς τὸν σίδηρον ἐργαζομένους, non aliter, ac τὸν κεκραμμένον, τὸν οἶνον. Sententia est; ita artifices ferri, dici ærarios, vt vinum mistum aqua, dicitur vinum. Itaque, quemadmodum vinum mistum aqua, simpliciter tamen dicitur vinum; ita artifex ferri, ærarius. Vtrumque, vt explico,

B à maiore parte materiæ: nam in vino misto aqua, maior pars vini est; & in metallis frequentius æs, rarius ferrum. Attendendi sunt Scriptores illi, qui loquuntur pressè de æuo Heroüm: nam alij referendi sunt ad æuum suum. Quamobrem frustra mihi Virgilium adducas, qui millies ferri meminit etiam in æuo Heroüm; nam hic & alij locuti cum respectu ad æuum suum. Pausanias autem & Hesiod. loquuntur expressè de æuo Heroüm. An ita hi duo amentes essent, vt cùm viderent millies σίδηρον in Hom. negarent tamen? certè putarunt Homerum capiendum de æuo, quo vixit Homerus ipse, non de æuo Heroüm. Quid faciat contra hæc, quæ scripsi, non video. Nam quæ de officina Vulcani dicuntur, de inuentione ferri, de Poëtis, de loco Geneseos, salua esse queunt raro tūc metallo, & parcè effosso. Quid,

C quòd locus Geneseos aliter potest expediri? Nam mentio illa est ante diluuium, quo terræ obrutæ nihil pristinæ memoriæ retinuerunt: & nato deinde orbe post Noë, æs in vsu fuit, non ferrum. Itaque Hesiod.& Pauf. capiendi de æuo post Noë, vt necessariò Ethnici omnes.

8. QVISQVE SVOS.] Est hoc, quod Homerus Iliad.3. κέλευε δὲ οἷσιν ἕκαστος ἡγεμόνων: *Quisque ducum suis imperauit.*

Capita præfigi contis contumeliosissimum. 9. PRÆFIGVNT CAPITA.] Hoc genus contumeliæ hostilis frequentissimum fuit, siue Poëtas, siue Scriptores alios consulas; siue Græcos, siue Latinos; siue barbaros, siue cultos homines. De Maxentio Tyberi hausto ait auctor Paneg. Constantini, illius

D caput tota vrbe latum *suffixum hasta.* Senec. Rhetor Controuers.17. de Tullij capite, *appensum conto caput.* Trebonij caput *fixum in pilo* est apud Ciceronem in Philipp. quo ludibrio illum affecit Dolabella. Tacitus lib.1.Hist.de capitibus Galbæ, & Pisonis, Otthone inuadente Imperium, *præfixa contis capita gestabantur.* Apud Plut. caput Gracchi suffigitur δόρατι. apud Cedrenum caput Maniacis Tyranni δόρατος. & caput Nicephori ἐπὶ ξύλου. Apud Iustinum lib.24. caput Ptolemæi *lancea fixum.* apud Claud. Ruffini caput pendet de *cuspide summa*, quod etiam scribit Hieronymus in epist.ad Heliodorum. Vide & Silium lib. 2. in quo simile ludibrium. Omitto infinitos. Consideranti moris huius militaris caussas occurrebat (præter ludibrium, nam hoc imprimis quæsitum) fuisse

Trophæi species.

E hanc speciem quandam trophæi. Indicat Tacitus lib.1.Ann. vbi de clade Variana: *Medio campi albentia ossa, vt fugerant, vt restiterant, disiecta, vel aggerata: adiacebant fragmina telorum, equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora.* Vides in his speciem claram trophæi. Vt ergo truncis arborum, sic hastis. Eodem traho Nonnum lib.27.

Δυσμενέων δὲ κάρηνα κομίσσατε σύμβολα νίκης:

Hostium capita adducite symbola victoriæ. A

Apud Albert. Krant. lib. 3. Hist. Vand. capite quarto Ioannis Episcopi *caput desectum Barbari conto infigentes, in titulum victoriæ, Deo suo Radigasto immolauerunt.* vbi cùm titulum nominet, ducor ad speciem trophæi, vt loco alio diligenter obseruo. Morem attuli, & causam; sed nefas est omittere imitationem.

Imitatio. Instituit Virgilius Homero decimo Iliados. Nam, sicut ibi Vlysses suspendit cruentas exuuias interfecti exploratoris Dolonis, καὶ δ᾽ ἐπὶ μυρίκην, sic Rutuli in conto. Certum est enim totam hanc historiam adumbratam ab decima Iliade. Et libro 18. Hector cupit Patrocli caput palis suspendere. Hoc enim Iris Achilli nuntiat, κεφαλὴν πῆξαι ἀνὰ σκολόπεσσι.

Clamor in victoria. 10. ET MVLTO CLAMORE SEQVVNTVR.] B Pertinent hæc ad speciem illam trophæi, quam attuli in superiore Nota. Lætabundi enim Latini, vt in sublato trophæo. Ita, Galbæ interfecti capite sublato in hasta, Plutarchus ait de eo, qui gestabat, δρόμῳ χωρεῖν, ὥσπερ αἱ βακχεῖαι πολλάκις μεταστρέφοντα, καὶ κραδαίνοντα τὴν λόγχην αἵματι καταρρεομένην: *Cucurrisse Bacchatarum more sæpe conuertentem se, & vibrantem cruore stillantem hastam.* Sic & Liuius de legione Romana deleta à Gallis libro decimo, vbi Gallorum equites inducuntur *pectoribus equorum suspensa gestantes capita, & lanceis infixa, ouantesq; moris sui carmine.*

11. MVRORVM IN PARTE SINISTRA.] Locum hunc explicat Seru. lib. 7. Æneidos ad illud de Tyberi, *& multa flauus arena*, ita scribens: *Sciendum exitum Tyberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostiam,* C *vbi prima Æneas castra constituit; nam aliter non procedit; quod ait,*

———murorum in parte sinistra

Oppositère aciem, nam dextra cingitur amni.

Postea vero in Lauro Lauinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur. Hæc Seruius. Sed certe legenti Virgilium nulla alia apparent hæc castra, quàm prima.

Cingi amne. 12. CINGITVR AMNI.] Curtius libro tertio, *Cingitur fluctibus.* Sed Poëta cum cura de *amni*, dixit,

Amnis etymon. *cingitur*, notans etymologiam. Nam amnis ab ambiendo, & cingendo. Ad eum modum, quo Homerus libr. secundo Odyss. οἱ δ᾽ ὕδωρ κρητῆρσιν ἔμισγον.

Crater vnde dictus. vbi cum *cratere* coniungit *misceo*. Nam, vt expendit D Eustathius, κρατὴρ παρὰ τὸ κεραννῦναι, *crater à miscendo.* Sed huius obseruationis alibi iam mihi facta decursio.

13. STANT MOESTI.] Liuius libro quadragesimo secundo. *Mœstitia ex male gesta re.* & libr. 6. *Pro indignitate rerum stupor, silentiumque.* Hîc libet quidpiam adnotare. Dicunt boni interpretes, Virgilium in sua Æneide repræsentare sæpissimè Romanas historias. Quid ergo, si in hoc successu repræ-

Romana historia repræsentata. sentatus successus Crassi? Id efficio ex paritate historiæ, conferens Virgilium cum Plutarcho. Vt Rutuli suffigunt capita horum iuuenum in hastis, ita Parthi τὴν κεφαλὴν τοῦ Ποπλίου κοντῷ ἀναπήξαντες ὑπὲρ αὐτῶν ἀναπήξαντες, *Caput Publij* (erat hic filius Crassi) *suffixum hasta ferebant.* videlicet ostentantes illud patri. Vt hic Rutuli *multo clamore sequuntur*, ita ibi Barbari προσεφέροντο κλαγγῇ καὶ παιᾶνι φοβερώτεροι, *ferebantur cum clangore, & pæanibus formidabiliores.* Vt hic Troiani ad dirum spectaculum *stant mœsti*, ita ibi τοῦτο τὸ θέαμα Ῥωμαίων ὑπὲρ ἅπαντα τἆλλα δεινὰ τὰς ψυχὰς κατέκλασε, καὶ παρέλυσεν. *Hoc spectaculum supra reliqua omnia acerba animos debilitauit, & infregit Romanorum.* Quid, si consideres clausos ibi Romanos tanquam muro; & vagantes

circum illos Parthos? Quæ species non aliena ab hac Virgiliana. Demum si ad hanc historiam non spectatum ex supercilio Critici alicuius, adduxisse similem cladem nihil obfuit meo Commentario.

14. ORA VIRVM PRÆFIXA VIDEBANT.] Totum hunc locum adumbrat Stat. Thebaide decima, Locorum similitudo. vbi Amphion,

———clausis ipse insultare Pelasgis

Tendis, & abscissos sociorum ostendere vultus,

& qui erant in vrbe,

———vt excertos enses enses, & cæde recenti

Arma rubere notant, nouus assilit æthera magnus

Clamor, & e summo pendent cupida agmina vallo,

Noscere quisque suos.———

15. VOLITANS PENNATA PER VRBEM, &c.] Fama cum alis. Stat. 1. Theb. *hæc totis perfundit mœnia pennis.* & 3. de eadem, *anteuolat.* Ammian. lib. 18. *per aerios tractus famam præpetem volitare.* Horat. quoque Od. 2. lib. 2. *pennam* dat famæ. & Petron. *volucer notis conserua pennis Fama volat.* Sed de alis famæ iam in 4. Notentur hic verba Seruij hæc: *Quidam volunt, ideo hic famam pennatam a Poeta inductam, quæ tumultum & res aduersas nuntiet: vt illud tangere videretur, quod qui bellum nuntiaret pennatas literas diceretur adferre.* Rem, quam Pennatæ literæ quæ. hîc attingit Seru. explicant versus Iuuenali, Satyra quarta,

Surgitur, & misso proceres exire iubentur

Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem

Traxerat attonitos, & festinare coactos,

Tanquam de Cattis aliquid toruisque Sicambris

Dicturus, tanquam diuersis partibus orbis

Anxia præcipiti venisset epistola penna.

Huc pertinent verba veteris in Persium glossographi: *veredarij dicuntur à vehendo, quia festinanter in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam responsa sua liberent: habent pennas in capite, vnde intelligitur festinatio itineris.* Quæ verba præeunt, vt intelligam in literis, quarum meminit Seruius, appingi solitas pennas, cùm res celeriter esset indicanda. Itaque & literæ pennatæ erant, & nuntius pennatus in capite instar Mercurij. Nonnihil pertinent ad rem eandem verba Plin. capite trigesimoseptimo libri decimi, loquentis de columba: *Internuntiæ in* Columbæ internuntiæ. *magnis rebus fuere, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra Consulum D. Bruto mittente.*

16. FAMA RVIT.] Explico instar fluminis, est enim *ruo* verbum aquarum, applaude nte hoc Ruo vnde dictum. Simocattæ loco lib. 2. Hist. cap. 17. καὶ πολὺς τῇ πόλει ἐπικλύσαντι θρύλλος. vbi famæ inuadenti vrbem dat *inundationem*, quasi ferretur *fluctuabunda*; ait enim, ἐπικλύσαντι. Inde statim pari consecutione, *matrisque allabitur aures Euryali.* hic enim *allapsus* aquarum est. Vt Noster, *nuntia fama*; ita & Val. 1. Arg. & Stat. 6. Theb. initio.

17. EXCVSSI MANIBVS RADII.] Est & hic affectus in Claudiano 3. Rapt. loquente de Proserpina,

Attritosque manu radios, proiectaque pensa,

Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo. E

Et priùs dixerat,

Atque interceptas agnoscis pectinis artes.

Latini ab Homero, qui pares affectus dat Andro- Imitatio. machæ, postquam illa cognouit interfectum Hectorem.

Τῆς δ᾽ ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς.

Huius concussa sunt membra, humi autē ei excidit radius.

Et postea pleniore Musa, non radios solùm & pensa, sed alia.

Τὴν

Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα,
Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
Κρήδεμνόν θ' ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσῆ Ἀφροδίτη:
Longè autem à capite fudit ligamina artificiata,
Reticulum, vittámque, & implexum redimiculum,
Velúmque, quod ei dedit aurea Venus.

Habent & cum his cognationē illa Homerica, etiāsi de re alia 12. Odyss. ἐκ χειρῶν ἔπτατ' ἐρετμά. & 16. ἐκ χειρῶν πέσον ἄγγεα. *Remigia exciderunt è manibus*, &, *vasa*. Inuenio & Apoll. 3. Arg.

——— ἀμωαὶ δὲ προπάροιθε βαλοῦσαι
Νήματα, καὶ κλωστῆρας, ἀολλέες ἔκτοθι πᾶσαι
Ἔδραμον. ———
——— *famulaq; in conspectu abiicientes*
Telas, & fusos confertim foras cunctæ
Proruerunt. ———

Terent. Heaut. act. 2. scena 3.

——— *mulier telam deserit*
Continuò, & lacrymis opplet totum os sibi.

Hecuba etiam Iliad. 22. vt vidit trahi filium ab Achille illigatum currui, ἀπὸ δὲ λιπαρὴν ἔρριψε καλύπτρην τηλόσε: *abiecit procul velamen molliculum*. Et verbum quidem *excutio* significantissimum ad dolorem repertum, vt ex adductis liquidum, & ex Stat. qui 5. Thebaid. in summo dolore auiculæ, *adnectósque horrida mæsto Excutit ore cibos*. Et in magno dolore Argonautarum apud Val. lib. 1. incipiente tempestate, *Excussi manibus remi.*

Radij telarū qui. 18. RADII.] Instrumentum esse ad texendum ignorat nemo. Quid huic respondeat Hispano idiomate non ita certum; vulgus nominat *lançaderam*: ego puto esse aciculam, qua subtegmini adduntur fila; & ab longitudine dici *radium*. Vt oliua oblonga, *radius*, & virga geometrica.

Locorum similitudo. 19. EVOLAT INFELIX, &c. Similes doloris notas inuenies in Dionys. lib. 3. Antiq. in sorore Horatiorum, dolente de vno Curiatorum interfecto, cui ipsa erat desponsa. Liuius etiam lib. 1. paria cum Dionysio. Apud Hom. Iliad. 22. Andromacha morte Hectoris audita, μεγάροιο διέσσυτο μαινάδι ἴση: *domo exiit furenti similis*. Vide & in Stat. 3. Theb. pulcherrimam imitationem Virg. vbi Ide duos filios in bello amittit. Sed & feminam consternatam dolore euntem per media agmina ita describit Eurip. in Iphig. Aulid. στείχουσ' ἀν' ἀνομένην Ἀχαιῶν δι' ὄχλου.

20. FEMINEO.] Verè Seru. *impatienti*. Nihil enim modicum feminæ. Amant, dolent, irascuntur, omnia vltra modum. Hoc iam ego fusè lib. 7. Feminæ nihil modicū.

21. SCISSA COMAM.] Nota hæc doloris maxima. Curt. lib. 3. de feminis nobilib. dolentib. *laceratis crinibus, abscissáque veste*. & de matre Darij: *laceratis crinibus humi corpus abiecit*. De dolente Nonn. libr. 23. τίλλε κόμην. Quo verbo, & ad rem eandem vtitur Chrysost. Hom. de Morte, sed reprehendens Gentiles, μὴ τρίχας τίλλοντες, μὴ βραχίονας γυμνοῦντες, μὴ ὄψιν σπαράττοντες: *non crines euellentes, non nudantes brachia, non lacerantes faciem*. De Græcis plorantibus Achillem mortuum Calab. lib. 3. Comarum scissio in dolore.

Χαίτας ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους δηϊόωντες:
Pilos ex capite radicitus euellentes.

Eurip. Orest. de lugente Helena, ἀπέθρισε τρίχας. & de Agamemnone in magno dolore Iliad. 10.

Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

Cybele apud Claud. 3. Rapt. *fractas cum crine auellit aristas*. Virtus dolens in tumulo Aiacis inducitur ab Aristotele in Peplo, κειραμένα πλοκάμους, vt etiam ab Ausonio, *incomptas lacerata comas*. Addes hæc exempla infinitis, quæ alij inuenerunt.

22. AMENS.] Verè Alexis: Amens in graui dolore.

——— τῶν μετρίων αἱ μείζονες λῦπαι
Πείθουσι τοῦ φρονεῖν μεθίστασθαι:
——— *qui medium excedit dolor,*
De sede mentem turbat.

23. NON ILLA VIRVM, &c.] Sic apud Hom. Andromacha ἀνδρῶν ἷξεν ὅμιλον, videlicet audito nuntio mortis Hectoreæ. Sic apud Basil. Seleuciens. Tryphæna, ἅμα τοῖς στρατιώταις ἀπῄει, ὀδυρμῶν καὶ θρηνῶν πληροῦσα τὴν ἀγοράν: *Iuit vnà cum militibus replens lamentis & fletibus forum.*

24. COELVM DEIN QVESTIBVS IMPLET.] Verissimè scripsit Eurip. in Supp. Doloris vis.

Τὸ γὰρ θανόντων τέκνων
Ἐπίπονόν τι κατὰ γυναῖκας
Εἰς γόους πέφυκε πάθος.
Nam propter mortuos filios
Vehemens quidam in mulieribus
Ad luctus insitus est affectus.

ᵃ Hunc ego te Euryale aspicio? túne illa senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Affari extremum miseræ data copia matri?
ᵇ Heu, terra ignota, canibus data præda Latinis,
Alitibúsque iaces: nec te tua funera mater
Produxi, pressíve oculos, aut vulnera laui,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diésque
Vrgebam: & tela curas solabar aniles.
ᶜ Quò sequar? aut quæ nunc artus, auulsaq; membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terráque maríque secuta?
ᵈ Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Coniicite ô Rutuli, me primam absumite ferro
Aut tu Magne Pater Diuûm miserere, tuóque
Inuisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

ARGVMENTVM.

Querelæ matris Euryali à calamitate sui relictæ, ab exitu filij miserabili: quæ duo sequitur deliberatio mortis.

EXPLICATIO.

a PRIMA pars huius orationis, quæ plena magnorum affectuum, continet querelas matris, quòd relicta à filio. Erumpit in has querelas ab diro spectaculo, quod ante oculos, ideo præmittit, *Hunc ego te Euryale aspicio?* Sed quæ querelæ: Qui futurus eras requies senectæ meæ, cur me vt solam relinqueres, in animum tuum induxisti? cur non saltem consolabundus affatus es me, cùm ires in extremum periculum missus à tuo Principe? cur non data copia tui conueniendi?

b Sequitur pars altera. Deplorauit solitudinē suam, iam nati infelicem exitū. Hoc viuidius, efficacius, luctuosius, vt quæ natum potiùs, quàm se amaret. Pendent omnia à circumstantiis. Nam iacet mortuus in terra ignota, datus canibus in prædam, sine apparatu funeris, non clausis oculis, non lotis vulneribus, non tectus veste, quam mater dies, noctésque anxiè & sollicitè texebat, imò *vrgebat*, efficacius.

c Hæsitat, quid factura in tanto malo: & quia dispersa membra, ac funus lacerum nullam dant copiam reliquiarum colligendi, iterum incusat natum, quòd se benignissimam parentem, laborúmque terra & mari tolerantem abiens reliquerit. Illud, *hoc mihi de te Nate refers?* refero ad caput, quod oculis spectabat. Quasi dicat: Disperso reliquo corpore tantùm mihi caput spectandum refers? è tuo corpore caput tantùm restituis? & hoc cernendum solùm oculis, non exosculandum, non amplectendum?

d Pars vltima ethopœiæ, in qua inest deliberatio mortis. Hanc petit aut à Rutulis, si velint esse pij; aut à Ioue, si misericors. Vult vt illi absumant telis, hic fulmine. Ratio: quia nequeo aliter vitam abrumpere, & hoc optat. Et præclarè *abrumpere*, quasi vellet abrumpi ipso dolore. Hactenus explicatio nostra. Præclarè ait Iulius Scaliger hac oratione ademptam sapientibus audaciam imitandi. & posteà: *nihil addendum, nisi ab ineptis; nihil immutandum nisi ab impudentibus.*

NOTÆ.

1. HVNC EGO, &c.] Cùm certum sit Virgilium in tota hac oratione institisse vestigiis Homeri, deplorantis, sub persona Andromachæ, occisum Hectorē; nonnulla prima hac Nota præmittere de cōparatione vtriusque Vatis, è re erit. Nihil tu in Virgilio vitiosum ex Explicatione nostra colliges: at, quot vitia in Homero? Andromacha infelicitatis suæ, & Hectoris nullam affert causam; in Virg. duæ aptissimæ, infelix sum, quia & tu futurus requies, & ego relicta sum sola. Quid, quòd nulla fuit infelicitas, natum fuisse Hectorem in domo Priami, Andromacham in domo Eëtionis: imò summa, & ridens fortuna? Quæ de Astyanacte inferuntur in ea oratione, partim sunt plebecula, partim improbabilia. Plebeculum, & planè Grammaticum illud, (*Homerū superat Virgilius.*)

Ἀστυάναξ, ὃν Τρῶες ἐπίκλησιν καλέουσι·
Astyanax, quem Troiani cognomine vocant.

Nam, vt præclarè Scal. *quem nunc vult docere?* Improbabilia: nam puncto temporis, quo illa, quæ ibi narrantur, gesta sunt, quis fuit locus stationibus ad cōuiuia? repulsis ab iisdem: confugiis ad matrem? Vt hæc intelligas opus est adito Homero. In exitu orationis Andromachæ deliberatio illa de cremandis vestibus, quæ iam nulli vsui Hectori, quid, obsecro, habet cum forti hac deliberatione? figite me Rutuli vestris telis, si pij estis; interfice me Iuppiter tuo telo, si es misericors.

2. HVNC EGO TE EVRYALE ASPICIO.] Elect. apud Soph. visa Orestis fratris vrna, vt putabat, (*Imitatio.*)

——ὡς ἀπ' ἐλπίδων
Οὐχ ὧνπερ ἐξέπεμπον εἰσεδεξάμην;
——*quàm longè dissimili spe,*
Ac te misi, nunc accipio?

Apud Stat. 3. Theb. similes sunt querelæ matris aspicientis liberos duos occisos in bello. Initium est,
Hósne ego complexus genitrix? hæc oscula nati
Vestra tuor? ——

Tu reliqua. Simile apud Cal. lib. 10. vbi Hecuba deplorat Paridem, ὤλεό μοι φίλε τέκνον. Vide eundē lib. 2. vbi Aurora deflet filium Memnonem. & eundem lib. 3. vbi iam Briseïs, iam Thetis Achillem. Ambrosius ab Nostro in obitu fratris Satyri (quem locum Virgilio adiungebat Morlanius meus) *Qualem te nunc ego frater aspicio, iam nulla mihi verba referentem, iam nulla oscula?*

3. TVNE ILLA SENECTÆ SERA MEÆ REQVIES?] Hoc maximum parentum leuamen. Clytæmnestra apud Soph. in Elect. inter preces alias fusas ad Apollinem, ξυνοῦσαν καὶ τέκνοις. Optat videlicet cum liberis placidè agere. Nazianzenus in primo Carmine, vbi dolet, se non citiùs ad eremum conuolasse, adducit pro ratione se id fecisse, ne parentes sui sine filio essent in extrema senectute. Quod vicinum alteri historiæ Chrysostomi, qui hac vnica ratione tardatus, ne in desertum abiret. Præclarè .n. Theodoricus apud Cassiod. lib. 6. ait, *difficillimum esse auditatis genus, parentum vota satiare.* Sed iam ad locum Nazianz. (*Filij requies parentum in senectute.*)

Οἶκτος μὲν πολιῆς βιοτοῖο, οἶκτος δ' αἰδοῦς,
Οἶκτος ἀπαιδίης.——

In eodem carmine prope finem ait elegantissimè, parentum γῆρας, id est, *senectutem*, recurrere ad primos ætatis annos subnixam liberis. Et Carm. 50. ait, filios esse instar baculi parentibus in extrema senectute: atque instar Ἀγχισιάδου, *Æneæ*, humeris parentes suos portare. Lysias in oratione funebri ait, nihil esse luctuosius, quàm filios sepelire; & addit rationem, quia tum parentes iuuandi essent validæ prolis auxilio. Hoc dolet Polyxena apud Eurip. in Hec. nam mactanda cùm esset, ita ad matrem,

——οὐκ ἔτι δὴ
Γήρᾳ δειλαίῳ δειλαία συνδουλεύσω:
——*non iam deinde*
Senectuti misera misera simul seruiam.

Addítque postea, filius est matri suæ in senectute, πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ: *ciuitas, nutrix, baculus, dux viæ.* Andromacha apud eundem loquens de filio suo, ὀφθαλμὸς βίου, *vitæ oculus.* à quo fortasse Nazianzenus, qui primo Carmine vocat se ὀφθαλμὸν βιότοιο, *oculum vitæ* suorum parentum. Aiax ab Sophocle in Tragœdia eius nominis dicitur γηροβοσκός, quasi *altor senectutis* parentum. Oppian. 5. Hal.

Πατρὶ δὲ γηράσκοντι νέος δόμος ἦεν εἰσίν:

Patri

Patri senescenti nouum robur filij sunt.
Hom. 17. Iliad. ab hac re affectum mouit, interfecto Hippothoo; ait enim non retribuisse parentibus θρέπτρα, id est, *præmia educationis*. Phœnix apud Cal. lib. 3. deplorat Achillis interitum, quòd amiserit κηδεμονῆα ζωῆς, καὶ γήραος ἄλκαρ, *curatorem vitæ, & senectutis præsidium*. Vide an verè mater Euryali, *senectæ sera meæ requies*.

Parentes dolent relinqui se solos. 4. POTVISTI LINQVERE SOLAM?] Hoc queritur apud Soph. Electra,
Μόνη γάρ εἰμι, σοῦ τ' ἀπεστερημένη:
Sola sum, tum te caream.
Iterum loquens cum sorore sua. καὶ μόνα λελείμμεθον, *relictæ solæ sumus*. Hoc dolet mater quæpiam libro 3. Epig.
Ὀρφάνιον κλαίω γῆρας ὀδυρομένη:
Defleo plorabunda senectutem viduam.
Andromacha apud Hom. Iliad. 24. ἐμὲ χήρην λείπεις, *relinquis me solam*. & pleniùs lib. 22. vbi,
———αὐτὰρ ἐμὲ στυγερῷ ἐνὶ πένθεϊ λείπεις
Χήρην ἐν μεγάροισι.———
———*sed me tristi in luctu relinquis*
Viduam in ædibus.———
Par conquestio Pelei interfecto Neoptolemo apud Eurip. And.
Ὦ φίλος, δόμον ἔλιπες ἔρημον:
O chare, domum reliquisti desertam.
Adlubescit & affectus ille Theocritius εἰδ. 2.
Νῦν δ' ἤ μώνα ἐοῖσα πόθεν τὸν ἔρωτα δακρύσω;
Nunc autem sola cùm sim, vnde amorem lugeam?

Solitudo Principibus abominãda. Habent omnes istæ poëticæ vmbræ corpus suum, id est, fundamentum. Nam semper solitudo omnib. viris principibus abominanda fuit. Itaq; Elect. apud Eurip. in Orest. πῶς μόνη σωθήσομαι; *quomodo seruabor sola?* Eadem apud Soph.
Μούνη γὰρ ἄγειν οὐκέτι σωκῶ
Λύπης ἀντίρροπον ἄχθος:
Sola enim sustinere non valeo
Ingrauescens tristitiæ onus.
De eadem Chorus ad excitandam conquestionem,
Προδοθεῖσα δὲ μόνα σαλεύει:
Prodita, & sola fluctuat.
Et ipsa, vt eandem excitet de se, & de sorore. ὅτις ἡμῖν ἐστιν, &, μόνη γὰρ εἰμι.

Imitatio. 5. AFFARI EXTREMVM, &c.] Sapiunt hi affectus Homericos Andromachæ extrema Iliade, ita loquentis ad Hectorem mortuum, cùm eius caput in manu haberet.
Οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας,
Οὐδέ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν αἰεὶ
Μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δάκρυ χέουσα:
Non enim mihi moriens è lecto manus porrexisti,
Neque aliquod mihi dixisti sapiens verbum, cuius semper
Meminissem, noctésque & dies lacrymabunda.
Similis locus Sen. de Consol. ad Marciam cap. 3. loquentis de Liuia, quæ amisit Drusum: *Non licuerat matri vltima filij oscula, gratúmque extremi sermonem oris haurire.*

Insepultus. 6. TERRA IGNOTA.] Duplex conquestio, quòd iaceret insepultus in terra, deinde in ignota. Primam illustro ex Homer. apud quem Hecuba Iliad. 22. dehortatur Hectorem à pugna, quòd non defleretur ἐν λεχέεσσι, *in lectis*. Componebantur quidem mortui in lecto, & ibi accipiebant suorum lacrymas. Eod. libr. Achilles morienti Hectori ita insultat,
———οὐδ' ὥς σέ γε πότνια μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται:———
———*nec te mater honoranda*
Imponens lectis lugebit.———

A Pergo ad alteram. Erat acerbissimum mori inter ignotos & peregrinos. Hoc dolet Electra de suo Oreste apud Eurip. Mori inter ignotos acerbissimũ.
Νῦν δ' ἐκτὸς οἴκων, κἀπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς
Κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα:
Nunc exul in peregrina terra
Male periisti, procul a tua sorore,
Inde cura illa Gentilium, vt saltem cineres in patriam terram referrentur. Sic apud Soph. in Elect. finguntur Phocenses retulisse Orestis cinerem peregrè mortui,
Ὅπως πατρῴας τύμβον ἐκλάχοι χθονός,
Vt in terra patria haberet tumulum.
Sed huius rei eruditio vndecunque suppetit.

Canibus dilaniari abominandũ est in funere. 7. CANIBVS DATA PRÆDA.] Nihil æquè abominandum in funere; ideo non omissum magno B Poëtæ complectenti in vnius Euryali persona omnia atrocia funerum. Etenim horror inuadit cogitantem humanum corpus deuorari canibus, lupis, alitibus. De Persis interfectis Simocatta c. 7. lib. 3. Hist. τοῖς ἐντυγχάνουσι θηρίοις ἑστίασις, ait fuisse cibum incurrentibus feris. Ioseph. lib. 7. Bell. cap. 14. ἐρρίπτουν κυσὶ τοὺς νεκρούς, *mortuos canibus proiiciebam*. Hac vna circumstantia expressæ iræ sunt ab Electra contra Ægysthũ paternum interfectorem, quasi nihil aliud haberet, quo viuidiùs iram suam satiaret. Ita enim ad Orest. apud Soph.
Ἀλλ' ὡς τάχιστα κτεῖνε, καὶ κτανὼν πρόθες
Ταφεῦσιν, ὧν τόνδ' εἰκός ἐστι τυγχάνειν:
Sed quamprimum interfice, atque obiice
Canibus, vt dignus est, sepeliendum.
Ita reddidi Sophoclem, nam Scholiastes, ἤγουν, οἰωνοῖς, C καὶ κυσὶ πρόθες αὐτόν. Eadem contumelia vult Creon apud eundem Soph. in Antig. satiare iras suas contra Polynicem, iubens eius corpus esse ἄθαπτον, *insepultum*, vt esset πρὸς οἰωνῶν καὶ πρὸς κυνῶν ἐδεστόν, *cibus auiũ, & canum*. Hac indignitate affici maritum dolet Andromacha Iliad. 22. κύνες, ait, κορέσονται. Ita etiam expressa Achillis immanitas, qui Principes Troianos 1. Iliad. ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. Hoc vnum doluit apud Catull. Ariadna, *dilaceranda feris dabor alitibúsque*. Eadem apud Ouid.
Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ.
Apud Euripidem in Supplicib. chorus petit à Theseo, ne velit miseros insepultos esse χάρμα θηρῶν, id est, ἑλώρια, vt Homerus; & κύρμα, vt alij. Vides ita grauem esse & atrocem hanc contumeliam, vt qua D iras suas Electra, & Creon satiarint: qua expressa Hectoris indignitas, Achillis crudelitas, Ariadnæ dolor. Imò Priamus vigesimosecundo Iliados proponens sibi atrocia omnia, ait omnium esse οἴκτιστον, *miserrimum*, si mortuus deturpetur à canibus. Inde dignissimus est reprehensione mos ille, qui viguit apud Persas, & quem latè persequitur Agathias lib. 2. Hist. narrans Mermeroïs clarissimi viri funus. vbi ait, honestissimum fuisse apud illos genus sepulturæ, canum guttura, & rapacium omnium ferarum. Imò addit, quòd mirère, illum impurum, atque impium moribus existimatum, ad cuius statim cadauer non accurrerint feræ, non aduolarint volucres. Quid his moribus immanius? Persarũ mos pessimus.

Insepulti dicũtur iacere. E 8. IACES.] Propriè. Insepulti enim dicebantur *iacere*. De Priamo, qui nec sepultus, nec crematus, *iacet ingens littore truncus*. Prop. Eleg. 7. lib. 1.
Longe castra tibi, longè miser agmina septem
Flebis in æterno surda iacere situ.
Senec. Rhetor Suas. 7. *Si occidetur Cicero, iacebit inter Pompeium patrem filiúmque, & Afranium, Petreiúmque.* Hi omnes insepulti. Priam. 22. Iliad. optās insepultũ

 fore

fore Achillem, vt à canibus deuoraretur; eodem A verbo concipit has furias: vult enim illum esse κείμενον, *iacentem*.

9. FVNERA.] Funerę (ita dictę quasi funereę, aut funestę) erant feminę, ad quas funus pertinebat, vt soror, mater: nam *prȩficȩ* erant principes planctus. Ita Seruius, & alij hunc locum tractant. Et quidem Plato lib. 9. Leg. meminit illorum, qui ἀεὶ τὰς τελευτήσαντας μισθούμενοι, *conducti mercede essent ad deflendos mortuos*; & hunc morem viguisse in Caria. Ergo queritur mater, se non fuisse funeram in nati morte. Hanc interpretationem, vt optimam, exosculatur Trypho Gabriellius apud Lusinum lib. 3. Parerg. cap. 56. Erat certè verissimum discrimen inter *funereas*, & *prȩficas*. Illę verè lugebant, vt B ad quas dolor pertineret: istę fictè, vt quę tantùm conducebantur ad ostentationem planctus. Ad quam rem adduco Homeri locum non expensum libr. 19. Iliados, vbi Briseis, viso Patroclo mortuo, dolens & gemens se miseram appellat, quòd patrocinium amiserit: de aliis verò feminis ait, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη: *deflebant Patroclum ad prȩtextũ, ad speciẽ.* Quasi illa verè doluerit, non istę. Quò pertinet elegãtissimus locus Hor. in Epist. ad Pisones, opponit *cõductos dolẽtibus ex animo*, his versib.

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Ac faciunt propè plura dolentibus ex animo.

Nam videlicet Lucillius de istis prȩficis,

Mercede quȩ conductȩ flent in alieno funere,
Multo & capillos scindunt, & clamant magis.

Prȩclarè à Seneca epistola 99. opponuntur *ostentatio doloris*, & *dolor*. Quod ex imagine funerum traxisse, mihi non dubium. Varro libro sexto Linguę Latinę dat prȩficis id muneris, tum vt fleant, tum vt canant laudes defuncti. Eius verba. *Prȩfica, vt Aurelius scribit, mulier ab luctu, quȩ conduceretur, quȩ ante domum mortui, laudes eius caneret.* Deinde ab Claudio hoc affert etymon. *Quȩ prȩficeretur ancillis, quemadmodum lamentarentur, prȩfica est dicta.* Probátque hoc in more fuisse veteribus, tum ex Aristotele, in libro qui inscribitur, *Nomina barbarica*; tum ex versu hoc Nęuij,

Hȩc quidem hercle, opinor, prȩfica est, nam mortuos con- D *laudat.*

Dixi primam explicationem. Pergo ad alteram. Possit putare aliquis, hic esse non, *funera, funerȩ*: sed *funus, funeris*, vt dicat: *nec te, nec tua funera produxi*. Vti, qui hoc diceret, posset oppugnari, non video. Iulius Scaliger, qui mihi semper in pretio, sic explicat. *Produxi te, tua funera, id est, ad funera. Perturbatio mutilam facit orationem.* Prȩterea reprehendit Seruium. Sed ego tamen Seruio litreo.

10. PRODVXI.] Turnebus accipit de more, quo veteres producebant mortuos suos ad vestibula domorum, vt inde efferrentur ad sepulturam, quod Grȩci προτιθέναι. Cuius moris alia erit decursio lib. 11. Alij possunt referre ad ipsas exequias, & pompam euntium ad locum, vbi mortuus sepeliendus. Quod Ęschyl. septem ad Theb. dixit, προπέμπειν τύμβον. ita vt *producere* sit, quod Tacit. 1. Ann. *duceretur funus*. Sed inclino in primam explicationem, consentiente hoc Dion. loco de morte Liuię, ὥστε αὐτὴν ὁ Τιβέριος οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο, οὔτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο: *Tiberius ipsam neque ęgrotantem inuisit, neque mortuam produxit.* Non contemnendi qui legunt *proluxi*, quod verbi firmat explicationem illam de femina funerea.

11. PRESSIVE OCVLOS.] Caruit & Euryalus hoc munere, quod charis exhibitum. Quam partem pietatis quis non attigit? Ego hîc tria. Primùm, de forma, qua vsus Virgilius: deinde, originem huius moris, non quam alij: tertiò, à quibus exhibita hęc charitas, quod vnicè attingit Poëta. Ergo Homer. Odyss. vlt. ὀφθαλμοὺς καθελεῖν, vt & 11. χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν. Respondebit huic apud Latinos *deiicere*, & *deprimere*. Itaque, sicuti viui dicuntur in modestia deiicere, & deprimere oculos; ita de mortuis, cùm componuntur, dicentur καθαιρεῖσθαι ὀφθαλμοί, id est, *deiici & deprimi oculi.* Ex hac vi Poëta Grȩcos ęmulatus, *pressi oculos.* Quod Ouid. arripuit in Epicedio Tibulli, & Stat. 5. Sylu. de Abascantio, & Valer. 1. Arg. Primus, *fugientes pressit ocellos.* Alter, *chara pressit sua lumina dextra.* Tertius, *dulci iam nunc preme lumina dextra.* Valer. Max. cap. 1. lib. 2. vicino verbo: *Filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium aduocauit.* Vicino quoque Ouidius in Epist.

Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Quo etiam vsus Albinouanus ad Liuiam. Neque à verbo κλείειν abit Propertianum,

At mihi non oculos quisquam inclinauit euntis.

Scio ab nonnullis aliter legi hunc versum. Taceo verbum *operire*, quo vsi Plin. libro vndecimo cap. 37. & Seneca Rhet. in Controuers. *tegere*, quo Ouidius quarto Tristium Eleg. 3. *condere*, quo idem in Epist. & Prop. Eleg. 11. lib. 4. *claudere*, quo Lucan. 5. Phars. & Stat. 2. Theb. cui respondebit verbum Eurip. in Hec. ὄμμα συγκλῄσει. Taceo & formas alias, illã Albino- C uani, *lumina subitura manus.* illam Sen. Troadib. *oculis imposuit manum.* illam Val. 3. Arg. *ponunt lumina dextra.* Extremę istę ex Grȩco penu. Nam Nazianz. in Carm. πρὸς ἑαυτόν.

Τίς δ' ὄσσοις μινύθουσιν ἐμοῖς ἐπὶ δάκτυλα θήσει;
Quis meis oculis morientibus imponet digitos?

Taceo demum verba *signare*, & *sigillare*, quę de re eadem. Ex Hom. & Eurip. quos attuli reprehendes virum doctum Lilium, qui hunc morem Romanis tantùm tribuerit. Pergo ad alterum. Caussas huius moris multas adducit Kirchmannus lib. 1. c. 6. de funerib. Ego aliam. Prȩstant viui mortuis, quod mors ipsa debuisset. Mors claudit oculos morientibus, si quando autem contingat perfectè id non fieri, succedit viuorum opera; tanquam ars curandi defunctos corrigat naturam. Itaque Ouid. 3. Metamorph.

Lumina mors clausit domini mirantia formam.

Ariadna apud Catull. de Nupt. Pel.

Non tamen antè mihi languescent lumina morte.

Virg. Ęneide duodecima, *in ęternam clauduntur lumina noctem.* Vides, vt mors ipsa oculos claudat. Inde & tu Poëtam expende, & reliquos, qui illum sequuntur. Mors *claudit* oculos, cura *premit*, quasi arctiùs claudat. Pulcherrimè itaq; Albin. *formare oculos* dixit, quod sumpsit ab Eurip. in Phœniss. qui dixit, συνάρμοσον βλέφαρα: *oculos apta, compone, forma.* Vterque in re mortuorum. Ad verbum συνάρμοσον etiam Val. 3. Arg. vbi, *componunt lumina dextra.* Restat vltimum, quod promisi. Exhibebant hanc charitatem in de- E functos liberos patres ipsi. Inde matris iustissima ad Euryalum querela, *non pressi tibi oculos.* Hunc morem satis firmauit iam Kirchmannus ex Homero, Euripid. Lucano, Ouidio. Omitto.

12. VVLNERA LAVI.] Ex ritu mortuorum. Eurip. Troad.

Ἔλουσα νεκρὸν, κἀπέψησα τραύματα:
Laui cadauer, & ablui vulnera.

Hoc officium non prȩstitum suo Oresti queritur Electra soror apud Soph. mortuo in terra peregrina; cui loco videtur Poëta hęsisse.

Κοὔτ' ἐν φίλαισι χερσὶν ἡ τάλαιν' ἐγὼ

Αυτρο...

Funerȩ, & prȩficȩ diuersȩ.

Prȩfica.

Productio mortuorum ad vestibulum.

Mortuorum oculi claudebantur.

Moris eius causa.

Hȩc charitas in quẽ.

Mortui lauabantur.

Imitatio.

Λουτροῖς ἐκόσμησα.———
Neque ego misera te charis manibus
Lauaro ornaui.———
In eadem Tragœdia eiusdem moris meminerat, vbi loquitur de cæde, qua Agamemnon sublatus est à Clytæmnestra. Hinc & illud quarta Æneide, *vulnera lymphis Abluam*. & Ouid. 3. Art. ex pietate; *& lacrymis vulnera sæua lauat*. Itaque lacrymæ pro aqua. Sic Ennius,
Salsis cruorem guttis lacrymarum lauit.
Apud Cal. lib. 3. Agamemnon iubet Achillis cadauer vulneratum lauari aqua calida. Ex hoc more Cleopatra apud Plutarch. cùm videret id genus officij sibi ab aliis non præstari mortuæ posse, ipsa viuens *ἐκέλευσεν αὐτῇ λουτρὸν γενέσθαι*, *præcepit sibi lauacrum parari*. Quod quamuis fecerit specie accumbendi ad epulas, sed certè ad mortem. Nam prætextus ille solum fuit, vt Augustum deciperet. Vide etiam, quæ scripsi sexta Æneide, vbi de curatione Miseni.

Mortui vestibus tegebantur.
13. VESTE TEGENS.] En ritus alius. Ornabantur mortui vestibus ad sepulturam. Ennius in Cresphonte,
Neque terram iniicere, neque cruenta
Conuestire mihi corpora licuit,
Neque miseræ lauere lacrymæ salsum sanguinem.
Cleopatram apud Plutarch. in vita Antonij satellites Augusti inuenerunt *κεκοσμημένην βασιλικῶς*, *Regio ornatam cultu*, mortuam videlicet. Sic enim se ipsa composuerat. Florus de eadem, *maximo induta cultu*.

Vestes sibi ad sepulturā parabant veteres.
14. QVAM NOCTES FESTINA DIEMQVE VRGEBAM.] Insistit Poëta & mori, & loco Homeri Odyss. 2. Mos fuit mortalium vt sibi, & suis funebres vestes pararent. Homeri locus hic est ore Penelopæ ad procos.
Μίμνετ' ἐπειγόμενοι τὸν ἐμὸν γάμον, εἰσόκε φᾶρος
Ἐκτελέσω (μή μοι μεταμώλια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφήϊον, εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.
Μή τίς μοι κατὰ δῆμον Ἀχαιϊάδων νεμεσήσῃ,
Αἴκεν ἄτερ σπείρου κεῖται, πολλὰ κτεατίσσας:
Sustinete vrgentes meas nuptias, donec linteum
Perfecero (ne mihi vana fila pereant)
Laërti Heroï pollinctum, quando tandem ipsum
Fatum malum prehenderit asperæ mortis.
Ne aliqua me in populo Græcarum reprehendat,
Si absque tegumento iacuerit multa possidens.
Locum hunc Homeri mihi non tribuo; nam illum iam Gifanius, Spondanus, Luysinus, Kircmannus, alij item. Sed profero à me locum alium eiusdem Hom. Iliad. 22. vbi Andromacha deplorans mortuũ Hectorem, cùm dixerit illum iacere *γυμνὸν*, *nudum*, subuicit,
———*ἀτάρ τοι εἵματ' ἐνὶ μεγάροισι κέονται,*
Λεπτά τε, καὶ χαρίεντα, τετυγμένα χερσὶ γυναικῶν.
Ἀλλ' ἤτοι τάδε πάντα καταφλέξω πυρὶ κηλέῳ,
Οὐδὲν σοί γ' ὄφελος, ἐπεὶ οὐκ ἐγκείσεαι αὐτοῖς:
———*sed tibi vestimenta in ædibus iacent,*
Tenuiáque, & venusta, facta manibus mulierum:
Sed certè hæc omnia cremabo igne infesto,
Quæ nihil tibi vsui erunt, quoniam in ipsis non iacebis.

Vrgeo.
15. VRGEBAM.] Arripuit Mart. lib. 8.
Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.
Ouid. 11. Metamorph. *festinat vestes.*

Funus, pro cadauere.
16. FVNVS.] Apertè pro cadauere. Ita & Propert. Eleg. 17. lib. 1.
Hæccine parua meum funus arena teget?
Id est, *νεκρόν*. Et Eleg. 13. lib. 2.
Et sit in exiguo laurus super addita busto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.
Cerda in Æneid. tom. 2.

17. HOC MIHI DE TE NATE REFERS?] Ad sententiam, quam explicans expendi, pertinent affectus Antipatri lib. 3. Anth. vbi mater defunctum filium deplorans, — Imitatio.
Οὐδ' ἐς ἐφηβείην ἦλθες τέκνον, ἀντὶ δὲ σεῖο
Στήλα, καὶ κωφὰ λείπεται ἄμμι κόνις:
Neque ad ephebian peruenisti ô fili, pro te
Columna nobis, & surdus cinis relinquitur.
Nec dissimilis affectus Electræ apud Soph. quæ, visa vrna, in qua esse putabat cineres Orestis fratris, ita ait.
Σμικρὸς προσήκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει.
Exiguum onus ades exiguo in vasculo.
Iterum ait, missum sibi à fortuna pro charissimo fratris aspectu cinerem, atque inanem vmbram,
———*ἀντὶ φιλτάτης*
Μορφῆς σποδόν τε, καὶ σκιὰν ἀνωφελῆ.
Vide & questus Eurydices apud Stat. Theb. 6. post occisum filium, vbi nonnulla ductui Maroniano similia, vt sunt illa,
Non hoc Argolidum cœtu circumdata matrum
Speraui te nate sequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum,
Nil sæuum reputans, &c.———

18. FIGITE ME, &c.] Affectum Silij audi lib. 6. Pun. — Locorum similitudo.
Tollite me Libyci comitem pœnæque, necisque.
Ac Iocastæ apud Auctorem Thebaidos,
In me arma & ignes vertite, in me omnis ruat
Vnam iuuentus.———
Et statim pari furore,
———*ciuis atque hostis simul*
Hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
Mea membra sparsim spargite ac diuellite.

19. IN ME OMNIA TELA.] Hic affectus repræsentatur in Deianira apud Sen. quæ cùm præmiserit, non sibi satis esse manu vna perire, adiicit,
Coïte gentes, saxa, & incensas faces
Iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus.
Neque dissidet affectus Soph. in Antig. *οὐχ ὑμῖν ἅδης μόνος ἀρκέσει: Non vobis vna mors sufficiet.*

20. ME PRIMAM ABSVMITE FERRO.] Quasi nolit mortuo filio *ἐπιλείπεσθαι*, vt loquitur Soph. in Elect. id est, *superstes esse*. In dolore pari femina apud Statium sexto lib. Thebaid. — Ferro me absumite.
———*auferte supremis*
Inuisam exequiis.———
Cùm verò geminatio vbique dulcis sit, nescio quæ maior dulcedo in affectu mœroris. Aduerte affectum tui animi, cùm hic audis: *Me figite, in me tela conicite, ferro me absumite*, Sic & lacrymas Theocritus excitat, cùm ait; *ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις*. Iterum: *ὤλετο καλὸς Ἄδωνις*. & adhuc: *λέγει πάσα, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις*. Et efficacius *absumite*, quàm Statianum *extinguite ferro*, quarta Thebaide.

21. AVT TV MAGNE PATER, &c.] Applandit huic sententiæ locus Soph. in Elect. vbi chorus, — Fulmine opprimi petūt infelices.
Ποῦ ποτε κεραυνοὶ Διός; ἢ
Ποῦ φαέθων ἅλιος; εἰ
Ταῦτ' ἐφορῶντες
Κρύπτουσιν ἕκηλοι;
Vbi tandem Iouis fulmina? aut
Vbi Sol lucens?
An (Dij) ista videntes
Quieti dissimulare possunt?
Petit videlicet femina *κεραυνοῦσθαι*, id est, *opprimi fulmine*; vt Medea apud Eurip. in summo dolore,
Αἶ, αἶ. διά μου κεφαλᾶς φλὸξ οὐρανία
Βαίη. τί δέ μοι ζῆν ἔτι κέρδος;

Heu,

Heu, heu. vtinam flamma cœlestis per meum caput
Eat. quod enim deinde lucrum in vita?

Et Adrastus in Supplicib.

Πυρός τε φλογμὸς ὁ Διὸς ἐν κάρᾳ πέσοι:
Ignisque flammatus Iouis in caput incidat.

Thyestes etiam apud Sen.

——trisulco flammeam telo facem
Per pectus hoc transmitte.——

Affinia etiam duo alia loca Virg. Nam lib. 4.

Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras.

Et lib. 5.

Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuáque hîc obrue dextra.

Atque adeò quod in 4. & 5. *fulmine*, hîc *telo*. Sic & Græci passim. Nam Herodor. βέλος ἐνέσκηψε θεός. & Soph. βέλος κεραυνοῦ: *telum fulminis*. Noster, *tela Typhoëa*. Et quidem Virg. cùm alibi dixit, *disiicit telo Ceraunia*, iungens *telum*, & *Ceraunia*, proculdubio institit loco laudato Soph. qui βέλος κεραυνοῦ. Est & Virgilio affinis Statius 1. Theb.

Telum, de fulmine.

Quid meruêre Argi? me me, Diuûm optime solum
Obiecisse caput fatis præstabit.——

Neque verò sibi solis precabantur fulmina, sed aliis etiam, vt videatur hoc genus esse dirissimum imprecationis. Nam apud Eurip. in Androm. Peleus, κεραυνῷ πρόσθεν ὀλέσθαι: *fulmine vtinam priùs periisset.* & Phædra apud eundem in Hippol. imprecatur nutrici suæ, vt illam perdat Iuppiter, πατάξει πυρί, *percutiēs igne.* Imprecatio dirissima.

22. CAPVT.] Hæc pars pro toto homine. Firmaui iam loco in alio. Hîc adiicio Demost. qui contra Midiam. ταῦτα ἔλεγεν ἡ μιαρὰ καὶ ἀναιδὴς αὕτη κεφαλή: *Hæc dicebat scelerosum istud & impudens caput.* Caput pro toto.

[a] Hoc fletu concussi animi, mœstúsque per omnes
It gemitus: torpent infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus, & Actor
Ilionei monitu, & multùm lacrymantis Iüli
Corripiunt, intérque manus sub tecta reponunt.
[b] At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cœlúmque remugit.
[c] Accelerant acta pariter testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditus, & scalis ascendere muros,
Qua rara est acies, interlucétque corona
Non tam spissa viris. [d] telorum effundere contrà
Omne genus Teucri; ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto voluebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: cùm tamen omnes
Ferre libet subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt: nam qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem voluúntque, ruúntque,
Quæ strauit Rutulos latè: armorúmque resoluit
Tegmina: nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.

ARGVMENTVM.

Motus animorum in Troianis ad fletum matris, tubæ sonitus ad bellum, testudo hostium, oppugnatio vrbis & defensio.

EXPLICATIO.

[a] AD fletum feminæ commouentur Troiani, gemunt, franguntur, omnia ex mira consecutione. Bellum enim lætos vult milites, nihil ergo mirum si frangerentur torpore in tanta animorum mœstitia. Quò verò ardentiùs femina, eo magis accendebantur ad luctus. In hoc reliquorum dolore apparent vnius tantùm Ascanij lacrymæ, quippe pueri. Tandem femina inde rapitur, fertúrque domum duorum iussu, Ascanij, & Ilionei, duorum ministerio, Idæi, & Actoris. Elucet in his minimis diligentia Poëtæ; duo iubent, duo exequuntur iussa. Vulgaris Poëta non putaret hoc curandum. Duo etiam nota. Primum est, commoueri milites ad questus feminæ ex decoro; nam hic sexus, vt imbecillis, à duris etiam elicit misericordiam. Alterum, illam inde amotam ex militari doctrina, ne militibus languorem induceret.

[b] Apta peripetia ad commouendos animos. Ecce à fletibus ad tubam, ab eiulatu ad terribilem sonitum, à gemitibus feminæ ad bellicum clamorem & mugitum cœli. Expende verbum *increpuit*; quasi tuba ipsa torporem Troianorum increpitaret, qui tamdiu cessarant attenti fletibus. Sed & de versu toto Iouianus in Actio: *An non audientibus vobis capillus ipse surrigitur, animusque concutitur, & penè horrescit?*

c En

c En primus aditus ad oppugnationem vrbis. Ratio oppugnandi duplex. Alij facta testudine volunt accedere ad mœnia; &, vt ingressus ad vrbem sit, parant fossas implere, vallum vellere. En prima ratio. Altera est aliorum, qui muris scalas admouent, vt ita aditum inueniant, præsertim qua rari, & minùs densi propugnatores.

d Ab Troianis duplex quoque defensio, nam tela omnia aduocant contra ascendentes in murum, contis detrudunt, docti iam hoc facere longissimo bello, quo pressi à Græcis. En prima defensio. Altera est illorum, qui voluebant saxa ad perrumpendam testudinem; nam hæc est *tecta acies*. Hostes tamen obstinato sunt animo ad saxa omnia, donec Troiani immanem quandam molem, instar ruinæ, deuoluerunt in miseros. Ita magna pars illorum strata est, & resoluta testudo. Igitur cùm nihil proficerent ea re, oppugnandi ratio commutata est, ac cœptum geri missilibus, vt ita è vallo proturbarent Troianos. Nota *audaces*, quasi iam fortiores, vt qui aperto Marte rem gererent, non in tenebris testudinis.

NOTÆ.

1. TORPENT.] Sen. Oedip. *Torpor incedit per artus.*

Infractæ vires. 2. INFRACTÆ AD PRÆLIA VIRES.] Indicat θρύπτειν Græcorum, qui animos dicunt θρυπτομένους, atque etiam κεκλασμένους, *fractos*, & *languidos*. Ita & in 12. *infractos Latinos*; nam Seruium ibi non audio. Quintilianus verbum *frango* de animo dixit Declam. 1. pro Cæco: *Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur.*

Locorum similitudo. 3. ILLAM INCENDENTEM LVCTVS, &c.] In re simili, & feminæ comploratione Stat. lib. 10. Theb.

Diceret infelix etiamnum, & cuncta repleret
Questibus, abducunt comites, famulaq; perosam
Solantes, thalamoque tenent, &c.

Ignis ad omnes penè humanos affectus. Ad iram, 4. INCENDENTEM LVCTVS.] Vix est vllus humanus affectus qui non per flammas, aut ignes exprimatur & augeatur. Seruiunt iræ, dolori, spei, inuidiæ, amori; & quibus non? Firmo ea quinque breuiter. De ira Simocatta cap. 17. lib. 2. ἑτέρα γὰρ ἦν πρὸς ὀργὴν ἡ τοῦ βασιλέως ψυχὴ, καὶ τὸ τῆς θυμικῆς φλογὸς ἀνεπιστάτος: *Erat mens Regis ad iram sterilis, & aliena à furoris flamma.*

Dolorem, De dolore hîc Virg. *incendentem luctus*. quod fortasse ab Hom. qui 1. Iliad. δάκρυα ἀναπρήσας: *lacrymas incendere*. Idem in Odyss. οἰμωγὴ δ' ἐδαίετο. & Calab. γόος δεδήει. vbi *gemitus* & *luctus* cum

Spem, verbo δαίομαι, id est, *incendor, ardeo*. De spe Soph. in Elect. vbi, θάλπει τοῦ δ' ἀμύ..... ; *quo tanto igne incaluisti?* pro, *qua tanta spe?*

Inuidiam. De inuidia Sidon epist. 11. lib. 1. *Cui Satyricus ille morsum dentis igniti auidius impresseras.*

Commutatio metaphorarum. De amore, quis ignorat? Vt verò ignis vires suas dat animo, ita vicissim (quod scitu dignum) animus igni. Inde Simocatta cap. 11. lib. 1. πυρὶ, id est, *igni*, dat θυμὸν, id est, *animum*. Et Sidon. epist. 2. lib. 2. *arcuatili camino sæpe ignis animatus.* Ergo egregiè

Imitatio. vtrumque, videlicet, *animus igneus, ignis animatus.*

5. CORRIPIVNT.] Ab Hom. qui in pari affectu,

Δάκρυα θερμὰ χέοντες ἀμαξ' ὑπεξάνεσαν:
Lacrymas calidas fundentes subduxerunt à curribus.

6. SVB TECTA REPONVNT.] De Didone lib. 4.

—— suscipiunt famulæ, collapsaque membra

A *Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.*

Vide & quæ dixi lib. 8. ad illud de Euandro, *famuli collapsum in tecta ferebant.*

7. AT TVBA TERRIBILEM SONITVM, &c.] Quid tu conferas cum his duobus versibus, in quibus tuba cum sonitu terribili, æs canorum cum crepitu, humana omnia cum clamore, cœlum vnum cum mugitu, imò & remugitu, ex replicatili sonitu, & sæpius iterato? Vide quid poëtis addat trito illi,

Poëtæ saltatores. *bellicum canere*. Soleo dicere, auctores reliquos incedere, vnos Poëtas saltare. Sicut enim incessui vsitato hominum ars addit miraculosos saltus, & inusitatas choreas: ita humili βάσει auctorum Poëtæ addunt πηδήσεις grandes, & vnus supra omnes Virgi-

B lius est πηδητικώτατος, ad cuius ductum Sil. lib. 5.

Increpuêre simul feralia classica signum,
Et tuba terrificis fregit stridoribus auras.

Qui verò non Poëtæ in hac re exultarunt, certè cum sapore ad Poëtas, & tanquam transfugæ relictis castris. In his est Ammianus, qui sæpissimè τραγικώτερος.

8. TVBA.] Cùm Romani buccina, cornibus, lituo signum darent, vt & ex omnibus, & ex vno Virg. satis perspicuum, qui in 11. buccinam, in 8. cornua, in 6. lituum inducit; tamen tuba potissi-

Tuba potissimum instrumentũ. mum ad hanc rem instrumentum. Inde Nonn. lib. 23. τὴν ἑοῖο φερεάγγελος σάλπιγξ, *tuba belli prænuntia.* Simocatta cap. 4. lib. 1. τὴν πολέμου εἰλὼν ἀράμενος σάλπιγγα: *amicam bello tubam corripiens.* & cap. 3. lib.

C 2. tubarum sonitum vocat παρορμητικὸν μέλος, *exhortatorium carmen*, cùm ait, καὶ δὴ τὸ παρορμητικὸ μέλος αἱ σάλπιγγες ἤχησαν. Consonat Ælian. qui cap. 44. lib. 2. Var. Hist. de re eadem loquens, etiam παρορμητικὸν μέλος. & statim ἐγερτήριον ab excitamento. Græcam vocem παρόρμησιν per *incitamentum* reddit Ammian. lib 21. ait enim; *reparatur lucis exordio prælium incitamento tubarum.*

Tubæ sonitus formidandus. 9. TERRIBILEM SONITVM.] Ælianus cap. 44. lib. 2. Var. Hist. hunc sonitum vocat *asperum* & *formidabilem*. Verba illius. ἅμα τε ἦν τε μέλος ἐκουσε τραχὺ καὶ φοβερὸν, καὶ οἷον εἰς ἐπέλασιν ἐξοδίου ὁπλιτῶν ἐκβοηθοῦντων μιμούμενη σάλπιγξ: *Simul ac igitur auditum est carmen asperum, & formidabile, tuba quasi armatorum*

D *eruptionem celeriter insonante.* Agathias 2. Hist. ἄγριον ἦχον, *agrestem sonitum*. Ennod. Declam. 8. *terrorem* dat, *in tubarum clangore terrorem.* Virgilius ab Ennio duxit *terrorem* suum. Nam hic,

Tubáque terribili sonitu taratantara dixit.

Taratantara. Lege. *At tuba*, &c. Notat Vrsinus, respexisse Ennium ad Archilochi τήνελλα, & Aristophanis θρεττανελὼ. Dicit hoc, nam *taratantara* Ennij videntur imitari

Tenella, vox musica. voces istas *tenella*, & *threttanelo*. Vtraque signat sonitum & pulsum lyræ; & altera quidem vicinior En-

Threttanelo. nio, de qua interpres Aristoph. in Plut. θρεττανελὼ. ὁ κιθαρῳδὸς, ἡ γὰρ κιθάρα κρεκομένη τοιοῦτο μέλος φησὶ, θρεττανελὼ, τρεττανελὼ: *Threttanelo cithara est, nam hac pulsata reddit hunc sonitum, threttanelo, threttanelo.* In nonnullis

E Lexicis malè, θρεττανελὼ. Sed mitto Ennium. Vis scire, quàm terribilis interdum tubarum strepitus? Scribit Appian. in Hispan. loquens de bello Numantino, tantum sonitum formidabilem exstitisse ambitu stadiorum quinquaginta in orbem.

Æneatores. 10. ÆRE CANORO.] Quia æs præcipua materia: Inde buccinatores etiam & cornicines dicti communi vocabulo *æneatores*. In voce *canoro* alludit Poëta ad μέλος Græcorum, quod datum tubæ vidisti in Simocatta, & Æliano. Ammianus sæpe de re simili *concentum* dicit. Inde & *canere bellicum* in omnibus.

Increpo, de sonitu. 11. INCREPVIT.] Ita ante Virg. locuti alij. Nam Ennius in Thyeste apud Nonium,

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.
Et Plautus Amphitryone, vt signet sonitum fulminis,

Totus tremo, ita me increpuit Iuppiter.

12. COELVMQVE REMVGIT] Transfer, vt illustres hunc locum, quæ iam lib. 8. ad illud,

Tyrrhenúsque tuba mugire per æthera clangor.

Testudo ambulatoria.

13. TESTVDINE.] Adi quæ iam ego fusè & plenè secunda Æneide. Sed hic locus rem aliam petit, quam ibi subieci. *Accelerant* (inquit) *acta testudine.* Implicabant interdum milites clypeos, vt sese inuicem omnes tegerent, pectora (inquam) humeros, faciem; & ita pergerent ad hostes. Hanc indicat Poëta cùm ait, *accelerant.* Et de hac testudine, quod sciam, locutus nemo. Ita & Hom. capio lib. 12. Iliad. vbi scribit de Troianis euntibus contra Græcos, hunc in modum,

Οἱ δ' ἐπεὶ ἀλλήλους ἄραρον τυκτῇσι βόεσσιν
Βὰν δ' ἰθὺς Δαναῶν λιλαιόμενοι.———

In quibus cùm dicat omnes sese inuicem aptasse, & texisse scutis, & ita iuisse, nónne testudinem indicat? Quid enim aliud est, ἀλλήλους ἄραρον? De eodem genere testudinis locutus Calab. lib. 11. Nam Græci tecti scutis & addensatis in testudinem,

Ἔσσυμένως δ' ἐπόρουσαν ἐπὶ πύλας Πριάμοιο,

Irruerunt ad portas Priami, qui ab Diis genitus.

Itaque agnosce in his Poëtis testudinem ambulantem, non statariam.

Belli opus diuisum.

14. ET FOSSAS, &c.] Vides diuisum belli opus, alij plana oppugnant, alij ardua. Itaque simile belli genus habes in Tacit. 2. Ann. cap. 5. vbi Romana acies in Barbaros occultatos syluis ita disponitur, *vt pars equo in syluam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur.* & post pauca: *Quibus plana euenerant, facilè irrupère: queis impugnandus agger, vt si murum succederent, grauibus supernè ictibus conflictabantur.* Est hoc quod statim Virg.

Saxa quoque infesto voluebant pondere.

In Sallust. quoque eadem est pugnandi ratio: nam de militibus Metelli oppugnantibus Zamam, *murum modo suffodere, modo scalis aggredi,* quod scilicet Poëta, *vallum vellere, scalis ascendere muros.* Vt verò tecti scutis Itali rem gerunt in inferiora; ita apud Iosephum Romani in euersione Solymorum: ita enim ait cap. 7. lib. 1. ἕτεροι τοὺς θυρεοὺς ὀροφώσαντες ὑπὲρ τῶν σωμάτων, χερσὶ καὶ μοχλοῖς ὑπώρυττον τοὺς θεμελίους: *Alij scutis super corpora concameratis, fundamenta manibus, & vectibus suffodiebant.*

Vellere vallum.

15. VELLERE VALLVM.] Quæsiuit propriam vocem. Nam vallum fiebat ex palis, aut stipitibus, aut sudibus humi depactis, vt loquitur Varro. Hos palos etiam vocant vallos: imò à vallis masculis vallum neutrum. Inde *interuallum* Latinis, id est, spatium inter defixos vallos. Velluntur itaque defixa, & depacta. Sic *vellere signa*, quia defigebantur.

Imitatio.

16. QVÆRVNT PARS ADITVM, &c.] Locus Hom. Iliad. 12.

Ἰθὺς δ' ἐπὶ τεῖχος ἀολλέες. οἱ μὲν ἔπειτα
Κροσσάων ἐπέβαινον ἀκαχμένα δοῦρατ' ἔχοντες.

Directè ibant ad murum conferti. hi quidem postea
Scalas ascenderunt, acutas hastas tenentes.

Hunc ad mœnia aditum, atque ascensum ἀμβατὸν vocat Hom. Iliad. 6. & ἄνοδον Iosephus cap. 4. lib. 7. Bell.

Rara acies.

17. RARA ACIES.] Solet hoc esse militatis astutiæ ad ostentationem. Simocatta cap. 14. lib. 3. τὸ μὲν οὖν βάρβαρον ἐπὶ μήκους διατείνει τὴν τάξιν, σαφηνίζον ἀπειρον πλῆθος ἐντεῦθεν δόξαι: *Barbari suos in longum disponunt, rati hoc modo aduersariis multitudinem infinitam visum iri.* & cap. 16. lib. 5. ἡ δὲ τάξις εἰς μῆκος διατείνεται: *acies in longum explicatur.* Poëta hoc per rarum aciem, coronam interlucentem, non spissam viris. Pari apud Sallust. astutia Iugurtha, qui *extenuata suorum acie consedit.* Et Agesilaus apud Xenoph. lib. 4. ἰνα. εὐθὺς ἐξελίξας τὴν φάλαγγα, *phalangem statim explicans.* Et de Repub. Lacedæmonior. ἐξελίττεται ὡς ὁ στῖχος, &c. Idem lib. 1. Anabas. ita extulit, ἀναπτύσσειν τὸ κέρας: *explicare cornu.* Plutar. in vita Marcelli, λεπτὸν ἐκτείνων κέρας.

Corona, de re omni extrema.

18. CORONA.] Id, quod summum est in re omni, dici quit corona, quod iam astruxit Carol. Paschal. lib. 1. cap. 2. Itaque hîc capias Poëtam pro ipsis pinnis, & extremis muri partibus, post quas nihil est aliud. Cùm Soph. in Antig. dixit,

Στεφάνωμα πύργων
Πευκάενθ' Ἥφαιστον ἑλεῖν.

nihil aliud dixit, quàm ignem inuasisse turres summas, quas tamen vocat στεφάνωμα. Sic Hom. lib. 21. Iliad. στεφάνην vocauit summum montis fastigium. Apud Opp. 2. Cyn. eadem vox στεφάνη ponitur pro *extremitate pedis equini.* Potest etiam Poëta capi non de ipsis partibus extremis muri, sed de ipsis hominibus, qui instar coronæ in muris. Ad eum modum, quo 12. Æneid. *murum cinxère corona.* & Ouid. 13. Metamorph. *& vulgi stante corona.* Sic & in Hom. Eustathius notauit, ὁ οὐρανὸς στεφανοῦσθαι τὰ ἄστρα λέγεται, ἤγουν κύκλῳ περιέχειν καὶ στρέφειν: *cœlum dicitur coronare astra, quia circulo continet, & torquet.*

Fundo, de telis missilibus.

19. TELORVM EFFVNDERE.] Rectè ait Vrsin. duci hoc ab Hom. qui 5. Iliad. Τρῶες δ' ἐπὶ δοῦρατ' ἔχευαν: *Troiani tela effundebant.* Itaque *fundo* signatum est ad missilia. Inde & *funda.* Quamobrem illud Psalmi, *effunde frameam*, potius est, vt de missili capiam, quàm de gladio. Nam eò me ducit & verbum *effundo*, & locus Taciti de moribus Germanorum hic, *Rari gladiis, aut maioribus lanceis vtuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto & breui ferro, sed ita acri & ad vsum habili, vt eodem telo, pro vt ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent.* Absunt hæc longissimè à definitione Isidori. Ab hac proprietate Latini sæpe, *effundi iocis, cauillis, scommatis,* qui scommata eminùs feriunt, vt verba omnia, quæ ideo Homero πτερόεντα. Cùm verò ait, omne genus telorum effusum, adumbratur Calab. locus lib. 6. vbi Troiani

Framea quid sit.

Effundi iocis vnde.

Imitatio.

———πύργοισιν ἐφεσταότες, πονέοντο
Νωλεμέως. ἐπὶ δ' αἰεὶ πολυμήτων ἀπὸ χειρῶν
Θρασέων ὁμῶς λάεσσι, καὶ αἰγανέησι θοῇσι
Δυσμενέων ἐς ὅμιλον.———

———*turribus insistentes, laborabant*
Continuò. hique ex strenuis manibus
Iaculabantur lapidibus, hastilibúsque velocibus
In hostium agmen.———

Lectio Virgiliana.

20. DVRIS DETRVDERE CONTIS.] Sunt qui hîc, *longis contis.* Certè Nonius. *Conti hastæ longiores, & robustæ.* Sed nihil muto. Nam si *hastæ robustæ*, etiam *duris.* Contos ait Lips. caruisse saurotere, id est, ima cuspide: nam Sil. lib. 15.

Conti sine saurotere.

Sustentata genu per campum pondera conti
Sarmatici, prona aduersos vrgebat in hostes.

Etenim σαυρωτὴρ nocuus esset genibus. Idem ego ex Marone elici puto, nam hæc detrusio facta est necessariò non tantùm brachiis, sed nisu genuum, aut pectorum. Notabis, duplex fuisse genus conti, alterum missile, alterum statarium. De hoc extremo capiendus Poëta. Strabo clarè lib. 10. κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι, καὶ γὰρ ὑστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες: *Contus vtrumque præstat vsum, nam & collato gradu, & emisso vtimur conto.* Animaduertit Eustath. in

Contus duplex.

lib. 9. Odyss. nunquam Homerum vsum hac voce pro militari telo, sed pro nautico. κοντὸν ἐπλοι οἶδε ἀυτὰς ὁ ποιητὴς, ὁ μὴν πολεμικόν. Sed hoc nihil impedit. Certè Græci alij inter militaria tela posuêre. Vide Pollucem lib. 1. cap. 10. & lib. 10. cap. 31. ibi, δόρυ κοντός. hîc, ἀκοντισμὸς κοντοί. Latinis fuêre milites *contati*, de quibus Veget. Vsum alium huius vocis disco ab Ioann. Chrysost. Hom. 19. vbi trabem illam, quam gestant in fronte, qui se ita viribus solent exercere, κοντὸν vocat. Hoc ludi genus aliquando vidi.

Contati milites.

21. ASSVETI LONGO, &c.] Polyb. lib. 10. πολλὰ γὰρ οὐ μόνον τῶν δυσχερῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀδυνάτων εἶναι δοκούντων κατὰ τὰς ἀρχὰς, μετὰ ταῦτα χρόνου καὶ συνηθείας τυχόντα, ῥᾷστα πάντων ἐπιτελεῖται: *Sæpe enim ea, quæ initio non difficilia tantum esse, verùm omnino non posse fieri videbantur, mox vt accessit tempus & consuetudo, facillima omnium euadunt.*

Consuetudo reddit res faciles.

22. SAXA QVOQVE, &c.] Milites Iugurthæ apud Sallust. eo loci, quo Zamam defendunt ab aggressu Romanorum: *Contra ea oppidani in proximos saxa voluere, sudes, pila*, &c. Ammian. lib. 20. *Contra hæc oppidani superstantes propugnaculis celsis, lapidibus eminus, telorúmque genere omni ad interiora ferociùs se proripientes arcebant.* Eodem lib. *Lapidibus subiectos incessebant, & telis.* Et lib. 21. agnosces idem belli genus, vbi *pedites obtriti sunt saxis immanibus.* Et apud Hom. Iliad. 12. vbi defensio fit χερμαδίοισιν ἐϋδμήτων ἀπὸ πύργων, *lapidibus ex turribus bene ædificatis.* Quem locum explorasse credendus est Virgilius. Apud Calab. quoque lib. 11. Troiani in Græcorum testudinem saxa iaciunt, & perrumpunt, καθύπερθε (inquit) Τρῶες ἧκε βάλλον χερμαδίοισι.

Saxa è muris.

23. TECTAM ACIEM.] Ita pulchrè vocat testudinem; nam sub ea tecti milites. Quod Lucan. arripuit lib. 3.

Tecta acies de testudine.

Vt tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeámque extensus protegit vmbo.

Allusit fortasse Poëta ad Calab. lib. 11. in quo hæc sunt.

Imitatio.

Ἀσπίδας ἐστύνανλο, βάλλον δ' ὑπὲρ κρᾶτα ἄειραν,
Θέντες ἐπ' ἀλλήλοισι, μιῇ δ' ἅμα πάντες ὁρμῇ,
Φαίης κὲν μεγάροιο κατηρεφὲς ἔμμεναι ἕρκος:
Scuta instruxerunt, & super capita extulerunt
Inter se conserta, totáque series vno impetu cohæsit,
Dixeris sanè id munitum esse domus tectum.

A Et certè locus Virgilij magnam habet affinitatem cum loco Calabri, vt exploranti apparebit.

24. SVBTER.] Lubet audias hoc loco verba Agrætij Grammatici veteris discriminantis quatuor particulas. *Super est, quod eminet: supra, quod substratum aliquid habet: subter, quod ab re aliqua superiore premitur, & conculcatur: subtus, quod demissum alicui non contingitur.*

Super, Supra, Subter, Subtus.

25. IMMANEM TEVCRI MOLEM, &c.] Tria Virgilij loca cognata sunt, & nouo semper flexu prolata. Neque enim vir locuples sui esse fur voluit, quoties Homerus. Non enim ad nauseam sua repetit, vt Græcus solet. Hîc vides *molem immanem*, in 2. *Turrim in præcipiti stantem*, &c. in 8. *Stabat acuta silex*, &c. Sed age soluantur tria hæc, *moles, turris, silex*.

Homeri vitium.

B Moles libri huius voluitur, ruit, sternit latè Rutulos, resoluit armorum tegmina. Turris lib. 2. conuellitur sedibus, impellitur, lapsa trahit ruinam cum sonitu, incidit super Danaûm agmina. Silex lib. 8. nisi concutitur, soluitur imis radicibus, impulsu impellitur, æther insonat, ripæ dissultant, amnis refluit exterritus. Ita sanè lenocinandæ aures, & condiendus gustus. Videbis etiam in tractu sequenti turris alterius diuulsionem, ruinam, perniciem. Quæ etiam vario condit gustu nouas semper epulas parans Lectori.

26. CÆCO MARTE.] Vide varietatem & flexus boni Poëtæ. Quoties recurrit ad testudinem, nouo semper modo effert: audis enim *tectam aciem, armorum tegmina, cæcum Martem.* Existimo hanc cæcitatem ductam ab loco Calab. lib. 11. qui testudinem comparat nubi tenebricosæ, ὡς νέφος ἠερόεν, quia, qui ibi latebant, erant in tenebris, à quibus non abit cæcitas. Et postea idem eandem testudinem comparat domunculæ apium, vbi illæ tectæ sunt. Credo autem omnino allusum ad gladiatores Andabatas, qui pugnabant tectis oculis galea, ac proinde cæcorum more. Vide interpretes ad Martialem, & vnum Lipsium lib. 2. Saturn. cap. 12. Itaque cæcus Mars Poëtæ tegentis milites testudine est, vt cæcus Andabata tegens oculos galea.

Cæcus Mars de testudine.

C

27. PELLERE VALLO MISSILIBVS CERTANT.] Hoc belli genus in Tacito est 2. Annal. vbi oppugnatores ex inferiore loco missilibus pugnant in propugnatores, qui erant in superiore. Vide & Iosephum, qui sæpe hoc in libris Belli Iud.

[a] Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
[b] At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.
[c] Vos, ô Calliope, precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virûm demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras euoluite belli.
Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.
[d] Turris erat vasto suspectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summáque euertere opum vi
Certabant: contrà Troës defendere saxis,
Pérque cauas densi tela intorquere fenestras.
[e] Princeps ardentem coniecit lampada Turnus,

Et

Et flammam affixit lateri, quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & postibus hæsit adesis.
[f] Turbati trepidare intus, frustráque malorum
Velle fugam, dum se glomerant, retróque residunt
In partem, quæ peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, & cœlum tonat omne fragore.

ARGVMENTVM.

Fit in hac oppugnatione præcipua mentio Mezentij & Messapi, & inuocatio ad nouam stragem. Oppugnatur turris Troiana, defenditur, & igne tandem expugnatur.

EXPLICATIO.

[a] CVM Epica omnis, auctore Aristot. in Poët. constet variis successibus Tragicis, hos Poëta in his libris passim inducit: neque hoc solùm, verùm personas ipsas ad Tragicam ostentationem. Ergo Mezentius *horrendus visu* propter magnitudinem, *quassabat* non hastam, sed *Etruscam pinum*, conformem moli corporis. Quid obsecro magis ostentabundum? Quid si consideres illum manu altera inferentem *ignes fumiferos*? Nihil hac persona τραγικώτερον, & horribilius. Vide adhuc & in tanto horrore inane studium, nam de imperfecto *quassabat*, & non tam ignèm, quàm fumum.

[b] Ecce parem aliam non minore ostentatione. Nam Messapus *equorum domitor, proles Neptunia*, id est, filius, iam hinc *vallum rescindit*, iam inde *poscit scalas in mœnia*. Itaque vnus ambit militiam vtramque, planam, & arduam. Diuiserant, vt vidisti, multi duplex bellandi genus: nam vni planum aditum quærebant, *implere fossas, vallum vellere*: alij arduum, videlicet *scalis ascendere muros*. Sed ecce vnus Messapus pro multis; nam & in vallum, & in mœnia. Et signatè hic *proles Neptunia*, cùm muros diruit (ô magnum Vatem?) nam paternas inimicitias conseruabat. Neptunus enim muros Troianos diruens inducitur 2. Æneid.

[c] Cùm post Mezentium & Messapum velit ad res Turni peruenire, de nouo inuocat, ita illum supra alios attollens. Inuocat verò Calliopem Deam Epici carminis. Ad quam verò rem? Ad Turni strages canendas, funera, mortes quas edidit, ad ingens hoc bellum euoluendum, id est, perfectè & exactè narrandum, ideo *oras* ad signandam eandem perfectionem: nam oræ sunt primæ & extremæ partes rerum. Atque ita Poëta intelligit, principia, fines, ac proinde media spatia, vtique omnia. Demum adhibet rationem, cur inuocet Musas; nam filiæ Mnemosynes, id est, Memoriæ, ideo quæsitè *meministis*, &, *potestis memorare*. Demum obserua syllepsin per numeros. Nam vnam nominans Calliopen, de multis loquitur, *aspirate, euoluite, meministis, potestis*. Quasi dicat: vos ô Musæ omnes aspirate, & tu imprimis, ô Calliope. Sed vide Notas; nam *vos*, & *Calliope*, possunt verè annecti.

[d] Incipit post inuocationem à re planè Tragica, & luctuosa, à ruina turris. Meminit eius altitudinis, quæ vasta, & magna: pontium, qui alti, per quos Seru. tabulata accipit: situs, qui opportunus. Ideo illam Itali euertere, Troiani seruare anxiè labora-

A bant: illi summis viribus, summis machinis, nam τὸ *opum vi* machinas notat; isti saxis, & telis per fenestras intortis. Τὸ *densi* est, aut verè ipsi conferti; aut hypallage, pro, densa tela.

[e] Sed gloria hæc Turno seruata, vt Principi omnium. Coniecit ille ardentem lampada, affixitque lateri turris, & secundo vento grassata est in tabulas, hæsitque exedens postes, & quicquid ibi ligneum.

[f] Qui erant intus, trepidare statim turbatione ipsa: fugere glomeratim, & retrò abire in locum, vbi non hæc pestis. Sed frustra omnia. Tandem turris procubuit subito pondere, ac tum cœlum veluti
B frangi fulmine & tonare visum: adeò ingens sonitus ruentis machinæ.

NOTÆ.

1. ETRVSCAM PINVM.] Poëtica & pulcherrima locutio ad signandam patriam. Itaque, vt Mezentium esse Etruscum intelligas, dat illi in manu pinum Etruscam. Ita inf. in hoc lib. *volat Itala cornus*, quia missa ab homine Italo. & in 10. *Arcadio telo*, ad indicandam hastam Pallantis. Eurip. Phœniss. ἀργεῖον δόρυ, *hasta Argiua*. In Hecub. δορὶ ἑλληνικῷ, *hasta Græca*. In Orest. Δελφικῷ ξίφει, *Delphico gladio*. In Phœniss. λόγχαισιν Αἰτωλαῖσιν, *Ætolis lanceis*. Hom. 13. Iliad. δόρατι Τρωΐῳ. ibidem, ξίφει Θρηικίῳ. Stat. 8. Theb. *Thebana bipennis*. Val. 3. Arg. *Ilia cuspis*. Lucan. 5. *Ausonias secures*. Ouid. 9. Metamorph. *Phlegeïus ensis*. Pulchellus est versiculus Martial. Epig. 74. lib. 9. *(Etrusca pinus.)*

Qui quatis Ausonia verbera Graia manu.

2. PINVM.] Pro hasta pinea, sed locutus ad αὔξησιν. Sic in 3. ad magnitudinem Polyphemi indicandam, *Trunca manum pinus regit*. Donatus interpretatur de tæda pinea, quam quassabat. Non placet: imò in dextera gestabat hastam pineam, in sinistra faces. Primò, quia ita horribilior: deinde, quia indecorum versari in acie, & sine hasta. Tertiò, quia pari verbo de eodem in 10. *quatiens Mezentius hastam*. & millies Hom. κραδάων δόρυ. Quartò, quia D ita plura dicet. Quintò, quia si res eadem, non abiungeret tempora *quassabat*, & *infert*. *(Pinus, pro hasta.)*

3. INFERT IGNES.] Est hoc, quod Nonn. lib. 32. λαμπάδα σείων. vt & in 6. *lampada quassans*. Nota & mutationem temporum, quam dicebam, *quassabat*, *infert*. Sic 1. Æneid.

Tydides multa vastabat cæde cruentus,
Ardentésque auertit equos in castra. ——

4. VOS O, &c.] Quis nescit illud Homericum? *(Imitatio.)*

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι·
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.

Dicit, vt veniant Musæ è cœlo, & dicant. Ratio, quia, quæ Deæ sunt, sciunt omnia. Signatior Virgilij ratio, nam *meministis, potestis memorare*, cum allusione ad natales Musarum. Deinde nota, solere

Poëtas

Poëtas inuocare, non solùm initio operis, sed alibi sæpe, vbi res videtur postulare. Et hîc ita visa est Poëtæ Turni gloria attollenda. Rem hanc satis illustraui 7. Æneid.

Calliope, Musa Vatum Heroicum.

5. CALLIOPE.] Hanc ceteris missis nominat, de qua Hesiod. Theog. octo reliquis enumeratis scribit, omnium esse præstantissimam. Nam Reges semper comitatur; illi dulcis cantilena, & cui ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα, *ex ore fluunt mellea.* De eadem lib. 4. Anthol. Εὗρεν ἀοιδῆς ὕμνον ἀοιδῆς: *inuenit sapientiam cantus heroici.* In eodem lib. c. 27. Καλλιόπη βασίλεια, *Regina Calliope*, quia princeps Regij carminis. Talo Heroïcum. Apud Calab. lib. 3. ipsamet Calliope ait, ab se celebranda gesta magni viri Achillis. Ideo ergo Poëta signatè *canenti*, quod verbum heroïcum. B Homerus à Maximo Tyrio disser. 25. dicitur μαθητὴς Καλλιόπης, *discipulus Calliopes.* Ita & Stat. lib. 4. illam inuocans, *tuque ô nemoris Regina sonori Calliope.* Vult videlicet cædes describere. & statim: *sublata molire lyra.* Quasi dicat: Non tu cum lyra; nam Dea Heroüm Vatum. Ita & lib. 8. idem Stat.

Sed iam bella vocant; alias noua suggere vires
Calliope, maiórque chelyn mihi tendat Apollo.

Suppeditat Maximus Tyrius dissert. 37. rationem, cur Calliope attributa sit Heroïcis Vatibus; quia videlicet isti prætextu Epico moralem omnem includunt sapientissimè Philosophiam. Hoc enim indicant hæc verba, ἣν Ὅμηρος μὲν Καλλιόπην ὀνομάζων χαίρει, ὁ Πυθαγόρας ἢ φιλοσοφίαν, ἄλλοι δ' ἴσως ἄλλο τι. vbi vides, Calliopen sumi pro Philosophia.

Plurale verbum cum singulari nomine.

6. ASPIRATE.] Hoc verbum plurale refertur ad C singularem Calliopen, hunc in modum, *vos ô Calliope aspirate.* In vsu hoc Græcis, & Latinis, ne quis insolentem putet Virgilij locutionem. Aristoph. in Ran. χωρεῖτε δεῦρο ὦ Διόνυσ' εἴσω. vbi vides χωρεῖτε ὦ Διόνυσε, *accedite ô Dionyse.* Sic lib. 5. Anthol. Epig. 95. vbi Poëta loquens cum Porphyrio aurigatore, ὑμετέρων κήρυκες ἀγώνων Πορφύριε. Et lib. 6. cap. 8. Epig. 3. Laïs loquens cum Venere, ita ait.

Δωρα δ' ὑμετέροιο παραστάμενα Κυθέρη:

vbi est & Κυθέρη, & ὑμετέροιο. Iterum eodem lib. cap. 14. Epig. 3. loquens cum Pane Deo Rusticorum, σὺ δ' ὑμετέρας ἀπὸ πέτρης δέξαι: *accipe hæc vestra ex petra.* Hom. 12. Odyss. ὑμεῖς φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ, *vos ô eximie Vlysses.* Demosthenes apud Plutar. loquens cum Stilpone, ἐλευθέραν ὑμῶν ὦ Στίλπων, ἀπολείπω τὴν πόλιν: *liberam relinquo, ô Stilpon, ciuitatem vestram.* Et Brutus D apud eundem loquens cum vno Casca. τί δαὶ ἐμὲ πυνθάνεσθε Κάσκα; *Quid me rogatis, Casca?* Dixi & Latinis inesse hanc locutionem. Nam Tibull.

Perfida, nec merito nobis inimica merenti.

vbi *nobis merenti.* Sic & Catull. *insperanti ipse refers te nobis.* vbi, *insperanti nobis.* volui tot, quia nonnulli audaces in Virgilium. Mitto Iosephum Scal. qui ita iam notauit in Tibullum. Sed non Scholiastem Sophoclis, qui in illud Oedipi, Οἰ τισιν ὦ ὅς, *tibi credens*, ita scribit. καὶ τοῦτο συνήθειαν ποιητικὴν, πληθυντικὸν προτάξας, ἑνικὸν ἐπέζευξεν: *ex consuetudine Poëtarum, cùm præmisisset pluralem, subiunxit singularem.* Denique, quis E nescit neutra Græcorum in numero multitudinis coniungi verbis singularibus? quod omitto, vt tritum. Sed non quod sequitur; videlicet, alias etiam voces non neutras coniungi etiam cum singularibus, quod in Hom. obseruauit Eustathius. Sic Hesiodus, ἦν τρεῖς κεφαλαί. vbi ἦν in singulari, & κεφαλαί in plurali. Aduocat Eustath. alia quædam similia. Sic Hom. 17. Iliad.

Χεῖρές τ', ὀφθαλμοί τε παλάσσετο μαρναμένοιιν
Manúsque, oculique fœdabantur pugnantium.

Ad verbum, *fœdabatur*; nam παλάσσετο.

Inuocatio ad canendas strages.

7. QVAS IBI TVM FERRO, &c.] Hæc ratio est in Hom. lib. 14. Iliad. nam post inuocatas Musas, subiungit, ἔσπετε, *dicite*,

Ὅστις δὴ πρῶτος βροτόεντ' ἄνδραγρι' Ἀχαιῶν
Ἤρατ'; ——— ———.
Quis iam primus cruenta spolia Achiuorum
Sustulit? ———

Et in Statio; nam etiam post inuocatam Calliopen,

——— *quas ille manus, quæ moenia arma*
Gradiuus, quantas populis spoliauerit vrbes?

8. QVEM QVISQVE VIRVM DEMISERIT ORCO.] Ait Vrsinus, Virgilium hoc versu interpretatum fuisse Homericum illud,

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν.

Quem versum ita reddunt interpretes,

Multas autem fortes animas inferno ante tempus demisit.

Nam Græci Scholiastæ illud προΐαψεν, ita explicant, ἀντὶ τοῦ πρὸ τῆς εἱμαρμένης ἔπεμψεν. Hanc (inquam) Homeri explicationem Vrsinus reprehendit. Nam quod Græcus προΐαψεν, Virg. simpliciter *demiserit.* vt etiam alibi, *miserit.* Sed non assentio Vrsino: nam verè Hom. intelligit mortem πρὸ τοῦ δέοντος, καὶ πρὸ τῆς μοίρας, quod iam Spondanus astruxit ex Aristotele, apud quem mors duplex, videlicet βίαιος, καὶ κατὰ φύσιν, *violenta, & naturalis.* Et quidem, qui in bello obeunt, πρὸ τῆς μοίρας obeunt. Neque verò necesse fuit, vt Virgilius Homerum redderet ad verbum, quod aiunt. Imò sæpe, vt magister, non solùm ab eo recedit, sed mutat, & corrigit in melius, quæ ille peccauit.

Mors duplex.

Oræ belli.

9. ORAS EVOLVITE BELLI.] Proculdubio ab Ennio, qui 6. Ann.

Quis potis ingentes oras euoluere belli?

Sumitur locutio à vestium explicatione, quarum extremæ partes oræ appellantur. Turnebus vult, ea voce Ennium intellexisse campum omnem, & regionem, & spatium. Quintilianus legit in Ennio *causas*, non *oras.* Sed assentiamus Macrobio lib. 6. c. 1. Seruio in hunc locum, & doctis aliis, qui in hoc æuum erupêre, omnes enim *oras* legunt: imò assentiamus Virgilio ita arripienti.

Memoria mater Musarum.

10. ET MEMINISTIS ENIM DIVÆ, &c.] Demosthen. de Coron. ἴστε γὰρ δήπου: καὶ μέμνησθε: *scitis, & meministis.* Hom. 2. Iliad. loquens cum Musis, ἴστε τε πάντα. Dixi alludi ad natales Musarum, quæ filiæ Memoriæ. Eumulus vetus Poëta.

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἐννέα κοῦραι:
Mnemosyne, atque Ioui est soboles pregnata nouena.

Solon quoque sic incipit Elegiam,

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς Ὀλυμπίου ἀγλαὰ τέκνα.

Vtrumque componit. Clemens Alexand. lib. 6. Strom. cap. 1. Adi, quæ dixi 1. Æneid. ad illud, *Musa mihi causas memora.*

11. TVRRIS ERAT.] Confer cum hoc loco, quæ habentur 2. Æneid. de turri conuulsa contra vim hostium.

Tabulata turrium.

12. PONTIBVS.] Vide, quæ dixi in hoc lib. ad illud, *pontésque & propugnacula iungunt.* nam hîc ad eundem vsum inferuntur pontes. Si velis, poteris etiam capere tabulata, quod iam Seru. ad eum modum, quo Iulius 2. Ciuil. in expugnatione Massiliensi cōstituit in turri admirandi operis plures contabulationes, éque vnis ascensim ibatur in alias, ita vt tabulata essent loco pontium, quod necessarium fuit in summa turris illius altitudine. Ideo & hîc Virg. *Vasto suspectu*, & ibi Iulius, *inuentum est, magno esse vsui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata.*

13. OPPOR

13. Opportvna.] Hanc opportunitatem Iulius explicat dicto loco, vbi de turri Massiliensi: *Huc se referebant: hinc, si qua maior oppresserat vis, propugnabant; hinc ad repellendum, & prosequendum hostem procurrebant.*

Opum vi.

14. Evertere opvm vi.] Ennianum hoc 6. Ann.

Romani scalis summa nituntur opum vi.

Saxa è tormentis.

15. Defendere saxis.] An manu iactatis? Fortasse. Sed tamen satius est, vt intelligas instrumenta disposita, è quibus saxa torquerentur aduersùs hostes; quorum instrumentorum vsus est in bello Iudæorum apud Iosephum lib. 7. cap. 4. ἐπὶ τῶν ἱερῶν πυλῶν καὶ λιθοβόλους μηχανὰς διέστησαν: *ante sacras portas saxorum dispofuère tormenta.*

B


Fenestræ turrium.

16. Fenestras.] Has etiam in sua turri Iulius adhibet: *Fenestrásque, quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt.* Ab his fenestris non multùm abeunt τὰ στόμια τῶν σπηλαίων, *ora antrorum* apud Iosephum lib. 12. Antiq. cap. 5. quæ Hyrcanus in castris suis fecit

17. Ardentem conificit lampada Tvrnvs.] Hæc ratio gerendi belli crebra in bellis ad euertenda hostium munimenta & machinas. Sallust. in Iugurth. *Picem sulphure, & tæda mistam ardente mittere.* Plutar. in vita Dionis. τὰ μὲν ἐγγὺς ἀπὸ χειρῶν

A δᾳδὶ, καὶ λαμπάσιν ἐπιπιμπρᾶσιν, τὰ δὲ πρόσω ἀπὸ τόξων πυρβόλοις: *In propinqua tædas, & faces manibus ingerunt, in remota tela ignita arcubus mittunt.* Sed quæ hæc *lampas* Virgiliana? Huic loco lucem dat Antonius Gallonius in lib. de Cruciatibus Martyrum cap. 6. explicans, quid propriè sit *lampas ardens*, illámque discriminans à tædis, facibus, funalibus. Finge vas, cui os latum, apertum, rotundum: cui longitudo sit palmi vnius, plus minúsve; quod desinat in arctiorem, semper tamen rotundam formam, eo planè modo, quo Hispani cernimus *embudos*, nisi quòd non fracta forma, sed tota perpetim continua. Hoc vas erat vel terreum, vt indicant nonnulla eruta ex ruinis vrbis Romæ; vel ferreum, vt ostendit locus hic Columellæ lib. 12. cap. 18. *Quæ demersa sunt ferreis lampadibus ardentibus calefiunt.* Procedo. Vas hoc septum erat ab ea parte, qua arctum, hastulis quibusdam quadratis, ac simul colligatis. Hæ hastulæ ad vsum erant, vt nimirum lampas gestaretur sine nocumento. Porrò lampas ipsa replebatur igne emittente flammam ea parte, qua os latum. Hac Martyres torquebantur, hanc Turnus coniicit, quæ affigitur, adhærétque, quia pix in ea, & alia agglutinantia. Sed nihil iustiùs formam exprimet, quàm visa pictura. Ea est talis.

Lampas ardens quæ.



Inde etiam lucem accipit Silius scribens lib. 1.

Ante omnes ductor patriis insignis in armis,
Nunc picea iactat fumantem lampada flamma.

Malleolus incendiarius.

Non multùm abit à forma lampadis malleolus. Est enim, qua ignem habet, in speciem coli muliebris formatus. Integram eius descriptionem, & formam vide in Ammian. lib. 23. & profectò æquè in Virgilio possis per *ardentem lampada* capere *malleolum*. Mihi visum & *qualos* Ammiani lib. 20. eosdem esse cùm lampade. Eius verba. *Qualique simul ardentes pice & bitumine illiti.* Nam, cùm qualus sit vas vimineum, eius forma non longè ab lampade.

Quali incendiarij.

Fuga malorum.

18. Malorvm velle fvgam.] Laudatur hæc locutio à Seruio, vt honestissima. Fortasse, quia in hac fuga nihil indignum fecère Troiani, cùm tamen fuga ex se turpis sit, ac parum honesta, plenáque ignominiæ.

Pestis, de igne.

19. Peste.] Id est, incendio, vt in 5. *toto descendit corpore pestis*, id est, flamma. Est enim pestis generalis vox, signátque quicquid pessumdat, & perdit, non solùm λοιμὸν, sed generaliùs ὄλεθρον. Affinis huic rei Iosephus cap. 5. lib. 7. Bell. Iud. vbi

C incendium comparat cum corpore peste abrepto, & putredini obnoxio. καθάπερ σηπομένου σώματος. Quod verò hîc extra pestem, idem scriptor cap. 6. eiusdem lib. ἔξω τοῦ κινδύνου, loquens de incendio excitato, à quo fugiebant Romani. & cap. 11. ἀναχωρήσαντες dicuntur, qui recedebant ab igne.

Careo, extra vsum vulgi.

20. Caret.] Eleganter vsurpat hoc verbum extra significatum vulgi. Nam, cùm *careo* propriè sit, priuatum esse re, aut quam aliquando habuisti, aut quam habere desideras, in neutro horum hîc sumitur. Pari ratione Hom. verbũ δεύομαι lib. 17. Iliad. vbi Glaucus reprehendẽs Hectorem, ita ait: Ἕκτορ εἶδος ἄριστε, μάχης ἄρα πολλὸν ἐδεύεο: *Hector specie præstantissime, pugna diu caruisti*; id est, fugax es Hector, & φύξηλις, vt
D statim sequitur, pugnam deseris. Itaque verbũ δεύομαι hoc loco est extra significatum vulgi Græcorum.

Imitatio.

21. Prodvbvit.] Cùm in multis huius turris hæserit Iulio, vt visum in superioribus; tum in hoc verbo, nam ille 2. Ciuil. *Repentè pars huius turris concidit, pars reliqua consequens procumbebat.*

22. Coelvm tonat omne fragore.] In 11. *ingens fragor æthera complet.*

[a] Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixíque suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt. Vix vnus Helenor,

Et Lycus elapſi. [b] quorum primæuus Helenor
Mæonio Regi quem ſerua Lycimnia furtim
Suſtulerat, vetitíſque ad Troiam miſerat armis:
[c] Enſe leuis nudo, parmáque inglorius alba.
[d] Iſque, vbi ſe Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies aſtare Latinas:
Vt fera, quæ denſa venantum ſepta corona,
Contra tela furit, ſeſéque haud neſcia morti
Iniicit, & ſaltu ſupra venabula fertur:
Haud aliter iuuenis medios moriturus in hoſtes
Irruit; &, qua tela videt denſiſſima, tendit.
[e] At pedibus longè melior Lycus, inter & hoſtes,
Inter & arma fuga muros tenet, altáque certat
Prendere tecta manu, ſociûmque attingere dextras.
Quem Turnus pariter curſu telóque ſecutus
Increpat his victor. Noſtráſne euadere demens
Speraſti te poſſe manus? ſimul arripit ipſum
Pendentem, & magna muri cum parte reuellit.
[f] Qualis vbi aut leporem, aut candenti corpore cycnum
Suſtulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis:
Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à ſtabulis rapuit lupus. vndique clamor
Tollitur; inuadunt, & foſſas aggere complent.

ARGVMENTVM.

Strages cadentium vnà cum turri, è quibus fit imprimis mentio Helenoris, & Lyci; illius honeſta, huius non item: inde ille plena gloriæ comparatione illuſtratur, hic plena dedecoris dehoneſtatur.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT turrim procubuiſſe, at non quidem ſine noxa propugnatorum; nam vnà cum turri ipſi quoque. Itaque ſuis telis confixi cadunt, ſuis lignis transfoſſi (excellentiſſimum hoc ad B πάθος excitandum) & omnes quidem ſemimortui. Duo tantùm Helenor, & Lycus elapſi ſunt ab ea clade viui.

[b] Ætate maior Helenor erat, Mæonij Regis, & Lycimniæ ſeruæ filius, ideo furtim ſublatus, quia videlicet ex ſerua, & non legitimo toro. Ideo etiam miſſus ad Troiam *armis vetitus*; nam ſeruis interdicta militia.

[c] Erat Helenor è numero militum leuis armaturæ, ideo tantùm cum enſe & parma. Itaque hoc verſu definit, quæ ſint arma leuia militum. Addit verò inglorium adhuc fuiſſe, ideo *parma alba*, id eſt, non picta; quia nullum hactenus præclarum facinus, quo pinxiſſet clypeum.

[d] Adhibet iam diſcrimen inter Helenorem, & Lycum, Helenor glorioſus in hoc bello, Lycus in-A famis. Sed priùs de Helenore. Hic, vbi ſe vidit inter infinita hoſtium agmina, & aduersùm ſe tot millium prætentas cuſpides, ſtatuit vitam præclarè diuendere. Itaque, qua denſi hoſtes, illuc ruere, imò *irruere*; nam cum illorum clade: qua denſa tela, illuc tendere; vt nobilis fera, quæ conſepta vndique venatorum turba, furit contra tela, inſilit contra venabula, mortis ſuæ ſcientiſſima. Nulli enim acriùs pugnant, quàm qui ſe mori certò ſciunt.

[e] Pergit narratio ad infamem Lycum, qui melior Helenore, pedibus ſcilicet, non virtute. Itaque ſtatim fugam capeſſit, elapſus inter arma, & hoſtes, ad murúmque accedit, ſi poſſit faſtigium prendere, ſociorum dextras attingere; id optat, id certat. Sed fortuna non adfuit imbelli homini: nam Turnus ſecutus illum & curſu & telo, voce B primùm increpat, quòd dementer ſperaſſet poſſe ſe euadere hoſtium manus inter tot hoſtes. Nam quid dementius hac ſpe? deinde ipſum manu arripit pendentem è muro, & ita aſpirantem ad ſalutem, atque inde illum reuellit vnà cum muri parte, adeò vterque fortiter arripuit, Lycus murum ad ſalutem, Turnus Lycum ad exitium.

[f] Sequitur comparatio, vt in Helenore ad gloriam, ita in Lyco ad infamiam. Nam comparatur lepori, cygno, agno, feris imbellibus; Turnus aquilæ, & lupo. Vt ergo aquila leporem, aut cycnum, vt lupus agnum: ita Turnus abripit miſerum Lycum. Ad quod ſpectaculum clamor tollitur tot millium ſpectantium. Quin iam audaciores facti inuadunt omnes agminatim, & foſſas complent aggeſta terra, vt expeditior ſit aditus ad muros.

NOTÆ.

1. SEMINECES.] Quod alibi, *semianimes.*

2. CONFIXIQVE SVIS TELIS.] Hæc conquestio etiam excitatur 2. Æneid. *pereunt Hypanisque Dymasque Confixi à sociis.* Quid enim miserius, quàm configi suis telis, & à suis sociis?

A suis confici miserrimum.

3. PRIMÆVVS.] Satis indicat, hos duos fuisse fratres, & maiorem æuo Helenorem, vt habitum ante legitimas nuptias, vt solet sæpe fieri.

4. MÆONIO REGI, &c.] Componit locum hunc Scal. cum altero Homeri; &, vt solet, Latino victoriam dat. Omitto, & adduco, quem confert Macrob. è lib. 6. Iliad. vt qui sit paris splendoris, vt ille ait.

Imitatio.

Βουκολίων δ' ἦν υἱὸς ἀγαυοῦ Λαομέδοντος,
Πρεσβύτατος γενεῇ, σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ:
Bucalion autem erat filius clari Laomedontis,
Maximus natu, spurium autem ipsum pepererat mater.

5. SERVA LYCIMNIA.] Eurip. in Androm. δοῦλον λέχος: *lectus seruilis.* Ceterùm, videor mentem Poëtæ animaduertisse. Hominem non legitimo toro natum Helenorem prædicat fortissimum, & gloriosè pugnantem pro vita, pro patria, pro honore, anteferéque Lyco legitimo filio, sed imbelli & ignominioso. Vult ergo Poëta (vt est eminentissimus) indicare, sæpissimè non tam natales attendendos, quàm cuiusque facta. Dant ista veram gloriam, non vetustus sanguis; & cuique sua dextera, vera est mater. Conetur nothus, vt factis sit notus, ac tum eius gloriam pluris duco, quàm illius, qui totus luxuria torpet, dedecoris maculas generi suo aspergens. Obruit hic genus suum, cùm ille excitet. Adducit vnus familiæ suæ tenebras in splendorem, alter splendorem in tenebras. Hoc indicare Hom. voluit Odyss. 4. vbi loquens de Menelao,

Natales non sæpe attendendi.

Ὅς οἱ τηλύγετος γένετο κρατερὸς Μεγαπένθης
Ἐκ δούλης: ——
Qui ei in senectute natus erat fortis Megapenthes
E serua. ——

Vbi, qui ἐκ δούλης, tamen κρατερός. De quopiam magno Græcorum duce Apollon. 1. Ag. ἀλλά ἑ θῆσσα γυνή τις: *sed ipsum serua peperit.* Idipsum clariùs Odyss. 14. vbi Vlysses mentitus natales suos, se facit filium Castoris Cretensium Principis, & seruæ. Itaque, cùm præmiserit, filios Castori fuisse plurimos ex legitimo matrimonio, de se ait, ἐμὲ δ' ὠνητὴ τέκε μήτηρ: *me autem empta peperit mater*, id est, serua. postea autem hic, qui ex serua natus, ita de se;

Ἠγαγόμην δὲ γυναῖκα πολυκλήρων ἀνθρώπων
Εἵνεκ' ἐμῆς ἀρετῆς: ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιος ἦα
Οὐδὲ φυγοπτόλεμος. ——
Duxi autem vxorem locupletissimorum hominum
Gratiâ meæ virtutis, quoniam non obscurus eram,
Neque pugnæ desertor. ——

Quo omnino videtur Hom. indicare, veram claritudinem positam in virtute. Firmat hanc mentem Eurip. ore Pelei in Androm.

Virtus dat veram gloriam.

—— πολλάκις δέ τοι
Ξηρὰ βαθεῖαν γῆν ἐνίκησεν σπορά.
Νόθοι τε πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες:
—— *sæpe numerò certè*
Exilis pinguem terram vicit satio,
Et nothi multis legitimis meliores sunt.

Inde magni illi Heroës se natos è fluminibus, è

Heroës eur filij montiû.

A montibus, è littoribus (scatet totus Homerus huius vanitatis plenus, imò tota Græcia) prædicabant; nam in his locis olim lupanaria, quod alibi à me indicatum. Volebant scilicet factis notiores esse, quàm genere. Magni etiam Principes pleni hoc ludibrio, vt Augustus, qui Phœbi filius dici volebat; & Alexander, non Philippi. Ad hoc idem pertinet, quod Plutar. scribit initio vitæ Demosthenis, nihil pertinere ad veram nobilitatem, obscuritatem patriæ, aut deformitatem matris, cùm attendendi sint cuiusque mores.

6. FVRTIM.] Hom. λάθρα, & λάθρη de simili concubitu. Noster alibi, *dulcia furta.* Soph. forma alia in Elect. εὐνὰς ἀποκλεπτομένας, *furtiuos concubitus.*

Furtiuus concubitus.

B Et alia adhuc Hom. 14. Iliad. vbi de Ioue, & Iunone, φίλους λήθοντε τοκῆας, scilicet, ἐμισγέσθην, *commisti sunt clam parentibus.* Itaque λανθάνω, id est, *lateo*, ad rem eandem. Eurip. in Ione ita, κρυπτόμενον λέχος, *occultus lectus*, pro furtiuo. & in Helen. δόλιον εὐνήν, *dolosum concubitum.* & in Elect. κρυφίοις εὐναῖς, & κρυπταῖσιν εὐναῖς. & in Danaë. κεκρυμμένον δόλον. & εὐνῇ συνελθεῖν λάθρα, *clam cubili congredi.* Non abit Vnus δολιόσπορον, *dolosa*, apud eundem in Aulide. & in Troadib. λέκτρων σκότια νυμφευτήρια, *lectorum tenebrosas nuptias.* Bellulè Iuuen. Sat. 3. *quocunque in fornice nati.* Huc traho Pausaniam, qui lib. 2. & sæpe aliàs meminit Veneris *Melanidis*, vt Hesych. Veneris σκοτίας, ab his tenebris, & amoris furtis. Tametsi Pausaniam, & Hesychium libentiùs retulerim non tam ad furta vetita amoris, quàm ad omnia coniu-

Venus Melanis.

C gia. Nam omne amoris opus tenebras amat. Pind. Od. 9. Pyth.

—— κρυπταὶ
Κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς
Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων
Φοῖβε. καὶ ἔν τε θεοῖς
Τοῦτο κἀνθρώποις ὁμῶς
Αἰδέοντ' ἀμφανδὸν ἁ-
δείας τυχεῖν τὸ πρῶτον εὐνᾶς.
—— *Occultæ*
Sunt claues doctæ
Persuasionis sacrorum amorum,
O Phœbe. & Dij,
Atque homines pariter
Pudore afficiuntur, si se palàm
Dulcem in torum dent.

D Inde Iuno Homerica 14. Iliad. Iouem reprehendit, quòd vellet secum coniungi, vbi τὰ δὲ προπέφανται ἅπαντα, *omnia essent patentia.* Ideo Iuppiter circumfundit toti loco nebulam. Venus apud Eurip. in Hippol. dicitur νυκτὶ θαυμαστὴ, *admiranda Dea in nocte*, propter coniugia.

7. SVSTVLERAT.] Vide sup. in hoc lib. ad illud, *sublatum erudiit.* Sed hîc signatius, quàm illic. Nam, cùm è serua, tamen sublatus, & agnitus vt verus filius. Tale illud Terentianum Andr.

Tollere liberos.

Quicquid peperisset, decreuerant tollere.

Non enim coniuncti legitimo matrimonio, sed fur-
E tim, & tamen volunt prolem agnoscere.

8. VETITIS.] Clara allusio ad morem Romanum, quo vetitum seruos militare, nisi in summa inopia. Liuius lib. 22. *Aliam formam noui delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit. Octo millia iuuenum validorum ex seruitiis, priùs sciscitantes singulos, velléntne militare, empta publicè armauerunt.* Et lib. 23. *Præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à Consulibus conscriptæ fuerant, & seruorum delectum, cohortésque ex agro Piceno, & Gallico collectas, ad vltimum propè desperatæ Reip. auxilium.* Florus lib. 2. cap. 6. *Arma non erant,*

Seruos militare vetiti.

erant, detracta sunt templis: deerat iuuentus, in sacramentum militiæ liberata seruitia. Eandem rem attigit Appian. loquens de bellis Punicis. Apud Sallust. Catilina *seruitia repudiabat*, videlicet *alienum suis rationibus existimans, videri causam ciuium cum seruis fugitiuis communicasse.* Ab hoc more notat Seru. purgatum hoc ab Tullio in ea, quæ est pro Deiotaro, cùm huic fuisset obiectum inter equites, quos miserat ad Cæsarem, vnum fuisse seruum. Alludit quippe ad verba hæc: *Ait* (nempe accusator) *nescio quem ex eo numero seruum iudicatum. Non arbitror, non audiui: sed in eo, etiamsi accidisset, culpam Regis nullam fuisse arbitrarer.* Potuit hic mos à Græcis duci, apud quos ante Miltiadem in Marathonia pugna, seruos non militasse, clarè colligo ex Pausan. lib. 7. Cuius Miltiadæ exemplum sequutus Diæus Achæorum dux, qui seruos ad pugnam contraxit, sed priùs tamen ἐλευθέρους ἠφίει, *vocauit ad pileum*, ait Scriptor. Apud Plut. quoque in Sylla serui militant, sed manumissi: vt etiam apud eundem in Agesilao νεοδαμώδεις. Sed redeo ad Romanum morem, quo ita certum, seruos non militasse, vt neque ingenui militarent, cùm erant in lite, seruíne, an ingenui essent, adeò omnis seruitus aliena à bello. Clarè Vlpian. lib. 49. Pand. tit. 16. lege 8. vbi inter eos, qui non debent nomen dare militiæ, ita etiam numerat: *Nec hi quidem, qui ingenui bona fide seruiunt.* Inde est, vt neque libertini olim conscriberentur. Olim (inquam) nam Sociali bello cœpti sunt scribi, quod iam Cælius, & Lips. adnotarunt. Extremum adi, vbi de tempore, quo scribi cœpti libertini, non negligenter, ex Liuio.

9. ENSE LEVIS NVDO.] Indicat velitem & volantem militem, verè cui leuis armatura. De quo, in tanta luce, nihil dico. Vt hic *ense nudo*, ita Ammian. lib. 20. *nudatis gladiis.* Plutar. in vita Lucull. ξίφος γυμνόν. Est & hæc locutio in Stat. 3. Theb. Liuio lib. 28. Tacito 1. Hist. *Nudo, de ense.*

10. PARMA.] Nam hæc fuit velitum & leuium. Liu. lib. 31. *veliti Romano parmam, gladiúmque habenti.* Sed omitto rem satis notam. Non illam tamen, fuisse parmas non solùm peditum, quod notissimum: sed etiam equitum. Firmat hoc Liu. lib. 8. *Equus ad vulneris sensum, prioribus erectis pedibus, excussit equitem, quem cuspide, parmáque innixum,* &c. Omitto locum alterum eiusdem lib. 11. Sallustius lib. 4. Histor. *se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Itaque, parma seruiebat peditibus, & equitibus, vtrisque velitaribus, cum hoc discrimine, vt pedites velitares haberent parmas breuiores, equites velitares ponderosiores. Clarè hoc Liu. lib. 26. *Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes maximo vigore, ac leuitate corporum veloces. Eis parmæ breuiores, quam equestres.* Parmæ forma (hanc si velis scire) rotunda fuit, vt clarè Polyb. de castrametat. Romana, & Nonius ex Varrone ita ait: *Quem sequuntur cum rotundis velites leues parmis.* Imò inde Varro ducit etymon, vt parma sit dicta, quæ à medio in omnes partes par sit. *Parma, de velite, & Equite. Eius forma, & Etymon.*

11. ALBA.] Alludit ad militiam tyronum, quibus nondum aliquo facinore edito parma erat alba, id est, nondum picta vllo argumento, aut insigni. Itaque, *parma alba*, est, quod alibi Noster *parma pura.* Tales clypeos Stat. 5. Sylu. (ex nota Turn.) vocat *nubigeros*, quia candidi instar nubium. Statij versus. *Alba parma, Pura, Nubigera.*

Quis tibi tum tenero permisit plaudere collo
Nubigeros clypeos, intactáque cædibus arma?

Itaque id, quod non cælatum, aut nudum, & purum, præclarè dicitur à Poëta album, ex imitatione Græcorum. Nam Polyb. lib. 3. Annibalem ait νυκτερεῦσαι περί τι λευκόπετρον ὀχυρόν: *pernoctasse in nuda petra.* Ad verbum est, *in alba petra*: ait enim λευκόπετρον. Atque adeò, quos Curtius lib. 3. vocat *nudos colles*, Polyb. *albos* dicit. Sed in re eadem exemplum est in Hom. qui 22. Iliad. Deiphobum vocat λευκάσπιδα, *habentem album scutum.* & in Plutar. qui in Mario, loquens de Cimbris ait, θυρεοῖς δὲ λευκοῖς στίλβοντας, *splendentes albis scutis.* Sed fortasse Hom. & Plutar. capiendi non de alba parma Virgilij, sed de fulgore clypeorum, & nitore, quo micabant. Nam Eurip. Phœniss. in recensione Græcorum ducum, quibus dat in scutis multa & magna insignia, tamen vocat exercitum λεύκασπιν, quod necessariò capiendum de fulgore. Redeo. Ad albam parmam pertinet ex mente aliquorum Persij *candidus vmbo*, qui tamen verè conniuent; nam Persij vmbo ad vestes pertinet, ex loco Tertull. lib. de Pallio. *Albæ* parmæ *pictam* oppone ex Virg. lib. 7. & *picti scuta Labici.* & Prop. qui Eleg. 11. lib. 4. *Vmbo, de veste.*

Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.

Græci vocant δείγματα, quod monuit Veget. cap. 18. lib. 2. De clypeis, qui nomen ab hac pictura accepêre, lege Plin. cap. 3. lib. 35. Albos clypeos Græcè possis nominare ἀσήμους, *sine signo.* Nam Æschylus septem ad Theb. loquens de scuto, σῆμα δ' οὐκ ἐπῆν: *non erat signum.* Sed & Eurip. clarè ἄσημα ὅπλα dixit. Philo de Legat. ad Caium, ita, ἀσπίδας μὴ μορφὴν ἐχούσας, *clypeos nullam habentes imaginem.* Iterum; ἀσπίδας, αἷς οὐδὲν ἐνεζωγράφητο μίμημα, *clypeos, quibus nulla picta effigies.* *Clypei sine imagine.*

12. HINC ACIES, ATQVE HINC ACIES.] Non abit ab hac locutione illa lib. 3. *cælum vndique, & vndique pontus.*

13. VT FERA, &c.] Qui putant, Virgilium in hac comparatione superatum ab Homero, blenni sunt, & indigni, qui audiantur, & verè Græculi. Tantùm superatur verborum multitudine. Sed profero locum lib. 12. Iliad. *Imitatio.*

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσι
κάπριος, ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων·
οἱ δέ τε πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες
ἀντίοι ἵστανται, καὶ ἀκοντίζουσι θαμειὰς
αἰχμὰς ἐκ χειρῶν· τοῦ δ' οὔποτε κυδάλιμον κῆρ
ταρβεῖ, οὐδὲ φοβεῖται, ἀγηνορίη δέ μιν ἔκτα.
ταρφέα τε στρέφεται στίχας ἀνδρῶν πειρητίζων,
ὅππῃ τ' ἰθύσῃ, τῇ γ' εἴκουσι στίχες ἀνδρῶν.

Veluti quando inter canes, & viros venatores
Aper, siue leo versatur fortitudine superbiens.
Hi autem instar turris se ipsos præparantes,
Aduersi stant, & iaculantur crebra
Spicula de manibus: huius autem nunquam gloriosum cor
Pauet, neque terretur, audacia autem ipsum occidit.
Frequentérque vertitur cateruas virorum tentans,
Quáque irruerit, hac cedunt cateruæ virorum.

Quid egregium in hac comparatione sit, nondum vidi, imò multa indigna: aliqua aperuit Scaliger, adiiciam ego non pauca. Imprimis tota comparatio inepta ad rem. Nam venatores in Homero leonem vrgent, & ita debuissent Græci Hectorem: at contrà fit; nam potiùs Hector Græcos vrget, concludit in nauibus, transcendit vallum. In Virg. apta omnia: nam venatores feram vrgent, & Rutuli Helenorem, non contrà Helenor Rutulos. Inde in reliquis mira paritas. Nam Helenor videt, *hinc acies, atque hinc acies astare*; fera inducitur *densa venantum septa* *Homerum superat Virgilius.*

septa corona. Helenor *irruit*, fera *se inicit*. Helenor *moriturus*, fera *haud nescia mori*. Helenor *tendit quà tela densissima*, fera *furit contra tela*. Helenor infertur expeditus & *leuis* miles, fera *saltans*. Est ergo in Virg. vera parabola, nulla in Homero. Hoc solum vitium satis, vt Græcus damnetur. Quod si considerasset Macrob. non scriberet ineptissimè lib. 5. Sat. cap. 14. post adductam Græcam, & Latinam comparationem, verba hæc: *Videtis in angustum Latinam parabolam sic esse contractam, vt nihil possit esse ieiunius: Græcam contrà & verborum, & rerum copia pompam veræ venationis implesse. In tanta ergo differentia penè erubescendum est comparare.* Viueret vtinam blennus hic censor, & satis stupidus, vt ipse (me cogente) angustias sui acuminis erubesceret. Sed pergo ad vitia alia, vt Macrobij iudicium hoc obruam. Illa, ἀγηνορίη δέ μιν ἔκτα, *audacia ipsum occidit*, superflua esse in hac comparatione, neque cum sua ἀποδόσει conuenire, Commentator Homeri Spondanus iam notauit, magnus alioquin illius admirator. Et adhibet rationem; nam Hector sua fortitudine ibi non interit. Quod vitium alibi admissum scribit. Nam vbi Aiax fert auxilium Vlyssi, Aiax leoni, Vlysses ceruo comparatur: & tamen additur, ceruum laniari à leone, quod superfluum, non enim sic Vlyssem Aiax dilacerauit, imò seruauit. Aperui duo vitia, procedo ad tertium. Quod ait, venatores stare contra feram πυργηδὸν, id est, *turritim*, falsum est; non enim sic venatores, potiùs in modum coronæ, ideo corrector Homeri Virgilius magno iudicio *venantum septa corona*: & quia per turrim Homericam innuitur, explicatore Eustathio, διάταξις στρατιωτικὴ τυκτόσμα πολὺ ἔχουσα, ideo Virgilius addidit, *densa corona*. Reliqua videlicet dispositio, qua Eustathius Homerum explicat, quæ esset τετραγωνοειδὴς, καὶ πλινθίον συντεταγμένη, *quadrangula, & in modum lateréculi*, vera non est; nam potiùs venatores coronatim, vt dixi, & instar muri feras vrgent. Quartò illud, εἴκουσι στίχες ἀνδρῶν, *cedunt ordines virorum*, ita ineptum est, vt ineptius nihil. Nam, si illi cedunt, cur non abit fera? ait Scaliger. Quid, quòd non quadrat cum superiore versu?

Ταρφέα τε στρέφεται στίχας ἀνδρῶν πειρητίζων.

Si enim tentat, & frequenter, iam non illi cedunt, nam irritus feræ conatus; &, si semel cederent, illa non sæpiùs tentaret; sed, quà cederent, abiret. Quintò, Homerus cum θηρευτῇ voce propria, coniungit αἰχμὰς communem: Virg. quia *venantum*, ideo *venabula*, strictiùs. Leue hoc, sed cur non ad victoriam? Sextò denique, cur non leoni Homerico superbienti, impauido, interrito opponam feram Virgilianam furentem, saltantem, φερομένην? imò illud *haud nescia mori*, nunquam excogitatum Homero, multo illa minùs, *saltu contra venabula fertur*, &, *contra tela furit*. Quæ Sil. arripuit lib. 10. etiamsi diuersa forma. Eius versus sunt.

Paulus vt aduersam videt increbrescere pugnam,
(Seu fera, quæ telis circumcingentibus, vltrò
Assilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos. ———

Salus in desperatione. 14. HAVT NESCIA MORTI.] Nulli acriùs pugnant, quàm qui sciunt se morituros. Ideo statim Helenor, *medios moriturus in hostes irruit*. Quadrat illud Plutar. in vita Demetrij. ἐγκλεισθεὶς ὥσπερ θηρίον ὁ Δημήτριος, κύκλῳ καὶ περιελαυνόμενος, ἐπ' ἀνάγκης τρέπεται πρὸς ἀλκήν: *Inclusus vndique instar feræ Demetrius & circumuentus, vertit se necessario ad arma.* Et postea Seleucus dicitur *formidare desperationem Demetrij* διδοὺς τὴν χώραν αὐτῷ. Sed hæc sententia satis illustrata 2. Æneid. ad illud,

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

15. SALTV.] De leone Hom. 17. Iliad. αὐλῆς ὑπεράλμενος. — Saltus, de feris.

16. VENABVLA.] Telum venatorium. Terent. Varro in ὄνῳ λύρας. *Nempe sues syluaticos in montibus sectaris venabulo, aut ceruos.* Quære plura 4. Æneid. — Venabulum venatorium.

17. QVA TELA VIDET DENSISSIMA, TENDIT.] Est hoc, quod Hom. Iliad. 12. — Imitatio.

———ὅ δ' ὅθι πλεῖσται κλονέοντο φάλαγγες,
Τῇ ῥ' ἐνόρουσε:———
———*hic autem, vbi plurimæ fremebant phalanges,*
Illuc ruebat.———

Et de Hectore 15. Iliad. pari modulo,

Τῇ γ' ἴθ', ᾗ ῥα πολὺ πλεῖσται κλονέοντο φάλαγγες:
Eà enim dirigebat, quà multo plurimæ fremebant phalanges.

Iterum de eodem, & eodem lib.

Καί ῥ' ἔθελεν ῥῆξαι στίχας ἀνδρῶν, πειρητίζων
Ἧ δὴ πλεῖστον ὅμιλον ὅρα, καὶ τεύχε' ἄριστα:
Et volebat perrumpere ordines virorum, tentans
Quà plurimam turbam videbat, & arma optima.

Et de Patroclo 17. Iliad. ait, iuisse ferociter & clamabundè, ᾗ πλεῖστον ὀρινόμενον ἴδε λαόν: *quà videbat plurimum populum concitatum.*

18. AT PEDIBVS LONGE MELIOR.] Verè dixit Romanus dux apud Simocatt. cap. 13. lib. 3. in oratione ad milites. ἀρετῆς, καὶ κακίας ὁ συμπλεκτικὸς καθέστηκε βάσανος, καὶ ἐξεταστὴς ἐστὶ ψυχῶν: *virtutis & ignauiæ explorator, animorúmque censor, pugna est.* Ecce, vt vocati in periculum belli sunt Helenor, & Lycus; ille virtutem suam, hic ignauiam aperuit. Agnosce in illo ἀρετὴν, in hoc κακίαν. Et, vt pergit in eadem oratione idem dux, in illo videbis τὸ ἰταλμίας τὸ ἀρρενωπὸν, *decoram viro audaciam*: in hoc τὸ θηλυπρεπὲς τῆς δειλίας, *dignam femina timiditatem.* Quippe ille melior virtute, hic *melior pedibus.* Ita verò hic *pedibus melior* ad infamiam, vt in 11. de Drance, *lingua melior.* Et hac verborum forma Latini vtuntur ex Græcorum imitatione. Græci enim κρείσσονας ad rem eandem, quibus opponunt ἥττονας. Sic Plato in Gorg. τὸν ἥττω τοῦ κρείττονος ἄρχειν, *minorem meliori imperare.* Ex qua oppositione Rittersh. Horatium illustrat, qui cùm dixerit epist. 10. lib. 1. *ceruus pugna melior*, statim sequenti versu dixit opponens, *minor in certamine.*

19. PRENDERE TECTA MANV.] Præclarè (quod iam vidit Seru.) nam attingit notitiam illius æui, quo alti non erant muri in repentinis incursibus, sed ad impetum tantùm repellendum. Ita Sallust. in Hist. commemorat, Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse. Cæsar etiam 2. Ciuil. cap. 2. de turri quapiam ait, factam *primò ad repentinos incursus humilem paruámque*, quam tamen visum postea in altitudinem erigere. — Muri olim non alti.

20. TELOQVE SECVRVS.] Hom. 12. Iliad. ad verbum penè, δουρὶ τυχήσας. Alibi. κιχάνων. — Sequi tela.

21. EVADERE MANVS.] Flexu alio in 6. *manus effugit imago.* A quo Propert. Eleg. 21. lib. 1. — Effugit manus.

Effugere ignotas non potuisse manus.

Vterque ab Græcis: nam Sophoc. Elect. χεῖρα σὴν μόλις φυγών, *manum tuam ægrè fugiens.*

22. ARRIPIT IPSVM PENDENTEM.] Pede scilicet. Vide apud Ioseph. cap. 5. lib. 7. Bell. Iud. facinus Pedanij militis, qui vnum ex hostibus arripuit ἐκ τοῦ σφυροῦ, *ex talo pedis.* In quo facinore ita

ita magnæ circumstantiæ, vt dignissimum sit me-moratu.

Imitatio.

23. REVELLIT.] Par virtus Turni reuellentis murum virtuti Sarpedonis apud Hom. 12. Iliad.

Σαρπηδὼν δ' ἄρ' ἔπαλξιν ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσιν
ἕλχ', ἡ δ' ἕσπετο πᾶσα διαμπερὲς, αὐτὰρ ὕπερθεν
τεῖχος ἐγυμνώθη, πολέεσσι δὲ θῆκε κέλευθον:

Sarpedon autem murorum pinnam apprehensam validis manibus
Traxit, illa autem sequebatur tota prorsus, ac desuper
Murus nudatus est, multisque viam fecit.

Hoc videlicet incremento loquuntur Poëtæ ad ostentationem virium, quæ fuerunt in viris heroïci æui. Audi & Musam Valer. 2. Arg. loquentis de Hercule.

Proiicit arma manu; scopulos, vicináque saxa
Respicit, & quantum ventis adiuta vetustas
Impulerit, pontive fragor, tantùm abscidit, imi
Concutiens à sede maris. ——

Leporis cõparatio.

24. QVALIS VBI, AVT LEPOREM, &c.] Hom. 22. Iliad.

Οἴμησεν δ' ἀλεὶς, ὥστ' αἰετὸς ὑψιπετήεις,
Ὅς τ' εἶσιν πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν,
Ἁρπάξων ἢ ἄρν' ἀμαλὴν, ἢ πτῶκα λαγωόν.

Iuit autem conuersus, velut aquila altèuolans,
Quæ descendit in campum per nubes obscuras,
Raptura vel agnam teneram, vel timidum leporem.

Homerum superat Virgilius.

Non probat Scal. hanc comparationem, & meritò: nam non est inter Achillem, & Hectorem similitudo, quæ inter aquilam, & leporem. Ideo correxit illum Virgilius, attribuens illam imbelli vni, forti alteri; ita vt aquila sit Turnus, lepus Lycus. Mutauit etiam Virg. agnam in cycnum optimus naturæ mystes. Nam inimicitiæ inter aquilas, & cycnos celebrantur scriptoribus Physicis, quod ego iam 1. Æneid. vbi etiam aquila turbat cycnos. Similiter 15. Iliad. aquila inuadit turbam κύκνων. Ab iisdem inimicitus, & cum spiritu ad Maronem, Musam suam nobilitauit Auctor excidij Hierosolym. lib. 3.

Aquilæ, & cycni inimicissimi.

——*sic cùm Iouis armiger albos*
Ore fero ripis Mæandri inuasit olores,
Accipiterque alta latitantes turre columbas
Vngue truci, rostróque petens.——

Lepus omni venationi expositus.

Notabis hîc, leporem miserum animal, omnium venatorum infestationi expositum, scilicet hominum, ferarum, auium. De hominibus certum: in Georgicis canes insectantur, hic aquila. Quadrant Athenæi verba lib. 9. λαγὼς ὑπὸ πάντων θηρεύεται, καὶ θηρίων, καὶ ὄρνιθος, καὶ ἀνθρώπων: *Lepus ab omnibus capitur, à fera, ab aue, ab homine.* Est & lib. 17. Iliad. comparatio alia, vbi aquila etiam in leporem deuolat, abripit, necat. Et obseruabis, ibi simpliciter dici πτῶκα à timiditate notissima huius feræ. Itaque, cùm lib. 22. dicat πτῶκα λαγωὸν, *timidum leporem*; in 17. tan-

Lepus, timidissimum animal.

tùm ait, πτῶξ, id est, *timidus*, & leporem intelligit κατ' ἐξοχὴν, quasi animal timidum verè sit lepus, non aliud. Sic ad timorem indicandum infert Hom. idem 10. Iliad. leporem. Inde prouerbialiter Ioann. Chrysost. Hom. 16. ad Popul. λαγωοῦ παντὸς δειλότεροι: *Omni lepore timidiores.*

Imitatio.

25. QVÆSITVM AVT MATRI, &c.] Visum Vrsino aliquid affinitatis inesse cum illo Hom. 6. Iliad.

Ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξει
Πόρτιος, ἠὲ βοὸς ξύλοχον κάτα βοσκομενάων:

Sicut autem leo in boues insiliens, ceruicem frangit
Iuuencæ, vel bouis in syluis depascentium.

Homerum superat Virgilius.

Sed carent ista affectu. At in Virg. videbis te ex misericordia in iracundiam, ex iracundia in misericordiam duci. Nam quis non irascitur contra lupum auditis miseris balatibus matris quærentis agnum? quis non rursus miseretur agni audita lupi rapacitate, qui crudeliter ab ipsis stabulis rapit prædam? Inde probè Scal. ait, Virgilianum hoc esse *nulli Græcorum imitabile.* Noto (si hoc est aliquid) non inuenustè induci lupum rapientem in comparatione rapti Lyci, qui Græcè est lupus. Itaque, λύκος, id est, *lupus*, aptatur ad rem Lyci. Similiter Hom. ludit lib. 17. Iliad. apud quem υἱὸς Τελαμῶνος, Aiax *filius Telamonis* interficit Hippothoüm, qui Patroclum trahebat per vim δεδεμένος τελαμῶνι, *cùm illigasset loro*: vbi ludit ambiguitate vocis. Nam trahens Patroclum telamone, id est, loro, interficitur à filio Telamonis.

Acumẽ Virgilij.

Lupus cur Martius.

26. MARTIVS.] Aut cruentus, aut Marti dicatus, ait Seruius. Extremum amplector. Lupum enim, vt raptorem Romani dicarunt Marti Deo raptori. Inde & Horat. *Martiales lupos.* Sic & lupa à Claud. de Bell. Get. *fera Martis* dicitur. Notetur & iocus Plauti in Trucul. hic

Fuit edepol Mars meo periratus patri,
Nam oues illius haud longè absunt à lupis.

Neque verò alia ratio vulgatæ fabulæ lactis Romulei: vt enim Martis filius creditus Romulus, quia bellator, ita & nutritus à lupa bellatrice. Inde Prop. Eleg. 1. lib. 4. hanc feram vocat altricem Romani sanguinis. Et iterum:

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus.

Lupus raptor.

27. RAPVIT.] Quæsitè: nam lupi propriè raptores; quod iam alibi à me. Et Ioann. Chrysost. Orat. 4. de Nat. Dei, λύκος ἁρπάζει.

Imitatio.

28. VNDIQVE CLAMOR.] Ducit hoc Macrob. ab illo 11. Iliad.

——ἄσβεστος δὲ βοὴ γένετ' ἠῶθι πρὸ,
Φθὰν δὲ μεθ' ἱππήων ἐπὶ τάφρῳ κοσμηθέντες:

——*excitatur immensus clamor ante auroram,*
Priores autem cum equitibus apud fossam instructi fuerunt.

[a] Ardentes tædas alij ad fastigia iactant.
[b] Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis
Lucetium portæ subeuntem, ignésque ferentem,
[c] Emathiona Liger, Chorinæum sternit Asylas,
Hic iaculo bonus, hic longè fallente sagitta.
[d] Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus.
Turnus Ityn, Choniúmque, Dioxippum, Promulúmque,
Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam.

[e] Priuernum Capys; hunc primò leuis hasta Themillæ
Strinxerat, ille manum proiecto tegmine demens
Ad vulnus tulit: ergo alis allapsa sagitta,
Et læuo infixa est lateri manus, abditáque intus
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.
[f] Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circum
Flumina, pinguis vbi & placabilis ara Palici.
[g] Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adducta circum caput egit habena:
Et media aduersi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

ARGVMENTVM.

Sequuntur permistæ cædes Troianorum, ac Rutulorum; fœda, & varia vulnera: tragicè omnia.

EXPLICATIO.

[a] SECVTI videlicet exemplum Turni, qui primus omnium ardentem lampada coniecit. Et nota proprietatem, Turnus *coniecit*, hi qui plures, *iactant*, verbo frequentatiuo, quo intelligas δαλὸς θαμειὰς, vt loquitur Hom. *frequentes faculas.*

[b] En iam varia genera mortium, & quales credibile fuisse in obsidione pertinaci. Ferebat ignes Lucetius Rutulus, & iam vrbis portam ascendebat, sed tum sternitur ab Ilioneo ingenti lapide, quem ad incrementum vocat *saxum*, imò *fragmen montis.*

[c] Ludebat fortuna in hoc bello. Strauerat Troianus Ilioneus Rutulum hominem, en iam Rutulus Liger sternit Troianum Emathiona, sicut & Asylas Troianum quoque Chorinæum. Arma si quæras Ligeri, fuit iaculum, Asylæ sagitta, de qua mirè dictum, *longe fallens.*

[d] Redit fati vicissitudo: nam Troianus Cæneus Ortygium Italum sternit. Sed Cænei momentanea fuit victoria; nam illum Turnus; qui tamen hac cæde non contentus sex alios adiungit. Hoc enim κατ' ἐξαίρετον de Turno Virgilius, vt illius supra alios virtutem attollat. Itaque, cùm alij vnum, aut alterum, ipse acertuos. τὸ, *stantem pro turribus*, explica, pro defensione turrium.

[e] Consumit versus quinque in Priuerni Itali cæde. Sententia hæc est: Themillas Troianus Priuernum percusserat, imò potiùs strinxerat; nam leuissimum fuit vulnus, & tantum degustata cutis: ille ad sensum doloris scutum, quo se debuisset tegere, per summam dementiam proiecit, vt manum vulneri applicaret; ac tum Capys sagittam in eum direxit, quæ & manum applicatam vulneri transfixit, & altiùs penetrans pulmones rupit, quibus spirabat, ac proinde lethale fuit vulnus. Itaque cædem Themillas inchoauit, perfecit Capys. Sed Poëta,

A vt vides, aliter condiuit ad gustum Lectoris. Nescio, cur interpretes ista, & similia negligant in suis explicationibus.

[f] Post cædem Priuerni Itali sequitur cædes Arcentis Siculi, qui erat in Troianis partibus. Præmittit verò descriptionem illius plenam pompa, eámque agglutinatam ex variis circumstantiis. Adhibet nomen ipsius, & patris: arma eius, & ornatum armorum: pulchritudinem, & locum natalitij. His sex rebus tota continetur descriptio. Ipse Arcens vocabatur, & pater Arcens. en duo prima. Arma fuêre egregia, & illorum ornatus pulcherrimus, nam chlamys picta textorio acus opere, & deinde conspicua subnigricante Hispanorum purpura. en duo altera. Pulchritudo in facie insignis
B fuit, *eductus* verò, id est, natus, aut nutritus in luco Martis ad Symæthum fluuium Siciliæ ad aram Dei Palici. en vltima.

[g] Hunc Mezentio interficiendum attribuit. Signat modum mortis. Ergo Mezentius arma reliqua deposuit, & vnam fundam ita validè rotauit, ter circumactam ad vigorem, vt miserum Arcentem vnico statim ictu moribundum solutis membris porrigeret: insuit quippe plumbum illius temporibus, ita fortiter rotatum, vt in medio cursu ardorem conceperit, perueneritque ad Arcentis tempora iam liquefactum. Multa hîc expendi possunt; ego hîc tria tantùm. Primò, notat magnitudinem corporis Arcentis; nam iacuit ille *multa arena*. Deinde, cùm ait *temporibus*, propriè loquitur, nam ab vno in aliud tempus transfosso toto cerebro
C plumbum pertransiit, quod non incredibile ab ardore concepto. Tertiò, vide diligentiam Poëtæ. Nescio, an fallar. Reliqui Rutuli Troianos interficiunt, & Troiani vicissim Rutulos: vnus Mezentius, qui non Rutulus, sed Etruscus, interficit Arcentem, non Troianum, sed Siculum; vtrique auxiliator auxiliatorem. Si quis me reprehendat, quòd ita accuratè, videat aliorum interpretum inopiam.

NOTÆ.

1. TÆDAS ALII AD FASTIGIA IACTANT. Ita 2. Æneid, *flammas ad culmina iactant*. & Val 2. Arg. *diras* — Iactare faces.

diras alia ad fastigia tedas Coniiciunt Ab fastigiis labente æuo, & degenerante Latio orta superlatio *fastigiatissima*, qua vsus Sidon. epist. 9. lib. 1. & epistola 4. lib. 2.

Fastigiatissimum.

2. ILIONEVS.] Attigi, vt vidisti in Explicatione, qui horum essent Itali, qui Troiani, ratus id pertinere ad mentem Poëtæ, qui mortes omnes vicissim exhibet, ita poësin condiens; quod neque ab Homero, aut aliis seruatum video. Et in his minimis industria elucet. Vt verò Ilioneus deturbat hostem subeuntem; ita Teucer apud Homerum 12. Iliad. Glaucum

Imitatio.

τῶ ἐπιεσύμενον βάλε τείχεος ὑψηλοῖο,

Sagitta percussit irruentem in murum altum.

Similis poësis Calab. lib. 11. vbi Æneas Alcimedonta ascendentem Troianos muros, θάλεν δ' ἄρ' ἱερῷ πέτρῳ, *eum percussit vasto saxo*, & inde præcipitauit.

3. FRAGMINE MONTIS.] Theocritus εἰδ. 10. τὸ τῆς ἀποτμήματα. Sed de hoc alibi.

Fragmen montis.

4. LVCETIVM.] Notat Seruius, nomen hoc fuisse Oscum, & ita dictum Iouem, quasi lucis patrem, qui ab Horatio Diespiter.

Lucetius Iuppiter.

5. IONESQVE FERENTEM.] Hæc pars Tragœdiæ sumpta ab Homero 15. Iliad.

Ἔνθ' υἷα Κλυτίοιο Καλήτορα φαίδιμος Αἴας

Πῦρ ἐς νῆα φέροντα κατὰ στῆθος βάλε δουρί:

Tunc filium Clytij Caletorem illustris Aiax

Ignem in nauem ferentem hasta strauit percusso pectore.

6. EMATHIONA LIGER.] Si Liger Italus, certè Emathion Troianus: at illud certum. Nam in decimo Æneas pugnat contra illum, & contra fratrem Lucagum.

7. CHORINÆVM STERNIT ASYLAS.] Chorinæus Troianus est, vel ex 6. Æneid. vbi colligit Misseni ossa: Asylas, Italus, quod necessariò, si Chorinæus Troianus; &, si non Italus, at certè à Turno stabat. Credo ex Etruria aduenisse contra Troianos, sicuti Asylas alter, qui venit ex Etruria cum Ænea, vt habetur in 10. Itaque nihil impedit, duplicem fuisse in hoc bello Asylam, vnum pro Turno, alterum contra illum, vtrumque Græca origine, vt indicat vocalis altera.

8. HIC IACVLO BONVS.] Discriminat Poëta inter *iaculum*, & *sagittam*: illud manu torquetur, hæc instrumento aliquo. Discrimen hoc Grammatici constituunt, sed sciant, non semper verum. Nam Sallust. in Iugurth. contra illos; *plerosque iacula tormentis, aut manu emissa, vulnerabant.* Peritum in iaculando vocat *bonum*, vt suprà *melior*. & Græci κρείσσων, aut κρείττων. Quod, vt intelligas, adi quæ dicta à me ex Arist. 5. Eclog. ad illud, *boni quoniam conuenimus*. Sed, & quis nescit frequentissimum illud Homeri βοὴν ἀγαθὸς? Vide & pulcherrimam distributionem, quæ figura eximium leporem dat carmini. Nota mihi illam Stat. Theb. 7. iucundissimam.

Bonus iaculando.

Distributio.

——sternuntque alterna furentes

Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus,

Parthenopæus Ityn: Sybaris iacet ense cruento,

Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.

In Anthologia Græcorum pulcherrimæ sunt distributiones. Lege imprimis Epigrammata illa, quæ habentur lib. 6. cap. 15. vbi varij Poëtæ mirè ludunt in sermone trium fratrum, quorum vnus captator ferarum in terra, alter auium in aëre, tertius piscator in mari: vbi videbis miros flexus, reflexus: cursus, recursus. Lege & Epigrammata duo, quæ in calce Virgilianorum operum solent circumferri nomine Hadriani Imperatoris.

9. FALLENTE SAGITTA.] Mirè dictum, quia *longè*, ideo *fallens*. Cùm res agitur cominùs, non est locus fraudi; nam vides cuspidem contrà te dispositam: cùm eminùs, tum te fallunt arma hostis. Fallunt etiam, quia is, qui longè est à iaculante, putat sæpe se non assequendum. Ad eum modum Statius in laudato loco, *Itys insidiante sagitta*. Non multùm abit illud Prop. Eleg. 14. lib. 3.

Fallens, cur sagitta.

Cùm pila veloces fallit per brachia iactus.

Id est, pila, cùm iacitur, longiùs procedit, & it velociùs, quàm iactator putarat. Ita & Valerius tertio Argon.

——fallere neruo

Tum primùm puer ausus Hylas.——

10. ORTYGIVM CÆNEVS.] Dispositio sententiæ ex persona Turni, quæ sequitur, clarè te ducit, vt intelligas, Ortygium fuisse Italum, Cæneum Troianum. Clarum quoque in sequentibus reliquis. Nam Troiani sunt, quos Turnus interficit. Priuernus verò Italus; nam Capys occisor est, qui clarè Troianus: vt & Themillas; nam hic & Capys vnà in Priuernum.

11. STRINXERAT.] Leuissimum ictum indicat, & inefficacem, ideo consequenter hasta *leuis*. Illustro hunc locum lib. decimo ad illud, *deflexit partim stringentia corpus.* Stringo, de leui vulnere.

12. ILLE MANVM, &c.] Aliquid libatum ab Homerico excursu Iliad. 13.

Ἀτρείδης δ' ἄρα χεῖρα βάλε ἀγαθὸς Μενέλαος

Τὴν βάλεν, ᾗ ῥ' ἔχε τόξον ἔυξοον, ἐν δ' ἄρα τόξῳ

Ἀντικρὺ διὰ χειρὸς ἐλήλατο χάλκεον ἔγχος:

Atrides autem manum in prælio bonus Menelaus

Eam percussit, quâ tenebat arcum politum: inq; arcu

E regione per manum adacta est ærea hasta.

Ita tamen libatum aliquid, vt mutatum in melius, & addita proiectio scuti, doloris sensus, sagitta alata, vulnus lethale. Hector quoque 17. Iliad. percutit cuiusdam χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ, *manum ad volam*. In Lucan. lib. 3. leges, *& vulnera læua Oppressere manu*. Habes & huius ictus imaginem fermè similem in 10. Æneid. vbi manus Alcanoris figitur, quam applicuit cadenti fratri Maroni. Vt verò hîc manus applicatur vulneri, ita 16. Iliad. Glaucus χειρὶ δ' ἑλὼν ἐπίεζε βραχίονα, *manu tenens premebat brachium*, quia scilicet ibi vulnus acceperat.

13. PROIECTO.] Allusum ad ῥίψαντα τὴν ἀσπίδα, voce vnica ῥιψάσπιδα, qui ignominiosus in bello. Aristophan. in Pace, ῥίψαντες ἐκ ἀσπίδας. Sunt apud Plutarch. versus isti Archilochi, cùm ipsemet Archilochus ex acie fugit,

Ψυχὴν δ' ἐξεσάωσα φυγών, ἀλλ' ἀσπὶς ἐκείνη

Ἐῤῥέτω, ἧς αὖθις κτήσομαι οὐ κακίω.

Seruaui fugiens animam, clypeumque valere

Iussi haud peiorem nempe parare licet.

14. TEGMINE.] Ita in 10. *æratam circumfert tegmine syluam.*

15. ALIS ALLAPSA SAGITTA.] Crebertima ἀυ- ξηνως ad summam celeritatem indicandam. Sallust. Iugurth. *tela vtrimque volare*. Inf. Virg. *volat Itala cornus*. Amm. lib. 20. *vtrimque conuolante missilium crebritate*. Hom. sæpe, πτερόεντας ὀϊστούς. A quo Nonn. lib. 29. πτερόεντι ὀϊστῷ. Idem Nonnus forma alia lib. 22. ἔγχος ἱπτάμενον ὀϊστόν. Nota & formam qua vsus Auctor ἄδηλος Paneg. Constant. *Parthorum arma volarica*. Est egregius locus Plin. cap. 14. libr. 34. quem volo hîc audias, de ferro ita loquentem: *Eodem vtimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs solùm, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror. Sa quidem vt ocyus mors perueniat ad hominem, alitem*

Volo, de telis.

Volarica arma.

illam fecimus, pennásque ferro dedimus. Notabis dici à Plinio de ferro alato, *humani ingenij fraudem*, quæ verba adiunges his, quæ suprà attuli ad illud, *longè fallente sagitta.* Virgilius quippe per *fallaciam*, quod Plin. per *fraudem*.

Spiramenta animæ.

16. SPIRAMENTA ANIMÆ.] Est hoc, quod Eurip. Hecub. τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαρροάς: *secat ferro spiraculi influxum.* Explicui pulmones; possum & cor, in quo domicilium spirationis Hippocrates constituit lib. de carnib. verba eius. πνεῦμα ἡ καρδίη ἔχει. & addit rationem hanc, θερμὴ ἐοῦσα μάλιστα τῶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, *quòd sit maximè calidum membrorum omnium, quæ sunt in homine.*

17. RVPIT.] Val. 3. Argonaut.

Æsonij venit hasta ducis latúmque sub imo
Pectore rumpit iter.———

18. PICTVS ACV.] De pictura, cùm ad acum refertur, dixi iam 3. Æneid. & de picturata veste libro sexto.

Ferrugo Ibera, est Hispana.

19. FERRVGINE CLARVS IBERA.] Malè Seru. interpretatur *Ponticam*, cùm *Hispanam* debuisset. Pugnabo in hac Nota contra illum, & pro Hispania. Imprimis sibi ipse contrarius. Nam 1. Georg. ad illud de Sole,

Cùm caput obscura nitidum ferrugine tinxit,

ita ait: *Ferrugo est purpura nigrior, & Hispana. alibi. & ferrugine clarus Ibera.* Hæc ille. Deinde, Nonius *pullum* colorem explicans, ita ait, *quem nunc Hispanum, vel natiuum dicimus.* aut, vt habet codex man. script. attestante Iunio, *quem nunc Spanum, vel natiuum dicimus.*

Pullus color, id est, Hispanus.

Spania, pro Hispania.

Spaniam quippe pro Hispania agnoscunt Strabo, Eustathius, Vegetius. Tu vide diligentem operam, & verè doctam Bernardi Aldretæ lib. 3. de orig. Ling. Hispan. cap. 2. Ad rem. Quem *pullum* colorem, *natiuum, Spanū*, siue *Hispanum* Nonius vocat, eundem Iunius *Iberum, Bæticum, ferrugineum*. Tertiò, cùm ferrugo dicatur à ferro, quis nescit ferri venis Hispaniam claruisse? Huius metalli primam gloriam Plinius dat Bilbili (fuit hæc patria Martialis) cap. 14. libr. 34. De ferro Iberi Pontici nulla, quod sciam, mentio. Ac proinde ferrugineus color referendus est ad eam orbis partem, in qua metalli huius gloria. Quartò, cùm Arcens dicatur esse Siculus, commodum est, vt color eius vestis sapiat patriam originem, & primos natales Siciliæ. Hanc autem insulam referre originem suam ad Hispanos clarè videbit, qui legat transmigrationes Hispanorum. Imò ab vnis Hispanis cognominari illam Sicaniam, certissimum est, & ego iam ex Thucydide, & aliis astruxi libro quinto Æneidos. Quintò, cùm Iberia Orientalis ab Iberis nostris nomen sumpserit, quod laudatus nuper Bernardus conuincit ex Appiano, Strabone, Socrate, Nicephoro, Dionysio Alexandrino, Prisciano, Festo, Auieno contra pugnantem Varronem; cúmque (quod fortissimum ad rem meam) à magnis scriptoribus antiqui æui, Iberiæ nomine simpliciter Hispania intelligatur, non Orientalis, fit proinde, vt cùm Iberiam audis, debeas ad Hispaniam recurrere; nam illa Orientis te ad se ducet aliis circumstantiis. Hoc cùm verum sit, quis arctet Virgilium ad Orientalem, nisi cum magna historiarum ignoratione; cum præsertim ipse aliis in locis, cùm Iberiæ meminit, Hispaniam intelligat Sic in 8. *Iberas boues.* in 11. *Ibero gurgite.* in Georg. *impacatos Iberos.* Volui ista latè, & verè; nam Hispanus pro Hispanis. De Hispanis capio etiam Stat 4. Theb.

Hispania claruit venis ferri.

Sicilia natales suos refert ad Hispanos.

Iberia simpliciter pro Hispania.

Vndaméntque sinum nodis irrugat Iberis.

Et Prop. Eleg. 3. lib. 2.

Vt Mæotica nix minio si certet Ibero.

Nam Plin. & Iustin. gloriam minij Hispanis dant. Sic etiam capio Terentium Varron. περιπύχης. *Scuta cælata Ibero argento grani crebra fulgent.*

Minij gloria apud Hispanos.

20. CLARVS.] Dat splendorem Iberæ ferrugini, vt etiam lib. 11.

Ferrugo & clara & obscura.

Ipse peregrina ferrugine clarus & ostro.

Et Claud. 4. Cons. Hon. *fulgor Iberus.* Contrà Catull. de nupt. Pel.

Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.

Et Virg. ipse 1. Georg.

Cùm caput obscura nitidum ferrugine tinxit.

Sed non difficilis conciliatio: nam purpura cum splendore nigricat, cum nigrore splendet. Est enim nigrori purpuræ admistum multùm ruboris. Etenim propriè purpureus color est, quem Hispani dicimus *morado*, quod astruebam in Georg. in quo colore quiuis intuebitur obscuritatem cum nitore.

Eductus.

21. EDVCTVM.] Tacit. 1. Ann. de Caio Principe. *In contubernio legionum eductus.* Hoc nimirum verbo natales loci indicantur. Auctor ἀδηλ@ Paneg. Constant. *Facile est vincere timidos, & imbelles: quales amœna Græcia, & deliciæ Orientis educunt.* Claud. 4. Honor. *Hispania patrem Auriferis eduxit aquis.*

Symæthus fluuius.

22. SYMÆTHIA.] Symæthus fluuius Siciliæ irrigans agrum Catanæ. Strab. lib. 6. τῷ συμαίθῳ ποταμῷ ῥέοντι εἰς τὴν Κατάνην.

23. PINGVIS VBI ET PLACABILIS ARA PALICI.] Exstat loci huius luculenta apud Macrob. explicatio c. 9. lib. 5. Sat. à quo breuiter, & tantùm vellicatim, quod Lectori meo necessarium, non meum illuc remitto. Fuerunt Palici, Dij duo Siculorum. Clarè Polemon lib. de admirandis fluminibus Siciliæ. οἱ Παλικοὶ παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις αὐτόχθονες θεοὶ νομίζονται: *Palici ab incolis existimantur Dij Autochthones:* &c, vt dixi, loquitur de rebus Siciliæ. Geniti sunt ab Ioue, & Thalia Nympha. Stephan. de vrbib. ὡς (Παλικοὺς) Αἰσχύλ@ ἐν Αἴτναις γενεαλογεῖ Διὸς & Θαλείας τῆς Ἡφαίστου: *quos Æschylus dicit genitos Ioue, & Thalia filia Vulcani.* Addit Stephan. Σιληνὸς ἐν δευτέρῳ, Αἴτνης τῆς Ὠκεανοῦ, καὶ Ἡφαίστου: *Silenus libro secundo filios facit Ætnæ, filiæ Oceani, & Vulcani.* Mater grauida cùm esset, metuens Iunonis, petiit demergi in terram. Factum hoc, sed instante partu, reclusa est terra, & infantes editi, inde dicti Palici, ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, quòd iterum redierint in lucem. Æschylus in Tragœdia, cui Ætna nomen,

Palici Dij.

Ἡ καὶ Παλικοὺς εὐλόγως μένει φάτις.
Πάλιν γὰρ ἥκουσ' ἐκ σκότους τῶνδ' ἐς φάος,
Inest conuenienter Palicorum appellatio,
Nam è tenebris veniunt rursus in lucem.

Habes iam Deos, natales, & rationem nominis. Restat, cur ara hæc *pinguis*, cur *placabilis*? Xenagoras in historia de loci diuinatione ait, Siculos, cùm laborarent frugum inopia, Heroï cuidam sacrificasse, monente rem hanc Palicorum oraculo, καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας, πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλικῶν ἐνέπλησαν: *Inde redeunte vbertate, Siculi multis donis aram Palicorum cumularunt.* En cur *pinguis*. Turnebus ait dictam *pinguem*, id est, diuitem, imitatione Græcorum, qui πίονα νηὸν dicunt *templum pingue*, pro, templum diues. Sed cur *placabilis*? Longissimè hoc Macrob. ex Polemone, ideo tantùm Latinè, & breuiter. Fuerunt duo lacus in Sicilia putati & dicti fratres Palicorum, quos lacus & Crateras & Dellos vocitabant. Erant isti insignes iuramenti religione. Accedebant iuraturi, qui erat verax, redibat illæsus; qui mẽdax, absorbebatur aquis. Inde hi lacus dicti

Pinguis ara cur.

Placabilis ara cur.

dicti implacabiles contra mendacem, placabiles erga veracem. Absolui iter hærens Macrobianis vestigiis, ademptis multis, & tantùm Stephano, & Turnebo interpositis. Ex hac narratione visum mihi legi in Virg. posse, *& placabilis ara Palicûm*, pro, *Palicorum*. De Palicis vide etiam Diodorum lib. 11. A

Posita arma quæ. 24. Positis.] Nam ipse reliquit. Ita in 10. *positis inglorius armis Exigat hic æuum*, id est, arma, quæ ipsemet ponat. Itaque laudo Scaliger. patrem, qui reprehendit Claud. eo in versu,

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors. ———

Debuisset *positis*, nam *ademptis* vim notat.

25. Armis.] In nonnullis γαίσοις *hastis*.

Funda ter rotanda. 26. Ter adducta.] Hæc scilicet ars rotandæ fundæ. Veg. c. 14. lib. 3. *Contorto circa caput brachio dirigunt saxa.* Sed modũ præscribit c. 23. eiusdẽ lib. *Semper assuescendum est, vt semel tantùm funda circum caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum.* Dices: non ergo ex arte Virgilij, qui *ter*. Nego id tibi: clarum enim, maiorem impetum concipi ex bina, aut terna rotatione: ideo ait Veget. assuescendos milites ad vnam, vt videlicet condiscant quod difficilius in arte, idq; propter dispendium temporis. Si enim omnes funditores bis aut ter rotarent, moræ essent, ideo assuescant semel, vt arte contrahant, quod natura extendit. Si verò vnus sit, aut alter funditor, cur contrahendus? Notetur tres fundas gestari ab militibus singulis, vnam pendentem ab collo, alteram vincientem loco cinguli, tertiam expeditam in manu. Ita interpres Lycophronis explicat τριπλᾶς σφενδόνας eiusdem Lycophronis. (Virgilius defenditur. — Fundæ tres singulis funditoribus.) B

Habena, & funda. 27. Habena.] Ipsa est funda, nam habetur manibus, non aliter ac habenæ equorum.

28. Liquefacto plumbo.] Eo videlicet impetu glans è funda mittebatur, vt in medio cursu liquesceret igne concepto. Lucret. lib. 6.

——— *plumbea verò*
Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

Ouid. in Metamorph.

Non secus exarsit quàm cùm Balearica plumbum
Funda iacit, volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus inuenit ignes.

Inde Stat. cum fulmine comparat, *volucres imitantur fulmina glandes*. Si quis causam quærat concepti in plumbo ignis, cùm iacitur fortiter, eam exhibet Aristoteles libro secundo de cælo capite septimo. πέφυκε γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦν καὶ ξύλα, καὶ λίθους, καὶ σίδηρον: *motus enim & ligna, & lapides, & ferrum solet in ignem conuertere.* Et exemplum adhibens, ita statim. οἷον καὶ ἐπὶ τῶν φερομένων βελῶν. ταῦτα γὰρ αὐτὰ ἐκπυροῦται οὕτως, ὥστε τήκεσθαι τὰς μολιβδίδας: *veluti & in sagittis, quæ feruntur; hæ namque adeò ignescunt, vt etiam earum plumbum liquescat.* videlicet παρατριβομένου τοῦ ἀέρος, vt suprà dixerat, *perfricato aëre*. Eandem rationem audi ab Seneca libro secundo Naturalium Quæstionum capite 56. *Aëra motus extenuat, & extenuatio accendit: sic liquescit excussa glans funda, & attritu aëris, velut igne, distillat.* Lege etiam Aristotelem libro quarto Meteorolog. capite octauo vbi ait, quæ concrescunt frigore, calore liquescere, dissipari, solui, οἷον κρύσταλλος, μόλιβδος, χαλκός, *vt crystallus, plumbum, æs.* Sicut contrà, quæ concrescunt, & coëunt calore, euertuntur & liquescunt frigore, οἷον νίτρον, ἅλες, &c. *vt nitrum, & sal.* Obiicies, inde sequi, plumbum in ipso cursu periturum, & ictum fore futilem; nam ab liquefactione necesse est sequatur stillatio. Facilè id solues, si dicas, debitam distantiam debere attendi, vt perueniret cum nocumento. Hæc si esset vltra modum, inanis fuisset ictus. Idem potest in omni missili contingere. (Plumbum missum funda cur in ignem vertatur.)

29. Porrectum extendit.] Pro, porrigit, & extendit. Hæc locutio ita crebra in Virg. vt iam illustranda non sit.

[a] Tum primùm bello celerem intendisse sagittam
Dicitur antè feras solitus terrere fugaces
Ascanius, fortémque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turníque minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
[b] Is primam ante aciem, digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidúsque nouo præcordia Regno
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.

C

ARGVMENTVM.

Interponitur Ascanij facinus, qui Numanum interfecit nouis nuptiis superbientem, & petulanter in Troianos debacchantem.

EXPLICATIO.

[a] Memineris superiore tractu interfectum Arcentem Troianarũ partium: nunc iam vicissim Numanus interficitur ab Ascanio, vt ita fortuna referat par pari. Quia verò Ascanius filius est Æneæ, atque etiam puer, oportet vt gloriosa sit mentio eius facinoris: inde tot versus præmissi, tot secuti. Itaque attentionem captat à personis Ascanij, & Numani, admiscens magnitudinem rei, quam narraturus. Fuit enim magnum interfici virum fortem à puero, qui in feras tantùm arma hactenus exercuisset. Iuuatur attentio nobilitate Numani, qui minorem Germanam Turni sibi nuptiis copularat.

[b] Describitur Numani superbia ab loco, à verbis, ab modo. A loco; nam *ante primam aciem*. Verbis; nam *digna atque indigna*. Modo; nam *vociferans*, ideo postea *ingenti clamore*. Hæc verò omnia à tumore, quo inflatus ex nouis nuptiis. Nota in verbo *ibat* arrogantiam incessus.

Notæ.

1. Ante feras, &c.] Par sententia Ouidij

Ouidij secundo Metamorphoseos, A

Hunc Deus Arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante, nisi in damis, capreisque fugacibus usus.

Dux bello interfit.

2. Manv.] Quasi bellum fuerit non tantùm Ascanij auspiciis, sed ipso præsente & socio periculi, vt qui verè αὐτόχειρ. Notabam iam hoc ad 3. Georg. vbi de Augusto, trophæa duo *rapta manu*. Quam virtutem de Philippo Demosthenes oratione duodecima: ὁ μὲν αὐτὸς στρατεύεται, καὶ ταλαιπωρεῖ, καὶ τοῖς κινδύνοις πάρεστιν: *Ille ipse militat, & ærumnas tolerat, & præliis interest.* Itaque oportet, vt dux bello intersit, rem ipse gerat, quod de Annibale sæpissimè prædicat Polybius, ni velit omnia turpiter pessundari. Nemo enim fortasse ducum prædicare de se queat, quod de Iugurtha Sallustius: *In Iugurtha tanta peritia militiæ erat, vt absens, an præsens, perniciosior esset, in incerto haberetur.* Amputaui interposita verba.

3. Fvdisse.] Pro, strauisse frequentissimè, præsertim cùm res geritur missilibus. Sic 1. Æneid. *Corpora fundit humi.* B

Cui Remulo cognomen.

4. Cvi Remvlo cognomen erat.] Reieci alibi ad hunc locum syntaxeos huius declarationem. Qui Latinè loquitur, dicit, *Cui est cognomen Remuli.* Qui Græcè, *Cui est cognomen Remulo.* Græci .n. casum vnum regunt, & sæpissimè alterum illi appendunt, quasi sarcinam. Placet itaque Latinis consugere frequentissimè ad Græcam syntaxin, relicta sua; ita hîc: *Cui Remulo cognomen erat.* & in 1. *Cui nunc cognomen Iulo.* Liu. lib. 26. *Cui Perconi fuit cognomen.* & lib. 31. *Geminis ambobus cognomen erat.* & lib. 34. *Cui Tympano fuit cognomen.* Plin. cap. 12. libr. 7. *Histrioni Rubrio cognomen impositum.* & cap. 6. libr. 12. *Arbori nomen palæ, pomo arienæ.* vbi *palæ*, & *arienæ*, sunt in tertio casu. Sallustius Iugurtha. *Cui postea Africano cognomen ex virtute fuit* Firmo hoc idem doctrina Græca. Hom. 1. Iliad.

Græca constructio.

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέπερ ὑμῖν
Ἀνδράσιν ὡμίλησα. ———
Iam enim aliquando ego, & cum melioribus quàm vos
Viris conuersatus sum. ———

Ad verbum est, *melioribus quàm vobis.* vbi ὑμῖν annectitur ἀρείοσιν. Ex eodem præcepto illud apud Latinos vulgaribus Grammaticis non intellectum. *Mibi esse licet bono*, quod Græcum est. Nam Latinè dices, *Mihi licet esse bonum.* Ita Xenophon libro sexto παιδ. ὁ δ' ὡς ἤκουσε (Κῦρος) καὶ γελάσας ἐπὶ τῷ κρείττων τοῦ ἔρωτος φάσκοντι εἶναι: *Cyrus vt audiuit, risit, quia se dixerat inuictum esse ab amore, esseque supra illum.* vbi vox κρείττων annectitur voci φάσκοντι. Debuisset enim ita, γελάσας φάσκοντι εἶναι κρείττονα τοῦ ἔρωτος. Idem eodem libro penè ad exitum. ὦ Ζεῦ μέγιστε δός μοι φανῆναι ἀξίῳ μὲν Πανθείας ἀνδρί: *O Iuppiter maxime, da mibi dignum esse maritum Panthea.* vbi, ἀξίῳ ἀνδρί, pro, ἄξιον ἄνδρα. quia anectitur voculæ μοί. Ad verbum diceres. *Da mihi esse digno marito Panthea.* Idem libro tertio ἀναβ. Κλέαρχος τὰς ὕδρας ἀπείπονσας καλῷ εἶναι, pro, καλὸν εἶναι. & libro septimo de expeditione Cyri, σοὶ ἔξεστιν ἀνδρὶ γενέσθαι. Ad verbum, *tibi licet esse viro.* Nihil fortasse crebrius apud Græcos. Ergo ex Græco fonte Ouid. 8. Metamorph.

Licet esse bono.

———*nec fontibus illic*
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.

Si Latinè loqueretur, diceret; *non profuit armentis esse fortia, non equis esse veloces.*

5. Tvrniqve, &c.] Hæc ratio etiam est in Apoll. lib. 1. Arg. vbi dux quispiam accedit Iasoni, & ratio redditur, πηοσύνη καὶ αἷμα, *affinitas & cognatio*, κασιγνήτην γὰρ ὄπυιεν, *vxorem enim duxerat*, videlicet Æson.

6. Thalamo sociatvs.] Signatè in re matrimonij, de quo & Tullius, *artissima societas.* & in 12. Æneid. Societas, de matrimonio.

Me natam nulli veterum sociare procorum.

& 4. Æneid. *vinclo vellem sociare iugali.* Et sacræ literæ Euam vocant *sociam* Adæ. A quo non abit φιλία, id est, *amicitia*, quam vocem in re matrimonij adhibet Euripid. in Alcestide. vbi etiam coniuges vocat φίλους, id est, *amicos.* & in Androm. *lectum coniugalem.* φίλιον λέχος. Prosper Aquitanus libro secundo de Promiss. cap. 21. *Mulier, relicto tanto viro, alij se credidit sociandam.* Amicitia, de matrimonio.

7. Is primam ante aciem, &c.] Similem huic penè successum Appian. narrat in Hispania de quodam Barbaro, qui splendentibus armis insignis, atque equo vectus, crebrò procedebat ad aciem Romanam plenus gloriarum, & contumeliarum: quem vasto hominem corpore Scipio adhuc iuuenis feliciter vicit. Locorum similitudo.

8. Digna, atqve indigna.] Ista, & multæ, quæ in aliis, prouerbiales sunt formulæ. Plautus Asin. *Dignos, indignos audire, certum est.* In duodecima Æneid. *digna, indigna pati.* Talia & hæc, *facta, atque infecta canebat, memores fandi, atque nefandi.* Terentius And. *quo iure, quáve iniuria.* Horat. 5. Epod. *Quid dixit, aut quid tacuit?* Sic, *sciens, insciens: scripta, inscripta: fausta, infausta: iusta, iniusta.* Græci, ῥητὸς, ἄρρητος: ῥητός, ἀπόρρητος. Digna, atque indigna.

C

9. Relatv.] Indignum relatu est, quod Eurip. in Ione ἄφατον, ἀνώνυμον: *infandum, indictum.*

10. Regno.] Non placet omnino Seru. potior Germani Nota. Apud veteres illi omnes, qui affines erant Regibus, non solùm fratres, sed alij etiam dicebantur Reges. Quam rem iam ego aliquot in locis firmaui alicubi. Vide imprimis, quæ scripsi 7. Æneid. eo loci, quo Lauiniæ nondum Reginæ datur corona. Itaque arripio primum illud Seru. de affinitate, respuo quæ de portione, & parte Regni, in quibus diuinat. Vt hîc *tumidus regno*, ita Stat. 4. Theb. de Inacho, *& genero tumuit Ioue.* Rex, de eo, qui affinis Regi.

11. Ibat.] Hom. sæpe βῆ, & βῆ ἰέναι. Videtur mihi Poëta voluisse in Numano exprimere superbientis hominis incessum. Et ita verbum *ibat* comitantur vociferatio, tumor, clamor. Quæ sanè notæ sunt, & χαρακτῆρες hominis superbissimi. Talem exhibet Orestem Soph. in Elect. Ibat, de incessu superbi.

D

Ἐσῆλθε λαμπρὸς, πᾶσι τοῖς ἐκεῖ σέβας:
Ibat arrogans, omnibus, qui aderant, spectandus.

Et de militib. ibid. ἐσῆλθε. Hom. 11. Iliad. de furente duce, περιβάσης. Clemens Alexand. inter reliquas notas superbi lib. 3. Pædag. meminit etiam incessus; τὸ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν. innuit iactantiam. Ab Nazianz. Orat. 4. Iuliani pedes dicûtur ἀστάθεις, & μεταλλάζοντες. Indicat incessus instabilitaté, & fracturam. Itaque, quotquot superbum hominem describunt, præcipuè solent gressum, vt in quo magna pars iactantiæ. Incessus indicat hominem superbum.

12. Ingenti.] Seru. legit, *ingentem.* Eurip. in Hercul. dixit, μέγας ὁ κόμπος, de ingenti & iactabundo clamore.

[a] Non pudet, obsidione iterum, vallóque teneri
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
600 [b] En, qui nostra sibi bello connubia poscunt.

Quis Deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
[c] Non hîc Atridæ, nec fandi fictor Vlysses.
Durum à stirpe genus: natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuóque gelu duramus, & vndis.
[d] Venatu inuigilant pueri, syluásque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
[e] At patiens operum, paruóque assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
[f] Omne æuum ferro teritur, versáque iuuencûm
Terga fatigamus hasta. [g] nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutátque vigorem;
Caniciem galea premimus, sempérque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.
[h] Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis:
Desidiæ cordi, iuuat indulgere choreis.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
[i] O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxúsque vocat Berecynthia matris
Idææ: sinite arma viris, & cedite ferro.

ARGVMENTVM.

Numani oratio contumeliosa Troianis, & gloriosa Italis: notat enim illorum ignauiam, & prædicat horum virtutem, conferens vtramque gentem.

EXPLICATIO.

[a] OBIICIT imprimis Troianis impudentiam, qui non vereantur bis capti cùm fuerint, semel ab Hercule, deinde ab Græcis, nunc denuò cingi obsidione, nec se aperto Marti committere; sed teneri vallo, muros morti prætendere, vt qui nulla alia ratione valeant exitium depellere, nisi in latebris, qui summus est pudor.

[b] Obiectauit impudentiam, iam nunc irridet, & vocat dementes. Est planè ridiculum ignauissimos homines velle sibi matrimonia armis quærere: est dementissimum Italiam aduenisse pugnacissimam terrarum.

[c] Pergit iam ad gloriam Italorum, quos laudat ab omni ætatum gradu, ab infantia, pueritia, iuuentute, virilitate, senectute, deturpatis prius Græcis, quibus hostibus Troiani assueuerãt. Argumentum est optimum. Nam, si neque victores vestri conferendi nobiscũ sunt, quid vos victi? Ergo ait. Non res geritur cũ Atridis (Agamemnonem intelligit, & Menelaum) non cum Vlysse, qui mendax, non pugnax. Laudat itaque primam ætatem à consuetudine, quæ in Italia vigebat: ferebantur enim infantes recèns nati ad flumina, vbi gelu, & vndis obdurati, iam tum bellorum vsui idonei fierent.

[d] Pueri venantur, equitant, tendunt spicula. Is est illorum ludus, & puerilis exercitatio. *Venatu*, pro, venatui.

[e] Iuuenes patientissimi sunt, & parcissimo victu contenti aut agriculturam, aut bellum tractant: itaque, aut terram domant, aut quatiunt oppida. Noluit *colunt*, sed *domant*, quod militare est.

[f] Reliquum æuum (credo virile indicari, tum quia non omitteret Poëta præcipuam ætatem, tum quia redit ad agriculturam, non bis dicturus idem de eadem ætate.) Ergo, reliquum æuum, id est, virile, ferro teritur, neque illud deponitur in agrorum cultu: nam nobis loco stimuli hasta est, qua versa cessantes boues pungimus.

[g] Restat senectus, quæ, tametsi tarda sit, & corpus debilitet, certè non animum, aut illius vigorem: Nam senes iam albidi, & pleni canicie galeas sibi imponunt, prædas conuectant, rapto viuunt; idque habent in voluptate.

[h] Post longam Italorum gloriam redit ad ignauiam Troianorum, quibus vestis croco picturata, & murice fulgida; quibus cordi desidia est, & choreæ in voluptate; quibus sunt tunicæ manicatæ, & mitræ cum redimiculis. Itaque à vestitu ducit argumentum luxuriæ, atque ignauiæ.

[i] Ex dictis absoluit, Troianos, feminas potiùs, quàm viros dici debere, ac proinde frequentandos illis choros, qui fiunt in Dindymis montibus Cybeles ad cantus tibiarum. Itaque illos tympana decent, & buxus, non arma, & ferrum, quæ virorum sunt. Sunt Dindyma in Phrygia, vt ait Strab. & interpretes Apollon. atque alij.

NOTÆ.

1. NON PVDET, &c.] Platuit hoc initio sermonis Numani, Prudentium cum Virgilio conferre in Psychom. quia anxiè Virgilium æmulatus docebit adolescentem, quî debeat huic Vati insistere. Afferam versus plusculos, ne diuellam locum. Locorum similitudo.

Non pudet, ô miseri, plebeio milite claros
Attentare duces, ferróque lacessere gentem
Insignem titulis: veteres cui bellica virtus

Diuitias

Diuitias peperit, lætos & gramine colles
Imperio calcare dedit? nunc aduena nudus
Nititur antiquos, si fas est, pellere Reges.
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt: en, qui nostras sulcare nouales,
Arvaque capta manu popularier hospite aratro
Contendunt, duros & pellere Marte colonos.
Nempe, ô ridiculum vulgus, natalibus horis
Totum hominem, & calidos à matre amplectimur artus,
Vimque potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, & rudibus dominamur in ossibus omnes.

2. PVDET.] Præclarè, cum Troianis ignauiam obiiciat, illis pudorem impingit, quē debuissent habere, vt qui iam victi. Nā, illorū, qui victi, proprius pudor. Apud Liban. Demosth. Declam. 15. αἰσχύνεσθαι περιῆν ἡττημένοις: *victis pudor reliquus erat.*

Pudor est eorum qui victi.

Troia ter capta.

3. BIS CAPTI.] Tzetzes tamen in Theocr. ter ait captos, ab Hercule, Amazonibus, Græcis.

4. NON HIC ATRIDÆ, &c.] Ab hac Musa Silius lib. 1.

——non hic Sidonia tecta
Feminea fabricata manu, pretióve parata,
Exulibúsve datum dimensis littus arenis.

Et Stat. 12. Theb.

Non cum pelliferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus, hic cruda virorum
Prælia, &c.——

Imitatio.

Sed Virgil. vt credo, commutauit illa Euripidis in Androm.

——οὐ γὰρ ἐνθάδ' Ἕκτωρ τάδε,
Οὐ Πρίαμος, οὐδὲ χρυσὸς, ἀλλ' Ἑλλὰς πόλις:
——non enim hic est Hector,
Non Priamus, non aurum, sed Græcanica ciuitas.

Vlyssis loquentia.

5. NEC FANDI FICTOR VLYSSES.] Vt qui tantùm loquendo & fingendo posset, non virtute, & viribus. Ab Eurip. in Rheso dicitur Vlysses αἱμυλώτατον κρότημα, *facundissimum crepitaculum.* Ibidem dicitur τρίβων τὰ κομψὰ, & νοῦν σοφὸς, vt qui esset industrius & solers mente. Et in Cyclope, ἀνδρα κρόταλον, *virum crotalum,* vt qui tantùm facundia insonaret. Ibidem Silenus admonet Polyphemum facetissimè, vt deuoret Vlyssem: nam, si eius linguam comedat, fiet λαλίστατος, *loquacissimus.* Inde in Troadib. datur illi δίπτυχος γλῶσσα, *duplex lingua.*

6. DVRVM A STIRPE GENVS.] Hæc omnia, quæ sequuntur de vita & institutis Latinorum, Numani ore, volunt plerique viri docti desumpta ex Cæsaris Comment. lib. 6. Bel. Gall. vbi de Germanis ea ferè dicuntur, hoc verborum amplexu: *Vita omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consistit: à paruulis duritiei, ac labori student. Qui diutissimè impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. Hoc ali staturam, ali hoc vires, neruósque confirmari putant,* & quæ sequuntur. Illud, *diutissimè impuberes permanserunt,* explicabis ex Mela (hoc ἐν παρέργῳ) qui de Germanis capite tertio libri tertij. *Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes sint, & longissima apud eos pueritia est.* Sed redeo ad cursum. Similem virtutis formam cum Virgiliana habet disciplina militum Seueri Imperatoris apud Herodianum libro secundo. Illos enim Seuerus laudat, quippe assuetos κρύους τε, καὶ θάλπους καταφρονεῖν, ποταμοὺς τε πεπηγμένους πατεῖν, &c. *algores, atque æstus despicere, calcare flumina gelu concreta.* Neque abit locus elegantissimus Claudiani de disciplina Honor. Pan. 4. cuilibet facilè adeundus. De ipsis Italis Virg. lib. 5. ore Anchisæ apparentis filio, *gens dura atque aspera cultu.* Est hoc, quod Nonnus lib. 39.

Germanorū dura vita.

Οἷς βίος ἔργα μόθοιο, καὶ ἐλπίδες εἰσὶν ἀγῶνες:

A *Quibus vita posita in bello, & spes in certaminibus.*
Τὸ δυρὸν γένος respondebit τοῖς θρηικίοις. Sic enim Numidas appellat Polybius libro tertio, atque etiam Hispanos.

Durū genus.

7. NATOS AD FLVMINA, &c.] Viguit hic mos in tota antiquitate. Ita enim auidi mortales tractandi belli, cùm Imperia bellico tantùm iure quærebantur, vt à pueris inirent hanc rationem indurandi corporis; vt assuescerent futuro bellorum labori. Celtæ imprimis nobiles fuêre hac consuetudine, qui editos in lucem infantes, & clypeo impositos ad flumen Rhenum deferebant, proiiciebántque in gurgitem. Quòd si scutum fluitaret, neque mergeretur, illam tanquam veram, & genuinam sobolem educabant: si autem mergeretur, adulterinam, atque spuriam putabant, neque dignam alimoniis. Quod commentū B non solùm fiebat ad noscendam sobolem, sed etiam ad explorandam aut virtutem, aut ignauiam. Nam clarè Theophyl. Simocatta in Epistol. de Rheno loquens, ait, ὅθεν, καὶ ἀρετῆς, καὶ κακίας ἔλεγχος ἐστιν ἀληθέστατος. De hac re exstat Græcum Epigramma in Anth. ita redditum,

Celtarum institutum.

Rhenus explorator virtutis infantulorum.

Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno
Explorant: non hos genitrix priùs vbere largo
Alma fouet, vitreas fluuij quàm venit ad vndas.
Lympha nouum capit alta genus, quod remigis instar
Vmbo regit, fluidíque effulcit corpus alumni.
Et fixum sic vnda probat, lectúmve iugalem
Damnat adulterij, &c.——

Nolui Epigrammatis huius Græca, quia iam alij. Itaque ad Celtas respectum à Claud. 2. Ruff. versu isto,

C *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Meminit etiam Celtarum hoc disticho Nazianzen.

Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις,
Καὶ χρυσὸν καθαρῷ ἄνθρακες εἰσι κρίσεις:
Cernitur vt purum prunis ardentibus aurum,
Gurgite sic Rheni pignora Celta probat.

Et in Carmin. ad Nicobul. νόθον ἐλέγχει κελτικὰ ῥεῖθρα: *nothum exploratum aquis Rheni.* Nonnus etiam libr. 23. Dionys.

Ῥῆνος ἴβηρ βρεφέεσσι κορύσσεται, ἀλλὰ δικάζων,
Καὶ κρυφίων ὠδῖνα διακρίνων ὑμεναίων
Κτείνει ξεῖνα γένεθλα.——
Rhenus Iber contra infantes armatur, tanquam iudex,
Et occultum partum discernens generationis,
Occidit prolem adulterinam.——

D Iulianus quoque Cæsar ita in Epist. ad Maximum Philosophum. Πάντως οὐδὲ ὁ Ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτοὺς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει, καθάπερ ἀκολάστου λέχους τιμωρὸς ἀρίστων· ἃ δ' ἂν ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος, ὑπεράνω τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν, ὥσπερ δίκαιον ἵνα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαρῶν, καὶ ἀμέμπτου γάμου τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος: *Nullā omnino Celtis Rhenus iniuriā facit, qui spurios infantes vndis abripit, tanquam impuri lecti vindex: quos autē ex puro semine ortos agnouit in summa aqua suspendit, matrísque trementis manibus reddit, & quasi verum incorruptumque, casti, & laudabilis coniugij testimoniū seruato infante persoluit.* Ne putet Lector hæc extra rem adducta. Nam tametsi Virgilio sermo sit de mersio-E ne ad roborandas vires, & his Scriptoribus ad probandam sobolem: certè illi ipsi, qui hoc commento sobolē probabant, vires etiam firmabant infantulorum, quod non tacuerunt alij. Clarissimè .n. Galen. lib. 1. de tuenda sanitate, etiamsi reprehendēs. ἡμεῖς γὰρ οὐ τοῖς νομίζουσι τῶν παρ' ἡμῖν ἀνθρώπων εὐθὺς ἅμα τῷ γεννηθῆναι ἔτι θερμὸν τὸ βρέφος ἐπὶ τὰ τῶν ποταμῶν φέρειν ῥεύματα, κἀνταῦθα καθάπερ φασὶ τοὺς Γερμανοὺς ἅμα

Spurius quis esset probabatur aquis Rheni.

ἅμα πειρᾷν αὐτῶ τῆς φύσεως, ἅμα τε κρατύνειν τὰ σώματα, βάπτοντας εἰς τὸ ψυχρὸν ὕδωρ, ὥσπερ τὸν διάπυρον σίδηρον; *Quis eorum hominum, qui apud nos sunt, ferat infantulum recens editum, & adhuc calentem ab vtero ad flumen ferre: ibique, quod Germanos facere aiunt, veluti ferrum candicans, in frigidum humorem mergere, quo & periculum naturæ fiat, & corpus ipsum roboretur?* Insistit proculdubio Galenus Epigrammati illi cuius initio mentionem feci. Nam ibi auctores huius moris Celtæ dicuntur θαρσαλέοι, in quo verbo manifesta reprehensio. Præterea cum sententia Galeni simillimus versus ille,

Flumine an probandi infantes.

> Αἶψα γὰρ ἠνίκα μητρὸς ὀλισθήσας διὰ κόλπων
> Νηπίαχος.———

Nam hoc, quid est aliud, quam θερμὸν βρέφος Galeni? Vides ergo, vt ars illa probandæ sobolis esset etiã firmando robori. Vis testimonium aliud? Audi Aristot. lib. 7. Polit. c. 17. συμφέρει δ' εὐθὺς καὶ πρὸς τὰ ψύχη συνεθίζειν ἐκ μικρῶν παίδων: τοῦτο γὰρ καὶ πρὸς ὑγίειαν, καὶ πρὸς πολεμικὰς πράξεις εὐχρηστότατον. διὸ παρὰ πολλοῖς ἐστὶ τῶν βαρβάρων ἔθος, τοῖς μὲν εἰς ποταμὸν ἀποβάπτειν τὰ γιγνόμενα ψυχρόν: τοῖς δέ, σκέπασμα μικρὸν ἀμπίσχειν, οἷον Κελτοῖς: *Prodest statim & contra frigora assuescere à paruis pueris: hoc enim & ad valetudinem, & ad bellica facta maximè accommodatum est: quare apud multos Barbaros mos est, his quidem in flumen frigidum infantes mergere, his verò paruum tegumentum inducere, veluti Celtis.* Neq; verò putes Aristotelem referendum tantùm ad posteriorem morem de tegumento, non ad priorem de aquis, vtrumq; enim Celtis dat. Nam quis dicat nesciuisse Aristotelem, hunc morem fuisse Celtis? Deinde Iulius lib. 6. Gall. dans morẽ hũc Germanis, meminit vtriusque rei sub vnica distinctione, scilicet & fluminis, & vestimenti. Verba eius. *In flumine perluuntur, & pellibus, aut paruis renonum tegumẽtis vtuntur, magna corporis parte nuda.* Loquitur Iul. de pueris, quæ verba ex Aristotele sumpsisse, credibile, vel ex hoc, nam σκεπάσματα μικρὰ Aristotelis, Iulius reddit, *paruis tegumentis.* Ceterùm ego, vt vberiùs in gratiam mei Lectoris laborem, trãseo ab Celtis, Germanis, & Rheno, ad alios, qui eodem more claruerunt. Illum Sidon. dat Thracibus 2. Carm. Adducam integrum locum, quia integer ad normã Virgilij: excurrit enim in infantiam, pueritiam, iuuentutem, senectutem.

B

Thracum mos.

> *Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo*
> *Artus infantum molles nix Cimbrica durat.*
> *Pectore vix alitur quisquam, sed ab vbere tractus*
> *Plus potat per vulnus equum, sic, lacte relicto,*
> *Virtutem gens tota bibit. Creuêre parumper,*
> *Mox pugnam ludunt iaculis, hos suggerit illis*
> *Nutrix plaga iocos: pueri venatibus apti*
> *Lustra feris vacuant. rapto ditata iuuentus*
> *Iura colit gladij: consummatámque senectam*
> *Non ferro finire pudet. Tali ordine vita*
> *Ciues Ma‑tis agunt.*———

Stat. lib. 5. aliquid attingit de hac Thracum pueritia, cùm ait,

> ———*stantésque in littore nati*
> *Dulciùs Ædonias hyemes, Arctónque frementem*
> *Excipere, &c.*———

Porrò in Sidonio rectiùs legerem *nix ciuica*, quàm *nix Cimbrica*; quia in sermone Thracum, nihil oportet ad Cimbros decurrere, cùm satis niuis in Thracia sit. Sed ad viam. Hic mos non neglectus in Græcia: nam de Spartanis Sen. Rh. Suas. 1. *Hanc* (Spartam) *Eurotas amnis circumfluit, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.* Eundem Thebanis ascribo; nam de Hercule Claudian.

Nix ciuica.

Spartanorũ mos, &

Thebanorum, &

> ———*cùm totis iam bruma rigeret*

A

> *Imbribus, & solidis hærerent flumina lymphis,*
> *Nudum pregelidis durando firmat in vndis.*

Scribit scilicet, vti Alcmena Herculem eduxerit. Eundem Iacygibus dat Val. Flacc. cùm ait,

Iacygum.

> ———*vbi tam sæuo durauimus amne*
> *Progeniem, natósque rudes.*———

Absolui pensum. Sed velim sciat meus Lector, Virgilium capi posse simpliciùs, videlicet de natatione. Nam cùm sermo sit de Italia, & nemo scriptorum Italiæ hunc morem dederit, fit proinde fortasse, vt Virg. dicat nõ *natos primùm*, id est, infantes: sed, *primùm deferimus natos*, id est, liberos, ad exercitationẽ natandi, deinde assuefacimus venationibus. Hoc qui dicat, nescio quî possit redargui. Certè Veget. cap. 10. lib. 1. inter militares exercitationes natationem adhibet. Silius etiam lib. 8.

Natatio inter militares exercitationes.

> ———*vndosum frangere nando*
> *Indutus thoraca vadum, spectacula tanta*
> *Ante acies virtutis erant.*———

Horat. mollem adolescẽtem notat, quòd timeat *flauum Tyberim tangere.* Lege & Sueton. in August. c. 64. Adiicio huic Notæ parergon. Quæ dicta sunt de exploratione Rheni in sobole vera, aut adulterina, similitudinem habent cum probatione iuramẽti, quæ solita fieri in aquis, quam rem ἐν τῷ Παλικῷ Stephan. narrat. Quo loci, quæcumque iurat aliquis, ea schedulæ inscripta abiicit in aquam: in qua si supernatat, pro legitimo iurato habetur; si verò sidit, vritur is, qui iurauerat. Sed hæc profectò ad mendacium referenda sunt, qualia multa veteribus ex vno scriptore in alios propagata.

Iuramenti probatio.

C

8. SÆVOQVE GELV DVRAMVS, ET VNDIS.] Est hoc argumẽtum austeræ admodùm disciplinæ, cùm dicat Quintil. Declam. 306. *Rarum est, vt expositi viuant. Caducum circa initia animal, homines sumus. Nam ferarum pecudúmque fœtibus est statim ingressus, & ad vbera impetus. Nobis tollendus infans, & aduersùs frigora nutriendus. Sic quoque inter parentum manus, gremiúmque nutricis sæpe labitur.* Quantus ergo rigor gelu durare tenera corpuscula? Ab hoc rigore disciplinæ non abit ille apud Sidon. in Auito,

Gelu durare ad labores belli.

> ———*lactentia primùm*
> *Membra dedit niuibus, glaciemq; irrepere plantis*
> *Iussit, & attritas paruum ridere pruinas.*

Nec Honorij apud Claud. 3. Paneg.

D

> *Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,*
> *Æstiuum tolerare iubar, transnare sonoras*
> *Torrentum furias, &c.*———

Nec militum apud Silium lib. 4.

> *Quósque in pregelidis duratos Hernica riuis*
> *Mittebant saxa, & nebulosi rura Casini.*

Amm. lib. 15. ait: *ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contempturus & formidanda.* Inter leges Lycurgi vna fuit, auctore Xenoph. vt pueri ἀνυποδησίᾳ τοὺς πόδας κρατύνειν, *nudis pedibus incederent, & ita durarentur.* Vt hîc *duramus*, ita de ætate Horat. Sat. 4. lib. 1. *simul ac durauerit ætas Membra.* Vsus est Sen. epist. 36.

Lycurgi lex.

9. VENATV INVIGILANT PVERI.] Nulla fortasse exercitationum aptior ad futuram militiam. Ita in magnum ducem Iugurtha euasit, prædicante Sallust. *Pleraque tempora in venando agere, leonem, atque alias feras primus, aut in primis ferire.* De Anthemio Sidon.

Venatio aptissima exercitatio ad discendã militiam.

E

> *Inuentas agitare feras; & fronde latentes*
> *Quærere deprensas, modo claudere cassibus arctis,*
> *Nunc torto penetrare veru.*———

Hãc virtutẽ de Hippomedõte prędicat Eurip. in Sup.

> Παῖς ὤν, ἐτόλμησ', εὐθὺς οὐ πρὸς ἡδονὰς

Μουσῶν τραπέσθαι, πρὸς τὸ μαλθακὸν βίον,
Ἀγροὺς δ' ἐναίων, σκληρὰ τῇ φύσει διδοὺς,
Ἔχαιρε πρὸς τἀνδρεῖον, εἴς τ' ἄγρας ἰών:
Puer cùm esset, audere cœpit, non enim ad voluptates
Conuersus est Musarum, & mollem vitam,
Agros coluit, vitam exercuit duram,
Gaudere virilibus, ire ad venationes.

Est enim argumentum feritatis venatio. De Hircanis Amm.lib.23. *Apud quos ruris colendi cura est leuior, sed vescuntur venatibus.* De Chirone ait Max. Tyr. dissert. 18. docuisse illos, quos educandos accipiebat, θήραις, καὶ ὀρειβασίαις, *venationibus, & montanis itineribus.*

Fatigare syluas. 10. SYLVASQVE FATIGANT.] Arripuit Claud. 3.Stil.
Nubiferas Alpes, Apenninique recessus,
Garganique niues Hecaërge prompta fatigat.
Vide lib.8.ad illud,
Olli remigio noctémque diémque fatigant.

Imitatio. 11. FLECTERE LVDVS EQVOS.] Totus versus Euripidem sapit, qui de Hippomedonte in Supplic.
Ἵπποις τε χαίρων, τόξα τ' ἐντείνων χεροῖν:
Equis gaudens, arcum tendens manibus.

Præsertim cùm adhibeat exercitationes, quas à puero didicit Græcus ille, vt ita se assuefaceret virtuti bellicæ. Nulla enim alia mens Virg. quàm pueros à primis statim annis instituendos militaribus artibus. Exstat huius rei præceptum Aristot. libro 7. Polit. Pueri exercendi ad bellum. φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτι παιδευτέον τῇ γυμναστικῇ τοὺς παῖδας: *Perspicuum ex his, tradendos pueros statim gymnasticæ.* Et paucis interiectis. νῦν μὲν οὖν αἱ μάλιστα δοκοῦσαι τῶν πόλεων ἐπιμελεῖσθαι τῶν παίδων, αἱ μὲν ἀθλητικὴν ἕξιν ἐμποιοῦσι: *Nunc igitur ciuitates, quæ maximè videntur curam gerere puerorum, hæ quidem athleticum habitum inserunt in illos.* Sed & Plato lib. quoque 7. Politic. præcipit, pueros ducendos ad bellum, & admouendos, si tutò possit, loco, vbi pugnatur, vt gustent sanguinem, tanquam catuli. Ab his omnibus non abit ludus puerorum Virgilij in flectendis equis. Cùm Perses apud Liu.lib.42. de suis militibus dicit, *Ipsi à pueris eruditi artibus militiæ*, nullas alias artes capio, quàm quas de pueris prædicat Maro. Has etiam de se iactat apud Sallust. Marius. Ceterùm, cùm Poëta dicat, bellicas exercitationes amatas pueris, vt ludos, Ludus puerorum. adducam loca aliqua Sidonij de re omnino simili. Ergo, Paneg. Anthem.
Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas
Festina tractare manu, captósque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere neruos.
Et Paneg. Maioriani,
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeósque rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas.
Demum Paneg. Auiti,
Iam si fortè suem latratibus improbus Vmber
Terruit, albentes nigro sub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantiq́; lacerto
Vasta per aduersas venabula cogere prædas.

Hæc omnia loca non solùm ad imitationem Poëtæ, sed etiam ad mentem. Nam quæ Virgilius de disciplina puerorum in Rutulis ad futura bella, Sidonius illustrat exemplis trium Imperatorum, Anthemij, Maioriani, Auiti, qui eam institutionem habuêre, cùm essent pueri.

Patiens operum. 12. PATIENS OPERVM.] De Afris Sallust. Iugurth. *Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum.*

Paruo assuescere. 13. PARVOQVE ASSVETA IVVENTVS.] Hæc est, credo, virtus illa, quam de Mario prædicat Sallust. *duritiam nominans, quòd à pueritia consuetam duritiam, & alia, quæ cæteri miserias vocant, voluptati habuisset.* Duritia quæ. Locutus verò est Maro cum respectu ad æuū primum, quo homines paucis contenti ad victum, hísque agrestibus, scribente Lucret. lib.5.
Glandiferas inter curabant corpora quercus.
Hanc inopiam victus; sed paupertatis nomine, vult Horat. inesse Romanis pueris, vt ita instituantur ab bellum. Lege Horat. Od. 21. lib. 3. Charidemus Atheniens. apud Curt. lib. 3. inquit, militare in Alexandri disciplinam instituisse integram atque incolumem *paupertate magistra.* Vt hîc, *paruo assueta*, ita in 6. Paupertas magistra virtutis. *paruóque potentem Fabricium.* & Tibullus, *viuere paruo.*

14. AVT RASTRIS TERRAM DOMAT, &c.] Lege, quæ scripsi 2. Georg. vbi plenè de rusticis, qui apti ad bellum.

15. DOMAT.] Pro, arat. Stat. 4. Theb. *Et qui rura domant Epidauria* Ennod. orat. 4: *E domitam terram térque & quater agricola ligonibus.* Domo, pro, aro.

16. OMNE ÆVVM FERRO TERITVR.] Est hoc, Vitam terere. quod Himerius ἐν μελέταις, de Persis loquens, ait; πᾶς ὁ βίος ἐκείνοις φαρέτρα καὶ βέλη: *vita omnis illis est pharetra, & sagitta.* Et Claud. Bell. Get.
Totaq́; sub galeis Mauortia canuit ætas.
Sed & locutio Hellenica est: nam Græci τρίψαι, & κατατρίψαι βίον.

17. VERSA HASTA.] Intelligit βουπλῆγα, de qua Versa hasta. voce iam à me. Vt hîc *hasta* feriuntur boues: ita Cassiod. lib. 11. epist. 5. dixit, etiamsi de re alia, *cuspides boum stimulos.*

18. IVVENCVM TERGA FATIGAMVS.] Argumentum virtutis. Apollonius lib. 1. de Lemniis feminis. Hasta iuuencos stimulare.
Τῇσι δ' ἐνιαυτὸν βοῶν, χάλκειά τε δύνειν
Τεύχεα, πυροφόρους τε διατμήξασθαι ἀρούρας:
Quibus erat cura boum, æreaq́; induere
Arma, fertil[e]sq́; terras scindere.
Contrario tamen argumento Sil. libro 3. loquens de Hispanis militibus.
Cetera femineus peragit labor: addere sulco
Semina, & impresso tellurem vertere aratro
Segne viris, quicquid duro sine Marte gerendum est,

Senes bellicosi. 19. NEC TARDA SENECTVS, &c.] Describit iam Poëta senes ἐνοπλίους, quod maximum argumentum virtutis. Tales exhibet Silius lib. 2.
Nec requies æui nota, exsanguésque merendo
Stant prima inter signa senes, lethúmque lacessunt.
Et eodem lib. loquens de Hispanis,
Cantaber ante omnes hyemisq́; æstusq́; famisq́;
Inuictus, palmámque ex omni ferre labore.
Mirus amor populo, cùm pigra incanuit ætas,
Imbelles iamdudum annos præuertere saxo,
Nec vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis
Lucis causa sita, & damnatum viuere paci.
Tales Getas Claud. lib. de Bell. Get.
At tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis non exarmata senectus.
Tibul. lib. 4. hos describit, illis, *vetus vt non fregerit ætas.* Nullis enim laboribus huiuscemodi senes franguntur, nulla ætate. Talis illa Charontis vis, quæ à Poëta dicitur *senectus viridis.* Quē virorē & hîc indicat dās Vigor notat virorem. illis *vigorem.* Nam Glossæ, *vigeo*, θάλλω, ἀκμάζω. & Laberius: *Cur non vigebam membris præuiridantibus?* Talem etiam senectutem Apollonius libro 1. Arg. in duce Polyphemo, cui cùm iam membra ingrauescerent, tamen μένεν θυμὸς ἀρήϊος, *manebat Martius animus.* Tales Homerus Græcos exhibet 14. Iliad. vbi ait, illos accepisse beneficium hoc à Ioue, videlicet ἐκ νεότητος ἐς γῆρας τολυπεύειν πολέμους, *à iuuentute*

à iuuentute vsque ad senium bella perferre. Ergo quamuis senectus debilitet vires corporis, ait Poëta, certè non animi. Quæ sanè magna αὔξησις. Nam Aristot. 1. Pol. cap. 9. ait, non solum senectutem contingere corpori, sed etiam animo & menti. Verba eius. ἔστι γὰρ ὥσπερ καὶ σώματος, καὶ διανοίας γῆρας. Porrò senectutem imbellem, ac nulla fortitudine illustrem, ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ vocat Pind. Od. 1. Olymp.

Senectus animi.

20. CANICIEM GALEA PREMIMVS.] Plutarch. in opere, An seni regenda Resp. τὸ κράνος ἀποκρύψῃ τὰς πολιάς: *galea occultet canos.* Vt hîc *premimus*, ita Ouid. Epist. *galea caput ille premetur.* Sil. 2. *pressa properata casside mala.*

Galea occultet canos. Premo, de galea.

21. SEMPERQVE RECENTES, &c.] Fuit ista apud veteres Gentiles viuendi ratio non ignominiosa, ideo Numanus de suis Italis prædicat vt gloriosum, quòd prædas agerent, & rapto viuerent. De Germanis Tacit. *Materia munificentiæ per bella & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum tam facilè persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri. Pigrum quinimò & iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.* Iactatur sententiola, quam suis inseruit Gruterus,

Rapto viuere gloriosum.

Latrocinari gloria est, non dedecus.

Plutarch. in Apoph. Lacon. ait fuisse tempus, quo pueri Lacedæmoniorum iuberentur furari, idque lege. Verba eius. ἐν ᾧ (καιρῷ) κλέπτειν νενόμιστο τοὺς ἐλευθέρους παῖδας. Et in Institut. Lacon. κλέπτουσι δὲ οἱ νέοι, &c. Idē scribit Xenophon, apud quē Lycurgus permisit pueris, vt furto cibum quærerent, κλέπτειν τὰ σιτία, vt ita fortiores euaderent. Hoc enim indicat sequens Xenophontis ratio. δῆλον δὴ, ὅτι τὸν μέλλοντα κλωπεύειν, καὶ νυκτὸς ἀγρυπνεῖν δεῖ, καὶ μεθ' ἡμέραν ἀπατᾶν, καὶ ἐνεδρεύειν: *Nimirum patet, eum, qui aliquid furto sit ablaturus, necesse habere, vt noctu vigilet, interdiu fallat, insidias locet.* Adeò verò peritos furti esse volebat Lycurgus, vt iuberet (quod miror) puniri deprehensos, vt qui non ex arte furarentur. Redeo ad cursum. Apud Hom. 19. Odyss. furacitas Autolyco ornamenti loco tribuitur. Nam de illo ἐκέκαστο κλεπτοσύνῃ, *erat in honore propter furta.* Rectè verò Spondanus (laudator alioquin Homeri) Græcum reprehendit, qui ex furto quæsiuerit Autolyco nobilitatem, cùm debuisset ex latrociniis. Nam, vt hæc habent speciem fortitudinis, ita furtum ignauiæ. Vnde & Plato κλοπὴν, id est, *furtum*, vocat ἀνελεύθερον, *illiberale*: sed ἁρπαγὴν, id est, *raptum* tantùm ἀναίσχυντον, id est, *inuerecundum.* Nam cum impudentia aptari fortitudo potest, non cum illiberalitate. Sed regredior. Albertus Krant. lib. 1. Hist. Vand. c. 7. loquens de veteri Danorum disciplina: *Igitur cùm Danorum Reges terra marique, velut iustum exercerent Imperium, piratica in honore fuit, non minùs quam olim apud Lacedæmones furtum, arbitrantibus, velut in Paganismo, Barbaris (quibus nullæ leges proditæ, nulla iustitia comperta monita) iustè possideri quicquid vi, aut armis quæreretur.* Lege quæ sequuntur. Sed hanc rem satis ditaui lib. 3. Georg. vbi Virg. laudis loco, Hispanos vocat *impacatos*; vt & Hispania *audax* à Tibull. dicitur. Non igitur Hispani eo numero ponuntur à Virg. quo fures & lupi, sed quo fortes & strenui. Vnde & Plutarch. in Mario de Hispanis ait, fuisse apud illos λῃστεύειν κάλλιστον, *pulcherrimum latrocinari.* Quin de ipsis Romanis ait in vita Pompeij, illos, qui χρήμασι δυνατοὶ, καὶ γένει λαμπροὶ, *opibus & nobilitate valebant*, sese piratis adiunxisse, & addit rationem hanc. ὡς καὶ δόξαν τινὰ, καὶ φιλοτιμίαν τοῦ ἔργου φέροντος, *tanquam res illa existimationem ferret & gloriam.* De Scythis Herodotus libro 4. ζῶσι δὲ ἀπὸ λῃίης τε, καὶ πολέμου: *viuunt ex rapto, & ex bello.* vbi, sicut bellum gloriosum, ita & raptus. Vide dictum locum Georg.

22. VOBIS PICTA CROCO.] Non incassum hæc contumelia, nam Troianis congruit, vt pote Asiaticis. Hi enim mores illius gentis. Vide Tertull. de Pallio, vbi has, & similes artes, munditiásque exoticas in Asiam confert.

Asiatici infames luxu.

23. PICTA CROCO.] Intelligit vestem dictam *crocotum*, aut *crocotium*. Cic. de Arusp. Respons. *crocotam* vocat. & Plaut. Epid. *crocotulam*. Ab eodem Aulul. infectores *crocotarij*. Esse autem hanc vestem non virilem, sed muliebrem, ex primo Plauti loco liquidum, illam enim feminis attribuit, vt patebit intuenti. Atque etiam ex his Tullij de Arusp. Resp. vbi ait: *P. Clodius à crocota, & mitra à muliebribus soleis, purpureísque fasciolis, est factus repentè popularis.* Interpres etiam Aristoph. in Ranis clarè ait, κροκωτοῦ γυναικείου, *muliebri crocoto.* Et Aristophan. ipse in Concionantibus,

Crocotum vestis muliebris.

———ἀλλὰ τῆς γυναικὸς ἐξελήλυθα
Τὸ κροκώτιον ἀμπισχόμενος.
Exiui induens crocotium, indumentum femineum.

Et in Lysistrat. idem Comicus. αἱ γυναῖκες κροκωτὰ φοροῦσαι: *mulieres ferentes crocota.* Quem ad locum Scholiastes. δηλονότι ἐσθήματα, ἢ ἐνδύματα χρώματος κροκίνου, οἷς αἱ τῶν πλουσιωτέρων ἀνδρῶν γυναῖκες πάλαι κόσμου χάριν ἐχρῶντο: *videlicet vestimenta, aut indumenta coloris crocei, quibus olim, ornatus causâ, vtebantur feminæ ditiorum.* Pollux etiam cap. 13. libro 7. γυναικῶν δὲ κροκωτὸς, κροκώτιον: *feminarum est crocotos, & crocotium.* Inde risus ille excitatus ab Aristophane in Ran. quòd Bacchus vnà cum leonina Herculis coniunxisset crocotum,

Ἀλλ' οὐχ οἷός τ' εἰμὶ ἀποσοβῆσαι τὸν γέλων,
Ὁρῶν λεοντὴν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην:
Non possum continere risum, quando ita
Leoninam crocoto inductam conspicor.

Et quidem indumentum hoc fuisse Bacchi etiam Pollux animaduertit cap. 18. lib. 6. Cùm verò Phryges acu pingere inuenerint, picturam Maronis ad Phrygios refero, præsertim in sermone contra Phryges; nam hi Troiani. Ita & Valerium cape libro 3. Arg.

Phryges inuenerūt acu pingere.

———coniux Percosiæ vestes
Quas dabat, & picto Clyte variauerat auro.

Dixi de veste. Ceterùm excursui Virg. similis locus Theophylacti lib. 1. Hist. Mauric. cap. 14. vbi sententia Chiliarchi ducis refellitur, vt ignaui & timidi. Ibi gladium opponit ventilabro, thoracem ferreum pellitæ tunicæ, ferocem equum boui aratori, vt Numanus rigidam Italorum disciplinam ignauæ Troianorum vitæ. Et similior adhuc locus Curtij libro 3. vbi Alexander in oratione ad milites opponit Illyricis & Thracibus rapto viuere assuetis, quos ipse in exercitu habebat, his (inquam) opponit aciem hostium auro purpuráque fulgentem.

Locorum similitudo.

24. ET FVLGENTI MVRICE VESTIS.] Ad ambitionem, vt in Sil. lib. 3.

Purpura fulgida.

———humeróque refulget
Sanguinei patrium saguli decus.———

Non enim vulgò in vsu fulgens purpura, sed nigricātior & obscurior. De Catone scribit Plutar. ὁρῶν πορφύραν ἐρυθρὰν καὶ ὀξεῖαν ἀγαπωμένην, αὐτὸς ἐφόρει τὴν μέλαιναν: *Cùm videret purpurā affatim splendentem ac subtilem in honore habitam, ipse nigram gestabat.*

Orientales adhuc in bello luxuriosi.

Sed hæ quidem & similes deliciæ in vsu Orientalibus adhuc in ipso bello. De Assyriis ait Cyrill. Alexand. in Nahum num. 22. πολλὴν καὶ ἐπαινετὴν ... τῶν λίθων ποιεῖσθαι τὴν ἄθροισιν, καὶ κοσμεῖσθαι κεκαλῶς, ὡς καὶ ἐν αὐταῖς ἐπείγεσθαι ταῖς μάχαις τὴν τῷ κόσμῳ λαμπρότητα ... : Quid hæc militia dissolutius? Dicit videlicet, *conquiri ab illis perstudiosè pretiosos lapides, vt instar puellarum ornati appareant, & contendere, vt in ipsis adhuc bellis videantur ornamentorum splendore insignes.* In promptu sunt, quæ Curtius de exercitu Darij. Claud. 2. Eutrop. signatè *mollitie Eoa.*

Desidia.

25. DESIDIÆ.] Notat hæc vox homines ἀργοτάτης, & ῥαθυμοτάτης. Vtramque enim vocem dat Athen. lib. 12. sedentibus & cessantibus. Ioann. etiam Chrysost. eadem vitia assignat cessatoribus in laudatione Pelagiæ, & illis opponit προθυμίαν καὶ φρόνημα. Sed de hac te iam alibi. Cùm autem desidiam ait esse *cordi*, adumbrat Homerum Odyss. 8.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε:
Semper nobis amicum est conuiuium, cithara, chori.

Ab Nostro Sidon. epist. 22. lib. 4. *Desidia cordi aqua ...* & Noster ab Catull. Nupt. Pel. *tibi non fuerant cordi connubia*, aut à Terentio, qui And. *nuptiæ hæ sunt cordi.*

Choreæ alienæ à bello.

26. IVVAT INDVLGERE CHOREIS.] Nā hæ alienæ omnino à bello, & totæ sunt pacis. Sophoc. Antig.

Ἐκ μὲν δὴ πολέμων
Τῶν νῦν θέσθαι λησμοσύναν.
Θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς παννυχίοις πάντας ἐπέλθωμεν.

Nunc bella hæc obliuiscamini. Deorum verò templa choris nocturnis omnia adeamus. Sunt etiam choreæ pueriles, ac proinde indignæ viris. Ioann. enim Chrysost. in laudato nuper loco, iustissimo attributo, παιδικῆς χορείας.

Manicæ vestes ignominiosæ viris.

27. ET TVNICÆ MANICAS.] Ex Virgilij hoc loco patescit, manicatas vestes ignominiosas fuisse, saltem viris. Hoc obiicit Cicero sociis Catilinæ orat. 2. *Quos pexo capillo nitidos, manicatis & talaribus, ac tritis tunicis, velis amictos, non togis.* Omnia sunt argumenta luxuriæ. Ennius (notante Nonio) Carthaginensium iuuentutem probro quodam *tunicatam* vocabat, illam enim Afris dat Tertull. Lege quæ Agellius scripsit lib. 7. c. 12. Græci has tunicas *chirodotas* vocant, χειροδώτας, quòd videlicet manicæ ipsæ porrectæ vsq; ad manus, & inde etiam Latinum nomen. Hoc genus deliciarum Persis dat Xenoph. lib. 8. παιδ. ad occultādas manus aduersùs frigora. περὶ ἄκραις ταῖς χερσὶ χειρίδας δασείας, καὶ δακτυλήθρας ἔχουσιν: *Ad extremas manus habent tegumenta quædam hirsuta, & digitabula.* In eodem lib. ait, Cyrum, procedentem ad sacrificium, habuisse manus ἔξω τῶν χειρίδων, *extra manicas.* Sic & de Persis Curt. lib. 3. *Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant, manicatásque tunicas gemmis etiam adornatas.* Vides habitum conformatum ad omnem luxuriam. Eiusdem habitus Persici duobus in locis meminit Pollux, videlicet lib. 2. c. 4. & lib. 7. c. 13. Has Epicureis dat Sen. epist. 33. Stat. Thebaïde septima de sacerdote Bacchi, *brachiáque in manicis.* Audi & verba August. lib. 3. de Doct. Christ. *Talares ac manicatas tunicas habere, apud Romanos flagitium erat.* Vt profectò videatur ad hoc flagitium Poëta allusisse, & locutus ex Romano more. Plaut. Pseud. vocat *manuleatam tunicam.* Ad pleniorem illustrationem nota, dici *manicas* numero multitudinis, vbi notantur Troiani Principes delicatuli & molles, scribente Polluce cap. 13. lib. 7. χιτὼν δὲ, ὁ μὲν ἀμφιμάσχαλος, ἐλευθέρων σχῆμα. ὁ δ' ἑτερομάσχαλος, οἰκετῶν: *Vestis vtrinque axillata, liberorum est: vnica tantùm parte, seruorum.* Nota etiam in voce *tunicæ* latere doctrinam. Nam tunicæ ortum habuêre à Phrygibus & Troianis. Vnde Propert. Eleg. 2. lib. 2.

Chirodotæ.

Manuleata tunica.

Tunicæ ortæ à Phrygibus.

Cedite iam Diuæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Cùm præsertim notet Agellius, antiquos Romanos toga tantùm vsos, non tunicis. Vnde credibile est, illas à Phrygibus commeasse, cùm Prop. & Virg. dent Phrygibus. Iuuant, quæ de toga scribit Tertull. lib. de Pallio, quæ ortum habuit à Pelasgis, & Lydis, & inde transiit ad Romanos: vt credibile sit, idem quoque dici de tunica posse.

Togæ ortus vnde.

28. ET HABENT REDIMICVLA MITRÆ.] Duo dicam in hac Nota, videlicet de mitra, & de redimiculis. Non dubium, quin mitra sit aut feminarum, aut mollium, atque adeò vtrumque probrosum est viris. De feminis probant ista. De Ariadna Catull.

Mitra etiam feminarum, atq; etiam

Non flauo retinens sublimem vertice mitram.

De Helena Moschus,

Τὴν μὲν χρυσόπλεκτος ἀμφίστεφε ... μίτρα:
Hanc quidem auro texta mitra circùm coronabat.

Ciceronis verba de Aruspic. Respon. suprà dedi. Plinium hîc audi cap. 9. lib. 35. *Polygnotus Thasius, qui primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimúmque picturæ primus contulit.* Nōnus lib. 16. illam dat ei feminæ nunquam satis decantatæ, quæ patrem nutriuit suo lacte. De viris mollibus paucula etiam coniunxi. Claudian. Paneg. 1. Stil. illam dat Arabibus, quorum mollicies satis nota. *Hic mitra velatus Arabs.* Cui consonat Plin. cap. 28. lib. 6. *Arabes mitrati degunt.* Dabatur mollissimo Deorum Baccho. Propert. lib. 4.

Mollissimorum

Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi.

Inde & Stat. de Baccho 1. Achill.

Serta comis, mitrámque leuat.———

Et apud Lucian. Bacchus ipse inducitur, μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένος: *illigatus comam mitra.* Diodorus quoque ait Bacchum inde cognominatum μιτρηφόρον. Agathias lib. 3. Hist. illam dat Regibus Lazorum. Sic enim describit illorum luxuriosissimum ornatum: στέφανος χρυσοῦς λιθοκόλλητος, καὶ χιτωνίσκος ποδήρης ἐπίχρυσος, πέδιλά τε κοκκοβαφῆ, καὶ μίτρα ὁμοίως χρυσῷ τε καὶ λίθοις πεποικιλμένη: *Corona aurea pretiosis distincta lapidibus, & palla ad talos demissa intertexta, calcei murice tincti, & mitra similiter auro & lapidibus variata.* Pergo ad *redimicula.* Erant hæc vincula, quibus mitræ ipsæ illigabantur. Id clarè colligas ex Achille Alexandrino lib. 3. καὶ ἐνσκευάσαντες μίτραις τε, καὶ ζώσμασιν ἐνδεδυμένην, τὴν σκευὴν ταύτην ἀποκρύψομεν: *Adornantes puellam mitris, & vittis indutam, apparatum istum occultabimus.* Itaque, *redimicula* sunt, quæ Achilles vocat ζώσματα. Ouidius misso nomine verbum intulit in Epist. *mitra redimire capillis.* Quod verò Achilles ζώσματα, Herodotus (citante Stob. περ. ...) vocat εἵλικα, quasi dicas, *volutionem*, aut *circonuolutionem.* Ait enim: πρὸς δὲ χειρὸς ἀντιλαμβανόμενος εἵλικα μίτρης ἐδέξατο: *vt autem manu apprehenderet, ligauit circumuolutionem mitræ.* Fortasse & Nonus libro 26. easdem vittas intelligit per κρήδεμνα, id est, *reticula.* Ait enim λύσατε μίτρην, ῥίψατέ μοι κρήδεμνα: *soluite mitram, abiicite mihi reticula.* Propert. Eleg. 29. libro 2. *ligamina* vocat, eo versu.

Redimicula.

Zosmata.

Volutio.

Reticula.

Ligamina.

Quæ cùm Sidonia nocturna ligamina mitra.

Vtramque

Vtramque vocem coniunxit Pollux cap. 24. lib. 4. μιτρας, ἀναδήματα. Ita verò connexa mentio mitræ & redimiculi, vt iam vnum, iam alterum enunicietur. Testis Ouid. in Epist. qui de Hercule,

Ausus es hirsutos mitra redimire capillos.

Et de eodem in eadem Epist.

Detrahat Antæus duro redimicula collo.

Mollissimorum habitus.

Vides in primo versu *mitram* solùm, in altero *redimiculum*: sed neutrum sine alio. Ab imagine rerum, quas repræsentaui in hac Nota, videbis non immeritò habitum hoc ornamentum pro ignominioso. Inde ergo hîc iactata in Troianos contumelia ore Numani, & in Æneam libro 4. ore Iarbæ, *Mæonia mentum mitra.* & quispiam apud Stat. Thebaïde nona,

——haud vnquam deformes vertice mitras
Induimus, turpiq; manu iactauimus hastam.

Mitræ inuentum vbi.

Discrepant mirè auctores de illis, apud quos inuenta primùm mitra. Alij ad Mæonios decurrunt, alij ad Lydos, alij ad Sidonios. De qua re iam 4. Æneid. & hîc adiicio, referri etiam posse vel ad Phrygas, vel ad Iónas. Ad Phrygas, quia Tatianus in oratione contra Græcos: *Helena relicto flauicomo Menelao. mitrigerum & abundantem auro Paridem secuta est.* Ad Iönas, quia Aristoph. in Θεσμοφ. ἐμιτροφόρουν τε, καὶ διεκίνουν Ἰωνικῶς: *mitrabantur, & versabantur Iönicè.* Nescio verò, an rectè interpres Aristoph. tam in hunc locum, quàm in alterum eiusdem Comœdiæ, non contentus explicuisse mitram per διάδημα, addat esse genus vestimenti. Verba eius. μίτρα διάδημα, ἢ ζώνη. ταῦτα δὲ εἴδη ἐσθήτων ἐστὶν ἁρμόζοντα ταῖς γυναιξὶν οὐ τοῖς ἀνδράσιν: *Mitra est diadema. aut zona. Sunt ista species vestium feminarum, non virorum.* Falsum hoc, nisi excuser res duplex, vel locutum largè, & vestium nomine intellexisse omnia ornamenta, etiam capitis: vel sermonem referendum ad crocota, quæ præcesserunt in eodem Comico. Dixerat enim:

Ἵνα μὴ κροκωτίοις, καὶ μίτραις γέρων ἀνὴρ
Γέλωτα περιβαλὼν τοῖς κόραξιν ἑστιῶ:
Vt ne crocotulis, & mitris senex vir
Risum præbeam coruis conuiuium exhibens.

Quem locum studiosè attuli, putans fortasse ad illum aspirasse Virgilium, quod ex coniunctione crocotulæ & mitræ aliquis iudicabit. Ad extremum notes mitras dici etiam *Calanticas*, annotāte Seru. quod etiam Nonius ducit ex Tullio, qui in Clodium, *cum Calanticam capiti accommodares*; cùm tamen eidem Clodio in Arusp. Respons. mitram dederit.

Calanticæ.

Phrygiæ.

29. O VERE PHRYGIÆ, NEQVE ENIM PHRYGES.] Insignis cōtumelia. Facit enim Troianos molliores mollissimis. Nam, cùm Phryges sint mollissimi, non cum illis eos comparat, sed cum illorum feminis, quæ molliores. Itaque, etiamsi hoc ad Homeri ductum, tamen iam illum superat. Græcus dixerat Iliad. 7. ore Menelai,

Ὤ μοι ἀπειλητῆρες Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί.
Hei mihi minaces Achiuæ, non iam Achiui.

Superat (inquam) nam cùm Achiui fortes esse prædicentur ab eodem Hom. non ita est grauis contumelia, ignauos dici *Achiuas*. Ceterùm, simile quidpiam Herodotus in Vrania de Xerxe, qui visa gnauiter pugnante Artemisia, dixit, οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες: *Viri facti sunt mihi feminæ, feminæ autem viri.* Apud Dionys. lib. 9. Antiquit. Etrusci Romanos vocant γυναῖκας. Demosthen. Philipp. 3. Athenienses vituperans, verbum muliebre vsurpat μαλακιζόμεθα. Cedrenus pag. 528. hominem ἀπειροπόλεμον, id est, *rei bellicæ inscientem*, vocat insigni contumelia θηλυδρίαν, vt qui feminam, non virum referret. & pag. 451. coniungit θηλυδρίαν, & ἄνανδρον. Eurip. in Bacch. talem hominem vocat θηλύμορφον. Inuenio & locum huic rei aptissimum in Simocatt. cap. 8. lib. 3. Hist. vbi Varamus dux de Hormisda filio Chosroæ, ita. οὐ παῖς, ἀλλὰ θυγάτηρ Χοσρόου: *Non filius, sed filia Chosroæ.* Quam fuisse insignem contumeliam Scriptor notat. Vide eundem Simocatt. cap. 14. lib. 2. vbi dux quispiam ducit in contumeliam Romanos habitos, vt feminas. τί τὴν ἐκκλησίαν γυναικωνῖτιν ὑπείληφας, καὶ μετὰ τῆς γνώμης τὴν φύσιν ἐνύβρισας; *Cur hunc cœtum* (virorum) *esse Gynaceum putauisti, & cum genere naturam ipsam contumeliosè læsisti?* Insigni contumelia Sex. Pompeius Augustum afficit, vocans *effeminatum* apud Sueton. cap. 68. Huc spectant ista Cyrilli Comment. in cap. 3. Nahum num. 34. τὰς ὑπερμαχοῦντας ὡς γυναίων ἀσθενῶν διοίσειν οὐδέν: *propugnatores nihil differre ab imbecillis mulierculis.* Idem in Oseam num. 5. σημεῖον μὲν γὰρ ἡ γυνή, καὶ φρονήματος ἀνάνδρου, καὶ χαλαρωτάτης τύπος ἂν νοοῖτο, καὶ μάλα εἰκότως: *Mulier indicium est animi parum virilis. & fracti symbolum aptissimè dici quiuerit.* Audi & verba Herodori Musa nona: παρὰ δὲ Πέρσῃσι γυναῖκας κακίω ἀκοῦσαι ὄνειδος μέγιστόν ἐστι: *Apud Persas summo opprobrio datur, audire se muliere esse ignauiorem.* Hinc illud, quod de Varamo & Hormisda præmisi. Indico etiam Homeri locum non abeuntem à proposito, apud quem Hector ita deturpat Diomedem,

Persarū opprobrium.

Νῦν δέ σ' ἀτιμήσουσι. γυναικὸς ἄρ' ἀντὶ τέτυξο.
Ἔρρε κακὴ γλήνη. ——
Nunc te (Græci) *ignominia afficient. mulieris instar eris.*
Facesse ignaua virgo.——

Eadem contumelia Hæmon Creontem petit apud Soph. Antig. εἴπερ γυνὴ σύ: *si quidem tu es mulier.* Claud. in Eutrop. eunuchum,

——quid te turpissime bellis
Inseris? aut fœuis pertentas Pallada campis?
Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ.
Tu telas, non tela pati; tu stamina nosse.

Muliebria omnia inauspicata militibus.

Inde, quicquid muliebre est, inauspicatum est militibus. Apud Amm. lib. 20. cùm Iulianus proclamaretur Imperator, quæreretúrque diadema, & nullum esset, nisi fascia vxoris, quam illa gestabat in collo, aut capite, ille abnuit, dicens non conuenire primis auspiciis aliquid muliebre; & ideo quæsita est equi phalera, quæ esset pro diademate. Rectè itaq; Sen. cap. 15. de Tranquill. *Vide quomodo quisque illorum tulerit: & si fortes fuerunt, ipsos animos desidera: si muliebriter, & ignaue periere, nihil perit.*

Phrygum mollities.

30. PHRYGES.] Postulabat hic locus aliquid de mollitia Phrygum, indicabo quæpiam. Inuenêre illi mollissimam harmoniam, de qua Athen. libro 14. Ouid. 1. Art. *Phrygios modos* dixit de mollissimis. Eurip. Troadib. celebrat Φρύγια μέλη, *Phrygias cantiones.* Anacreon, cùm delicias suas profitetur, Φρυγίοις (ait) ῥυθμοῖς βοήσω: *Phrygiis sonabo numeris.* Ouid. in epist. Paridis catalogum mollium describens, omnes educit ex Phrygia. De illis Calab. γυναιμανέων, vt qui effeminati essent. Demum, vnde nisi à Phrygibus nata ars textoria, & mille artifices, quos Plaut. non vno in loco persequitur?

Dindyma vnde dicta.

31. DINDYMA.] Etymon aperit interpres Apoll. διὰ τὸ διδύμους μαστοὺς ἐν αὐτῷ ἀνήκειν. & statim. ἢ διὰ τὸ δύο ἀκρωτήρια ἔχειν. *quòd assurgeret geminis iugis, habeátque duas tanquam arces & summitates.* Locum integrum imitatur Prudent. Psychom.

Ite ad nocturnas epulas, vbi cantharus ingens.

Tu reliqua.

Tibiæ cur bifores.

32. Biforem.] Necessaria hîc verba Seruij hæc: A *Biforem cantum, bisonum, imparem; & seruauit eis tibiarum suarum, id est, Phrygiarum naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cauernas: aut Phrygiæ, quæ & impares sunt, & inæquales habent cauernas.* Mox etiam distinguit adhuc inter ipsas Phrygias, adducens verba hæc Varronis. *Tibia Phrygia dextra vnum foramen habet, sinistra duo: quorum vnum acutum sonum habet, alterum grauem.* Necessaria (inquam) ista Seruiana, & Varroniana, vt expeditior sit mens Poëtæ: explicant enim signatè de duplici foramine. Et, quid si apud Ouid. Pallas Fast. 6. his versibus,

Prima terebrato per rara foramina buxo
Vt darem, effeci tibia longa sonos,

intelligat duo tantùm? Nam hæc raritas cur non de B exiguo numero? Stat. 4. Theb. clarè de Phrygia tibia,

Æraq́; tympanaq́; & biforem reticere tumultum.

Tibiæ cantus nō aptus bonis moribus.

33. Tibia.] Applaudit menti Poëtæ locus Aristotel. 8. Polit. c. 6. vbi improbat cantum tibiæ, atque pueros non ea instituendos, vt quæ sit parum apta ad bonos mores. Longissimè hoc ille. Potiora sunt. ἔτι δ' οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. Ait videlicet, tibiam non esse morale instrumentum, id est, ad inserendos mores probos aptum; sed potiùs ad stimulandos animos furore Bacchi. Et quæ alia matris Deûm sacra, nisi Bacchica, & furiosa, & tota ὀργιαστικά? Postea addit, τὸ κωλύειν τῷ λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν: *tibiam prohibere, uti ratione.* & inde ducit, illam omnino esse contrariam disciplinæ. Et

Tibia in sacris Cybeles.

quidem tibiam esse sacram Cybelæ, clarum, non C solùm ex Poëta hoc loco, sed ex multis aliis Poëtis. Omitto: & tantùm do Arnob. qui lib. 7. de sacris huius Deæ: *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim Superi, remeare vt ad vigilias debeant. Quid dormitiones illæ,* &c. Dicit hoc, quia ministri huius Deæ manè illam salutabant excitabántque à somno, tibiarum modulatione: vespere valere iubebant mox dormituram.

Tympanum in sacris Cybeles.

34. Tympana.] Orpheus in Hymno Cybelem vocat τυμπανόδουπον, *tympanicrepam*. Clemens in Protrept. ait, Anacharsin interfecisse ciuem suum τυμπανόν τε ἐπιτυποῦντα, καὶ κύμβαλον ἐπηχοῦντα in sacris Phrygiæ matris. Et nota, κύμβαλον etiam nominari à Cle-

Cymbalum in sacro Cybeles.

mente: nam æreum quoque tintinnabulum in sacris D huius Deæ. Inde Hesychius illam vocat χαλκόκροτον. & Stat. versu adducto, *Æraq́; tympanáque.* Propert. quoque Eleg. 7. lib. 4.

Quà numerosa fides, quaq́; æra rotunda Cybeles.

Troiani luxuriosi.

Et obserua ex historia dari Troianis huiuscemodi voluptatem: nam lib. 7. Sibyllinor. Carminum datur vaticinium de Troianis petituris, & additur ratio,

——ὅτι δὴ θεὸν οὐκ ἐνόησαν,

Ἀλλ' αἰεὶ ἐσπούδαζον τυμπάνοις, καὶ κρότοις ἦχον ἰδόντες:

——*quia Deum non cognouerunt,*

Sed semper operam dabant tympanis, & pulsibus.

Fuerunt quippe *instrumenta luxuriæ tympana*, ait Iustin. lib. 30. Fuit verò *tympanum pellis, vel corium ligno ex vna parte extensum.* verba sunt Isidori lib. 3. c. 22. Verissimè hoc Isidorus. Nam Eurip. in Helen. τύμπανα βυρσότονα, *tympana facta ex corio.* Adiicit idem Isid. tympanum percuti virga. In hoc hæreo. Nam Catull.

Tympanum quod instrumentum.

Pulsabatur digitis, non virga.

Plangebant alij proceris tympana palmis.

Idem in Aty.

Quatiénsque terga tauri teneris caua digitis.

& verè tympanum describit. Sueton. etiam cap. 68. August. *Comprobauit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris Deûm tympanizante,*

Vidésne, vt cynædus orbem digito temperat?

Ouid. quoque lib. 4. Metamorph. *pulsáque tympana palmis.* Demum Lucret. lib. 2. *Tympana tenta tonant palmis.* Non ergo virga percutitur. Sed fortasse hoc affictum viro sanctissimo, vt multa alia, præsertim cùm in lectione varient codices. Dicebam sup. fuisse tympanum notam mollium. Hoc idem firmat Plaut. Trucul. coniungens *mœchum, malacum, cincinnatum, tympanotribam.* Idem Pœnul.

Cur non adhibuisti, dum isthæc loquereris, tympanum?
Nam te cynædum magis arbitror esse, quam virum.

Musica languor virtutis.

Et in genere omnis musica mollium est. Philostrat. lib. 7. vit. Apollon. c. 2. omnes voluptates musicas ait esse, τὸ θυμοειδὲς ὑπομαραινούσας, *languorem virtutis.*

Buxus pro tibia.

35. Buxus Berecynthia.] È buxo scilicet huius montis tibiæ sunt Cybeles. Itaque buxum posuit pro tibia, quod iam Turneb. aduocato Pollucis testimonio è cap. 10. lib. 4. vbi Græcus *elymum* adducit speciem tubæ, de qua, τὴν μὲν ὕλην, πύξινος, τὸ δὲ εὕρημα Φρυγῶν: *materia eius è buxo, quod est Phrygum inuentum.* Itaque cape mentem Poëtæ, qui cùm suprà *tibiam* dixisset, nunc *buxum* adhibet, vnde fiat tibia. Ergo, vt in illo *biforem* ingessit formam, sic in *buxo* materiam. Propert. Eleg. 9. lib. 4. *caua buxa* dixit ad signandam tibiam. & Ouid. 4. Metamorph. *longóque foramine buxus.* vt & Stat. 7. Theb. *& ad inspirata rotari Buxa.* Itaque in Claud. 2. Eutrop. versu illo, *tacitas presserunt orgia buxos,* explica tibias buxeas; & ex adiuncta voce *orgia*: adduxi enim ex Aristot. superiore Nota, tibiam esse ὀργιαστικόν.

36. Idææ.] Adi lib. 10. ad illud, *Alma parens Idæa Deûm.*

37. Sinite arma viris.] Nam Phrygiæ estis, prælia gerite cum mulieribus, non cum viris. Itaque ab hoc probro non abit illud Sophoc. in Elect.

Imitatio.

Ὁ πάντ' ἄναλκις οὗτος, ἡ πᾶσα βλάβη,
Ὁ σὺν γυναιξὶ τὰς μάχας ποιούμενος.

Notat hominem effeminatum ac sine viribus, & merum probrum, qui prælia conserit cum mulieribus. Vide de probrosa vita & elumbi elegantem locum Claud. 2. Eutrop. vbi eunuchi huius consiliarios describit.

38. Cedite ferro.] Obuiam explicationem Lector sequere: nam illam alteram Seruij de abscindenda ferro parte virili, cum allusione ad Gallos Cybeles, penè ἀφοσιοῦμαι.

[a] Talia iactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius, neruóque obuersus equino
Contendit telum, diuersáque brachia ducens,
Constitit ante Iouem, supplex per vota precatus.
[b] Iuppiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum

Candern

Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
ᶜ Audiit, & cœli genitor de parte ſerena
Intonuit læuum; ſonat vnà lethifer arcus.
Effugit horrendum ſtridens elapſa ſagitta,
Pérque caput Remuli venit, & caua tempora ferro
Traiicit. I, verbis virtutem illude ſuperbis,
Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt.
Hoc tantùm Aſcanius. Teucri clamore ſequuntur,
Lætitiáque fremunt, animóſque ad ſydera tollunt.

ARGVMENTVM.

Aſcanij ira contra Numanum, preces ad Iouem, huius fauor, mors Numani, Troianorum lætitia.

EXPLICATIO.

ᵃ PErculit, vt par erat, Aſcanium Numani furor, quippe Principē. Ergo non tulit *iactantem*, notat vanum, *canentem dira*, notat abominandum augurem. Adhibet deinde geſtum contendentis arcum ita viuidè, vt putes te cernere. *Contendit telum* in *neruo equino*, factus ſcilicet neruus ex ſetis equinis, ídque *obuerſus*, quo exprimit geſtum. Nam iaculatores *obuertunt*, id eſt, vertunt contra ſe arcum conrenturi illum. Mox *ducens diuerſa brachia* (nónne hîc cernis hominem comparatum iam ad ictum?) ſtans cœpit Iouem precari. In his omnibus, atque etiam in præcedentibus, & ſequentibus, expendo apparatum, quo Aſcanij ictus infertur, vt reddatur ille περιβόητος. Sic videlicet primū vulnus huius Principis, non aliter, inferendum erat. Et verè neque in Græcis, neque in Latinis omnibus ſimile quidpiam.

ᵇ Sequuntur preces ante ictum, vt Iuppiter annuat iuuenili audaciæ, vt qui omnipotens præſtet virtutem illi, qui parum poteſt. Si annueris Iuppiter, *ipſe feram*, non iam pro me pater *dona*, quæ tibi eſſe ſolent *ſolemnia*. Deinde *ſtatuam iuuencum ante aras tuas*. Hunc commendat multipliciter; à colore; nam *candentem*: ab ornatu, ideo *auratâ fronte*: ab ætate, nam *feret caput par cum matre*: à generoſitate & virtute, quarum indicia *cornu petere*, *arenam ſpargere*. Quid, quod *feram*, & *ſtatuam* ſignatiſſima in re ſacra?

ᶜ Audiuntur preces inde ab læua fit tonitrus, & ſereno cœlo, quod prodigioſum. Vnà cum tonitru telum diſploditur, in quo mors certa. Sagitta effugit, emittitur horrendum ſtridet, traiicit Numani tempora. Ac ſtatim Aſcanius gloriabundus. I, ſuperbiſſime, atque illude veram virtutem: hi, qui bis capti, remittunt tibi pro reſponſo, non verba, ſed facta. Sequitur ſtatim ad felicem ſucceſſum Troianorum clamor, fremitus lætabundus, vocis fauentia, qua ſe & Aſcanium tollunt ad ſydera pleni gloriarum.

NOTÆ.

Romana hiſtoria repræſentata. 1. TALIA IACTANTEM, &c.] Cùm ſæpiſſimè Poëta ſoleat alludere ad res Romani populi, cur non ad hiſtoriam Metij Curtij in toto hoc tractu? Hoc vt putem, præeunt verba hæc Liu. lib. 1. *Metius clamitans, vicimus perfidos hoſpites, imbelles hoſtes. Iam ſciunt longè aliud eſſe virgines rapere, aliud pugnare cum viris. In eum hæc gloriantem cum globo ferociſſimorum iuuenum Romulus impetum facit*, &c. Noto etiam in Romulo, & Aſcanio excitatā molem irarum ex auditis contumeliis. Probra enim iras excitant, vt loco alio ſcribit idem Liu. *Probris quoque in ipſum* (ait lib. 42.) *Macedonáſque procacibus iaculati ſunt, quæ res eum infeſtiorem hoſtem ad oppugnandum feciſſet*, &c. Similis fermè hiſtoria eſt in Ioſepho cap. 5. lib. 7. Bell. Iud. vbi Iudæum quendam ἀνασκιρτῶντα, καὶ ματαΐζοντα Πρίσκος τις ἑκατοντάρχης τοξεύσας διήλασε βέλει: *tripudiantem, & vana iactantem Priſcus quidam centurio ſagitta transfixit.* Iras excitant opprobria. Locorum ſimilitudo.

2. IACTANTEM.] Sæpe Virg. Poëtæ alij, & Latini omnes vſi hoc verbo ad explicandum inanem & futilem ſermonem. Id credo ab Græca elegantia. Nam Hom. 18. Iliad. ἄλιον ἔπος ἔκβαλεν ἤματι κείνῳ: *verbum vanum emiſit die illo.* vbi ἔκβαλεν reſpondet Latino *iecit*, aut *iactauit*. Iacto, de ſermone futili.

3. DIRA CANENTEM.] Ita 2. Æneid. *Crudele canebant.* vbi *cano* in malam partem. Soph. Elect. Dira canere.

——χθονὸς τῆσδ' ἐκτὸς ὑμνήσεις κακά:
——*hanc extra terram decantes miſeriam.*

4. NERVO EQVINO.] Heſych. ἱππικὴ τάσις, ἡ νευρὰ τοῦ τόξου, διὰ τὸ ἐξ ἱππείων γίνεσθαι τριχῶν: *Equina intentio de neruo, qui eſt in arcu, quod fit ex equorum ſetis.* Attius. *Tendens neruo equino concita tela.* Ex triplici hoc teſtimonio Virgilij, Heſychij, Attij apparet neruos arcuum fieri ſolitos ex equinis ſetis. Equina intentio.

5. OBVERSVS.] Iam mihi friget Nonnus lib. 29. Dionyſ. Nam ex obuerſione Virgiliana, brachiiſque in diuerſum ductis viuidiùs capio geſtum comparantis ſe ad ictum, quàm ex toto hoc Nonni loco, Obuerti. Iaculantis geſtus.

Αὐτὰρ ὁ σιγαλέος γυμνώσατο πῶμα φαρέτρης
Ἰὸν ἑλὼν προβλῆτα, καὶ εἴρυσεν ἤθαδα νευρήν,
Τόξον ἐπιθοτόνῳ παλάμῃ κυκλούμενον ἕλκων.
Ἀκρότατον δὲ σίδηρον ἐρεισάμενος περὶ τόξῳ
Φοίνια νεῦρα βοῶν πελάσας γείτονι μαζῷ:
Sed hic tacens nudauit operculum pharetræ,
Traxit inde prominentem ſagittam, attraxit conſuetum neruum,
Arcúmque incuruum, quem manu retrò intendit.
Summum verò ferrum firmans circa arcum,
Lethales boum neruos applicuit vicinæ mammæ.

Et proculdubio Nonnus refert Homerum, qui ante illum 4. Iliad. νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον: *Neruum applicuit mammæ, ferrum arcui.* Ibid.

Αἶψα δ' ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν:
Statim autem in neruum aptabat acerbam ſagittam.

Nota etiam mihi neruum ab ipſo Aſcanio obuerti, arcum contendi. Itaque puer inde gloriam quærit. Et quidem vt glorioſum attribuit hoc Sidon. epiſt. 2. lib. 1. Theodorico Regi, qui arcum putabat, *muliebre accipere iam tenſum*. De puero Cupidine Apollon. Pueri arcum intendant.

lib.5. γλυφίδας μέσσῃ ἐνικάτθετο νευρῇ: *tela medio imposuit nervo.* &, τόξα τανύσας, *arcum intendens.* Nescias enim quomodo hæc virtus in pueris spectatior.

Diuersa brachia.

6. DIVERSAQVE BRACHIA DVCENS.] Apollon. loco adducto *brachia.* Nam à modo, qui in hac re præstantior, abstinuit. Itaque illi addidit corrector Virgilius τὸ *diversa.* Apollonij verba,

> Ἰθὺς δ᾽ ἀμφοτέρῃσι διασχόμενος παλάμῃσιν,
> Ἧκ᾽ ἐπὶ Μηδείῃ. ——— ———
> *Recta autem ambabus distendens manibus,*
> *Torsit in Medeam.* ———

Homeri vitium.

Pari desidia præceptor Apollonij Homerus; nam tantùm κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινε: *tetendit arcum in orbem incurvatum.* Fiet Virgiliana diversitas fixa sinistra manu, & dextera ducta in diversum. Lege Veget. lib. 1. c. 15.

B

AnnuoDeorum est.

7. ANNVE.] Verbum expressum: nam nutus Deorum est, & Iouis imprimis. Sylua exemplorum in Briss. Hom. 1. Iliad. dixit, κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Fero, de quibus sacris.

8. FERAM.] Non iuvencum, sed dona alia, tum, quia animalia *duci*, aut *statui*, aut *sisti* dicebantur, nunquam *ferri*: tum, quia neque *donum* de illis, sed de aliis sacris. Hoc liquidum Poëtas percurrenti.

Aurata frons victimarum.

9. AVRATA FRONTE.] Mos solemnis veterum in sacrorum cultu ad magnificentiam ostentandam. Plutar. in triumpho Pauli Æmil. μετὰ δὲ τούτους ἤγοντο χρυσόκερῳ τροφίαι βόες ἑκατὸν εἴκοσι μίτραις καὶ στέμμασιν ἠσκημένοι: *Ducebantur post hos centum viginti boues armentales cum auratis cornibus, quibus etiam mitræ & coronæ.* Idem in Apopht. ταύρους χρυσόκερως. Plato. 2. Alcib. χρυσόκερως βοῦς. Apud Hom. Nestor 3. Iliad. loquens cum Pallade,

C

> Τὴν δέ τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας:
> *Hanc tibi (bouem) ego sacrificabo aurum cornibus infundens.*

Quem morem bis repetit deinde in eodem lib. Hæc satis ad firmamentum moris huius. Mitto enim Iuuenalem Sat. 6. Heliod. lib. 3. Hist. Æthiop. Ouidium libris 7. & 10. Metamorph. Tibullum, Martialem, Senecam lib. 1. de Benef. cap. 6. Valerium 1. Arg. Trebellium in vita Galienorum, & infinitos alios. Velim notet breuiter quatuor Lector meus. Primum, cornua non ornari solidis laminis, aut circulis, aut catenis aureis: sed verè deaurari, vt quæ passim cernuntur deaurata. Hoc cùm multi indicent, sed præcipuè Hom. qui signatissimè περιχεύας. & Prud. qui hymn. 10. περὶ στεφ.

D

Cornua victimarum deaurata.

> *Nec non & auro frons coruscat hostiæ,*
> *Setasq́; fulgor bractealis inficit.*

Forma eius sacri.

Deinde scias formam huius sacri ex Tertull. de Coron. *Hunc tibi Iuppiter bouem cornibus auro decoratum vouemus.* Tertiò, audi Plinij lapsum cap. 3. lib. 33. *Deorum verò honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quàm vt auratis cornibus hostiæ, maiores duntaxat, immolarentur.* Habet Plinius contra se Liuium scribentem lib. 5. vt sacra fierent *Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis.* Valer. etiam lib. 3. Arg. *agens lectas aurata fronte bidentes.* Itaque non solùm hostiæ maiores, sed capræ etiam & oues dignæ hac munificentia. Quartò demum signatè Virg. *aurata fronte*, non, cornibus, vt alij, quia hic vitulus, & nondum illi cornua integra; atque adeò *frons* pro cornibus. Mentem Poëtæ intellexit Iuuenal. Sat. 12.

E

Minores hostiæ pari munificentia

In vitulis quid seruandum.

> *Sed procul extensum petulans quatit hostia funem*
> *Tarpeio seruata Ioui, frontemq́; coruscat;*
> *Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ.*

Ac tum, non deauratio, vt in cornibus, sed laminæ, aut coronæ aureæ. Eurip. in Aulid. ait, Iphigeniam coronandam ad sacrum, ὥσπερ μόσχον, *vt vitulum.* Volui hæc tantùm quatuor, vt quæ non è triuio & obuia, omissis infinitis moris huius circumstantiis, quas alij iam suppeditarunt. Esse verissima, quæ scripsi, inueniet Lector, si attentè consideret auctores, in quos inciderit.

Candens hostia. Creta adrsum victimarum

10. CANDENTEM.] Adeò viguit hæc superstitio, vt etiam creta quæreretur ad candorem victimæ. Iuuenal. Sat. 10. *duc in Capitolia magnum Cretatùmque bouem.* Sed de hac re fusè iam 2. Georg.

Vacca simul & taurus immolabantur.

11. PARITERQVE CAPVT CVM MATRE FERENTEM.] Est hoc, quod Theoc. ειδ. 10. ἰσομάτορα ἀμνόν: *agnum æqualem matri.* Non placet Seru. qui accipit, non matrem vituli, sed in communi vaccam, quæ peperit, vultque allusum ad morem illum, quo vacca simul & taurus Ioui Capitolino immolabantur. Hoc etiamsi verum sit, tamen in Poëta satius est, vt matrem vituli intelligas, vel ex imitatione Theocriti præmissi, & ex vero. Notat Germ. phrasin arreptam ab Hom. qui in re alia 11. Iliad. ἴσας δ᾽ ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν: *habebant in pugna æqualia capita.*

Cornu petere.

12. IAM CORNV PETAT.] Iuuenal. Sat. 12. etiam in sacro,

> ——— *quem iam pudet vbera matris*
> *Ducere, qui vexet nascenti robora cornu.*

Vide & Eclog. 3. vbi etiam hic versus. Non hic omitto Galenum ita scribentem lib. 1. de vsu partium. [illegible] φύσει τὰ κέρατα: *Vidi ego bouis vitulum sæpe arietantem ante nata cornua.*

Pedibus arenam spargere.

13. PEDIBVS QVI SPARGAT ARENAM.] Nam hoc vno stimulo taurus ad iras concitatur. Lege, vt hunc locum illustres, quæ iam ego 3. Georg. ad illud, *& sparsa ad pugnam proludit arena.* & quæ dicam lib. 12. vbi repetitur idem hemistichium.

Audiit, de admissis precibus.

14. AVDIIT.] Indicat admissas preces, quod alibi obseruo.

Sereno cælo intonitum, prodigiosum.

15. DE PARTE SERENA.] Quia sine nubibus, &, vt ait Calab. lib. 12. [illegible] & Hom. Odyss. 20. ait, Iouem tonuisse οὐδέ ποθι νέφος ἐστί: *cum nullibi est nubes.* Xenoph. in Hellen. lib. 7. ait, intonitum ἐξ αἰθρίας, vt etiam Aristotel. 2. Meteor. αἰθρίας οὔσης. Græci alij ἐξ εὐδίας. In Virg. & alis clarè indicatur prodigium; nam cœlo sereno & sine nubibus, fieri tonitrum, & gigni fulmina, ratio abnuit, & Philosophorum dogmata. Consule Lucret. lib. 6. Vnde Hom. loco adducto, cùm videat intonitum innubi cœlo, colligit præberi à Ioue τέρας, id est, *ostentum, & prodigium.* Et Plin. cap. 51. lib. 2. inter Catiliana prodigia narrat, Herennium ictum fuisse fulmine die sereno. In re etiam prodigiosa Sen. in Thyeste, *Tonuit dies serenus.* Dio lib. 37. inter portenta belli ciuilis, καὶ ἄλλα δ᾽ οὐκ αἴσια συνηνέχθη, κεραυνοί τε γὰρ ἐν αἰθρίᾳ πολλοὶ ἔπεσον: *Fuere portenta alia infausta, cecidêre multa fulmina sereno cœlo.* Imitationem, si quæras, quæ in Virg. nunquam est omittenda, ea ducta est, vel ab Ennio, qui 1. Ann.

Imitatio.

> *Cùm tonuit læuum bene tempestate serena.*

Vel à Varrone, qui Eumenidib.

> *Interea tonuit bene tempestate serena.*

Notetur etiam, non semper intonitum cœlo sereno ad calamitatem aduersam; nam in hoc loco applauditur felicitati Ascanij. Ita ex Xenoph. lib. 7. ἑλλην. ἐξ αἰθρίας ἀστραπάς τε καὶ βροντὰς λέγουσιν αἰσίως αὐτῷ φανῆναι: *Dicunt visa illi sereno è cœlo fulgura & fausta tonitrua.* Scripsi etiam & de hac re nonnulla lib. 1. Georg.

16. INTONVIT LÆVVM.] In hoc loco explicando, hærendum vni Dionysio lib. 2. Antiquit. Nam tritum illud, quæ nobis sunt læua, superis esse dextra, &

tra, & ideo læua esse felicia, hoc (inquam) falsum est. Quid ergo Dionysius? Primò rem statuit, deinde causas adducit, tertiò loquitur de Ascanio. Rem statuit hunc in modum. Τίθενται δὲ ῥωμαῖοι τὰς ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀστραπὰς αἰσίους: *Fulgura à sinistris ad dextera Romani numerant inter fausta.* Sed quæ causæ? Perstringam Latinè, quæ multis ille Græcè, hærens tantùm sententiæ, non verbis. Sedes, statióque captandis auspiciis ea optima est, quæ Orientem spectat, vnde Sol, & Luna, & reliquæ stellæ, tam erraticæ, quàm fixæ surgunt, & vnde totius mundi motus initium sumit. Porrò, qui Orientem spectat, Septentrionem habet à sinistra, à dextra Meridiem. Est autem Septentrio nobilior Meridie: tum, quia partes quæ ad Orientem vergunt, & istæ sunt Septẽtrionales, nobiliores sunt: tum, quia polus Aquilonaris semper apparet, sublimísque est; Meridionalis verò semper delitescit, depressúsque est. Multis hæc ille. Verba signata, quibus partes Septentrionales meliores esse ait, sunt hæc, τιμιωτέρα. & postea, κράτιστα τῶν οὐρανῶν. Restat vltimum de Ascanio, vnde apparebit, Virgilium fuisse non ἐτυμολογοῦντα, neque φράσοντα, sed veræ historiæ institisse. Ait itaque Dionys. eodem lib. Ascanium Æneæ filium obsessum ab Etruscis, ac parantem vltimam eruptionem desperatis rebus, priùs ad Iouem & Deos alios cum gemitu conuersum petiuisse, vt Dij signum prosperum darent eruptionis, ac tum, αἰθρίας οὔσης ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἀστράψαι τὸν οὐρανόν, *sereno cælo emicuisse ex sinistris fulgura.* τοῦ δὲ ἀγῶνος ἐκείνου λαβόντος τὸ κράτιστον τέλος διαμεῖναι παρὰ τοῖς ἐγγόνοις αὐτοῦ νομιζόμενον αἴσιον τόδε σημεῖον: *Eius autẽ certaminis euentu secuto optimo, permansisse volũt apud eius posteros, vt hoc signum faustum putaretur.* Eadem Plut. ἐν ῥωμ. Non dubium, quin hanc historiam Poëta spectauerit, & cùm multi multa cumulent exempla, Virgilianum esse debuit primum, vt à quo ritus acceptus. Itaque felicitas ista in læuo tonitru tota est Latinorum; nam ex disciplina Græcorum, non læua, sed dextra tonitrua fuerunt felicia. Quod volo astruere. Xenoph. lib. 7. ... *vbi (Cyrus) equum ascendit, steitque respiciens, qua erat perrecturus, fulmen dextrum insonuit, quo viso, dixit, se sequemur ô Iuppiter maxime.* Cicero etiam 2. Diuin. *Homericus Vlysses* (sic legendum, non, *Aiax*, vt in omnibus exemplaribus; fuit enim hoc Tullij μνημονικὸν ἁμάρτημα) *nescio quid hoc modo nuntiat,*

Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Versus Homeri, quem reddit Cicero, est,

Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων.

Aristides orat. 5. sacror. sermon. ait, fulmen fuisse ..., *faustum.* & addit rationem, quia ἐκ δεξιᾶς, *à dextra.* Ex hac Græcorum doctrina capio Pindarum Od. 4. Pyth. etiamsi nullam partem nominet, cùm ait, βροντᾶς αἴσιον φθέγμα, *tonitrui vox fausta.* Itaque alia fuit Græcorum, alia Latinorum obseruatio, & hæc à successu Ascanij. Atque adeò ex Latinorum præscripto Statius 3. Theb.

Si datur, & duris sedet hæc sententia Parcis,
Soluere Echionias Lernæa cuspide portas,
Signa feras, læuusq́ue tones: tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.

Ex eodem Ouid. 4. Fast.

Ille precabatur sonitu dedit omina læuo
Iuppiter, & læuo fulmina missa polo.

Et Eleg. 8. lib. 1. Trist. *tonitrúsue sinistri*, id est, felices. Cicero etiam in Mario,

Partibus intonuit cæli Pater ipse sinistris.

Sinistra fulgura cur fausta.

Ascanij historia.

Dextra fulgura Græcis fausta.

Sic aquila clarum firmauit Iuppiter omen.

Rationem aliam, cur fausta læua tonitrua, in Plinio inuenies cap. 54. lib. 2. Mihi mea hæc non displicet. Spectanti Orientem Septentrio est à sinistris, quæ pars cœli ideo felix, quia serena, flante inde Aquilone: quæ felicitas non contingit parti Meridionali, quæ plena nubilis, flante inde Austro. Quid in genere astruendum de parte dextra, ac sinistra cœli, docebit te Arnob. lib. 4. cui & nos credimus: & quæ hîc diximus in signata hac historia Ascanij, Arnobianis nihil nocent.

17. SONAT.] Hom. 4. Iliad. νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν: *valide neruus insonuit.* & lib. 1. de iaculante Apolline,

Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο:
Terribilis factus est clangor argentei arcus.

De emissa sagitta Cal. lib. 11. καναχίζει. Nonnus lib. 29. λίγξε βιός, *stridit arcus.* Sed locus Calab. lib 10. versatus, credo, ante oculos Poëtæ.

Ἧκε δ' ἀπὸ νευρῆφι βέλος, ὃ δ' ἴαχεν
ἰοῦ ἱπταμένοιο.——
Emisit telum à neruo, qui stridorem dedit,
Sagitta volante.——

18. LETHIFER ARCVS.] Ita Apollon. lib. 3. πολύστονον ἰόν. quo notat sagittam vt luctuosam. Calab. lib. 4. λοίγιον ἔγχος, *pestifera hasta.*

19. EFFVGIT.] Ad verbum Hom. 22. Iliad. βέλος ἔκφυγε χειρός: *effugit sagitta è manu.* Flexu alio 4. Iliad. ἆλτο δ' ὀϊστός, *exsiluit sagitta.* Aliqui in Virg. *& fugit.* non probo.

20. HORRENDVM STRIDENS.] Non hoc ex poëtica tantùm exaggeratione, sed ex veritate etiã. Audi & de æuo longè distanti Agathiam lib. 1. Hist. ... &c. *Tela Aligerni facilè à Romanis cognoscebantur, eo enim stridore, & iam immani velocitate deferebantur, vt*, &c. Ab hoc stridore Homericus gemitus octaua Iliade, βέλεα στονόεντα. Non quia causa gemitus, sed stridorem vocat gemitum. Nonnus lib. 29.

Ἠερόθεν πτερόεντες ἀνερροίζεον ὀϊστοί:
Alata sagitta cum stridore sibilabant per aërem.

21. PERQVE CAPVT REMVLI.] Prudenter (hoc iam Seru. vidit) in capite percutitur, qui vaniloquus, iactabundus, superbus, iuxta Horatianum illud Od. 18. lib. 1.

Attollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Inde consequenter statim *caua tempora*, vt ille, *vacuum verticem.* Sic Thersites, qui stultus ab Hom. fingitur à tergo vulneratur; nam μετάφρενον, ait Græcus. Et Achilles, qui dicitur, πόδας ὠκύς, & ποδάρκης, legitur vulneratus in talo pedis.

22. VERBIS SVPERBIS.] Non fuisset correcturus, etiamsi viueret. Hæc συνῳδὰ *verbis, superbis*, gratiam addunt carmini. Tale illud Horat. *esse pares res*: & Ausonij,

Exercet mentes fraternas grata malis lis.

Cur verò hoc genus carminis dicatur *leoninum*, multi quærunt; & quidem Scal. lib. 2. Poët. c. 29. *Nominis causam ignoro.* Sunt qui corruptam vocem putent. & *echinum*, aut *echoïcum* dicant vocari, cùm res ista sit ἠχώ, echus, & sonitus. Possum suspicari (& cur non, vbi alij tacent?) corruptam esse vocem, & dici debere versus lenoninos à lenocinio, quo sublandiũtur, non leoninos. Sic Sotadicum carmẽ, quod non lõgè ab hoc, *cynædicum* appellatur, quò allusit Mart. lib. 2.

Nec retrò lego Sotada cynædum.

Quid quod *leæna* pro meretrice vsurpatur, vt lupa? vt iam non omnino malè dici queant versus leonini, quasi lenocinantes. Sed à verbis ad res; vide vt

hac ora

Tonitrua læua cur fausta.

Sono, de ictu.

Imitatio.

Lethifer arcus.

Fuga, de telo.

Stridor sagittarum.

Vaniloquus percutitur in capite.

Leoninum carmen quod.

hac oratione, *i. verbis virtutem illude superbis*, quæ est veluti facti totius epiphonema, Ascanius insultet Rutulis. Interpres Aristophan. ita scribit. ἔθος ἦν ἐν τῷ ἐπιῤῥήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει, ἢ ἐλέγχειν τοὺς πεπονηρευμένους: *Moris esse in epirrhemate* (id est, summa acclamatione) *cõsulere salubria urbi, vel sceleratos exagitare.* A

Epiphonema.

23. Bis capti, &c.] Non abeunt versus Nonni lib. 29.

Locorum similitudo.

Τοξότα, πῇ σέο τόξα, καὶ ἠνεμόεντες ὀϊστοί;
Ἡμέας ἁβροχίτωνες ὀϊστεύουσι γυναῖκες:
Sagittarie, ubi sunt tui arcus, & ventosæ sagittæ?
In nos iaculantur feminæ, quibus molles vestes.

24. Tevcri clamore seqvvntvr.] Videlicet ad felicem Ascanij ictum. Cal. lib. 4. πολὺς δ' ἀμφίαχε λαός. Sed Hom. ad verbum Iliad. 15. οἱ δ' ἰύζοντες ἕποντο.

25. Lætitiaqve fremvnt.] Est totum hoc militare. Amm. lib. 15. ore Constantij Imperatoris: *Quia igitur vestrum quoque fauorem adesse fremitus indicat lætus.* Ita & in assensu militum Simocatt. cap. 15. lib. 2. βοὴ δὲ πολλὴ ἐκ τῆς βουλῆς ἐκινεῖτο, καὶ ταῖς εὐφημίαις κατεκέλαδεν τὸ θέατρον: *Clamor multus sublatus est ab vniuerso consessu, & faustè theatrum adfremuit.*

Fremitus in assensu.

[a] Ætheria tum fortè plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies, vrbémque videbat
Nube sedens, atque his victorem affatur Iülum.
[b] Macte noua virtute puer, sic itur ad astra,
Diis genite, & geniture Deos, iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident,
Nec te Troia capit. [c] simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimouet auras,
Ascaniúmque petit: forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten; hic Dardanio Anchisæ
Armiger antè fuit, fidúsque ad limina custos.
Tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
Omnia longæuo similis, vocémque colorémque,
Et crines albos, & sæua sonoribus arma.
Atque his ardentem dictis affatur Iülum.
[d] Sit satis Æneide, telis impunè Numanum
Oppetiisse tuis: primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & paribus non inuidet armis;
Cetera parce puer bello. [e] sic orsus Apollo
Mortales medio aspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis euanuit auram.

ARGVMENTVM.

Spectator & laudator virtutis Ascanij Apollo est, descendit è nubibus aliena forma, Ascanium à bello continet, ac mox in auras dilabitur.

EXPLICATIO.

[a] Describit Apollinem despectãtem pugnas. Adhibet locum, nam ab *ætheria plaga*: thronum, nam sedebat in *nube*. Signat eius venustatem vocans *crinitum*. Sic itaque spectabat tam Turni acies, quàm vrbem Ascanij.

[b] Loquitur Phœbus cum Ascanio, cuius hîc miræ laudes, quæ crescunt, cùm dicantur ore Apollinis, quod magnum decorum est, & hoc qui capiat, magnum esse Virgilium capiet. Commendatur ergo à noua virtute, qua præ ceteris auctus, cùm nõ aucti anni: à belli virtute & labore, quo sibi ad cœlum iter astruit: à diuinis natalibus; nam genitus à Diis, quod dicit propter Venerem, & hæc erat Iouis filia: à diuina posteritate, nam geniturus Deos, Iulium, Augustum, alios: à futuris & fatalibus bellis ita administrandis à posteris (nam per gentem Assaraci intelli- C

B git Romanos futuros) vt omnia cõquiescant & resident: demum ab ingenti virtute, quam Troia, etiamsi magna, tamen non cepit. Aduertat Lector, has laudes non auditas ipsi Ascanio.

[c] Hæc cùm dixisset, se è cœlo ad Ascanium misit, auris dimotis, conuertítque se in senem Buten, qui fuerat Anchisæ armiger, & præpositus seruandæ primæ parti domus: ac tum curam quoque Ascanij gerebat datus à patre Ænea. Ibat itaque Apollo huic similis voce, colore, canicie armis sonantibus, locutúsque ad Ascanium est ardore belli & facinoris gloria incitatum.

[d] Sermo Apollinis ad Ascanium, quo contentum illum esse vult gloria Numani occisi, cùm præcipuè id factum sit *impunè*, id est, nullo Ascanij nocumento. Docet deinde gloriam hanc manasse ab Apolline, tantùm abest, vt paribus armis inuideat, id est, arcui & sagittis; nam his quoque is Deus vtitur. Tertiò hortatur, vt ardorem contineat, parcátque bello. *τὸ cetera*, est in quarto multitudinis, id est, *κατὰ cetera*, more Græco.

[e] Non expectauit Apollo responsum; nam vix orsus, sermonem statim rupit, ideo *medio sermone*. Vt verò sese Deum esse proderet, in auram euanuit. Nota omnia, quia *procul* ideo *ex oculis*: quia *auram*, ideo *euanuit*. Quod vt capias, vide quæ iam à me alibi

alibi de etymo particulæ huius *procul*: neque enim omnia semper inculcanda.

NOTÆ.

Crinitus Apollo.

1. CRINITVS APOLLO.] Est hic, quem Græci ἀκερσεκόμην, quem Latini *intonsum*, & vetus Poëta *comosum* vocat. Primum est in Pind. Od.1.Isthm.alterum in Propert.& aliis: tertium apud Delr.in Nou. Comm.Sen.in Oedip.vers.419.Sed &Noster ab Ennio, qui in Alcmæone, *intendit crinitus Apollo Arcum*. Vide,vt Deum istum describi ab antiquis pictoribus dicat Max.Tyr.dissert.27. μειράκιον, γυμνὸν ἐκ χλαμυδίου, ξὺν τόξοις, διαβεβηκότα τοῖς ποσὶν ὥσπερ τὸν θέοντα: *adolescentem, qui è chlamyde ostendit nudum latus, cum sagittis,deductis pedibus instar currentis.*

Apollinis descriptio.

2. MACTE.] Verbum *mactio*, & nomen *mactus* sacrorum sunt. Verbum explicant ista Varronis lib. 2.de morib. Pop.Romani: *Mactare verbum est sacrorum,κατ' εὐφημισμὸν, quasi magis augere, & adolere,vnde magmentum, quasi maius augmentum. Nam hostiæ tanguntur mola salsa,& tunc immolatæ dicuntur. Cùm verò icta sunt,& aliquid ex illis in aram datum est,mactata dicuntur per laudationem,itémque boni ominis significationem,& cùm illis mola salsa imponitur,dicitur,macte esto.* Nomē Arnob. lib.7. qui eam formulam; *Mactus hoc vino inferio esto,* ita interpretatur:*tantùm esto mactus,quantùm volo; tantùm amplificatus,quantùm iubeo; tantùm honoris assumito, quantùm te habere decerno.* Vides,vt *mactum* explicet, amplificatum honore.Hoc ipsum voluerunt postrema Varronis adducta verba, cùm factū post immolationem augendum esset ipsa mactatione.Ergo *mactus* nihil est aliud,quàm auctus,& augendus,amplificatus,& amplificandus; vt macta ara,erit aucta,& augenda nouo sacro.Ad eum modum, quo Tacit.2. Annal. *Auctus omine, & addicentibus auspiciis vocat concionem.* Et, quamuis frequentiore vsu inueniatur quintus casus, sed non dubium, quin alij; nam in Arnob.vidisti *mactus*.& Plin.vsurpat numerū multitudinis lib.2.cap.12.*Macti ingenio este cœli interpretes.* Plaut.in Milit.aduerbialiter.*amabat meretricem macte.* Ab hac voculа putant aliqui (in his Nan.lib.3.Miscell.)natas appellationes Romanorum,qui quosdā *Magnos*, quosdam *Maximos* dicebant. Quæ Erasmus sentit, referens hanc vocem ad probationem victimæ, mihi plurimùm displicent. Volo audias verba Senecæ epist.66.*Macte virtute esto sanguinolentis,& ex acie redeuntibus dicitur.* Hæc ad mentem Maronis, qui verba hæc dici Ascanio fingit post gloriosum in bello facinus. Et profectò tam ad hunc ritum, quàm ad locum Virg.aspirauit Sil.lib.4.apud quem Mars adolescentem Scipionem, qui patrem in bello seruauit,ita alloquitur,

——— macte ô macte indole sacra
Vera Iouis proles, & adhuc maiora supersunt.

Mactare.

Mactus, quid.

Magnus vnde, & Maximus.

Macte virtute quibus dicebatur.

3. VIRTVTE.] Coniunxêre has voces *macte virtute*. Liuius lib.2.& 4.Lucillius, Attius, Pacuuius, Ennius.& omnes ferè Poëtæ,qui post istos. Sed & alias voces reperies. Nam Arnob. laudato in loco, *mactus vino*.Cassiod.epist.3.lib.1.*macte felicitate laudabili*. Plin.*macti ingenio*. Pacuu.in Duloтest.*macte operа*. Huic Latinæ formæ, *Macte noua virtute*, respondere hanc Græcam ὄναιο νέας ἀρετῆς, Vrsinus & Germanus notant.

Macte vino, ingenio,&c.

4. SIC ITVR AD ASTRA.] Aurea gnome.Bella & labores viam ad cœlum astruunt. Gloriam enim laboris esse filiam ex Æschylo citat Clemens lib.4. Strom.c.4.Versiculus Phædri est,

Cœlo receptus propter virtutem Hercules.

Labores viā ad cœlum astruunt.

Et Senecæ in Furente,

Non est ad astra mollis è terris via.

Pulchrè Dionys.Hal.lib.9. τὰ μεγάλα ἔργα μεγάλων ἀεὶ κινδύνων ὠνούμεθα: *Magna opera magnis semper periculis emimus.* Cal.lib.4.πόνος δ' ἄρα κῦδος ὀπάσσει:*labor dabit gloriam.* & lib.1.πόνῳ δ' ἄρα κῦδος ἕπεσθαι: *laborem gloria comitatur.* Libro 4.Antholog.cap.8.Epig.4.

Ἀλλ' ὁδὸς εἰς αὐλὴν Ζηνὸς,ἐπάθλιον ἔφυ:
Sed via in Iouis aulam,pretium est certaminis.

Et rursum Epig.5.eiusdem capitis,

Δέρκεο μυελομοχθεῖ τοὺς Ἡρακλῆς ἀγῶνας,
Οὓς τλὰς,ἀθάνατον οἶκον Ὀλυμπον ἔβης:
Aspice tua certamina,ô Hercules,qui multa es passus,
Quæ tolerans cœlum ascendisti domum Deorum.

Et ipse Hercules de se Epig.7. post enumeratos suos labores, absoluit, αὐτὸς Ὄλυμπον ἔχω.& Epig.16. καὶ πυρὸς εἰς Ὄλυμπον ἐκώμασας: *ex igni ascendisti in cœlum.* Sidon.de Hercule eodem,

Portatusq́; polus,polum dederunt.

Domitianus dux belli apud Simocatt. τραύμασι καὶ πληγαῖς ἐξωνοῦνται τὰ τρόπαια: *ictibus & vulneribus trophæa emuntur.* Ammian.lib.17.ait,virtutem esse contentam his,*quæ sudoribus quæsiuit & dexteris.* Horat.2. Epist. de Libero, Castore, & Polluce. *recepti in templa Deorum,* videlicet,*post ingentia facta.* Iuppiter factus est Rex,ait Valer.lib.1.Argon.

Iapeti post bella,truces Phlegræq́; labores.

Sen.de Prouid.c.5. *Humilis & inertis est tuta sectari, per alta virtus it.* Eurip.in Heracl. ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων: *it virtus per labores* Symm.epist.81.lib.9.*virtus durioribus negotiis enitescit,& aspernatur decliuem facilitatem, maximeq́; sudore arduum laudis adnititur.*

5. DIIS GENITE, ET GENITVRE DEOS.] Non abludunt versus Æschyli in Pers.

Diis genitus, & Deos geniturus.

Ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη,
Μῆτερ ἡ Ξέρξου γεραιὰ,χαῖρε Δαρείου γύναι,
Θεοῦ μὲν εὐνάτειρα Περσῶν,θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφυς:
O maxima Regina Persidū,quibus est alta succinctio,
Mater Xerxæ veneranda, salue vxor Darij,
Tu quidem es coniux Dei Persarū. mater etiam Dei.

Ad gustum horum Claud.de Nupt.Hon.

Magnorum soboles Regum,parituraq́; Reges.

Quod Claudiani æquiùs conueniret Mariæ Augustæ,matri Rodolphi, filiæ Caroli, vxori Maximiliani,qui omnes fuêre Cæsares:& de qua nos in carmine ad illam,

Cæsaris alma parens,sata Cæsare,Cæsaris vxor.

Neque abit illud eiusdem Claud.in Epith.Hon.

Cæsareum femineo
Stemma recurrit ortu.

Idem Paneg.2.Stil.eodem penè sapore,

Progenitam Augustis,Augustorumq́; sororem.

Iterum:

Reginasq́; paris,Reginarumq́; maritos.

Stat.lib.1.Sylu.

Salue magnorum proles,genitorq́; Deorum.

6. GENTE SVB ASSARACI.] Hunc quoties in ore assumit,Augustum & Cæsares signat; vt cùm ait 3. Georg. *Assaraci proles*. & 1. Æneid. *domus Assaraci*. Nota & variationem,*gens,proles,domus*.

Assaracus.

7. FATO VENTVRA.] Quasi ciuilia bella non culpa Augusti acciderint, sed fatalia fuerint. Et ad hæc respectum non dubito,quia hęc vnicè quieuêre sub Augusto,cùm multo antè inceptassent.

8. NECTE TROIA CAPIT.] Vult Brod.lib.1. Miscell.c.26.verba hæc sumpta à Philippi sermone laudantis generosam indolem Alexandri filij, cùm is Bucephalum ascendit. Plut.in Alex. ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ: *Quære tibi Regnum*

Philippi Macedonis sententia.

Regnum par, non enim te capit Macedonia. Idipſum adnotat Henr.Steph.in præfat.ad Virg.Hunc Philippi ſermonem ad Alexandrum filium verſibus reddidit Claud.de 4.Conſ. Hon. Sed hæc eſt ſobrietas Virg. vt tantùm res attingat, quod non ſatis fuit Claud. niſi clarè & multis hoc diceret.

Odor, nota diuinitatis. 9. SPIRANTES AVRAS.] Vitales, & quibus ſpiramus, intelligit Seruius. Sed vide, an potiùs alluſerit ad notam diuinitatis, quam attingit lib.1.in illis,

Ambroſiæq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauêre.————

quo loci vide me. Erunt itaque *auræ ſpirantes*, quæ ex ſe odorem emittunt acceptum ab Apolline. Ad eum modum, quo Nonnus lib.41. B

Ἠερίας ἐμέθυσσε πόρους εὔοδμος ἀήτης:
Ventus ſuauiter olens inebriauit aërios tranſitus.

Quam rem attigit & Silius lib.15.

Altera Achæmenium ſpirabat vertice odorem
Ambroſiæ diffuſa comas.————————

Et Eurip. Hippol. dat Dianæ θεῖον ὀδμῆς πνεῦμα, *diuinum habitum odoris.*

Imitatio. 10. FORMA TVM VERTITVR ORIS, &c.] Ex Homer.Iliad.16.

Ταῦτ' ἄρ' οἱ φρονέοντι παρίστατο Φοῖβος Ἀπόλλων,
Ἀνέρι εἰσάμενος αἰζηῷ τε, κρατερῷ τε
Ἀσίῳ, ὃς μήτρως ἦν Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Αὐτοκασίγνητος Ἑκάβης, υἱὸς δὲ Δύμαντος: C
Hæc ei cogitanti aſtitit illuſtris Apollo
Viro ſimilis iuueniq;, fortiq;
Aſio, qui auunculus erat Hectoris equitatoris,
Frater germanus Hecubæ, filius autem Dymantis.

Homeri vitia. Non omittam hic criſin. Correxit Virgilius Homerum, qui *antiquum* maluit, quàm αἰζηόν. Nam, vt conſilium probaretur, ſenis forma aptior, quàm iuuenis. Deinde, non ſatis aptum, vt qui auunculus erat Hectoris, & frater Hecubæ, eſſet tunc in forti & iuuenili ætate. Duo hæc vitia enormia ſunt. Aptior Homero Pindarus Od.4.Pyth. ἀνδρὸς αἰδοίου προσώπου θηκάμενος: *aſſumens faciem viri venerabilis.* Vide & huius rei ſimulacrum in Calab. vbi Apollo Æneæ pugnāti apparet. Eurip. in Bacch. loquens de Baccho aſſumēte humanam formam, εἶδος θνητὸν ἀλλάξας. &, μορφὴν ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν. D

Ædium diuiſio, apud Græcos, & 11. FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS.] Capiet hic locus lucem ex Romano more. Veteres Romani diuiſerunt ædes in Andronam, & Gynæceum, vt & Græci, ſed cum diſcrimine. Græci enim exteriorem ædium partem viris dederunt, interiorem feminis: Romani contrà exteriorē feminis, interiorē viris. De Græcis probat Hom. Iliad.22. vbi de Andromacha,

Ἀλλ' ἥ γ' ἱστὸν ὕφαινε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο:
Sed hæc telam texebat in abdito domus altæ.

Romanos. Et Euripid. Phœniſſ. vbi παρθενῶνας, id eſt, *gynæcea virginum* confert μελάθρων ἐς διῆρες ἔσχατον, *ad extremam contignationem ædium.* De Romanis Arnobius lib.2. vbi loquens cum illis ira ſignatiſſimè: *Matresfamilias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas.* Quæ ergo iſta Butæ commendatio? Loquitur profectò Poëta ex Romano more; ideo enim *fidus cuſtos*, & *ad limina*, quia feminæ in ipſis atriis. An eſſet de nihilo tam exquiſita commendatio? Ergo, cùm dicant interpretes ſignari *cuſtodem atriariū*, aut *atrienſem*, quique præfectus eſſet primæ parti domus ſeruandæ; tacuerunt, cur is in tanto pretio. Hoc potius credo, quàm quæ ſcribit Seru. qui refert ſententiam ad epulas, & cultum Deorum, quæ duo in atriis fiebant, cenſus quoque illic ſeruabantur. Nam fidelis hæc cuſtodia ducit me ad curam in aſſeruandis feminis. Iuuat plurimùm duplex locus Propertij, vbi

Cuſtos atriarius.

Atria quibus rebus ſeruiſſent. E

A loquitur de cuſtodia feminarum, videlicet ad ipſa limina. Primus Eleg.6.lib.2.

Quos igitur tibi cuſtodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam ſupra pes inimicus eat?

Alter Eleg.1.lib.4.

Nec mille excubiæ, nec te ſignata iuuabunt
Limina, perſuaſæ fallere rima ſat eſt.

Notetur quoque locutio trita iam. Sic Mart.lib.12. Epig.89. Ad limina.

Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Sic ſeruus ad manus, ad pocula, ad aures, ad ianuam, ad cœnam, &c. Gloſſ. *ad limina*. θυρωρός. Fortaſſe huc referendus ſit Eurip. in Helen. vbi ait,

Πολλὰ μὲν παρ' ἀσπίδα
Μοχθήματ' ἐξέπλησας:
Multos ad clypeum
Labores pertuliſti.

Nam in Phœniſſ. de famulo quodā Eteoclis ait, παρ' ἀσπίδα βεβῶτας αἰεί: *ſemper ad clypeum ſtabat.* Ibid. de ſeruo, qui eſt ad baculum, dicit, παρὰ βακτηρίας.

Imitatio. 12. TVM COMITEM ASCANIO PATER ADDIDIT.] Hom.9.Iliad.

—σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς:
—me autem tibi comitem miſit ſenex equitator Peleus.

Sed vt illuſtres hunc locum, lege quæ iam ſup. in hoc lib. ad illud,

Rectores iuuenum, & primos dedit eſſe magiſtros.

Oppoſitio. 13. IBAT APOLLO.] Explicant hunc locum, quæ dixi lib.1. Æneid. ad illud, *Et vera inceſſu patuit Dea.* Cùm enim Deorum inceſſus non fieret, vt ibi explico, pedum tranſpoſitione, dici nequeunt *ire*. Ergo Apollo *it*, quia inſtar hominis. Sunt enim directè oppoſita *itio* hominum, & *inceſſio* Deorum.

Imitatio. 14. OMNIA LONGÆVO SIMILIS.] Homericum hoc 2.Iliad.

————μάλιστα δὲ Νέστορι δίῳ,
Εἶδός τε, μέγεθός τε, φυήν τ' ἄγχιστ' ἐῴκει:
————*maximè ad Neſtorem diuinum*
Specie, magnitudine, habitu proximè accedens.

In vtroque, tam Græco, quàm Latino ſubaudi præpoſitionem aliquam, in Græco κατά, in Latino *iuxta*; vt dicat, *iuxta omnia ſimilis.* Sic Iliad.22. Minerua dicitur

Δηιφόβῳ εἰκυῖα δέμας, καὶ ἀτειρέα φωνήν,
Deiphobo ſimilis corpus, & infractam vocem.

15. SÆVA SONORIBVS ARMA.] Arcum intellige, qui ad tergum cum ſagittis; nam conuerſus in aliam formam, arma tamen retinuit. Apud Eurip. in Alceſt. Apollo ipſe σύνηθες ἀεὶ ταῦτα βαστάζειν ἐμοί, id eſt, τόξα, *conſuetum mihi ſemper portare hos arcus.* & Hom. lib.1. Iliad. de eodem Deo,

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην:
Arcum in humeris habens, circumtectamq; pharetram.

Et Cal. lib.3. etiam de Apolline,

Ἰοδόκην ὤμοισιν ἔχων, καὶ ἀνακέας ἰούς:
Pharetram humeris habens, & immedicabiles ſagittas.

Vt verò hîc *ſæua ſonoribus arma*: ita ibid. Cal. γωρυτὸς καὶ τόξα μέγ' ἴαχεν: *corytus & arcus immaniter reſonabant.* Etenim maxima nota armorum Apollinis fuit ſonitus. Ariſtides in Paraphtheg. τοὺς τοῦ Ἀπόλλωνος οἰστοὺς αὐτοὺς ἐφ' αὑτῶν ὑπηχῆσαι συνοργισθέντας αὐτῷ. Dicit videlicet, ſagittas Apollinis ſponte, & nemine commouente ſonuiſſe, quaſi ipſæ quoque cum irato iraſcerentur, ideò ὑπηχῆσαι συνοργισθέντας. Sæua ſonoribus arma.

Dij qui mortalibus apparebant. 16. DICTIS AFFATVR AMICIS.] Ait Max. Tyrius diſſert.27. hoc genus Deorum ἀνθρώποις φανταζόμενον, & προσφθεγγόμενον, *apparens, & loquēs cum hominibus*, eſſe propriè genus quoddā dæmonū ἐπιμικτὸν θεοῖς τινὰ ἀνθρώποις, *miſtū Diis, & hominibus.* Quibus verbis indicat animas Heroüm, qui medij inter Deos, & homines

17. ÆNIDE.]

Æuides. 17. ÆNIDE.] Pro, Æneade. hîc adimit: contrà addit Eclog. 4. dicit enim *Phaethontiadas*, pro, Phaëthontidas. vt Hom. Πηληϊάδεω, pro, Πηλείδου. Monuit Eryth.

18. PARIBVS NON INVIDET ARMIS.] Nescio, an satis expenderis. Inuidia neque ad minima se abiicit, neq; assurgit ad maxima: nam illa respuit, quod satis clarum; hęc videt se nō posse assequi. Ita Micipsa ad Iugurtham: *gloria inuidiam vicisti*. De Theodorico Rege Sidon. epist. 2. lib. 1. *nihil defraudet inuidia*. At paria inuideri, certissimum est. Hæc ergo laus Ascanij, vt etiam *paribus*, &c. Inuidiæ in hac re par est pestis altera, scilicet ira, quæ neque in humiles, neque in magnos: in illos, quia abiecti; in hos, quia ab illis nequit vltio repeti. Lege Aristot. lib. 1. Rhet. cap. 11. Reuertor, & expendo adhuc aliter. Est magnum arma Ascanij dici paria armis Apollinis. Hoc genus in- Inuidia in paria. In contra quos.

A uidentiæ sæpe Homerus explicat per verba ἀγάσθαι, & ἀγάζεσθαι.

19. PARCE PVER BELLO.] Hom. 1. Iliad. πολέμου δ' ἀποπαύεο: *cessa a bello*. Sed ad verbum 22. Iliad. μηδ' ἔτι δούρων ἔστω φειδωλή: *ne sit hastarum parsimonia*. verba sunt Palladis ad Hectorem .i. pugna contra hostem. Parce bello.

20. ET PROCVL IN TENVEM.] Ouid. 2. Fast. Deorum discessus.

Iussit, & in tenues oculis euanuit auras.

Hom. Odyss. 4. λιάσθη ἐς πνοιὰς ἀνέμων, *discessit in ventos*. Iosephus lib. 5. Bell. cap. 5. de re alia, εἰς καπνὸν διαλύονται: *soluuntur in fumum*. Statius 5. Theb. *ira fatus in aëra rursus soluitur*. Sed hoc iam alibi exornaui. Notes semper à Virgilio Deorum discessum describi argutè & cum pompa, cùm Homerus sæpe simpliciter, ἔβη θεός, nulla re addita.

[a] Agnouêre Deum proceres, diuináque tela
Dardanidæ, pharetrámque fuga sensêre sonantem.
Ergo auidum pugnæ dictis & numine Phœbi
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt, animásque in aperta pericula mittunt.
[b] It clamor totis per propugnacula muris:
Intendunt acres arcus, amentáque torquent.
Sternitur omne solum telis, tum scuta, cauæq;
Dant sonitum flictu galeæ: pugna aspera surgit.
[c] Quantus ab occasu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum: quàm multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cùm Iuppiter humidus Austris
Torquet aquosam hyemem, & cœlo caua nubila rumpit.

ARGVMENTVM.

Agnoscitur Apollo abiens, continetur Ascanius ab ardore pugnandi, Principes alij pro illo succedunt; describitur acris pugna, & comparatione illustratur.

EXPLICATIO.

[a] ABEVNTE Apolline sonuit eius pharetra, ac tum agnitus Deus. Erat Ascanius ardore pugnæ inflāmatus ex felici successu, sed cohibent illum proceres, monentq; Phœbo vt pareat, qui dixerat, *parce puer bello*. Ipsi pro illo succedunt, seq; in periculum obiiciunt vitæ, adeò ille suis erat charus.

[b] En pugna acerrima à circumstantiis, videlicet à clamore, qui vbique murorum: ab arcubus, qui intenti: ab amentis, quæ torta: ab innumeris telis, quibus stratum solum: ab scutis & galeis, quæ afflicta, elisa, complosa. Ab tot rebus epiphonema aureum, *pugna aspera surgit*.

[c] Vidisti ingentem pluuiam occidentibus hœdis, atque ita ferocem, vt tellus verberari, non rigari, videatur: vidisti nimbos plenos grandinis horrente Ioue desuper, tempestatem torquente, ac rumpente nubila, quem Austri adiuuant fremore suo; talem puta hanc pugnam, tum ferocitate pugnantium, tum telorum multitudine. Illud, *in vada præcipitant*, explica, in flumina. Sumit scilicet partem pro toto, vadum

B pro flumine. Subaudi etiam voculam *se*, vt dicat, *præcipitant se in vada*.

NOTÆ.

1. AGNOVERE DEVM, &c.] Hom. 17. Iliad.

——Αἰνείας δ' ἑκατηβελον Ἀπόλλωνα
Ἔγνω ἐσάντα ἰδών.——
——*Æneas autem longè iaculantem Apollinem*
Agnouit coràm intuitus.——

Sed hic locus illustrabitur his, quæ dicta prima, & quinta Æneide, vbi dixi Deos agnosci, cùm abirent; quo tenore hîc Virg. *pharetrámque fuga sensêre sonantem*. Signatè enim *fuga*. Quæ tamen doctrina perpe- Dij noti in fuga.
C tua non est in Græcis: nam Æneas adducto loco Apollinem agnoscit ἐσάντα ἰδών.

2. PHARETRAMQVE FVGA SENSERE SONANTEM.] Hom. lib. 1. Iliad. de Apolline,

Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
Αὐτοῦ κινηθέντος.——
Clanxerunt autem sagittæ in humeris irati,
Ipso se commouente.——

3. AVIDVM PVGNÆ.] Hoc laudat in Constantino Auctor ἄδηλος in Paneg. quem tamen ob ipsum reprehendit, quòd ardore, plus iusto, ferretur in acie. Adhibeo verba; nam docet, vti se Princeps debeat in pugna gerere. *Ego verò iterum queror. Prospexeras omnia, dispofueras vniuersa, summi Imperatoris officia compleueras: cur ipse pugnasti? cur te densissimis hostium globis miscuisti? cur salutem Reipublicæ in pericula tanta misisti?* Princeps vti se debeat in bello gerere.

missisti? An nescire nos putas, quòd, dum nimio rapereris ardore, in media hostium tela deueneris? Et post pauca statuit, vti pugnandum sit Principi, hunc in modum. *Illos pugnare fas est, quibus suo cuiusque fato vincendum est, aut cadendum: tu, cuius ex vita omnium fata pendent, ad vllum discrimen accedas? inter tot tela gladiósque versere? quis hoc a te exigit? aut quis pati possit, vt quicquam in te belli casibus liceat?* Hæc profectò Virgilij mens, cùm arcet à bello Ascanium. Et quidem si in omni Principe id verum, quanto magis in Principe puero? Debere sanè Principem bello præesse, certissimum est, sed ipsum per se pugnare, hoc scilicet in cautu sit. Inde apud Iosephum lib. 7. Bell. Iud. capite quinto Titum Imperatorem, ὅτε δὲ αὐτὸν ἐν τοῖς ὅπλοις, καὶ συγκαταβαίνειν παρεσκευασμένον, οἱ δὲ φίλοι διὰ τὸ μέγεθος τοῦ κινδύνου κατεῖχον, *amici continuerunt propter periculi magnitudinem, cùm in armis ipse esset, & cum aliis descendere statuisset.* Quintilian. Declamatione 317. *Inter præcipuas virtutes est, Imperatorem non pugnare aliquando.*

Imperatori vti pugnandum.

4. DICTIS AC NVMINE PHOEBI ASCANIVM PROHIBENT.] Præclarè satis. Ita cohibendus Princeps à suis, vt non illis in Principem sit potestas; quod Creon dolet apud Soph. in Antig.

Princeps vti cohibendus.

Πόλις γὰρ ἡμῖν ἅ με χρὴ τάσσειν ἐρεῖ;

Ciuitas verò statuet, quid imperare debeam?

Hoc cùm videret Virg. religionem & voluntatem Phœbi adiungit, vt potiùs Dei numine videretur, quàm populi voluntate prohiberi. Itaque obiectabant quid Phœbus dixisset, quid numen voluisset, non vim inferebant.

5. ANIMASQVE IN APERTA PERICVLA MITTVNT.] Hom. lib. 9. Iliad.

Αἰεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν:

Meam semper animam proiiciens in pugnam.

Locutionem arripuit Paneg. Constant. *Cur saltem Reip. in pericula tanta misisti?*

Mittere in pericula.

6. AMENTAQVE TORQVENT.] Propriè, nam amentata tela tela tortione emittebantur. Itaque, vt fundæ dicebantur torqueri, ita amenta. Erat amentum, lorum illigatum ad mediam fermè hastam nodo quodam, qui nodus in emissu soluebatur. Inde Stat. 3. Theb. nodi meminit:

Amentum.

Frena tenens, duplexque inserto missile nodo.

Et Sil. lib. 1.

Huic impulsa leni torquetur lancea nodo.

Glossæ. *amentum*, ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη, *vnde tenetur hasta.* Ibidem, *amentum*, ἅμμα ἀκοντίων, *vinculum iaculorum.* Accinunt verba Festi. *Amenta, quibus, vt mitti possint, vinciuntur iacula.* Illud Euripidis in Andromacha, μεσάγκυλα, interpretes explicant *tela amentata*; quibus opponi possunt, quæ sequuntur in eodem Tragico, ἐκλυτὰ ἀμφίβολοι, *tela missilia.* propriè, *tela soluta.* An *ansata* Ennij sint amenta, aut amentata tela, valdè dubito. Sed huius rei alia mihi erit decursio.

7. STERNITVR OMNE SOLVM TELIS.] Ab Enn. vt notarunt iam alij, qui de Scipione,

Imitatio.

Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.

Incrementum Stat. lib. 8. maximum est. *Nec locus ad terram telis.*

8. TVM SCVTA CAVÆQVE, &c.] Videtur adumbrasse versum Enn. lib. 11. Ann.

Imitatio.

Tum clypei resonant, & ferri stridet acumen.

Et lib. 15.

———*tinnit hastilibus vmbo,*

Ærate sonitant galeæ.———

Incertus Poëta apud Varronem: *Arma sonant, fremor oritur.* Sallust. Iugurth. *strepitus armorum ad cœlum ferri.* Ammian. lib. 10. *resultantibus armis.* Ab Calab. etiam lib. 11. inducuntur cum strepitu κόρυθές τι, καὶ ἀσπίδες, *galeæ, & clypei.*

9. FLICTV.] Auson. epist. ad Paulin. *Cymbala dant flictu sonitum.* Cic. 2. Nat. *lapidum flictu elici ignem sæpe videmus.* Lucret. lib. 2.

Flictus.

———*nam cita supernè*

Obuia cùm flixêre, fit vt diuersa repentè

Dissiliant.———

Sil. quoque, *galea horrida flictu.* Attius in Ægystho, *fligi studet.* Itaque simplex *fligo* veteribus in vsu.

Fligo.

10. PVGNA ASPERA SVRGIT.] Tale epiphonema Hom. Iliad. 17. τόσση γὰρ ἔρις πολέμοιο δέδηεν: *tanta exarsit belli contentio.*

11. QVANTVS AB OCCASV, &c.] Hœdi pluuij.

In ortu, & occasu pluuij sunt hœdi. Poëta ab occasu tantùm sermonem arripuit, quem Statius imitatur octauo Thebaid. ad ardorem quoque belli explicandum.

———*non tantùm cadentibus hœdis*

Aëriam Rhodopem solida niue verberat Arctos:

Nec fragor Ausoniæ tantus cùm Iuppiter omni

Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis

Cùm Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres.

12. PLVVIALIBVS HOEDIS.] Theocrit. εἰδ. 7.

Χ' ὥταν ἐφ' ἑσπερίοις ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ

Κύματα.———

Cùm sub occiduis hœdis Notus vrget humidos

Fluctus.———

Interpres Arati etiam de hœdis, σημεῖα μὲν χειμῶνος φέρουσι, ὅταν ἑσπερίαν δύσιν ποιῶνται: *Edunt signa tempestatis, cùm occasum subeunt.* Plura Vrsinus. Ouid. Eleg. 11. lib. 1. Trist. *nimbosis hœdis.*

13. VERBERAT.] Stat. lib. 8. *Rhodopem niue verberat Arctos.* & lib. 5. de Ioue loquens,

Verbero, de imbre.

Talis Hyperborea virides niue verberat agros.

Ouid. 3. Fast. *verberat vnda freti.* Horatius Ode prima lib. 3.

Non verberatæ grandine vineæ.

Elegantia hæc Hellenica est. Nam Hom. 11. Iliad.

———ὡς ὁπότε Ζέφυρος νέφεα στυφελίξῃ

Ἀργεστᾶο Νότοιο βαθείῃ λαίλαπι τύπτων:

———*veluti cùm Zephyrus nubes agitauerit*

Velocis Noti vehementi procella verberans.

Non abit verbum Soph. in Antigon. vbi loquens de turbine, πᾶσαν αἰκίζων κόμην, *omnem flagellans comam.* à quo fortasse Stat. 5. Theb.

Flagello, de turbine.

———*puppémque insana flagellat*

Arbor.———

Variat Ouid. verbo *pulso* 6. Metamorph.

Indúroque niues, & terras grandine pulso.

Scio αἰκίζειν esse *indignè afficere*, sed plerunque cum relatu ad verbera.

14. QVAM MVLTA GRANDINE NIMBI.] Ita lib. 10.

Grandinis comparatio.

Ac velut effusa si quando grandine nimbi

Præcipitant.—

Quem locum vide. Vtrunque versum volunt duci ab illo Val. Æditui, qui in Epigram.

Imitatio.

Aut imber cœlo candidus præcipitans.

Hectorem ita comparat Græcus lib. 11. Iliad.

Ἐν δ' ἔπεσ' ὑσμίνῃ ὑπεραέϊ ἶσος ἀέλλῃ,

Ἥ τε καθαλλομένη ἰοειδέα πόντον ὀρίνει:

Irruit autem in prælium desuper flanti similis turbini,

Qui desiliens cæruleum commouet pontum.

Claud. Bell. Get. de Barbaris,

Grandinis, aut morbi ritu.———

15. CVM IVPPITER HORRIDVS, &c.] Tale illud Sil. lib. 5.

Sic

Sic vbi torrentem crepitanti grandine nimbum
Illidit terris molitus Iuppiter altas
Fulmine nunc Alpes.——

Imitatio. Sic & Hom. Iliad. 10.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἂν ἀστράπτῃ πόσις Ἥρης ἠϋκόμοιο,
Τεύχων ἢ πολὺν ὄμβρον ἀθέσφατον, ἠὲ χάλαζαν,
Ἢ νιφετὸν, ὅτε πέρ τε χιὼν ἐπάλυνεν ἀρούρας:

A

Vt autem cum fulgurat maritus Iunonis pulchricomæ,
Aut demittens confertissimè imbrem, aut grandinem,
Aut copiosam niuem, cum nix adimplet agros.

[a] Pandarus & Bitias Idæo Alcanore creti,
Quos Iouis eduxit luco syluestris Hiera,
Abietibus iuuenes patriis & montibus æquos:
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis. vltróque inuitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læua pro turribus astant
Armati ferro, & cristis capita alta corusci.
[b] Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Siue Padi ripis, Athesin seu propter amœnum
Consurgunt geminæ quercus, intonsáque cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
[c] Irrumpunt, aditus Rutuli vt vidêre patentes.
Continuò Quercens, & pulcher Equicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, & Mauortius Hæmon:
Agminibus totis aut versi terga dedêre,
Aut ipso portæ posuêre in limine vitam.
[d] Tum magis increscunt animis discordibus iræ.
[e] Et iam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longiùs audent.

B

ARGVMENTVM.

Describuntur Pandari & Bitiæ fratrum natales, vastitas corporum, audax facinus in aperienda porta, comparantur quercubus. Ad illos Rutuli aduolant irrupturi vrbem, adsunt Troiani ad defensionem, omnia cædibus permiscentur.

EXPLICATIO.

[a] INCHOAT nouam tragœdiam Pandari & Bitiæ fratrum, quæ penè ad libri exitum, & in qua variæ cædes, atrox fortuna, graue Troianis periculum. Describit primùm illorum natales; erant enim filij Alcanoris, sed educati à fera quapiam in monte Ida, qui sacer Ioui. Deinde corporum proceritatem, quæ ita vasta, vt similes essent abietibus, aut montibus. Tertiò, audax facinus, nam cùm ipsis esset Ascanij imperio commissa vrbis porta, ipsi non passi teneri se angustiis, illam aperiunt, hostem prouocant, rati sua virtute posse se vrbem defendere, neque esse necessariam portam, vbi ipsi adessent. Itaque cristis conspicui, & ferro armati aditum ab dextra & læua occupant: qui illos cerneret, putaret se cernere turres geminas ad vrbis defensionem comparatas.

[b] Sequitur comparatio. Vidisti ad ripas aut Padi, aut Athesis quercus geminas, quibus ita mira altitudo, vt videantur cœlum capitibus contingere, & nutare verticibus: tales existima hos iuuenes. Signatè *vertice*, quæ est pars hominis, vbi & comæ, nam & arbores dicuntur comatæ.

[c] Aduolant statim Rutuli, vt vident portas patentes, volúntque irrumpere. Horum principes fuerunt Quercens, Equicolus, Tmarus, Hæmon. Omnes fermè honestis attributis ornantur, vel ab armorum pulchritudine, vel ab præcipitantia animi, vel à virtute. Hæmon est *Mauortius*, vt qui bellicosus. Pergit Poëta. Sed hi, qui primi aduolarunt, aut repulsi sunt turpi fuga, vertterúntque terga cum primis agminibus: aut occisi sunt obstinatis animis in ipso portæ limine. In hac explicatione variè nugatur Seruius: quæ dixi, vera sunt.

[d] Crescunt iræ in hoc conflictu, quippe discordes & diuersi animi.

[e] Troiani excitati exemplo Pandari & Bitiæ, confertim omnes, & collecto agmine sese ad portam vrbis agglomerant, eóque audacia procedit, vt procurrant longiùs extra vrbem, hostémque prouocent, & manum conserant.

C

NOTÆ.

1. PANDARVS ET BITIAS, &c.] Duplex imitatio: vel enim hæsit Homero Iliad. duodecima, vbi — Imitatio.

——ἐν δὲ πύλῃσι δύ᾽ ἀνέρας εὗρον ἀρίστους,
Υἷας ὑπερθύμους Λαπιθάων αἰχμητάων:
—— *in portis duos viros fortissimos inuenerunt,*
Filios animosos Lapitharum bellatorum.

Vel (si Macrobio credis cap. 2. lib. 6. Saturn.) Ennio, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse portam, & stragem de obsidente hoste fecisse.

2. QVOS IOVIS EDVXIT LVCO.] Ita sup. Arcentem — Heroës locorum fi.

cenem dixit, *Eductum Martis luco.* Commendatio A non vulgaris natalium, ex errore Gentilium, quibus luci ad nascendum gloriosi semper fuerunt; quia semper Diis sacri, & semper in religione. Inde horum patet *Idam* dicitur, & sit *Iovis* mentio, cum allusione ad Homericum illud, ἴδηθεν μεδέων. Et hæc est ratio, cur luci olim sacri essent Heroïbus, quia hi in illis nati. Sic Pausaniæ Attic. adducitur Λακίου τέμενος ἥρωος, *Lacij Herois lucus.* in quo nihil fortasse frequentius. Accedit & ratio alia, quam alibi latè aperui, lupanaria olim fuisse in sylvis & locis herbidis, vnde occasio mentiendorum natalium.

Hiera. 3. HIERA.] Cùm omnes ita legant, neque sit in hoc aliqua discrepantia, putabam retinendam lectio- B nem, hoc sensu, vt Hiera sit vel verum nomen matris horum iuuenum, vel nomen matri affictum; quòd illos peperisset in Ida, loco sacro. Pollux capite quinto lib. quinti, ἱερὰ δὲ καὶ ναοί, καὶ ἄλση, καὶ τεμένη, καὶ σηκοί: *Dicuntur Hiera templa, nemora, luci, septa*, id est, dicuntur sacra. Huius rei seges magna sæpe in multis, & in vno Pausan. sæpissimè maxima. Ad rem. Nihil vetat, dici illorum matrem Hieram, id est, sacram, à loco sacro, in quo partus. Si autem velis, Turnebum sequere cap. 7. libr. 21. mutantem lectionem in hyænam, vt dicantur hi duo nutriti ab hyæna, vt alij à cerua, cane, lupa. Iuuat Turnebum mensus syllabicus, nam ἱερὰ mediam corripit. De hyæna qui multa volet, legat Gesn. Adi & quæ in Clementem coniunxit Heruet. in lib. 2. Pædag. c. 10. Lege & Germ. in Paralipom.

Imitatio. 4. ABIETIBVS, &c.] Pergit Homerica imitatio ex lib. 12.

Τὼ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων ὑψηλάων
Ἕστασαν, ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι,
Αἵ τ' ἄνεμον μίμνουσι, καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα,
Ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι.
Ὣς ἄρα τὼ χείρεσσι πεποιθότες, ἠδὲ βίηφι
Μίμνον, &c. ———
Hi vtique ante portas altas
Stabant: sicut quando quercus stant in montibus proceræ,
Quæ ventum sustinent, & pluuiam per dies omnes,
Radicibus magnis latè diffusis firmatæ.
Sic sanè hi duo manibus freti, atque viribus
Permanebant, &c. ———

Ait Virg. abietes *patrias*, id est, Idæas; nam in Ida nutriti hi duo. Vocat Scal. Homericam operam minorem Virgiliana. Macrobius etiam ait, superatum in hoc loco à Virgilio Homerum. Est & Iliad. 5. simile, vbi, ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσι: *similes altis abietibus.* & 13. Iliad. ait, Alcathoum stetisse in bello,

———ὥστε στήλην ἢ δένδρεον ὑψιπέτηλον,
———*vti columnam, aut arborem altissimam.*

Nonn. lib. 32. de quodam adolescente, ὑψικόμῳ φοίνικι ἐειδόμενος: *alticomæ palmæ persimilis.*

Monti similis statura. 5. MONTIBVS ÆQVOS.] Rectè putant, qui Virgilium dicunt adiecisse animum ad hominem πελώριον, aut πελώριον. Nam vox hæc nata, quasi πέλας ὄρους ὢν τῷ μεγέθει, *accedens magnitudine ad montem.* Inde Sen. in Thyest.

Tergemina moles cecidit, & qui montibus
Stabant pares Gigantes. ———

Quod accepit ab Apoll. qui lib. 1. de Gigantib. dixit, διὰ τρίτην αὐτὰ πέλωρα. Vnde bene Hom. lib. 9. Odyss. cùm priùs Polyphemum vocasset πελώριον, eo versu, ἔνθα δ' ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος, postea subiecit,

Καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον· οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
Ὑψηλῶν ὀρέων. ———

Monstrum etenim horrendum erat, neque simile
Homini frumentum edenti, sed cacumini sylu[oso]
Excelsorum montium. ———

Quibus multis explicat, quæ vnico verbo præmiserat, vocans πελώριον. Est & locus alius in Homero huc pertinens. Nam lib. 17. Iliad. Aiaces duos, qui arcebant Troianos à reliqua Græcorum multitudine, comparat monti, qui fluuium arcet, ne in agros irrumpat. Volui tantùm indicare, non transcribere locum longissimum. Et lib. 13. Hector dicitur ὄρεϊ νιφόεντι ἐοικώς, *niuali monti similis*, ad indicandam eius magnitudinem. Sic Oppian. 2. Cyn. ad magnitudinem elephanti augendam.

Ἠὲ κορυφὴν ὄρεος περιμήκεος, ἢ νέφος αἰνόν:
Aut verticem montis immensum, aut nubem grauem.

Non abit Hom. 17. Iliad. qui scutum Aiacis cum turre comparat, φέρων σάκος, ἠΰτε πύργον. Sed en crisis. Non ita propriè, nam σάκος dictum quasi σάος, ait Etymolog. Si Hom. vsurparet θυρεὸν, esset plenè laudandus.

6. COMMISSA.] Seru. clausam interpretatur. Commissa porta quæ. Potes illum sequi: sed, vt explicui, est verius; tum, quia id petit Homeri imitatio iam adducta, & insuper Eurip. in Phœniss. apud quem eliguntur viri septem ἀλκιμώτατοι, *præstantissimi viribus*, qui præessent septem portis Thebarum contra vim hostium. Tum, quia sup. *Nisus erat portæ custos.* Sic ergo his duobus credita & commissa custodia portarum. Si explices C vti Seru. disce *portas commissas* Virgilij, & κεκλιμένας σανίδας Hom. 9. Iliad. sibi respondere.

7. RECLVDVNT.] Traho huc omen cladis Hierosolymitanæ, quod Iosephus scribit cap. 12. libr. 7. Bell. Iud. de portis templi apertis, quod omen cladis futuræ. Est enim (inquit ille) πολεμίοις δῶρον ἀνοίγεσθαι τὰς πύλας, *hostium donum, aperiri portas.* Quasi omnis ἀσφάλεια (hoc verbo ille vtitur) id est, *tutio & firmitas* amandetur. Vides certè Troianos variis cædib. luisse hanc portarum reclusionem. Apud Prophetam Nahum ἀνοιγόμεναι πύλαι, *reclusæ portæ*, notat ingentem cladem. Quem in locum lege Cyrillum Alex. Portarũ reclusio omen cladis. Stat. 3. Theb. clamorem sublatum à ciuibus infelicissimis exaggerans, ait,

———*bello qualis supremus apertis* D
Vrbibus. ———

Ideo apud Hom. 18. Iliad. Polydamas iubet occludi firmiter portas vrbis contra impetum Achillis, & voces multas cumulat, vt ita indicet rei magnitudinem,

———ἄστυ δὲ πύργοι,
Ὑψηλαί τε πύλαι, σανίδες τ' ἐπὶ τῇς ἀραρυῖαι
Μακραί, εὔξεστοι, ἐζευγμέναι εἰρύσσονται:
———*vrbem autem turres,*
Altæque portæ, asseresque ad has aptati,
Longi, politi, coniuncti tutabuntur.

Sed non certè εὔξεστοι, vt videas semper labi Homerum.

8. FRETI ARMIS.] Scal. *Quid potuit generosius? Deinde addit, quod perterreat animos plebeios, vltróque inuitant mœnibus hostem.* E

9. PRO TVRRIBVS ASTANT.] Sic illud, Astant quid signet.
Et Sagarim, & summis stantem pro turribus Idam.

Verbum *astant*, signat defensionem, vt Sophocles in Antig.

Πορθῶν γε τήν δε γῆν. ὁ δ' ἀντιστὰς ὕπερ:
Oppugnans patriam, cùm alter defenderet.

Ad verbum, *contrà staret.*

10. ARMATI FERRO.] Ὁπλισμένοι cape, & cataphractos; nam illud Seruij de corde ferreo, quia Ennius, *succincti corda macharis*, non placet. Hom. sæpe, κεκορυθμένος χαλκῷ. Armati ferro, quid.

11. AERIÆ.

11. AERIÆ.] Quia in altum sublatæ. Sic lib. 4. Epig. [Greek] aëriam scalam.

Lectio Virgiliana. 12. LIQVENTIA FLVMINA.] Neque hîc Seruium probo legentem *Liquetia*, referentémque ad *Liquetiam* fluuium. Sed iam contra illum Erythræus, & Gifanius. Etenim qui tertium fluuium volunt lucrifacere, perdunt Musam Maronis, & pulcherrimam figuram, Zeugma, qua hic locus exornatur. Deinde non satis vsitata locutio. Non enim dices, fluuios Mincios: sic neque Liquetia flumina, ad Liquetiam fluuium.

Padi etymô. 13. PADI.] Voluit hoc nomen præ Eridano; nam cum respectu ad etymon. Dictus enim est Padus (si Catoni credis de Originibus) à picea arbore. Et hîc Padi meminit Virgilius, vt ferentis arbores: neque impedit mutari in quercus. Plin. quoque similem adducit originem.

Athesis amœnitas. 14. ATHESIN SEV PROPTER AMOENVM.] Celebrata fluminis huius amœnitas. Cassiod. epist. 48. lib. 5. *Hunc Athesis interfluit honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, causam præstã, mun minis & decoris* Claudianus in Epith. Honor. fluuios numerans aptos voluptatibus, principe loco Athesin adhibet: imò, cùm aliis alia assignet, vt Mincio susurros apium, Pado electra, Tago aurum, huic vni dat choreas, versu illo, *Athesis strepat choreis.* Sidonius libro primo epist. præmissa mentione aliquorum fluminum, interque illa Athesis, addit, *quorum ripæ, torique passim quernis acernisque nemoribus vestiebantur.* Contrà tamen scribit Auctor [Greek] Paneg. Constantini. *Athesis ille saxis asper, & gurgitibus verticosus, & impetu ferox.* Sed hæc extrema ad celeritatem refer, qua hic amnis celebris. Sidonius epist. 5. lib. 1. *velocem Athesin, pigrum Mincium.* Quod accepit à Claud. *& velox Athesis, tardúsque meatu Mincius.*

Locorum similitudo. 15. CONSVRGVNT GEMINÆ QVERCVS.] Possum existimare Claud. 3. Rapt. in describenda cupressu gemina omnino hæsisse Maronis cursui. Ita ille:

Tollebant geminæ capita inuiolata cupressus
Cespite vicino, quales non rupibus Idæ
Miratur Simoïs, quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris mirator Orontes:
Germanas adeò credas, sic frondibus æquis
Astant, & socio despectant vertice lucum.

Est hoc perfectissimum genus imitationis, cùm scilicet ita occulta est imitatio, vt tenues tantùm ducatur lineæ. Virg. *attollunt capita.* Claud. *tollebant capita.* Ille, *geminæ quercus*; hic, *geminæ cupressus.* Ille, *sublimi vertice*; hic, *despectant vertice.* Hæc clara sunt, non item, quæ sequuntur, & ego tenues lineas vocaui. Ille in re comparata, *astant*, quod hic transtulit ad arbores. Ille *Idæ* meminit in mentione fratrû, hic in mentione arborum. Ille vtitur ea comparatione ad fratres, hic ipsas arbores *germanas* vocat. Ab illo dicuntur fratres *æqui montibus* ab hoc arbores *æquis frondibus.* Pro *Pado* illius atque *Athesi* adhibetur *Orontes* ab hoc. Pro ripis & amœnitate Virg. est in Claud. *diuite ripa.* Volui hoc ad gustum illorum, qui amant Claudianum, quod iure faciunt optimo.

Cœlum attingere. 16. COELO.] Pari incremento Stat. 3. Theb.

Mons erat audaci seductus in æthera dorso.

Et de Parnasso Eurip. in Ione, [Greek], quasi ita altus sit, vt sedem in cœlo habeat.

17. CAPITA.] Ita de arboribus. Videsis me lib. 2. Georg. vbi plenè ad illud,

——*Parnassia laurus*
Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.

Nuto, de arboribus. 18. NVTANT.] Manil. lib. 1. *& virides nutantes vertice syluas.* Senec in Thyest. *nutat sylua* Enn. *capitibus nutantes pinos.* Catull. *nutanti platano.*

19. IRRVMPVNT, &c.] Et hoc tractum ab Hom. in adducto loco Iliad. 12. vbi hostes statim cumulât ad portam, vbi duo illi fratres. Longissimè ille. Est etiam similis locus Xenoph. lib. 7. [Greek]: *patefaciunt portas, illi autem irrumpunt.* Vide verò, vti explicuerim. Non enim Rutuli irrupêre, sed tantùm conati id sunt. Nam solus Turnus ingressus, vt in sequenti sermone apparebit. *Imitatio.*

20. QVERCENS.] Nomen hoc arripuit Sil. lib. 10.

Occubuit, fratrisque videt labentia membra
Quercentis.——

vbi pessimè in nonnullis *Querentis*. Noto, si hoc est aliquid, induci contra viros, qui comparati cum quercubus, ducem, cui nomen est ab quercu. Est .n. hoc quiddam concinnum. *Virgilij concinnitas.*

21. MAVORTIVS HÆMON.] Id est, bellicosus; quod Hom. 11. Iliad. *Martis filij dicuntur bellicosi.*

[Greek]:
Leonteum pernicioso parem Marti.

Sic & 9. Iliad. [Greek], & sæpe alibi, *filios Martis.* Sic [Greek], & [Greek]. Nomen, credo, ductum est ab Sophoc. à quo in Antigon. filius Creontis *Hæmon* dicitur.

22. INCRESCVNT ANIMIS DISCORDIBVS IRÆ.] De ira etiam Homerus Iliad. 18. [Greek]: *crescit in pectoribus hominum.* Fortassè nata locutio à flammis; istæ enim dicuntur crescere, & augeri: atqui certissimum est iras comparari ignibus. *Cresco, de flammis.*

23. ANIMIS DISCORDIBVS.] Ratio irarum crescentium est animorum discordia. Arist. 2. Rhet. c. 2. omnem efficiétiam irarum refert ad [Greek], *despicientiam*, & ad eius species, videlicet [Greek]. Stabilit hoc ita firmiter, vt omnem iram referat ad despicatum, tanquam ad causam. Ioannes etiam Chrysost. Hom. de Simultate, iram Dei contra improbos & feros homines refert ad [Greek], & [Greek]. Vocat enim contemptum, nolle sequi diuina præcepta. Si hoc ergo verum, cur Virgilius discordiam animorum ponit pro causa irarum? Expedio. Eo ipso, quòd ab alio dissides in sententia, illum proculdubio contemnis. Etenim, si Aristoteli licuit dicere, obliuionē accepti beneficij causam esse irarum, solùm quia [Greek], *obliuio videtur esse signum despicientiæ*; &, si, vt dicebam ex Ioan. Chrys. nolle sequi diuina præcepta, genus est [Greek]: cur non ego dicam dissidium ab alterius mente, signum esse contemptus? Hæc volui, ne quis triumphet de Marone. *Ira omnis ex despicatu.*

24. COLLECTI TROES GLOMERANTVR.] Sumit, credo, metaphoram ab apibus, quæ in vnum glomeratæ vim repellunt omni ex parte. Quod vt putem, ducit me verbum Agathiæ lib. 2. Histor. scribentis de militibus [Greek], cùm in turmas coëunt cum strepitu; quod verbum apium est. Ita potest expediri locus alter huius libri, qui iam præcessit; *Apes.*

Quem circum glomerati omnes hinc comminus, atque hinc
Proturbant.——

Glomerant scilicet se Latini ad tuendum Volscentem contra vim Nisi, non aliter ac apes se Regi suo agglutinant, vt defendant.

25. ET CONFERRE MANVM.] Hoc vnum hemistichium opponitur reliquo superiori libro, in quo Troiani pugnarunt è muris. Nam hoc est, *non æquo dare se campo*, &, *non obuia ferre arma.* Optabátque Turnus *excutere illos è vallo, in æquor effundere.* & mille alia quæ præcesserunt. Iam ergo hîc conferunt manum. Inde alacritas exultabundi Turni in sequenti tractu.

26. PROCVRRERE.] Verbum Homeri, qui lib. 22. Iliad. de Hectore audente longè à muris discedere contra hostes, πολὺ προθέεσκε, *longè procurrebat.* Est hoc etiã, quod de Ænea prædicat idem Hom. Iliad. 20. ὅ-μιλον πολλὸν ἐπελθών, *quòd longiùs à suis procederet.* Inde & Menelaus Iliad. 17. Euphorbum contra se pugnanté monet ἐς πληθὺν ἰέναι, *rediret ad turbam,* neque auderet ita procurrere. Est.n. nota viri fortis suos relinquere, quasi non illis egeat. Vnde & postea Menelaus idem in magno timore ἴκετο ἔθνος ἑταίρων, *recepit se ad suos.* atque etiã de Hectore, ἂψ ἑς ὅμιλον ἰὼν ἀνεχάζετ' ἑταίρων,

Relinquere suos viri fortis nota.

A *retrò ad suorũ turbam abiens recedebat,* scilicet prementib. hostibus. Neptunus quoque 13. Iliad. miratur Troianos pugnare ἕκαθεν πόλιος, *procul ab vrbe,* quod ducit in argumentum virtutis illorum. Sic & sexta Iliade Diomedes Glaucum ita laudat, πολὺ προβέβηκας ἁπάντων σῷ θάρσει. Iosephus cap. 9. lib. 7. Bell. Iud. similem procursum Iudæis dat, de quibus ἐκπηδήσαντες. Hinc exquisita illa Æneæ laus lib. 1.

Se quoque Principibus permistum agnouit Achiuis.

Abierat quippe à suis ita longiùs, vt solus viseretur in hostium agminibus.

[a] Ductori Turno diuersa in parte furenti,
Turbantíque viros perfertur nuntius, hostem
Feruere cæde noua, & portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam, fratresq; superbos.
[b] Et primum Antiphaten (is enim se primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Coniecto sternit iaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenuem, stomachóque infixa, sub altum
Pectus abit: reddit specus atri vulneris vndam
Spumantem, & fixum ferrum in pulmone tepescit.
[c] Tum Meropem, atque Erymantha manu, tum sternit Aphydnum.

ARGVMENTVM.

Audit Turnus apertas portas, ruit illicò, interfecto Antiphate, & obuiis aliis.

EXPLICATIO.

[a] FVREBAT Turnus in diuersa parte exercitus, turbabat omnia, audit tum hostem cæde grassari in suos, & patere portas, ac se statim expedit, incepta deserit, eò aduolat, imò *ruit* cum ingenti ira inuasurus Pandarum, & Bitiam.

[b] Habuit in via obuium Antiphaten, qui ex muro iam longiùs procurrerat, erátque filius Sarpedonis, sed nothus à matre Thebana. Hunc statim sternit. Inuitatus Poëta viri huius splendore, erat quippe nepos Iouis; nam Sarpedon Iouis erat filius, describit modum ictus. Iaculum per pectus abiit ad stomachum, atque inde ad pulmonem, quo fixo ferrum intepuit. Et quia ita cauum vulnus, *specus* dicitur, & sanguis inde profluens, *vnda spumans,* ducto sermone à fontibus, è quorum abditis, & specubus vnda emanat.

C

[c] Antiphaten eminùs interfecerat, nam *coniecto iaculo,* hos tres cominùs, ideo *manu:* itaque illum iaculo, hos gladio.

NOTÆ.

Ferre nũtiũ.

1. PERFERTVR NVNTIVS.] Ita Soph. Elect. ἥκω φέρων λόγους: *venio ferens nuntium.* Et nota ἐκ παρέργου, ab

B eodem dici ἄγγελοι pro *nuntio,* eo versiculo, ἔργ' ἔχων ἥδιστα.

2. FERVERE CÆDE NOVA.] Præclarè, quia *cædes noua,* ideo *feruere:* feruor .n. est initio coctionis. Inde ego Ammianum expendo libr. 20. qui de extrema adhuc pugna ait, *feruente certaminum mole,* quasi semper par fuerit pertinacia.

Feruor, de P[...]gna, cur

3. DARDANIAM.] Vide, an fortasse non generale hoc nomen, sed peculiare & verum illius portæ. Nã sicut in 3. *Scææq; amplector limina portæ,* de vrbe Heleni, qui ab portis Scæis Troianis id nominis imposuerat portæ suæ vrbiculæ. Ita hîc *Dardania porta,* pari in patriam amore. In Homero multa est mentio πυλάων Δαρδανιδάων.

Dardania porta.

4. RVIT.] Homerus sæpe in hoc impetu, ἐσσύμενος, ἐπεσσύμενος, ἀλάμενος, pro σπευδόμενος, μεμαώς, ἐμμεμαώς, ὁρμηθείς. & ad verbum ὄρουσε, *irruit.* Interdum etiam ἐβεβήκει, militari verbo, & ἐπαΐξας, ὄρμηνε, ὁρμήσειε.

C 5. ET PRIMVM ANTIPHATEN, &c.] Impetum suum dirigebat Turnus contra duos fratres, qui in portis; hi enim scopus furoris: sed in via deleuit quatuor. Itaque non sine respectu ad hanc rem Pyrrhus apud Sen. in Troad. ita prædicat facta patris Achillis,

Hæc tanta clades gentium, & tantus pauor,
Sparsæ tot vrbes turbinis vasti modo,
Alterius esset gloria, ac summum decus,
Iter est Achillis. Sic meus venit pater,
Et tanta gessit bella, dum bellum parat.

Locorum [...] militudo.

Adsimilis locus Claud. de Bel. Get. vbi quispiam rem gerit *prætereunte manu.* & Paneg. de 3. Consul. Honor. *Hoc tibi dat Stiliconis iter,* quia Stilico in ipsa adhuc via bella multa.

6. SE PRIMVS AGEBAT.] In 6. *sese Palinurus agebat.* vide hîc Seru.

7. THEBANA.] De Thebis, quæ in Cicilia, accipit

Thebæ duplices.

accipit Turn. Est enim credibile Lycium hominem inde sibi copulasse concubinam, non ex Thebis illis notissimis Græcorum. Adduco in argumẽtum, inde etiam ductam coniugem Andromachen ab Hectore. Fuit enim enim illa filia Eëtionis Regis Thebarum Ciliciæ, quod Hom. 6. Iliad. Quid verò, ô Lector, si deceptio Penthei 4. Æneid. putantis se cernere *Thebas duplices*, nata ab hac duplicata vrbe? vt dicat Poëta, Pentheum, qui erat è Thebis Græcorum, quoties cerneret suam vrbem, putare se quoque cernere pariter illas alteras Thebas Ciliciæ. Ideo hîc, quia ibi omisi.

Nothi, & spurij discrimen.

8. NOTHVM SARPEDONIS ALTI.] Præclarè, & signatè. Est enim discrimen inter *nothum*, & *spurium*. Prior, qui natus ex claro & noto patre, matre obscura & ignobili: posterior, qui matre nota, ignoto patre. Ergo, quia non *spurius*, sed *nothus*, ideo *Sarpedonis alti*. Quis sit propriè *nothus*, adhuc video dubitari. Ego Cuiacium sequor lib. 5. Obseru. cap. 6. cuius sententiam firmabo. Hi verè sunt nothi, qui habentur à patre cælibe, & concubina retenta domi, loco vxoris. Ideo ab nonnullis nothum vocari μητρόξενον animaduertit Pollux cap. 2. lib. 3. quia illius mater domi est, & in eodem hospitio. Et hi quidem non σκότιοι, aut terræ filij dicuntur, nec quasi ἀπάτορες nati ex mera scortatione, & adulterio. Sic Iustinian. *nothos* accipit, quos φυσικοὺς nominant, id est, *naturales*. Inde in Homero, *nothi* semper mentio honorifica. Non enim intelligit natos ex stupro, incesto, aut adulterio. Et Eurip. in Ione, hominem νοθαγενῆ, *nothum*, dicit esse εὐγενῆ, οὐ δυσγενῆ: *nobilem, non ignobilem*. Quin inde Græcis dicta νοθεία, aut νοθεῖα, id est, pars illa hæreditatis, quæ ad nothos deuoluebatur lege Atheniens. cuius meminit Aristophan. aduocante illum Polluce loco adducto. Ἀριστοφάνης δὲ νοθεῖα τὰ χρήματα καλεῖ τὰ τοῖς νόθοις δεδόμενα. Vide & Suidam, qui Demosthenem, & alios aduocat. De etymo vocis, variè. Tantùm offero Suidam, qui ducit à particula νὴ, id est, *non*, & θεῖον, *diuinum*; quia nothi carent diuino illo, quod esse in procreatione debet, id est, legitimis nuptiis. Vide Lexicon Sim. Schard. A proprietate vocis, quam audisti, natæ translationes quædam, vt Atticismus νόθος, id est, non verè Atticus: & cartilagines in humano corpore maiores, & minores; illæ dicuntur γνήσιαι, id est, *legitimæ*, hæ νόθοι: de quibus vide Pollucem cap. 4. lib. 2. Sed velim notes, discrimen, quod initio attuli inter *spurium*, & *nothum*, non esse perpetuum auctoribus. Nam Hom. 6. Iliad. Bucolionem appellat σκότιον, id est, *spurium*; qui tamen natus ex clarissimo patre Laomedonte, & matre ignobili. Præterea 8. Iliad. Teucrum nothum vocat, natum vtroque clarissimo parente, videlicet Telamone, & Hesiona sorore Priami. Ex quo Homeri loco credo natam legem, quam multo pòsteà sanciuit Pericles, vt auctor est Plut. in eius vita: statuit enim, vt nothus diceretur, qui natus esset ex viro Atheniensi, & matre non Atheniensi, etiamsi nobili & principe. Respexit credo Homerum, qui Teucrum vocat nothum, qui natus ex Hesiona. Nam tametsi hæc soror Priami, sed non eiusdem gentis, vnde Telamon.

Nothi qui propriè.

Nothia, quid.

Nothi etymon.

Cartilagines nothæ.

Nothi accepuo alia.

9. VOLAT.] Hom. 22. Illiad. ὑπερίπτατο χάλκεον ἔγχος. Ouid. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *longéque volante sagitta*. Plin. lib. 16. cap. 36. loquens de calamo, vnde conficiuntur sagittæ, *pondus volucre*. Sed hoc alibi.

Volo, de telis.

10. ITALA CORNVS.] Pro, Italica. Sic Pers. Sat. 6. *Ligus ora*, pro, Ligustica. &, *iuuenes iocos*, pro, iuueniles. & Sat. lib. 1. *Italo honore*, pro, Italico. &, *heroas sensus*, pro, heroos.

Italum, pro Italico.

11. STOMACHOQVE INFIXA.] Ictu simili interfectus Euphorbus à Menelao Iliad. 17. κατ' στομάχοιο θέμεθλα νύξε.

12. SPECVS ATRI VVLNERIS.] Sil. lib. 6. de vulnerato serpente, *Tabificam spirat saniem specus vltima*. Stat. flexu alio vocat *fundum* lib. 9. quasi è cauerna exiret sanguis. Ioan. Chrysost. in laudat. prima Romani Martyris vocat vulnera βαθείας αὔλακας, *sulcos profundos*, & inde fluere ῥύακας αἱμάτων, *riuos sanguinis*.

Specus, de vulnere, Fundus, Sulcus.

13. FIXVM FERRVM IN PVLMONE.] Ad verbum Hom. lib. 4. Iliad. πάγη δ' ἐν πνεύμονι χαλκός.

14. TEPESCIT.] Ita sup. *traiectóque hastis tepefacta cerebro*. Hom. 16. Iliad. ὑπεθερμάνθη ξίφος αἵματι: *incaluit gladius sanguine*.

15. MANV.] Cum oppositione ad iaculum, quo percussit Antiphaten. Itaque hunc eminùs, & iaculo, alios cominùs, & gladio. Hom. 20. Iliad.

Oppositio.

Τὸν μὲν δουρὶ βαλών, τὸν δὲ σχεδὸν ἄορι τύψας:
Hunc quidem hasta iaculatus, hunc verò cominùs ense verberans.

[a] Tum Bitiam ardentem oculis, animísque frementem,
Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dedisset)
Sed magnum stridens contorta Phalarica venit
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamma lorica fidelis & auro
Sustinuit: collapsa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum super intonat ingens.
[b] Qualis in Euboïco Baïarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus antè
Constructam iaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penitúsque vadis illisa recumbit.
Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ.
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durúmque cubile
Inarime, Iouis imperiis imposta Typhœo.
[c] Hîc Mars armipotens animos virésque Latinis

Addidit; & ſtimulos acres ſub pectore vertit:
Immiſítque fugam Teucris, atrúmque timorem.
Vndique conueniunt, quoniam data copia pugnæ,
Bellatórque animo Deus incidit.

ARGVMENTVM.

Turnus Bitiam vincit, deſcribitur huius occaſus, & magnificè comparatur. Mars Rutulis fauet contra Troianos.

EXPLICATIO.

a ARDEBANT oculi Bitiæ, fremebant animi: ſed hunc ita ardentem, ita frementem, tamen ſtrauit, nam hoc verbum repetendum. Sed quo telo? non iaculo, vt Antiphaten. Nam immanis & vaſtus Bitias, quî iaculo dediſſet vitam, & occumberet? Imbellia hæc arma, & ſpicula contra illum. Maius acceſſit telum, videlicet Phalarica. Hanc torſit Turnus, quæ ſtridens diriter in Bitiam venit inſtar fulminis. Erat Giganti clypeus ex duplici tauri tergore, erat lorica ex duplici aurea ſquamma, eáque fideliſſima: ſed iſta omnia nihil Phalaricam retardarunt; itaque collabuntur & ruunt Gigantea illa membra. Ad hanc ruinam tellus ingemuit, & ex ſonante clypeo editum eſt tanquam tonitruum. Expende hîc aliqua. Quia Phalarica inſtar *fulminis*, ideo poſtea de cadente Gigante *tonitruum*, cognato ſermone. Dixit *ruunt*, quia vaſtiſſimi hominis occaſus debuit vocari ædificij ruina, ideo ſtatim, *tellus gemit*. Et quia Gigas inſtar ædificij aut turris, percutitur Phalarica, quæ torqueri ſolita in turres. Inde poſtea (nota mirum nexum) comparatur cum pila ædificiorum. Adhuc conſidera vigilantem hunc Argum, & verè centoculum, Virgilium inquam. Homo *ardens oculis* percutitur *ardenti fulmine*, & *fremens animis* Phalarica *ſtridente*. Itaque fulmen contra ignem, ſtridor contra fremitum. Sed & quia Phalarica *fulmen*, ideo *contorta* verbo Iouis. O minutuli alij Poëtæ!

b Vidiſti pilas in littore Baiarum, quæ magnis molibus conſtructæ ſunt contra vim maris; finge vnam earum in vndas cadere; quam ruinam illa trahet? vti recumbet, illidetúrque aquis ingenti ſonitu? videbis miſceri maria, & arenas in altum tolli. Quin audies ad hanc ruinam inſulam Prochytam tremere, & Inarimem, quæ Typhœo impoſita: talem puta Bitiæ caſum. τὸ *durum cubile*, præſtantiſſimè dictum.

c In hoc feruore belli placitum Marti ſeſe pro Latinis oſtentare. Itaque his fauit, & Troianis timorem intulit. Ergo *conueniunt vndique*, ſcilicet Latini; quia vident & dari copiam pugnandi cominùs, & Bellatorem Deum animis infuſum.

NOTÆ.

Dare animam, de morte. 1. NEQVE ENIM IACVLO VITAM ILLE DEDISSET.] Par illud 11. Æneid. *non ille manus ferrum dediſſet*. Eſtque hoc fermè illud Hom. 9. A Iliad. οὐ μὲν γάρ κ' ἰδάμη παύροισι βροτοῖσι: *non domitus ille eſſet paucis ab hominibus*. Et verbum *do* in hoc ſignificato etiam eſt in Hom. Iliad. 11. δώσειν ψυχὴν Ἄϊδι.

2. CONTORTA PHALARICA.] Teli huius extat luculenta apud Liu. lib. 21. deſcriptio hæc: *Phalarica erat Saguntinis miſſile telum haſtili oblongo, & cetera tereti, præterquàm ad extremum, vbi ferrum exſtabat. Id, ſicut in pilo, quadratum in ſtuppa circumligabant, linebántque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis transfigere corpus poſſet. Sed id maximè, etiamſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pauorem faciebat: quod cum medium accenſum mitteretur, conceptúmque ipſo motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudúmque militem ad inſequentes ictus præbebat.* *Phalaricæ luculenta deſcriptio.* Percurro verba Liuij commentans illa; tota enim B teli notitia in Liuio ſita. Dat Phalaricam *Saguntinis*. Ratio loquendi Liuij eò me ducit, vt putem natum hoc telum in Saguntinis. *Phalarica* (inquit) *erat Saguntinis miſſile telum*; quaſi his eſſet, non aliis, & ſi aliis, qui ab his accepiſſent. Eò ſpectat Silius lib. 1. qui in deſcriptione huius teli, *Nata in Saguntinis.*

Horrendum viſu robur, celsiſque niuoſæ
Pyrenes trabs lecta iugis.——

Gloſſæ: *Phalarica, lancea magna*. Atqui *lancea*, Hiſpana fuit, vt auctor Varro apud Agell. lib. 15. cap. 30. & pluresalij. Pergit Liuius: *haſtili oblongo*. Seru. hîc, & Iſidor. *telum ingens*. à Silio *trabs* dicitur. adductæ gloſſæ. *lancea magna*. S. Hieronym. epiſt. 89. *Phalarica mole*. Hæc omnia ſatis indicant magnitudinem. *Magno haſtili.* Iterum ad Liuium, *cetera tereti*. Seru. & ab eo S. Iſi- C dor. *torno factum*. *Telum teres.* Adhibet deinde Liu. in extremo *ferrum*, & hoc, *tres in longum pedes*. Minore multo longitudine Seru. & ab illo Iſid. *ferrum cubitale*. Potior Silius, & ad mentem Liuij, *cui plurima cuſpis*. *Ferri longitudo.* Redeat Liuius, ait hoc telum fuiſſe ſtupa circum ligatum, & pice illitum. Silius, *Cum ſtuppa, & pice.*

——*ſed cetera pingui*
Vncta pice, atque atro circumlita ſulphure fumat.

Seru. *Dicitur ignem habere adfixum, ſtuppa circumdatum, & pice oblitum*. Lucanus de illa, *Multifidas iaculata faces*. Procedit ſcriptor, *vt cum armis transfigere corpus poſſet*. Non ergo ſemper Phalarica contorta in turres, muros, ædificia, parietes. Ab Turno torquetur in Bitiam, & ab Sidonio in Maioriano, in militem, *hunc torta Phalarica ictu Præterit*. Ab Silio lib. 6. in D ſerpentem, *Contra homines.*

Iámque aluo penitus demerſa Phalarica ſedit.

Scio, hoc malum crebrius eſſe contra ædificia, ideo Sil. lib. 9. *Contra ædificia.*

Interdúmque ipſis metuenda Phalarica muris.

Et lib. 1. *Vix muris toleranda lues*. & ab Lucan. lib. 6. dicitur obruere *vaſti muralia pondera ſaxi*. Cetera Liuij cò tendunt, vt explicent teli huius vim, contra quod nullum auxilium. *Eius vis.* Ad hanc vim ſignarè in Pomp. Xiphilinus, quem de hoc telo capio; nam eius narratio conformis Liuianæ. ἀσφαλτῶδές τι γὰρ φάρμακον τοῦτο, καὶ διάπυρον οὕτως, ὥσθ' ὅσοις ἂν προσομιλήσῃ, πάντως αὐτὰ κατακαίειν, οὐδ' ἀποσβέννυται ὑπ' ὕδατος οὐχ ῥᾳδίως. Deſcribit videlicet napthan: id eſt, *Ita bitumine medicata eſt, atque ita ardens, vt omnia, quibus adhæreſcit,*

harescit, prorsus exurat, neque vlla re humida facilè restinguatur. Inde & Virg.

——quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squamma lorica fidelis & auro
Sustinuit.——

Expleui pensum Liuij, in quo quæ desunt, supplenda ex Virg. & aliis. Ait ille *fulminis acta modo*. Silius lib. 1.

Instar fulminis.

Fulminis hac ritu summis è mœnibus arcis
Incita, sulcatum tremula secat aëra flamma.

Et addit comparationem,

Qualis sanguineo perstringit lumina crine
Ad terram cœlo decurrens ignea lampas.

Pertinent hæc ad impetum eius teli, quem ita Ennius expressit, & cui hæsit Virg.

Quæ valido venit contorta Phalarica missu.

Augebatur hic impetus, si torqueretur è ballista, quod frequentissimè. Veget. de illa cap. 18. lib. 4. *ballista impetu destinata*. Amm. lib. 20. tale quiddam. & Lucan.

Torquebatur sæpe è ballista.

Tortáque per tenebras validis ballista lacertis,
Multiplices iaculata faces.——

A voce *ballistæ* idem abstinet lib. 6. & *neruos* nominat; sed illam intelligere putandus est. Eius verba. *tortilibus vibrata Phalarica neruis*. Xiphilin. loco adducto; νάφθα κῦ τῶν μηχανῶν χυομένη: *naphtha e tormentis fusa*. Sil. lib. 1.

Librari multa consueta Phalarica dextra.

Quia scilicet multi necessarij ad explodendam hanc machinam. Obiicies: malè ergo Virg. Turni manu emissam ait. Solutio est duplex. Prima, mitti certè hoc telum solebat manu. Glossæ clarissimè, *Phalarica*, χειρόβαλίστρα. Altera, eo ipso indicata Turni virtus. Restat aperienda ratio nominis. Dicta sic est à falis. Sunt falæ exstructæ murorum altitudines. Sic ergo dicta, quia è falis, vel in falas missa. Lege Festum, Seruium, Isidorum.

Virgilius defenditur.

Illius etymon.

3. FVLMINIS ACTA MODO.] Illustraui iam Nota superiore.

4. TAVREA TERGA.] Scutum intelligit. Corij ex boue inducti scutis crebra apud auctores mentio. Virg. 10. Æneid.

Taurina pellis ad vsum scutorum.

Cùm pellis toties obeat circumdata tauri.

Stat. lib. 3.

Nec pudor emerito clypeum vestisse iuuenco.

Idem:

——clypeos cæsis vestire iuuencis.

Valer. 1. Arg.

Taurea vulnifico portat, calatáque plumbo
Terga Lacon.——

5. DVPLICI SQVAMMA.] Loricarum aliæ hamatæ seu catenatæ, quod genus Poëta inducit lib. 5. vbi exhibet loricam *leuibus hamis consertam*. Aliæ squammeæ, quæ habent solidas laminas innexas & consertas. Herodotus Musa septima loquens de Persarum loricis, ait habuisse speciem λεπίδος σιδηρέης ὄψιν ἰχθυοειδέος, *ferreæ squammæ instar piscium*. Ea in vsu Romanis; illam enim Lucullo dat Plut. vocátque θώρακα σιδηροῦν φολιδωτὸν, *loricam ferream squammeam*. Cùm ait *duplicem*, intelligit bilicem loricam, id est, cui duplex ordo squammarum loco liciorum: & ideo *fidelis*, quia maior virtus in duplici ordine.

Loricæ hamatæ, & Squammeæ.

Duplex lorica quid.

6. AVRO.] Fuit diuitum & potentiorum, vt squammæ essent aureæ. Sil. lib. 5. Flamminium Consulem sic armat,

Aureæ squammæ in loricis.

Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos
Ferro squamma rudi, permistóque asperat auro.

Est in Poëta *duplici squamma & auro*. Idem quod, duplici squamina aurea, vt illud, *pateris libamus, & auro*, nulli non tritum.

A

7. DAT TELLVS GEMITVM.] Sil. lib. 4.

Gemitus terræ.

Procumbit latè porrectus in arma ruinam,
Et percussa gemit tellus ingentibus armis.

Pari incremento Stat. lib. 5. Theb. vbi ad pondus serpentis maximi inducit *arua gementia*. Calab. lib. 1. μέγα δ' ἔστενε γαῖα: *horrendè gemuit vasta tellus*. & lib. 2. ὄγμα στένε. ibid. γαῖα ἔβραχε. &, περιστενε γαῖα.

8. ET CLYPEVM SVPER INTONAT INGENS.] Hom. 5. Iliad.

Δούπησεν δὲ πεσὼν, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ:
Sonuit cadens, & arma super ipso insonuerunt.

Repetit lib. 17. & sæpe aliàs. Ab Hom. Seruius accipit *clypeum* neutro genere, vt dicatur scutum insonuisse super Bitia, quia ille, ἐπ' αὐτῷ. Nam & Caper agnoscit non solùm *clypeus*, sed *clypeum* neutrum. Hoc etiamsi verum sit, libentiùs tamen in Virg. agnosco genus masculum, vt dicat, Gigantem cecidisse supra clypeum. De strepitu cadentis par locus Iliad. 13. & 16. & sæpe. Ioseph. quoque lib. 7. Bell. Iud. cap. 1. ἔπεσεν μετὰ μεγίστου ψόφου κατάπεσων. & de milite altero cap. 3. μετὰ μεγίστου ἤχου. De Pallante in 10. *sonitum super arma dedere*.

B

Clypeus, & clypeum.

9. QVALIS IN EVBOICO, &c.] Silius lib. 4. Musam suam ornat Virgiliano ductu.

Locorum similitudo.

Procumbit lata porrectus in arma ruina,
Et percussa gemit tellus ingentibus armis.
Haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo
Pugnatura fretis, subter cæcisque procellis
Pila immane sonans, impingitur ardua ponto.
Immugit Nereus, diuisæque cærula pulsu
Illisum accipiunt irata sub æquora montem.

C

Non longè abit Homeri comparatio Iliad. 4. ἤριπε δ' ὡς ὅτε πύργος, *cecidit vti turris*. à quo accepit Cal. lib. 3. ἀντιτέταντ' ἠΰτε πύργος. Idem Cal. ibid. de Achille cadente,

Ἤριπεν ἀμφὶ νεκύεσσιν ἀλίγκιος οὔρεϊ μακρῷ:
Procubuit inter cadauera magni instar montis.

Vide quo incremento de cadente Amyco Val. lib. 4.

——annosi veluti si decidat olim
Pars Erycis, vel totus Athos.——

10. SAXEA PILA.] Nulla hic libertas, neque pilam posuit pro columna, sed verè pilam intellexit. Quis nescit ex Vitruuio pilas ad mare construi solitas? Lege illum lib. 5. cap. 12. vbi clarè pilas nominat structiones, quæ fiunt in portubus, & latè docet, quî debeant fieri. Constant pilæ ex structura cæmentitia, quæ structura fit aut ex lapidibus, aut ex latercul1is, aut ex quauis alia materia solidata & pressa. Pilas describit Sidon. Paneg. Anthem.

Pilæ saxeæ quæ.

D

——itur in æquor
Molibus, & veteres tellus noua contrahit vndas.
Namque Dicarchea translatus puluis arenæ
Intratis solidatur aquis, durataque massa
Sustinet aduectos peregrino in gurgite campos.

Vt intelligas tertiũ versum de puluere, lege Vitruu. dicto loco. Sed ego aduoco locum alterum eiusdẽ lib. 2. cap. 6. qui mirè annectitur rei Virgilianæ: *Est etiam genus pulueris, quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Baïanis, & in agris municipiorum, quæ sunt circa Vesuuium montem, quod commistum cum calce & cæmento, non modo ceteris ædificiis præstat firmitate, sed etiam moles, quæ construuntur in mari, sub aqua solidescunt*. Vides ad Baïas (& has nominat Poëta) nasci materiam ipsam ad marinas moles, quas etiã Poëta describit. Sed & Seneca 3. Nat. Quæst. cap. 20. *Puteolanus puluis, si aquam attigit, saxum est*. & Plin. c. 13. lib. 35.

Puluis Baianus.

E

Puteolanus puluis.

lib. 35. ait, hunc puluerem Puteolanum *opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem inexpugnabilem vndis.* Additque, fieri fortiorem *si Cumano misceatur cæmento.* Videndus etiam Strabo. Longè hæc absunt à columnis, quæ vno tantùm scapo continentur. Sed & Auson. clarè epist. 13. ad Paulum,

Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis.

Sic enim legendum, non *palis.* Vtrumque ædificium apertè discriminat Sidon. epist. 2. lib. 1. *Nec pilæ sunt mediæ, sed columnæ.* quasi in ratione fabricæ directè opponantur; & verè opponuntur. Quod cùm ita sit, cur dicam, Virgilium intellexisse columnas, & liberè mutasse in pilas? Nobilior multo est columna, vt ratio annuit, & versus Paulini Natali 9. Felicis, *(Oppositio.)*

Quæq; prius pilis steterat, hæc modo fulta columnis,
Vilia mutato spreuit cæmenta metallo.

Et quia nobilior, ideo in ædificiis spectatur: pila contrà, quia informis, vndarū tenebris destinatur. Hæ pilæ sunt, quas Græci vocant χηλὰς, id est, *vngulas,* quæ excitabātur nō solùm in ipsis vndis prope littus, sed etiam extra vndas in ipso littore, ad arcendos fluctus maris contra vrbes maritimas. Earum meminêre Xenophon, & Thucydides: ille lib. 7. Anab. ita coniungens, παρὰ τὴν θάλατταν, καὶ παρὰ τὴν χηλὴν τοῦ τείχους, *iuxta mare, ac iuxta muri vngulā.* hic lib. 1. vocans τὴν χηλὴν τῆς θαλάσσης, *vngulam maris.* Horum verba nolui integra, sed dabo integra verba Scholiastæ Thucydid. quia ad rem meam. χηλὴ καλεῖται, (ait ille) οἱ ἐμβεβλημένοι τῷ πρὸς θάλασσαν τείχει προβεβλημένοι λίθοι, διὰ τὴν κυμάτων βίαν, μὴ τὸ τεῖχος βλάπτεσθαι. εἴρηται δὲ παρὰ τὸ ἐοικέναι χηλῇ βοός: *Vngula est, proiecti lapides ad mare ante murum propter violentiam fluctuum, ne murus nocumentum patiatur.* Sic dicta, quòd similis vngulæ bouis. Annon verè ipsissima hæc est pila? Audi Lucret. lib. 6. *(Vngulæ in ædificiis.)*

Est quoque vti possit magnus congestus arenæ
Fluctibus aduersis oppilare ostia contra,
Cùm mare permotum ventis ruit intus arenam.

Vides eundem vsum in pilis Lucretij, atque in vngulis Græcorum. Sic & Hom. 12. Iliad. ait, στήλας προβλῆτας, *prominentes stelas* excitatas à Græcis in ipso littore ante murum, quem ipsi struxerant. Et, quamquam rationem taceat, explicandus est ex mente interpretis Thucydid. Neque impedit, eas dici ibi ab Hom. ἐχύματα πύργων, *firmamenta turrium.* Ex hoc excursu videor iam Poëtam intellexisse, mihi antea ignoratū. Pilas suas statuit non in vndis, sed extra vndas *Baiarum in littore.* & cùm addit, *iaciunt ponto,* non est, *in ponto,* sed *ponto,* id est, *contra pontum.* Inde cùm ab littore in vndas corruit, ingens ille sonitus & strepitus Virgilij. Itaque, cùm pilæ excitentur & in aquis, & extra aquas, Virgilianas capio de eis, quæ extra aquas. *(Stelæ in ædificiis.)*

11. MOLIBVS.] Præclarè: nam & hæc vox de structuris, quæ aut in mari, aut iuxta mare. Sidon. Paneg. Anthem. *itur in æquor Molibus.* Cic. ad Attic. *Adiens insulæ munitos mirificis molibus.* Seneca in Hercule Furen. & de ipso Hercule cadente, *(Moles in ædificiis.)*

——tam totus ad terram ruit,
Vt cæsa syluis ornus, aut portus mari
Datura moles.——

Sed & Sidon. loquens de Pado epist. 5. lib. 1. *Ab alueo principali molium publicarum discerptus obiectu, & per easdem deriuatis tramitibus exhaustus,* &c. Quin aquam ipsam (quod cognatum) molem vocat Curt. lib. 3. per initia, vbi inducit Lycum *maiore vi, ac mole agentem vndas.*

12. CONSTRVCTAM IACIVNT PONTO.] Monui iam adires Vitruu. cap. 12. lib. 5. vbi docet artem, qua pilæ construantur. Et nota mihi verbum *iaciunt,* quod proprium de cæmentitia materia, & tales pilæ. *(Iacio, & cæmenta.)*

13. MISCENT, &c.] Quasi ruina pilæ conciret tempestatem. Nam hic versus ex misto mari, & sublatis in altum arenis, totus sapit tempestatem, quod iam ego lib. 1. ad illud, *totúmque à sedibus imis.* Cyrill. Comm. in Ionam ad explicandam tempestatem dixit, ἐν συγχύσει πολλῶν ὑδάτων, *in aquarum multarum confusione.* *(Misceo, verbum tempestatis.)*

14. PROCHYTA.] Insula est, quam Dionys. describit lib. 1. sic dicta à profusione; nam quæ de Æneæ aut nutrice, aut cognata dicuntur, falsa sunt. Tu lege Seruium, Pontanum, alios; adi & Plin. cap. 6. lib. 3. *(Prochyta.)*

15. TREMIT.] Parcissimus hic Vates; luxuriaret alius in hoc sonitu describendo, vt Claud. 2. Eutrop. vbi, *Athos responsat, Æmus remugit, Rhodope ingeminat.*

16. INARIME.] Audi priùs imitationem, postea breuiter disputabitur is error, qui falsò Virgilio affingitur. Ait Hom. 2. Iliad. *(Inarime.)*

Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε, Διῒ ὣς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς. *(Imitatio.)*

Resonabat terra sicut Ioui fulmine gaudenti
Irato, quando circa Typhœum terram verberat
In Arimis, vbi dicunt Typhœi esse cubilia.

Sed ecce nubes δαιμόνων, καὶ ἐνθυσ, καὶ ἀπόντων in te Maro. Cur coniunxisti diuisas ab Homero voces? ille εἰν Ἀρίμοις, tu *Inarime?* non ergo Græcum intellexisti? Adeant isti ζωιλοι Turnebum, Erythræum, Scaligerū, Modicium, qui defendunt Virgilium. Nolo hîc ego illorum myriadas. Mihi satis tot Latinorum lumina, qui iudicium Virgilij probant. Hi sunt Plinius, Ouidius, Statius, Lucanus, Claudianus, Silius, Valerius. Hi omnes *Inarimem* vnica voce dixerunt. An ignoraret Virgilius locum, à quo non longè distabat? Et, si dixerimus in Homero legendum voce vnica Εἰναρίμοις, qui conuincemur? Et Plinius apertè ait lib. 3. cap. 6. Homerum scripsisse *Inarimem.* Et Clauerius in Claud. notauit, Maximum, qui Græcus, & Homeri acerrimus explorator, scripsisse, & agnouisse Εἰναρίμη voce vnica. Sed esto Homerus diuisim scripserit εἰν Ἀρίμοις, cur non potuit Virgilius cōiungere? quod ius poëticum, si hoc non est? Quanto his grauiora alia permissa multis, qui nulla ratione comparandi cum Virgilio? Tantúmne hoc monstrum, vt illi tot monstra rixarum excitent? Satis iam: ineptum est enim multa in his conterere. *(Virgilius defenditur.)*

17. IMPOSTA.] De Sicilia imposita Giganti Pindarus Od. 1. Pyth. πιέζει, *premit.*

18. ANIMOS VIRESQVE LATINIS ADDIDIT.] Ita 2. Iliad. ἐν δὲ σθένος ὦρσεν ἑκάστῳ. Achilles 22. Iliad. μένος καὶ θυμὸν. Iliad. 11. σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ. & Odyss. 1. θῆκε μένος καὶ θάρσος. & iterum Iliad. 15. ὄτρυνε μένος. & 17. θυμὸν ὄρσε. ibid. ἐποτρύνοντος, ad rem eandem. & Iliad. 15. ὀρόθυνε. Vide quot flexus? omnia enim distincta sunt verba. *(Animos addere.)*

19. STIMVLOS ACRES SVB PECTORE VERTIT.] Ita lib. 6. *stimulos sub pectore vertit Apollo.* quem locum vide. Hîc laudo Virgilium, qui generosè admodùm, videlicet aduocato sermone ab equo, quæ fera generosissima est. Et nescio, an Homerum laudē, apud quem Minerua concitans Menelaum ad bellum, *(Homerus superatur à Virgilio.)*

Ἐν δὲ βίην ὤμοισι καὶ ἐν γούνεσσιν ἔθηκε,
Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν:

Vim in humeris & genibus posuit.
Atque ei muscæ audaciam in pectoribus immisit.

Generosè etiam Auctor Theb.

Quid

——*Quid est,*
Quod te efferant? quod nouos sufficerit
Stimulos dolori?——
Et Claud. 3. Hon. *virtutum stimulos.* Cur dixerit Poëta *vertere stimulos*, explicui lib. 6. Æneid.

Immitere fugam.

20. IMMISITQVE FVGAM.] Est hoc quod Hom. ὦρσε φόβον. ἦκε φόβον. ἐνόβησε. φόβον ἔμβαλε.

21. ATRVMQVE TIMOREM.] Odiosum, molestum, funestum, inuisum Turnebus explicat, vt in Horat. *atra cura.* Sic ego Nonnum lib. 29. qui pugnā

A κυανέην vocat, *nigram, atram.* Et Græci rem omnem, quam dicunt ἀηδῆ, id est, *iniucundam*, dicunt etiam μέλαιναν, καὶ φαιὰν, *nigrā, & fuscam.* Quia videlicet nigra omnia, infausta. Vide Pollucem cap. 4. lib. 2. Est enim θανατῶδες τὸ μέλαν, ait Hippoc. lib. de Morb. Sac. non longè ab initio, id est, *niger color mortem significat.* Neque abeunt, quæ Pauf. scribit in Att. de velis nigris nauium.

Nigra omnia infausta.

32. DEVS INCIDIT.] Stat. 3. Theb. *Tantus in attonitos cecidit Deus.*

[a] Pandarus vt fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa conuerso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multósque suorum
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit.
[b] Ast alios secum includit, recipítque ruentes
Demens, qui Rutulum in medio non agmine Regem
Viderit irrumpentem, vltróque incluserit vrbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.

ARGVMENTVM.

Vult Pandarus clausa porta mederi malo, & rem perdit, irrumpente Turno intra mœnia.

EXPLICATIO.

[a] VIDET Pandarus prostratum fratrem, & quàm difficili loco sita res Troiana: itaque, vt malo, etiamsi serò, medeatur, portam occludit, quod dum facit, multis suorum exitium attulit, quos exclusos mœnibus reliquit in certamine. Hîc tu expende descriptionem hominis conuertentis, torquentis, obnitentis ad claudendam portam. Adhuc video sudare illum.

6. Alios Troianos recepit, intérque illos Turnum, qui non visus à Pandaro in vrbem irrupit, non aliter ac si tigris sese ouibus immisceret, immanis quidem inertissimis. Itaque illud, *ast alios secum includit*, capio de Troianis; nam verè Turnus solus receptus ex hostibus. Id postea planum fit ex oratione Mnesthei, vbi, *Vnus homo*, &c.

NOTÆ.

Imitatio.

1. PANDARVS VT, &c.] Locus Hom. Iliad. 20. vbi Hector ad vindictam fratris Polydori mortui exardescit,

Ἕκτωρ δ' ὡς ἐνόησε κασίγνητον Πολύδωρον, &c.

Ab Hom. etiam Nonnus lib. 30.

Ἄλλων τῇ ἀμίλλῃ κασιγνήτοιο πεσόντος &c.

Porrectim cadere.

2. FVSO CORPORE.] Cadendi modus signatur. Cecidit enim Bitias porrectim, non volutim. Ergo *fuso corpore*, quia porrecto. Hunc modum cadendi capio in Homero, quoties infert verbum λυω. Contrà sup. in libro hoc Sulmo, cùm cadit, *voluitur.*

Porta castrorum.

3. PORTAM.] Ex vi, quæ multa: & ex obnitente Gigante humeris, satis colligis fuisse hanc portam castrorum latam & magnam, ex documento Iosephi, qui portas castrorum πλατείας facit *latas*, videlicet πρὸς ἐκδρομάς, *ad excursus*, qui sæpe necessarij. Aduocat Iosephum Lips. 5. Mil Rom. Xeno-

B phon 7. Anab. hanc rem ita. συγκλείουσι τὰς πύλας, καὶ τὸν μοχλὸν ἐμβάλλουσι: *portas occludunt, & pessulum obdunt.* Hom. 12. Iliad. ita, ἐπικλιμένας σανίδας, *acclinata repagula.* Sunt hæc, quibus portæ clauduntur.

4. DVRO IN CERTAMINE LINQVIT.] Hom. 22. Iliad. ἐμὲ στυγερῷ ἐνὶ πένθεϊ λείπεις, *linquis me in tristi luctu.* Simile quiddam in Xenoph. lib. 7. Anab. vbi, occlusis portis, milites queruntur, ὅτι ἀδικώτατα πάσχοιεν ἐκβαλλόμενοι εἰς τοὺς πολεμίους, *se indignissima pati, qui hostibus obijcerentur.* Idipsum queritur Polydamas apud Hom. 12. Iliad. πολλοὺς γὰρ Τρώων καταλείψομεν. Statius ab hoc loco,

Locorum similitudo.

Par operis iactura lucro, namque hoste recepto
Exclusêre suos.——

Et ita *arctius prælium intra muros exarsit*, ait Amm. lib. 20. Possis Troianis ita conclusis occinere illud Iose-

C phi cap. 17. Bell. Iud. lib. 7. ὥσπερ εἰς εἱρκτὴν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης πάντες συγκλεισθέντες τὸ ἔθνος, *tanquam in carcerem fato conclusi omnes sunt.*

5. DEMENS.] Nihil frequentius affectu hoc in Hom. qui millies νήπιος in re simili.

Demens in affectu.

6. VLTROQVE INCLVSERIT VRBI.] Hæc poësis tota ad gloriam Turni, qui intra muros hostium fortissimè pugnauit. Est hoc votum Troianorum apud. Cal. lib. 4.

Ὡς ὄφελον μένος ἦεν ἔθ' Ἕκτορος, ὄφρ' ἅμα πάντας
Ἀργείους σφετέρῃσιν ἐνὶ κλισίῃσιν ὀλέσσῃ:

O si adhuc robur Hectoris superstes esset, vt simul omnes
Argiuos in castris eorum perderet.

Cyrill. Alexand. in Michæam cap. 2. num. 29. in verba illa, διῆλθον πύλην, *transierunt portam*, expendit,

D magnam esse & vltimam cladem vrbium, cùm hostium globi irrumpunt in eas, & se vnà cum ciuibus intrò infundunt; quod verè hîc accidit: nam hostis Turnus vnà cum ciuibus irrupit. Cauit hoc diligen- Xenoph. lib. 4. Anab. vbi Argiui iubentur fores occludere adhuc amicis Bœotis, illósque excludere, videlicet δείσαντες μὴ συνεισπέσοιεν καὶ τὰς πύλας οἱ Λακεδαιμόνιοι, *veriti, ne vnà cum his Lacedæmonij per portas irrumperent.* Sed in re Virgilij libet suspicari insertam Romanam historiam, cùm Coriolanus (vt est apud Plut. in eius vita) vrbem hostilem Volscorum ingressus est vnà cum hostibus, saluris causâ eò fugientibus, vbi intra mœnia edidit ingentem cædem, adeò

Hostes intra vrbem, extrema pernicies.

Romana historia repræsentata.

adeò vt Scriptor pugnam hanc vocet ἄπιστον, *incredibilem*. Hanc ergo personam repræsentat Turnus. A

Ouis, animal inertissimum.

7. Pecora inter inertia.] Oues capias: hoc enim animal inertissimum, vt satis indicat eius stoliditas. Itaque, vt illustres hunc locum, lege, quæ iam dedi lib. 3. Georg.

8. Tigris.] Cum hac fera comparari soliti viri fortes; & ideo Herculem cum illa confert Val. lib. 3. Arg. & *Martiam* vocat, quia bellicosa. Apollon. lib. 2. Excid. Hierosol.

Tigris comparatio.

——Indica tigris
Occiso pastore pecus laceràtque, trahitque.

[a] Continuò noua lux oculis effulsit, & arma
Horrendum sonuêre: tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeóque micantia fulgura mittit.
[b] Agnoscunt faciem inuisam, atque immania membra
Turbati subitò Æneadæ: tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ feruidus ira
[c] Effatur: non hæc dotalis Regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
[d] Olli subridens sedato pectore Turnus.
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram.
Hîc etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.
[e] Dixerat. Ille rudem nodis, & cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
[f] Excepêre auræ vulnus: Saturnia Iuno
Detorsit veniens, portæque infigitur hasta.
[g] At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies; neque enim is teli, nec vulneris auctor.
[h] Sic ait, & sublatum altè consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit, impubésque immani vulnere malas.
[i] Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput, atque illuc humero ex vtroque pependit.

ARGVMENTVM.

Agnoscitur Turnus ab armis, cristis, clypeo: timent Troiani. Pandarus exardescit in vindictam fratris, præcedunt quæpiam iactata ore, sequitur certamen, Pandarus vincitur.

EXPLICATIO.

[a] Irrvperat Turnus non agnitus, sed, clausis iam portis, conspicuus fuit omnibus; videlicet ab armis, quæ horrendum in modum sonuêre: ab cristis, quæ sanguineæ, & trementes in vertice: ab clypeo, qui fulgentissimus, adeò vt videretur emicare instar fulguris.

[b] His notis ille agnoscitur, & insuper membrorum immanitas, qua ille præditus, rem aperuit. Itaque, Troiani turbantur viso intra vrbem inuiso hoste. Sed Pandarus ratus ad se pertinere hostem illum in vltionem fratris Bitiæ, sese cœpit inter reliquos ostentare. Quin in petulantiam oris prolapsus, ad Turnum prior.

[c] Adhibet, quæ ad Turnum Pandarus, ne putaret, eam esse Regiam, quam ei Amata in dotem assignarat, neque Ardeam patris Dauni; sed castra hostium, vnde nequeat exire. B

[d] Subrisit Turnus contempto hoste, & cùm Pandarus perquàm feruidè esset locutus, ipse perquàm sedatè ad certamen inuitat, & mortem minatur, ac sese comparat cum Achille, quem denuò in Latio esse vult ad mortuum Priamum renuntiari. Atque hoc ipso Pandarum moriturum indicat, vt qui iturus nuntius ad mortuum.

[e] Post verba ventum ad manus. Prior Pandarus adnitens magnis viribus, intorsit hastam. Hanc describit tum à ruditate, & nodis, quibus informis & impolita: tum à cruditate corticis; nam adhuc viridis, neque tosta igne, vt solebant curari hastæ. Etenim hoc telum par deformitati Gigantis.

C [f] Frustraneus est ictus, & auræ tantùm vulnerantur, nam Iuno suo adfuit Turno, ea telum detorsit, fecitque vt portæ affigeretur.

[g] Turnus statim ad Pandarum. Longè aliud meũ telum à tuo erit, quippe quod versat, tractátque mea dextera maiore vi & virtute. Neque verò tu auctor eris huius aut teli, aut vulneris. Quasi dicat: Longissimè tu, atque ego distamus. Non tu *is auctor*, id est, non tu par auctor, καὶ ἴσος.

h Vix

h Vix hæc dixerat, cùm gladium in altum sustu- A lit, & ipse ad ictum consurrexit, eáque vi rem gessit, vt medium caput per frontem discinderet diuidens in partes duas.

i Sequitur sonitus, & concussio terræ ad cadentem Gigantem. Dilatat hanc ruinam à collapsis artubus, ab stratis armis, hísque cruentatis cerebri sanguine. Demum exhibet deformis lethi modum, nam diuisum caput pependit parte æqua hinc, atque inde in vtrumque humerum.

NOTÆ.

1. CONTINVO NOVA LVX, &c.] Hoc pleniùs B illustrabitur lib. 10. vbi de fulgore armorum Æneæ, & dicta iam aliqua in 7. quæ huc pertinent. Sententia verò similis est illi, quæ de Hectore 7. Iliad. ἐνδάλλετο δ' ἶσόφι πᾶσι: *cernebatur ab omnibus*, videlicet τεύχεσι λαμπόμενος. *armis fulgurans.*

Sonare horrendum. 2. HORRENDVM SONVERE.] Ad verbum Hom. 3. Iliad.

Δεινὸν δ' ἔβραχε χαλκὸς ἐπὶ στήθεσσιν ἄνακτος:
Horrendum strepuit æs in pectoribus Regis.

Cristæ trementes. 3. TREMVNT IN VERTICE CRISTÆ.] De Homeri imitatione sermo erit alibi. Hic audi Græcum Nonnum in re simili luxuriantem lib. 22.

Σείων ξανθὰ μέτωπα ῥυηφενέος τρυφαλείης
Λυδὸς ἀνὴρ Ἀρείδηλος. ἀπὸ στέρνων δὲ φορῆος
Μαρμαρυγὴ σελάγιζεν ἐρευθομένοιο καρήνου:
Quatiens flauam frontem diuitis galeæ
Lydius vir Marte clarus; à pectore verò gestantis
Resplendebat fulgor rubescentis capitis.

Sil. lib. 1.

Lethiferumq́; micant fulgentes vertice cristæ.

Stat. 3. Theb. *capiti tremit ærea cassis.* Quod Hom. 20. Iliad. νευστάζων κόρυθι. Propè ad Poëtas Amm. lib. 20. *acies conis galearum minaciùs nutans.*

Sanguineũ, de re horroris. 4. SANGVINEÆ.] Has in hoc lib. *rubentes* dixit, loquens de eodem Turno, in illo, *cristasq́; rubentes Excipiam sorti.* Itaque hîc *ruborem* intelligit, sed ad terrorem voluit *sanguinem*. Sic & equorum habenas φοινικόεντα exhibet Hesiod. in Scut. *purpureas*. & in D hoc lib. *Purpurei cristis iuuenes.*

Purpureus color gratus militibus. Quippe hic color gratus militibus ad formidinem. Et vix est pars vlla armorum, quam non hoc attributo ornatam viderim in Poëtis. Si quis *sanguineas cristas* explicet aspersas sanguine, non pugnabo.

Imitatio. 5. CLYPEOQVE MICANTIA FVLGVRA MITTIT.] Hom. 22. Iliad.

——ἀμφὶ δὲ χαλκὸς ἐλάμπετο εἴκελος αὐγῇ,
Ἢ πυρὸς αἰθομένοιο, ἢ ἠελίου ἀνιόντος:
——circumq́; splendebat æs simile fulgori,
Vel ignis ardentis, vel Solis orientis.

Sunt, qui velint Lucret. expressum, qui lib. 4. *nictantia fulgura mittit.*

6. IMMANIA MEMBRA.] Quia Turnus *præstanti* E *corpore*, vt in 7. & ibid. & 9. *ac toto vertice supra est.* Adi vtrumque locum, vbi de staturosa militum magnitudine.

Turbo vnde. 7. TVRBATI.] Fortasse Latinum *turbo* ἀπὸ τοῦ ταρβεῖν. Maiore mutatione multa alia.

8. PANDARVS INGENS.] Scilicet contra *immanem corpore*. Itaque, Turno *membra immania*, Pandaro *ingens corpus*.

Frater fratri adest. 9. MORTIS FRATERNÆ.] Iustissima causa irarum. Sic filius Panthi ad Menelaum Iliad. 17.

——Ἦ μάλα τίσεις, γνωτὸν ἐμὸν τὸν ἔπεφνες:
——Dabis certè pœnas propter fratrem meum, quem interfecisti.

Vide & adagium, ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη. Chil. 1. Cent. 7. c. 92. & Homeri versus 14. Iliad. apud quem fratris cuiusdam vindicta non diu ἄτιτος, id est, *inulta*. & addit,

——καί τίς τ' εὔχεται ἀνὴρ
Γνωτὸν ἐνὶ μεγάροις ἀρῆς ἀλκτῆρα λιπέσθαι:
——optat vir quilibet
Fratrem in ædibus belli vindicem relinquere.

Et Calab. lib. 2. de fratre Antilochi mortui, ἀδελφειοῦ χολωθείς, *iratus propter fratrem*, quem videlicet Memnon occiderat. Hic etiam affectus repræsentatur B lib. 11. Iliad. vbi Coon furit in Agamemnonem occisorem fratris Iphidamantis, aitque de Coone,

——κρατερόν ῥά ἑ πένθος
Ὀφθαλμοὺς ἐκάλυψε κασιγνήτοιο πεσόντος:
——grauis ipsum dolor
Oculos obtexit propter prostratum fratrem.

10. NON HÆC DOTALIS, &c.] Ego hîc considero grauitatem Virg. in loquendo, qui in his omnibus nihil indignum, cùm tamen res gereretur inter hostes acerrimos. Tantùm rationes verè Regiæ, quæ tamen plenæ irarum. Nam cur non inter hostes dignè res agatur? Itaque, cùm hi se ad certamen prouocent, tamen nihil præter decorum. Hoc excursu Homeri vitium. Homerum noto, qui vilissimè sæpe, cùm ante conflictus non abstineat à voce *canis*, & simillimis. C Quin Iliad. 21. in certamine Hectoris atque Achillis, cùm Hector diceret spectandos Deos, etiam in odio hostili, Achilles impiè hoc negat. Sed talis esse solet in suis certatoribus Homerus.

11. NVLLA HINC EXIRE POTESTAS.] Ita minitabundus Achilles ad Hectorem ante certamen. Nulla hinc exire potestas. οὐκέτι τοι ἔσθ' ὑπάλυξις: *non tibi est effugium.* & postea Hector ipse, οὐδ' ἀλέη, id est, ὑπάλυξις. & 13. Iliad. οὐ γὰρ ἐξέσται φυγέειν δύναται. Claud. 2. Eutrop.

——spes nulla salutis,
Nulla fugæ.——

Luc. lib. 4. *fuga nulla patet.*

12. SVBRIDENS SEDATO PECTORE.] Habitus viri fortis. Verè Theophylact. lib. 3. Hist. c. 13. οὐδὲν ἀριστεῦσι πέφυκε φοβερόν: *nihil viris fortibus horribile.* Fortibus nihil horribile. D Ergo Turnus, quasi contemnat, subridet: & quasi in pace, sedat pectus. Hæc fortasse causa, cur Hom. aliquoties lib. 17. Iliad. celebrat Patrocli fortissimi viri ἐνηείην, *mansuetudinem*. Sed aptius est, vt intelligas, risum hunc pertinere ad irrisionem, quæ & Mezentio datur lib. sequenti, quo loci vide me.

13. INCIPE, SI QVA ANIMO VIRTVS.] Achilles ad Imitatio. Hectorem ante conflictum 22. Iliad.

Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο. νῦν σε μάλα χρὴ,
Αἰχμητήν τ' ἔμεναι, καὶ θαρσαλέον πολεμιστήν:
Omnigenæ recordare virtutis, nunc te oportet,
Et bellatorem esse, & audacem pugnatorem.

Et Iliad. 17. μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς: *subeat animo* E *virtus bellica.*

14. HIC ETIAM INVENTVM PRIAMO NARRABIS ACHILLEM.] Adi, quæ scripsi Eclog. 4. ad illud,

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Et quæ lib. 2. Æneid. ad illud,

——referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori, illi mea tristia facta,
Degeneremq́; Neoptolemum narrare memento.

Imitatio. Adiice etiam versus Calabri cognatos lib. 4.

Εἰσὶ γὰρ κρατεροί γε, καὶ ὄβριμοι ἀνέρες ἄλλοι,
Τυδείδης, Αἴας τε, καὶ Ἀτρέος ὄβριμοι υἷες,
Τοὺς ἔτ' ὀΐω δίδημι κατακτάμεναι Ἀχιλῆος:

Sunt & alij validi & fortes viri,
Tydides, Aiaxq́, & strenui filij Atrei,
Quos adhuc ego timeo Achille occiso.

15. SVMMIS ADNIXVS VIRIBVS HASTAM.] Est hoc quod Hom. 17. Iliad.

Ἔπι δ᾽ αὐτος ὄρουσε βαρεῖν χειρὶ πιθήσας.

Auris vulnus exceptum.

16. EXCEPERE AVRÆ VVLNVS.] Quicquid irritum est, & frustraneum, *abire in aureas* dicebatur prouerbiali schemate. Vide 5. Æneid. ad illud, *& verberat ictibus auras*; & quæ in hoc lib. ad verba hæc, *aura omnia discerpunt*. Itaque, cùm Hom. dixit Iliad. 22. βέλος ὠκὺ ἐτώσιον ἔκφυγε χειρὸς: *velox telum fugit incassum è manu*. & quod idem per verba ἀμβρότην, ἀπαμβρότην, ἁμαρτεῖν, ἐφαμαρτεῖν, ad explicandos ictus frustraneos; & quod Nonnus lib. 29. βέλος ἀπεπλάγχθη δεινοῦ. Hæc (inquam) omnia, & similia rectè explicabuntur per *vulnus exceptum auris*. Præclarè admodùm, quia ad Musam Virg. Valerius lib. 3. Arg. *raptumque per auras vulnus*. & Nonn. lib. 11. in re simili, νήμα βάλλων. His omnibus oppone Homericum illud οὐχ ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρὸς, *telum manu effugit non frustratum*. Vnde & postea Virg.

Oppositio.

At non hoc telum, mea quod vi dextera versat
Effugies.———

Detortum aliò telum.

17. SATVRNIA IVNO DETORSIT.] Hoc figmento Poëtæ plenissimi. Apud Hom. Minerua Iliad. 20. & 22. detorquet telum, ne Achilles feriatur. Apud Nonnum lib. 22. Venus, & eadem apud Calab. lib. 11. Primus effert verbo ἔτραπε, alter ἀπεχώρισε, tertius ἀπέτραπε. Sed & Hom. 8. Iliad. aliter,

Ἀλλ᾽ ὅγε τοῦ ἀμάρτε· παρέσφηλεν γὰρ Ἀπόλλων:
Hic autem aberrauit, auertit enim Apollo.

Itaque σφάλλω, & παρασφάλλω ad rem eandem. Virg. verò, qui hîc *detorsit*, in 10. *deflexit Venus tela*. Pulchra est poësis Ouid. 8. Metamorph. vbi Diana, ne aper feriatur, qui sub tutela, ferrum abstulit iaculo misso in illum,

———*ictus ab illo est,*
Sed sine vulnere aper, ferrumq́ Diana volanti
Abstulerat iaculo, lignum sine acumine venit.

Et flexu adhuc alio Cal. lib. 2. ἀπέπλαγχθεν γὰρ οἱ αἰχμαὶ τῆλε χροὸς: *cuspides a corpore longè errarunt*. Pallas etiam curans Vlyssem 11. Iliad. οὐδ᾽ εἴασε μιχθήμεναι ἔγχεσι φωτὸς, videlicet, ἔγχος: *Non permisit misceri hastam visceribus viri*. Frustratum quoque telum & ictum Nonn. lib. 10. ita, εἰς κενεὸν σκοπὸν εἵλκυσε: *traxit in vanum scopum*.

Telum non semper de missili.

18. AT NON HOC TELVM.] Notetur hic locus: non enim *telum* semper est missile; nam hîc pro gladio, vt vides: statim enim, *consurgit in ensem*.

Is, à Græca voce.

19. IS TELI.] Cùm *is auctor* sit hoc loco par auctor, ita explicante Seruio, & postulante sententia, mihi visum voculam *is* Latinam natam per ἀποκοπὴν, ab Græco ἴσος. vt *at* ab ἀτὰρ: & *caput* à κεφαλή. & multa alia. Ita vt *is* nihil sit aliud, quàm ἴσος.

Auctor vulneris.

20. VVLNERIS AVCTOR.] Ouid. 8. Metamorph. *Vulneris auctor adest*. & 9. de eo, qui taurum percussit venabulo, *factiq́ refugerit auctor*.

21. SVBLATVM ALTE CONSVRGIT IN ENSEM.] Militaris feriendi modus sublato ense, cuius alibi Poëta meminit; nam de eodem Turno,

Altè sublatum consurgit Turnus in ensem.

Et de Ænea,

A *Iamq́ assurgentis dextræ, plagamq́ ferentis.*

Cùm verò hîc Seruius notet, hoc genus feriendi esse Gallicanum, probè Titius lib. 4. Loc. c. 4. rem hanc illustrat Polybij testimonio hoc; οἱ Ῥωμαῖοι συνδραμόντες εἰς τὰς χεῖρας τοῖς Κελτοῖς ἀπράκτους ἐποίησαν, ἀφελόμενοι τὴν ἐκ διάρσεως αὐτῶν μάχην. ὅπερ ἐστὶν ἴδιον γαλατικῆς χρείας, διὰ τὸ μηδαμῶς κέντημα τὸ ξίφος ἔχειν: *Romani concursu facto & comminus congressi, Celtarum impetum fecerunt irritum, adempta eis alium tollendorum ensium facultate. quæ Galli vti necesse habent, quòd eorum gladij punctim non feriant.*

Altè Gallorum mos.

22. ET MEDIAM FERRO, &c.] Par vulnus 12.
B Æneid.

Locorum similitudo.

Aduersi frontem mediam, mentumq́ reducta
Disijcit, & sparso latè rigat arma cruore.

Species huius ictus sumpta ab Hom. 4. Iliad. vbi διὰ κροτάφοιο πέρησεν αἰχμή. & alius 16. Iliad. percutitur μέσσην κακκεφαλήν. in quibus ictus signatur per media tempora, & medium caput. Vel ab Cal. lib. 1. vbi Diomedes duabus Amazonibus κατ᾽ ἀπέκοψε σὺν αὐχένι, ἄχρις ἐπ᾽ ὤμους, *abscidit capita cum ceruicibus vsque ad humeros.*

23. CONCVSSA EST PONDERE TELLVS.] Plin. de cadente elephanto in pugna canis cap. 40. lib. 8. *Ad casum eius tellure concussa*. Et nota ὄφεν, vt ad cadentem fratrem Bitiam *dat tellus gemitum*: ita ad Pandari
C casum eadem concutitur.

Cerebri ictus.

24. ATQVE ARMA CRVENTA CEREBRO.] Admirandum πάθος, vbi tragica omnia. Hic affectus mirè descriptus à Sophocl. Trachin.

Κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσου
Κρατὸς διασπαρέντος, αἵματος θ᾽ ὁμοῦ:
Per comam verò album cerebrum dispergebatur
Medio disiecto capite simul cum sanguine.

Hom. quoque Iliad. 17. dixit,

Ἐγκέφαλος δὲ παρ᾽ αὐλὸν ἀνέδραμεν ἐξ ὠτειλῆς
Αἱματόεις.———
Cerebrum autem iuxta ferrum hastæ subsiluit ex vulnere.
Sanguinolentum.———

D Et lib. 16.

———τὸ δ᾽ ἀντικρὺ δόρυ χάλκεον ἐξεπέρησε
Νέρθεν ὑπ᾽ ἐγκεφάλοιο, κέασσε δ᾽ ἄρ᾽ ὀστέα λευκά:
———*ipsa autem ex aduerso hasta area penetrauit*
Subtus sub cerebro; secuit autem ossa alba.

Capitis in duas partes disiectio.

25. PARTIBVS ÆQVIS HVC CAPVT, ATQVE ILLVC.] Iliad. 16. ἡ δ᾽ ἄνδιχα πᾶσα κεάσθη, scilicet κεφαλή. & lib. 8. ἑτέρωσε ἤμυσε κάρη πήληκι βαρυνθέν. & quod hîc pependit, in 13. Iliad. de re simili, ἐκλίνθη δ᾽ ἑτέρωσε κάρη, *inclinatum caput in partem alteram*. Nonn. lib. 32. αὐχένα δ᾽ αἴξας. Neque abit ictus ille Iliad. 16. vbi penetrante ense, ἔσχε δ᾽ οἶον δέρμα, *sola pellis tenuit*. nam παρηέρθη δὲ κάρη, *caput pependit*. Hos ictus ne putet Le-
E ctor fuisse incredibiles, Plutar. scribit, Pyrrhum Regem Epirotarum ita fortiter percussisse Barbarum, vt penetrante Pyrrhi gladio eodem momento, corporis partes dissectæ hinc, atque hinc dilaberentur. Sed non abeat sine censura Homerus. Certè primus ille locus, quem adduxi, vehementer displicet, nam ictus ille factus est χερμαδίῳ, *saxo*. Hector enim iuxta cadauer Sarpedonis saxo percussit Epigeum, cuius caput in duas partes discissum. Non autem credibile, id fieri posse saxo. Ideo corrector Virg. ense descendit. Idem peccatum in eodem, lib. 16. vbi ad ictum factum πέτρῳ, *lapide*, caput ἄνδιχα πᾶσα κεάσθη.

Pyrrhi virtus.

Homeri vitium.

a Diffugiunt

[a] Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
[b] Et, si continuò victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu, sociósque immittere portis,
Vltimus ille dies bello, gentíque fuisset:
Sed furor ardentem, cædísque insana cupido
Egit in aduersos.
[c] Principio Phalarim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus inserit hastas
In tergum (Iuno vires, animúmque ministrat)
Addit Halyn comitem, & confixum Phegea parma.
[d] Ignaros deinde in muris, Martémque cientes,
Alcandrúmque, Haliúmque, Noëmonáque, Prytanímque.
Lyncea tendentem contra sociósque vocantem
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic vno deiectum cominùs ictu
Cum galea longè iacuit caput: inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.
Et Clytium Æoliden, & amicum Cretea Musis,
Cretea Musarum comitem, cui carmina semper,
Et citharæ cordi, numerósque intendere neruis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnásque canebat.

ARGVMENTVM.

Troiani fugiunt. Turnus, quominùs vincat, ipse se impedit pugnandi ardore. Describitur latè Turni vastatio, exultantia, furor, omnia turbantis, pessumdantis, proterentis.

EXPLICATIO.

[a] AD spectaculum cadentis Pandari, qui aliorum Princeps, fugiunt Troiani territi.

[b] In fuga Troianorum potuisset facilè Turnus portas reserare, quas Pandarus occluserat, ac tum in vrbem immittere reliquos, qui extrà erant: id si fecisset actum de Troianis eo bello esset, sed vti victoria nesciuit, & potius tum duxit fugientem hostem insequi furore ardens.

[c] Sequitur furentis Turni, & deuastantis omnia descriptio. Vbi mille cædes, vulnera immania, furor vltra modum. Numerat Poëta Phalarin, Gygen, Halyn, Phegea. In nonnullis modum mortis. Et potuit quidem vnus contra tot, Iunone virtutem inspirante. In verbo *excipit* nota πάθος. nam quæ hæc exceptio, quæ tota ad mortem? *Raptas hastas* explica, quas hostes trepidi abiiciebant in fuga, vt fit. Nam, neque Donatus, neque Seruius placent. Ait Phegeum *confixum parma*, quia Turnus hasta transfixit, & veluti consuit Phegeum, & parmam eius, vtrumque penetrans. Itaque, non Phegeus confixus parma, quod ineptum esset: sed Phegeus, & parma simul confixi & insuti Turni hasta.

[d] Ecce nouus Turni furor. Nescierant qui in muro erant, hostem esse intra mœnia. Aduolat eò subitò Turnus; & cædem edit, multósque interficit.

A Mouet in excursu Poëta varia & plena dolorum πάθη. Iam à multis, qui simul interfecti, quod spectaculum dirum est: iam à modo mortis, vt in Lynceo, cui caput vnà cum galea amputatum: iam à peritia artium, vt in Amyco: est enim miserabile peritissimos in quauis re artifices perire. Sed præcipuum πάθος positum in morte Cretei, cui Musæ charæ, & ipse Musis charus: cui semper citharæ in animo, numeri, nerui, equi, arma, pugnæ. Erat enim felix in harum rerum cantu.

NOTÆ.

B 1. DIFFVGIVNT, &c.] Stat. 6. Theb. *rapit attonitos fuga cæca.* Et quidem *formido trepida* Virgilij indicat *cæcitatem* Statij, & animos attonitos; atque ἐμβροντήτους. Val. lib. 5.

Continuò dant terga metu, versiq́; per agros
Diffugiunt, quæ sola salus. ——

Hom. hanc fugam 4. Iliad. χώρησαν δ' ὑπό τε πρόμαχοι. Sed cùm vnus Turnus tot millia hominum in fugam conuertat, velim adeas Iosephum cap. 3. lib. 7. Bell. Iud. expendentem hoc genus belli, cùm loquitur de Iuliano milite. qui vnus inter infinita hostium agmina ita se gessit, vt dicat scriptor, καὶ τῆς ὄψεως ἐκείνης οὐδὲν ἦν τῷ Καίσαρι θαυμασιώτερον, οὔτε τοῖς ἄλλοις παρέστη φρικωδέστερον, *quo spectaculo nihil Cæsari admirabilius, nihil aliis visum est horribilius.* Vnus contra multos. Imitationem si Imitatio. C quæras, profectò Virgilij locus ducitur ab extremis versibus lib. 12. Iliad. vbi vim Hectoris ruentis intra murum Græcorum non sustinent vniuersi Græci, omnésque fugam capessunt ad naues, vt ibi tutò lateant. Indicaui tantùm locum, ne multa transcriberem.

Belli res cõstant sæpe paruo momento.

2. Et si continvo victorem, &c.] Indicat Poëta, sæpe in bello res constare momento paruo. Ita certè est. Quoties, aut clades misera, aut læta victoria cõstitit ex re leui? Huc spectat illud Sall. in Iugurth. *Et penè imprudentia admissum facinus miserabile.* Mihi visus Poëta alludere ad historiam Annibalis, qui, capta penè vrbe, abstitit, vnde audiuit, *Vincere scis Annibal, vti victoria nescis.* Aut ad historiam Iulij, cùm penè oppressus bello est, si Pompeius sciret vti victoria. Vide Plut. in vita Iulij. Vicerat Turnus, sed leui culpa nesciuit vti victoria, nam si portas aperuisset, accidisset, vt *vno die inter duos Reges cœptum, atque patratum foret bellum.* Verba Sallustij agnoscis in Iugurth. Lege caput 15. Theophylacti lib. 2. historiæ, vbi ex re perquàm leuissima adulteratus successus prosperrimæ fortunæ. & Curtium lib. 3. vbi Alexander, *obrui potuisse vel saxis confitebatur, si fuissent, qui subeuntes propellerent.* Sed hac re plenissimæ omnes historiæ. Imitatio nunquam est omittenda. Fortasse hæc ducta est ab Cal. lib. 3. vbi de Achille, καί νύ κε πάντας ὄλεσσε, εἰ μή, &c. *Omnes letho tradidisset, nisi,* &c. Aut ab Hom. 16. Iliad.

Imitatio.

Ἔνθα κεν ὑψίπυλον Τροίην ἕλον υἷες Ἀχαιῶν,
Εἰ μή, &c.———
Tunc Troiam, cui altæ portæ, cepissent filij Achiuorum,
Nisi, &c.———

Et 18. Iliad. πόλιν ἔπραθον, εἰ μή: *Vrbem euertissent, nisi;* &c. & addit, αὐτῆμαρ, *eo ipso die,* vt hîc, *vltimus ille dies.* Tale quid Polyb. lib. 3. πάντας ἄρδην ἀπολέσθαι συνέβη τοὺς περὶ τὸν Ἀννίβαν, εἰ μή, &c. *Deletus fuisset vniuersus penè exercitus Annibalis, nisi,* &c.

3. Rvmpere clavstra.] Hom. 13. Iliad ἔρρηξεν δὲ πύλας, καὶ μοχλὸν ὄχῆα: *effregit portas, & vectem longum.* Quod sæpe inculcat Iliad. 12.

Furor, de gladio.

4. Fvror, insana cvpido.] Soph. Antig. in re belli insaniam quoque, & furorem. μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ. Quin hastæ ipsæ, & gladij dicuntur furere. Cal. lib. 4. μαίνεται ἔγχος. Imò nullæ furiæ conferri queunt cum furente milite.

Lectio Virgiliana.

5. Egit in adversos.] Retineri potest hæc lectio, & mutari etiam in *auersos.* nam præcessit, *fugientibus ingerit hastas.* Neque scio, cur ita proterue resistant aliqui.

Deo iuuante pugnare.

6. Ivno vires, animvmqve ministrat.] Est hoc, quod Hom. 17. Iliad. loquens de Hectore, ἐκ θεόφιν πολεμίζει: *pugnat Diis iuuantibus.* Eodem lib. loquens de Ioue, αὐτὸς ἐποτρύνει μαχέσασθαι, *ipse ad pugnas excitat.* Et quidem integer Homeri cursus pertinet ad rem Virg. Nam ibi Hector excusat fugam suam, & timorem, quòd Iuppiter excitet ad pugnam, quem vult: terreat, quem vult. Lib. etiam 10. de Diomede, τῷ δ' ἔμπνευσε μένος γλαυκῶπις Ἀθήνη: *huic autem inspirauit robur cæsia Minerua.*

Militem & arma vnà configi.

7. Confixvm Phegea parma.] Hæc sententia sæpe in Hom. & aliis, vbi, vnà cum corpore, etiam arma perforatur. Enn. lib. 5. *Configunt parmam.* Plutar. in vita Crassi exhibet Romanorum χεῖρας θυρεοῖς συμπεπερονημένας, *manus affixas vnà cum scutis.* Et addit miserabile spectaculum, videlicet πόδας διαμπὰξ προσεληλαμένους πρὸς τὸ ἔδαφος: *pedes traiectos, & solo affixos.*

8. Phegea.] Huius nominis ducem Sat. inducit 2. Theb.

Imitatio.

9. Alcandrvm, &c.] Versus Homericus 5. Iliad.

Ἄλκανδρόν θ', Ἅλιόν τε, Νοήμονά τε, Πρύτανίν τε.

Aduertit Seru. hæc nomina, & similia pertinere sæpe ad ornatum poëmatis potiùs, quàm ad successum historiæ.

Dexter.

10. Dexter.] An, quod ab parte dextera hostem occupauerit Turnus? An dexter hîc est, industria quadam & dexteritate in pugnando acer? Pindarus enim Od. 9. Olymp. Epharmostum cùm laudat εὔχειρα appellat, ἐπιδέξιον, id est, *promptum manu, & membrorum dexteritate præstantem.* Andemum, ideo *dexter* Turnus, quòd felix illius successus? Felicia enim dici *dextra,* sciunt omnes, vt *sinistra* infelicia.

Ictus vltra modum.

11. Cvm galea longe iacvit capvt.] Solent scriptores (quidni Poëtæ hoc faciant?) magnis ducibus sæpe attribuere ictus vltra omnem fidem. Et hic quidem ictus in Hom. est 20. Iliad. vbi cuidã, amputato collo τῆλε αὐτῇ πήληκι βάλε κάρη, *longè cum ipsa galea caput abstulit.* & 14. κάππεσε δ' χαμᾶζε αὐτῇ σὺν πήληκι κάρη: *deiecit humi ipsi cum galea caput.* Apud Cal. lib. 1. duæ Amazones cadunt δίχα δ' ... *seorsim à suis capitibus,* quia videlicet hęc secta ab Diomede, & diuulsa ab corpore.

Vngere tela.

12. Vngere tela manv.] Homeri locutio Odyss. 1. ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας, *sagittas æreas vngere.* Theocrit. εἰδ. 11. ἐγχρίειν dicit, & ἐπιπάσσειν loquens de pharmaco; nam hoc inungitur, & aspergitur.

13. Ferrvmqve armare veneno.] Præcessit & hoc in eodem Hom. vbi ad illinendas sagittas quæritur φάρμακον ἀνδροφόνον, *venenum mortiferum.* Æneide etiam decima *calamos armare veneno.* Sil. lib. 3.

Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

Sagittæ venenatæ inuentum Scytharum.

Inuentum artis huius ad Scythas referre possumus: nam illi hac arte clauerunt, scribente Aristot. lib. περὶ θαυμ. penè ad exitum, hunc in modum. *Scythicum venenum, quo sagittæ inficiuntur, ex viperis parari aiunt. Obseruant enim Scythæ parientes & captas mox diebus aliquot liquefaciunt, cumq́ satis videntur computruisse, infundunt humanum sanguinem ollulæ, quam in sterquilinium defossam cooperiunt. At vbi putridus is quoque apparet, liquorem supernatantem aquosum miscent cruore viperæ, lethaleq́ hoc pacto venenum reddunt.* Ex Aristotele proculdubio Plin. lib. 11. c. 53. *Scythæ sagittas tingunt viperina sanie, & humano sanguine: irremediabile id scelus mortem illicò adfert leui tactu.* Ab vtroque illustrari quit Ouid. qui sæpe Scythis venenum attribuit, quo linunt sagittas. Lege hac de re Theophrastum lib. 9. hist. Plant. Nicand. Alexiph. Paulum Æginetam lib. 6. c. 88. Poëtas omnes.

Æolides.

14. Clytivm Æolidem.] An quòd pater Clytij Æolus Troianus quispiam? An quia ille genus suum referret ad Æolum ducem ventorum? Sic & Vlysses dictus *Æolides.* An demum, quod adlubescit, quia credibile multos Æoles secutos fuisse Æneam, præsertim cùm dicat Strab. lib. 13. Geog. Æoles dispersos olim fuisse per Troianam regionem, adeò vt quidã Troiam ipsam appellarint Æolida, vel totam, vel partem eius. Et quidem his nominibus, quæ dicuntur patronymica, etiam patria. & regio indicatur. Sic in 10. Agmon dicitur *Lyrnessius,* id est, Phryx, nam Lyrnessus in Phrygia.

Amicæ Musæ.

15. Et amicvm Cretea Mvsis.] Noluit, *Musis amicis,* vt vulgus. Horat. *amico Hercule.* Propert. lib. 3. *Apolline dextro.* Pers. Sat. 5. *Ioue dextro.* Amauit Theocritum, qui εἰδ. 11.

Καί ταις ἐννέα φιλαμμένον ἔξοχα Μοίσαις:
Et nouem quidem Musis praclarè amicum.

Palilogia.

16. Creta Mvsarvm comitem.] Talis illa παλιλογία Hom. Iliad. 12. Ἀσιος ἥρως, Ἄσιος Ὑρτακίδης. & lib. 6. Σίσυφος ἔσκεν, Σίσυφος Αἰολίδης. & mille aliæ. Putabã ego dulcem hanc moram in celebrãdo

Creteo

Creteo natam ex eiusdẽ studij affinitate. Nam, quid mirum si Poëta Poëtam laudet? Virgilius Creteum? Nazianz. Orat. 18. ait, studiorũ similitudinem æquè esse potentem ad amorem conciliandum, ac coniunctionem sanguinis.

Studiorum similitudo amorem cõciliat.

Cithara Lyricorum.

17. CITHARÆ CORDI.] Expressè ad signandum Vatem Lyricum. Itaque soleo Statium reprehendere, qui lib. 10. carmen suum *lyram* nominat, quærens distinctionem operis. Obiicies. Cur ergo Virg. statim?

Semper equos, atque arma virûm pugnasq́; canebat.

A Nam & *cano*, & materia ipsa, Heroum sunt. Duplex solutio. Prima; potest significare illum fuisse & Lyricum, & Heroïcum. Lyricum notat ab instrumento, Heroïcum à materia. Altera; non abhorret à Poëta Lyrico ea materia, vt in vno Pindaro luculenta exempla, & in Horatio aliquoties. Ceterùm à Virgiliano affectu non abit Val. lib. 3. vbi hostis interficit in bello,

——insignem cithara cantuq́; fluenti
Dorcea, qui dulci festis assistere mensis
Pectine.——

ª Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conueniunt Teucri, Mnestheus, acérque Serestus,
Pallentésque vident socios, hostémque receptum.
ᵇ Et Mnestheus; quò deinde fugam? quò tenditis? inquit.
Quos alios muros? quæ iam vltrà mœnia habetis?
Vnus homo, & vestris, ô ciues, vndique septus
Aggeribus, tantas strages impunè per vrbem
Ediderit? iuuenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterúmque Deorum,
Et magni Æneæ segnes miserétque, pudétque.

ARGVMENTVM.

Audiunt cladem Troiani Principes, aduolant, & vnus Mnestheus fugam illorum sistit, hortatúrque præclarè ad rem.

EXPLICATIO.

ª PRÆCLARVM θρέπτον, & notatum iam Seruio, ne præsentibus ducibus tot strages fecisse videatur Turnus. Ideo itaque abesse finguntur, sed conueniunt cæde audita. Vident tum suos pallidos, & fugientes: tum hostem exultantem, & receptum intra mœnia.

ᵇ Sequitur oratio Mnesthei continentis suos à fuga, hortantis ad bellum: vt contineat, necessitatem obiicit; vt hortetur, pudorem. Ergo, non potestis fugere, etiamsi velitis. Nam qui vobis præterea muri? quæ mœnia alia ad receptum? En primum. Pergit. Pudeat tot viros vinci ab vno homine, & septo vestris mœnibus. Edet ille impunè tot strages? interficiet tot iuuenes? In fine adiungit misericordiam, & pudorem. Misereat vos patriæ, & Deorum: pudeat esse segnes, cùm sitis socij Æneæ. En alterum. Nota lucem attributorum. Patria *infelix*, Dij *veteres*, Æneas *magnus*. Omnia propriè. Excitatur itaque commodè misericordia ex infelicitate patriæ, & Deorum: pudor ex magnitudine ducis, cui non præ segnitia respondent.

NOTÆ.

Lectio Virgiliana.

1. PALLENTES.] Alicui placebit *palantes*, vtique πλαζομένους, καὶ πλανωμένους: *planos*, & *palabundos*. Sic in 11.

Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit.

Imitatio.

2. ET MNESTHEVS, &c.] Suspicor versatum in Poëtæ animo locum Iliad. 17. Sicut enim hîc Mnestheus reuocat à fuga suos ciues, quos Turnus infestè sequebatur, addente vires Iunone: ita ibi Aiax suos Græcos continet, quos Hector sequebatur, Apolline virtutem suppeditante. Itaque Turnus pro Hectore, Iuno pro Phœbo, Mnestheus pro Aiace, Troiani pro Græcis.

B

3. QVO DEINDE FVGAM? &c.] Comparat Scal. hanc orationem cum ea, quæ habetur 13. Iliad. vbi Neptunus Græcos reprehendit, quòd in eorum statione, & apud naues ipsas Troiani pugnarent: imò & Græci ipsi in ipsis nauibus interficerentur, vt Troiani intra propria mœnia. In ea oratione nihil arduum, & viuidum: languida omnia, & mortua. Vide etiam orationem Glauci quæ habetur 17. Iliad. qua Hectorem reprehendit ignauiæ. In qua, etiam si rationes sint efficaces, sed ita languidè propositæ, vt Lectorem non excitent.

Homeri vitia.

C 4. QVOS ALIOS MVROS, &c.] Locus planè Hom. apud quem Aiax 15. Iliad. cùm Græci à Troianis premerentur ita dissertat exhortans Græcos.

Imitatio.

Ἠέ τινας φαμὲν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω;
Ἠέ τι τεῖχος ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;
Οὐ μέν τις σχεδόν ἐστι πόλις πύργοις ἀραρυῖα,
Ἧι κ' ἀπαμυναίμεσθ'. &c.——
An aliquos putamus esse adiutores à tergo?
An aliquem murum fortiorem, qui viris mortem auertat?
Non equidem aliqua propè est ciuitas turribus munita,
Qua hostes propulsemus.——

Idem fermè illud eiusdem Aiacis eodem lib.

Ἦ ἔλπεσθ', ἢν νῆας ἕλῃ κορυθαίολος Ἕκτωρ
Ἐμβαδὸν ἵξεσθαι ἣν πατρίδα γαῖαν ἕκαστος;
An speratis, si naues ceperit galeatus Hector,
Fore vt singuli redeatis in patriam terram?

D 5. MOENIA.] Non dicit idem, neque vlla est ταυτολογία: est enim inter muros & mœnia discrimen. Omnes muri dici queunt mœnia, non omnia mœnia dici debent muri. Sed hoc iam alibi. Ad hunc modum Hom. 17. Iliad.

Mœnia & murus non idem.

Φράζεο νῦν ὅππως κε πόλιν, καὶ ἄστυ σαώσῃς.

vbi vides πόλιν, & ἄστυ. Etenim πόλις esse potest ἄστυ, non semper ἄστυ erit πόλις, vti apparet ex

Cerda in Æneid. tom. 2.

ex verbis Thucyd. φῶ μὴ πόλεως. ὑ. δ ἐχεμένων αὐτῆς ἀ- A
γορᾶς, ὑδ' ἐ ἄςει.

Vnus homo. 6. VNVS HOMO.] Est hoc, quod Achilles de vno Hectore 22. Iliad.

ὃς κακὰ πολλ' ἐόργειν, ὅσ' ὐ σύμπαντες οἱ ἄλλοι:
Qui mala multa patrauit, quanta non vniuersi alij.

Stat. 3. Theb.

———heu segnes, quorum labor hæret in vno.

Videlicet multi in vno Tydeo, & victi omnes. & lib. 2. Chromis ita suos increpitat,

———vnúsne, viri, tot cædibus vnus
Ibit ouans Argos?———

7. STRAGES EDIDERIT.] Tria breuiter nota. Primum, dici hoc cum respectu ad illud, quod præcessit,

Vos ô Calliope precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco.

Edere stragem. Strages vnde dicta. Alterum, locutionem sumptam fortasse ab Tullio, qui bis, aut ter, *strages edere*. Tertium, dici stragem ab sternendo, & esse stragem, quod stratum est. Cui notioni cùm multa præluceant, tum Liuij verba hæc lib. 35. *Pro se quisque armis abiectis in circumiectas itineris syluas diffugiunt, momentoq; temporis strage armorum septa via est, maximè hastis*, &c.

8. IVVENVM PRIMOS TOT MISERIT ORCO.] Quis nescit illud?

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων.———

Mori pro patria. 9. PATRIÆ.] Pro qua scilicet pugnandum, & moriendum. Nam ideo Etoclem laudat Soph. Antig. quòd πόλεως ὕπερ μαχῶν ὄλωλε, *interiit pugnans pro patria*. Et quidem patriæ studium omnia debet superare, vt ait Memnius apud Sall. & ego alibi.

Imitatio. 10. ET MAGNI ÆNEÆ SEGNES, &c.] Imitationem Hom. Germanus inuenit: itá enim Mnestheus Æneam ducem Teucris proponit, vt Patroclus Myrmidonibus Achillem iliad. 16.

——— μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς
Ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν, ὃς μέγ' ἄριστος
Ἀργείων———
——— *recordamini virtutis validæ,*
Vt Pelidem honoremus, qui perquàm primus
Inter Græcos.———

Oppositio. B Noto hîc oppositionem Vatis, sumptam proculdubio à Græcis. Æneam vocat *magnum* cum oppositione ad *segnes*. Nam *magnus* est fortis, vt Homero & aliis μέγας, & χρείων. Forti autem quis oppositus, nisi segnis?

Miseret quid respiciat. 11. MISERET.] Notat Pont. *miseret* pertinere ad patriam, vt *pudet* ad Æneam. Itaque congruenter Symm. lib. 6. epist. 18. ait impium esse & crudele patriam deserere: etenim crudelitas misericordiæ opponitur. Sicut ergo crudelis est patriam deserere, ita misericordis defendere.

Pudor est illorum qui victi. 12. PVDET.] In oratione illa, qua Neptunus Iliad. 13. Græcorum ignauiam reprehendit, principe loco illis pudorem obiicit. αἰδὼς Ἀργεῖοι, &c. Æneas etiam 17. Iliad. reprehendens ignauiam Hectoris, εἰδὼς μὲν τὸ. Prol è Est enim pudor propriè illorum, qui victi sunt. Liban. Declamat. 15. ὁ χειρωθεὶς περιλείπεσθαι αἰσχύνης: *victis pudor reliquum fuit*.

ᵃ Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt: Turnus paulatim excedere pugna,
Et fluuium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
ᵇ Acriùs hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. Ceu sæuum turba leonem
Cùm telis premit infensis: at territus ille,
Asper, acerba tuens, retrò redit: & neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contrà
Ille quidem hoc cupiens potis est per tela, virósque.
Haud aliter retrò dubius vestigia Turnus
Improperata refert, & mens exæstuat ira.
ᶜ Quin etiam bis tum medios inuaserat hostes,
Bis conuersa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è castris properè coït omnis in vnum.
Nec contra vires audet Saturnia Iuno
Sufficere, aëriam cœlo nam Iuppiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia iussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.

ARGVMENTVM.

Sistunt illi fugam, incumbunt in Turnum: res comparatione illustratur. Iuppiter mittit Irim ad Iunonem.

EXPLICATIO.

ᵃ AD orationem Mnesthei Troiani accenduntur, C firmantur, consistunt, formant agmen, illúdque densum: iam tum Turnus remissiùs agere, paulatim cedere, & accedere ad partem illam, quæ amni vicinior, vt inde salutem petat.

ᵇ Troiani cedenti Turno acriùs instare, clamosiùs agere, sese in vnum coniungere: deprehenderant enim timorem illius. Vt verò & cedentem hunc, & illos instantes viuidè repræsentet, adducit pulcherrimam leonis comparationem, quem venatores multi infensissimè telis premunt, ille territus recedit,

ita

ita tamen, vt neque terga dare præ ira & virtute queat, neque vlteriùs tendere præ virorum & telorum multitudine. Ita Turnus dubius quid faceret, referebat vestigia, sed lentè & paulatim (nam hæc sunt vestigia *improperata*) vt qui inuitè cederet, & nollet inde auelli, sed aliter non posset.

Quin ea fuit Turni virtus, vt bis aggressum tentaret, ac medios hostes inuaderet, illósque bis in fugam verteret: sed aderat statim nubes hostium, coïbatque in vnum. Iuno etiam ab fauendo destitit, accepta Iouis nuntia Iride, minantis magna & grauia, ni Turnus cederet mœnibus Teucrorum.

NOTÆ.

Imitatio. 1. FIRMANTVR.] Hom. 6. Iliad. ἐναντίοι ἔσταν. & 17. (cui loco fortasse hæsit Virg.) οἱ δ' ἐλελίχθησαν, καὶ ἐναντίοι ἔσταν Ἀχαιῶν: *hi autem conuersi sunt, & aduersi steterant Achiuis.* Fugiebant scilicet Troiani, & oratione Æneæ incensi fugam continuêre.

Pugna excedere. 2. PAVLATIM EXCEDERE PVGNA.] Polyb. lib. 3. Hist. τὸν δ' Ἀννίβαν [illegible]: *verùm Annibal fortiter, ac prudenter relato gradu se recipere.* Hom. 17. Iliad. αὐτὰρ ὅ γ' ἐξοπίσω ἀνεχάζετο: *cessit hic retrò.*

Cingi amne. 3. CINGITVR AMNI.] Ita sup. *nam dextera cingitur amni.* Cyrill. in Nahum. num. 31. ποταμοῖς [illegible]: *muniri fluuiis, & lacuum amplexibus.* iterum, ποταμοῖς τείχεσιν [illegible]: *munita fluuiis.* Verbo *cingitur* notat amnis etymon.

Leonis comparatio. Imitatio. 4. CEV SÆVVM TVRBA LEONEM.] Comparatio hæc sumpta ab Hom. 17. Iliad. loquente de Menelao, qui inuitè recedebat à cadauere Patrocli.

——ὥστε λὶς ἠϋγένειος,
Ὅν ῥα κύνες τε, καὶ ἄνδρες ἀπὸ σταθμοῖο δίωνται
Ἔγχεσι καὶ φωνῇ. τοῦ δ' ἐν φρεσὶν ἄλκιμον ἦτορ
Παχνοῦται, ἀέκων δέ τ' ἔβη ἀπὸ μεσσαύλοιο.
Ὣς ἀπὸ Πατρόκλοιο κίε ξανθὸς Μενέλαος,
Στῆ δὲ μεταστρεφθεὶς, ἐπεὶ ἵκετο ἔθνος ἑταίρων.
——*vt leo bene iubatus.*
Quem canésque, & viri ab stabulo abigant
Hastis & clamore; huius autem in præcordiis validum cor
Turbatur. inuitus autem abit à caula:
Sic à Patroclo discessit flauus Menelaus,
Stetit autem conuersus, postquam venit ad agmen sociorum.

Homerum superat Virgilius. Sed agnosce Virgilij vim supra Homericam, qui esse vis Poëta. Imprimis Græcus cum leone comparat Menelaum, quem ipse & aliàs sæpe, & etiam in hoc loco timidissimum inducit. Itaque indignus comparatione generosissimæ ferarum. Latinus contrà cum hac fera comparat Turnum, quem & aliàs sæpe, & hîc fortissimum exhibet. Deinde nulla præcessit pugna inter Menelaum, & Troianos, sed statim, his visis, ille fugit. Quis ergo locus canibus, viris, hastis, clamoribus, quibus leo propulsetur? Contrà in Virg. omnia sunt commoda. Nam turba & tela leonem premunt, vt densum agmen & manus tota Teucrorum glomerata incumbit cum clamore in Turnum: leo refert vestigia *improperata*, id est, lenta, quia Turnus *paulatim* excedit pugna: leo *retrò redit*, Turnus *excedere pugna* leo sæuus, acerbus, asper, vt Turnus ira æstuans: leo non dat terga, vt Turnus refert retrò vestigia, nunquam ostentans tergum, semper faciem. Dixi duplicem victoriam; tertia pósita in his, quæ Virg. addidit, & Græcus caret. Nam nudis Homeri amictum adiecit incomparabilem, ait Scaliger. Sed hæc tu κατὰ λεπτόν. Est & alia comparatio in eodem lib. & de eodem Menelao, hanc afferam, nihil expendens ad victoriam. Nam qui locum adeat, videbit esse ineptissimam, & rem illam, quam tractat, non egere ea comparatione. Ait itaque,

Βῆ δ' ἴμεν, ὥς τίς τε λέων ἀπὸ μεσσαύλοιο
Ὅς τ' ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσι κύνας τ' ἄνδρας τ' ἐρεθίζων,
Οἵ τε μιν οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι
Πάννυχοι ἐγρήσσοντες· ὁ δὲ κρειῶν ἐρατίζων
Ἰθύει, ἀλλ' οὔ τι πρήσσει. θαμέες γὰρ ἄκοντες
Ἀντίοι ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.
Perrexit autem ire, veluti aliquis leo à caula,
Qui postquam fatigatus fuerit canésque virósque irritans,
Qui ipsum non sinunt boum adipem auferre
Totam noctem vigilantes: hic verò carnium cupidus
Rectà irruit, sed nihil proficit. crebra enim iacula
Aduersa proauolant audacibus à manibus,
Ardentésque faces, quas formidat, concitatus licèt sit.

Acerba tuens. 5. ASPER ACERBA TVENS.] Illustrat Macrob. c. 1. lib. 6. Satur. ab Lucretio, qui lib. 5.
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens.
Vrsin. ab Aristoph. qui βλέπει γε [illegible] *voce in furiosum, & tragicum.* Stat. 11. Theb. *hostile tuens.* Alibi, *dirum tuens.*

Leonis capiendi ratio. 6. ET NEQVE TERGA, &c.] Qui attentè legat, quæ toto hoc cursu Poëta, & mox adeat, quæ Oppian. scribit libro 4. Κυν. facilè intelliget, expressam à Virg. rationem in venando leone. Ibi ait, leonē capi [illegible] *more belli* Nam viri cum scutis, telis, facibus, clamoribus, omnes simul strepunt, simul inuadunt: leo præ virtute non terga ostentat, tantùm retrò redit (ἀναχωρεῖ [illegible]) & cùm velit ruere, tamen nequit præ multitudine telorum. Tritum est, leones non fugere contento cursu, quandiu cernuntur, & hoc attingit Poëta. Lege Aristot. lib. 9. Hist. Animal. cap. 44. vbi de leone, cùm premitur à venatoribus, Leo non fugit, cùm cernitur. βαδίζων ὑποχωρεῖ, καὶ κατὰ σκέλος, καὶ κατὰ βραχὺ ἐπιστρεφόμενος: quia videlicet sensim se subducit, crebrò subsistens, atque respectans. Hanc verò aut leonis, aut Turni hæsitantiam, qui nolunt fugere, neque Imitatio. possunt procedere, illustrat Germ. versibus Cal. lib. 9. in quibus aper inducitur contra diuersos hostes hinc thoas, hinc leonem, & dubius in quem hostem irruat, hæret, itaque

——τῇ δ' ἵσατο ἄσπετος ὁρμὴ,
Οὔτε πρόσω μεμαῶτος ἔτ' ἐλθέμεν, οὔτ' ἄρ' ὀπίσσω
——*illius vehemens subsistit impetus,*
Nec porrò, nec retrò pedem mouere audentis.

Comparatio ad quam rem adhibeatur. 7. QVIN ETIAM BIS, &c.] Volo consideres hûc locum ad poëseos disciplinam. Solent comparationes adhiberi, vt res, quam tractas, augeatur, habeátque dignitatem. Poëta tamen supra tritum morem maiore exultantia, quippe qui Turnum ipsum adhuc superiorem faciat leoni. Explico. Alteri satis esset dicere; vt leo vult ruere in hostes, neque potest, & ideo inuitus recedit: ita Turnus. Non sic Poëta; imò. Leo vult ruere, neque potest, ideo recedit: sed Turnus maiori conatu, quàm leo, bis adhuc medios hostes inuadit, bis in fugam vertit. in quibus Turnus leonem superat Itaque, cùm aliæ comparationes superent rem comparatam, imò ideo assumantur, vt res augeatur: hîc contrà fit, vt vidisti, plus enim Turnus conatur, quàm leo.

Imitatio. 8. SED MANVS E CASTRIS, &c.] Confer huc illud Menelai Iliad. 17.

——μή πώς μ' ἀθρήσωσ' ἐπὶ πολλοί.

Τρῶας δ᾽ ἐνθάδε πάντας ἄγει κορυθαίολος Ἕκτωρ:
——timeo ne me circumdent unum multi,
Cum Troianos omnes huc ducat galeatus Hector.

9. Coelo nam Ivppiter Irim.] Initio libri respondet exitus ex nuntio Iridis. Sed nota illam ab Ioue mitti, non itaque tantùm Iris Iunonis est nuntia. Claud. 3. Rap. (Iris Iouis nuntia,)

Iuppiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire iubet.——

Et apud Val. lib. 4. Iuppiter Irim mittit nuntiam ad Herculem. Quin, illam esse Deorum omnium nuntiam ex Nonno colliges, qui lib. 26. absolutè, ἄγγελος οὐρανίων Ἶρις ἀελλήεσσα: *nuntia cœlestium Iris procellosa*. Hom. Iliad. 15. absolutè etiam, ἦτε θεοῖσι μετάγγελος ἀθανάτοισι. Quin Nonnus lib. 31. Megæræ adhuc nuntiam facit: & Homerus ipsorum hominum. Nam Iliad. 23. ea defert mandata Achillis ad ventos duos Borean, & Zephyrum. Scias verò propositum (Deorum omnium. Furiarum, Hominum.)

A Virgilio ad imitationem Homerum 8. Iliad. (Imitatio.)

Ζεὺς δὲ πατὴρ Ἴδηθεν ἰδὼν, χαλέπτ᾽ ἄρ᾽ αἰνῶς,
Ἶριν δ᾽ ὄτρυνε χρυσόπτερον ἀγγελέουσαν:
Iuppiter autem pater ab Ida vt vidit, iratus est grauiter,
Irim verò excitauit, cui alæ aureæ, vt nuntiaret, &c.

Ex Homeri & Virgilij præscripto Sil. lib. 9.

At non hæc Superûm fallebant prælia Regem.
Demittit properè succinctam nubibus Irim,
Quæ nimios frenet motus, &c.——

10. Tevcrorvm moenibvs.] Propriè accipe. Hæc enim Turni pugna facta in ipsis mœnibus, vt liquidum ex præcedentibus, & sequentibus. Suprà enim *ignaros deinde in muris*: & infrà, *saltu sese omnibus armis in fluuium dedit*, desiluit quippe in fluuium ex muro. Inde historia hæc maiore tragœdia & spectaculo augetur: nam quale esset in ipsis muris hanc pugnam cernere? (Pugna in ipsis muris.)

[a] Ergo nec clypeo iuuenis subsistere tantùm,
Nec dextra valet: iniectis sic vndique telis
Obruitur, strepit assiduo caua tempora circum
Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt,
Discussæq; iubæ capiti, nec sufficit vmbo
Ictibus: ingeminant hastis & Troës, & ipse
Fulmineus Mnestheus. [b] tum toto corpore sudor
Liquitur, & piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit, fessos quatit æger anhelitus artus.
[c] Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluuium dedit: ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis,
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

ARGVMENTVM.

Turnus nequit resistere multitudini telorum, in fluuium ex muro desilit, reditque ad suos lætabundus, patrata ingenti cæde.

EXPLICATIO.

[a] DVo præstanda militi, nam & se defendit clypeo, qui in læua, & alios offendit armis, quę in dextra. Ergo, non iam quit Turnus resistere, neque defensione clypei, neque offensione armorum, quæ in dextra. Reddit rationem, nam *telis obruitur*, & *vndique*. Quin lapides, & missilia omnia ita creuêre, vt galea streperet assiduis ictibus, arma, etiamsi ærea & solida, fatiscerent, id est, corrumperentur. Iubæ discussæ sunt è capite, neque vmbo par esse poterat tot ictibus. Quippe Troiani omnes incumbebant acriter, & vnus Mnestheus videbatur fulminare. Vide quot molimina necessaria ad Turni fugam, Turni (inquam) qui occidendus esset ab Ænea. Non aliter hîc Vates concipit.

[b] Necessaria iam fatigatio Turni ab tot hostibus & missilibus. Sudat, non vtcunque, sed *flumen*, & id *piceum*, intercluditur anhelitus fessis artubus, atque adempta potestate respirandi.

[c] Magnus semper Virg. & hîc maximus. Excogita quî potuerit Turni virtutem supra mortalem penè facere, & videbis nihil dici grandius posse. Fessus

B erat pugnando ac fermè sine anhelitu, fatigatúsque à tot millibus hostium: & tamen vires sufficiunt ad enormem è muris saltum, & in fluuium, & cum armis: pugnauit itaque cum aquis natando, non obrutus armorum pondere. Desinit Virgilius perquàm poëticè, repræsentata Tyberis festiuitate in excipiendo Turno, amplectendo, attollendo, abluendo, remittendo.

NOTÆ.

1. Ergo nec clypeo, &c.] Tota hæc fatigati Turni descriptio petita ab Ennio, quod iam notarunt Macrob. Vrs. & alij, neque ego omittam. Ille itaque 15. Annal. pugnam describens Istrorum cum C Cælio Tribuno Romano, ita ait: (Imitatio.)

Vndique conueniunt velut imber tela Tribuno,
Configunt parmam, tinnit hastilibus vmbo.
Æratæ sonitant galeæ: sed nec pote quisquam
Vndique nitendo corpus discerpere ferro.
Semper abundantes hastas frangitq; quatitq;.
Totum sudor habet corpus, multùmque laborat.
Nec respirandi fit copia præpete ferro.
Istri tela manu iacientes sollicitabant.
Occumbunt multi letho, ferroq;, lapiq;,
Aut intra muros, aut extra præcipe casu.

Sed quoniam hic locus est comparationis, adduco Homer. 16. Iliad. qui ita de Aiace,

Αἴας δ᾽ οὐκ ἔτι ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσι.
Δάμνα μιν Ζηνός τε νόος, καὶ Τρῶες ἀγαυοὶ

βάλλοντες.

Βαλλόντες. δεινὴν δ' ἀμφὶ κροτάφοισι φαεινὴ
Πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε.——
Aiax autem non amplius resistebat, premebatur enim telis.
Domabat illum Iuppiter, & Troiani illustres
Iacientes tela; horrendum autem circa tempora splendens
Galea percussa sonum dabat.——

Homeri virum. Sed nō capio, cur Homer. cùm præmiserit οὐκ ἔμιμνε, *non subsistebat*, adiiciat; οὐδ' ἐδύναντο πελεμίξαι, *non poterant illum loco mouere.* Prudentiùs multo libro 15. ad finem, vbi de eodem Aiace, cùm præmiserit, οὐκ ἔτ' ἔμιμνε, *non manebat*, adiicit, ἀλλ' ἀνεχάζετο τυτθὸν, *sed retro paululum cedebat.* Redeo ad pensum. Est in Opp. lib. 4. Κυν. elegantissimus locus Virgilio aptandus,

Ὡς δ' ὁπότ' ἐν πολέμοισιν ἀρήϊον ἄνδρα κραταιὸν
Δηΐοις ἀμφιβάλλη στεφάνη μαλεροῖο μόθοιο.
Αὐτὰρ ὅγε πνείων μένος Ἄρεος, ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἀΐσσει, παλάμῃ κραδάων πεφυρμένον ἔγχος.
Ὀψὲ δέ μιν δάμνησιν ἐνυάλιος λόχος ἀνδρῶν,
Πάντες ὁμοῦ βρίσαντες· ὁ δ' ὀκλάζει κατὰ γαίης
Βαλλόμενος πυκινοῖσι τετυμμένος αἰχμαῖς·

Vox cōtra multos. *Vt autem quando in bello Martium ac fortem virum*
Hostilis circumdederit corona feruentis prælij:
At ille spirans robur Martis huc, atque illuc
Irruit, manu vibrans cruentam hastam.
Tandem verò illum subigit bellatrix turba hominum,
Omnes simul incumbentes: ille autem procumbit humi
Percussus densis, longisque cuspidibus.

Vide etiam, vti Stat. 2. Theb. inducat defatigatum Tydeum hostium multitudine; & vti Eurip. in Androm. Neoptolemum, qui locus adeundus, nam simillimus Virgiliano; & vti in Taur. Orestem circumuentum multitudine pastorum. Sunt etiam apud Iosephum lib. 7. bell. Iud. simillima duo spectacula, de Sabino cap. 1. & de Iuliano cap. 3.

2. STREPIT ASSIDVO, &c.] Ab Hom. etiam 12. Iliad. inferuntur galeæ percussæ saxis adsonantes κόρυθες ἀΰτευν βαλλομέναι μυλάκεσσι. Ibid. αὐτὴ βαλλομένων ἀσπίδων. Vidisti etiam sup. πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε. Stat. 11. Theb. *galeaq; tonanti.*

Iubæ, de equis. IVBAE.] Hæc vox propria est equorum. Itaque cùm iubas simpliciter legis, equinas intellige. Ita in 2. Æneid. *Graiarum errore iubarum.*

Capiti, in sexto casu. 4. CAPITI.] Est sextus, non tertius casus. Vide sexta Eclog. ad illud,

Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant.

Ita Stat. 4. Theb. *capiti tremit ærea cassis*, id est, in capite. & Noster in 10. *Ardet apex capiti*, pro, in capite. Inde ego existimo veterem & propriam vocem fuisse *here*, quæ postea mutata in *heri*, ad eum modum, quo *vespere*, etiamsi vsitatius sit *vesperi*. Sed vetere vsus est Iuuen. Satyra 3.

Here olim pro heri.

Res hodie minor est, here quàm fuit.——

Et Mart. lib. 1.

Et positum est nobis nil here præter aprum.

Nec sufficit. 5. NEC SVFFICIT VMBO.] Est hoc, quod Hom. 13. Iliad. οὐδ' ἤρκεσε θώρηξ χάλκεος: *neque erat satis thorax æreus.* Valer. 6. Arg. dixit, *ille diu coniectis sufficit hastis.* De defesso Tydoco Stat. 2. Theb.

Tardatique gradus, clypeum non sustinet vmbo.

Orta est vox Latina à Græca ἄμβων.

Imitatio. 6. TVM TOTO CORPORE SVDOR, &c.] Hom. de Aiace 16. Iliad.

——κὰδ δέ οἱ ἱδρὼς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔρρεεν.
Fluebat vndique multus ex membris sudor.

Aspasia apud Athen. lib. 5.

Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χαρᾶς ὑπὸ σῶμα λιπαίνω
Ἱδρῶτι:——

A *Hac ego vt audiui toto mihi corpore sudor*
Splenduit.——

Plutar. in Mario de fatigatis militibus, ἱδρῶτά τε μετὰ ἄσθματος πολὺν ἐκ τῶν σωμάτων ἀφιέντες: *manabant multo sudore corpora anhelantibus.* Stat. 2. Theb. de fatigato Tydeo,

——*gelidus cadit imber anhelo*
Pectore.——

Sudor cur Piceus. 7. PICEVM.] Nigrum, ac proinde multum, Turnebo interprete; nam multus sudor nigricat, vt paucus pellucet. Vel nigrum vocat, quia sudor pugnantium mistus puluere, ac proinde nigricabit. Vnde Hom. Iliad. 17. signatè ad hanc rem adducit verbum παλάσσω, id est, inquino, & fœdo; ait enim,

——καμάτῳ τε καὶ ἱδρῷ νωλεμὲς αἰεὶ
B Γούνατά τε, κνῆμαί τε, πόδες θ' ὑπένερθεν ἑκάστου
Χεῖρές τ', ὀφθαλμοί τε παλάσσετο μαρναμένοιιν.

Dicit, labore & sudore continuo pugnantium, fœdata, inquinataque genua, tibias, pedes, manus, oculos. Rectè ergo ab hoc inquinamento piceus sudor. Ad eum modum, quo Eurip. in Orest. ensem, qui splendicat, vocauit μέλαν, *nigrum*, ab cæde; atque etiam in Bacch. ibi μέλαν ξίφος, hîc, ξίφει κελαινόν. Ergo sudor, qui verè λευκὸς, id est, *albus* est, tamen dicitur niger, vel quia multus, ex sententia Turnebi: vel quia inquinatus puluere, ex mea. Sententiam enim viri cuiusdam, qui per *piceum sudorem* intelligi vult, *sanguineum sudorem*, αἱματώδη. Hæc sanè angustia Christo tantùm Seruatori magno danda.

Nigrum, de cæde.

Respirandi potestas nō data. 8. NEC RESPIRARE POTESTAS.] Eurip. Androm. de Neoptolemo virorum & telorum multitudine oppresso,

C ——ὡς δέ μιν περισταδὸν
Κύκλῳ κατεῖχον, οὐ διδόντες ἀμπνοάς:
——*premebant illum vndique*
Circumcircà, non data respirandi copia.

Adi hūc locū Hom. 16. Iliad. de Aiace, ἀργαλέῳ ἔχετ' ἄσθματι: *difficili anhelitu premebatur.* &, οὐδέ πῃ εἶχεν ἀμπνεῦσαι: *nequibat respirare.* Plutar. in vita Demetrij, ἀσθενῆ γινόμενον, καὶ μεστὸν ἄσθματος οὐ ῥᾳδίως ἀναφέρειν: *languidum, atque anhelantem ægrè spiritum recipere.* De Hercule Eurip. ἀμπνοὰς οὐ σωφρονίζει. quod in 5. Æneid. dixit Virg. *creber anhelitus.* Disce Græcos reddere. Nam, *non temperat anhelitus.* &, *creber anhelitus*, idem sunt. Cal. libro 4. dixit, ἀνάπνευσις πολέμου. Cæterùm

Pugilatus. D Poëtæ animum intellige. Alludit proculdubio ad pugilatus. Philo περὶ κακ. ἀρχ. ita ait. ἀθλητοῦ τρόπον ὡς ἱδρῶτα διαπνεῖν, καὶ συλλέγεσθαι δύναμιν εἰς ἑτέρας ἀγωνίας ἀγῶνα: *In modum athletæ, cui non permittitur respirare, & colligere vires ad instaurandam pugnam.* Rem eandem firmo ex Plut. in vita Agesilai, οὐ δίδωσι τῷ παραλογιζομένῳ λαβὴν, ὥσπερ οὐδὲ τῷ παλαίοντι ῥοπὴν ὁ μὴ κινούμενος: *nullam dat captioso homini ansam, sicut nec luctandi momentum ille, qui stat immotus.*

Romana historia repetita. 9. TVM DEMVM PRÆCEPS SALTV.] Cùm soleat Poëta nobiles historias Romanorum suo operi admiscere, non dubium quin hoc loco illam Coclitis expresserit, qui petitus omnium telis in eundem fluuium desiluit. Præeunt verba Liuij paria Virgilio. *Ita sic armatus in Tyberim desiluit, multisque superincidentibus telis incolumis ad suos tranauit.* Subiit quoque suspicio, an adumbrata quoque historia Sertorij, qui τὸν

E Ῥοδανὸν διεπέρασεν, αὐτῷ τε τῷ θώρακι, καὶ θυρεῷ πρὸς ἐναντίον ῥεῦμα πολὺ νηχόμενος. verba sunt Plutarchi. *Rhodanum transmisit cum ipsa lorica & scuto. aduersis ingentibus vndis, natans.* Vide quæ de saltu Achillis Victor. lib. 38. cap. 24.

Locorum similitudo. 10. IN FLVVIVM DEDIT.] Hoc etiam confugium militibus fatigatis apud Amm. lib. 17. qui *amnis vicini se commi*

ſe commiſère gurgitibus , peritia nandi ripas vlteriores occupare poſſe ſperantes. To *aedis* illuſtrabis ab Eurip. qui Iphig. in Taur. πόντῳ δὲ διδόντες τοὺς ξένους καθιέναι: *Imo miſerum hoſpitam dantes ponto.* Muſæus flexu alio, δέμας δ' ἔρριψε θαλάσσῃ: *proiecit corpus in mare.*

11. CVM.] Potuiſſet demere, ſed ita delectati veteres. Ennius apud Feſt. in verbo *orare*, ita: *Quod te cum precibus pater orat.* Attius apud Non. in Meleag. *Pro ſe quiſque cum corona clarum conueſtit caput.* Catul. Epithal. *bona cum bono nubit alite virgo.*

Tybris cur flauus.

12. FLAVO.] Ad arenas aureas reſpectũ, ait Turn. quibus fluuij ſcatent. Nam aliter Tyberis albicabat, vnde & Albula.

Molle, quid ſit.

13. MOLLIBVS EXTVLIT VNDIS.] Quî hoc Poëta, cùm neget Ariſtot. molles eſſe aquas? eius verba lib. 4. Meteor. cap. 4. ἔστι δὲ σκληρὸν μὲν, τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὐτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον. μαλακὸν δὲ, τὸ ὑπεῖκον τῷ μὴ ἀντιπεριΐστασθαι. τὸ γὰρ ὕδωρ οὐ μαλακόν. οὐ γὰρ ὑπείκει τῇ θλίψει τὸ ἐπίπεδον εἰς βάθος, ἀλλὰ ἀντιπεριΐσταται: *Durum eſt, quod per ſumma in ſeſe non refugit; molle verò quod in ſeſe refugit non obluctando. Aqua namque non eſt mollis, quippe cuius pars ſumma compreſſa intrò non cedat, ſed circumobſiſtat.* Sed ſoluat nodum idem Ariſtotel. qui poſt pauca ita ſcribit. ἐπεὶ δὲ πρὸς τὴν αἴσθησιν πάντα κρίνεται τὰ αἰσθητὰ, δῆλον ὅτι καὶ τὸ σκληρὸν, καὶ τὸ μαλακὸν ἁπλῶς πρὸς τὴν ἁφὴν ὡρίκαμεν: *Cùm ſenſilia omnia ſenſu diiudicentur, tam durum, quàm molle, tactu ſimpliciter definiuimus.* Quia aqua ergo mollis tactu, ideo Virg. illam potuit mollem dicere, quamuis compreſſa non cedat. Nam ſtatim quoque ait id eſſe molle, quod locum præbet & relinquit, τὸ δ' ὑπεῖκον, μαλακόν: non dubium autem, quin aqua locum det. Hinc & Lucret. potuit lib. 1. dicere, *Mollis aqua fertur natura.* Et lib. 2.

Aqua cur dicatur molles, cùm non ſint molles.

——qua mollibus vndis
Littoris incurui bibulam lauit æquor arenam.

Quid, quod Virg. poëticè rem tractat, & indicat gratum hoſpitium datum Turno à Tyberi, ſinque eius complexum cum mollitudine & blandimento receptum, ablutúmque à cruore remiſſum ſociis?

14. ABLVTA CÆDE.] Non dubium, quin leuiter morem attingat; ſed nulla, vt ſolet, oſtentatione. Redeuntes è bello abluebantur. Dat itaque Tyberi, quod lauacro debuiſſet. Hoc officij genus parat Andromacha ſuo Hectori 22. Iliad.

Abluebantur redeũtes à bello.

Κέκλετο δ' ἀμφιπόλοισιν ἐϋπλοκάμοις κατὰ δῶμα
Ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι τρίποδα μέγαν, ὄφρα πέλοιτο
Ἕκτορι θερμὰ λοετρὰ μάχης ἐκ νοστήσαντι:
Iuſſerat ancillis pulchricomis in domo
Igni apponere magnum tripodem, vt eſſent
Hectori lauacra calida reuertenti è pugna.

Morem huic finitimum Tacit. aperit 4. Ann. vbi de veteribus Romanis, *magna poſt prælia ſaucios largitione & cura ſuſtentabant.*

FINIS LIBRI IX.

P. VIRG.

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER X.

ARGVMENTVM.

VOCAT Iuppiter Deos ad concilium, queritur de immaturo bello Italiæ, quod reſeruandum eſſet ad æuum Annibalis, deſinit cum hortatione ad pacem. Iouis orationem excipit Venus, Veneris Iuno: vtraque acriter pro ſe, & indignabundè contra alteram: ſunt Deorum varia ſtudia, ſed Iuppiter neutri ſe dat parti, omnia fatis adſcribens: ſurgitur à concilio. Redit Poëta ad intermiſſam belli operam, qua Rutuli Troianos premebant abſente Ænea muro incluſos: ac dum acriter pugnatur, ecce Æneas redit ad ſuos cum auxilio Arcadum, & Etruſcorum, quorum catalogus recenſetur, & claſſi quidem appellenti ad portum occurrit comitatus Nympharum, quæ verſæ è nauibus, & vna imprimis Cymodocea illi auſpicatur victoriæ omen. Hoc facto comparat Æneas ſuos ad bellum, attollénſque in altum clypeum implet Troianos ſpe; obſtupeſcunt Rutuli cùm vident claſſem hoſtium: ſed in aliorum terrore ſibi Turnus conſtat, ſuóſque ad bellum excitat, fit acris pugna inter Rutulos vna ex parte, Troianos, Etruſcos, Arcades ex alia; dum Turnus vult illos prohibere terra, dum illi in eam deſcendere, & tragicè omnia permiſcentur. Sed terra tandem occupata contra voluntatem Turni, fit in terra maior ſtrages, quæ primùm ſæuit in Arcadas, qui cùm fugam pararent Pallas illos continet, ac multos hoſtium conficit variis cædibus, imprimis Haleſum, ſed citiſſima Pallanti mors ab Turno, quæ cùm perlata ad Æneam eſſet, furit in acie vehementer vltionem Pallanti quærens, ac plures & magnos duces interficit, actúmque de bello eſſet, niſi nouo Iunonis dolo Turnus Æneæ eriperetur, pro quo in aciem ſuccedit Mezentius, cuius varia facinora eduntur, cui tandem Æneas occurrit, & primò Lauſum filium interficit, deinde patrem Mezentium.

[a] PANDITVR interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliúmque vocat Diuûm Pater, atque hominum Rex
Sydeream in ſedem: terras vnde arduus omnes,
Caſtráque Dardanidûm ſpectat, populóſque Latinos:
Conſidunt tectis bipatentibus, incipit ipſe.
[b] Cœlicolæ Magni, quianam ſententia vobis
Verſa retrò? tantúmque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quæ contra vetitum diſcordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma ſequi, ferrúmque laceſſere ſuaſit?
[c] Adueniet iuſtum pugnæ (ne accerſite) tempus,

Cùm fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.
[d] Nunc ſinite, & placidum læti componite fœdus.
Iuppiter hæc paucis: at non Venus aurea contrà
Pauca refert.

ARGVMENTVM.

Vocat Iuppiter Deos ad conſeſſum, queritur de immaturo bello Italiæ, quod reſeruandum eſſet ad æuum Annibalis; deſinit cum hortatione ad pacem.

EXPLICATIO.

[a] SOLENS ſuo more Poëta; nã in ſumma claritate maieſtas sũma. Voces, numeri, ſentẽtia, digna omnia Ioue, cœlitibus, cœlo: ex quibus exiſtit viuida, & calens deſcriptio, non plumbea, & mortua. In primo verſu vox, & numeri portas tibi aperiũt: Vox. *Panditur*; numeri, nam verſus medius abrũpitur. Sed & vocales, quæ ſunt in *interea*, eumdem indicant hiatum. Dixi de primo verſu. Vide ſequentis maieſtatem verſus deſinentis in monoſyllabam, ſimul & proprietatem, nam *Diuûm Pater, Rex hominum*. Sed quem in locum cœli concilium cogitur? vbi aſtra, id eſt, in partem cœli arduã, vnde ſolitus Iuppiter ſpectare Troianorum caſtra, populos Latinorum. Mirè hoc, quaſi vnis caſtris, ac ſolis in terra hoſtili totos opponat populos Latinorum. Vide verò Iouis maieſtatem, vix vocat, & iam *conſidunt*: ipſe verò incipit rogato nemine.

[b] Initio orationis artificium ſummum; nam cùm velit Iunonẽ notare; hæc enim cauſa diſcordiarum, nihil ad illã tamẽ, ſed in communi ad Deos omnes. Reprehendit itaque illos, quòd commutata ſententia iterum bellum accenderint, quod ſanè iniquum, cùm præſertim ipſe *abnuerit*: quo verbo notat maieſtatem ſuam læſam, nam imperium Iouis *nutus* eſt. Inde ſtatim, *Quæ contra vetitum diſcordia?* explicans videlicet, quis ſit ille *abnutus*. Nam Iuppiter cùm abnuit, vetat. In ſequentibus cauſam indicat, cur ita diſſenſerint, cùm ait; *Quis metus*, &c. nulli enim acriùs pugnant, quàm qui ſibi metuunt; nam tunc pro ſe pugnant.

[c] Dixerat iniquum tunc eſſe bellum, quia videlicet aliud tempus iuſtius ad pugnandum, & opportunius, cùm Carthago ruitura contra arces Romanas apertis Alpibus magno exitio, ac propterea non properandum; nam hoc eſt, *ne acceſſite*. Tunc, inquit Iuppiter, ſunto odia, res rapiuntor.

[d] Deſinit cum hortatione ad pacem, & fœdera, quæ tota placita, & ipſi in ea lætabundi. Hæc Iuppiter, & quidem *paucis* pro loquentis decoro. Venus tamen *non pauca*, vt quæ læſa, nacta videlicet occaſionem liberè diſceptandi contra Iunonem.

NOTÆ.

Imitatio. 1. PANDITVR.] Verſus integer ductus ab Næuio, qui,

Panditur interea domus altitonantis Olympi.

A Quem verſum eſſe non Næuij, ſed Ennij multi putant. Sed pro Næuio pugnat auctoritas Cæcilij Munitiani, & aliorum. Nota diligenter indicari hoc verbo (*Panditur*) factum hoc Deorum concilium ſummo manè, & albente luce. Nam Iſid. lib. 13. Etym. facit portas cœli Orientem, & Occaſum, quòd vna parte Sol procedat, altera ſe recipiat; & Virg. ipſe de occidente Sole dixit; Cœli portæ quæ.

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Ergo vox prima non tam notat cœlum apertum ad recipiendos cœlicolas, quàm factum id in ortu diei, quo cœlũ dicitur pandi. Pari conſecutione Sidonius:

Inde patefecit radiis rota candida cœlum.

Iuuat rem hanc Epitaphium Scipionis conditum ab Ennio;

B *A Sole exoriente ſupra Mæotis paludes,*
Nemo eſt, qui factis me æquiparare queat.
Si fas cadendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Ecce, vbi ait, ab exoriente Sole notam eſſe eius famam, & ideo illi patere cœli portam, quaſi porta ſit cœli, qua Sol oritur. Inde Silius cum alluſione ad Ennium lib. 15.

At queis ætherei ſeruatur ſeminis ortus,
Cæli porta patet. ———

Faciunt iſta Arnobij lib. 7. *Iuppiter rurſus altiore in culmine orientem conuerſus ad cardinem* &c. Scio hanc rem latiùs patere; nam etiam Septentrio, ac Meridies dicuntur portæ cœli, nam Prudent. lib. 1. in Hymn. de Sole ait, *Portas Aquilonis adire*. Itaque res hæc ſimilis C eſt nobili illi agitatæ quæſtioni de dextro, ac ſiniſtro cœli.

2. DOMVS.] Hîc, vt vides, verſus frangitur, nec vlla eſt cæſura, vt in abrupto verſu videas hiantes cœli fores. Similis illa noſtra obſeruatio 2. Æneid.

Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles:
Claſſibus hîc locus, hîc acies certare ſolebant.

Obſeruo in hac voce, cõmodè illam vſurpatã; nã cœlum dictum eſt Iouis tẽplum. Ennius in fragmentis, Cœlum ſolũ Iouis templũ.

Contremuit templum magnum Iouis altitonantis.

Quod ego iam lib. 3. Georg. & hîc adũcio Cyrillum qui in caput primum Micheæ numero 4. οὐρανὸν, οἶκον, ναὸν, pro eodem accipit, vt legenti apparebit: & Tullium, qui ex Enn. 7. Diuinat. *ad cœli cærula templa*. Ergo cùm cœlum ſit Iouis templum, aptè hîc *domus* dicitur, qua templum ſignatur, de quo dixi iam lib. Domus pro templo.
D 8. ad illud. *habitat Deus*, & dicam infrà in hoc libro ad illud, *Idaliaq́ domus*. Sic & Nonnus lib. 31. Dionyſ. cœlum vocat δόμον.

3. OMNIPOTENTIS OLYMPI.] Hîc quæ rixæ: Duplex ſententia aliorum eſt, vel legendum *omnipatentis Olympi*, ſi cœlum intelligas: vel ſcribendum, *omnipotentis Olympij*, & per ſynæreſim *Olympî*, aut *Olympi*. ſi Iouem capias. Primum tuentur; nam cœlo non conuenit omnipotentia; alterum, nam Iuppiter dici Olympius quit, quia in Olympo habitat. In primum nullatenus inclino; nam ineptè præcedente *panditur*, ſequeretur *omnipatens*. Quid quòd Oriens tantùm patuit, vt iam explicatum, non omnes cœli partes?

partes? in alterum possum inclinare, nam Pind. Od. 13. Olymp. ὕπατ' εὐρὺ ἀνάσσων Ὀλυμπίας: *supreme late imperans Olympie.* & Hom. 6. Iliad. Ὀλύμπιος ἔτρεφε πῆμα: *Iuppiter nocumentum nutriit.* & Soph. in Elect.

Olympius, pro Ioue.

> Οἷς ὁ μέγας θεὸς Ὀλύμπιος
> Ποίνιμα πάθεα παθεῖν πόροι:
> *Quibus Deus ingens Olympius*
> *Paria retribuat, cladésque inferat.*

Olympus, pro cœlo.

Sed tamen *Olympi* hoc loco pro cœlo explico, nam 12. Æneid.

> *Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi.*

In quo nequit dubitari, quin Olympus sit cœlum. Cur ergo in duodecimo cœlum dicitur *omnipotens*, & non in decimo? Neque video, cur non cœlum dici possit *omnipotens* ab Ioue, qui ibi habitare fingebatur à Gentilibus. Damnarent isti Claudianum ita scribentem Pang. Manlij.

> ———*Sed vt altus Olympi*
> *Vertex, qui spatio ventos, hyemésque relinquit,*
> *Perpetuum nulla violatus nube serenum,*
> *Celsior exsurgit pluuiis, auditque ruentes*
> *Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.*

Ista enim Olympo conueniunt, quia in eo Iuppiter qui premit omnia pedibus. Vide vti Turnebus Poëtam defendat, non sanè ad gustum.

4. CONCILIVM.] Expressum verbum; nam *concilia* Deorum erant. Valer. 1. Argonaut.

> *Æquoreos vocat ecce Deos Neptunus, & ingens*
> *Concilium.*———

Concilium, de Diis.

Vide me 1. Georg. ad illud, *Deorum concilia*, per initium. Itaque non legendum *consilium*, quamuis Horat. Od. 3. lib. 3. *consiliantibus Diuis.* Et hîc *concilium* sunt Dij ipsi consultandi. Sic Demosthen. βουλὴ κάθηται: *Sedit senatus*, id est, seniores consulendi. Sic & Ioan. Chrysost. in laudat. Ignatij Matt. θέατρον κάθηται: *Sedet theatrum*, id est, spectatores. Istæ enim voces sumuntur & pro loco, & pro illis, qui in eo loco. Non renarro quæ hîc Germ. περὶ τῆς βουλῆς, vt quæ in aliis quoque obuia. Ceterùm huius concilij forma ducta à variis locis Hom. vt cùm ait lib. 8. Iliad.

Imitatio.

> Ζεὺς δὲ θεῶν ἀγορὴν ποιήσατο, τερπικέραυνος
> Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο:
> *Iuppiter gaudens fulmine concilium Deorum coëgit*
> *Summo in vertice multiiugi Olympi.*

Omitto loca alia Hom. in quibus Deorum concilia; nam ei, quem attuli, vnicè hæsit Noster, tum ex similitudine verborum, tum ex circunstantia matutini temporis; præcessit enim in Hom.

> Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν:
> *Spargebatur per totam terram aurora, cui vestis crocea.*

Demum quia ab vtroque Vate exordium est libri. Est & vox alia in Hom. frequens, videlicet φῦλα θεῶν, qua explicat hos Deorum cœtus, & concilia. Calaber lib. 3. nominat ἀθανάτων ὁμήγυριν, quam vocem potuit sumere ab Hom. 20. Iliad. Ab Eurip. in Hel. dicitur σύλλογος θεῶν.

5. DIVVM PATER, ATQVE HOMINVM REX.] Lucill. *Pater optimus Diuûm.* Pers. Sat. 3. *Magne Pater Diuûm.* Noluit Virgilius Homericum, πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε: *Pater hominum, & Deorum*: potiùs Ennianum ex lib. 6. Ann.

Iuppiter cur Diuûm Pater, & Rex hominum.

> *Tum cum corde suo Diuûm Pater, atque hominum*
> *Rex*
> *Effatur.*———

Hoc (inquam) prætulit Homerico; nam homines seueriore cura tractandi, ideo de illis *Rex*: de Diis tamen *Pater*. Iuppiter ipse apud Ouid. 9. Metamorph. *Dicor rectórque, Patérque.* Scio scribi ab Aristide Hymno in Iouem, Deum hunc æquè dictum Patrem Deorum, & hominum. Sed altiùs Maro cogitauit.

6. SYDEREAM IN SEDEM.] Nazian. Carm. 50. οὐρανίας ἕδρας, quod accepit ab Hesiod. qui Theog. ἀστερόεντος οὐρανοῦ. Vterque ab Homero. 6. Iliad. vbi, ἐξ οὐρανοῦ ἀστερόεντος. Nonnus lib. 31. δόμον ἔμπλειον ἄστρων: *domum stellis plenam.* Sidon. Paneg. Auiti in Deorum concilio, quod cogit,

Syderea sedes, de cœlo.

> *Ipsa pauimentum sunt sydera, iam Pater aureo*
> *Tranquillus sese solio locat.*———

Claud. in suo etiam concilio, *vt patuit stellata domus.* In suo Statius lib. 1. *stellantique locat solio.* Ouid. 3. Amor. Eleg. 9.

> *Illi sydeream mundi qui temperat arcem.*

Et quidem in elogio cœli, ad quam rem potiùs recurras, quàm ad sydera? Ioann. Chrysost. Orat. 2, de Dei natura, cœlum laudaturus, statim assumpsit sydera, τῷ ποικίλῳ τῶν ἄστρων ἐστεφάνωται χορῷ: *coronatur vario astrorum choro.* Eurip. in Hercul. ἀστερωτοὺς οἴκους, *stellatas domos*, id est, cœlestes. Et in Ione, Διὸς πολύαστρον ἕδος. *Iouis pauimentum multisydereum.*

7. TERRAS VNDE ARDVVS, &c.] Nam qui Rex omnium in ardua cœli parte. Sic ab Hom. inducitur ἀκροτάτῃ κορυφῇ Οὐλύμποιο. Stat. lib. 1.

Dij quam cœli partem habitent.

> *At Iouis imperio rapidi super atria cœli*
> *Lectus concilio Diuûm conuenerat ordo*
> *Interiore polo. Spatiis hinc omnia iusta*
> *Primaq; occiduaq; domus: effusa sub omni*
> *Terra, atque vnda die: mediis sese arduus infert*
> *Ipse Deus.*——— ———

Vides occupari à Diis suprema cœli atria, & polum interiorem, id est, superiorem, vt explico, & alibi firmaui. Iulianus in Cæsarib. ait, Deorum sedem esse οὐρανοῦ μετέωρον: *sublimem cœli partem*; adducitque illud Hom. Οὔλυμπον δ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ: *Olympum, vbi dicunt firmam esse sedem Deorum.* & 5. Iliad. ait, ἵκοντο θεῶν ἕδος, αἰπὺν Ὄλυμπον: *peruenêre ad Deorum sedem, altum Olympum.* Valer. 1. Arg. *Syderea tunc arce Pater.* Nec aliud est simulacrum Iouis ὑψίστου, *celsissimum*, apud Pausan. in Corinth. id est, simulacrum illius Iouis, qui habitat supremam cœli partem; vnde postea de eodem Ioue, *terras vnde arduus.* Non minore maiestate de Ioue Pind. vt cùm ait Od. 4. Olymp. ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς: *vibrator altissime tonitrui.* & Od. 5. ὑψινεφής, vt qui agat in altis nubibus. & Od. 13. ὕπατον vocat, quæ omnes voces affines *arduo Ioui.* & Od. 1. Olymp. ὕπατον ἕδρα Διός, *altissimum Iouis habitaculum.* Ab Eurip. Phœniss. inducitur Iuppiter φαεννὰς οὐρανοῦ ναίων πτυχάς: *habitans cœli splendida cacumina.* Vetus Poëta apud Tullium 1. Diuin. *Ætheris æterni septa.* Certè multa ex his capienda de suprema cœli parte, id est, Olympo. Sic & Statium explico 3. Theb. vbi Iuppiter,

Olympus altior cœli pars.

Iouis maiestas.

> *Arcem hanc æternam, mentisque sacraria nostræ*
> *Testor.*——— ———

Et ibidem, *superæ seu conditor aulæ*, id est, Olympi. Quemadmodum enim subterraneum orbem diuidebant in partes duas, videlicet in Infernum, & Tartarum, ita & superum in duas item, nimirum in cœlum, & Olympum. De Inferno, & Tartaro liquidum ex Hom. Iliad. 8. per initia, vbi ait tantùm distare Tartarum ab Inferno, quantùm Infernus ipse distat à cœlo. De cœlo, & Olympo extat testimonium eiusdem Vatis 15. Iliad. quod adduco inf. in hoc lib. ad illud, *fors rerum*, & aliud 8. Iliad. de quo inf. ad illud, *silet arduus æther.*

Cœlum diuersa pars ab Olympo.

Imitatio.

8. Castraqve, &c.] Cùm hic versus factus sit ad imitationem illius, qui habetur 8. Iliad.

Ἐισορόων Τρώων τε πόλιν, καὶ νῆας Ἀχαιῶν:

Inspiciens Troianorum ciuitatem, & naues Achiuorum.

Tamen longè aliter inducitur à Virgilio, qui è summo spectantem Iouem facit, cùm Homericus Iuppiter ad Idam descendat id facturus, quasi è cœlo non posset. Sic & Neptunus inducitur lib. 13. Iliad. intuens ex Samo,

Φαίνετο δ' Πριάμοιο πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν:

Cernebatur Priami ciuitas, & naues Achiuorum.

Deus omnia aspicit.

9. Aspectat.] Ita de Ioue suo Gentiles, vt cui omnia curæ. Quamobrem in 1. Æneid. *despiciens* inducitur

——*Mare veliuolum, terrásque iacentes.*

Ab Statio dicitur *prospectans*. Ouid.

——*Terras, hominúmque labores*

Prospicit.—— ——

Homerus de illo, ἐισορόων, ἰδὼν, εὐρύοπας. Periphrasticè in sequenti libro, *obseruans oculis*. Verus Deus apud

Oculus non dormitans.

Ioan. Chrys. Orat. de ira, dicitur ἀκοίμητος ὀφθαλμός: *oculus non dormitans*, vt videlicet omnia ei esse curæ intelligantur. Apud Iosephum Titus Imperator cap. 4. lib. 7. ad rem eamdem significandam ita ait. καὶ εἴ τις (θεὸς) ἐφεώρα ποτὲ τόνδε τὸν χῶρον: *& si quis* (Deus) *hunc locum antè aspexit.* De eodem Soph. in Elect.

Aspecto quid.

ἐφορᾷ πάντα, quod ab Homero accepit. Præclarè verò *aspectat*, quia *arduus*; est enim *aspectare*, cernere è longinquo. Plaut. Aulul.

Mulóque prius me collocaui in arborem,

Inde aspectabam, vbi aurum abstrudebat senex.

Ita legit hunc locum Ioan. Guliel. ex hac proprietate, & ex manu scripto, non, *expectabam*.

Consessus concilij.

10. Considvnt tectis bipatentibvs.] Hemistichium hoc Ennij est 6. Ann. Hom. 4. Iliad. οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι: *assederunt Dij Ioui*. & 10. Iliad. καθεζόμενοι etiam in concilio. Claud. in suo concilio 3. Rap.

Vt patuit stellata domus, considere iussi.

In suo Sidon. *priores consedère Dei.* Catul. de Nupt. Pel. præclaro flexu, *niueis flexerunt sedibus artus.* Adiicit *tectis*, consentaneè, quia suprà *domus*. Est enim

Domus pars alta ædium.

domus pars alta ædium, sed plana, ad eum modum, quo olim extrui solita ædificia. Scio id propriè significari voce δῶμα τος, quod ex locis sacrarum literarum, & ex S. Hieronymo iam Lexicographi. Sed ego nihil dubito, quin vox *domus* eodem significato sit capienda, vel ex hoc loco. Poëtæ: nam qui suprà *domus*, nunc *tectis*. Adduxi ex Eurip. dari Ioui ἀραιὰς πτυχάς. Inde & lux Ouidio 1. Metamorph. qui vtramque etiam vocem coniunxit, illis versibus.

Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis,

Regalémque domum.——

vbi *tecta* pariter & *domum* coniunxit. Hom. vocat Οὐλύμποιο κάρηνα, *vertices cœli*, & *capita*, qua voce vsus Iliade 7. & sæpe alibi. Dicam & de hac re in loco alio huius libri; nam infrà signatè *est domus alta*, vbi, quid sentiam, aperiam. Cùm ait, *bipatentibus*, intelligit δίθυρας, quas etiam διπλίδας nominat Hom. Iliad.

Portæ cœli duæ.

12. duæ enim cœlorum fingebantur portæ, inde & *cœli foribus*, Ouid. 1. Fast. Quin *bipatens* esse quod in vtramque partem aperitur, aliorum iam est obseruatio. Asconius dixit *bipatens pugilar.* vide hic Seru. &

Bipatens pugilar.

Turneb. lib. 29. cap. 24.

Virgilius decori obseruantissimus.

11. Incidit ipse.] In 8. Iliad. αὐτὸς δ' ἀγόρευεν.

11. Coelicolæ magni.] Nesciunt Poëtæ alij verum rerum πρέπον, doceantur à Virgilio. Refertur sermo ad Deos ἐπουρανίους, id est, *cælicolas*, pressius, ad

A Deos *Magnos*, quæ vox satis innuit, adfuisse illi concilio Deos tantùm duodecim, qui dicti *Magni*. Nónne indignissimè alij Poëtæ in conciliis Deorum, quæ peraguntur in cœlo, admittunt syluestres Deos, Paganos, Rusticos, Fluuiatiles, Æquoreos? Claudianum noto, Sidonium, alios. Prior in Deorum concilium admittit Nereum, Phorcum, Glaucum, Proteum, Faunos, & plebeios Deos, atque etiam fluuios: hos & posterior, videlicet Eridanum, Rhenum, Nilum. Sed Sidonium in errorem induxit Claudianus, nam huic ille totus hæsit, vt ex collatis locis liquidum. Et omnes adhuc in errorem Homerus induxit Iliad. 20. vbi concilio Deorum celebrato in cœlo adsunt fluuij, fontes, nymphæ.

Dij Magni duodecim.

13. Qvianam.] Id est, cur. Dixi iam latè quin- Quianam.

B ta Æneide vers. 8. Not. 7.

14. Abnveram.] Allusum ad Iouis *numen*: nam *numen* ἀπὸ τοῦ νεύειν, *nuo*. Quia numine, id est, nutu, omnia efficit.

Numen vnde.

15. Qvæ conta vetitvm discordia?] Non ἔριν intelligit, sed στάσιν. nam inter Deos tantùm ipsos: ἔρις enim latiùs patet. Iosephus de discordia inter ipsos tantùm Iudæos στάσιν, & seditiosos στασιαστὰς vocat. Vide initium lib. 7. Bel. Iud. Ab hoc loco, credo, oratio Iouis apud Ouid. 9. Metamorph. ad Deos, lege ab illo, *Quò ruitis*, &c. Et Virg. fortasse ab Calab. lib. 12. vbi Iuppiter Deos reprehendit in concilio, quòd dissideant μινυνθαδίων ἕνεκ' ἀνδρῶν: *propter homines nihili.*

16. Qvis metvs, &c.] Est huic sententiæ suus

Timor facit attentiores ad bellum.

C fundus. Metus homines sæpe ignauos reddit, sed sæpe tamen ad bellum promptos, spe scilicet arcendi mali. Inde Xenoph. lib. 3. Memorabilium Socratis, metum opponit fiduciæ. Nam sicut hæc negligentiæ est mater, ita ille strenuitatis. τὸ μὲν γὰρ (inquid) θάρσος ἀμέλειαν τε, καὶ ῥαθυμίαν, καὶ ἀπείθειαν ἐμβάλλει. ὁ δὲ φόβος προσεκτικωτέρους τε, καὶ εὐπειθεστέρους, καὶ εὐτακτοτέρους ποιεῖ: *Fiducia negligentiam, & ignauiam, & inobedientiam inducit: metus autem* (homines) *facit ardentiores, promptiores ad parendum, magisque* (ad bellica administranda) *compositos.* Ioseph. cap. 5. lib. 7. Bell. Iud. Ἰουδαίοις δ' ἐχορήγει τὰς τόλμας, ὅτε περὶ σφῶν αὐτῶν, καὶ τοῦ ἱεροῦ φόβος: *Iudæis audaciam suppeditabat timor, & de se, & de templo.* Cyrillus Alexandrinus in cap. 4. Amos ita scribit. ὑμᾶς αὐτοὺς τοὺς ἐντρυφῶντας, καὶ τοῖς γράμμασιν, καὶ παρ' ἄλλαις εἰωθότας ὁ τοῦ παθεῖν φόβος

D ἐν ταῖς τοῦ πολέμου πόνοις καὶ ἐν ὅπλοις γενέσθαι παρασκευάσει: *Vos ipsos luxuriantes, fractos deliciis, atque voluptuantes timor duri patiendi impellet ad labores militares, & arma capessenda.* Nihil certè magis alienum à luxuria, quàm bellum, & tamen timor voluptuantes quoque ad arma impellit. Probè ergo Iuppiter, *metus suasit arma sequi, ferrum lacessere.* Quippe attentiores in metu homines.

17. Adveniet, &c.] Tres sequentes versus videtur respexisse Petron. cùm scripsit Satyr.

Iam classes fluitare mari, totásque per Alpes

Feruere Germano perfusas sanguine turmas.

Cum sententia Iouis dirimentis nunc bellum, & reseruantis in posterum affinis sententia eiusdem Dei

Imitatio.

E 7. Iliad.

Νῦν μὲν παύσωμεν πόλεμον, καὶ δηϊοτῆτα

Σήμερον· ὕστερον αὖτε μαχήσοντ', εἰσόκε τέκμωρ

Ἰλίου εὕρωσιν:——

Nunc bellum dirimamus, & pugnam

Hodie: post hæc rursus pugnabunt, donec finem

Troiæ assequantur.——

Adduco hìc locum Statij 3. Theb. qui totus hæsit huic Maronis cursui. Ait enim

——*vos*

——vos ô Superi, meus ordine sanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando
Certetis: sic fata mihi, nigreq́; sororum
Iurauère colus: manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populique in prælia nati.

Arcessere tempus.

18. PVGNÆ NE ACCERSITE TEMPVS.] Alij fortasse meliùs *arcessite*, sed cum quibus non pugno. Euripidem in Phœniss. Germanus aduocat, qui καλεῖν τύχην: *fortunam vocare, arcessere.* Sic Tibull. lib. 1. Eleg. 10. *bellis arcessere mortem.* & Lucan. *iam fatum arcessite ferro.*

Carthago cur fera.

19. CVM FERA CARTHAGO.] Illa æmula Romani Imperij, quæ paribus & votis, & viribus Imperium orbis agitauit. Adi Ioan. Mercer. in Comment. ad librum Tertull. de Pallio. Est *fera*, Martia, & bellicosa, vt Horat. Od. 5. lib. 4.

——Quis fera
Bellum curet Iberia?

Itaque non placet, vt Virgilium referas ad feras, & serpentes, quibus scatet Africa.

20. EXITIVM.] Quis hoc ignorat in tanta Polybij, & Liuij (omitto alios) luce?

Immissæ Alpes.

21. ALPES IMMITTET APERTAS.] Vt Alpes aperuerit, & fregerit Annibal, notum ex vtroque Scriptore: & *immittet*, ait, quasi ipsæ immissæ in Italiam, & infusæ, vt loquitur Manilius loquens de eodem Annibale;

——& Libyen Italas infudit in vrbes.

Rectè; nam ex imitatione Virgilij. Vulgariter Claud. de Bel. Get.

Post Alpes iam cuncta sibi promittit apertas.

Et in Gild.

——ruptàque emissus ab Alpe
Pœnus.——

Res rapere.

22. RES RAPVISSE.] Clara allusio ad Romanum morem, quo res per iniuriam acceptæ repetebantur à fecialibus (hi erant oratores, aut, vt Plin. vocat, *legati*, cap. 2. lib. 21.) quæ nisi redditæ essent, bellum denuntiabatur. Attingit hunc morem in Declamat. Liban. vbi Menelaus queritur, Paridem venisse ad bellum, non tamen denuntiato bello. μὴ τὴν ἔχθραν ἐν φανερῷ καταστήσας. Denuntiantis bellum indicia erant (ait Græcus idem) *manum contra attollere, telum emittere, arrepta hasta impetum facere.* Sic enim in persona Paridis, χεῖρα ἀνταιρόμενος, βέλος ἀφιείς, καὶ δόρυ δεξάμενος ἐπιχαίων. Vide & Plaut Amphit. qui de hoc more signatissimè. Sed explico quæ potestas horum verborum, *res rapere*. Nihil aliud, quàm *res repetere.* Liquidum hoc ex comparatione auctorum: nam quod Virgil. *res rapere*, Liuius *res repetere.* Nam lib. 10. *Ad vnum omnes iungendum fœdus cum Lucanis, résque repetendas à Samnitibus censent.* & lib. 8. *Fecialibus Palæpolim ad res repetendas missis.* Aldo & *clarigare*, eiusdem esse potestatis. Præeunt verba Plinij in laudato loco. *Legati cùm ad hostes, clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum,* &c. Dixi *res rapere*, & *repetere*, esse idem; sed quidem hoc latius: neque dubiū quin ista auctores confundant. Pressiùs tamen si loquaris, discrimen est: nam voce repetebantur res, manu rapiebantur. Ideo hoc placuit Poëtæ, vt iam in rupto bello, cum quisque rei suæ manum inicit, & rapit. Inde post clarigationem, id est, repetitionem, iam erat ius prehendendi, id est, rapiendi. Quo sensu Liuius lib. 8. *vt eius qui cis Tyberim deprehensus esset, vsque ad mille passuum pondo clarigatio esset.* Vnde & in antiquo Lexico (Turnebo adscribo) clarigatio explicatur, ἐνεχυρασία, ὁμηρεία, ὁρμαγή: *oppignoratio corporum, obsidum prehensio, raptus.* Possis dicere ἀνδρολήψιον, cùm homines rapiuntur.

Clarigatio.

Venus aurea.

23. VENVS AVREA.] Ἀφροδίτη χρυσῆ, epithetum Veneris ab eius pulchritudine, quo vsus Hom. Lib. etiam 2. Anthol. Κύπριν χρυσῆν. & in Hymno Veneris, ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης. Mimnermus,

Τίς δὲ βίος; τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
Quid vita est? aut quid dulce sine aurea Venere?

Ita & ab Athen. vocatur hæc Dea lib. 13. cap. 26. Sed quæ ratio epitheti? certè splendor oris, nitor, & pulchritudo. Quæ enim nitida, dicuntur aurea. Non certè aureæ sunt niues: atqui Pind. Od. 7. Olym. χρυσαῖς νιφάδεσσι: *aureis niuibus*, id est, splendentibus. De Tritone Hesiod. Theog. ναίει χρύσεα δῶ δεινὸς θεός: *Incolit sæuus Deus domos aureas*, videlicet propter aquarum nitorem. Ita & capiendus *aureus amor* apud Ouid. 1. Remed.

Aurea quæ pulchra.

—— monit amor gemmatas aureus alas.

& χρύσεα ἔλυτρα, apud Theocritum in Epithal. Helenæ. Inde (credo) mulierculam illam Achillis *Chryseida* Homerus dixit. Sic & apud Poëtas obscœnos, & ithyphallicos erat χρύσεος παῖς: *puer aureus.* Inde *aureum* prouerbialiter pro re omni læta. Theophyl. lib. 1. Hist. cap. 12. χρυσῆς ἑορτῆς καταλαμπούσης: *illucente aurea celebritate*, id est, pulchra, & festa. Quam Prouerbij formam ad Venerem aptat Scholiastes Pindar. χρυσέα φόρμιγξ, ἀντὶ τοῦ τιμία κιθάρα, ὡς χρυσῆ Ἀφροδίτη: *Cithara aurea, id est, pretiosa, vt Venus aurea.* Horat.

Aureum, prou. pro re omni læta.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,

id est, tota blanditiis diffluente. Sed cùm vox hæc aliis à Venere attribuatur propter pulchritudinem, nemini æquius, quàm ipsi, quæ *Venus*, quasi *venusta*. Scio alios aliunde deducere. Cuius in Venere locutionis initium sumptum ab aureo Deæ huius simulacro, quod esset in Ægypto prope Memphin, facilè mihi persuadet Iustinus Martyr.

Venus vnde dicta aurea.

[a] O pater, ô hominum, Diuûmque æterna potestas
(Namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus?)
[b] Cernis vt insultent Rutuli, Turnúsque feratur
Per medios insignis equis; tumidúsque secundo
Marte ruat; non clausa tegunt iam mœnia Teucros:
Quin intra portas, atque ipsis prælia miscent
Aggeribus mœrorum, & inundant sanguine fossæ.
[c] Æneas ignarus abest; nunquámne leuari
Obsidione sines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Troiæ, nec non exercitus alter.
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis

Tydides, equidem (credo) mea vulnera restant,
Et tua progenies mortalia demoror arma.
[d] Si sine pace tua, atque inuito numine Troës
Italiam petiêre, luant peccata, neque illos
Iuueris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ Superi, Manésque dabant, cúr nunc tua quisquam
Flectere iussa potest? aut çur noua condere fata?

ARGVMENTVM.

Veneris in Iunonem oratio, qua explicat, quo tumore sit Turnus in Troianos, in quas isti calamitates coniecti, quæ augentur absentia ducis Æneæ, & nouo Diomedis conatu, qui timebatur, quo loci egregium mouet πάθος à persona sua. Ait postea Troianos dignos esse patrocinio Iouis, quo auctore in Italiam venerint.

EXPLICATIO.

[a] CAPTAT Iouem duobus primis versibus vocans tum patrem, tum Deorum atque hominum potentem, ídque ab æterno, quibus mirè Iouem describit. Nam qui *pater*, qui *Diuûm, atque hominum potestas*, hæcque *æterna*; nemo, nisi Iuppiter. Ab quibus titulis nemo, nisi tu implorandus. Debes vt pater, debes vt potens, vt pater mihi prospicere, vt potens hostes meos proturbare.

[b] Nota mentem Poëtæ. Duo dixerat Venus, *pater* es, *potestas* es. Nunc igitur tanquam ad patrem loquitur denarrans miserias, in quas coniecti Troiani: dictura postea, quæ ad potestatem pertinent. Ergo Rutuli insultant, Turnus tutò equis fertur, immò ruit tumidus, quia illi Mars secundus: Troiani contrà non mœnibus teguntur, etiam clausis; nam prælium est intra ipsas portas, ínque ipsis murorum aggeribus, adeò vt fossæ quoque inundent sanguine: harum cladium testis tu ipse Iuppiter, qui cernis. Qui velit hæc perfectè capere, adeat exitum superioris libri.

[c] Accedit tot incommodis absentia Æneæ, qui vnus his malis mederi potuisset. Quid igitur Troianis miserius, qui clausi, & afflicti, qui sine duce & Principe, qui cum hostibus & feroci illorum duce? Vide deinde affectus sequentes, vt patrem moueat, quibus admista argumenta calamitatum. Primus à perpetua obsidione, qua Troiani pressi in Asia, & Italia, ibi à Græcis, hîc ab Rutulis. Et quia nota quæ gesta in Asia, explicat quæ geruntur in Italia. Ergo *muris iterum imminet hostis*. Turnum signat, *nascentis Troiæ*, inuidiosè, vix nata est, & iam periclitatur, *nec non exercitus alter*, id est, exercitus Diomedis, qui vetus hostis Troiani nominis. Sequitur alter à persona eiusdem Veneris affectus, qui potissimus, nam præcedente mentione Diomedis reuocat in memoriam vulnera, quæ sibi ab hoc duce inflicta in Troiano bello, & illa ait se timere, quod indignum, cùm sit Iouis filia. Quid enim indignius, quàm Deam lædi mortali vulnere? armis mortalibus? *Demoror arma*, est, expecto.

[d] Æquissima est Venus hoc postulato. Si te inuito Italiam venêre, luant hoc peccatum, neque te habeant propitium in hoc bello: sin te ducente, & secuti fata superorum, atque inferorum Numinum, quis iam Deorum (notat Iunonem) te potest flectere? quis, nisi tu, condere noua fata? an alius supra te? Aliqui legunt, *venere*, commodiùs, vt dicat Venus: Euerti pateris tua decreta, & pessumdari vxoris tuæ causà, verè tu vxorius es, ô Iuppiter.

NOTÆ.

1. O PATER, O HOMINVM, &c.] Est hoc, quod 1. Æneid. *Diuûm pater, atque hominum Rex*; & alibi: *hominum sator atque Deorum*. Ennius apud Varr. lib. 6. Ling. Lat. aliter disponit has voces, *Diuûmque hominúmque pater, Rex*. Ouid. 2. Trist. pro his alias substituit, — Iouis elogia.

Iure igitur genitórque Deûm, rectórque vocatur

vbi prior respondet patri, posterior Regi. & 3. Metamorph. ita ait:

Ille pater, rectórque Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Alij *imperium* maluerunt ad Iouis potestatem signandam. Nam in Prolog. Ruden. Plautus. *Imperator Diuûm, atque hominum*. & Horat. Od. 4. lib. 3.

Diuósque, mortalésque turbas
Imperio regit vnus æquo.

Quod sumpsit à Virg. qui 1. Æneid. *Æternis regis imperiis*. Velim conferat Lector exordium huius orationis cum infinitis aliorum Poëtarum, & videbit nihil grandius dici de Ioue posse, dabítque palmam huic Vati. Duas illas potestates Iouis in Deos, & homines complexus est Hom. 2. Iliad. nam de hoc Deo, ὅς τε θεοῖσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.

2. DIVVMQVE ÆTERNA POTESTAS.] Hom. οὗ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Poëta inf. *rerum cui summa potestas*.

NAMQVE ALIVD QVID SIT, QVOD IAM IMPLORARE QVEAMVS?] Præclarè, *Diis pro meliore stantibus causa*, dixit Alexander apud Curt. lib. 4. Quis ergo nisi Deus implorandus? quod aliud tutum confugium? Rectè etiam dixit Sophocles in Electra, in rixis non contendendum cum hostibus, sed iram totam committendam Ioui. Subiungo versus aureos ad rem Veneris confugientis in summa ira ad vnum Iouem contra hostiles machinas Iunonis, — Deus implorandus in omni malo.

Θάρσει μοὶ, θάρσει τέκνον.
Ἔςὶ μέγας ἐν οὐρανῷ
Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα, καὶ κρατύνει.
Ὧι τὸν ὑπεραλγῆ χόλον νέμουσα
Μήθ᾽ οἷς ἐχθαίρεις
Ὑπεράχθεο, μήτ᾽ ἐπιλάθου:
Bono mihi animo, bono esto filia.
Est enim magnus in cœlo
Iuppiter, qui intuetur omnia, & gubernat:
Illi vehementem iram tuam committe,
Neque inimicis tuis
Nimiùm succenseas, nec obliuiscaris iniuriæ tamen.

Quadrant hæc vnicè in Venerem, quæ neque iniuriæ obliuiscitur, imò sæpe repetit mala, quæ à Iunone acceperit; non tamen cum illa quicquam, sed rem

rem totam ad Iouem reiicit, ἐξ οὗ πάντα πέλονται, ait Calaber lib. 2. *à quo omnia existunt.*

Insulto, verbum canum. 3. INSVLTENT RVTVLI.] Verbum hoc sumptum à canibus, cùm in prædam insiliunt, & inde transferri ab hostes, dixi iam 2. Æneid. atque etiam 8. ad illud, *huic capiti insultans.* & hîc noto, vitia à Virgilio insinuari, non exprobrari. Homero non satis fuisset insultatio, nisi canem diceret, vt millies in Iliade. Et, quod miror, Helena seipsam κυνα vocat 6. Iliad. & alibi κυνώπιδα. Nunquam se ita debuit demittere. Quin Iris 8. Iliad. Palladem vocat canem, & nescias quo iure, neque enim hoc in mandatis à Ioue acceperat, & de suo addidit. Itaque nulla est defensio interpretum. (Homeri vitium.)

Imitatio. 4. TVRNVSQVE FERATVR, &c.] In summa queritur, prælatum Turnum Troianis. Similes querelæ apud Homer. creberrimæ. Quoties enim rem feliciter gerunt Troiani, statim Dij Græcorum ad Iouem queruntur, & contrà. Talis & illa apud Claud. querela Romæ in 4. Cons. Hon.

Vestra parens, Auguste, queror. quonam vsque tenebit
Prælatus mea vota Liger? ——

Fluuium comparatio. 5. TVMIDVSQVE SECVNDO MARTE RVAT.] Duo hîc nota, locutionem, & sententiam. Locutio sumpta à fluminibus, quibus congruunt tres istæ voces, *tumor*, *secundus*, *ruo*. Cùm enim tument & turgent flumina, scis ipse quo impetu ruant in deuexum: talis igitur Turnus. Et quidem impetum virorum fortium fluminibus comparari alibi latiùs aperui. In promptu est Hom. qui quinta Iliad. Diomedis virtutem ita comparat:

Θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικώς:
Currebat per campum fluuio vndanti similis.

Tumor de aquis. Fluuium hunc χείμαρρον vocat. Et certè *tumorem* de aquis dici (nam alia duo notissima) efficiunt Soph. & Eurip. prior in Antig. ἅλος οἶδμα. posterior conuersim in Hecuba, οἶδμ' ἁλός. Sed iam ad sententiam, quæ ait, tumorem, & superbiam nasci ex secundis rebus. An quicquam verius? Ammian. lib. 21. *Iulianum successibus tumidum.* Sallust. in Iugurth. *Plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.* Theophylactus lib. 6. Hist. Mauricij cap. 11. ὁ μὲν οὖν βάρβαρος φρονηματισθεὶς ἐπὶ τοῖς αὐτῷ συγκυρήσασι λίαν ὑψαυχενίζετο: *Barbarus propter secundas res conceptis spiritibus plurimùm superbiebat.* Et lib. 5. cap. 11. βασιλεὺς δὲ Χοσρόης ἐπὶ τοῖς συντυχθεῖσιν αὐτῷ καλλυνόμενος: *euentis Rex Chosroës felicissimis superbiens.* Iosephus cap 14. lib. 7. Bel. Iud. ἀλαζονεία δ' ὡς ἐπ' ἀγαθοῖς: *arrogantia tanquam in rebus secundis.* Pulcherrimè dixit Plutar. in vita Luculli, ὅτι σώματος παντός ἐστι πολὺν ἄκρατον ἐνεγκεῖν, οὐ τι διανοίας τῆς τυχούσης ἐν εὐτυχήμασι μεγάλοις μὴ ἐκστῆναι τῶν λογισμῶν: *Non est cuiusuis corporis multùm vini ferre, neque vulgaris animi in magnis successibus non exire de potestate.* Silius lib. 2. *tumefactáque corda secundis.* Omisi Solonem, Theognidem, Thucydidem, Philistum, quos componit Clemens lib. 6. Strom. Vt verè tumor de animo, ita Ioan. Chrysost. Orat. 1. de Dei natura, τὴν διάνοιαν οἰδοῦσαν καταστεῖλαι: *tumentem mentem reprimere.* (Secunda inflant. Tumor de animo.)

Tego, militare. 6. TEGVNT.] Militare verbum, & inde *tegmen* pro scuto. Sallust. Iugurth. *neque virtus, neque arma satis tegere*, id est, tegebant: Iterum; *armis libertatem, patriam, parentésque, & alia omnia tegi.*

Misceo, verbum militare. 7. PRÆLIA MISCENT.] Hoc quoque verbum militare. Apollonius lib. 2. χερσὶ χεῖρας ἔμιξε: *manus manibus miscuit.* ibid. Ἀμαζονίδεσσιν ἔμιξαν ὑσμίνην: *miscuerunt pugnam cum Amazonibus.*

ἐνδιάδυσις. 8. AGGERIBVS.] Simpliciter cape pro muris: est enim ἓν διὰ δυοῖν. Itaque *aggeres murorum*, sunt ipsi muri, vt fluuius Padi, est Padus. Nam recurrere ad exactam *aggeris* significationem, otiosum est in hoc loco.

Mœri, pro, muri. Oe olim, pro, v. 9. MOERORVM.] Legunt alij *murorum*. Possunt. Sed ex vet. lib. *mœrorum* retinui, & ita etiam Seruius legit. Sanè veteres, *œ*, enunciabant pro, *v*, Sic *cœrator*, pro *curator*, sic *Pœnici*, pro *Punici*; sic etiam *œti*, pro *vti*. Festus in voce *publica* ita ait, *In ponderibus publicis, quibus hac tempestate populus œtier solet*, pro, *vti solet.* Hanc enim veterem Festi lectionem defendunt Iosephus Scaliger, & Gifan. in indice Lucret. aitque postremus malè emendari *vtier*. Sic & olim *lagœna* dicta; vnde nunc *laguncula*, & *mœnire*, pro *munire*. Plaut. Capt. *vinclis mœniti sumus*, pro, *muniti*. Sed de *mœris* pro *muris*, testis Lucret. qui lib. 4. *exesor mœrorum littora circum.* Idem lib. 2. *eximis mœnita locis*, non *munita*; vt etiam notat Paschal. lib. 7. Cor. cap. 3. Varro lib. 5. Ling. Lat. *in arce classicus canat tum, circúmque mœros.* Plaut. Pseud. *Oppidum admœnire.* Ennius; *rate mœrata.* (Oetier, pro vtier.)

Sanguine inundare. 10. ET INVNDANT SANGVINE FOSSÆ.] Ad vberem cædem explicandam. In clade Solymorum Ioseph. adhibet δαψιλέστερον αἷμα τοῦ πυρὸς: *largiorem igne sanguinem.* Itaque quamuis omnia arderent, tamen largior sanguis, vt sic indicet, magnam fuisse cædem. Et cap. 16. lib. 7. αἵματι δ' ὅλην τὴν πόλιν κατέκλυσαν: *omnem ciuitatem sanguine perluerunt*, & adiicit idem incrementum hoc, ὡς πολλὰ τῶν φλεγομένων σβεσθῆναι τῷ φόνῳ: *adeò vt cæde extinguerentur multa, quæ ardebant.* De clade eorumdem Solymorum Cyrill. in cap. 2. Ioëlis num. 36. αἵματι γὰρ ἡ πᾶσα μὲν αὐτῶν κατερράνθη χώρα: *Tota eorum regio inundauit sanguine.* Hom. 8. Iliad. ῥέε δ' αἵματι γαῖα: *fluebat tellus sanguine.* & 12. Iliad. persequens magnam cædem,

Πάντη δὴ πύργοι, καὶ ἐπάλξεις αἵματι φωτῶν
Ἐρράδατ' ἀμφοτέρωθεν ἀπὸ Τρώων, καὶ Ἀχαιῶν:
Vbique verò turres, & pinnæ sanguine virorum
Aspersæ erant vtrinque à Troianis, & à Græcis.

Et libro 10. ἐρυθαίνετο δ' αἵματι γαῖα, ad indicandam cædem magnam, *rubebat tellus sanguine.* Legebam in Hom. ἐρυθαίνετο, quia sic in bonis codicibus, & hoc verbum in vsu Homeri, non solùm ἐρυθραίνω. & 17. αἵματι δὲ χθὼν δεύετο πορφυρέῳ: *madebat terra omnis purpureo sanguine.* Calab. lib. 1. τὸ δ' ἐρεύθετο Τρωϊον οὖδας: *purpurascebat Troianum solum.*

Dux absens ab exercitu. 11. ÆNEAS IGNARVS ABEST.] Incommodum hoc esse exercitui quis neget? ideo in querelis suis hoc Venus. Florus lib. 4. *Nec illis ad vltionem deerat animus, sed ducem non habebant.* In Tacito legis lib. 1. Ann. *nihil ausuram plebem Principibus amotis.* Non minùs itaque dux bello necessarius, quàm choro κορυφαῖος, quàm nautis κυβερνήτης, vt loquitur Ioan. Chrysost. Hom. 23. etiamsi in re longè alia; & addit rationem: ἐπὶ μὲν τοῦ χοροῦ, καὶ τοῦ πλοίου, πολὺ καὶ τοῦ κόσμου, καὶ τῆς ἀσφαλείας ἡ τῶν προεστώτων ἀπουσία παρέσπασε πολλάκις: *in choro, & naui eorum, qui præesse debent, absentia multùm sæpe tum ornamenti, tum salutis detrahit.* Quæ duplex ratio vnicè pro duce exercitus.

Leuari obsidione. 12. LEVARI OBSIDIONE.] Sic contrà, *premi obsidione*, in Latinis auctoribus, Liuium, & Curtium intelligo.

Minimis obsistendum initio. 13. NASCENTIS TROIÆ.] Hoc scilicet volebat Iuno; sciebat enim minimis obsistendum, & nondum plenè adultis. Grauiter Ioan. Chrysost. Homil. 19. ad populum. τὸ γὰρ ὀλίγον τοῦτο ἀμεληθὲν καὶ τὸ λοιπὸν ἅπαν καθαιρεῖ: *Hoc quod minimum est, neglectum euertit omne, quod deinde est reliquum.* Firmat triplici exemplo, domus, quæ tota perit ab vna excussa

cussa tegula; vestis, quæ it pessum ab scissura parua non resarcita; fluminis, cui si paruum aditum præbeas, totum deinde intromittit fluentum. Sic ergo nascenti Troiæ obsistendo putabat fore Iuno, ne cresceret in molem Romani Imperij. Sed mitto hoc, parabilis quippe eruditio ista.

Arpi. 14. ÆTOLIS SVRGIT AB HARPIS.] Sunt Harpi, aut Arpi in Apulia, & dicuntur Ætoli ab conditoribus. Sic Cumæ, quæ in Italia, Euboïcæ dicuntur: sic Carthago, quæ in Africa, Punica à Phœnicibus. Et *Arpi* quidem corruptione vocis, quia priùs *Argos hippium*.

15. MEA VVLNERA.] Allusum ad vulnus, quod iam sibi inflictum à Diomede in bello Troiano: vel (vt meliùs dicam) non allusum: tantùm enim Poëtæ quæsita occasio est reprehendendi Homeri. (Homeri vitium.) Inducit hîc vulneratam Venerem nullo decoro. Est enim hoc cœlestibus indignum, ac proinde Dio Chrysost. Orat. 11. Homerum grauiter reprehendit. Ergo abnuens similem ineptiam in bello suo Maro dicit ore Veneris, *equidem (credo) mea vulnera restant*, & id ironicè; quasi dicat Maro. Nemo credat restare hæc vulnera, neque à me expecter parem ἐυήθειαν. (Credo, ironicum.) Certè & Latinis *credo*, & Græcis οἶμαι ironicum est. Locum Hom. de hoc vulnere affero lib. 11. Par inscitia Iliad. 15. vbi Mars de se ait, percussum se fulmine, debere κεῖσθαι ὁμοῦ νεκύεσσι μεθ' αἵματι, καὶ κονίῃσιν: *Iacere vnà cum mortuis inter sanguinem, & pulueres.* Ouid. ore Veneris ad Homerum A aspirauit. lib. 15. Metamorph.

Soláne semper ero iniustis exercita curis,
Quam modo Tydidæ Calydonia vulneret hasta?

16. PACE.] Signatissimè, nam hanc semper in aggressu omni Gentiles præfabantur. (Pacem præfabantur Gentiles.) Adi Briss. Ergo indicat Venus præfatam Iouis pacem ante cursum in Italiam, neque aliter adnauigatum.

17. PETIERE.] Hoc verbo expresse vsus Virgilius hoc loco, quo petulantia innuitur: nam à *peto*, *petulans*; & quidem verbum *peto* vsurpari in aggressu, & vi alibi monui. (Peto quid signet. Petulans vnde.) Indicat itaque Venus, cursum istum in Italiam, dici posse aggressum, & inuasionem, nisi annuissent numina.

18. RESPONSA SECVTI.] Habentur hæc Æneid. B secunda, tertia, quinta, ore Creusæ, Apollinis, Anchisæ. (Æneæ fata.) Nam Creusa, *ad terram Hesperiam venies*. Apollo consultus in Delo, *Antiquam exquirite matrem*. Anchises ad filium:

——Gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est.——

Homer. 8. Iliad. homines aduectos fatis in aliam terram vocat κηρεσσιφορήτους, & soluta dictione, ὡς κῆρες φορέουσι.

19. QVISQVAM.] Cùm notet Iunonem, tamen *quisquam* dicit; nam *quis*, & *quisquam*, atque etiam *quisquis* vtriusque est generis, masculi, & feminei. (Quisquam vtriusque generis.) Dixi iam 2. Æneid. versu 141. Nota 8.

20. FLECTERE IVSSA.] Pari potestate in 7. Æneid. *Flectere superos.*

[a] Quid repetam exustas Erycino in littore classes?
Quid tempestatum Regem, ventósque furentes
Æolia excitos, aut actam nubibus Irim?
[b] Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) mouet: & superis immissa repentè
Alecto, medias Italûm bacchata per vrbes.
[c] Nil super Imperio moueor: sperauimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mauis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux
Dura, per euersæ genitor fumantia Troiæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Æneas sanè ignotis iactetur in vndis,
Et, quamcunque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
[d] Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæq; domus: positis inglorius armis
Exigat hîc æuum. Magna ditione iubeto
Carthago premat Ausóniam, nihil vrbibus inde
Obstabit Tyriis. [e] Quid pestem euadere belli
Iuuit, & Argolicos medium fugisse per ignes?
Tótque maris, vastæq; exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri, recidiuáque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troia fuit? Xanthum, & Simoënta
Redde oro miseris: iterúmque reuoluere casus
Da Pater Iliacos Teucris.

ARGVMENTVM.

Explicat Venus quæ infanda Iuno in Troianos olim molita, & denuò moliatur. Reliqua dari permittit pessum, dum Ascanius seruetur. Conatur Iouem peruincere à futorum decreto, quo salus Italiæ posita in Troianis contra Annibalem; à laboribus exhaustis hactenus, qui irriti, nisi Troiani Italia potiantur: desinit ingenti affectu charitatis erga patriam.

EXPLICATIO.

[a] HÆc iam ad Iouem vti potentissimum, vt insultantem Iunonem coërceat. Narrat itaque labores in quos coniecti Troiani Iunonis improbitate, & iris pertinacibus. Principe loco commemorat vstionem nauium, quæ facta in Sicilia, quam signat per Erycinum littus, ita dictum ab Eryce. Habentur hæc quinta Æneide. Deinde tempestatem, qua Æolus Troianos afflixit, quæ habetur prima. Tertiò bellum, quod in Ascanium exarsit, monente Iride, quod habetur nona. Neque enim admitto Seruium referentem hoc ad lib. 5. vbi missa Iris ad vstionem nauium; nam recurreret Poëta, quod vitiosum puto, vel debuisset iungere cum exustis classibus.

[b] Hæc olim passi Troiani, nunc autem acerbius quiddam, & hactenus intentatum: excitatur quippe Alecto (habetur hoc septima Æneide) ab inferis bellum inflammatura, vagatúrque per vrbes Italûm bacchabunda: neque enim contenta est Iuno, nisi Manes etiam mouerit.

[c] Addit Venus id, quod efficacissimum. Qui sunt in magno rerum discrimine pro salute tunc pugnant omissis aliis. Ideo ergo Venus ait, non iam se Imperio moueri, fortuna res agitante pro libidine, & qua ductrice ista speranda: tantùm de salute nepotis curare. Sed vide quàm viuidè rem gerat, & expende aliqua. Ait, *genitor*, opponens præcedenti voci *coniux*; quasi dicat: Si hoc coniux negat, ac tu meus es *genitor*, quod strictius vinculum, obtineat aliquid à te *filia* contra voluntatem coniugis. Deinde obtestatur *fumantia euersæ Troiæ excidia*, vt Iuppiter doleat calamitates perpetim continuari. Adhuc fumat Troia, & iam vocamur ad mala alia; teneat te ergo tantorum malorum misericordia. Tertiò nota illa, *Æneas*, &c. contemnit enim salutem filij præ salute nepotis: nam ille adultus, & iam cum generis propagatione, hic adhuc puer, qui si bello periret, nulli deinde futuri Cæsares; nam isti ab Ascanio. Ergo iactetur Æneas, ludat cum illo fortuna: sed viuat Ascanius, tegam illum, subducam pugnæ; nam ab illo Cæsares oriundi: quasi non tam de se Venus, quàm de Cæsaribus sit anxia.

[d] Annectuntur ista superioribus, *si nulla est regio, Teucris quam det tua coniux*; quasi dicat: intercludat mihi loca alia non meæ ditionis: atqui Amathunta, Paphon, Cythera, Idalium non poterit. Lateat hîc Ascanius etiam sine gloria armorum. Quod si fiat (est hoc, ô Lector, eximium quiddam in laudem Romanorũ) iubebis proinde, vt tutò Carthago Italiam futuro æuo opprimat, non ibi Annibali resistentibus Romanis, qui à meo Ascanio genus ducent. Indicat certè à nemine alio opprimi posse Annibalem, quàm à Romanis: ac proinde Carthaginenses futuros terrarum dominos, si Romani non sint, qui ab Iülo nascantur.

[e] Recurrit ad præteritam fortunam, vt denuò vigeat mentem Iouis. Frustra euitata pericula Troiani belli, & Græcorum ignium: frustra *exhausta*, id est, exantlata alia in terra, in mari, pro vno obtinendo Latio. Hoc si negetur, quid à te tandem effectum est? nihil, vt video. Satius ergo fuisset, perstitisse in Troiano cinere, & si tandem coniux mentem oppugnat tuam, nos iisdem locis restitue, vnde excidimus, etiamsi denuò Troiani labores renouentur.

NOTÆ.

1. CLASSES.] Ad incrementum orationis vsus est tropo; sine illo in 5. Æneid. *da flammam euadere classi.* Neque verò otiosè, *exustas classes*, nam assignat materiam ignis, id est, ligna. Classis enim ἀπὸ τῶν κάλων, id est, *lignis*, inde *calones*, lignatores: & inde *classici*, lib. 11. Codic. tit. 12. destinati ad classes, id est, naues ducendas, quasi dicas, lignarij ad ligna. Inde & *classici præcones*, qui populum tuba ad Comitium vocabant. Falluntur enim, vt puto, qui hos ducunt à *calando*, id est, vocando. Non sic est, sed à lignis, quia rudi æuo *Classis vnde dicta.* *Classici præcones, vnde dicti.*

Non tuba directi, non æris cornua flexi,

ait Ouid. 1. Metamorph. Itaque vocatur populus tubis ligneis, & nescio cur tandiu hic error in vniuersis hæserit. Nam, cur, obsecro, classicos nauticos à lignis ducunt, non classicos præcones?

2. TEMPESTATVM REGEM.] Æolum. Plin. lib. 3. c. 9. rationem adducit, cur Æolus Rex tempestatum; nam regnauit in Strongyle, quæ flammas eructat, *è cuius fumo quinam flaturi sint venti in triduum prædicere incolæ dicuntur, vnde ventos Æolo paruisse existimant.* Hinc capies versum illum Seueri in Ætna. *Æoli Regnum.*

Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Nam στρογγύλος, *rotundus* est, sed de rebus, & Regno Æoli latius 1. Æneid. Potestatem, κράτος θαλάσσης, vocant Græci, intérque eos Cyrillus Alexandrinus Comment. in Ionam cap. 1. *Strongyle insula.*

3. VENTOSQVE FVRENTES.] Ab hoc furore dicti *phrenetici*, à Varrone in Marcip. *Venti phrenetici.*

Venti ab axe frigido tum eruperant
Phrenetici Septentrionis filij,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrot.

Vide Hippocratem lib. de Flatibus discriminantem inter flatum, aërem, ventum. Adducam quæ de vento; nam ad rem Poëtæ commemorantis nauium procellas: ἄνεμος γάρ ἐστιν ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα. ὅταν οὖν πολὺς ἀὴρ ἰσχυρὸν τὸ ῥεῦμα ποιήσῃ, τὸ πλῆθος κυμαίνεται, ὁλκάδες τε αἱ ἄπειροι τῷ μεγέθει ἐς ὕψος διαρριπτοῦνται: *Ventus est aëris fluxio, & effusio. Cùm igitur copiosius aer vehementem fluxionem fecerit, mare æstu fluctuat, & immensæ naues onerariæ in altum iactantur.* *Ventus quid.*

4. SORS RERVM.] Seruius commodè explicat, Regnum inferorum, quia sors tertia Plutonis. Itaque commouerat iam Iuno cœlum, terras, mare contra Troianos, iuxta illud lib. 1. *Sors tertia, i. inferni.*

Quæ mare nunc terrásque metu, cœlúmque fatigat.

Infernus restabat, hic iam commouetur, & hoc queritur Venus, ideo *intentata sors*, id est, Regnum inferorum. Ad quem modum locutus Claud. libro 1. Rapt. vbi Pluto ipse,

Tertia supremæ patior dispendia sortis.

De eodem Deo Hom. Iliad. 15. Ἀΐδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα: *Pluto autem sortitus est caliginem obscuram.* Scias tamen de hac Deorum sortitione nihil dici verum posse, adeò omnia deformata sunt fabulis, & mendaciis. *Deorum sortitio.*

daciis. Primò, quia fors tertia, quæ esse Plutonis dicitur ab Claudiano, & aliis, ab Auctore Hymnorum assignatur Neptuno, tanquam infernus mari præstaret, & ille secundæ esset sortis, hoc tertiæ. Versus, quem noto, est hic:

Neptunus Deus inferorum.

Ὃς τρίτα τῆς ἔλαχε μοίρης ζαθὺ κῦμα θαλάσσης:

Qui tertiæ sortitus partis profundam aquam maris.

Loquitur videlicet cũ Neptuno. Hic versus Orpheo tribuitur. Dixi primum ἄλογον. Deinde Homerus 15. Iliad. in ipsa adhuc Iouis sorte varius est ab aliis: nam illi tantùm sorte dicit cœlum contigisse, non Olympum, cùm alij nihil discriminent. Locus quem noto, hic est:

Cœlũ aliud ab Olympo.

Ζεὺς δ᾽ ἔλαχ᾽ οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι, καὶ νεφέλῃσι,
Γαῖα δ᾽ ἔτι ξυνὴ, καὶ μακρὸς Ὄλυμπος:——

Iuppiter autem sortitus est cœlum latum in æthere, & nubibus,
Terra verò communis est omnium, & altus Olympus.——

Tertiò, Callimachus Hymno Iouis ait diffidens ab Homero, & aliis, neque cœlum, neque Erebum sorte vlli prouenisse; nam nemo (inquit) nisi stupidus vellet sortem iaci de rebus longè distantibus, nam sors ἐπ᾽ ἰσαίῃ esse debet, id est, *de re æquali*: ac proinde ait; cœlum Ioui contigisse potentia, & virtute, non sorte. Et de Poëtis, qui locuti sunt de his sortibus, ita ait:

Δηναιοὶ δ᾽ οὐ πάμπαν ἀληθέες ἦσαν ἀοιδοί:
Prisci nullo modo veraces fuerunt Poetæ.

Poëtæ veteres mẽdaces.

Volui ista delibare, vt terream; si possem, quosdam eruditulos, qui plus iusto quærendis fabulis incumbunt, quæ mera mendacia: vera enim eruditio posita in indagandis moribus, vnde loca auctorum eluceant.

5. MOVET.] Nam dixerat in 7. Iuno,
Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Ceterùm simile argumentum conficit Bacchus apud Stat. 4. Theb. Nam sicuti hîc Venus ait, post diras clades, nunc hanc de nouo accedere: ita Bacchus de eadem Iunone hunc in modum queritur,

Imitatio.

Usque adeóne parum cineri data mater iniquo?
Natalisque rogi? quæq; ipse micantia sensi
Fulgura? relliquias etiam, fusaq; sepulcrum
Pellicis, & residès ferro petat improba Thebas.

6. SVPERIS.] Nescio cur Seruius explicet, Diis: quod frigidè elicit ex illo lib. 7. *& cœli conuexa per auras.* Veri hîc *superi* sunt homines, qui ita dicti cum relatione ad inferos. Virg. 4. Georg.

Superi de hominibus.

Redditáque Eurydice superas veniebat ad auras.

quo loci vide me. Et quidem statim se Poëta explicat, cùm adiicit,

——— *medias Italũm bacchata per vrbes.*

7. IMMISSA ALECTO.] Tanquam nocumentum, & clades; nam verbo huic sæpe hæc vis. Suprà de bello graui Annibalis:

Immitto, verbum nocumenti.

——— *atque Alpes immittet apertas.*

Perperàm Poëta quidam de Rege bono, & salutari:

Immisit cœlum Regem, sæcla aurea terris.

Debuisset, *Cœlum demisit Regem.*

8. BACCHATA.] Non solùm intelligit μαινομένην, *insanam, & furentem*: sed luxuriantem, ac lasciuientem bello; nam Furiæ gaudere malis dicuntur à Virgilio, Statio, Seneca Tragico, & Claudiano; & affectus lasciuiæ hæret in verbo *bacchor.* Lampridius in Commodo: *In Palatio per conuiuia & balneas bacchabatur.* Lucret. lib. 5. de lasciuientibus feris;

Bacchor, in affectu lasciuiæ.

——— *atque animal propè certo tempore fudit* (terra)
Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim.

Id est, lasciuit. Itaque Virg. *bacchata Alecto*, dixit ad eum modum, quo Theophylactus libro tertio Histor. cap. sexto. τῷ πολέμῳ σπαταλῶντος: *luxuriante bello*; nam σπαταλᾶν verbum est deliciarum.

9. VRBES.] Latinium, Ardeam, & alias, è quibus conducti milites.

10. SPERAVIMVS ISTA.] Explico, timuimus. De hac re iam latè prima, & quarta Æneide.

Spero, pro, timeo.

11. DVM FORTVNA FVIT.] Quæ cùm in omnibus rebus, tum maximè in bello dominatur, ait Tullius. Iosephus capite decimosexto libri septimi Belli Iudaic. illam vocat συστρατιῶτιν, quasi *compugnantem & commilitantem*: ac proinde in bello maximè timenda est.

Fortuna in bello dominatur.

12. VINCANT QVOS VINCERE MAVIS.] Victoria quippe semper alternans. Hom. 6. Iliad. νίκη δ᾽ ἐπαμείβεται ἄνδρας: *Vicissim victoria viros repetit.* Rem hanc alibi illustro copiosiùs. Hîc ditabo pauperem notam obseruatione quapiam. Quam Latini dicunt *aleam* ad signandam ancipitem victoriam, & Martem dubium, Græci ab eodem ludo tesserarum dicunt κύβον, *cubum.* Itaque pro illo trito apud nostros, *iacta est alea*; possis dicere, *iactus est cubus.* Profero Æschylum qui ἐν Ἱκέτ.

Fortuna alternans.

Cubus iactus est.

Ἐλέγχει δ᾽ ἐν κύβοις Ἄρης κρατεῖ:
Mars indicabit rem in cubis.

Id est, Mars, qui incertus est, rem patefaciet. Addit Poëta, *quos mauis*, in quo allusum ad tritam formam, *cum Deo vincendum*: quia nulla, nisi volente illo, victoria. Soph. in Elect. ταῦτα γὰρ φέρει νίκην: *ferunt hæc victoriam*, videlicet Apollinis iussa; nam hæc præcesserant. Titus apud Iosephum cap. 16. lib. 7. Bell. Iud. σὺν θεῷ γ᾽ ἐπολεμήσαμεν: *Deo planè adiuuante pugnauimus.*

Deus pater victoriarũ.

13. DVRA.] Refero ad diuturnas, & pertinaces iras Iunonis; nam hæc potestas hæret huic voci. Ita accipio Plautum Curcul. *Pugnis rem soluant, si quis poscat durius.* id est, pertinacius. Imò, si expendas, duritia omnis diuturnitatem in se includit, & hanc notat. Sic *durum ferrum* ab diuturno eius vsu; & infinita alia. Sic Horat. Od. 24. lib. 3. *Durataq; solo niues*, quia non solutæ, & diu concretæ.

Durum, de quo dicatur.

14. FVMANTIA.] De vrbe Troia Euripides Hecub. ἡ νῦν καπνοῦται, *quæ adhuc fumat.* De præsenti quoque 3. Æneid. *fumat Neptunia Troia.* Ita viuidiùs repræsentatur clades, quàm si diceretur de elapso tempore. Iosephus capite quinto lib. 5. Bell. Iud. ait semper durare vestigia Sodomitici incendij; nam adhuc (inquit) poma, quæ inde carpuntur, εἰς καπνὸν διαλύονται, καὶ τέφραν: *dissoluuntur in fumum, & cinerem.*

Sodomorũ poma.

15. HVNC TEGERE, &c.] Homeri locus ex Iliad. 16. vbi Iuppiter cogitat Sarpedonem filium viuum adhuc rapere à lacrymosa pugna, ne à Patroclo interficiatur, ζωὸν ἐόντα μάχης ἄπο δακρυοέσσης ἀρπάξας. Itaque quod Homerus ἁρπάξας, Virgilius *subducere*, quod ille μάχης δακρυοέσσης, hic *dire pugnæ*, non *dure*, quasi nepotem Deæ interfici dirum esset, & ominosum, & contra cœlestium iura. Hæc sanè mens Poëtæ; nam aliter *duræ* diceret.

Imitatio.

Dira pugna qua mente Virg.

16. SVBDVCERE.] Homerus libro 11. Iliad. Ἕκτορα δ᾽ ἐκ βελέων ὕπαγε Ζεύς: *Hectorem ab sagittis subduxit Iuppiter.* & flexu alio lib. 5. vbi Venus, ἑὸν φίλον υἱὸν ὑπεξέφερεν πολέμοιο: *suum dilectum filium à bello exemit.* Debes Germano. Nec dissimile verbum Euripidis Hecub. qui de Polydoro exempto ab Troiano excidio, ἐξέπεμψε Τρωϊκῆς χθονός. Sed imitatio, credo, petenda à Calab. lib. 11. vbi,

Subducere.

Imitatio.

Καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ Αἰνείαν ἐσάωσε δι᾽ Ἀφροδίτη

Αὐτὴ

Αὐτὴ δ᾽ ἀπὸ πτολέμοιο, καὶ ἀλεγεινῆς ὑσμίνης
Ἥρπαξεν ἐσσυμένως, περὶ δ᾽ ἠέρα χεῦατο πολλήν:
Tum verò Æneam illustrem diua Venus
Ipsa è bello, & perniciosa pugna
Eripuit properè, densámque circumfudit nebulam.

Nepotes amātur plus, quàm filij. 17. LICEAT SVPERESSE NEPOTEM.] Locus est apud Hom. Odyss. 16. vbi Laërtes inducitur impensiore cura amans Telemachum nepotem, quàm Vlyssem filium. Omitto locum, quia longus. Apud Cal. lib. 11. Thetis curam gerit υἱωνῶ, *nepotis*, videlicet Æneæ: nam hic nepos Thetidis, vt qui filius Veneris. Ceterùm ab perlustrato Virg. loco dixit Propert. Eleg. 4. lib. 3. loquens cum Venere, & de Iulio.

Ipsa tuam prolem serua Venus, hoc sit in æuum,
Cernis ab Ænea quod superesse caput.

Eadem Venus loquens de eodem Iulio apud Ouid. 15. Metamorph.

Quod de Dardanio solùm mihi restat Iülo.

Paphos cur celsa. 18. AMATHVS, &c.] De his insulis, & vrbibus abundè tibi aliunde. Paphos *celsa* dicitur, quia antiqua in excelso fuit posita; mox ædificia eius deducta in littus. Ita Seru. Sunt *Cythera* in numero Cythera. multitudinis, vt *Artaxata*.

Domus pro templo. 19. IDALIÆQVE DOMVS.] Dixi de Idalio prima Æneide. *Domum* hoc loco accipio pro templo Veneris, quod situm in Idalio, quæ vocis huius acceptio creberrima. Cicero libro secundo de Natura. *Concinnéque, vt multa, Timæus, qui cùm in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagrauisse, adiunxit, minimè id esse mirandum, quòd Diana cùm in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* Homerus sexto Iliados loquens de templo Palladis, *θύρας ἱεροῖο δόμοιο*: *fores sacræ domus.* Valerius Flaccus primo Argonaut. *Stat casta cortina domo*, de templo Phœbi. Cyrillus Alexandrinus explicans illud Micheæ cap. 3. τὸ ὄρος τοῦ οἴκου: *mons domus*, ita ait: τουτέστιν, ὁ ἐφ᾽ ὑψηλοῦ γηλόφου ναός: *hoc est, in sublimi colle templum.* Quibus verbis ait, *domum* sumi pro templo. Quin ναοὶ apud Græcos, id Templa, cur dicta ναοί. est, *templa*, dicuntur παρὰ τὸ ναίειν, *ab habitando*. Itaque præclarè Virgilius octauo Æneidos *habitat Deus*, quem locum vide. Ex dictis etiam Catullum illustro, qui Idalium vocat sanctum, quod attributum templorum est. Rationem, cur *domus* pro templo sumatur, accipe ab Marco Tullio in oratione Domus religio. pro domo sua, vbi ita ait: *Nihil sanctius, nihil omni religione munitius, quàm domus vniuscuiusque ciuium: hìc aræ sunt, hìc foci, hìc Dij penates, hìc sacra religionis cæremoniæ continentur: hoc perfugium est ita sanctum omnibus, vt inde abripi neminem fas sit.* Ab hac itaque religione, qua culta domus, facile fuit nomen ipsum transire ad significanda templa.

20. POSITIS INGLORIVS ARMIS.] Quasi nihil aptius ad gloriam. Sallust. in Iugur-Bellum illustres facit. tha. *Omnibúsque bonis oportere plus gloriæ, quàm diuitiarum esse; arma, non supellectilem, decori esse.* Quoties Homerus pugnam, & bellum vocat κύδιμον, & κυδάλιμον, atque etiam μάχη ἐνὶ κυδιανείρη, quòd bellum illustres reddat, & gloriosos viros! Vide etiam, vt sexto Iliados comparet Paridem exultantem armis cum equo gloriabundo. Pindarus Ode prima Olympic. dixit, γλυκυτάταις φροντίσιν, *dulcissimis cogitationibus*, de bellatricibus; quæ dulcedo tota à gloria. Titus Imperator milites suos vocat ὁμοπτολέμους apud Iosephum libro septimo Belli Iudaici, & κοινοτιμηθέντες. Xenophon libro quarto ἐπὶ φιλοτιμίαν de re belli. Et quidem satis ostendit gloriam armorum, dari solita in præmium militibus arma ipsa, quæ donis aliis pretiosiora. Xenophon eodem loco: ἦν δὲ τῶν ἄθλων τὰ μὲν πλεῖστα, ὅπλα ἐκπεπονημένα εἰς κόσμον, καὶ ὁπλιτικὰ, καὶ ἱππικά: *præmiorum loco magna ex parte proposita erant arma elaborata quàm elegantissimè, tum militum grauis armaturæ, quàm equestria.* Ab vnis armis natum est verbum gloriosum inter Græcos ὑπέροπλον, quasi quæ armis comparentur eximia sint, & potentissima. Pindarus loco iam adducto καλὰ, id est, *gloriosa*, & *pulchra* vocat absolutè praxin bellicam, tractationémque armorum. Ait enim ἁπάντων καλῶν Armorum gloria. ἄμμορος: *Omnium rerum honestarum expers*, id est, bellicarum; nam de his loquitur. Compingi hîc posset locus non incelebris, sed in tanta gloria armorum nulla hæc esset gloria, quia res ista vbique obuia.

21. EXIGAT HIC ÆVVM.] Ab Lucretio, qui lib. Exigere æuum. 4. *sterili Venere exigit æuum.* Pind. Od. 1. Olymp. χρόνον πατεῖν. Est locus in Nonno lib. 31. non abhorrens à Virgiliano, vbi Iuno dolens inferri sibi à Ioue iniuriam, deliberat cœlum relinquere, & ire Argos, αἰθέρα (inquit) καλλείψω. & postea, ἵξομαι εἰς ἐμὸν Ἄργος, &c. Locum Tull. è Miloniana omitto, quia iam Pontan. Symbolarum Collector egregius.

22. CARTHAGO PREMAT AVSONIAM.] Mili-Premo, verbū militare. tare verbum. Stat. Theb. 7.

Iam pronis Gradiuus equis Ephyrea premebat
Littora.———

Infrà, *arua aliena iugo premere.* Cui verbo respondet τείρω, quo sæpissimè Homerus vtitur, vt cùm ait 6. Iliad. τείρουσι δυσώνυμοι υἷες Ἀχαιῶν. Ibidem: τείρεσθαι Τρῶας. & sæpe.

23. PESTEM EVADERE BELLI.] Pestem in re Pestis, de bello. belli Liuius quoque vsurpat lib. 25. *Fusa extemplo est Romana acies, sed adeò ne fugæ quidem iter patuit, omnibus viis ab equite insessis, vt ex tanta multitudine vix mille euaserint: ceteri passim alij alia peste absumpti sunt.* Respondet huic Homericus ὄλεθρος, vt 6. Iliad. τῶν μή τις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον: *Horum nullus effugiat grauem pestem.* Quod Homerus dicit ὑπεκφυγεῖν, Virg. *euadere*, quod ille ὄλεθρον, hic *pestem*. Ita Ioseph. c. 21. lib. 7. Bell. κινδύνου ὄλεθρον.

24. EXHAVSTA PERICVLA.] Vt in Exhaustum. quarto Æneidos, *bella exhausta*. Summa laus Æneæ, Æneæ laus. quippe qui labores exhauserit, nō tantùm delibarit: qui *ipso periculo augustior factus*, quod de Augusto Florus lib. 4.

25. RECIDIVA.] Explicui iam libro quarto Recidiuum quid. Æneidos redeuntia, & duco à verbo *cado*, non ab *cædo*; nam pugnaret mensura carminis. Itaque *recidiuum* est, quod iterum accidit: neque audio Grammaticos aliter explicantes. Nam necessariò in Virgilio ita est vox ista accipienda, vel ex illo libri septimi:

Funestæq́; iterum recidiua in Pergama tædæ.

Neque repugnat, locutionem duci ab arboribus, etiamsi vox ducatur à verbo *cado*: ita vt Pergama *recidiua* sint, ἀναβλαστάνοντα, παλιμφυῆ, παλιμβλαστῆ. Nam Tertull. ea voce vsus est de annuis prouentibus. verba attuli lib. 4. & Virgilius nihil aliud dixit, quàm quod Propertius lib. 4. Eleg. 1. *& Troia Roma resurges.* Iterum:

Arma resurgentis portans victricia Troiæ.

Et libro primo Æneidos, *illic fas Regna resurgere Troiæ.* & Ouid. 1. Fast. *euersáque Troia resurges.* Itaque, qui explicant *recidiuum* esse, quod post casum restituitur, & iterum concidit, falluntur, satis est si dicant, quod post casum restituitur.

26. CINERES PATRIÆ INSEDISSE.] Habitus lugentium. Vide quæ iam dedi libro 9. ad illud de

Sedere in luctu.

de Turno, *sacrata valle sedebat*; vbi fusè: & hîc adiicio Homerum, qui octauo Iliados loquens de Ioue ita coniunxit.

> ———*ἀκάχοιτο καθήμενος οἶος ἐν Ἴδῃ:*
> ———*tristaretur sedens solus in Ida.*

Id est, quia tristis, vt solus, ideo sedens. Ibidem de Minerua, & Iunone in summa tristitia dicitur, *οἶαι ἥσθην*: *sedebant sola*; & non multo post Saturnus, & Iapetus describuntur tristissimi in tenebris inferorum, ac tunc *ἥμενοι*, *sedentes*. Et cur non ad hunc morem referam illum, quo supplices olim sedebant in foco? imò nihil fortasse cognatius cum re Virgilij, qui coniungit *cineres insedisse*, quasi dicat Venus; satius fuisset, Troianos supplicum habitu permansisse eo loci, vbi olim Troia. Vtcunque, mos certus est: sedebant enim in foro supplices. Auctores sunt Homerus 7. Odyss. Apollonius 4. Argon. Plutarch. in Themistocle, Parthenius Græcus Scriptor. Verba non aduoco, quia iam Iunius libro 2. Animadu. c. 11.

Supplices sedebant a loco.

[a] Tum regia Iuno
Acta furore graui. [b] Quid me alta silentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
[c] Ænean hominum quisquam, Diuûmque subegit
Bella sequi? aut hostem Regi se inferre Latino?
[d] Italiam petiit fatis auctoribus: esto,
Cassandræ impulsus furiis. [e] num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis?
[f] Num puero summam belli, num credere muros?
[g] Tyrrhenámve fidem, aut gentes agitare quietas?
[h] Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? vbi hîc Iuno, dimissáve nubibus Iris?
[i] Indignum est Italos Troiam circundare flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terrra,
Cui Pilumnus auus, cui Diua Venilia mater.
[k] Quid face Troianos atra vim ferre Latinis?
Arua aliena iugo premere, atque auertere prædas?
Quid soceros legere, & gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
[l] Tu potes Æneam manibus subducere Graiûm,
Próque viro nebulam, & ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem classem conuertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contrà iuuisse nefandum est?
[m] Æneas ignarus abest, ignarus, & absit.
[n] Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid grauidam bellis vrbem, & corda aspera tentas?
[o] Nósne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achiuis
Obiecit? quæ causa fuit consurgere in arma
Európamque, Asiámque, & fœdera soluere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter?
Aut ego tela dedi, fouíve cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud iustis assurgis, & irrita iurgia iactas.

B

ARGVMENTVM.

Respondet Iuno Veneri, in qua oratione diluit, quæ potest; quæ non potest, dissimulat; obiicit atrociora, & sæpe mentitur. Affectus contrarij sunt, nam Venus supplicabunda, & cum lacrymis; Iuno indignabunda, & cum furore.

EXPLICATIO.

[a] PRIMA verba indicant, qualis futura oratio, nempe irarum plena, ideo *acta furore graui*. Vbi expendit Pont. *actã* dici, quia affectus, & passiones abripiunt animum impotentem, & miseri verè aguntur.

[b] Oppo

b Oppoſita in rebus omnibus oratio hæc oratio-ni Veneris. Hæc Iouem captauit, *ô Pater*, &c. Iuno neminem captat, abruptè incipit, vt indignans, ideo *ſilentia rumpere*, & quaſi cogatur, vt quæ non aliter ventura in certamen cum inferiore Dea, ac propterea *me*, ἐμφατικῶς, quaſi dicat, Deorum Reginam, & Principem tui. & conſequenter *obductum dolorem vulgare*. Noluiſſem iras meas erga te manifeſtare, obduxeram altiſſima cicatrice dolorem meum: tu me cogis.

c Dixerat Venus, veniſſe Troianos in Italiam ſecutos reſponſa, *quæ Superi, Manéſque dabant*. Diluit Iuno negando; nemo ſubegit Æneam ſequi bella; date ſe hoſtem Latino: & nota technam, & mendacium. Æneas quidem non ſe hoſtem dederat Latino, imò amicum; ſed ipſa Latinum conata eſt facere hoſtem Æneæ, quod cùm non poſſet, fecit vt Turnus cauſam arriperet pro Latino contra Æneam.

d Videtur aliquid concedere, & concedit nihil, imò negat. Demus veniſſe illum in Italiam fatorum monitu. His viſa eſt concedere, ſed negat cùm addit, imò non fatis, tantùm *furiis* (vt eleuet, & vilipendat vaticinium) *Caſſandræ impulſus*, & hîc mentitur, nam in 3. Æneid. *aut quem tum Vates Caſſandra moueret*.

e Commutat ſententiam Veneris. Hæc dixerat, *Æneas abeſt*. Iuno, imò fugax eſt, culpa in eo hæret, ipſe reliquit caſtra, & ſe ventis commiſit, vt ſolent deſperati, nulla habita ſuorum ratione.

f Et in hoc mentitur Iuno; non crediderat Æneas bellum puero, imò & bellum, & puerum ipſum Mneſtheo, ac Sereſto, nam de his;

> *Quos pater Æneas, ſi quando aduerſa vocarent,*
> *Rectores iuuenum, & rerum dedit eſſe magiſtros.*

Sed laudandus Virgilius, qui ſub perſona Iunonis iniquæ Troianis Auguſto aſſentatur, cùm hic adoleſcens ex Senatus decreto, referente Cicerone, accepit ſummam belli, & exercitum contra Antonium. Non ego hoc primus vidi.

g Quod nequit negari, effert verbo peſſimo. Iuit Æneas ad Euandrum, & Tyrrhenos; ſed non quidem agitans illos, imò ſupplex, precabundus, implorabundus. Subaudi verbum in hunc modum, *fidem implorare gentes agitare*; ita enim meliùs expedies.

h Peſſimè ſe purgat Iuno. Nam tametſi exceſſum Æneæ è caſtris ipſa non ſuaſerit, neque Iridem ad hanc rem deſtinarit: tamen fecit atrociora multo; nam in exceſſu illo ipſa Iridem ad Turnum miſit, quem concitauit contra Troianos: eſtque liber nonus plenus huius Tragœdiæ. Explica hîc *fraudem* pro periculo.

i Memineris in nono comparatas flammas ab Turno ad vaſtandam vrbem Aſcanij, quam hîc *Troiam* vocat. Hoc cùm videat Iuno negari non poſſe, opponit paria hunc in modum. Si eſt indignum Troiam circundari flammis ab Rutulis, vt tu queſta illis, *muris iterum imminet hoſtis Naſcentis Troiæ*, ſi hoc itaque indignum eſt, cur non etiam indignum erit, Turnum non poſſe conſiſtere in terra patria, & illa pelli? Præſertim cùm illi Pilumnus ſit auus, qui Deus eſt; & Venilia mater, quæ etiam eſt Dea? Nota artificium. Attollit Turni genus, quantum poteſt, ne inferior Ænea videatur. Erat hic filius Veneris, nepos Iouis. Ergo Ioui Pilumnum opponit Deum infantulorum, Veneri Venilam Deam maris, & obtrectans Veneri *Diuam* vocat, cùm tantùm eſſet Nympha. Et cùm Pilumnus

A ſit Deus, tacuit, tantùm *cui Pilumnus auus*, ne Iouem læderet, ſi Deum vocaret cum comparatione ad ipſum Iouem.

k Explico quatuor verſus. In tribus primis mentitur Iuno, quartum nequiter & inuidioſè interpretatur. Falſum eſt, Troianos intuliſſe ignes Latinis ad vrbium vaſtationem, preſſiſſe illorum arua, auertiſſe prædas, legiſſe ſoceros, abduxiſſe ſponſas è gremiis parentum: Verum eſt, ipſos pacem orauiſſe. Sed hoc maleuolè interpretatur, quaſi manu pacem petiuerint, ſed ira tamen vt arma ſimul oſtentarint, quibus eam ſibi pararent, ſi ſupplicando non poſſent. Hæc ſententia, quam vt capias, ſubaudi verbum aliquod, hunc in modum. Quid impulit Troianos vim ferre? &c. Expende etiam quàm grauibus verbis vtatur Iuno, vt iras Iouis contra

B Troianos commoueat. Quid enim hoc atrocius? *ferre vim atra face*, &, *arua aliena iugo premere*, quod Tyrannicum. *prædas auertere*, quod latronum. *ſoceros legere*, notans ſacrilegium. *pactas abducere*, en vim: & *gremiis*, non è manibus, quod minùs violentum, ſed è ſinu, è gremio, è complexu, quod violentiſſimum.

l En alia velificatio, & ratio noua conquerendi. Tu magna potes erga tuos, me *aliquid iuuiſſe nefandum eſt*, habetúrque pro crimine? Potuiſti vnum Æneam è tot Graiorum manibus viuum furto ſubducere (vide contumeliam) obiecta nebula & ventis inanibus: potuiſti ope matris Deûm conuertere

C claſſem in Nymphas. Hoc *tu potes*, *nos iuuiſſe*, &c. vbi *tu*, & *nos*, ἐμφατικῶς.

m Dixerat Venus, *Æneas ignarus abeſt*, deprauat irridendo, *ignarus & abſit*.

n Arripit verba Veneris contra illam. Si tibi eſt Paphos, &c. quid bella in alios molitis? viuant tui in tuis vrbibus, relinque alios.

o Recurrit ad prima initia Troiani belli, atque nullam in ſe culpam reſidere excidij Troiani, ſed totam in Venere, qua concitante Paris obiecit Troianos Græcis, ſoluens furto Helenæ, fœdera hoſpitalitatis. Et cùm hîc verè triumphet Iuno de Venere (nam verè Venus cauſa horum malorum) repetit ſubidentidem, & vrget illis, *Me duce*, &c.

D Quaſi dicat: Adulterio Paridis, cuius tu cauſa, expugnata eſt Sparta: tu molliſſima amorum mater bella illa fouiſti. Et concludit, notans imprudentiam Veneris, quæ nihil præuiderit, & prouiderit, & nunc ſerò conqueratur.

NOTÆ.

1. TVM REGIA IVNO, &c.] Initio noto, deberi Virgilio excellentiſſimum opus Claudiani de Bello Gildon. quod ille nunquam feciſſet, niſi præluxiſſet hic Vates duplici hac oratione. Sed iam ad commentationem. Homerus lib.

E 4. Iliad.

> Ἥρῃ δ' οὐκ ἔχαδε στῆθος χόλον, ἀλλὰ προσηύδα:
> *Non tenuit Iuno iram in pectore, ſed dixit.*

Poſt tantam iram, frigidè ſequitur, ἀλλὰ προσηύδα. Homeri frigus.
ideo Latinus correxit illis, *alta ſilentia rumpere*. Vide verò diligentiſſimam curam Poëtæ. Cùm fingat Iunonem perquàm iratam, facit illam dirigentem ſermonem ad Venerem inferiorem Deam, non ad Iouem, erga quem non oportuerat eas iras oſtentare,

tare, neque intonare ita atrociter. Profectò Iuno apud Homerum nullis abstinet, in cuius ore Iuppiter est dolosus, fallax, virulentus, amens, & scelerum machinator. Quæ hæc religio?

Agi furore Baccharum est. 2. ACTA FVRORE GRAVI.] Non dubium, quin μαινομένην intelligat sumpto sermone à Bacchis feminis. Iosephus libro septimo Belli Iudaici capite vigesimoprimo: καθάπερ ἐμμανεῖς γιγνόμενοι μετὰ πολλῆς τινος ὁρμῆς πάντες ἐπὶ τοὺς διαβληθέντας ὥρμησαν: *Veluti furore correpti cum magno impetu irruebant in accusatos.* vbi cùm dicat καθάπερ, notam similitudinis intellige, quæ te fert ad bacchantes. Ioannes Chrysostomus Oratione quarta de natura Dei coniungit μανίαν, & δαιμονῶντας, quod ferè idem.

Silentium rumpere. 3. ALTA SILENTIA COGIS RVMPERE.] Lucretianum è lib. 4.

Affirmant vulgò taciturna silentia rumpi.

Horat. 5. Od. Epod.

Sed dubius vnde rumperet silentium.

Vide quæ iam secunda Æneide ad illud, *compositò rumpit vocem.* Nugatur in explicatione loci huius Seruius. Nam *vocem rumpere*, non est tacere, vt ille affirmat. Notat tamen (hoc arripio) Iunonem solitam induci silentem, neque loqui nisi coactam, vnde & Statius. Iuno silens.

Iunonem tacitam furibunda silentia torquent.

Fortasse quia retentrix odiorum, & pertinax in iris: tales verò esse solent taciturni. Nonnus libro trigesimo: χόλου κήρυκι σιωπῇ. Ait silentium esse indicem, & veluti præconem iræ. Electra apud Sophoclem; ἔφλεγον ὀργὴν ἄναυδον: *Ardebam ira tacita.* Inde & Iuno simulatrix odiorum, & in summis notis amoris δολοφρονέουσα inducitur ab Homero decimoquarto Iliados. Sic & in octauo Iliados Iuno eadem, & Minerua inducuntur in summa ira tacitè frementes, ἐπέμυξαν (inquit) Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη. Est enim ἐπιμύζειν, quasi μεμυκόσι τοῖς χείλεσι ἐπιστενάζειν, *gemere occluso ore, & pressis labiis.* Talis ergo inducitur Iuno in summis iris. Eodem libro cùm Iuno audisset à Ioue verbum contumeliosissimum hoc, οὐ σέο κύντερον ἄλλο: *nihil te impudentius*; tamen Iuno, οὔ τι προσέφη, *nihil allocuta est.* & mirum, in summo ardore summum silentium. Est itaque silentium index altissimæ iræ. Inde Tacitus quarto Annal. *retinet silentij impatientiam.* Sed de hac nota irarum ego loco alio. Silentium præco iræ.

Auctoritas quid. 4. FATIS AVCTORIBVS.] Ab iure sumpta locutio, vt, *auctor ego audendi*; &, *auctor Apollo.* Est in iure auctoritas, veneratio quædam, ac dignitas, cui credendum sit. Vide Simonem Schardium. Ideo *auctoribus fatis*, quibus religiosè credendum, & venerabundè. Huc pertinet illud legis Atiniæ apud Agellium, *Eius, quod surreptum erit, æterna auctoritas esto.* Quibus verbis dicitur rei furto ablatæ nullam vnquam esse posse vsucapionem, sempérque contra illud furtum pugnare venerandam legum æternitatem; ita vt vindicanti nulla præscribi temporis quamuis longissimi exceptio possit.

Esto. 5. ESTO.] Est hoc, quod Ioannes Chrysostomus Oratione tertia de incomprehensibili Dei natura, πλὴν ἀλλ' εἰ θέλει κατὰ συγχώρησιν θεώρει.

Furiosi fatidici. 6. FVRIIS.] Nam furiosi putabantur esse fatidici, θεολήπτας Græci nominant, & θεὸν φέροντας, & ἐνθουσιάζοντας. Iulius Firmicus libro sexto Mathes. capite trigesimoprimo, horum furorem explicat verbis istis: *latenti diuinitatis instinctu mutato mentis ordine, & instantis religionis potestate possessi.* Sed de hoc malo iam latè 6. Æneid. Phanatici.

Summa belli. 7. SVMMAM BELLI.] Iulius libro primo Ciuil. *summa ei belli administrandi permittitur.* Velleius: *Summam Imperij alicui tradere.* In his omnibus subaudienda *res.* Nam Liuius libro quadragesimoquarto. *Summæ rei discrimen aetrectare.* Est autem locutio sumpta à re pecuniaria, vt liquidum ex infinitis locis Pandectarum. Tantùm profero verba legis 5. tit. . lib. 17. *Seruo quoque dominus si præceperit, certa summa rem vendere, ille minoris vendiderit*, &c. Hinc locutionem sumpsit Lucretius libro quinto. *Sicut summarum summa est æterna.* & lib. 6. Summa à re pecuniaria.

Nil sint ad summam summaï totius omnem.

Is cui summa belli commissa est in exercitu, ἔρχαμος λαῶν vocatur sæpe ab Homero. Pindarus Ode prima Olympic. λαγέτας vocat, non Poëtæ ἄρχοντας, & ἡγεμόνα. Iosephus libro septimo Belli Iudaici capite vigesimo: καλεῖν δὲ τὸν ἡγεμόνα στρατηγόν. & statim, ῥῆξ ὁ ἄρχων τῆς στρατιᾶς κατειλημμένος. vbi vnum per alterum explicat. Dux exercitus.

Fraus, de blanditiis. 8. FRAVDEM.] Hîc non tam dolum accipio, ne Maro illum Dijs impingat, quorũ religionis est obseruantissimus; nec periculum, cum interpretibus; nam hoc etiam in idem fermè recidit; quàm blanditias quasdam, & θελκτήρια, quibus Deus illos induxerit & persuaserit; vt dicat. Quis vos Deus blandiendo pellexit? Nam & ἀπάτη Græcis aliquando est *suadela*; & ἀπατηλὸς est ἐπαγωγὸς, πιθανὸς, θελκτήριος, *blandus* & *pellax*, quod iam notauit Simon Schardius in Lexico iuris. Inde Cyrillus in Micheam capite tertio synonymicôs coniunxit, πονηρῷ, καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι ἀεὶ φενακίζοντι, καὶ ἀπατῶντι αὐτούς: *malo, & impuro dæmone pelliciente, & decipiente illos.* vbi sicut φενακίζειν, est *præstigiis*, & *pellacia vti*, ita & ἀπατᾶν.

Durum & molle opponuntur. 9. DIRA POTENTIA.] Optimè coniungit: nam durum nihil est aliud, quàm potens resistere, neque cedens, vt iam definit Arist. lib. 4. Meteorol. c. 4. sicut molle è contrario est, quod refugit, neque resistit obluctando. Optimè itaque, quod durum, dicit quid potens. Hom. 8. Iliad. σθένος οὐκ ἐπιεικτὸν: *potentia non cedens.* id est, dura.

Demissum. 10. DEMISSAVE NVBIBVS IRIS.] Hom. πέμψας. Noster commodiùs *demissa*, quia ex alto. Sic in exitu lib. 9. Æneid.

——— Aëriam cælo nam Iuppiter Irim
Demisit.———

& in exitu 5. *Irim demisit Olympo.* Quòd si aliquando *misit*, addit alibi præpositionem, vt in 5. & 9. *Irim de cælo misit.* pari consecutione in 9. *detulit in terras*, loquens de Iride. Ita Græci καθιεὶς ὑετὸς, *demittens pluuias*, meliùs quàm ἱεὶς. Addit *nubibus* quæsitè, nam nubes sunt Iunonis. Nubes sunt Iunonis.

Locorum similitudo. 11. CVI PILVMNVS AVVS, &c.] Par locus ille lib. 6. vbi Æneas in argumentum voti sui eundi ad inferos, adducit, se genus ducere ab Ioue, non aliter atque qui priùs descenderant. Par ille lib. 7. vbi cùm Latinus prædicasset de suis esse *Saturni gentem*, Ilioneus diuinitatem quoque opposuit, vnde orti Troiani, eo versu, *Ab Ioue principium generis.* Par in Hom. 20. Iliad. vbi Apollo Æneam concitat contra Achillem, quòd ipse filius esset Διὸς κούρης Ἀφροδίτης, *Veneris filiæ Iouis*; non minùs atque Achillis ἐκ θεοῦ, *ex Dea* imò maiore ex Dea. Nam Venus filia fuit Iouis, Thetis marini Dei. Par Calabri libro primo, vbi cùm Penthesilea iactabunda in Achillem, diceret se esse filiam Martis, Achilles opposuit se genus ducere ab

ab ipso Ioue. Par eiusdem libro 1. vbi Memnon pugnans contra Achillem prædicat matrem Auroram, quæ maior Thetide matre Achillis, & inde sibi victoriam pollicetur.

Pilumnus Deus infantium, & Picunus.

12. PILVMNVS.] Scribit Seruius ex Varrone, *Pilumnum, & Picunum infantium Deos fuisse, eisque pro puerpera lectum in atrio exsterni, dum exploretur an vitalis* (sic legendum in Seruio, non *vtilis*, quod iam Casaub.) *sit, qui natus est*. Et ex Pisone ait, *Pilumnum dictum, quia pellat mala infantis*. Vide Tertullianum lib. de anima cap. 39. ab eo loco. *Ab ipsa etiam ianua natiuitatis*, &c. vbi persequitur ritus gentiũ in captandis ominibus pro futura nascentium vita. A quibus ritibus non abit ille, quem suo æuo viguisse inter gentes scribit Ioan. Chrysost. in 4. caput prioris ad Corinthios. Vsitatum videlicet, vt natis infantibus accenderentur plures lucernæ, quibus singulis nomen imponebant, atque eius demum, quæ ceteris extinctis superuixerat, nomen arripiebant, imponebántque infanti. verba signata, λύχνους ἅψαντες, καὶ ὀνόματα αὐτοῖς ἐπιθέντες, τὸν διαρκέσαντα μέχρι πολλοῦ τῷ παιδὶ τιθέασιν ὄνομα. Et adiicit: ἐντεῦθεν πολὺν αὐτὸ στοχαζόμενοι βιώσεσθαι χρόνον: *Inde diuinabant longam infantis futuram vitam*. Alias Pilumni Dei potestates reperiet Lector in lilio Syntag. 1. ex Seruio, & aliis.

Pilumni etymon.

Nominis imponendi apud Gentiles ratio.

Venilia Dea.

13. VENILIA.] A veniendo dicta, sicuti & Venus, quòd hæc numina non propriè Romana, & Latina, sed ascita è Græcis, quib. tamẽ datũ Latinum nomẽ Scias obiter, æstum maris accedentem dici *Veniliam* priscis Romanis à veniendo; remigrantem verò, & iterum redeuntem *Salaciam*, de quo iam ego alibi.

Venilia, de æstu maris. Salacia vnda, quæ.

14. FACE ATRA.] Vel *fero bello*. explicatore Seruio, qui ait his verbis, *atra face* contineri belli definitionem; nam non facibus Troiani pugnauerunt, sed ferro, & bello. Hoc minùs probo. Itaque explico cum Turnebo facem diram; nam ater color infaustus. Probat ex Horat. cui Od. 11. lib. 4. curæ dicuntur *atræ*. ex Homer. qui μελαίνας ὀδύνας, *dolores nigros*. Ego ex Pausania in Atticis, cui ἱστία μέλανα, *vela nigra* in nauibus infaustum ac dirum portendunt, sicut λευκὰ lætum quiddam: & ex Hippocrate libro de Morbo Sacro; vbi ait ab Magis vestem nigram vetari occupatis eo morbo, nam θανατῶδες τὸ μέλαν, *niger color mortem significat*.

Atra fax, quæ.

Nigra infausta.

15. ARVA ALIENA IVGO PREMERE.] Si quis putet alludi ad iugum, eo sensu, quo dicimus, iugum seruitutis Tyrannos imponere, longè fallitur: tãtùm signat arationem, boues enim iuncti, & vincti iugo terram premunt *depresso* (vt dixit in Georg.) *aratro*. Sed cùm potuisset orationẽ festiuè signare, maluit acerbè ad contumeliam Troianorum. Itaq; tantùm Tyrannis posita in voce *aliena*, quia arabant, quæ non sua: & additur vis ex verbo *premo*.

Premere iugo arua aliena.

16. AVERTERE PRÆDAS.] Verbum iuris, pro, furari, & rapere. Vide Brisson. de verb. significat. & Schardium in Lexico iuris. Statius 4. Theb. *Sidonias auertere prædas*. Par verbum *amoueo* in eodem iure lib. 47. Pand. tit. 9. leg. 3. vbi, *non solum autem, qui rapuit, sed & qui abstulit, vel amouit, vel damnum dedit. vel recepit, hac actione* (furti) *tenetur*. Itaque *auerto*, & *amoueo* eiusdem potestatis in iure sunt. Ego existimo *auersores* propriè dici, qui furantur pecora, vt qui illa auertant ad locum alium. Nam Virg. ipse lib. 8.

Auerto, de furto.

Amoueo, de furto.

Auersores qui.

Quattuor à stabulis præstanti corpore tauros
Auertit, totidem forma superante iuuencas.

Inde explico illud lib. 1.

Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Verto, de furto pecorum.

Id est, neque sumus vastaturi domos vestras ferro,

A neque pecora abducturi.

17. SOCEROS LEGERE.] Seru. *Furari, vnde & sacrilegi dicuntur, qui sacra legunt, id est, furantur. Alibi,*

Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper.

Legere, de furto & sacrilegio.

18. GREMIIS ABDVCERE PACTAS.] Possent verè hoc Troiani, si pactæ, id est, sponsæ essent. Sed quia non pactæ, ideo vitio vertitur. Itaque sententia est: ita abducitis, & rapitis à gremiis parentum, ac si verè essent pactæ. Vel, quod potius credo, sententia est: Pactas iam aliis virgines ipsi abducitis, ad quem modum locutus Tacitus 1. Ann. *Arminius filiam eius, alij pactam rapuerat*. Et Quintil. declam. 343. *Ille rapuisset puellam, alij destinatam, alij pactam, nisi fiducia tui?* Hoc (inquam) potius: nam *pactæ*, vt dixi, sponsæ sunt propter pactiones, sponsionésque, quæ

Pactæ virgines, quæ.

B intercedebant. Vtriusque vocis testimonium aduoco. De pactis Catull. in Carm. Nupt.

Quod pepigêre viri, pepigerunt antè parentes.

De sponsis Plaut. Aulul.

Sponsæ.

Meg. *Quid? nunc etiam mihi despondes filiam?* Eug. *illis legibus,*
Cum illa dote, quam tibi dixi. Meg. *Spondere ergo?*
Eug. *Spondeo.*

Quod hîc *abducere*, Stat. 4. Theb. expressit per *rapinam*. Millies hanc vocem conculcat Seneca Rhet. Controu. 5. Hoc vitium dat Tigrani Plũtarc. in Lucullo, θυγατέρας δ' αὐτῶν ἄγει καὶ γυναῖκας ἀναρπάζων. *illorum filias, & coniuges sedibus extractas abducit*. Sed cur *gremiis*, & *abducere*? Audi Festum. *Simulatur rapi virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessi-*

Rapere pactas.

Abducere virginem, vnde.

C *tudine cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit*. Allusum ergo à Virg. ad hunc raptum, vt & Catull. loquens cum Hymenæo,

Tu fero iuueni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio sua
Dedis. ———

& in Carm. Nupt.

Complexu matris retinentem auellere natam.

19. PACEM ORARE MANV, &c.] Alludit ad ritum supplicum, quem variis locis aperio, videlicet Æneide 7. 8. 11. Ceterùm Seruius illud, *pacem orare manu*, refert ad librum 7. Æneid. vbi,

Supplicum mos.

Centum oratores, augusta ad mœnia Regis
Ire iubet. ———

D Illud autem *præfigere puppibus arma*, ad octauum, vbi,

Scuta virûm fluuio, pictásque innare carinas.

Posset adducere & illud eiusdem lib. vbi Æneas

——— *gemináque legit de classe biremes,*
Remigióque aptat, socios simul instruit armis.

Sed & Iunius Cent. 1. Adag. 45. commodè Poëtã illustrat verbis Polybij lib. 4. vbi Rhodij ad Bizantios miserunt legatũ Aridicen, cũ eo tamen Polemoclem tribus instructũ triremibus, videlicet, βουλόμενοι τὸ δὴ λεγόμενον, καὶ τὸ δόρυ, καὶ τὸ κηρύκειον ἅμα πέμπειν πρὸς τοὺς Βυζαντίους: *Volentes simul & hastam, & caduceum, iuxta prouerbium, ad Bizantios mittere*. Pari ergo astu Troiani (imponente illis Iunone hanc rem) supplices pacem manu orant, sed cum minis armorum. Huc refer veterem parœmiam vulgati versiculi:

Hastam & caduceum mittere. Prouerb.

Consilia coniuncta armis quiduis perpetrant.

E 20. TV POTES ÆNEAM, &c.] Allusum ad locum quartæ Iliados, vbi Venus in medio belli feruore.

Ἀμφὶ δ' ἑὸν φίλον υἱὸν ἐχεύατο πήχεε λευκώ,
Πρόσθε δέ οἱ πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμ' ἐκάλυψεν,
Ἕρκος ἔμεν βελέων, μή τις Δαναῶν ταχυπώλων
Χαλκὸν ἐνὶ στήθεσσι βαλὼν, ἐκ θυμὸν ἕλοιτο:
Circa suum dilectum filium extendit lacertos candidos,
Atque ante ipsum pepli nitidi plicaturam obtendit,

Venus Æneam liberat.

Munimentum vt esset telorum ne quis Danaorum equitum
Ferrum in pectoribus iaculatus animam eriperet.

21. PROQVE VIRO NEBVLAM, &c.] Fecit hoc Neptunus vigesima Iliade, sed quia in gratiam Veneris, vt credi potest, ideo Veneri factum tribuitur. Neptunus enim, cùm pugnare Æneas & Achilles vellent, Achilli κατ' ὀφθαλμῶν χεῦεν ἀχλύν: *fudit nebulam ante oculos*, ac tunc inde Æneam amouit. Multis hoc Græcus Vates. Ibidem Achilles Æneæ obiicit, quòd interfectus à se esset prope Lyrnesum, nisi Dij ipsum seruassent, intérque eos Iuppiter. Nonnus in re simili lib. 30. ζοφερὴν χλαῖναν ὁμίχλην: *caliginosam induit nubem*, vt scilicet seruaret. Et statim,

Πορφυρέη νεφέλῃ κεκαλυμμένα γυῖα καλύψας:
Recipiens nigra nube obducta membra.

Sic & 20. Iliad. Hectorem Apollo eripit ab manibus Achillis, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ: *abtexitque multa nebula*, vt etiam Iliad. 21. idem Apollo, ab eodem Achille, & pari nebula. Quod verò Virg. *nebulam & ventos obtendere*, Hom. Iliad. 21. dixit, ἠέρα πίτνα βαθεῖαν: *offudit densam caliginem*.

22. VENTOS INANES.] Frequens attributum. Ita in 7. *auras inanes*.

23. IN TOTIDEM CLASSEM, &c.] Præcessit hoc beneficium lib. 9. & fiet iterum mentio in hoc lib.

24. NOS.] Nota plenam ἐμφάσεως oppositionem. *Tu petes*, & mox, *nos aliquid*, &c. Pari emphasi opposuit 1. Eclog.

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi
Syluestrem tenui Musam meditaris auena,
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua.

25. EST PAPHOS, IDALIVMQVE TIBI.] Pari amaritudine Iuno eadem ad Iouem apud Stat. 1. Theb. *sunt impia latè Regna tibi*. vbi multa eius orationis adumbratur ab istis Virgilianis.

26. GRAVIDAM, &c.] Ducit metaphoram ab feminis gestantibus vterum. Sic Duratеus *grauis* dicitur sexta Æneide, quasi prægnans. Vide eũ locum, & hîc eruditionem Germani, qui hanc locutionem similibus ditat. Nota etiam concinnitatẽ boni Poëtæ, quia in *grauidam* notauit vterum; ideo statim pari consecutione *corda* hærens humani corporis partibus. An in voce *vrbem* intelligat Italiam, vt vult Seruius, an verè vrbem Latini, vt ego volo, ad rem nihil. In illis, *corda aspera*, allusum ad militarem Italiæ ferocitatem, quam fusè Numanus extulit libro 9. A ab illo, *Durum ab stirpe genus*, &c.

27. FLVXAS PHRYGIÆ RES VERTERE FVNDO.] Concinnè, nam quia *fluxas*, ideo *fundo* continenti ab aquis metaphora. Ducit verò sermonem à tempestate, quæ incipiente statim vertuntur, quæ sunt in imo mari. Itaque, vt illustres hunc locum, vide quæ fusè iam lib. 1. ad illud, *totumq́; à sedibus imis*, &c. Inde etiã sermonẽ traxit Lucret. lib. 3. *in summe pietatem euertere fundo*. Inde & Aristoph. in Equitib. τί θαλαττοκοπεῖς; *Quid turbas das?* θάλαττα tamen mare est. Etenim rem aquarum venustè ad homines transire sæpius obseruaui. Sic mortalia omnia *fluxa* dicuntur, & *fluere*. Sic Sophocles in Antigon. vt superbiam hominum noter, μεγάλῳ ῥεύματι dixit, *magno fluxu*, ducta, credo, similitudine à turgentibus fluctibus. De adolescentibus Sallust. in Catil. *animi molles, & ætate fluxi*, B & millena alia.

28. FVRTO.] Notat amores Paridis. Ita Sophoc. in Elect. κλεπταῖς εὐναῖς ἀποκλεπτομένης quibus indicat *furtiuos concubitus*. Auxi hoc alibi.

29. ME DVCE DARDANIVS, &c.] Rectè putat Vrsinus allusum in hoc tractu ad versus, qui habentur Iliad. vltima per initia, vbi fit mentio Paridis.

Ὃς νείκεσσε θεάς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο:
Qui Deas contempsit, cùm ad eius tugurium venerunt.

Et insuper,

Τὴν δ' ᾔνησ', ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν:
C *Hanc (Venerem) laudauit, quæ ei tribuit tristem libidinem.*

30. TVNC DECVIT.] Similis locus 4. *Tunc decuit cùm sceptra dabas*. & Plaut. in Trinum.

Serò, atque stultè priùs quod cautum oportuit, &c.

In clade Solymorum paria multa, vbi ab obstinatis Titi mandata non audiuntur inuitantis ad pacem, ac propterea rebus iam perditis, qui confugiunt ad misericordiam, occiduntur. Hoc sæpe Iosephus.

31. NVNC SERA QVERELIS, &c.] Monet Germanus allusum ad ἀπροθέσμους iuris, vbi etiam ἀπροθέσμως ἥκειν dicitur, & ἀπροθεσμεῖν, cùm videlicet iam tempus agundi præteriit, & intempestiuè ac non suo tempore fit postulatio. Cui tempori opponitur ἐμπρόθεσμος, & ἐμπροθέσμως ἥκειν, cùm intra præscriptum iure tempus res fit. ἀπρόθεσμον etiam, ὑπερήμερον dicunt Græci.

[a] Talibus orabat Iuno, cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario: ceu flamina prima
Cùm deprensa fremunt syluis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
[b] Tum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente Deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
Tum Zephyri posuêre, premit placida æquora pontus.
[c] Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæcunque est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulúsve fuat, nullo discrimine habebo.
[d] Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,

Siue

Margin notes (left): Imitatio. — Obtendere nebulam. — Inanitas, de vento. — Nos, & tu opponũtur. — Imitatio. — Grauidum. — Grauis, de prægnantibus.

Margin notes (right): Fluxæ. — Vertere fũdo. — Aquarũ res ad homines traducũtur. — Fluxus, de superbia. — Furtum, de amore. — Paridis fabula. — Serò sæpius Phryges. — Serò quati vnde dictũ.

Siue errore malo Troiæ, monitíſque ſiniſtris.
Nec Rutulos ſoluo: ſua cuique exorſa laborem,
Fortunámque ferent. Rex Iuppiter omnibus idem.
Fata viam inuenient. [e] Stygij per flumina fratris,
Per pice torrentes, atráque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Iuppiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.

ARGVMENTVM.

Studia varia Deorum, à quibus omnibus diſſidet vnus Iuppiter, cuius deſcribitur oratio nulli ſe partium dantis, & omnia fatis adſcribentis, vnde pendent. Firmat omnia nutu capitis, & ſolemni Deorum iuramento. Surgit à concilio, & it Deorum medius.

EXPLICATIO.

a COMPARAT Deorum ſtudium, quo iam Veneri, iam Iunoni fauebant, ſuſurro, qui ſolet audiri in ſyluis ante tempeſtatem ventorum. Cùm enim multa ſint futuræ tempeſtatis indicia, tum hic B in ſyluis ſuſurrus, & murmur eam indicat. Huic ergo murmuri, & fremitui adſimile Deorum murmur, & fremitus. Verba, quæ expendas, hæc ſunt. *Orabat*, præclarè, nam verbum oratorum. Dicuntur flamina *prima*, quia ante tempeſtatem. Τὸ *deprenſa ſyluis*, ita egregiè dictum, vt alio ſynonymo inquines. In *voluțant* ſubaudi, ſe. Ait *cæca murmura*, quia hoc in arcanis rerum poſitum.

b Præcedit orationem Iouis rerum omnium ſilentium, nam *cui rerum ſumma poteſtas*, res omnes ſilendo ſeruiunt. Numerat primò cœlum, & terram, illud *ſilet* hæc *tremit*. Ideo verò hæc duo primò numerata, quia in iſtis erant, qui loquendo poſſent impedire, in cœlo Dij, in terra homines. Sed non hæc C ſatis; nam *æther*, qui ſupra aërē, & ideo *arduus*, etiam *ſilet*. Deinde *Zephyri poſuêre* flatus, *pontus premit placida æquora*. Quaſi dicat; inuita etiam & reluctantia compreſſit.

c Oratio ſequens Iouis tota eſt in gratiam Troianorum; ita tamen, vt Iunoni verba videantur fauere, ſed qui altiùs penetret, deprehendet fauorem Veneris. Initium ducitur à diſcordiis, in quibus Venus, & Iuno pertinaces, hoc cùm ſit (inquit Iuppiter) æquum me omnibus præbebo nullo diſcrimine. In hoc ipſo iam fauet Veneri contra Iunonem, quæ totum ad ſe Iouem trahere conabatur.

d Pergit Iuppiter, & certè perplexa eſt ſententia. Sic concipio. Videbantur Troiani abſoluendi à pernicie & calamitate, ſi mali cauſa hæreret in Italis: D contrà Itali videbantur abſoluendi, ſi mali cauſa hęreret in Troianis. Sed aliter Iuppiter iudicat hunc in modum. Seu caſtra Troiana obſidentur malis fatis Italûm, ita vt in iſtis Italis ſit tota noxa, & mali culpa, non iccirco Troianos abſoluo: ſeu Troiani errore malo, & ſiniſtris monitis, non Deorum voluntate, ita vt cauſa mali in illis inſit, in Italiam appulêre, non iccirco Rutulos abſoluo. Cuique ſua *exorſa*, id eſt, ſua opera, ferent aut *laborem*, aut *fortunam*, id eſt, aut cladem, aut felicitatem. Clariùs. Nolo abſoluere à labore belli eum, qui eſt ſine culpa. Ego certè me omnibus æquum præſtabo. Nec de

A fatis ſum ſollicitus; nam ipſa ſeſe aperient. Non mirabitur me aliqua ſubaudiuiſſe, qui adierit Poëtas alios, & præcipuè Græcos, & in his vnum Pindarum, quem nunquam capies, niſi plurima ſubaudias.

e Adhibet nutum Iouis, quo prædicta firmantur, & ſolemne iuſiurandum paludis Stygiæ, & tremorem cœli ad Iouis nutum. Quo facto, diſceſſum inde, reliquis ſurgentem Iouem comitantibus ad domum.

NOTÆ.

1. CVNCTIQVE FREMEBANT.] Solet Virgilius cùm adhibet comparationem, præmittere verbum aliquod affine futuræ comparationi. Ergo, quia dicturus fremitum de ventis, hîc præmittit *premebant*. Eurip. cùm furentem Herculem comparet tauro, de ipſomet Hercule ait, *μυκᾶται, mugit*.

Virgilij mos in comparationibus.

Fremo, de ventis.

2. CEV FLAMINA, &c.] Non abit comparatio Plut. in vita Fabij, vbi poſt orationē Pomponij Prætoris, *ὥσπερ πνεῦμα τὸν λόγον ἐμβαλὼν εἰς πέλαγος τοσούτου δήμου, συνετάραξε τὴν πόλιν: Iactauit ſermonem hunc inſtar venti in tanta multitudinis pelagus, vrbémque perterrefecit*. In quibus ſermonem comparat vento, multitudinem ciuium mari, terrorem ſecutum ex oratione tempeſtati.

Sermo cōparatur vēto.

3. VENTVROS NAVTIS PRODENTIA VENTOS.] Lege quæ iam dedi ad lib. 1. Georg. ad illud, *nemorum increbreſcere murmur*. vbi de hoc prognoſtico. Calab. lib. 1. vult ventos prædici etiam fulgure; ait enim Iouem illo indicare *ἀνέμων ἀλλήκτων ἰωὴν: fragorem ventorum irrequietum*.

Fulgura prædicunt ventos.

4. EO DICENTE DEVM DOMVS ALTA SILESCIT, &c.] Verſum hūc, & ſequētes de maieſtate Iouis *Gorgona* appellat Scaliger, vt quibus viſis conticeſcant laudatores Homeri, detractores Virgilij. Hi enim quidpiam reprehendunt in Latino, ſed *ἀτόπως, καὶ παρὰ ἀξίαν*, vt alia. Vide & Iouianum in Antonio. Ait verò Macrob. lib. 6. Saturn. cap. 2. propoſitos Virgilio ad imitandos hos Ennij verſus,

Virgilij laus.

Mundus cœli vaſtus conſtitit ſilentio,
Et Neptunus ſæuis vndis aſperis pauſam dedit.
Sol equis iter repreſſit vngulis volantibus,
Conſtitêre amnes perennes, arbores vento vacant.

Imitatio.

Vide etiam, qua maieſtate dicentem Iouem inducat Statius Thebaide prima.

——mixta conuexa Deorum
Maieſtate tremunt, radiant maiore ſereno
Culmina, & arcano florentes lumine poſtes.
Poſtquam iuſſa quies, ſiluítque exterritus orbis,
Incipit ex alto.——

Iouis dicentis maieſtas.

Non dubium quin Ennius, & alij aſpirauerint ad Euripidem in Bacchis, vbi loquente Baccho fit ſilentium.

Imitatio. Σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη
Φύλλ' εἶχε. θηρῶν δ' οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν:
Tacuit autem æther, nemúsque frondiferum tacitè
Folia continuit. nec audires ferarum vocem.

Tu adi Claudianum 1. Rapt. vbi mira silentia ad dicentem Plutonē. Ouid. 8. Metamorph. de Neptuno,
———monit caput æquoreus Rex,
Concussitq; suis omnes assensibus vndas.

Terra tremit loquēte Ioue. 5. ET TREMEFACTA SOLO TELLVS.] Hesiodus Theog. de Ioue loquens,
Τοῦ χαὶ ὑπὸ βροντῆς πελεμίζεται εὐρεῖα χθών:
Cuius à tonitru concutitur lata terra.

6. SILET ARDVVS ÆTHER.] Admonet ex Hom. Galenus comment. 4. in lib. 6. de morbis vulgaribus Hippocratis, veteres dixisse cœlum, cùm est purum, *æthera*: cùm verò nebulosum, *aëra*. Quæ doctrina non malè in hunc locum quadrat, vbi æther silet, omnia sunt placida, nulli venti, qui medium turbent. Scio aliis ab ardore dictum, aliis ab cursu. Sed ista esse debent pro libidine. Ego hîc *ætherem* sumo pro ignea parte, quæ supra aërem, ne Vates iterum currat; quod magnum vitium: dixerat enim, *Deûm domus alta silescit.* Cur ergo repetat, *silet arduus æther?* Æther ergo aliud à cœlo. Si hoc non placeat, sequor viam aliam, nam vt recurrat Vates, non fero. Viam (inquam) hanc, vt *domus alta* sit Olympus: *arduus æther*, cœlum. Nam cœlum ab Olympo distinguebant veteres, quod alibi ex Hom. astruxi, & hîc offero eundem, qui 8. Iliad. μέγας τε οὐρανὸς, Οὔλυμπός τε: *magnum cœlum, & Olympus.* Plutar. etiam de defect. oracul. clarè distinguit οὐρανὸν, καὶ Ὄλυμπον, *cœlum, & Olympum.* Ac tunc Poëtæ cœlum dant reliquis Diis, vni Ioui Olympum, vnde iaceret fulmina. Inde propriè Stat. 3. Theb. *alti in terras cadit ira Iouis.* Indicit quippe Iouem fulminantem ab Olympo. Quod clarè Valer. 1. Arg. *summo deposcere fulmen Olympo.* Ex hac doctrina explico versum vltimū lib. 13. Iliad. vbi,

Æetheris, & aëris discrimen. Æther vnde dicatur. Cœlum diuersa pars ab Olympo. Iuppiter Olympū habet, Dij reliqui cœlū.

Ἠχὴ δ' ἀμφοτέρων ἵκετ' αἰθέρα, καὶ Διὸς αὐγάς:
Clamor vtrorumque peruenit ad ætherem, & Iouis splendores.

Vbi *æther* pro cœlo, *splendor Iouis* pro Olympo. Est etiam locus alius clarissimus ad rem Poëtæ libro 15. Iliad. vbi Neptunus loquens de diuisione rerum inter se, Iouem, & Plutonem, ait Ioui accidisse sorte cœlum, & ætherem,
Ἔλαχεν οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι:
Sortitus est latum cœlum in æthere, & nubibus.

Et postea adiicit:
Γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων, καὶ μακρὸς Ὄλυμπος:
Terra autem, & latus Olympus communes sunt omnium.

Vides vt clarè distinguat inter *ætherem*, & *Olympum*, vt Virgilius inter *domum altam*, id est, Olympum, & *arduum ætherem*. Plato etiam in Epinomide discriminans ait, εἴτε Ὄλυμπον, εἴτε οὐρανόν: *siue Olympū, siue cœlū.*

Pono, de ventis. 7. ZEPHYRI POSVERE.] Pari forma in 7. *Cùm venti posuêre.* Horat. de vento, *ponere freta.*

Accipio, de omine. 8. ACCIPITE ERGO ANIMIS.] Tanquam cœlites arrepturi verba Iouis vt omen, & fatum; nam omen accipere Latij trita est formula. Homericus Iuppiter ita inchoat 8. Iliad.

Imitatio. Κέκλυτέ μευ πάντές τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι,
Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει:
Audite me omnes Dij, omnésque Deæ,
Dum dicam quæ me animus in pectoribus iubet

Figite mea dicta. 9. FIGITE DICTA.] Cyrill. in Nahum num. 12. ita extulit, εἰς τὸν ἐνώσῃ τὸ ἴδιον θέλημα. Hom. verbo τίθημι, Iliade octaua, ἐπὶ φρεσὶ θῆκ' Ἀγαμέμνονι πότνια Ἥρη.

Secare spē. 10. SECAT SPEM.] Erythr. explicat, sequitur, Turneb. sumit: nam qui aliquid secat, sibi partem A sumit. Sed plaudo Scaligero lib. 4. Poët. cap. 16. *quâcunque secat spem, vt secat viam.* Ergo sentētia est, quam quisque sibi spem factis aperit, vt qui sibi viam aperit.

11. TROS RVTVLVSVE FVAT.] Confine illud Hom. 8. Iliad.
Τῶν ἄλλος μὲν ἀποφθίσθω, ἄλλος δὲ βιώτω:
Horum intereat alius, viuat alius.

Nam Iuppiter deliberat se neutri parti auxiliaturum. Quin hæc Iouis oratio conformis est nuntio, quem ibi mittit Iuppiter ad Iunonem, & Palladem, imperans vt abstineant à pugna. Sed longissimum est discrimen, si sermonem Virgilij cum Homerico conferas. Nam in Virg. modestissimus est Iuppiter, in Homer. furit instar Thrasonis. Quid enim istis amē- B tius mandatis? Abstineant à bello, aliter confringam crura equis, confringam currus, ipsas inde deiiciam; atque ita percutiam fulmine, vt annis decem sanitati non restituantur. Talia sunt Homerica. Homerum superat Virgilius.

12. FVAT.] Antiquum pro *fuerit.* Terent. Hecyr. *Fors fuat pol.* Propert. Eleg. 33. lib. 2. Fuat antiquum.
Cum Tyberi Nilo gratia nulla fuat.

Ita legit Iosephus Scal. non *fuit*, vt in vulgatis. Quam etiam lectionem in Tibullo agnoscit,
Ferreus ille fuat, qui, te, cùm possit, habere.
Malueris prædas stultus & arma sequi.

Sed hæc vocula affatim est in veteribus. Ennius in Hectoris Lytris.
At ego omnipotens te exposco, vt hoc consilium Achiuis auxilij fuat.———

C Pacuuius in Dulorest. *Responsa explanat, mādat ne matrer fuat.* Attius in Bruto, *Qui rectè consulat, Consul fuat.* & in Diomede, *Argos me referam, nam hic fuam nobilis,* id est, ero, aut fuero. Vsus eadem vocula Lucret. libris quarto, & quinto.

13. EXORSA.] Id est, opera, explicante Iulio Scaligero, loco adducto. Sententiæ similis ea Prudent. 2. Hymn, Exorsa.
Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est.

Nec absimilis ea Sallustij ore Catilinæ: *Cùm prælium inibitis, memineritis vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare:*

14. REX IVPPITER OMNIBVS IDEM.] De Numine vero Cyrill. Comment. in Amos num. 82. ἀπροσκλινὲς γὰρ τὸ θεῖον, ἀπροσωπόληπτόν τε παντελῶς: *Deus non* D *inclinat in hunc, aut illum, neque acceptor est personarum.* Et Dei ore statim idē Cyrill. ἐμοὶ γὰρ πάντες ἐν ἴσῳ βλέπονται: *Mihi omnes ex æquo intuenti.* Lucret. lib. 2. *Omnibus ille idem pater est.* Inde in 12. Iuppiter sustinet lances duas, & *æquato examine.* & in 11. Deus ex æquo iudicat.
Tros Rutulúsue mihi pariter det sanguine pœnas.

De Ioue, cùm dictus *Rex*, lege Lilium 1. Syntag.

15. FATA VIAM INVENIENT.] Huic sententiæ affinis Liuius libro 2. *Nihil aliud opus esse, quàm indici, ostendiq; bellum: cetera sua sponte fata, & Deos gesturos.* Germanus huc confert illud Eurip. in Medea. τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός: *Deus viam inuenit earum rerum, quæ sunt inopinata.* Huc etiam possunt spectare quę Erasmus coniungit Chil. 1. Cent. 3. cap. 41. & illud Aristidæ, qui de Ioue, οὐ γὰρ θέμις αὐτῷ μεταστραφῆναι. Possum putare, locutionem Virgilij sumptam à flu- E minibus, quæ sibi ipsa viam faciunt. Fata viam inueniunt.

16. STYGII PER FLVMINA, &c.] De hoc iuramēto alibi. Hîc nota, apud Herodotum Musa sexta, hoc genus iuramenti dari etiam mortalibus. Stygis iuramentum etiam hominum.

17. ANNVIT.] Nihil crebrius, quàm nutus, annutúsque Iouis ad eius volūtatem firmandam: sicut in his, quæ non vult, abnutus. Pausan. libro 4. τῆς κεφαλῆς τῷ νεύματι. Homer. lib. 8. Iliad. Annuo, verbum Deorum.

Τηνῶσιν

Γινώσκω δ᾽ ὅτι μοι ὑπέρφρονα κατένευσε Κρονίων:
Cognosco, quòd mihi beneuolus annuit Iuppiter.
& 1. Iliad. κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων: *Annuit Iuppiter nigris superciliis.* Pleni Gentiles hac locutione, à quibus & pij scriptores. Nihil fortasse frequentius in Cyrillo Alexandrino, quàm νεῦμα de diuinis præceptis; vt cùm ait in Nahum num. 11. loquens de Deo, ἰδίοις νεύμασι τὰ ὑπ᾽ αὐτοῦ γεγονότα κατευθύνει. Sententia est; Deum suis nutibus gubernare res à se conditas. & num. 20. θείοις νεύμασιν ἀντιφράττειν; *diuinis præceptis obsistere.* & sæpe alibi. Pulchrè dixit Nonnus lib. 41. νεύματι νεῦσε καρήνῳ: *intelligenti capite annuit.*

Tremefacere Olympū. 18. ET TOTVM NVTV TREMEFECIT OLYMPVM.] Dio Chrys. Orat. 12. ait loquens de Ioue, γῆν σειομένην, καὶ κινούμενον Ὄλυμπον ὑπὸ νεύματι βραχεῖ τῶν ὀφρύων: *Terram concuti, Olympum moueri breui superciliorum illius nutu.* Captarunt tamen præcipuè ingenij gloriam in re simili Poëtæ alij. Præclarè Homer. 1. Iliad.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ᾽ ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.
Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο; μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.
Dixit, & nigris superciliis annuit Saturnides,
Diuinæ autem comæ defluxerunt Regis
Ex capite immortali, ac magnum concussit Olympum.

Altius & aptius, *tremefecit*. Catullus ab Homero sumpsit *concutio*, versus illius integros alibi attuli. Eodem verbo Claud. 3. Rapt. vbi de Ioue,

Dixit, & horrendo concussit sydera motu.

Senecæ *tremo* placuit, vel ab Catullo, qui, *contremuerunt*, vel ab Nostro, qui, *tremefecit*: ita enim in Agamen. in Choro act. 2.

Cuius nutu simul extremi
Tremuêre poli.——

Audi & Statium tertia Thebaide, de Ioue,

——*terras cœlúmque, fretúmque*
Attremere oranti.——

Sed aduoco locum integrum Calabri lib. 12. vbi maiestatem Iouis egregiè repræsentat, quam rem hîc Maro intendit. Ergo Iuppiter apud illum.

Iouis maiestas. Ζεὺς δ᾽ Οὐλύμποιο ἦλθε μέγα, κῦδος ἐπιειμένος
Αἰθέρα πάντα ἐπὶ ἀρχεχυθεὶς ὑπέρσχηκεν. ἄλλοτε δ᾽ ἄλλαι
Βρονταὶ ὁμῶς στεροπῇσι μιγ᾽ ἐκτυπέοντ᾽. ἐκ δ᾽ ἐκεραυνοὶ
Ταρφέες ἐξεχέοντο ποτὶ χθόνα. καῖε δ᾽ ἀὴρ
Ἄσπετος. ἀθανάτοισι δ᾽ ὑπὸ φρένας ἵκετο δεῖμα.
Πάντων δ᾽ ἔτρεμε γυῖα, καὶ ἀθανάτων περ ἐόντων.
Venit itaque in magnum Olympi verticem, & concussit
Totum desuper æthera, ventus, aliásque alia
Tonitrua mista fulguribus horrendum reboant, inde etiam
fulmina
Crebra ad terram effundebantur, flagrabatque aer
Infinitus. Tum metus Deorum mentibus ingruit,
Omniúmque membra tremuerunt, quamuis essent immortales.

19. SOLIO TVM IVPPITER AVREO SVRGIT.] Conueniunt hæc Ioui falsò, sedet, surgit, éstque in solio: non verò Deo, nisi per συγκατάβασιν, vt loquitur Ioann. Chrysost. Orat. 3. de incomprehensibili Dei natura, Latinè dicas, potiùs barbarè, *condescensum*: Condescendit enim nobiscum Deus, loquitúrque ad nostrum captum, cùm talia de se. Itaque Chrysost. postquam præmisit illam συγκατάβασιν, subiicit. θεὸς δ᾽ οὐ κάθηται, σωμάτων γὰρ ὁ σχηματισμὸς οὗτος. καὶ ἐπὶ θρόνου, θεὸς γὰρ θρόνῳ οὐ περιειλήπτεται, ἀπερίγραπτον γὰρ τὸ θεῖον: *Deus non sedet, corporis enim hic est habitus: & in solio, cum Deum nullum solium complectatur, nequit enim describi.* Pergit multis. Cape verò in Poëta θρόνον: in sermone enim Iouis idem est θρόνος Græcorum, & *solium* Latinorum. Nam cùm Homerus Diis aliis voces alias assignet, vni semper Ioui θρόνον. Exemplum aduoco ab octaua Iliade, vbi Iuno & Minerua, ἐπὶ κλισμοῖσι καθῖζον: & statim Diis aliis attribuit θώκους. Cùm verò Iouem sedentem facit, illum locat χρύσειον ἐπὶ θρόνον. Vides dari Diis aliis iam κλισμούς, iam θώκους, vni verò Ioui θρόνον: ac proinde Poëtam in solio suo capiendum de throno.

Deus incōprehensibilis.

Solium idē quod thronus. Thronus Iouis est.

20. COELICOLÆ MEDIVM QVEM AD LIMINA DVCVNT.] Paria fermè de Homerico Ioue in exitu primæ Iliados; cùm enim surgeret à concilio: θεοὶ δ᾽ ἅμα πάντες ἀνέσταν ἐξ ἑδέων: *Dij simul omnes surrexerunt ex sedibus.* In his, quæ sequuntur, & quibus liber absoluitur, Homerus, vt solet, futilis est, ideóque à correctore Virgilio contemptus. Quid enim oportuerat prodere Iouis lectum, somnum, voluptatem cum Iunone? Hoc ne de mortalibus quidem quisquam commodè dicat, vt post concilium de rebus magnis Princeps pergat ad vxorios concubitus. Vt hîc Iuppiter in medio Deorum, ita apud Calab. lib. 2. ἐν μέσσοισι,

Iuppiter medius deorum.

Homeri vitium.

[a] Interea Rutuli portis circùm omnibus instant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere flammis.
[b] Ast legio Æneadûm vallis obsessa tenetur,
Nec spes vlla fugæ, miseri stant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxêre corona.
[c] Iasius Imbrasides, Hicetaoniúsque Thymœtes,
Assaricíque duo, & senior cum Castore Tybris,
Prima acies: hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, & Hæmon Lycia comitantur ab alta.
[d] Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis Lyrnesius Agmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
[e] Hi iaculis, illi certant defendere saxis:
Molirique ignem, neruóque aptare sagittas.
[f] Ipse inter medios Veneris iustissima cura
Dardanius caput ecce puer detectus honestum:

 [g] Qualis

g Qualis gemma micat, fuluum quæ diuidit aurum,
Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur: fusos ceruix cui lactea crines
Accipit, & molli subnectit circulus auro.

ARGVMENTVM.

Redit ad intermissam belli operam; Rutuli enim obsidione Troianos premebant absente Ænea: recenset Principes Troianorum, qui in ea obsidione illustres; desinit in Ascanium, cuius pulchritudinem commendat, & comparat.

EXPLICATIO.

a MEMINERIS nona Æneide Troianos pressos obsidione ab Italis, hanc intermisit Poëta concilij Deorum narratione, redit iam ad illam, & acre indicat studium, quo Itali Troianos oppugnabant, instabántque iam cædibus, iam flammis iactandis.

b Continebāt se Troiani intra suos aggeres, nam hos indicat per *vallos*. Quódque vnicum erat remedium, id est, fuga, hoc deerat præsente hoste. Stabant itaque in turribus murorum, *miseri, nequicquam*, & pauci, ideo *rara corona*. Quasi dicat, ideo miseri, & nequicquam, quia pauci.

c Dixerat, raram fuisse coronam; id verum apparet ex paucitate bellatorum, quos numerat; nam primam aciem sex tantùm Troiani constituūt, quos quatuor comitantur è gente Lyciorum, decem omnes fuêre. Quid istis propugnatoribus debilius; si numerum consideres?

d Adducit vnius Agmonis operam in defendendo muro, qui ingens saxum, potiùs montis partem, in hostes torsit. Signat eius patriam Lyrnesum, patrem Clytium, fratrem Menestheum. Ita solent Poëtæ sua exornare.

e Itali iaculis, Troiani saxis, quod consequens superiori Agmonis facinori. Versum sequentem Rutulis attribuo, qui igne & sagittis in Troianos vtuntur.

f Iam tandem ad Ascanium, qui vnicè in cura Veneris, vt qui eius nepos, nam ipsa Æneæ mater: vt qui pulcherrimus, nam ipsa pulchritudinis Dea. Erat puer detecto capite, vt ab suis agnosceretur, animósque adderet obsessis.

g Describit pulchritudinem Ascanij duplici comparatione. Vidisti gemmam auro inclusam, quæ gestari solet ad ornamentum aut colli, aut capitis: vidisti ebur inclusum buxo, aut terebintho, quæ celebrata est in Orico Epiri vrbe; talem inter reliquos bellatores Ascanium puta. Itaque puerum comparat cum gemma, & ebore: bellatores alios auro, buxo, terebintho. Pergit descriptio. Crines affusi erant per ceruicem lacteam, híque innexi aureo circulo, sed molli. Dicit videlicet, non fuisse eum circulum ex solido auro, nam hoc esset oneri & molestiæ puero; sed auro ducto, netóque in filum. Itaque *molli auro* est, filo aureo.

NOTÆ.

1. STERNERE CÆDE, &c.] Iuncta ratio pugnandi,

A & oppugnandi, cùm res geritur cruore, & igne. Ideo *sternere cæde, cingere flammis*. Vtramque iunctim etiam adhibet Soph. in Antig. Gladio, & igni.

———ἠθέλησε μὲν πυρὶ
Πρῆσαι κατάκρας, ἠθέλησε δ᾽ αἵματος
Κοινοῦ πάσασθαι:———

——— *voluit quidem igne*
A summo incendere, & voluit sanguine
Saturari illius.———

2. MOENIA CINGERE FLAMMIS.] Explico de ignibus, quos Rutuli admouebant vrbi ad eius vastitatem; nam & hoc postulat sententia, & postea se explicat illis, *Moliriq; ignem*. Nec facilè cedam, quamuis lib. 9. eadē verba aliam habeant sententiā in illis: Cingere flammis.

Interea vigilum excubiis obsidere portas
B *Cura datur Messapo, & mœnia cingere flammis.*

Vbi tantùm vult excitari ignem ad vigilias, non ad nocumentum vrbis.

3. AST LEGIO ÆNEADVM, &c.] Sapor est aliquis ad locum Homeri (vidit Vrs.) 12. Iliad. vbi, Imitatio.

Ἀμφὶ μάχη ἐνοπή τε δεδήει τεῖχος ἐΰδμητον.

Ait videlicet, circa murum exarsisse pugnam, & clamorem; & addit de Græcis,

Νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐελμένοι ἰσχανόωντο:
Naues ad concauas conclusi continebantur.

4. NEC SPES VLLA FVGÆ.] Caue intelligas de fuga illa, quæ cōtumeliosa, & plena ignominiarum, quam *fœdam* vocat Sall. in Iugurth. & reddit causam, quia *abiectis armis*. Quā dux Romanus apud Theophylactum lib. 3. Hist. cap. 13. ἀδοξίαν, quia plena pudoris, & præclarè statim vocat τάφον κακίας, *sepulcrum ignauiæ*. Sed intelligit genus illud fugæ, quo solebāt incolæ vastatas vrbes clàm deserere, cùm viderent se non pares esse vrbi fulciendæ accisis rebus. Et hāc fugam primi Dij ipsi inceptabant, deserentes vrbes, in quibus culti, de quo affatim secunda Æneide. Fuga, sepulcrum ignauiæ.

5. RARA CORONA.] Hanc oppones conferto, & conglobato militi. Rarum, & confertum opponuntur.

6. HOS GERMANI SARPEDONIS, &c.] Auxilia Troianorum semper à Lycia, & nihil in Homero frequentius, qui Lycios sæpe vocat ἐπικούρους cum respectu ad Troianos. Itaque, quamuis Lycios non nominet, si ἐπικούρους dicat, Lycios verè intelligit, vt cùm ait Hector 6. Iliad. Lycij in auxiliis.

Τρῶες ὑπέρθυμοι, τηλεκλειτοί τ᾽ ἐπίκουροι:
D *Troiani animosi, & è longinquo vocati socij.*

Et 8. Iliad.

Κέκλυτέ μευ Τρῶες, καὶ Δάρδανοι, ἠδ᾽ ἐπίκουροι:
Audite me Troiani, & Dardani, & socij.

Id est, Lycij.

7. ET CLARVS, &c.] Vti ego scripsi, legendus versus, ita vt *Clarus* & *Hæmon*, nomina sint virorum è Lycia. Itaque qui legunt, *Et clarus Hethæmon*, id est, illustris Hethæmon, perperàm legunt, & contra mensuram carminis, nam *clarus* primam producit. Nec ratio ista contra me in vocula &, quæ in cæsura, & vsu Poëtarum sæpe iam producta. Virgilij lectio.

8. SAXVM.] Hoc pugnæ genus alibi illustro latiùs. Apud Apollon. 1. Arg. Gigantes iaculantur πέτρας ἀμφιρρῶγας: *abrupta saxa*. Saxa iaculari.

9. HAVD

9. HAVD PARTEM EXIGVAM MONTIS.] Par incrementum orationis est in Nonno lib.29.vbi,

Montis pars.

Καὶ λασιῃ παλάμῃ σκοπιὴν ἀείρατο .....
Et hirsuta manu scopulum montanum attollens.

Et rursum lib.39.

Χειρὶ λαβὼν πρηῶνα θαλασσοτόκοιο κολώνης,
Εἰς ... ἀντιβίοισιν:———
Arripiens manu cacumen rupis natæ in mari,
In hostes proiecit.———

Valer.Flacc.lib. 6. Arg. dixit: *Tum ruit vt montis latus.* Ammian.lib.14. *Hoste discursatore rupium abscissa voluēte.* Comparat Seneca Suas. 1. locum hunc Virgilij cum loco Homeri, tametsi verba Senecæ corrupta sint. Ego puto Rhetorem ibi dicere, disci posse ex Virg.magna dicere,nec tamen *insana*.sic enim legendum,non *sana*. Itaque *rapi non exiguam partem montis,* tum magnum est,tum non insanum. Nam si mons raperetur.insanum esset.Volui locum istum Senecæ libare qui doctis negotium dat.

Magna dicit Virgilius,nō insana.

10. NERVOQVE APTARE SAGITTAS.] Hom.8. Iliad.de Teucro loquens,οἰστὸν ... ἐπὶ νευρῇ.Et flexu alio 4.Iliad.ἐπὶ νευρῇ κατεκόσμει πικρὸν ὀϊστόν.

Neruo sagittā aptare.

11. VENERIS IVSTISSIMA CVRA.]Ita Pind.Od. 1.Olymp.

Θεὸς ἐπίτροπος ἐὼν τεαῖσι μήδεται
Ἔχων τοῦτο κᾶδος, Ἱέρων,
Μερίμναισι:———

Deus custos tuis prouidet curis habens hanc solicitudinem, ô Hieron. Apollon.1. Arg. filium vocat βιοτῆς κηδεμόνα: *vitæ curas*, loquens de Phaleto filio Alconis. Cæsar apud Lucan.lib.5.de suis castris: *Sunt ista profectò cura castra Deis.*Auson.in Mosell.

Deo curæ sunt homines.

Augustus pater,& natus mea maxima cura.

12. CAPVT DETECTVS.] Hoc fortasse referendum ad Iulium Cæsarem, qui nudo capite sæpe signa conferebat cum hoste. Quod credibile ab blanditore Poëta, nullam ornandi Cæsarum prætereunte occasionem.De Seuero Imperatore Herodianus lib. 3. ἀνακαλύπτων τὴν κεφαλὴν ὡδοιπόρει, προθυμίας ... ὑπόδειγμα τοῖς στρατιώταις ἔργῳ διδούς: *Ibat aperto capite,vt milites ad alacritatem patientiamq́; laborum reipsa cohortaretur.* Sed de hac re dicam & extrema Æneide,vbi paria de Ænea.

Iulius Cæsar pugnabat detecto capite.

Detectum in bello caput.

13. QVALIS GEMMA MICAT,&c.] Non dissimili poësi Silius lib.11. ad pulchritudinem quoque exornandam.

Pulchritudo gemmis cōparata.

Quale micat,semperq́; nouum est,quod Tyburis aura
Pascit ebur,vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis,rubris aduectus ab vndis.

Ebur Tyburis.

Et *micat* ait,quod gemmarum est. Tertull.de Hab. Mul. *lumina lapillorum, quibus monilia variantur.*& mox *micorem* quoque iisdem dat lapillis. Hic enim scriptor per *lapillos* gemmas intelligit auro inclusas, nam ipse ibid. *Sed & lapillos istos,qui cum auro superbiam iungunt.*

Mico, de gemmis.

Lapilli pro gemmis.

14. AVT COLLO DECVS,AVT CAPITI.] Explodit satis Poëta illorum interpretationem, qui superiorem versum,

Qualis gemma micat,fuluum quæ diuidit aurum,

referunt ad annulos digitales, eorúmque vsum. Non sic est, nam clarè de gemmis, quæ ad ornatum aut colli, aut capitis. Sed quis auctor annulorum, quod multis difficile, alia declarabitur excursione, liberiore quidem, neque illigata commentandis Poëtis.Redeo ad Poëtam,& laudo Vrsinum,qui ait, *decus* Virgilij respondere ἀγάλματι Homeri. Doctè ille,& quia vulgus Græcorum quid sit ἄγαλμα ignorat,lege quæ iam Herald.in lib.6. Arnobij. Conferantur etiam cum hoc loco, quæ dicta prima Æneide de pulchritudine Æneæ,ad illa,

Decus respondet ἀγάλματι.

A

Quale manus addunt ebori decus,aut vbi flauo
Argentum,Pariúsve lapis circundatur auro.

15. ORICIA TEREBINTHO.] Nobilem hanc fuisse Propertius quoque indicat Eleg.7.lib.3.

Oricia terebinthus.

Sed thyia thalamo,aut Oricia terebintho.

Et Q.Serenus,

Nec non resinas ex Oricia terebintho.

Prouenit etiam aliis in locis, tum in Cypro, & Cycladibus insulis,teste Dioscor.lib.1.cap.93.quæ loca non ita dissita ab Epiro,vbi Oricos.

16. FVSOS, &c.] Ex mollicie æui prisci,in quo crines non secti,sed fusi, & fluxi,vt sæpe nunc feminæ,præsertim in tenera ætate.Stat.Thebaide sexta,

Comæ fluxæ apud veteres.

B

Deserpitq́; genis,nec se lanugo fatetur,
Intonsæ sub nube comæ.———

De Troilo 1.Æneid.

———ceruixq́;,comaq́; trahuntur.

De Iasone in florida ætate Pind.Od.4.Pyth.

Οὐδὲ κομᾶν πλόκαμοι
Κερθέντες ᾤχοντ' ἀγλαοί,
Ἀλλ' ἅπαν νῶτον καταίθυσσον:
Neque comarum capilli
Tonsi abibant pulchelli,
Sed totum tergus quatiebant.

Nonnus lib.10.

———ἐπιδωμίδιοι δὲ χαῖται
Βότρυες ἑλιξ... ἐπ' ἀργυφέων θέον ὤμων
Ἀπλεκέες.λιγυρῷ δὲ ...
... ———

C

———reiecta post tergum coma
Racemi flexuosi super splendidos currebant humeros
Non complicati.Suaui vero vna concitati aura
Flatu leues inerrabant.———

Idem pari Venere lib.20.

Ἀπλοκέες ... βόστρυχες αὔραις:
Concinni non plexi agitabantur ventis.

Petronius in Sat.*descendentes ab aure capillos*. Martial. lib.4.Epig.42.in descriptione pueri formosissimi, *mollesq́; flagellent colla comæ.* Quærenti, quæ ratio huius moris, multæ se offerebant, sed illa non indigna quæ audiatur, sectos crines notam fuisse seruitutis, inde à liberis tantopere amatam laxitatem illorum. Aristoph. in Auib. δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις: *seruus cùm sis comam habes.*Vbi interpretes: ... τῶν ἐλευθέρων τὸ κομᾶν: *erant coma nota liberorum.* Sed hoc satis delibasse,cùm non attingat Virgilius.

Intonsi cur veteres.

Serui sectis crinibus.

D

17. CERVIX LACTEA.] Mollicellum attributum. Apul.lib.3.*plumeam lacteamq́; cutem.* Nonnus lib. 11.de puero Ampelo,καὶ δέμας εἶχε γάλακτι παναίκελον: *Habebat corpus lacti persimile.* Sed de hoc attributo alibi.Ouid.in epist.Acontij ad ebur decurrit,

Lacteum attributum.

Hoc faciunt flaui crines,& eburnea ceruix.

Tam lacte, quàm ebore notari potest ceruicis nitor,qui inter signa pulchritudinis lib.7.Anthol. δειρῆς φέγγος.

18. ET MOLLI SVBNECTIT CIRCVLVS AVRO.] Nescio an hic cum nonnullis interpretum liceat recurrere ad aureos torques,qui gestabantur in pectore, de quibus locutus sum 5. Æneide.Nam tantùm dicit, crinem illigatum circulo aureo ad eum modum, quo iam explicui. Itaque potior est mens Vrsini,qui adducto versiculo è lib.5.Anthol.satis indicat rem:ibi enim de Phœbo,ἦν δ' ἄρ ... χαίτης ... σφίγξας ... Quibus ait, capillum fuisse Phœbo solutum è capite,sed in tergo illigatum.

E

Circulus aureus illigandis comis.

ᵃ Te quoque magnanimæ viderunt Iſmare gentes.
Vulnera dirigere,& calamos armare veneno
Mœonia generoſe domo:vbi pinguia culta
Exercéntque viri,Pactolúſque irrigat auro.
ᵇ Affuit & Mneſtheus,quem pulſi priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit.
Et Capys:hinc nomen Campanæ ducitur vrbi.

ARGVMENTVM.

Numerat tres alios Troianos, quorum opera claruit in defendendis muris.

EXPLICATIO.

ᵃ ATTOLLIT tum Iſmari gloriam à peritia iaculandi ſagittas veneno illitas: tum genus, quod à Mœonia: & attingit obiter prouinciæ huius fertilitatem; nam ibi cultiſſima arua, & verè *pinguia* ab irrigante Pactolo, qui aureus. *Magnanimæ gentes* ſunt Italicæ, & cum oppoſitione ad Mœoniam. Quaſi dicat: Non tu ſolùm illuſtris es & fortis inter Lydos tuos, qui molliſſimi ſunt; ſed etiam inter fortes,& aſperos viros,quales ſunt Itali. Etenim Lydi,Mœones,& tota illa Orientis pars infamis eſt luxuria,& mollicie vitæ.

ᵇ Reuocat in memoriam, quæ narrata in exitu nonæ Æneidos,vbi à muris Troianis pulſus Turnus virtute Mneſthei; huic enim vti ſeruatori debetur ea gloria. Affuit etiam & Capys, à quo nomen accepit vrbs Campaniæ caput.

NOTÆ.

Itali magnanimi. 1. MAGNANIMÆ GENTES.] Cùm intelligat Italos, non abeunt ab hoc elogio, quæ adduxi lib.6. ad ea verba,*animos æquabit Olympo*, vbi ſermo de Romana vrbe.

Hyppalage. 2. VVLNERA DIRIGERE.] Duplex ſchema, & ὕςερον πρότερον,& ὑπαλλαγή.Primum; nam mutat ordinem, priùs enim illinuntur calami veneno, mox diriguntur: alterum; nam *vulnera* ſubſtituit pro calamis, vt in 2. *infeſto vulnere Pyrrhus inſequitur*, pro, telo. Itaque illuſtrabis hunc locum his, quæ dicam lib.12.*Infixanant alij currus*.Silius nullo ſchemate lib.5.*ſpicula dirigere*.& lib.4.

——Scythicis armata venenis
Colchis.——

3. CALAMOS ARMARE VENENO.] Huius mali mentio ſæpe in Ouid.videlicet Eleg.10.lib.5.Triſt.

Nam volucri ferro tinctile virus ineſt.

& lib.6.de Pont.Eleg.1.lib.1.Eleg.10.lib.4.& alibi. Vide quæ dixi 9.Æneid. ad illud penè in exitu, *Pestifera arma cur dicta.* *ferrumq́; armare veneno*. Stat.eodem ſenſu 1.Theb.*peſtifera arma*.

Lydi, & Mœones idem. 4. MOEONIA.]Lydiam intelligit,vt perſpicuum ſit ex Strabone(omitto alios)lib.13. vbi loquens de vrbe Sardi:*Ea Lydorum caput fuit, quos Homerus Mæonas vocat, poſteriores Mæones dixerunt. Hos quidam diuerſos à Lydis dicunt, quidam eoſdem; ſed præſtat, vt eoſdem dicamus.*

Generoſus quid. 5. GENEROSE.] Cùm ſententia ſit, hunc eſſe generoſum,quia ab domo Mœonia, ne capias in Poëta hominem γενναῖον, ſed hominem εὐγενῆ. Diſcriminat quippe Ariſtot. lib. 2. Rhet. capt 15. ἔςι δ' εὐγενὲς μὲν κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν. γενναῖον δὲ κατὰ τὸ μὴ ἐξίςασθαι ἐκ τῆς φύσεως;id eſt, *Eſt* εὐγενὲς, *quod à generis,& maiorum virtute. Eſt* γενναῖον,*quod non degenerat à maiorum natura.* Itaque primum in te ſitum nõ eſt,alterum ſitum eſt in te.Nemo enim poteſt non naſci à ſuo genere; reſpondere autem in ſua eſt poteſtate.

Domus pro familia. 6. DOMO.] Pro familia aut genere, ídque ex Græco etiam penu.Soph.in Antig.

Νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ
Ρ'ίζας τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις:
Nunc enim reliquum erat
Lumen extremæ radicis in Oedipi domibus.

Et in Electra:

Ἀλλ' ὧδέ μ' αἰεὶ ζῶσαν ἀβλαβεῖ βίῳ
Δόμους Ἀτρειδῶν σκῆπτρά τ' ἀμφέπειν τάδε:
Sed præſta,vt ſic ſemper incolumis
Domum Atridarum,& hæc Regna adminiſtrem.

Id eſt,genus,familiam,Regnum.

Pactoli elogia ab auro. 7. PACTOLVSQVE IRRIGAT AVRO.] Hoc elogio inſignis ſemper hic fluuius: Maximus Tyrius diſſert.34.χορηγοῦσι δὲ οἱ ποταμοὶ ταῖς βασιλέως ἡδοναῖς, Πακτωλὸς χρυσὸν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπης ὕδωρ: *Suppeditant flumina voluptates Regi, Pactolus aurum, Nilus frumentum; Choaſpis aquam*.Strab.lib.13.dat huic fluuio χρυσοῦ ψῆγμα πολὺ: *multa auri ramenta*. Quin adiicit Crœſi diuitias ad hunc amnem referendas. Eadem Dio Chryſoſt. Orat.78. & Philoſtratus lib.6. de vita Apoll.cap.16.Sed pergo ad elogia. Athen.& Herodotus vterque lib.5.dant illi χρυσοῦ ψῆγμα.Ab Nonno lib.21. celebratur ὄλβος Πακτωλίδος ὄχθης: *felicitas ripæ Pactolidis*, aitque illum ſplendeſcere rubenti liquore.Et lib.41.de felicitate eiuſdem ripæ χρυσὸν ἐρευγομένης,*aurum eructantis*, & lib.10. vocat eius aquam χρυσίασπορον,quaſi aurum ſeminet.& lib.11.

Ἀστράπτει ῥόος οὗτος ἐρυθιόωντι μετάλλῳ:
Fulgurat fluctus hic rubenti metallo.

Sophoc.Philoct.εὔχρυσον.Græci alij χρυσορρόαν,& χρυσόψηφον. Claud.1. Ruff. dat illi *ſtagna aurea*. Paneg. Probini,& Iuuen.Sat.14.*rutilas arenas*. Varro in lege Mænia, *aureas vndas*.Auctor Theb.*opulenta vada*.Seneca Oedip. *Vndam diuitem, aurea flumina*. Quin Tibul. κατ' ἐξοχὴν, *Lydius aurifer amnis*. Vt etiam lib.1. Epig.nam tantùm πολὺν ἐκ ποταμῶν χρυσόν. Mitto Plinium,& alios,qui de ſitu orbis.Horat. prouerbialiter Od.15.Epod.*Tibiq́; Pactolus fluat*. Prouerbial.

Gloria ex beneficio. 8. PVLSI TVRNI.] Alludit ad illa noni lib.*Turnus paulatim excedere pugna*,idque Mneſthei & verbis, & factis. Verbis, ibi. *Talibus accenſi firmantur*. Factis, nam *fulmineus Mneſtheus*.Similis locus in 5.

Quem modo nauali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur——

Et Statij 5.Theb.

——Getico nuper ditata triumpho.

Ibidem:

Hic & ab aſſerto nuper Marathone ſuperbum
Theſea.——

Tale

Tale & illud Plutar. in vita Craſſi, qui in mentione viri principis, huic laudem quærit, πρῶτος ἐπιβὰς τῶν τειχῶν, καὶ τρεψάμενος ἰδίᾳ χειρὶ τοὺς ὑποστάντας: *Qui primus muros aſcenderat, hoſteſq́; manu propria pepulerat.* Nonnus lib. 14. ἀγήνορα δίζυγι νίκῃ: *ſuperbum duplici victoria.* Pompeius audiuit à Sylla, ὁρῶ σε ὦ νεανία χαίροντα τῇ νίκῃ. auctor eſt Plutar. *video te ô iuuenis exultantē victoria.* & de eodem Pompeio Plutar. idem, ἐπαρθεὶς δὲ τῇ πράξει, καὶ μέγα φρονῶν. Nam videlicet militaris victoria attollit ſpiritus.

Victoria ſuperbos reddit.

9. HINC NOMEN CAMPANÆ DVCITVR VRBI.] Aliter alij: nam καμπὸς vox priſca *planiciem* ſignificat, & tota Campania plana eſt. Maluit Poëta gloriam A hanc dare viro Troiano, vt ſæpe aliàs, in Auguſti gratiam: addo & veriùs, vt liquidum ex ſimillimis argumentis. Nam quis ignorat multa oppidà Italiæ duxiſſe nomen à viris Troianis? Vide quæ hîc fusè Seruius. Virgilium ſequutus eſt Lucan. lib. 2. nam de Capua loquens:

Campania à Capy.

Mœnia Dardanij tenuit Campana coloni.

Silius lib. 11. loquens de Capua.

——*& Dardana ab ortu*

Mœnia.——

Iterum:

——*Cui nomina liquit*——

A Ioue ductà Capys magno cognatus Iulo.

ᵃ Illi inter ſeſe duri certamina belli
Contulerant: media Æneas freta nocte ſecabat.
ᵇ Namque vt ab Euandro caſtris ingreſſus Hetruſcis,
Regem adit, & Regi memorat nomenque, genúſque:
Quídue petat, quídue ipſe ferat: Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet, violentáque pectora Turni
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus
Admonet, immiſcétque preces. ᶜ haud fit mora, Tarchon
Iungit opes, fœdúſque ferit. ᵈ tum libera fatis
Claſſem conſcendit iuſſis gens Lydia Diuûm
Externo commiſſa duci. ᵉ Æneia puppis
Prima tenet, roſtro Phrygios ſubiuncta leones:
Imminet Ida ſuper profugis gratiſſima Teucris.
ᶠ Hîc magnus ſedet Æneas, ſecúmque volutat
Euentus belli varios: Palláſque ſiniſtro
Affixus lateri, iam quærit ſydera, opacæ
Noctis iter, iam quæ paſſus terráque, maríque.

B

ARGVMENTVM.

Aduentus Æneæ ad caſtra cum commemoratione rerum geſtarum cum Tarchonte, deſcribitur Æneæ nauis.

EXPLICATIO.

ᵃ PENDENT iſta omnia ex cognitione eorum, quæ dicuntur lib. 8 & 9. Quippe in nono habetur acris Turni pugna contra Troianos, in octauo ad finem diſceſſus Æneæ ab Euandro. Itaque dum pugnant Rutuli, & Troiani, qui erant cum Aſcanio, Æneas iam diſcedens ab Euandro redibat C ad ſuos.

ᵇ Commemorat, quæ libata tantùm in libro octauo; vbi Æneas ſuaſu Euandri abiit ad caſtra Hetruſcorum, vbi adiit Regem Tarchontem, illique nomen ſuum, & genus aperuit: deinde quid militum ab eo petat, quid militum ipſe ferat: tertiò, Mezentij arma, vtque is milites ad ſe pelliceret; quartò, Turni violentiam: quintò demum, vti Æneas iam acri monitu, iam humili prece rem egerit cum Tarchonte, docẽs nihil fidendum humanis rebus; quaſi diceret Æneas, ait Seruius: *Nolite putare fixam eſſe & ſtabilem felicitatem, magna eſt enim rerum varietas, inuicem accipietis auxilia.*

ᶜ Ita acris vis Æneæ in ſuadendo, vt ſtatim Tarchon nulla mora interpoſita *opes*, id eſt, exercitum, iunxerit cum Ænea, fœdúſque ferierit. Hanc belli ſocietatem τὰ λήμματα vocat Plutar. in Nicia, vt in qua poſitus neruus belli.

ᵈ Hæc ſatis fusè narrata libro octauo. Audiuerant Hetruſci ab oraculo, *Externos optate duces.* Itaque non cõceſſum illis ire ad bellũ, niſi ſub externo duce. Viſo ergo Ænea, qui externus, liberi iam ſunt & ſoluti ab neceſſitate, quam oraculum impoſuerat, ac proinde claſſem omnes conſcenderunt. *Gens Lydia* ſunt Hetruſci, quia iſti ab Lydis.

ᵉ Nauigabat loco principe ante alias Regia Æneæ nauis, cui in roſtro leones bini. Exhibet Poëta amœniſſimè in deſcriptione nauis ſpeciem curris: quaſi eodem iugo leones innexi nauem veherent, & *Phrygios* vocat quia in tutela Deæ Phrygiæ, id eſt, Cybeles, cuius tutelæ commiſſa Æneæ nauis. In verbo *tenet* ſubaudi mare. Pergit deſcriptio. Erat in puppe depicta Ida. Eſt illa *gratiſſima profugis Teucris*, quia inde petita materia ad fabricandas naues ad fugam Æneæ.

ᶠ Sedet Æneas in puppe preſſus belli curis; nihil enim bello varium magis. Pallas, qui ad ſiniſtrum eius latus, auertit has curas variis quæſitis. Iam enim ab illo curſum ſyderum percontatur, & rationem nocturni curſus; iam labores, quos paſſus terra & mari. Expende verbum *affixus*, vt qui altercabundus, vt neceſſe in diſputatione ſyderum. Nota etiam vt Æneam rerum omnium peritiſſimum faciat, & tanquam

quam magistrum. Etenim magistro affiguntur discipuli ad discendum. Cicero lib. 3. epist. 1. ad Q. fratrem. *Iuuenis illum mihi esse affixum, tanquam magistro.*

NOTÆ.

Bellum cur durum. 1. DVRI CERTAMINA BELLI.] Non capio vulgari significato, sed *duri* hîc est, *durantis*; nam cum respectu ad lib. 9. & 8. Itaque ait, illos tandiu in bello perstitisse, quandiu Æneas cum Euandro fuit. Quod genus belli Demosthenes vocat συνεχῆ, καὶ μακρόν. & idem pro Ctesiphonte, ἀκήρυκτον, καὶ ἀσπονδον, quasi bellum *implacabile*. Ad eum modum, quo de inimicitiis dixit Plutar. in Peric. ἀκήρυκτον, καὶ ἄσπονδον ἔχθραν. & ideo signatè addit *contulerant*, quo indicat, bellum gestum cominùs, id est, συνάπτειν, & συμβάλλειν χεῖρας. Tunc enim obstinatissimum est bellum, cùm ad manus procurritur indignabundè. Ita 2. Æneid. *duri Vlyssi*, est, quod Horat. *patientis Vlyssi*. Inde ab Hom. Vlysses πολύτλας dicitur perolerans. Cùm ait *certamina belli*, sumpsit fortasse ab Lucret. qui lib. 1.

Conferre manus.

Certamen belli.

Clara accendisset saui certamina belli.

2. MEDIA.] Do lucem huic loco, vnde & tu multis aliis. Sunt qui reprehendant Virgilium, quòd interdum ἀμφι-ολως interserat. Nam hîc, aiunt, *media* esse potest aut *freta*, aut *nocte*, ἀτόπως: nihil (inquam) ἀμφιβόλως Virgilius. Quæ ergo lux? vicinitas amphiboliam adimit. Itaque *media* sunt *freta*; quia vox *freta* coniunctior, viciniórque est τῷ *media*, & vox *nocte* remotior. Quæ solutio facilis expediendis multis locis Virgilij. Ita Homer. 12. Iliad. cùm scripsit,

Virgilius defenditur.

Amphiboliam adimit vicinitas.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μὲν Τρώων θάνον ὅσσοι ἄριστοι,
Πολλοὶ δ' Ἀργείων οἱ μὲν δάμεν, οἱ δ' ἐλίποντο.

Vicinitas adimit dubitationem, nam οἱ μὲν δάμεν, id est, πολλοὶ Ἀργείων. οἱ δ' ἐλίποντο, id est, Τρώων ἄριστοι. Multæ certè passim tenebræ in auctoribus nisi hæreas huic præcepto. In 4. Æneid. *Tercentum tonat ore Deos*, non est, *tonat tercentum Deos*, etiamsi hoc enixè aliqui contendant, qui dicunt respectum ad ἑκατὸν, id est, centenarium numerum sacrum Hecatæ, nam si hoc esset, recurreret statim Vates, nam postea, *Tergeminamq; Hecatem*; quod est magnum vitium. Quæ ergo sententia? *Tonat ore tercentum Deos*, id est, infinitos; nam Poëta ita coniungit.

Tercentum tonat ore Deos, quid sit.

Secare fluctus. 3. SECABAT.] Anacreon de tauro:

Περᾷ δὲ πόντον εὐρὺν,
Τέμνει δὲ κῦμα χηλαῖς.
Transmittit latum pontum,
Secat fluctus vngulis.

Homer. Odyss. 13.

——ῥίμφα θέουσα θαλάσσης κύματ' ἔταμνεν.
——*celeriter currens maris vndas secabat.*

Apollon. 4. Arg. πόντον ἔτεμνε νηῦς. Oppian. 1. Hal. τέμνει κῦμα. &, ἄγρια κύματα τέμνει. Latini sæpe. Horat. Od. 1. lib. 1. *nauta secet mare*. Ouid. Eleg. 5. lib. 5. Trist. *scindere puppe fretum*. Mitto infinitos.

Motus verba cum tertio casu apud Græcos. 4. CASTRIS INGRESSVS.] Græcorum hoc, qui præcipua quadam elegantia verbis motus adiungunt tertium casum, non quartum, vt Latini. Lib. 12. Iliad. κατέπεσον ἐν κονίῃσι: *deciderunt pulueribus*, pro, in puluceres. Ibidem, πέλασεν νήεσσι θοῇσι: *Accessit nauibus velocibus*, pro, ad naues, &, νηυσὶ πεσέεσθαι: *præ-* A *cipitaturos nauibus*, pro, in naues. Xenophon 7. Anab. προσέτρεχον αὐτῷ πολλοὶ, καὶ λέγοντες: *Multi accurrunt illi, & dicunt*, pro, ad illum. Dicit enim multos accurrisse ad Xenophontem dicentes, &c.

5. REGEM ADIT, &c.] Non fero interpretes, qui hîc agnoscunt ἀνακεφαλαίωσιν quandam. Nam hæc est, cùm cursim, & properè repetuntur, quæ dicta priùs fuerant longo orationis cursu. Atqui in lib. octauo nihil horum vnquam dictum. Itaque hîc narrat Poëta, quemadmodum Æneas nomen suum, & genus aperuerit Regi Tarchonti, auxilia quæ peteret, & quæ ferret, Mezentij, & Turni minas. Quæ omnia ibi ne libata quidem, nam tantùm ibi habetur, Æneam iuisse ad locum, vbi & B Tarchon, & Tyrrheni tendebant castra. Si scire velis, qualis esse debeat anacephalæosis, lege initium libri 7. ἀναβάσεως Xenophontis. Ferri fortasse possent interpretes, si dicerent hanc esse ἀνακεφαλαίωσιν κατὰ συμπέρασμα. Anacephalæosis.

6. QVIDVE PETAT, QVIVE IPSE FERAT.] Affinis locus Xenophontis lib. 7. ἀναβ. νῦν, εἰ βούλοιο, σύ τε ἡμᾶς ὀνῆσαι, καὶ ἡμεῖς σὲ μέγαν ποιήσαιμεν: *Nunc si volueris, & in nos beare poteris, & nos te magnum efficere.* Quippe mens Æneæ est docere Tarchontem, vtrunque mutua vtriúsque opera indigere. Notetur verò studium Æneæ in conciliando Tarchonte. Adumbrantur enim societates illæ Romanorum. Affinitas locorum. Mutua opera.

7. CONCILIET.] Fullonum esse hoc verbum scribit Varro lib. 5. Ling. Latin. & inde in alia pro- C manasse. Sed, si fas cuilibet diuinare, à ciliis palpebrarum duco, cùm demulcentur somno. In somni enim lenitudine cilia dicuntur conciliari, à qua re itum in alia significata. A quo non abhorret sententia Eusthatij in versum primum lib. vltimi Odyss. vbi Mercurius dicitur Κυλλήνιος, *Cyllenius*. Quo loci postquam præmisit ita dictum vel à monte Arcadiæ, vel ab Heroide, subiicit, κατὰ μέν τοι ἀλληγορίαν Κυλλήνιος, ὅτι ὕπνου δοτὴρ, καὶ τὰς ἡνίας τῶν κύλων, ἢ κυλάδων ἔχων: *Sed allegoricè Cyllelios, vt qui dator somni, & habenas continens ciliorum.* Est verò Mercurius pater eloquentiæ, blanditiarum, conciliationis. Concilio à ciliis. Cyllenius Mercurius vnde.

8. VIOLENTAQVE PECTORA TVRNI.] Nota D oppositionem. Mezentio dat blanditias, Turno violentiam. Quippe senex & bellandi peritus milites demulcet, iuuenis & ἄπειρος omnia per vim. Oppositio.

9. HVMANIS QVÆ SIT FIDVCIA REBVS.] Nam *cuncta mortalium incerta*, ait Tacit. 1. Annal. & Theophylact. Simocat. cap. 4. lib. 5. οὐδὲν τῶν τῇδε τῆς ἀνίας ἀλλότριον. ἅπαντα τῇ λύπῃ συμμέμικται: *Nihil alienum ab dolore, omnia tristitia admiscentur.* Quispiam apud Dionem lib. 38. ait de humanis, ὥσπερ πνεῦμα πίπτει: *cadunt instar auræ.* Xiphilinus loquens de Macrino, qui oppressus à puero. οὕτω που οὐδεὶς οὐδὲ τῶν σφόδρα δοκούντων ἰσχύειν βεβαίαν τὴν ἰσχὺν ἔχει: E *Adeò nemo, ne quidem illorum, qui plurimùm valere videntur, vires firmas habet.* Verè ergo docetur Tarchon, nihil fidendum humanis, nam quamuis valido esset armatus milite, tamen egebat societate Æneæ. Huc pertinet excursus Philippi ore Demosthenis apud Libanium Declamat. 15. vbi Rex ille putat fortunæ societatem esse μὴ βέβαιον, *non stabilem*, ratione ducta à bellis in quibus iam ipse victor, iam victus. Humana omnia incerta. Macrini mors.

10. ADMONET, IMMISCETQVE PRECES.] Præclarè opponit. Itaque Vatem intellige. *Admonere* enim sæpissimè, fortasse semper, cum verborum acerbi Oppositio.

acerbitate. Hanc itaque precibus opponit, vt sententia sit: iam increpitans, iam precans. Quæ dixi de verbo *admoneo* firmat Plaut. Pseud. scen. *Malus, & nequam*, vbi de seruo malo,

Admoneo, de re aspera.

Qui officium facere immemor est, nisi admonitus.

Expende, non ait, *admonitus verberibus, fustuario*, &c. etiamsi hoc intelligat. Nam *admoneo* hæc & similia includit κατ᾽ ἐξοχήν. In Columella vidi, *verberibus boues admonere*; locus excidit. Seneca epist. 47. *verberibus muta admonentur*. & lib. 1. de Clement. cap. 14. *admonere verberibus*. Tacit. 5. Ann. *puerili verbere moneri*. Horat. Sat. 6. lib. 1. *Sol acrior admonuit*, vbi coniunctim *acritudo*, & *admoneo*. In 6. Eclog. *Cynthius aurem vellit, & admonuit*. In quibus inest reprehensio. Ennod. epist. 16. lib. 8. *monitorem* pro reprehensore ponit. Cui verbo respondebit Homericum ἐπινεύειν, aut ἐπιτέλω. nam cum sit propriè *percutio*, & etiam *interficio*, dicitur etiam 14. Iliad. de increpatione eo versu, τὸν ἐνίνιπεν ἰσεῖπεν. Præcessit μ᾽ *admonuit me præceptum tuum*. Plutarch. in Lucullo hæc duo opponit, ἱκέσια παραμυθούμενος, ἀπειλεῖ νουθετῶν. vt videatur mihi παραμυθούμενος respondere *precibus* Virgilij, & νουθετεῖν *monitis*.

Monitor, pro reprehensore.

HAVD FIT MORA.] Thucydides, & Xenophon ἐυθύς, ad significandam celeritatem præstitam operam in bello.

12. IVNGIT OPES.] Clarum exemplum, vt videas *opes* significare generatim, neque determinandas ad rem vnam. Itaque diuitiæ, milites, agri, oppida, castella, amicitiæ, clientelæ, fauores, *opes* sunt.

Opes quid.

13. FOEDVSQVE FERIT.] Hom. 3. Iliad. ὅρκια πιστὰ ταμόντες. Vulgus Græcorum τὰς συνθήκας, καὶ ὁμολογίας. Quibus opponit Plato in Epist. παρὰ τὰ ὡμολογημένα ποιεῖν.

Fœdus ferire. Oppositio.

14. GENS LYDIA.] Id est, Thusci. Dixi iam secunda, & nona Æneide.

Lydi, Thusci.

15. EXTERNO COMMISSA DVCI.] Ex τῆς ὑπερορίας, vt loquitur Xenoph. lib. 7. Anab. cui voci opponas ex eodem στρατηγὸς ἐνδήμιος.

Externus dux. Oppositio.

16. PRIMA TENET.] An ideo *prima*, quia ante alias, an *prima*, id est, princeps, & prætoria, quam secunda Æneide vocat *Regiam* eo versu: *Flammas cùm Regia puppis extulerat*. & Diodorus lib. 20. vocat ναυαρχίδα, & alibi στρατηγίδα, vt quæ princeps aliarum nauium, & in qua ipse dux. Ita & Silius lib. 15.

Prima quid in Virg.

Nauis prætoria.

Emicat, ac prima stans Scipio puppe profatur.

Signat videlicet nauem prætoriam. Sed quid si *prima* est quartus casus pluralis? Fortasse. Nam 5. Æneid. ita audis,

Emicat Euryalus, & munere victor amici
Prima tenet.———

ac tunc sententia erit. Æneæ puppis tenet maria prima, id est, it ante reliquas. Sic & Valer. 4. Arg. Minyæ *alta tenent*.

17. IMMINET IDA SVPER.] An Ida παράσημον nauis Æneæ? Credo. Itaque non stultè quispiam putauerit insigne huius nauis fuisse Idam. Virgilius multa tantùm subindicat, quæ non explicat.

Ida insigne nauis.

18. HIC MAGNVS SEDET ÆNEAS.] Id est, in puppi; nam hic locus Principis, vt dicebam ad 3. Æneid. & hîc adiicio Homerum Iliad. 7. vbi Principes Græcorum sunt ναὶ παρὰ πρύμνῃ Ἀγαμέμνονος. & in 11. Agamemnon ipse est ναὶ παρὰ πρυμνῃ, *ad puppim nauis*. Ouid. de Ceyce principe nauigationis 11. Metamorph. *stamenque in puppe*. Ab Silio Scipio inducitur in puppe lib. 15.

Puppis locus Principis.

19. SECVM VOLVTAT.] Ita Agamemnonem describit Homer. 11. Iliad. πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα, *multa animo voluentem*.

Volutare secum.

20. EVENTVS BELLI VARIOS.] Præclarè ait Theophyl. Simocat. cap. 3. lib. 2. Hist. eam esse in bello inconstantiam, vt hac vna re bellum illustre sit, quod semper constans sit in sua inconstátia. Græca, si velis, sunt: φύσει γὰρ τὸ πολεμικὸν ταῖς μεταβολαῖς ἐμβατεῦον, μόνον τὸ ἄστατον ἔχει. Inde sæpe Homerus ἑτεραλκέα νίκην, *alternantem victoriam*. Vt & Nonnus ἑτεραλκὴς μάχη. Polybius lib. 9. πῶς αἱ πολεμικαὶ πράξεις ἐκ μικροῦ τὸ διαφέρον ἔχει τῆς ἐφ᾽ ἑκάτερα ῥοπῆς τῶν ἐκβαινόντων. *Adeo res bellicæ paruo momento possunt impelli, vt vel hunc, vel contrarium exitum sortiantur.*

Belli inconstantia.

Victoria alternans.

21. SINISTRO AFFIXVS LATERI.] Multi iam quæsiêre, vter locus honestior, dextérne, an sinister? Qui sinistrum volunt, pro se adducunt Maronis hunc versum, vbi sinister locus datur hospiti, auxiliatori, filio Regis. Qui rursum dextrum, eundem hunc versum ad se reuocant, vbi dexter locus datur Æneæ seniori, duci exercitus, filio Deæ. In hos extremos coniectores libenter imus, quæstione non agitata, quam iam ante nos Turnebus lib. 14. Aduers. cap. 24. & Lipsius 2. Elect. cap. 2. contra Goropium, ex cuius Lipsij capite, tanquam ex plena naui merces multas conferas. Tantùm, quæ ille firmat de dextro loco honestiore in bello, Plutarchi testimonio; nos augemus testimonio Sallustij in Coniurat. vbi *C. Manlium in dextra, Fesulanum quendam in sinistra parte curare iubet*.

Dexter locus honestior in bello.

22. NOCTIS ITER.] Ennius in Medea: *Noctis itiner*. Præclarè ait Stat. 2. Theb. hoc iter peragi à Somno, qui est auriga Noctis. Video in Virgilio quidpiam peculiare. Inducit Arcadem hominem quærentem, disputantémque de his rebus ab insita mortalibus traditione, qui putabant Arcadas fuisse huius rei peritissimos, vt qui fuissent nati ante Lunam, ante astra, ante dies, & noctes. Ergo qui primi hominum viderant diuisionem dierum, ac noctium, canente de illis Statio 4. Theb.

Arcades ante Lunam.

Hi lucis stupuisse vices, noctisque, feruntur.

sibi doctrinam hanc arrogant, vt qui testes oculati fuerint primi diei, primæ noctis. Hinc est, vt in explicatione Pallantem dixerim fuisse altercabundum. Itaque non tam animo discendi interrogabat, quàm disputandæ rei, & quæstionis mouendæ, ideo signatè *quærit*. Et quærebat fortasse,

———*qua via Solem*
Præcipitet, noctemque porriga?———

Agnosce versus Statij 6. Theb. Itaque *iter* Maronis est fortasse *via* Statij. Vel quærebat, *qua causa inducat noctem, qua reducat diem?* ait Seneca epist. 95. Nota etiam, vti suos duces inducat Maro non otiosos in via, sed, cùm nihil aliud tunc possent, certè altercabantur, disceptabántque. Hanc virtutem Magno Alexandro attribuit Plutar. in eius vita: de illo enim, ἢ συντάττων, ἢ δικάζων τι τῶν πολεμικῶν, ἢ ἀναγινώσκων: *vel commentans, vel disceptans aliquid militare, vel legens.*

Otiosi neque in via sunto.

* Pandite

[a] Pandite nunc Helicona Deæ, cantúsque mouete,
Quæ manus interea Thuscis comitetur ab oris
Ænean, armétque rates, pelagóque vehatur.
[b] Massicus ærata Princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus iuuenum, qui mœnia Clusi,
Quíque vrbem liquêre Cosas: quêis tela, sagittæ,
Corytíque leues humeris, & lethifer arcus.
[c] Vnà toruus Abas. huic totum insignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli iuuenes: ast Ilua trecentos
Insula inexhaustis chalybum generosa metallis.
[d] Tertius ille hominum, Diuûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sydera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere iubent Alpheæ ab origine Pisæ,
Vrbs Hetrusca solo. [e] Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adiiciunt (mens omnibus vna sequendi)
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis:
Et Pyrgi veteres, intempestæq; Grauiscæ.

ARGVMENTVM.

Fit noua inuocatio ad catalogum ducum, qui ex Hetruria in Italiam cum Ænea aduenêre. Habet hic tractus duces quatuor, Massicum, Abamem, Asylam, Asturem: quos variis rebus discriminat.

EXPLICATIO.

[a] PETIT à Musis (Deas hîc nominat) pandant Helicona montem, cantus ipsæ moueant, vt canat exercitum nauticum, qui Æneam sequitur ab Hetruria armatis ratibus.

[b] Principe loco Massicum numerat, qui Tigri (nauis est nomen) aduectus est. Ducebat secum Massicus iuuenes mille ab vrbibus Cluso, & Cosis. Fuêre tela istorum *sagittæ*. Gestabant in humeris corytos (thecas sagittarum intellige) & arcus, illos leues vocat, hos lethiferos, vtrumque propriè.

[c] Erat Abas secundus ordine. Loquitur enim Poëta cum respectu ad totam classem; non ad Massicum. Dat illi toruitatem ad indicandam ferociam, toti agmini arma insignia, eius puppi Apollinem, & hunc auratum, qui Deus eius nauis παράσημον, id est, *insigne*. Adhibet comitatum illius ab Populonia vrbe, & Ilua insula. Sed vrbs duplo maiorem dedit numerum, quippe sexcentos, cùm trecentos tantùm insula. Ideo illa *mater*, quasi ferax militum; & omnes erant belli scientissimi. Sed non ideo elogium deest Iluæ. Est enim metallorum adeò ferax, vt quo plura eruas, eo plura suppetant, renascente de nouo ferro.

[d] Asylas tertius, qui interpres, videlicet Deorum, quos interpretatur; hominum, in quorum gratiam. Huic vni omnis aruspicina & auguratus subditi, tanquam scientissimo. Et quidem vniuersam huius potestatem duobus versibus includit. Ducebat hic raptim aciem iuuenum mille, qui veluti in globum vnum densati; & illis horrentes hastæ. Sed vnde coactus hic miles? ab Pisis, quæ vrbs sita in Hetruria, cùm tamen originem duceret à Pisis illis, quæ iuxta Alpheum Arcadiæ. Et quidem Pisæ Græcorum sic dictæ ab auriga huius nominis, cuius ibi fuit sepulcrum, vt scribit Clemens in Protrept. Verbo illo *parere* nihil aliud capias, quàm Pisas voluisse suum militem subditum esse Asylæ.

[e] Quartus Astur. Huius multiplex elogium. Nam *pulcherrimus*, nam *equo fidens*, id est, eques optimus & peritissimus, nam *armis versicoloribus*, id est, pictis. Conflàuit hic militem ab locis multis, videlicet ab Cæretanis, ab accolis Minionis fluuij, ab Pyrgis, ab Grauiscis. Istæ enim vrbes trecentos iuuenes adiecerunt superiori aliarum vrbium multitudini, addictos, & veluti mente vna ad id bellum conspirantes. De attributis Pyrgorum, & Grauiscarum in Notis.

NOTÆ.

1. PANDITE, &c.] Hom. ἔσπετε νῦν Μοῦσαι. Sed præcipuè Poëtæ versatus est ante oculos Apollonius lib. 1. vbi fauorem à Musis petit, Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς: *sint Musæ cantus huius auxiliatrices*, videlicet ad explicandos Heroas, qui nauigarunt maria. Ad quam rem hîc se accingit Maro. Cognatus etiam locus Calab. lib. 12. vbi, Μοῦσαι ἔσπετέ videlicet ad recensendos duces, qui ingressi in equum ligneum cùm capta est Troia. De hoc more, & inuocatione Poëtarum dicebam iam ad septimam Æneidem. Hic tantùm expendo verbum *pandite*, Inuocatio

Pando, cur de Helicone.

pandite, quod signatè Poëta, vt is qui velit esse in secreto Helicone ad pangenda carmina, *quæ secessum, & otia quærunt.* Atque adeò, quod Philo de viro probo dixit lib. de Abraham. ἀναχωρεῖ, ϗ μόνωσιν ἀγαπᾷ, *recedit, & amat solitudinem*; idem possis de eo, qui Musis otium dicat. Ideo Claud. 1. Rapt.

Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum,
Et vestri secreta poli. ———

Et lib. 1. in Ruff. *Vos pandite vati Pierides.* & Præfat. de de Bell. Gild.

Pandite defessum reduces Helicona sorores,
Pandite, permissis iam licet ire choris.

Extendo, cur in inuocatione.

Aperti lacus

Helicon totus.

Manilius pari aura lib. 3. loquens cum Musis, *vestros extendite fines,* vt qui velit intrò penetrare. De Titio ait Horat. epist. 3. lib. 1. solitum fastidire ad condenda carmina *lacus, & riuos apertos,* quasi vellet profundos & occultos fontes. Ouid. 8. Metamorph. in re simili, *totúmque Helicona.* Vnde & Manilius lib. 2. optat non quamlibet vndam, & obuiam, sed illam, quę est in occultis antris Musarum. Versus est,

Vndámque occultis meditantem murmur in antris.

2. CANTVSQVE MOVETE.] Dixi iam ad 7. Æneid. vbi idem versus.

Imitatio.

3. QVÆ MANVS, &c.] Ex Homer. (ait Vrsin.) qui 2. Iliad.

Ἀρχοὺς αὖ νηῶν ἐρέω, νῆάς τε προπάσας:
Dicam duces nauium, & naues vniuersas.

Æratæ naues, id est, rostratæ.

Rostrū nauium.

Æs pro aliis metallis.

4. ÆRATA.] De rostrata naue accipiendum. De quo nauium genere dixi iam 1. Æneid. & alibi. Erat verò rostrum ex ferro. Vitruu. lib. 10. c. 21. *De ferro duro rostrum, ita vti naues longæ solent habere.* Sed æs pro aliis quoque metallis sumi, alibi admonui. Plutarch. in Lucullo vocat χαλκώματα.

Feræ inter παράσημα nauium.

Anser.

Anserculus.

Aries Phryxi.

Leo.

Taurus Europæ.

Vacca Isidis.

5. TIGRI.] Ita dicta hæc nauis, quia eius παράσημον tigris fera. Itaque non solùm Dij, vt postea videbimus, sed etiam animalia inter παράσημα. Eustath. in Homer. χηνός τινος ἐν τῷ ἄκρῳ γλυφόμενος: *Anseris typus in summo insculptus.* Lucianus de veris Narrationibus: ὁ ἐν τῇ πρύμνῃ χηνίσκος: *in puppe anserculus.* Tacitus sexto Annal. ita accipit ea, quæ de Phryxo iactata: *Nec quisquam ariete sacrificauerit credito Phryxum vexisse, siue id animal, siue nauis insigne fuit.* Apud Plutarch. de virtutib. mulier. nauis est habens λέοντα πρόφραθεν ἐπίσημον ἐκ δὲ πρύμνης δράκοντα: *leonem pro insigni in prora, draconem in puppi.* Festus, Isidorus, Fulgentius fabulam de tauro Europæ explicant de nauis parasemo. Postremus eodem modo accipit fabulam Isidis, quæ versa in vaccam. Nam ea videlicet nauis, qua Isis vecta, vaccam habuit pro insigni. Porrò in legendis verbis Festi dissident Iosephus, Scaliger, & Iustus Lipsius, ille in Festum ipsum, hic in epistolam 76. Senecæ numero decimoquinto. Ille itaque: *Nauem, quæ Iouis tutelam effigie tauri habuerit.* Hic: *Cuius tutela effigiem tauri habuerit.* Sed errat Lipsius; nam feræ, vt dicam septima dein Nota, etiamsi essent inter παράσημα, non certè inter tutelas. Sed Iouem, qui esset tutela, latere in forma tauri, non est contra morem. Et locus Lactantij, si examinetur, nihil pro Lipsio: imò pro Scaligero; nam Iuppiter rapiens Ganymedem latuit in forma aquilæ, & rapiens Europam in forma tauri. Atque adeò tam aquila, quàm taurus tutelæ esse potuerunt; quia in illis latebat Iuppiter: stare hoc in Lipsiana Festi lectione non potest, cùm absit inde nomen Iouis.

Feræ inter insignia nauium, non inter tutelas.

6. CLVSI.] Pro, *Clusij,* vt *peculi,* pro, peculij. De vtroque Clusio nouo & vetere iam Ortel. in Synom. Geograph. Sed & *mœnia Clusi* γενικῶς, pro, Clusium, vt, *montem Auentini,* lib. 8. Æneid. pro Auentino.

Mœnia Clusij.

Vrbem Pataui, lib. 1. pro Patauio, & millena.

7. LIQVERE.] In belli etiā apparatu Stat. 3. Theb.

Linquo.

———*liquêre domos dilectáque lari*
Connubia, & primo plorantes lumine natos.

Et Noster lib. 7.

Hinc gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt.

Et Apollon. lib. 1. in suo catalogo,

Λάρισαν δ' ἐπὶ τοῖσι λιπὼν Πολύφημος ἵκανεν:
Post hos venit Polyphemus linquens, Larissam.

Et in suo Eurip. in Aulid. τὰς ἰχῖδνας λιπών.

8. COSAS.] Huius vrbis meminêre Strabo, & Plin. c. 5. lib. 3. & *Cosam* nominant. Ptolem. *Cossas,* & duplicata consonante. In eo enim non semel Κόσσαι.

Cosæ, vrbs.

9. CORYTIQVE LEVES HVMERIS.] In explicanda hac voce errauit grauiter Hadrianus Iunius, cuius hæc sunt: *Corytus, theca, repositoriúmve arcus. Errore enim imbuti sunt Grammatici non pauci, qui sagittarū thecam, quæ pharetra est, sic appellari autumant.* Errat clarè. Nam Sil. lib. 15.

Turba ruunt, surgúntque sagittiferi coryti.

Corytus sagittarum theca, non arcus.

Sen. in Furent. act. 4. in Choro,

Telum Scythici leue coryti
Missum certa librare manu.

Vbi sagittam vocat *telum coryti.* Stat. lib. 9. *cœlestibus implet coryton telis,* id est, sagittis. Idem clariùs libro quarto:

Terga Cydonea corytos arundine pulsat.

Ouid. Eleg. 8. lib. 5. Trist. describens feritatem Getarum,

In quibus est nemo, qui non coryton, & arcum, &c. id est, thecam sagittarum. Agathias quoque libro 3. Hist. ita clarissimè. οὐ γὰρ μόνον ἀσπίδας, καὶ θώρακας τυχὸν, ἢ γωρυτοὺς βελῶν ἐνίοι τῶν κειμένων ἐπιφέροντο, ἀλλὰ στρεπτούς: *Neque aliqui scuta, & loricas tantùm, & corytos sagittarum à mortuis auferebant, sed torques.* Vidisti γωρυτὸς βελῶν. Ergo dicamus pependisse Virgilianæ iuuentuti pharetras ab humeris, quas hîc *corytos* vocat, & arcus in manibus. Qui habitus in Ouidio est 8. Metamorph.

Ex humero pendens resonabat eburnea læuo
Telorum custos, arcum quoque læua tenebat.

Custos telorum.

Sed & errant, qui hanc vocem scribunt cum Latina vocali, cùm Græcis sit γωρυτός.

10. LETHIFER ARCVS.] Cal. lib. 1. μορόεντα τεύχη: *lethalia arma.*

Lethifer arcus.

11. TORVVS.] Possis referre signatè ad oculos, vt sit quod Homerus ὑπόδρα ἰδὼν, id est, κακὰ ὀσσόμενος, vt idem. Et Valerius Flaccus libro septimo Argonaut. de Iasone comparante se ad pugnam, *& toruo se lumine flexit.* Itaque toruitas de militari aspectu, qui vt plurimùm ferox. Eurip. de irata Medea ὄμμα ταυρουμένην, *oculis taurum referentem.* Certum est autem *toruum* dici à tauro. Inde Virg. *bouis toruæ.* Possis generaliùs explicare, hominem asperum, & grauem bello, quales Homerus vocat ζαχρηεῖς, Iliad. 12. Stat. 12. Theb. dixit, *& bellator Abas.*

Toruitas, de militari aspectu.

Toruum à tauro.

12. AVRATO FVLGEBAT APOLLINE PVPPIS.] Nam Apollo huius nauis tutela, ac proinde insigne, & παράσημον. Huius moris frequens mentio. De animalibus dixi iam septima abhinc Nota, hîc de Diis morem firmo. Val. 1. Arg. de cœlesti numine,

Nauium insignia, & παράσημα

Dij inter insignia.

Visa coronatæ fulgens tutela carinæ.

Lucanū de numine aliquo accipio scribentem lib. 3.

——— *non robore picto*
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, & qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur tabulis naualibus area puppis.

Huc possum referre Valerium ita scribentem libro 3. Argon.

——an socia Iunone, & Pallade fretus
Armisona, superet magis, & freta iussa capessat?

Quæ duo numina fuêre παράσημα nauis primæ. Expende & verba superbissima Iulij apud Lucanum libro quinto Pharf. qui se dixit esse *tutelam* cymbæ, qua vehebatur. S. Lucas ita scribit cap. extremo Actor. *Post menses autem tres nauigauimus in naue Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castorum.* παρασήμῳ (inquit) Διοσκούροις. Interdum pro insigni erat, non Deus aliquis, sed ornatus Dei, vt in naui Ouidiana, non Minerua insigne fuit, sed eius galea, à qua & nomen accepit. Versus est:

Deorū ornatus pro insigni.

Est mihi, sitq; precor flauæ tutela Mineruæ,
Nauis & à picta casside nomen habet.

Vbi cassis tantùm fuit παράσημον. Sed dissidium non leue est, quo loci statuerentur tutelaria numina, in prorâne, an in puppi? Pro puppi multi. Ouidius in Epist.

Tutelaria numina quo loci nauiū. Puppis habuit Deorū tutelas, &

B

Accipit & pictos puppis adunca Deos.

Persius Sat. 6. *Ingentes de puppe Dei.* Huc refero Val. 1. Argon. *tuque ô puppim ne desere Pallas.* & Eurip. qui in Aul.

Κατ' ἄκραν Νηρῆδες ἕσταζαν θεαὶ
Πρύμναις:———
In summo stabant Deæ Nereides
In puppibus.———

Ac ne plures afferam pro puppe (nam peti possunt ex his, quæ fusè à me 5. Æneid. vers. 654. Not. 9.) pro prora Oecumeniū aduoco, qui in caput extremum Act. S. Luc. ita scribit. ἔθος ἀεὶ πως ἐν ταῖς Ἀλεξανδρέων μάλιστα ναυσὶ πρὸς γε τῇ πρώρᾳ δεξιᾷ τε, καὶ εὐωνύμῳ γραφὰς εἶναι τοιαύτας: *Perpetuò moris est nauibus, præcipuè Alexandrinis ad proram dextra, ac sinistra huiusmodi esse picturas.* Intelligit παράσημα, nam loquitur de his, de quibus Lucas. Procopius etiam in caput duodecimum Isaiæ, post aduocatum Luc. locum, subiicit, ταῖς γὰρ πρώραις ἀεὶ θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον: *adpingebant semper in proris Deorum imagines.* Dij Phœnicum, quos Pataïcos nominant scriptores, in prora statuebantur. Affero verba Herod. in Thalia. ἐστὶ γὰρ τοῦ Ἡφαίστου τὤγαλμα τοῖσι Φοινικηΐοισι Παταΐκοισι ἐμφερέστατον, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι τῶν τριηρέων περιάγουσι: *Si quidem statua Vulcani simillima est iis Diis, quos Phœnices vocant Pataïcos, quósque in triremium proris circumferunt.* Inde corrigendus Hesychius, qui ita scribit, Παταϊκοὶ θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν, legendum πρώρας, ex Herodoto. Quid ergo censendum? Vt possum coniicere, aut non certus locus παρασήμων: aut Græci, vt plurimùm, & Latini in puppibus; Barbari in proris collocarunt. Id colligo ex infinitis propè testimoniis, in quæ incidi. Porrò de discrimine inter παράσημα, & *tutelas* iam te Villiomarus docuit contra Titium in Animadu. ex libro septimo numero septimo: vult enim non semper hæc confundi, quia non semper παράσημα tutelæ sunt; nam tutelares tantùm Dij, feræ interdum inter παράσημα: & vtrique rei diuersum locum in naui assignat. Quid, quòd potest esse tutelare numen, & non παράσημον? quod me clarè docet Euripides. Nemo est qui neget παράσημον primæ nauis Argonautarum fuisse Palladem, atqui Iason apud Eurip. in Medea ita ait,

Prora.

C

Pataïci Dij.

D

Quæstionis terminatio.

Tutelæ nauium, & insignia sæpe diuersa.

E

Κύπριν νομίζω τῆς ἐμῆς ναυκληρίας
Σώτειραν εἶναι θεῶν τε, κἀνθρώπων μόνην:
Existimo meæ nauigationis Venerem
Seruatricem esse solam inter Deos, & homines.

Vides, vt Venus fuerit tutela ei naui, cuius ipsa non erat παράσημον. Restat, moneam te, hæc parasema interdum picta tantùm fuisse, interdum cælata. De pictura Ouid. in Epist.

Insigne nauium & picta, seu cælata.

Qua tamen ipse vehor comitata Cupidine paruo,
Sponsor coniugij stat Dea picta sui.

De cælatura Seneca epistola septuagesimasexta: *Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cuius tutela cælata est,* &c. Moneo etiam, non deesse, qui *ceratas naues*, quarum meminit Ouidius lib. 2. de Remed. & lib. vndecimo Metamorphos. referant ad has tutelas; nam tutelæ (aiunt) in cera solebant imprimi. Sed mihi tamen nemo persuadet. Nam cera, pix, & talia in vsu nauium fuêre tantùm ad obturanda foramina; quod liquidum ex Luciano, qui in Dialogo Mercurij, & Charontis, καὶ κηρὸν ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Sed clarissimè adhuc ipse Ouid. 11. Metamorph.

Cera quo vsu in nauib.

Iamque labant cunei, spoliatáque tegmine ceræ
Rima patet.———

13. Popvlonia mater.] Huius vrbis mentio in Plin. Mela, aliis. Est & *Populonium*, fortasse quia Ptolemæus, & Stephanus ποπλώνιον, vt etiam Strabo lib. 5. Ita hîc *mater*, vt in 7. *quem mater Aricia misit.* Sic Roma *mater*, & *parens* vrbium.

Populonia.

Mater, de vrbibus.

14. Expertos belli ivvenes.] Hom. Iliad. 12. εὖ εἰδώς. alibi, ἰδρὶς πολέμοιο. & 15. Iliad. ἐπιστάμενος ἀκοντὶ & 16. δεδαηκότες πολέμοιο. Apollon. δεδαῶτες ἀλκῆς. Plutarch. in vita Luculli ἀγῶνας ἐμπειροτάτους. & in vita Dionis, γυμνασμένοι ἐν τοῖς στρατείαις. Calaber libro tertio, δαήμονες ὑσμίνης. Nonnus libr. 39. ὑσμίνης ἐμπείραμος. Euripides in Androm. δορὶ μάχεσθαι. & in Oreste, ξυνετὸς πολέμου. Nec aliud est frequentissimūm illud Homeri. δαΐφρονες. His opponit 13. Iliad. μὰχης ἀδαήμονας.

Belli sciens.

15. Ilva.] Hanc esse eandem, quam Plinius c. 6. lib. 3. vocatam ait à Græcis Αἰθάλην, siue Αἰθαλίαν, Victorius defendit capite 10. lib. 12. Var. lect. contra Strabonem & Ptolemæum distinguentes Iluam ab Æthalia. Græcum nomen illi contigit à fornacibus, in quibus ferrum coquitur, cuius ea fœcunda est. Itaque Ilua, & Æthalia, eadem iuxta Plinium, quamuis duo Græci discriminent.

Ilua. Æthalia.

16. Inexhavstis chalybvm generosa metallis.] Duplex sententia. Vel inexhaustis metallis, verbo decomposito, quia nequit exhauriri. Vel, vt vult Seruius, generosa in metallis exhaustis, verbo tantùm composito. Ad rem nihil. Vtcumque, certum est, hanc insulam feracem esse ferri. Plin. cap. 6. lib. 3. *Ilua cum ferri metallis.* & cap. 14. lib. 34. *Ferri metalla vbique propemodum reperiuntur, quippe insula etiam Italiæ Ilua gignente.* Est autem vbertas ista propè miraculosa. Audi Strabonem libro quinto: τοῦτο δὲ ἐν παράδοξον ἡ νῆσος ἔχει, καὶ τὸ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ τὰ μεταλλευθέντα: *Hoc admiratione dignum habet hæc insula, vt exhausta effossionibus loca, temporibus rursus repleta cernantur.* Plinius etiam, quem Seruius aduocat, ita scribit: *Cum in aliis regionibus, effossis metallis terra sint vacua, apud Iluam hoc est mirum, quòd sublata renascuntur & rursus de iisdem locis effodiuntur.* Ideo ergo *inexhaustis metallis.* & inde propriè *generosa*, vt indicet naturam insulæ. Itaque intellige vocem, & explica *generosam*, id est, fœcundam natura sua, & multis quamuis cæsis metallis subidentidem fœcundiorem. Nam *generosum* est naturale, interprete Aristotele libro primo Histor. Animalium capite primo: εὐγενὲς μὲν γάρ ἐστι τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους. γενναῖον δὲ, τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως: *Est nobile quod prodit ex bono genere: est autem generosum, quod à sua natura non degenerauit.* Sic vinum generosum, equus generosus, & similia.

Ferri fœcūdissima Ilua.

Inexhausta metalla. Generosū, pro, fœcundum.

Generosū, quid.

similia. Itaque hominem, qui honestissimis parentibus natus est, ipse tamen pessimus est, possis vocare εὐγενῆ, sed non γενναῖον, aut γενναῖον. Vtrumque inuenio.

Metallum, i. vena.

17. METALLIS.] Explica, venis, idque ex Græcorum imitatione, qui venas auri, argenti, &c. vocant μέταλλα. Strabo libro decimotertio; μέταλλον μέγα λευκοῦ λίθου: *Metallum magnum albi lapidis*, id est, vena. Iosephus libro septimo Belli Iudaici capite vigesimoquinto, ἔχει δ' ὁ τόπος καὶ θείου, καὶ στυπτηρίας μέταλλα: *Habet locus metalla sulphuris, & aluminis*, id est, venas. Lucan. ab Græcis, *silicum lassata metallis*. Itaque quas Latini dicunt *venas aquarum*, Græcè possis μέταλλα ὑδάτων. Quin cauitas omnis, & effossio dicta est Græcis μέταλλον. Nam Polyb. ἤρξατο πολιορκεῖν διὰ τῶν μετάλλων: *actis cuniculis cœpit obsidere*. Ad verbum: *cœpit obsidere per metalla*. Inde & μεταλλεύειν ad signandos cuniculos. Nec mihi dubium, quin Plinius *metalla* pro venis acceperit libro septimo capite secundo: nam quæ priùs dixit *metalla*, postea nominat *cuniculos*. Verba eius: *Quibus assiduè bellum est circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgò traditur, eruente ex cuniculis aurum.*

Cauitas omnis metallū dicitur. Cuniculi.

Augurū potestas quadruplex.

18. CVI PECVDVM FIBRÆ, &c.] His duobus versibus maximam partem posuit aruspicinæ, & & auguratus. Dicam breuiter de singulis in hac Nota. Pendere sæpe fata à fibris satis indicat Tibullus, à quo Eleg. 1. lib. 2. fibra dicitur *nuntia* Deorum, & Eleg. 9. lib. 1. *conscia* Deorum. Inde & Ouid. 15. Metamorph. signatè, *fibra monet*. & in 5. fibra dicitur habere *notas veri, monitusque Deorum*. Et Statius quarto Theb. *verum spirantibus extis*. Synesius libro de insomn. οἱ δὲ ἐν σπλάγχνοις αὐτὰ (μέλλοντα) ἀναγινώσκουσι. Ait Vates, legere in visceribus animalium futura. Sed de hac re effusim Brissonius. Secundo loco ait sydera subdita esse huic potestati, ac proinde cœlum ipsum. Ita scilicet adhuc de ipsis Magis putabant Gentiles. De qua re vberrim Apuleius, Ouidius, Tibullus, Propertius, Lucanus, quos ego, & alios item quarta Æneide aduocaui. Huic ergo potestati Magorum consimilis potestas augurum. De augure Tiresia Stat. 4. Theb.

Fibræ fatales.

Sydera subdita potestati Magorum, &

Augurum.

Nec tripode implicito, numerisque sequentibus astra.

Calaber libro duodecimo Calchanti ait subdi ἀστέρας: *stellas*. Synesius, οἱ μὲν ἄστρα εἰδότες. Ideo *sydera parent*, vt quæ prona ad obediendum. Contemno hîc nugas Seruij de verbo *pareo*; & arripio Notam Læuini monentis in Suetonium hoc verbum augurum esse, & aruspicum, quod Petronij, & Vlpiani auctoritate confirmat. Vide etiam Sigonium de Iudiciis, & Briss. in Form. lib. 5. Tertiò, adhibet *linguas volucrum*, in quibus dicebam ad tertiam Æneid. vers. 359. Nota 8. & hîc adiicio Stat. 3. Theb. qui, *afflatus volucrum*. Ouid. qui Eleg. 8. lib. 1. Trist.

Pareo, verbū augurum.

Linguæ volucrum subditæ auguribus.

Linguáve seruata, pennáve dixit auis.

Apollon. 1. Arg. qui, θεοπροπίας οἰωνῶν: *Vaticinia auium*. Ibidem, ὄρνιθος ὄσσαν: *auium vocem*. & de aui, ἕκαστα πιφαυσκομένη: *loquens singula*. Eurip. qui in Hel. πτερωτῶν φθέγματα. & Stat. 2. Theb. de quodam augure.

Auium vaticinia.

——— doctus ad huc, & nulla deceptus ab alite.

Idem 3. Theb. cùm in re auguratus nominat *cœlestia*, aues, credo, intelligit. Et in eodem libr. ait, volucres habere *consilium*, & scientes esse *futuri*. De Idmone vate Val. 1. Arg.

Seu plenum certis interroget aëra pennis.

Synesius vbi suprà, inter reliqua diuinantium genera, οἱ δ' ἐν ὄρνισιν κλαγγαῖς, & καθεζομέναις, καὶ πτήσεσι: Eurip. in Ione aues vocat θεῶν ἀγγέλους φήμας: *nunciantes Deorum voces*: & in Tauris dat illis

Εὐξυνέτους ξυνέσει βοάς:

Vocem, quam sapientes intelligunt.

Quartò, *ignes præsagi fulminis*. quod fortasse accipiendum ait Germ. vt Διὸς σέλας apud Sophoc. in Colon. quod signum inter reliqua cœlestia ibi numeratur. De fulmine accipio Val. 1. Arg.

Fulmina subdita potestati augurum.

Cui genitor tribuit monitu prænoscere Diuûm

Omina, seu flammas interroges. ———

Inde idem lib. 3. *præsagáque fulmina*. & Cal. lib. 1. ait, mitti è cœlo fulmina, quibus Iuppiter

Δηλοῖ ἀνθρώποισι μένος Κρονίωνος ὄμβρου:

Indicat hominibus vim pluuiæ strepitantis.

& Hom. de fulmine ait σῆμα βρότειον. Huc possis referre Synes. qui laudato loco, & ἄλλος τὰ πυρσὰ διάττοντα. Ait alium diuinare ex notitia discurrentium facium. Sed quis nescit fulminib. denūciari solita mortalibus aut læta, aut aduersa, ac proinde dici posse *præsagire?*

19. HORRENTIBVS HASTIS.] Cape mentem Poëtæ, quia densa acies, ideo hastæ horrent. Hic .n. horror etiamsi de ipso ferro, tamē de addensatione quoque. Val. 1. Arg. Acastū induçit *horrentibus iaculis*, quia hæc multa. Ad hunc modum de aristis *horror* dicitur. Itaque conglobatio illa tota est horrida; & in Liu. & Amm. *horror* est de addensatis hastis. In 7. Æneid. signatè, *horrescit strictis seges ensibus*. vbi *seges* respondet *densitati* huius loci. Sic 13. Iliad.

Horror, de hastis multis.

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσιν:

Pugna corruptrix hominum hastis horruit.

Et verbum quidem φρίξειν spicarum est. Et 4. Iliad. de phalangibus loquens, σάκεσίν τε, καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι: *scutis, atque hastis horrentes*.

Horresco, verbum spicarum.

20. HOS PARERE IVBENT.] Stat. 4. Theb. in simili apparatu,

Pareo, in apparatu militari.

Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia.

Quo in libro etiam à Pisis delectum facit,

———depressæ populus subit incola Pisæ.

Vbi etiam & *Alphei* meminit, vt hîc Virg.

21. EQVO FIDENS.] Laudo Poëtam, qui ita reddidit ἱππιόχαρμον Græcorum. Neque .n. sensus est, ducē hunc equo fidere, sed fidentem esse in equo, & præfidentem, vt ferocem quamuis, & δυσκάθεκτον equum, atque ὑψαύχενα, & ἀγριαίνοντα domaret. Non tamen pugnem, si quis vulgari sententia Poëtam capiat: nā Stat. 4. Theb. non (inquit iuuabit te *hic, cui fidis, equus*. Quod dici videtur ad imitationem Virg. Ergo *equo fidere*, vt Hom. ἀλκὶ πεποιθώς, & ἠνορέῃ πίσυνος.

Fidēs equo, quid.

22. VERSICOLORIBVS ARMIS.] Picta arma intelligit, quæ in pretio apud veteres. Homerus sæpe τεύχεα ποικίλα. Menesth. 16. Iliad. dicitur αἰολοθώρηξ ab thorace picto. Plut. in Sertor. θυρεοὺς διεποίκιλλεν: *picturis scuta variauit*. Arma versicoloria Hom. describit Iliad. 11. cùm armat Agamemnonem, in cuius thorace erant δέκα οἶμοι μέλανος κυάνοιο: *decem semitæ nigri metalli*. & rursum δυώδεκα δὲ χρυσοῖο: *duodecim ex auro*. atque εἴκοσι κασσιτέροιο: *viginti ex stanno*. Deinde clypeum eius ait fuisse πολυδαίδαλον, *multicolorem*; quam vocem explicans ait, κύκλοι δέκα χάλκεοι ἦσαν: *erant decem ærei circuli*. &, ὀμφαλοὶ, εἴκοσι κασσιτέροιο λευκοί: *vmbilici viginti ex stagno albicantes*. & postea in ipso meditullio erat vnus circulus μέλανος κυάνοιο: *ex metallo nigro*. Nonnus libro vigesimoprimo vocat ἀσπίδα *scutum*, ποικιλόνωτον, *pictum, variegatum dorso*. Apud Propertium Elegia quarta libri quarti sunt *picta arma*. Gallus ille Rex, qui contra Marcellum pugnauit singulari certamine, habuit arma variata βαφαῖς πάσι, καὶ ποικίλμασι, ait Plutarch. Huc refero versum Iliad. duodecimæ de scuto Sarpedonis.

Picta arma.

Arma Agamemnonis picta.

Χρυσείοις ῥάβδοισι διηνεκέεσσι περὶ κύκλον:
Aureis virgis circa orbem extensis.
Seneca in Thyest. *Et de triumpho picta Barbarico chlamys.* De baltheo Nestoris Hom. 10. Iliad. παναίολος. De thorace Pẽthesileæ Cal. lib. 1. παναίολον. Porrò vocis formã puto respõdere Græcæ isti ἑτερόχροος, qua vsus Nonn. lib. 32. Itaq; *versicolor* idem quod ἑτερόχροος.

Versicolor.

Cærete domo.

23. CÆRETE DOMO.] Explico, qui sunt Cæretana domo, vel qui sunt domo Cæretani. Nam Plaut. Pęn. dixit, *Domo Carthaginiensis*, & posset, *domo Carthagine.* Sed de hac re dixi pluribus libr. 8. ad illud, *Qui genus? vnde domo?*

Minio.

24. MINIONIS.] Vide Abrahamum in Synonym.

A 25. PYRGI VETERES, &c.] Fortasse veteres Pyrgi Thusciæ, quia ab antiquis Pyrgis Græcię. Nam Pyrgos quoque in Græcia Strabo constituit lib. 8. & credibile inde ductam coloniam. Ceterùm Cato in Fragment. Originum vtrunque etiam nomen coniunxit: *Pyrgus, Grauisca ab aere dictum.* vt & Plin. cap. 5. lib. 3. *Grauiscæ, castrum nouum, Pyrgi, Cæretanus amnis.* Sic & Mela c. 4. lib. 2. Et en ratio in Catone, quare *intempestæ*; ab aëre (inquam) nocuo. Et Seruius pestilentes explicat, ac Catonis verba aliter aduocat, sic videlicet: *Ideo Grauisca dicta sunt, quòd grauem aerem sustinent.* Ergo *intempestæ*, id est, sine temperie.

Pyrgi veteres.

Grauiscæ cur intempestæ.

ª Non ego te, Ligurum ductor, fortissime bello,
Transierim, Cycne, & paucis comitate Cupauo:
Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ:
Crimen amor vestrum, formæq; insigne paternæ.
ᵇ Namque ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes, vmbrámque sororum
Dum canit, & mœstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, & sydera voce sequentem
ᶜ Filius æquales comitatus classe cateruas,
Ingentem remis Centaurum promouet: ille
Instat aquæ, saxúmque vndis immane minatur
Arduus, & longa sulcat maria alta carina.

ARGVMENTVM.

Transit ad Cupauonem Cycni filium, atque ex occasione narrat fabulam patris gratia leuandi tadij.

EXPLICATIO.

ª SERMO totus destinatur ad Cupauonis aduentum narrandum, qui exigua militum manu venit ad bellum; interserit tamen patris Cycni fabulã. Vide verò vti explicem quatuor primos versus, vt à nemine hactenus. *Non ego te transierim, ô Cycne, ductor Ligurum, bello fortissime: nec te, ô Cupauo paucis comitate, de cuius vertice surgunt pennæ olorinæ.* Pergit. Est verò C hoc *crimen vestrum*, id est, tui, ô Cycne, tui, ô Cupauo. Quod verò est hoc *crimen?* Patris quidem Cycni *amor*, quo turpiter Phaëthontem deperijt: filij Cupauonis *insigne paternæ formæ*; nam ita repræsentat turpem amorém patris. Itaq; in extremo versu Poëta distribuit, vt dicat crimen vtriusque: patris, quòd turpiter amarit Phaëthontem; filij, quòd gestauerit olorinas cristas in galea, quasi gloriabundus de turpi amore patris. Non refello aliorum explicationes, non defendo meam; nam veritas subiecta oculis ipsa se tuetur.

ᵇ Narrat patris fabulam. Deperibat Cycnus Phaëthontem: extinctum hunc eo fletu, & mœstis carminibus prosecutus est ad solatium sui, vt præ luctu in auem cognominem transierit, niueam quidem; nam ipse iam senex. Itaque auis iam factus terras reliquit, aëriem cantu petijt. Commemorat verò Poëta obi- B ter locum, vbi hîc fletus, nimirum inter eas populos, in quas conuersæ sorores Phaëthontis Phetusa, & Lãpetusa, alij plures nominant. Itaq; hîc omnia sunt admodùm tragica, à fletu sororum, à fletu Cycni, à conuersione illarum in arbores, à conuersione huius in auem. Expende versum illum,

Populeas inter frondes, vmbrámque sororum,

vt speciosissimum, & plenum affectus τραγικώτατη. Verbum *duxisse*, explico vestiuisse, vt dicat, vestiuit Cycnus canam senectam molli pluma.

ᶜ Redit ad iam ad filium, qui in classe sua ducebat *cateruas æquales*, videlicet æquales aut virtute, aut cultu armorum: nisi velis sequi Seruium, qui ita explicat: *æqualiter habens per naues distributas cateruas.* Pergit. Promouet remis ingentem Centaurum; naui eius hoc nomen ab Centauri simulacro, quæ fera in ardua nauis parte (puppem intellige) depicta, C gestánsq; manibus saxum immane, toti minari pelago videbatur quasi pondus proiectura, & ita demum sulcabat maria.

NOTÆ.

1. LIGVRVM DVCTOR.] Explicui non cum interpretibus de Cupauone, sed de Cycno: tum, quia torqueri videtur Poëta: tum, quia Ouid. rem hanc narrans; de Cycno ait:

Cycnus Rex Lygurum.

Nam Ligurum populos, & magnas rexerat vrbes.

2. PAVCIS COMITATE.] Hîc fortasse *pauci* sunt strenui & fortes, & ideo pauci, quia cùm fortes, satis pauci numero. Ita explicat Demosthenem Vlpian. in orat. contra Leptinem, διὰ τῶν ὀλίγων τοὺς στρατιώτας σημαίνει: *per paucos intelligit generosos, & strenuos*, Reddit rationem.

Pauci fortes.

nem. οἱ ἀγαθοί, ὀλίγοι ἀναγκαίως: ἐπεὶ γὰρ οἱ πολλοί: strenuos, & bonos necesse est esse paucos: cum ignaui multi sint. Itaque hoc erit, quod quinta Æneide,

Exigui numero, sed bello viuida virtus.

De exiguo comitatu in bello dixit *rara agmina* Stat. lib. 4. Theb.

Cristæ candidæ.

3. OLORINAE.] Insistit non solùm fabulæ, sed etiam mori, quo cristæ candidæ gestabantur in galeis, quod iam ex Statio, & Silio Lipsius astruxit. Prior lib. quarto dat *niueam iubam* Hippomedonti; posterior libr. 2. Annibali *niueam pennam*. Adiungo eundem Stat. lib. 6. Theb. vbi,

Concolor est albis & cassis, & infula cristis.

Auiũ plumæ ad cristas.

Et quidem plumas auium gestari solitas in cristis (non solùm iubas equinas) tum ex his, tum ex Plut. liquidum, qui in Mario, λόφους πτερωτούς, dixit. Polyb. quoque meminit πτερῶν φάλων, nam cristæ ab auirio. Obserua, à Virgilio dici *cristas olorinas*, quæ ab aliis dicuntur *niueæ* ab eadem aui, quia videlicet cycnæus color abiit veluti in Prouerbiũ ad explicandũ colorẽ summẽ albentẽ. Inde ab Arist. in Vesp. τρίχες dicũtur κύκνου πολιώτεραι. Et Eurip. in Rhes. dat plumis cycnorum verbum στίλβειν, id est, *fulgeo*, à nimio candore. Et in Bacch. πολιόχρως κύκνος. Martial. lib. 5. *senibus cycnis*. Quod potuit accipere ab Euripid. ab quo in Hercul. cycnus dicitur γέρων.

Olorinum .i. album. Cycnæus color, pro candido. Cycnus senex.

4. CRIMEN AMOR VESTRVM.] Tale & illud Didonis in epist. ad Æneam,

Amoris crimen.

Quod crimen dicis præter amare meum?

Et Propert. Eleg. 30. lib. 2.

Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.

5. PHAETHONTIS.] Fabulam huius satis fusè narrat Ouid. strictiùs Lucret. lib. 5.

Phaëthõtis sorores.

6. POPVLEAS.] Ita omnes fabulæ. Dissidet in 6. Eclog. Virg. qui sorores Phaëthõtis in *alnos* mutat. Apoll. 4. Arg. ait mutatas εἰς αἰγείρους. vbi aliqui reddunt *alnos*, aliqui *nigras populos*; fortasse quia Virgilius vtrique arbori dat hanc gloriam. Sed certius est αἴγειρον esse *populum*. Idem est doctorum certamen in teddendo Dionys. qui in περιηγ. loquens de Eridano, ait electrum stillari αἰγείροισι.

Populus arbor cui Græcæ voci respondeat. Sororum vmbra.

7. VMBRAMQVE SORORVM.] Hoc imitans Ouid. dixit, *syluamq́; sororibus auctam* Et Val. 1. Arg.

——veteris sat conscia luctus
Sylua Padi, & viso flentes genitore sorores.

Auienus:

Hic priùs Erydani propter nemorosa fluenta
Fleuerunt liquidæ lapsum Phaethonta sorores,
Mutataq́; manus planxerunt pectora ramis.

Imitatio.

8. DVM CANIT, &c.] Hic versus redditus fortasse ab illo Iliad. 3.

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ:
Hunc inuenerunt delectantem animum sonante cithara.

Ouid de Cycno ipso, ita:

——ripas virides, amnemq́; querelis
Erydanum impleras.——

Philost. lib. 1. Icon. λέγεται γὰρ ξυναυλῆσαι τῷ θρήνῳ τοῖς κύκνοις ἐμμελῶς: *dicitur enim luctus ad concinnitatem cycnis consensisse.*

Senecta canens.

9. CANENTEM MOLLI PLVMA DVXISSE SENECTAM.] Ita Soph. in Aiace, *albam senectam* dixit, λευκὸν γῆρας. Hom. vlt. Iliad. πολιόν τε κάρη, πολιόν τε γένειον: *Canúmque caput, canúmque mentum.* Sententiam Virgilii reddidit Claud. in 6. Cons. Hon.

Mutatúmque senem plumis, & fronde sorores.

Imitatio.

Ab codẽ præceptore proculdubio Hor. Od. vlt. lib. 2.

——& album mutor in alitem
Superne: nascunturque leues
Per digitos, humerósque plumæ.

Ouid. in narratione huius fabulæ: *canaq́; capillos dissimulant plumæ.* Eurip. in Hel. χιονόχρως κύκνου πτερῷ: *Niue candicans, vt cycni ala.*

Cycni fabula.

10. LINQVENTEM TERRAS.] Dissidet Ouid. qui in huius μεταμορφώσει.

Fit noua Cycnus auis: nec se cœlóque, Iouique
Credit, vt iniustè missi memor ignis ab illo.
Stagna petit patulósque lacus, ignémque perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Cycni musica.

11. VOCE.] Vbi accipienda vox cycnorum, dixi in Eclog. & 7. Æneid. nimirum de plausu, & strepitu alarum. Sed vtcunque sit cantus ille, certè semper hæc auis ᾠδὸς inducitur ab multis. Pausan. Attic. ἐστὶ δὲ κύκνῳ τῷ ὄρνιθι μουσικῆς δόξα: *Inest cycno aui gloria musicæ.* Ælian. ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου ἤκουσα: *audiui ego cycnum cantantem.* Callim. Hymno Apollin. de cycno, καλὸν ἀοιδόν. Ouidius secundo Fast. *cantat olor.* Plutarchus in Conuiuio septem Sapient. narrans factum Arionis, ait illum non fuisse inferiorem cycnis in canendo, μὴ γενέσθαι τῶν κύκνων ἀγεννέστερος. & in libro περὶ τοῦ εἶ, coniungit φωνὰς κύκνων, &, κιθάρας ψόφους. & in libro de Solertia animalium suauitatem in canendo cycni coniungit cum suauitate lusciniæ. Dio Chrysostomus Oratione duodecima dat huic aui μουσικὴν, &, ᾠδήν. & Oratione trigesimaseptima dat μέλος ad vitæ exitum. Sed & ᾠδὴν etiam dat illi Philostratus lib. 1. Icon. Artemid. libro secundo capite vigesimo dat vocem, vt Virgil. nam de illo φθεγγόμενος, & illo significat μουσικόν. Eurip. in Herc.

Κύκνος ὡς γέρων ἀοιδός:
Sicut cycnus senex cantor.

Et in Elect.

Οἷα δέ τις κύκνος ἀχέτας
Ποταμίοις παρὰ χεύμασι:
Vt cycnus canorus
Ad vndas flumineas.

Inde illud Ouidianum,

Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Ab Martiali lib. 13. dicitur *cantator.*

Ferarũ nomina in nauibus dupliciter capienda.

12. CENTAVRVM.] Notauit iam Auctor is, qui in Titiũ, discrimen esse in auctoribus, cũ naues exhibent ferarũ nomine. Nam quibusdã nauib. nomen ferarũ datur à parasemis, vt Scyllæ, Chimeræ, Centauro; nã in istis depictæ hæ feræ: aliis à forma; nam Quadrigarius: *Quinque Pristes, nauigium ea forma à marina bellua dictum est.*

Immane minari.

13. IMMANE MINATVR.] Stat. 5. Theb. *mortisque immane minantem Antæum.*

Sulco, de nauibus. Cõmutatio metaphorarum. Sulci nauiũ cõparantur.

14. SVLCAT.] Plin. c. 1. lib. 12. *arbore sulcamus maria.* Claud. 4. Cons. Hon. *auratos sulcaret remige fluctus.* Ouid. Eleg. 4. lib. 1. Pont. *vastũ sulcauimus æquor.* Sed hoc obuiũ: at nõ obuia pulchra cõmutatio locutionũ; nã vt aquæ sulcẽtur, ita cõtrà aquę ipsæ sulcãt. Lucan. n. lib. 4. de fluuio Bagrada, *siccæ sulcator arenæ.* Nota etiã locum Apoll. lib. 1. qui nauium sulcos ita comparat.

——μακρὴ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι
Ἀτραπὸς ὡς χλοεροῖο διειδομένη πεδίοιο:
——longi continuique sulci albescebant
Instar semitæ apparentis per virentes campos.

a Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs, & Thusci filius amnis,

Qui muros, matrísque dedit tibi Mantua nomen.
[b] Mantua diues auis. Sed non genus omnibus vnum,
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis, Thusco de sanguine vires.
[c] Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
[d] Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
[e] It grauis Auletes centenáque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
[f] Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in Pristin desinit aluus:
Spumea semifero sub pectore murmurat vnda.
[g] Tot lecti proceres ter denis nauibus ibant
Subsidio Troiæ, & campos salis ære secabant.

ARGVMENTVM.

Venit ad id bellum Ocnus Mantuæ conditor, atque Auletes. Variè omnia discriminantur.

EXPLICATIO.

[a] HOc in gloriam Mantuæ Virgilius; condidit eam vrbem Ocnus filius Mantûs, & Tyberis. Habita verò matris ratio in nominanda vrbe, & ideo dicta Mantua.

[b] Pergit Mantuæ gloria, quæ vrbs olim potentissima, vt quæ olim caput totius Thusciæ, ideo postea *ipsa caput populis*. atq; adeò *diues auis*. i. maiorib. Addit Poëta, *sed non genus omnib. vnum*, quia videlicet *gens illi triplex*; nã Mantua diuisa in tribus tres conflatas è variis populis. Istæ verò tribus Imperiũ habebant in vrbes 12. Thusciæ, ac proinde vnaquæque harum tribuum imperabat quatuor vrbibus, ideo *populi sub gente quaterni*, distributiuè; fiebat enim, vt Imperium quaternatim (sic dicam) diuisum esset. Cùm.n. quæq; tribus vrbes quatuor haberet subditas, fiebat vt singulæ haberent quaternas. Absoluit, inde Mantuam esse *caput populis* Thusciæ, ac proinde vicissim *vires de Thusco sanguine*. Virtus .n. Principis tota à subditis, cùm ipse caput sit subditorum.

[c] Redit ad viam, & ait Ocnum quingentorum militum agmine comitatum venisse ad id bellum, & signatè contra Mezentium Regem quondam Thuscorum, & iam tum inde exulantem propter cædes.

[d] Inetat naui Ocni depictus in puppe Mincius fluuius, qui ortum ducit ab lacu Benaco. Ideo quasi Princeps esset expeditionis Mincius, ait ab illo duci exercitũ pinu nautica, id est, naue. Dat illi arundinẽ, nam hic ornatus in capitibus fluuiorũ. In locutione lepor est eximius, & potiùs παράδοξον, & admirandũ quiddam; nam fluuius fert homines per maria.

[e] Ocnum sequitur Auletes vir militaris. Vide verò, vti describat nauticum eius apparatum, & conatum, ab remis centum, ab verberibus, ab spumante, & verso mari.

[f] Dubitat Seruius, an Triton huius nauis depictus in prora esset, an factus ex ære. In extremũ incli- A no, cùm natantem inducat, & vndã eius pectori admurmurantẽ. Itaque in ipso nauis rostro erat Triton, à quo ipsa nomen accepit, ideo Triton dicitur vehere Auletem. Erat *immanis* (signat magnitudinem) & cum concha, qualis fingi solet, ac proinde tanquam cum sonitu *exterrens freta*. Sed quæ forma? Ab fronte, quæ hispida, vsque ad latera, id est, vsque ad mediũ, præferebat formam hominis: ab aluo ad imum erat piscis: spuma, quæ excitata, in eumq́, illisa, cũ feruore sub eius pectore admurmurabat. Inquinamus sæpe interpretes versus diuinos; nã quis hunc assequatur?

Spumea semifero sub pectore murmurat vnda.

[g] In summa, viginti erant naues, quæ in subsidium Troiæ, in quibus magni & lecti viri. Per *Troiam* intelligit Æneæ, & Troianorum opes; & quidem hoc B arroganter, & in gratiam Thuscorum, quasi horum virtute Troia iterum excitanda esset.

NOTÆ.

1. ILLE ETIAM PATRIIS, &c.] Ab hoc loco Stat. 4. Theb.

Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus, iam lætus, & integer artus.

2. FATIDICÆ MANTVS.] Stat. lib. 4. Theb. *Auguris fatidici*. Fatidicum.

3. MVROS.] Faciunt omnes Ocnum conditorem Mantuæ; aliud Poëta innuit, *muros* tantùm nominãs, Ocnus an Mantuæ cõditor. C quasi Mantua fuerit Ocno antiquior, & tantùm ab illo muris circumdata: vt Babylon à Semiramide, quę propterea dicta est eius conditrix.

4. GENS ILLI TRIPLEX.] Quæ de tribubus dixi explicans, clarè habet Seruius, illum interpretes sequũtur. Tota porrò hæc oratio dirigitur ad Thuscorũ laudes, qui olim magni. Inde 8. Æneid. de Thuscis, Thuscorum opes olim validæ.

Sed tibi ego ingentes populos, opulentáque Regnis
Iungere castra paro. ———

Liu. lib. 5. *Thuscorum ante Romanum Imperium latè terra, mariq́, opes patuêre*. Firmat rẽ hanc Liu. à vocabulis, nã duo maria, quę Italiam cingunt, alterum *Thuscum* dicitur ab ipsa gente, alterũ *Hadriaticũ* à colonia Thuscorũ, quod nõ cõtingeret, nisi ipsi validi, & potẽtes. Et postea ait, tenuisse illos loca omnia vsq; ad Alpes.

5. POPVLI SVB GENTE QVATERNI.] Explicui hos quaternos populos de vrbibus duodecim;

nam

nam Liuius lib. 5. loquens de Thuſcis; *Hi in vtrunque* A
Vrbes Thuſcorum. *mare vergentes incoluêre vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare; poſtea trans Apenninum, totidem quot capita originis erant, colonis miſſis.* Ait Seruius, eos, qui ſingulis his vrbibus imperabant, di-
Lucumones. ctos fuiſſe Lucumones. Coniunge iam omnia, vt teneas liquidò ſententiam Poëtæ. Mantua caput erat Thuſciæ, vt ait Virg. veteris videlicet porrectæ vſque ad Alpes: in ea *gens triplex*, id eſt, Curia, vt ait Seruius: ſubditæ illi vrbes duodecim, vt addit Liuius. Hæc ſumma Virgilianæ ſententiæ. Ceterùm Statius lib. 4. Theb. in ſimili belli apparatu ad imitationem Virgilij quidpiam ſimile intulit hunc in modum,

Arcades hi: gens vna viris, ſed diſſona cultu
Scinditur, hi, &c.——

B

6. ARMAT.] Stat. etiam 4. Theb. in apparatu belli: *Huic armat Lariſſa viros.*

Mincius coronatus arundine. 7. VELATVS ARVNDINE.] De hoc fluuiorum ornatu, & corona dicebam 7. Eclog. & latiùs 8. Æneid. ad illud de Tyberi: *crines vmbroſa tegebat arundo.* De vno Mincio id ſolemne, vt apparet ex hoc loco, & ex 3. Georg.

Mincius & tenera prætexit arundine ripas.

Claud. de Nupt. Honor. & Mariæ,

Calamiſque flexuoſus lene Mincius ſuſurrat.

Grauis, id eſt, militaris. 8. GRAVIS AVLETES.] Id eſt, militaris, vt explicabam, & notabam quinta Æneid. ad illud, *Stat grauis Entellus.* Sic fortaſſe & illud, *ferit enſe grauem Tymbræus Oſirim.*

C

Centum remorum nauis. 9. CENTENAQVE ARBORE.] Nauem facit ἑκατόζυγον, vt Homer. loquitur 20. Iliad. id eſt, *centum remorum*, aut *tranſtrorum.* Ita & Silius lib. 11.

Centeno fractus ſpumabat verbere pontus.

Eadem forma Stat. in re alia 5. Theb.

Vexit arundineam centeno vulnere ſyluam.

Alæ, pro remis. Propertius Eleg. 6. lib. 4. *Claſſis centenis remiget alis*, id eſt, remis centenis, non velis, vt malè Titius. Neque enim nouum remos dici alas. Horat. Od. 37. lib. 1. *volantem remis.* Ouid. 5. Metamorph. *alarum insiſtere remis.* Et Eurip. in Iphig. in Tauris, σκάφος ταρσῷ κατηρετμωμένον: *ſcapham remis volantem.* Scio vela dici alas; nam idem Eurip. in Hipp. nauem vocat λευκόπτερον, à velis albis. Sed non inde fit, remos non dici alas. Quin ſiquis vellet, poſſet torquere λευκόπτερον Euripidis ad remos, qui albicantes ab ſpuma. D Et quidem nauis prima, quæ remis acta eſt in Colchon, aquilæ comparatur ab Theoc. εἰδ. 13. διήϊξε αἰετὸς ὣς μέγα λαῖτμα: *perrupit ſicut aquila magnos fluctus.* Itaque, etiamſi cum remis, tamen volabat.

Verberare vndas, 10. VERBERAT.] Æſopus in fabella de pſitaco; ὕδωρ ἔτυπτεν, *aquam verberabat.* & 5. Æneid. *certatim ſocij feriunt mare.* Silius lib. 6. *nautarum ictus.* Apollon.
Ferire, 4. Arg. de nauigante Tritone, κόπτε ὕδωρ, *pulſabat aquam.* & lib. 1. πέπληγον ἐρετμοῖσι πόντοιο λάβρον ὕδωρ: *feriebant remis maris procelloſam vndam.* Ouid. 11. Meta-
Pulſare, Flagellare. morph. *ictu ſcindunt freta.* Nonn. lib. 39. πόντον ἐπιρρήσσοντες: ibid. πόντον ἱμάσσων. Iterum, ἱμάσσετο νῶτα θαλάσσης. Omnia ſunt *percutere, verberare, flagellare.* Eu- E
Quatere. rip. in Taur. adhuc verbo alio ἐπαισαν ἅλμην. Stat. 5. Theb. *quatiunt impulſibus illi nunc freta.* Lucan. lib. 4.

Quod nec vela ferat, nec apertas verberet vndas.

Remigium ſæpe ad muſicam. Auſon. Moſell. *pulſantes verbere fluctum.* Hæc verbera ſæpe ad muſicos numeros; adduco integra Silij.

——*media ſtat margine puppis,*
Qui voce alternos nautarum temperet ictus,
Et remis dictet ſonitum, pariterque relatis
Ad numerum plaudat reſonantia cærula tonſis.

A Omitto figmentum primæ nauis, quæ ad muſicos modulos nauigauit ſine remorum opera, ſaltem quā Orpheus curabat, de quo Valer. 1. Arg.

Nec verò Odryſius tranſtris impenditur Orpheus, Orphei muſica in remigio.
Aut pontum remo ſubigit, ſed carmine tonſas
Ire docet.——

Acceptum hoc ab Apollonio ex parte; nam hic tantùm ait lib. 1.

——ὑπ' Ὀρφῆος κιθάρῃ πέπληγον ἐρετμοῖς:
——*ad Orphei citharam feriebant remis.*

Aſconius in Diuinat. *Cani remigibus celeuſma per ſymphoniam ſolebat, & per aſſam vocem. id eſt, ore prolatam, &* Aſſa vox.
vt in Argo naui per citharam. Cenſorinus de Die Natali cap. 12. *In nauis metu à vectore ſymphonia adhibe-*
B *tur.* Max. Tyrius diſſert. 23. τριήρης ἐρεσσομένη ὑπ' αὐλῷ: Naues ad tibiam.
triremis impulſa à remigibus ad tibiam. Plutar. in Alcibiade ait, ad tibiam remos concitatos. verba eius: αὐλοῦ μετ' εἰρεσίαν. & in vita Demetrij, εἰρεσίας ἀναφερομένης μετὰ ῥυθμοῦ τινός. Eurip. in Iphig. in Taur.

Κάλαμος οὐρείου Πανὸς
Κώπαις ἐπιθωΰξει:
Fiſtula montani Panos
Impellet ſono remos.

Sed & de nauigio Bacch. Claud. Paneg. 2. Stil.

——*taurináque pulſu*
Baccharum pronos inuitant tympana remos.

Libuit in aliorum inopia morem hunc firmauiſſe, etiamſi extra Virgilium.

11. ASSVRGENS.] Exprimitur habitus remigum. Inde & lib. 5. *inſurgite remis.* Val. 1. Arg. Aſſurgo, de nautis. Inſurgere remis.
C *Inſurgit tranſtris, & remo Nerea verſat.*

& 3. Æneid. *Vela cadunt, remis inſurgimus.* Quod imitatus idem Valer. lib. 2. *Vela cadunt, remis inſurgitur.* & lib. 3. in re eadem, *intortis aſſurgens arduus vndis.* Hæc inſurrectio tota ab anniſu remigum. Sic in 3. *Annixi torquent ſpumas.* de quo habitu alibi. Huic anniſui Anniſus remigum.
dat Eurip. in Taur. στεναγμὸν, *gemitum* nautarum, Gemitus, de remigibus.
cóſque facit ἐκβρυχωμένους. quaſi fremerent ad remos. Et in Helen. vocat laborem nautarum ἔργον.

12. SPVMANT VADA MARMORE VERSO.] Verſum mare,
Stat. 5. Theb. *Validis ſpumant euerſa lacertis æquora.* Euerſum,
Valer. 3. Arg. *verſúmque viciſſim mittitur in puppem remo mare.* Claud. Paneg. Manl.

Stagnáque remigibus ſpument inuerſa canoris. Inuerſum.

Nota vocem *canoris* confinem ſuperiori meæ Notæ de muſico modulo. Vnde & in Claud. præcedit,

D *Laſciui ſubitò confligant æquore lembi.*

Hæc enim laſciuia tota à muſico modulo. Pulchrè mare vocat *marmor.* Audi notam Scaligeri lib. 4. Marmor, de mari.
Poët. cap. 16. *Marmor mare Græca ratione à nitore aquæ commotæ, quippe μαρμαρυγὴ, fulgor. Mare autem vetus vox* Mare vox Syra.
Syra Marath. Pulchrè itaque Nonn. lib. 39. λευκαίνον χιόνι ἀφρῷ.

13. HVNC VEHIT IMMANIS TRITON.] Eſt, niſi fallor, tacita Apollonij imitatio lib. 4. vbi Triton Imitatio.
viuus Argonautas ducit, regítque in deſtinatum locum: vt ſic videatur Maro fingere Auletem duci ab Tritone non viuo. Triton ducit nauem.

E 14. CONCHA EXTERRENS FRETA.] De Tritone Claud. de Nupt. Honor. & Mariæ: *ſeu concha Libycum circumſonat æquor.* Duxit ex Noſtro 6. Æneid. *cauâ dum perſonat æquora concha.* Plin. cap. 5. lib. 9. inducit Concha Tritonis.
concha canentem Tritonem, aítque & viſum, & auditum. Lucan. lib. 9. de hoc monſtro (ille Deum vocat).

——*quem toto littore pontus*
Audit ventoſa perflantem littora concha.

15. CVI LATERVM TENVS HISPIDA, &c.] Habes hîc egregiam Tritonis deſcriptionem, Tritonis deſcriptio.

eiúsque formam. Claudianus in addncto loco ita describit, A

——— prorumpit gurgite toruus
Semifer, vndosi velabant brachia crines,
Hispida tendebat bifido vestigia cornu
Qua Pristis commissa viro. ———

Sidonius Epithal. Ruricij, & Iberiæ,

Squamineus huc Triton duplicis confinia dorsi,
Qua coëunt supra sinuamina tortilis auri.

& postea dat illi *Pristin.* Latini ab Apollonio lib. 4. Arg. qui, cùm Tritonem faciat supernè similem, non adhuc hominibus, sed μακάρεσσι, id est, *Dijs beatis,* addit tamen:

Αὐτὰρ ὑπαὶ λαγόνων δίκραιρά οἱ ἔνθα καὶ ἔνθα
Κήτεος ἀλκαίη μηκύνετο: ———

Sed sub lumbis duplex illi huc, illúcque
Ceti cauda trahebatur. ———

Tritonum figuram hanc exhibet Pausan. lib. 9. Latina tantùm audi. *Capitis comas persimilis est palustri apio, tum colore, tum quòd capillum omnino nullum ab aliis possis discernere: reliquum corpus squamma in horrescit minuta, sed eadem propè qua lima est duritia: branchias infra aures habent, nares hominis, rictum oris latiorem, & dentes Pantheræ: oculi glauci mihi esse visi sunt, manus etiam illis sunt, digitique, & vngues ea forma, qua superiores conchyliorum testæ: pinnulæ sub ventre, & pectore pro pedibus, vti Delphinis.* Ab hac piscium forma, in qua aliqua similitudo cum humana, nata Poëtarum mendacia. Plinius loco addncto ait, visum Tritonem *qua noscitur, forma.* Quibus satis indicat, visum supernè, vt hominem; infernè, vt piscem: nam hæc C est forma, qua noscitur.

Pristis Tritonis. 16. IN PRISTIN DESINIT ALVVS.] Non abludunt verba Statij 2. Theb.

——— prior haurit arenas
Vngula, postremi soluuntur in æquora pisces.

Dicendúmne porrò sit *Pristis,* aut *Pistrus,* aut *Pristrix,* iam nos credo alibi. Tu vide Had. Iun. cap. 13. lib. 1. Animaduers.

17. SPVMEA, &c.] Videlicet ex remorum agitatione. Eurip. in Taur.

Albi fluctus. Λάβεσθε κώπαις, ῥόθιά τε λευκαίνετε:
Remis incumbite, & fluctus albos facite.

Et in Bacch. ἅλα ῥοθίοισι λευκαίνοντες.

18. SVB PECTORE MVRMVRAT VNDA.] His vincor, vt non pictum Tritonem in puppe credam, D sed factum ex ære ad nauis rostra, aut latera. In quo

Naues cum monstris. & morem agnosco; nam similia monstra effingi solita in nauibus Athen. scribit lib. 5. vbi sermo est de naue Hieronis, Ἄτλαντές τε περιέτρεχον τὴν ναῦν ἔκτοσθεν

Atlantes in nauibus. ἑξαπήχεις: *Atlantes sex cubitorum nauem exteriùs percurrebant.* Et Eurip. in Aulid. ait effictum in naui quadam Cadmum, qui teneret χρύσεον δράκοντα, *aureum draconem,* & hunc ἀμφὶ ναῶν κόρυμβα, *in rostris nauium.* Quid quòd potuit Virgilius adumbrare currum

Currus, de Neptuno. Neptuni, quem vehebant Tritones, atque ita fingere nauem vehi ab æreo Tritone? Quæ dixi de curru Neptuni, probant versus Statij lib. 5. Theb.

——— venit æquoris alti
Rex sublimis equis, geminúsque ad spumea Triton
Frena natans, late pelago dat signa cadenti.

Ceterùm Virgilij versus desumptus apparet ab illo Apollonij lib. 1. Argon.

Imitatio. Ἀφρῷ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κελαινὴ κήκιεν ἅλμη
Δεινὸν μορμύρουσα. ———

Atra & cum spuma salsugo vtrinque subsiliebat
Horrendum murmurans. ———

Ibidem in nauigatione,

——— δι᾽ ἠερ. αυκσμωιον ἄφριν ὕδωρ:

——— verticibus agitata spumabat vnda.

Est hoc quod Nonn. lib. 11. κυκλώμασιν ἀλλήλοισι ἀλλὰ Glomeπατατα ταντε *tantibus glomeratum.* Nam a glomere spuma. Glomeratæ.

19. TOT LECTI PROCERES, &c.] Pari modo nautarum suorum catalogum absoluit Apollon. lib. 1. Imitatio.

Τόσσοι ἄρ᾽ Αἰσονίδῃ συμμήστορες ἠγερέθοντο:
Tot congregabamur Iasoni coadiutores ad bellum.

20. TER DENIS.] Ita 1. Æneid. *bis denis nauibus.* Ter denis. vt ibi, ita & hic ad arrogantiam.

21. IBANT SVBSIDIO.] Sic Cicer. epist. 7. lib. 8. ad Attic. *subsidio venturus.* & 1. Æneid. *excidio venturum.* Quod præclare, & quod expendit Scal. nam Excidio venire, quid sit. cùm hæc locutio semper ad gratiam, placuit tamen Virgilio, cum *excidio* iungere. Sed quid si locus Vir- B gilij aliter capiendus sit (adiungo hîc, quia ibi omisi) vt sit ablatiuus, quem dicunt absolutum? vt sententia sit: Audierat Iuno populum Regem, & bello superbum venturum *excidio Libyæ,* id est, ab excidio Libyæ, post excidium Libyæ. Nam verè domita Africa, fuit Roma gentium domina. Dixi hoc; nam nonnullis visus est Poëta tautologiam committere, quod est orationis vitium. Nam cùm priùs dixerit, *Tyrias olim quæ verteret arces,* videtur oriosè addere, *venturum excidio Libyæ.* Hæc noua explicatio seruiet aliquorum gustui. Sed qui velit Poëtam accipere vulgari explicatione, dicat nullam esse tautologiam. Nam aliud est verti Tyrias arces, id est, Carthaginem, aliud Libyam totam: quæ, pessumdata vrbe principe, ipsa quoque pessumdata.

22. TROIÆ.] Vide vt explicui, sed possis aliter. Vrbem excitatam à Troianis vocat Troiam, quia Troia noua. hæc vrbs successit Troiæ, ad quem modum de Roma Valer. 2. Argon.

Et genus Æneadûm, & Troia melioris honores.

23. CAMPOS SALIS.] Pulchrè, & quidem ab Campus, de mari. Græcis. Nam Eurip. Phœniss.

Ἰόνιον κατὰ πόντον
Ἐλάτᾳ πλεύσασα περίρ-
ρυτον ὑπὲρ ἀκαρπίστων
Πεδίων Σικελίας:

Ionium per mare
Abiete nauigans
Circumfluos super infructuosos
Campos Siciliæ.

Lucretius lib. 5. & 6. dixit *campósque natantes.* Noster in 6. *campósque liquentes.* Plinius lib. 2. cap. 65. loquens de aquarum rotunditate: *Globum tamen effici mirum est in tanta planicie maris camporúmque.* Cassiodorus lib. 1. epist. 21. *Voluptuosi pisces campos liquidos transeuntes cauernas suas studiosa indagine perquirunt.* Plautus Trinum. *ceruleos campos,* quod videlicet Ruden. *vias caruleas.* Huc adnecte *arua Neptunia* apud Nostrum, *vias,* & *itinera* apud eundem, & alios, quæ omnia, cùm sint terrarum, tamen egregiè de aquis. Vt verò campi, qui terrarum sunt, ad aquas maris Commutatio metaphorarum. traducuntur; sic contrà, grata vicissitudine, æquora, quæ propriè sunt maris, ab æquitate aquarum, dicuntur de terris.

24. SALIS ÆRE SECABANT.] Similis ille modulus lib. 1. *salis ære ruebant.* vt & Catull. de Nept. Vix salis, de mari. E *fluctus salis alludebant.* Pulchrè Valer. 1. Arg. *spumas vomit ore tridenti.* De rostratis nauibus, quas hîc attingit in voce *are,* dixi iam 1. Æneid. Vt hîc *salis,* ita Stat. 3. Theb. *Tyrrheni gemitus salis.* Oppian. lib. 1. Sal, de mari. Hal. ἁλὸς τέμνοντι κέλευθα, *salis vias secant.* Nonn. lib. 11. ῥεύματα, & οἴδματα πόντου. Vtrunque de mari. Alludunt hi omnes ad Græcorum πόντον. Sed alibi vberiùs.

ᵃ Iámque dies cœlo concesserat, almáque curru
Noctiuago Phœbe medium pulsabat Olympum.
ᵇ Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens, clauúmque regit, velísque ministrat.
ᶜ Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybele
Numen habere maris, Nympháſque è nauibus esse
Iusserat: innabant pariter fluctúſque secabant,
Quot priùs æratæ steterant ad littora proræ.
ᵈ Agnoscunt longè Regem, lustrántque choreis.
ᵉ Quarum quæ fandi doctissima Cymodocea,
Ponè sequens dextra puppim tenet, ipsáque dorso
Eminet, ac læua tacitis subremigat vndis.

ARGVMENTVM.

Describit spatium post noctem mediam, Æneæ ducis curam, Nympharum comitatus, quæ versæ è nauibus: & meminit inprimis Cymodoceæ.

EXPLICATIO.

ᵃ DIXERAT suprà, *media Æneas freta nocte secabat*, hîc iam addit, abiisse iam mediam hanc noctem, ac proinde abiisse & diem, more scilicet Romano, quo dies absoluebatur ipso noctis intermedio; sed hoc in Notis: ac tunc (inquit) in medio cœlo splenduisse Lunam, cui poëticè dat currum.

ᵇ Sed vide in altissimo silentio Æneæ ducis curam, qui nihil quietis caperet, sed iam clauum regeret, iam velis ministraret. Ait *ipse*, emphaticè, quasi alij dormirent, & ipse solus vigilaret.

ᶜ Occurrit tunc illi in medio cursu chorus comitum suarum, videlicet Nymphæ, quas è nauibus in Deas maris iussu Cybeles commutatas scripserat superiori libro. Ergo totidem nunc Nymphæ, quot olim naues, pari natatu Æneæ occurrunt, ad eius nauem accedentes.

ᵈ Agnoscunt quippe Regem suum, eiúsque nauem *lustrant choreis*, id est, circumeunt, & ideo *choreis*, quia suprà *chorus*.

ᵉ Celebrat eloquentiam Cymodoceæ. Tenuit hæc à tergo Æneæ puppim dextra manu, ac simul cum naue adnatabat, dorso in aquis eminens: sinistra tantùm natatui seruiente.

NOTÆ.

1. IAMQVE DIES COELO CONCESSERAT.] Non dicit, diem aduenisse, si per *diem* intelligas lucem: sed aduenisse diem; nam videlicet alter iam dies. Itaque signat ex obseruatione Cuiacij lib. 15. Obseru. cap. 22. diem Romanorum, qui nocte media incipiebat, & altera media nocte finiebatur. (Dies Romanorum vnde inciperet.) Quod Plutar. scribit, imò & ita quærit διὰ τί τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι; *Cur à media*

A *nocte sumunt initium diei?* Plin. lib. 2. cap. 77. *Sacerdotes Romani, qui diem definiere ciuilem, item Ægyptij, & Hipparchus à media nocte in mediam.* Agell. lib. 3. cap. 2. ex Varrone: *Homines qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis XXIV. nati sunt, vna die nati dicuntur.* Lege integrum caput Agellij.

2. ALMAQVE CVRRV, &c.] Ait Macrob. lib. 6. Saturn. cap. 5. duci hos versus ab lineis Egnatij veteris Poëtæ lib. 1. de rerum natura, (Imitatio.)

Roscida noctiuagis astris labentibus Phœbe
Pulsa loco cessit concedens lucibus altis.

Stat. 3. Theb. in descriptione noctis dixit *noctiuagas vmbras.* Nocti bigas dat Valer. 2. Argon. (Noctis bigæ.)

B *Diua soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.*

Et lib. 4. *Lenis heret nox conscia bigis.* Vicinum hoc poësi illorum, qui Lunæ dant *currus*, vt Theocrit. εἰδ. 25. ἅρμα. Aut *bigas*, vt Stat. 12. Theb. *Lunaribus obuia bigis.* Aut *equos*, & hic sunt infiniti. (Lunæ currus.) (Equi Lunæ.)

3. MEDIVM.] Mediam noctem ita describit lib. 6. *torquet medios nox humida cursus.* & Propert. Eleg. 10. lib. 1. (Nox media.)

Et mediis cœlo Luna ruberet equis.

4. PVLSABAT OLYMPVM.] Tam hoc Virgilianum, quàm Ouidianum illud 6. Metamorph. (Pulsare Olympum.)

Pulsabant pedibus spatium decliuis Olympi,

vult Hieron. Colum. duci ab Enniano illo 1.

C Ann.

Musæ, quæ magnum pedibus pulsatis Olympum.

Reuoco tamen sermonem ad Euripidem, qui multo ante Ennium, loquens de Iunone, (Imitatio.)

Κρούουσ' Ὀλύμπιον Ζηνὸς ἀρβύλῃ πόδα:
Pulsans sandalio solum Olympij Iouis.

5. NEQVE ENIM MEMBRIS DAT CVRA QVIETEM.] Quod de amantibus dixit Stat. 2. Theb. *Nunquam in pace sopor*, & Virgil. de Didone, *nec vnquam soluitur in somnos*, possis æquè de viris militaribus; cura enim belli futuri insomnes reddit. Exemplo Æneas est. Sic apud Homerum Agamemnon, apud Silium Annibal, apud Valerium Iason vigilantes inducuntur in aliorum sopore; vt (Amantium curæ.) (Ducum curæ.)

D etiam apud Nostrum Æneas lib. 1. Et de Iuliano scribit Ammianus lib. 16. *bellorum inundantium molem humeris suis vehens, scindebatur in multiplices curas.* Rogas causam? quia inest cura de imminente periculo. Clytæmnestra apud Soph. in Elect. (Pericula curas afferunt.)

ὥστ' οὔτε νυκτὸς ὕπνον, οὔτ' ἐξ ἡμέρας
ἐμὲ στεγάζειν ἡδύν: ———
Vt neque noctu somnum, neque interdiu
Capere suauem possem. ———

Cuius

Cuius rei causa præcessit hæc, δεινὰ ἐπηπείλει, mihi Orestes *dura interminatus est*. Ergo Æneam pungens cura insomnem reddit. Inde verè Statius lib. 3. Theb. *peruigil angor*. Et apud Calab. lib. 3. aliis dormientibus, vna Thetis vigilat præ mœrore, quo afflicta. Et Tibull. Eleg. 4. lib. 3.

Somnus cōtrarius curis.

Somnus sollicitas deficit ante fores.

Quia domum, vbi est solicitudo, somnus non ingreditur, Roges adhuc cur curæ vis ista? Audi Hippocratem lib. 2. de victus ratione. ὁκόταν ἐν μερίμνῃ ἀνθρώποισι γίνηται ἡ ψυχή, καὶ ἀπὸ τουτέων θερμαίνεται, καὶ ξηραίνεται: *Incalescit animus, atque exsiccatur his, quæ hominibus accidunt cum cura.* & postea addit, ista τὸ ὑγρὸν καταναλίσκειν, *absumunt humidum*. Itaque ab hoc calore, & siccitate, quæ sunt curarum comites, inest vigilia. Somno enim algor proficuus est, ψυχρὸν ἐν ψύχει, ait idem lib. 6. τῶν ἐπιδημ. Sed ego hîc quidpiam contra Homerum, & pro Virgilio. Vlyssi Odyss. 10. vicino iam patriæ somnus obrepit, vbi eum esse oportebat vigilantiorem. Quem somnum fuisse perniciosissimum, exitus declarat. Defendunt interpretes; nam mens Homeri, vt egregium prudentiæ colligeremus præceptum ex imprudentia Vlyssis. Sed quæ hæc defensio? ita possis quæcunque in illo absurda sunt. Aliud iudicium Virgilij.

Curæ cur insomnes.

Algor proficuus somno.

Homeri vitium.

6. CLAVVMQVE REGIT.] Talem agnosce Æneam. & in 5. *ipse ratem nocturnis rexit in vndis.* Et nota vtrobique esse verbum *rego*, quod est gubernatoris. Scitè itaque Ouid. *dirige nauis iter*, scilicet vt gubernator.

Æneas vigilantissimus. Rego, verbum nauticum.

7. VELISQVE MINISTRAT.] Habes hoc hemistichium & lib. 6. Ab Nostro Tacitus de moribus Germ. (notante Turnebo) *nec velis ministrant*. Et Stat. 7. Theb. (notante Pontano)

Ministrare velis.

Ipse sedens velis, pariterque ministrat habenis.

8. CHORVS ECCE, &c.] Figmentum hoc Nympharum loquentium ad Æneam duci potuit ex Eurip. in Taur. vbi Pallas apparet Græcis nauigantibus, & ναὸς ἐκ μέσης φθέγξατο, *loquuta est media ex naue.*

Imitatio.

9. CYBELE.] Notat Vrsinus alicubi legi, *Cybebe*. & Græci quidem Κυβήβην dicunt.

Cybebe, pro, Cybele.

10. INNABANT PARITER.] Nonn. lib. 11. de duobus, qui simul natabant, dicit ὁμόφοιτον δρόμον. *fluctúsque secabant*. ibidem, ἐκύμαινε τέμνων.

Pariter natare. Secare fluctus.

11. ÆRATÆ.] Æratas naues, & rostratas easdem esse, dictum iam lib. 1. & 9. Hîc addo *apertas* easdem esse cum æratis, rostratísve. Docuit iam hoc Lazius lib. 6. Comm. cap. 8. sed errat insigniter (arripio occasionem) cùm docet *cataphractas* quoque esse easdem cum æratis, rostratis, apertis. Non est. Imò *cataphractæ*, & *apertæ* ex directo oppositæ. Ergo, *cataphractæ*, *tectæ*, *constratæ* eædem sunt: his opponuntur *aphractæ*, & *apertæ*. Indè bene Bayf. lib. de re nauali pag. 31. illud Diodori, ἄφρακτοι δὲ τριάκοντα, vertit, *aperta autem triginta*. Sed veritatem munio à Thucydide lib. 1. qui cùm dixerit in nauibus Philoctetæ, quibus itum aduersum Troiam, exiguum fuisse numerum militum, rationem adhibens huius paucitatis, ait: οὐδὲ πλοῖα κατάφρακτα ἔχοντας, ἀλλὰ τῷ παλαιῷ τρόπῳ λῃστικώτερον παρεσκευασμένα: *Cùm non haberent nauigia cataphracta, sed veteri, ac magis predonum more constructa.* In quibus opponit nauigia *cataphracta*, & *prædatoria*. Certum autem extrema hæc fuisse *aperta*, ac proinde *cataphracta* erunt, quæ & *tecta*, aut *constrata*. Ratio verò clara est; nam *apertæ* naues, ideo *aphractæ*, tanquam non munitæ: & *tectæ*, quia munitæ sunt, & habent catastromata, ideo *cataphractæ*. Itaque ratio nominis Græci sumenda ab apertione, aut tectione: non ab æreo rostro, vt sentit Lazius.

Apertæ naues quæ.

Cataphractæ naues, Tectæ, Constratæ.

Prædatoria nauigia.

Aphractæ naues.

12. LVSTRANTQVE CHOREIS.] Est hoc, quod in Epig. ἐν χορῷ δινεῦνται, aut quod Hom. ἐδίνευον. Nam hoc est (vt ex interprete notat Germ.) idem quod κυκλόθεν ἐρχέσθαι. Quæ verba Poëta reddit per verbum *lustro*, notans circuitum. Et nota his choreis innui felicitatem. Hanc indicat Propert. Eleg. 17. lib. 1. vbi optans felix omen, ait,

Lustrare, de choreis. Choreæ notant felicitatem.

At vos æquoreæ formosa Doride natæ
Candida felici soluite vela choro.

Apud Theocrit. εἰδ. 13. Nymphæ fontium, quæ rapuerunt Hylam, χορὸν ἀρτίζοντο, *choreas ducebant*.

13. FANDI DOCTISSIMA CYMODOCEA.] Alibi dixit *Cymodoce*. Sic *Calliope*, & *Calliopea*. & fortassis seruanda Græca forma *Cymodocea*, & *Calliopea*. Sed cur Nympha hæc præ aliis doctissima? Nescio cur Seruius stultum putet, qui hoc referat ad nauem Ilionei, cùm in fabulis multa sint similia. Hoc enim non abit à fabularum consuetudine.

Cymodoce cur doctissima.

14. TACITIS VNDIS.] Dixi bis lib. 8. & hîc adiicio Plutar. qui de defect. oracul. de præternauigantibus, παραπλεόντων ἡσυχίαν ἔχοντες.

Tacitæ vndæ.

[a] Tum sic ignarum alloquitur. Vigilásne Deûm gens
Ænea? vigila, & velis immitte rudentes.
[b] Nos sumus Idææ sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua: perfidus vt nos
Præcipites ferro Rutulus, flammáque premebat,
Rupimus inuitæ tua vincula, téque per æquor
Quærimus: hanc genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse Deas, æuúmque agitare sub vndis.
[c] At puer Ascanius muro, fossísque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.
[d] Iam loca iussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas
Ne castris iungant, certa est sententia Turno.
[e] Surge age, & aurora socios veniente vocari

Primus

Primus in arma iube: & clypeum cape, quem dedit ipse
Inuictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
[f] Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis aceruos.

ARGVMENTVM.

Sermo Nymphæ ad Æneam, quo docet commutationem nauium in Deas, Ascanij obsessi periculum: hortatur ad bellum, feliciter auspicatur.

EXPLICATIO.

[a] IGNARVM videlicet successus, & metamorphóseos. In verbo *alloquitur* inest lenocinium, & blanditiæ, quod alibi aperui. Illud *Deûm gens*, dictum luculenta laude, quia Æneas Heros. Quæ hîc de vigilia, dicam in Notis. Illud *velis immitte rudentes*, ad hortationem pertinet. Quasi dicat: Ne impedi mora aliqua tuum cursum, incumbe totus in nauigationem.

[b] Aperit successum. Vides nos Nymphas: Sumus classis tua, & pinus sectæ ad nauigia ex Idæo monte. Dum tu abfuisti voluit nos Turnus gladio vastare, flammis absumere. Tulit hoc indignè Cybele, nósque in hanc formam conuertit, qua te per vndas quærimus factæ Deæ maris. Quanta, putas, admiratione successus hic tragicus Æneam affecerit? Dicunt Nymphæ *inuitas* se hoc fecisse, quasi lubentissimè ministraturæ Æneæ sub nauium forma, veluti hoc præferrent ipsi adhuc diuinitati.

[c] Scire vis de Ascanio tuo? tenetur septus muro, telis premitur, instant Latini bello horridi.

[d] Arcades, quos cum Hetruscis præmisisti ante te, iam sunt in campo pugnaturi; ne verò se coniungant cum castris Ascanij, Turnus medium se vult interponere, hostem hinc inde separaturus.

[e] Absoluit Nympha, quid facturus Æneas ex periculo Ascanij, vt cùm primùm ad portum adpellet sub auroram, socios ad bellum comparet, arrepto clypeo Vulcani. Obiter Nympha fidem sui facit, vt credatur in auspicio, quod statim infert. Nam illud de armis Vulcani scire, nisi Dea esset, non poterat.

[f] En iam felix auspicium. Videbit lux crastina ingentem cædem, quam tu editurus es; tantùm crede id fore.

NOTÆ.

Oppositio. 1. IGNARVM.] Videtur quæsita oppositio, *fandi doctissima*, id est, futurorum præscia alloquitur ignarum.

VIGILASNE, &c.] Notat Seruius, verba hæc esse sacrorum, ac dicebant: *Vigilásne Rex? vigila.* & addit, meritò hæc aptata Æneæ, vt Regi, vt sacrorum perito. Et lib. 8. ad illud, *vtq; impulit arma*; ita scribit: *Est sacrorum, nam is, qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus, primò ancilia commouebat, post hastam simulacri ipsius, dicens, Mars vigila.* Aptat Germ. illud Platon. Protag. ὦ Σώκρατες, ἐγρήγορας, ἢ καθεύδεις; Et ego Plutarchum in vita Luculli, apud quem huic duci dormienti ante diem certaminis Venus apparuit ita increpans:

(Vigilásne? verba sacrorum. — Mars vigila, verba sacrorum.)

Τί κνώσσεις μεγάθυμε λέον; νεβροὶ δέ τοι ἐγγύς.
Quid dormis leo animose: adsunt propè iam tibi hinnuli.

Et in Iulio, Brutus percussor eius audiuit, καθεύδεις A Βροῦτε, καὶ οὐκ εἶ Βροῦτος. *Dormis Brute, non iam tu es Brutus.* Repetit in vita ipsius Bruti. Et Nonnum lib. 20. vbi Eris ita ad Bacchum:

Ὑπνώεις Διόνυσε θεηγενές, εἰς ἐνοπὴν δὲ
Δηριάδης καλέει σε.———
Dormis Bacche Diis genite, ad pugnam verò
Deriades te vocat.———

Et Pindarum, qui Od. 13. Olymp. εὕδεις Αἰολίδα βασιλεῦ. Et Eurip. apud quem Chorus in Rheso dormientem Hectorem excitat,

Λῦσον βλεφάρων γοργωπὸν ἕδραν.
Solue trucem sedem palpebrarum.

Et ibidem Paris, B

Ἕκτορ καθεύδεις; οὐκ ἐγείρεσθαί σε χρῆ;
Hector dormis? nónne te conuenit surgere?

Ceterùm vides Æneam vigilantem, & in puppi. Itaque ab hoc gubernatorum munere Æschyl. ἑπτ. Θηβ.

(Æneas vigilantissimus. Gubernator Reip. sit vigilantissimus.)

Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως
Οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ:
Is qui tuetur Rempub. in puppi vrbis
Clauum regens, palpebras nunquam sopiat somno.

3. IMMITTE RVDENTES.] Sermo ducitur ab re equestri; nauis enim, vt equus fræno, sic rudentibus regitur. Duci itaque verbum *immitto* ab re equestri aperio ex Græcis, C quibus ἵημι est *mitto*, & eius composita plerumque ad rem equestrem, vt sunt ἀνίημι, παρίημι, ἀφίημι, ἐξίημι. Primum vidi in Soph. qui in Elect. δεξιὸν τ' ἀνεὶς σειραῖον ἵππον, *remittens dextrum Sireum equum*, pro, laxans habenas equo. Alterum in eodem ibidem, vbi, παρεὶς κλύδων' ἔφιππον, dicit, vitatam equestrem procellam. Tertium in Philostrato, qui lib. 2. de vitis Sophist. ἀφεὶς ἡνίαν: *demittens habenam.* Quartum in Plutarcho, qui in Pericle, ἐφεὶς ἡνίαν: *immittens habenam.* Inde & Propert. Eleg. 9. lib. 3.

(Immito, verbum equorum.)

Mollis tu captæ fautor cape lora iuuentæ,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis. D

Et clarissimè quoque Virg. 6. Æneid. *classique immittit habenas.* Et Statius 3. Theb. *Flagrantes immisit equos.*

4 IDÆÆ SACRO DE VERTICE PINVS.] Ita Catull. in dedicatione phaselli, ait fuisse *Cytorio in iugo*, & iterum,

(Montes patres nauium.)

———Cytore buxifer
Tibi hæc fuisse, & esse cognatissima,
Ait phasellus: vltima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine.

Catull. idem de Nupt. Pel. & Thet.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

Et Ouid. 2. Amor. E

Prima malas docuit mirantibus æquoris vndis
Peliaco pinus vertice cæsa vias.

5. PERFIDVS.] Aliquot exemplis mihi persuasi, & miror à nemine, quod sciam, animaduersum, præpositionem *per* respondere aliquando Græcæ præpositioni παρά. Nam quemadmodum hæc apud Græcos falsum quiddam in compositione indicat, ac præposterum, vt παραφρονεῖν, est, *desipere*, etiamsi φρονεῖν sit *sapere*, sic in aliis infinitis: ita apud Latinos *per*. Sic *perfidus*, *periurus*, *perfunctorius*, *perfuga*; & in quibus præpositio tantùm abest à significanda perfectione, vt potiùs vitium notet.

(Per interdum respondet παρά.)

6. RVPIMVS.] Alludit ad morem nautarum, qui in suum

(Rumpere funes nauticos.)

in summa festinantia non soluebant funes nauticos, sed rumpebant. Sic in 4. *strictóque ferit retinacula ferro.* & in 3. propter metum Cyclopis, *tacitique incidere funem.* Valer. 1. Arg.

——ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit.——

Lucanus lib. 4. *vincula ferro rumpere conatus.* & lib. 5.

Rumpite quæ retinent felices vincula proras.

Polyb. lib. 3. de hac re loquens, εὐδιακόπους τοὺς δεσμούς: *vincula facilia ruptu.* Et Plutar. in vita Luculli in fuga militum, vbi necessaria festinatio, ἀποκόπτοντας τὰ πρυμνήσια τῶν νεῶν: *incidentes oras nauium.* Marius etiam apud Appian. 1. Ciuil. vbi opus magna celeritate, mari se committit, τὸ πεῖσμα κόψας: *frangens funem.*

Reficio, ad metamorphosin.

7 REFECIT.] Semper extra vulgus hic Vates. Quis enim ad significandam trãsformationem vsus hoc verbo? Disce hoc ab illo. Et propriè quidem, nam *reficere* est quasi iterum facere, quod contingit in metamorphosi.

Æuum, de Diis.

8. ÆVVMQVE AGITARE SVB VNDIS.] Propriè, nam *æuum* de Diis, vt dicebam 6. Æneid. ad illud,

Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux.

Teneo, verbum militare.

9. TENETVR.] Verbum militare. Stat. 3. Theb. *ceu muris, vallóque tenent.*

10. IAM LOCA IVSSA TENET FORTI PERMISTVS HETRVSCO ARCAS EQVES.] Enodaui hoc 8. Æneid. & hîc adhuc clariùs. Tripliciter copias suas Æneas diuisit. Imprimis cùm esset apud Euandrum, & antequam perueniret ad Tarchontem, & Hetruscos, diuisit Troianos à Troianis: inde lib. 8.

Triplices copiæ Æneæ.

Post hinc ad naues graditur, sociósque reuisit,
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnísque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerúmque patrísque.

Deinde itum est ad Tarchontem, & Hetruscos cum omnibus Arcadibus, & cum parte Troianorum superstite, ac tunc Æneas diuisit partem Arcadum, & Hetruscorum, quos ad Ascanium præmisit, vnde procedunt hæc huius loci,

Iam loca iussa tenet forti permistus Hetrusco
Arcas eques.——

Loquitur enim hoc Cymodocea antequam Æneas descenderet. En iam copias duplices. Restat tertia pars copiarum; hanc secũ Æneas ductabat nauibus permistam, ex Arcadibus, ex Hetruscis, ex Troianis. Duces erant, Arcadum Pallas: Hetruscorum Tarchon: Troianorum Æneas; cui tamen Pallas, & Tarchon principatum dederant.

11. ARCAS EQVES.] Equitem Arcadiæ etiam celebrat Stat. 5. Theb. *monitu ducis aduolat ardens Arcas eques.* Itaque Arcades equis, vt plurimùm, pugnaces. Inde infrà;

Arcades equitatu valebant.

Arcadas insuetos acies inferre pedestes.

Firmat hoc Pausaniæ auctoritas, qui lib. 8. ita scribit, ἐπὶ τούτῳ δὲ παρὰ σφίσιν Ἀρκάδων πρώτοις Ἵππειον Ποσειδῶνα ὀνομασθῆναι: *Ad hæc equestrem Neptunum ab Arcadibus primùm nuncupatum autumant.*

12. NE CASTRIS IVNGANT.] Quippe vtile hostem distrahi, ne vires iungat. Tacit. 1. Annal. de Germanico: *Et, ne bellum mole vna ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiã mittit.* Cæsar 1. Gall. *Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimauit, ne, si noua manus Sueuorum cum veteribus copiis Ariouisti se coniunxisset, minùs facilè resisti posset.*

Hostis debet diuidi, ne sit fortissimus.

13. AVRORA VENIENTE, &c.] Ex Hom. Odyss. 7. qui ad verbum ferè, ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι.

14. INVICTVM.] Vno verbo reddidit multa Hesiodi, qui de scuto Herculis,

Imitatio.

——οὐδέ τις αὐτὸ
Οὔτ' ἔρρηξε βαλὼν, οὔτ' ἔθλασε:——

——nemo ipsum,
Neque rupisset vulnerans, neque fregisset.

15. IGNIPOTENS.] Hanc vocem dici de Vulcano cum respectu ad artes, quibus inseruit ignis, aperui lib. 8. Vide ibi.

16. ATQVE ORAS AMBIIT AVRO.] Fuit hoc elegantiæ veterum, vt extrema clypeorum aurea essent, vel alia ex materia distincta à materia clypei, quo quæsita varietas. De scuto Herculis Hesiod. πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ χρυσῷ φαεινῷ λαμπόμενον: *totum in circulo lucenti auro splendebat.* Vide apud eumdem admirabilem varietatẽ scuti illius, in quo discurrebant circuli non ex auro solùm, sed ex gypso, ebore, electro.

Scutorum extrema varia.

17. CRASTINA LVX.] Nescio an probem Statium qui 5. Theb. dixit, *crastina ætas.*

Crastina ætas.

18. CÆDIS ACERVOS.] Stat. 5. Theb. *ingentẽ nocturnæ cædis aceruũ.* Valer. 3. Arg. vocat *aggeres* eo versu:

Aceruus cædium. Aggeres cæsorum.

At verò in mediis exsangui Rege reperto
Aggeribus.——

[a] Dixerat & dextra discedens impulit altam
Haud ignara modi puppim: fugit illa per vndas
Ocyor & iaculo, & ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit.
[b] Tum breuiter supera aspectans conuexa precatur.
Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque vrbes, biiugíque ad fræna leones,
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu ritè propinques
Augurium, Phrygibúsque adsis pede Diua secundo.
[c] Tantùm effatus: & interea reuoluta ruebat
Matura iam luce dies, noctémque fugarat.

ARGVMENTVM.

Discedit Nympha impulsa naue, Æneas stupet, tollit animos, conuertit se ad Cybelẽ, vt ea princeps sit belli, dies oritur.

EXPLICATIO.

[a] LAVDAT Seruius Poëtam, qui dixerit, *discedens impulit*, adiuuatur enim pulsus recedente eo, qui

qui impulerit. Ergo ab hac vi impressa, sequitur, *fugit illa per vndas ocyor*, & sequitur duplex comparatio. Prima, *& iaculo*, altera, *& ventos aequante sagitta*. Quid verò illud, *haud ignara modi*? Loquitur cum respectu ad primam formam. Nympha hæc priùs fuerat nauis, ac proinde sciebat, quî impellenda. Ideo postea; *Inde aliæ celerant cursus*. Id est, explicante Seruio, *Nymphæ aliæ efficiunt cursus aliarum nauium celeriores, sicut fecerat Cymodocea*. Sed placet tamen, vt *aliæ* sint aliæ naues, quæ ad Regiam impulsam ipsæ quoque celerrimæ. Quod & Seruius amplectitur. Sequitur admiratio Æneæ, potiùs stupor, vt qui *inscius* rerum earum, quas audierat. Et inde etiam alacrior factus, omnia hæc in omen arripit.

B b Preces Æneæ ad Cybelem, quæ mater Deorum omnium, & eadem cum terra. Ideo *alma*, quia *parens*, & alens vniuersa. *Idæa* ab Ida monte Troiæ, vbi culta. *Cui Dindyma cordi*, mons est Phrygiæ huic Deæ sacer, vnde & *Dindymene* dicta ab Catullo. *Turrigeræq; vrbes*, quia Tellus turrita in capite, eius scilicet simulacrum cum corona plena turrium. *Biiugique ad frena leones*, quia vecta hæc Dea leonibus, quo notatur, ferocissimos quantumuis maternis iussis debere esse obedientissimos. Vide verò quàm pomposa captatio præcesserit, vt subiiciat, *Tu mihi*, &c. Tria petit, sit princeps ad pugnam: prosperum faciat propitiùmque augurium; nam hoc est, *propinquare augurium*: adsit Troianis felix, & fausta.

C c Vix dixerat, cùm iam dies aderat, nox abierat. Notetur apparatus & descriptio diei aduentantis, abeuntis noctis.

NOTÆ.

Imitatio. 1. DEXTRA.] Consequenter; nam suprà, *dextra puppim tenet*. Itaque, qua tenuerat, ea impellit. Imitationem Germanus petit ab Apollonio, qui lib. 2. δεξιτερῇ δ' ἐλάασκεν ὀπίσσω. Sed credo respectum

Dextræ felicitas. ad felicitatem dexteræ; impellit enim dextra nauem, vt inde capiatur omen felicitatis. E contrario, si vel-

D ler significare infaustam fuisse nauigationem, diceret, nauem impulsam manu sinistra. Cur verò dextra ponatur pro felicibus, iam variè eruditi nostri. Sed ego non grauabor sententiam proponere interpre-

Quæ ratio eius felicitatis. tis Sophoclis, qui in Antigone ait, rem duci δεξιῶν ἵππων τῶν ἐν τοῖς ἅρμασι ἀγομένων: *ab equis qui currui illigantur*: nam videlicet οἱ γὰρ ἰσχυροὶ ἵπποι εἰς τὴν δεξιὰν σειρὰν ζεύγνυνται τῶν ἁρμάτων: *equi validi ac fortes sunt sub iugo in dextra parte currus*.

Iaculo ocyor. 2. OCYOR ET IACVLO, &c.] Ita ludunt Poëtæ, quibus placent ὑπερβολαί. De Delphinis Oppian. 2. Hal. ait, illos volare, ἶσον ὀϊστῷ, βέλεος ὥστε, θαλάσσης: *instar teli per mare*. & lib. 1. ἴσον θαλάσσῃ ὀϊστοῦ: *ruit ocyius ia-*

Imitatio. *culo*. Sed Poëta, vt credo, totum hunc locum hausit

E ex imitatione Tryphiodori, quod mihi fit credibile; nam Nympha impulit manu nauem, quæ statim abiit celerior sagitta; Græci locus ita habet:

——βίῃ δ' ἐπέγειρεν Ἀθήνη,
Χεῖρας ἐπιβαλοῦσα εὐγλυφέων ἐπὶ μηρῶν.
ὡς ὁ θέων ἀκίχητος ἐκέδραμε θᾶσσον ὀϊστοῦ:
——*per vim autem impulit Minerua*
Manus superponens bene fabricatis costis,
Sic ille velox currens ruit celerior sagitta.

Loquitur de equo Troiano, qui ita velox ad impulsum manus Mineruæ, vt esset ἀκίχητος, id est, quem nequires assequi, & sagitta velocior, donec tan-

A dem πυλέων εἰσέβαλε Δαρδανίων: *ingressus est Dardanias portas*, quemadmodum Æneæ classis portum. Ex his omnibus circumstantiis apparet liquida imitatio Virgilij. Non dissident à loco Virgilij versus Statij 6. Theb. vbi de velocissimis cursoribus,

——*credas è plebe Cydonum,*
Partherumq; fuga totidem exiluisse sagittas.

Et suprà de quodam cursore dixerat, maiore incremento, posse *emissum cursu deprendere telum*.

3. TVM BREVITER, &c.] Versus, ait Vrsin. translatus ab Homer. vlt. Iliad. Imitatio.

Οὐρανὸν εἰσανιδὼν, καὶ φωνήσας ἔπος ηὔδα:
Cœlum aspiciens, & locutus verbum dixit.

Non certè translatus, sed melior factus.

4. ALMA PARENS IDÆA.] Ita omnes intelligunt Cybelem. Liuius lib. 29. *Accessit consultatio de matre Idæa accipienda*. Ouid. Fast. *Idææ festa parentis erunt*. Cic. de leg. *Idææ matris famulos*. Ante hos Lucret. lib. 2. Idæa Cybele.

Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem.——

Vt hinc appareat, ita solitam vocari in precibus. Sed à quo monte ita dicta? An ab Ida Phrygiæ: fortasse. Nam hæc Dea tota fuit Phrygia, & inde allata Romam. An ab Ida Cretæ? in hoc videbitur alicui inclinare Maro; nam in 3. cecinit, vbi sermo est de Creta, Ida duplex.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaq; æra,
Idæumq; nemus.——

5. CVI DINDYMA CORDI.] Totus hic locus videtur texi Homerico filo lib. 1. Iliad. Nam quemadmodùm illîc, in oratione ad Phœbum fit mentio locorum, quæ sacra huic Deo, nimirum Chrysæ, Cillæ, Tenedi: ita hîc montium, qui sacri huic Deæ. Ita scilicet validiores preces. De hac Dea Catull. *Dea domina Dindymi*. Imitatio. Dindyma Cybeles.

6. TVRRIGERÆQVE VRBES.] Inde hæc Dea πυργοφόρος. & de illa Ouid. .. Fast.

Turrigera frontem Cybele redimita corona.

Et 4. Cybele turrigera.

Aut cur turrifera caput est onerata corona?
An primis turres vrbibus illa dedit?

Propert. lib. 4. Eleg. vlt.

Claudia turritæ rara ministra Deæ.

Claud. de Rap. *turrigeram Cybelem*. Ouid. 2. Trist. *Turrigera Opi*. Sed de hac re dicebam iam ad 6. librum Æneid. vbi,

——*Berecynthia mater*
Ingreditur Phrygias curru turrita per vrbes.

7. BIIVGIQVE AD FRÆNA LEONES.] Lucret. lib. 2. Leones Cybeles.

Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poëtæ
Sedibus in curru biiugos agitare leones.

Catullus, *vbi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus*. Manl. lib. 2.

Iuppiter & cum matre Deûm regit ipse leonem.

Nonn. lib. 11. λεόντων ἡνίας. Sed notetur locutio Poëtica. Nam leones *ad frena*, qui sunt nisi domiti? Alius, nisi *domitos* diceret, nihil dictum putaret. Sed & τὸ *ad frena* dictum cum magno lepore, quod aliis obseruatum. Sic Catull. *ad lecticam homines*, id est, lecticarij. Terent. And. *canes ad venandum*, id est, venatici. Cicer. *seruus ad manum*. Mart. *verna ad pedes*. Noster, *ad limina custos*. & millena. Componam ego elegantiam Græcam cum Latina. Quod Latini *ad* in hoc vsu, Græci ἐπὶ etiam cum quarto casu. Plutar. in Lucullo, καλέσας τὸν ἐπὶ τοῦ τεταγμένον εἰκότι: *vocans seruum præpositum ad hæc*, id est, ad mensas, & cœnas. Vbi non dubium, quin Plutarch. ἐπὶ τοῦ Ad frena. Ad respõdet ἐπὶ.

 dixerit,

dixerit, vt Latini *ad mensam*.

Propinquare auguriũ.

8. Propinqves avgrivm.] Quid sit *propinquare augurium*, nemo meliùs Statio explicat, qui reddit eamdem sententiam 3. Theb. per verbum *amico*, cùm ait,

Amicare Numen.

Ac prior Æclides solita prece Numen amicat.

Pes secundus.

9. Pede secvndo.] Felici, & fausto, vel explicatore Callimacho, qui Hymno Apollinis, τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ Φοῖβος ἀράσσει: *Felici pede ianuam discindit Phœbus.* Sunt qui putent hac forma allusum ad sacra Eleorum, in quibus feminæ Bacchum inuitabant, βοέῳ ποδὶ παραγίνεσθαι πρὸς αὐτάς: *vt ad se veniret bubulo pede.* Cuius formæ causam lege apud Plutar. ἐν ἑλλην. Ita etiam 8. Æneid. *& tua dexter adi pede sacra secundo.* Ad quem locum adduxi tria testimonia Sophoclis. Huic precationi non absimilis ea Iasonis apud Valer. 2. Argon.

Cursus secundus.

Vndarum decus, & gentis Cretheïa Virgo
Pande viam, cursusq; tuos age Diua secundo.

10. Revolvta.] Ita 2. Æneid. *vertitur interea cœlum.* Quod hemistichium Ennij est.

A 11. Matvra lvce.] Locutio ducitur à fructibus. Dubitaui an ad fructus quoque alludat Statius 3. Theb. cùm in descriptione noctis dixit, — Maturus, vnde.

Illa quidem cunctis, sed non tibi mitis Adraste.

Nam etiamsi sensus sit, eam noctem fuisse Adrasto immitem, nihil vetat respectum ad fluctus, qui mites dicuntur, cùm sunt maturi. Nam quemadmodum fructus cùm mitis, id est, maturus est, suauis est gustatori: ita nox dormienti. Eadem ratione Ouid. 1. Trist. Eleg. 1. *si cuncta videbis mitia*, id est, opportuna & matura. Sic & Noster 4. Æneid. *mollissima fandi tempora*, etiam à fructibus, qui molles sunt, cùm iam sunt maturi. Itaque *mitē, molle, maturum* dicitur de die, nocte, tempore: & omnia hæc à fructibus. Simili locutione Lucret. lib. 4. — Mitis nox, vnde. — Mollia tempora, vnde.

Semen vbi ipsa dies membris matura creauit.

B Et Tibull. lib. 4. *seu matura dies.*

12. Noctemqve fvgarat.] Stat. etiam in ortu diei lib. 3. Theb. *fugientibus astris.* Ouid. 8. Metamorph. *noctisq; fugante tempora Lucifero.* Noster alibi, *stellas oriente fugarat orta dies.* Euripid. in Ione, Ἕως διώκουσ᾽ ἄστρα: *aurora pellens astra.* — Fugare noctem.

ª Principio sociis edicit signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæq; parent se.
ᵇ Iámque in conspectu Teucros habet, & sua castra
Stans celsa in puppi, clypeum tum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sydera tollunt
Dardanidæ è muris. spes addita suscitat iras.
Tela manu iaciunt, quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiúntque Notos clamore secundo.
ᶜ At Rutulo Regi, ducibúsque ea mira videri
Ausoniis, donec versas ad littora puppes
Respiciunt, totúmque allabi classibus æquor.
ᵈ Ardet apex capiti, cristísque à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.
ᵉ Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent: aut Sirius ardor,
Ille sitim, morbósque ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cœlum.

C

ARGVMENTVM.

Comparat Æneas suos ad bellum, attollensq; in altum clypeum implet illos spe: Itali stupent ad indicia insuetæ lætitiæ, & causam esse intelligunt classem appellentem ad portum. Describitur fulgor armorum Æneæ.

EXPLICATIO.

ª PRæclare dat Principi Æneæ militare edictum: hoc triplex, sequantur signa, parent animos, parent arma. Hæc sententia, quamuis videatur aliter abiungi.

ᵇ Cùm iam suos Æneas in conspectu habuit, clypeum è puppi, vbi erat, extulit: qui cùm esset fulgentissimus, ac proinde visus à Troianis, qui erant in muris, clamorem attollunt, & spe propinqua ferociunt in maiores iras, quibus iris excitati complura tela in hostem iaciunt. Adducit verò comparationem clamoris excitati ab illis, & subitæ lætitiæ ab gruibus, quæ cùm ex loco in locum migrant, clamore maximo, & sonitu feruntur per aërem. Vocat clamorem *secundum*, id est, lætum, vt quadret cum lætabundis Troianis.

ᶜ Stupet Turnus, & reliqui duces ad clamorem istum, & subitam lætitiam, ignorant causam. donec D respiciunt, ac tum vident puppes conuerti ad littora, & mare ipsum nō tam vndis contra se, quàm puppibus adlabi. Vel, si mauis, propriè explica. Mare adlabitur, quia naues cùm secant mare, propellūt ante

se vn

ſe vndas, & fluctus agglomerant. Ad eum modum, quo Valer. 2. Arg. cete maximum dicitur *agglomerare fretum* ante ſe. & Stat. 5. Theb. *ærata diſpellens æquora prora.* Sic è contratio eodem lib. *nec ſpumantia cedunt æquora.*

d Ex occaſione deſcribit Poëta fulgorem armorum Æneæ, videlicet apicis, criſtarum, clypei: apex ardet, criſtæ flammatæ ſunt, clypeus totus igneus. Nota verba, *flamma funditur, vmbo vomit ignes ſuo auro.*

e Sequitur mira comparatio. Vidiſti pura in nocte cometas ſanguineos, ac lugubrè in modum rubentes: vidiſti Sirium, qui ſuo ardore ſitim, & morbos affert, ægróſque reddit mortales cùm naſcitur, ac cœlum contriſtat infelici lumine, talia puta fuiſſe Æneæ arma. Comparatio eò ſpectat, vt non tantùm fulgor armorum deſcribatur, ſed etiam timor iniectus hoſtibus, ideo à cometis, & Sirio, minaciſſimis ſtellis. Ergò rubor cometarum, & ardor Sirij ad fulgorem: luctus ſanguineus cometarum, ſitis, morbi, & læuum lumen Sirij ad timorem pertinent. Expende & aliud. Quia criſtas nominarat, à quibus flammæ, ideo poſtea mentio cometarum, quaſi cometæ referrent comantes criſtas.

NOTÆ.

1. EDICIT.] Militare verbum. Liuius lib. 21. ore Annibalis: *Primo vere edico adſitis.* & lib. 22. *legionibus ſcriptis Tybur diem ad conueniendum edixit.* Silius lib. 3. *exemplo edicit conuellere ſigna.* Spartian. in Auidio: *Ad ſigna edici iuſſit.* *(Edico, verbum militare.)*

2. SIGNA SEQVANTVR.] Eſt hoc quod Stat. 4. Theb. *it Doricus ordo ſub armis.* In 5. etiam *diſpoſiti in turmas*; atque etiam *legem ſeueri ordinis.* Et *ſequantur* dixit verbo militari. Ita in 7. *ſequitur dum cetera pubes.* Cic. 2. Diuin. *ſigna cõuelli, & ſe ſequi iuſſit.* Terent. Eun. *Simalio, Donax, Syriſce ſequimini.* Polydamas 12. Iliad. Ἕκτορι ἑπώμεθ᾽ ἀολλέες: *Hectorem omnes ſequamur conferti.* *(Sequor, verbum militare.)*

3. IN CONSPECTV.] Ita Græci. Nam Plutar. in vita Alexan. τῶν ϛρατοπέδων ἐν ὄψει γεγονότων: *Exercitus in conſpectu erant.* *(In cõſpectu.)*

4. STANS CELSA IN PVPPI.] Mihi perſuaſi totum hunc tractum factum ad imitationem Iliados decimæoctauæ, vbi Achilles nube ſplendidus conſiſtit ad foſſam, vt animum Græcis adiiciat fatigatis bello. Itaque illo viſo, & voce eius audita, animus adiectus eſt feſſis, etiamſi tunc non pugnaret. Omitto locum, vt longiſſimum, tantùm confero quæpiam. Ille, Τρώεσσι φάνηθι: hic, *iámque, in conſpectu Teucros habet.* Ille, ϛῆ δ᾽ ἐπὶ τάφρον: hic, pro foſſa, *ſtans celſa in puppi.* Ille dat capiti Achillis φλόγα παμφανόωσαν: hic Æneæ *clypeum ardentem.* Ille, audito Achille, πᾶσιν ὀρίνθη θυμός: hic, *ſpes addita ſuſcitat iras.* Ille ait, arſiſſe ignem ſupra Achillem, πῦρ δαιόμενον: hic, *ardet apex capiti.* Ille Achillem ſuum comparat igni lucentiſſimo, vbi eſt & πῦρ δεινὸν, *ignis horribilis*: hic ſuum Æneam cometæ lugubriter rubenti. Eſt hoc optimum genus imitationis. *(Imitatio.)*

5. CLYPEVM ARDENTEM.] Valer. 1. Arg. *& parma luce coruſcum.* Calab. lib. 1. dat Pentheſileæ ἀσπίδα δαίδαλον ἀλίγκιον: & ſtatim Poëta, *vmbo vomit aureus ignes.* Nonn. lib. 30. *(Ardor clypei.)*

Ὀμφαλὸν ἀϛράπτοντα πυριφλέκτοιο βοείης:
Vmbonem fulminantem ſcuti, à quo iactata flamma.

Ad ſententiam pertinet locus Plutarchi in Eumone, vbi in ſignum futuri iam belli milites τὰς ἀσπίδας ἀνέλαβον: *ſuſtulerunt clypeos.* *(Clypeus ſublatus belli ſignum.)*

6. CLAMOREM AD SYDERA TOLLVNT, &c.] Ad excitandos ſuos, ad terrendos hoſtes. Iulius 3. Ciuil. *clamorem vniuerſi tollerent, quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos excitari exiſtimauerunt.* Edebatur hic clamor ſæpiſſimè cùm primùm hoſtis erat in conſpectu, quod hîc Poëta notat; nam Æneas ſuos cùm vidit, etiam hoſtes vidit. Ergo Curt. lib. 3. *iam in conſpectu, ſed extra teli iactum vtraque acies erat, cùm priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulêre clamorem.* Peſſimè hoc Perſæ. Audi Veget. ita ſcribentem cap. 18. lib. 3. *Clamor autem* (quem barritum vocant) *prius non debet attolli, quàm acies vtraque ſe iunxerit. Imperatorum enim, vel ignauorum eſt, vociferari de longè: cùm hoſtes magis terreantur, ſi cum telorum ictu clamoris horror acceſſerit.* Vides vt damnet clamorem illum Perſarum; nam extra teli iactum. Ex diſciplina ergo militari Virgilius poſt editum clamorem ſubiicit, *Tela manu iaciunt*, vt vnà accedant ictus telorum, & horror clamoris, vt hoſtes magis terreantur. Apud Plutarchum etiam in Mario ἀναφώνημα tollitur, cùm iam propè ventum ad manus eſt, ἀναφώνημα, vtriuſque exercitus vox mutuò reddita. Porrò hunc clamorem appellari *barbaricum*, & *barritum*, ſeu *baritum*, iam Lipſius aſtruxit lib. 4. Mil. Rom. dial. 11. Sed neſcio cur ille *bārritum* contruſerit ad Germanos, ad vocem videlicet *baeren*, quæ iſtis eſt ferociter inclamare; vel ad vrſum, qui iſtis eſt *beren*, quaſi militaris clamor vrſinum quiddam referat: neſcio (inquam) cur ille ita, neque ad barros, id eſt, elephantos confugerit: cùm *barritus* verè à *barris* ſit. Nam cùm hæc bellua produceretur ad pugnas, credibile milites imitari, quod in ipſa fera pugnante audiebant. Accedit coniectura à Plutar. in vita Craſſi, vbi de clamore ſublato à Parthis, & facto ad quaſdam clauas, ita ait: τὰ δὲ φθέγγεται βύθιόν τι, καὶ δεινὸν, ὠρυγῇ θηριώδει, καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον: *Hæ fuſum & dirum clangorem edunt, velut vlulatu bellu ino, & tonitrui aſperitate mixtum.* Deinde Ammian. lib. 31. ita ſcribit: *Romani quidem voce vndique Martia concinentes à minore ſolita ad maiorem protolli, quàm gentilitate appellant barritum.* Vides vt ſcriptor vocem hanc gentilitiam faciat Romanorum. Cur ergo ablegan da ad Germanos? Sed ego adhuc quidpiam aliud meditor. Quid ſi *barytus* ſcribendum, & vox iſta tota eſt tranſmarina? Nonnulla eſt ſuſpicio; nam ab Athen. lib. 4. tuba βαρὺς dicitur à graui ſono. Cur non ergo vociferatio militaris nomen accipiat à militari inſtrumento? Scripſi iſta tantùm coniectans. Huc ſpectant voces βαρυφωνία, & βαρυφωνίας apud Pollucem libro 2. capit. 4. numer. 26. Vide de vociferatione capit. 7. libro 3. Gymnaſt. Mercurialis. *(Clamor militaris. — Quando edendus. — Barritus clamor militaris. — Barri elephantes. — Barytus.)*

7. SPES ADDITA, &c.] Credo ad totum hunc tractum perluſtratum à Poëta Calabrum lib. 1. vbi Troiani clauſi intra mœnia plurimùm lætantur ad viſam Pentheſileam, additque illos plenos ſpei abegiſſe ab animis triſtitiam, quod & comparatione eleganti illuſtrat. Adi, ſi lubet. *(Imitatio.)*

8. TELA MANV IACIVNT.] Aut ex Ennio, qui 15. Ann. *Iſtri tela manu iacientes.* aut ex Homer. qui 12. Iliad. ἀκόντιζον θαμειὰς αἰχμὰς ἐκ χειρῶν: *Iaculantur è manibus crebrò ſpicula.* Notet Grammaticus ſubaudiendam in Latinis præpoſitionem; nam Homer. ἐκ χειρῶν. Eodem libro *(Imitatio. Iacere tela. — E, præpoſitio ſubaudita.)*

ἐκ χειρῶν βέλε' ἔῤῥεον: *fluebant tela è manibus*. Quæ Nota facit, vt adimas à Poëta inutilem pleonasmum: nam *è manu* ait, possent quippe tela aliunde emitti, nimirum ex instrumento aliquo militari.

Pleonasmi inutiles.

9. QVALES SVB NVBIBVS ATRIS, &c.] Locus planè Homeri 3. Iliad.

Imitatio.

Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

Tanquam clangor gruum est in aëre,
Quæ postquam hyemem fugerunt, & immensum imbrem,
Cum clangore hæ volant ad Oceani fluenta.

Gruum clangor, volatus, fuga, litteræ.

Oppianus quoque lib. 1. Hal. ita ad Homeri Musam:

Ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Αἰθιόπων τε, καὶ Αἰγύπτοιο ῥεέων
Ὑψιπέτης γεράνων χορὸς ἔρχεται ἠερόφωνος,
Ἄτλαντος νιφόεντα πάγον, καὶ χεῖμα φυγοῦσαι:

Vt autem cum ab Æthiopibusq́; & Ægypti fluentis
Alteuolans gruũ cœtus proficiscitur in aere clangentiũ,
Atlantis niuosum iugum, & hyemem fugientes.

Duobus Græcis Latinos duos oppono, Lucanum, & Claudianum. Prior lib. 5. ita canit,

Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt
Potura te Nile grues: primoq́; volatu
Effingunt varias casu monstrante figuras.
Mox vbi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temerè immistæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.

Posterior de Bell. Gildon. aspirans ad Lucanum, ita ait:

Pendula ceu paruis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues, æstiua relinquunt
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo,
Ordinibus variis per nubila texitur ingens
Littera, pennarumq́; notis inscribitur aër.

Nescio verò an aptè notet Seruius comparationem Virgilij referendam ad clamorem Troianorum, non ad multitudinem telorum, cùm æquè ad vtrunque possit referri: & quidem apud Nonnum lib. 14. Dionys. ad vtrunque refertur, cùm scribit,

Κλαγγῇ μὲν ζεφόεντες ἐπὶ κλόνον ᾔεσαν Ἰνδοί,
Θρηϊκίοις γεράνοισιν ἐοικότες, οἵτε φυγοῦσαι
Χειμερίην μάστιγα, καὶ αἰθερίην χύσιν ὄμβρου
Πυγμαίων ἀγελῃδὸν ἐπαΐσσουσι καρήνοις:

Clangore quidem nigricantes ad pugnam Indi ibant,
Thracicis gruibus similes, cùm fugientes
Hyemale flagrum, & ætherium impetum imbris,
Irruunt cateruatim in capita Pygmæorum.

Pygmæorũ, & gruum bella.

Sic & apud Calab. lib. 2. milites, quia multi, dicuntur esse ἀκρίσιν ἐναλίγκιοι, *locustis similes*. Et apud eundem lib. 3. Musæ & Nymphæ venientes πανσυδίη, *agminatim* ad deflendum Achillem, dicuntur ἐειδόμεναι γεράνοισιν, *similes gruibus*, quæ hyemem fugiunt. Et Plutar. in comparatione Crassi, & Niciæ, de his, qui quærunt nouas sedes, ὥσπερ ὄρνιθες εἰς ἑτέραν χώραν ἀποσπειρομένους. vbi non spectatum ad clamorem, sed ad multitudinem commigrantium.

Multitudo comparata.

10. STRYMONIÆ GRVES.] Attingit Poëta loca à quibus, & in quæ migrent grues. De quo iam ego lib. 1. Georg. & ex adductis id quoque liquidum. Certè frequentissimum est ab Thracia, vbi Strymon fluuius, ad Ægyptum, vbi Nilus: aut contrà, vt scribit præter alios Herodotus Musa secunda. Quod & aliis auibus contingit: nam Statius de cycnis lib. 3. Theb.

Gruum trãsmigratio.

Cycnorum transmigratio.

Ætheris innumeri statuerunt agmina cycni,
Siue hos Strymonia Boreas eiecit ab Arcto,
Seu fœcunda refert placidi clementia Nili.

Et Plutar. in Lucullo, hoc facere etiam ciconias scribit.

A 11. ÆTHERA TRANANT.] Lucret. lib. 2. *ollis tranantibus auras*. Notetur pulchra metaphorarum commutatio in Virgilio. Volucres *tranant* verbo nautico; naues *volant* verbo volucrum. Exempla obuia.

Translatio metaphorarum.

12. CVM SONITV.] Notabis, obiter alludi etiam ad prognosticon. & quidem aliquid hîc innuit Seruius. Quippe grues clangentes tempestatem prædicunt, tacitæ tranquillitatem. Lege Plin. cap. 35. lib. 18.

Gruum prognosticon.

13. FVGIVNTQVE NOTOS.] Cùm Homerus à frigore ad teporem grues commigrantes induxerit, placitum Nostro conuersim dare hanc fugam. Ad cuius imitationem Statius lib. 5. Theb. his versibus:

Qualia trans pontum Phariis defensa serenis
Rauca Paretonio decedunt agmina Nilo.

B Tu reliqua. Adiunge & Valer. lib. 3. Arg. qui ab Ægypto educit cùm ait:

——— *qualiter agros*
Ad patrios, auibus medio iam vere reuectis,
Memphis, & aprici statio silet annua Nili.

Aliquis possit putare (quod non abnuo) educi grues à Virgilio à frigore ad teporem; ita vt *Notos fugiunt*, sit non fugiunt à Notis, sed fugiunt confugiuntque ad Notos. Neque nouum Poëtis adimi præpositiones. Ergo, *Strymoniæ grues*, quia ab Strymone fugiunt ad Notos.

Fugere Notos, quid.

14. AT RVTVLO REGI, &c.] Similis locus Liuij lib. 44. vbi post sublatum clamorem, *hostes primùm admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet: postquam patere vrbem accepêre*, &c.

Similitudo locorum.

C 15. VERSAS AD LITTORA PVPPES.] Ex disciplina nautica. Vide in 6. ad illud, *obuertunt pelago proras*.

Versæ puppes.

16. RESPICIVNT.] Indicat, Rutulos fuisse priùs bello intentissimos, neque vnquam respectasse, nisi ex occasione sublati clamoris. Liuius lib. 8. intentissimam pugnam explicans ait, *sine respiratione ac respectu pugnabant*.

Respectus, de bello.

17. ARDET APEX.] Innuitur apex fuisse aureus, ardor enim κατ' ἐξοχὴν de auro. Valer. Flacc. 5. Arg. *insignis quo baltheus arserit auro*. Sic suprà clypeum Æneæ *ardentem* dixit, in quo multa aurea, vt liquidum ex lib. 8. in eo enim clypeo ibat maris *imago aurea*. Item, *auróque effulgere fluctus*. Stat. 4. Theb. in simili pictura, *fuluo moriens ignescit in auro*. Vbi, quod D Virg. *ardet*, ille, *ignescit*. Eodem lib. *Igneus ante omnes auro micat*. Inde & fortasse aurea fuit chlamys Castoris, & Pollucis, de qua idem lib. 5. Theb. *chlamys huic, chlamys ardet & illi*. Porrò ab integro hoc Maronis perlustrato loco Claudian. de Bell. Get. ita cecinit:

Ardor, de auro.

Ignesco, de auro.

Donec puluereo sub turbine syderis instar
Emicuit Stiliconis apex, & cognita fulsit
Canicies ———

Locorum similitudo.

Institit etiam Claudianus versibus Homeri istis 5. Iliad.

Δαῖε οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,
Ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα
Λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο:

E *Lucebat ei ex galeaq́; & scuto indefessus ignis,*
Stellæ autumnali similis, quæ maximè
Splendidè lucet lota in Oceano.

18. CAPITI.] Est Latinus casus. Itaque hîc est, *ardet apex in capite*. Consule, quæ 6. Eclog. ad illud, *serta procul tantùm capiti delapsa*. Quæ lib. 2. Æneid. ad illud, *includunt cæco lateri*. Quæ lib. 9. ad illud, *Discussaq́; iuba capiti*.

Capiti, in Latino casu.

19. CRISTIS.

19. CRISTIS.] Legi hîc posse *tristis* ex Faërno Vrsinus notat. Sed defendi potest vulgaris lectio, vt cristas fuisse aureas intelligat; nam ab auro illarum flammæ. Calab. lib. 1. loquens de Penthesilea,

Cristæ aureæ.

——ἀμφὶ δὲ κρατὶ
Θῆκε κόρυν κομόωσαν ἐθείρῃσι χρυσείῃσι·
——*circum autem caput*
Imposuit galeam comantem aureis cristis.

Quid si Plutar. in vita Sertorij, cùm dixit, χρυσῷ κράνη κατεκόσμει: *galeas auro exornauit*, intellexit, non auratas fuisse galeas, sed exornatas aureis cristis? Ita & capiendus Nonnus lib. 30. vbi de duce Indorum, in quibus aurum affatim, ait,

Καὶ κυνέης σελάγιζεν ὑπὲρ λόφον ἀλλομένη φλόξ·
Radiabat saltans flamma super apicem galeæ.

Iterum post pauca:

Καὶ σέλας ἠερόφοιτον ἀναπτομένης τρυφαλείης·
Aëriuagum fulgur accensæ galeæ.

Alludit Musa Claudiani 2. Stil.

Et vario lapidum distinctas igne coronas.

Ita enim hic *ignis lapidum*, vt Virg. *flamma cristarum.*

Vmbo scuti aureus.

20. VASTOS VMBO VOMIT AVREVS IGNES.] Stat. 4. Theb. de scuto Capanei: *Flammeus orbis*, credo, ab auro. Aurum etiam Sidonius innuit lib. 4. epist. 20. vbi loquens de Sigimere Regio iuuene: *Clypeorum lux in orbibus niuea, fulua in vmbonibus.* Quia in ambitu erat argentum, in vmbone aurum. De eodem scuto Æneæ in hoc libro, *sed sustinet aureus vmbo.*

Locorum similitudo.

21. NON SECVS AC, &c.] In hanc comparationem Poëtæ Græci, & Latini ita incubuêre, vt videantur in illa de gloria certare. Adducam aliquos illustrando Maroni. Homer. 4. Iliad. descendentem de cœlo Palladem ita comparat,

Pallas comparatur.

Οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω,
Ἢ ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν,
Λαμπρόν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται·
Qualem autem stellam misit Saturni filius sagacis,
Aut nautis portentum, vel exercitui lato populorum,
Splendidam, ex ea autem multæ scintillæ emittuntur.

Hector comparatur.

Lib. 9. Iliad. ita illustratur Hector,

Οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστήρ,
Παμφαίνων, τοτὲ δ' αὖτις ἔδυ νέφεα σκιόεντα·
Qualis autem ex nubibus apparet perniciosa stella,
Lucens, interdum autē rursus ingreditur nubes obscuras.

Achilles comparatur.

Et lib. 22. ita Achilles, quem Priamus videt,

Παμφαίνονθ', ὥστ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ·
Vndique fulgentem, vt stellam, irruentem per campum,
Quæ autumno oritur, lucidissimi verò eius radij
Apparent multa inter astra noctis medio.

Penthesilea comparatur.

Calab. lib. 1. ita loquitur de Penthesilea,

Ἀστεροπῇ δ' ἀτάλαντος ἐείδετο, τὴν ἀπ' Ὀλύμπου
Ἐς γαῖαν προΐησι Διὸς μένος ἀκαμάτοιο·
Similis videbatur fulguri, quod de cœlo
Ad terram mittit inuicti Iouis virtus.

Nonnus lib. 29. de duce Indorum, ἀγλαΐην ἤστραπτε: *splendore fulgurauit.* & statim comparat cum illo φωσφόρον ἀγλήεντα: *resplendentem luciferum.* Dissimulo multa Homeri, vt cùm Iliad. 19. ait, scutum Achillis splenduisse ὡς σέλας πυρός: *vt splendorem ignis.* Sic (inquit) ἀπ' Ἀχιλλῆος σάκεος σέλας αἰθέρ' ἵκανε καλοῦ: *ab scuto fulgenti Achillis ibat fulgor in æthera.* Cui loco, credo, Virgilius institit; nam signatè de scuto loquitur. Statim de galea Achillis, ἀστὴρ ὡς ἀπέλαμπεν, *emicabat vt stella.* Maro voluit, *cristisq́ à vertice flamma funditur.*

Imitatio.

A Deinde de toto ipso Achille, ait fuisse armatum, ὥστε ἠλέκτωρ ὑπερίων, *vt Sol lucidus.* Sed quid si vni hæsit Calabro? fortasse, nam lib. 11 de armis ipsiusmet Æneæ, θεσπεσίοισιν ἐοικότα στεροπῇσιν: *simillima fulguribus diuinitùs accensis.* Gallus ille, qui contra Marcellum pugnauit, ἀστὴρ ἀστράπτει, ait Plutarchus. Non carent Latini hac gloria. Audi Silium lib. 1. Punic.

Locorum similitudo.

Lethiferumq́, micant fulgentes vertice cristæ.
Crine vt flammifero terret fera Regna cometes,
Sanguineum spargens ignem; vomit atra rubentes
Fax cœlo radios, & sæua luce coruscum
Scintillat sydus, terrisq́, extrema minatur.

Et Claudianum lib. 1. Rapt.

Cometes sanguineus.

B ——*augurium qualis laturus in orbem*
Præceps sanguineo delabitur igne cometes,
Prodigiale rubens: non illum nauita tutò,
Non impunè vident populi, sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut nubibus ignes.

Post tot lectos recurre ad Vatem, qui placebit millies lectus. Nam quale est in *nocte liquida*, qua voce placiditas signatur, tunc *rubere lugubre cometas sanguineos*? Quàm nouum illud, de *læuo numine, & contristato cœlo!* Relinquo tibi intactam, Lector, Scaligeri defensionem, & Iouiani contra importunum iudicium Macrobij, qui adeò futiliter contra Virgilium, vt ne responso quidem digna sit eius perperitudo, & ἀμαθεία. Ab hoc rerum cumulo non abit comparatio Calabri lib. 2. qui Achillem comparat C orienti Soli.

Virgilius supra reliquos Poëtas.

22. LVGVBRE RVBENT.] Ducit Germanus imitationem à Theocrito, qui in Bione de rosis dixit, φοινίσσεται τὰ πένθιμα: *rubere lugubriter.*

Imitatio.

Lugubriter rubere.

23. SIRIVS ARDOR.] Fortasse ab Apollon. qui lib. 3.

Sirius stella.

Αὐτὰρ ὅ γ' οὐ μετὰ δηρὸν ἐελδομένῃ ἐφάνη
Ὑψόσ' ἀναθρώσκων, ἅτε σείριος Ὠκεανοῖο,
Ὃς δή τοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐσιδέσθαι
Ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀιζύν·
Verùm ille non diu post cupienti apparuit,
Suprà emergens, tanquam Sirius Oceano,
Qui quidem pulcher, visuq́, illustrissimus
Exoritur; ouibus autem immensam affert ærumnam.

D Maleficam hanc Sirij naturam Hom. etiam indicat 22. Iliad.

Eius nocumentum.

Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι,
Λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται·
Quam (stellam) canem Orionis cognomine vocant.
Splendidissima quidem hæc est; malum verò signum est.

Et statim addit versum, ad quem suum Virgilius,

Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν·
Affertq́, multam febrim miseris mortalibus.

Imitatio.

Eiusdem syderis pernicies apparet ex versibus Oppiani lib. 3. Cyn. vbi loquens de fera quapiam,

Καὶ κύνα σείριον οἶδε, καὶ ἀντέλλοντα φοβεῖται·
Αὐτίκα δ' ὑπὸ μυχὸν καταδύεται εὐρέος αἴης,
E Ἢ κοῖλας σπήλυγγας ἀφεγγέας, εἰσόκεν αἴθης
Ἠέλιος παύσαιτο, καὶ οὐλόμενος κυνὸς ἀστήρ·
Nouit canem Sirium, metuitq́, exorientem,
Mox enim specum subit latæ terræ,
Aut speluncam caliginosam, donec ab æstu
Sol desistat, & perniciosa canicula stella.

Sed quæ tandem stella *Sirius*? Video à multis absolutè vocari *canem*, aut *caniculam*, aut *canem sirium*, aut *ardorem sirium.* Cicero ab Arato vocat προκύονα, *procyonem.* Sed certè procyon & Sirius non eadem stella, vt Zetzes probat, cùm vna oriatur prior alia. In situ eadem discrepantia; alij enim constituunt in capite canis, alij in ore,

Sirius quæ stella.

Procyon.

ore, alij in lingua. Veritas est, sydus integrum (quod Latini minùs rectè dicunt *stellam canis*) dici à Græcis ἀστροκύονα. Habet verò ἀστροκύων duas præcipuè stellas, vnam in capite, quæ Isis dicitur, alteram in lingua, quæ Sirius, aut canis, aut canicula. Inde Statius lib. 1. Sylu. *nec calido latrauit Sirius astro.* Scio hæc mirè turbata in auctoribus, adhuc in ipsis Astrologis; sed

Astrocyon.

A quæ dixi certiora sunt. Et quidem Ptolemæus in lingua canis agnoscit Sirium, non in capite, vt Hyginus. Tu vide præter Plinium, & veteres alios, Hadrianum Iunium cap. 5. lib. 1. Animaduers. & Delrium in Oedip. in nouis Comment. ad Senecam. In Iunio de Sothide non indigna scitu.

[a] Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præripere, & venientes pellere terra:
Vltrò animos tollit dictis, atque increpat vltrò.
[b] Quod votis optastis, adest, perfringere dextra:
In manibus Mars ipse, viri. Nunc coniugis esto
Quisque suæ, tectíque memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudésque. Vltrò occurramus ad vndam,
Dum trepidi, egressísque labant vestigia prima:
Audentes fortuna iuuat.
[c] Hæc ait: & secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.

ARGVMENTVM.

In aliorum terrore sibi Turnus constat, suos ad bellum excitat, deliberatq́; quos opponat tum veteri, tum ruenti hosti.

EXPLICATIO.

[a] VIDISTI suprà perculsos admiratione tam Turnum quàm reliquos duces; sed in hoc aliorum terrore ab vno Turno non abit fiducia præoccupandi littora, & pellendi hostes. Ratio huius fiduciæ, quia audax iuuenis. Ergo ab hac insita audacia, suorum animos iam attollit ad spem victoriæ, iamque increpitat.

[b] Sequitur Turni oratio plena militaris vigoris, atque audaciæ. Optastis occasionem bellandi, en iam non in votis est Mars, sed in manibus adest tempus, quo hostem dextra, non votis, perfringatis. En primus stimulus. Alter, quisque sibi ante oculos proponat, quæ sibi sunt charissima, videlicet coniugem, & totam familiam; nam hanc capio per *tectum*, nisi quis velit Lares, & Penates intelligi. Quasi dicat Turnus: coniux, & reliqua aut amittenda hoc bello, aut retinenda. Tertius, proponat etiam quisque ante oculos maiorum suorum gesta, & belli laudes, à quibus degenerare indignũ. Ab hoc igitur triplici stimulo sequitur veluti conclusio. Ergo, *occurramus*, & *vltrò ad vndam* ipsam, fruituri occasione rei gerendæ. Quæ hæc occasio? *Dum trepidi, egressisq́; labant vestigia prima.* Absoluit tandem cum gnome prolata ab audaci homine, *Audentes fortuna iuuat.*

[c] Non idcirco extra se Turnus in tanto feruore, sed vt egregius dux perpendit vti suos diuidat. Partem vult ducere contra aduentantem hostem, partem relinquere contra obsessos. Ergo deliberat, versatque secum, quos destinet huic, aut illi negotio. Et nota, præclarè de altero negotio dici *concredere*, quasi obsessi potissimùm curandi absente Turno. Vulgaris Poëta diceret *relinquere in obsidione*, quo-

B modo locutus est Plutar. in vita Luculli, ἐπὶ τῆς πολιορκίας ἀπέλιπεν.

NOTÆ.

1. HAVD TAMEN AVDACI, &c.] Par sibi semper Turnus; nam lib. nono omnes trepidant ad diuinas voces auditas, & Tiberinus pedem reuocat, sequitur tamen,

At non audaci cessit fiducia Turno,
Vltrò animos tollit dictis, atque increpat vltrò.

θυμῷ τολμήεντι Homer. dixit 10. Iliad. & Calab. lib. 11. θαρσαλέῃ νεότητι. Nam verè iuuenes audaces sunt: vt contrà in senibus ἐπιλείπει τὸ θαρρεῖν, *audacia de*-C *ficit*, ait Plutar. in vita Ciceronis.

Iuuentus audax.

2. LITTORA PRÆRIPERE.] Quod scriptores in re simili *occupare* dicunt, aut *præoccupare*; quæ locutiones in Curtio sunt lib. 3. Poëta eleganter *præripere*. Gifan. vult in Virg. legendum ex lib. vetere *præcipere*, & quia Sallust. dixit in re simili, *mons præceptus à Lusitanis*, id est, præoccupatus. Sic Virg. *si lac præceperit æstus*. & Lucret. lib. 6.

Præripere. Occupare. Præoccupare. Præcipere.

Propterea quia nimirum prius æstus vbi auris
Præcepit, ferriq́; vias possedit apertas.

Censeo tamen nihil in Virg. mutandum; nam mirè dictum *præripere*, ad indicandam celeritatem. Hîc tu expende, quo feruore res gesta à Turno fuerit hoc puncto temporis, cùm dicat Plutar. in vita Deme-D trij, καὶ θόρυβος ἦν οἷον εἰκὸς ἐν ἀπροσδοκήτῳ πολεμίους ἀποβαίνοντας ἀναγκαζομένων ἀμύνεσθαι: *Fuit tumultus, qualem verisimile est, cùm hostium descensionem inopinatam arcere cogerentur.*

3. ANIMOS TOLLIT DICTIS.] Valer. 1. Arg. *Attollens dictis animos.* Ennodius epist. 19. lib. 8. *animum attollere.*

Attollere animos.

4. QVOD VOTIS OPTASTIS, &c.] Talis illa Iuliani Cæsaris adhortatio ad milites apud Ammian. lib. 16. *Aduenit, ô socij iustum pugnandi iam tempus, olim exoptatum mihi vobiscum, quod antehac, arcessentes arma, inquietis motibus poscebatis.* Ca-

Locorum similitudo. Occasio optata.

tilina

tilina apud Salluſt. *En illa, illa quam ſæpe optaſtis libertas.* Tale & illud Xenoph. libro 5. Pæd. ἃ μὲν δὴ πρῶτα εὐξάμεθα, σὺν θεοῖς πάρεστιν ὑμῖν: *Quæ primùm precati à Diis ſumus, adſunt iam nobis, illis annuentibus.* Nec diſſimilis oratio Achillis 16. Il. ad Myrmidonas, vbi illis reuocat in memoriam minas, quas ipſi iactauerant in Troianos; cupiditatem, qua ardebant ire ad bellum; acerbitatem, qua ſe reprehenderāt, quòd illos contineret in nauibus, neque ad pugnam mitteret, & tandem ita deſinit,

——— νῦν δὲ πέφανται
Φυλόπιδος μέγα ἔργον, ἕης τὸ πρίν γ' ἐράασθε:
——— *nunc iam apparet*
Conflictus magnum opus, cuius antea cupidi eratis.

5. PERFRINGERE DEXTRA.] Eſt oratio hæc verè parænesis. Vlpianus enim in primam Olynthiacam diſtinguit inter συμβουλὴν, προτροπὴν, παραίνεσιν, *ſuaſionem, adhortationem, admonitionem*; vt prima ſit oratio, quæ doceat, quid agendum ſit: altera, quæ impellat ad res ſuſcipiendas: tertia, quæ complectatur & quid agendum, & modum, quo res agenda. Extremum exhibet hoc loco Turnus.

Suaſio. Adhortatio. Admonitio.

6. IN MANIBVS MARS IPSE.] Polita locutio, & quæ in vſu Græcis, ac Latinis. Hom. 5. Iliad. ἐπάσχον ὑπ' Ἄρηος παλαμάων: *patiebantur ſub manibus Martis.* Titus apud Ioſephum lib. 7. Bell. Iud. cap. 13. ita ad Iudæos, ἐν χερσὶ δὲ ταῖς ἐμαῖς ἔχετε τὰς ψυχάς: *in manibus meis veſtras habetis animas.* Cyrillus Alexand. Comment. in Nahum num. 2. προκειμένην ἐν χερσὶν προφητείαν. Ioan. Chryſoſtom. Orat. 1. contra Iudæos, ἀγαθὰ εἰς τὰς χεῖρας ἐλθόντα. Plutar. in Lucull. ἐν ταῖς χερσὶν ἔχειν τὸν θρίαμβον οἰόμενος: *putans ſe habere triumphum in manibus.* Thucyd. lib. 4. μάχη ἐν χερσὶ πᾶσα: *prælium eſt vniuerſum in manibus.* Quid Latini? Liuius lib. 24. *ſuam cuique fortunam in manu eſſe.* & lib. 26. *Omittere Philippum id, quod in manibus erat.* & lib. 30. *tamen cùm victoriam prope in manibus habeat.* eodem lib. *in manibus eſſe prædam Carthaginis.* & lib. 4. *Hæc contentio minimè idoneo tempore, cùm tantum belli in manibus eſſet, occupauerat cogitationes hominum.* Sed certè Virgilius ſignatiùs reliquis dixit, *in manibus Mars ipſe*, indicans, cominùs conflictum fore cum hoſte, venturámque iam vtramque aciem ad manus; quod videlicet Xenoph. lib. 3. Pæd. εἰς χεῖρας ἐλθεῖν, *venire ad manus.* & lib. 8. eiuſdem operis, vt dicat pugnam eſſe cominùs, ita effert. οἱ ὁπλῖται παρεσκευασμένοι εἰσὶ τοὺς εἰς χεῖρας ἰόντας: *milites grauis armaturæ parati ſunt ad feriendos eos, qui ad manus veniunt* id eſt, qui cominùs inuadunt. Et Plutar. in Lucullo ita clarè; nam cum oppoſitione ad pugnam, quæ fit eminùs. Verba eius. τὸ δὲ ξίφος αὐτόθεν ἀποφαίνων γυμνὸν, ὡς εὐθὺς εἰς χεῖρας ἰτέον ἀνδράσιν ἐκηβόλοις ἀθρόον, καὶ συναιρήσοντας τὴν διὰ τοῦ μέσου χώραν τῷ τάχει τῆς ἐπαγωγῆς: *Gladium extemplò nudatum extulit, quò ſtatim veniendum ad manus ſcirent cum viris eminùs pugnare doctis, ſpatiúmque, quo vti miſſilibus poterant, in curſus celeritate contrahendum.* Ita fortaſſe accipiendum illud Iulij 2. Gall. vbi loquens de hoſtibus, *vt penè vno tempore, & ad ſyluas, & in flumine, & in manibus noſtris hoſtes viderentur.* Clarè hoc ſenſu Silius lib. 2. *ſtat campus, & arma, Et Mars in manibus.* Pulcherrimè idem lib. 4. dixit, *Inq; ſinu bellum.* Ab his ſententiis non abit illa Salluſtij in Epiſt. *Fabrum eſſe ſuæ quemque fortunæ.* Et de Catone prædicat Liuius lib. 39. *tantam in hoc viro fuiſſe vim animi, vt fortunā ſibi ipſe facturus videretur.* Hoc enim quid eſt aliud, quàm quod ex eodem Liuio iam adduxi, *ſuam cuique fortunam in manu eſſe?* Scitè & Plaut. in Trin. de homine ſapiente, *ipſe ſibi fingit fortunam ſuam.*

In manibus eſſe.

De cōflictu, qui cominus.

Cominùs pugnare.

In ſinu bellum.

Faber ſuæ fortunæ quiſque.

Fortunam ſuā quiſque ſibi facit.

7. NVNC CONIVGIS ESTO, &c.] Argumentum, quo nullum fortaſſe efficacius. Inde mos ille Germanis olim in bellis, quem iſtis aperit Tacit. *Quódque præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, ſed familiæ, & propinquitates, & in proximo pignora: vnde feminarum vlulatus audiri, vnde vagitus infantium: hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores.* Idem mos fuiſſe videtur Carthaginienſibus, ſcribente ita Liuio libro. 8. ore Fabij Maximi; *Aliter mœnia patria, templa Deûm, aras, & focos* (Carthaginienſes) *defenderent, cùm euntes in prælium pauida proſequetur coniux, & parui liberi occurſabunt.* Sed nō, credo, indicatur comitatus ad aciem vſque, ſed quod de feminis Troianis ait Ouidius in Epiſt. Laodomiæ,

Germanorū in bellis mos.

Ipſa ſuis manibus forti noua nupta marito
Imponet galeam, barbaraq; arma dabit.
Producetq; virum, dabit & mandata reuerti,
Et dicet, referas iſta face arma Ioui.

Morem certè Perſarum, qui vxores, & liberos ſecum ad bellum abducebant, vt eo incitamento acriores in acie eſſent, docet abundè Curtius. Plutar. in Mario eundem morem dat Cimbris, & Teutonis. Imò & feminas ipſas pugnantes inducit æquè ac viros. Galgacus dux barbarus ante certamen factum cum Romanis, his vtitur apud ſuos, auctore eodem Tacito in vita Agricolæ: *Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit. Hi per delectus alibi ſeruituri auferuntur: coniuges, ſororéſque, etſi hoſtilem libidinem effugiant, nomine amicorum, atque hoſpitum polluentur.* Apud Statium 4. Theb. affectus hic indicatur, vbi Polynices

Perſæ vxores, & liberos ad bellū ferebant.

Liberi maximum incitamentū ad bellum.

——— *de turre ſuprema*
Reſpicit Argiam: hac mentem, oculóſque reducit
Coniugis, & dulces auertit pectore Thebas.

Inde orat. 14. admirabundus Demoſthenes, τίς οὖν οὕτως ἐστὶ δυστυχὴς, ὅστις ἑαυτὸν, γονέας, τάφους, πατρίδα ἕνεκα κέρδους βραχέος προέσθαι βουλήσεται; *Quis igitur ita eſt infelix, vt ſemetipſum, parentes, ſepulcra, patriam parui lucelli gratiâ velit amittere?* Quia hæc omnia imprimis eſſe debent chariſſima, & omnia hæc intellexit proculdubio Virg. cùm adiecit *tectiq;*. De Troianis ait Hom. 8. Iliad.

Chariſſimæ quæ eſſe debent.

——— μέμασαν δὲ καὶ ὡς ὑσμῖνι μάχεσθαι
Χρειοῖ ἀναγκαίῃ πρό τε παίδων, καὶ πρὸ γυναικῶν.
——— *prompti autem erant, & ſic pugnare*
Neceſſitate neceſſaria, proq; liberis, & pro vxoribus.

Signatiſſima etiam ſunt illa lib. 15. Iliad. quæ etiam repetit in libro extremo, ad quæ omnino aſpirauit Virg.

Imitatio.

——— ἐπὶ δὲ μνήσασθε ἕκαστος
Παίδων, ἠδ' ἀλόχων, καὶ κτήσιος, ἠδὲ τοκήων:
——— *memineritis verò ſinguli*
Liberorum, atque vxorum, facultatum, ac parentum.

Liuius lib. 21. ſcripſit: *Vnuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed coniugem, ac liberos protegere putet.* Apud eundem lib. 4. dux Volſcorum Vectius ad Volſcos ſuos ita loquitur adhortans: *Ferro via facienda eſt: hac, qua me prægreſſum videritis, agite, qui viſuri domos, parentes, coniuges, liberos eſtis, ite mecum.* Inter incitamenta quæ idem Liuius lib. 30. adducit, quibus excitātur Cathaginienſes ad bellum, tum hoc, *Mœnia patria, Dij Penates, ſepulchra maiorum, liberi cum parentibus, coniugéſque pauide.* Apud Calab. lib. 21. Æneas hortatur Troianos,

Coniuges ſunt cuique incitamentum ad bellum.

Μαρνάσθ' ἀμφὶ πόληος, ἑῶν τεκέων τε, καὶ αὐτῶν:
Vt pro ciuitate pugnent, pro liberis ſuis, pro ſe ipſis.

Eodem incitamento vſus eſt L. Æmilius, is qui ad Cannas cecidit, Plutarcho auctore, ὑπὲρ πατρίδος, καὶ γυναικῶν, καὶ τέκνων κινδύνους συνάψει. Eodem apud Salluſt. Catilina. Eodem Nicias apud Thucyd. lib. 7.

Pp 4 Digniſſi

Dignissima etiam sunt, quæ consideres, duo Liuij loca, in quibus ad extremam ferocitatem naturæ indicandam, ait, depositam ab animo curã liberorum, & coniugum, quasi qui hanc abiecerit, truculentissimus sit. Primus locus habetur lib. 28. vbi Scipio ita reprehendit Romanos, qui defecerant: *Sueronémne vos domicilium habituri eratis? Ubi, si vos decedens confecta prouincia Imperator relinquerem, Deûm, hominúmque fidem implorare debebatis, quod non rediretis ad coniuges, liberósque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ, meique, eieceratis ex animis vestris.* Alter lib. 26. vbi ita Romani quales in bello fuerint, explicantur: *Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia, & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam auertas. Romanos Roma circumsessa, coniuges, liberi, quorum ploratus hîc quoque propè exaudiebamur; aræ, foci, Deûm delubra, sepulcra maiorum temerata ac violata, à Capua non auerterunt. Tanta auiditas supplicij expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis.* Vbi sententia est; Romanos ita iræ aduersùs Capuanos indulsisse, vt ne gemitibus quidem coniugum, aut liberorum auerterentur; cùm tamen feræ, etiamsi rabie in prædam aliquam incitatæ, auertantur ab ea præda, vt opem ferant proli. Ab hoc cumulo testimoniorum non longè abeunt versus Claudiani de Bell. Get.

Truculentissimus est, qui abiicit curam liberorum, & coniugum.

Feræ pugnacissimæ pro prole.

Romani quales in bello fuerint.

——non hic Tegeen, Argósue tuemur:
Visceribus mediis, ipsóque in corde videris
Bella geri, patrem clypeis defendite Tybrim.

Legatur Iustinus lib. 6.

8. NVNC MAGNA REFERTO, &c.] Sint verba Seruij pro commẽtatione. Is ita ait: *Traxit hoc de Salustio, qui dicit, Hispanorum fuisse morem, vt in bella euntibus facta adolescentibus parentum memorentur à matribus.* Reliqua Seruij contemno. Ad Seruij commentationem, & mentem Virgilij pertinent, quæ dicam libro extremo ad illud,

Hispanorũ mos in bello.

Te pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Valer. 1. Arg.

Vos quoque nunc vires, animósque afferte paternos.

Patrum gesta proponenda liberis.

9. VLTRO OCCVRRAMVS.] Non, *occurrite*, sed *occurramus*, quasi ipse primus velit periculum subire. Sic enarrator Demosthenis in 2. Olynth. obseruat dici ab Oratore, ἡμετέραν εὐήθειαν: *nostram fatuitatem*, non ὑμετέρας, *vestram*. Addit rationẽ, διὰ τὸ ἐπαχθὲς, *quia odiosum*. Ergo, odiosum esset, si Turnus videretur periculum fugere, ideo *occurramus*. Scipio apud Liuium lib. 22. *irent secum armati.* Sarpedon apud Homer. 12. Iliad.

Nos occurramus.

D

Ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν:
Eamus, vel alicui gloriam dabimus, vel aliquis nobis.

10. DVM TREPIDI, &c.] Monet vtendum occasione. Verè Liuius ore Marij ducis lib. 25. *Quia si occasionis momento, cuius prætereuolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam queraris.* Sed & consilium Turni repræsentat Polybius libro 3. apud quem Barbari adoriuntur Annibalis exercitum traiicientem fluuium Rhodanum, νομίσαντες κωλύειν εὐχερῶς τὴν διάβασιν τῶν Καρχηδονίων: *Credentes impedituros se faciliùs traiectum Carthaginiensium.* Hoc etiam

Occasio arripienda.

A belli genus Thucyd. attigit lib. 4. vbi ait, non timendos hostes, cùm descendant in littus propter loci iniquitatem. Ad præscriptum Virgilij Stat. libro 3. Theb.

——— nunc ô, nunc tempus in hostes,
Dum trepidi, exsanguésque metu, dum funera portant:
Dum capulo nondum manus excidit.———

Locorum similitudo.

11. AVDENTES FORTVNA IVVAT.] Quot huic germanæ & cognatæ sentẽtiæ? Oui. Met. 10. *Audentes Deus ipse iuuat.* & 2. Fast. *Audẽtes forsq́; Deusq́; iuuat.* Scipio apud Liu. lib. 22. *Audendum, atque agendum, non consultandum in tanto malo esse.* Martius apud eundem lib. 26. *Audeamus, quod credi non potest ausuros nos.* Claudius Proprætor lib. 27. *Audendũ, ac nouandum aliquid.* Idem scriptor ore suo lib. 8. *Vicit pars, quæ in præsentia*
B *videri potuit maioris animi, quàm consilij: sed euentus docuit, fortes fortunam iuuare.* Catilina apud Sallust. *Semper in prælio his maximum est periculum, qui maximè timent: audacia pro muro habetur.* Valer. Flacc. 4. Arg. *Deus adfuit ausis.* Terent. Phorm. *Fortes fortuna adiuuat.* Ennius libro 7. Annal. *Fortibus est fortuna viris data.* Ouid. 8. Metamorph. *ignauis precibus fortuna repugnat.* Præclarè verò Poëta *audentes*, non *audaces*, ex quorumdam nota. Audent enim qui fortes, audaces temerarij sunt. Ergo fortuna fortes iuuat, non temerarios. Tametsi discrimen hoc non sit perpetuum, nam audacia interdum in laude. Sic Ammian. lib. 16. *Virtutem integram esse commenis, & audacem.* & Plutar. in vita Themist. ἀρχὴ γὰρ ὄντως τοῦ νικᾶν τὸ θαρρεῖν: *principium victoriæ audacia est.* Lege Henr. Steph. lib. 4. Sched. cap. 29.
C De discrimine verò inter *audaces*, & *temerarios* Heraldum in lib. 2. Arnobij. Porrò & *iuuans fortuna* dicta est olim *Fortuna Fortis*, & simpliciter *Fortis*, de qua Ouid. 6. Fast.

Audentes fortuna iuuat.

Fortes fortuna iuuat.

Audacia est pro muro.

Audens diuersus ab audaci.

Audacia interdum in laude.

Fortis simpliciter de iuuante Fortuna.

Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites.

Huc pertinet vetus inscriptio.

FORTVNÆ. ADIVTRICI. ET.
TVTELÆ. VAL. FLORENTINVS V. L. S.

12. ET SECVM VERSAT, &c.] Vides iam hîc cogitantem Turnum, qui priùs tamen audax & cum fiducia; præmisit enim,

Discrimen vltimum.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit.

Itaque in hunc locum conueniunt verba Curtij lib. 3. hæc: *Cæterùm, vt solet fieri, cùm vltimi discriminis tempus aduenit, in sollicitudinem versa fiducia est.* Phrasin Statius arripuit lib. 5. Theb. *agit versans secum.* & Valer. in re belli lib. 1. Arg. *rerúmque asperrima versat.* Manauit à Græcis. Heliod. libro 6. ἔστρεφε βουλάς: *versabat consilia.*

Versare secum.

13. QVOS DVCERE CONTRA, &c.] Annibal apud Polybium lib. 3. deliberat, ποίοις χρηστέον, καὶ πῇ συμμικτέον τοῖς ὑπεναντίοις: *Quæ loca insistenda, & vbi esset aduersariis occurrendum.* Apud Hom. 16. Iliad. simili modo Iuppiter versat secum quæpiam, ἢ ἤδη, ἢ ἔτι, &c. Hoc enim ad ducem pertinet, videlicet *assignare loca periculosa, tuendos ciues, expugnanda hostium castella*, ait Quintil. declam. 348.

Ducis in bello munus.

[a] Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. multi seruare recursus
Languentis pelagi, & breuibus se credere saltu.
[b] Per remos alij. speculatus littora Tarchon,
Qua vada non sperat, nec fracta remurmurat vnda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu,

Aduertit

Aduertit ſubitò proras, ſocióſque precatur.
[c] Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis:
Tollite, ferte rates, inimicam findite roſtris
Hanc terram, ſulcúmque ſibi premat ipſa carina.
Frangere nec tali puppes ſtatione recuſo,
Arrepta tellure ſemel. [d] quæ talia poſtquam
Effatus Tarchon, ſocij conſurgere tonſis,
Spumantéſque rates aruis inferre Latinis:
Donec roſtra tenent ſiccum, & ſedêre carinæ
Omnes innocuæ, ſed non puppis tua Tarchon.
[e] Namque inflicta vadis dorſo dum pendet iniquo
Anceps, ſuſtentata diu, fluctúſque fatigat,
Soluitur, atque viros mediis exponit in vndis.
[f] Fragmina remorum quos & fluitantia tranſtra
Impediunt, retrahítque pedes ſimul vnda relabens.
[g] Nec Turnum ſegnis retinet mora: ſed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in littore ſiſtit.

ARGVMENTVM.

Æneas exponit ſuos. Tarchontis oratio, ſucceſſus, laceratio nauis.

EXPLICATIO.

[a] HABVIT ſuperior tractus diligētiā Turni, huic opponitur Æneas pari conatu ſuos exponēs. Tanta verò militum fuit auiditas, vt ſeruato maris refluxu, ſaltu ſe in vadoſa loca darent, nam hæc ſunt *breuia*.

[b] Quid ſit *per remos* factum deſcenſum, non capit Seruius, qui *remos* explicat ſcaphas. Dicit Poëta, milites auiditate conſiliendi in terram, arreptos nauium remos cōieciſſe ad extremam oram aquarum, vt illis tanquam ponticulis deſcenderent. Sæpe in oris fluminum videas tabulas ad hunc vſum, quia cymbæ applicari terræ omnino nequeunt, neque illi adhærere. Facit Poëta gradum ad Tarchontem Principem Hetruriæ. Aduertit ille locum, quē putauit vadoſum non eſſe, ſed profundum, deceptus argumento aquæ non fractæ, nec remurmurantis: ſed verè locus vadoſus erat, & profunditas illa tantùm ab maris fluxu creſcente ad littora. Igitur ita deceptus proras ſuæ, & ſuorum nauium eò aduertit.

[c] Nihil hac oratione feruentius. Calet totus ſermo ira, odio, incogitantía: ita loquentis, vt ex ſer- C mone ipſo apparet odio in Italos, cùm ait, *ſindite roſtris hanc terram*, quaſi & tellus ipſa debeat ſentire aduentum hoſtilem: incogitantia in illis, *ſulcúmque ſibi premat ipſa carina*, id eſt, in damnū ſui carina ipſa trahat ſulcos. Nam quale hoc periculum nauium, ſi ſe vadis imprimant, vt aratrum ſolet ſulcis imprimi? In extremo tamen eſt ardor militaris. Nihil iam naues neceſſariæ ſi ſemel terram arripuero, imò eas frāgam: quaſi vir militaris nō egeat illis ad fugam. Quę dixi de ſulco preſſo non muto, ſed poſſum tamē putare alluſum à Poëta ad morem imprimendi aratri muris hoſtilibus in notā euertendæ vrbis. quod Horat. & alij. vt dicat Tarchon: incumbite, donec ca- A rina ſe vadis imprimat, nam hoc profectò ōmē pulcherrimum erit ſubiugandæ Italiæ.

[d] Ita incenſi ſunt ad orationem Tarchontis milites, vt naues etiam aruis impingerent, & in ſicco ſiſterent, donec tandem ſederent omnes, & reliquæ ſine damno, tantùm periclitata eſt nauis Tarchontis.

[e] Adhibet modum, quo lacerata nauis Tarchontis. Eſt *dorſum* cumulus arenæ durior, dicitur *iniquum*, quia non æquale cum reliquo vado. Hinc fit, vt naues cùm ſunt in dorſo, neceſſariò pendeant in alterutram partem veluti ancipites. Ergo ab hoc dorſo calamitas tota huius nauis. Cùm enim diu in eo dorſo hæſiſſet, nam hoc eſt *ſuſtentata*, ac fluctus plures B exciperet, nam hoc eſt, *fluctúſque fatigat*, factum, vt ſolueretur, omnéſque in vndis exponeret.

[f] Eſt veluti appendix cladis, à fragminibus remorum, à tranſtris fluctuantibus, quæ omnia moras faciebant. Vnda quoque relabi milites faciebat, retrahebátque huc, illuc pede non firmo.

[g] In Turno nullæ tunc moræ, aciem totam eò rapuit, nec diuiſit militem, vt cogitauerat, adeò magnum momentum putauit in præoccupando littore.

NOTÆ.

1. SOCIOS.] Confundit nomina. Vt intelligas hac σύγχυσιν, vide quæ ſcripſi lib. 5. ad illud, *Hectorei C ſocij*.

2. PONTIBVS EXPONIT.] Nauales pontes ſunt triplicis generis: vel è nauibus poſitis ordine, ſupra quas iniectæ tabulæ, quales exhibet Plutar. in vita Luculli: vel ex vtribus coriaceis coniunctis, & colligatis: vel illi qui dicti cataracti pontes. De extremis capiendus Poëta, de quibus & locutus Euripid. in Rheſo vocans κλίμακας, & Plutar. in vita Pompeij. & Appianus lib. 5. Ciuil. καὶ ἐπὶ τὰς ναῦς καταῤῥάκτας ἐῤῥίπτουν ἐς τὸ ἐπιβαίνειν δι' αὐτῶν. ὑψηλοτέρας δ' οὔσης τῆς Μηνοδώρου νεὼς, ἐπεὶ καταῤῥάκται τοῖς τολμῶσιν ἦσαν εὐεπιβατώτεροι: *Proiecêre cataractas ſupra naues, per quas inſcenderent. Cùm autem nauis Menodori ſupra alias emineret, cataractæ faciliorem audacibus ad inſcendendum præbebant aditum.* Pontes nauales in triplici differentia. Cataracti pontes.

aditum. Thucyd. lib. 4. hunc seu pontem, seu scalam A nauium vocat ἀποβάθραν. ἐχώρει (ait) ἐπὶ τὴν ἀποβάθραν. Quem in locum vetus interpres. ἡ ἀπὸ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἔξοδος, ἀποβάθρα καλεῖται: *vocatur apobathra è nauibus in terram exitus*. Signatiùs nouus interpres: ἀποβάθρα καλεῖται γέφυρα, δι᾽ ἧς ἐκ τῆς γῆς εἰς τὰς ναῦς εἰσερχόμεθα, καὶ ἀναβαίνομεν, καὶ ἐκ τῶν νεῶν ἐπὶ τὴν γῆν ἐξερχόμεθα, καὶ ἀποβαίνομεν. Ita Æmilius. Id est, *Apobathra dicitur pons, per quem è terra in naues ingredimur, & ascendimus, atque etiam è nauibus in terram egredimur, & descendimus*. Pollux etiam libro 1. cap. 9. num. 4. de re nautica loquens, ἀποβάθρα, καὶ διαβάθρα, ἣν σκάλαν καλοῦσι: *apobathra, & diabathra, quam vocant scalam*. Meminit etiam libro 10. cap. 30. loquens de nauiculis piscatoriis. Sed verba Æmilij adducta, tametsi ipse non aduerterit, æquè respiciunt ad ἐπιβάθραν, qua B voce etiam signatur pons nauticus. Itaque voces variæ, res eadem. ἀποβάθρα, ab exeundo è naui: ἐπιβάθρα, ab adeundo. Ab his scalis Latini *conscendere in naues*, & *descendere è nauibus*, vt etiam Græci. Nam Iliad. 15. νηῶν ἐπιβάντες, & alibi, ἀποβάντες. Et Apollon. libro 1. de re eadem ἐπιβαίνειν. Obiicies mihi contra vsitatas locutiones Theocritum, qui εἰδ. 13. dixit, κατέβαινεν ὕλας εὔεδρον ἐς Ἀργώ: *descendit Hylas in Argo nauem firmam*. videbatur enim dicturus ἐπέβαινεν. Solutio facilis; nam ea nauis, vt quæ prima, & à Minerua, rudi equidem, fabricata, non habuit pontes, per quos fieret ascensus.

Apobathra in nauibus quid.

Conscendere cur dictũ de nauibus.

3. Recvrsvs langventis pelagi.] Non bene Seruius *languens pelagus* explicat tranquillum. Poëta enim tantum notat maris refluxum, quod vel ex *recursu* poterat Seruius animaduertere. Itaque intellige aquas remeantes & ἀφρῷ ἐκ γῆς, καὶ θάλασσαν πλημμυροῦσαν, & κύματα ἐλαττούμενα, vt loquitur Nazianzen. Orat. 28. Vide me 1. Georg. vers. 475. Not. 11. Quid quòd aliqui codices habent *recessus*, quæ vox signatissima in auctoribus ad maritimos refluxus?

Refluxus maris.

4. Saltv.] Ita notat præcipitantiam, vt & Stat. 5. Theb.

Saltus, de descensu è nauibus.

> ——— *primis iamque offendere carinæ*
> *Littoribus, certant saltu contingere terram*
> *Præcipites.* ———

Et lib. 4.

> *Incubuere vadis passim discrimine nullo.*

Et lib. 9.

> *Ille quoque hostiles saltu maiore per vndas*
> *Irruit.* ———

Appian. in re simili lib. 5. Ciuil. καταθορῶν, & ἐκπηδῶν. Pind. Od. 4. Pyth. ἐπ᾽ ἀκταῖσι θορὼν: *prosiliens in terram*. & suprà dixerat, ἐπειγομένους, quo indicat festinantiam exeuntium è nauibus. Claud. 4. Cons. Hon. dixit:

> *Danubij tota vomerent cùm prælia ripæ.*

Qui versus mihi repræsentat celeritatem militum Æneæ inuadentium terram ad gerendum bellum. Notetur etiam locus Calabri, qui festinantiam, qua victi Troiani confugiebant ad vrbem, comparat cum nautis, qui visa terra, ἐξ ἁλὸς ἀΐσσουσι, *festinabundi è mari exeunt*. Apollon. etiam 1. Arg. ἀνεκπρόσαντο, in re eadem. & Hom. 16. Iliad. νηῶν ἀποθρώσκων. & Polyb. lib. 3. ἀποπηδήσαντες ἐκ τῶν πλοίων. In diuersis formis vides saltum nautarum.

Nautæ festinabundi.

5. Specvlatvs.] Nescio an intellexeris. Puppim notat, qui locus Principum, vt alibi obseruatum. Est verò celsior pars nauis. Ergo Tarchon ex puppe tanquam è specula. Statius 5. Theb. *& iam rate celsus Iason*. Vbi, quamuis puppim non nominet, illam tamen intelligit ex circumstantia celsitudinis, vt Virg. ex circumstantia speculæ. Ita infrà leo dicitur videre è *specula*, quia cum illo comparatur Turnus, qui erat sublimis in curru.

Specula in naui dicitur de puppi.

6. Qva vada non sperat.] Legunt aliqui *spirant* ex quopiam codice. Fortasse illis fauet Homeri versus, & fortior Scaligeri auctoritas, qui libro 4. Poët. capite 16. ita, *qua vada non spirant, id est, non mouent aquas. vnde aëris quoque motus sit*.

Spirãt vada, quid sit.

7. Inoffensvm.] Monuit quidam actiuè sumi, id est, non offendens ad littora & scopulos. Firmo ab Ouid. Eleg. 8. lib. 1.

Inoffensum actiuè.

> *Detur inoffensæ vitæ tibi tangere metam.*

Id est, vitæ quæ offendit neminem, vitæ non offendentis. Credo, Virgilium institisse Varroni, qui dixit *inoffensum per æquor*. producit testimonium Varronis Nonius in *calx*.

8. Crescenti allabitvr æstv.] Hîc iam affluxum maris describit, qui oppositus languenti, ac recurrenti pelago. Calab. lib. 1. πόντος ἐρευγομένοιο ποτὶ χθονὸς ἠϊόνα μακρήν: *Eructante mari ad porrectum telluris littus*.

Crescens æstus. Eructans mare.

9. Precatvr.] Ita in hoc libro, *virtutem accendit prece*. Stat. 5. Theb. in oratione simili, *voce, manuq; rogat*. Ibidem, *sociosq; appellat Iason*. Hoc enim verbum precarium est.

Apello, verbum precis.

10. Nvnc o.] Respondent hæ duæ voculæ duabus Græcis ὦ εἶα. His Græci vtebantur ad acuendos remigum animos. Monui hoc libenter, nam interpres Aristophanis insigniter deceptus est, cùm de his vocibus scripsit. οὕτω γὰρ εἰώθασιν οἱ ἐπιστατοῦντες ἐπέχειν τὴν ὁρμὴν τῶν ἐλαυνόντων: *Sic solebant magistri nauium impetum cohibere trahentium*. nisi credamus subesse mendum. Non enim his vocibus continebatur impetus remigum, imò incitabatur, quod liquidum ex ipso Aristophane: clamatur enim à Choro visa pace,

Nunc ô, voces tempe- rium.

> Ἄγε νῦν, ἄγε πᾶς,
> Καὶ μὴν ὁμοῦ 'στιν ἤδη 'γγύς.
> Μὴ νῦν ἀνῶμεν, ἀλλ᾽ ἐπεντείνωμεν ἀνδρικώτερον:
> *Age nunc, age quisque,*
> *En appetit, propè est illa,*
> *Non iam remissione, sed*
> *Intensione magna opus.*

Post quæ verba sequuntur,

> D Ὦ εἶα νῦν, ὦ εἶα πᾶς:
> *O eia nunc, ô eia omnis.*

11. O lecta manvs.] Occasione huius noto Homeri εὐήθειαν: nam cur abstineam ab hoc verbo? audi 12. Iliad. Aiaces duos ita exhortantes exercitum.

Homeri stupiditas.

> Ὦ φίλοι Ἀργείων, ὅς τ᾽ ἔξοχος, ὅς τε μεσήεις,
> Ὅς τε χερειότερος: ———
> *O amici Argiuorum, quique eximius, quique mediocris,*
> *Quique deterior est.* ———

Quale est, vt audiat miles se esse mediocrem, imò deteriorem? quos capiet animos? vti incitabitur? Vel proferant mihi defensores Homeri, quis vsus hoc genere incitamenti? Meliùs multo vniuersim, *Nunc ô lecta manus*. & libro 5. in simili nautica exhortatione, *delegi comites*. & lib. 9. *Sed vos ô lecti ferro*. Quin contra Homerum adduco Homerum ipsum, apud quem Iliad. 10. Agamemnon ita exhortatur Menelaum:

Miles in exercitatus.

> Φθέγγεο δ᾽ ᾗ κεν ἴῃσθα, καὶ ἐγρήγορθαι ἄνωχθι
> Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
> Πάντας κυδαίνων, μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ:

Laus militis excitat.

Clama

Clama autem, qua iueris, & vigilare iube,
A maioribus ex stirpe compellans virum quemlibet,
Omnes laudans, neque superbias animo.

Nota extrema; est enim genus superbię, alium in adhortando nominare χερείτερον.

Remis incumbere.

12. VALIDIS INCVMBITE REMIS.] In 5. dixit, *nunc nunc insurgite remis.* Homerus, ἐπέρχεσθε ἐρετμοῖς, ἐμβάλλετε κώπαις: alij ἐρετμόειν, ἐρετμῶσαι. Cogitaui Latinam locutionem hanc, *incumbere in rem aliquam toto pectore, totis viribus*, ortam à re nautica. Incumbunt enim remiges pectore. Inde in mentione remorum, est etiam pectoris mentio. Exempla obuia. Quin Valerius lib. 3. de studio Argonautarum: *atque æquora pectore tollunt.* & Ouid. 11. Metamorph. *reducunt ad fortia pectora remos.*

Incumbere toto pectore, vnde.

Pectus in remigantibus.

13. INIMICAM FINDITE ROSTRIS HANC TERRAM.] Simili iracundia scintillat Claudianus de Bell. Gildon.

Locorum similitudo.

Per vada Gildonem quamuis aduersa petamus,
Ad bellum nos trudat hyems: per dentia ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris.

Findo, è terra ad mare.

Locutio ducta est à re rustica. Ipse in Georg. *telluri infindere sulcos.* Horat. *findere sarculo agros.* Inde ergo ad mare, vti etiam Propert.

Et freta gemmiferi findere classe maris.

14. FRANGERE PVPPES.] Vt qui nolit habere inuitamentum ad fugam. Huc pertinet consilium Heluetiorum apud Iulium lib. 1. Gall. qui domestica concremarunt ituri ad quærendas nouas opes, ne suppetente domi copia, cogerentur ad turpem reditum. Et præceptum Vlyssis apud Hom. 14. Iliad. vbi non vult deduci naues in mare, ne Græci inuitentur ad fugam. Versus sunt,

Fugæ præsidia adimenda.

Heluetiorū facinus.

——— οὐ γὰρ Ἀχαιοὶ
Σχήσουσι πόλεμον, νηῶν ἅλα δ' ἑλκομενάων,
Ἀλλ' ἀποπαπτανέουσι, ἐρωήσουσι δὲ χάρμης:
———*non enim Græci*
Sustinebunt pugnam, nauibus deductis in mare,
Sed respicient (ad eas,) *cedéntque bello.*

Spartaci facinus.

Et factum Spartaci apud Plutarchum in vita Crassi, qui initurus bellum, in quo periit, priùs equū suum confodit, κατέσφαξε τὸν ἵππον, dicens non illo egere si moreretur: sin viueret, habiturum se multos hostium equos. Mens Spartaci fortasse fuit, ne præsente equo incitaretur ad fugam. Crassus quoque ipse iturus ad bellum Parthicum, ἔφη γὰρ τὸ ζεῦγμα τοῦ ποταμοῦ διαλύσειν, ὅπως μηδεὶς αὐτῶν ἐπανέλθῃ: *dixit rescissurum se pontem fluminis, ne quis regrederetur.* Sed locum similem alibi tractaui. Ceterùm, quod Virg. *non recuso puppem frangere arrepta tellure,* Lucanus libro 5. ita, *liceat vexata littora puppe prendere.*

Locorum similitudo.

Statio, in re nauali quid.

15. STATIONE.] Est statio locus ad littus maris in ipsa aqua, vbi naues pro belli opportunitate cōsistunt. Hoc indicant verba Liuij lib. 24. *Legiones primo quoque tempore Consules scribere iussi, & classem parare, vt cum eis nauibus, quæ pro Calabriæ litteribus in statione essent, centum & quinquaginta longarum classis eo anno expleretur.* & lib. 27. *In Maliaco sinu is locus est, quondam frequenter habitatus, propter egregium portum, tutásque circà stationes, & aliam opportunitatem maritimam.* & libro 30. *Classis punica ad Vticam stationem habebat.*

16. ARREPTA TELLVRE.] Aliud agens attingit morem exeuntium è mari. Hunc nosce ex Pindaro Od. 4. Pyth.

—— γίνωσκε δ' ἐπειγομένους.
Ἂν δ' εὐθὺς ἁρπάξαις ἀρούρας
Δεξιτερᾷ, προτυχὸν
Ξείνιον μάστευσαι δ' ἔσεσθαι.
Οὐδ' ἀπίθησέ νιν, ἀλ-

A Λ' ἥρως ἐπ' ἀκταῖσι θορὼν
Χειρί οἱ χεῖρ' ἀντερείσαις
Δέξατο βώλακα δαιμονίαν:

Animaduertit autem (nos) festinantes. Quare cùm subitò arripuisset tellurem dextra, obuium xenium quæsiuit dare. Nec verò immoriger (recusauit) heros, sed in littora prosiliens manu manum eius cùm firmasset, accepit glebam admirandam. Quin tunc osculabantur terram venerabundi, quem morem alibi attigi; & nunc annecto alium huic consimilem, quo discedentes etiam tangebant littora, antequam naues intrarent, terrámque osculabantur. Valer. lib. 4. Arg.

Terra arripiebatur ab exeuntibus è mari.

Nauigaturi terram osculabantur.

Vltima tum patria cedens dedit oscula ripa.

Huc fortasse respectum à Lucano 5. Phars.

Litteráque ipsa tenet, tandémque illata carina est.

B Tametsi rideam dici hoc de Cornelia renuente nauigationem, & ita tenebat littora. Sed quid vetat illud fieri sub specie vsitati osculi? Præcedit enim prostrauisse se ad arenas.

17. TONSIS.] Id est, remis. Præceperat Tarchon, *incumbite remis.* Parent iam & consurgunt tonsis. Vide quæ iam lib. 7.

Tonsæ, pro remis.

18. SEDERE CARINÆ.] Explicat locum hūc Tacitus 2. Ann. *quædam* (naues) *plana carinis, vt sine noxa sederent.* Ergo, naues Virgilianas intellige cum planis carinis. Inde Tacit. *sine noxa.* & Virgil. *omnes innocua.* Et inde etiam nauis Tarchontis passa est incommodum, quia non plana sedit propter dorsum maris, neq; fuit ἰσῶς μένειν, vt loquitur Homerus Iliad. 12. id est, *æquata*, videlicet ex iniquo dorso, & ideo C pendens.

Sedere nauem, quid sit.

Carinę planæ in nauibus.

19. SED NON PVPPIS TVA TARCHON.] Periit hæc nauis adhuc in ipso portu. Propert. Eleg. 7. lib. 3. *fallit portus & ipse fidem.* Seneca in Controu. *nauem in portu mergis.* Græca parœmia, ἐν λιμένι ναυαγεῖν: *naufragium in portu.* Alia, ἐν λιμένι προσκρούειν: *in portu impingere.* Propert. iterum Eleg. 25. lib. 1. *in portu fracta carina.* Debes Passeratio.

Naufragiū in portu.

20. INFLICTA VADI.] Id est, impacta. Ducit metaphoram à verberibus Græca origine ἐκφλίγειν, *inurere*, vnde & *flagella.* Et infrà, *sonant flictu galeæ.* Nonnus libro 32. ἱμασσεῖο κέντρῳ: *flagellabatur stimulo.*

Flagelli etymon.

21. DORSO.] Ad ῥαχίαν alludit. Est hæc πετρώδης τόπος, εἰς ὃν προσρήγνυται ἡ θάλασσα, inquit interpres Thucyd. in Notis ad librum 4. id est, *petrosus* D *locus, vbi mare frangitur*; à quo fragore vetus parœmia, ῥαχίας λαλίστερος. Inde vult idem interpres natum, vt quod osseum est in humeris hominum dicatur ῥάχις, ab maritimo hoc loco. Verba eius, ὅθεν τὸ νωτιαῖον ὀστοῦν ῥάχις καλεῖται, ὡς ἀπὸ τῆς ῥαχίας τῆς πέτρας. Et cur non inde dicantur etiam ῥάχις ῥινός, & ῥάχις ἵππου? quarum vocum commeminit Pollux, scilicet *dorsum nasi, spina equi.* Ita & *dorsum* de montibus, qua voce vsi multi, vt Stat. 3. Theb.

Dorsum in mari, quid.

Rhachia loquacior.

Dorsum hominū, nasi, equi, vnde dictum.

Mons erat audaci seductus in æthera dorso.

Et Curtius libro 3. partem montis, quod in littus excurrit *dorsum* vocat, & *cornu.*

Cornu, de monte.

22. PENDET.] Similis imago in naue Æneæ libro 1. quam pendentem Poëta describit. Vide ibi Lucan. lib. 9.

Pendet nauis.

E *Pars sedet vna ratis pars altera pendet in vndis.*

23. FLVCTVSQVE FATIGAT.] Pulchra enallage. Ipsa verè nauis fatigatur. Fallitur enim Seruius, qui concipit, *fluctus fatigat eam.* Non sic est: sed per enallagen, ipsa fatigat fluctus. Quasi crebritate fatigentur fluctus. Simili enallage Stat. 5. Theb. in descriptione tempestatis.

Enallage.

Fatigare fluctus.

———*puppémque insana flagellat*

Arbor,

Arbor, & instabili procumbens pondere curuas
Rapiat aquas. ———

Raptare aquas, quid. Verè nauis ipsa raptabatur aquis. Hæc fortasse melior explicatio, certè acutior ea, quam obuiam videbis in interpretibus Statij.

Locorum similitudo. 24. IMPEDIVNT.] Est in Statio 9. Theb. repræsentatio mali Virgiliani:

——— *sed cade noua iam lubrica tellus*
Armáque, seminecésque viri, currúsque soluti
Impediunt. ———

Lapsabundi. 25. RETRAHITQVE PEDES SIMVL VNDA RELABENS.] Hanc pedum difficultatem lapsantiũ in lubrico expertus est exercitus Annibalis in transitu Alpium, vbi via ita *lubrica erat, vt neque sustinere se à lapsu possent.* agnoscis verba Liuij; & infrà, *vt à lubrica glacie non recipiente vestigium, & in prono citiùs pede se fallente.* Nonn. lib. 22.

Locorum similitudo.

Κύμβαχος αὐτοκύλιστος ἐπωλίσθησε ῥεέθρῳ:
Pronus ipse ac lapsabundus deuoluebatur in flumen.

Et lib. 23.

Ἄστατος ὑδατόεντι Μάρων περιφορεόμενος ὁλκῷ:
Tractus Maron instabili aquoso tractu.

Ibidem, κύμασιν αὐτοέλικτος. Et lib. 31. ὀκλάζων ὀλισθηροῖσι πεδίλοις: *procumbens lubricantibus calceis.* & libro 21. περιπλάζοντα πεδίλοις. & libro 19. etiamsi de re alia,

A Πέσῃ σφαλεροῖο ποδὸς δ' ὑδατόεντος ὁλκῷ.

Vides decipiẽtem pedem. Similia multa in Stat. sunt lib. 9. vt cùm ait, *trahit vnda timẽtes.* & de equis lapsantibus in medio aquarum,

——— *consuetáque campo*
Fluctuat, & mersas leuis vngula quærit arenas.

Apud Curtium in transitu Tigris fluminis similia quæpiam, libro 4. *Sed gradum firmare vix poterant, cùm modò saxa lubrica vestigium fallerent, modò rapidior vnda subduceret.* Pulchrè dixit Plutarchus in Mario, σάλῳ τῶν σωμάτων, de his, qui nequibant consistere, quin prolaberentur. Homerus Iliad. 21. de Achille lubricante inter aquas Xanthi, οὐδὲ πόδεσσιν εἶχε στηρίξασθαι. & Polyb. lib. 3. de militibus Annibalis in Alpibus, ἐκσφαλέντες ἀμφοτέροις ἅμα τοῖς ποσί. Audi & Musam Lucani lib. 4.

B

——— *naufraga campo*
Cæsaris arma natant, impulsáque gurgite multo
Castra labant. ———

26. TOTAM ACIEM.] Est hoc, quod Thucyd. libro 8. pugnare κατὰ κράτος: *cum vniuersa mole exercitus.* Græci passim πανστρατί, πανσυδί. Quibus vocibus oppone ex Plutarcho in vita Iulij, εἰς πολλὰ διελὼν τὴν δύναμιν μέρη: *diuidens in partes plures aciem.* Has partes *separata agmina* vocat Liuius. Acies tota. Agmen separatum.

[a] Signa canunt. Primus turmas inuasit agrestes
Æneas omen pugnæ, strauítque Latinos
Occiso Therone, virûm qui maximus vltrò
Æneam petit: huic gladio, pérque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.
[b] Inde Lycam ferit, exsectum iam matre perempta,
Et tibi Phœbe sacrum: casus euadere ferri
Cui licuit paruo. [c] nec longè Cissea durum,
Immanémque Gyam sternentes agmina claua,
Deiecit letho. nihil illos Herculis arma,
Nil validæ iuuêre manus, genitórque Melampus,
Alcidæ comes, vsque graues dum terra labores
Præbuit. [d] ecce, Pharo, voces dum iactat inertes,
Intorquens iaculum clamanti sistit in ore.

ARGVMENTVM.

Æneas Theronem occidit, Lycam, Cisseum, Gyam, Pharum. Discriminantur hæ mortes variis casibus, ad Lectoris satietatem vitandam.

EXPLICATIO.

[a] ÆNEAS iam suos exposuerat, Turnus iam suos in occursum adduxerat, agrestes imprimis, quos ex agris coniunxerat. In hos ergo (post concentum tubarum) fit primus Æneæ impetus, strauit illorum multos, in his Theronem. Erat huic rustico corpus maximum, & maior audacia, quippe qui Æneam petiit: sed Æneas pleno ictu confecit hominem; pleno (inquam) nam gladio traiecit scutum, quod æreum; tunicã, quæ auro rigens & squallens; ac tandem latus hominis perforauit. Expende

C aliqua. Æneas *primus*, quia ante alios progressus, & prægressus. Inde illi se Therõ opposuit, quasi ad singulare certamen. Ait *omen pugnæ*, quia vt hîc victor, ita alibi semper vincet. In scuto æreo traiecto, in tunica in qua aurum, attollitur virtus brachiorum Æneæ.

[b] Secundus Æneæ ictus destinatus in Lycã. Narrat huius successum. Latebat hic in vtero matris iam mortuæ, sed extractus est secto vtero, hos Latini exsectos vocant. Inde conquestio poëtica. Licuit per fata huic, paruus cùm esset, ferrum euadere, quo secta est mater: & non licuit iam iuueni euadere Æneæ ferrum. Vide quàm importuna sæpe fata. Cur Lycas sacer Phœbo, dicam in Notis.

D

[c] Transit ad fratres Cisseum, & Gyam: illum *durum*, quia vt rusticus, obdurato erat corpore; hunc *immanem*, quia procerus. Pugnabant isti clauis ad exemplum Herculis, edebántque stragem, & agmina sternebant: tamen deiecti sunt ab Ænea. Itaque neque arma Herculis, nec virtus propria, nec meritũ

patris

patris Melampodis, qui comes fuit Herculis, cùm hic grauissimis laboribus est vexatus, quicquam iuuêre. Vide quàm incerti sint in extrema necessitate fauores anteactæ fortunæ.

ᵃ Sequitur vltimus rusticorum Pharus, huic ignauiter clamanti iaculum in ore ingessit. Legendum itaque, *Pharo clamanti*, nam hoc concinnius; quam lectionem agnoscit Seruius. Aliqui *Pharon*, & *clamantis*. non ita placent. Ait *voces inertes*, quia *vbi pugnare oportet, loqui inertis est*, ait Seruius.

NOTÆ.

Signa canere.

1. SIGNA CANVNT.] Attius in fabula, cui nomen Hellenes, *Signa extemplo canere, ac tela ob mœnia offerre imperat.*

2. PRIMVS.] Vt aliis esset exemplo, ideo inter prima signa; nam hoc indicat. Sed hoc aliis locis à me. Notetur obiter locutio Calabri lib. 1. qui primam partem exercitus vocat στόμα δηιοτῆτος: *os pugnæ.*

Os pugnæ.

3. TVRMAS AGRESTES.] Laudes rusticorum, & fortitudinem in re belli dicebam ad 2. Georg. vers. 532. Not. 1. & ad 9. Æneid. vers. 1. Not. 19.

Omen pugnæ.

4. OMEN PVGNÆ.] Adducit Seru. illud Sallust. *Pugnam illam pro ominibus belli futuram.*

Theron.

5. THERONE.] Stat. 2. Theb. Theronem quendam inducit, cuius aui fuêre terrigeni. An traxit ex Virgilio, qui Theronem suum facit rusticum?

6. ÆNEAM PETIT.] Apta huic loco, quæ in 9. ad illud, *Volscentem petit.*

7. ÆREA SCVTA.] Sequutus sum in explicatione vulgatam lectionem, & *aerea scuta*; nam & Stat. *ferrea scuta, aerea scuta.* Vide Collectorem.

Squallens aurum.

8. SQVALLENTEM AVRO.] Aduocat Agell. lib. 2. cap. 6. illud Attij in Pelopid. *eius serpentis squamma squallida auro, & purpura prætexta.* Est verò auri squallor ab asperitate auri. Vide vti defendant Virgilium Agellius dicto loco, & Macrob. lib. 6. cap. 7. Fuêre enim, qui reprehenderent Virgilium, vt qui nitenti auro squallorem dedisset. Sed blenni sunt hi, in quibus meræ nugæ. Eo enim modo squallor in auro, vt in nummis recentibus asperitas. Vtrunque in laude.

Haurire latus, quid.

9. LATVS HAVRIT APERTVM.] Seru. τὸ *haurit* explicat, ferit. Isidorus, percutit. Sed tu audi Notam Iulij Scalig. lib. 4. Poët. cap. 16. *Haurit est, exhaurit corda, hoc est, emouet; subsiliunt enim pauore, aut spe. Aut exhaurit spiritibus. sic enim decet Philosophum. Nam latus haurit, quia sanguis exit. metaphora ab vtribus, & doliis, è quibus vinum extrahitur facto foramine.* Erit ergo, quod Calab. lib. 1. δυεί χύθη μέλαν αἷμα. & statim, μέλαν δέ οἱ αἷμα δι' ἕλκεος ἔσσυμένοιο. Hic enim fluor sanguinis sapit Virgilianum haustum, quem habes etiam secunda Æneide, *inimicus & hauserit ensis.* quem locum vide. Vnde Ouid. 9. Metamorph.

A *Cognatúmque latus Phlegeius hauserit ensis.*

Hom. 14. Iliad. διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσε: *exhausit ensis intestina.* & 16. Iliad. cùm occisus est Sarpedon à Patroclo ait, cum euulsa à corpore hasta præcordia quoque euulsa, φρένες αὐτῷ (id est, δόρει) ἕποντο.

Phœbo sacri exsecti.

10. ET TIBI PHOEBE SACRVM.] Qui prodeunt secto vtero matris sacri sunt huic Deo, quia opus hoc medicinæ est. Inde Æsculapij nata fabula, quia enim prodiit exsecto vtero materno, dictus est Phœbi filius. Huc multi referunt originem Cæsarum, inde postea Apollo ad tutelam horum Principum, & Augustus dici volebat Apollinis filius. Abundè hoc alij.

Æsculapij fabula vnde nata.

Cæsares vnde dicti.

In tutela Apollinis.

B

Claua in bello.

11. STERNENTES AGMINA CLAVA.] Hom. Iliad. 15. σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας: *ferrea claua diruebat agmina.* Valer. lib. 3. Arg. de ipso Hercule, *socia sed deficit agmina claua.* Iterum, *clauam intonat.* Explicui clauam horum ad exemplum clauæ Herculeæ: & ita postea, *arma Herculis*, non quia verè Herculis, sed quia ad huius exemplum. An obsecro pugnarent duo cum claua vna? atqui quisque cum sua.

Deiicere letho.

12. DEIECIT LETHO.] Vt lib. 2. *Demisêre neci.*

C

Imitatio.

13. NIHIL ILLOS HERCVLIS ARMA.] Adumbratur illud Homericum 5. Iliad.

> Ἀλλ' οὐ οἱ τότε γε χραῖσμ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα:
> *Sed nihil illi commodi attulit Diana sagittis gaudens.*

Adduco consinia verba Iosephi lib. 7. de Excid. Hierosol. cap. 18. vbi post vrbem captam subiicit. ἀλλὰ γὰρ οὐθ' ἡ ἀρχαιότης, οὔθ' ὁ βαθὺς πλοῦτος, οὔτε τὸ διαπεφοιτηκὸς ὅλης τῆς οἰκουμένης ἔθνος, οὐθ' ἡ μεγάλη δόξα τῆς θρησκείας ἤρκεσε πρὸς ἀπώλειαν αὐτῇ: *Sed enim neque antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem terræ diffusa fama, nec magna religionis gloria quicquam iuuit, quominus periret.* Talis ea conquestio lib. 2. *nec Apollinis infula texit.* Quem locum adi.

D

Vsque dum.

14. VSQVE GRAVES DVM.] Post vocem *vsque* sequi eleganter *dum*, iam obseruarunt Godescal. lib. de Ling. Lat. & Horatius Turselin. de partic. cap. 199. Nam Cicer. 2. in Verr. *vsque dum per me licuerit.* Plaut. Truc. *vsque dum viuunt. lauant.* Ouid. 3. Metamorph. *vsque sequens pressit, dum retrò* &c. Fit & elegans inuersio vocum. Terent. Phorm. *Dum viuat, vsque ad aurem obganniat.*

Dum vsque.

Locorum similitudo.

15. CLAMANTIS SISTIT IN ORE.] Illustrabis hunc locum his, quæ dixi lib. 9. ad illud, *Rutuli clamantis in ore.* & lib. 7. ad illud, *hæsit enim sub gutture vulnus.* Et hîc adiice Stat. lib. 9. Theb. apud quem figitur ora Lamus. Infrà audies, *loquentis vocem animámque rapit.* De Crassino Plutar. in vita Pompeij. τὶς ὤσε διὰ τοῦ στόματος τὸ ξίφος, ὥστε τὴν αἰχμὴν περάσαν ἐξέχειν κατὰ τὸ ἰνίον: *quispiam gladium per os traiecit, ita vt mucro transfixus emineret sub occipite.* Repetit in vita Iulij, etiamsi verbis aliis. Nonn. lib. 30. ait quendam fixum γναθμοῦ διεξιπόροιο.

E

ᵃ Tu quoque flauentem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix noua gaudia Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui iuuenum tibi semper erant, miserande iaceres:
Ni fratrum stipata cohors foret obuia, Phorci
Progenies septem numeri, septenáque tela.

Coniiciunt: partim galea, clypeóque resultant
Irrita, deflexit partim stringentia corpus
Alma Venus. fidum Æneas affatur Achatem.
[b] Suggere tela mihi (non vllum dextera frustra
Torserit in Rutulos) steterunt quæ in corpore Graiûm
Iliacis campis. [c] tum magnam corripit hastam,
Et iacit: illa volans clypei transuerberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratrémque ruentem
Sustentat dextra: traiecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, seruátque cruenta tenorem,
Dexteráque ex humeris neruo moribunda pependit.
Tum Numitor, iaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non & figere contrà
Est licitum, magníque femur perstrinxit Achatæ.

A

ARGVMENTVM.

Cydonis successus, Phorci filiorum virtus in Æneam, huius diuinum patrocinium, oratio ad Achatem, ictus varij, quibus conficit Mæonem, dextram amputat Alcanori. Numitoris virtus.

EXPLICATIO.

B [a] SVCCESSVM huius adolescentis vestit Poëta magnis circunstantiis. Erat Cydon in flauore primo lanuginis, sequebatur Clytium amores suos, cùm pugnandum esset; vide quanta vis τῦ παιδεραστεῖν. nam παιδικὸν Poëta intelligit in Cydone; & in Clytio exoletum, quem catulastrum appellant glossæ optimæ à catuliendo. in eam voluptatem se tum primùm induerat, ideo *noua gaudia*. In hunc ictum destinauit Æneas, quo penè Cydon stratus esset, iaceretque miserandus, & careret suis amoribus. Sed fata Æneam, ac proinde mortem Cydonis auerterunt, ne mollissimus iuuenis (hæc credo mens Virgilij) gloriam haberet, est enim gloriosum vinci ab hoste forti & virili. Sed quæ ratio auertendi Æneæ? Est hîc oculatissimus Poëta. Septem fratres Phorci filij fiunt obuiam illi, & hi quidem stipati in cohortem vnam, & cum septem telis, quæ simul in eum coniiciunt. Sed hæc omnia partim è galea, & clypeo resultarunt, partim deflexit Venus curans natum, cùm tantùm corpus leuiter strinxissent. Vide (inquam) Lector, an oculatissimus Poëta pro suo Heroë, certè plus, quàm Venus pro suo nato. Nam, vt Æneas à cæde auerteretur, opus fuit tot militibus, vt penè esset cohors; tot telis, vt penè esset nimbus. Aliter non consultum fuisset eius honori.

[b] Verba viri fortis ad Achatem: fortis (inquam) nam nihil timet congressionem cum septem fratribus, & vnus cùm sit, facit potestatem sui viris septem. Quid verò ad Achatem? vt suggerat tela iam probata apud Troiam contra Græcos; perinde ac si dicat. Quæ Græcos confecerunt, cur non & Rutulos? quæ probata in campis Iliacis, cur non in Italicis?

[c] Vidisti vt septem simul fratres vnà irruerint in Æneam. Narrat iam Poëta, quid tribus horum fratrum acciderit ab Ænea, videlicet, Mæoni, Alcanori, Numitori. Iacit hastam in Mæonem, transfigit eius æreum clypeum, thoracem, pectus. Hoc puncto temporis Alcanor ruentem fratrem lacerto sustentat, sed hasta eadem *protinus*, id est, continuò, clariùs, continuato vulnere, ac tenore eodem lacertum Alcanoris transcurrit. Non enim diuersa fuit hæc hasta, vt malè nobilis quidam interpres. Ergo sic factum, vt totum brachium, & dextera penderet ex humero iam neruis moribunda. Vel explica sic. Dextera auulsa ex humero pependit ex neruis moribunda. Pergo. Accessit statim Numitor, & hastam consatalem fratribus arripuit, quæ hærebat in corpore Mæonis, atque illa Æneam petiit. Non tamen licuit mortali homini Heroëm figere, itaque deflexa hasta perstrinxit Achatæ femur. Quid si Achates sese venienti hastæ opposuit, amans Æneæ sui?

NOTÆ.

C 1. TV QVOQVE, &c.] Intellige animum Poëtæ variantis mirè poësim suam, ac proinde transeuntis ab rusticis ad vrbanos. Atque adeò post Theronem, Lycam, & reliquos, ecce Cydon decorus flauicie, & amatorculus. Expendo & quidpiam dignum vigilantia Virgilij, qui cùm hoc opus in gratiam Augusti elaboraret, fecit vt parceretur in bello homini turpissimis amoribus addicto, quia videlicet sciebat hoc vitio laborasse suum Principem; nam de Augusto Plutar. in vita Antonij, ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν: *Erat Sarmentus puer, quem ad voluptatem habebat* D *Cæsar, Romani delicias vocant.* Inde 2. Eclog. *delicias domini.*

Augusti ἡ παιδεραστία.

Deliciæ quid propriè.

2. FLAVENTEM.] Quæsitè, vt in iuuene dedito amoribus. Audi inter notas Apuleianæ pulchritudinis Milesiaca 2. & hanc, *Inenormis proceritas, succulenta gracilitas, rubor temperatus, flauum & inaffectatum capillitium, oculi cæsij.* Itaque flauicies data est Cydoni ad notam impudicitiæ. Vide in libr. 4. Æneidos ad illud,

Flauicies de amatoriculis.

Nondum

Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem, &c.

Hac nota Horat. *cui flauam religas comam?* Sic & formosulus Ganymedes, & qui Ioui seruiit non solùm ad pocula, sed εἰς τὰ παιδικά, *flauus* dicitur eidem Horatio Od. 4. lib. 4. Hoc affectu Calaber, Homerus, Oppianus sæpe ξανθὸν dicunt. Nota & affectum, quem mouet ab ætate. Sic & Propert. Eleg. 7. lib. 3. *Affectus ab ætate.*

Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos?

3. PRIMA LANVGINE MALAS.] Tritum illud Pacuuij,

Nunc primùm opacat flore lanugo genas.

Vterque signat incipientem pubertatem, vt & Stat. 5 Syluar. *Lanugo in incipiente pubertate.*

——valida tibi signa iuuentæ
Irrepsere genis.——

& 4. Theb. *Dum roseis venit vmbra genis.* Quod fortasse ab Eurip. qui Phœniss. γένυς σκιάζη. Lucill. 8. Satyr. *primam barbulam* dicit, eo versu, *Vmbra, de barba.*

Vnde parectato chlamydes, & barbula prima.

Apuleius lib. 5. *Lanugo malis inserpit.* Pulchrè Attius: *Genas lanugo flore nunc primùm irrigat.* Lucanus Paneg. ad Pison. *Irrigo, de barbitio. Pingo, de barba.*

Quamuis nunc iuuenile decus mihi pingere malas
Cœperat.————

Plutar. huiusmodi adolescentem vocat in Amator. γενειῶντα. Eurip. Phœniss. πυρσαῖς γένυσιν ἐξανθοῦμενος. quasi quis euadat in virum flauicie barbæ. Nonnus lib. 32. ἀρτιχάρακτον κύκλον, *circulum nuper signatum.* & lib. 10.

Οὐδέ οἱ ἁβρὸς ἴουλος ἐρευθομένοιο γενείου
Ἄχροα χιονέης ἐχαράξατο κύκλα παρειῆς:

Neque dum ipsi mollis lanugo menti purpurascentis
Signauerat imberbes circulos niueæ genæ.

Ergo à Græcis Seneca Hipp.

Cùm primùm puras barba signaret genas.

Huic oppone ἀχνοῦν παρειὰν ex Nazian. in 1. Carm. *Oppositio.*

4. INFELIX.] Ad amorem detorqueo. Qui alium depereunt, dicentur amare infeliciter, vt etiam miserè. Sic amans Medea ab Eurip. δύστηνος. Sic & 1. Æneid. Dido bibens longum amorem *infelix* dicitur. Nec alio sensu Propert. Eleg. 1. lib. 2. *Infelix, de amatore.*

Huic misero fatum dura puella fuit.

Id est, perditè amanti. Horat. Od. 8. lib. 2. *miseræ virgines.* Vbi sententia est; virgines quæ impensè amant suos, timent te ô Barine, ne illos ad te allicias. Adi locum. Hoc sensu matrem Euryali perditè amantem filium *miseram* vocat Virg. 9. Æneid. *miseram tenuit non Ilia tellus.* & Sichæus lib. 1. *magno miseræ dilectus amore.* *Miser, de amantibus.*

5. NOVA GAVDIA.] Semper hic Vates est σωφρονικός. Titillantem libidinem nunquam nominat, quidquid tale est complectitur *gaudij* nomine, & hic παιδικά intelligit, quæ tamen castissimè nominat *gaudia.* Ab eo Horatius Od. 6. lib. 3. *Virgilius σωφρονικός. Gaudium τὰ παιδικά.*

Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis.

Et Proper. Eleg. 14. lib. 2.

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.

Et adhuc de vitio τοῦ παιδεραστοῦ idem Propert. Eleg. 4. lib. 2.

Hostis siquis erit nobis amet ipse puellas,
Gaudeat in puero siquis amicus erit.

Martialis Epig. 41. lib. 9. dixit *gaudia fœda* de monstrosæ libidinis genere. Valer. 3. Arg. *nec dum soboles, nec gaudia dete.* Nemesian. *gaudia sumet.* Nam & *Cerda in Æneid. tom. 2.*

A verbum *sumo* nequitiæ est, vt liquidum ex Martiali lib. 10. & ex Petron. Sat. Lucretius lib. 4. *præsensit gaudia corpus.* & loquitur de synousia.

6. CYDON.] Laudo Poëtam, qui ex peritia historiarum, hominem quippe addictum τοῖς παιδικοῖς nominat Cydonem; nam Cretenses huic vitio dediti. Seru. hîc: *De Cretensibus accipimus, quòd in amore puerorum intemperantes fuerunt. Quod postea in Laconas, & in totam Græciam translatum est.* Vbi non solùm notat vitium hoc in illis, sed ad illos refert tanquam ad initium. Firmo & Poëtam, & Seruium verbis Athenæi lib. 13. cap. 27. vbi ait. Κρῆτες γοῦν, ὡς ἔφην, καὶ οἱ ἐν Εὐβοίᾳ Χαλκιδεῖς περὶ τὰ παιδικὰ δαιμονίως ἐπτόηνται. Ἐχημένης γοῦν ἐν τοῖς Κρητικοῖς, οὐ τὸν Δία φησὶν ἁρπάσαι τὸν Γανυμήδην, ἀλλὰ Μίνωα: *Cretes igitur, vt* *Cydon cur παιδικός. Cretenses dediti turpi amori.*

B *dixi, Chalcidensesque, qui sunt in Eubœa, magnopere puerilium amorum sunt studiosi. Quamobrem Echemenes in rebus Creticis ait, Ganymedem non raptum à Ioue, sed Minoem.* Atqui Cydon, aut Cydonium, aut Cydonia vrbs est Cretæ. *Minos à Ioue raptus.*

7. SECVRVS AMORVM.] Id est, explicatore Iul. Scalig. cap. 16. lib. 4. Poët. *priuatus secretúsque ab amorum cura.* *Securus amorum.*

8. IVVENVM.] Lege Calpurnium Flaccum Declam. 3. de milite Mariano.

9. SEPTENAQVE TELA.] Indicarunt iam alij, symbolicè auxilium signari septem manibus in altum sublatis cum telis septem, cum hoc hemistichio, *septem numero, septenáque tela.* Nam & in Xe- *Septenarius numerus.*

C noph. lib. 7. de expeditione Cyri: *Seuthes accessit auxilium laturus cum septem equitibus præcipuis.*

10. RESVLTANT IRRITA.] Homericum est: nam Iliad. 14. ἅλιον ἐκφυγε ἄκοντα: *frustratum iaculum exiluisse.* & Calab. lib. 1. αἰχμὴν μαψιδίην: *vanam cuspidem.* Homer. sæpe, ἐμβροτε, ἀπήμβροτε, ἡμάρτανε. *Ictus irritus.*

11. DEFLEXIT.] Homer. 5. Iliad. βέλος δ' ἐκ ἔτραπεν. Illustrabis hunc locum his, quæ dixi 9. lib. ad illud, *Deflecto, de telo.*

Excepêre auræ vulnus, Saturnia Iuno
Detorsit veniens.————

12. STRINGENTIA.] Sic inf. *magnùque femur perstrinxit Achatæ.* Nec alio sensu in 5. *stringat sine palmula cautes.* & in 9. *leuis hasta Themillæ strinxerat.* *Perstringo, de leui ictu.*

D Hac voce indicatur leue & inefficax vulnus. Similem ictum bellè Homer. 4. Iliad. ἀκρότατον δ' ἄρ' ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός: *summum hominis corpus sagitta inscripsit.* Etenim scriptio calami non penetrat papyrum, aut ceram, tantùm signat. Sic & Iliad. 13. *Inscriptio, de leui vulnere.*

Εἴσω ἐπιγράψαι τέρενα χρόα νηλέϊ χαλκῷ:
Intrò inscribere tenerum corpus sæuo ferro.

Calab. lib. 10. & Hom. Iliad. 21. ad signandum hunc leuem ictum ἐπιγράβδην dixerunt, videlicet cùm corporis superficies tantùm telo strictim scribitur. Hom. Odyss. 22. λίγδην, id est, *leuiter* de hoc genere vulneris. & Lucianus ἐπιλίγδην: cui voci opponit ille βαθεῖαν πληγήν: *profundum vulnus.* Nonnus *Oppositio.*

E lib. 29. χαράσσετο μηρὸς σιδήρῳ: *signabatur femur telo.* Hoc genus vulneris capio in eodem lib. 32. cùm vulneratum hominem vocat χάρακτον, id est, *signatum.* Nam in eodem libro, hominem, cui incipit prima barba, vocat χάρακτον. Idem lib. 22. κατέγραψε dixit ad rem eandem. Nec minùs præclarè Virg. 12. Æneid. *summum degustat vulnere corpus.* Talem ictum notat Valer. lib. 3. Arg. *extrema sonuit cua casside cuspis.* Ait eum perstrictam cassidem extremam à volante cuspide. Vrsinus ad locum alium libri huius ait, esse hoc quòd Catull. dixit, *conscribillent.* Leuissimas mili- *Signo, de leui vulnere. Degusto, de leui vulnere. Conscribillo, de leui vulnere.*

tum punctiones Prudentius in Martyrio Romani A vocat *sphragitidas*. Scio illum de re alia loqui. Lubet hîc Homerum defendere. Sunt qui illum reprehendant, quòd 17. Iliad. dixerit, γράψεν δέ οἱ ὀστέον ἄχρις αἰχμὴ Πουλυδάμαντος: *scripsit eum ad vsque cuspis Polydamantis*, & tamen ait, vulneratum ἐπιλίγδην, id est, *leuiter*. Bella verò scriptio (aiunt) quæ penetrat ad ossa. Sed defendi tamen Homerus potest, & capi adhuc in hoc loco de leui vulnere. Nam sermo est de vulnere facto in humero, & satis tenuis etiam scriptio præteruolantis hastæ, vt os ibi stringatur. Ouid. 11. Metamorph. dixit: *notam sine vulnere fecit*.

Sphragitis. Homerus defenditur.

Imitatio.

13. NON VLLVM DEXTRA FRVSTRA TORSERIT IN RVTVLOS.] Perlustratus proculdubio locus 14. Iliad. vbi Polydamas filius Panthi ita gloriatur:

Οὐ μὰν αὖτ' ὀΐω μεγαθύμου Πανθοΐδαο
Χειρὸς ἄπο στιβαρῆς ἅλιον πηδῆσαι ἄκοντα,
Ἀλλά τις Ἀργείων κόμισε χροΐ: ———
Non arbitror magnanimi Panthœdæ
Manu è forti telum vanum exsiluisse,
Sed aliquis Argiuûm excepit corpore.———

Ictus non frustratus.

Calab. lib. 1. οὐδέ οἱ αἰχμὴν μαψιδίην ποτ' ἴθυνεν: *nec vnquam cuspidem incassum dirigebat*. De Antilocho 15. Iliad. ὁ δ' οὐχ ἅλιον βέλος ἧκεν: *nullum hic misit vanum telum*. Quæ verba & Vlyssi attribuit lib. 4. Iliad. Calab. lib. 2. δόρατα δ' οὐχ ἁλίως φόρεεν. Homer. aliquando, ἀκοντίζειν οὐ μὰψ: *iaculari non incassum*. Sic 16. Iliad. & alibi. Ibidem flexu isto, οὐ δ' ἀφάμαρτε. & alio, οὐχ ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός: *non effugit è* C *manu telum vanum*. Statius 11. Theb. *obliquum istum* vocat, qui aberrat. Ibid. *irrita voti cuspis*. Seneca dixit ad Marciam cap. 16. *nullum frustra cadere telum*.

Imitatio.

14. STETERVNTQVE IN CORPORE GRAIVM.] Adumbrat verba Idomenei, qui Iliad. 13. ait,

Τρώϊα (δοῦρα) τὰ κταμένων ἀποαίνυμαι: ———
Troianas hastas, quas à cæsis abstuli.———

Puto studiosè ab Homero induci milites, & Principes, qui non hastam iaculentur, sed ea cominùs hostem feriant, vt retineant & seruent, quasi illæ probatissimæ fuerint hastæ, à quibus iam felix ictus. Exempla obuia in Græco sunt. Nunc mihi ante oculos lib. 13. Iliad. vbi ita leges,

Probata iam arma in pretio.

Ἰδομενεὺς δ' ἐκ μὲν νέκυος δολιχόσκιον ἔγχος
Ἐσπάσατ'.———
Idomeneus ex mortuo longam hastam
Euulsit.———

Sic etiam apud Calab. lib. 1. Achilles μελίην ἐξείρυσε: *hastam extraxit*, qua Penthesileam percusserat. Quin apud Homerum Iliad. 11. Diomedes post iactum hastæ, citissimè ad eandem aduolat, vt iterum recuperet. Ab Calab. lib. 10. Pyrrhus inducitur pugnans ἔγχεϊ πατρὸς ἑοῖο: *hasta patris sui*, vt quæ iam esset probata paternis cædibus. Quibus locis aptari potest Ammianus lib. 2. apud quem animi obsessorum deficiunt viso ariete, cuius pulsibus Antiochia iam excisa fuerat: timuerunt quippe obsessi ab probata iam aliis in bellis machina. Huc leuiter pertinet, Neronem inuectum *eo curru, quo olim Augustus triumphauerat*.

15. TRANSVERBERAT.] Homer. sæpe, διὰ πρὸ δὲ χαλκὸν ἔλασσεν. Quo verbo explicat transmissam hastam, & ἐπέρησε, atque ἐξεπέρησεν: id est, *penetrauit*, quod verbum est Iliad. 13.

Transuerberare.

16. ÆRA.] Æreas laminas clypeorum alibi attigi.

17. CVM PECTORE RVPIT.] Calab. lib. 1. κραδίην ἐλάσας δόρυ: *impingens hastam in cor*.

18. TRAIECTO MISSA LACERTO.] Talem ἀιζηὸν hastæ, efficacémque impetum, quæ non defessa, integrum adhuc vulnus fecerit, comparat Germ. cum loco Homeri, apud quem hasta volat, neque cessat πρὶν χροὸς ἀνδρομέοιο διελθέμεν, *priùs quam virile corpus penetraret*. Idem elegantem Lucani locum è lib. 3. hunc,

Hastæ impetus indefessus.

Haud vnum contenta latus transire quiescit,
Sed pandens pérque arma viam, pérque ossa, relicta
Morte fugit, superest telo post vulnera cursus.

Huc potest pertinere poësis Claudiani lib. 2. Eutrop. vbi loquitur de indefesso cursu hastæ Martis hunc B in modum:

Fit latè ruptis via nubibus. Illa per auras
Tot freta, tot montes, vno contenta volatu
Transilit, & Phrygiæ mediis affigitur oris.

Ad quam rem allusit idem, cùm in eodem lib. scripsit, *sequitur mucrone cruento continuum vulnus*. Sed dignus est, qui audiatur locus Calab. lib. 1. vbi similis efficacia sagittæ quæ missa à venatore, postquam ἐλάφοιο μέσην διὰ νηδύα κέρσῃ: *traiecerit mediam cerui aluum*; ita σπαμένη διαμπερὲς ὄβριμος αἰχμή: *volat continuato impetu cuspis fortis*, vt πρέμνον ἐς ὑψικόμοιο φάγη δρυὸς, ἢ πεύκης: *in alticomæ quercus truncum, aut piceæ infigatur*. Et sic ille exaggerat virtutem Achillis, qui Penthesileam, & eius equum vno ictu perforauit. Huc etiam traho exaggerationem Plutarchi in vita Crassi, vbi tela Parthorum πολλάκις δὲ καὶ διὰ δυοῖν ἀνδρῶν ὑπὸ ῥύμης διαπορευόμενα: *sæpe duos subinde viros ipso impetu transuerberabant*. & locum Homeri 11. Iliad. vbi hastam Agamemnonis non repressit στεφάνη χαλκοβάρεια, *galea ære grauis*. nam δι' αὐτῆς ἦλθε καὶ ὀστέον, *per ipsam & os penetrauit*, donec hæsit in cerebro. Idem ictus habetur Iliad. 20. vbi Achilles interficit Demoleontem: versus sunt.

Coniunctum vulnus.

Οὐδ' ἄρα χαλκείη κόρυς ἔσχεθεν, ἀλλὰ δι' αὐτῆς
Αἰχμὴ ἱεμένη ῥῆξ' ὀστέον, ἐγκέφαλος δὲ
Ἔνδον ἅπας πεπάλακτο: ———
Neque verò ærea galea prohibuit, sed per ipsam
Adacta cuspis os rupit, quin & cerebrum
Intus omne fœdatum est.———

19. FVGIT.] De telo emisso, & ad celeritatem in- D dicandam. Ita Stat. 4. Theb.

Fugio, de telo.

Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cœlo
Fugit, & aduerso celsa stetit aggere Dirces.

Sic de Camilla hastæ alligata lib. 11.

Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.

20. IACVLO.] Notent locum istum Grammaticelli, qui nescio quid discriminis afferunt inter hastam, & iaculum. Ecce, quam priùs hastam dixerat, nunc vocat iaculum. Hæc enim est hasta illa, qua penetratum corpus Mæonis, qua Alcanoris manus confixa, & hanc nunc rapit Numitor. Sic in versu, quem nuper proferebam ex 11. Æneid. Camilla fugit *in iaculo*, quod priùs *hastam* dixerat. Et cur non hasta sit *iaculum* à iaciendo? sicuti βέλος ἀπὸ τοῦ βάλλειν. Homerus enim sæpe βάλλειν de hasta & βαλέειν: E ac proinde βέλος hasta quoque erit.

Iaculum, de hasta.

21. MAGNIQVE FEMVR PERSTRINXIT ÆCHATÆ.] Similis successus in Hom. est 8. Iliad.

Imitatio.

Ἦ ῥα, καὶ ἄλλον ὀϊστὸν ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλε
Ἕκτορος ἀντικρὺ, βαλέειν δέ ἑ ἵετο θυμός,
Καὶ τοῦ μὲν ἀφάμαρθ', ὁ δ' ἀμύμονα Γοργυθίωνα
Υἱὸν ἐΰν Πριάμοιο κατὰ στῆθος βάλεν ἰῷ:
Dixit, & sagittam aliam è neruo emisit

Contra

Contra Hectorem, ipsum autem percutere in animo fuit.
Sed aberrauit, hic autem inculpatum Gorgythionem
Filium fortem Priami in pectore percussit sagitta.

A Itaque iaculum directum est in Æneam, sed eo strictus est Achates. Ad hanc rem, quæ frequentissima in bello, allusum est ab Seneca epist. 105. *Quædam ad alios peruentura, nos stringunt.*

[a] Hic Curibus fidens, primæuo corpore Clausus
Aduenit, & rigida Dryopem ferit eminùs hasta
Sub mentum grauiter pressa: paritérque loquentis
Vocem animámque rapit, traiecto gutture. at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
[b] Tres quoque Threïcios Boreæ de gente suprema,
Et tres, quos Idas pater, & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. [c] occurrit Halesus,
Aruncæq; manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniæ. [d] magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Troianæ acies, aciésque Latinæ
Concurrunt; hæret pede pes, densúsque viro vir.

ARGVMENTVM.

Pugnat Clausus strenuè in Troianos, & septem viros interficit: pugnant in eosdem Halesus, & Messapus. Illustratur conflictus comparatione ventorum.

EXPLICATIO.

[a] PRÆMITTIT notam fortitudinis ante Clausi egregia facta. Erat in *primæuo corpore*, quia tunc in primo flore ætatis. Erant ei Cures in comitatu, quibus fidebat, vt fortibus. Prima eius sors in Dryopem, hunc ferit *sub mẽtum*, id est, in gutture, *pressa grauiter hasta*, explicat conatũ, quo Clausus rem gesserit. Sed cur hasta *rigida?* quia eam manu tenuit Clausus, nec vibrauit, aut iecit (ait Seruius.) Etenim cùm hasta iacitur, videtur illa inflecti, & mollescere: inde Hispani *blandir la lança*. Ergo, non iacta, tota riget. Vide verò sequentia, *Rapit vocem loquentis, rapit animam, ferit terram fronte, vomit cruorem*, & *ore* ab vicino gutture, & *crassum*, vt iam gelascentem.

[b] Non hîc cessauit virtus Clausi. Tres rapuit, tres iterum. Thracij erant omnes: sed tres priores ab extimo Septentrione, tres posteriores ab vrbe Ismaro, & patre Ida. Scio interpretum aliam esse explicationem. Sed me illi nõ ducunt in sententiam suam. Itaque per *supremam gentem Boreæ*, capio extremum Septentrionem, cum oppositione ad Ismarum vrbem, quæ non ita remota. Inde priorum pater ignoratus, non posteriorum. Quæ enim sunt remotiora, in maiore sunt caligine.

[c] Hoc ex magno decoro ducis Æneæ. Etenim contra eius impetum non satis Clausus, non alij, B quos numerauit: en Halesus, en integra manus Aruncorum, en Messapus Neptuni filius; omnes fortissimi, vt qui contra Æneam. Conantur se omnes inuicem repellere, Troiani Rutulos, Rutuli Troianos; & in ipso Italiæ limine. Nam hinc expulso hoste integra omnia erunt Rutulis, illato omnia languida.

[d] Sequitur mira comparatio. Pugnant ex æquo validi & animosi venti in magno cœli spatio (per *magnum* enim *ætherem* cape spatiosum, & latum) & ita pertinaciter, vt, quia ipsi non cedunt, nec nubila cedant, nec mare, diu enim consistit anceps pu- C gna in vno eodémque gradu, quia videlicet *omnia stant obnixa contra se*, id est, mare mari, nubes nubibus, venti ventis. Sic ergo Troiani, & Latini concurrunt, ac proinde nec pes cedit pedi, nec vir viro, nec gladius gladio, nec vmbo vmboni, addensata sunt omnia atque hærentia in vno, & eodem loco.

NOTÆ.

1. CLAVSVS.] Legunt hîc aliqui *Lausus*, se- D cuti obuia exemplaria: sed in correctioribus est *Clausus*. Hoc retinui. Nam Cures, aut Curetes, qui in Sabinis sunt, eius sunt comites: & lib. 7. legis,

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus.——

Atqui Lauso Agyllini sunt comites, non Cures, vt habes in eodem libro. Certè Seru. *Clausus* legit, vt apparet ex eius interpretamento. Deinde non hinc longiùs fit mentio Lausi ita integra & plena, vt hoc loco delibanda non fuerit. Nisi quis leuiter immutaret versum, & legeret,

Viribus hic fidens primæuo corpore Lausus,

ad eum modum, quo Calab. lib. 2.

——θυμὸς
Θαρσαλέος νέων ἀνδρῶν, ἐλαφρότερον τε νόημα:
——animus
Audax est in florente iuuene, & mens leuior.
Sed nihil tamen muto.

2. RIGIDA.] Quo sensu accepi, possis Valerium lib. 3. Arg. *rigido transcurrens demetit ense.*

Rigidum, de hasta. 3. EMINVS.] Notandus locus. Nam cùm *eminùs* sit, quasi è manu, hîc tamen non hasta mittitur, tantùm fit ictus ea retenta, & pugnatur cominùs. Itaque
Eminùs. huc traho versum Ennij in Hectoris Lytris
Quem mea cominùs machæra, atque hasta hostiuit è manu.
Vbi *è manu* est, pro eminùs, & tamen cominùs dici-
E manu. tur pugnatum. Ergo in Virgilio *ferit eminùs* est, ferit è manu. Aut si velis, accipe aliter. Quia longa est
Oppositio. hasta, ideo *eminùs*, cum oppositione ad pugnam, quæ fit gladiis, quibus dicimur pugnare cominùs, quia hi breuiores. Itaque eminùs pugnabitur, etiamsi non hasta mittatur è manu, cum respectu ad maius spatium, quod est inter certatores. Dices, nónne hasta semper ad iactum? Non, Lector, in promptu est Strabo lib. 10. cuius hæc sunt. διττὴ γὰρ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ ὡς παλτοῖς. καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι, καὶ γὰρ συσταδὴν χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες: *Duplex est hastarum vsus, vnus è manu, alter in manu: veluti & contus vtrunque præstat*
Hastarum duplex vsus. *vsum, nam & collato gradu, & emisso vtimur conto.* Vide & sequentem Notam.

4. HASTA SVB MENTVM GRAVITER PRESSA.] Par omnino locus 17. Iliad. vbi Menelaus Euphorbum occidens,
——κατὰ στομάχοιο θέμεθλα
Locorum similitudo. Νύξ᾽, ἐπὶ δ᾽ αὐτὸς ἔρεισε, βαρείῃ χειρὶ πιθήσας:
——in gulæ imas partes
Vulnerauit, nixúsque est valida manu fretus.
Quasi manu vrgeret, & premeret, ac perforaret. Et Stat. 2. Theb. dixit, *nitentem hastam*, vt qua fieret nixus. Versus est, *à iugulo nitentem sustinet hastam.* Lucanus lib. 4. *Et iugulis pressêre manum.* Stat. 11. Theb. *altè ensem germani in corpore pressit.* Itaque non semper hasta mittebatur; sed, ea retenta, fiebat & ictus, & nixus. Hoc volunt versus Homeri, & primus locus Statij. Neque aliud est illud Plutarchi in vita Pompeij, παίσας ἐκ χειρὸς δόρατι: *percutiens hasta cominùs.* Vbi ἐκ χειρὸς notat retentam hastam, non iaculatam. Clara hæc adeunti Plutarchum.

5. LOQVENTIS VOCEM ANIMAMQVE RAPIT.]
Vox vnà & anima rapitur. Quasi in media voce, & clamore vitam eripuerit; quem affectum in Dolone interfecto à Diomede habet Homer. 10. Iliad.
Φθεγγομένου δ᾽ ἄρα τοῦ γε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη:
Imitatio. *Huius autem loquentis caput in pulueribus mistum est.*
Inde illud lib. 9. *clamantis sistit in ore.* Adi & Stat. 2. Theb.
Dum clamat, subit ære cauo Theumesia cornus,
Nec prohibent fauces, atque illi, voce repleta,
Intercepta natat prærupto in sanguine lingua.
Præclarè Hesiod. in Scuto mortem vocat λαθιφθόγγον, quòd vocem adimat. Quòd si hoc semper, certè in bellis, præcipuè apud Calab. lib. 11. σίδηρον δ᾽ ἅμα στόμα χειλέος γλῶσσαν ἔτ᾽ αὐδήεσσαν: *ferrum per os transfixit loquentem adhuc linguam.* Stat. 10. Theb. *penitus ceruice recisa verba solo vultúsque cadunt.* Valer. lib. 3. Arg. *vltima frustra verba ciens.*

6. RAPIT.] Velim scire studiosum linguæ Græ-
Rapio cui voci Græcorum respondeat. cæ, hoc verbum non tam respondere τῷ ἁρπάζειν, quàm τῷ φέρεσθαι. Itaque quoties incitatione nostra est opus, *rapi* dicimur Latinè, Græcè φέρεσθαι: sic impetus fluuiorum φορὰς dicimus. Et signatè Virg. *ferimurque procella* id est, φερόμεθα potius, quàm ἁρπαζόμεθα. Nazianz. 1. Carm. dixit, ὑετοῦ λάβρου φορᾷ, ad signandam ingentem & rapidam vim imbrium. Homer. 13. Iliad. ὠκέες φέρον ἵπποι. vbi languidè reddetur, *agiles ferebant equi*; potius, *rapiebant*, scilicet Neptunum, cuius equi volabant.

7. TRAIECTO GVTTVRE.] Hector apud Ho- Guttur traiectum.
mer. 22. Iliad. cadit traiectus διὰ ἀσφάραγον: *per guttur.* Aut, vt Calab. concipit lib. 1. loquens de eodem Hectore, δι᾽ ἀνθερεῶνος: *sub mentum.* Idem lib. 11. πεπαρμένος ἔγχεϊ μακρῷ λαιμὸν: *transfixus guttur longa hasta.* & lib. 10. βαλὼν κατὰ λαιμόν. In 7. etiam Æneid. audis, *hæsit enim sub gutture vulnus.* adi hunc locum. Valer. lib. 3. Arg. *iugulo vulnus molitur aperto.* Philostrat. lib. 2. Icon. προσβέβληται δ᾽ ὁ μὲν κατὰ τοῦ λαιμοῦ, καὶ δι᾽ ἁπαλῆς γε τῆς φάρυγγος ἐκδεδράμηκεν ὀϊστός: *percussus est in gutture, ac per teneras fauces sagitta excurrit.*

8. FRONTE FERIT TERRAM.] Ita Homer. Fronte terram ferire.
Odyss. 22. (Vrsinus enim & malè citat & peius sensit) ὁ δὲ χθόνα τύπτε μετώπῳ: *hic autem terram verberauit fronte.* & iterum,
Δούπησεν δὲ πεσών, χθόνα δ᾽ ἤλασε παντὶ μετώπῳ·
Sonuit cadens, & terram percussit fronte.

9. TRES.] Lege Agellium lib. 13. cap. 18.

10. EXPELLERE TENDVNT, &c.] Expressus Homeri locus ex 12. Iliad. vbi neque Lycij possunt Imitatio.
Græcos peruincere, neque Lycios Græci. Græca Virsinus habet. Abstineo. & tu vide longissimam pugnam eiusdem Vatis 17. Iliad. ad corpus Patrocli, vbi neutri cedunt Græci, & Troiani, sed diu stant in eodem gradu & compressu. Et quæ Poëta addit, *Nunc hi, nunc illi*, imitatur Stat. 8. Theb.
——*nunc turba recedit,* Locorum
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit, & aufert. similitudo.

11. CERTATVR LIMINE IN IPSO.] Agnosce pugnam similem in Iosepho lib. 7. Bell. Iud. cap. 2. Pugna in
συρρήγνυται δὲ περὶ τὰς εἰσόδους μάχη καρτερὰ, τῶν μὲν καταλαβέσθαι καὶ τὸ ἱερὸν εἰσβιαζομένων, τῶν δὲ Ἰουδαίων ἐξωθούντων αὐτούς: *Committitur pugna acris in ipso ingressu, his* ipso aditu.
quidem templum vi occupare certantibus, Iudæis verò illos repellentibus.

12. MAGNO DISCORDES ÆTHERE VENTI.]
Omitto duo loca Statij è secundo, & octauo lib. Venti dis-
Theb. quæ iam Collector, & locum Ennij, quem cordes.
tantùm citat, atque Homeri è lib. 9. Iliad. & addo à me alia, in quæ ipse incidi. Ergo Homer. lib. 16. Iliad.
Ὡς δ᾽ εὖρός τε, νότος τ᾽ ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν
Οὔρεος ἐν βήσσῃς βαθέην πελεμιζέμεν ὕλην:
Sicut autem Eurúsque, Notúsque certant inter se
Montis in conuallibus altam concutere syluam.
Et postea addit,
Ὣς Τρῶες, καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι θορόντες
Δῄουν, οὐδ᾽ ἕτεροι μνώοντ᾽ ὀλοοῖο φόβοιο:
Sic Troiani & Achiui inter se prosilientes
Pugnabant hostiliter, neque meminerant perniciosæ fugæ.
Nonnus lib. 32. pari comparatione exprimit furorem belli,
ἔπλεος ἀντιπόροις βακχεύετο πόντος ἀήταις:
Furebat innauigabilis pontus procellis contrariis.
Calab. etiam lib. 2. Æthiopas, & Græcos ita comparat, ἐφορμηθέντων: *vt cùm sibi nubes concurrunt.* Stat.
5. Theb. signatissimè ad Virg. Locorum
Sic vbi diuersis maria euertêre procellis similitudo.
Hinc Boreas, Eurúsque, illinc niger imbribus Auster.
Signatissimè (inquam) nam *diuersæ procellæ* Statij, est id quod in Poëta præcessit, *Nunc hi, nunc illi.* Audi Musam Valerij 3. Arg.

——cen

——contextis vmbonibus vrgent,
Cæruleo veluti cùm Iuppiter agmine nubem
Constituit, certant Zephyri, frustráque rigentem
Pulsat vtrinque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat aruis.

Sic diu pendet bellum inter Troianos, & Rutulos, vt nubes, quam nondum Zephyrus, nondum Notus propellunt, nam æquæ vires vtrique vento. Ioannes Chrysostomus in Oratione Ignatij Martyris in summa tempestate inducit, si non ventos, certè ipsos epibatarum animos dissentientes: μαχομένων (inquit) τῶ πλόγυος, δ'ίστασμένων τῶν κυμάτων, αὐτῶν τῶν ἔνδον ἐπιβατῶν στασιαζόντων.

Prælia tollere. 13. PRÆLIA CEV TOLLVNT.] Æschylum αἴρειν πόλεμον, dicere Germ. notat.

Locorum similitudo. 14. NON MARE CEDIT.] Inuenio locum similem Homeri 14. Iliad. vbi cùm præmiserit nigricantem, & horrentem vndam, subiicit,

——οὐδ' ἄρα τι προκυλίνδεται οὐδετέρωσε:
——*neque sanè prouoluitur in vtram partem.*

Val. 2. Arg. dixit,

Tollat se nubes, atque æquore pendeat atro.

Pendens & incertu malum. Lucanus lib. 5. eodem sensu dixit, *dubius pontus*, videlicet inter Zephyrum, & Eurum. Infrà iterum,

Et dubium pendet, vento cui pateat, æquor.

Et Ouid. 8. Metamorphos. de naue contrariis malis agitata,

Vim geminam sentit, parétque incerta duobus.

Pugna anceps. 15. ANCEPS PVGNA.] Has voculas μάχην ἰσοπαλῆ, ἰσορροπῆ, ἰσορροπον, ἀλλοπρόσαλλον, alij obseruarunt. Exemplum verò huius pugnæ habes in Homero 15. Iliad. vbi neque Græci possunt Troianos ἀπώσασθαι νεῶν *repellere à nauibus*: neque Troiani satis sunt Græcorum rumpendis phalangibus, φάλαγγας ῥῆξαι. Mox adiicit comparationem regulæ dirigentis in manu artificis ligna ad fabricam, sic inquit ille, ἐπὶ ἶσα μάχη τέτατο, πτόλεμός τε: *pugna & bellum æqualiter porrigebatur.* Est hoc Ouidianum illud 8. Metam. *Et pendebat adhuc belli fortuna.* Calaber etiam libro 2. dixit, δῆριν ἴσην: *æquam pugnam.* Propertius Elegia 27. lib. 2.

Cùm Mauors dubias miscet vtrinque manus.

Hanc parem pugnam ἰσάζουσαν κίνδυνον vocat Polyb. libro tertio. & ab Eurip. in Supplicib. dicitur ἀγὼν ἰσόρροπος.

Obnixum. 16. STANT OBNIXA, &c.] Liuius lib. 8. *in suo quisque gradu obnixi, vrgentes scutis.*

17. HÆRET PEDE PES, DENSVSQVE VIRO VIR.] Nolo tumescant meæ Notæ alieno labore. Itaque tibi relinquo integra quæ sunt in Pontano, & sunt multa collecta ab Seruio, Macrobio, Donato, Germano, Vrsino, Columna, Erasmo, quamuis hunc taceat, nam locum Curtij huic debet Chil. 4. Cent. 5. capite 39. Habe à me sequentia. Ammian. lib. 16. *Dextræ dexteris ingerebantur, & vmbo trudebat vmbonem.* Liu. lib. 28. *densatis scutis* dixit. Thucydid. lib. 4. ἀσπίδων ὠθισμόν. Demosth. 1. Philipp. καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται: *Is enim qui illorum ictus est, ictui semper inhæret.* Hom. 16. Iliad.

Locorum similitudo.

ὡς ἄραρον κόρυθές τε, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι:
Sic densatæ erant galeæ, & vmbilicata scuta.

& lib. 17. de eadem re, νωλεμὲς ἐγχείμψαντο: *perpetim sibi hærebant.* Sic & 8. Iliad. ἔπληντ' ἀλλήλῃσι. & ibidem ait, σὺν ῥ' ἔβαλον ῥινούς, σὺν δ' ἔγχεα. vbi committuntur scuta scutis, hastæ hastis. & 17. σάκεσσι γὰρ ἔρχατο πάντῃ: *erant vndique obsepti scutis.* Cal. lib. 10. ait ita confertos hostes, vt cadauera cadaueribus incumberent, νεκροὶ δ' ἐπέκειντο νέκυσσι. & lib. 12. στείνοντο: *angustiis premebantur.* Plutarch. in Pyrrho ait ita confertam fuisse aciem, vt non esse multa corpora viderentur in bello, sed ἓν σῶμα συγκεκροτημένον ἑαυτῷ: *vnum corpus in se compactum.* Eurip. in Heraclid. ποὺς ἐπαλλαχθεὶς ποδί. Quod Liuius ad verbum reddidit lib. 28. *pes cum pede collatus.* Sen. in Theb.

Acies confertissima.

——*signa collatis micant*
Vicina signis, clamor hostilis fremit,
Scelus in propinquo est.

Nonnus lib. 22. Dionys. æmulans Homerum,

ἀσπὶς ἔην προθέλυμνος ἀμοιβάδις ἀσπίδι γείτων
στειωμένη, καὶ ἔνιζε λόφῳ λόφος. ἀγχιφανὴς δὲ
ἀνδρὸς ἀνὴρ ἐψαυσε:——
Scutum erat frequens, & alterno vicinum scuto
Addensatum, crista cristæ adludebat, & proximè
Vir virum contingebat.——

Huc allusum à Claud Bell. Get. *raucósque repulsus vmbonum.* & Stat. 2. Theb.

——*impediunt numero, seséque vicissim*
Arma premunt.——

18. DENSVSQVE VIRO VIR.] Homerus 16. Iliad.

ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ:
Clypeus clypeum fulciebat, galea galeam, vir virum.

Misceo, de bello. Sunt qui legant, *mistusq; viro vir.* Hanc lectionem si sequaris, ab ea non est aliena Nota hæc Gent. Heru. in Collect. Clement. Illud Isaiæ 36. & νῦν μίχθητε δὴ τῷ κυρίῳ μου βασιλεῖ τῶν Ἀσσυρίων. ita legunt LXX. Id est, *Et nunc commiscemini Domino meo Regi Assyriorum.* Hoc (inquã) ita explicat Procop. μίχθητε, τουτέστι, στῆτε πρὸς μάχην: *Misceamini, hoc est, stetis ad pugnam.* Sic ergo Virgil. (ait Heruet.) dixit, *mistusq; viro vir.* Et quidem Hom. aliquoties in re belli infert μίγνυμι, vt 8. Iliad. de Diomede, προμάχοισιν ἐμίχθη, *mistus est propugnatoribus.* & 14. μιγήμεναι ἐν δαΐ, *misceri in pugna.* & Iliad. 15. μιγήμεναι ἐν δαΐ λυγρῇ. Lucan. lib. 4. *miscendi copia Martis.* De Vlysse 4. Iliad. προμάχοισι μιγείς.

Viro vir. 19. VIRO VIR.] Hoc modulo Hom. 16. κακὸν κακῷ ἐστήρικτο: *malum malo firmabatur.* Ibidem, ἀνὴρ ἕλεν ἄνδρα: *vir virum interficiebat.*

ᵃ At parte ex alia, qua saxa rotantia latè
Intulerat torrens, arbustáque diruta ripis,
Arcadas insuetos acies inferre pedestres
Vt vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
(Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos) vnum quod rebus restat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem incendit amaris.
ᵇ Quo fugitis socij? per vos & fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, deuictáque bella,

Spémque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hostes
Est via, qua globus ille virûm densissimus vrget:
Hac vos, & Pallanta ducem patria alta reposcit.
[c] Numina nulla premunt, mortali vrgemur ab hoste
Mortales, totidem nobis animæq; manúsque.
[d] Ecce maris magno claudit nos obice pontus,
Deest iam terra fugæ: pelago Troiámne petemus?

ARGVMENTVM.

Pallas suos Arcadas à fuga continet insuetos pedestri prælio.

EXPLICATIO.

[a] QVÆRIT iam occasionem Poëta ad narranda præclara Pallantis facta, qui in hoc opere tragico sustinet personam Patrocli, citissimè obiturus, vt ille. Sed iam ad sententiam. Pugnabant Arcades in parte quapiam littoris, in quam fortasse torrens intulerat, vt solet fieri, & saxa plurima, & trūcos arborum ripis dirutos aquarum vi. Cùm verò illi neque equos agere in locis impeditis possent, neque assueti essent pedestri prælio, cœperunt fugere, quod vnicum in aduersis remedium. Ergo eos Pallas cœpit iam precibus rogare, iam iurgiis increpare.

[b] Proponit primò ante oculos peccatum, videlicet *fugam*, & interrogando, quo vis maior, & *socios* appellat. Quasi dicat: Itáne, qui socij estis, desertores siris? quod grauius crimen? Procedo. Dixerat, egisse cum illis iam precariò, iam amarulenter ad euitandum crimen fugæ. Ergo primo loco sunt preces. *Per vos, per patrem, per me.* Quid potuit in precibus efficacius? Per vos, quorum sunt *facta fortia.* Per patrem, in cuius comitatu vobis sunt plurima *bella deuicta.* Per me, cuius *spem* videtis iam *æmulam paternæ laudis.* Quid verò tam anxiè petit? *Fidite ne pedibus.* Imò, hostem rumpite, qua densissimus globus, nam hac parte reduces patria nos vult. Ac si dicat: Vult patria vos & me accipere, si ad eam reuertamur per cædes hostium, non turpi fuga. Nam reditus ab fuga abominandus, ab cædibus laudandus.

[c] Sequitur pars altera orationis, quæ tota obiurgabunda. Cū nulla nos premant Numina, cùm tantùm nos vrgeat hostis mortalis, cùm nobis totidem, quot illis, animæ & manus, cur fugimus? His proculdubio pudore illos suffundit, quod genus obiurgationis acre.

[d] Adhibet extremo loco impossibilitatem fugæ, quo maiore pudore afficiat. Ergo nec mari fugere, nec terra potestis. Non mari, quia ingens est eius magnitudo, quam non pedibus transibitis: deest terra fugæ, nam hanc hostes occupant. Obiicitis. Eamus Troiam, id est, ad castra Troiana, vbi Ascanius. Diluit. Neque hoc possumus, nam quî *pelago?* Subeat, Lector, hanc vrbem conditam ab Ænea in ipso maris littore lib. 7. verba Poëtæ,

——— *primásque in littore sedes*
Castrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.

Cùm ergo Arcades descensum fecissent in ea parte, A vnde adire vrbē, nisi pelago, nō possēt, ait Pallas aditum intercludi. Sic mihi visum de hoc loco Poëtæ. Si verò rem agerem iure meo, adimerem hoc hemistichium. Nam neque lectio altera, quæ profertur, *Deest iam terra, fuga pelagus*; placet, ne recurrat Vates, quod vitium est maximum.

NOTÆ.

1. ROTANTIA.] Id est, rotata; vt, *voluentia plaustra*, pro, voluta. Alibi explicui; est enim mira turbatio apud Græcos in participiis, ex quorum more Latini; & Lucret. lib. 1. — Rotans, pro rotatum. — Participia mirè turbata.

B ——— *vortice toto*
Corripiunt raptique rotantia turbine portant.

Audi & Hom. imitationem (debes Germano) Iliad. 13. vbi cùm præcesserit mentio lapidis, ita pergit, — Imitatio.

Ὅστε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ,
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης:
Quem à summo montis fluuius torrens impulerit,
Abruptis immenso imbre aspera retinaculis terra.

2. TORRENS.] Tunc siccus, ideo *impulerat*, vt qui tunc non impelleret. Et torrens quidem est, qui in æstate siccus, fluuij perennes sunt. Et hoc vnicum discrimen. Plinius lib. 5. cap. 28. *Amnis Indus in Cybiratarum iugis ortus recipit LX. perennes fluuios, torrentes verò amplius centum.* Sic etiam opponit Sen. epist. 40. *perennis sit vnda, non torrens.* — Torrēs qui. — Oppositio.

C 3. ARBVSTA.] Ne referas ad vites arbustiuas, quamuis nobile hoc significatum; sed ad truncos arborum, verè ad arbores erutas vi aquarum. Nam hæc quoque significatio certa. Manilius libro quinto, — Arbustum, quid.

Vt noua per montésque ruunt arbusta capellæ.

Plin. lib. 6. cap. 27. *Non palmetis modo, verùm & olea, pomísque, aliísque arbustis nobilis.* Adscribe hanc Notam Albert. Gent. c. 10. Lect. Virg.

4. ACIES INFERRE.] Verbum militare. Cæsar 2. Gall. *signa inferre, & manipulos laxare iussit.* Liu. lib. 6. de Camillo: *signiferum secum arreptum in hostes rapit, infer miles, clamitans, signum.* — Infero, verbū militare.

5. DARE TERGA.] Ita & Græci. Nam Plutarch. εἰς ἀποστροφ. πολ. dixit, δοῦναι τὰ νῶτα. Valer. lib. 3. *continuò dant terga metu.* — Dare terga.

D 6. ASPERA QVEIS NATVRA LOCI, &c.] Mihi non dubium, quin ista ducta sint ab Hom. Iliad. 12. & miror locum ita clarum effugisse superiores interpretes. Ibi ait Polydamas, — Imitatio.

Ἀφραδέως διὰ τάφρον ἐλαύνομεν ὠκέας ἵππους:
Imprudenter per fossam impellimus veloces equos.

Et reddit rationem, quia fossa ἀργαλέη περάαν: *difficilis est transitu.* vt in qua sint σκόλοπες, id est, *pali.* ac proptereà ἔνθ᾽ οὔ πως ἔστιν μάχεσθαι ἱππεῦσι: *ibi nullo modo licet pugnare equitib.* Inde demū ventū ad consiliū hoc,

ὧπας:

Ἵππους μὲν θεράποντες ἐρυκόντων ἐπὶ τάφρῳ,
Αὐτοὶ δὲ πρυλέες σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
Ἕκτορι πάντες ἑπώμεθ' ἀολλέες:——
Equos quidem famuli contineant ad vallum,
Ipsi nos pedites cum armis armati
Hectorem omnes sequamur conferti.——

Sarmatæ ignaui pedestri pugna. De Sarmatis ait Tacit. *nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum*; quia videlicet assueti equis, quæ quidem ignauia & Arcadibus contigit; nam semper assueti equis, sicut & de Parthis lib. 6. Annal. *illis sola in equite vis*. Apud Persas rarum fuisse vsum equorum propter asperitatem & montes, liquidum ex Xenophonte. Loca inequitabilia ἄφιππα vocat Plutarch. & χαλεπὰ χωρία in vita Pomp. (Inequitabilis locus.)

Salus sæpe in fuga. 7. VNVM QVOD REBVS RESTAT EGENIS.] Nam in fuga sæpe salus. Valerius lib. 3. Arg. *Diffugiunt, quæ sola salus.*

8. NVNC PRECE, NVNC DICTIS VIRTVTEM INCENDIT AMARIS.] Illustro hanc sententiam ab Hom. qui de vtroque Aiace Iliad. 12.

ἄλλον μειλιχίοις, ἄλλον στερεοῖς ἐπέεσσι
Νείκεον:——
Alium blandis, alium duris verbis
Increpabant.——

Homeri vitium. Malè νείκεον, nam tantùm duris conuenit, non blandis. Virg. certè commune verbum elegit *incendit*. Potest quidem quispiam incendi & prece, & obiurgatione. Simile vitium noto lib. 14. Iliad. eo versu,

Ἤτοι ὁ μὲν Τρώεσσιν, ὁ δ' Ἀργείοισιν ἀρήγων:
Hic quidem Troianis, ille autem Achiuis auxilians.

Pessimè, nam sermo est de Hectore, & Neptuno. Et verbum ἀρήγων, vt conuenit Neptuno, qui Græcis auxiliabatur, ita repugnat Hectori, qui non in auxiliis, sed verus gentis suæ dux. Cautior fuit idem Homer. 4. Iliad. vbi diuisit verba, videlicet θαρσύνεσκε, ad strenuos, νεικείεσκε, ad ignauos. Idem fortasse vitium 17. Iliad.

Πολλὰ δὲ μειλιχίοισι προσηύδα, πολλὰ δ' ἀρειῇ:
Sæpe blandis allocutus est, sæpe & minis.

Nam προσηύδα, vt μειλιχίοισι conuenit, non ita bene ἀρειῇ. Redeo. Ab Nonno lib. 29. vbi de duce Indorum,

Locorum similitudo. Prece & minis.

ἄλλον ἀνεὶς μειλιχίῳ μύθῳ, ἄλλον ἀπειλῇ:
Alium mansuetudine reuocans, alium minis.

Ab Iosepho, qui lib. 1. Bell. cap. 8. ἀπειλητὴς ἅμα. καὶ σύμβουλος ὢν ἑκάστοις: *Erga singulos interminator simul, & consiliator.* In eodem lib. cap. 13. τοὺς μὲν παρακαλῶν, τοὺς δὲ ἀπειλούμενος. Ab Statio, qui 2. Theb. *iustis miscens tamen aspera cœpit.* Petron. Sat. *Postquam precibus iracundiam miscui.* Ab Liuio, qui de Annibale lib. 21. *Variè militum versat animos, castigando, adhortandóque.* Ab Prudent. qui in Psychom.

Instimulans animos nunc probris, nunc prece mista.

Ab Ouidio, qui secundo Metamorphos. *precibúsque minas regaliter addit.* De vero Deo dixit Cyrill. Commentar. in Micheam numero 35. καὶ πᾶν εἶδος εἰσηγήσατο, καὶ ἀπειλῆς εἰς μέρος: *Quærit omne genus admonitionis, comminationisque.* Suprà in hoc lib. *Admonet, immiscetque preces.* Nam *admoneo* de verborum acerbitate dici, ibi explicui.

9. QVO FVGITIS SOCII, &c.] Homerus decimosexto Iliados Πόσε φεύγετ'; Alibi. Πῇ φεύγεις; Comparat hanc orationem Iulius Scaliger cum multis Homericis. Lege. Addo à me verba Fabij apud Liuium libro secundo. *Hoc iurastis milites? fugientes vos in castra redituros?* &c. Prudentium, qui Psychom.

Locorum similitudo.

Quò ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem

A *Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis?*

Vbi sermo est de fuga virtutis ad vitium. Silium, apud quem Scipio lib. 4.

At Consul toto palantes æquore turmas
Voce tenet, dum voce viget. Quò signa refertis?
Quis vos heu vobis pauor abstulit? horrida prima
Si sors visa loci, pugnæque lacessere frontem
Post me state viri.——

Et post pauca;

Quos fugitis? quæ spes victis? Alpésne petemus?

Volo autem audias initio orationis diligentiam Iul. Scaligeri lib. 3. cap. 71. expendentis illustres versus ex Rhetorica argumentatione, hunc in modum. Conclusio est, non fugiendum, ideo *Fidite ne pedibus.* Maior propositio. Nullus vir generosus fugit, ideo *rumpenda per hostes est via.* Minor, vos generosi estis, idcirco *per vos, & fortia facta.* Probatio maioris, *mortali vrgemur ab hoste*, quasi dicat; rumpenda est per hostes via, cùm illi mortales sint, vt nos, non Dij. Probatio minoris, *vos patria alta reposcit*; quia vos sui amore vocat, quod non faceret, nisi vestris factis esset nobilis. Ita Scal. cui addidi aliquid explicationis gratiâ. (Syllogismus Virgilianus. — B)

10. PER VOS, ET FORTIA FACTA.] Magnus stimulus, si cuique proponas, quod olim egregiè fecerit. Ideo postea, *deuictáque bella.* Marcellus apud Liuium libro vigesimoseptimo. *Qui pauor hic? qui terror? quæ repentè, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos inuasit? Nempe iidem sunt hi hostes, quos vincendo, & victos sequendo priorem æstatem absumpsistis.* Titus apud Iosephum libro septimo Bell. capite primo Romanos hortatur, quòd turpe esset desides esse homines τῆς γῆς ὀλίγου ἁπάσης, καὶ θαλάσσης κρατοῦντας: *victores vniuersæ terræ, & maris.* Annibal apud Polyb. lib. 3. ait turpem esse fugam in his, qui essent memores pugnarum, quas in itinere iam pugnauissent; μεμνημένους τοῦ πλήθους τῶν μεταξὺ πολέμων. Idem Annibal apud eundem, adhortans suos ante Cannensem pugnam ita ait: ὅτι δὲ καὶ τὸ συνεχὲς τρισὶ μάχαις τηλικαύταις ἐξ ὁμολόγου νενικήκατε Ῥωμαίους, ποῖος ἂν ἔτι λόγος ὑμῖν ἰσχυρότερον παρασκευάσαι θάρσος αὐτῶν τῶν ἔργων; *Nunc, cum tribus continuis præliis, tantis præsertim, & quidem ex compacto fumptis, Romanos viceritis, quæ vis dicendi plus valere queat ad animos vobis faciendos, quàm res ipsa, quas gessistis?* Est hoc, quod in Aristide ait Plutarchus; βέλτιον γὰρ ἀγωνιεῖσθαι, τῆς δὲ μάχης ἐμπείρους γεγονότας, καὶ τῷ προνενικηκέναι θαρροῦντας: *meliùs dimicaturos pugnare iam doctos, & pristinis subnixos victoriis.* Sic etiam apud eundem Plutar. Quintius elegit milites, qui iam pugnauerant contra Annibalem. (Facta cuiusque esse debent stimulus. — C — D)

11. PER DVCIS EVANDRI NOMEN.] Aptè victoris patris nomen inducit ad commouendos milites. Apud Curtium libro tertio sub ipsum belli discrimen: *Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater inuocabatur*, videlicet à Macedonibus. (Locorum similitudo.)

12. FIDITE NE PEDIBVS.] Iustinus dixit de exercitu Alexandri libro vndecimo: *Nemo in prælio fugam, sed victoriam cogitauit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit.* Debes Iustinum Pontano, & mihi Calabrum libro vndecimo, qui *spem* etiam de pedibus dixit, à quo proculdubio Virgilius; κείνοις γὰρ ἔτ' ἀνὰ ποσὶν ἔπλετο νόστου ἐλπωρή: *erat illis spes reditus in pedibus.* (Pedibus non fidendum in bello. — E — Imitatio.)

13. FERRO RVMPENDA PER HOSTES EST VIA.] Liu. libro quarto: *Ferro via facienda est.* Et in Cannensi prælio, *ferro, atque audacia iter fit, quamuis per confertos hostes.* Et libro vigesimosecundo: *Neque enim inde votis, aut imploratione Deûm; sed vi, ac virtute euadendum* (Ferro per hostes via.)

dum esse; per medias acies ferro viam fieri. Et lib. 9. ore A Dictatoris Romani: *Locus angustus milites deprehensi, nisi quam victoria patefecerimus viam nullam habemus.* Catilina apud Sallust. *Quocumque ire placet ferro iter aperiendum est.* Aiax apud Homer. 15. Iliad. ait nullum esse melius consilium, ἢ μῖξαι χεῖράς τε, μένος τε, *quàm manus, virtutémque miscere.* Claud. de Bell. Gild. *in solis longè fiducia telis.*

14. GLOBVS.] Ego hîc nihil in aliorum luce, qui fusè de hac voce. Homeri locum profero, apud quem 15. Iliad. Hector optat vastare hostes, ordines rumpere, præsertim, ᾗ δὴ πλεῖστον ὅμιλον ὁρᾷ: *qua videbat turbam confertam.* Agamemnon etiam 11. Iliad.

Conferta acies. vbi ῥῆξε φάλαγγας: *conferta phalanges*, τῇ ἐνόρουσε, *hac irruit.* Agnosco vocem Senecæ Rhet. Controuers. 8. B qui iuuenem facto globo irruentem, vocat *glomerarium.*

Glomeratius quis. Nescio enim, cur aliqui ita exhorrescant ad hanc vocem, vt mutent lectionem hærentem in libris, cùm possent ditare Latium hac supellectile. Tu vide Schottum Nostrum, qui verè literarum princeps.

15. HAC VOS, &c.] Cùm sententia sit, per cædes redeundum in patriam, quadrant in hunc locum verba Alexandri apud Curtium lib. 4. *Tot terrarum spatia emensis, tot amnibus, montibúsque post tergum obiectis iter in patriam & Penates manu esse faciendũ.*

Manu iter faciendum. 16. NVMINA NVLLA PREMVNT.] Nescio an satis expenderis. Hoc hemistichio allusit ad infinita Homeri loca, qui pauorem militum sæpissimè

Imitatio tacita. attribuit aduersanti Numini. Sic Iliad. 14. Agamemnon deliberat de fuga in Græciam. Cuius ratio, quia Iuppiter Troianos κυδαίνει, *honorat* bello bene gesto: ἡμέτερον δὲ μένος, καὶ χεῖρας ἔδησεν, *nostram verò virtutem, & manus ligauit.* & Iliad. 8. Nestor hortatur Diomedem, vt fugiat, & ratio est,

> Ἢ οὐ γιγνώσκεις, ὅτι τοι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή;
> *An non cognoscis, quòd à Ioue non sequitur virtus?*

Hæc & plura alia, quæ omitto, nihil est aliud, quàm premi à Diis. Et nota prudentiam Virgilij, Pallantem facit colentem Numina etiam in summo ardore. Alius nihil cogitans diceret, pugnate etiamsi contra Numina. Hanc certè incogitantiam alicubi dat Virgilius Turno, quia videlicet non pium facit; non Pallanti, quem pium lib. 8. induxerat. Arrogantissimè dixit Lucanus, D

> *Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.*

Cato oppositus Diis vniuersis. opponens vnum Catonem toti cœlo. Par arrogantia apud Homerum lib. 14. Iliad. vbi Hectorem ex æquo opponit Neptuno.

17. MORTALI VRGEMVR AB HOSTE.] Adlubescit illud Homeri 16. Iliad. vbi Meriones cùm dicat Æneæ, non illum satis esse contra omnem vim, addit pro ratione, θνητὸς δέ νυ καὶ σὺ τέτυξαι, *mortalis certè & tu factus es.* Adduco locum Homeri non dissidentem ex Iliad. 13.

Locorum similitudo.

> ——ὅτι μὴ αὐτός γε Κρονίων
> Ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσιν,
> Ἀνδρὶ δέ κ' οὐκ εἴξειε μέγας Τελαμώνιος Αἴας,
> Ὃς θνητός τ' εἴη, καὶ ἔδοι Δημήτερος ἀκτήν:
> ——*modo non ipse Saturnius*
> *Iniiciat ardentem ignem in naues veloces,*
> *Viro certè non cesserit magnus Telamonius Aiax,*
> *Qui mortalis sit, & edat Cereris munus.*

Non dissidet locus Nonni lib. 20. vbi Iris concitans Lycurgum contra Bacchum eodem vtitur argumento, videlicet Bacchum mortalem esse, & falsam esse famam eius diuinitatis,

> Θνητὸς ὅδ' ἀρτιτόκων οὐκ ἔστιν ἀπ' ἀστέρος, οὐδ' ἀπὸ φύτλης
> Οὐρανίης βλάστησε. Διὸς δέ μιν ἔκλαδι φήμη

Ἔμμεναι ἔπλασε μῦθος:——

> *Mortalis vir suus hic aui breuis, non à genere*
> *Cœlesti germinauit. Iouis verò ipsum in Græcia fama*
> *Esse finxit, vere fabula.*——

Nota & in hac oratione genus ratiocinationis pulcherrimæ, cùm res prolata statim diluitur. An premunt nos Numina? atqui hostes sunt mortales. Vultis fugisse per mare? sed obstat eius magnitudo. Vultis per terram? atqui deest illa nobis, & hostes occupant. Vultis ad Troiam? sed per pelagus. Illustro hoc vnico tantùm Iosepho, apud quem Titus cap. 13. lib. 7. Bell. Iud. ita cum Iudæis obstinatissimis ratiocinatur. *Freti estis multitudine vestra? atqui pauci Romani vobis restiterunt. Auxiliatorũ fide? nulla auxilia vobis harebũt nobis relictis. Virib. corporũ? atqui nobis seruiũt Germani, qui fortissimi. Firmitate murorum? sed nullus maior murus Oceano, quo septi Britanni adorant Romana arma. Obstinatione & astutia vestrorum ducum? atqui vos scitis victos fuisse Carthaginienses.* Græca nolui, quia ad maiorem claritatem aliqua immutaui, sententiam retinui. Ratiocinatio Virgiliana.

18. TOTIDEM NOBIS ANIMÆQVE, MANVSQVE.] Homerus 23. Iliad. ἀτὰρ δέ τι χεῖρες ἔασι καὶ ἡμῖν: *sunt & nobis ad vltionem manus.* Vicinius illud lib. 3. Græcor. Epigram. vbi Lacedæmonij ita loquuntur, Manus nobis totidem.

> Τοῖς Ἀργείοις γ' ἡμῖν ἴσαι χεῖρες, ἴσα δὲ τεύχη:
> *Argiuis & nobis pares manus, paria arma.*

C Hippodamia Troiana femina apud Calabrum libro primo alias feminas ad pugnam exhortans, ita ait:

> Ἀλλ' οἷον κείνοισι πέλει μένος, ἔστι καὶ ἡμῖν,
> Ἶσοι δ' ὀφθαλμοί, καὶ γούνατα, πάντα τε καὶ ὁμοῖα.
> Ξυνὸν δ' αὖ πάντεσσι φάος, καὶ νήχυτος ἀήρ.
> Φορβὴ δ' οὐχ ἑτέρη. Τί δ' ἔτ' ἀνδράσι λώϊον ἄλλο
> Θῆκε θεός; τῷ μήτι πεφύγωμεν δηϊοτῆτος:
> *Quale ipsis est robur, est etiam & nobis,*
> *Paresque oculi, & genua, & omnia similia,*
> *Lux etiam omnibus communis, & liquidus aër,*
> *Nec diuersum est nutrimentum. quid enim præstantius viris*
> *Deus dedit? quamobrem ne bellum timeamus.*

Lib. etiam 13. Iliad. ait Aiax ad Hectorem, si tibi est animus ad naues nostras deuastandas, χεῖρες ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἡμῖν: *& nobis sunt manus ad repellendum.* Huc pertinet illud 4. Iliad. ἐπεὶ οὔ σφι λίθος χρώς, οὐδὲ σίδηρος, quo Apollo Troianos acuit contra Græcos, dicens non esse illis corpus è lapide, aut ferro. & illud 11. Iliad. de Græcis, & Troianis, ἴσας δ' ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν: *æqualia capita habebant in pugna.* Fermè & hoc est argumentum, quo Iris vtitur apud Nonnum libro vigesimo, commouens Lycurgum ad pugnam contra lymphatas Bacchi ministras. Non (inquit) pugnant contra nos Amazones, non bellicosæ feminæ è Caucaso, sed molles feminæ, &c. Volui tantùm indicare, non dare locum longum. Libro etiam trigesimo locus est persimillimus, vbi Bacchus reprehenditur, quòd fugeret à bello hunc E in modum. Nunquid contra te monstra pugnant? videlicet Stheno, cui oculi lapidei? Medusa, cui serpentinæ comæ? dracones, quibus multiplices hiatus? Sed & 21. Iliad. locus est etiam persimillimus, vbi Agenor excitans se ad pugnam contra Achillem, hunc in modum ipse ratiocinatur,

> Καὶ γάρ θην τούτῳ τρωτὸς χρὼς ὀξέϊ χαλκῷ,
> Ἐν δὲ ἴα ψυχή, θνητὸν δέ ἑ φασ' ἄνθρωποι
> Ἔμμεναι:——
> *Etenim & huic vulnerabile est corpus acuto ære,*
> *Inestq; vna anima, mortalémque ipsum dicunt homines*
> *Esse.*——

Viderut

Videtur mihi verò Poëta locutus cum respectu ad fabulas. Pugnarunt Dij contra Gigantes, quibus Gigantibus manus plures. Non pugnant neque Dij in nos, ideò *mortali vrgemur ab hoste*: neque Gigantes, ideo *totidem nobis manus*. Potest etiam fieri allusio ad barbaros homines, quibus singulis sex manibus, ait Apollon. 1. Arg. ἓξ γὰρ ἑκάστῳ χεῖρες. non cum barbaris pugnamus, quibus multæ manus,

Barbaris manus sex.

19. ECCE MARIS MAGNO, &c.] Ab hoc argumento non abeunt verba Annibalis apud Liu. lib. 21. *Dextra, læuáque duo maria claudunt, nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus*, &c. & statim: *Hîc vobis vincendum, aut moriendum milites est.* Et lib. 22. similes angustias Romanorum narrat: *Ab lateribus montes, ac lacus, à fronte, & à tergo hostium acies claudebat. Apparuítque nullam, nisi in dextra, ferróque salutis spem esse.* Alexander apud Curtium libro quarto: *Peruenisse eò, vnde fugere non possent.* Calaber libro secundo: μέγα κάρτος ἀνάγκη ὀπάζει: *Quis enim neget necessitate ipsa robur addi?* Græci apud Hom. A decimoquinto Iliados ore Aiacis,

Locorum similitudo.

Πόντῳ κεκλιμένοι, ἑκὰς ἥμεθα πατρίδος αἴης,
Τῷ ἐν χερσὶ φόως, οὐ μειλιχίῃ πολέμοιο:
Mari circumdati longè sedemus à patria terra,
Quare in manibus salus, non in belli languore.

Imitatio.

20. MAGNO.] Seruius legit, *magna obice*; nàm antiqui, *hæc obex*. Aliquis possit putare allusum ad appellationem, qua mediterraneum dictum est *Magnum mare*, quia æuo illo nondum notus Oceanus. Sed quidem Oceanum dictum quoque *Mare magnum*, alibi indicaui prolatis testimoniis, & hîc adiicio Polybium, qui libro tertio clarè vocat μεγάλην θάλατταν. Vide editionem Causauboni pag. 191. ad exitum.

Mare Magnum.

21. CLAVDIT.] Claudianus de Bello Gildon. *Tyrrhena clauditur vnda.* & de Bello Getico, *obice ponti.* Est, *claudit nos pontus magno obice*, idem quod, diuidit nos magno obice, ait Iul. Scalig. lib. 4. Poët. cap. 16. Ita *interiectio* maris, ac terrarum omnibus scriptoribus.

Claudi mari.

[a] Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.
[b] Obuius huic primùm fatis adductus iniquis
Fit Lagus, hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit, hastámque receptat
Ossibus hærentem. [c] quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
[d] Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum; thalamos ausum incestare nouercæ.
[e] Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis
Daucia, Laridæ, Tymbérque simillima proles
Indiscreta suis, gratúsque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis,
Te decisa suum Laride dextera quærit,
Semianiméśque micant digiti, ferrúmque retractant.

ARGVMENTVM.

Pallantis preclara facinora. Conficit Lagum, Hisbonem, Helenum, Anchemolum, Laridas duos, videlicet Dauciam, & Tymbrem; variis omnes casibus.

EXPLICATIO.

[a] FIRMAT Pallas exemplo, quæ oratione dixerat, & quia monuerat *rumpendam vium*, ideo *prorumpit*: & quia in *globum densissimum*, ideo ipse in *hostes densos*

[b] Prima sors contigit Lago misero, ideo *fatis adductus iniquis*. In voce *obuius* est πάθος, quasi ipse miser mortem quæsisset. Sed quod mortis genus? Res tragica. Dum miser saxum vellit, quod terræ hære- B bat, & cui magnum pondus, hasta figitur. Res (inquam) tragica. Nam cùm arma quærit ad salutem, tum mortem inuenit. Et quia inclinato erat corpore ad saxum arripiendum, hasta spinam mediam traiecit, vbi costarum discrimina. Pallas statim hastam ad se recipit, imò *receptat*, quo verbo indicantur moræ in recipienda hasta, vtpote hærente firmiter in ossibus spinæ.

[c] Inclinauit se Pallas ad recipiendam, euellendámque hastam ex Lagi corpore, ac tum Hisbon potuisset, vt sperarat, occupare illum desuper, & interficere; sed furor nimius conatum impediuit. Itaque Pallas ruentem incautè in se gladio excepit, penetrato pulmone. Nota hîc esse duplicem C rationem. Est enim Hisbon incautus præ furore, & furit exacerbitate mortis Lagi sodalis. Ego admiror multa breuissimè dicta. Quot alij versus insumerent in describendo mortis genere, in Pallantis prouidentia, in Hisbonis præcipitantia, in præcipitantiæ huius rationibus? In voce *excipit* est πάθος: nam

nam verbum amoris hîc in morte. Bella videlicet exceptio. Et pulchrè pulmo dicitur *tumidus*, tum naturaliter, tum ex ira.

ᵈ Procedunt Pallantis gesta. Interficit Helenum, & Anchemolum. Nam quamuis tantùm *petit*; sed credibile necem secutam, tum quia *petitio*, leuis laus in tanto furore, tum quia statim, *vos etiam cecidistis*, quasi ceciderint etiam, qui præcesserunt. Historia Anchemoli, quam attingit, hæc est Seruiano filo texta. Fuit Rhœtus Rex Marrubiorum in Italia, mortua vxore, ex qua Anchemolum susceperat, duxit Casperiam: priuignus nouercam stuprauit, & iratum patrem fugiens se ad Turnum contulit, cui nunc reddit hospitalitatis gratiam, bello prosequens. Ideo verò *geme vetusta*, quia Rhœtus ferebatur originem ducere à Phorco marino Deo.

ᵉ Transit ad duos Lari filios, Dauciam & Tymbrem, quos ideo Laridas vocat. Erant hi *gemini*, id est, editi vno partu. Ita verò similes, vt discerni à suis non possent, qui error gratissimus erat parentibus. Sed hanc tantam formæ similitudinem Pallas discriminauit; nam Tymbri abstulit caput, Dauciæ (quem *Laridem* vocat) dexteram. Ne putes tamen Dauciam non obiisse, nam suprà, *cecidistis*: sed ante mortem passus hanc lanienam. Vide verò, an quicquam viuidius extremis versibus, vbi *decisa dextra quærit suum Laridem, digiti micant iam semianimes, & ferrum retractant.*

NOTÆ.

Exemplo incitandus miles.

1. DENSOS PRORVMPIT IN HOSTES.] Non sermone incitandus solùm miles, sed factis. De Fabiis Liuius libro secundo. *Nos, vt decet proceres, vt Fabio nomine est dignum, pugnando potiùs, quàm adhortando accendamus militum animos. Sic in primum infestis hastis prouolant duo Fabij, totámque mouerunt secum aciem.* In re belli Sophoc. Elect.

Ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, κἀυτὸς ἐν πρώτοις ἔπῃ:

Nos incitas, atque rem ipse primus aggrederis.

Illustrat rem hanc Valerius libro quarto Argonaut. vbi Iason dux hortatus socios ad remigium, ipse primus omnium incumbit, & loco alio eiusdem libri addit comparationem: nam cùm Argonautæ timerent Amycum Bebriciorum Regem, vt primùm Pollux virtutem suam ostentauit, accessit animus timidis ita magnus, vt iam poscerent, & vellent Amyco occurrere. Comparatio verò hæc est:

Comparatio à tauro.

Qualiter ignotis spumantem funditùs amnem
Taurus aquis, qui primus init, spernitque tumentem,
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulsa
Ponè subit, iámque & mediis procedit ab vndis.

Obuius, in re belli.

2. OBVIVS.] Sermo Homericus etiam in re hostili. Nam 13. Iliad. ἢ στέρνων, ἢ νηδύος ἀντιάσειε: scilicet βέλος: *Iret telum aut pectoribus, aut ventri obuium.* Sed de hoc iam 3. Æneid. ad illud, *minus obuia Graiis.* In eodem Hom. Calab. Apoll. Nonn. sæpissimè de hostibus, ἀντιάαν, & ἀντίον ἐλθεῖν.

Vellere saxum.

3. MAGNO VELLIT DVM PONDERE SAXVM.] Ita etiam apud Stat. 2. Theb. Tydeus,

Saxum ingens, quod vix prima ceruice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre iuuenci,
Rupibus auellit.———

Locorum similitudo.

4. QVA SPINA.] Apud Homer. 14. Iliad. Archelochus vulnus excipit δι' ἀστράγαλον, videlicet in vertebra spinæ.

A

Occupo, militare verbum.

5. OCCVPAT.] Sermo militaris. Ouid. 8. Metamorph. *occupat audentem.* Infrà in hoc lib. *occupat os flammis.* Hom. Iliad. 16.

Φθῆν ἐμῷ ἐγχεῖ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσαι:

Praueniri hasta mea perculsus animum perdere.

Calab. lib. 11. παροφθάμενος δαΐξεν: *præueniens vulnerat.* Iliad. 13. φθάμενος οὔτασε δουρί. Plutar. in Pompeio, φθάνει παίσας ξίφει. Calab. lib. 10. τὸν δὲ προφθάς. Homerus Iliad. 23. huiusmodi pugnatorem vocat προτέρφαντα.

Incautus in bello.

6. INCAVTVM.] Par nota in exitio Amyci apud Val. lib. 4. Arg. qui perit gerens se incautè, & nimiùm furenter, ait enim:

Sæuit inops Amycus, nullo discrimine sese
Præcipitans.———

Apud Cal. lib. 1. cadit telo Penthesileæ Podarcus, cuius propter interfectum amicum θυμὸς ὀρίνθη: *commotus est animus.*

B

7. EXCIPIT.] Notat ictum insidiosum, quod & hîc Seru. & nos alibi adductis testimoniis.

Pulmo vnde.

8. PVLMONE.] Qui ab reliquis Græcis πνεύμων à flatibus, ab vnis Atticis dicitur πλεύμων, vnde per metathesin vox Latina *pulmo.* Vsurparunt πλεύμονα Aristoph. in Irene, & Hippocr. lib. de ossium natura, non longè ab initio, & aliàs sæpe. In lib. de internis affectionib. ἢν πλεύμων οἰδήσῃ: *si pulmo intumuerit.* & lib. 3. de Morbis, πλεύμων οἰδέων: *tumens pulmo.* Ceterùm hic ictus habetur etiam 9. Æneid. *ferrum tumido in pulmone tepescit.* Et Eurip. In Ione, ἰοὺς τόξων πνευμόνων λαβεῖν: *sagittas accipere intra pulmonem.* Ibidem loquens de dolore, ἔτυπτεν πνευμόνων τῶν ἐμῶν ἔσω: *percussit intra pulmones.*

C

Lectio Virgiliana.

9. HELENVM.] Seruius in Comment. *Sthenium* legit, quem sequeret, nam *Helenus* Troianum est nomen. Itaque indecorum, hominem Troiani nominis educi in Troianos.

Priuigni intemperans amor.

10. THALAMOS AVSVM INCESTARE NOVERCÆ. Signatè *ausum*, vt de re insitata & mira. Datur enim flagitium priuigno, non nouercæ: quæ feminæ esse solent impudentissimæ in priuignos, non ita priuigni in eas. Credo mentem Poëtæ esse, dedisse pœnas Anchemolum propter flagitium; & ideo in acie cadit. Itaque præclarè Pindarus Ode secunda Pyth. εὐναὶ δὲ παράτροποι ἐς κακότατ' ἀθρόαν ἔβαλον: *Peruersi concubitus in calamitatem coniecêre.*

D

11. VOS ETIAM GEMINI, &c.] Huic loco ita hæsit Sil. lib. 2.

Locorum similitudo.

Vos etiam primo gemini cecidistis in æuo
Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycorma.
Cuncta pares, dulcísque labor sua nomina natis
Reddere & in vultu genitrici hærere suorum.

12. INDISCRETA SVIS, &c.] Claud. in 4. Consf. Hon. ita de vtroque Castore,

Fratrum similitudo.

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,
Progenies Ledæa, sedent: in vtroque relucet
Frater vtroque soror: similis chlamys effluit auro,
Stellati pariter crines. iuuat ipse Tonantem
Error, & ambigua placet ignorantia matri.
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.

E

Statius etiam Thebaide sexta:

———*geminis eadem omnia, vultus,*
Currus, equi, vestes: par & concordia voti
Vincere, vel solo cupiunt à fratre relinqui.

De Eurymedonte, & Lycorma Silius lib. 2.

———*geminaq́; notis decepta figura*
Funera mutato reuocabat nomina mater.

Et post pauca;

Tunc etiam ambiguos cecidit super inscia natos.

Porrò de lectione integri Siliani loci vide Modicium.

Similitudo indiſcreta. cium. Plinius lib.6.cap.12. inter alia exempla: *Magno Pompeio Vibius quidam è plebe, & Publicius etiam ſeruitute liberatus, indiſcreta propè ſpecie fuêre ſimiles, illud os probum reddentes, ipſumque honorem eximiæ frontis.* Idem cap.19.lib.10. *indiſcreta redderent ſimilitudine.* Sed Plin. cautè *propè* addidit, vt vides, nam omnino *indiſcretas effigies* ipſemet negat cap.1.libro 7. Plaut. Men. de hac omnimoda ſimilitudine:

Neque aqua aquæ, neque lac eſt lacti, crede mihi, vſquam ſimilius,

Quàm hic tui eſt, túque huius ———

Vtramque comparationem ab lacte, & aqua aſſumit idem ad rem eandem in Mil. Philo in lib. de Temulent. ita etiam ait: ἐπεὶ καὶ διδύμων ἡ φύσις χρησαμένη τῷ αὐτῷ πολλάκις χαρακτῆρι σχεδὸν μικροῦ ἀπαραλλάκτους ὁμοιότητας ἐτύπωσε: *Natura in geminis ſæpe eodem vſa charactere pene indiſcretas ſimilitudines expreſſit.* Gemini ſæpe perquàm ſimiles.

B

Gratus error. 13. GRATVS ERROR.] Horat.2.epiſt.lib.2. *mentis gratiſſimus error.* Eſt hoc quod idem Od.4. lib.3. *amabilis inſania.* Proſper Aquitan. lib. de Promiſſ. loquẽs de Iacobo aſſimilato fratri Eſau, *factus eſt gratus error parentibus.*

14. AT NVNC DVRA DEDIT VOBIS DISCRIMINA PALLAS.] Non abit affectus ille Æſchyli in Ἑπτ'. Θεβ. ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε: *ſed eſtis in morte diſcriminati.* Pari aura cum Virgilio Lucan. lib.3.

Locorum ſimilitudo.

Diſcreuit mors ſæua viros, vnúmque relictum
Agnorunt miſeri ſublato errore parentes.
Æternis cauſam lacrymis, tenet ille dolorem
Semper, & amiſſum fratrem lugentibus offert.

15. TYMBRE.] Pro, Tymber. Eſt metatheſis, notauit Probus. Vide & Iſidorum lib.1. Et nota inuerſionem in vocibus, priùs poſuerat Daucium, & mox in recurſu poſtponit. Vide de hac re Iul. Scalig. cap. 38.lib.4. Tale illud Eclog.7. Inuerſio in recurſu.

C

Compulerántque greges Corydon, & Thyrſis in vnum;
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

16. DEXTERA QVÆRIT.] Ex Muſa Maronis, Ouid. & Stat. Prior 6. Metamorph. in hiſtoria Philomelæ.

Locorum ſimilitudo.

——— *forcipe linguam*
Abſtulit enſe ferox, radix micat vltima linguæ,
Ipſa iacet, terræq; tremens immurmurat atræ,
Vtq; ſalire ſolet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat, & moriens dominæ veſtigia quærit.

Poſterior lib.7. Theb.

——— *dimidium trans corpus hiantes*
Truncum oculi quærunt, animus caput. ———

Statius Homero præfertur. Præfero Statium Homero lib.13. Iliad. Nam quis hic affectus, *oculi quærunt ſuum locum?* Græcus tantùm,

——— τὼ δέ οἱ ὄσσε
Πὰρ ποσὶν αἱματόεντε χαμαὶ πέσον ἐν κονίῃσι:
——— *ei autem oculi*

A

Ad pedes cruentati deciderunt humi in pulueres.

Statius fortaſſe Muſam ſuam ornauit à Lucano, qui lib.5. ſimile quidpiam,

Atque oculos morti clauſuram quærere dextram.

17. SEMIANIMESQVE MICANT DIGITI.] Præter indicatum Ouidij locum, ſunt alia, quæ propter ſimilitudinem delectant Lectorem, partim aliis indicata, partim à me addita. Ennius, Locorum ſimilitudo.

Oſcitat in campis caput à ceruice reuulſum,
Semianimeſque micant oculi, lucémque requirunt.

Ita legendum in Ennio, ex cuius imitatione Virg. 4. Æneid. de Didone, *Quæſiuit cælo lucem*, videlicet ſublatis oculis. Itaque malè in Ennio legitur, *ferrúmque requirunt*, aut, *ferrumque retractant*. Sed redeo ad locorum ſimilitudines. Lucret. lib.3. Imitatio.

Et caput abſciſſum calido, viuentéque trunco
Seruat humi vultum vitalem, oculóſque patentes.

Idem eodem lib.

——— *Cùm digitos agitat moribundus humi pes.*

Sed nihil tam germanum, quàm locus Nonnij libro 22.

Ἄορι δ' εὐήκει παλάμην τάμεν. ἡ δὲ πεσοῦσα
Αἱμοβαφὴς ἀσπαιρεν ἐπὶ χθονὸς ἀλλομένη χείρ.
Καὶ παλάμην τέτμηκε, καὶ οὐ μεθέηκε βοείην,
Ἄκρα περισφίγξασα κονιομένου τελαμῶνος:
Enſe acutiſſimo amputauit manum,
Quæ tincta ſanguine palpitauit, inſiliitque in terram.
Et amputata cum eſſet, ſcutum non reliquit
Hærens ſummitati balthei impulnerati.

Ab Calab. etiam lib.11. manus deciſa inducitur palpitans, ἀσπαίρειν, & adducit comparationem.

Comparatio draconis.

——— ἅ τε βλοσυροῖο δράκοντος
Οὐρὴ ἀποτμηθεῖς ἀναπάλλεται: ———
——— *ceu ſaxi draconis*
Deſecta cauda ſubſilit. ———

Nonn. lib.32. de quodam moriente, ἀσπαίρων κάρηνον. Galenus lib.1. de vſu Part. δακτύλων τρεμόντων, καὶ κλονουμένων. Ioannes Chryſoſt. in Oratione Machabæorum infert vnius fratris δακτύλους ἀσπαίροντας ἐπὶ τῶν ἀνθράκων: *digitos ſuper prunas palpitantes*; alterius κεφαλὴν ἐξαλλομένην: *exiliens caput.* Ab Homer. 13. Iliad. quiſpiam inducitur χεῖρα ἀποσφακελίσας, quod non longè abit. Seneca Rhetor. Controu. 4. *truncas*

D

viri fortis manus circa ſua arma labentis.

18. FERRVMQVE RETRACTANT.] Donatus explicat, *reiicit, recuſat.* Nam ſicut *tractare arma* eſt, ferrum tenere ad pugnam, ita contrà *retractare*. Non abit à vero Donatus, nam *tracto* eſt armorum verbum. Seneca epiſt.88. *Haſtilia iacere; ſudem torquere, equum agitare, arma tractare.* Sed teſtimonia huius rei multa ſuppeditat Ioann. Sauar. in epiſt.17. Sidonius lib.4.

[a] Arcadas accenſos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, miſtus dolor, & pudor armat in hoſtes.
[b] Tum Pallas biiugis fugientem Rhœtea præter
Traiicit: hoc ſpatium tantúmque moræ fuit Ilo.
Ilo namque procul validam direxerat haſtam,
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratrémque Tyren, currúque volutus
Cædit ſemianimis Rutulorum calcibus arua.

ARGVMENTVM.

Virtus Arcadum ad exemplum ducis, mors Rhœtei.

EXPLICATIO.

a STIMVLI quatuor accendunt Arcadas, externi duo, interni duo. Externi sunt, Pallantis oratio, & eius præclara gesta subiecta oculis: interni, dolor & pudor. Præclarè *accensos* memor sui, nā suprà de Pallante, *virtutem incendit*. en itaque iam *accensos*.

b Ad sententiam horum versuum cognoscēdam scias primùm, Rhœteū, & Ilum fuisse Rutulos: Tyren, & Teuthranta, Arcadas. Ergo cùm Pallas hastam coniecisset in Ilum, tum fortasse Rhœteus miser ictum intercepit, cùm fugeret duos fratres Teuthranta, & Tyren. Itaque Rhœteus in fuga mortis mortem inuenit, ac deuolutus curru in terram est. An verò Ilus postea percussus à Pallante ceciderit, Poëta non dicit, Seruius, & alij suspicantur cecidisse, nam verba illa, *hoc spatium, tantùmque moræ fuit Ilo*, ad mortem Ili detorquent. Vt dicat Poëta; interceptio Rhœtei tantillùm morata est mortem Ili. Est *fugientem præter*, præterfugientem.

NOTÆ.

1. ARCADAS ACCENSOS, &c.] Ducta sententia ab lib. 12. Iliad. (Imitatio.)

ὣς ἔφαθ'· οἱ δὲ ἄνακτος ὑποδδείσαντες ὁμοκλὴν
Μᾶλλον ἐπέβρισαν βουληφόρον ἀμφὶ ἄνακτα:
Sic dixit. hi autem Regis subueriti increpationem,
Acriùs ingruerunt prudentem circa Regem.

Ducta (inquam) ab hoc loco; nam Homero sermo est de Sarpedone, qui in auxiliis: & Virgilio de Pallante, qui etiam in auxiliis. Deinde Sarpedon in sua oratione ita hortatur,

Ἀλλ' ἐφομαρτεῖτε. πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον:
Simul sequimini. labor multorum opportunior.

Et hoc idem fecisse Arcadas statim dicit Virg. *sociûm virtus coit omnis in vnum.* τὸ *accensos monitu* arripit Valer. Argon.

Haud secus Æsonides monitis accensus amaris.

2. PRÆCLARA TVENTES FACTA VIRI.] An quicquam aptius ad militum animos excitandos? Nihil frequentius in scriptoribus. Vide quæ nuper dedi strictim ad illud, *densos prorumpit in hostes*, & quę latè lib. 9. ad illud Turni, *mecum inuadit trepidantia castra.* vbi composui Curtium, Ammianum, Polybium, Sallustium, Plinium, alios. (Exemplo miles incitandus.)

3. MISTVS DOLOR, ET PVDOR.] Præclarè cōiungit. Aristot. lib. 1. Rhet. cap. 6. pudorem per dolorem explicat, nam vicini affectus, ἔστω ἡ αἰσχύνη λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα. Ait, pudorem seu verecundiam esse dolorem & stuporem in his, quæ pertinent ad offensionem existimationis. Calab. lib. 13. etiā coniungit, αἰδὼς, καὶ χόλος ἀμφοτέρων. Neptunus apud Homerum 13. Iliad. admonet Græcos ponant ante oculos αἰδῶ, καὶ νέμεσιν: *pudorem, & reprehensionem.* Liuius lib. 2. *Nunc indignatio, nunc pudor pectora versare.* Sanè ab dolore indignatio est. Et Noster de Mezentio, (Dolor, & pudor cognati affectus.)

——— *æstuat ingens*
Imo in corde pudor, mistóque insania luctu.

Vbi *luctum* refero ad dolorem.

4. FVGIENTEM RHOETEA PRÆTER TRAIICIT.] Ducit Vrs. ab illis 5. Iliad. (Imitatio.)

Ἀλλὰ μὲν Ἀτρείδης δουρικλυτὸς Μενέλαος
Πρόσθεν ἕθεν φεύγοντα μεταφρένῳ οὔτασε δουρί:
Sed ipsum Atrides hasta inclytus Menelaus
Ante se fugientem in tergo percussit hasta.

5. MORÆ.] Cùm Rhœteus dicatur *mora* Ili, nam eius mortem suspendit, rectè quadrat illud veteris Poëtæ, à quo Hector dicitur *belli mora*, quia illo viuente suspensa fata Troiana. Tale & illud Latronis apud Senecam Rhet. suas. 2. *Si nihil aliud, eramus certè belli mora.* Et Lausus infrà in hoc libro dicitur *mora* patris Mezentij: ait enim Poëta, *ipsumq́ morando sustinuit.* id est, sustinuit Æneam. (Mora, de quo dicatur.)

6. INTERCIPIT.] Lando correctorem Homeri, iam hic in re simili κόμισε dixit lib. 14. Iliad. Destinauerat Aiax telum in Polydamanta, & pro hoc percussus est Archelochus, de quo Homer. simpliciter κόμισεν, id est, *portauit*, cepit. Itaque signatius multo *intercipere.* (Intercipere vulnus. Virgilius Homerum corrigit.)

7. CVRRVQVE VOLVTVS. Plenus hac re Homer. cuius duces sæpe è curru pugnant, è curru cadunt ὑπτιος καὶ ἀρματος, & 5. Iliad. ἔκπεσε δ' ἐξ ὀχέων. Nihil frequentius.

8. CÆDIT CALCIBVS ARVA.] Ita infr. in hoc lib. (Calce terrā ferire.)

Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum exspirans.———

Ludit Nonnus lib. 22. in re luctuosa,

Καὶ πόδας ἀμφελέλιζεν ἔχων ὀρχηθμὸν ὀλέθρου:
Vibrabat pedes habens tripudium mortis.

Eodem lib. de moriente χθόνα πεσὼν ἀλαλάζων: *terram pedibus cadens.* Homer. aliquoties λὰξ in re eadem. & Iliad. 14. ὑπὸ δὲ πλῆξεν κνῆμαι, καὶ γοῦνα πεσόντος: *lapsæ in terram sunt tibiæ & genua cadentis.* Et Odyss. 18. λακτίζων ποσὶ γαῖαν. Inde apud Æsch. Supplicib. λακτίσματα ἀνδρῶν, & ἀπολακτισμοὶ βίου, quasi *vitæ calcitramenta.* Homerus tamen 14. Iliad. manum voluit, ὁ δ' ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ: *cadens terram palma apprehendit*; quæ verba etiam repetit aliquoties. Et de manu quidem capienda illa libro 16. vbi Sarpedon cadens, κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης: *arripit cruentatum puluerem.* (Calcitramenta vitæ. Manu terrā apprehendere.)

a Ac velut optatò ventis æstate coortis
Dispersa immittit syluis incendia pastor:
Correptis subitò mediis extenditur vnà
Horrida per latos acies Vulcania campos.
Ille sedens victor flammas despectat ouantes.
Non aliter sociûm virtus coit omnis in vnum,
Téque iuuat Palla. b sed bellis acer Halesus
Tendit in aduersos, séque in sua colligit arma.

Hic

Hic mactat Ladona, Pheretáque, Demodocúmque.
Strymonio dextram fulgenti diripit ense
Elatam in iugulum: saxo ferit ora Thoantis,
Ossáque dispergit cerebro permista cruento.
[c] Fata canens syluis genitor celarat Halesum:
Vt senior letho canentia lumina soluit,
Iniecêre manum Parcæ, telísque sacrarunt
Euandri, quem sic Pallas petit antè precatus.
[d] Da nunc Tybri pater ferro, quod missile libro
Fortunam, atque viam duri per pectus Halesi:
Hæc arma, exsuuiásque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus, dum texit Imaona Halesus
Arcadio infelix telo dat pectus inermum.

ARGVMENTVM.

Comparatio ad virtutem Arcadum explicandam. Halesi facinora, fata, mors.

EXPLICATIO.

[a] APTISSIMA comparatio ad virtutem & ardorem Arcadum grassantium dirè in hostes, non aliter ac flammæ solent in syluam. Expende aliqua. Ait *optato*, quia in æstate hoc solet esse votum, vt venti oriantur. *Pastor immittit syluis incendia*, non aliter ac Pallas ardorem suis militibus, & quia comparatio petenda esset à flammis, ideò præclarè præmissum, *Arcadas accensos monitu.* Ait, *Acies Vulcania*, & hæc *horrida*, & *per latos campos*, quia acies Arcadum cum horrore in hostes ingruit. Et quia vbique grassata cædes, ideo incēdia *adspersa*, & *extensa*. Demum, quia Arcadum *virtus omnis in vnum coit*, ideo incendium incipitur *correptis mediis*.

[b] Sequuntur Halesi Rutuli facinora. Quia *bellis acer*, ideo *tendit in aduersos*. Et nota genus oppositionis mirum, qui *tendit*, is *se colligit in sua arma*. Sed quæ eius gesta? Tres conficit, quarto amputat dextram elatam in iugulum, quinti os contundit saxo, dispergit eius ossa, & cerebrum.

[c] Halesi pater fatorum sciens & diuinus, filium in syluis occultauerat. Vt ille obiit, iam tum Parcæ, iniecta manu, quod suum erat vindicarunt, ac Pallanti tradiderunt occidendum. Itaque Halesum Pallas *petit* veluti sibi iure debitum, præmissa tamen oratione ad Tybrim loci illius, vbi pugna committebatur, Deum.

[d] Petit Pallas à Tybri felicem exitum huius congressionis, & pollicetur trophæum. Audit Deus. Itaque occupatum Halesum in spoliando Imaone, ac proinde sine scuto in pectore, Pallas telo occupat. Atque adeò dum spolium quærit, mortem inuenit.

NOTÆ.

1. AC VELVT, &c.] Incedij comparationes aliquot attuli in Georg. & 2. Æneid. Hic adiicio illam Homeri 20. Iliad.

A ὡς δ' ἀναμαιμάει βαθέ' ἄγκεα θεσπιδαὲς πῦρ
Οὔρεος ἀζαλέοιο, βαθεῖα δὲ καίεται ὕλη,
Πάντῃ δὲ κλονέων ἄνεμος φλόγα εἰλυφάζει:
Quemadmodum furit per profundas valles ingens ignis
Montis aridi, profunda autem accenditur sylua,
Et vbique quatiens ventus flammam circumuoluit.

Comparatio ignis.

Hesiod. Theogon. de incendio magno καῦμα θεσπέσιον. In lib. 13. Il. leges ad impetum animorum explicandum,

ὣς οἳ μάρναντο δέμας πυρὸς αἰθομένοιο:
Sic illi pugnabant instar ignis ardentis.

Ignis ad explicandum animorum impetum.

Et de Hectore lib. 15. μαίνετο δ' ὡς ὀλοὸν πῦρ: *furebat vt perniciosus ignis*; qui ignis

Οὔρεσι μαίνηται βαθέης ἐνὶ τάρφεσιν ὕλης:
Furit in densis montibus profunda sylua,

B Est alia similis comparatio 11. Iliad.

ὡς δ' ὅτε πῦρ ἀΐδηλον ἐν ἀξύλῳ ἐμπέσῃ ὕλῃ
Πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει. οἱ δέ τε θάμνοι
Πρόρριζοι πίπτουσιν ἐπειγόμενοι πυρὸς ὁρμῇ:
Veluti quando ignis perniciosus in lignosam syluam inciderit,
Et vndique conuoluens ventus fert. arbusta verò
Radicitus cadunt agitata impetu ignis.

Locorum similitudo.

Simili poësi Calab. lib. 10. discursum hostilem ita comparat, ὡς τ' ἀζαλέης ξυλόχοιο πῦρ πρεμνίοις αἰθόμενον: *veluti in fruteto arido ignis ardens crepitat.* Apollon. 1. Arg. pugnatores ita comparat.

ὀξείῃ ἴκελοι ῥιπῇ πυρὸς, ἥτ' ἐνὶ θάμνοις
C Αὐαλέοισι πεσοῦσα κορύσσεται:———
Erant similes furori ignis, qui arbustis
Aridis illapsus furit.———

Plutar. in Mario ait de Cimbris, ὀξύτητι, καὶ βίᾳ πυρὸς ἐοικότες: *acritudine, & vi instar ignis.*

2. VENTIS ÆSTATE COORTIS.] Hanc causam Ouidius attigit libro 7. Metamorph. vbi de fauilla, *viq; solet ventis alimenta assumere.* Et Homer. qui lib. 11. πάντῃ δ' εἰλυφόων ἄνεμος φέρει, præcessit πῦρ, *circumuoluit in omnem partem ventus, rapuíq; ignem.* Sic & 2. Æneid. flāma animatur *furentibus Austris.* Apud Aristotelem lib. 1. Meteor. huius rei magna mentio. Calab. lib. 1. ait de igne, μαίνεται ἐπεγειρομένου ἀνέμοιο: *furit concitante vento.* Et in eodem libro grassantur flammæ ἐπαπείγοντος ἀήτου: *vrgente vento.* Inde omen O-

Venti in incendio.

D uidianum 10. Metamorphos. *nullósque inuenit motibus ignes.* Et *æstate* ait Virgilius, vt ibidem Calab. ἐνὶ θάμνοις αὐαλέοισι: *in virgultis aridis.* Quod etiam tempus Hom. signat. 13. Iliad. nam de tempestate ventorum excitata ait, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους: *cùm puluis plurimus per vias.* Quod hoc tēpus, nisi æstas?

Venti in æstate.

Locutio sumpta fortasse ab Lucret. qui lib. 1. & 6. dixit, *tempestate coorta.* A

Immittere ignem respondet τῷ ἐμβάλλειν.

3. IMMITTIT INCENDIA.] Græci, πῦρ ἐμβάλλειν. Huc confer verba Aristot. lib. 1. Meteor. cap. 7. qui de te alia loquens ita, οἷον εἴ τις εἰς σωρὸν ἀχύρων θυμιατὰ καὶ πλῆθος ὥσπερ δαλὸν, ἢ πυρὸς ἀρχὴν ἐμβάλλοι μικράν: *Veluti, si quispiam torrem, aut paruum ignis principium in palearum cumulum aceruúmque immiserit.* Apollon. de igne, πίπτειν δάμνεις lib. 1.

Medijs τοῖς παρακειμένοις.

4. MEDIIS.] Respondere hanc vocem παρακειμένοις Græcorum Germ. iam notauit ex Eustathio, & Homero.

Ignis in partes plures dispersus.

5. EXTENDITVR.] Sic placuit Poëtæ exprimere vagantem ignem. Nonnus libro 45. Dionys. πολυσχιδὲς ἀλλήλων πῦρ, & κατάσυτον, & πεφορημένον. *Diuisus & saltans ignis, concitatus, raperetur.* Aptissimè Ionan. Chrysost. vt Christi Euangelium in omnem partem dispersum explicet, ait igne vehementiùs terrarum orbem occupasse, πυρὸς σφοδρότερον πᾶσαν ἐπῄει τὴν οἰκουμένην. Et Græci passim ἐπινέμεσθαι de igne, & βόσκεσθαι ab hac illius vagantis natura, & depascentis omnia. Ad rem Poëtæ pertinent verba Aristot. libro 1. Meteor. cap. 4. vbi cùm reddat rationem flammarum discurrentium in aëre, adiicit, ὥσπερ ἐν ἀρούραις καιομένους καλάμους: *Veluti in aruis succensis calamis.* & cap. 7. cum allusione ad ignem διαδρομὴν exhibet, *discursum.* & τὸ ὑπεκκαύματος διαδίδωσι, quibus explicat serpentem ignis naturam. B

Virgilius defenditur.

Ignis pugnator.

6. ACIES VVLCANIA.] Non ego seruus tuus, Serui, qui ineptissimè scribis, *De igne aciem dicere, nimis incongruum est.* Imò *nimis poëticè*, ait Erythræus. verissimè. An insolitum est, vt ignis *pugnet*, & *hostis* sit? Deinde, nónne ignis omnia deuastat veluti hostiliter? cur non ergo dicetur *acies*? & sanè qui diceret *exercitum flammarum*, poëticè admodùm loqueretur. Inde Sallust. Iugurt. *igni ager vastabatur.* Tertiò, acumen est in Poëta ex acumine ignis. Quippe acies dicta ab frōte acuta in quam desinit, nam ea forma solet collocari: atque ignis etiam acuminata est forma, Græcè πῦρ: imò ab illo acuminata omnia, vt pyramis, pyrum, pyrinæ. Congruè itaque *acies Vulcania* cum respectu & ad formam ignis, & militiam; nam hoc loco ignis militariter ponitur deuastans omnia, non aliter ac exercitus Arcadum deuastans Latinos. Inde postea consequenter *ouantes flammas*, nam oratio tota est militaris. Quia ergo ignis dicitur *acies*, postea *ouare* dicitur. C D

Acies aptissimè de igne.

Virtus vnita fortior.

7. VIRTVS COIT OMNIS IN VNVM.] Quis nescit illud de vnita virtute, quæ tunc potentissima? Sallust. Iug. *Duobus locis haud longè inter se castra faciebant: vbi vi opus erat, cuncti aderant.* Homerus sæpe, & Calab. lib. 1. συναγρόμενοι, vbi videlicet opus maiore vi. Neptunus libro 13. Iliad. sub aliena forma hortatur Idomeneum, eat secum ad pugnam, nam coniuncti duo, etiamsi timidi, vtiles ad bellum sunt. Idem Homerus sæpissimè, vbi fortissima aggressione est opus, dicit ἀμυδις: atque ita Græcos, Troianósque inducit pugnantes. Quod verò Noster, *coit virtus*, Eurip. in Phœniss. dixit συλλέξαι σθένος, πνεῦμα ἀθροίσαι: *robur colligere conferto spiritu.*

Colligere se in arma. Contrahi. Oppositio.

8. SEQVE IN SVA COLLIGIT ARMA.] Alibi, & *se collegit in arma.* Seneca verbo *contrahi* dixit lib. de Tranq. cap. 8. *Habiliora sunt corpora pusilla, quæ in arma sua contrahi possunt.* Cui verbo opponit *superfundo*; sequitur enim statim, *quam quæ superfunduntur, & vndique magnitudo sua vulneribus obiecit.* E

9. DIRIPIT.] Respondebit hoc verbum Homerico ἀπήραξεν, quo vsus 14. Iliad. & alibi.

10. ELATAM IN IVGVLVM.] Quippe Strymonius manum iugulo admouerat ad auertendum inde vulnus lethale. Itaque non dissidet hic locus ab illo libr. 9. vbi Priuerno manus figitur, quam vulneri applicuerat ad auertendum sensum doloris.

Locorum similitudo.

11. SAXO FERIT.] Apud Homerum 14. Iliad. Aiax percutit Hectorem χερμαδίῳ, *saxo.* Quod genus teli frequens in pugnis Heroum, vt alibi indicabitur. Apud Nonnum in pugnis Bacchi libro 22. ἐπέμπετο λᾶας ἀλήτης: *mittebatur vagus lapis.*

Saxis pugnabāt Heroës.

12. OSSAQVE DISPERGIT, &c.] Nonn. quem nuper attuli,

Ictus in cerebro.

Καὶ λίθος ἠερόφοιτος ἐπεσμαράγησε καρήνῳ:
Et lapis aërinagus crepabat in capite.

Homer. 17. Iliad.

Ἐγκέφαλος δὲ παρ' αὐλὸν ἀνέδραμεν ἐξ ὠτειλῆς.

Dicit, fusum cruentatum cerebrum ex vulnere. & lib. 4. ait fœdatum intus cerebrum etiam ex vulnere, ἐγκέφαλος δ' ἔνδον ἅπας πεπάλακτο,

13. FATA CANENS, &c. Non displicet lectio *canens*: sed vulgatam retinui innixus Homeri loco 11. Iliad. ad quem videtur aspirasse Virg. quem locum, & alij indicarunt:

Imitatio.

Υἷε δύω Μέροπος Περκωσίου, ὃς περὶ πάντων
Ἤιδεε μαντοσύνας, οὐδὲ οὓς παῖδας ἔασκε
Στείχειν ἐς πόλεμον φθισήνορα. τὼ δέ οἱ οὔτι
Πειθέσθην, κῆρες γὰρ ἄγον μέλανος θανάτοιο:

Duo filij Meropis Percosij, qui præ omnibus
Sciens erat fatorum, non permisit filios suos
Venire ad bellum mortiferum. Illi autem nequaquam
Parebant, fatis illos ducentibus ad nigram mortem.

Est & locus alius 13. Iliad. non absimilis, vbi Euchenor venit contra Troiam εὖ εἰδὼς κῆρ' ὀλοήν, *sciens fati perniciosi*, quia videlicet ei pater Polydus diuinans sæpe dixerat, illum μετ' Ἀχαιῶν νηυσὶν ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι: *occidendum à Troianis in nauibus Græcorum.* Ac mox illum Paris interfecit.

14. CANENTIA LVMINA SOLVIT.] Calab. libro 1. λῦσε πάντα λῦσε μόρος: *membra omnia mors soluit.* Ab Calabro fortasse Prudentius Hym. 10. Cathem. morte dixit *resolutos artus.* Ioannes Chrysostomus Orat. 3. de Natura Dei, λελύσθαι dixit in re simili. Itaque eo modo, quo membra reliqua dicuntur solui morte, quia defecta suo vigore, sic etiam oculi. τὸ *canentia lumina* refero ad senectutem. Id rimor ex Hippocr. ita scribente lib. περὶ σαρκῶν. ἡ δὲ κόρη καλεομένη τοῦ ὀφθαλμοῦ, μέλαν φαίνεται διὰ τοῦτο, ὅτι ἐν βάθει ἐστὶν, καὶ χιτῶνες περὶ αὐτὸ εἰσὶ μέλανες: *Quæ dicitur pupilla in oculo, nigra ob id apparet, quòd in profundo sita sit, & quia tunicæ illam ambientes, nigræ sunt.* Hinc colligo, illum, cui præ senectute tunicæ deciderint, albis esse oculis. Et quia id frequentissimè in senibus accidit, ideo sæpissimè visuntur illi hoc habitu.

Soluit mors oculos.

Oculi cani præ senectute.

15. INIECERE MANVM PARCÆ.] Vt in rem suam. Itaque alludit Poëta ad solemnem vindicationis formam, & τὴν τῆς χειρὸς ἐπιβολὴν, qua quis iniecta manu vindicabat sua. Ita Ouidius secundo Amor.

Iniectio manuum.

Iniiciam dominas in mea iura manus.

Vbi præclarè manus dicit *dominas.* Ad eamdem formam allusum ab Alexide apud Athenæum libro 2. nā in re conuiuij, ἐπιβαλλόμενοι τὰς χεῖρας quasi quisque in id quod sibi è mensa & cibis debitum. Ouid. Art.

Virginibus

Virginibus cupidas iniciuntque manus,
quasi essent suæ. Aristoph. Lysistr. τὼ χεῖρε ἐπιβαλεῖν.
Centies hanc formam Seneca. Sed in re mortuorum vsurpatam hanc formam, præter Maronem, inuenio alios. In 3. lib. Epigramm. ἀλλ᾽ ὁ πάντων ἀρπακτὴς Ἀΐδης ἐν ἐπὶ χεῖρα βάλλει: *Quibus nondum manus iniicit raptor omnium Pluto.* Ammian. lib. 14. *manum iniectantibus fatis.* Ouid. 3. Amor. Elegia 8.

Vsurpata etiam in re mortuorū.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniicit illa manus.

Adiungam veterem inscriptionem, quæ adhuc Romæ visitur, etiamsi longam, inuitante me elegantia.

Tu, qui secura procedis mente, parumper
Siste gradum, quæso, verbáque pauca lege.
Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
Hoc Homonœa breui condita sum tumulo.
Cui formam Paphie, Charites tribuêre decorem,
Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
Iniecêre manus inuida fata mihi.
Nec pro me queror hoc, morte est mihi tristior ipsa
Mœror Atimeti coniugis ille mei.
Sit tibi terra leuis mulier dignissima vita,
Quæq; tuis olim perfruerere bonis.

Calab. libro 1. simpliciter dixit, ἐπήλασαν κῆρες: *impellebant Parcæ.* Sed cùm in eodem libro ait Priamus, filios suos apprehensos à Parcis Græcorum manibus, proculdubio alludit ad hanc manus iniectionem. Verba eius. ἐς ἀεὶ ἐπὶ χεῖρας ... Ἀργείων παλαμῃσι. Apud eundem libro 3. Aiax δηΐοισι κακὰς ἐπὶ χεῖρας ἰάλλειν: *iniicit hostibus manus fauas*: Notetur locutio Lucani libro 3. quæ contraria prædictis, *iniecisse manum fatis*, pro, intulisse sibi mortem, & præoccupasse fata. Notetur etiam elegans locutio Plutarchi in vita Pompeij, ἐπιλαβέσθαι τῶν νόμων: *legem apprehendere*, pro, intercedere, & facere, vt lex abrogaretur. Vbi cùm dicat ἐπιλαβέσθαι, profectò allusit ad vindicationem. Quasi dicat, *legi manum iniicere.*

Oppositio.

Legem apprehendere, quid.

16. Telisqve sacrarvnt Evandri.] Laudant Virgilium, vt peritissimum antiquitatū Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 7. & Cælius lib. 1 2. cap. 1 1. Seruius etiam in hunc locum eadē attingit. umina est. Animalia Diis sacra non licebat interficere (ἄφετα vocant) sed vbicunque inuenta essent, exterminabantur ab illis finibus, & abigebantur ad fines illius Dei, cui sacra essent. Contrà in homine, qui sacer esset (& quidem sacros homines ζῷα ... vocant) hic enim debebatur interfici, nam aliter peruenire ad Deos non poterat. Ergo Halesus ex hac doctrina dicitur sacrari telis Euandri. Atque adeò Poëta *proprietatem & humani, & diuini iuris exsecutus est. Nam ex manus iniectione penè mancipium designauit, & sacrationis vocabulo obseruantiam diuini iuris impleuit.* Verba sunt Macrobij. Ex eadē proprietate Virginius apud Liu. libro 3. cùm interfecisset filiam, subiecit, *Te Appi, tuúmque caput sanguine hoc consecro.* Talem hominem Cicero vocat *addictum deuotúmque alterius gladio.* Homer. 16. Iliad. πεπρωμένον αἴσῃ, *destinatum fato*, quasi dicas, *fatatum.* Græcus Poëta libro 1. Anthol. μεμορημένον vocat. Huc allusum leuiter ab Homero 14. Iliad. τὸν γάρ ῥα θεοὶ βούλευσαν ὄλεθρον: *huic enim Dij decreuerant mortem.* & infr. Ἀργεῖοι ἰόμωροι: *Argiui telis destinati.* Est apud Calab. libro 1. locus Virgilio aptandus, vbi loquens de Parca ait,

Virgilius ad quitatis peritiss.

Animalia Diis sacra.

Sacri homines.

Addictus. Deuotus.

——— ἔμελλε
Κῆρες μετὰ δ᾽ ... ὑπ᾽ Αἰακίδαο χέρεσσι

A δαμάσσαι: ———
——— *destinauerat*
Puellam non multo post Æacidæ manus
Domare. ———

Est Græco sermo de Penthesilea deuota iam Achillis telo. & statim: καί ῥ᾽ ἐς κακὸν ἦγεν ὄλεθρον: *ducebat ad luctuosam perniciem.* Homer. etiam lib. 13. Iliad.

——— τὸν δ᾽ ἄγε μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλος δὲ
Σοὶ Μενέλαε δαμῆναι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι:
——— *hunc (Pisandrum) ducebat Parca ferox mortis ad finem*
Ad te Menelae, vt sterneretur graui in pugna.

Et Iliad. 21.

Χερσὶν Ἀχιλλῆος θεὸς ἔμβαλε (μιν) ὅς μιν ἔμελλε
Πέμψειν εἰς Ἀΐδαο. ———

Dij adigunt in perniciē.

B *Iniecit (illum) Deus manibus Achillis, qui ipsum erat*
Missurus ad domum Plutonis. ———

Et iterum ἐπέλασσε δαίμων, loquitur Lycaon cum Achille, quasi dicat: me tibi Deus commisit vt interficiar. Sic apud Calab. libro 12. θεοὶ εἰς χεῖρας ἄγουσι: *Dij adigunt in manus*, videlicet nostras, vt occidantur.

17. Da nvnc Tybri.] Nam vicinum hoc Numen, ait Seruius; ideo lib. 9.

Numina vicina inuocabantur.

Tu Dea, tu præsens, nostro succurre labori.

18. Fortvnam.] Signatè & quæsitè. Græcis τύχη est fortuna; & de telis, quæ assequuntur scopum τυχεῖν dicunt, si secus, ἀποτυχεῖν. inde tela εὔτυχῆ, id est, *fortunata.* & δυστυχῆ, quæ ἰτώνια, vt loquitur Homerus, id est, *infortunata & irrita.* Et 13. Iliad. ἄνεμώλια ..., quod sæpissimè inculcat.

Fortuna cur inuocetur in telo emisso.

C

19. Viam.] Valer. lib. 3. iure simili *iter* dixit, *pectore rumpit iter.* Infrà etiam de vulnere, *vna eadémque via*, &c.

Via & iter, de vulnere.

20. Dvri per pectvs Halesi.] Nescio an laudem Homerum qui 14. Iliad. corpus Aiacis vocat *tenerum.* verba eius, τέρενα χρόα. & lib. 13. de eodem, χρόα λειριόεντα. Defendi potest; nam caro verè est tenera: sed aliter loquendum fuit ex decoro Herois bellatoris. Inde probè idem Græcus sæpissimè Heroum χεῖρας vocat παχείας, & στιβαράς, *manus crassas, & robustas.*

Homeri vitium.

21. Hæc arma, exsvviasqve viri tva qvercvs habebit.] Claud. 1. in Ruff.

D

——— *si latior adsit*
Gloria, vestitas spoliis donabere quercu.

Sed de trophæo dicam libro 11. Admonet autem Seruius, non vulgaris ille, & decurtatus, sed excussus ex schedis Danielis, allusum à Poëta ad veteris ritus mentionem, quo capillata, aut capillaris arbor dicebatur, in qua capillus tonsus, tanquam exsuuiæ suspendebatur, & arbor illa Ioui consecrabatur. Hæc est sententia Seruij, etiamsi verbis admodùm deformata.

Capillata arbor.

22. Avdiit.] Homerus 1. Iliad. τοῦ δ᾽ ἔκλυε ...

23. Texit.] Seruius ita explicat hunc locum: *Dum texit, id est, dum spoliat. Nam tempus præsens est, non præteritum ab eo, quod est tego.* Et statim profert locum hunc Plauti: *Ego hunc hominem hodie texam pallio*, id est, spoliabo. Certè Plautus Amphit. ita scripsit: *Illic hoc homo vt pallium detexere.* Neque dum incidi in locum vbi simplex verbū vsurpetur à Plauto ad signanda detracta spolia. Et Bacchid. *extexere* dixit, pro, spoliare.

Texo, pro, spolio.

E

Detexo.

Extexo.

24. Arcadio telo.] Vt illustres hunc locum, lege quæ dedi lib. 9. vbi Poëta exhibet Mezentij *Hetruscam pinum.*

Imitatio. 25. DAT PECTVS INERMVM.] Ad Homeri vestigia, apud quem 4. Iliad. Agenor ferit Elephenoris

Πλευρὰ, τά οἱ κύψαντι παρ' ἀσπίδος ἐξεφάνθη:
Latera, quæ ei procumbenti ad scutum extrà apparebant.

A Qui Homeri locus tuetur explicationem Seruij accipientis *texit*, pro, *spoliat*. Nam Elephenor interficitur ab Agenore occupatus in spoliando cadauere, ὄφρα (ait Hom.) τεύχεα συλήσεν. Quod cùm facit, præbuit inermia latera.

ᵃ At non cæde viri tanta perrita Lausus
Pars ingens belli sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodúmque, morámque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Hetrusci,
Et vos ô Graiis imperdita corpora Teucri.
ᵇ Agmina concurrunt ducibúsque, & viribus æquis.
Extremi addensant acies, nec turba moueri
Tela manúsque sinit. ᶜ hinc Pallas instat, & vrget:
Hinc contrà Lausus. nec multùm discrepat ætas;
Egregij forma, sed queîs fortuna negarat
In patriam reditus; ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni Regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent maiore sub hoste:

ARGVMENTVM.

Lausi gesta, Abantis mors, cædes aliorum promiscua, Pallantis strenuitas in Lausum, & contrà: excitatur de vtroque commiseratio.

EXPLICATIO.

ᵃ DELABITVR Poëta ad res Lausi, vnde innexione quadam pendent omnia, quæ sequuntur in hoc libro. Halesi morte Lausus nequaquã fractus est, neque fugit, imò acriùs incubuit, vt qui *pars ingens belli*. Et ante omnia Abantem interficit, qui reliquis pro muro erat, ideo vocat *nodum, & morã*. Quo prostrato fit cædes mira, nam multi promiscuè cadunt, Arcades, Hetrusci, Troiani: ex hac enim triplici gente conflatus Æneæ exercitus. Poëta omnia παθητικῶς verbis *sternitur, sternuntur, imperdita corpora Graiis*.

ᵇ Explicat qualis hic conflictus, vbi concursus ducum parium, virium parium; vbi posteriores propellunt, & addensant priores, reddúntque ita confertos, vt nec tela, nec manus moueri aptè possent.

ᶜ Dixerat pares esse duces: explicat iam in quibus sita hæc æqualitas, videlicet in virtute, in ætate, in forma, in fortuna. In virtute, nam *vterque vrget, vterque instat*. In ætate, nam par fermè vtrique. In forma, nam vtrique egregia. In fortuna, nam neuter rediturus in patriam. Sed noluit tamen Iuppiter, vt sibi occurrerent, & concurrerent. Imminet quippe vtrique maior & nobilior hostis, Pallanti Turnus, Lauso Æneas.

NOTÆ.

Enallage. 1. CÆDE VIRI TANTA.] Notetur locutio poëtica. Vulgaris Poëta diceret, *At non cæde viri tanti*. Noster, *cæde tanta viri*. Quæ nota ita frequens in Vir-

B gilio, vt iam obseruari non debeat. Vide quæ adduxi lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis iuuenes*. Alius diceret, *purpureis cristis iuuenes*. Ita infrà, *socij cesserunt æquore iusso*, pro, iussi. Hoc parum considerarunt imitatores Virgilij. Stat. 5. Theb. *incussæ redeunt a turribus hastæ*. Melius esset, *incussis redeunt a turribus hastæ*. Cùm idem lib. 6. dixit de Hespero, *cæruleis monstratur in vndis*. Melius multo, *cæruleus monstratur in vndis*, quasi ipse Hesperus esset cæruleus, quia vndæ cæruleæ, vt Horat. Od. 13. Epod. *cærula mater* de Thetide, quia in loco cæruleo, id est, in mari. Nam hoc est figuratè loqui, illud primum triuialiter. Silius lib. 8.

Omnis iam placata tibi manet ira Deorum.

Non dubitauerim ita loqui, *Omnis placato tibi iam ma-* C *net ira Deorum*. Itaque in istis, *diris armis, ardenti telo, patulo ore, pugna acri, corusco auro*, figuratiùs dices ex præscripto Virgilij, *dirus armis, ardens telo, patulus ore, acer pugna, coruscus auro*.

2. PARS INGENS BELLI.] Vt hîc de Lauso, ita in hoc libro de Horode, *pars belli haud temnẽda*. Quę locutio videtur sapere eam, qua Latini non solùm *partes*, sed etiam in singulari *partem* (vt iam Passerat. notauit) vsurpant ad militares factiones signandas. Pars belli, de magno duce.

3. NODVMQVE, MORAMQVE.] Notulæ aliquot Poëtam illustrabunt. Prima Vrsini conferentis *nodum* Virgilij cum Græco ἕρκος. Ita vt quod Homerus sæpe ἕρκος Ἀχαιῶν: Virg. *nodum* dicat. Altera Seruij scribentis, *Nodus propriè est densa peditum multitudo, sicut* D *turma equitum, vt lectum est in disciplina militari*. Non ergo nouum ab vna re militiæ ad aliam conuerti, id est, à turba peditum ad vnum militem. Tertia Pontani ducentis metaphoram à nodosis arboribus, quę cuneis etiam difficilè perrumpuntur. Quarta nostra, expendo enim consecutionem Poëtæ. Quia enim ab arboribus ducit locutionem, ideo statim post ruptum nodum, Nodus in bello, quid.

Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Hetrusci.

Nam verbum *sterno* arborum est. Itaque, vt calamitas ducitur à fractis calamis, ita strages à fractis arboribus. Ergo, rupto nodo arboris consequens est, vt reliqua sternantur facillimè: sic interfecto Abante, milites reliqui.

4. GRAIIS

4. Grais imperdita corpora.] Tale illud, A

Non anni domuère decem, non mille carinæ.

5. Addensant acies.] Aliqui, *addensent*: possunt.

6. Nec turba moveri tela manusque sinit.] Lucanus, etiamsi de re alia, lib. 4. *nulli telum vibrare vacabat.* Sed egregius eiusdem locus, & in eodem libro, & de re Virgilij:

Acies conferta.

——non arma mouendi
Iam locus est pressis, stipataq; membra teruntur,
Frangitur armato collisum pectore pectus.

Et postea magno incremento, *compressum turba stetit omne cadauer.* & suprà dixerat,

Vix impunè suos inter conuertitur enses.

Homerus 16. Iliad.

Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι:
Contingebant se cristæ galeæ conis fulgentibus.

Plutar. in vita Luculli. ἐν γὰρ τοσαύτῃ πυκνότητι καὶ βάθει τῶν τάξεων ὑφ' αὑτῶν ἐμποδιζόμενοι: *Non enim poterant impediri à se ipsis confertis & profundis ordinibus.* De tali acie συνήγειαν, & πυκνότητα dicit idem Plutar. in vita Crassi. Ammian. lib. 4. *nec exserere lacertos, nec crispare permissi tela*; videlicet præ multitudine hominum.

Reditus negatus ad patriam.

7. Sed quels fortuna negarat, &c.] Homer. 6. Iliad.

——τοὶ δ' οὔτι πάλιν οἶκον δὲ νέοντο:
——hi verò non rursus domum redierunt.

Et lib. 12. de alio quodam, οὐδ' ἄρ' ἔμελλε, *neque futurum erat, vt*

ἂψ ἀπονοστήσειν ποτὶ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν.
Rediret rursum ad excelsam Ilion.

Horat. Od. 13. Epod. de Achille non redituro è Troia,

Vnde tibi reditum certo sub tegmine Parcæ
Rupère, nec mater domum cærula te reuehet.

Pindar. Od. 8. Pyth. locum istum παθητικῶς, ait enim,

——τοῖς οὔτε νόστος ὁμῶς
Ἐπάλπνος ἐν Πυθιάδι
Ἐκρίθη, οὐδὲ μολόντων
Πὰρ ματέρ' ἀμφὶ γέλως
Γλυκὺς ὦρσεν χάριν:——

Quibus neque reditus pariter iucundus apud Pythiadem iudicatus fuit, neque reuersis ad matrem risus dulcis excitauit festiuitatem. Calab. ibant (inquit) Troiani ad bellum ἀνόστοισι πόδεσσι, *pedibus non reuersuris.* Et de alio quodam, οὐδ' αὖθις ἔην νοστήσας πάτρηνδ': *neque reuersus deinde in patriam est.* Iterum, οὐ μὰν παλίνορσοι ἐς Ἑλλάδα νοστήσαντες: *non certè iterum reuersuri in Græciam.* Omitto Calabrum, qui hoc affectu frequentissimus. Claudian. 1. Eutrop. pari affectu,

Locorum similitudo.

B

Protinus excitis iter irremeabile signis
Arripit, infestosq; iubet bubone moueri
Agmina.——

Apollon. 1. Arg. οὐ μὲν ἔμελλεν νοστήσειν Κήρινθον ὑπότροπος: *non quidem erat reuersurus Cerinthum redux.*

8. Fata manent maiore sub hoste.] Eurip. in Rhes.

Imitatio.

Ἔσται γὰρ αὐτῷ θάνατος ἐξ ἄλλης χερός:
Accidet illi mors alia ex manu.

C Orph. Argon. qui & fati meminit:

Τῷ δ' ἄρα μόρσιμον ἦεν ὑφ' Ἡρακλῆι δαμῆναι:
Huic fatale erat domari ab Hercule.

Plura his Germ. ex Homero. Tale illud Turni statim, *soli mihi Pallas debetur.* Illud Calab. lib. 1. de Penthesilea mihi adlubescit; hæc enim virago ab illo dicitur κακῇ βίῃ εἰκυῖα: *similis virtute fato.* Quasi illa fatum esset illorum, quos interficiebat.

ª Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
ᵇ Vt vidit socios: tempus desistere pugna,
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipse parens spectator adesset.
ᶜ Hæc ait; & socij cesserunt æquore iusso.
At Rutulûm abscessu, iuuenis, tum iussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpúsque per ingens
Lumina voluit, obítque truci procul omnia visu.
ᵈ Talibus & dictis it contra iussa Tyranni:
Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni: sorti pater æquus vtrique est.
Tolle minas. fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.

ARGVMENTVM.

Turni soror Iuturna fratrem admonet de periculo, in quo Lausus: ille cum minis aduolat, deberi sibi Pallantem clamitans. Decedunt omnes: miratur & stupet Pallas, & gaudet de gloriosa aut victoria, aut morte.

EXPLICATIO.

ª DVPLEX sententia, prior, vt dicat, monitum à sorore Turnum, qui volanti curru in omnem partem ferebatur. Posterior, quàm ita concipit Seruius, *monitus à sorore comminùs secat agmen*, videlicet venturus in auxilium. D

ᵇ Vt ad suos Turnus peruenit, monet illos, tempus iam esse, vt desistant, absistántque à pugna, quia vni sibi fatalis est Pallas. Optátque patris Euandri præsentiam, quò tragicus successus esset τραγικώτερος, non aliter ac visum in Priamo secunda Æneide, cùm spectauit ipse Polytæ filij cædem.

ᶜ Discedunt omnes ad imperium Turni, quo reliquorum abscessu, vt primùm à Pallante visus est Turnus, tum mirari cœpit superbiam iubentis, tum obstupescere magnitudinem corporis illius.

Poëta hoc mite concepit verbis illis, *per ingens corpus voluit lumina*, quasi ita magnus Turnus, vt non satis fixus intuitus, sed necessaria oculorum volutatio ad lustrationem. Inde statim *obit visu*, pari energia. Alij sententiam aliter concipiunt, vt miretur Pallas superba iussa, quia statim omnes recessêre. Non pugno, sed non probo.

d Quid tum Pallas? nihil illo generosius, optat aut victoriam gloriosam interfecto Turno, aut mortem gloriosam interfectus ipse ab Turno. Et addit, *sorti pater aequus vtriq; est*, id est, pater Euander æquo animo feret vtramque sortem, videlicet sortem gloriosæ aut victoriæ, aut mortis. Alludit scilicet ad Turni verba illa, *cuperem ipse parens spectator adesset*. Pergit. *Tolle minas*. Paucissimis hæc Pallas, ne si diu certamen differret, timidus videri posset. Itaque statim procedit ad certamen in locum medium. Ac tunc Arcades de successu timere.

NOTÆ.

1. SECAT.] Præclarè: nam cum allusione non ad suos solùm, sed ad hostes. Itaque sibi viam per stragem faciebat.

Verbum adimitur ad celeritatem. 2. TEMPUS DESISTERE.] Abest verbum *ait*, aut simile, ad indicandam celeritatem. Ita lib. 4. *Praecipites vigilate viri*, &c. & statim, *sequimur te sancte Deorum*. & aliis locis, vbi desunt verba *ait, inquit*, & talia. Homeri vitium. Quo vitio laborat Homerus, qui semper προσέειπε, προσηύδα, & similia, etiam vbi necessaria celeritas. Testimonia obuia adeunti Græcum.

3. CUPEREM IPSE PARENS SPECTATOR ADESSET.] Satis indicat mores Turni feros. Vide quæ scripsi secunda Æneide ad illud, *patrios fedasti funere vultus*. Et prima ad illud, *ipsius ante oculos*, vbi compono Tullium, Suetonium, Cedrenum, Appianum loquentes de parentibus, qui interfuêre spectatores mortis filiorum. Est enim atrox spectaculum cadere ante illum, qui te diligat; & hoc optat Turnus. Inde Creon Tyrannus apud Soph. in Antig.

Oculi augēt dolorem.

Ἄγετε τὸ μῖσος, ὡς κατ' ὄμματ' αὐτίκα
Παρόντι θνήσκῃ πλησία τῷ νυμφίῳ:
Adducite istam odiosam, vt ob oculos
Coram sponso moriatur.

Andromacha apud Calab. lib. 1. vt dolorem suum exaggeret, ait se vidisse oculis interfectum & raptum Hectorem, τὸν δή ῥ' ἐσεῖδον ἐγὼ ἐν ἅρμασιν ἑλκόμενον. Calauius senex Capuanus filium volentem interficere Annibalem multis deterret, tum his, *precor, quaesoq;, ne ante oculos patris pati omnia infanda velis*. Calab. lib. 2.

Οὐ γὰρ δὴ μερόπεσσι κακώτερον ἄλγος ἔπεισιν,
Ἢ ὅτε παῖδες ὄλωνται ἐνὶ πατρὸς εἰσορόωντος:
Nunquam acerbior dolor homines inuadit,
Quàm cùm filij pereunt spectante patre.

Locorum similitudo. 4. CESSERUNT ÆQUORE.] Tale illud lib. 12.

Discessêre omnes medij, spatiumq; dedêre.

Ita & Sil. lib. 4.

Vt iussi cessêre retrò, spatiumq; dederunt
Hinc atque hinc alæ, medio stetit æquore pugna.

Hypallage. 5. ÆQUORE IUSSO.] Pulchra hypallage, iussi enim ipsi, non littus. Ita Persius, *recutitaq; Sabbatha*. Non enim Sabbatha recutita, sed Iudæi ipsi, qui colunt Sabbathum. Vide lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis iuuenes*.

6. STUPET IN TURNO.] Arripit Valer. 1. Arg. vbi de Achille puero, *stupet in ducibus*.

Lumina voluere. 7. LUMINA VOLVIT.] Ab hoc affectu & in A tuendo energia, non abit Valer. lib. 4. Arg. vbi,

———*vtraque longo*
Comminus obtutu mirans tenet.———

Quod enim Virg. *voluit*, ille *obtutu longo*. Ibid.

Ille virum circa mirantia lumina voluit.

Obire, de oculis. Vt verò Noster *obit* de visu, ita idem eodem lib.

Ore renidenti lustrans obit, & fremit ausum.

Lucan. lib. 5. *totoq; vagantia cælo lumina*. Vt autē Pallas hostem suum, sic Taurea Campanus initurus singulare certamen cum Asellio apud Liuium lib. 23. inducitur hostem suum *diu perlustrans oculis*. Est hoc planè, quod Eurip. in Ione,

Πάντῃ δὲ βλέφαρον διώκω:
Moueo palpebras omnem in partem.

8. AUT SPOLIIS, &c.] Macrob. cap. 1. lib. 6. Saturn. ait ductum hoc ab illo Attij in Tragœdia, cui B titulus *Armorum iudicium*. vbi,

Imitatio.

Nam trophaeum ferre me à forti viro pulchrum est:
Si autem & vincar, vinci à tali, nullum est probrum.

Homer. simili sæpe sententia, vt cùm ait 12. Iliad. ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν: *aut cuipiam gloriam dabimus, aut quispiam nobis*. Et lib. 13. Iliad. Idomeneus ita loquitur.

Αἶψά κεν ἢ φέροιο μέγα κράτος, ἠὲ φεροίμην:
Statim vel referres magnam gloriam, vel referrem.

Aut mori, aut viuere. Id est, vel me Æneas interficeret, vel ego illum, nam de Ænea loquitur. Et lib. 15. ἢ ἀπολέσθαι ἢ σαωθῆναι: *aut perire, aut seruari*. ibid. ἢ ἀπολέσθαι, ἢ βιῶναι: *aut perire, aut viuere*. Calaber etiam lib. 3. ἢ θανέμεν, ἢ ζωέμεν. & lib. 13. Iliad. Hom.

C ——— ὄφρα τάχιστα
Εἴδομεν ἤ τῳ εὖχος ὀρέξομεν, ἠέ τις ἡμῖν:
———*vt citissimè*
Videamus, an alicui gloriā præbeamus, an aliquis nobis.

Et de leone ait lib. 12. obstinatum esse aut ad rapiendam prædam, aut ad accipiendum vulnus.

——— ἢ μέμονε σταθμοῖο δίεσθαι,
Ἀλλ' ὅ γ' ἄρ' ἢ ἥρπαξε μετάλμενος, ἠὲ καὶ αὐτὸς
Ἔβλητ' ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι:
———*non sustinet pelli ab stabulo,*
Quin aut insiliens rapinam faciat, aut ipse
Vulnus inter primos accipiat iaculo velocis manus.

Tale & illud libri extremi,

Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Aut habeat victos, &c.

D Catull. etiam de Nupt. Pelei dixit:

Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.

Et Ennius apud Priscianum:

Nunc est illa dies, quo gloria maxima sese
Ostendat nobis, seu viuimus, seu moriamur.

Adduco & locum Eurip. in Cyclope, vbi Vlysses,

Ἀλλ' ἢ θανεῖν δεῖ, κατθανούμεθ' εὐγενῶς:
Ἢ ζῶντες, αἶνον τὸν πάρος γ' εὖ σώσομεν:
Sed si moriendum est, moriemur gloriose:
Aut viuentes gloriam pristinam fortiter tuebimur.

9. OPIMIS.] Sunt spolia opima, quæ dux duci detrahit; itaque locutus propriè. De his ego fusè sexta Æneide.

Mors insignis à viro insigni. 10. AUT LETHO INSIGNI.] Verè hoc: est enim E mors insignis, quæ infertur à viro forti. Attius in Armor. iudicio, referente Macrob. 6. Sat. cap. 1. *Nam trophaeum ferre me à viro forti, pulchrum est: sin autem & vincar, vinci à tali, nullum est probrum*. Noluit Pallas, *nullum est probrum*, sed addidit exaggerans, *insigne est lethum*; iuxta illud Stat. lib. 8. Theb. *magnum cupis improbe lethi nomen*. Et Ouid. lib. 9. Metamorph.

Magnaq; dat nobis tantus solatia victor,

id est, Hercules. Sed de hoc infrà ad illud, *Æneae magni dextra cadis*. Vide, si placet, Delrium Nostrum in Nou.

in Nou. Comment. ad Sen. in Herc. Oct.verſ.812. vbi verba Attij, quæ adduxi, reuocat ad numeros poëticos.

Imitatio.

11. Tolle minas,&c.] Eſt aliqua imitatio Calabri lib. 2. vbi poſtquam Memnon & Achilles ſuum quiſque genus iactauerat ante certamen, Achilles ait, illud eſſe verè puerile, ac propterea veniendum ad certamen,quo, qualis ſit quiſque,cerni queat.

12. Medium æquor.] Hoc Homer.18. Iliad. vocat μέσσον πεδίον.

13. Frigidus Arcadibus,&c.] Imitatur hunc locum Valer.lib.4.Arg. vbi Caſtor timet, viſo Polluce fratre progrediente ad certamen contra Amycum.Verſus ſunt:

Locorum ſimilitudo.

———nudo ſteterat iam pectore Pollux,
Cùm pauor,& gelidus defixit Caſtora ſanguis.

Aurora apud Calab.lib.2.cùm videret filium Memnonem pugnantem contra Achillem δεῖσε παιδί: *timuit nato.* & priùs dixerat, inuitam illam aſcendiſſe in cœlum, οὐρανὸν αἰπὺν οὐκ ἐθέλουσα. Ouid.10.Met.dixit, *fugiúq; & color,& ſanguis*, in magno metu. Appian.1. Ciuil. δέος ἅπαντας ἐπεῖχε. Ioſeph.lib.1.Bell.cap.20. φόβος ἐπῄει αὐτὸν. Cedrenus. φόβος μέγας συνεῖχε πάντας.

Metus in magno malo.

A Hom.dixit 7.Iliad.

Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον:
Troianorum ſingulos in membris tremor inuaſit.

Et lib.9.& 11.πάντας ἕλε τρόμος. ὑπὸ τρόμος αἰνὸς ἱκάνει. Sed videat Lector, an Virgilius alluſerit ad ſtupiditatem quandam Arcadum.Credi enim poſſunt fuiſſe ſtupidi,qui vtebantur glandium cibo.Inde Iuuen. Sat. 7. *laua in parte mamillæ Nil ſalit Arcadico iuueni.* Vbi diſcipulum ineptum ad doctrinam vocat *iuuenem Arcadicum*, cui *nihil ſalit* in ſiniſtrâ pectoris parte,id eſt,qui excors pene eſt.Fulgentius *ſenſus Arcadicos* dixit de hominibus, quibus pingue ingenium. Sed & *Aſini Arcadici* cui non ſunt noti: quam locutionem nihil vetat tranſiiſſe ad homines. Inde ergo,

Arcades ſtupidi.

Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis.

B quibus verbis notatur ſtupor. Vide me 2. Georg.ad illud,

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.

Ratio peti poteſt à frigore Arcadum, de quibus 8. Æneid. *gelidos Arcadiæ fines.* Qui enim remoti ab Oriente ſtupidiores aliis. Hunc ſtuporem ſubtergit Dido cùm ait,

Nec tam auerſus equos Tyria Sol iungit ab vrbe.

[a] Deſiluit Turnus biiugis,pedes apparat ire
Cominùs.vtq; leo ſpecula cùm vidit ab alta
Stare procul campis miditantem prælia taurum,
Aduolat:haud alia eſt Turni venientis imago.
[b] Hunc vbi contiguum miſſæ fore credidit haſtæ,
Ire prior Pallas,ſiqua fors adiuuet auſum
Viribus imparibus,magnúmque ita ad æthera fatur.
[c] Per patris hoſpitium,& menſas quas aduena adiſti,
Te precor Alcide,cœptis ingentibus adſis:
Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,
Victorémque ferant morientia lumina Turni.
[d] Audiit Alcides iuuenem,magnúmque ſub imo
Corde premit gemitum,lacrymáſque effudit inanes.
Tum genitor natum dictis affatur amicis.
[e] Stat ſua cuique dies: breue,& irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.Troiæ ſub mœnibus altis
Tot nati cecidêre Deûm. quin occidit vnà
Sarpedon,mea progenies.etiam ſua Turnum
Fata vocant,metáſque dati peruenit ad æui.
[f] Sic ait,atque oculos Rutulorum reiicit aruis.

ARGVMENTVM.

Vult Turnus pedes pugnare,comparatur cum leone aduolante ad prædam. Pallas Herculem precatur ad felicem ſucceſſum, dolet Hercules ſe non poſſe adeſſe, conſolatur hunc Iuppiter.

EXPLICATIO.

[a] Desilit è curru,& pedes vult congredi,quia pedes quoque erat Pallas,quod iam ſuprà, C nam Arcades, qui ſoliti pugnare equis, propter iniquitatem loci pedites erant. Sequitur comparatio, vbi Turnus, quia ferocior,eſt leo, Pallas taurus. Videt leo *ab alta ſpecula*, quia Turnus ſublimis erat in curru.Taurus *meditatur prælia*, quia hoc initium bellorum Pallantis,& verè meditatio.

[b] Vbi Pallas credidit, Turnum eſſe intra teli iactum,& eſſe *contiguum haſtæ miſſæ*, id eſt,contingi iam poſſe ab miſſa haſta,prior Turno voluit ictum facere, putans fore vt hanc audaciam iuuaret fortuna, priùs tamen preces fudit ad Herculem paternum hoſpitem, conuerſus ad cœlum, vbi is Deus. In minore quippe conatu contra Haleſum, Tybrim inuocauerat

uocauerat minorem Deum, in maiore contra Turnum, Herculem inuocat maiorem Deum.

c Precatur Herculem, quem putat sibi esse deuinctum, quòd acceptus fuisset hospitio à patre Euandro, cùm Hercules *aduena* & peregrinus erat. Petit verò duo, rem, & circunstantiam rei. Rem in illis, *cœptis ingentibus adsis*, quibus vult, vt Turnus cadat. Circunstantiam in illis, *cernat semineci*, &c. Sententia est: Priùs quàm expiret cernat me sibi rapientem spolia, atque illius oculi secum *ferant* me victorem vel inuiti & nolentes. Dixerat Turnus, *cuperem, ipse parens spectator adesset:* vicem ergo rependens Pallas, ait. Sit ipse spectator suæ mortis, non rapiatur subito ictu, sed percussus tandiu viuat, quandiu doleat de interitu sibi à me illato.

d Audiit Hercules, & frustra audiit, quia nullum in se auxilium impedientibus fatis, & *incassum missæ preces*, vt loquitur Liuius lib. 2. Itaque compresso gemitu erupit in lacrymas, & has *inanes*, vt nihil valituras ad ferendam opem Pallanti. Et lacrymæ quidem ex miseratione nec Diis negantur. Illa Ouid. 2. Metamorph. *neque enim cœlestia tingi ora licet lacrymis*, ex alio affectu procedunt.

e Cùm videret Iuppiter flentem Herculem filium, solari illum cœpit ab decretis fatorum, quæ mutari nequeunt. Cuique enim mortalium statuta est dies mortis. Et vita quidem omnis, quamtumuis longa, breuis est, si comparetur cum æternitate nominis & famæ, quam virtus parit. Itaque, petire corpus, temporis est extẽdi famam, virtutis. Rem postea efficit exemplis. Nam cur Pallas eximatur à morte, cùm in Troiano bello ceciderint multi Heroës, qui nati è Diis? Sarpedon etiam, qui filius ipsius Iouis: quin Turnus, qui nunc futurus occisor Pallantis, iam fermè ad exitum vitæ peruenit. Vsurpat enim tempus præteritum, vt indicet, celerrimum exitium imminere Turno.

f Hæc cùm dixisset, oculos inde auertit.

NOTÆ.

1. DESILVIT TVRNVS, &c.] Imago huius rei est in Homero 4. Iliad. vbi Agamemnon concitaturus bellum, ἵππους μὲν γὰρ ἔασε καὶ ἅρματα: *reliquit equos & currus*. & statim, πεζὸς ἐὼν ἐπεπωλεῖτο στίχας: *pedes obibat ordines*. Et lib. 16. Patroclus congressurus cum Sarpedone, ἐξ ὀχέων ἆλτο: *desiluit curru*. Herodot. lib. 1. dixit, ἀποθορόντες ἀπὸ τῶν ἵππων. & lib. 3. ἀποθρώσκοντα ἀπὸ ἵππου. — *Imitatio.*

2. VRQVE LEO, &c.] Homer. 16. Iliad. — *Imitatio.*

Ἠΰτε ταῦρον ἔπεφνε λέων ἀγέληφι μετελθὼν
Αἴθωνα, μεγάθυμον ἐν εἰλιπόδεσσι βόεσσιν.
Ὤλετό τε στενάχων ὑπὸ γαμφηλῇσι λέοντος:
Veluti taurum interficit leo armentum adortus
Fuluum, magnanimum inter boues, queis curui gressus,
Periitq; gemens sub maxillis leonis. — *Comparatio leonis*

Cùm multæ comparationes sint in Homero desumptæ à leone; huic vni Virgilius institit, sed cum victoria, vt solet; nam *excitat magis animum hæc aggressio, quàm illa pugna impar*, ait Scaliger. Et verè, qui attentè Homerum legat, videbit non necessariam ibi eam comparationem. Iam enim tota transacta est res. Est etiam otiosa, quia tantùm adducitur ad gemitum, sequitur enim, ὣς κτεινόμενος μενέαινε. Lib. 1. etiam 15. Iliad. leges de virtute Hectoris, — *Homerum Virgilius superat.*

——ὥς τε λέων ὀλοόφρων βουσὶν ἐπελθών:

A ——*vt noxius leo bobus superueniens.*

Et lib. 11. Iliad. de Agamemnone, θηρὶ λέων ὥς. Eurip. etiam in Taur. ait de Oreste,

Μόσχους ὀρούσας εἰς μέσας λέων ὅπως:
Ruens in medios vitulos vt leo.

Est etiam ad rem Virg. comparatio Calabri lib. 1. vbi loquens de Penthesilea,

Ἀλλ' ὥς τίς τε βόεσσι κατ' οὔρεα μακρὰ λέαινα
Ἐνθόρῃ ἀΐξασα, βαθυσκοπέλου διὰ βήσσης:
Sed vt leæna in longis montibus in boues
Insilit præceps, in valle cui profundi scopuli.

Ab eodem, & eodem lib. leones dicuntur βοοδμητῆρες, vt qui sæpissimè soleant in boues grassari. Theocritus etiam ruentis Herculis impetum comparat — *Taurus potissima leonis præda.*

B cum leone εἰδ. 13. quæ fera

Ἐξ εὐνᾶς ἐπνευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα:
Ex latibulis irruit ad paratas epulas.

Vbi videlicet audiuit clamantem hinnulum. Martial. lib. 12. dixit, *in tauros Libyci ruunt leones.* Sed vide furorem leonis irruentis ad prædam apud Nonnum lib. 32. — *Leonis irruentis furor.*

Ἀνεμαστὴς ἔφριξε λέων πυκινότριχι λαιμῷ,
Χάσματι φοινήεντι κατάιξεν Διονύσου:
Horruit leo grauiter furens gutture iubis addensato,
Cruento hiatu in Bacchum irruens.

3. MEDITANTEM.] Præclarè: nunquã enim se Pallas in bellum dederat, & verbum *meditor* indicat prima belli initia. Lege quæ dedi prima Ecloga, ad — *Meditor, de primis belli rudimentis.*

C illud, *Musam meditaris auena.* Inde consequenter statim, *cœptis ingentibus adsis*, quia tunc Pallas bella inceptauit. Et pari consecutione lib. 11. in sermone lamentantis Euandri sunt verba ista, *noua gloria, primo certamine, primitiæ iuuenis miseræ, dura rudimenta.* Iterum, *Hæc te prima dies bello dedit.* Itaque tauro, cum quo comparatur Pallas, datur verbum, quod conuenit Pallanti. Calab. lib. 1. in re simili, κακὰ μήδετο: *dira meditabatur.*

4. ADVOLAT.] Ita placuit Poëtæ exprimere impetum ruentis ad prædam leonis. Calab. lib. 1. λέων ὣς πώεσι μήλων ἔνθορε: *vt leo in greges ouium insiluit.* Sic & de leæna in eodem lib. ἐνθόρῃ. Et lib. 2. ἐπᾶλτο λέων — *Volatus, de leone. Saltus, de eodem.*

D ὣς ἐμβεβαὼς [illegible]

5. VENIENTIS.] Vidi qui damnaret. Nam debuisset potiùs Turni impetum explicare verbo *ruo*, aut simili alio. Sed ἀτόπως. An non sæpissimè Homer. verbum ἐλθεῖν in re simili? & Plutar. in vita Catonis Censorij loquens de impetu leonum in feras, λέοντες (inquit) ὅταν ἴωσιν ἐπὶ τὰ δειλὰ τῶν θηρίων βαδίζουσιν: *leones animosi vadunt in timida animalia.* — *Virgilius defenditur. Venio, in magno etiã impetu.*

6. IMAGO.] Notetur hæc vox, quæ esse potest pro definitione, nihil enim est aliud comparatio, quàm imago, & simulacrum rei, ac veluti pictura. — *Imago, cur in comparatione.*

7. CONTIGVVM.] Est hoc, quod omnes, *intra iactum teli*, quod & ipse vsurpat lib. 11. quem locum — *Contiguus hastæ.*

E vide. & inf. in hoc lib. simili sententia,

Atque oculis spatium emensus quantum satis hasta.

Sophoc. pulchrè, ξύμμετρος βάλλειν. Eurip. in Herc. ἐντὸς ἐγχέων.

8. IRE PRIOR.] Est hoc, quod sæpe Homer. φθάμενος, de homine præoccupante ictum. Ab Calab. lib. 1. inducitur Penthesilea, quæ postea victa, prior iaculans in Achillem, πρώτη δ' ἔβαλεν [illegible] ibidem, ὑποφθαμένη βάλε δουρί. — *Occupo, verbum militare.*

9. SI QVA FORS ADIVVET AVSVM.] Vide in hoc lib. ad illud, *Audentes fortuna iuuat.*

10. AVSVM.] Id est, *audentem*, explicante Seruio. Nihil

Participiorũ turbatio.

Nihil enim frequentius Græcis, quàm commutatio A participiorum, & vni Homero frequentissimum. Vt cùm scribit Iliad. 13. de Neptuno, qui suos equos illigauit, vt μένοιεν νοστήσαντα, *expectarent rediturum*, & tamen νοστήσαντα non est participium futuri, sed aoristi. Ibid. de duobus Aiacibus, ἀλκῆς μνησάμενοι: *virtutis memores*. & tamen μνησάμενοι non est præsentis. Sic in eodem ἀντιάσαντες, pro, ἀντιόωντες, & βαλών, pro, βάλλων. & mille alia, quæ in eo passim obuia. Ita lib. 9. *voluenda dies*, pro, *voluta*, quem locum vide. Ita Horat. *veniens in æuum*, pro, *in æuum venturum*.

Mensæ hospitales. Hospitalitas sacra.

11. MENSAS.] In Liuio lib. 23. est mentio *mensæ hospitalis*, quam & *sacratam* vocat, quia ius hospitalitatis veteribus fuit sacrum. Homerus vocat ξενίην τράπεζαν, alij θυωρὸν. Quintil. Declam. 301. *Rogarem te per ius mensæ communis.*

Oppositio.

12. ADVENA.] Ἔποικος, ἄποικος, ἀστικος: quibus oppositi, πάροικος, ἐνοίκιος. Latini opponunt *aduenam*, & *incolam*. De Hercule, cùm Deus peregrinus, dixi iam lib. 8.

Preces ante ictum.

13. TE PRECOR ALCIDES.] Ita vsitatum ad inferendum ictum. Sic apud Ouid. 8. Metamorph.

Phœbe ait, Ampycides, si te colui, q; coloq;,
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.

Ferre mortem.

14. VICTOREMQVE FERANT.] Ab vsu verbi huius in hoc loco non longè abit Homer. 16. Iliad. θάνατον φέρειν: *ferre mortem.*

Imum cor.

15. SVB IMO CORDE, &c.] In 1. *alta mente*. in Eclog. *imos sensus*. Græci ad significandum id, quod est intimum & reconditum in corde, vsurpant ἀπὸ θυμοῦ, βαθείης ψυχῆς, μυχοὺς διανοίας, ἀδύτω τοῦ, κόλπον τοῦ, μυχὸν ψυχῆς.

Lacrymæ nequeunt comprimi.

16. CORDE PREMIT, &c.] Attingit rem naturalem. Nam cùm gemitus reprimi possit, certè non lacrymæ. Empedocles apud Plutar. in Quæst. Natur. ait, τοῦ αἵματος ταραχθέντος ἐκκρίνεσθαι τὸ δάκρυον, *ab conturbato sanguine exprimi lacrymas.* ὥσπερ (ait ille) γάλακτος ὀρρόν: *sicut serum à lacte.* Ergo, sicut naturale est, ab agitato lacte serum exprimi, ita à conturbato sanguine lacrymas. Itaque Hercules, vt fortis, gemitum comprimit; lacrymas nequit, quia naturales. Hippocr. etiam lib. 1. ἐπιδ. agnoscit ἀκούσια δάκρυα: *inuitas lacrymas.* Cur inuitæ? nisi quia nolenti eueniunt. In eodem opere lib. 6. adhibet δάκρυον ῥέον ἀπ' ἀκόντων, *lacrymas fluentes ab inuitis.* D

Imitatio.

17. LACRYMASQVE EFFVDIT INANES.] Miror illos, qui Virgilij loca ex Homero coniunxerunt, omisisse illum ex 16. Iliad. cui proculdubiò hæsit. Est autem sermo de Ioue deflente Sarpedonem occidendum à Patroclo,

Αἱματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε,
Παῖδα φίλον τιμῶν, τόν οἱ Πάτροκλος ἔμελλε
Φθίσειν ἐν Τροίῃ ἐριβώλακι τηλόθι πάτρης:
Cruentas autem guttas defudit in terram,
Filium dilectum honorans, quem ei Patroclus erat E
Interfecturus in Troia fertili longè à patria.

De Hercule etiam Stat. 11. Theb. *trux mæret ab alto Amphitryoniades.* Et cur non lacrymetur Hercules in exitio Pallantis cultoris sui? Sic & Venus pro nato prima Æneide, *lacrymis oculos suffusa nitentes.* Itaque neminem audio, qui contra hunc Vatem. Nam lacrymæ hoc temporis articulo res est plenissima pietatis. Non probo Euripidem, qui ore Dianæ videntis exitium Hippolyti cultoris, ait,

Virgilius defenditur. Euripides reprehenditur.

Ὁρῶ, κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ:
Video, sed non fas est lacrymas mittere ex oculis.

Amica dicta.

18. DICTIS AMICIS.] Homer. sæpe, ἐπέεσσι μειλιχίοισι.

Stat sua cuique dies.

19. STAT SVA CVIQVE DIES, &c.] Seneca in Furen.

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli iusso cedere licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Silius lib. 3.

Et pace, & bello cunctis stat terminus æui.

Ante hos Lucret. lib. 3.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat.

Et adhuc ante omnes Homer. 6. Iliad.

Parcam nemo fugit.

Μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν:
Parcam mortalium neminem fugiturum dico.

Homeri vitium.

Et lib. 16. ait mortalem omnem πεπρωμένον αἴσῃ: *subiectum esse fato.* Sed carpit Græcum Scaliger, tum quia hoc, & consilia quædam, quæ inibi sunt, dantur Ioui à Iunone, quod vecorditer. Nam cur Iuppiter, qui est Deus summus, vult non æqua, & dirigitur à Iunone ad æquitatem? Deinde, quia quæ sequuntur, omnino sunt inepta, & ridicula: Iuno quippe ad dolentem Iouem de futura morte Sarpedonis ita loquitur. Si amas tuum filium, permitte interfici. Pulchra scilicet consolatio. Redeo. Idem Homer. 12. Iliad. τὰς οὐ φυγεῖν βροτὸν, id est, κῆρας, *fata potest fugere mortalis nemo.* Apollon. 1. Arg. loquens de Parca, τὴν γὰρ θέμις οὔ ποτ' ἀλύξαι θνητοῖσιν. Soph. Antig.

Fatalia fortissima.

Ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά:
Sed fatalis virtus, fortis. C

Lege Clementem lib. 6. Strom. vbi coniungit ad hanc ipsam rem Archinum, Demosthenem, Phænoclem. Seneca epist. 101. ita scripsit: *Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit.* & ad Marciam, cap. 20. *fixus est cuique terminus, manebit semper vbi positus est.* Non omittenda verò Nota Seruij, qui ait, solere Virgilium attingere varias sectas, & si quando contrarius est sibi, id effici ex variantibus opinionibus Philosophorum. Ergo, qui ex secta Epicureorum, dixit de Didone, *sed misera ante diem*, nunc ex secta Stoïcorum, *Stat sua cuique dies.* Quin cauit, vt illud primum diceret ex persona Poëtæ, id est, hominis, vt quod subiectum casui, nam casibus omnia subiici dicebant Epicurei, &, mori Didonem ante diem casus fuit: hoc autem, quod validum, & firmum, diceret ex persona Iouis; nam Stoici virtutis, & Deorum cultores erãt. Itaque, quod subditum casui homo, quod fixum Deus pronuntiat. Quis, putas, Poëtarum hoc animaduerteret?

Virgilius varias sectas in suo opere attingit. Epicureorũ secta. Stoïcorum secta.

Vmbræ similes homines. Vitæ breuitas. Rotæ vita comparatur.

20. BREVE, &c.] Quid hac re certius? Sophoc. apud Stob. de hominibus, σκιαῖς ἐοικότες, *vmbris similes.* Quia vt vmbra citò auolat, ita vita. Ab Silentiario in Epig. dicitur βίος ἀντιμεθελκόμενος, vt quæ satis sit instabilis. Horat. *vitæ summa breuis.* Lucret. *breuis est hic fructus homullis.* Cùm Phocylides illam rotæ comparauit, ὁ βίος (dixit) τροχός, quid aliud, quàm breuitatem innuit? Ioann. Chrysost. Orat. 6. contra Iudæos βραχὺς ὁ παρὼν βίος: *vita præsens breuis.* Sed cesso ab eruditione facilè parabili, cùm præsertim opus sit Senecæ integrum *De Breuitate vitæ.*

Fama esse debet æterna.

21. SED FAMAM EXTENDERE, &c.] Puchra gnome. Cùm vita sit breuis, sit fama æterna. Apto hîc verba Sallustij in præfat. Catil. *Quo mihi rectius esse videtur, ingenij quàm virium opibus gloriam quærere: & quoniam vita ipsa, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere.* Et reddit rationem, quia cùm reliqua fluxa sint, tamen *virtus clara, æternáque habetur.* Quod consentaneè ad Virgilium, qui ait esse *opus virtutis famam extendere.* In 6. Æneid. etiam legis,

Et dis

Extendo, de fama.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Eo sensu, quo Poëta, dixit Horat. de Roma, *extendat nomen.*

22. TROIÆ SVB MOENIBVS ALTIS, &c.] Cùm dicat Deorum filios cecidisse in Troiano bello, pertinet ad hanc partem locus Isocratis. ἐν Ἑλεν. ἐγκωμ. vbi ait, τοὺς ἐξ αὑτῶν γεγονότας ἀπέστειλαν (Θεοὶ) τὸν ἀγῶνα τὸν περὶ Τροίαν: *Suos filios Dij Troiani belli discriminibus obtulerunt.* Mox numerat Sarpedonem filium Iouis, Memnonem Auroræ, Cycnum Neptuni, Achillem Thetidis, qui omnes ibi occubuêre. Adeò vt mihi videatur huic loco Isocratis institisse Virgilius. Est & locus Calabri huic aptandus, quem Germ. aduocat, & in quem nos incideramus, vbi sermo est de Marte, postquam eius filia Penthesilea in Troiano bello ceciderat,

Deorum filij mortui.

——ὀψὲ δέ οἱ κῆρ
Μνήσατ᾽ ὅσοι καὶ Διὸς ἐνὶ πτολέμοισι δάμησαν
Υἱέες, οἷς οὐδ᾽ αὐτὸς ἐπήρκεσεν ὀλλυμένοισιν:
——*serò tandem in mentem*
Reuocat, quotquot in bello (Troiano) Iouis victi fuissent
Filij, à quibus morituris neque ipse fatum arcuit.

Potuisset adhuc aduocare locum eiusdem lib. 3. vbi Calliope consolans Thetidem de extincto Achille,

——καὶ γὰρ Ζηνὸς ἐρισφαράγοιο ἄνακτος
Υἷες ὁμῶς ἀπόλοντο, κακῇ περὶ κηρὶ δαμέντες:
——*nam & Iouis altisonantis Regis*
Filij etiam interiêre domiti tristi fato.

Mors nec Deos curat.

Et postea mors dicitur οὐδὲ θεῶν ἀλέγουσα. *nec Deos curare*; videlicet propter eorum filios. Thetis quoque apud Eurip. in Androm. queritur hunc in modum,

Κἀγὼ γὰρ, ἣν ἄκλαυστα ἐχρῆν τίκτειν τέκνα,
Ἀπώλεσα παῖδα:——
Et ego, quam oportuerat parere liberos non lugendos,
Amisi filium.——

Imitatio.

Quin puto huic vni loco hæsisse Virgilium; nam vt apud Euripidem Thetis exemplo sui consolatur Peleum, ita Iuppiter exemplo sui Herculem. Porrò de morte eorum, qui nati è Diis essent, etiamsi non in bello Troiano, nobilis vbique mentio. Antipater in Epig.

Τί φθινομένους στεναχοῦμεν ἐφ᾽ υἱάσιν; οὐκ ἀλαλκεῖν
Τῶν παίδων Ἀΐδην οὐδὲ θεοῖς δύναμις.

Sic reddebam,

Quid flemus natos extinctos? horrida possunt
Fata nec à natis pellere vel superi.

Eurip. Alcest. καὶ θεῶν σκότιοι φθίνουσι παῖδες ἐν θανάτῳ: *Deorum nothi filij morte pereunt.* Excursui Virgilij similis etiam locus Homeri Iliad. 18.

Locorum similitudo.

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα,
Ὅσπερ φίλτατος ἔσκε Διῒ Κρονίωνι ἄνακτι,
Ἀλλ᾽ ἑ μοῖρα δάμασσε, καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης.
Neque enim vis Herculis effugit mortem,
Qui charissimus fuit Ioui Saturnio Regi,

A *Sed Parca ipsum domuit, & Iunonis ira difficilis.*

& alter locus eiusdem lib. 21. Iliad. vbi cùm Lycaon pro se Achillem deprecetur, audit ab eo immitissima verba, θάνε καὶ σύ: *tu etiam morere*, quoniam κάτθανε καὶ Πάτροκλος: *obiit & Patroclus.* Quin ego (adiicit idem Achilles) qui natus sum πατρὸς ἀγαθοῖο, *ex patre nobili*; quem θεὰ γείνατο, *mater Dea peperit*, tamen ἐπὶ μοι θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ ἔσσεται: *& mihi mors aderit, & Parca fortis.* Martialis scripsit Epig. 88. lib. 9.

Ipse meum fleui, dixit Apollo, Linum.

B Et oratio Iouis apud Ouid. 9. Metamorph. vbi ait, filios etiam suos interiisse decreto fatorum, videlicet Æacon, Rhadamanthum, Minoëm. Et quæ Calab. scribit lib. 2. vbi Iuppiter interdicit, ne quis Deorum supplex sibi accedat deprecaturus pro morituris in bello, siue filius, siue amicus esset, περὶ υἱέος, ἠδὲ φίλοιο. Martialis etiam lib. 9. de hac re loquens dixit,

Numina cùm videas duris obnoxia fatis.

Ab Ennod. in declam. dicitur *lugenda numinum felicitas*, de Thetide Dea deplorante filium Achillem mortuum.

23. METASQVE DATI PERVENIT AD ÆVI.] Locutio sumpta ab metis equestris cursus. Duco sententiam Virgilij ab illo Homer. 16. Iliad. εὗρε τέκμωρ: *inuenit finem.* & alibi, θανάτοιο τέλος δὴ. &

Metæ æui.

C τέλος θανάτοιο κάλυψεν ὀφθαλμούς. Diceret Seneca Rhet. Cont. 8. *Fecit adolescens iam felicitatis suæ finem.*

24. OCVLOS RVTVLORVM REIICIT ARVIS.] Seruius ita explicat: *Respiciendo fecit partem feliciorem.* Fallitur: nam *reiicere oculos* non est respicere, sed auertere oculos. Inde 3. Georg. *reiice*, id est, amanda, extermina, dimoue. & *reiiculæ oues* quæ sint, ego iam ibi. Ergo sententia est: Auertit inde oculos, nulli parti auxilium præbens, omnia permittens fatis. Ad eum modum, quo Homer. dixit 13. Iliad de Ioue.

Reiicere oculos, quid.

Τοὺς μὲν ἔα παρὰ νηυσὶ πόνον τ᾽ ἐχέμεν καὶ ὀϊζὺν
Νωλεμέως. αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ:
Hos quidem sinebat apud eas (naues) *laborem sustinere, atque ærumnam*
Indesinenter. ipse autem retrò vertit oculos splendidos.

D Et Statius dixit in re simili de Ioue, *visúsque nocentibus aruis abstulit.* quia noluit Iuppiter cernere infanda Thebarum bella. Quid quòd non commodè Poëta arctatur ad vnam partem exercitus, cùm vtraque acies, & Troiana, & Latina esset in iisdem *aruis Rutulis.* Ergo *reiicit oculos.* quasi non curans, quid geratur. Vt contrà 16. Iliad. vt Iuppiter curare bellum putetur, dicitur de eo,

——οὐδέ ποτε Ζεὺς
Τρέψεν ἀπὸ κρατερῆς ὑσμίνης ὄσσε φαεινώ:
——*neque vnquam Iuppiter*
Flectebat à forti pugna oculos splendidos.

& addit signanter,

Ἀλλὰ κατ᾽ αὐτοὺς αἰὲν ὅρα:——
Sed in ipsos semper aspiciebat.——

[a] At Pallas magnis emittit viribus hastam,
Vaginâque caua fulgentem diripit ensem.
[b] Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa
Incidit, atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magni strinxit de corpore Turni.
[c] Hîc Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans iacit, atque ita fatur.

Aspice

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.
[d] Dixerat:ac clypeum tot ferri terga,tot æris
Cùm pellis toties obeat circundata tauri,
Vibranti cuſpis medium tranſuerberat ictu,
Loricæq; moras,& pectus perforat ingens.
[e] Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum,
Vna eadémque via ſanguiſq; animuſq; ſequuntur.
Corruit in vulnus,ſonitum ſuper arma dedêre,
Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.

ARGVMENTVM.

Turni,& Pallantis certamen,huius mors.

EXPLICATIO.

[a] MEMINERIS ſuprà dictum de Pallante, *ne prior.* Ergo iam in conflictu haſtam iacit, antequam Turnus, & qua potuit vi. Mox gladium eximit, imò *diripit*, quo verbo indicata celeritas.

[c] Sententia eſt, haſtam Pallantis incidiſſe in extremas oras clypei,& illic difficulter viam feciſſe ad Turni humerum, quem leuiter vulnerauit,penetrato etiam thorace,qua thorax tegebat humerum. Nã per *tegmina humeri* capio partem thoracis, quæ humerum ſummum tegebat.

[c] Statim Turnus iacit haſtam ſuam, nihil enim eſt aliud,*robur præfixum ferro acuto.* Librauit diu, vt certior eſſet ictus. Quæ Turni conſideratio oppoſita,vt credo,temeritati Pallantis. Addit Turnus iactui verba inſultabundus.

[d] Sed qualis ictus Turni? Tranſuerberat, non oras clypei,vt Pallas, ſed *medium clypeum*, ac verius dixeris,penetrat plurima ferri, ac tauri terga. Intelligit laminas ferreas, quibus tegebatur replicatilis pellis tauri. Victis itaque tot moris perforat Pallantis ingens pectus.

[d] Pallas indignabundus haſtam ſtatim rapit de vulnere,ſperans fortaſſe fore,vt ea euulſa acrior rediret ad pugnam,ſed *fruſtra* hoc:nam vnà cum haſta effluxit ſanguis & vita. Corruit in vulnus,dedêre ſonitum arma ſuper ipſum, atque ille cruentato ore terram moriens petit.

NOTÆ.

1. FVLGENTEM.] Nudatum gladium intelligit, vt Cicer. 5. Tuſcul. *fulgentem gladium è lacunari, ſeta equina appenſum* Eſt ergo Virgiliana locutio tota poëtica: quaſi diceret. Cùm diripuiſſet, nudaſſetque gladium,fecit illum fulgere. Vide quid debeas poëſi,quæ te docet vno verbo multa dicere. Fulgens gladius,id eſt, nodus.

2. CLYPEI MOLITA PER ORAS.] Repræſentatur aliqua ex parte hic ictus 14.Iliad. vbi Aiax Hectorem ſaxo percutit: quo ictu lapis per circunferentiam ſcuti viam inuenit ad collum. Lib. etiam 4.Iliad. ſagittæ curſus graphicè deſcribitur; nam illa primùm ἐν ζωστῆρι,*in baltheum cecidit.* deinde ζωστῆρος ἐλήλατο, *baltheum tranſmiſit.* tertiò, διὰ θώρηκος, *per thoracem.* quartò,per laminam quampiam, διὰ μίτρης, ait ille,ac poſt tot molimina, Imitatio.

Ἀκρότατον δ' ἄρ' ὀϊστὸς ἐπέγραψε χρόα φωτός:
Sagitta perſtrinxit ſummum corpus viri.

vt Pallantis haſta ſummum humerum Turni, poſtquam molita eſt per clypei oras. & lib. 11. Socij cuiuſdam haſta venit δι' ἀσπίδος Vlyſſis,& inde διὰ θώρηκος ἠρήρειστο. ac tandem futilis fuit ictus, nam tantùm cutem corporis abraſit. Et Odyſſ. 22. ἄκρον δὲ ῥινὸν δηλήσατο χαλκός. quod videlicet Virg. *oras clypei.* Achilles etiam apud Calab. lib. 2. in pugna contra Memnonem:

——οἱ δ' ἐξιὸν ὦμον ὕπερ σάκεος συφιλίξεν:
——*ipſi dextrum humerum ſupra ſcutum perculit.*

3. STRINXIT.] Indicat vulnus leuiſſimum. Inde Ouid.8.Metamorph.*ſummum diſtrinxit arundo:* & quia *diſtrinxit*, ideo ſequitur, *exiguo rubeſcit ſanguine ſetas.* Sed de hoc locutus ſum iam in hoc libro. Homer. vndecimo Iliad. hoc extulit verbo ἐργάθω, id eſt, *ſeparo.* ἀπὸ πλευρῶν χρόα ἔργαθεν: *cutem ſeparauit à latere.* Stringo,de leui vulnere.

4. FERRO PRÆFIXVM ROBVR ACVTO.] Homer.ſæpe δόρυ, vel ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ. Sed pulchrè lib.15.Iliad. κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ: præceſsêre ξυστά. *veſtiti ære ad ſummum conti.* ad verbum, *veſtiti conti ære ad os.* Haſta ferro præfixa.

5. ASPICE NVM MAGE SIT NOSTRVM, &c.] Simile poſtea in hoc libro,vbi in iactu haſtæ Mezentij: *& hæc tibi porto dona.* Neque abludit, quod ſcribit Demoſthenis enarrator 3. Olynth. de Aſtere quodam,qui miſſurus haſtam, ita in muro ſcripſit. Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος: *Aſter Philippo mittit lethiferum iaculum.* Apud Homer. 13. Iliad. prouocans Idomeneus ad pugnam Deiphobum ait, Locorum ſimilitudo.

Ὄφρα ἴδῃς οἷος Ζηνὸς γόνος ἐνθάδ' ἱκάνω:
Vt videas,qualis Iouis ſoboles huc venio.

Eſt & lib. 11. Iliad. ſimile quoddam colloquium inter Paridem, & Diomedem. Nam cùm ille gloriaretur percuſſiſſe Diomedem in planta, hic reſpondit,

Ἦ τ' ἄλλως ὑπὸ ἐμεῖο, καὶ εἴ κ' ὀλίγον περ ἐπαύρῃ:
Ὀξὺ βέλος πέλεται, καὶ ἀκήριον αἶψα τίθησι:
Certè aliter à me,nam & ſi paululùm tantùm tangat,
Acutum telum eſt,& exanimem ſtatim reddit.

6. PENETRABILE.] Hic actiuè ſumitur pro,penetrale,vt in Georg.*penetrabile frigus.* Penetrabile actiuè.

7. TOT FERRI TERGA, &c.] Hic ornatus fuit in ſcutis Heroüm,vt interiùs eſſent è corijs bubulis bis aut ter replicatis,exteriùs veſtirentur laminis ferreis, æreiſve. De ſcuto Idomenei lib. 13.Iliad. Ferrum in ſcutis Heroüm.

Τὴν (ἀσπίδα) ἄρ' ὅγ' ἐν ῥινοῖσι βοῶν, καὶ νώροπι χαλκῷ
Δινωτὴν φορέεσκε, δύω κανόνεσσ' ἀραρυῖαν:

Quod (scutum) hic è corius bubulis, & splendenti ære Rotundum portabas, duobus manubriis aptatum. A

Sed cui vsui esset ferrum in scutis iam Lips. aperuit. Non enim credendum, tegi scutum lamina ferri integra. Nam quæ vires illi sustinendo? Tantùm enim ferrum inducebatur ad oram clypei. Vide illum, ne actum agam. Sed addo ego vsum alium ferri; nam cùm scuta fierent è cratibus, & tegerentur corio, necessarium erat ferrum ad crates vinciendas. Et ita interpretor verba Taciti, *Ne scuta quidem ferro neruóve firmata.* Quæ verba, cur ad περιφέρειαν, aut σπάλωμα traducat Lipsius non video. Ego certè ad vinctionem, & ex coniunctione nerui. Huc traho Homerum, qui ita describit scutum Hectoris lib. 13. Iliad.

Et quo vsu.

ῥινοῖσιν πυκινὴν, πολλὸς δ' ἐπελήλατο χαλκός:

Pellibus densum, cui multùm ferri immissum.

Vox enim ἐπελήλατο eò me ducit.

8. Ferri, æris.] Intellige locum. Vnum tantùm dicit, non duo. Ideo in explicatione tantùm ferrum adhibui, nihil de ære. *Æs* vox est communis, vt æs argenteum, aureum, ferreum. Ergo ait vestitum scutum ære ferreo. Sed per hendiaden dixit, *tot ferri terga, tot æris*, vt, *pateris libamus, & auro*, id est, aureis pateris. Et ita fortasse explicandus Oppianus lib. 1. Cyneg.

Æs vox communis. ἓν διὰ δυοῖν.

Καὶ χαλκὸν σπλαγιῶντα, καὶ ἀστράπτοντα σίδηρον:

Et æs fulgidum, & scintillans ferrum.

Id est, æs ferri cum scintillante fulgore.

9. Cum pellis toties obeat, &c.] Quis nescit, quæ de septemplici Aiacis scuto Homerus, & Ouid. Oppian. etiam lib. 1. Cyn. de scuto, ἑπταβόειον. Idem lib. 4. hanc habet scutorum fabricam:

Bubulæ pelles in scutis.

Πλεκτὰ σάκη τεύχουσιν ἐϋστρέπτοισι λύγοισι
Καρτερά, καὶ πλάδρῃσι πειρόωντα, κατὰ δὲ βοείας
Ἀζαλέας τανύουσιν ἐπ' ἀσπίσιν ὀμφαλοέσσαις:
Nexos vmbones fabricant lentis ex viminibus,
Firmos & lateribus conuenientes. pelles autem bubulas
Siccas extendunt super clypeos rotundos.

Scutum Hectoris vocat Homer. ῥινοῖσιν πυκινὴν, ab frequentia multarum pellium. & libr. 15. scutum Teucri τετραθέλυμνον, *quadruplum*. Calab. lib. 3. ἀσπίδα πολυβοείαν. Ab his pellibus, vt quæ siccæ sunt, dixit Hom. 13. Iliad.

Καρφαλέον δέ οἱ ἀσπὶς ἐπιθριξαντος ἄυσεν
Ἔγχεος:———
Aridum sonuit clypeus ab attingente hasta.

Iterum, ἄυον ἄυσεν, etiamsi hoc extremum de lorica.

10. Transverberat.] Homerus decimotertio Iliados, ἀλλ' ἀπὸ δὲ χάλκεον ἔλασσεν. Volo notes in Homero sæpissimè verbum τύπτω, id est, *verbero*, dici non de ictu eminùs facto, sed cominùs. Et libr. 13. Iliad. directè opponit verba βλῆσθαι, & τυπῆναι: *lædaris, verbereris*. Illud de vulnere facto eminùs, istud cominùs.

Transuerbero. Verbero, de ictu facto cominùs. Oppositio.

11. Et pectus perforat ingens.] Non me hodie coget Seruius, qui ita iungit. *Cuspis ingens perforat pectus.* Falsum: imò *cuspis perforat corpus ingens.* Nullus lepor in carmine, in quo adiectiua postponuntur longo interuallo. In bonis Poëtis exempla rara huius vitij (nam sic nuncupo) fortasse nulla. Quid quòd verè Pallas fuit ingens corpore? Galeoti Martij in lib. de Doctr. Promisc. capite trigesimosexto hæc sunt verba: *Gigantes fuisse sacra narrat historia, & Romæ tempore Henrici III. inuentum est cadauer Pallantis, quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis, vt longitudine sui Romanos muros æquaret.* Commeminit eiusdem rei Magius capite quarto libri primi Miscell. & Dalecamp. in Plinio. Neque contra hoc est versus Virgilij lib. 11. Æneid. *arsuras,* *comas obnubit amictu.* Nam Poëta hoc κατὰ πρόληψιν, ait Magius; præsumebat enim Poëta fore, vt cremaretur. Quin narrationem hanc Poëta astruit, nam cùm Euandri planctum describit, nullius meminit cremationis, quod non subticuisset, vt neque aliorum, qui vnà cum Pallante conciderunt.

Pallantis magnitudo.

12. Ille rapit calidvm frvstra.] Ad extractam hastam de vulnere secuta est mors. Exemplum tale in Hom. est lib. 13. Iliad. vbi postquam Meriones percussisset Adamantem Asiadem, ita subiungit.

Mors ad extractam hastam è vulnere.

—ὁ τυπεὶς ἤσπαιρε μίνυνθά περ οὔτι μάλα δήν,
Ὄφρα οἱ ἐκ χροὸς ἔγχος ἀνεσπάσατ' ἐγγύθεν ἐλθὼν B
Ἥρως Μηριόνης. τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψε:
———*percussus ille palpitabat paululùm, nec valde diu,*
Donec ei ex corpore hastile euulsit propè accedens
Heros Meriones. hunc verò tenebræ in oculis texerunt.

Est & aliud in Calab. lib. 3. vbi Achilles percussus ab Apolline,

Locorum similitudo.

———λοιγὸν οἰστὸν ἀμειλίκτοισι χέρεσσιν
Ἕλκος ἐξείρυσεν ἀναλθέος, ἐκ δέ οἱ αἷμα
Ἔσσυτο τειρομένου. πότμος δέ οἱ ἦτορ ἐδάμνα:
———*lethalem sagittam duris manibus*
E vulnere immedicabili extraxit, & ipsi sanguis
Erupit cum cruciatu. lethúmque domuit illum.

Breuissimè & Homer. 16. Iliad.

Τοῖο δ' ἅμα ψυχήν τε, καὶ ἔγχεος ἐξέρυσ' αἰχμήν:
Huius autem simul animamq́, & hastæ extraxit cuspidē. C

A quo, credo, Calab. lib. 3. ἔσσυτο δ' αἰχμῇ θυμὸς ἀπαὶ μελέων: *vnà cum cuspide anima è membris exiit.* & libro 11.

Συμμάρψας χείρεσσιν ὁμῶς χολάδεσσιν ἀκωκήν:
Vnà cum intestinis cuspidem manibus corripiens.

Liuius lib. 2. *telo extracto præceps Fabius in vulnus abiit.* Plutarchus in vita Alexand. ἐλκύσασθαι ἐκ τοῦ νεκροῦ τὴν αἰχμήν.

13. Rapit calidvm, &c.] Est hoc ferè illud Lucani lib. 3.

———*iaculum lethale reuulsum*
Vulneribus traxère suis.———

14. Vna eadémque via sangvisqve, animvsqve seqvvntvr.] Ab Hom. & Calabr. Ait prior lib. 14. Iliad. D

———ψυχὴ δὲ κατ' οὐταμένην ὠτειλὴν
Ἔσσυτ' ἐπειγομένη:—
———*anima autem per impressum vulnus*
Erupit coacta.———

Ait posterior lib. 1.

———μέλαν δέ οἱ αἷμα δι' ἕλκεος ἐσσυμένοιο
Ἔβλυσεν ἐσσυμένως:———
—*niger illi cruor per inflictum vulnus*
Ebulliit festinanter.———

Vide diligentiam Virgilij: *animam* sumpsit ab illo, *sanguinem* ab hoc, & ab vtroque suum versum ditauit, coniungens, *sanguísque, animúsque.* Imitatio.

15. Sangvisqve.] Adimunt aliqui, in his Gifanius, particulam *que*, & legunt, *sanguis, animúsque.* Quia veteribus *sanguis* producebatur in fine. Sic Val. lib. 3. Arg. E

Sãguis producit vltimam.

———*modò tela sacerdos*
Porrigat, & iusta sanguis exuberet vnda.

De lectione versus Lucretiani lib. 1. lege eundem Gifan. in Indice. Secunda ab hinc Nota versum alium Lucretij inuenies similis potestatis.

16. Animvs.] Pro, anima, Græcorum imitatione. Nihil enim frequentius in Homero, quàm θυμὸς, pro, ψυχή: vt cùm ait 13. Iliad. θυμὸς ᾤχετ' ἀπὸ μελέων: Animus, pro anima.

animus

animus abiit è membris. pro, mortuus est. Et quoties in illo, θυμὸν ὀλέσσαι? Non abit locutio alia eiusdem Homeri huic affinis. Ponit enim ἦτορ, id est, *cor*, pro anima libro decimoquinto Iliados, ἄϊον ἦτορ, ait ille, *spirabam cor*, pro, spirabam iam animam. Et Calaber libro primo, ἐκ λίπεν ἦτορ, *illas cor destituit*, id est, anima. A

Cor, pro anima.

Corruere in vulnus.

17. CORRVIT IN VVLNVS.] Lucretius libro quarto:

Namque omnes plerunque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu.

Cùm Virgilius libro vndecimo de cadente dicit, *procubuit moriens*, & cùm alibi, *oppetere*, hunc habitum cadendi exprimit, videlicet prono vultu. Homer. sæpe πρηνής.

Oppetere, quid.

Sonitus armorum in cadente.

18. SONITVM SVPER ARMA DEDERE.] Vide quæ dedi lib. 9. ad illud, *clypeum super intonat ingens.* Hîc Homerum adiicio lib. 14.

——ἀμφὶ δὲ οἱ βράχε τεύχεα ποικίλα χαλκῷ:
——*circa ipsum sonuerunt arma varia ære.*

Calab. lib. 2. de cadente Memnone, βράχε δέ οἱ ἄσπετα τεύχη: *insonabant arma vastissima.* Et de cadente miro incremento:

Γαῖα δ' ὑπεπλατάγησε, καὶ ἄσπετον ἔβραχε τεύχη:
Tellus intremuit, & arma dederunt magnum fragorem.

Et libro vndecimo, καναχησε δὲ τεύχη ἄσπετον: *crepuerunt arma immaniter.* & statim; ἀμφὶ δὲ γαῖα μέγ' ἔβραχε: *& tellus circum vehementer infremuit.* Adiicio etiam Notam non negligendam. Adeò celebratus heroïcis Vatibus sonitus hic de cadente in acie, vt Homer. 13. Iliad. verbum δουπεῖν, quod est *strepo*, *sono*, accipiat simpliciter pro *cadere*. Adducam integrum locum, vt res cognoscatur, vtque notabilem ad hanc rem.

Strepo, pro, cado.

Ἰδομενεὺς δ' οὐ λῆγε μένος μέγα, ἵετο δ' αἰεὶ
Ἠέ τινα Τρώων ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύψαι,
Ἢ αὐτὸς δουπῆσαι ἀμύνων λοιγὸν Ἀχαιοῖς:
Idomeneus non cessabat à virtute magna, cupiebat semper
Vel aliquem Troianorum obscura morte tegere,
Vel ipse cadere, depellens exitium ab Achiuis.

Vbi verbum δουπῆσαι, quod explicui *cadere*, verè est, *strepere*, *sonare.* vt dicat: *Cupiebat Diomedes vel alium interficere, vel ipse strepere*, id est, mori. Homerum imitatus est Calab. lib. 3. vbi ait,

Κάτθεσαν ἐν κλισίῃσι δεδουπότα Πηλείωνα:
Deposuerunt in tabernaculis interfectum Achillem.

B Ad verbum est, *sonantem Achillem*; nam δεδουπότα. Ita etiam Iliad. 23. leges, δεδουπότος Οἰδιπόδαο ἐς τάφον: *ad tumulum strepentis Oedipodæ*, id est, mortui. Leo Herculeus moriens libro quarto Epigrammatum, δεδουπὼς, *sonuit.* Expendit Aristides in Rhodiaca, dici ab Hesiod. μέγιστον κτύπον, de ruina ingenti. Inde frequentissimum illud Hom.

Δούπησεν δὲ πεσὼν, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ:
Strepuit cadens, sonuerunt autem arma super ipsum.

Porrò imitationem loci huius iam aperuerunt Macrobius, Vrsinus, Columna, alij. Nam Ennius lib. 16. Annal.

Concidit, & sonitum simul insuper arma dederunt. Imitatio.

C Et Furius Antias lib. 1. Annal.

Ille graui subitò deuinctus vulnere, habenas
Misit equi, lapsúsque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratus sonitum.——

19. TERRAM PETIT ORE.] Quia præcessit, *corruit in vulnus.* Lucan. 4. *ferientia terram corpora.* Sen. in Hercul. Fur. *terram petiuit ore.* Loci huius illustrationem reseruo ad lib. 11. locum illum, *& humum semel ore momordit.* Petere terram ore.

[a] Quem Turnus super assistens sic ore profatur.
Arcades hæc (inquit) memores mea dicta referte
Euandro, qualem meruit Pallanta remitto.
[b] Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior, haud illi stabunt Æneïa paruo
Hospitia. [c] & læuo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera balthei,
Impressúmque nefas; vna sub nocte iugali
Cæsa manus iuuenum fœdè, thalamíque cruenti,
Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro,
Quo nunc Turnus ouat spolio, gaudétque potitus.
[d] Nescia mens hominum fati, sortísque futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cùm optauerit emptum
Intactum Pallanta, & cùm spolia ista, diémque
Oderit. [e] at socij multo gemitu, lacrymísque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture parenti.
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Cùm tamen ingentes Rutulorum linquis aceruos.

A

ARGVMENTVM.

Turnus Pallantem pede premit, dat humandum, rapit in spolium eius baltheum, hic describitur. Excitat Poëta affectum a præsenti Turni gloria, à futura eius calamitate. Pallas in scuto effertur mortuus.

EXPLICATIO.

[a] HÆc omnia insultabundè & re, & verbo. Re, nam pedem illi impressit, hoc enim est *super assistens*. Verbo, nam iactabundè ait, se Euandro filium remittere, qualem ipse meruit, id est, mortuum. Dixerat quippe suprà Turnus, *cuperem ipse pater spectator adesset*. Ergo nunc: Cùm non viderit morientem, videat mortuum. Hoc mihi gloriosum.

B

[b] Non inuidet tamen sepulturam Turnus; dat enim illum sepeliendum, vt reddatur tum honos Pallanti filio, tum solatium patri Euandro, cui constabunt magno Æneæ hospitia. Nihil potuit acerbius dicere in Euandrum. Quasi dicat: Iniuerit Euander fœdus hospitalitatis cum Ænea, dederit filium: quid habebit ab eo hospitio, nisi præmium filij mortui?

C

[c] Repetitur contumelia; nam iterum mortuus Pallas pede premitur. Rapit etiam Turnus spolium, videlicet baltheum ponderosum, in quo Danaidum cælata fabula, potiùs *nefas*, opera artificis Eurytionis idque ex *auro*, & inde *immania* illa *balthei pondera*. Fabula hæc est. Danaus, & Ægyptus fratres fuêre. Habuit ille filias quinquaginta, hic filios totidem. Nupsêre illæ suis totidem patruelibus, quos prima coniugij nocte fœdè iugularunt, excepta vna Hypermnestra, quæ Lynceo pepercit viro suo. Sic vltæ sunt filiæ paternas inimicitias. Hostili enim animo Danaus, & Ægyptus semper fuerant. Caussas adulti odij, atque vlti atrociter, in aliis quære. Igitur hoc pretioso spolio Turnus eximiè lætatur. Gaudium enim supra modum agnosce tot vocibus, *ouat, gaudet, potitus*.

D

[d] Excitat Poëta miram conquestionem ab intemperanti Turni gaudio, qui futurorum ignarus nullum nunc modum in secundis haberet; atqui futurum tempus, in quo nollet Pallantem interfecisse, emisêtque magno non abstulisse balthcum, qui esset allaturus exitium. Quin odio etiam esset habiturus & spolium, & tanti gaudij diem. Et nota, ingenium Poëtæ referentis hanc sententiam ad præterita verba Turni. Dixerat hic, *haud illi stabunt Æneïa paruo hospitia*. Ergo vicissim Poëta: Non tibi hæc cædes stabit paruo, imò magno.

E

[e] Pallas iam tum efferebatur in scuto cum gemitu & lacrymis suorum. Hîc iterum Poëta conquestionem excitat ab dolore, & gloria (mira oppositio) quo Euander excarnificandus, qua Pallas laudandus: ille propter amissum filium prima die certaminis, hic propter ingentes aceruos mortuorum, quos fecit, antequam caderet. Nihil enim maius neque ad dolorem illius, neque ad huius gloriam. Ergo cùm redieris ad patrem eris dolor; nam bello ablatus in ipso initio bellandi: eris decus; nam linquis ingentes aceruos Rutulorum.

NOTÆ.

1. SVPER ASSISTENS.] Prudent. Psychom.

Quam super assistens Patientia, vicimus, inquit.

Pede mortuum conculcare.

Cyrillus Alexandrinus in Micheam numero quadragesimoquarto: τῶν κειμένων καθυβρισμένα. explicat scilicet insultantiam, qua iacentes opprimi solent. Et in Ioëlem numero 41. συμβαίνει γὰρ ἐν πολέμοις καταπίπτειν μὲν τοὺς ἡττηθέντας, ἐπαγάλλεσθαι δὲ τοῖς κειμένοις τοὺς κεκρατηκότας· καὶ οὐ μάλα ἐπαυχοῦντας: *solitum in bello, cadentes quidem gemere, victores verò victis insultare admodum gloriabundos.* Ab Iosepho libro septimo Belli capite primo, qui mortuos conculcabant dicuntur ἐπιβαίνοντες, vt à Virgilio *super assistens*.

2. SIC ORE PROFATVR.] Ablegant aliqui hoc hemistichium. Possunt, meo iudicio, nam statim sequitur, *inquit*: ac proinde otiosè hîc *profatur*. Scio in Homero talia inueniri. Sed Maronis alia vox, alia Musa.

Lectio Virgiliana

3. QVALEM MERVIT.] Refert hoc Scaliger ad elogium Pallantis. Lege caput quadragesimum lib. 3. Poët. Possis ita capi, etiamsi ego aliter explicuerim.

4. PALLANTA REMITTO.] Scilicet ad sepulturam. Clarè Iustin. lib. 12. *funera remitteret*. In sequenti Nota est testimonium Virg.

Remitto, verbum sepulturæ.

5. LARGIOR.] Fuit hæc liberalitas magnorum ducum. Æneas interfecto Lauso,

——téque parentum
Manibus, & cineri, si qua est ea cura, remitto.

Noto humanitatem hanc elucere in hoc heroïco opere. Nescias enim, qua inciuilitate duces suos Homerus inducat, cupidos quippe semper trahendi ad se mortuos, ne donarentur sepultura. Sic Hectorem Achilles, & nisi pretio non restituit. quid inciuilius? Est integer liber Iliados de certamine circa cadauer Patrocli. Quo libro nihil ego vidi ἀδοπώτερον. Idomeneus libro decimotertio Iliados interfectum Othryoneum gloriabundus ad naues ducit, vt rem egregiam. Millena hæc in Homero. Quanto gloriosius dare absque pretio, & verè largiri, ac nolle λύτρα, aut ἄποινα? Qua de re vide Notam Scaligeri capite duodecimo libri tertij Poëtices. Et ego hoc prius scripseram, quàm vidissem eam Notam. Et scitè adducit versum Ennij prolatum à Pyrrho,

Mortui libere donandi, non precio.

Non cauponantes bellum, sed belligerantes.

Cauponari bellum.

6. HAVD ILLI STABVNT ÆNEIA PARVO HOSPITIA.] Tale illud Ouid. 2. Fast.

Magno stāt hospitia.

Heu quantum Regnis nox stetit vna tuis!

Et Iuuenal. Sat. 3. *magno hospitium miserabile.*

7. LÆVO PRESSIT PEDE.] Insignis contumelia. Infrà etiam Mezentius interfecto Horode, *Tum super obiectum posuo pede nixus.* vbi ego latè. Hîc tu accine Turno illud Claud. 2. Eutrop.

——nulla tot funera sensit
Prætereunt, sanieque leuis iactura cruoris.

Nam quis non videt magnum Pallantis cruorem temni à Turno, qui illi postea futurus exitio, vt statim Poëta? Quàm parum de rebus suis cogitat, qui Regium iuuenem pede apprimit? Accine eidem illud Ouidij,

Quid victor gaudes? hæc te victoria perdet.

Et Claudian. in quarto Honor. *multis damnosa fuêre Gaudia*. Præclarè dixit Thucyd. lib. 4. τὸ ἄγαν ἀγάλλεσθαι.

Gaudia damnosa.

Secunda instant. ἀτυχίᾳ χρώμενοι, ἀξίων τοῖς μηδὲν ὑπεναντιοῦσθαι: *præsenti vsi felicitate, putabant nihil sibi deinceps aduersum.* Et Euripid. in Supplicibus dixit, nescire quosdam ferre victoriam, ἀλλ' ἐπήρτεται φέρειν. quia intumescunt. De hac re loquens Nonnus libro vigesimoprimo dixit, θάρσος ἀεσιμανές, *insanam confidentiam.* & libro trigesimonono, ἐλπίδες αὐχήεσσαι, *spes iactabundæ, & futiles.* Militarem hanc contumeliam Propertius bis, aut ter ad amorem transtulit; vt cùm dixit libro 1. Eleg. 1.

Et caput impositis pressit amor pedibus.

& alibi. Cùm Phocas apud Cedrenum pagina 552. dixit, μὴ προσονειδίζειν, μηδὲ ἐπεμβαίνειν ἀνθρώπῳ: *non exprobrandum, aut insultandum alicui*; in verbo ἐπεμβαίνειν allusit ad militarem hanc contumeliam. Ego Annibalem prudentem ducem admiror, qui viso ante se mortuo acerrimo hoste Marcello, nullam vultu lætitiam tulit, vt scribit Plutarchus, credo, ne fortunam contra se irritaret, nec vllam contumeliam cadaueri intulit. Est enim animi degeneris (ait idem in vita Demosthenis) mortuo insultare, ἀγεννὲς ἐπικερτομεῖν νεκρῷ.

Annibalis prudentia.

B

8. RAPIENS.] Homer. sæpissimè, ἐσύλα ἐξενάριξε. Poëta sæpissimè, & signatè *rapio* ad hanc rem, vt cùm ait,

Rapere, de spoliis cur.

Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat.

Exempla obuia. Credo illum vti hoc verbo cum allusione ad ea, quæ dixi initio huius libri ad illud, *tunc res rapuisse licebit.* Rapit enim victor, id est, repetit, quod suum est; nam victi hostis bona cedunt victori. Simile verbum, videlicet ἁρπάζω, aliquando Homer. habet, vt 13. Iliad.

C

Δηΐφοβος μὲν ἀπ' Ἀσκαλάφου πήληκα φαεινὴν
Ἥρπασε: ———
Deiphobus ab Ascalapho galeam lucidam
Rapuit. ———

Imprimo, de signis.

9. IMPRESSVM.] Ita lib. 5. *Cratera impressum signis.* Persius Satyra secunda ita, *incusáque pingui auro dona.* Hoc esse Græcis ἐμπαίειν, & ἐμπαίειν, iam aduertit Casaub. vnde τέχνη ἐμπαιστική, quæ signa operibus imprimit. Par illud Georgicon, *& numeros impressit aceruis.*

Nefas facere, de quo.

10. NEFAS.] Lucan. lib. 4. de his, qui se mutuis vulneribus confecerunt, *Bellorum fecere nefas.*

Iugalis nox.

D

11. NOCTE IVGALI.] Ita vocat noctem, in qua nuptiæ, quæ tamen tota plena cruoris, quod minùs expectari à coniugio poterat. Itaque Poëta studiosè iunxit noctem iugalem, quæ dicata voluptati, cum cruore. Quo affectu Lucan. lib. 4. *iunctósque amplexibus ense Separat.* vbi inter amplexus ensis & cruor. & post pauca;

Locorum similitudo.

———*inter mensásque torósque*
Quæ modò complexu fouerunt pectora, cædunt.

Aliquid deesse in Grammaticali structura, & subaudiendum Germanus notauit, & docet res ipsa. Addit etiam in hoc loco adumbratum Homerum Odyss. 11. vbi baltheus Herculis describitur, & eius cælatura. Erant enim in eo cælati vrsi, apri, leones: deinde prælia, pugnæ, cædes. Adiungo & Calab. libro decimo, vbi ad vestigia Homeri ornat eundem baltheum Herculis, & copiosior est. Sed sobrietas Virgilij præferenda. Ab simili elegantia baltheus Menelai dicitur Iliad. 4. παναίολος. Porrò fabulam Danaidum cùm multi, tum eleganter Ouid. in epist. & proximè ad Phœbum ipsum Horatius Ode vndecima lib. 3.

Imitatio.

E

12. BONVS EVRYTION.] Id est, peritus. Vide me Ecloga quinta ad illud, *Boni quoniam conuenimus ambo.* Et adiice interpretem Aristophanis in Nubibus, à quo ἀδελφοί, explicantur ἀγαθοί. Nota etiam, vt artificis meminerit ad balthei commendationem. Sic Plutar. in vita Alexandri commendans huius Principis baltheum, & galeam, de illo ait, ἦν δὲ ἔργον Ἑλικῶνος, *erat opus Heliconis.* de illa, ἔργον Θεοφίλου, *opus Theophili.*

Bonus, pro perito.

Locorum similitud.

13. QVO NVNC TVRNVS OVAT, &c.] In aperienda imitatione huius loci rectior Vrsino Germanus fuit. Profert ille locum non ita ad rem, hic apprimè congruentem ex decimaoctaua Iliade hunc,

Imitatio.

———τὰ μὲν κορυθαίολος Ἕκτωρ
Αὐτὸς ἔχων ὤμοισιν ἀγάλλεται, οὐδέ ἕ φημι
Δηρὸν ἐπαγλαϊεῖσθαι, ἐπεὶ φόνος ἐγγύθεν αὐτῷ:
———*hæc quidem galeatus Hector*
Habens in humeris exultat, neque tamen ipsum puto
Diu lætaturum, quando mors iam ipsi propè.

Tale & illud in eodem lib. ad Hectorem,

Ἆ δειλ', οὐδέ τί τοι θάνατος καταθύμιός ἐστιν,
Ὅς δή τοι σχεδὸν ἐστι. σὺ δ' ἄμβροτα τεύχεα δύνεις
Ἀνδρὸς ἀριστῆος: ———
O miser, non tibi in animo est mors,
Quæ propè adest, tu autem diuina arma induis
Viri optimi. ———

14. NESCIA MENS HOMINVM FATI, &c.] Pulchra sententia; est enim satis improuida mens hominum. Inde ab Pind. Od. septima Olym. in mentibus hominum ponuntur ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι: *errores innumeri.* Et Od. 12.

Mentis deceptio.

Σύμβολον δ' οὔπω τις ἐπιχθονίων
Πιστὸν ἀμφὶ πράξιος ἐσ-
σομένας εὗρεν θεόθεν.
Τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.
Πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν:
Signum nondum quisquam mortalium de re futura nactus est diuinitùs. Sed futurorum excæcata sunt cognitiones, multáque hominibus in contrarium accidunt. De Amyco Valer. lib. 4. Arg.

Futurorum ignari homines.

———*vrgentis post sera piacula fati*
Nescius. ———

Ennodius Declamatione decima: *Quoties futuri mens nescia proximitate mortis incurreret?* & Lucanus libro quarto, *incertáque fata.* Iterum, *incerto venturæ tempore vitæ.* Nonus libro 32. Marti & bello attribuit ἀκύμορον, nam iuuenes citò abripiuntur. Vide Græcum: excitat enim de hac re miras conquestiones.

15. ET SERVARE MODVM, &c. Pulchra etiam hæc, secunda quippe hominem extollunt, & transuersum agunt. Prudentissimè, & ad mentem Maronis Paulus Consul apud Liuium lib. 45. *In secundis rebus nihil quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringent.* Sed quidè tumorē, & superbiam nasci ex secundis rebus, quod hic apprimè Virgilius vult, iam ego satis adornaui componens plures auctores suprà in hoc libro ad illud de Turno, *tumidúsque secundo Morte ruat.* & deinde tibi relinquo integra, quæ Collector Symbolarum sui operis instituto.

Secunda inflant.

Vir quis est.

16. TVRNO TEMPVS ERIT, &c.] Cùm dicat, tempus fore, quo Turnus velit fuisse intactum Pallanta, puto Valerium tertio Argonautic. ex hac Musa scripsisse,

Locorum similitudo.

———*quàm nunc incognita vellet*
Lustra sibi, nullósque datos venatibus annos?

Notentur & versus Homeri quarta, & sexta Iliad. similes,

Ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς ἐϋμμελίω Πριάμοιο:
Erit dies, cum pereat sacra Ilios,
Et Priamus, & populus bellicosi Priami.

Erit, cùm. 17. CVM.] Post *erit* eleganter *cùm*, præsertim cum vocibus temporis. Ita & Græci χρόνος ἔσσεται, ὅτε. Lib. 1. Georg. *tempus veniet, cùm.* & 5. Æneid. *Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas,* ꝗ. *vertitur cum.*

18. EMPTVM.] Claud. de Bell. Gild. *hæc damnis genitor Cannensibus emi.* Vide lib. 9. Æneid. ad illud, *Qui vita bene credat emi,* &c.

Dies, pro morte. 19. DIEMQVE ODERIT.] Non dubium, quin Poëta alludat ad Græcorum morem, qui ad explicandam mortem dicunt ἦμαρ, id est, *diem.* Quod in Homero adeò frequens; vt putidum sit hoc ex eo obseruare. Ideo adduco locum Calab. libr. 1. vbi de Marte irato contra Achillem ita loquitur:

Καί νύ κε Μυρμιδόνεσσι πολύστονον ὤπασεν ἦμαρ
Εἰ μή μιν Ζεὺς αὐτὸς ἀπ' Οὐλύμποιο δίβησεν
Et sanè Myrmidonibus luctuosum diem attulisset,
Nisi eum Iuppiter exterruisset de cœlo.

Id est, attulisset exitium Myrmidonibus. Et Stat. 2. Theb. *nunc arma, diemq́, proiice.* i. morere. Ergo *diem oderit,* erit, oderit vel mortem Pallanti illatã, vel mortem sibi iam hinc imminentem. Neque abnuo allusum quoque ad dies atros, quales Allienses, & infiniti alij. Ennod. etiam epist. 14. lib. 8. dixit: *Nec diem meum sub amici præsentia clausis orbibus intuerer,* id est, fatum, mortem meam.

Mortui in clypeo. Astyanax. 20. IMPOSITVM CLYPEO, &c.] Ex more militari, quo mortui educebantur in scutis. Ennius in Andromacha de Astyanacte præcipitato, *Puerumq́, vt lauerunt, collocant in clypeo.* In Andromach. (inquam) nam malè Andromedam citat Nonius. Et de Astyanacte, nam de eodem Talthybius apud Euripidem in Troad.

Ἔλουσα νεκρὸν, κἀπένιψα τραύματα:
Laui cadauer, & ablui vulnera.

Et postea indicat satis portatum in clypeo. Itaque Ennius capi debet de Astyanacte. Sed redeo ad morem. Huc allusum à Philippo libro primo Epigrammatum, ἀσπὶς τύμβος κόσμος μέγας: *clypeus magnus honos sepulcri.* Et libro tertio de Trasybulo mortuo, ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους: *exanimis in scuto elatus.* Clemens in Protrept. *Quod si etiam Corybantum velis orgia considerare, hi cum suum fratrem occidissent, caput mortui purpura contexerunt, & coronatum sepelierunt, ferentes in clypeo æneo ad radicem montis Olympi.* Statius lib. octauo,

Clypeus magnus honos sepulcri.

Fertur Atys, seruans animam iam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida ceruix
Exterior clypeo, crinésque à fronte supini.

Sil. lib. 5.

Interea exanimem mœsti super arma Sichæum
Portabant Pœni, corpúsque in castra ferebant.

Quæ Silij Musa nata ab illa Nostri infrà in hoc lib.

A *At Lausum socij exanimum super arma ferebant*
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.

Quem locum vide, & hîc obiter nota, ab Hom. 13. Iliad. Harpalionem mortuum educi non in clypeo, sed in curru,

Ἐς δίφρον δ' ἀνέσαντες ἄγον προτὶ Ἴλιον ἱρὴν:
In currum imponentes ducebant ad Ilium sacrum. Mortui in curru.

21. O DOLOR, ATQVE DECVS.] Coniunctio hæc plausibilis alius ab vno Virgilio. Auson. epist. 5. Dolor, & decus.

Et decus, & dolor es coniugis Ausonij.

Sidonius:

Germani decus, & dolor Mamerci.

Martial. Epig. 14. lib. 11.

Romani decus, & dolor theatri.

Non dissidet ab coniunctione illud 5. Æneid. *quem semper acerbum, semper honoratum.* Nec illud Martial. Epig. 4. lib. 7.

B ——*tuóque*
Terretur vultu barbarus, & fruitur.

22. DECVS MAGNVM.] Ita etiam coniunxit Catul. *magnum decus vrbis.*

23. HÆC TE PRIMA DIES BELLO, &c.] Aptissimè ad hunc locum charissimus meus Morlan. & in paucis doctus, aptabat Senecam, & Claudianum. Ille in Hercul. Oet. Locorum similitudo.

——*cecidit Oecalia inclyta,*
Vnúsque Titan vidit, atque vnus dies
Stantem, & cadentem.——

Hic de Bell. Get.

——*quibus attulit idem*
Principium, finémque dies.——

Adde ex Nota Germ. Soph. qui in Tyran. ἥδ' ἡμέρα φύσει σε, καὶ διαφθερεῖ: *Vna dies genuit, & perdet.* & Calab. qui lib. 1. loquens de Penthesilea,

——λυγραὶ δὲ μιν ὠτρύνεσκον
Κῆρες, ὅπως πρώτην τε, καὶ ὑστάτην ἐπὶ δῆριν:
——*luctuosæ illam impellebant*

C *Parcæ, vt ad primum, & nouissimum certamen.*

Vt autem ego non sim ἀσύμβολος in hac Nota, addo lib. 3. Epig. dici in re simili, ὃς Ἀΐδαο ἥρπασεν ἦμαρ: *quos rapuit Plutonis dies,* vt scilicet hîc, *hæc te dies aufert.* & Soph. in Electra, Dies rapit.

Νῦν δ' ἐκλέλοιπε ταῦτ' ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ:
Nunc verò illa omnia vna dies sustulit.

24. ACERVOS.] Suprà, Acerui mortuorum.

Ingentes Rutulæ spectabis cædis aceruos,

&c. *tot stragis aceruos.* Prudentius lib. 2. Hymn. loquens de Barbaris, quos vicit Stilico,

Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent.——

Cumuli.

Attius ante omnes in Epinausimache,

En Scamandrum vndam sanctam salso obtexi sanguine,
Atque aceruos alta in amni corpore expleui hostico.

Sed quia Poëta dicit *ingentes aceruos,* visum Vrsino duci ab Heluio Cinna, qui,

Nec tam donorum ingentes mirabere aceruos. Imitatio.

[a] Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Aduolat Æneæ: tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus versis succurrere Teucris.
[b] Proxima quæque metit gladio, latúmque per agmen
Ardens limitem agit ferro, te Turne superbum
Cæde noua quærens: Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensæ quas aduena primus
Tunc adiit, dextræq́; datæ. [c] Sulmone creatos

Quattuor

Quattuor hic iuuenes, totidem quos educat Vfens,
Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris,
Captiuóque rogi perfundat ſanguine flammas.

ARGVMENTVM.

Accipit Æneas ſuorum cladem, furit in acie, quærit Turnum, capit viuos iuuenes octo, quos immolet vmbris amici.

EXPLICATIO.

ᵃ HIc tractus abundat πάθεσι: miri enim affectus & iræ,& pietatis Æneæ; iræ in Turnum, pietatis in Pallantem. Ergo, interfectum Pallantem ab Turno primò fama ad Æneam pertulit, deinde certus nuntius, qui aduolauit. Quid verò nuntius? Res Troianorum eſſe in magno diſcrimine,nam *ſuos* cùm dicit, Troianos intellige, non Arcadas, ideo conſequenter, *tempus verſis ſuccurrere Teucris.* Memineris enim ſuprà dici, ſtratos Arcadas, Hetruſcos, Teucros: itaque miſti cum Arcadibus Troiani quoque. Vide verò tacitam Pallantis laudem,cuius obitu factum vt Troiani in fugam verterentur.

ᵇ Quid iam Æneas accepto nuntio? quæ ſunt in proximo omnia *metit.* Sic virtus indicata. Facilè enim ariſtas ſiccas meſſor demetit,pari facilitate Æneas hoſtes. Ac ſic factum, vt per agmen ageret *latum limitem*: ſic coniunge; nam lib. 9. *& lato te limite ducam.* Et, inter tot vnus Turnus quæritur, qui ſuperbus & gloriabundus *noua,* id eſt, magna (vt aliàs hic Vates) Pallantis *cæde.* Cur verò ita ardenter Æneas? quia multa ſimul viro pio obuerſantur, videlicet *Pallas, Euander, menſæ, datæ dextræ.* Habent omnia emphaſin. In *Pallante* conſidera floridam iuuentutem, militarem fortitudinem, ſpem maximam, hæreditatem paternarum opum: hæc omnia abrepta vnico Turni vulnere. In *Euandro* miſeram ſenectutem, vires iam languidas, vitam ſine ſpe, ademptam ſucceſſionem: quid hac ſenectute miſerius? Demum fœdera, quæ in *menſis* inita, quæque *in datis, acceptiſque dextris,* omnia fœdata ſunt hoc ſucceſſu fortunæ. Omnia iſta Æneæ obuerſantur. Quin oratio eſt perturbata, ad indicandam perturbationem animi Æneæ, quod iam Seruius vidit, quem tu vide. Video in hoc Æneæ ſucceſſu repræſentata verba illa Sen. Rh. Cont. 8. *Crede mihi pater, non ſum mei iuris, cùm ille prælij clamor exortus eſt, inuadere hoſtes libet, obſtantes cuneos gladiis diducere: hic impetus, hic ardor animi.*

ᶜ Cùm tot interfeciſſet, ſeruati ſunt octo ad inferias defuncti, & hi quidem in florida iuuentute, vt par eſſet compenſatio.

NOTÆ.

1. CERTIOR AVCTOR.] Mos militaris, vt in ipſo adhuc belli feruore mittatur nuntius ad Principem exercitus, vt certior ille fiat de re aduerſa, vel etiam à Principe ad alios. *Nuntius in ipſo belli furore.* Curt. lib. 4. *Mazæus cum omni ſuorum equitatu vehementer inuectus, vrgebat Macedonum alas. Iamque abundans multitudine aciem circumuehi cœperat, cum Parmenio equites nuntiare iubet Alexandro, in quo diſcrimine ipſi eſſent: niſi maturè ſubueniretur,* A *non poſſe ſiſti fugam.* Plutar. in Mario, ὁ δὲ Μάριος ἐκασταχοῦ διαπέμπων τοὺς ἡγεμόνας ἱστάναι καὶ καρτερεῖν παρεκάλει: *Marius dimiſſis in omnem partem ducibus, monuit milites, vt conſiſterent, & continerent ſe loco.* Idem de Craſſo in Bello Parthico, ἀγγέλους πέμψας πρὸς τὸν υἱόν: *mittens nuntios ad filium.* Apud Calabrum lib. 2. Neſtor nuntiat duci pugnanti vaſtitatem, quam edebat Memnon in Græcos. Exemplorum plenus Homerus, cùm iam ad Agamemnonem, iam ad Aiacem, iam ad Diomedem mittantur nuntij in belli diſcrimine. Cœperam loca animaduertere, & in tot incurri, vt omiſerim. Tantùm, poëſin Calabri animaduerto, B qui lib. 1. inducit Auras, quæ filiæ ſunt Boreæ, indicantes Marti mortem Pentheſileæ. Quo ſanè commento viſus mihi eſt Calaber velle ſignificare per Auras, quod Virgilius per Famam. Nam quod Auræ datur, Famæ datur. *Auræ nuntij ſunt.*

2. PROXIMA QVÆQVE, &c.] Comparat hunc locum Scaliger cum Homeri ductu, & Latino dat palmam; nam *Æneæ iram, non lacrymis, aut obtutu furioſo, aut dentium concuſſione declarauit: ſed verborum ſuppreſſione, & animi impetu: nam ſtatim accepto nuntio ſine verbis, proxima quæque gladio metit,* &c. *Homerum ſuperat Virgilius.* Dicit hoc, quia Homerus ſæpe habet in ſumma ira ſummas moras. *Vitium Homeri.* C Talia ſunt, αὐτὰ ἰδεῖν. ἀντίον ηὔδα. κόμπος, & καναχὴ ὀδόντων. προσεφώνεεν ἔπεα πτερόεντα. ἀπαμειβόμενος προσέφη. ὣς φάτο. διάνδιχα μερμήριξεν. κατὰ θυμόν. κατὰ φρένα. ὑποβλήδην ἠμείβετο. & hæc omnia, vt dixi, in ſumma ira. Quis ferat rixam illam, verè olitorum, inter Achillem, & Agamemnonem?

3. METIT.] Traductio hæc aliis placita. Stat. 1. Theb. *mors fila ſororum Enſe metit.* Horat. Od. 14. lib. 4. *Primóſque & extremos metendo.* Vetus Poëta apud Tull. loquens de fragili mortalium vita, *Metenda vt fruges, ſic iubet neceſſitas.* Oppian. lib. 4. Hal. ſynonymicè coniungit, τέμε, ἐκόλουσεν, ἤμησε: *ſcidit, mutilauit, meſſuit.* Inde eſt, vt Poëtæ frequenter recurrant ad ariſtas in re belli, vt cùm ait Nonnus lib. 22. *Meto, de morte.*

D ——σὺ δὲ στρατὸν ἔθρισας Ἰνδῶν,
Ἀνέρας ἀμάων: ——
——*tu verò exercitum incidiſti Indorum,*
Viros metens.——

Et iterum:

——ἐπασσυτέρῃσι δὲ ῥιπαῖς
Κυανέης ἤμησε σιδήρεα λήϊα χάρμης:
——*continuis ictibus*
Cærulea demeſſuit ferratas ſegetes pugnæ. *Seges, de mortuis.*

Calaber lib. 3.

Ὡς δ᾽ ὅτε λήϊον αὖον ὑπ᾽ ἀμητῆρσι πέσῃσι:
Vt cùm ſeges ſicca cadit (ſecta) *à meſſoribus,* &c.

Ex his illuſtro Catullum de Nupt. Pelei,

Namque velut denſas proſternens meſſor ariſtas,
E *Sole ſub ardenti flauentia demetit arua,*
Troiugenûm infeſto proſternens corpora ferro.

Et quis ſatis explicet vberem Græcorum venam, qui ad augendas, & explicandas bellorum clades ſæpiſſimè confugiunt ad rem agreſtem? *Agreſtia ſæpe ad bellorum clades.* Vt cùm Homer. 13. Iliad. pulſa tela comparat cum fabis ventilatis in area. Vt cùm ibidem vnanimem in bello conſenſum vtriuſque Aiacis cum duplici boue ſulcante terram vno ſub iugo: ſic illi pariter in bello. Vt cùm Pentheſilea apud Calabrum lib. 1. detruncans Græcos cum vitula proterente germina. Et lib. 11.

lib. 11. ait, ita hostes cadere, vt cadunt segetes sectæ à messoribus. Hæc omnia vicina sunt.

Ferro viam agere.

4. ARDENS LIMITEM AGIT FERRO.] De Virginio Liuius lib. 3. *Ille ferro, quocunque ibat viam facere.* Est hoc, quod de Camillo terribiliter inter Volscos grassante idem lib. 6. *Itaque quocunque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat.* Quod Calab. lib. 1. πολὺν δ' ὑπεδάμνατο λαόν, de strenua virtute Penthesileæ. Quod Nonnus lib. 22.

Ἔνθεν ἴθεν καὶ ἔνθα διωκομένῳ Διονύσῳ:
Cedebant hinc & hinc irruenti Baccho.

De Scipione iuuene Sil. lib. 4. paternam mortem vlciscente,

Continuò cessêre globi, latúsque repentè
Apparet campo limes, metit agmina tectus
Cælesti clypeo, & sternit super arma iacentum
Corpora, & auctorem teli, multásque paternos
Ante oculos animas, optata piacula, mactat.

Et videtur mihi Poëta explicuisse vocem ῥηξήνορα, sic enim Achillem suum Hom. vocat lib. 16. quòd obuia quæque in acie confringeret. Pari ferocitate Ammian. lib. 19. *Obuia quæque obtruncabat sine parsimonia viuos conculcans, & semineces, ac peremptos.*

Superbus cæde.

5. SVPERBVM CÆDE NOVA.] Par sententia illa, quæ præcessit in hoc lib. de Mnestheo,

——*quem pulsi pristina Turni*
Aggere murorum sublimis gloria tollit.

Et Poëta quidem reddit Homeri κυδιόωντα. Hac enim voce ille sæpissimè afficit duces suos post præclarum quoduis facinus.

6. QVÆRENS.] Quasi alios despiceret, & vni C Turno vellet mortem afferre. Itaque par illud lib. 9. de Niso,

——*in solo Volscente moratur.*

Imitatio.

Et Iliad. 16.

Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἔα, οὐδ' ἐνάριζεν,
Αὐτὰρ ὁ Πατρόκλῳ ἔπεχε κρατερώνυχας ἵππους:
Hector ceteros Danaorum contemnebat, neque occidebat,
Sed in Patroclum dirigebat solidungulos equos.

Locorum similitudo.

7. PALLAS, EVANDER IN IPSIS OMNIA SVNT OCVLIS.] Petron. Sat. sic videtur imitatus Poëtam,

Arma, cruor, cædes, incendia, totáque bella
Ante oculos volitant.——

Et Stat. 11. Theb. *Omnibus ante oculos ira Iouis.*

Numerus par infelix.

8. QVATTVOR.] Signatè; nam ex infelicitate numeri paris, qui & sacer mortuis, & semper infelix apud veteres. Ergo Virg. octo iuuenes, quatuor & quatuor viuos seruat ad inferias. Ita in 6.

Quattuor hic primùm nigrantes terga iuuencos.

Et in 3.

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

Ad Patrocli funus Achilles Iliad. 21.

Ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος:
Viuos ex fluuio duodecim delegit iuuenes
Pœnam Patrocli Menœtiadæ mortui.

Pertinaci Imperatori inauspicatum fuit, quòd illi decretum esset ius quartæ relationis, breuique exitium adfuit. Notum est, Februarium, cui pares A dies, sacrum inferis. Apud Herodot. lib. 3. decernitur, vt pro singulis Persarum interfectis δέκα τῶν Αἰγυπτίων τῶν πρώτων ἀντἀπολλυσθαι, *decem interficerentur ex principibus Ægyptiorum.*

Sanguis in sepulcris mortuorum.

9. VIVENTES RAPIT INFERIAS, QVOS IMMOLET VMBRIS.] Visitatum Græcis (accepêre ab his Latini) fundere humanum sanguinem ad sepulcra mortuorum, placandis illorum manibus. Illustris est locus Tertull. hac de re: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos, vel malo ingenio seruos mercati, in exsequiis immolabãt.* Inde ergo Homerus iuuenes duodecim mactat, Virgilius octo, vterque in funere, Græcus Patrocli, Latinus Pallantis. In Heliod. lib. 9. & 10. Hist. Æth. magna est moris huius mentio de iuuenibus, qui ser-B uati in bello ad mactationem. De Gallis Diodor. lib. 5. χρῶνται δὲ καὶ τοῖς αἰχμαλώτοις ὡς ἱερείοις πρὸς τὰς τῶν θεῶν θυσίας: *vtuntur captiuis, tanquam hostiis, ad Deorum victimas.* Sueton. August. cap. 15. *Scribunt quidam trecentos ex dediticiis electos vtriusque ordinis ad aram Diuo Iulio extructam Idib. Martiis hostiarum more mactatos.* Valer. Max. *Marium occidit Sylla pertractum per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiæ gentis.* Et apud Calab. lib. 3. in funere Achillis,

Gallorum mos.

——πολλοὺς δ' ἐφύπερθε βάλοντο
Τρώων δηώσαντες ὁμῶς περικαλλέας υἷας:
——*nec paucos superiniiciunt*
Troianorum insignes forma, quos interficiunt.

Pyrrhus apud Plaut. multos hostium interficit, ὥσπερ ἐναγισμόν τινα τῷ παιδὶ τελῶν, καὶ λαμπρὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀγωνισάμενος: *quasi inferias dans filio, magnificámque edens tanquam ludos funebres pugnam.* Vates quidam apud eundem in vita Themist. ἐκέλευσε τῶν νεανίσκων κατάρξασθαι, καὶ καθιερῶσαι πάντας: *iussit adolescentes omnes in victimam & hostiam consecrari.* Ergo illud Sen. in Troadib.

Quòd si leuatur sanguine infuso cinis,
Opima Phrygij colla cædantur gregis,
Fluátque nulli flebilis matri cruor.
Quis iste mos est? quando in inferias homo est
Impensus homini?——

Gladiatorij ludi origo. Bustuarij.

Hoc (inquam) prolatum non tam ex ignoratione moris, quàm ex rei inuidia. Quin nulla alia origo ludi gladiatorij, & inde gladiatores ipsi *à bustiis bustuarij dicti*, ait Seru. Lege & hoc in Tertull. qui latè. Sed D quidem morem hunc natum à Græcis, vt initio dixi, clarè aperit Eurip. Troadib. vbi Hecuba ita loquitur:

Οἴμοι ἐγὼ τάφου πρόσπολον ἐτεκόμαν.
Ἀτὰρ τίς οὗτος ἦν νόμος; ἢ
Τί θέσμιον, ὦ φίλος, Ἑλλάνων;
Hei mihi sepulcro ministram peperi.
Sed quænam hæc est lex? aut
Quis ritus Græcorum, ô amice?

Hispanorum mos.

Inde Græcis parentationes dictę αἱμακουρίαι, qua voce vsus Pind. Od. 1. Olymp. ab sanguine puerorum, qui fusus. Hispanorum morem antiquum, vt vnà cum cadente Imperatore mortem obiret cohors Prætoria, lege apud Plutar. in vita Sertorij.

[a] Inde Mago procul infensam cùm tenderet hastam,
Ille astu subit, ac tremebunda superuolat hasta,
Et genua amplectens effatur talia supplex.
[b] Per patrios manes, & spes surgentis Iüli,
Te precor, hanc animam serues natóque patríque.

Est

Est domus alta, iacent penitus defossa talenta
Cælati argenti: sunt auri pondera facti,
Infectíque mihi; non hîc victoria Teucrûm
Vertitur, aut anima vna dabit discrimina tanta.
[c] Dixerat. Æneas contrà cui talia reddit.
Argenti atque auri memoras quæ magna talenta
Gnatis parce tuis. belli commercia Turnus
Sustulit ista priùs, iam tum Pallante perempto.
Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iülus.
[d] Sic fatus galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice, orantis capulo tenus abdidit ensem.

ARGVMENTVM.

Magi metus, astus, preces ad Æneam, huius responsum, illius mors.

EXPLICATIO.

[a] VIDIT tum forte Æneas ante oculos Magum, contendit in illum hastam: hic astutè & ex militari peritia *subit*, id est, inclinans se & submittens it sub hastam curritque: ac tunc hasta ipsa superuolauit Mago intacto, qui statim supplex ad Æneæ genua accidit, amplectens, tangénsque.

[b] Sequitur oratio Magi ad Æneam. Precatur per patrem, per natum; illum mortuum, vt quiescat placidè; hunc viuum, vt surgat feliciter spe, quam præbet. Quid (inquam) precatur? *Animam.* nil potuit maius petere. Quibus? patri seni, nato impuberi. Ergo, per patrem tuum serua hanc animam patri meo: per natum tuum nato meo. Vt videlicet Æneas recordatione patris, ac nati sciret quid gerendum in alieno. Addit pretium, si ista non satis: videlicet thesauros argenti cælati, aurum factum, infectúmque. Et, vt credat Æneas sibi esse thesauros, addit speciem veritatis; *est domus alta*, &c. vt ille ex domus magnitudine æstimet fortunas. Demum ait, victoriam non constare se aut viuo, aut mortuo.

[c] Quid verò ad illum Æneas? Primò contemnit sordes pretij, vt se indignas; & aurum illud, atque argentum vult seruari liberis Magi: nec locum esse commerciis, cùm iam Turnus sustulerit Pallantem. De patre, & nato quod obiecerat Magus, diluit Æneas; nam ita placitum Anchisæ, ita Iülo. Dixit *commercia*, ait Iul. Scal. *quia vitam auro, atque argento mercabatur.*

[d] Statim Æneas læua tenuit galeam, & miseri ceruicem reflexit, atque ensem capulo tenus supplici abdidit.

NOTÆ.

1. ILLE ASTV SVBIT, &c.] Aliqui explicant subsedisse Magum. Non credo, imò vt explicui, quia ductus Homeri eò me ducit: nam cùm Iliad. 21. Achilles hastam coniecisset, subiicit de eo, qui erat petendus, *(Subire astu. quid.)*

——ὁ δ᾽ ὑπέδραμε, καὶ λάβε γούνων
Κύψας, ἐγχείη δ᾽ ἄρ᾽ ὑπὲρ νώτου, &c.——

A ——*ille autem subcurrit, & cepit genua*
Inclinans se, hasta verò supra humerum, &c.——

Tale ferme illud 15. Iliad. de Polydamante, qui ὕπαιθα λιάσθη ad venientem hastam. & de Merione, qui lib. 16. ad iaculantem Æneam κατέκυψε, ac tunc hasta superuolauit.

2. TREMEBVNDA.] Vel cum respectu ad terrorem Magi, vel ad vibrationem, qua iactata. Hasta enim, cùm iactatur, tremit in cursu, & se obliquat. Inde Lucan. lib. 4. opponens ait, *(Tremebunda hasta.)*

Eminùs obliquis, & rectis cominùs hastis.

Sic videtur mihi posse legi versus Lucani, maiori venustate, quàm vt in vulgatis legitur, videlicet,

B *Cominùs obliquis. & rectis eminùs hastis.*

Video in hac lectione inesse quoque leporem.

3. SVPERVOLAT HASTA.] Ad verbum Hom. ὑπερέπτατο ἔγχος. Vide lib. 9. vbi sagittæ dantur alæ.

ET GENVA AMPLECTENS.] Exempla huius moris dedi lib. 3. Æneid. Hîc, si lubet, adiice formas, quibus vsi veteres ad rem hanc. Claud. apud quem 1. Rapt. Parcæ genibus Plutonis *admouere manus*. Tryphiod. ἧψατο γούνων. quod sumpsit ab Hom. qui vlt. Iliad. γούνων ἁψάμενοι. Demosth. de falsa Legat. προσπίπτειν πρὸς τὰ γόνατα. Philost. lib. 2. de vitis Soph. προσπίπτειν τοῖς γόνασι. Nonnus lib. 24. simplex intulit, γούνασι πίπτω. Eurip. in Orest. θιγγάνω. & in Andr. *(Genua amplecti.)*

C προσίθημι γόνασιν ὠλένας ἐμάς. Agathias lib. 1. ἑλιχθεὶς περὶ γόνασι. Hom. 9. Odyss. βάλε γούνασι. Casum mutauit vlt. Iliad. βάλε γοῦνα. Odyss. 14. κύσε γούνατα. Dionys. lib. 4. λαβόμενος. Synesius supplicem vocat γονυπετῆ. Alij tibi occurrent. His exemplis vidisti triplicem morem seruatum in hac re. Vel enim tantùm supplices contingebant genua. Inde ἅπτεσθαι, θιγγάνειν, *admouere*. Vel proiiciebant se ad illa aduolutim, inde βάλλειν, πίπτειν, προσπίπτειν. & Saluian. epist. ad Hypatium, & Quietam: *Aduoluor vestris, ô parentes charissimi, pedibus.* Vel demum implicabãt genua brachiorũ nexu, inde λαβόμενος. & Eurip. in Androm. & de ipsa, ἱκέτις περὶ χεῖρα βαλοῦσα. His moribus annexus alius. *(Supplicum mos triplex.)*

D Fiebat enim precatio per genua, quasi hæc sancta essent. Suet. Tiber. *Per genua orare conantem.* Plaut. Trucul. Act. 4. *Per tua obsecro genua.* Quin non supplicatio solùm fiebat per genua, sed illa adorabantur. Plin. lib. 11. cap. 45. *Hæc, vt aras, adorant.* Hinc Eurip. Aul. de genu ait βωμὸν, id est, *aram*. Et Orest. apud eundem Menelai genibus aduolutus, τὰ σᾶ γονάτων προτόλεια θιγγάνω: *Tuis genibus primitias admoueo.* Primitiæ autem propriæ sunt Deorum. Itaque hominum genua adorabantur, & sacra capiebant, sicut etiam Deorum genua. Nam de his Apul. 1. Apolog. *votum in alicuius statuæ femore assignasti.* & Iuuen. Satyr. 10. *genua incerare Deorum.* Hinc soleo explicare Homeri *(Precatio per genua.) (Genua adorabantur.) (Vota in genibus Deorum.)*

meri versum Iliad. 20. vbi ad explicandam Deorum A voluntatem, dicit *genua*, eo versu,

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται:

Sed hæc certè posita sunt in Deorum genibus.

Rationem porrò, cur genua dicata sint misericordiæ, ducunt aliqui ex compositione humani corporis, & affinitate illa, quæ est genibus cum genis oculorum. Locus Plinij de hac re clarus est, & in promptu, & à multis adducitur: à me audi Isidori verba ex manuscrip. *Genua à genis dicta, eo quòd in vtero cohæreant, & coniuncta sint oculis: vnde Ennius ait. Atque genua comprimunt arta genua.* versum Ennij alij sic legũt: *Æquè genua comprimunt artè genas.* Adduco etiam ad confirmationem loci Pliniani, quem vt tritum non adduxi, versus Eurip. in Supplic. qui firmant sententiam Plinij, B

Genua vnde dicta.

Πρὸς γενειάδος σε, φίλος, ὦ δοκιμώτατος Ἑλλάδι

Ἄντομαι, ἀμφιπίτνουσα τὸ σὸν γόνυ, καὶ χέρα δειλαίαν:

Per genam, ô charissime, & præstantissime in Græcia,

Precor, cadens ad tua genua, & manum miseram.

Non enim otiosè Tragicus, præmissa mentione genæ, recurrit ad genua. Credendus quippe id fecisse ex ea vicinitate.

5. Effatvr talia svpplex.] Ammian. lib. 17. *Restare solam salutem contemplantes in precibus affusi sunt vestigiis Augusti.*

6. Per patrios manes, &c.] Totus hic locus adumbratus ab Hom. 6. Iliad. nec mihi omittendus, quamuis in aliis sit.

Ἄδρηστος δ' ἄρ' ἔπειτα λαβὼν ἐλίσσετο γούνων.

Ζώγρει, Ἀτρέος υἱὲ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα. C

Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,

Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.

Τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα

Εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν:

Adrestus autem deinde amplexis supplicauit genibus.

Viuum serua, Atrei fili, tu autem digna accipe præmia.

Multæ enim diuitiis patris res pretiosæ reconditæ iacent,

Æsque, aurúmque, elaboratúmque ferrum.

Ex his tibi largietur pater infinita dona,

Si me viuum audierit ad naues Achiuorum.

Vide trutinam fidelissimam Scaligeri. Sed nullo opus trutinante, vbi leguntur vtriusque versus. Omitto quæ habentur 11. Iliad. nam ab his, nisi vno, aut duobus verbis, nihil discrepant. & quæ lib. 21. vbi Lycaon filius Priami paria fermè ad Achillem. Lege ab illo loco, γουνοῦμαι σ' Ἀχιλεῦ, &c. & D quæ lib 10. Dolon ad Diomedem, & Vlyssem. eadem enim fermè sunt. Nam inter vitia Homeri hoc non est minimum, vt sæpissimè recurrat ad rem eandem.

Homeri vitium.

7. Patrios manes.] Notetur quod latet occultum in sententia. Est hæc obtestatio species quædam iurisiurandi; eo autem ipso Anchisæ diuinitatem fatetur Magus, vt ita Æneæ animum permoueat. Nam iusiurandum assumitur in argumentum diuinitatis. Apud Stat. Adrastus Archemori manes placans, se facturum promittit, vti Thebis quoque iuretur, id est, vt Thebarum quoque Deus agnoscatur. E

Iusiurandum argumentũ est diuinitatis.

——Inachias nec tantùm culta per vrbes

Numina, captiuis etiam iurabere Thebis.

Hoc blandimento Hermonie apud Ouid. in Epist. *Per patris ossa tui.* & in Briseide, *Per tamen ossa viri.* Nestor apud Hom. 15. Iliad. obtestatur Græcos *per parentes*, λίσσεθ' ὑπὲρ τοκέων. Hæc enim, & similia dicuntur cum blandimento diuinitatis, quam affectabant Gẽtiles. Ceterùm Virgilij loco vicina sunt loca quæpiam Poëtarum: vt cùm quidam apud Valer. 6. Arg.

Teque per hanc, genitor, inquit, tibi si manet, oro,

Caniciem, compesce minas, & sicubi nato

Parce meo, dixit.——

Medea apud Eurip. ita obtestatur Creontem:

Οἴκτειρε δ' αὐτούς, καὶ σύ τοι παίδων πατὴρ

Πέφυκας. ——

Miserere horum (liberorum) *nam & tu filiorum es pater.*

Priamus 24. Iliad. supplicabundus ad Achillem,

Μνῆσαι πατρὸς σοῖο θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ:

Recordare patris tui ô Diis par Achilles.

Eurip. in Taur. πρὸς μητρὸς, πατρός τε, καὶ τέκνων: *Per matrem, per patrem per liberos.*

8. Spes svrgentis Ivli.] Apud Eurip. Hecuba ait, spem esse seruandæ Polyxenæ, si rogetur pro ea Vlysses. Sed quæ spes? ἔστι γὰρ τέκνα καὶ τῷδε: *quoniam illi sunt liberi.* Quasi qui habe.ret liberos, deberet parcere aliorum liberis. Dat verò puero spem iam *surgentem*, non *macram*, vt de infante loquitur Pers. Satyr. 2. Itaque poëticum hoc, non est, quod in Professorib. dixit Auson. *Herculane, qui profectus gremio de nostro & schola, spem magis, quàm rem fruendam præbuisti auunculo.* Nam videlicet spes Iuli non fruenda in posterum; sed iam surgens, vt qui esset iam in acie. *Præcurrens* (ait Val. Max. de Æmilio Lepido lib. 3. cap. 1.) *ætatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate.*

Spes surgẽs.

9. Hanc animam.] Et δεικτικῶς, & ἐμφατικῶς: vt Eurip. in Med. πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν: *vnam ad animam spectare.* Ita statim, *haud anima vna dabit discrimina tanta.*

10. Serves.] Propriè. Sed quis nescit, dici *seruari* in re belli? τρέφειν δύναμιν, dixit Plut. in vita Sertorij. Centena hæc.

Seruo, in re belli.

11. Est domvs alta.] Quid propriè sit *domus*, video multos ignorare. Poëta me ducit, vt intelligam: nam *alta*, & in qua *defossa talenta*. Ergo *domus* erat propriè Principum, & in qua non pars vna, sed duæ saltem, fortasse & tres, videlicet summa, media, ima; & in qua porticus, atria, & similia ornamenta. Qui Homerum legat, id satis noscet, in quo *domus* semper datur viris principibus. Nam lib. 6. Iliad. cùm præmittat, Πριάμοιο δόμον, ait illam αἰθούσῃσι τετυγμένον, *porticibus extructam*. addit mox thalamos, & varias structiones. In eodem lib. Hectori attribuit δόμους numero multitudinis, credo, vt indicet plura habitacula distincta intra vnum ambitum: & iisdem dat altitudinem, ἐν ὑψηλοῖσι, inquit, δόμοισιν. Lib. 14. dat domum Oceano, in qua variæ & crebræ profunditates; & Iuno gloriatur se ibi enutritam. Demum vix est Princeps in Iliade, & Odyssea, cui non det δόμοι. Quærunt etiam enixè alij, quid sit propriè δῶμα. Scio ab S. Hieronymo, & aliis dici esse *tectum* domorum, vel veriùs *extremam partem domus*, idque ex loco fortasse & ex aliis. Sed non dubito quin in Homero, & Græcis aliis sit idem, quod δόμος. Nam, quam Homerus vocat *domum* Priami; Calaber nominat *doma*: libro enim primo ducit Priamus Penthesileam εἰς ἑὰ δώματα, *ad sua domata*. Quin Hom. idem lib. 6. Iliad. loquens de Hectore ingrediente ædes, ait, ἵκανε δόμους, & statim de eodem egrediente ex iisdem ait, ἀπέσσυτο δώματος. Similiter qui lib. 14. dixerat *domum* de ædibus Oceani, in eodem ait, δῶμα βαθυρρεῖος Ὠκεανοῖο. *Domus* ergo, & *doma*, idem. Sunt etiam infinita loca in Hom. in quibus dat *domata* Principibus, sicut & *domus*. Nam 6. Iliad. δώματ' Ἀλεξάνδροιο. & 14. δῶμα de ædibus Adrasti; & sæpe alibi. Itaque, qui *domum*, & *doma* arctant tantùm ad *tecta ædium*; & *summas partes*, videant quî possint

Domus quid propriè.

Doma quid.

satisfa

satisfacere locis Homeri, quæ adduxi, & infinitis, quæ nolui. Nam recurrere ad tropum in hac re, satis est frigidum: cùm ego possim in eosdem retorquere eundem tropum. Pari trutina reprehendo illos, qui δωμάτιον arctant tantùm ad cubiculum, vbi erat thalamus & lecti cubiculares, quòd Plato 3. Polit. hoc sensu acceperit. Verum est, ita accipi hanc vocem à Platone ibi, sed non ideo arctanda est ad id vnicum significatum, vt ex adductis liquidum. Summa tectorum dicebantur propriè ὀροφαί, atque etiam (notet hoc Lector) ὠϊα, & ὠα, oua, ab ouali figura, quæ sæpe in fastigiis ædium, quod ex Clearcho Athenæus scribit. Inde fabula Helenæ natæ ex ouo, quia in altis ædibus.

Domatium.

Oua, de ædibus.

12. IACENT PENITVS DEFOSSA TALENTA.] Putauit hanc esse facilem rationem extorquendæ clementiæ. Nam quem pecuniæ non corrumpant? Apud Calab. lib. 1. cùm iam victa esset Penthesilea ab Achille, secum ita cogitabat,

Pecuniæ vis.

> Λίσσεσθ' ἀνέρα δῖον, ὑποσχέσθαι δ' οἱ ἄλις
> Χαλκὸν ἄλις, καὶ χρυσὸν, ἅτε φρένας ἔνδον ἰαίνει
> Θνητῶν ἀνθρώπων, καὶ μάλα τις θρασὺς εἴη;
> *Supplicaréne diuinum virum, eique statim promitteret*
> *Æs, atque aurum affatim, quæ mentes oblectant*
> *Mortalium hominum, etiamsi quis valdè sit ferox?*

Apud Plutar. etiam quidpiam simile in historia Luculli, vbi huic duci promisit Callimachus quidam θήκας ἀποῤῥήτους μεγάλων χρημάτων, *thesauros reconditos magnarum opum*, vt sibi parceret. Sed frustra; nam Lucullus, οὐ προσέσχε. *nihil curauit.* Considero & hîc naturalem vitæ affectum, qui potentior omni cupiditate, & auaritia. Quid prodessent tot thesauri vita erepta? Libens illos obiicit. Scitè Quintil. Declam. 345. *Iturus aliquis in id discrimen, ex quo euasurum se non speret, pecuniam spectauit? scilicet vt locupletior periret.*

Vitæ amor potentissimus.

13. DEFOSSA TALENTA.] Cornicatur Seru. cùm scribit, *melius infossa diceret, quàm defossa.* Nónne *deponere, deprimere, deiicere*, & millena, in suo quodque significato ita dicuntur, vt hic *defodere*? Sed esto hoc audaciter: potuit certè dicere, vt vnus ex auctoribus linguæ Latinæ. Ceterùm ad sententiam Virgilij aspirat Horat. Sat. 1. lib. 1.

> *Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri*
> *Furtim defossa timidum deponere terra?*

14. CÆLATI ARGENTI.] Explicuit hoc iam Noster Symbolarum Collector Pontanus verbis Isid. cap. 17. lib. 15. *Tria sunt genera argenti, & auri, & æris: signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis & signis: infectum, quod in massis, quod & graue dicitur, id est, massa.* Hæc Isid. Ergo in *cælato argento* Virgilij cape signatos nummos; in *facto* vasa & signa; in *infecto* massam auri. Verba Seruij in hoc loco deprauata sunt, & corrigenda ab Isidoro, non contrà. Tò *factum infectúmque* est κατέργαστον, ἀκατέργαστον. Plut. in vita Luculli *infectum* vocat, πεπυρωμένον ἀργύριον. vbi non explico *conflatum*, sed *infectum*: nam postea opponit νομίσματα ὀργύρια. Homerus Iliad. 10. *factum* nominat πολύκμητον. Intelligit verò Poëta toto hoc cursu hominem πολύχρυσον, καὶ πολύχαλκον. quibus vocibus vsus Homer. Iliad. 10.

Signatum aurum, Factum, Infectum.

15. NON HIC VICTORIA TEVCRVM VERTITVR.] Adducit pulcherrimè Seruius illud Lucani, *non pondera rerum. Non momenta sumus.* Sed nihil expendit. Ergo credamus Virgilium in verbo *vertitur* allusisse ad lances trutinarum, & ad ῥοπήν. Cùm enim maius pondus in lance vna ponitur, quàm in altera, tunc lanx illa vergit, & *vertitur*, vt loquitur Poëta. Tectior fuit Virgilius Lucano, qui per *pondera* & *momenta*. Inde statim pari consecutione, *haud anima vna dabit discrimina tanta.* Nam *discrimen* dicitur de libræ examine, sicut & *momentum*. Quasi dicat: vna animula nihil addet ponderis ad victoriam. Inde iterum consequenter Æneas, *commercia Turnus abstulit ista*: non hîc fit emptio, aut mercatio.

Verto, de lancibus.

16. CONTRA CVI TALIA REDDIT.] Ἀντίον ηὔδα.

17. ARGENTI, ATQVE AVRI, &c.] Contemnit videlicet tot opes præ auiditate vindictæ, & hauriendi sanguinis. Itaque quadrant in hanc sententiam versus Claud. Bell. Get.

Vindictæ potentia.

> *Inuisum miles sitiens haurire cruorem;*
> *Per varias vestes, oneratáque plaustra metallo*
> *Transit, & argenti cumulos, & cædis auarus*
> *Contemptas proculcat opes: pretiosior auro*
> *Sanguis erat, passim neglecti prodiga lucri*
> *Ira furens strictis odium mucronibus explet.*

Et post pauca:

> *Raptáque flagranti spirantia signa Corintho*
> *Callidus ante pedes venientibus obiicit hostis*
> *Incassum. neque enim feralis præda moratur,*
> *Sed iustos præbent stimulos monimenta doloris.*

18. GNATIS PARCE TVIS.] Sumptum hoc à Lucillio, & Ennio Seruius notat. Sed cur *gnatis*, cùm suprà, *hanc animam serues natóque, patríque*? Amplector Notam Seruij, qui ait, dici *natos* pro vno tantùm, vt etiam *liberos* pro vno. Nam Terent. Hecyr.

Nati, de vno tantùm filio.

> *Qui illum dignum decreuerint suos cui liberos committerent.*

vbi *liberos* de filia tantùm vna. Vide Agell. lib. 2. cap. 13. & Pont. qui latè in hunc locum. Sed cur *parce talenta* cum quarto casu? Quia nulla sunt verba neutra, ô Lector. Ita & Terent. ex Nota Germani, *quod comparsit.* & Propert. non dissimili verbo,

Liberi, de vno tantùm.

Neutra verba nulla.

> *Iuppiter ignosco pristina furta tua.*

19. COMMERCIA TVRNVS, &c.] Ducuntur hæc Homerico filo lib. 21. Iliad. vbi cùm Priami filius Lycaon Achillem deprecaretur, audiuit ab eo ἀμείλικτον ὄπα, *verbum immite*; videlicet, ante mortem Patrocli seruatos multos Troianos, post mortem illius seruandum neminem, præsertim ex filiis Priami.

20. REFLEXA CERVICE.] Vt solent noxij. Itaque hoc ad ludibrium. Vide me 2. Æneid. vbi paria in morte Priami: & hîc adiungo Prudentij locum in Psychom.

Noxij vti in supplicio.

> *Illa cruentatam correptis crinibus hostem*
> *Protrahit, & faciem læua reuocante supinat,*
> *Tum caput orantis flexa ceruice resectum*
> *Erigit, ac madido suspendit colla capillo.*

A qua iniuria non abit illa Valer. 3. Arg.

> *Occupat os, barbámque viri, clauámque supernè*
> *Intonat.———*

Apud Plutar. etiam in vita Pelopidæ, cùm interficitur à tribus adolescentibus Alexander Tyrannus Pheræorum, cùm primus premeret illius pedes, & tertius obtruncaret, secundus τὴν κεφαλὴν λαβόμενος τῶν τριχῶν ἀνέκλασεν, *caput crinibus arreptum retorsit.* Apud Eurip. in Troadib. Menelaus cùm decernit Helenam interficere, iubet illam trahi ad se hunc in modum; ἐκκομίζετ' αὐτὴν κόμης ἐπισπάσαντες. Vide etiam de hoc more lib. 12. ad illud,

> *Cæsariem læua turbati corripit hostis.*

Nec

[a] Nec procul Æmonides, Phœbi Triuiæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste, atque insignibus armis.
Quem congressus agit campo, lapsúmque superstans
Immolat, ingentíque vmbra tegit. arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi Rex Gradiue, trophæum.
[b] Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Cæculus, & veniens Marsorum montibus Vmbro.
[c] Dardanides contrà furit. Anxuris ense sinistram,
Et totum clypei ferro deiecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vímque affore verbo
Crediderat: cœlóque animum fortasse ferebat,
Caniciémque sibi, & longos promiserat annos.

ARGVMENTVM.

Æmonidæ Sacerdotis mors, Cæculi, & Vmbronis virtus, postremi etiam exitium.

EXPLICATIO.

[a] DAt Poëta explicatissimè omnia, quæ in Æmonide, vt eius exitium appareat acerbius, & τραγικώτερον. Itaque interitus illius nobilitatur ab circumstantiis, quæ in hoc viro. Imprimis eius ministerium, nam *sacerdos Phœbi & Dianæ.* Deinde insigne, nam illi *infula redimibat tempora*, & cum *sacra vitta*: nam videlicet vittis innexæ infulæ. Tertiò, erat illi vestis insignis, & arma insignia, & ideò ab vtraque re *collucens.* Hunc igitur ministerio, insigni veste, & armis venerandum Æneas cùm vicisset, ac proculcasset ingenti contumelia, mox immolauit, vt victimam, & erepta arma ab humeris Seresto tradidit, qui sibi proximus, ad erigendum trophæum Marti. Illud, *congressus agit*, est, cùm priùs egisset, id est, insecutus fuisset campo, congressus cum illo est. Expendit Seruius τὸ *immolat*: quasi dicat Vates; immolat sacerdotem, qui immolare consueuerat. Quid sit, *ingentique vmbra tegit*, non est facile diuinare. Seruius vulgaris multis explicat, & is, qui ex schedis prodiit plures adhuc addit explicationes. Mihi visum, tantùm alludi ad mortem, quam vocat *vmbram magnam*, vt rem efficiat summoperè tragicam.

[b] Transit ad Cæculum, & Vmbronem: illum insignit à patre Vulcano, à quo genitus; hunc ab montibus Marsorum, vnde aduenit. Et nota, signatè dici, venisse non ab Marsis, sed ab *montibus Marsorum*, quia Vmbro artem veneficam exercuit contra serpentes, hi verò in montibus. Sed de hoc latè iam in septimo. Hi ergo duo fusam Æneæ impetu suorum aciem instaurant.

[c] Contra hos duos Æneas furentissimè, sed vis præcipua in Vmbronem, cui attulit exitium. Ergo in hunc cùm irruisset, primò eius sinistram manum, & totum clypei orbem vno ictu amputauit: deinde illum interfecit (sed hoc κατὰ σιωπώμενον) qui magnum aliquid iactauerat, & fore, quod iactauerat, crediderat, animo cœlum superbissimè attingens,

A vitam sibi longissimam & caniciem promittens. Ex dictis vidisti *Anxuris* poni pro *Vmbronis.* vide Notam.

NOTÆ.

1. ÆMONIDES.] An hic sit Æmonis filius, & ideo *Æmonides*: an verò ipse *Æmonides* ea forma, qua Thucydides, Phocyllides, &c. mihi in dubio est.

2. PHOEBI, TRIVIÆQVE SACER- B DOS.] Attingit morem, quo sæpe templum vnum sacrum duplici Deo; de quo vide, quæ plenè lib. 6. ad illud, *Iam subeunt Triuiæ lucos.* Sed cur Diana sit *Triuia*, omitto, vt è triuio. Mouetur à Poëta πάθος ab interfecto sacerdote, sicuti ab Homero sæpe, vt cùm ait 16. Iliad. interfectum sacerdotem Iouis, qui θεὸς ὣς τίετο δήμῳ, *vt Deus colebatur à populo.* Ista enim mouent animos. — *Sacerdotes infulati.*

3. INFVLA.] Nam sacerdotes ex more infulati. Inde Panthus 2. Æneid. ornatur infula. Et Stat. 7. Theb. Lycotea sacerdotem Phœbi exornat infula, *& excussis apparuit infula cristis.* & 2. Theb.

C *Tiresiæ vultus, vocémque, & vellera nota*
Induitur. ——

vbi *vellera* ponit pro infula coloris albi; vt 3. Georg. *lanea infula.* & idem Stat. lib. 4. — *Vellera, pro infulis.*

Albaque puniceas interplicat infula cristas.

Et lib. 6.

Concolor est albis & cassis, & infula cristis.

Itaque, si sacerdotes inducuntur cum velleribus, infulatos potes intelligere: neque hoc pugnat cum velleribus supplicum.

4. VITTA.] Notetur mos antiquorum ex paritate rerum. Coronæ lemniscis ornabantur, mitræ redimiculis, infulæ vittis. Neque verò otiosè: D nam vt lemnisci seruiebant illigandæ coronæ, vt redimicula illigandæ mitræ, ita vittæ ligandis infulis. Omitto duo prima. De vitis infularum est locus Prud. περὶ στεφ. — *Lemnisci. Redimicula.* — *Vittæ infularum.*

Mirè infulatus festa vittis tempora nectens.

Itaque, cùm idem in Apotheos. dixit,

Iámque insertato reserabat tempora cultro
Vittatus de more senex. ——

intellige etiam infulatum. Scio moris quoque fuisse,

vt vit

Et coronarum. vt vittæ innecterentur etiam, & seruirent coronis, nam Stat.3.Theb.

Huc gemini vates sanctam canentis oliuæ
Fronde comam, & niueis ornati tempora vittis
Euadunt pariter.———

Sed nisi expressè ponantur coronæ, quoties occurrit vittarum mentio in sacerdotibus, intelligi debent vnà cum infulis ex notissimo insigni sacerdotum.

Collucens veste. 5. COLLVCENS VESTE.] Ab Hom. qui 11.Iliad. de Hectore,

———πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ
λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο:
———*totus ære*
Splendebat, vt fulgor Iouis Ægiochi.

6. INSIGNIBVS ARMIS.] Sumptum hoc à Salust. notat Vrsin.

Pede mortuos premere, magna contumelia. 7. LAPSVMQVE SVPERSTANS.] Militaris hæc contumelia sæpe in hoc Vate. Sup. *Quem Turnus super assistens.* &, *læuo pressit pede.* Inf. *super abiectum posito pede nixus.* Quem locum adi, vt hunc illustres.

Vmbra tegere, quid. 8. INGENTIQVE VMBRA TEGIT.] Probo Vrsinum referentem ad Homericum σκότος ὄσσε κάλυψεν. & Iulium Scaligerum explicantem libro 4. Poët. c. 16. *tegit vmbra magna*, id est, morte. Mallem cum his duobus errare, quàm sequi alios. Seruius etiam inter alias explicationes hanc adhibet. Et adhuc ego firmo Homerica eloquutione. Nam 13. Iliad. dicitur Idomeneus ea fuisse virtute, vt cuperet vel alium interficere, vel ipse cadere, ac illud primum ita effertur,

Ἤ τινα Τρώων ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύψαι:
Aut aliquem Troianorum obscura nocte tegere.

Nocte tegere, quid. Id est, interficere. Sed & 20. Iliad. loquens de morte Polydori, quem Achilles interfecit, νεφέλη δέ μιν ἀμφεκάλυψε κυανέη: *nigra autem nebula ipsum cooperuit.* Itaque hîc per *nebulam*, quod alibi sæpe per σκότος. *Vmbra* ergo Virgiliana, vt ego puto, repræsentat Homeri νεφέλην: & quia νεφέλη magna est, ideo *vmbra magna.*

9. ARMA SERESTVS LECTA REFERT HVMERIS.] Mos planè militaris, quem & Hom. attigit lib. 13. Iliad.

Ὣς εἰπὼν, τὰ μὲν ἔντε' ἀπὸ χροὸς αἱματόεντα
Συλήσας, ἑτάροισι δίδου Μενέλαος ἀμύμων:
Sic locutus, arma quidem à corpore cruenta
Diripiens, socijs dedit Menelaus inculpatus.

Comes in acie, quo vsu. Itaque ex Virgilio & Homero facile est morem cognoscere, quo duces exercitus secum ferebant ad latus viros, quibus traderent direpta spolia, ne scilicet sibi essent impedimento, & statim redirent ad pugnam. Hanc enim rationem Homerus attingit, nam statim,

Αὐτὸς δ' αὖτ' ἐξαῦτις ἰὼν προμάχοισιν ἐμίχθη:
Ipse verò retrò iterum abiens propugnatoribus mistus est.

Ita inf. in hoc lib. Mezentius. *Armaque Lauso Donat habere.* & Patroclus 16. Iliad. direpta arma Sarpedonis interfecti δῶκε φέρειν ἑτάροισι: *dedit ferenda socijs.*

Rex, commune elogium Deorum. 10. REX.] Deorum omnium commune elogium. Sic Apollo ab Theocrito εἰδ. 17. ἄναξ. Neptunus ab Hom. infinitis locis. Priapus ab Orpheo in Hymno. Somnus ab eodem, & ab Homero. Demum Dij omnes ab omnibus Poëtis. Græci interdum discriminabant, nam vnum Iouem βασιλέα, Deos ceteros ἄνακτας vocabant. Sed hoc discrimen non perpetuum.

11. GRADIVE.] Vide me 3. Æneid. ad illud, *Gradiuúmque patrem.*

Cerda in Æneid. tom. 2.

Instaurare acies. 12. INSTAVRANT ACIES.] Homer. 11. Iliad. ἐξαρτύναντο φάλαγγας. & statim: ἀρτύνθη μάχη. Sed certè primum illud ἐξαρτύνειν non dubitauerim reddere per verbum *instaurare.*

13. VVLCANI STIRPE.] Notandus locus. Posuit enim *stirpem* pro patre. Nam Vulcanus pater Cæculi creditus est, vt ipsemet Vates 7. Æneid. Neque oscitauit Seruius.

14. CREATVS.] Vide vnico intuitu verba, quibus id ipsum Maro. *Creatus, cretus, natus, satus, genitus, progenitus: edere, fundere, dare partu, eniti.*

15. ANXVRIS, &c.] Torquet me hic locus, & possit alios. Quæ præcedunt, capiuntur de Vmbrone, quæ sequuntur, de eodem sunt. quid ergo in medio narrationis facit Anxur? Nam illa, *Dixerat ille aliquid magnum*, &c. de Vmbrone capit Germanus vir iudicij magni. Itaque αὐτὸς, *ille*, est Anxur. Accedit difficultas ab Seruio, qui in hæc verba, *Anxuris ense sinistram*, ita scribit: *Quidam ex hoc volunt intelligi etiam Vmbronem occisum. Constat enim verè ab Ænea occisum, sicut ipse hoc libro in catalogo ait,*

Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit.———

Hæc Seruius. Quippe hic versus legitur in catalogo libri septimi, & de Vmbrone dicitur. Vides, vt Seruius per Anxurē capiat Vmbronem. Quid alij dicāt, expecto. Mihi interim placet duplex solutio. Prima, vt *Anxur*, aut, quod potius credo, *Axur*, sit Vmbro ipsissimus, qui. quòd imberbis adhuc dicatur *Axur*, & inde iactantia illa promittentis sibi *caniciē*, & *longos annos*. Quasi diceret: Qui imberbis sum, & verè axur, nihil Ænean timeo, ad ipsos adhuc canos perueniam. Altera, vt versus Poëtæ ita scribantur, Axur, est Vmbro.

Dardanides contrà furit (Anxuris ense sinistram,
Et totum clypei ferro deiecerat orbem)
Dixerat ille, &c.———

& ita Anxur iste sit extra materiam Vmbronis, atque adeò inclusus parenthesi; vt dicat Poëta. Furebat in Cæculum, & Vmbronem Æneas, qui priùs tamen Anxuris sinistram amputauerat, & orbem clypei; ille verò Vmbro magnum aliquid dixerat. Corrige Lector hanc Notam, dum ne dixeris (nam hoc non fero) rem Vmbronis finiri totam in verbo *furit*: & deinde à voce *Anxuris* inchoari sententiam, & de eo capienda omnia vsque ad *annos*. Hoc (inquam) non fero. Nam illa, *Dixerat ille aliquid*, &c. de Vmbrone capienda sunt. Vide sequentem Notam.

16. DIXERAT ILLE ALIQVID MAGNVM, &c.] Allusum ad Homericum τὸ μέγα, & μέγα φρονεῖν: aut Sophocleum in Aiace, ἔπος μέγα: aut Aristophanium ἐν βατράχ. μεγάλα λέγειν: aut Theocritium in Cycl. μέγα μυθεῖν: aut Euripideum in Bacch. μέγα φρονεῖν: aut tandem Hellenicum μεγαληγορεῖν. Plurimùm tamen inclino in mentem Germani, qui putat legendum, non *magnum*, sed *magicum*: ita vt Vmbro susurro aliquo magico & superstitione sese miniuisset aduersum vulnera. Fauent huic coniecturæ, primò affinitas inter *magnum*, & *magicum*, & ita facilis fuit corruptio. Deinde quæ sequuntur, *vimque, afore verbo Crediderat.* Deceptus quippe magia promiserat sibi caniciem, & longos annos. Tertiò, versus Poëtæ, qui de Vmbrone leguntur in septimo, videlicet, Magnum, de verbis. Magicum dicere.

Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Eualuit, neque eum iuuère in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.

Ergo, si non hoc loco, nullo certè alio, fatum Vmbronis adimpletur, quem non iuuère cantus magici contra Ænean. Et ita considerate Poëta duplicis sacerdotis exitium coniungit Æmonidæ, &

Vmbronis. Nam Vmbro quoque ſacerdos fuit, vt habes in ſeptimo. Atqui ſuſurramina & magica quępiam adhibita contra vulnera, indicatum iam mihi lib. 7. in hac ipſa Vmbronis re, vbi compoſui loca Statij, Cedreni, Euripidis, Homeri: & hîc adiicio locum alterum Eurip. in Helen.

Inuulnerabiles in bello.

Οὔτω σιδήρῳ τρωτὸν ἐκ ἔχει δέμας;
Itáne corpus habet ferro inuulnerabile?

Sed ſi quis velit defendere vulgarem lectionem, affero explicationem aliam, vt ſententia ſit. Dixerat Vmbro magnum aliquid facturus Æneæ inuidiam, ſi ſe interficeret, ad eum modum, quo Auſonius Paulino:

Grande aliquod verbum nimirum diximus, vt ſe
Inferret mediis vindex Rhamnuſia votis.

Cœlo animum ferre.

17. Coeloqve animvm fortasse ferebat.] Prouerbialis forma, quam ſatis illuſtrabis his, quæ dixi Eclog. 3. ad illud, *hinc vſque ad ſydera notus.* & Eclog. 9. ad illud,

Cantantes ſublime ferent ad ſydera cycni.

A Hîc adiungo Ennod. orat. 4. *Cœlum pulſat magiſtri opinio.* Ab his formis non abludit Calab. qui lib. 1.

Καὶ ῥ᾽ ὅγε μαψιδίως ἐπ᾽ ἐλπωρῇσιν ἔειπεν:
Et is vana ſpe inflatus hæc iactauit.

18. Caniciemqve sibi, &c.] Apto huic ſententiæ verſus Simonidis, quos Latinos fecit Bucananus,

Spes fruſtrata.

Diuina blandis interim ſpes ſomniis
Fouet vniuerſos vana voluentes diem.
Expectat iſte craſtinum, ille plurimas
Meſſes, nec vllus non ſibi mortalium
Promittit hilaremq́, & opulentum proximum
B *Annum. Sed alium triſtis ante terminum*
Mors occupauit, morbus alium lugubris
Extinguit, alios Martio in certamine
Domitos, nigrantes Pluto mittit ad domos.

Silius ad Noſtrum aſpirans, ita cecinit,

Ille (Bogus) *ſibi longam Clotho, turbamq́, nepotum*
Crediderat, vanis deceptus in alite ſignis.

ᵃ Tarquitus exultans contrà fulgentibus armis
Syluicolæ Fauno Dryope quem Nympha crearat,
Obuius ardenti ſeſe obtulit, ille reducta
Loricam, clypeíque ingens onus impedit haſta.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbât terræ, truncúmque repentè
Prouoluens, ſuper hæc inimico pectore fatur.
ᵇ Iſthîc nunc metuende iace, non te optima mater
Condet humi, patrióve onerabit membra ſepulcro.
Alitibus linquêre feris, aut gurgite merſum
Vnda feret, piſcésve impaſti vulnera lambent.
ᶜ Protinus Antheum, & Lycam, prima agmina Turni,
Perſequitur, fortémque Numam, fuluúmque Camertem
Magnanimo Volſcente ſatum, ditiſſimus agri
Qui fuit Auſonidûm, & tacitis regnauit Amyclis:
ᵈ Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenáſque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribúſque arſiſſe: Iouis cùm fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.
Sic toto Æneas deſæuit in æquore victor,
Vt ſemel intepuit mucro. ᵉ quin ecce Nyphæi
Quadriiuges in equos, aduersáque pectora tendit:
Atque illi longè gradientem, & dira frementem
Vt vidêre, metu verſi, retróque ruentes,
Effundúntque ducem, rapiúntque ad littora currus.

ARGVMENTVM.

Tarquiti mors, aliorum clades, Æneæ virtus, eaq́; comparatione illuſtrata, equorum Nyphæi fuga.

EXPLICATIO.

ᵃ Tarqviti exitium narraturus omnia diſcriminat, videlicet eius ſuperbiam, genus, virtu-
C tem, mortem, & mortis circumſtantias. Superbiam, nam *exultans*, quæ exultantia ab *armis fulgentibus.* Genus, nam filius Fauni ſyluestris Dei, & Dryopes agreſtis Nymphæ. Omnia, quæ de hac re Seruius, explodenda. Virtutem, nam *ſeſe obtulit* Æneæ, & huic *ardenti.* Mortem; nam cùm Æneas priùs eius loricam & clypeum haſta conſuiſſet, ac proinde vſum tam loricæ, quàm clypei impediuiſſet; mox caput illi gladio abſtulit, oranti nequicquam & paranti multa dicere. Circumſtantias mortis, nam

cus, nam truncum pede propulit indignè circumagens per puluerem. A

ᵇ Addit Æneas insultabundus Tarquito, *iace isthic, qui priùs metuendus.* & *iace*, inquit cum oppositione ad τὸ *exultans*. Sequitur, *non te optima mater*, &c. vbi πάθος ab matre, quæ filium non visura, nec mortuum ab filio, qui insepultus: ab alitibus & piscibus, qui cadauer miseri voraturi.

ᶜ Sequitur multorum ærumna, Anthei, Lycæ, qui in primo Turni agmine: Numæ, & Camertis. In hoc sistit, vocátque *flauum* à cæsarie, aut barbitio. Homerus sæpe de suis ducibus ξανθὸς. Prædicat illum à genere; nam filius Volscentis: ab opibus, nam *ditissimus agri Ausonidûm*, pro, *Ausonidarum*, vt Deum, pro, Deorum. Quin ait regnasse illum in Amyclis, quæ vrbs insignis Pythagoræ doctrina & silentio.

ᵈ Aptissima comparatio ad Æneæ furorem explicandum. Erant Ægæoni centum brachia, centenę manus, cum totidem clypeis atque ensibus. Inerant quinquaginta ora, quinquaginta pectora: quibus oribus, quibus pectoribus ignem spirabat aduersùs Iouem, aduersùs fulmina. Talem puta Ænean. Videbatur enim dimicare aduersùs Latinos manibus, & brachiis centum: adeò ille indefessus & ἀκάματος. Sed quid illud, *vt semel intepuit mucro*? Puto hanc esse sententiam: Vt vidit mucronem suum tepentem sanguine, id est, madefactum, tum cruore ipso excitatus maiores edebat strages, ac per totam aciem victor *desæuiebat*. Hoc sanè loco *de* auget significatum. Nolui Poëtam expendere: nam quis assequatur altissimam Musam? Tantùm nota decorum Poëtæ videntis omnia. Nunquam comparat Ænean, qui Augustum repræsentat, cum leone, tigride, aut aliis feris immanibus, truculentis has quippe Turno seruat, Mezentio, aliis. Quod quoties cogito admiror.

ᵉ Quasi diceret Poëta. Miraris ad furorem Æneæ? sed ecce maius quidpiam atque insolentius. Equi Nyphæi, vt vidêre illum per mediam aciem gradientem, ac dira aduersùm omnes infrementem, ac si essent ratione præditi, versi statim in fugam sunt, Nyphæo excusso à curribus. Itaque agnouêre equi diuini viri virtutem.

NOTÆ.

Thymbra. 1. SYLVICOLÆ.] A Næuio, & Attio (ast Macrob. cap. 5. lib. 6. Sat.) Prior 2. Bell. Pun. *Syluicolæ homines, bellíq; inertes.* Posterior in Bacchis: *Syluicolæ ignota inuisentes loca.*

Dryope. 2. DRYOPE.] Præclarè indigetat, vt rusticam Deam signet, nam δρῦς est quercus.

3. OBVIVS SESE OBTVLIT.] Ducit Vrsinus à Lucretio, qui lib. 5.

Sponte sua letho caput obuius obtulit ipse.

Reducta hasta, quid. 4. REDVCTA.] Nihil aliud dicit, quàm hastam actam retrò (nihil curo Seruium) ad maiorem impetum. Idem, quod lib. 9. *telum librabat ab aure.* quia videlicet ab aure iacitur telum reductum.

5. CLYPEI INGENS ONVS.] Locutio poëtica ad signandum clypeum ponderosum.

6. TVM CAPVT ORANTIS, &c.] Insistit Homero, qui lib. 10. Iliad. de morte Dolonis ita loquitur.

Ἦ, καὶ ὁ μὲν μιν ἔμελλε γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἁψάμενος λίσσεσθαι· ὁ δ᾽ αὐχένα μέσσον ἔλασσε
Φασγάνῳ ἀΐξας, ἀπὸ δ᾽ ἄμφω κέρσε τένοντε,
Φθεγγομένου δ᾽ ἄρα τοῦ γε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.

Dixit: & is quidem ipsum erat barbam manu robusta
Tangens, precaturus: hic vero ceruicem mediam percussit
Ense impetens, & ambos incidit neruos,
Loquentis verò huius caput pulueribus mistum est.

Dat Macrobius cap. 14. lib. 5. palmam Græco, nam recitatis Homeri versibus adiungit: *vide nimiam celeritatem saluo pondere, ad quam non potuit conatus Maronis accedere.* Huic censuræ satis ineptè se Scaliger opponit, & recitatis Virgilij versibus, ita ait: *Astricto ambitu numerorum expediuit facti celeritatem, atque aures præuenit, sicut ille anteuerterat preces.* Huic credo. Ex hac Musa Prudent. Psychom. Homerum superat Virg.

Tum caput orantis flexa ceruice resectum.

B Inuenio & locum Calab. lib. 11. cui etiam potuit hærere Virg.

——κάρη δ᾽ ἀπάτερθε κυλινδομένη πεφόρητο
Ἱεμένης φωνῆς:——

——*caput verò procul deuolutum ferebatur*
Loqui gestientis.——

7. DETVRBAT TERRÆ.] Fortean ex Lucret. qui lib. 5. *Deturbauit equis in terram.* Deturbare terræ.

8. TRVNCVMQVE REPENTE PROVOLENS.] Non dubium, quin expresserit Homericum versum Iliad. 13. Prouoluere mortuum.

Ἧκε δέ μιν σφαιρηδὸν ἑλιξάμενος δι᾽ ὁμίλου:

Iecit autem ipsum instar globi contorquens per turbam.

Et præcedit, fuisse huic misero caput amputatum, quo fit, vt huic loco Poëta institerit. Est etiam locus C similis 11. Iliad.

——ἀπὸ δ᾽ αὐχένα κόψας,
Ὅλμον δ᾽ ὣς ἔσσευε κυλινδεσθαι δι᾽ ὁμίλου:

——*ceruice abscissa,*
Instar cylindri propulit, vt volueretur per turbam.

Hoc fermè genus ludibrij expressum ad Ouid. 9. Metamorph. de Hercule interficiente Lycam,

Corripit Alcides, & terq; quaterq; rotatum
Mittit in Euboïcas, tormento fortiùs, vndas.

Val. 4. Virg. *Libentem propulit Heros.* Hanc iniuriam passus Patroclus; nam Hector illum interfectum ὕπτιον ὦσ᾽ ἀπὸ δουρὸς: *supinum pepulit ab hasta.* Iuppiter 19. Iliad. Aten è cœlo exturbans, dicitur illum χειρὶ περιστρέψας, quasi manu rotaret. & lib. 20. Achilles interficiens Deucalionem, τῆλ᾽ αὐτῇ πήληκι κάρη βάλε: D *longè caput cum galea ipsa prenoluit.*

9. SVPER HÆC.] Non est præpositio. Sed, insuper fatur hæc.

10. ISTHIC NVNC METVENDE IACE.] Homer. Iliad. 21. ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ᾽ ἰχθύσιν: *Isthic nunc iace cum piscibus.* & Iliad. 20. κεῖσαι Ὀτρυντείδη: *iace Otryntide* Et huic extremo loco Virg. institit: nam statim Hom. πάντων ἐκπαγλότατ᾽ ἀνδρῶν. pro quibus Virg. substituit *metuende*. Calaber etiam lib. 1. bis, κεῖσο νῦν ἐν κονίῃσι. Ex his apparet, fuisse hanc militarem insultationem, quam præclarè firmat locus Plutar. lib. de Deo Socratis. Θεόπομπος ἐκ δεξιᾶς ὁ παραστὰς ξίφει καταβαλὼν, ἐνταῦθα, ἔφη, κεῖσο: *Theopompus à dextra adstans, & gladio feriens, isthic, inquit iace.* Sed quid tandem *iace*? id est, esto insepultus. quod iam explicui E lib. 9. Iace isthic.

11. NON TE OPTIMA MATER, &c.] Misera hæc conquestio, & iam excitata Homero Iliad. 21. Mori extra patriam, miserum.

——οὐδέ σε μήτηρ
Ἐνθεμένη λεχέεσσι γοήσεται, ἀλλὰ Σκάμανδρος
Οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον:

——*neque te mater*
Imponens lectis deflebit. sed Scamander
Feret vorticosus in maris latum sinum.

 Hector

Hector lib. 15. Iliad. hũc in modũ interminatur suis, A

——οὐδέ νυ τόν γε
Γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα,
Ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο:
——*neque sanè hunc*
Fratresq́; sororesq́; rogo imponent mortuum,
Sed canes distrahent ante urbem nostram.

Vlysses etiam ad Socum, quem interfecerat, ita insultabundus,

Ἆ δείλ', οὐ μέν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ, ἀλλ' οἰωνοὶ
Ὠμησταὶ ἐρύουσι: ——
Ah miser, non quidem tibi pater, & honoranda mater
Oculos claudent mortuo, sed aues
Crudiuora trahent. ——

B In lib. 3. Epigram. leges,

Οὐ γάρ σε μήτηρ ἐπιτύμβια κωκύουσα,
Οἶδεν Ἀλεξάντη σὸν μόρον εἰνάλιον:
Neque verò te mater ad sepulcrum deplorans,
Nouit Alexante tuum mortem marinam.

Omitto Calabri loca plurima, quæ continent eandem conquestionem, & affectus suauissimos.

Mortuos curabant necessarij.

12. Mater.] Dixi in superiore Nota de conquestione, dicam in hac de more. Cur Virg. *mater?* quia, è veterum ritu, illi curabant sepulturam, qui maiori essent necessitudine coniuncti cum defuncto; illi oculos premebant, vngebant, sepeliebant. Hoc dolet mater Euryali lib. 9. Hoc carpit Dio in Tiberio, qui non ipse matrem produxerit, ὅτι ἀποθανοῦσαν τὴν μητέρα. Hoc Seneca ad Polybium c. 36. C in C. Cæsare, qui *exsequiis sororis suæ non interfuit.* Hoc queritur mater Iasonis apud Apollon. 1. Arg. Hoc attingit Eurip. Supplicib. apud quem matres volunt filios suos sepelire. Hoc laudat Ouid. 3. Am. Eleg. 8. in matre Poëtæ Tibulli, quæ filium suum ipsa sepeliit. Hoc munus assignat Herodianus lib. 4. filio successori Imperij in cremãdo cadauere Imperatoris. Hoc Pindarus Od. 3. Pyth. τεῖχος δ' ἐν ξύλινον σύγγονοι κάρα: *Cognati puellam posuerunt in pyra lignea.* Hoc est perscriptum Euripid. in Helena cùm loquens de sepeliendo mortuo, ait,

Μητρὸς τόδ' ἔργον, ἢ γυναικὸς, ἢ τέκνων:
Opus hoc est matris, aut vxoris, aut liberorum.

Condere humo.

D 13. Condet humo.] Aristoteles in Epitaphiis (si illius est liber ille) tria verba vsurpat, quæ respondent Latino *condo.* videlicet in Eurypili Epitaphio κρύπτω, in Homeri κατεκαλύπτω, in Laomedontis κεύθω. Euripid. in Hel. opponit κρυπτόμενοι & ἄθαπτον. & Nonnus lib. 32. ὑψιπόρῳ μίτρῃσιν ἀτύμβευτον πότμον.

Onerare, de aggestione mortuorũ.

14. Oneravit.] Pertinet hoc ad aggestionem terræ, & tangit genus sepulturæ, quæ contraria leui pulueris iniectioni. De vtraque locutus sum lib. 6. atque de aggestione etiam in 7.

Volucribus linqui mortuos.

15. Alitibus linquere feris.] Dicebã de hac contumelia ad lib. 9. Æneid. Hîc adiicio Siliũ lib. 2.

Deforme alitibus liquere cadauer Iberis.

E Claud. 2. Ruff.

——*infestoq; iubet bubone moueri*
Agmina, Mygdonias mox impleturæ volucres.

Misera est conquestio illa Lucani lib. 4.

——*Libycas en nobile corpus*
Pascit aues, nullo contectus Curio busto.

Eurip. Suppl. dolens defunctorum miseriam, θηρσὶν βρώματ' ὀρείοις, *feris montanis escã.* ibid. χάρματα θηρσίν: *ludibria ferarũ.* Sed cùm Virg. coniungat has volucres cũ piscibus, credibile illum loqui de auibus marinis, cùm pugna præsertim hæc haberetur in maris littore. Itaque hæc conquestio excitata quoque Poëtis alijs. Horat. Od. 10. Epod.

A *Opima quòd si præda curuo littore*
Porrecta mergos iuuerit.

Ouid. in epist. Ariadnæ,

Ossa super stabunt volucres inhumata marinæ.

Sic & lib. 3. Epigram. ossa Erasippi dicuntur αἰθυίαις γνωστὰ μόναις: *nota solu mergis.*

16. Gurgite mersum.] Hunc affectum excitat Nonnus lib. 32. Hunc, ait, κύμασι τυμβεύσας Νηρεύς, *fluctibus tumulauit Nereus.*

Et piscibus.

17. Piscesque impasti vulnera lambent.] Hom. Iliad. 21. hanc contumeliam dat Lycaoni. Ibidem pisces dicuntur ἐρεπτόμενοι, & κείροντες adipem mortui, *comedentes, rodentes.* Mẽtio huius ludibrij etiã est in Apollonio lib. 1. ἰχθύσι κύρμα γενέσθαι. & lib. 3.

B Epig. de Timocleo, τὸν δ' ἤδη φάγον ἰχθύες, *hunc pisces deuorabunt.* Hinc affectum mouet Ouid. Eleg. 2. lib. 1. Trist.

Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Et Claud. 4. Consul. Honor.

Largiùs Arctoos pauêre cadauera pisces.

Pisces lambunt.

18. Lambent.] Sunt qui reprehendant Virgiliũ, qui dat piscibus id verbi, cùm careãt linguis: dicuntque consideratiorẽ fuisse Homerum; neque aduertunt dici ab eodem Homer. lib. 21. Iliad. in sermone piscium, αἷμ' ἀπολιχμήσονται, *lambent sanguinem.* Oppian. quoque (hunc Scaliger aduocat) dicit de piscibus λαμύττουσι. Dicamus ergo notari hoc verbo auiditatem piscium, ideo etiam *impasti.* Quod verò Noster *impasti,* Homerus cõiunctim ἄκμηνοι, ἄπαστοι: & diuulsum, πεινῶντες, ἐσθίει, quod omnes ἀτροφοῦσι. Nota etiam

Piscium etymon.

C indicari à Virg. etymon piscium. Sunt enim, qui putent dictos à pascendo, in his est Isid. & alij. Ergo, *pisces impasti.*

Agmen primum.

19. Prima agmina Turni.] An quia verè isti in primo Turni agmine? an quia præcipui inter alios? Ad eundẽ modum, quo apud Hom. 15. Iliad. Thoas ait, ὅσσοι ἄριστοι ἐνὶ στρατῷ εὐχόμεθ' εἶναι: *quicunque optimi in exercitu gloriamur esse.* Ita vt in Virg. vox *principatus* referatur ad ἀριστείαν. Eosdem sæpe ἀριστῆας vocat.

Serere liberos.

20. Satum.] A re rustica, quod alibi exornaui; & nunc offero Ennod. orat. 4. *plantam familiæ.* & Nonnum lib. 32. vbi Iuppiter de filio Lacedæmone, ὃν ἤροσα μοῦνον: *quem araui.*

Arare liberis.

D 21. Ditissimus agri.] Lege quæ dedi 7. Æneid. ad illud, *terram centum vertebat aratris.* Putabantur quippe apud veteres opes illæ esse firmissimæ, quæ positæ in agris. Eurip. in Hecub. Polymestoris opes sic exaggerat,

Opes agrestes firmissimæ.

Ὅς τὴν ἀρίστην Χερσονησίαν πλάκα
Σπείρει. ——
Qui fertilissimam Cherronesiam glebam
Seminat. ——

Hom. 11. Iliad. de homine, cui copia hordei & tritici, ἀνδρὸς μάκαρος, quasi hoc vno beatus esset.

Amyclæ, cur tacitæ.

22. Tacitis regnavit Amyclis.] Dictæ Amyclæ *tacitæ,* id est, Pythagoreæ, nam ibi docuit Pythagoras, cuius notum silentium. Vel quia cùm

E sæpe falsus nuntius afferretur de aduentantibus hostibus, cautum lege est, ne quis terrores hos afferret: accidit tamen aliquando, vt verè hostes venirent, &c, nuntiante nemine, caperetur ciuitas. Vel *tacitæ,* id est, ignobiles. Vel demum hypallage est, pro tacitus ipse Pythagoras. Hæc Seruius. Eligat Lector quam volet causam. Mihi probatur secunda, tertia displicet, prima & quarta in ambiguo sunt. Sed cur secundam probo? quia Lucilius,

Amyclæ tacendo perierunt.

Mihi nec esse est loqui, nam scio Amyclas tacendo periisse.

Silius quoque,

——*quasq́;*

——quasq; euertere silentia Amyclas.

Hoc etiam Catullus attigit, & alludunt omnes ad Adagium, τὰς Ἀμύκλας ἡ σιγὴ ἀπώλεσεν: *silentium Amyclas perdidit.* Causam aliam à Plinio possis rimari, qui lib. 3. c. 5. *Amyclæ a serpentibus deletæ.* Ergo *tacita*, id est, sepultæ iam obliuione. Quod consonat cum Pausan. qui in Laconic. ait, expugnatas fuisse Amyclas. & ibid. post multa ait, deletam eam vrbem ab Doriensibus, & redactam ad formam pagi, κώμην (ait) διαμένειν. Et tametsi Pausanias loquatur de vrbe, quę est in Græcia: Virg. de ea, quæ in Italia, tamen ad Græcam alludi nihil inconuenit, & in hoc Vate est frequentissimum. Insigniter peccat nobilis Taciti commentator in 4. Annal. qui Amyclas silentio pereuntes, capit eas, quæ in Græcia sunt, cùm deberet eas, quæ in Italia: videlicet eas, quæ sitæ inter Caietam, & Tarracinam, à quibus dictum Tacito *mare Amyclanum.*

Amyclæ duplices.

23. ÆGÆON.] Notat Macrob. c. 16. lib. 5. Virgilium desciuisse aliquando ab Homeri secta. probat multis, tum hoc. Nam apud Hom. Ægæon auxilio est Ioui, hunc contra Iouem armant versus Maronis. Hanc Æneæ virtutem maiore incremento auget Cal. lib. 11. comparans illum, non cum Gigantibus, sed cùm ipso Ioue prosternente Gigantes. Itaque, cùm præcessisset ferocia Iouis, cùm ἐδάιζεν ὑπερβια φῦλα γιγάντων, mox de Ænea,

Ægæon.

Æneæ virtus.

ὣς ἄρ' ὑπ' Αἰνείας κατηρείπετο φάλαγξ.

Sic ab Ænea prosternebantur agmina.

24. CENTVM CVI BRACHIA, &c.] Hom. 1. Iliad. ἑκατόγχειρον vocat. Sic & Typhœo dat Claud. *brachia centum*, de Bell. Get. & totidem Briareo Paneg. 1. Stil. qui idem cum Ægæone, teste Homero. Et, si doctis credis, Typhœus etiam idem est, qui Ægæon. Poëta in re fabulosa sibi consonat; nam cùm det centum brachia, & centum manus, consequens est, vt det quinquaginta tantùm capita & pectora. Græci ab se ipsis dissident. Nam Æschylus in Prometh. Typhonē facit ἑκατοντακάρηνον, & Pind. Od. 4. Olymp. ἑκατογκέφαλον. Cui enim sunt centum brachia, vt Homerus dixit, quomodo esse possunt centum capita, vt Æschylus, & Pindarus? Atque adeò prudenter Plut. de multitudine amicor. Βριάρεως ἑκατὸν χερσὶ πεντήκοντα φορῶν γαστέρας: *Briareus centum manibus cibum inferens in ventres quinquaginta.* Nonnus de Ægæone lib. 31. indefinitè πολύπηχυς, *multiulnius*, ac proinde etiam indefinitè πολυδάκτυλος ἴδνος ἀγοστῶν, quibus multiplices quoque facit manus. Itaque etiamsi res fabulosa sit, esse debet consequens. Quin diligenter cauit Poëta, vt adderet *dicunt*, solens hoc suo more, quod alibi adnotabam, nam quæ incerta sunt & fabulosa famæ attribuit. Formam quandam Adagij lege in Iunio Cent. 1. Adag. 64. & aliam, quam ipse inueni, lib. 6. Æneid. ad illud, *centũ geminus Briareus.*

Typhœus.

Briareus.

Fabulosa famæ attribuenda.

25. IOVIS CVM FVLMINA CONTRA.] Hominem pugnātem contra Deos θεόμαχον vocat Nonn. lib. 32. & de Salmoneo lib. 3. Epig. βροντάς Διὸς ἀντεμάχου.

26. TOT PARIBVS STREPERET CLYPEIS.] Id est, centum. Platonis locus ex lib. 7. Leg. ad rem est. Γηρυόνου γὰρ εἴ τις φύσιν ἔχων, ἢ καὶ τὴν Βριάρεω φύοιτο, τὰς ἑκατὸν χερσὶν ἑκατὸν δεῖ βέλη ῥίπτειν δυνατὸν εἶναι: *Si quis Geryonæ, aut Briarei naturam habeat, cùm centimanus sit, centum oportet ab eo iacula mitti posse.* Hinc illustrabis locū Claud. qui de Bell. Get. loquēns de Typhœo, *cùm brachia centum Montibus armaret totidem.*

27. STRINGERET ENSES.] Quintil. Declam. 344. *ante quam stringere gladium cœpisset.* Cicer. etiam dixit *stringere*, & *distringere gladium.*

Ensem stringere.

28. LONGE GRADIENTEM.] Hom. lib. 15. Iliad. de Hectore, μακρὰ βιβάς. quod de infinitis ducibus. & *gradior* quidem militare est, vt & *gradus*, qui Latinis Scriptoribus propriè est locus ille, quem miles in acie tenet, vnde deiici turpe fuit.

Gradior, militare.

29. DIRA FREMENTEM.] Nonn. lib. 32. ἐπέβρεμε χάλκεος Ἄρης: *infremuit Mars ferreus.* Frementes milites, & importunè instantes, χαλεπαίνοντας dixit Plut. in vita Sertorij, & βιαζομένους ἀκαίρως, quod nimirum Virg. *instantem, animisq; frementem.*

Fremor militum.

30. METV VERSI, RETRO QVE RVENTES.] Ioan. Chrysost. Orat. 3. de incomprehensi. Dei nat. in quadam comparatione: καθάπερ γὰρ ἡνιόχου φοβηθέντος, καὶ τὰς ἡνίας ἀφέντος ἐπ' ὄψιν οἱ ἵπποι καταφέρονται πάντες, καὶ τὸ ἅρμα ὁλόκληρον συντρίβονται: *vt enim, vbi auriga perterritus habenas amisit, equi præcipites feruntur, & currus distractus labefactatur, ac perit.* Hom. 15. Iliad. ὑπερώησάν τέ οἱ ἵπποι κεῖν' ὄχεα κροτέοντες, *retrocesserunt autem ei equi vacuum currum pulsantes.*

Equorum pauor.

ᵃ Intereabiiugis infert se Lucagus albis
In medios, fratérque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto feruore furentes,
Irruit, aduersáque ingens apparuit hasta.
ᵇ Cui Liger.
Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis, & æui
His dabitur terris. ᶜ vesano talia latè
Dicta volant Ligeri sed non & Troïus Heros
Dicta parat contra iaculum nam torquet in hostem.
ᵈ Lucagus vt pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede læuo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei; tum læuum perforat inguen.
Excussus curru moribundus voluitur aruis.

e Quem pius Æneas dictis affatur amaris:
Lucage nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus vmbræ:
Ipse rotis saliens iuga deseris. hæc ita fatus
Arripuit biiugos. frater tendebat inermes
Infelix palmas curru delapsus eodem.
f Per te, per qui te talem genuêre parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas, haud talia dudum
Dicta dabas: morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
g Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ, vel turbinis atri
More furens. tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa iuuentus.

ARGVMENTVM.

Lucagi & Ligeris fratrum audacia, postremi etiam vesania in lingua, mox preces, vtriusque exitium, & Æneæ insultatio, & victoria.

EXPLICATIO.

a ORDITVR Poëta Lucagi & Ligeris fratrum historiam. Vehebatur vterque eodem curru biiugo, dât se ad pugnam in medium campi contra Æneã, hoc discrimine, vt Liger aurigaretur, Lucagus ense pugnaret. It illis Æneas obuiam non ferens illorum ardorem. Applaudit Poëta tacitè virtuti Æneæ, qui vnus, & pedes, in duos, & qui in curru. Iam si expendas illud, *aduersaq; ingens apparuit hasta*, videbis nihil dici posse πραγματικώτερον.

b Liger insultabundus ait ad Æneam, non illi certamen esse aduersum Græcos, non cum Diomede, aut Achille, qui pugnabant è curru in bello Troiano, neque id bellum esse in campis mollissimæ Phrygiæ, sed in Latinis, vbi futurus finis belli, & vitæ Æneæ. Non assentior interpretibus, qui hoc referunt ad fugam Æneæ, de qua Homerus. Hoc enim languidum esset argumentum Ligeris. Imò fingit Diomedem & Achillem in fugam versos à Troianis, ac proinde istis Latinos præfert, quasi dicat: Non sumus imbelles Græci, qui fugiamus, & quos tu vincas.

c Hæc Liger per summam dementiam. Sed verè *dicta*, quia longè à factis, & verè *volant*, quia nullius ponderis. Æneas *contra parat*, non *dicta*, sed facta, quia *iaculum in hostem torquet*; videlicet in Lucagum, vt statim explicat, nõ in Ligerem. Nam, tametsi prouocatus huius verbis, videbatur in illũ iaculaturus, sed certè verba Ligeris volare permisit, attendit ad facta Lucagi, qui ensem rotabat.

d Cùm Lucagus pendens in verbera equos telo stimulasset, læuúmque pedem extenderet, vt ita se ad pugnam compararet, Æneæ hasta subiens per imam clypei partem læuum inguen, quod ad pugnam Lucagus extenderat, perforauit. Ac statim miser excussus curru deuoluitur, & interit.

e Insultat Æneas Lucago cadenti è curru, idque A cum irrisione. nam hanc ex habitu orationis debes agnoscere. Non probo illos, qui sententiam referunt ad Homer. Iliadem. Simpliciter loquitur. Nõ te equi tui prodidêre, in quibus nulla segnities: non obiectę tibi vanæ vmbræ hostium: tu ipse exilis, tu currum deseris. Statim ad se equos traxit, ac tum Liger perculsus & fato fratris, & metu suo delapsus è curru ad Æneam supplicabundus accessit.

f Magni affectus, & oppositi præteritæ insultantiæ. Iactauerat Liger in Æneam miram vesaniam, iam mortem horret. Orat illum per ipsum, per parentes. Quid verò tanto conatu? *sine. & hanc animam, & miserere precantis.* Quid tu, Lector hoc homine & dementius priùs, & nunc abiectius? Atqui Æneas hîc totus ferox reuocat illi in memoriam, quæ priùs iactauerat, hortatur mori vt velit (bella scilicet hortatio) B neque fratrem deserat. Ac vix hoc dicto, miseri hominis pectus perforat, quasi fenestram aperiret exituræ animæ.

g Sequitur velut epiphonema factorum Æneæ, qui *edebat funera*, & formidandas strages ad eum modum, quo torrens, aut turbo solent furere. In hoc verò puncto temporis Troiani, qui obsessi, portas aperiunt, & dant se in campum ad pugnam. Poëta Ascanij meminit, qui Princeps obsessorum.

NOTÆ.

1. INFERT.] Aperio in hoc initio imitationem Virg. quæ desumpta ex 11. Iliad. vbi par fermè historia. Nam fratres duo Pisander, & Hippolochus vnum currum agitant, vincuntur ab vno Agamem- C none, cadunt è curru. & supplicant, neque audiuntur, imò occiduntur, etiamsi supplices, qui priùs in Troia exultabundi. Nolui dare locũ longissimum, contentus indicasse. Vtilis est etiam ad imitationem nota Sigonij contra Robortellum. Solet Virg. eodem verbo distribuere, quo collegerat: solet interdum aliud subiicere. De eodem verbo exemplũ est, Distributio Virgiliana.

Compulerantq; greges Corydon, & Thyrsis in vnum,
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas:

vbi collectio, & distributio fit vnico verbo *compulerant*. Contrà in aliis, vt in hoc loco, nam cùm colligat verbo isto *infert*, deinde distribuit cum aliis, scilicet *flectit equos, rotat ensem*. Tale & illud,

——*prolem Dolichaonis Hebrum*

Sternit

Sternit humi, cum quo Lucagum, Palmúmque fugacem.

& mox distribuens subiicit verba alia. Adduco & testimonium Homeri, quo caret Sigonius. Iliad. 15. ita colligit de Hectore simul & Aiace, τῶ δ' μιῆς περὶ νηὸς ἔχον πόνον, κὴδ' ἐδύναντο. mox distribuens Hectori dat ἐξελάσαι, Aiaci verò ὠσασθαι. Itaque cùm vterq; pugnasset ad vnam nauem, non poterat neque Hector Aiacem expellere, neque Aiax Hectorem repellere.

2. ROTAT.] Vide lib. 9. ad illud, *ac rotat ensem.*

Ira ex feruore sanguinis. 3. FERVORE FVRENTES.] Circumscribit iram, quæ tota ex feruore sanguinis. Apollon. 1. Arg. iratum Herculem ita notat, κελαινὸν ὑπὸ σπλάγχνοις ζέεν αἷμα: *feruebat ater cruor sub visceribus.* Hinc ergo natum, vt Latini iratos vocent feruidos. Inde de Hercule in 8. signatissimè *feruidus ira.* Plutar. in Mario ad indicandam iram, θυμὸς ἐξέθερμαινε, καὶ διέφλεγε τὰς ψυχὰς, *furor impleuit animas feruore & igne.* & de Pandaro lib. 9. *fraterna feruidus ira.* Aristotel. etiam 1. Phys. ait iram esse ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος, ἢ θερμοῦ, *feruorem sanguinis, aut calidi circa cor.* Ioann. Chrysost. hom. de ira, & furore, περὶ τὸ στῆθος ὁ θυμὸς ζέσας διανίσταται, καὶ ἀγριαίνει.

Heroës magni corpore. 4. INGENS.] Ex more Epicorum, qui suis Heroïbus semper attribuunt magnitudinem corporis. Talis hîc Æneas, talis Turnus, qui *toto vertice supra est.* Talis apud Homerum Aiax, Achilles, Agamemnon, Idomeneus, & plures alij: talis Apidamus apud Apoll. 1. Argon. qui μέγας. Inde etiam ab Hom. Hector ἶσος ὄρει, *similis monti.* vt etiam alij. Inde quoq; frequentissimè ille de suis ducibus, non tantùm μέγας, sed etiam πέλωρος. Herculem Ouid. 9. Metamorph. montem vocat reddens πέλωρον, eo versu, *pressus mihi monte videbar.* Quotiescunque etiam Deos inducit Homerus assumentes formas mortalium, attribuit illis magnitudinem corporis vltra mortalem. Quo figméto plena tota Ilias. De illis quoq; Ouid. 8. Metamorph. ait ita fuisse magnos mortali forma apparentes, vt ædes mortalis hominis intraturi caput dimitterent,

Summissóque humiles intrarunt vertice postes.

Hinc pulchra illa poësis Calab. lib. 2. vbi ait, fecisse Iouem, vt Memnon atque Achilles pugnantes apparerent maiores solito, neque essent similes hominibus, sed Diis. τεῦξε (inquit) μείζονας, &, οὐδὲν ὁμοίους ἀνδράσιν, ἀλλὰ θεοῖσιν. Ab hac re etiam ortum, vt Poëtæ suis Heroibus attribuant clamorem horribilem, & penè ad stuporem.

Appareo, vt bene tragicum. 5. APPARVIT.] Verbum tragicum ex Nota Iulij Scal. Firmo exemplo, quo ille caret. In vna Sophoclis pagina, vbi ad visum Orestem tragicè repræsentantur affectus ab Electra, ter habetur hoc verbum, & semper pro simplici *venio*, quo tamen relicto ad φανῆναι decurrit, id est, *apparere*, quo faciat orationem τραγικωτάτην.

6. DIOMEDIS EQVOS.] De his lege, quæ iam dedi 1. Æneid. In hoc autem loco fieri allusionem ad locum Hom. vbi Æneæ equi παρέτρεσσαν in pugna contra Diomedem, interpretes volunt. Non placent: nam textus Virgilij diuersus est ab filo Homeri. Et locus Stat. lib. 11. qui Virgilium imitatur, totus est pro explicatione, quam iam adhibui. Ait ille,

Non cum pelciferis, ait, hac tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus. hic cruda virorum
Prælia.———

Tale & illud Turni lib. 9.

Haud sibi cum Danais rem faxo & pube Pelasga
Esse putent.———

A Et illud Ouid. 8. Metamorph.

Discite femineis quid tela virilia præstent,
O iuuenes, operique meo concedite.———

Curribus pugnare. 7. CVRRVM.] E curru frequentiùs, quàm ex equo suos duces pugnantes inducunt Poëtæ Epici; testis tota Ilias, tota Æneis. fortasse quia in historiis hoc pugnæ genus habet honestatem. Herodot. libro 7. Xerxen inducit in expeditione aduersùs Græcos ἐφ' ἅρματος ἵππων Νισαίων, *in curru equorum Nisæorum.* Apud Xenoph. lib. 4. παιδ. Cyrus milites suos exhortatur ἐφ' ἁρμάτων. Hoc idem in pugna Darij contra Alexandrum attingit Curtius, & alij sæpe.

Phrygij molles. 8. PHRYGIÆ CAMPOS.] Quasi imbelles ex mollicie Phrygum, ideò postea opponens, emphaticè, *bis terris.*

B 9. NVNC BELLI FINIS.] De re eadem Cal. lib. 4. dixit, Τρώεσσι πέρας ἐρίξαι.

Alata dicta, Ventosa. 10. DICTA VOLANT.] Allusum ad ἔπεα πτερόεντα Homeri, *alata verba.* Potiùs ad illud 4. Iliad. ἀνεμώλια βάζεις, *loqueris vana.* propriè; *loqueris ventosa.* nã ἀνεμώλια, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου. Calab. lib. 2. τὰ μὲν ἄρτι ἐνώπιον πάντ' ἀγορεύεις, *quæ loqueris vana omnino sunt.* & lib. 3. præclarè, ἀκράαντον ἔπος, quasi *verbum inefficax.* & lib. 19. ἐπεύχεται αὐτως, *futiliter gloriatur.* Plutar. in vita Crassi, κενὰ καὶ μειρακιώδη λέγειν, *vana & iuuenilia loqui.* De verbis Drancis libro 11. *Quæ tutò sibi magna volant.* Ex his Poëtam refero, non tam ad volatum, quàm ad futilitatem.

Pendere in verbera. 11. PRONVS PENDENS IN VERBERA.] De hoc habitu aurigarum lege 3. Georg ad illud, *proniq́; in verbera pendent.* Hîc adiicio tum formam aliam, qua C vsus Hom. Iliad. 23. κλινθήναι ἐπὶ ἡνιόχῳ ἐπὶ δίφρῳ. tum in his omnibus locis sermonem duci ab auibus, quæ in aëre videntur pendere. Ouid. 8. Metamorph. de Dædalo, *motáque pependit in aura.*

Admoneo, de re aspera. Monitor, quis. 12. ADMONVIT BIIVGOS.] Columell. quoque dixit, *boues flagello admonere.* Itaque hoc verbum est de re aspera. Ab Terent. in Phorm. *monitoris* nomine intelligitur pædagogus, qui semper asper; inde & Horat. *monitoribus asper*, id est, obiurgatoribus. Hom. 15. Iliad. μάστιγι κατωμαδὸν ἤλασεν ἵππους, *flagello per humeros equos impulit.* Alibi, ὤτρυνεν, ἐπώτρυνεν Pulchrè Lu- Iubeo etiam de equis. can expressit verbo *iubeo*: ait enim, *crebris iussi calcaribus.* &, *verberibus, stimulísque coacti.* Et quidem τὸ *iubeo* accepit ab Hom. qui 24. Iliad. loquens de Pria- D mo, τοὺς (ἵππους) ὁ γέρων ἐφέπων μάστιγι κέλευεν: *equos regens senex flagello iussit.* Idem 16. Iliad. ἵππους ἐπεκέκλετο μάστιγι. Nonnus lib. 11. pulchrè θηρονόμῳ μάστιγι, quia flagellum legem ponit feræ, & agit quò vult. Idem lib. 40. per verbum ἱμάσσειν.

Pugnatoris habitus. Proiectus pes. Suspendi, in pugna. 13. PROIECTO DVM PEDE LÆVO.] Habitus pugnatoris, qui proiecto pede solet se librare ad ictus, & veluti pendere. Talem describit Ouid. 8. Metamorph.

Ancipitémque manu tollens vtraque securim
Institerat digitis primos suspensus in artus.

De Ænea Noster sequenti lib. *in clypeum assurgit.* & de Turno lib. 9. *altè consurgit in ensem.* Eodem penè sensu Horat. Sat. 7. lib. 2. *contento poplite.*

Contendere poplitem. 14. APTAT SE PVGNÆ.] Circunstantia efficit cladem miseriorem. Nã quale est, cadere hominem, E cùm sibi maximè vult prouidere? Habes similem successum 15. Iliad.

Πῦρ ἐς νῆα φέροντα κατὰ στῆθος βάλε δουρί.

Vides vulnus tunc illatum, cùm ignem ferebat contra nauem. Itaque cadit in ipso animi feruore. Ibidem etiam quispiam cadit percussus, cùm νίκης κλέος ἤλπετο, *victoriam sperabat.* Apud Calab. lib. 3. Paris percutitur, cùm in ipsummet Aiacem τόξ' ἐτίταινε, *tendebat*

debeat arcum. atque ita præuersa est hostis diligentia. Apud eundem lib. 11. cuiuspiam manus percutitur μεμαῶτα ἔγχος ἀεῖραι, *cùm hastam arripiebat.*

15. TVM LÆVVM PERFORAT INGVEN.] Multis hoc Nonnus lib. 32. Dionys.

Πληγεὶς ἰσχίον ἄκρον, ὅπῃ χερὸς ἥλικι δεσμῷ
Συμφυέα κοτύλην φύσις ἥρμοσεν ἄξονα μηρῶν·
Percussus coxam summam, vbi corporis coeuo vinculo
Collatam cotylam natura aptauit orbitam femoris.

Nota, vti Poëta suam poësin discrimine ad varietatem & gustum. Suprà enim hasta Pallantis missa in Turnum viam fecit per summas oras clypei ad humerum; hic contrà Æneæ hasta per imas oras, & ad inguinis locum.

Amara dicta, & 16. DICTIS AFFATVR AMARIS.] Variat hoc sæpe Hom. Nam Iliad. 15. νεικείεσ χολωτοῖσιν ἐπέεσσι. & 16. ὀνειδείοις ἐπέεσσι. & 11. sermonem vocat ἀμειλικτον,

Mellea opponuntur. atque opponit μειλιχίοις ἐπέεσσιν. & 21. ὀνειδείων φάτο μῦθον. & 23. αἰσχροῖς ἐνίπτεσκεν, & χαλεποῖσιν ἐπέεσσι. & 4. κερτομίοις ἐπέεσσιν ἀγορεύων. Apollon. lib. 4. κακῷ μύθῳ. Calab. lib. 2. φρασίεσσεν ὑπὸ φιάλοις ἐπέεσσιν. & 3. νεικεσιν ἀντιβίοις ἐπέεσσιν. Plutar. in Mario, καθάπτεσθαι πικρῶς τῷ θρασυνομένῳ. & in Pompeio, προσέθηκε ἀπειλὴν τραχυτέραν λέγει.

Equorum vitium. 17. VANÆ VMBRÆ.] Refert hoc Germ. ad vitium quod esse in equis pauidis solet, qui vmbrã timent, aut suam, aut aliorum: quod vitium in Bucephalo vicisse arte Alexander traditur. Hoc puto spectare Lucanum lib. 4. nam in sermone serpentis solertissimi decipientis alios minùs solertes ait,

Ludit, & iratas incerta prouocat vmbra,
Obliquansque caput vanas serpentis in auras
Effusæ toto comprendit guttura morsu.

18. IPSE ROTIS SALIENS IVGA DESERIS.] Hæc insultatio sumpta est proculdubio ab 16. Iliad. vbi Patroclus ad cadentem Cebrionem,

Ὢ πόποι, ἦ μάλ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾷ·
Pape, certè valdè agilis vir, quàm facilè vrinatur.

Pergit multis Patroclus, & ait bonos esse saltatores in Troianis. Attingit & Nonnus libro 39. vbi, cùm fieret cædes in feras maris, de moriente Delphino ait,

Ἡμιθανὴς σκίρτησε χορῖτιδος ἅλματι μοίρης·
Semimortuus saltabat saltus, & choreæ fatalis.

Saltus fatalis. & statim, χοὸς ὀρχηστῆρες ὀλέθρου, *saltatores exitij.* Hæc verò insultatio, & contumelia tota posita in allusione ad festas choreas, quasi huiusmodi bellatores aptiores sint festis saltibus, quàm militaribus exercitationibus. Inde apud Plut. in vita Pomp. Iulius iubet suis, vt conuulnerent Pompeianos in facie, aitque vulnera illa non passuros καλοὺς καὶ ἀνθηροὺς πυρριχιστάς: *pulchellos illos & floridos saltatores.* Hac contumelia Iulius Pompeianos petiit.

19. ARRIPVIT BIIVGOS.] Annon hoc Calab. lib. 11. vbi, si non Æneas, certè θεράποντες Αἰνείαο, *famuli Æneæ* inducuntur μάρψαντες, *arripientes* equos hostiles eorum, quos Æneas interficiebat?

20. PER TE, PER, &c.] Confer hanc orationem cum superiore Magi ad eundem Æneam, *Per patrios manes,* &c.

21. SINE HANC ANIMAM.] Sup. *hanc animam serues.*

Morere. 22. MORERE.] Achilles ad Lycaonem supplicem 21. Iliad. ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ σύ: *sed & tu amice morere.*

23. FRATREM NE DESERE FRATER.] Sunt qui putent allusum ad illud Plat. 2. de Rep. ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, *frater viro adsit.* quam esse formam prouerbialem (τὸ λεγόμενον) ille ait. Locum alterum eiusdem Platonis de re hac, vt tritum, omitto.

Frater adsit fratri.

Animæ latebra. 24. LATEBRAS ANIMÆ PECTVS.] Intelligit adactum vulnus in cor, quod vocat *animæ latebram.* Cum quo alludit sententia Hom. 15. Iliad. vbi, φίλον ἄϊον ἦτορ, *spirabam dulcem animam.* ad verbum *spirabam dulce cor.* quia in corde vita, & anima. Lege Aristot. lib. 2. de Generat. Animal. vbi primas, & vltimas viuendi partes cordi attribuit. Hippocrat. lib. de Corde, in eo constituit πηγὰς φύσιος ἀνθρώπου, *fontes naturæ hominis.* Tertullian. aduersum Marcion. cor videtur intellexisse, eo versu,

Cor, pro anima.

Per latebras animæ sepis manante veneno.

Apuleius 4. Florid. dixit de anima, illam *in corporis latibulis delitescere:* Statius 2. Thebaid. vocat *vitæ secreta,* cùm ait,

Secretum vitæ cor.

——*sæpe aspera passum*
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,

id est, nullum in cor. Sic & Valer. lib. 3. Arg. *Qua stomachi secreta ferit.* Sed lubet aliter Maronem illustrare. Quid si intelligat adactum vulnus, qua ἧπαρ συνάπτεται τῇ καρδίᾳ διὰ τῶν φρενῶν, verba sunt Galeni lib. 4. de vsu Part. c. 14. *hepar continuatur cordi per phrenas?* Huic enim parti χιτῶνα καὶ ἀμφίεσμα natura attribuit, *tunicam, & indumentum,* vt ibid. ait Galen. Itaque, non absurdè Poëta potuit intelligere indumentum hoc ruptum fuisse per *latebras reclusas*: nam ibi est vena, qua rupta, mors statim nullo interuallo consequitur. Et fortasse vena hæc, est illa, quam Vates superiore libro dixit, *spiramenta animæ.* Vide quæ de hac vena loco laudato Galenus expendens Homeri sententiam.

Tunica cordis.

Recludere pectus. 25. RECLVDIT.] Hac Musa Horat. Epod. 17. *Modo ense pectus Norico recludere.*

Edo, verbũ arenæ. 26. EDEBAT FVNERA.] Laudo Seruium, qui sermonem hunc refert ad arenam: *Quasi ad spectaculum* (inquit) *vnde & munerum editores vocamur.*

27. TORRENTIS AQVÆ.] Dixi satis 2. Æneid. & nota coniunxisse duo verba, vt Hom. 5. Iliad. ποταμῷ ἐοικὼς χειμάρρῳ, *fluuio torrenti similis.*

Procellæ in comparatione. 28. TVRBINIS ATRI.] Creberrimi Græci in hac comparatione. Hesiod. in Scut. ἴκελοι πυρὶ, ἠὲ θυέλλῃ: *similes igni, ac procellæ.* Calab. lib. 1. λαίλαπι κυανέῃ ἐναλίγκιον, *turbini cæruleo similem.* Nonnus libro 32. de fugiente, θυελλήεντι θαρσῷ, *procellosa planta.*

[a] Iunonem interea compellat Iuppiter vltrò.
[b] O germana mihi, atque eadem gratissima coniux,
Vt rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Troianas sustentat opes: non viuida bello
Dextra viris, animúsque ferox, patiénsque pericli.
[c] Cui Iuno summissa. Quid ô pulcherrime coniux
Sollicitas ægram, & tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quámque esse decebat,

Vis

Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares
Omnipotens, quin & pugnæ ſubducere Turnum,
Et Dauno poſſem incolumem ſeruare parenti.
[d] Nunc pereat, Teucríſque pio det ſanguine pœnas.
[e] Ille tamen noſtra deducit origine nomen:
Pilumnúſque illi quartus pater; & tua larga
Sæpe manu, multíſque onerauit limina donis.
[f] Cui Rex ætherei breuiter ſic fatur Olympi.
Si mora præſentis lethi, tempúſque caduco
Oratur iuueni, méque hoc ita ponere ſentis,
Tolle fuga Turnum, atque inſtantibus eripe fatis.
Hactenus indulſiſſe vacat: ſin altior iſtis
Sub precibus venia vlla latet, totúmque moueri,
Mutaríve putas bellum, ſpes paſcis inanes.
[g] Cui Iuno illacrymans. Quid ſi, quod voce grauaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem grauis exitus: aut ego veri
Vana feror; quòd vt ô potiùs formidine falſa
Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas.

ARGVMENTVM.

Iouis ſermo ad Iunonem, huius querelæ ad Iouem; deinde preces pro Turno: annuit Iuppiter partem. In exitu ſunt Iunonis lacrymæ, noua preces, diu.natio.

EXPLICATIO.

[a] NOTAT in verbo *compellat* amicam confabulationem, inde & *vltrò*.

[b] Duæ amoris faces, germanitas, & coniugium. Quid verò ad illam: Non tu falſa es Iuno. Venus Troianorum res ſuſtentat: nam illi nulla belli virtute præditi ſunt, non feroci animo, & periculorum patientiſſimo. Oratio hæc tota ironica. Quaſi dicat: Non egent illi Venere, fortiſſimi ſunt, ac patientiſſimi laborum. Nam, vt tu vides, Iuno, non illorum pugnæ Venus adeſt, & tamen miranda edũt. Falſa itaque tu Iuno es.

[c] Intellexit Iuno mariti animum, & dolos, ac proptereà ipſa clarè culpam in illum conijcit. Tu me ægram, ô coniux, facis, te timeo, non Venerẽ, non alium. Vin' ſcire cauſam? quia tu me non iam amas, vt olim, & vt decuerat. Nam ſi mihi vis eadem ad te alliciendum, annon poſſem ego Turnum pugnæ ſubducere, ſeruare incolumem patri Dauno?

[d] Amara conceſſio. Pereat, &, pius licèt, moriatur. Quaſi dicat: Quid tu curas Iuppiter, ſi pietatem non curas? cui faues, ſi virtuti non faues?

[e] Duo dixerat, & *pereat*; &, *pius* eſt. Diluit primũ, & firmat alterum. Cur pereat, qui ducit à nobis originem, & cui eſt auus quartus Pilumnus Deus? Firmat quæ dixerat de pietate; nam te ſæpe coluit ſacris donis, & tua limina. Perinde ac ſi dicat: Quæris aliena merita? Deorum eſt genus. Propria? pius eſt, & religioſus. Et nota Iunonis artem, quæ latenter Turnum æquat Æneæ, cuius proprium elogium, pietas. Si Æneas Deos patronos habet, quia *pius*; Turnus quoque *pius* eſt.

[f] Reſpondet Iuppiter Iunoni, tantùm ſe poſſe ſubtrahere Turnum morti ad tempus aliquod. Itaq; hoc dat precibus vxoris, vt differatur mors, quæ iam præſens Turno aderat: & permittit, vt fuga illum eripiat ab inſtantibus fatis. Hoc tantùm indulget. Sin verò ſub illis precibus maior aliqua latet venia, id eſt, ſi petitur à me (ait Iuppiter) ne hoc ſub hoſte cadat Turnus, & belli huius ratio mutetur, ſpes iſta inanis eſt. Hæc eſt ſententia. explico aliqua. Eſt *caduco*, morituro. Illud, *méque hoc ita ponere ſentis*, id eſt, ſentis me poſſe ita ſtatuere. *Hactenus*, id eſt, hucuſque indulgeo.

[g] Duplex pugnandi modus in Iouem, primus lacrymis; ſunt hæ potentiſſimæ. Alter ratione: ea hæc eſt. Quod *grauaris* (id eſt, abnuis) *voce dare*, poſſes, ſi velles, mente concedere, ac tum *Turno maneret rata vita*, id eſt, perpetua, non ad tempus. Ita explicui, vt intelligas. Iuno certè altius concipit; nam rogando, tum vrget acriùs, tũ lædit minùs Iouis animum. In illis, *da mente, quod grauaris voce*, latet hæc ſententia. Vox tua pro fato eſt; nam Stat. dixit, *& vocem fata ſequuntur*. Ergo, non dubito, quin ſi diceres, mente etiam ſentires. Abſoluit tandem cum querelis, & nouis precibus. Querelæ, inſons eſt, & tamen indignè periturus, niſi ego vana ſum augur veritatis: ſed vtinam ludat me mea formido, & vana, ac falſa ſim. Preces, vtinam reflectas in melius, quæ ſemel exorſus es, certè *potes*.

NOTÆ.

1. COMPELLAT.] De verbis *appello*, & *compello* in re lenocinij & amoris, quo vſu hîc accipit Virgil. vt etiam Ouid. 8. Metam.

Talibus agreſtem compellat Oreada dictis

dixi alibi. Hinc in iure *appellare* eſt, alienam pudicitiã attentare. Iuſtinian. lib. 47. ff. tit. 10. l. 15. §. 15. *Si quis virgines appellaſſet, ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minùs peccare videtur: multo minùs, ſi meretricia veſte feminæ, non matrum familiarum, veſtitæ fuiſſent.* Latet & quidpiam

Appellare, in lenocinio.

quidpiam aliud in Virg. Est *compellare*, vocare aliquem suo nomine. Dixit ergo Iuppiter, ὦ *Iuno germana, & coniux*. Sed ademit Poëta vocem *Iuno*, quia ea intelligitur in verbo *compellas*. Nam si *compellas*, certè *Iuno*, dixit & repetere vocem (*Iuno*) otiosum esset. Nec mihi Poëtas alios obtrudas, qui cum hoc verbo nomen etiam adiungunt; nam errare illos fatebor. Itaque nescio, an verè Hom. in tritoillo, ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζεν, *verbum dixit, & nominauit*. Nescio (inquam) an tum bene addat nomen eius cum quo loquitur, cùm satis sit τὸ ὀνόμαζεν. Hæc, etiamsi leuicula, agitanda sunt ad perfectam poësin.

Compello.

2. O GERMANA, &c.] Versus Homericus 18. Iliad.

Ζεὺς δ' Ἥρην προσέειπε κασιγνήτην ἄλοχόν τε:

Iuppiter Iunonem allocutus est sororem, & coniugem.

3. VENVS TROIANAS SVSTENTAT OPES.] Non dubiū, quin totus hic excursus ductus sit ab 4. Iliad. vbi Iuppiter conatur ἐρεθιζέμεν Ἥρην, *Iunonem irritare*, & κερτομίοις ἐπέεσσι, *mordacibus verbis*. & παραβλήδην ἀγορεύων, *subdolè loquens*. Sed quæ hîc peculiariter dicuntur ad Iunonem de Venere, ducta sunt ab his versibus,

——τῷ δ' αὖτε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Αἰεὶ παρμέμβλωκε, καὶ αὐτοῦ κῆρας ἀμύνει,
Καὶ νῦν ἐξεσάωσεν ὀϊόμενον θανέεσθαι:
——*huic autem risu lætabunda Venus*
Semper assistit, & ab ipso depellit fatum.
Nunc etiam conseruauit putantem se moriturum.

Submitto.

4. SVBMISSA.] Vultu scilicet; nam lib. 12.
Sic Dea submisso contra Saturnia vultu.

Timor feminarū est.

5. TIMENTEM.] δειλίαν esse malum proprium θηλυγενῶν, id est, *feminarum*, scribit Theophyl. lib. 3. Hist. c. 13.

Philtrum amoris.

6. VIS IN AMORE.] Refert hoc Germ. non ad βίαν, sed ad φίλτρον, & ὁ ἔνερθεν ἐρῶντων. ita vt Poëta respiciat ad prima tempora conflati amoris inter Iunonem, & Iouem, cùm hic transformatus in auem irrepsit sorori. Ego puto simpliciter capiendum. Solet enim amor coniugum initio esse feruentissimus, qui postea vsu clanguet. inde 14. Iliad. eget Iuno tot pharmacis ad excitandum Iouem; quem locum pari aura imitatur Nonnus lib. 31. Dionys.

Nāque redundat.

7. NAMQVE.] Puto redundare, nam sententia integra, amota hac vocula. quod vnicum argumētum in aliis. Hac licentia plenissimus est Homerus. Sed ita redundat in Virgilio, vt addat efficaciam.

Pilūni multi dicti.

8. PILVMNVSQVE ILLI QVARTVS PATER.] Atqui suprà in hoc libro, *Cui Pilumnus auus*. Soluit Seru. Quia à primo generis auctore Pilumno, posteri quoque dicti Pilumni.

Manus larga.

9. ET TVA LARGA.] Hom. 8. Iliad.

Οἱ δέ τοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ Αἰγὰς δῶρ' ἀνάγουσι
Πολλά τε καὶ χαρίεντα:——
Hi tibi in Helicen, & Ægas dona conferunt
Multa & grata.——

10. MANV.] Electra apud Soph. petit à Phœbo, vt se exaudiat, quòd munifica sæpe manu adstiterit eius altari, λιπαρεῖ (inquit) προὔστην χερί.

Numerus certus expositus inuidiæ.

11. MVLTIS.] Solet Virg. tacitè mores attingere. Quis scit igitur, an attingat, quem aperiam? Nolebant veteres in rebus suis certum numerum signare; nam hic expositus inuidiæ, sugillationi, fascino. itaque ad auertendos cauillos dicebant *multa*. Quin, quod mirere, de re adhuc vna dicebant etiam *multa*. Varro de Ling. Latin. *Olim vnum dicebant multa. Itaque cùm in dolium, aut culeum vinum addunt rustici, prima vrna addita, dicunt etiamnunc, Multa*. Inde fortassè pastor iactabundus 2. Eclog.

Vnum olim pro, multa.

Mille mea Siculis errant in montibus agnæ,

non ausus certum numerum proferre. Huc spectant verba Festi in voce *Oppido* hæc: *Ortum est hoc verbum ex sermone inter se confabulantium, quantum quisque frugum faceret, vt, multitudo significaretur, sæpe respondebatur, quantum vel oppido satis esset*. Vides, vt non dicerent certum numerum frugum. Inde, credo, ductus mos gentium, frequenter enim centenarium, aut millenarium numerum assumebant pro quouis, vt ipsa multitudine falleretur inuidia. Catullus apertè ad hunc morem Epigram. 7.

Oppidò, vnde dictum.

Cētenarius numerus.

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

vbi *curiosi* sunt fascinatores & magici. Ad locum Varronis quem adduxi, pertinet risus gentilium, quem illi solebant excitare, cùm dolia vini infunderent, ne videlicet audiretur numerus certus, & sic minùs obnoxij essent huic malo. De qua re illustris est locus in 6. Synod. can. 62. hunc in modum: *Neque exsecrandi Bacchi nomen, vinum in torcularibus exprimentes, inuocent, neque vinum in doliis effundentes risum moueant, ignorantia vel vanitate ea, quæ à dæmonis imposturis procedunt, exercentes.*

Curiosi, id est, magici.

Risus in doliis.

12. ONERAVIT.] Dixi satis octaua Æneide ad illud, *oneratis lancibus aras*; & dicam vndecima ad illud, *cumulátque altaria donis*.

13. LIMINA.] Accipio hæc iuxta illa, quæ dicta mihi lib. 1. Æneid. ad illud.

Limina tēploiū quæ.

Tum foribus Diuæ media testudine templi.

Apage enim, vt dona appenderentur ad ea limina, in quibus exposita essent furum auiditati.

14. REX ÆTHEREI OLYMPI.] Vide quæ dixi initio huius lib. ad illud, *omnipotentis Olympi*, &, *terras vnde arduus omnes*, &, *silet arduus æther*. Quibus in locis de discrimine *cœli, ætheris, Olympi*. Hîc autem videtur confundere ex more Poëtarum, cùm dicat *ætherei Olympi*.

15. SI MORA PRÆSENTIS LETHI.] Respectum in hoc excursu ad 16. Iliad. vbi Iuppiter, & Iuno cōsultant de proferendis Sarpedoni fatis, morte iam imminente, interpretes monent. Sed cùm de proferenda vnius Turni tantùm morte sit sermo, præclarè Germ. illustrat Poëtam: loquitur enim Virgilius ex opinione illorum, qui dicebant, vniuersi fata mutari non posse, singulorum posse. Ergo ait Poëta. Ratio belli Latini, vt tandem cadat Turnus, nequit mutari: differri mors eius quit. Tale illud lib. 7. ore Iunonis,

Fata vniuersi immutabilia.

Non dabitur Regnis (esto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lauinia coniux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Et illud Magæ ad Pompeium filium apud Lucanum lib. 6.

——*conceditur arti,*
Vnam cùm radiis presserunt sydera mortem,
Inseruisse moras, & quamuis fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul à prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quicquam mutare velis, vnóque sub ictu
Stat genus humanum, tum Thessala turba fatemur,
Plus fortuna potest.——

Hinc est, vt dicat Iuppiter, vniuersum bellum mutari non posse, vitam vni Turno proferri posse.

16. LETHI.] Qui ita scribunt, ducunt hanc vocem ἀπὸ τῆς λήθης, est enim mors rerum obliuio. qui verò *letum*, ducunt ἀπὸ τοῦ λύειν, nam mors est corporis solutio. Etenim antiphrasim illam, *letum*, *quasi non leta mors*, ἀπιθανόν.

Lethū vnde ducatur.

Antiphrasis.

17. CADVCO IVVENI.] Fragili ac morituro. Itaque

Caducus iuuenis.

que quæſita eſt ſpecies oppoſitionis, nam iuuenis etiamſi ferox & validus, tamen *caducus*; vt ſi quis robur vocaret fragile, impetum languidum. Hæc minima poëſin promouent. Nam putaret aliquis tantùm ſenem debere dici caducum.

Pono, pro, facio.

18. PONERE.] Eſſe Helleniſmum pro *facere*, aut *ſtatuere*, docti admonent. Nam Hom. ἄλγεα θῆκεν, & θῆκεν, *labores poſuit*. & Lucillium vſum eadem forma Seru. ſcribit. Certè cùm Lucan. lib. 5. dixit, *liceat ſcelerum tibi ponere finem*, nihil aliud voluit, quàm ſtatuere finem. & cùm Hom. 4. Iliad. ἄλιον θεῖναι πόνον, *vanum ponere laborem*. In eodem lib. ἰδρὸν θέμεναι ἄπονον ἀτέλεστον, pro, *efficere*, aut *reddere irritum laborem*. Ibid. τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν. *Hac autem omnia Dij irrita faciant*. ad verbum, *ponant irrita*. Demoſth. contra Ariſtocrat. pro legiſlatore dixit, νόμον τιθεὶς. & B ſæpe alibi.

Spes paſcere.

19. SPES PASCIS INANES.] Ab Græcis. Nam Eurip. Phœniſſ. ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας: *ſpes paſcunt exules*. & Bacch. ἐλπίσι δ' ἐβόσκετο: *ſpe paſcebatur*. Nonn. lib. 35. ἀπατηλὴν ἐλπίδα βόσκων: *paſcens fallacem ſpem*. Eubulus tamen apud Athen. libro 2. alio verbo vſus eſt, ſed idem ſignificante, videlicet ἐλπίδας σιτούμενοι,

Spem edere.

victitantes, nutrientes, ſpes. Qua forma etiam Æſchyl. Agamemn.

Οἶδ', ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους:

Noui exules viros, qui nutriunt (ſuas) *ſpes*.

De hoc genere ſpei inanis & vanæ Oppian. 1. Hal.

Ἐλπὶς δ' οὐ σταθερὴ σαίνει φρένας, ἠΰτ' ὄνειρος:

Somnium, de ſpe.

Spes inſtabilis permulcet mentes, tanquam ſomnium.

Dormio, de ſpe.

Ad quem conſentaneè Eurip. Phœniſſ. ἐλπίδες καθεύδουσι: *ſpes obdormiunt*. Idem in Medea dixit, ἐλπίδων ἡμαρτημένων, quod verbum indicat fruſtratas & inanes ſpes. Plutarc. in vita Themiſt. ἐλπίδας χαλεπὰς καὶ χαύνους. Arnob. lib. 1. *ſpes caſſas*. Lucan. 5. *vana ſpe raptæ*. quod à Sophoc. qui in Aiace, κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται, *incaleſcit ſpe vana*. Sed cur, cùm alij dicant C

A *ſpes vanas, fallaces, caſſas, dormientes*, &c. vnus Virgil. *inanes*? Tractus fortaſſe ſermo ab aëre, qui *inanis* dicitur à Poëtis. Nam Hieronymus lib. 3. Commentar. in Oſeam c. 12. *Hoc eſt, quod nunc dicitur Ephraim paſcere ventos, id eſt, ſpe vana ſe decipere*. Itaque Virg. in ſua inanitate ad ventos alluſit. Nam, ſicut qui vento paſcitur, inani paſcitur alimonia: ſic qui vana ſpe lactatur.

Inanitas, de ſpe cur.

20. ILLACRYMANS.] Quis neſcit in lacrymis ineſſe vim ad flectendum? Byblis apud Ouid. 9. Metamorph. optat, vt is, quem ipſa deperibat, ſuas *vidiſſet lacrymas*. addit; *vultus vidiſſet amantis*, quaſi vnicum remedium. Parco putidæ eruditioni.

Lacrymarũ vis.

21. QVOD VOCE GRAVARIS.] Τὸ *quod* poteſt pendere ἀπὸ τοῦ *dares*, hac ſententia. Quid ſi dares mente, quod dare grauaris voce? vel ἀπὸ τοῦ *grauaris*. nam ita apud bonos auctores. Sueton. Tiber. cap. 50. *matrem Liuiam grauatus*.

Grauor cũ quarto caſu.

22. RATA VITA.] Dicebantur *rata*, quæ confirmata, non vtcunque, ſed Deorum voluntate. Martial. 10.

Ratũ, quid propriè.

Dij tibi dent quicquid Princeps Troiane mereris,
Et rata perpetuò, quæ tribuêre, velint.

Ouid. 2. Faſt. *ſint rata dicta Iouis*. Si aliquando non fit Deorum mentio, tamen intelligenda eſt interuenire Deorum voluntas ad pactum illud.

23. NVNC MANET INSONTEM, &c.] Sententiam Virg. ita conuertit Propert. Eleg. 1. lib. 4.

Certa feram certis auctoribus. haud ego vates
Neſcius ærata ſigna mouere pila.

Neſcius vates.

& Eleg. 13. lib. 13. *atque vtinam patriæ ſim vanus aruſpex*, Ita Iuno optat eſſe vana, & ludi. Sic & Iuuen. Sat. 6. *Nos vtinam vani*. & Stat. 9. Theb. *ſimq́; augur caſſa futuri*.

Vanus aruſpex, Caſſus augur.

24. ORSA.] Cum alluſione ad ſtamina Parcarum; nam *ordiri* de telis.

Ordior, de telis.

ᵃ Hæc vbi dicta dedit, cœlo ſe protinus alto
Miſit, agens hyemem nimbo ſuccincta per auras,
Iliacámque aciem, & Laurentia caſtra petiuit.
ᵇ Tum Dea nube caua tenuem ſine viribus vmbram
In faciem Æneæ (viſu mirabile monſtrum)
Dardaniis ornat telis, clypeúmque iubáſque
Diuini aſſimilat capitis. dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum, greſſúſque effingit euntis.
ᶜ Morte obita quales fama eſt volitare figuras.
Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
ᵈ At primas læta ante acies exultat imago,
Irritátque virum telis, & voce laceſſit.
Inſtat cui Turnus, ſtridentémque eminùs haſtam
Coniicit: illa dato vertit veſtigia tergo
ᵉ Tum verò Ænean auerſum vt cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem turbidus hauſit inanem.
Quò fugis Ænea? thalamos ne deſere pactos.
Hac dabitur dextra tellus quæſita per vndas.
Talia vociferans ſequitur, ſtrictumq́; coruſcat
Mucronem, nec ferre videt ſua gaudia ventos.

ARGVMENTVM.

Iunonis dolus ad eripiendum Turnum ab armis Æneæ, facta inani forma, quæ referret Ænean ipsum, quæq; primo Turnum lacesseret, deinde fugeret: quam Turnus & telo sequitur, & voce increpat.

EXPLICATIO.

[a] ACcingit se statim Iuno ad dolos, ideo *protinus*, & *misit se*, vt solet è cœlo auis. Venit verò *succincta nimbo*, id est, nubibus, nam præcessit *agens hyemem*, id est, commonens tempestatem. Hoc apparatu descendit ad campum, vbi Troiani & Latini.

[b] Quis verò dolus? Effinxit illa è nube tenuem vmbram, quæ referret similitudinem Æneæ: addidit tela, clypeum, iubas. In hac forma nullæ vires. Erant verba, sed hæc inania: sonus, sed sine mente: gressus, sed hic fictus. Ait Scaliger de his versibus, esse *facilius intelligere, atque admirari, quàm vel imitari, vel explicare*. Legendum porrò *assimilat*, non *assimulat*.

[c] Sequitur aptissima comparatio. Erat forma illa instar idoli (figuram vocat Poëta) defuncti hominis, qualia idola feruntur volitare: aut instar somnij, quo solent deludi dormientium mẽtes. Certè Pind. Od. 8. Pyth. vtramque rem coniunxit, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι: *vmbra somnium homines*. vt videas quàm non sine imitatione Virgilij vtramque rem coniunctim aduocarit.

[d] Cœpit statim imago illa exultare ante acies, irritare Turnum telis & voce: hic instare, hastam conijcere, illa tergum dare & fugere.

[e] Putauit Turnus verè Ænean fugere. Itaq; plenus spe & animo fugam illam increpat, ne thalamos Lauiniæ deserat, fore vt victus hasta sua terram teneat. Ad hæc, voces addit, hastam coruscat, neque sentit miser se inaniter gaudere.

NOTÆ.

1. COELO SE PROTINVS ALTO, &c.] Ex hac Musa Valer. 2. Arg.

Cùm Dea se piceo per sudum turbida nimbo
Præcipitat. ———

Dij gentiũ quo apparatu

2. AGENS HYEMEM NIMBO, &c.] Ita suos Deos Ethnici ad terrorem mortalium, & vt ita maior esset reuerentia. Nota sunt, quæ de Ioue fulgurante, & tonante, cùm in Idam descendit, scribit Homerus. De hac re & nos alio in loco.

3. TVM DEA, &c.] Figmenti huius occasio præbita ab Hom. 5. Iliad. nam quæ Virg. addiderit cum clara victoria, cuilibet in promptu sunt. Græcus enim hæc tantùm,

Αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
Αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον, καὶ τεύχεσι τοῖον:
Sed simul tenuem fecit Apollo, cui arcus argenteus,
Æneæ ipsi similem & armis tale.

Homerum superat Virgilius.

E Quid ista ad opulentiam Virgilij? Ille simpliciter τεῦξε. hic *ornat, assimilat, dat, effingit*. Ille tantùm εἴδωλον, hic *tenuem vmbram sine viribus, monstrum mirabile, verba inania, sonum sine mente, imaginis læta exultantiam*. Ille τεύχεσι τοῖον, hic *Dardaniis telis, clypeumque iubasque Diuini capitis*. Quid si adiungas reliqua, quibus Græcus caret, vt exultantia illa imaginis, effictus gres-

A sus, irritatio, fuga, demum comparatio ad explicandum hoc idolum? Quippe forma Homerici idoli picta est, & verè mortua, vt de re mortua: Virgiliana vegeta, & viua in re mortua, nam exultantia & irritatio tota viuit. Quid quòd commodiùs hæc forma excitatur à Iunone, quæ dominatur in aëre, à quo densato instar nubis simulacra ista exsistunt? Nisi quis in Græco per *Phœbum* capiat Solem, à quo excitantur nebulæ. Est etiam locus alius Iliad. 21. vbi pari astu, vt auocetur Achilles à bello, quo Troianos premebat, Apollo assimilat se Agenori, fugitque, quem Achilles sequitur spe capiendi, ac tum interim Troiani se intra muros recipiunt. Credamus etiam ad rem hanc perlustrasse Virgilium versus Eurip. in Helen. vbi Helena dicit, se toto belli Troiani

Helena ficta.

B tempore latuisse in Ægypto, & eam, quam Paris rapuit, duxitque Troiam, esse compactam ex aëre, merúmque simulacrum. Versus sunt:

Δίδωσι δ' οὐκ ἐμέ, ἀλλ' ὁμοιώσασ' ἐμοὶ
Εἴδωλον ἔμπνουν, οὐρανοῦ ξυνθεῖσ' ἄπο:

Dedit (Iuno) *non me, sed faciens similem mihi*
Imaginem viuam, quam compegit sub cœlo.

Et quidem institisse Virgilium Euripidi, clarum ex circumstantia Iunonis. Iuno enim irritata, quòd Paris prætulisset sibi Venerem, compegit simulacrum Helenæ, quod Paris Troiam portaret, non veram Helenam. & infrà de eadem Iunone ἀντίδων' εἴδωλον, quibus verbis dicitur, datum simulacrum falC sum pro vera forma. Libet etiam admonere Lectorem de imitatione Silij, qui lib. 10. vt Pœnus à bello auocaretur, vt hoc loco Turnus, ita ait:

At coniux Iouis, vt Paulum depellere tectis
Nequicquam fuit, & Consul non desinit iræ,
In faciem Mauri rursum mutata Gelasta
Auocat ignauum sævo à certamine Pœnum,

Obtuli versus ex correctione Modij.

4. NVBE CAVA.] Solere similes formas compingi, atque efformari non ex aëre solùm, sed ex nubibus, vaporibus, exhalationibus, hoc ipso Virgil. versu probat diligentissimus Delrius libro 2. Disq. Magic. quæstione 27. sectione 2. Fit enim vti hac rerum mistione faciliùs formæ & membra expri-

Simulacra ex nubibus.

D mantur, conglutinentur, condensentur. Iuuo illum auctoritate Eurip. qui idolum illud, quo repræsentabatur Helena, vocat νεφέλης ἄγαλμα, *simulacrum nubis*. Sed & cùm ait, solere fieri spectra ex exhalationibus, quæ sunt ignitæ, iuuo quoque illum altero eiusdem Eurip loco in Bacch. vbi ait, formatum à Baccho spectrum ex igne.

5. IVBAS.] Vidi, qui dubitarent, essentne iubæ propriæ leonum, aut equorum? Puto esse equorum proprias, & translatim dici de leonibus. Nam hîc Virgilius cùm *iubas* dicit, respicit clarè ad ἵππουριν Homeri; & ipse in hoc libro *cristáque hirsutus equina*. Estque in nullo Poëtarum mentio de cristis assumptis ex leone. Absolutè ergo iubæ equum respiciunt.

Iubæ equorum sunt.

6. DAT INANIA VERBA.] Vmbræ scilicet. Ita-

Vox vmbræ.

E que Eurip. in Androm.

Σκιὰ γὰρ ἀντίστοιχος ὡς φωνὴν ἔχεις:
Habes enim vocem vmbræ similem.

7. MORTE OBITA, &c.] Ex Lucret. (notante Macrob.) qui lib. 1.

Morte obita.

Cernere vti videamur eos, audiréque coràm
Morte obita, quorum tellus complectitur ossa.

Laudat

Laudat Scal. Virgilium, qui *rem controuersam penes antiquorum fidem statuit.* quia videlicet, *fama est*, & *figuras, quippe sine corpore, & volitare. non enim in mole consistunt.* Sed & τὸ *volitare*, ad trutinam eiusdem Lucret. qui lib. 3. ait, figuras atque vmbras mortuorum *inter viuos volitare*. Ouid. 10. Metamorph. defunctorum animas vocat *leues populos*.

Leues populi, de mortuis.

8. FIGVRAS.] Mihi nō dubiū, quin alluserit in hac voce ad opinionē veterū, qui putabant non animas hominū descendere ad inferos; nam transmigrabāt in aliena corpora: sed nuda quædam animarum simulacra. imagines, spectra, τύπους, εἴδωλα. De qua opinione sunt versus isti Lucretiani,

Imago hominum.

——*esse Acherusia templa*
Ennius æternis exponit versibus edens,
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra modis pallentia miris.

Inde apud Hom. anima Herculis in cœlo est, cùm tamen imago illius animæ sit in inferno. Quippe separabant imaginē animæ ab anima. De qua re ego locutus sum sexta Æneid. Ergo ait hoc loco, formam istam esse similē imagini animarū, ideo vocat etiam *vmbram*, & *tenuem*, & *sine viribus*. & postea, *exultat imago*. Ita accipiunt aliqui & illud 4. Æneid.

Vmbra hominum.

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

9. AVT QVÆ SOPITOS DELVDVNT SOMNIA SENSVS.] Sistit hîc etiā, & laudat Scal. his verbis: *Par eruditio è somniis. Sunt enim species sine materia, à materiatis fluentes speciebus. Nec sine maxima scientia dixit, sopitos sensus eludi, non enim eluduntur non sopiti. Disces enim ab Aristotele sensus non falli.* Præclarus est locus Nonni lib. 35. Dionys. de hac sensuum fallacia in somnis, quem lubet apponere illustrando Virgilio.

Somnia deludunt.

Ὡς δ' ὅτε τις κατὰ νύκτα βαθυπλούτοις ἐν ὀνείροις
Τέρπεται, κενεὰν ἐλπίδα ...
...
Vt cùm quis noctu opulentis in somniis
Delectatur, vana spe attollens
Diuitibus manibus flauum exigui imbris,
Fallacem spem nutriens propter opes in somno oblatas.
Verùm apparente rosea Aurora
Cedit imago somni inopis resoluta,
Et vacuis surgit manibus nihil habens,
Damnans vmbratilem delectationem somniorum, quæ mentem seduxerunt.

Locus hic Nonni luculentus est ad hanc rem. Catull. dixit *fallaci somno*. Plutar. in Lucull. vt explicet bona inania, ait esse, vti si quis frueretur ἐλπιζομένων ἀγαθῶν ὄναρ, *speratis bonis somnians*. Vide & Synesium de Insomniis. Eurip. Phœniss. vires inanes vocat somniū, ὡς ὄνειρος ἰσχύς. Itaque, quicquid est fallax *somnium* dici quit prouerbialiter: ideo Poëta signato verbo *deludūt*.

10. LÆTA ANTE ACIES EXVLTAT IMAGO.] Aptat huc Germanus verba Aristotel. lib. 3. Meteor. de re alia loquentis. ἀεὶ γὰρ εἴδωλον ἐδόκει προηγεῖσθαι βαδίζοντι αὐτῷ ἐξ ἐναντίας βλέπον πρὸς αὐτόν: *Semper enim, cùm ambulabat, simulacrum ex aduerso ante ipsum præcedere videbatur.* Ego adnecto versus Nonni lib. 29. qui tametsi de vmbra loquatur, affinis est admodùm Virgilio,

Figura vmbralis.

A Ὡς δ' ὅτε τις σκιόεις τύπος ἀνέρος ἄπτερος ἕρπων
ἐγχιφανής, ἀχάρακτος ὁμόδρομος ἀνδρὸς ὁδίτου,
Καί οἱ ἀεὶ σπεύδοντι συνέσπεται.——
Vt autem vmbratilis figura viri mortua repens
Propè apparet, & absque signo, comésque cū viro incedit,
Ipsumque festinantem semper comitatur.——

Tales vmbras Auson. in Mosell. vocat *fallaces figuras*. Eurip. in Med. ἄψυχον εἰκὼ σώματος.

11. IRRITATQVE VIRVM TELIS.] Ouid. 8. Metamorph. *hostémque irritat ad irā*. Vulgus Græcorū προκαλεῖσθαι. Mihi nunc ante oculos Plut. in vita Luculli.

Irritare.

12. VERTIT VESTIGIA RETRO.] Eurip. Suppl. ἔτρεψεν εἰς φυγὴν πόδα: *vertit ad fugam pedem.* Æschyl. loquens de animo, ἴχνος στρέψω, *vertam vestigium.*

Vertere vestigia.

B 13. ÆNEAN AVERSVM.] Nescio quo factum fato, vt typographi semper excudant *Æneam*, cùm Virg. scripserit *Ænean* terminatione Græca in, n, non in, m, quod clarè indicat locus, in quo sum: ac proinde vt hîc, ita alibi semper scribendum.

Ænean in quarto casu.

14. HAC DABITVR DEXTRA TELLVS, &c.] Mortem indicat. Tale illud,

Terram tenere, de mortuis.

En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens.——

Ita & Claud. de Bell. Get.

Hanc ego vel Regno victor, vel morte tenebo
Victus humum.——

Inde acre illud Marij apud Plut. in eius vita, ἔχουσι C γὰρ γῆν ἐκεῖνοι, καὶ διὰ παντὸς ἕξουσι: *Habent illi terram, & habebunt semper.* Infrà in hoc lib. *atque eadem mox arua tenebis.* Valer. 4. Arg.

Habere terram, de mortuis.

Tenditur ille ingens hominum pauor, aruáque latè
Occupat.——

Calab. lib. 6. νῦν μὲν δή σε κατὰ χθονός. Hom. 16. Iliad. τινὰ γαῖα καθέξει, *aliquem terra detinebit*, id est, cadet aliquis mortuus. & Iliad. 18. ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα καθέξει: *sed hic terra detinebit.* id est, hîc morietur. Achilles 21. Iliad. minitans cuidam mortem, ἤ μιν ἐρύξει γῆ, *illum terra tenebit.* & adiicit, ἥ τε κατὰ κρατερόν περ ἐρύκει, id est, *quæ fortes etiam alios tenet.* Quasi dicat: vbi etiam fortissimi alij occubuerunt. Ab hoc non abit illud Achillis 18. Iliad:

D Ἄμφω γὰρ πέπρωται ὁμοίην γαῖαν ἐρεῦσαι:
Destinatum est ambos eandem terram rubefacturos.

Calab. quoque lib. 11. ὀλοὸν δ' ὑπεδέξατο γαῖα σῶμα: *funesta tellus excepit corpus.*

15. NEC FERRE VIDET SVA GAVDIA VENTOS.] Prouerbiale hoc. Eurip. Suppl. λόγων δὲ παραμύθευμα σὸν ἀέρι φερόμενον οἴχεται: *verborum tuorum consolatio aëri ferenda abit.* Horat. Od. 26. lib. 1. ait, traditurum se *portare ventis* nimirum tristitiam & metus. Nazianz. in prim. ... *si falsum id est, auræ dissipent.* Apollon. 1. Arg. ἀνέμοισι δώομεν, *ventis trademus.* Tibull. Eleg. 5. lib. 1.

Venti ferūt, Prouerb.

E *Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurúsque, Notúsque*
Iactat odoratos vota per Armenios.

Propert. Eleg. 7. lib. 4.

Fœderis heu taciti cuius fallacia verba
Non audituri diripuēre Noti.

Marcius Epigram. contra Amorem, κωφοῖς ῥίψαντι λιτὰς ἀνέμοις: *committe preces surdis ventis.* Vide etiam quæ coniunxi lib. 9. vbi similis parœmia. Est verò Virgilianum omnino quod illud apud Calab. lib. 2. loquentem de Memnone,

——ἀλλά ἑ μοῖρα πολύστονος ἠπερόπευεν:
——*sed illum lugubre fatum falsa spe ludebat.*

* Fortè ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, & ponte parato,

Qua Rex Clusinis aduectus Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Coniicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exsuperátque moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Auulsámque rapit reuoluta per æquora nauem.
[b] Illum autem Æneas absentem in prælia poscit,
Obuia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc leuis haud vltrà latebras iam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ,
Cùm Turnum medio interea fert æquore turbo.
[c] Respicit ignarus rerum, ingratúsque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sydera tendit.
[d] Omnipotens genitor tanton' me crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quò feror? vnde abij? quò me fuga? quémve reducet?
[e] Laurentésne iterum muros, aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meáque arma secuti?
Quósque (nefas) omnes in fanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitúmque cadentum
Accipio. [f] Quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potiùs miserescite venti.
In rupes, in saxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, sæuísque vadis immittite Syrtis,
Quò neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.

ARGVMENTVM.

Simulacri fuga, Turni oratio, ardor, desperatio.

EXPLICATIO.

[a] INDICATVR occasio liberandi Turni à bello, & cæde, quæ illi imminebat. Erat fortasse nauis hærens promontorio ipsi cum scalis expositis, & parato ponte, qua naue Osinius Rex aduenerat è Clusio. Huc se in fugam coniecit imago Æneæ trepida. Turnus ardore magno putans verum esse Ænean, cum impetu inuolat, instat, ac pontes transilit, auidus assequendi hostis. Sed vix proram attigerat, cùm Iuno funem rupit, nauem auulsit, ac rapuit per turbata maria. Per *crepidinem celsi saxi*, accipe rupem, quæ instar promontorij ibi inerat, ac cui coniuncta Osinij nauis, & illigata.

[b] Ista omnia longè à vero; neque enim Æneas fugit, neque Turnus inde aliquid gloriæ habuit. Imò tunc Æneas in vnum Turnum ferebatur, obuios quosque, dum illum quærit, prosternens. Atqui imago interim, nullis latebris quæsitis, in altum rapitur, dissipatúrque in atram nubem, turbine rapiente Turnum per maria.

[c] Tum demum Turnus ludibrium esse intellexit, tametsi ignarus illud fieri in salutem suam, ingratúsque de accepta vocem ad cœlum & manus sustulit cum querelis.

[d] Ardentissima oratio, & plena conquestionum. Fugã illam, non sua voluntate factã, vocat *crimen*, ac proinde sequutæ sunt pœnæ, quas tũc pendit: idque queritur. Deinde sequuntur stimuli doloris plurimi quibus se ad iram acuit. vbi necessariò subaudienda multa. *Quò feror* in incertum? *vndenam abij? quæ fuga reducet* me in castra? & *quem*, id est, qualem *reducet* me? videlicet plenum ignominia, & dedecore. Sunt verò isti affectus animi dubitantis de successu.

[e] Pergit dolens, aitque se non iam posse redire ad castra, nam desertor fuisse putabitur: neque vlla erit res, quæ satis queat mederi tantæ ignominiæ. Quasi dicat: Quî rediturus sum in castra, vbi qui me secuti, dicent de me, iactabúntque quod volent? quos reliqui in morte? quos nunc video palabundos? & quorum accipio gemitum, cùm moriuntur? Dicuntur ista omnia satis tragicè.

[f] Deliberat iam de exitu. Ergo, *quid agam? quæ tellus satis ima* (intelligit Tartarũ) *dehiscat mihi?* Cùm videat Turnus, se nõ esse in terra, quæ possit dehiscere, corrigit se, & ventos adorat venerabundus, petítque ab eis, ferant ratem illam in rupes, in saxa, immittántque illã sæuissimis vadis alicuius Syrtis, vt ibi obruatur, neque sciant Rutuli, vbinam locorum perierit, nemine inde nuntio apportante famam.

NOTÆ.

1. CREPIDINE SAXI.] Verè scopulum dicit, sed crepidinem maluit, ne loqueretur vt vulgus, nam crepidines nihil sunt aliud, quàm abrupti scopuli, & Crepido saxi.

depexe

depexæ rupes. Plut. in vita Craſſi ἀποτόμους vocat, & A in vita Sertor. ῥαχίας. Ab his ſaxis Poëta alibi, *prætentáque rupibus arua.* & Claud. Bell. Get. æquor dicit *armatum ſcopulis.* Sanct. Matthæus cap. 8. loca hæc prærupta iuxta mare, vocat κρημνὸν, grex enim porcorum abiit in mare διὰ τοῦ κρημνοῦ. alij κρήδεμνα nominant, & hoc Hom. de re ſimili loquens dixit ἐπὶ κάρ, *in præceps.* Non poteſt Poëta capi pro littore ſimpliciter, vt aliqui volunt, quia Hom. 16. Iliad. & alibi ſæpe dicit ῥηγμῖνι θαλάσσης, *crepidine maris,* id eſt, littore maris. Hoc non (inquam) Virg. nam clarè addit *ſaxi.*

Ἓν διὰ δυοῖν. 2. SCALIS, ET PONTE PARATO.] Vnum dicit, ſed per duo ſolens ſuo more, vt, *pateris libamus & auro,* id eſt, aureis pateris. Ergo, *ſcalis, & ponte parato,* erit, parato ſcalarum ponte. Quippe ſcalas nauium dici pontem, & conuerſim, allucebit tibi ex his, quæ B dicta à me in hoc lib. ad illud, *Pontibus exponit.*

Oſinius. 3. OSINIVS.] In aliorum interpretum tenebris præeat tibi lux Seruij, habes enim nullam aliam, accipientis hunc Regem pro Maſſico, qui à Cluſio venit: vt dicatur *Oſinius Maſſicus,* ad eum modum, quo in Græcis *Alexander Paris,* quo in Latinis *Numanus Romulus.* nam ſuprà,

Maſſicus ærata Princeps ſecat æquora pinu,
Sub quo mille manus iuuenum, qui mœnia Cluſi.

Addit idem fieri poſſe, vt alius ſit ab eo, ſed κατὰ τὸ σιωπώμενον inferatur à Poëta. vt velis. nam Macrobij argutiolas contemno. Cluſium nobilem vrbem Thuſcorum facit Plut. in vita Camilli.

Nec ſegnior. 4. NEC SEGNIOR.] Iam hæc vox cum hac nega- C tione, aut ſimili, ſumpta à Poëtis principibus pro militari & ſtrenuo. ita in 4. de Ænea, *haud ſegnior.*

Prora vnde dicta. 5. PRORAM.] Vide etymon apud Lil. cap. 11. de Nauig. arripio illud, vt quaſi πρώϊρα dicatur, quia præcedat.

Naues illigatæ ſcopulis. 6. RVMPIT SATVRNIA FVNEM.] Nota morem. Interdum illigata nauigia è ſcopulis: & hæc quidem ratis hærebat ſaxo, inde ergo ruptus funis. Morem firmat Apollon. 1. Argon.

———πρυμνήσια δ' ἐφίουν Ἀργῶ
Λῦσαν ὑπ' ἐκ πέτρης ἁλιμυρέος:———
———*retinacula ipſis Argos*
Soluit à marina petra.———

Iterum ait, nauem petræ illigatam, πέτρῃ νηὸς πεῖσμα- D τα ἰσάλοντο.

7. AVVLSAMQVE RAPIT.] Apollon. 1. Arg. θύελλαι ἁρπάγδην φέρον: *procellæ raptim egerunt,* ſcilicet nauem. Seneca epiſt. 109. *etiamſi ſubitus turbo toto nauium meam mari raperet.*

Demittere morti. 8. DEMITTIT CORPORA MORTI.] Hom. 1. Iliad. ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν, vbi ſignatè προΐαψεν, vt Noſter *demittit.* Sic alibi, *demiſit neci,* &, *demittimus Orco.* itaque, *Ἄϊδι, morti, neci, Orco,* pro eodem.

Leuia, de ſomnus. 9. LEVIS IMAGO.] Certè *leuis,* quia comparata iam ſomnio, quo quid leuius? Inde illud de imagine, *volucríque ſimillima ſomno.* Præclarè apud Ouid. 9. Metamorph. Biblys admiratur, *an habent & ſomnia pondus?* vt quibus nihil ſit leuius.

Deorum fuga, vti fiat. 10. NVBI SE IMMISCVIT ATRÆ.] Ita ſolent E Poëtæ. De abeunte Apolline lib. 11. Iliad. ἀνέμοισι μίγη, καὶ ἄϊστος ἐτύχθη: *miſcuit ſe ventis, & aſpectui ſubtraxit.* & lib. 1. ψυχὴ δ' ἐμίγη αὔραις: *anima miſta eſt auris.* De anima Patrocli Iliad. 23. ἠΰτε καπνὸς ᾤχετο: *inſtar fumi abiit.* Tale & illud Eurip. εἰς αἰθέρ' οἴχεται, in Helena. ibid. νεφέλῃ δὲ κρύπτεται.

11. RESPICIT, &c.] Conferatur hæc fuga Turni, oratio, affectus, cum fuga Alarici ab Italia, oratione, Ingratus ſalutis. affectibus apud Claud. de 6. Conſ. Honor.

12. INGRATVSQVE SALVTIS.] Hominem acce-

ptæ ſalutis ingratū repræſentat Horat. eo verſiculo,

Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.

13. DVPLICES CVM VOCE MANVS.] Nam *habitus orantium hic eſt* (ait Apul. lib. de Mundo) *vt manibus extentis ad cœlum precemur.* Arrhian. de Epict. lib. 4. cap. 10. πρὸς τὸν θεὸν ἀνατείνας τὰς χεῖρας, *protendere ad Deum manus.* De Dario precante ad Solem Athen. pari verbo lib. 13. ηὔξατο πρὸς ἥλιον τὰς χεῖρας ἀνατείνας. Hom. Iliad. 18. εὔχετο χεῖρας ἀνασχών. Sic Lucret. lib. 5. *pandere palmas ante Deûm delubra.* Ouid. 19. Metamorph. *Feſſa malis, tendénſque ad cœlum brachia.* — Orantium habitus. Manus protendere.

14. EXPENDERE POENAS.] Nam præceſſit *crimen,* & hoc ſequuntur pœnæ. Inde conqueſtio illa apud Ouid. 9. Metamorph. *patior ſine crimine pœnam.* quia, *viximus innocuæ.*

15. QVEMVE REDVCET?] Dici *quem,* pro, *qualem* notat Seru. vt, *Hunc ego te Euryale aſpicio?* pro, qualem te aſpicio? itaque particula (*quem*) reſpondebit Homerico τόν. qua particula vſus ille pro, *quem,* aut *aliquem* ſæpe; vt cùm ait 4. Iliad. πόλιν τὴν ἐθέλω, *vrbem, quam volo.* Eadem locutio in aliis non Poëtis. — Quem, pro, qualem.

16. LAVRENTESNE ITERVM, &c.] Pleni his affectibus Poëtæ omnes. dabo paucos illuſtrando Virgilio. Aiax apud Sophoc. — Aporiæ variæ.

Καὶ ποῖον ὄμμα πατρὶ δηλώσω φανεὶς
Τελαμῶνι; πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν
Γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ;
At, quo vultu redibo ad patrem
Telamonem? quomodo me ſuſtinebit intueri
Nudum apparentem abſque præmiis?

Menœceus apud Eurip. Phœniſſ.

Ποῖ δῆτα φεύγω; τίνα πόλιν; τίνα ξένον;
Quonam fugiam? ad quam vrbem? ad quem hoſpitum?

Polymeſtor apud eundem in Hecub.

Πᾷ στῶ; πᾷ κάμψω; πᾷ βῶ;
Vbi conſiſtam? quò flectam? quò vadam?

Videatur longus Senecæ locus de Medea, ab illis verbis, *At quò remittis?* &c.

17. QVI ME MEAQVE ARMA SECVTI?] Par dolor Menelai apud Hom. 17. Iliad vbi veretur, nequis Græcorum iraſcatur ſibi, videlicet

———εἰ μέν κε λίπω
Πάτροκλον, ὃς κεῖται ἐμῆς ἕνεκ' ἐνθάδε τιμῆς:
———*ſi deſeruero*
Patroclum, qui iacet meum propter honorem.

Hæc eadem ratio reddita eſt à Pub. Craſſo filio Marci Craſſi, qui Publius, cùm moneretur, vt fugeret à bello, reſpondit, ait Plutar. οὐδένα δεινὸν οὕτως ἔσεσθαι θάνατον, ὃν φοβηθεὶς Πόπλιος ἀπολείψει τοὺς ἀπολλυμένους δι' αὐτόν: *nullam tam formidabilem fore mortem, cuius metu deſerturus eſſet Publius illos, qui ſuâ cauſâ occumberent.* — Dux debet pro ſuis mori.

18. AVT QVÆ IAM SATIS IMA DEHISCAT TERRA MIHI?] Solenniſſima imprecatio. Hector ita Paridi 6. Iliad. ὥς κέ οἱ αὖθι γαῖα χάνοι: *vtinam illi terra dehiſcat.* Diomedes ſibi lib. 8. τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών: *tunc mihi dehiſcat lata tellus.* Nec ſolùm hoc verbo auctores, ſed aliis; vt cùm Adraſtus apud Eurip. Suppl. καλῶς μ' εἰ δὴ γᾶς ἕλοι: *me ſolum terræ abripiat.* Calab. lib. 1. per κεύθω. ὡς εἴ με χυτὴ κατὰ γαῖα κεκεύθει: *vtinā me terra ſuperingeſta occuluiſſet.* Xenoph. lib. 7. de expedit. Cyri cōmuniore verbo, εὔχομαι μυρίας ἐμέ γε κατὰ τῆς γῆς ὀργυιὰς γενέσθαι: *opto vel decies mille orgyias infra terrā eſſe.* Quidā apud Stat. 5. Theb. *quàm me priùs ima ſum vmbras Mergat humus.* Ratio huius imprecationis nulla, credo, eſt alia, quàm velle miſeros latere, nec cerni ab vllo ad eum modum, quo Hercules apud Eurip. poſt interfectos liberos. — Dehiſcat mihi terra.

Καὶ ταῦτ' ἄριστα, μηδέν' Ἑλλήνων μ' ὁρᾶν:
Eſt hoc optimum, nemo vt me Græcorum videat.

 19. MI

19. Miserescite venti.] Vult ab his rapi in A saxa, in rupes, & mergi Syrtibus, &c. Itaque fortasse lustratus Poëtæ locus Hom. 6. Iliad. vbi ita comploratabunda Hecuba,

Ὥς μ' ὄφελ' ἤματι τῷ ὅτε με πρῶτον τέκε μήτηρ
Οἴχεσθαι προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
Εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,
Ἔνθα με κῦμ' ἀπόερσε. ———
Vtinam me die illo, quando me primùm peperit mater
Abiisset asportans sæua venti procella
In montem, vel vndam multisoni maris,
Vbi me vnda mersisset. ———

Itaque quod Græcus εἰς ὄρος, Latinus *in saxa, in rupes;* quod ille εἰς κῦμα θαλάσσης, hic *sæuísque vadis immittite* B *Syrtis*. Sed cùm dicat *miserescite venti*, huc pertinet illud veteris Poëtæ apud Tullium 5. Tuscul. *Te Apollo sancte fer opem, téque omnipotens Neptune inuoco, vosque adeò venti.* Tale & illud lib. 5. Æneid. *ventósque in vota vocauit.* In re omnino Virgiliana Plut. in vita Gracch. νῦν δ' ἴσως κἀγὼ ποταμοῦ τινὸς, ἢ θαλάσσης ἱκέτης ἔσομαι: *Nunc forsitan & ego fluuio alicui, aut mari supplex ero.*

Venti olim Dij.

20. Volens vos Tvrnvs adoro.] Pro *oro* positum aiunt. Possunt, vt dicam sequente Nota. Sed cur non etiam verè adoret, & Deos faciat ventos, vt impetret, quod petit? Venti enim Dij existimati à veteribus. Inter reliquam multitudinem Deo- C rum, quibus à Persis facta sacra, tum etiam ἀνέμοισι, *ventis*, scribit Herodot. in Clio. Apud Hom. 23. Iliad. Achilles ἠρᾶτ' ἀνέμοισι, *supplicabat ventis* Boreæ, & Zephyro; quin ὑπίσχετο ἱερὰ καλά, *promittebat pretiosa sacra.* & statim inducitur idem Achilles libans illis in aureo poculo, σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ. Apud Pausan. Corinth. est βωμὸς ἀνέμων, *ara ventorum.* & in Arcadic. vni Boreæ constituit aram, cui vento Megalopolitani θυσίας θύουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, *anniuersarium sacrum faciunt.* Addítque, θεῶν οὐδενὸς Βορέαν ὕστερον ἄγουσιν ἐς τιμήν: *nulli Deorum maiores habent, quàm Boreæ, honores.* Adhibétque rationé, quia ab eo seruati sūt in pugna cōtra Lacedæmonios, & Agidis. Propert. Eleg. 7. lib. 3.

A *Dij maris Ægæi, quos sunt penes æquora, venti.*

& Eleg. 20. eiusdem lib. vocat *vndisonos Deos.*

Adorare vnde dictum.

21. Adoro.] Dixi in Georg. *adorare* esse propriè terram contingere. Fortasse melior mens alia, vt *adorare* sit manum ad os admouere, eámque osculari: ita enim cultus exhibebatur. Ducunt me in hanc mentem Plinius, & Apuleius. Prior ait: *in adorando dexteram ad osculū referimus.* Posterior 1. Apolog. *Nulli Deo ad hoc aui supplicauit, nullum templum frequentauit, si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admouere.* Vterque indicat esse *adorare* ad ora manus admouere. Hinc iam viri eruditi explicuêre locum Iobi cap. 31. & alium 3. Reg. cap. 19. B & vnus Pithœus locum Salomonis, qui de accipiente eleemosynam ait, *osculatur manus* αὐτῇ *suas*, non αὐτοῦ. quam lectionem interpres reddidit: *osculatur manus dantis,* quia ipse legit αὐτοῦ, cùm potuisset *suas*, quia legi posset αὐτῇ, iuxta morem, quem aperui. Et quidem locus Iobi apertè pro Pithœo. Ex his de adoratione capio Minutij locum hunc: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labiis pressit.* Admoneo, qui velit in Virg. capere per verbum *adoro*, loquor, aut precor, posse; vt dicat: loquor ad vos, precórque, ô venti, ferte ratem, &c. Festus: *adorare apud an-* C *tiquos significabat agere. vnde oratores.* Ouid. 4. Fast. *Hetruscus Turnus adorat opes,* id est, precatur confugitque ad opes Hetruscorum. Ita & Apul. 3. Aß. *Accusator quidam senior exsurgit, & populum sic adorat.*

Dextra osculata, nota est adorationis.

Adoro olim pro, loquor.

22. Syrtis.] Hæc lectio commodior expediendo Poëtæ, vt dicat, *vadis Syrtis.* nam qui legunt *Syrtes*, non ita facilè expedient.

23. Qvo neqve me Rvtvli, &c.] Optat esse, vbi agnoscatur à nemine. Tale illud Tibull. Eleg. vlt. lib. 4.

Qua nulla humano sit via trita pede.

Et Propertij Eleg. 1. lib. 1.

Ferte per extremas gentes. & ferte per vndas,
Qua non vlla meum femina norit iter.

[a] Hæc memorans animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
An sese mucrone, ob tantum dedecus, amens
Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an iaciat mediis, & littora nando
Curua petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma?
[b] Ter conatus vtramque viam, ter maxima Iuno
Continuit, iuuenémque animo miserata repressit.
Labitur alta secans fluctúque æstúque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem.

ARGVMENTVM.

Æstuat Turnus fluctuabundus, an se interficiat, an ad bellum redeat? vtrunque tentat, sed Iuno illum continet: venit tandem ad patris Dauni vrbem.

EXPLICATIO.

[a] Dvplex viri fortissimi deliberatio, & eius qui grauiter ignominia pungitur. Prima, an se interficiat; altera, an ad bellum redeat? Ratio vtriusD que *ob tantum dedecus.* Primam exornat atrociter, alteram viriliter. Quid enim atrocius, quàm velle se *mucrone induere, crudum ensem per costas exigere?* Quid virilius, quàm *iacere se mediis fluctibus, nare ad littora, reddere se iterum in arma hostium,* postquàm iam exemptus fuerat à periculo?

[b] Tentauit *ter*, id est, sæpe rem vtramque, & toties Iuno continuit iuuenem misericordia commota. Tandem Turnus secundo mari peruenit ad vrbem patris Dauni, Iunone nauem eò dirigente, vt affectus & amor patris iuuenem retineret. Expende Poëtæ artificium in hac Turni fuga. Ea nauis salutē Turno attulit, quæ erat hostium, & quæ hostes adduxerat aduersum Turnum. Sic sunt humana.

NOTÆ.

1. ANIMO NVNC HVC, NVNC FLVCTVAT ILLVC.] Ipsa hac fluctuantis animi ambiguitate indicat Poëta non satis firmo animo esse Turnum ad mortem. Et quidem Seneca, qui multus est in hoc sermone, sæpe ait, nihil illi deliberandum, qui remedium hoc quærit, sed statim inuadendum. Quintil. etiam Declam. 344. de re simili loquens: *Iam mihi moras narras? ipsum illud, secretum quærere, & putare interesse, vbi pereat, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista nisi subitò.* Itaque deliberatio Turni, vtram mortem eligat ferri, an aquæ? hominis est amantis naturali affectu vitam suam. Vt etiam apud Lucilium quispiam lib. 23. Sat.

Mori volenti nihil deliberandum.

Suspendáine se, an in gladium incumbat?

2. AN SESE MVCRONE, &c.] Deliberatio hæc proficiscitur vel à summo dolore. Abscantius apud Stat. lib. 5. Syluar.

Mori sponte cur multi velint.

Vt iuuenis magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sæuo viduos clamore Penates,
Nunc ferrum laxare cupit.———

Vel à gloriæ auiditate, quam se sperabat consequi ex voluntaria morte. Lucan. lib. 4.

Par animi laus est, & quos speraueris annos
Spernere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

Nihil enim veteres illi gloriosius esse existimarunt, quàm se interficere ad fugiendam omnem contumeliam. Huius opinionis magnus patronus Seneca est. Vel tertiò demum in hanc desperationem adductus est ex repentina rei mutatione. Verè enim dixit Thucyd. *Frangi hominum feroces spiritus re illa, quæ repentè accidit, & præter expectationem, ac longè aliter quàm erat opinio.* Græca si quæras, sunt. δουλοῖ γὰρ τὸ φρόνημα τὸ αἰφνίδιον καὶ ἀπροσδόκητον, καὶ τὸ πλείστῳ παραλόγῳ ξυμβαῖνον.

3. INDVAT.] Profert Turneb. illud Iulij 7. Gallic: *se ipsi acutissimis vallis induebant.* Ego Homerum, qui sæpe εἵσατο in re simili; vt cùm de hasta ait 13. Iliad. χροὸς εἵσατο, & de sagitta in 4. διὰ πρὸ δ' εἵσατο. quod verbum ἀπὸ τοῦ ἕω, id est, *induo.* In quibus, quamuis interpretes reddant, *adacta est sagitta, penetrauit, &c.* sed propriè est, *sagitta sese induit.* Ac proinde ego in Virg. hypallagen capio. Gladius enim, aut sagitta propriè se induit humana carne: sed percussus, non propriè se sagitta induit, sed per hypallagen. Sic & Seneca in Furente, *pectus in tela indue.* Iterum;

Indui mucrone.

Hypallage.

Lethale ferrum pectori impressum induam.

4. PER COSTAS.] Hanc partem signat Soph. Antig.

Ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος:
Infixit costis medium ensem.

5. EXIGAT ENSEM.] Est hoc, quod Ioann. Chrysost. Orat. 1. de Beata Pelagia, καὶ ξίφος διὰ τῆς γαστρὸς ἤλασεν. Hom. sæpe ἔλασσε, & ἤρεισε. Aristoph. Vespis, περιπεσοῦμαι τῷ ξίφει. De Antonio Plutar. ὁρμήσας ἑαυτὸν ἀνεῖλεν. Lucan. lib. 4. *calido fodiemus viscera ferro.* Prudent. Psychom. *se cuspide versa perfodit.*

Ensem exigere.

6. FLVCTIBVS AN IACIAT MEDIIS.] Totus hic locus habet similitudinem cum loco Eurip. in Herc. vbi Hercules post interfectos liberos dubitat, an vel se gladio confodiat, vel det præcipitem ex saxo. Virgilius retinuit quod pertinet ad gladium, mutauit saxum in fluctus. Nam & idem met Eurip. Supplic. διὰ δὲ (μὲ) θύελλα σπάσαι: *procella me dilaceret.*

7. TER CONATVS, &c.] Hom. 5. Iliad.

Imitatio.

Τρὶς μὲν ἔπειτ' ἐπόρουσε κατακτάμεναι μενεαίνων,
Τρὶς δέ οἱ ἐστυφέλιξε φαεινὴν ἀσπίδ' Ἀπόλλων:
Ter quidem deinde irruit interficere cupiens,
Ter autem ei repressit lucidum clypeum Apollo.

Apollon. lib. 3. Arg.

Τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο:———
Ter quidem aggressus est, ter autem abstinuit.———

Sed si veram imitationem Virgiliani loci quæris, ea est Iliad. 8. vbi Diomedes furens ab Ioue continetur, vt Turnus ab Iunone. Versus sunt:

Τρὶς μὲν μερμήριξε κατὰ φρένα, καὶ κατὰ θυμὸν,
Τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς:
Ter quidem cogitauit in mente, & in animo,
Ter autem ab Idæis montibus tonuit consiliarius Iuppiter.

Ab his etiam locis Ouid. lib. 11. Metamorph.

———*quater impetus illi*
In medios fuit ire rogos, quater inde repulsus,
Concita membra fugæ mandat.———

8. ÆSTVQVE SECVNDO.] Intellige Poëtam. Maria æstuant propriè ad littora, nam videlicet ibi maior aquarum feruor. Ergo ait, nauigationem Turni factam ad ipsas oras, & hoc propriè esse *mare legere,* alibi explicui. Ita & Plinium accipe c. 28. lib. 6. *secundo æstu nauigant.* Plut. in vita Marij, πνεύματι φορῷ κομιζόμενος. Quod enim nos *secundum,* Græci φορόν.

Æstus secúdus quid.

9. DAVNI DEFERTVR AD VRBEM.] Ex voto Iunonis, quæ suprà,

———*quin & pugnæ subducere Turnum,*
Et Dauno possem incolumem seruare parenti.

[a] At Iouis interea monitis Mezentius ardens.
Succedit pugnæ, Teucrósque inuadit ouantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus vni,
Vni odiísque viro, telísque frequentibus instant.
[b] Ille, velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obuia ventorum furiis, expostáque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlíque marísque,
Ipsa immota manet. [c] prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi: cum quo Latagum, Palmúmque fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciémque aduersam: poplite Palmum
Succiso volui segnem sinit: armáque Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
[d] Nec non Euantem Phrygium, Paridísque Mimanta

Æqualem comitémque, vna quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis Regina Parin creat: vrbe paterna
Occubat, ignarum Laurens habet ora Mimanta.

ARGVMENTVM.

Mezentius pugnæ succedit, petitur ab omnibus, eius virtus per comparationem illustratur, narrantur illius gesta.

EXPLICATIO.

a NVLLA esset gloria Æneæ si hostes vinceret carentes duce. Ergo Mezentius pugnæ succedit loco Turni. Id Dij voluerunt ad Æneæ, vt dico, gloriam, ideo *monitis Iouis*. Quæstiunculas Seruij negligo, quas esse ἑωθεν duco. Tu expende apparatum ingredientis in aciem, *ardens, succedit, inuadit*. Tyrrheni erant infensissimi Mezentio (vti apparet ex narratione Euandri lib. 8.) horum itaque acies integræ in illum ruunt, omnes vnum petunt, vt *odiis*, ita & *telis*.

b Vidisti rupem, quæ prodit in vastum mare, quæ ventis obuia, & exposita fluctibus, quæ minas omnes perfert cœli & maris, nec mouetur è loco, talem puta Mezentium inter hostiles furias, euaginatos gladios, prætentas cuspides. Expende voculam, *vim cunctam*, quæ signata, non *omnem*, ad explicandum, ab omnibus simul iunctim oppugnari vnum, non vicissim.

c Sed iam ad facinora. Interficit Hebrum, Latagum, Palmum. variat omnia Poëta. Nam primum sternit, alteri faciem comminuit saxo, tertio succidit poplitem. Huius arma, & cristas dat filio Lauso: arma ad humeros, cristas ad galeam.

d Numerat duos alios, qui interfecti ab illo, *Euantem*, & *Mimanta*. Primum ait fuisse *Phrygium*, & fortasse ideo *Euantem* nominat. Nam Phrygij semper bacchabundi, & *Phrygios modos* nemo ignorat, horúmque luxuriam. De altero longior est sermo. Erat Mimas filius Amyci & Theanus, æqualis æuo Paridi, huiúsque comes: nam qua nocte Theano Mimanta peperit, eadem nocte Parin Hecuba filia Cissei. Sed vide fati extremi inæqualitatem. Paris in Troia occubuit, Mimas in Italia. ita scilicet fortuna calamitates diuisit. Illud de Hecuba, quæ *face prægnans*, refer ad somnium, quo visa est sibi facem parere, & verè peperit, nam vnico Paridis flabello tota arsit Troia.

NOTÆ.

1. AT IOVIS INTEREA, &c.] Quæ hîc Seru. de sacrilegio vana sunt: verè incitatus est à Ioue, etiamsi malus, ad eum modum, quo 4. Iliad. Pallas Iouis præcepto excitat in Græcos filium Lycaonis etiam contra fœdera, vt hoc flatu bellum accenderetur. Inde Hom. τῷ φρένας ἄφρονι πεῖθεν: *persuasit animum dementis illi*. Vt ergo hoc Pallas, cur non & Iuppiter ad bellum concitet furentem hominem? Cæterum ad exemplum Virg. inducentis ad reparandam aciem Mezentium, Statius Capaneum lib. 10. [Dij ad iram excitant mortales.]

Tu bidus interea ruptis venientia portis
A *Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.*

2. ATQVE OMNIBVS VNI, &c.] Non dissimile illud Liuij lib. 26. de Nauio & eius virtute: *Postquam iam ad signa peruenerat Hispanorum, tum vndique in eum tragulæ coniectæ, ut propè tota in vnum acies versa. Sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum eius viri potuerunt*. Similia de Mezentio Virg. nam statim illum cum rupe comparat. [Nauij virtus.]

3. ILLE VELVT RVPES, &c.] Illustrabam hunc locum libris sexto, & septimo, vbi par comparatio, in sexto ad explicandam Didûs immobilitatem ad fletus Æneæ, in septimo ad constantiam Latini, transfer ea huc, & aduce Lucanum lib. 6. non longè ab initio, vbi similes adhibet rupes; & Calabrum lib. 2. B qui Memnonem, & Achillem pugnantes ita comparat, ἅτε πρῶνες ἕσταν ἀδμῆτες: *stabant veluti immota cautes*. & Senecam, qui 3. de ira cap. 25. *Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit, sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat*. & lib. de vita Beata cap. 27. *Præbeo me non aliter, quàm rupes aliqua in vadoso maris destituta, quam fluctus non desinunt, vndecunque moti sunt, verberare: nec ideo aut loco eam mouent, aut per tot ætates crebro incursu suo consumunt*. & de Constant. Sapient. cap. 5. *Quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sæuitiæ vestigia tot verberati sæculis ostentant*. Nazianz. quoque Orat. 27. dixit, πέτρα τὶς οἶμαι πρὸς ἐμβολὰς ἀνέμων τε καὶ κυμάτων οὔ τι σαλευομένη: C *Non aliter, opinor, ac rupes quædam, quæ ventorum fluctuúmque impetu non concutitur*. Adduco etiam Basilium Magnum, qui in Oratione de Iulitta Martyre. ὥσπερ τινα σκόπελον θαλάσσης γείτονα, ἀσφαλῶς καὶ ἀσείστως τῶν τε βιαίων πνευμάτων, καὶ τῶν κυμάτων τὰς προσβολὰς ὑπομένειν: *Quemadmodum vicinus maris scopulus, qui firmus ipse, & immobilis sustinet ventorum & fluctuum impetus*. Sic legendum in Basil. non, vt in vulgatis, ἀποσεισμάς. Nam ipse postea in Orat. de Sancto Martyre Gordio, eadem vtens comparatione idem verbum vsurpat, videlicet προσβολήν. [Rupis immobilis comparatio.]

4. OBVIA VENTORVM, &c.] Hanc rupis contemnentis omnes impetus immobilitatem ita repræsentat Homer. 15. Iliad.

D Ὅς (πρὼν) τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα
ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησι
πλάζων, οὐδέ τί μιν σθένεϊ ῥηγνῦσι ῥέοντες:
Quæ (petra) difficiles violentorum fluuiorum impetus
Sustinet, statim verò omnium aquas per campum retorquet
Dispellens, neque illam frangunt cum impetu etiam inuadentes.

Nazianz. Orat. 28. de marinis rupibus ait, κύμασι βαλλόμεναι.

5. SAXO, ATQVE INGENTI FRAGMINE MONTIS.] Vnum dicit per duo, vt non hinc longè obseruabam. E Itaque sententia est, ferit Latagum saxo fracto ab monte. [ἓν διὰ δυοῖν.]

6. OCCVPAT OS FACIEMQVE.] Benè notat Vrsin. dici hoc Græca figura, vt ἔνυξεν Ἀχιλλῆα τὸν πόδα: *percussit Achillem pedem*. Tale illud 4. Iliad. ὁππότε κέν μιν γυῖα λάβῃ κάματος: *si quando ipsum membra occuparet defatigatio*. Ibidem, [Præpositio subaudienda.]

Τὸν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλον ἱπποδασείης.
Hunc percussit primus galeæ conum equisetæ.

vbi

ubi τὸν, & φίλον non concordant. Sed percussit τὸ, id est, hostem. iterum, ἐν βάλε στῆθος: *ipsum*, id est, hominem, *percussit pectus*. & 18. Iliad. σέβας δέ σε θυμὸν ἱκέσθω, *tangat reuerentia animum tuum*. ad verbum, *tangat reuerentia te animum*. Demum huc pertinet tritum illud Hom. τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψεν: *hunc tenebræ oculos operuerunt*. Sed in his omnibus subaudienda est præpositio κατὰ, vt dicat, κατὰ πόδα, γῆν, στῆθος, θυμὸν, ὄσσε. Ita in Virg. syntaxis est, *occupat faciem ad os*, id est, ea parte faciem occupat, qua est os.

7. POPLITE.] Ita lib. 9. *& succiso poplite Gigen excipit*. Apud Hom. 13. Iliad. quispiam καὶ ἰγνύην βεβολημένος ὀξέϊ χαλκῷ.

8. ARMAQVE LAVSO DONAT.] Consule, quæ dicebã suprà ad illud, *arma Serestus Lecta refert humeris*

9. VNA QVEM NOCTE, &c.] Sapit hic locus illum Homericum 18. Iliad. vbi de Polydamante filio Panthus,

Ἕκτορι δ' ἦεν ἑταῖρος, ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο:

Ibat Hectori socius, fuerant enim vna nocte geniti.

Theano. 10. THEANO.] Dicitur quædam Theano ab Hom. 6. Iliad. esse vxor Antenoris, vt etiam ab Triphyodoro. Aliarum, quibus id nominis, mentio in aliis Poëtis. Itaque nihil frequentius, quàm nomen vnum per alios vagari. Quæ ratio facilis expediendis multis Poëtarum locis, in quibus apparet dissidium.

11. CISSEIS REGINA.] Natales Hecubæ vbique tibi obuij. Sed & natales Paridis, & quæ prodita de face, quis ignorat?

12. IGNARVM.] Passiuè capias, id est, *ignoratum*. Laudo Seruium, qui ita accipit. Sic 4. Æneid. *liquitque volatile ferrum Nescium*. vbi *nescius* non est, ipse insciens, sed λαθὼν, *occultatus ignoratus*. Sed qua re Mima ignoratus? An quia sine elogio sepulturæ, & monumenti titulo? fortasse. Vide quæ de hoc more attuli lib. 7. per initia. An quia ita deformatus à Mezentio icta facie, vt non posset miser agnosci? fortasse hoc quoque. Ad hunc modum Valer. lib. 4. Arg. de his, qui interfecti ab Amyco.

Ignarus, passiuè. Nescius passiuè.

———capitum mæstissimus ordo.
Respicias, quibus aduerso sub vulnere nulla
Iam facies, nec nomen erat.———

vbi enim facies alicuius non agnoscitur, neque quis sic agnoscitur. Sic de Priamo *sine nomine corpus*, quia auulsum caput.

13. LAVRENS HABET ORA MIMANTA.] Conquestio frequentissima in Poëtis. Erat enim tristissimum occumbere longè à patria. Inde itaque quæsitus dolor à Poëta, quod cùm Paris in patria occubuisset, non idem beneficium contigisset Mimanti, cùm æquales in aliis essent. Hoc affectu plenissimus Homerus, à quo, & ab aliis alibi à me aduocata testimonia.

Mori longè à patria tristissimũ.

[a] Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multósque palus Laurentia, sylua
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuítque ferox, & inhorruit armos.
Nec cuiquam irasci, propiúsve accedere virtus:
Sed iaculis, tutísque procul clamoribus instant.
[b] Haud aliter iustæ quibus est Mezentius iræ,
Non vlli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longè, & vasto clamore lacessunt.
[c] Ille autem impauidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

ARGVMENTVM.

Comparatur Mezentij ferocitas cum apro.

EXPLICATIO.

[a] NON facilè inuenias cum quo conferas tractum istum inter Poëtas aut Græcos, aut Latinos. Latet aper in Vesulano monte, aut Laurentia palude, vbi sylua arundinum, vnde ille pastus tunc, si canum morsibus & lateribus eruatur è latebris in ipsa retia, primùm subsistit meditabundus quid agat, deinde infremit, demum inhorrescit. Nemini verò venatorum aut ira, aut virtus suadet propè accedere; sed eminùs instant iaculis, & tutis clamoribus.

[b] Sic Tyrrheni, quibus iusta est ira in Mezentium, quibus animus militaris & virtus, non tamen audent cominùs aggredi, sed è longinquo rem gerunt iaculis, & clamoribus; nam hoc tutò possunt. Expendo aliqua. Quia dixerat de apro, *nec cuiquam irasci*, ideo de Mezentio, *iustæ quibus est Mezentius iræ*. Quia de illo, *propiúsve accedere virtus*, ideo de hoc,

Non vlli est animus stricto concurrere ferro.

Itaque vt *irasci* & *ira* sibi respondent; ita *virtus* & *animus*. Procedo. Quia de illo,

Sed iaculis, tutísque procul clamoribus instant,

ideo de hoc,

Missilibus longè, & vasto clamore lacessunt.

Videt Seru. aliud quidpiam. Vesulus mons est Liguriæ iuxta Alpes, & Liguria cohæret Thusciæ. Ergo vt ab Liguria eductus aper, ita Mezentius ab cohærente Thuscia.

[c] Sunt qui hos duos versus annectant cum superioribus, ita vt illis continuetur sermo institutus de apro, atque adeò aper dicatur *impauidus*, & *cunctari*, & *infrendere dentibus*, ac *tergo hastas decutere*. Non placet horum iudicium. Sunt qui de Mezentio accipiant; ac tunc explicabis hunc in modum. Quia aper *substitit*, ideo Mezentius *impauidus cunctatur in omnes partes*.

Quia ille *infremuitque ferox*, hic *dentibus infrendens.* Quia ille *inhorruit armos*. hic *hastas decutit tergo*, id est, scuto facto è tergoribus boum. Ego prætereo hanc explicationem, nam interiecti versus faciunt, ne debeat continuari sermo assumptus de apro.

Notæ.

Apri comparatio.

1. Ac velut, &c.] Nobilis est Homeri comparatio 11. Iliad.

> ὡς δ' ὅτε κάπριον ἀμφὶ κύνες, θαλεροί τ' αἰζηοὶ
> σεύωνται. ὁ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο
> θήγων λευκὸν ὀδόντα μετὰ γναμπτῇσι γένυσσιν.
> ἀμφὶ δέ τ' ἀΐσσονται, ὑπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
> γίγνεται. οἳ δὲ μένουσιν ἄφαρ δεινόν περ ἐόντα:
> *Veluti cùm circa caprum canes, florentésque iuuenes*
> *Ruunt. hic autem exit profunda è sylua*
> *Acuens album dentem curuis in maxillis.*
> *Circa autem impetum faciunt, sub* (mandibulis) *autem stridor dentium*
> *Fit. hi tamen expectant horrendum licèt.*

Sed inuenit tamen victoriam Scaliger, nam aptius *canum morsu actus*, quàm collocari in media sylua. vide vt reliqua conferat. Aliqua iam ego expendi explicans. Libro etiam 13. Idomenei virtutem ita comparat:

> ——ὡς ὅτε τις σῦς οὔρεσιν ἀλκὶ πεποιθὼς,
> ὅς τε μένει κολοσυρτὸν ἐπερχόμενον πολὺν ἀνδρῶν
> χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ:——
> ——*vt cùm quis aper in montibus fretus robore*
> *Qui expectat tumultum venientem multorum virorum*
> *Loco in deserto.*——

De eodem Idomeneo libr. 4. συῒ εἴκελος ἀλκὴν, *virtute apro similis.* Sed quoniam de ingenij gloria agitur, confero cum Homero Hesiodum, qui fortasse alicui videbitur palmam illi præripere, nunquam Virgilio. Ergo in Scuto.

> Οἷος δ' ἐν βήσσῃσιν ὄρευς χαλεπὸς προϊδέσθαι
> Κάπρος χαυλιόδων, φρονέει δὲ θυμῷ μαχέσασθαι
> Ἀνδράσι θηρευτῇς, θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα
> Δοχμωθεὶς, ἀφρὸς δὲ περὶ στόμα μαστιχόωντι
> Λείβεται, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἔικτην,
> Ὀρθὰς δ' ἐν λοφιῇ φρίσσει τρίχας, ἀμφί τε δειρήν.
> Τῷ ἴκελος Διὸς υἱὸς ἀφ' ἱππείου θόρε δίφρου:
> *Qualis autem in conuallibus montis asper visu*
> *Aper cui dentes curui, superbit animo ad pugnam*
> *Cum viris venatoribus, acuit autem album dentem*
> *Curuatus, spuma autem circa os mandenti*
> *Stillat, oculi autem igni lucido assimilantur.*
> *Erectis autem in dorso horret setis ad collum.*
> *Huic similis Iouis filius ab equestri curru desiluit.*

Audi & Musam Stat. 2. Theb.

> *Euolat Oenides vindex sic ille Dianæ*
> *Erectis setis, & adunco fulmine malæ,*
> *Cùm premeret Pelopea phalanx, saxa obuia voluens,*
> *Fractáque perfossis arbusta Acheloïa ripis.*

Idem lib. 11. eiusdem operis,

> *Fulmineos veluti præceps cùm cominus egit*
> *Ira suos, strictisque erexit pectora setis.*
> *Igne tremunt oculi, lunatáque dentibus vncis*
> *Ore sonant.*——

Senec. Tragicus in Agamemn.

> *At ille, vt altis hispidus syluis aper*
> *Cum casse vinctus tentat egressus tamen,*
> *Arctátque motu vincla & frustra furit.*

Ab Eurip. in Orest. ipse Orestes & Pylades comparantur apris montanis, ὡς κάπροι ὀρέστεροι. vnde fortasse Poëta aprum suum eduxit ex monte Vesulo. & in Phœniss. Eteocles, & Polynices, [illegible].

2. Velut ille.] Admonet Guliel. Cant. libr. 3. Nouar. Lect. c. 26. particulam (*ille*) adhiberi tantum gratia ornatus. Nam, etiamsi adimatur, integra est sententia. Sic lib. 11. *Ac velut ille prius*, &c. & sup. *Tertius ille hominum.* &c. Firmat aliis. Sed ego maiorem efficaciam agnosco. — Ille, ad ornatum.

3. Actus aper.] Hoc in sua comparatione expressit Sil. lib. 1. — Agi, de fera.

> *Fulmineus cum Spartanis latratibus actus*
> *Cùm syluam occursu venantum perdidit, &c.*——

Ab Calab. lib. 2. inducuntur in comparatione quadam, κύνες δ' ἐπέχραον χαλόωσιν [illegible] ὑλακτῇσιν, *canes exultabundi, & latratu crebro personantes*, idque iuxta feras, quas persequuntur.

4. Multos Vesulus, &c.] Expendit Scal. magnum fuisse aprum, quia *multos annos.* Non putant Poëtæ alij Lectori satisfacere, nisi clarè rem dicant, vt cùm Claud. 3. Stil.

> ——*& si quis defensus arundine Rheni*
> *Vastus aper nimio dentes curuauerat æuo.*

Sic ὀρέστερα λέοντος Eurip. in Bacch.

5. Infremuitque ferox, et inhorruit armos.] Hanc furentis apri picturam locupletabis adductis iam in prima Nota: & hîc adiice Homer. qui de hac fera 13. Iliad. — Apri furor.

> ——φρίσσει δέ τε νῶτον ὕπερθεν.
> Ὀφθαλμὼ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπετον. αὐτὰρ ὀδόντας
> Θήγει:——
> ——*horret autem dorso supernè.*
> *Oculi ei igne lucent, ac dentes*
> *Acuit.*——

Silium lib. 1. *hirto horrescit setius dorso.* Ouid. 8. Metam. vbi ita loquitur de apro Calydonio:

> *Sanguine & igne micant oculi, riget horrida ceruix,*
> *Et setæ densis similes hastilibus horrent,*
> *Stántque velut vallum, velut alta hastilia setæ.*
> *Feruida cùm rauco latos stridore per armos*
> *Spuma fluit, dentes æquantur dentibus Indis,*
> *Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.*

Procedunt hæc ab insita Poëtæ huius luxuria, & mihi versus Virgilij vnicus hic,

> *Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos.*

maiorem apri ferocitatem indicat, quàm Ouidij *hastilia, vallum, stridor, fulmen* & reliquus apparatus. Propono enim tibi, Lector, aliquando plurima aliorum, vt videas sobrietatem Virgilij.

6. Propiusve accedere, &c.] Tale illud de Neoptolemo apud Euripid. in Andr. ad quem, multi cùm essent, nemo accedebat, sed è longinquo ἔβαλλον ἐκ χερῶν πέτροις, *petebant lapidibus manu iactis.* Simile spectaculum viri fortis exhibet ille in Iphig. in Taur. vbi Orestem circumuenit multitudo pastorum, non proximè, sed tutò & à longè: petebatur quippe sagittis, iaculis, saxis, clamore.

7. Iustæ quibus est Mezentius iræ.] Macrob. c. 6. lib. 6: *odio esse aliquem, vsitatum: iræ esse, inuentum Maronis est.*

8. Dentibus infrendens.] Est hæc nota irarum. De apris iisdem Hom. 12. Iliad. κόμπος ὀδόντων: *dentium stridor*, quod lib. 13. repetit. De fera quapiam Val. lib. 1. Arg. *Fulmineus quatit ora fragor.* Cyrill. Alexandrinus Comment. in Amos num. 30. inter reliquas notas iræ, quibus impius debacchatur aduersum iustos, τῶν ἁγίων κεφαλαῖς ἐπιτρίζων τοὺς ὀδόντας: *stridet dentibus contra sanctorum capita.* & Commentar. in Mich. num. 68. οἱ δὲ ὀδόντας αὐτοῦ δυσσεβεῖς ἐπιτρίζοντες, καὶ ὀργὰς ἐπιθήγοντες, καὶ πᾶν εἶδος συνιστῶντες ἐπιβουλῆς: — Dentiū fremor nota iræ.

qui

qui dentibus in eam (Ecclesiam) *impiè infremunt,& iras acuunt,atque omne genus insidiarum componunt.* De irato Achill. Hom. 19. Iliad. τοῦ δὲ ὀδόντων μὲν καναχὴ πέλε: *inerat & huic stridor in dentibus.* Hanc dentium notam intelligit Tertull. Apolog. verbis illis *infrendite,inspumate.*& Eurip. in Bacch. cùm ait,

Θυμὸν ἐκπνέων, ἱδρῶτα σώματος στάζων ἄπο,
Χείλεσι διδοὺς ὀδόντας:———
Iracundiam spirans,& sudorem à corpore stillans,
Labris dans dentes.———

Ad hanc fortasse notam allusum à Martiali Epigr. 2. lib. 13. vbi loquens de inuido, quod vitium cognatum iræ, *quid dentem dente iuuabis rodere?* quippe inuidi strepunt. Itaque aliud agens huc allusit. De irato serpente Oppian. 2. Cyn. ὀδόντας πεφρικότας, *horrentes dentes.* &, ἐπιπρίων γένυσιν, *collidit malas cum stridore.* Dixi de hac re & libro octauo, vbi datur eadem iracundiæ nota furenti Herculi. Sed velim obserues eandem notam è contrario dari timidis. Claré Ho- Et timoris. merus de Dolone Iliad. 10. cùm incidit in Diomedem,& Vlyssem.

———ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἔστη τάρβησέν τε
Βαμβαίνων. ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίνετ᾽ ὀδόντων,
Χλωρὸς ὑπαὶ δείους:———
———*hic autem constit,timuitque*
Balbutiens,stridórque in ore fiebat dentium,
Pallidúsque erat præ timore.———

Et lib. 13. adhibens signa timidorum,

Ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει
Κῆρας ὀιομένῳ, πάταγος δέ τε γίνετ᾽ ὀδόντων:
Eique cor valdè in pectoribus palpitat
Mortem suspicanti,stridor etiam fit dentium.

9. ET TERGO DECVTIT HASTAS.] Proximè ad hanc Musam Lucanus lib. 6. loquens de elephanto, Decutere hastas.

Getulus densis elephas oppressus ab armis
Omne repercussum squallenti missile tergo
Frangit,& hærentes mota cute discutit hastas.

ᵃ Venerat antiqui Coriti de finibus Acron
Graïus homo,infectos linquens profugus Hymenæos.
Hunc vbi miscentem longè media agmina vidit
Purpureum pennis,& pactæ coniugis ostro:
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames)si fortè fugacem
Conspexit capream,aut surgentem in cornua ceruum,
Gaudet,hians immane,comásque arrexit,& hæret
Visceribus super accumbens:lauit improba teter
Ora cruór.
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron,& calcibus atram
Tundit humum exspirans,infractáque tela cruentat.

ARGVMENTVM.

Acronis mors,& Mezentij virtus comparata cum leone.

EXPLICATIO.

ᵃ HÆc cùm sint clara vnico tractu percurrenda, & quæpiam expendenda. Ergo Acronis res partim inexpectatæ adhibentur, partim tragicæ; & omnia ad mouendũ Lectorem. Quid magis inexpectatũ,quã venire ad auxilium Troianorũ hominem Græcũ? Quid magis tragicum,quàm liquisse infectas nuptias? Itaq; desponderat sibi virginẽ, sed domũ nõ duxerat, ac proinde neque amorẽ primum gustarat, ideo postea *infelix Acron,* vt suprà Cydon *infelix* dicitur,quia sequebatur *sua gaudia.* Pergit. Videt hũc Mezentius *miscentem media agmina* .i. agentem nihil in bello serium, tantùm versantem in aliorum tumultu & feruore. Sed cur hunc præ aliis vidit? quia huic viro cristæ purpureæ,& lucentissimum ostrum ad futuras nuptias. Hac ergo tanquã præda inuitatus ruit in illum instar leonis, qui præ fame ferocior, cùm capreã,aut ceruum vidit, illam *fugacem,* hunc *surgentem in cornua.* i. sublimem cornibus, *gaudet, hians immane.* i. ducto oris hiatu magno, vt famelicus, & *comas* arrigit,id est,iubas,ac tunc aduolans *hæret,* accumbítque super visceribus prædæ,ac totus cruore perfunditur. Dicit *lauit* antiquum,pro *lauat.* Redeo. Talem puta Mezentij impetum in Acronem,qui statim *sternitur:* nulla enim illi virtus ad resistendum, sicut nec capreæ,aut ceruo contra leonem. Adhibet circunstantias mortis,nam *calcibus humum tundit,cruentat tela;* & hæc *infracta,* vt quæ primo impetu Mezentij diffracta. Expende ceruum dici *surgentem in cornua,* quia Acroni cristæ:& nota puncto temporis interfectum illum,vt ceruum,aut capream à leone, quia tam Acron,quàm hæ feræ,imbelles. Explica *alacrem,* promptum,strenuum,ἕτοιμον,ἴφθιμον.

NOTÆ.

1. CORITI.] De hoc Thusciæ oppido dicebam ad 3. Æneid.

2. INFECTOS LINQVENS,&c.] Homerico affectũ Iliad. 11.

Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον,
Οἰκτρὸς ἀπὸ μνηστῆς ἀλόχου ἀστοῖσιν ἀρήγων:
Sic hic quidem illic lapsus dormiuit æreum somnum,
Miser procul à desponsata vxore,auxiliũ cũ ferret ciuibus.

Sed vide vti nudam Homeri vestem picturis variis Poëta vestiuerit. Nam quem non moueant infecti Hymenæi? ostrum coniugis iam pactæ? dirissima Mezentij inuasio pro complexu sponsæ? Indicat sanè Homerum superat Virgilius.

sanè Virgilius infectos fuisse Hymenæos, ita vt nunquam ad coniugem accesserit: nam etiam Homerus *ὡς ὅ τι χάριν ἴδε*: *cuius nullam voluptatem vidit*. Parem affectum mouet Plutarchus in vita Cleomen. etiamsi post factas nuptias. Verba eius. *ὅτι δ' αὐτοῖς νεογάμοις οὖσιν ἐν ἀκμαῖς ἐρώτων αἱ τύχαι συνέβησαν*: *Breui post nuptias in ipso armorũ feruore in has inciderint ærumnas.* A

3. HVNC VBI MISCENTEM, &c.] Putat Vrsin. simile esse illud 5. Iliad. Misceo, in bello quid.

Τὸν δ' ἴδεν Αἰνείας ἀλαπάζοντα στίχας ἀνδρῶν:

Hunc autem vidit Æneas deuastantẽ ordines virorum.

De Vlysse 4. Iliad. *προμάχοισι μιγέντα*: *propugnatoribus mistum.* & de Achille 18. *οὐδ' ἐς Ἀχαιοὺς μίσγετο*, *neque Græcis miscebatur*, videlicet ad pugnandum. Noster lib. 2. Georg. *horrida miscent prælia.* & Liu. lib. 2. *miscere certamina.* His tamen non moueor, vt mutem explicationem; nam ex circumstantiis apparet Acronem occupatum in re nulla setia in hoc bello. Itaque ostentabat tantùm feruorem. B

4. PVRPVREVM PENNIS.] Hypallage, nam non ipse purpureus, sed cristæ. Consule, quæ lib. 9. ad illud, *Purpurei cristis iuuenes.* Tu hîc colorem nota, qui placuit amanti iuueni in gratiam sponsæ: hic enim color amantium est. Huc pertinet nobilis illa inuentio purpuræ apud Pollucem, quem colorem Hercules puellæ suæ attulit loco egregij muneris. Oenone apud Ouid. in Epist. Hypallage. Purpureus color amantium.

Dum moror in summa fulsit mihi purpura prora:
Pertimui, cultus non erat ille tuus.

Nam scilicet erat Helenæ, in cuius gratiæ testificationem purpurea vela Paris appendit, quibus visis intellexit Oenone Paridem iam amore captum. Hoc colore voluit Antonium demereri Cleopatra. Inquit. n. Plutar. *τῶν μὲν ἱστίων ἁλουργῶν ἐκπεπετασμένων.* Athen. libr. 13. *πορφύραν ἐπιβάλλων* de re Anacreontis impensè amantis. Idem Anacreon dormire se aiebat *ἁλιπορφύροις τάπησι.* C

5. PACTÆ.] Explicat Sophocl. pactionem nuptiarum in Antig. verbo *ἐρμόζειν*, & pacta vocat *ἡρμοσμένα*. Quæsitè dixit Ouid. 9. Metamorph. Pacta sposa.

Coniugium, pactæq; expectant tempora tædæ.

Sed & *pactæ sponsæ* dictum Arnobio lib. 4. & Symmacho lib. 7. epist. 10.

6. IMPASTVS STABVLA, &c.] Aptissima comparatio, & multæ iam à me locis aliis adductæ; vnde hic locus potest illustrari. Notetur ratio. Est enim ferocissimus leo, cùm *impastus*, & ieiunus. Cyrillus Alexandrinus in Amos num. 27. ita scribit. *οἱ τὰς τῶν θηρίων πολυπραγμονοῦντες ἤθη, φασὶ τὸν λέοντα τροφῆς ἐν ἐνδείᾳ γεγονότα περιχοιτᾶν ἄθηναι ὄρη τε, καὶ νάπας, καὶ δρυμοὺς, τῇ δὲ καὶ πανταχῇ τὸν ὀφθαλμὸν περιστρέφεσθαι, καὶ τι τῶν ἐν ὕλαις βοσκομένων λαβεῖν*: *Qui naturas ferarum exquisitiùs peruestigant, narrant, leonem esurientem montes, saltus, & nemora contentiùs peruagari, in omnem partem oculos circumferre, & quidpiam ibidem pascentium rapere.* Hæc etiam ratio est in Oppiano libro quarto Cyn. ad leonis impetum explicandum, *καρτερὸς δ' ἑ λιμὸς ὀρίνει*: *stimulat illum vehemens fames.* & statim, *ὑπείροχα γαστρὶ πιθήσας*: *insilit ventri obediens.* Iosephus libro septimo Bell. Iud. c. 14. *ἐδόκει δὲ πᾶς τρόπος ἀπωλείας τοῦ λιμοῦ κουφότερος*: *Omne pereundi genus fame leuius videbatur.* De hac re alibi ego latiùs. Leo ferocissimus cùm ieiunus. D

7. STABVLA ALTA.] Pind. Od. 4. Pyth. *ἀφνεῶν ἀπὸ σταθμῶν.* Stabula alta.

8. VESANA FAMES.] Præclarè, nam fames in rabiem agit. Dicebam de hoc malo libro nono, vbi etiam fames *vesana* dicitur. Hîc profero Oppian. 3. Hal. Fames in rabiem agit.

ὡς οὐδὲν λιμοῖο κακώτερον, οὐδὲ βαρείης
Γαστρὸς, ἣ κρατέει μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ἀνάγκη:
Vt nihil est fame deterius, neque graui
Ventre, quæ imperat sanè inter homines crudelis.

Græcus *κρατέει*, quod Virg. *suadet*. Addit, quod imprimis ad rem Virg. de eadem fame,

——*πολλοὺς δὲ περιφύλακα νόσοιο*
Εἰς ἄτην ἐώθησε, καὶ αἴσχιστον ἐγκατέθηκε:
——*multos verò deturbatos mente*
In noxam coniecit, & probris implicuit.

Itaque, quod Virgilius *vesaniam*, ille *turbationem mentis*. Statius libro sexto Thebaidos de famelico leone *rabiem* dixit: versus statim affero. Rabies, de fame.

9. SI FORTE FVGACEM, &c.] Talis illa Statij comparatio 6. Theb.

Qualis vbi primam leo manè cubilibus atris
Erexit rabiem, & sæuo speculatus ab antro
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum,
It fremitu gaudens.——

Vide similes impetus huius comparationis suprà in hoc libro ad illud, *vtq; leo specula cùm vidit ab alta*, &c. vbi repræsentatur ferocitas Turni irruentis in Pallantem; & hîc adiice Homerum, qui libro tertio Iliad.

Ὥς τε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα
Πεινάων. μάλα γάρ τε κατεσθίει.——
Ὣς ἐχάρη Μενέλαος Ἀλέξανδρον θεοειδέα
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδών:——
Sicut gauisus est leo, qui in magnum corpus inciderit
Inueniens vel ceruum cornutum, vel syluestrem capram
Cùm esurit, valdè enim deuorat.——
Sic gauisus est Menelaus Alexandrum diuinum
Oculis conspicatus.——

Disce à Virgilio Homerum imitari cum victoria. Quod ille *πεινάων*, triuialiter, Noster *impastus*, & augens addit *vesana fames*. Quod ille *ἄγριον αἶγα*, hic mutato attributo, *fugacem capream*, nulla hæc nisi *syluestris*; sed noluit trinium. Quòd ille simpliciter *ἔλαφον κεραὸν*, hic sublimiùs *surgentem in cornua ceruum*. Quod ille *μάλα γὰρ ἐσθίει*, hic impensiùs, *hæret visceribus superaccumbens*. Hæc ab illo accipiens fecit maiora, tum addidit *suadet*, quod facetissimum, non *cogit*, aut aliud triuiale: & *hians immane*, atque etiam, *comdsque arrexit*. Demum fecit veluti epiphonema, *lauit improba teter ora cruor*. Vides, vt accepta fecerit meliora, tum etiam præstantissima quæpiam addiderit. Texta ista sunt Scaligeriano filo. Nesciunt ingrati quantùm debeant Scaligero. Sed, misso Homero, adduco locum Nonn. è lib. 10. ad finem, Homerum superat Virgilius.

——*ὡς περὶ λόχμην*
Χαιτήεις ἐκόρυσσε λέων λυσσώδεϊ λαιμῷ,
Καὶ βαλιῶν ἐλάφων κεραῶν ἐδίωκε γενέθλην:
——*quemadmodum in sylua*
Iubatus leo, & armatus gutture rabido,
Velocium ceruorum cornutum genus persequebatur.

10. SVRGENTEM IN CORNVA CERVVM.] Est hoc, quod lib. 1. etiam de ceruis, *capita alta ferentes cornibus arboreis*; quem locum adi. Bellulè Ouid. 10. Metamorph. de ceruo, Surgens in cornua. E

Ipse suo capiti præbebat cornibus vmbras.

Nonnus lib. 10. *ὑψικέρων ἔλαφον*, *alticornem ceruum*. Calpurnius de eadem fera Ecl. 6. venustè, *Aspicis vt fruticat latè caput*. Oppian. lib. 2. vocat *ὑψικάρηνον*: iterum, *καρήατα μετήορα ἀείρονθ*. adhuc, Fruticeo, de cornib. ceruor.

Ὑψι δ' ἀνίσχονται κεράων πολυήρατον εἶδος:
Extollunt in altum peramabilem formam cornuum.

11. GAVDET.] Ita de leone Oppian. 4. Cyn. cùm videt prædam *κεχαρημένος ἦτορ*: *exhilaratus corde.* & Homer. *ἐχάρη* de eodem.

12. HIANS

Hiatus, de leone.

12. Hians immane.] Anacreon ait dedisse naturam leonibus χάσμ' ὀδόντων, *hiatum dentium.* A

Comæ leonis.

13. Comas.] Aristotel.2.de partib.Animal.c.14. leoni dat χαίτην: alij dant φόβην à timore, quem incutit arrectis iubis. Est enim irarum in hac fera iubæ arrectio. Itaque præclarè *comásque arrexit.* Sic & de ira taurorum Oppian.2.Cyn.

Φρικαλέην χαίτην μὲν ἐπωμαδὸν αἰθύσσουσι:
Horribilem quidem iubam supra armos quatiunt.

14. Hæret.] De eo, qui affixus hæret aliquo in loco, Græci dicunt ἐμπέφυκα. Exemplum est in Euseb.contra Hieroclem.

15. Visceribus super.] Græcanicum; ita scilicet, πλήρης ἄγαν. ἐκεῖνος μεστὸς. ἀνδρὸς πίει.& millena.

Leo exultat in cædibus.

16. Lavit improba teter ora crvor.] Hanc leonis carnificinam exultantis inter viscera & cruorem, amantísque illam proluuiem & saniem, ita Hom.exprimit lib.17.Iliad. B

Ὡς δ' ὅτε τίς τε λέων ὀρεσίτροφος ἀλκὶ πεποιθὼς,
Βοσκομένης ἀγέλης βοῦν ἁρπάσῃ, ἥ τις ἀρίστη.
Τῆς δ' ἐξ αὐχέν' ἔαξε λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσι
Πρῶτον, ἔπειτα δέ θ' αἷμα καὶ ἔγκατα πάντα λαφύσσει
Δηῶν:———
Vt autem quando quis montanus leo virtute fretus
Rapuit pascentis armenti bouem, quæ optima.
Huiúsque fregit ceruicem correptam validis dentibus
Primùm, deinde sanguinem, & viscera omnia sorbet
Dilanians.———

Duos extremos versus habet idem lib. 11.Iliad. Pari carnificina loquitur de eadem fera 22. Odyss.

Πᾶν δ' ἄρ' οἱ στῆθός τε, παρήϊά τ' ἀμφοτέρωθεν
Αἱματόεντα πέλει, δεινὸς δ' εἰς ὦπα ἰδέσθαι:
Omne autem illi pectus, & maxillæ vtrinque
Cruentatæ insunt, horribilisque est visu.

Calaber etiam libro primo de leonibus laniantibus oues,

Πανσυδίῃ κτείνωσιν ἄχρις μέλαν αἷμα πιόντες
Σπλάγχνων ἐμπλήσωνται ἑὴν πολυχανδέα νηδὺν
Confertim trucidauerint, vsq; dum nigro hausto sanguine
Visceribus expleuerint capacissimum ventrem.

Eodem lib.de leæna,

Αἵματος ἱμείρουσα, τό οἱ μάλα θυμὸν ἰαίνει
Appetens sanguinis, qui eius animum impensè oblectat.

Pulchrè Claud.2.Rap.hanc leonis in cruore luxuriã,

Ille velut stabidi decus, armentique iuuencam
Cùm leo possedit, nudatáque viscera fodit
Vnguibus, ac rabiem totos erexit in armos,
Stat crassa turpis sanie, nodósque iubarum
Excutit.———

Claudiano & Græcis annectatur Sil.lib.2.vbi de hac fera,

Ceu stimulante fame, cùm victor ouilia tandem
Faucibus inuadit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patulóque redundat
Gutture ructatus largè cruor, incubat atris
Semessæ stragis cumulis, aut murmure anhelo
Infrendens, laceros inter spatiatur aceruos.

B De eadem fera lib.4.Epig. θὴρ ἄπληστος, nam verè insaturabilis. Ibidem, ταυροβόρος λέοντος. Ammianus libro decimoquarto; *Post quorum necem nihilo leniùs ferociens Gallus, vt leo cadaueribus pastus.* Theocrit.εἰδ. 25. de leone Herculeo, & hac lasciuia, γλώσσῃ δὲ περιλιχμᾶτο γένειον: *mentum lingua circumlingebat.* &, βεβρωκὼς κρειῶν τε καὶ αἵματος: *pastus carnibus & cruore.* Plutarchus in vita Demosth. ab hac fera comparationem petens, ὥσπερ λέοντα φόνῳ κεκορεσμένον, *velut leonem cædibus exsaturatum.* Certè hæc omnia, & plurima, quæ omitto, non ita mihi explicant feræ huius lasciuiam, exultantiámque inter cruorem, ac pauca ista Virgiliana, *lauit improba teter ora cruor.* Sed profectò absque inuidia. Homerus similem rem in lupis repræsentat Iliad.16.vbi, πᾶσιν δὲ παρήϊον αἵματι φοινόν, *omnibus sanguine cruentata maxilla.* &, ἐρευγόμενοι φόνον αἵματος, *eructantes cædem sanguinis.* & quia oppleti

Lupi exultantia in cædibus.

C iam carnibus περισθένεται γαστήρ, *arctatur venter.* Ab Homero credo Ouid.11.Metam. nam & ipse de lupo,

Oblitus & spumis, & crasso sanguine rictus.

Et postea: *longos infectum sanguine villos.*

Improbũ os, quid.

17. Improbà ora.] Passerat. in Prop.explicat *magna ora.* non placet: imò *insatiabilia,* vt in Georg. *improbus anser.*

18. Calcibvs.] Dixi suprà ad illud,

Cædit semianimis Rutulorum calcibus arua.

Atra humus.

19. Atram hvmvm.] Hom.sæpe γαῖα μέλαινα.

[a] Atque idem fugientem haud est dignatus Orodem
Sternere, nec iacta cæcum dare cuspide vulnus.
Obuius aduersóque occurrit: seq; viro vir
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abiectum posito pede, nixus & hasta,
Pars belli haud temnenda viri, iacet altus Orodes.
Conclamant socij lætum Pæana secuti.
[b] Ille autem exspirans; non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arua tenebis.
[c] Ad quem subridens mista Mezentius ira,
Nunc morere: ast de me Diuûm Pater, atque hominum Rex
Viderit. hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.
[d] Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspem,
Partheniumq; Rapo, & prædurum viribus Orsen,
Messapus, Cloniúmque, Lycaoniúmque Ericatem:

Illum infrænis equi lapsum tellure iacentem,
Hunc peditem pedes:& Lycius processerat Agis,
Quem tamen haud expers Valerus virtutis auitæ
Deiicit. Antronium Salius, Saliúmque Nealces
Insignis iaculo,& longè fallente sagitta.

ARGVMENTVM.

Orodis clades, & vaticinium, quo fata canit Mezentio, hic subridet,& necat. Sequuntur dein cædes promiscuæ.

EXPLICATIO.

[a] ORODES visa aliorum strage se in fugam coniecit,potuisset Mezentius fugientem hasta assequi,sed noluit præ generositate animi: itaque aduersus se illi obtulit, strauit, pedéque & hastam impressit supra illum,& clamare victoriam cœpit, cui lætissimo Pæane socij omnes acclamarunt. Quid sit *cæcũ vulnus*,dicã in Notis. *Haud melior furto*,est,nõ melior insidiis. Versus ille, *Pars belli haud tẽnẽda*,&c. accipitur,credo,ironicè:nã ista quî quadrẽt in fugiẽtem?

[b] Sequitur vaticinium Orodis iam exspirantis, qui duo canit Mezentio. Primum, *non eris victor me inulto*, quia *te quoque fata prospectant paria*. Alterum, *nec lætabere tempus longum*,quia *mox tenebis eadem arua*. Hæc profectò mens Virgil. neque enim quatuor continet hoc vaticinium:sed duo tantùm,quibus sua quæque annexa ratio.

[c] Subrisit Mezentius,qui risus nihil ad gratiam, nam totus iracundus. Itaque iacenti hosti mortem denuntiat, res verò suas Ioui ironicè committit; ac statim eductum telum è vulnere secuta est mors. Hanc Poëta vocat *duram quietem, somnum ferreum, æternam noctem.*

[d] In hac promiscua multorum cæde multi Virg. reprehendunt,quòd non explicet,qui Troianus,qui Rutulus. Sed næ isti inscientissimi sunt. Certè *Cadicus, Sacrator, Rapo, Messapus, Valerus, Antronius, Nealces* Rutuli sunt,reliqui Troiani:quod liquidum, vel ex aspiratione,vel ex origine,vel ex historia, vel ex littera ὑψιλὸν. Ex aspiratione,nam *Alcathous, Hydaspes*, Troiani necessariò sunt. Origine, nam *Orses* ἀπὸ τοῦ ὄρω,& ficto ὄρσω. Historia,nam Messapum scimus esse Rutulum,& Salium Troianum è lib.5. Æneid. Ex littera ὑψιλὸν.nam Ericates Lycaonius, & Agis Lycius. Itaque Latina nomina Rutulorum sunt,Græca Troianorum:ac proinde omnes occisi,Troiani sunt, excepto vno Antronio, qui Rutulus. Quia videlicet Mezentij virtute, & auspiciis inclinauit victoria in Rutulos. Et quidem Græci multi Ænean sequebantur,partim ex Lyciis,partim ex his,quos illi Euander adiunxit.

NOTÆ.

Fugiens hostis non interficiendus.

1. FVGIENTEM HAVD EST DIGNATVS ORODEM.] Illũ esse imbellem satis,qui contentus est aspicere hostium νῶτα.nec se dare in eorum conspectum Plutarc. in Mario ait. Pertinet apprimè ad rem Virg. A locus Hom. 13. Iliad. vbi Idomeneus laudat Merionem, quòd hostem nunquam percuteret ἐν αὐχένʼ, οὐδʼ ἐν νώτῳ: *neque in ceruice, neque in humero*; sed semper ἢ στέρνων, ἢ νηδύος ἀντιάσειε, *aut pectoribus, aut ventri occurreret*, ad inferendum vulnus. Rhesus apud Eurip. ait,

Οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα
Κτεῖναι τὸν ἐχθρὸν, ἀλλʼ ἰὼν κατὰ στόμα.
Nullus vir fortis vult latenter
Hostem interficere, sed dat se illi in conspectum.

Fortes vti pugnent.

De Theseo Stat. 12. Theb.

——*tadet fugientibus vti*
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.

2. CÆCVM VVLNVS.] Seru. ita explicat: *Cæcum vulnus, quod aduerso infigitur.* Legendum *auerso*, vt dicat, quod fugienti,& non videnti infigitur à tergo. Non placet Seruius. Aliter explico. Duo dicit: neque fu-B gientem voluit interficere,neque cum hasta. De fugiente iam superiore Nota, de hasta in hac. Est *cæcum vulnus* quod fit cum hasta,aut sagitta, aut etiam gladio,si illo punctim ferias. Contrà si cæsim ferias aliquem, vt solet fieri frequenter cum gladio, vulnus hoc non est cæcum, imò patens, & latum. Ratio est,quia primum illud vulnus latet in imis visceribus, neque apparet,sagitta scilicet aut hasta penetrante,ad eum modum,quo libro quarto, *& cæco carpitur igni*. Seneca in Hippolyt. præclarè opponit *latum vulnus*,& *furtiuum*,id est,cæcum, cùm ait loquens de amore:

Cæcum vulnus,quid sit.

Furtiuum vulnus.

Labitur totas furor in medullas,
Igne furtiuo populante venas,
Non habet latam data plaga frontem,
Sed vorat tectas penitùs medullas.

Quod genus vulneris Theocrit. εἰδ. 11. vocat ὑποκάρδιον, quòd in corde lateat:& de amore loquens ἥπατι C πᾶξε βέλεμνον, *sagittam fixit in hepate*. & εἰδ. decimotertio, χαλεπὸς γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσσεν: *sæuus Deus cor illi intus laniabat.* Sed profero Euripidem, cuius longè elegantissimo loco maximè innitor ad meam explicationem. In Hercul. Fur. Lycus dixerat,ignauissimum fuisse Herculem, quia nunquam comminùs cum gladio pugnasset,sed semper eminùs cum arcu & sagittis. Defendit Herculem Amphitryo, ac dum defendit profert hunc versum,

Τυφλοῖς ὁρῶντας οὐτάσας τοξεύμασιν:
Vulnerans videntes cæcis telis.

Vides, vt *cæca* dicantur tela, non quæ à tergo inge-runtur, imò quæ videntibus, ait enim ὁρῶντας. Non D ergo *cæcum vulnus* in Poëta, quod infertur à tergo, & non videnti. Quærenda itaque alia expeditio. Nulla certè, nisi, quam præmisi. Vide iam,vt omnia consentiant. Noluit *fugientem Orodem sternere*, ideo *obuius aduersoque occurrit*: noluit *dare cæcum vulnus iacta cuspide*, ideo *séque viro vir contulit*. Nam *conferre manus* dicitur de pugnantibus cominùs, non eminùs, quod Græci συμπλέκεσθαι. Neque contra hoc est, quod sequitur, *nixus & hasta*. Percussit enim hostem gladio, mox pedem illi impressit,quod dum faceret,hasta nitebatur. Dedi lucẽ loco difficili & verè cæco. Aperio obiter cognatam

Conferre manus,de quibus dicatur.

locutionem Hom. 11. Iliad. vbi κωφὸν βέλος, *surdum telum*, pro imbelli. Silius lib. 11. dixit, *caco exitio*. Eurip. in Heracl. licèt alio sensu, οὐκ ἐς ὄψιν τραῦμα: *non est vulnus in conspectu*. Ex dictis explico locum Martial. Epig. 60. lib. 7. vbi ait,

(Marginal notes: Surdum telum. Caeca nouacula.)

Stringitur in densa nec caca nouacula turba,

id est, non fiunt iam cædes. Est enim *caca nouacula*, quæ tota conditur in corpus. Qui enim explicant de nouacula non visa, aut de furunculis secantibus crumenas, videant an possint; cùm *cacum vulnus* Virgilij, & *caca tela* Eurip. validè contra illos pugnent.

2. SEQVE VIRO VIR.] Tale illud, *legitq; virum vir*.

4. FVRTO.] Etiam in re belli dixit lib. 9. *hic furto feruidus instat*. & Stat. lib. 9.

(Marginal note: Furtum, de bello.)

Ausus erat furto dextram iactare Leonteus.

Calab. lib. 3. *insidias* dixit, & *furtum* in re simili,

Κρύβδα δ' ἀνάλκιδές εἰσιν ἀγαυοτέρους λοχόωσι:

Furtim imbelles semper clariores excipiunt insidiis.

Homerus sæpissimè de eadem re λάθρα.

5. MELIOR.] Signatè: nam hæc vox militaris. Hesiodus in Scut. Herculem vocat φῶτ' ἀμείνονα, σθεναρὸν, κρατερόν: *virum meliorem, strenuum, fortem*. Homero etiam frequentissimè ἀμείνονες sunt viri fortes. Inde illud eiusdem pari frequentia, πτολεμιστὴς ἀγαθός. & βοὴν ἀγαθός, *bonus bello*. Et militares viri sæpissimè ἄριστοι, *optimi*.

(Marginal notes: Melior, vox militaris. Bonus bello. Optimus bello.)

6. ABIECTVM.] Est hoc, quod Hom. sæpe πεσόντα.

7. PEDE NIXVS.] Hoc genus contumeliæ sup. attigit Virg. in illis, *Cui Turnus super assistens*. & *Laeuo pressit pede*. vbi ego nihil, referuans ad hunc locum. Iliad. 13. & 16. ὁ δὲ λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων: *hic autem calce in pectus scandens*: ibid. λὰξ προσβάς. Ouidius 8. Metamorph.

(Marginal note: Pede hoste premere.)

Ipse pede imposito caput exitiabile pressit.

neq; impedit loqui illum de occisa fera. Val. 4. Arg. post interfectum Amycum à Polluce,

Ac super insistens Pollux, ego missus Amyclis.

Iosephus lib. 7. Bell. Iud. cap. 5. πεσόντα γὰρ αὐτὸν ὁ Ἰωνάθης ἀποσφάττει ... τότε ξίφος ... : *Lapsum Ionathas interfecit, deinde pede supra mortuum posito, laeua scutum, dextra cruentum gladium concuscabat*. & cap. 1. eiusdem lib. σώματα πατῶν. Cedren. pag. 590. τοῖς στήθεσι προσερείσας τὸ γόνυ: *apprimens genu pectori*. & pag. 416. ... τὸν αὐχένα ... πατήσας: *huius ceruicem proculcans pedibus*. Ad hoc genus contumeliæ allusum ab Cyrill. Alexand. in Micheam numero 71. ... : *Qui priùs victores fuerant, iacebunt iam nunc sub pedibus credentium*. & in Nahum num. 20. καὶ εἰς τοὺς πολεμοῦντας αὐτοὺς ὑποσπονδύλους ... Ait videlicet, Deum sternere hostes suos sub pedibus oppugnantium illos. & ab Claud. Bell. Get. vbi hostis Romanus,

D

———patrij nomen iuraverat Istri,
Non nisi calcatis loricam ponere Rostris.

Quia, vt mortui victi premebantur pede, ita ille volebat Rostra. Hæc verò hostilis insultantia destinabatur etiam ad rapienda commodiùs interfecti spolia, vt in Achille vides, qui lib. 21. Iliad. post occisum Asteropæum,

E

——— Ἀχιλλεὺς δ' ἄρ' ἐνὶ στήθεσσιν ὀρούσας
Τεύχεά τ' ἐξενάριξε: ———
———*Achilles in pectus insiliens*
Arma detraxit. ———

Illustra obiter Propertium Eleg. 29. lib. 2. qui sermone à victoribus, eorûmq; insultantia petito, scripsit,

A

Instat semper amor supra caput, instat amanti,
Et grauis ipse super libera colla sedet.

Ouidium certè huc respexisse 4. Fastor. quis neget, in illis de Roma vrbe?

Victorem terris impositura pedem.

8. IACET ALTVS ORODES.] Iliad. 3. ... βέβληται γὰρ ἄριστος Ἀχαιῶν: *percussus est Græcorum optimus*. Signatè verò *iacet*. Senec. 2. Benef. c. 12. *eo more iacuisset, quo victi hostes victoribus iacuère*. & Hercules apud Eurip. de filio, quem interfecerat, πέπτωκε μοι, *iacet*, aut, *cadit mihi*. & in Elect. ... *iacentem in solo*, de hoste interfecto. Nota & pulchram oppositionem, *altus iacet*: maior enim affectus.

(Marginal note: Iacet, de victo hoste.)

B

9. LÆTVM PÆANA.] Carmen, quo milites se inuicem acuunt successu aliquo allucente felici. Iude Plato epist. 7. πολεμικὸν vocat Pæanem *bellicum*, vt qui caneretur in ipso bello, quam rem hîc exhibet Virg. Plutar. in vita Marcelli perscrutans causas Iouis Feretrij, καὶ γὰρ νῦν ἐν ταῖς μάχαις, ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρι, πατάξον, φασὶ, παρεγγυῶσιν ἀλλήλοις: *nunc in bellis cùm hostes persequuntur, subidemidem clamât, feri, sese exhortantes*. & quidē παίειν ἐστὶ τὸ φέρειν, *ferire*. Sunt hæc consona his, quæ in Hym. Apollinis scribit Callimachus, vbi ait, cantus huius originem esse non post interfectum Pythonem, sed cùm interficeretur; nam tum populus Delphicus clamabat, ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἵει βέλος: *Io, Io Pæan, mitte sagittam*. Latona etiam fertur, cùm inuaderetur à Pythone, sic exhortata puerum Apollinem, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ. Itaque hic primus ortus Pæanis, sed postea hic rhythmus traductus ad celebrandam victoriam. & hæ sunt, quas ᾠδὰς ἐπινικίους vocat Cyrill. in Amos num. 12. & Cedren. pag. 561. ità coniungit, μετὰ παιάνων, καὶ ἐπινικίων εὐφημιῶν, *cum Pæanibus, & victorialibus acclamationibus*. istæ autem post victoriam. Et hunc, credo, cantum intellexit Appian. in Libyc. vbi scripsit, βοῆς δὲ ὡς ἐπὶ νίκης ἀρθείσης, *sublato clamore, vt in victoria mos est*. Inde Iosephus lib. 7. Bell. Iud. cap. 16. μετὰ κρότου, καὶ χαρᾶς ἐπαιάνιζον ἐπὶ τῇ νίκῃ, *cum tripudio & gaudio celebrabant victoriam*. Vbi verbum ἐπαιάνιζον ducit te ad Pæanē. Hom. Iliad. 22. ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν, *cantantes Pæanem iuuenes Achiuorum*. & Oppian. lib. 5. Hal. νίκης παιήονα κυδαίνοντες: *victoriæ Pæanem celebrantes*. Hæc latè, vt intelligas primum Pæanis ortū, hic enim cantus initio fuit non post victoriam, sed ante illam, sed successu temporis deflexit ad canendam victoriam. Hæc necessaria duxi ad explicandū Virgilium. Sed noto aliqua, etiamsi extra illum, tamen vtilia. Assumptus est Pæan ad res alias longè à bello diuersas. Ad luctum, testis Lysias in orat. Funeb. ἀκούοντες δὲ ἐν ταὐτῷ συμμιγῆ μὲν τὸν ἑλληνικὸν καὶ βαρβαρικὸν παιᾶνα: *Audientes in eodem Græcum Barbaricùmque Pæanem commisceri*. Vidi etiam eius vsum in conuiuiis. Profero testem Demosthenem, qui de Fals. Legat. καὶ συνεστεφανοῦτο, καὶ συνεπαιάνιζε Φιλίππῳ, καὶ φιλοτησίας προὔπινε: *vnà coronam gestabat, vnà Pæanem concinuit cum Philippo, & familiariter propinauit*. Et quidem Pæanem cantatum in conuiuiis hac forma, *io Pæan*, Athenæus scribit libro 15. Videatur & Clemens libro 2. Pædag. cap. 4. Demum scias ab his vocibus, ἰὲ, aut ἰὴ, aut ἰὼ, & ab hac ἀναβαίνειν, natum nomen *Iamborum*, si credimus Iulio Scal. in Poëtica. Cur ab ἰὲ, clarum: ab ἀναβαίνειν autem, quia in sagittis mittendis insurgere soleant τοξόται, ait Iulius.

(Marginal notes: Pæan. Eius primus ortus. Pæan etiam in luctu. Et cōuiuiis. Io Pæan, conuiualis cantus. Iamborum origo.)

C

10. ILLE AVTEM EXSPIRANS, &c.] Talia vaticinia in vitæ exitu, nescio quo consensu amata non

(Marginal note: Morientiū vaticinia.)

ſolùm Poëtis, ſed etiam aliis. Patroclus percuſſus lethaliter ab Hercule, & iam moribundus, ita illi denuntiat 16. Iliad.

> Οὔ θὴν οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βίῃ, ἀλλά τοι ἤδη
> Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ,
> Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο:
> *Non ſanè neque tu ipſe diutiùs viues, ſed tibi iam*
> *Propè adeſt mors, & fatum forte*
> *Manibus necando Achillis inculpati Æacidæ.*

Hector etiam ipſe pari fato affectus ab Achille diuinat fore, vt Paris ac Phœbus perdant, ὀλέσωσι, Achillem. Machaon iam moriturus apud Calab. lib. 6. ita ad Eurypylum percuſſorem ſuum,

> —— οὐδ' ἄρα σοι πολὺν χρόνον αἴσιμόν ἐστι
> Ζώειν ἀλλά σοι ἄγχι παρίσταται ὀλομένη κὴρ
> Τρωϊον ἂμ πεδίον, τῷ περ νῦν αἴσυλα ῥέζεις:
> *— nec tibi longum tempus à fatis conceſſum eſt*
> *Viuere, ſed tibi propè adſtat lethalis Parca*
> *In campo Troiano, in quo nunc nefaria committis.*

Apud Eurip. in Hecuba Polymeſtor moriturus (vt coniici ex circunſtantia poteſt) prædiuinat Caſſandræ, atque Agamemnoni, vnicuiq; infelicem obitum, & præterea Hecubæ conuerſionem in canem. Domitius apud Lucanum lib. 7.

> ——— *te ſæuo Marte ſubactum,*
> *Pompeioq; graues pœnas, nobiſq; daturum,*
> *Cum morior, ſperare licet.* ———

Dryas apud Ouid. 7. Metamorph.

> ——— *fatorum pœnas inſtare tuorum*
> *Vaticinor moriens, noſtri ſolatia lethi.*

Non fas eſt hinc abeſſe verba Platonis Apologet. Socratis, etiamſi præoccupata, ſed in quæ nos verè incideramus Hartungo inuiſo. Καὶ γάρ εἰμι ἤδη ἐνταῦθα, ἐν ᾧ μάλιστα ἄνθρωποι χρησμῳδοῦσι, ὅταν μέλλωσι ἀποθανεῖσθαι. φημὶ γὰρ, ὦ ἄνδρες, οἳ ἐμὲ ἀπεκτόνατε, τιμωρίαν ὑμῖν ἥξειν εὐθὺς μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον πολὺ χαλεπωτέραν νὴ Δία, ἢ οἵαν ἐμὲ ἀπεκτόνατε: *Sum iam eo loci, quo homines maximè vaticinantur in vitæ exitu. Denuntio autem vobis, ô viri, qui me eſtis interfecturi, vltionem ſtatim vobis affore poſt mortem meam, multo certè acerbiorem morte, qua me abſumitis.* Vide & loca quæpiam; quæ ad hanc rem coniungit Spondanus ad lib. 16. Iliad. vbi Patroclus moriens denuntiat mortem Hectori, quos auctores, atque etiam Euſtathium Homeri interpretem, vt iam præoccupatos omitto. Faciunt etiam vnicè ad hanc rem verba Tertulliani, quæ nemo (quod ſciam) aduocat in lib. de Anima cap. 53. Ait ille: *Hinc denique euenit ſæpe, animam in ipſo diuortio potentiùs agitari, ſollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex maiore ſuggeſtu, iam in libero conſtituta, per ſuperfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quæ videt, quæ audit, quæ incipit noſſe.* Pergit deinde aliis in eandem ſententiam, referens ſimiles prædictiones, ad libertatem animæ iam relinquentis mortalem corporis carcerem, & aſſerentis ſe in diuinitatem. Huc ſpectat ſententia Tullij lib. 1. de Diuin. affirmātis animam inſtante morte multo eſſe diuiniorem. Lege illum. Quiſpiam apud Curtium lib. 3. cùm iuſſu Darij raperetur ad mortem, ita ad ipſum Darium vaticinabūdus, *Habeo paratum mortis meæ vltorem.* Sed ad hanc doctrinam firmandam non omittam clariſſimum locum Aretæi medici antiquiſſimi lib. 2. de Morbis acutis cap. 4. Adhibebo verba non perpetim cōtinuata, ne Lectorem ſatiem, adiiciā & verſionem meam, qua is liber caret, ſaltem, in quam nos non incidimus. Ergo Aretæus poſtquam ex vi lethalis morbi præmiſit ſigna, quæ inſunt in corpore, pergit ad ſigna lethalia animæ, adhibétque eius ſtatum hunc in modum, & tanquam proponens lemma,

A ait. ψυχῆς κατάστασις, *ſtatus*, aut *conſtitutio animæ.* Sed quis hic ſtatus animæ iam lethaliter laborantis? αἴσθησις σύμπασα καθαρὴ, διάνοια λεπτὴ, γνώμη μαντική: *ſenſatio tota pura, intelligentia ſubtilis, cognitio diuinatrix.* Probat hæc ſequenti verborum complexu. Quia προγιγνώσκουσι μὲν ἐν πρώτιστα μὲν αὐτέοισι τοῦ βίου τὴν μεταλλαγήν: *Primùm omnium præcognoſcunt imminentem ſibi vitæ mutationem.* Pergit. ἔπειτα τοῖσι παρεοῦσι προλέγουσι τὰ αὖθις ἐσόμενα. οἱ δὲ αὐτέοις μὲν ἰσθ' ὅτε, καὶ ἄλλο φασὶ δοκέουσι, τῇ ἀποβάσει δὲ τῶν εἰρημένων θωυμάζουσι ἄνθρωποι: *Deinde præſentibus prædicunt futura, ita, vt qui putabant ipſos incaſſum locutos, admirentur exitum habere, quæ prædicta ab ægrotis ſunt.* Ponit deinde quædam admiranda, quæ animæ accidunt in hoc ſtatu conſtitutæ. μετεξέτεροι δὲ καὶ προσλαλέουσι τῶν παρῳχημένων τισὶ,

B τάχα μὲν παρεόντας ὁρῶντες αὐτοὶ μοῦνοι ὑπὸ λεπτῆς καὶ καθαρῆς αἰσθήσιος. τάχα δὲ αὐτὴ τῆς ψυχῆς προγιγνωσκούσης καὶ δηγευμένης τοὺς ἄνδρας, οἷσι ξυνέσονται: *Quidam autem colloquuntur cum quibuſdam mortuorum, quos præſentes vident ipſi ſoli delicatiore & puriore ſenſatione, fortaſſe iam anima præcognoſcente & complectente viros, cum quibus futura deinde eſt.* Demum abſoluit de anima loquens hunc in modum. πρόσθεν μὲν γὰρ ἐν ἰλύϊ, τοῖσιν ὑγροῖσιν ἦν καὶ ζόφῳ. ἐπεὶ δὲ ταῦθ' ἐξήντλησεν ἡ νοῦσος, καὶ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τὴν ἀχλὺν εἷλε, ἰδοῦσα τάτε ἐν τῷ ἠέρι, καὶ γυμνὴ τῇ ψυχῇ γίγνεται μάντις ἀτρεκής. εἰ δὲ ἐς τοῦτον δὲ λεπτότητος ὑγρῶν καὶ τῆς γνώμης ἀφικνεόμενοι, οὐ μάλα τι περιγίγνονται ἐξηερωμένοι ἤδη τῆς ζωτικῆς δυνάμιος: *Priùs enim in ſordibus erat, in fæcibus, ac tenebris. Vt autem morbus hæc exhauſit, & caliginem ab oculis ademit, dicunt quæ ſunt in aëre, & nuda iam anima fiunt veri* Vaticiniorū morientiū quæ origo.

C *vates. In tantam videlicet humorum tenuitatem perueniunt euaneſcente animali virtute.* Hinc doctiſſimus Penia, ac mihi chariſſimus, & medicorum æui huius flos, qui mihi locum hunc indicauit, lucem dabat Plinianis verbis difficillimis, & iam diu agitatis, his videlicet, *Eſt & aliquis morbus per ſapientiam mori.* Nihil enim aliud dicit Plinius, quàm eſſe morbum aliquem, in quo quis ad mortem perueniat ſapiendo, ita vt ſapientia ſit veluti via ad mortem. quod omnino veriſſimum eſt iuxta locum Aretæi indicatum. Cùm enim anima fit iam vates, lethale eſt ſignum, nam ad hæc vaticinia & ſapientiam non peruenitur, niſi ita humoribus conſtitutis, vt mors debeat ſequi. Dolet ergo Plinius, ſapientiam eſſe ſignum lethale, & ineuitabilem viam ad mortem. Hæc ſi non

Morbus per ſapientiam mori.

D mens Plinij, certè ita congruens, vt mens eius dici mereatur.

11. INVLTO.] Hom. ὡς ἄτιτος κεῖται ἄποινος. Inultum.

12. NEC LONGVM LÆTABERE.] Tale illud Claud. 1. Ruff. *non vlterius bacchabere demens.* & libro 2. Longum lætari.

> *Nec mea ſecurus ridebis vulnera victor.*

Iſta iungebat ad Virg. Morlanius meus. Tale & illud apud Hom. 16. Iliad. vbi, cùm maximè exultaret Hector ſpoliis Achillis, tunc illi canitur σχεδὸν δέ οἱ ἦεν ὄλεθρος: *propè iam ei erit mors.* & apud Calab. lib. 4. gloriabundo Aiaci canitur, neſcire ὅττι κακόν μόρον ἔντυε δαίμων, *malum ſibi fatum parari à dæmone.* & ibidem Aiax ipſe gloriabundis Troianis ita canit,

E

> Οὐ μάλα θαρσήσουσιν, ἐμὲ ζώοντος ἔτ' ἐμεῖο:
> *Non multùm fiducia habebunt me incolumi.*

Tò *longum* eſt, in longum tempus, vt illud, *æternùmque ſedebit*, id eſt, in æternum tempus. Apage, vt iſta ſint aduerbia, ſed verè adiectiua, quæ pendent à præpoſitionibus. Nam Liuius lib. 4. *in æternum vrbe condita.* Ceutena hæc,

13. TE QVOQVE FATA PROSPECTANT PARIA.] An quicquam verius? Quisque esse potest sibi exemplo. Etenim quodcunque malum alteri machinaris, in te ipsum recidet. Celebrat Ælian. lib. 8. Var. Hist. c. 9. versum illum,

Malus in alios expectet similia.

Τεύχων ὅς ἑτέρῳ τις, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει:
Qui struit insidias alij, sibi damna dat ipsi.

& Pausanias lib. 2. versum istum Hesiodi,

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων:
Is sibi malum accersit, qui malum alteri struit.

Andromacha apud Eurip. satis ad mentem Virgilij,

———εἰ δ᾽ ἐγὼ πράσσω κακῶς,
Μηδὲν τὺ δ᾽ αὔχει, καὶ σὺ γὰρ πράξειας ἄν:
———*si ego miserè habeo,*
Ne gloriare, nam & tu miserè habebis.

De his, qui mortuos conculcabant, ait Ioseph. lib. 7. Bell. Iud c. 1. οἱ δ᾽ ἐπιβαίνοντες, οὔτε ἐφρόντιζον, οὔτε ἠλέουν, οὔτε κληδόνα κακὴν σφῶν αὐτῶν ὑπελάμβανον, τὴν εἰς τοὺς καθοιχομένους ὕβριν: *Qui ascendebant* (pedibus in mortuos) *neque horrebant, nec miserabantur, nec saltem sibi augurio putabant contumeliam mortuorum.*

14. ATQVE EADEM MOX ARVA TENEBIS.] Illustraui iam ad illud,

Hac dabitur dextra tellus quæsita per vndas.

Risus hostilis.

15. SVBRIDENS MISTA MEZENTIVS IRA.] De Tydeo Stat. libro 8. *& formidabile ridens.* De Marte Claud 2. Eutrop. *Subrisit crudele pater.* De Venere Apul. libro 6. Asin. *contortis superciliis subridens amarum.* Pergo ad Græcos. Amarum & truculentum hunc risum explicat Hom. in Iunone 15. Iliad. quæ ἐγέλασσε χείλεσιν, *risit labiis*, tamen οὐ μέτωπον ἰάνθη, *non exhilarata est frons.* & in Penthesilea Calab. lib. 1.

Καί σφιν ἐπηπείλησε μέγα φρεσὶ μειδιόωσα:
Et ipsis interminata est ridens immaniter.

Græci quoque ibid. μέγα ἐγέλασσαν in contumelia, & minis. Ouid. 9. Metamorph. de Hercule, *Risit & illudens.* Deiotarus apud Plut. in vita Crassi γελάσας inducitur in ronco & sanna. & Paris ab Hom. 11. Iliad. etiam per ludibrium μάλα ἡδὺ γελάσσας: *ridens admodum suauiter.* Nonnus lib. 11. πένθος μίξε γέλωτι: *luctum miscuit risui.* & lib. 21. iungit γελόων, & φωνὴν φιλοκέρτομον, quasi vna cum risu essent conuitia. Appian. lib. 1. Ciu. σὺν εἰρωνείᾳ σφόδρα ὁ Μάριος ὑπομειδιῶν: *cum ironia subridens Marius.* Ammian. libro 21. *Cui amarum Iulianus subridens.* Et de Tiberio Tacitus 4. Ann. *toruus, aut falsum renidens vultu.* De furēte Hercule Philost. lib. 2. Icon. μειδιῶν βλοσυρὸν, *ridens horrendum.* & de eodem Eurip. in Tragœdia huius nominis,

Ἔλεξε δ᾽ ἅμα γέλωτι προσπεπληγμένῳ.
Locutus est cum risu horribili.

Morere.

16. NVNC MORERE, AST DE ME, &c.] Achilles ad Hectorem Iliad. 22.

Τέθναθι. κῆρα δ᾽ ἐγὼ τότε δέξομαι, ὁππότε κεν δὴ
Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι, ἠδ᾽ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Homerum superat Virgil.

Bene censet Scal. plus militis spirare Mezentium, quàm Achillem, qui sic,

Morere, fatum ego tunc suscipiam, cùm
Iuppiter voluerit perficere, & Dy alij immortales.

Quid hoc ad illud? *Tu morere, de me Iuppiter viderit,* quasi contemneret eas minas. Præclarè scripsit Claud. 2. Eutrop. quæ possis nunc in Mezentium vibrare,

Futura despiciuntur.

———*omne futurum*
Despicitur, suadéntque breuem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido,
Dum mora supplicy lucro, seriémque quod instat
Creditur.———

A Sed redeo ex concionatore ad Cōmentatorem: nam mea id muneris interest. Itaque Eurypilus apud Calab. lib. 6. ita respondet Machaoni,

Νῦν μὲν δὴ σὺ κεῖσο κατὰ χθονός. αὐτὰρ ἐγώ γε
Ὕστερον οὐκ ἀλέγω, καὶ εἰ πρὸ ποσὶν ὄλεθρος
Σήμερον ἡμετέροισι πέλει λυγρός:———
Nunc tu hic terram preme, ego verò
In posterum nihil curo, etiamsi ante pedes exitium
Hodie nostros funestum sit.———

Apto & verba Plutar. in Marij vita cōgruentia cum acerba hac responsione, *Nunc morere.* Itaque ille: πρὸς τοὺς δεομένους ὑπὲρ αὐτοῦ (Κάτλου) καὶ παραιτουμένους, ὁ Μάριος τοῦτο μόνον εἶπεν, ἀποθανεῖν δεῖ: *Rogantibus ac deprecantibus pro illo* (Catlo) *Marius hoc tantum respondit, moriendum est.* Itaque ex Homerico τέθναθι, ex Virgi-

B liano *morere*, ex Plutarcho, qui ἀποθανεῖν δεῖ, videtur elici forma, quæ in hac re seruata.

17. EDVXIT CORPORE TELVM.] Hom. 4. Iliad. ἔγχος ἀνέσπασε στέρνοιο. & 16. ἐκ χροὸς εἷλκε δόρυ. ibid. δόρυ χάλκεον ἐξ ὠτειλῆς εἰρυσε. Calab. ἐκ χροὸς ἁρπάξας δόρυ. Itaq; verbis ἀνέσπασε, εἷλκε, εἴρυσε, ἁρπάξας respondet Virgilianum *eduxit*.

Educere telum.

18. OLLI DVRA QVIES OCVLOS.] Senec. *Nox oculos premit.* Horat. de sopore hoc mortis ait, *vrget*, vt & Virgil. statim. Quæ duo verba *premo & vrgeo* non abludunt ab hac *dura quiete.* Neque Hesiod. Theog. qui de Sommo & Morte δεινοὶ θεοὶ, *graues Dy.*

Quies dura, de morte.

19. FERREVS.] Ab Hom. qui sæpe χάλκεον ὕπνον, vt Iliad. 22. κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον: *dormiuit somnum*

C *ferreum.* à quo etiam accepit Heliodor. libro 2. Hist. Æth. & ad Apollonium Plutarchus, quem vide, nam Homerum interpretatur. Atque etiam libro 5. Epigram. 122. τί χάλκεον ὕπνον ἰαύεις; *quid dormis ferreum somnum?* & Nonnus lib. 19.

Ferreus somnus. Mors somnus.

Σὸν Στάφυλον, Διόνυσε, κατεύνασε χάλκεος ὕπνος:
Tuum Staphylum, ô Bacche, sopiuit somnus æreus,

Æreus somnus.

A quo non abit Oppian. 2. Hal. qui ἄγριον ὕπνον, *ferum somnum.* nec Valer. qui lib. 6. *extremus cùm lumina corripit horror.*

Ferus somnus.

20. SOMNVS.] Hoc etiam è Græcorum penu, qui mortem *somnum* dicunt. Soph in Elect. κοιμάσθη, pro, *obiit.* Pro eodem Æschyl. Eumen. εὕδει. & Horatius Od. 24. lib. 1. *sopor*, pro morte. Plaut. Amphit. *hic pu-*

Somnus, de morte.

D *gnis faciet, vt ego dormiam.* iterum: *homines quatuor in soporem collocastis*, id est, interfecistis. &, *quatuor viros sopori dedisse.* S. Basil. Orat. de Ieiunio, μέθη γὰρ ὕπνον μὲν ἐπάγει ἀδελφὸν θανάτου: *ebrietas inducit somnum fratrem mortis.* Hinc est, vt mortui dicantur similes dormientibus, qua vsurpatione Calab. lib. 3. de Achille εὕδοντι ἐῴκει. & Philostrat. de Sarpedone ἐοικὼς καθεύδοντι. & vterque erat mortuus. Inde & illud siue Menandri, siue Mnesimachi, ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια: *somnus est breue mortis mysterium.* &, ὕπνος θανάτου τις προμελέτησις, *est somnus quædam mortis meditatio.* Scitè Plinius c. 5. lib. 7. *Æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ viuit, pars æqua morti similis exigitur.* Quod confine sententiæ Aristot. lib. 1. Ethicor. vbi ait, οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἄλλων; *Nihil differre felices ab infelicibus*

Sopor, de somno.

Dormio, de mortuis.

E *dimidia vitæ parte.* Consule, quæ iam dedi sexta Æneide.

21. IN ÆTERNAM CLAVDVNTVR LVMINA NOCTEM.] Homerus Iliad. 8. τανηλεγέος θανάτοιο, quasi dicat, *mortis longam quietem afferentis.* Quod Horat. Od. 9. lib. 4. *vrgetur longa nocte.* & Od. 11. lib. 3. *longus sopor*, pro morte; & Od. 24. lib. 1. *perpetuus sopor*, pro eadem: & Catullus.

Nox longa, de morte.

Perpetua nox.

Nox est perpetua vna dormienda.
Propert. Eleg. 15. lib. 2. *Nox tibi longa venit*, id est, mors. Seneca Trag. in Octau.

——— *inferûm sedes, toros*
Stabiles futuros spondet æterna domus.

Æterna domus, de sepulcro.

Ab Soph. Antig. mors dicitur ὕπνος παντελής, quod interpretes reddunt, *æternus somnus*. sed Græcus interpres explicat, quasi πάντα καταβάλλων: nam mors est rerum omnium καταβολή. diruit enim, & soluit cuncta.

Lumen, de oculis.

21. LVMINA.] Constat hoc quoque Græcorum imitatione, qui oculos vocant φάεα: cuius plenissimus Homerus, & alij.

Nox pro morte.

23. NOCTEM.] Sumi *noctem* pro morte, ex adductis liquidum, tum ex Æschyl. ἐν χοηφ. τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ. Quem ad locum interpres: ἀντὶ τοῦ αἰώνιος θάνατος. Ait videlicet dici, noctem acranton pro morte perpetua. Horat. *Iam te premet nox*. Sen. in Oet. *Nox oculos premit.*

24. INFRÆNIS EQVI.] Vel quia verè absq; fræno instar Numidarum, quod iam 4. Æn. vel quia efferati & præduri oris, de quo abûdè 3. Georg. Nônus lib. 21. alludens, ἀχάλινον ἰωήν: *vocem infrænum*. Infrænis equus.

25. INSIGNIS IACVLO.] Hom. 12. Iliad. τόξων εὖ εἰδώς.

26. LONGE FALLENTE SAGITTA.] Dixi iam lib. 9. vbi par hemistichium; quære. Est verò in Poëta ἓν διὰ δυοῖν, quasi dicat, *iaculo sagittæ*. Ait *longè*, dissoluens Homericum ἑκηβόλον, quod attributum frequenter datur Apollini, quòd is longè iaculetur.

[a] Iam grauis æquabat luctus, & mutua Mauors
Funera: cædebant pariter, pariterque ruebant
Victores victique, neque his fuga nota, neque illis.
[b] Dij Iouis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
[c] Hinc Venus, hinc contrà spectat Saturnia Iuno.
Pallida Tisiphone media inter millia sæuit.
[d] At verò ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cùm pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna, viam scindens, humero supereminet vndas:
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.

ARGVMENTVM.

Sæuit cædes vtrinsque exercitus. Spectant Dij stragem. Tisiphone iras acuit. Comparatur dupliciter Mezentius.

EXPLICATIO.

[a] PONIT vtramque aciem parem viribus & armis, inde verba, *æquabat, mutua funera*: & deinde, *cædebant pariter, ruebant pariter*, tam *victores*, quàm *victi*; & fuga in neutra parte. Cæci sunt, qui legunt *cedebant*: nam statim, *neque his fuga nota, neque illis*. ergo, legendum est, *cædebant*, id est, occidebant, & qui occidebant, vicissim etiam cadebant.

[b] Spectabant ardorem hunc è summo cœlo Superi, imò miserabantur *iram inanem*, & susceptos labores. Sed cur ira *inanis* in tanto belli feruore? cùm præsertim dixerit, nullam fuisse fugam, & omnes cædibus instare. Non placet Seru. non alij. Explico *iram inanem*, tum quia necunde allucebat victoria, nihilque proficiebatur in tanto mortalium labore, vtraque acie æquè resistente, itaque neutra acies victrix, neutra victa; labor ergo hic, etiamsi summus, certè inanis: tum quia, qui *cadebant*, etiam *ruebant*; qui primùm *victores*, mox *victi*. Itaque inaniter labor ille suscipiebatur, quia, qui vitã suam tuebatur cum magno labore, breuiter illam amittebat.

[c] Venus spectat pro Troianis sollicita, Iuno pro Rutulis, Tisiphone vtramq; aciem acuit. Nõ probo Seruium, qui non accipit veram Furiam, sed tantùm

B furialem ardorem. Certè ex coniunctione Veneris & Iunonis aptius est, vt vera Furia intelligatur. Nihil tamen pugnat per hanc intelligi affectum iræ. Dicitur *pallida*, tum à pallore morientium, quos ipsa in cædes impellit; tum quia furiosi pallent.

[d] Iam tum Mezentius se dedit in mediũ bellum. Etenim, vt apparet ex poëtico excursu, hactenus ille veluti oras campi ambibat, & extremas acies: nam tantùm pugnæ successerat, Teucros inuaserat, Orodem interfecerat fugientem: iam nunc mediũ campum ingreditur inter vasta armorum, *turbidus* præ ira, & *hastam quatiens*, & hanc *ingentem*; non aliter atque Orion per medium pelagus proceritate maxima spectandus, Aut etiam ornum referebat, quæ *annosa* in *summis montibus*, & præ longo æuo radicibus in imum solũ ingreditur, capite in summas nu-C bes. Talem finge Mezentium, & *infert se* verbo lethali & mortifero, vt hinc iam diuines, quàm ille multis exitialis. Itaque reliquæ comparationes, quæ præcesserunt, tantùm indicant, Mezentium versatum in extrema acie: vt scopulus, vt aper, ille solus & in extremo littore contra omnes vndas, hic solus contra omnes venatores: iam nunc, vt *Orion incedit per stagna medij Nerei*, ita ille per medium campum. Est & aliud, quod consideres in his comparationibus, quod nescio an assecuti interpretes, qui ante me. Est Orion, est ornus: ille incedit per mediũ pontũ, hæc tãgit nubila. Ergo, Oriõ est Mezẽtius, ornus eius hasta, quam *ingentem* fuisse signatè dicit Poëta. Atque adeò ex Orione, & ex orno vides integram repræsentationem Mezentij cum ingẽti hasta. Hinc vide, quàm leuiter alij percurrant hunc Vatem.

Porrò

Porrò fabulam Orionis habes in Seruio, Turnebo, A Germano, Higyno, Natali, qui latissimè cap. 13. lib. 8. & in aliis. Similia, ne à me requireres, sæpe monui.

NOTÆ.

Victores victique.

1. VICTORES VICTIQVE.] Iosephus lib. 7. Bell. c. 10. de victoribus Romanis, ἐπεπόνθεσαν συμφορὰς ἴσας τῷ κρατηθέντι: eadem, quæ victi patiebantur. Hom. 14. Iliad. ὁμῶς κτείνονται: permistim caduntur. Calab. lib. 2. οὐδέ τις ἦεν θεινομένων ἑκάτερθεν ἀνούτατος: nemo pugnantium erat absque vulnere. Iliad. 18. οἱ δ' ἀλλήλους ὀλέκουσιν: inuicem se conficiunt. Eleganter Xenoph. lib. 1. ἀλλὰ καὶ τὰ μὲν νικώντων, τὰ δὲ νικωμένων. ad verbum, victores victiq;. Plutar. in Anton. ἀπέκτεινε τέ τινας τῶν ἐκείνων, καὶ τῶν ἰδίων ἀπέβαλε.

Fuga non nota.

2. NEQVE HIS FVGA NOTA, NEQVE ILLIS.] Hom. 10. Iliad. οὐδ' ἕτεροι μνώοντ' ὀλοοῖο φόβοιο: neutri meminerunt fugæ perniciosæ. Ouid. 9. Metamorph. dixit, *inq; gradu stetimus certi non cedere*. Calab. lib. 1. οὐδέ τις αὐτῶν χάζετο βαλλομένων, οὐδ' ἔτρεσεν: nemo illorum, etiamsi percussi essent, fugit, aut timuit.

Dij facilè viuentes.

3. ET TANTOS MORTALIBVS ESSE LABORES.] Ait Macrob. lib. 5. cap. 16. Virgilium accepisse occultissimè hoc ab Hom. nam is cùm dixisset, θεοὶ ῥεῖα ζώοντες, quo significat Deos sine labore viuere, Virg. hoc dissimulatè expressit, cùm Deos induxit miserantes labores mortalium, quibus scilicet ipsi carēt. Vide hūc in locum Vrsinum, & Collectorem Symbolarum. Certè si vera est Macrob. coniectatio, potuisset locum alium commodè afferre ex lib. Iliad. 24. vbi ita ait,

ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
ζώειν ἀχνυμένους· αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί:
Sic enim destinauerunt Dij miseris mortalibus,
Vt viuant tristes. ipsi verò sine cura sunt.

Dij diuersi animis.

4. HINC VENVS, HINC CONTRA, &c.] Ab hac Musa Silius lib. 9.

Dissiluêre caua turbati ad prælia nube,
Mauors Scipiadæ metuens, Tritonia Pœno,

vt videlicet Venus Æneæ, Iuno Turno. Lucan. etiam lib. 6. *Parque suum videre Dei*. Neque abit Hom. 4. Iliad.

ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη:
Instigabat hos quidem Mars, illos autem Minerua.

D Ita etiam idem componit Apollinem contra Neptunum, illum pro Troianis, hunc pro Græcis. Calaber quoque lib. 2. ait, Deos intueri in cœlo pugnantes Achillem & Memnonem, ita tamen, vt

Οἱ μὲν θυμὸν ἔτερπον ἀτειρέϊ Πηλείωνι,
Οἱ δ' ἄρα Τιθωνοῖο καὶ Ἠοῦς υἱϊ δίῳ:
Hi quidem lætarentur ad visum fortem Pelidem,
Illi verò ad diuinum filium Tithoni atque Auroræ.

Idem pari poësi lib. 3. educit Deos spectatores certaminis, sed diuisos quoque animis; nam

Οἱ μὲν γὰρ Τρώεσσι μενοίνεον εὖχος ὀρέξαι,
Οἱ δ' αὖτ' Ἀχαιοῖς:———
Hi quidem cupiebant Troianis gloriam dare,
Hi autem Græcis.———

E Sed certè præter indicata iam Homeri loca, præclara est, & carens inuidia illius poësis lib. 20. Iliad. qua, quoties illam adeo, horrore perfundor. Fingit ibi Deos plures descendisse è cœlo turbinibus similes, & armatos stetisse aduersos. Quo loci Græcus miram excitat futuri belli attentionem, vt omnia videantur minarum plena, & inde non nisi horribile exitium fore. Consistit Neptunus contra Apollinē, Pallas contra Martem, Iuno contra Dianam, Mercurius cōtra Latonam, Xanthus fluuius contra Vulcanum. Et quidem Neptunus, Pallas Iuno, Mercurius, Vulcanus pro Græcis qui restant, pro Troianis.

Tisiphone.

5. TISIPHONE MEDIA INTER MILLIA SÆVIT.] Illustrabitur is locus abundè his, quæ dixi lib. 8. ad illud, *sæuit medio in certamine Mauors*; & sequentibus ibidem Notis. Et hîc adiice Hom. 18. Iliad. vbi in scuto Achillis inter sæuientes milites versantur Ἔρις, Κυδοιμός, Κήρ: *Contentio, Tumultus, Fatum*. Optima est Calabri poësis lib. 11. hæc,

Contentio, Tumultus, Fatum, personæ tragicæ.

Ἐν γὰρ δὴ μέσσοισιν Ἔρις, στονόεσσα δ' Ἐνυὼ
Στρωφῶντ', ἀργαλέῃσιν Ἐριννύσιν ἴκελαι ἄντην,
Ἀμφω ἀπὸ στομάτων ὀλοὸν πνείουσαι ὄλεθρον:
In medio eorum Contentio, & Bellum tristisonans
Versabantur, sæuis Furiis assimiles,
Ambóque è faucibus funeream spirantes necem.

Bellum persona tragica.

B Omitto longum eiusdem locum lib. 10. vbi *Contentio, Timor, Pauor* volitant inter acies. Stat. 11. Theb.

Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Astat, & inferno præuenit vota Tonanti.

Turbidus, quis sit.

6. TVRBIDVS, &c. Ex hac Musa Sil. lib. 5.

Turbidus extemplo trepidantes milite mœsto
Inuadit cuneos:———

Repræsentat mihi Virgilianus versus hominem πνεύματος ἀκμαίου γέμοντα, vt loquitur Plut. in vita Sertor. id est, *plenum viuidi spiritus*. Nam hæc vox in Poëtis non turbatum hominem notat, sed turbini similem, vt cùm de Myrmidonibus ait Cal. lib. 11. βίην ἀτάλαντον ἀέλλῃ ἐν στέρνοισιν ἔχοντες: *habentes in pectoribus vim similem procellæ*.

C

Ingredior, verbum militare.

7. INGREDITVR.] Verbum militare. De Neptuno eunte ad bellum Iliad. 13. κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς. ibid. de Deiphobo, κοῦφα ποσὶ προβιβάς. ibidē inducit Othryoneum ὑψι βιβάντα. ibid. Hector προποδίζων, & προβιβῶντι. & Aiax μακρὰ βιβάζων. Plenus Homerus.

Orionis cōparatio.

8. QVAM MAGNVS ORION, &c.] Par illa comparatio Calab. lib. 2. vbi de Achille,

———ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις
Ἥϊε, Τιτήνεσσι πολυσθενέεσσιν ἐοικώς:
———*qui per medios ibat*
Prævalidis Titanibus similis.

De prodigiosa mortalium olim magnitudine nos alicubi, & tu vide Magium lib. 1. c. 4. Miscell.

9. CVM PEDES INCEDIT, &c.] Hinc suam Musam ornauit Claud. lib. 3. Rapt.

———*rupitne Typhœia ceruix*
Inarimem? fractáne iugi compage Vesæui
Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?

Similis & illa poësis lib. 3. Æneid. de Cyclope,

———*graditúrque per æquor*
Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit.

Orion stella.

Quo in tractu, Nota 4. inuenies similem locum Eurip. & Nota 6. duo Nonni. Possis Poëtam referre ad fabulam, vt omnes ante me interpretes, quippe Orion à patre Neptuno impetrauit, vt super mare graderetur. Sed quid si Poëtæ mens alia? itaque referre possum comparationem ad Orionem stellam incumbentem mari, & excitantem procellas: talis erat inter vasta armorū Mezentius. Ducor in hanc mentem versibus Theocrit. εἰδ. 7. cui videtur Poëta hæsisse. Ait ille,

Ἔσσεται Ἀγεάνακτι καλὸς πλόος ἐς Μιτυλήναν,
Χ' ὅταν ἐφ' ἑσπερίοις Ἐρίφοις νότος ὑγρὰ διώκῃ
Κύματα, χ' ὠρίων ὅτ' ἐπ' ὠκεανῷ πόδας ἴσχει:
Vtinam sit Ageanacti felix nauigatio in Mitylenam,
Etiam tum, cùm sub occiduis hœdis Notus humidos vrget
Fluctus, cumq; Orion in Oceano pedes sistit.

Vides,

Vides, vt in excitata tempestate dicatur Orion pedibus per mare incedere. A armentis.

Stagnum, de mari.

10. NEREI STAGNA.] Νηρῆος τενάγη, etiam dixit Apollonides in Epigram. *Nerei vada.* Homerus sæpe, Callimachus, Euripides, & Græci alij mare vocant λίμνην, *paludem*. Loca alij coniunxerunt, & obseruauit Hesychius: quibus addatur Oppianus 2. Cyn. & 1. Hal. & sæpe alibi. Ait Eustath. in 13. Iliad. ideo mare dici *paludem*, διὰ τὸ μὴ ἀπορρεῖν κατὰ ποταμούς, ἀλλὰ λίαν μένειν, *quòd non instar fluuij fluxum habeat, sed maneat*. Sed certè Virg. tapinosin suam correxit attributo, nam si *stagna*, tamen *maxima*. Sic 1. Æneid. *gurgite vasto*; & Eclog. 6. *magno grege* de

Palus, de mari.

Tapinoses Virgilianæ.

11. VIAM SCINDENS.] Lucretius libro secundo, *vias rescindere*. Oppianus 1. Hal. ἄδυτον πείρουσι θαλάσσης. — Viam scindere, de mari.

12. HVMERO SVPEREMINET VNDAS.] Tale ferme illud incrementum de Cyclope lib. 3. *nec dum fluctus latera ardua tinxit.*

13. AVT SVMMIS REFERENS, &c.] Ditabunt locum istum, quæ dixi 9. Æneid. vbi Pandarus, & Bitias comparantur quercubus.

14. TALIS.] Ita etiam post comparationes Hom. vt 4. Iliad. τοῖος ἔην Τυδεύς. & 16. τοῖοι Μυρμιδόνων ἡγήτορες. & sæpe alibi. — Talis, post comparationes.

a Huic contrà Æneas speculatus in agmine longo
Obuius ire parat: manet imperterritus ille
Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat.
b Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ,
Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint: voueo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te Lause trophæum
Æneæ. c dixit, stridentémque eminùs hastam
Iecit: at illa volans clypeo est excussa, procúlque
Egregium Anthorem, latus inter & ilia figit,
d Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Euandro, atque Itala consederat vrbe.
e Sternitur infelix alieno vulnere, cœlúmque
Aspicit, & dulces moriens reminiscitur Argos.
f Tum pius Æneas hastam iacit: illa per orbem
Ære cauum triplici, per linea terga, tribúsque
Transiit intextum tauris opus, imáque sedit
Inguine: sed vires haud pertulit. ocyùs ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine, lætus
Eripit à femore, & trepidanti feruidus instat.

B

ARGVMENTVM.

Occurrit Æneas Mezentio, hic primus hastam iacit, excutitur à diuino clypeo, & casu in Anthorem perlata illum sternit: Æneas deinde iaculatur maiore felicitate.

EXPLICATIO.

a AFFVLGET iã Æneæ magna seges gloriæ, ideo enim tot præmissa de Mezentij virtute, qui similis scopulo, apro, leoni, Orioni, vt hinc maior gloria in Ænean redundet: Ergo, generosè admodùm ire in illum parat, contemptis aliis hostibus, & attentè speculatur, quærens vbi sit. Ille autem quasi Ænean contemnat *manet imperterritus opperiens* (exC pectans) *hostem magnanimum*. Addit, *& mole sua stat*; quia sup. comparatus cum rupe est, quæ *immota manet*. Expendatur versus, qui etiam, non aliter ac rupes, *mole sua stat*.

b Vt vidit Mezentius, esse iam Ænean intra teli iactum, hastam iecit; priùs tamen se impietate imbuit, & qui semper Diuorum fuit contemptor, nunc quoque in extremo actu vitæ. Nam cùm soleant B duces alij in bello ante iactum teli inuocare alicuius Numinis fauorem, tum etiam soleant promittere erecturos se trophæum Marti, vtrumque contemnit. Nam dextram suam & telum esse ait pro Deo, & hęc duo inuocat: deinde, Lausum filium vult indui armis hostis, contempto Marte, cui solent dicari ab aliis. Et nota, Ænean magno contemptu dici *prædonem*, non *hostem*. Vlpian. *Hostes sunt, quibus bellum publicè Populus R. decreuit, vel ipsi Populo R. Ceteri latrunculi, vel prædones appellantur.*

c Post hanc impietatem *hastam iecit*, & ab impetu stridentem: illa *excussa est*, vt attigit diuinum clypeum, & *Anthorem figit*. Signat locum vulneris *inter latus & ilia*, videlicet in cauo, quod infra costas.

d Explicat quis hic Anthores (ita inflectitur, non C Anthor) nimirum comes Herculis, patria Argiuus, Euãdri socius, Italiæ nouus hospes. Itaq; pro Hercule Euandrum habebat pro Argis Italiæ vrbem.

e Ideo *infelix*, quia stratus *alieno vulnere*, atq; adeò periit nullo ostentato virtutis suæ documento: Iam verò exspirans animam *cœlum aspicit* magno aspectu, vt solent moribundi, & *Argos* patriam *reminiscitur*, & hos *dulces*, vt qui doleat cadere in alieno solo.

f In Mezentium impium *pius Æneas hastam iacit*, quasi aboliturus tantã impietatẽ, Ita verò virilis fuit

& fortis

& fortis iactus, vt clypeum (*orbem* vocat) penetraret, cui triplex ærea lamina, linum triplex, pellis tauri triplex, ac tandem ima hasta hæsit in Mezentij inguine. Hypallagen hîc agnoscit Seruius, ita vt *ima hasta sedit in inguine*, sit, *hasta sedit in imo inguine*. Est hîc, *sedit*, altiùs penetrauit, explicatore Passeratio in Tibullum. Procedo. Accidit tamen, vt hasta defessa, quippe quæ perforauerat æreas laminas, & pelles taureas, minùs afferret virium, quia lethale non fuit vulnus, sed tantùm elicuit sanguinem, quamobrem Æneas statim eximit gladium, imò *eripit* ad celeritatem, & ita *feruidus trepidanti instat*.

NOTÆ.

Heroës magno corpore.

1. SPECVLATVS.] Videor intellexisse mentem Poëtæ. Heroïci Vates suis Heroïbus dant semper magnitudinem vltra mortalem, & Diis similem. Tales Achilles, Aiax, Idomeneus, & infiniti in Iliade. & nos iam de hac re. Consequens ergo, vt veluti speculari in acie dicantur, vt reliquis proceriores. Ita Nestor de se Iliad. 14. ait se iturum ad aciem, & cogniturum quæ gerantur, tanquam ab specula, ἐς περιωπήν, & ibid. σκοπιάζων, de re eadem. Itaque, vt Valer. 1. Arg. de Borea. *Pangæa speculatus ab arce*. & Sil. lib. 5. de Romano Consule, *tumulo speculatus ab alto*, quod (inquam) hi, & alij de veris tumulis, & locis editis; sublimiores Vates, quales Hom. & Virg. de ipsis adhuc hominibus dicunt *speculam*.

Maneo, verbum militare.

2. MANET.] Ex Græco Homeri fonte, qui sæpe de suis ducibus μενέμεν, μένειν: & inde μένος pro virtute militari. τὸ *impeterritus* est, quod passim Hom. & Cal. ἀταρβής.

3. MAGNANIMVM.] Millies Hom. μεγάθυμον in suis ducibus.

Sto, verbum militare.

4. STAT.] Verbum militare: quod cùm multa probent, placet adducere locum Ioann. Chrysost. ex Orat. 23. in Epist. ad Ephes. εἰ γὰρ ἐπὶ τῶν πυκτευόντων καὶ παλαιόντων τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων παραγγέλλει, τὸ στῆναι, πολλῷ μᾶλλον ἐν τοῖς πολέμοις καὶ τοῖς στρατιωτικοῖς πράγμασι: *Nam si in pugilibus & luctatoribus hoc ante alia præcipit, videlicet stare: multo magis in bellis & militaribus rebus.*

Quantum satis hastæ.

5. QVANTVM SATIS HASTÆ.] Hom. 15. Iliad.

——ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωὴ
Γίνεται, ὅππότ' ἀνὴρ σθένεος πειρώμενος ἵησιν:
—— *quantum hastæ iactus*
Progreditur, cùm vir roboris faciens periculum, mittet.

& Iliad. 16.

Ὅσον δ' αἰγανέης ῥιπὴ ταναοῖο τέτυκται:
Quantus est iactus longi iaculi.

Dextra Deus est.

6. DEXTRA MIHI, &c.] Procedunt hæc ex impietate Mezentij, qui dextram suam, & gladium putaret Deum esse, neque se egere veris Numinibus.

Gladius Deus est.

De Annibale Sil. lib. 11. *Cui nunc pro fœdere, proque Iustitia est ensis.* Ab eodem lib. 5. Flamminius inducitur simili impietate ita loquens, *diuus sat magnus in hostem Augur adest ensis.* Est hoc, quod Eurip. in Ione,

Ὅτ' ἀσπὶς ἐγχός θ', ὅδε σοι παμπησία:
Quicunque clypeus hastaque, hæc tibi vniuersa possessio.

Et de Polynice idem in Phœniss.

Ὡπλισμένος δὲ χεῖρα τῷδε φασγάνῳ,
Τὰ πίστ' ἐμαυτῷ τοῦ θράσους παρέξομαι:
Armatus ego manum hoc ense,
Fiduciam mihi ipsi confidentiæ præbebo.

Calab. lib. 3. infert Achillem pari impietate in Deos;

A prouocat enim ad pugnam omnes, καὶ εἰ θεὸς εὔχεται εἶναι, *etiamsi Deus esse glorietur*. Apud Plutar. Crassus tantùm abfuit, vt curaret Deorum prædictiones, vt ridens dixerit ad circumstantes, qui pauefacti & perculsi, ἀλλὰ τῶν γε ὅπλων οὐδὲν ἂν ἐκφύγοι τὰς χεῖρας: *atqui nequaquam meis manibus arma excident*; quasi vnis tantùm armis fideret, non religioni. Apud Homer. Iliad. 9. Vlysses ait de Hectore, illum in pugnis nihil colere Deos, οὐδέ τι τίει θεούς. & ibid. Hector ipse loquens de Deorũ augutiis, ita ait. τῶν οὔ τι μετατρέπομ', οὐδ' ἀλεγίζω, *quæ neque vereor, neque curo.* De Capaneo Stat. 2. Theb. *Virtus mihi Numen, & ensis.* & lib. 10. ita superbissimè idem Capaneus,

—— *ades ô mihi dextera tantùm,*
B *Tu præses bellis, & ineuitabile Numen,*
Te voco, te solum, Superûm contemptor, adoro.

Idem Capaneus apud Eurip. Suppl. ait deleturum se Thebas, θεοῦ θέλοντος, ἤν τε μὴ θέλῃ, *Deo aut volente, aut non volente.* Deriades dux Indorum apud Nonn. lib. 21. ait se contemnere Saturnum, Iouem, Bacchum, vinum etiam Bacchi donum, & pro his omnibus esse suam hastam, θεός, ait, ἐμὸς πέλει ἔγχος. & lib. 29. θεομάχος vocatur, vt qui in Deos pugnaret. Hasta Capanei Prouerbio celebrata est, quam ille à ciuibus coli, & eius nomine iusiurandum concipi cogebat. Lysander apud Plut. ostentato gladio dixit, ὁ ταύτης (μαχαίρας) κρατῶν βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται: *gladium qui habet, optimè dicit de finibus agrorum*; quasi nulla alia iustitia, nisi quæ in vi. In Synesio lib. de In-

Hasta Capanei.

Gladium habens optimè dicit.

C somniis impij ita loquuntur,

Οὐ θυσιῶν σπλάγχνων τ' ἔθεμαι, τὰ δ' ἀθύρματα πάντα:
Sacra nihil curo, nec viscera, ludicra sunt hæc.

Et barbarus Polyphemus in Cyclope Eurip.

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω ξένε:
Iouis fulmen non ego metuo, ô hospes.

Mucro pro Numine.

Principes quidam barbari in Ammian. lib. 17. *Eductisque mucronibus, quos pro Numinibus colunt, iurauêre se permansuros in fide.* Hæc omnia nihil abeunt à mente Poëtæ, in quo Mezentius & Deos contemnit, & gladium suum atque hastam pro Deo habet.

7. TELVM.] Cùm hoc loco Mezentius pro Deo habeat, illustrabitur is locus illis, quæ dicam lib. 12. vbi Turnus simili imagine hastam suam inuocat,
D cùm it ad bellum.

8. VOVEO.] Lege Briss. in Form. Rom.

9. LATVS INTER ET ILIA FIGIT.] Apud Cal. lib. 12. fit ictus,

Τυτθὸν ὑπαὶ λαπάρην, δὲ δ' ἤλασεν ἐς μέσον ἧπαρ:
Paululum sub laparem, & in medium hepar.

Antoniorũ origo.

10. HERCVLIS ANTHOREM.] Variant codices. Alij *Anthorem*, alij *Antorem*, sed & alij *Actorem*. Alciatus *Antonem* vult lib. 7. Parer. c. 16. Nam Antoniorum familia trahere originem putabatur ab Antone filio Herculis, quod in vita Antonij tradit Plut. Et quidem Antonium solitum gloriari se ab Hercule genus ducere, tritum est. Ad hunc ergo Antonem (ait Alciat.) allusum, neque impedit mutari histo-
E riam à Virgilio, qui non filium Herculis, sed comitem facit. Et fortassè Virgilius certior: neque enim ratio est aliqua, quæ fidem maiorem det Plutarcho, quàm Virgilio.

11. CONSEDERAT.] Signat mutationem domicilij. de quo alibi.

Alienum vulnus.

12. ALIENO VVLNERE.] Nihil hac Tragœdia frequentius in Homero. Lib. 8. Diomedes Hectorem vult percutere, & frustrato ictu percussit ἡνίοχον, *aurigam*. Ibidem Teucer destinat sagittam in eundem, & ferit Gorgythionem. Lib. 4. Antiphus iaculatur in Aiacem, & Leucum βεβλήκει βουβῶνα. Lib. 15.

Hector in eundem Aiacem ictum dirigit, & Lycophronem ἔβαλεν. Millena hæc sunt. Sed si velis veram imitationem, ea est 13. Iliad. vbi Deiphobus hastam iacit in Idomeneum, quæ perlata in scutum eius, inde resiluit, & percussit Hypsenorem, ἧπαρ ὑπὸ πραπίδων, *in hepar sub præcordiis*. Similium ictuum plenus Calaber, à quo nihil libo, sicuti neque ab Statio, Valerio, aliis. Ceterùm quod Virg. *alieno vulnere*, pulchrè dixit Sil. lib. 7. quempiam cecidisse, *telo non in sua vulnera misso*. Virgilij vocem præclarè imitatur Claud. 6. Hon.

Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis
Cingunt arua tigres, subitaq; aspectus arena
Effundit Libycos aliena valle cruores.

Cœlū aspiciunt morientes. 13. Coelvm aspicit.] Tale illud lib. 4. vbi moriens Dido, *Quæsiuit cælo lucem*. Infr. in hoc lib. de Mezentio, *contrà Tyrrhenus vt auras Suspiciens hausit cælum*; videlicet iam moriturus. Ennius quoque,

Semianimesq; micant oculi, lucemq; requirunt.

Apud Iosephum lib. 1. Bell. Iud. c. 21. moriens Herodes, ἐκλύει τοὺς ὀφθαλμούς. Eurip. in Herc. etiam de morituris, φῶς ἀναβλέψεσθε, *aspicietis lucem*. Ouid. 10. Metamorph. etiamsi non de moriente, *timidumq; ad lumina lumen Attollens*.

14. Dvlces reminiscitvr Argos.] Sumpta fortasse imitatio ab Eurip. apud quem Medea in extremo discrimine ait,

ὦ πατρίς, ὡς σου κάρτα νῦν μνείαν ἔχω:
O patria, quàm nimiùm nunc tui recordor.

Et auriga Rhesi apud eundem,

ὦ γαῖα πατρίς, πῶς ἂν ἐνθάνοιμί σοι:
O patria terra, quomodo moriar in te.

Imitatio Virgilij. 15. Tvm pivs Æneas, &c.] Veram loci huius imitationem iam Vrsin. aperuit. Desumpta illa ex 3. Iliad. vbi pugna Menelai, & Paridis. Perstringam ego. Ibi Menelaus ἀμπεπαλὼν προΐει ἔγχος, hîc Æneas *hastam iacit*. in Græco otiosa præpositio. Pergo. Menelai hasta penetrauit διὰ ἀσπίδος φαεινῆς, & διὰ θώρηκος, atque etiam διάμησε χιτῶνα: Æneæ hasta transiit triplicem laminam, terga linea, & tria terga taurorum. Illa infixa est παραὶ λαπάρην, hæc *sedit in inguine*. Ibi Menelaus post iactum inducitur ἐρυσσάμενος ξίφος, hîc Æneas *ensem eripit à femore*. Ibi frangitur gladius Menelai, hîc Æneæ hasta *vires haud pertulit*. Reliqua noluit Virg. sed mutauit omnia, tum speciosiùs, tum sublimiùs; ita vt Græca nihil afficiant Lectorem, Latina etiam afferant stuporem. Vt hîc Æneas *pius*, quia in bello pio: ita Quintil. Decl. 352. *pia arma*.

Lina scutorum. 16. Lignea terga.] Refert hæc Seru. ad lina, quibus tegebantur scuta, vt possent picturæ inhærere.

17. Tribvs tavris.] Cal. lib. 3. scutum vocat πολυβόειον.

Imitatio Virgilij. 18. Viso Tyrrheni sangvine lætvs.] Fortè ex 11. Iliad. vbi Troiani viso Vlyssis sanguine eunt agminatim contra illum festinabundi. Nisi quis ducat ab 20. vbi Achilles pugnans contra Ænean, vt vidit illum perterritum ab iactu hastæ, aduolauit contra illum gladium eximens, & terribiliter clamans.

Eripere ensem. 19. Eripit.] Homeri, & Apollonij ἐρυσσάμενος, & primi ἀνασπάμενος, & Nonni lib. 28. ἐρύσας. & aliorum ἕλκων, frigida omnia sunt cum Maroniano *eripit*. Pari frigore torpent Latini, qui in summa ira & præcipitantia *educunt*, *stringunt*, *trahunt* gladios. Tacitus à Nostro 1. Ann. *ferrum à latere diripuit*. Ouid. 10. Metamorph. *vagina diripit ensem*.

20. Femore.] Videtur Seru. legisse *femine*, quam lectionem agnoscit Beroaldus in Notis ad Columell. Quod Virg. *à femore*, Hom. παρὰ μηροῦ.

[a] Ingemuit chari grauiter genitoris amore,
Vt vidit Lausus, lacrymæq; per ora volutæ.
[b] Hîc mortis duræ casum, tuáque optima facta,
Siqua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te iuuenis memorande silebo.
[c] Ille pedem referens, & inutilis, inq; ligatus
Cedebat: clypeóque inimicum hastile trahebat,
Proripuit iuuenis se, séque immiscuit armis,
Iámque assurgentis dextræ, plagámque ferentis
Æneæ subiit mucronem, ipsúmque morando
Sustinuit. [d] Socij magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret;
Teláque coniiciunt, proturbántque eminùs hostem.
Missilibus furit Æneas, tectúsque tenet se.
[e] Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce viator:
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris: vt possint Sole reducto
Exercere diem: sic obrutus vndique telis
Æneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, & Lausum increpitat, Lausóque minatur.

ARGVMENTVM.

Lausi pietas, virtus, encomium: Rutulorum ardor contra Ænean, & pro Lauso: Æneæ virtus comparatione illustratur.

EXPLICATIO.

a IACTAVERAT Æneas hastam, & percusserat Mezentium in femore, quo vulnere debilitatus tantùm ille est, non occisus. Ergo Æneas ensem nudauerat, vt hic faceret, quod hasta nequiuerat: hoc puncto temporis Lausus Mezentij filius, interposito corpore, subiecit se Æneæ gladio, excepturus vulnus paternum. Hæc, vt dixi, ita sunt gesta. Sed Virg. poëticè ante illatum Lauso vulnus quædam præmittit ad pietatem Lausi prædicandam. Incipit ab eius gemitu, & lacrymis: gemitus vt in milite, & forti; lacrymæ vt in filio, & puero: & ille grauis, hæ volutæ: & pro patre vtrumque, nam charus.

b Luculentus est Poëta pro Lauso, & quantùm deturpauerat patris impietatem in octauo, & vbique, tantùm hîc, & alibi etiam extollit pietatem, & mores filij. Ergo ait, non se taciturum *casum duræ mortis*, & præclara facta Lausi ab hoc insigni facto memorandi. Interponítque versum illum,

Si qua fidem tanto est operi latura vetustas.

Certè latura, ô Maro. Nam quæ tam deformis posteritas, quæ tuam Musam in honore non habeat? quæ non Lausi facinus admiretur, te narrante? itaque credet vetustas, te scriptore, exstitisse filium pientissimum ab impientissimo parente.

c Post hæc exordia redit Poëta ad viam. Referebat pedem Mezentius, vt qui *inutilis* iam ad bellum, quia illigatus (placuit Poëtæ, *inij, ligatus* ad venustatem) hasta Æneæ, quæ hærens scuto ex eo pendebat. Tum iuuenis cedente patre ipse *proripuit se*, vide celeritatem, & *se armis immiscuit*, imò *subiit mucronem*, adeò ille imperterritus, *dextra Æneæ assurgentis*, ad ictum, & iam *plagam ferentis*. Atque hac mora sustinuit, detinuítque impetum & ardorem Æneæ.

d Ad hoc facinus & pietatem, abeunte patre, obiiciente se filio, & protegente patrem clypeo, secutus est clamor Rutulorum, qui etiam confertissima tela coniiciunt in vnum Ænean, vt proturbent vndique, & auertant illius ardorem. Quippe miserabantur Lausi sortem, videbántque non posse eripi à tam diro hoste. Itaque commoti omnes Lausi pietate, strenui sunt pro illo, & contra Ænean. Ille tum *furit*, quia ereptus sibi Mezentius: tum *tectus* clypeo *tenet se*, id est, continet, donec detonet telorum nubes.

e Optima comparatio. Vidisti vt ad præcipitantes nimbos grandinis arator, agricola, viator, omnes fugiant lateántque sub *arce tuta*; videlicet sub arboribus, quæ sunt in ripis amnium, aut sub fornice alti saxi, donec, abeunte nimbo, & redeunte Sole, ipsi pariter ad opus redeant; talem finge Ænean, qui tectus sub scuto continuit se à bello, & nubem eam, dum detonaret, sustinuit; tantùm tunc Lausum & *increpitat*, & *minatur*, si possit auertere à diro ausu.

NOTÆ.

1. INGEMVIT CHARI, &c.] Aptabis huic facto A Lausi sententiam Eurip. Supplicib.

——τοῖς τεκοῦσι γὰρ
Δύστηνος, ὅστις μὴ ἀντιδουλεύει τέκνων:
——parentibus enim
Filius qui vicissim non seruit, infelix est.

& quidem Lausus in maximo periculorum inseruit. Vide apud Liu. lib. 7. historiam Manlij adolescentis, qui admodùm studiosus pro patre Manlio, cùm tamen pater in filium crudelis fuisset. Absoluit scriptor: *Eoq; id laudabilius erat, quòd animum eius tanta acerbitas patria nihil à pietate auertisset.* Eurip. in Herc. ait, liberos debere ὑπὲρ πατρὸς θνήσκειν, *mori pro patre.* Ceterùm à Poëta Sil. lib. 4. in enarrando Scipionis iuuenis facinore, ita: Filius seruiat parentibus. Scipionis iuuenis in seruando patre studiū.

Hinc puer, vt patrio defixum corpore telum
B *Conspexit, maduêre genæ, subitoq; trementem*
Corripuit pallor, gemitumq; ad sydera rupit.

In quo vides & gemitum, & lacrymas, vt in Lauso. Historiam ita narrat Liu. lib. 21. *Periculum Consulis intercursu tum primùm pubescentis filij propulsatum.* Latior est Polyb. lib. 10. Attingit Val. Max. & Romani omnes Scriptores, atque Stat. 3. Sylu. & Senec. 3. Benef. c. 33. Adduxi hanc partem historiæ, nam ad facinus Scipionis aspirasse Virgilium in hoc Lausi facto interpretibus omnibus in confesso est. Simile quidpiam de Antilocho Nestoris filio Xenoph. lib. de venatione. Ἀντίλοχος δὲ τοῦ πατρὸς ὑπεραποθανὼν τοσαύτης ἔτυχεν εὐκλείας, ὥστε μόνος φιλοπάτωρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀναγορευθῆναι: *Antilochus pro patre morti se obiiciens, tantùm gloria assecutus est, vt solus à Græcis dictus fuerit* Antilochi facinus.
C *Philopater.* de eodem Antilocho Pind. Od. 6. Pyth. ὃς ὑπερέφθιτο πατρὸς, *qui pro patre occubuit.* Vide & Calabrum lib. 2. atque etiam Epigramma octauum Ausonij in Epitaph. Heroum, & Dionem Chrys. Orat. 11. Hi omnes, & plures alij meminêre facti Antilochi. Sophocl. in Antig. ait, optandos esse filios, vt sint qui iniurias vlciscantur factas parentibus, ὡς καὶ τὸν ἐχθρὸν ἀνταμύνωνται κακοῖς. Non indignum est facinus Lucilij Romani apud Plut. in vitis Antonij, & Bruti, qui se, tanquam si Brutus esset, præbuit insequentibus Brutum, vt Brutus interim spatium haberet ad fugam. Nec Timoleontis apud eundem, qui fratrem Timophanem protectum clypeo seruauit, vbi excepta vulnera, quæ in fratrem dirigebantur. Idem ferme accidit Claudio Marcello seruatori fratris Lucilij facinus. Timoleontis pietas pro fratre, & Marcelli, &
D Otacilij, vt narrat idem Plut. Celebrat etiam Curtius lib. 3. pietatem Oxoatris fratris Darij, qui, vt retardaret Alexandrum iam instantem Dario, sese & equites, quibus præerat, ante currum Regis obiecit. & Plutarchus in vita Marcelli Brantium quendam, qui excepit, opposito corpore, tela plurima directa contra Consulem, qui ad Cannas cecidit. Sed inter tot exempla, cur desit Curionis diligentia in seruando Cæsare, cùm enim (narrat Plut. in vita Iulij) contra illum exeuntem è Curia intenti essent nudi gladij, certè Κουρίων τότε λέγεται τῇ τηβέννῳ περιβαλὼν ὑπεξαγαγεῖν, *tunc Curio dicitur eum toga texisse, & eripuisse.* Sanè cùm sæpe ad res Iulij in Æneide alludat Virg. hîc aliquid adumbratum de Cæsare non est in- Oxoatris. Brantij virtus. Curionis facinus.
E credibile.

2. MORTIS DVRÆ.] Quæsitè, & propriè. Mors iuuenum *acerba* dicitur, quia immatura, ac proinde etiam *dura*, nam hæc vox dicitur de fructibus arborum non maturis. Cui morti *mitis* opponitur, id est, senilis. Duricies, cur de morte.

3. OPTIMA FACTA.] Etiam hoc quæsitè. Vide suprà, *haud fierto melior.*

4. SI QVA FIDEM, &c.] Claud. Bell. Ger. *vllane posteritas credet?*

5. NEC

Imitatiō.

5. Nec te ivvenis memorande silebo.] Ad hanc lucem Sil.lib.11.

——neque enim iuuenis non digna sileri
Transmittam tua cœpta libens, famamq́; negabo,
Quanquam imperfectis, magnæ tamen indolis ausis.

Apto & verba Sen. de Tranquil. c.14. *Sed non raptim relinquetur magnus vir, & cum cura dicendus, dabimus enim te in omnem memoriam.*

Referre pedem.

6. Pedem referens.] Liu.lib.21. *Sensim referre pedem.* Plaut.Epid. *retuleris pedem.* Hom.& Cal. ἂψ ἀναχάζεσθαι.

Inutilis in bello.

7. Invtilis.] Vox quæsita, & militaris. Tritum enim senibus dari missionem, aut vacationem, vt *inutilibus ad bellum.* Itaque hac voce vsus vterque Seneca, Philosophus, & Rhetor, Quintilianus, & alij. Rhetor ita dixit Cont.6. *catenis inutiles manus.* Quintil. Declam.315. *Lex occidi à viro forti desertorem voluit, tanquā inutilissimū.* Val.Max.lib.3.c.2. *Inutiles vulneribus manus.* Respondebunt *inutilibus*, quos Plut. in vita Crassi ἀπράκτους vocat, & ita quidem, quia his confixa sagittis membra. Appian.1.Ciu. ἀχρειωμένος.

Angones.

8. Clypeoqve inimicvm hastile trahebat.] Simile illud, quod de angonibus Francorum Agathias scribit lib.2. Hist. quorum vsus inter alios hic erat; vt coniecti in clypeum hostilem ita hærerent, vt euelli non possent, quæ res maximo erat hostibus impedimēto. Calab.lib.2. dixit, αἰχμαὶ ἀνεγνάμφθησαν ἐν ἀσπίσι: *mucrones reflectebantur in scutis.* Cùm autem Poëta dicat, Mezentium recessisse illigatum, credibile aspirasse ad locum Hom.5. Iliad. vbi Sarpedon figitur à Tlepolemo in femore, & recedit à bello gestans fixam hastam, βάρυνε δέ μιν δόρυ μακρὸν ἑλκόμενον.

Imitatio Virg.

Subire mucronem. Stare sub ictu.

9. Svbiit mvcronem.] Est hoc, quod Apollon.lib.2. ὑπὸ ξιφέεσσιν ὑπέστη. & quod Lucan. *stare sub ictu.* Sumptum est à gladiatoribus, quorum vnus *ictum subit*, alter *habet sub ictu.* Et huic *esse sub ictu*, aut *subire mucronem* contrarium est *subducere ceruicem*, etiam in ludo gladiatorio, vt clarè habetur ex Sen. lib. de Tranquill. c.11.

Ceruicem subducere.

10. Genitor nati parma protectvs.] Confert huc Germ. Philostr. qui, προασπίζειν τῷ πατρός. Et ego Plutarchum orat.1. de Alex. Fortuna, vbi ὑπερίσχε τὴν πέλτην. & Appianum, qui lib.2. Ciu. ὑπερασπιστὰς vocat, qui alium clypeo tegunt.

11. Tectvsqve tenet se.] Imaginem huius tutelæ sub scuto vide in Homer.13. Iliad. vbi Deiphobus,

——πρόσθεν δ' ἔχεν ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην
Κοῦφα ποσὶ προβιβὰς, καὶ ὑπασπίδια προποδίζων:

——tenebat ante se scutum vndique æquale
Sensim procedens pedibus, & sub clypeo progrediens.

Eodem lib. de Idomeneo ait, κρύφθη γὰρ ὑπ' ἀσπίδι: *latuit sub scuto.* &c, τῇ ὅγε πᾶς ἐάλη: *totus sub illo receptus est.* Nonnus lib.30. σάκος ὅλον ἐκάλυπτε μαχητήν: *scutum tegebat totum militem.* Ceterùm cùm de Ænea ita prædicet Philost. in Heroïcis, ἐκπλαγῆναι δὲ ὑπὸ οὐδενὸς φόβου. τὸ γὰρ σύνεσίν τε, καὶ λελογισμένον ἐν αὐτοῖς μάλιστα τοῖς φοβεροῖς ἔχειν: *nullo illum terrore mentis affectum: ac tum maximè illum mentis & rationis fuisse compotem, cùm inter pericula versaretur.* Cùm hæc (inquam) de Ænea prædicet, quis locus huic laudi commodior, quàm is, vbi inter tot millia telorum ita se gessit sui cōpos, vt non rueret, quod alius facere, cum nocumento sui, sed sisteret tectus clypeo, donec nubes ea detonaret? Hanc belli peritiam dat Homer. Hectori Iliad.16. qui

Æneæ militaris prudētia.

Ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος εὐρέας ὤμους
Σκέπτετ' ὀϊστῶν τε ῥοῖζον, καὶ δοῦπον ἀκόντων:

Tectus humeros latos taurino scuto
Obseruabat sagittarum stridorem, & sonitum iaculorum.

Hac vti voluit Crassus contra sagittas Parthorum, tametsi omnis ars ibi inutilis, propter multitudinem sagittarum. Addicio huic Notæ corollarium. Repræsentatur fortasse in Ænea Nauij virtus bellica. Nam Liu.lib.6. *Vndique in eum tragulæ coniectæ, & prope tota in vnum acies versa: sed neque hostium multitudo, neque telorum vis arcere impetum eius viri potuerunt.* Sunt enim, qui putent varios Romanæ historiæ successus in vna Æneide repræsentatos. Hoc si est, & verè est, cur non Nauius in Ænea?

Nauij virtus.

12. Ac velvt effvsa, &c.] Cùm hic sit proprius locus comparationis Poëtarum, adducam aliquos & illustrando & comparando Poëtæ. Hom. 12. Iliad.

Τῶν δ', ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτουσι θαμειαὶ
Ἤματι χειμερίῳ, ὅτε τ' ὤρετο μητίετα Ζεὺς
Νιφέμεν ἀνθρώποισι, πιφαυσκόμενος τὰ ἃ κῆλα.

Pergit multis, quæ omitto, & absoluit,

Ὣς τῶν ἀμφοτέρωσε λίθοι πωτῶντο θαμειαί:

Horum autem, sicut grumi niuis cadunt crebri
Tempore hyemali, quando motus est consiliarius Iuppiter
Ad ningendum hominibus, ostentans sua tela.
Sic horum vtrimque lapides volitabant frequentes.

Niuibus tela comparantur.

Quid in his & aliis, quæ omisi, Homerus peccet, censor Scaliger indicabit tibi. Omitto illum, & addo à me, multo meliùs cum grandine tela comparari, quàm cum niuibus. Idem peccatum est in eodem lib. vbi de lapidibus iactatis è turribus ait, νιφάδες δ' ὣς πῖπτον ἔραζε: *cadebant in terram velut niues.* Præferendus Homero Statius 8. Theb.

Homerum Virg. superat.

——non tanta cadentibus Euris
Aëriam Rhodopen solida niue verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus, cùm Iuppiter omni
Arce tonat: tanta quatitur nec grandine Syrtis
Cùm Libya Boreas Italos niger attulit imbres.

Grandini tela comparantur.

& lib.1. *telorum aut grandinis instar Riphææ.* Vides vt semper *grandinem* assumpserit hærens Virgilio, & spreto Homero. Nam *nix solida* grando est. Obucies: Nónne & Virg. lib.11. *fundunt simul vndique tela Crebra, niuis ritu?* Hoc aliud est, Lector, vt suo loco excutiam. Ammian.lib.14. dixit, *ritu grandinis vndique conuolantibus telis.* & Sen. epist.45. *tela grandinis more dissultant.* & Cedrenus de Turcis loquens, χαλαζηδὸν ἐκπεμπομένων τὰ βέλη: *missis sagittis instar grandinis.*

Nix solida pro grandine.

13. Omnis campis diffvgit arator.] Integrum hunc excursum potuit capere à Cal.lib.8.

Tempestatis vis.

Ὡς δ' ὅτε μηλοβοτῆρες ἐνὶ σταθμοῖσι μένωσι
Λαίλαπα κυανέην, ὅτε χείματος ἦμαρ ἵκηται:

Vt cùm opiliones in stabulis permanent
Propter cæruleum turbinē, cùm tempus ingruit tēpestatis.

Quod porrò Virgilius addit, *vt possint Sole reducto,* &c. Calab. οὔ τι ἐς νόμον αἴσσουσι, *neque procedunt ad pascua*, videlicet ἄχρις μέγα λωφήσει χεῖμα, *donec tempestas deseuierit.* Demum absoluit, ὣς οἵ γ' ἐν τείχεσσι μένον, *ita illi intra muros se continent.* Quod sequitur, τρομέοντες ὅμοκλὴν δυσμενέων, *timentes impressionem hostium*, noluit Virg. sed pro, τρομέοντες, *sustinet*, quod virile, & forte.

14. Arce.] Dignus locus, qui animaduertatur. Arx est omnis locus, qui hostes arcet. Ergo, quemuis locum, qui arcet grandinem, aut alias iniurias temporis *arcem* vocat. Itaque, quæ sequuntur in versu altero explicant hanc arcem, vt sententia sit: Latet arce arboris, aut saxi. Idem est etymon *arcæ*. Non enim dicta, quòd arceat. id est, contineat res: sed quòd arceat, id est, repellat inde fures.

Arx, quid sit.

Arcæ etymon.

15. Avt

15. AVT ALTI FORNICE SAXI.] Antipater lib.6. Epig.c.11. A

Ἴδ' ἐμ' ἀνὴρ κευθμῶνα ὀρειάδα δύσατο πέτρης,
Ζηνὸς ἐλασθρηθεὶς γηγενεος ὑετῷ.
Vir prudens latebras montanæ rupis adiuit,
Cùm solidus terram verberat imber humum.

Reddidi γηγεναγῆ ὑετὸν, *umbrem solidum*, & possem *niuem solidam*, id est, *grandinem*, hærens vestigiis Statij, quem iam præmisi: nam *nix compacta* nihil est aliud, quàm grando. A voce *fornix* est verbum *fornicor*, cuius contrarium *pando pandas*: Nam Plin. lib.16.c.42. *Populus contra omnia inferiora pandatur, palma è contrario fornicatur.*

Nix compacta est grando.

Fornicor, & pando opposita.

16. DVM PLVIT IN TERRIS.] Ex Lucret. qui lib.6.

Pluit in terris.

Cùm pluit in terris, & venti nubila portant.

Itaque quamuis videatur dicendum *in terras*, tamen prælatum est iudicium Lucretij, & prælata est antiquitas, quæ non insolens Heroïcis Vatibus. Illam interpunctionem quorundam, *Cùm pluit, in terris vt possint*, &c. negligo, legendum enim sine distinctione, *Cùm pluit in terris*, ex iudicio, vt dixi, Lucretij, & ex vetustate.

17. SIC OBRVTVS VNDIQVE TELIS.] Iosephus 7.Bell.c.1. οἱ φρουροὶ δ' ἀπὸ τοῦ τείχους κατηκόντιζον τε αὐτοὺς καὶ βέλεσι πάντοθεν ἀπείροις ἔβαλλον: *Custodes è muris iaculis & telis eos infinitis vndique impetebant.* Paria verba Liuij lib.36. *Ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes & sagittas simul, ac iacula ingerebant.*

18. NVBEM BELLI, DVM DETONET, OMNEM.] Sic lego; non *detinet*. non *omnes*, vt in aliquibus, sed *omnem*. Exorno τὸ *nubem belli*. Pind: Od.4. Isthm.

Τραχεῖα νιφὰς πολέμοιο·
Asper belli nimbus.

Nubes, de bello.

& Od. 10. Nem. πολέμοιο νέφος: *nubes belli*. quod sumpsit ab Hom. qui 17. Iliad. πολέμοιο νέφος περὶ πᾶσι κάλυπτεν: *belli nubes omnia obtegit*. Eadem locutio est in Opp.1.Hal. in Nonno lib.22. & 29. νέφος Ἄρηος, νέφος ἰῶν. in Eurip. Hecub. in Plut. in vita Marij. Apud eundum Annibal vocat Fabium Max. νεφέλην, ὅτι μετὰ ζάλης καὶ καταιγίδων ὄμβρον ἐμπήξει, *nubem, quæ cum turbine & procella esset imbrem effusurus.* Eurip. in Taur. vocem mutauit, κλύδωνα (inquit) πολεμίων προκείμενον, *imminentem hostium procellam*. Latini eodem spiritu. Prudent. Psychom. *Telorum nimbos.* Claud. in Seren. *bellica nubes.* Innumera hæc. Nota verò elegantissimam commutationem metaphorarum. Quemadmodum res tempestatis traducuntur ad rem belli, ita conuersim. nam Pindar. Od.6. Pyth.

Procella, de hostibus. B

Commutatio metaphorarum.

Χειμέριος ὄμβρος ἐπακτὸς ἐλθὼν
Ἐριβρόμου νεφέλας στρατὸς ἀμείλιχος:
Hybernus imber cum impetu superueniens,
Horrisonæ nubis exercitus implacabilis.

vbi tempestatem vocat στρατὸν, *exercitum*.

19. DVM DETONET.] Florus lib.4.c.2. etiam in re belli. *Syllana tempestas latiùs, intra Italiam tamen, detonuerat.*

Detono, in re belli.

[a] Quò moriture ruis? maioráque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. nec minùs ille
Exultat demens: sæuæ iámque altiùs iræ
Dardanio surgunt ductori, extremáque Lauso
Parcæ fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Æneas iuuenem, totúmque recondit.
Transiit & parmam mucro, leuia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neuerat auro,
Impleuítque sinum sanguis. tum vita per auras
Concessit mœsta ad manes, corpúsque reliquit.
[b] At verò vt vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans grauiter, dextrámque tetendit:
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.
Quid tibi nunc miserande puer pro laudibus istis?
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: téque parentum
Manibus, & cineri (si qua est ea cura) remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis. increpat vltrò
Cunctantes socios, & terra subleuat ipsum
Sanguine turpantem comptos de more capillos.

C

ARGVMENTVM.

Increpat Æneas Lausum, qui volens ad mortem ibat, hic ferocius exultat, atque interficitur, laudatur ab Ænea, & donatur sepultura.

EXPLICATIO.

[a] GENEROSE admodùm hæc Æneas, vt qui nolit facilem gloriam & degenerem. Cur (inquit) ruis ad mortem certissimam? sunt hæc viribus maiora.

maiora. Pius es in patrem, sed tibi incautus. Ille dementiùs exultare, Æneas sæuiùs irasci. Pulcherrimè hoc Poëta, vt detur occasio occidendi Lausi, nulla enim fuisset Æneæ gloria, si sæuiret in iuuenem, nisi irritatus, & penè adactus. Ergo iam Parcæ afferebant exitum misero Lauso: nam Æneas per medium iuuenem ensem exigit, condit totum, transfigit parmam, & tunicam: iuuenis sanguine totus perfunditur, & tandem cedit vita. hæc historia. Sed tu vide, vt exornet eam Poëta miris affectibus, & penè ad lacrymas. Quale est audire, iuuenem indignum morte perire causâ pietatis, & medium scindi? quale illud de aurea tunica, & neta à matre non sperante hunc exitum? Illud, *leuia arma minacis*, explica cum respectu ad Lausum, vt *minacis* sit minitantis & exultantis iuuenis. Nam, vt ad Ænean referas, prorsus abnuo.

b Sequuntur maiores adhuc affectus à moriente iuuene, à pallente vultu, ab miserante Ænea. quippe subiit, quid ipse sentiret, si Ascanius tale quidpiam pateretur. Ergo in tanta animi commiseratione concedit id, quod potest, nimirum iuuenem sepulturæ, & ipsi arma, indignè putans spolia detrahi. Addit etiam gloriam iuueni à se victore. Est enim gloriosum cadere sub nobili & forti hoste. Quin (vide pietatem) ipsemet subleuat defunctum à terra, & cunctabundis sociis tradit ad sepulturam. Non pedem imprimit defuncto, vt Turnus Pallanti; nullam infert contumeliam, & verè in hostem est pius. Nolui integra expendere, ne inquinarem.

Notæ.

Imitatio Virgilij. 1. Qvo moritvre rvis? &c.] Similia Memnon apud Calab. lib. 2. detrectans certamen cum sene Nestore,

Ἀλλ' ἀναχάζεο τῆλε μόθου, ζυγοῖο τε φέρτερο,
Χάζευ, μή σε βάλοιμι καὶ οὐκ ἐθέλων περ ἀνάγκῃ·
Sed tu facesse ab strage, & cæde horrifica:
Facesse, ne te feriam vel inuitus & nolens.

& Amycus apud Valer. 4. Arg. qui ad Pollucem,
Quisquis es infelix, celera puer, &c. ———

Audere maiora viribus. 2. Maioraqve viribvs avdes.] Ioan. Chrysost. Orat. & Sept. fratrib. Machab. τί ποτε τοῦτο καινόν; τὴν ἄχρηστον ἡλικίαν πρὸς τὰ ἀγωνίσματα εἰς τὰ σκάμματα ἄγεις; *Quid hoc noui est? ætatem ad certamen inutilem ad prælium ducis?* Præclarè dixit Quintil. Declam. 315. *Rudes annos cum grauissimo hoste acerbissimo in prælio componere.* Est summa stultitia aggredi, quod vires nequeant. Inde præceptum Horatij in re Poëtica ad Pisones:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. ———

Et Propert. præclarè Eleg. 9. lib. 3.
Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus.

3. Fallit te incavtvm pietas tva.] Huc allusum ab Stat. lib. 3. Sylu. & *Lydi pietas temeraria Lausi.*

Adolescentia demens est. 4. Exvltat demens.] Quippe iuuenis, & cui non satis ἔμπεδος νόος, vt Hom. loquitur, *mens firma.* Possis Lauso accinere illud Iliad. 23. νέον νίκησε νόημα: *iuuenem iuuentus decepit*, id est, explicante ibid. eodem Hom. περίφρων, καὶ ἀφρων: *leuis, & stolidus.*

Ira vnde proueniat. 5. Altivs iræ svrgvnt.] Notat Germ. indicari Physicam iræ rationem, quæ cùm procedat ex feruente & ebulliente circa cor sanguine, factum, vt Poëta dixerit, altiùs iras surgere. Vide me ad illud huius lib. suprà,

Haud tulit Æneas tanto feruore furentes.

Et hîc adiicio Calab. qui lib. 3. de irato Achille,
———ἀμαιμάκετος ἐνὶ γυίοις
Ζέεν αἷμα κελαινὸν, ἐελδόμενον μάχεσθαι:
——— *in membris indomitis*
Ater sanguis feruebat, pugnare cupientis.

Ergo, ab hoc feruore iræ altæ, & surgentes.

6. Extremaqve Lavso Parcæ fila legvnt.] Calab. lib. 3. instante iam morte Achillis, Fila Parcarum.
Ἤδη γὰρ οἱ Κῆρες ἀμείλιχοι ἀμφεποτῶντο:
Iam enim circa ipsum Parcæ tristes circumuolabant.

Eodem lib. μοῖραι ἐπικλώσαντο, *Parcæ agglomerabant.* Pulcherrimè ait idem lib. 11.
Κῆρες ὁμῶς φορέοντο βελέμνῳ: ———
Ferebantur Parcæ vnà cum telo. ———

Nonnus lib. 32.
Πανσυδὶ δ' ἐνὶ ἐπέτειαν ὁμόζυγοι εἰς λίνα μοίρης:
Castruatim labebantur coniuncti in fila Parcæ.

In lib. 3. Epig. ad verbum, ὕστατα μοίρης λίνα: *extrema Parcæ fila.* iterum, παρ' ἐσχατίης λίνα μοίρης: *ad extrema Parcæ fila.* Claud. 2. Eutrop.
Tandem fila tibi neuerunt vltima Parcæ.

Sil. lib. 4. *non dabat vltrò Clotho dura*, &c. Tale & illud veteris Poëtæ apud Tull. 2. Tusc. vbi clades dicitur *glomerata*, id est, neta, à Parcarum glomere. & Ouid. Metamorph. 10. *fata retexere*, pro vitam de nouo inchoare. & Calab. lib. 11. μοῖρα μακρὸν βίου τέλος ἐκλώσαντο. Glomerata clades. Retexere fata.

7. Exigit ensem.] Græci vberes sunt in hac re efferenda. In vno Homero inuenies, ἐξεπέρησε, διαπρὸ περ, ὦσε, & ἐνέσε φάσγανον, ὦσε δ' ὑπὸ ξίφος, δῦ, πρὶ, ἔλασε, ἤλασε, ἐξήλασε. Exigere ensem.

8. Totvmqve recondit.] Talem ictum, cùm scilicet gladius integer figitur, explicat Poëta illo versu, *capulo tenus abdidit ensem.* & Hom. 16. Iliad. πᾶν δ' ὑπεθερμάνθη ξίφος αἵματι: *totus gladius incaluit sanguine.* ibid. πᾶν δ' εἴσω ξίφος: *totus ensis intrò penetrauit.* Gladius integer fixus.

9. Transiit et parmam mvcro.] Frequentissimè Hom. ἔγχος ἦλθε δι' ἀσπίδος. Ita enim suos Heroas inducunt Poëtæ, vt non arma resistant illorum ictibus. Apud Calab. lib. 3. Achilles ducem quendam interficiens, mucro eius priùs transiit cassidem, mox cerebrum. Heroum ictus.

10. Levia arma.] Allusum proculdubio ad militem velitem, cui erat parma. & talem fingit Poëta Lausum. Nam parma breue fuit scutum. Vti explicandus Polybij locus, qui parmam facit vltra modum, lege Lipsium. Doctrinam reliquam, quæ de parma est, iam ego locis aliis. Leuia arma. Veles.

11. Molli mater qvam neverat avro.] Hoc affectu Stat. 9. Theb.
Ipse bis Oebalio saturatam murice pallam,
Lucentesq́; auro tunicas (hoc neuerat vnum,
Mater opus) tenus collectus in ilia vinclo.

12. Implevitqve sinvm sangvis.] Ex Hom. 20. Iliad. μέλαν αἷμα κόλπον ἐνέπλησεν: *niger sanguis impleuit sinum.* Imitatio.

13. Anchisiades.] Non pro libidine, sed ex iudicio, quia statim dicturus, Virgilij iudicium.
Et mentem patriæ subiit pietatis imago.

14. Vita per avras concessit ad manes.] Quasi volaret anima. quod clarè Cal. lib. 3. ψυχὴ δὲ κατ' ἄϊδος ἐξεπετάσθη, *volauit anima ad Plutonem.* & lib. 11. πτάτο θυμός, *volauit animus.* Nonnus lib. etiam 11. ὑπέπτατο θυμὸς ἀλήτης. Sed imitatio tota est ab Hom. qui de Patroclo lib. 16. Iliad. Volatus, de anima.
Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει:
Anima è membris volans ad infernum descendit.

Sed Noster rectiùs volatum per *auras* intellexit, vt Stat. 11. Theb. *fugit in vacuas iam spiritus auras.*

15. Con

Imitatio

15. CONCESSIT MOESTA AD MANES.] Hic versus, in quo est mœstitia animæ, & verbum *relinquit*, videtur tactus ab illo Homerico Iliad. 16. vbi anima mortui Patrocli descendit ad Plutonem,

ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην

Suum fatum lugens, linquens virilitatem, & iuuentutem.

Lacrymæ in ducibus.

16. INGEMVIT MISERANS GRAVITER.] Pietas magni ducis. Talem scis esse magnum Alexandrum, & Paulum Æmil. De illo Curt. lib. 5. *Ad corpus demortui (Darij) perueniens, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est.* De hoc Liu. lib. 45. *Illacrymasse dicitur sorti humanæ, quòd qui paulo antè,* &c. Sermo est de Perseo Rege Macedonum. Hom. 5. Iliad. sed non de hoste,

Τὸν δὲ πεσόντ' ἐλέησε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος:

Hunc autē cadentē miseratus est bonus bello Menelaus.

Ingemo.

Τὸ *ingemuit grauiter* est, quod Cal. lib. 1. μέγα δ' ἄχνυτο. & ἀλίαστον ἀνεστένε θυμῷ. & lib. 3. ἀκαχήμενος, & ἀχνύμενοι κῆρ θυμόν. & ἀλίαστον πένθος ἄεξον. atque etiam ἀλεγεινὸν ἐπὶ κραδίην πέσεν ἄλγος. & οἰκτρὸν ἐστονάχησεν. item στυγερῷ βεβολημένος ἦτορ ἄχει Homer. 18. Iliad. σμερδαλέον δ' ᾤμωξεν.

Imitatio.

17. SVBIIT.] Aliqui hic legunt *strinxit*, fortasse quia sup.

Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.

Hom. vlt. Iliad.

—τῷ δ' ἄρα πατρὸς ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο:

—huic patris desiderium commouit luctu.

Laus, non sumitur pro virtute.

18. PRO LAVDIBVS ISTIS.] Id est, pro *virtute*, vt volunt aliqui. Ita accipiunt illud 1. Æneid. *sunt hic sua præmia laudi.* & 5. *primam merui qui laude coronam.* vt velint. Ego ab istis longè. Aliud est enim sequi ex virtute laudem, & hoc volunt hæc loca: aliud laudē significari virtutem, & hoc est ἄτοπον. Sunt in his rebus peccata enormia.

19. ARMA, QVIBVS LÆTATVS, HABE.] Donat arma ad sepulturam. Sic Græci Penthesileam mortuam remiserunt ad Troianos σὺν τεύχεσι. *cum armis.* Exornaui iam in hoc libro locum similem. Quippe Virg. non semper spolia detrahit, præsertim in sermone Æneæ; Heroëm suum hac laude ornans, iuxta illud Plat. 5. Polit. ἀνελεύθερον δ' οὐ δοκεῖ, καὶ φιλοχρήματον, νεκρὸν συλᾶν; *Nónne illiberale est, & plenum auaritia, mortuum spoliare?* Laudatur Themistocles à Plut. qui dux, cùm cerneret hostium cadauera plena armillis, & aureis torquibus, dixit cuipiam se comitanti, ἀνελοῦ σεαυτῷ, σὺ γὰρ οὐκ εἶ Θεμιστοκλῆς: *tolle ea tibi, tu enim non es Themistocles.* Si quando verò Æneas inducitur deprædans hostem, id fit cum decoro, aut causâ religionis, vt excitetur trophæum.

Mortuos spoliare, est illiberale.

Manes nulli ex opinione Ethnicorū.

20. MANIBVS ET CINERI, SI QVA EST EA CVRA.] Sæpissimè Poëtæ cum hoc cautu, ex vagante Ethnicorū opinione, qui nihil esse post vitam putabant. Soph. Elect.

—ὥστε τῷ τεθνηκότι

Τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις:

—vt mortuo

Honorem tribuam, si qua ibi (apud inferos) *gratia.*

Cal. lib. 3.

—μέγα κῦδος ὀρέξαμεν καὶ αὐτῷ

Ἕκτορι, εἴ γέ τις ἐστὶ καὶ εἰς Ἄϊδος ἀνθρώποισιν

Ἢ νόος, ἠὲ θέμιστες:—

—magnam dabimus gloriam ipsi

Hectori, si vlla est apud inferos hominibus

Aut mens, aut respectus iuris.—

Manes & cinis.

Notetur sæpe à Virg. coniungi *manes*, & *cinerem*, vt hoc loco, & lib. 4.

Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

Cerda in Æneid. tom. 2.

Iterum:

Nec patris Anchisæ cineres, manésue reuelli.

Quia videlicet putabant veteres manes vnà cum cineribus includi. Inde Prop. Eleg. 3. lib. 2.

Deinde vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,

Accipiat manes paruula testa meos.

Et Eleg. 5. lib. 4. malum imprecans, *Nec sedeant cineri manes.* Scio non fuisse perpetuam hanc veterum doctrinam, nam Ouid. cùm hominem diuidat in partes quatuor, *manes, carnem spiritum, vmbram,* sic subiicit,

Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra,

Orcus habet manes, spiritus astra petit.

Sed de hac re iam ego vberiùs lib. 6. Æneid.

Mori sub magno hoste solatiū.

21. ÆNEÆ MAGNI DEXTRA CADIS.] Quæsita hæc multis gloria, ita vt hoc vnum esset solatio. Terra apud Ouid. 2. Metamorph. vsta ignibus Phaëthontis, ita ad Iouem.

Si placet hoc, meruique, quid ô tua fulmina cessant

Summe Deûm? liceat perituræ viribus ignis

Igne perire tuo, cladémque auctore leuare.

Claud. 4. Cons. Hon.

Profuit hoc vincente capi, multósque subactos

Aspera laturæ commendauere catenæ.

Martial. lib. 2. ad leporem,

Desperanda tibi est ingentis gloria fati,

Non potes hoc tenui præda sub hoste mori.

Cognata superiori Claudiani loco verba Plut. orat. 2. de fortuna Alexand. μακαριώτεροι τῶν διαφυγόντων Ἀλέξανδρον οἱ κρατηθέντες γενόμενοι: *victi ab Alexandro beatiores fuêre, quàm hi, qui illum subterfugerunt.* Apud Val. 3. Arg. ita audies,

—occumbes, i nunc, ait, Herculis armis

Donum ingens, semperque tuis memorabile fatis.

Est & huius rei locus elegans apud Aristid. orat. de Concordia ad ciuitates Asiaticas. ὡς τὸ μὲν τῶν οὐδενὸς ἀξίων ἔμπροσθεν εἶναι, σεμνὸν οὐδέν. ἡ δὲ πρὸς τοὺς ἐλλογίμους ἅμιλλα, κατ' ἀμφότερ' ἀσφαλής, καὶ γὰρ νικῶντι καλὸν τὸ σχῆμα τῆς φιλοτιμίας. κἂν ἄλλο τι συμβαίνῃ πάρεστιν ἡ παραμυθία: *Nihil dignum est, si quis stet contra nullius pretij hostes, verùm cum præstantibus suscepta contentio, in vtramque partem tuta est. Nam & victoria insignem habet gloriam; &, si quid secus acciderit, adest consolatio.* Itaque Virgilius *solabere mortem.* Præclarè Cassiodorus libro octauo, capite decimoquinto: *Pudorem non habet victis, cuius votum contingit à Principe superari velle.* Contrà magnum erat dedecus vinci & cadere ab hoste ignobili: aut ignauo. Cuius rei elegans exstat Phædri fabella, de leone moriente, & tunc petito ab asino, quam ascribere propter elegantiam non grauabor. Ea est talis:

Hostis ignobilis, magna miseria.

Defectus annis, & desertus viribus

Leo cùm iaceret spiritum extremum trahens,

Aper fulmineis ad eum venit dentibus,

Et vindicauit ictu veterem iniuriam.

Infestus taurus mox confodit cornibus

Hostile corpus. Asinus vt vidit ferum

Impunè lædi, calcibus frontem exterit.

At ille exspirans, fortes indignè tuli

Mihi insultare, te naturæ dedecus,

Quod ferre certè cogor, bis videor mori.

Ab dictis in hoc cursu non abeunt illa Claud. Bell. Get.

Auferet ignauus clari solatia lethi?

Neque illa Valer. Flacc. 3. Argonaut. *me nunquam letho dignatus & armis.* Hoc doluit Theseus apud Sen. in Furen.

—hanc feret virtus notam,

Fidaque summus hostis Alcidæ Lycus.

Dolet videlicet perire Herculem fortissimum ab Ly- A co ignauissimo.

22. ET TERRA SVBLEVAT IPSVM.] Par illud 5.Æneid.

Æquæuúmque ab humo miserans attollit amicum.

23. SANGVINE TVRPANTEM,&c.] Mouet affectus ab puero, qui inducitur ᾐκισμένος, passúsque indigna: aut, vt loquitur Demosth. contra Mid. προπεπηλακισμένος, καὶ ὑβρισμένος.

> [a] Interea genitor Tyberini ad fluminis vndam
> Vulnera siccabat lymphis, corpúsque leuabat
> Arboris accliuis trunco: procul ærea ramis
> Dependet galea, & prato grauia arma quiescunt.
> Stant lecti circum iuuenes: ipse æger, anhelans
> Colla fouet, fusus propexam in pectore barbam.
> [b] Multa super Lauso rogitat, multósque remittit
> Qui reuocent, mœstíque ferant mandata parentis
> At Lausum socij exanimum super arma ferebant
> Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.
> [c] Agnouit longè gemitum præsaga mali mens,
> Caniciem immundo deformat puluere, & ambas
> Ad cœlum tollit palmas, & corpore inhæret.

ARGVMENTVM.

[a] Affertur filius ad patrem mortuus.

EXPLICATIO.

[a] OMNIA sunt ad affectum potissima, dum natus pugnat pro patre, pater quiescit, ille pro patre moritur, hic viuit filij opera: ille habet capillos turpatos sanguine, hic siccat vulnera & cruorem: ille iacet in scuto mortuus, hic corpus leuat innixus trunco arboris. Deince vide, vt tragica omnia appareant. Nam galea è ramis pendet, clypeus in terra iacet, iuuenes stāt, dux ipse anhelat præ ægri- C tudine, & *fouet colla*, videlicet sustinens se trūco arboris; barba, quæ propexa, fusa est toto pectore.

[b] Optimè explicat solicitudinem patris pro filio. Nam *rogitat* frequentatiuo: & non *mittit*, sed *remittit*, vt multos intelligas. Ad hæc, *qui reuocent*, *qui ferant*. Posses accinere Mezentio illud Senecæ Rhet. Controu.8. *quousque pauidus præliorum nuntios expectabo?* de patre videlicet solicito, bellante filio. Sed vide alternantem fortunam. Ille tot ad natum mandata, & natus tum super arma defunctus ferebatur. Sed & quot πάθη in eo versu,

Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.

[c] Quem non moueant isti, qui sequuntur, affectus? Diuinauit pater filij exitum, ac tunc cœpit iniecto puluere caniciem deformare, vt sit iam similis capillis nati deturpatis cruore. Ad hæc, quasi Deos D incusans palmas ad cœlum tendit, mox defuncto nato aduoluitur, & hæret vulneribus. Quæ hæc species?

NOTÆ.

1. VVLNERA SICCABAT LYMPHIS.] Vide acumen. Aquæ, quæ verè rigant, hîc siccant. Petitum hoc è media Philosophia. Sistitur enim fluxus san- B guinis contactu aquæ frigidæ. Tale medicamentum etiam lib.12.

Fouit ea vulnus lympha longæuus Iapix.

In quo tamen versu ego capio calidam. Vide ibi Sil.lib.5.

Mulcebat lympha purgatum sanguine vulnus.

Hippocrat. de Aër. & Loc. Aquos. aquis dat, ξηραίνειν, *siccare*. & lib. de Affectionibus ait, frigida conferre ad inflammationes, πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα ξυμφέρει τὸ ψυχρόν. Atqui vulnera nónne inflammata? Hinc ego puto, apud Græcos natum, vt verbum ψύχειν, quod propriè est *frigefacere*, aut *refrigerare*, sit etiā *siccare*, quia siccant, quæ frigida. Apul. lib. 8. de re Virgilij: *cruorem præterfluentis aqua rore diluere*. Patroclus tamen vndecimo Iliados lauat vulnus Eurypyli ὕδατι λιαρῷ. C *aqua tepida*. Sed hoc ad auertendum dolorem, vt explico libro duodecimo. Quæris imitationem? sumpta fortasse ab illo 16. iliad. ἀπὸ δ' ἕλκεος ἀργαλέοιο αἷμα μέλαν τέρσηνε, id est, Phœbus *siccauit atrum sanguinem ab difficili vulnere*. Vel ab illo 11. Illiad.

Αὐτὰρ ἐπεὶ τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα:

Sed postquam vulnus siccatum est, cessauitque sanguis.

Τὸ *siccabat* respondet & adducto τέρσηνε, atque etiam verbo poëtico ὀμόργνυμι, quo vsus Homer. Iliad. 18. δάκρυ' ὀμορξαμένην, *siccantē lacrymas*, subaudi, feminā.

2. ARBORIS ACCLIVIS TRVNCO.] Possit putare aliquis perlustratos Homeri versus lib. 5. Iliad. (putauit certè Vrs.) vbi Sarpedon percussus sistitur ὑπὸ φηγῷ. Ab Homero Nonnus lib. 29. vbi dilectus Baccho adolescens, percussus in bello, sistitur à Baccho παρὰ γείτονι φηγῷ: *apud vicinam fagum*. D Simile quiddam vsurpat & lib.30. Legunt aliqui (in his Turn. lib.3. c.19. Germanus, Lambinus, nec non alij) non *accliuis*, sed *acclinis*, vt dicat, acclinatus est trunco arboris. Sed defendo vulgatam lectionem (quamuis ista exigua sint) vt dicat *accliuis*, id est, erectus in gradus adminiculo arboris, nam ipse corpúsq; *leuabat*. Atqui *accliue*. i. προσάντης, de ascensu dicitur, vt 2. Georg. Accliue.

Sin tumulis accliue solum, collésque supinos.

Sed quid si in Virg. legendum, nō *leuabat*, sed *lauabat*, Lauare. lectio Virgiliana. vt dicat inclinatum trunco lauisse corpus? Inducor in hanc coniecturam, tum quia hîc nulla necessitas

sur

surgendi: cùm se à vulnere recreabat, donec postea surrexit ad vindictam nati: tum quia Stat. 10. Theb. veluti ad imitationem Virg.

——liceat misero tremebunda lauare
Vulnera, & vndantem lacrymis siccare cruorem.

& 11. Iliad. Patroclus lauat cruorem. Eurypid. tepida aqua, ἀπ' αὐτοῦ δ' αἷμα κελαινὸν νίζ' ὕδατι λιαρῷ.

Arma, de scuto.

3. GRAVIA ARMA.] Accepi de scuto tantùm, nam statim,

At Lausum socij exanimum super arma ferebant,

id est, super scutum. Deinde illud Epigrãmatis, quod extat de Thrasybulo, quodq; ego postea afferam, in quo est, Thrasybulum portatum mortuum ἐπ' ἀσπίδος, id est, *in clypeo*, Ausonius ita reddit,

Arma superuehitis quòd Thrasybule tua.

Leuia, & grauia arma opponũtur.

Tertiò, quæsita oppositio: nam de Lauso *leuia arma* dixerat, id est, leuem parmam, cum respectu ad militem velitem; & nunc de patre *grauia arma*, cum respectu ad grauem armaturam. Hinc discat iuuenis capere *arma* simpliciter pro scuto.

4. STANT LECTI CIRCVM IVVENES.] Tale illud 4. Iliad. ἀμφὶ δ' αὐτὸν ἀγηγέραθ' ὅσσοι ἄριστοι κυκλόσε: *erant circum ipsum congregati quotquot optimi.*

Anhelitus.

5. ANHELANS.] Hom. sæpe, ἀσθμαίνων. Et quidem Mezentius ἐκ θυμὸν ἀργαλέου ἠγ. ἀσθμ᾽ ἀμπνείων, vt loqueretur Calab. lib. 1. *à difficili cæde, & Marte respirabat.* & Valer. 4. Arg.

Tunc fessas posuêre manus tunc arida anheli
Pectora.——

Fusa barba.

6. FVSVS PROPEXAM IN PECTORE BARBAM.] Stat. 6. Theb. *tergóque & pectore fusam Cæsariem.* Val. 2. Arg. dixit, *effusis crinibus.* Ouid. 1. Fast.

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam.

Iuuenal. Sat. 13. *propexis in pectore barbis.*

Mortui referuntur in scuto.

7. SVPER ARMA FEREBANT.] Illustraui hunc morem suprà in hoc libro, & adiicio illud Lacænæ, quæ, cùm filio præberet ἀσπίδα, *clypeum*, adiecit; ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, verba sunt Plutarch. de Instit. Laced. *aut hunc, aut super hunc.* Quam sententiam ita leges apud Auson.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc (inquit) aut in hoc redi.

Procedunt ista ex Lacænarum virtute, quas dictas ἀνδρόπεις, non γυναῖκας, Hesychius refert. Sed redeo ad morem. Plutarchus in Apophthegmat. Laconic. vbi agit de excelso animo, quo Tynnichus Thrasybuli filij mortẽ tulit, scribit exstare Epigramma in laudem ipsius Tynnichi, cuius hoc est primum distichon,

Τὰν Πιτάναν Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος.

Vide versiones Ausonij, Xilandri, Raphaëlis, & hanc meam,

Mortuus in clypeo Thrasybulus ab agmine venit,
Qui tulerat septem vulnera pro patria.

Clypeus ad sepulturam.

Scias hîc ex Euripid. in Troadib. morem alium huic coniunctũ, videlicet solitos etiam defunctos sepeliri in clypeo. Id Tragicus ibi satis prolixè. Audi & quidpiam non vulgare, quod me Nonnus docet lib. 41. Dion. Forrasse institutum illud educẽdi mortuos in clypeo, cui tãtopere hæserunt Laced. natũ ab illorũ ortu. Excipiebantur enim infantes, non manibus, vt apud alias nationes, sed scutis. Versus Nonni.

Lacedæmonij infantes clypeo excipiebantur.

——Λακωνίδες οἷα γυναῖκες
Τίκτουσιν υἱέας ἐπ' εὐκύκλοιο βοείας:

——Laconicæ vt mulieres
Filios pariunt super bene circulato scuto.

Hinc natum, vt vellent debere esse parem vitæ exitum.

8. INGENTEM, ATQVE INGENTI VVLNERE.] Reddidit ea ratione, qua patitur Latium, illud Hom. Iliad. 16. κεῖτο μέγας μεγαλωστί. *Ingens ingenti.*

9. AGNOVIT LONGE GEMITVM.] Sil. lib. 5.

Quos vbi conspexit tristi clamore ruentes
Ductor præsago percussus pectora luctu.

De Venere Ouid. 10. Metam. *agnouit longè gemitum morientis*, &c.

10. PRÆSAGA MALI MENS.] Stat. 5. Theb. *iam certa malorum Mentis ab augurio.* Curt. lib. 3. *diuinatio animi præsagientis.* Val. 1. Arg. *Præsagium mentis.*

At subitus, curáque ducem metus acrior omni,
Ménsque mali præsaga quatit.——

Claud. Bell. Get. simili sententia,

Sed melius interpres rerum metus omne trahebat
Augurium peiore via.——

Prædicant quippe omnes diuinitatem præsagientis animi, præsertim in re mœsta. Auctor Thebaidos, *magna præsagit mala paternus animus.* Euripides Andromach. πρόμαντις θυμός. Iosephus capite vigesimo libri primi Bell. Iudaic. προμαντευομένης ἤδη καθ' ἑαυτὴν τῆς ψυχῆς. Philo lib. de Cherub. ἤκουσα δέ ποτε καὶ σπουδαιοτέρου λόγου παρὰ ψυχῆς ἐμῆς εἰωθυίας τὰ πολλὰ θεοληπτεῖσθαι, καὶ περὶ ὧν οὐκ οἶδε μαντεύεσθαι: *Quin & doctius quiddam audisse memini à mea anima, quæ nonnunquam diuino spiritu correpta solet nè sibi quidem nota prodere oracula.* Sed signatiùs ad Virgilium Æschylus in Pers. κακόμαντις θυμός, *animus malorum augur.* & Philo idem in Flaccum: μαντικώτατον γὰρ ἡ ἑκάστου ψυχή, καὶ μάλιστα τῶν ἐν κακοπραγίαις: *est anima admodum præsaga, præsertim in aduersis.* Homerus decimooctauo Iliad. ὄσσοντο γὰρ ἄλγεα θυμῷ: *præsagiebant enim dolores animo.* Hoc verbum ad præsagium Homerus refert, vt cùm ait alibi, ὄσσετο δ' ὄλεθρον. Inde & verbum ὀσσεύομαι, aut ὀττεύομαι, de vaticiniis. Diuinantis animi causam ad Solem refert Ammian. libro vigesimoprimo his verbis: *Sol enim mens mundi nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans, cùm eas incenderit vehementius futuri conscias reddit.* & firmat. Nam *Sibyllæ crebrò se dicunt ardere, torrente vi magna flammarum.* *Anima malorum præsaga.* *Animus augur malorũ.* *Sol causa diuinationis.*

11. CANICIEM IMMVNDO DEFORMAT PVLVERE.] Hunc morem in luctu, & dolore multi attigerunt. Euripides Supplic. de flentibus, ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρα κεχύμεθα: *fundimus puluerem circum caput.* Aristippus apud Heliodorum libro primo Hist. Æth. capiti suo aspergit puluerẽ. Græci apud Cal. lib. 3. lugẽtes mortem Achillis, ἤχυναν ἄσπετον ψαμάθοισι κάρηνα: *pulueribus turpabant affatim capita.* De Iustino Imperatore, ad nuntium euersæ Antiochiæ terræ motu, scribit Auctor Miscellæ lib. 15. *Præ dolore sacco induitur, aspergitúrque cinere, exutus purpura & diademate.* Stat. 6. Theb. *Caput inquinare puluere.* *Cinis in dolore.*

——squallentiáque ora
Sparsus, & incultam ferali puluere barbam.

Val. 3. Arg. *multáque comas deformat arena.* De Electra Claud. 3. Rapt.

Tum laceras effusa comas, & puluere cano
Sordida sydereæ raptus lugebat alumnæ.

De dolente Dauide Saluian. lib. 4. *sacco squallidus, fletu madidus, cinere sordidatus.* Quin cinerem edere solitos in dolore mortales apertè ait Ioannes Chrysostomus Hom. de Orat, nam inter reliquas doloris notas ait, σποδὸν τέφραν ἐσθίειν.

12. AMBAS TENDIT PALMAS.] Ad verbum Homer. Iliad. 14. Χεῖρε πετάσσας ἀμφοτ. *Manus tendere.*

13. ET CORPORE INHÆRET.] Similis species Euand. lib. 11. super defuncto nato: *Hærere mortuis.*

Procubuit super, atque hæret, lacrymansq́, geménsque,

Et Phœnicis apud Calab.lib.3.qui fusus super cadauer Achillis mortui, ἀμφιχυθεὶς (ait) δέμας. & Græci alij inducuntur,

εἰλόμενοι περὶ νεκρὸν ἀμύμονος ἄνακτος:
Voluitantes se ad cadauer optimi Regis.

Apud Hom. quoque Achilles ipse hæret defuncto Patroclo, libro decimooctauo Iliad. χεῖρας θέμενος A στήθεσιν ἑταίρου, *manus admouens pectori amici.* Tale & illud Albinou.ad Liuiam, *artus complector inanes.* Sic & Anna 4. Æneid.

Semianiméemque sinu germanam amplexa fouebat.

Et Eurip. Suppl. sub persona dolentis matris,

Νέκυ' ἀμφιβαλεῖν λυγρὰ μέλη παιδός γ' ἐμοῦ:
Filij mei amplecti membra misera ac mortua.

[a] Tantáne me tenuit viuendi nate voluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,
Quem genui? tuáne hæc genitor per vulnera seruor
Morte tua viuens? heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix, nunc altè vulnus adactum.
[b] Idem ego nate tuum maculaui crimine nomen
Pulsus ob inuidiam solio, sceptrísque paternis
Debueram patriæ pœnas, odiísque meorum:
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.
Nunc viuo, neque adhuc homines, lucémque relinquo;
Sed linquam. [c] simul hæc dicens attollit in ægrum
Se femur: & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud deiectus equum duci iubet. hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus: alloquitur mœrentem, & talibus infit,
[d] Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus vlla est)
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausíq; dolorum
Victor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter: neque enim fortissime, credo
Iussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.

ARGVMENTVM.

Querela patris conijcientis in se culpam de morte filij: tum etiam virtus, cùm æger & saucius in hostem pergat. eiusdem ad equum suum sermo.

EXPLICATIO.

[a] ORATIO plena magnis affectibus, & in qua nihil molle aut fractum. Poëta imperitus flueret istis affectibus: *Tu lux mihi, tu oculus senectutis, tu ætatis meæ ἕρκος* (vt loquitur sæpe Hom.) *tu debuisses mihi oculos claudere*, & similibus. Sed isti affectus decent Euandrum, aut matrem Euryali; non Me- C zentium ferum, & barbarum. Sed iam ad rem. Adscribit sibi in primo versu vitium (Græci dicunt φιλοψυχίαν) mollissimorum hominum, quī habent retinendæ vitæ plus iusto cupiditatem. Secundus versus respicit illud de Lauso, *Æneæ subiit mucronem*, nam hoc est, *hostili dextra succedere.* In tertio magna conquestione, *Quem genui?* quasi hoc nouum. Patres enim sæpissimè periculum vitæ adierunt pro liberis, non ita liberi pro patrib. & ideo pergit pari admiratione, *tuáne hæc genitor per vulnera seruor Morte tua viuens?* quasi hoc rarò visū. Et nota varia πάθη: nam *hæc* δεικτικῶς, & *vulnera* ad inuidiam Æneæ, vnicum enim tantùm vulnus erat. Addit etiam, *heu misero mihi*, &c.

B quasi dicat: Nullum esse putabam meum olim exilium, nullum nunc vulnus ab Ænea acceptum: at, te mortuo, iam exilium mihi visum est *infelix*, iam *vulnus altè adactum*, cùm tamen lethale non fuerit.

[b] Doluit hactenus mortē filij, nunc iā infamiam, quam filio aspersit, quasi hæc grauior omni morte. *Meo crimine tuum nomen maculaui*, quia patrum crimina redūdant in filios: & quia dixerat *meo crimine*, addit corrigens, *pulsus ob inuidiam.* Sed statim redit ad viam doloris, cùm ait, *Debueram patriæ pœnas*, &c. quasi dicat: Quicquid sit de meo crimine, verúmne, an falsū; sed certè ego *debueram pœnas patriæ, & odiis meorum*, non tu, ô Lause. *Omnes per mortes*, &c. id est, vtinam expertus essem mortes omnes, priusquàm tuam cernerem. Atqui meo malo fato *nunc viuo, nec adhuc homines, lucémque relinquo.* Se mox ad mortem firmat, *sed linquam.*

C [c] Quæ voce dixerat, confirmat factis, pergítque ad mortem, & ideo *attollit se in ægrum femur*, nec tardatur vulnere, quod altū, nec animum deiicit. Itaq; neque corpore est, neq; animo deiectus. Ergo iubet *duci equū* ad se, qui illi *decus* erat, & *solamen.* Ratio, quia *bellis hoc victor abibat omnibus.* Hunc itaque *mœrentem*, vide πάθος, ipse *alloquitur* hunc in modum.

[d] Oratio ad equum. Summa est, aut victoriam reportandam, aut pariter occumbendum: victoriam, interfecto Ænea, & ablatis spoliis, id est, armis Æneæ cruentatis Lausi sanguine: occumbendū, nā hoc potiùs decet fortissimū, quàm subdi ignauorū imperio. Nā, vt ignauos notari Troianos, Seru. hîc notat. Nota verò initio sententiā; *diu viximus*: nā malè viximus, & cum

cum dedecore, in fuga, in exilio: & illam, *res si qua diu mortalibus vila est*, quasi dicat. Mortales cùm simus, quid tandem diu esse potest? Demum aduerte, vt in tota oratione honestam mortem turpi vitæ antepo-nat. Illud, *aperit si nulla viam vis*, explicat Scal. si virtuti aduersus euentus est.

NOTÆ.

1. TANTANE ME TENVIT, &c.] Germana huic sententiæ illa Cassij apud Plut. in vita Bruti. Cùm n. Cassius amicissimum Titinnium interfectum putaret, etiamsi falsò, ita statim, φιλοψυχήσας ἀναμένων ἄνδρα φίλον ἁρπαζόμενον ὑπὸ τῶν πολεμίων ἰδεῖν: *Dum nimium vitæ sumus cupidi, sustinuimus amicum ab hostibus fuisse correptum.*

Vitæ voluptas misera. 2. VIVENDI VOLVPTAS.] Tale illud lib. 6. *quæ lucis miseris tam dira cupido?* Senec. Rhet. Suas. 7. dicit, mortalem vitam vilissimam esse partem hominis. De hac te quæ non obuia multorum loca?

Succedere idui. 3. HOSTILI SVCCEDERE DEXTRÆ.] Est hoc, quod sup. *subiit mucronem*. & quod Xen. 4. Pæd. ἀνέδυ ὑπὸ τὴν μάχαιραν, ὡς παίων πολέμιον. vbi ait, in altum ita sublatum gladium, vt hostis sub ictu esset.

4. TVANE HÆC GENITOR PER VVLNERA SERVOR.] Nestor apud Auson. in Epitaph. ita loquitur,

Obiecit sese cuius pro morte peremptus
Filius, & nati vulnere viuo pater.

5. NVNC ALTE VVLNVS ADACTVM.] Macrob. lib. 4. cap. 4. ita scribit: *Tacitè quoque, & quasi per definitionem pathos mouere solet: cùm res, quæ miserationem mouet, non dilucidè dicitur, sed datur intelligi, vt cùm Mezentius dicit, nunc altè vulnus adactum. Quid enim aliud ex hoc intelligendum, quàm hoc altum vulnus esse, amittere filium?* Sed misso Macrobio tu Poëtæ sermonem re-

Altè ferire. fer ad ludum gladiatorium, in quo *altè ferire* dicebatur, & *alta vulnera*.

Parentum clades redũdãs in filios. 6. MACVLAVI CRIMINE, &c.] Sæpissimè accidit, vt parentum clades in filios redundet. Audi Tacitum 16. Annal. *Quid Agrippino obiectum, nisi tristem patris fortunam? quando & ille perinde innocens Tiberij sæuitia concidisset.*

7. SED LINQVAM.] Visum aliis spectatum ad illud 17. Iliad.

——ἐπεὶ οὔ με θυμὸς ἄνωγε
Ζώειν, οὐδ' ἄνδρεσσι μετέμμεναι:——
——quando animus non me iubet
Viuere, neque esse inter mortales.——

8. ATTOLLIT IN ÆGRVM, &c.] Vides ægrum, & tamen euntem ad bellum pro filij cæde. Quadrant illa Cal. lib. 1.

Παιδὸς ἀποφθιμένοιο ποθὴ πάλι μῶλον ἄγεσκε
Πὰρ δύναμιν:——
Extincti filij amor in prælium trahebat
Præter vires.——

Vulnus altũ. 9. VIS ALTO VVLNERE TARDA.] Ita lib. 2. *& vulnere tardus Vlyssi.* Plutarch. in vita Luculli, κακῶς ὑπὸ τραυμάτων διακείμενος. Ouid. 10. Metamorph. *incessit passu de vulnere tardo.* Obijcies: quî hîc *alto vulnere*, cùm suprà de hasta Æneæ, quà hoc vulnus intulit, *viret haud pertulit?* Non certè vulnus altum, si hasta absque viribus. Solui potest, nam vulnus etiamsi altum, non ita tamen, vt Mezentium priuaret vita, ideo *vires haud pertulit*, id est, non fuit in hasta satis virium, quæ necessariæ ad mortem.

10. HAVD DEIECTVS.] Itaque nulla in homine ægro δυσθυμία.

11. BELLIS HOC VICTOR ABIBAT OMNIBVS.] Talis equus, de quo Pind. Od. 1. Olymp.

ὅτε παρ' Ἀλφεῷ σύτο, δέμας
ἀκέντητον ἐν δρόμοισι παρέχων,
κράτει δὲ προσέμιξε δεσπόταν:
Quando iuxta Alpheum concitus ferebatur, præbens ad cursum corpus non stimulatum, ac dominum victorem fecit.

Equus militaris. Talem equum πολεμήιον vocat Callimachus Hymn. Ceteris, & ἀεθλοφόρον: *bellatorem, reportatorem præmiorum.* Tales Achillis equi, qui ita loquuntur libro 19. Iliad.

Καὶ λίην σ' ἔτι νῦν γε σαώσομεν, ὄβριμ' Ἀχιλλεῦ:
Et te nunc adhuc seruabimus fortissime Achilles.

12. ALLOQVITVR MOERENTEM.] De luctu equorum dixi in Eclog. & dicam lib. 12. Hîc duo nota. Primum, crediram hanc feram præsentire & portendere dominorum suorum calamitates. Vnde hîc &

Equus præsentit cladẽ domini. equus *mœret*, quasi præsagio futuræ mortis Mezentij, & apud Hom. Iliad. 19. Xanthus Achillis equus ἤμυσε καρήατι, *nutauit capite*, quin

——πᾶσα δὲ χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν, οὖδας ἵκανεν:
——*omnisque iuba*
Circulo colli excidens iuxta iugum, ad terram peruenit.

Animarum transmigratio etiam in bruta. Quæ omnia in testificationem futuræ mortis Achillis. Alterum est, creditam Homero fuisse animarum transmigrationem, non solùm in corpora hominum, sed etiam brutorum: & hinc est, vt Hectorem inducat, Antilochum, & Achillem loquentes cum equis, quasi hi intelligant. Inde ergo dat equo Virg. sensum doloris. Possunt rationes aliæ excogitari: sed istæ non incommodæ.

Rhœbi etymon. 13. RHOEBE.] Ducit Erythr. equi huius nomen ab ῥοιβεῖν, quod est *romico*, & de celeritate, & de militari virtute; quod vtrumque equo competit. Nam de equo lib. 11. *Emicat arrectisque fremit*, &c. Hic verò sermo ad equum ductus ab variis sermonibus iam Homero excogitatis, quibus inducit suos Heroas loquentes cum hac fera. Silius quoque lib. 4. ad equum Garganum,

Nos Gargane vocant Superi ad maiora, videsne
Quantus eat Chryxus? iam nunc tibi præmia pono,
Illum Sidonio fulgentem ardore tapeta,
Barbaricum decus, & fuluis donabere frænis.

Ride, si otium, insaniam Cai Imperatoris apud Xiphil. in tractando equo, quem diligebat.

Aut victor, aut victus. 14. AVT HODIE VICTOR, &c.] Illustrabis satis hanc partem his, quæ dixi sup. in hoc lib. ad illud,

Aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho insigni.——

Nam & hoc dicit Mezentius, *aut eris victor, aut occumbes.* & adiice Hom. 18. Iliad. vbi Hector de Achille loquens,

Ἤκε φέρησι μέγα κράτος, ἦκε φεροίμην:
Aut feret magnam victoriam, aut feram.

Tum etiam multa, quæ 9. Iliad. Achilles in hanc sententiam, vbi mortem præponit turpi vitæ & fugæ: Ex loco Virg. Hippomedon apud Stat. ita alloquitur equum Tydei,

Quod superest, charos i saltem vlciscere manes,
Aut sequere, extorrem neu tu quoque lęseris vmbram
Captiuus, timidumque equitem post Tydea portes.

Equus est particeps coronæ. 15. VLTOR ERIS MECVM.] Plutarchus 2. Sympos. καὶ τῶν ζῴων μόνῳ τῷ ἵππῳ μετουσία στεφάνου, ὅς ἀγωνιστὴς ἦν, ὅτι μόνος καὶ πέφυκε, καὶ ἤσκηται μαχομένῳ παρεῖναι, καὶ συμπολεμεῖν: *Solus omnium animalium equus in partem certaminis, & corona venit. quia solus natura & exercitatione factus est, vt in prælio homini adsit, & cum eo pugnet.* Inde ergo Mezentius, vnà mecum

pugnabis, vnà mecum eris vltor, feres mecum aut A gloriam, aut mortem.

Pariter, absolutè.

16. PARITER.] Subaudi *mecum*. Sed fuit veteris elegantiæ hanc vocem ponere absolutè. Sallust. Iugurth. *Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens.* &, *Pariter omnes viles sunt.* Plura his Godesc. aduocato Varrone, Plauto, Terentio.

Equi Achillis.

17. NEQVE ENIM FORTISSIME, &c.] Omnino allusum ad Hom. 17. Iliad. vbi equi Achillis dicuntur ἀλεγεινοὶ ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι, *esse difficiles vt domentur à mortalibus*, & à nemine posse subiungi currui, ἢ Ἀχιλῆϊ, *quàm ab Achille.* Itaque quoduis aliud imperium essent obtrectaturi. Quæ de Bucephalo Alexandri scribuntur, nota sunt omnibus. De Pegaso Claud. assentans Honorio,

——melioráque pondera passus
Bellerophonteas indignaretur habenas.

Hæc fortasse mens Spartaci apud Plut. in vita Crassi, qui ante conflictum equum suum confodit, ne veniret in alterius potestatem. Scio aliò torqueri posse mentem Spartaci, ne scilicet ipse viuo equo inuitaretur ad fugam.

18. CREDO.] Græci omnes οἶμαι, & vnus præterea Homerus hoc dixit verbo ἔλπομαι. Exemplum est 18. Iliad. vers. 194.

[a] Dixit: & exceptus tergo consueta locauit
Membra, manúsque ambas iaculis onerauit acutis.
Ære caput fulgens, cristáque hirsutus equina:
Sic cursum in medios rapidus dedit. æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistóque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
[b] Atque hîc Ænean magna ter voce vocauit.
Æneas agnouit eum, lætúsque precatur.
Sic Pater ille Deûm faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantùm effatus, & infesta subit obuius hasta.
[c] Ille autem. Quid me erepto sæuissime nato
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses;
Nec mortem horremus, nec Diuûm parcimus vlli.
Desine, iam venio moriturus, & hæc tibi porto
Dona priùs. [d] dixit, telúmque intorsit in hostem;
Inde aliud super, atque aliud figítque, volátque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus vmbo.
[e] Ter circum astantem læuos equitauit in orbes,
Tela manu iaciens: ter secum Troïus Heros
Immanem ærato circumfert tegmine syluam.

ARGVMENTVM.

Armatur Mezentius, quærit, & vocat ad certamen Æneam: hic gaudet, & statim illi occurrit obuius, plures in illum hastas iacit Mezentius. Apparet in hoc congressu Mezentij peritia, Æneæ & peritia, & prudentia.

EXPLICATIO.

[a] AGNOSCEBAT equus sessorem suum, ideo *excipit*, & *consueta membra*. Videor propè agnoscere equi genuflexionem. Quid verò tum Mezen- C tius? *onerauit iaculis ambas manus*, vt suppeterent multa contra vnum Ænean. *Armauit caput galea*, nam hoc est, *ære caput fulgens*. Non meliùs Apollo, non Musæ loquerentur. Sequitur, *cristáque hirsutus equina*, præclarè: nam quia *crista equina*, ideo *hirsutus*. Vix se armauerat, cùm *cursum in medios rapidus dedit*. Sed quæ causæ tantæ præcipitantiæ? Duæ, videlicet *pudor*, quòd iam victus ab Ænea: *insania cum luctu*, B quòd natum amisisset: dolor quippe amissi nati agebat in insaniam. Versus, qui sequitur, respicit superiorem, hunc in modum. Cur puduit? quia *conscia virtus*. Cur luctus ad insaniam? quia *amor agitatus furiis*.

[b] Vocat sæpe Ænean, ne timidus videatur; & vocat *voce*, id est, vociferanter. Nulla itaque est redundantia, nam signatur modus. Gaudet Æneas, & Deos precatur Iouem, & Apollinem (illum, vt Patrem omnium; hunc, vt iaculatorem) vt Mezentius velit manum conferre. Ac statim apparuit obuius *infesta hasta*, id est, protenta; veluti paratus iam ad certamen, & tanquam minitabundus.

[c] Ideo *quid me terres sæuissime?* quia præcesserat *hasta infesta*. Quid verò Mezentius? erepto nato vitam recuso. Frustra me terres. Ita me potuisti, non aliter, perdere. Mortem non horreo, quæ mihi in votis, cùm filio caream. Hactenus furiosus, deinde sacrilegus. *Nulli Deorum parco*, quasi dicat: omnes accuso, & incuso, omnes Dij mihi ex æquo hostes, nullum veneror, vt tu qui nuper Iouem inuocasti & Apollinem. *Desine* hæc ludicra Deorum, esto meus carnifex, nam *iam venio moriturus*, sed priùs tamen *porto tibi hæc dona*.

d Expli

A d Explicat, quænam illa *dona*, scilicet *telum* quod *intorsit in hostem*. An verò vnum? imò *aliud insuper, atque aliud figit*, id est, multa, vt qui *onerarat ambas manus acutis iaculis*. Deinde *volat in orbem ingenti gyro* semper iaculans, si posset ita Ænean à ratione & mente auertere. Sed *ambo*, vt qui *aureus*, ac proinde firmissimus, omnia *sustinet* iacula.

e Omnia ex peritia militaris doctrinæ. Imprimis *equitauit*, nam Æneas erat pedes, à quo facilè stans eques superaretur; remedium ergo à cursu, & discursu. Deinde in *læuos orbes*, id est, suos, ac proinde in dextros Æneæ; atqui dextera non tecta scuto. Quærebat ergo Mezentius si nudam partem hostis, id est, dexteram, posset telo consequi. Sed non minor peritia in Ænea, certè & prudentia: nam facilè B scutum *circumfert* in omnem partem, & ad velocissimos orbes Mezentij ipse etiam se versat. Mirè dictum *circumfert syluam immanem*, quia talis clypei imago ab tot fixis telis.

Notæ.

Excipi tergo. 1. Exceptvs tergo.] Ennod. Paneg. *His dictis, excipit te tergo sonipes, lituorum desideriis inquietus.*

Cristæ equinæ. 2. Cristaqve hirsvtvs eqvina.] Iubæ equorum fuêre in hoc vsu. Plenus Hom. Iliad. 6. Hector habet κόρυθ' ἱππιοχαίτην. & Patroclus lib. 16. κυανέην ἵππουρον. & lib. 17. Hippothoo datur ἱπποδάσεια κόρυς, *galea equina hirsuta*. Eadem datur Acamanti 6. Iliad. & eodem lib. forma alia vocat λόφον ἱπποχαίτην. & alia lib. 12. ἱπποκόμων τρυφαλειῶν. Sic lib. 13. ἱππόκομοι κόρυθες. Meminit eiusdem Soph. Antig. ξύν θ' ἱπποκόμοις κορύθεσσι. Theocrit. etiam εἰδ. 16. C

Ζώννυνται, ἱππείαις δὲ κόρυν σκιάζουσιν ἔθειραις:

Armatur, & iuba equina tegunt galeam.

Sed & Herodot. lib. 7. Æthiopibus attribuit pelles frontium equinarum cum iubis, atque auribus, ea dispositione, vt iubæ essent pro cristis, aures inferiùs rigerent. Demum Sil. lib. 8. *& equina Curio crista.* Velim notes, quoties in Scriptoribus legis tantùm *iubas* nulla re addita, capiendos esse de equinis, nam propriè *iuba* equi est, non leonis, vt cùm Silius dixit de Flamminio Consule,

Iubæ, de equis.

Triplex crista iubas effundit crine Sueuo.

Æstuo, ad omnes affectus excitandos. 3. Æstvat.] Verbum ad magnos animi affectus indicandos. Ira Nonnus lib. 31. de ira Iunonis,

Καὶ φθονερὸς σπαρτίζουσι χόλος ἐνὶ σπλάγχνοισιν Ἥρης:

Ira inuida in visceribus Iunonis æstuauit.

Nam παφλάζω, & διαπαφλάζω de æstu maris dicuntur. Horat. epist. 1. lib. 1. de appetente res varias,

Æstuat, & vitæ disconuenit ordine toto.

Sic *æstus* à Virg. de curis, à Propertio de amore Eleg. 33. lib. 2. ad finem. Demum nullus est affectus, qui non exprimatur hoc verbo. Quam ad rem vnicum est testimonium hoc Maronis, in quo *æstuat pudor, insania, luctus, amor, virtus*. vide quot affectus.

Ira & dolor cognati affectus. 4. Mistoqve insania lvctv.] Duo affectus cognatissimi ira & dolor. Stat. 5. Theb.

At iuuenis magno flammatus pectora luctu.

Nam *flammas* ad iram refero. Idem lib. 11. *crudescunt luctibus*. Cruditas enim ad iram pertinet. Ouid. 9. Metamorph.

——*vtque dolor rabiem collegerat omnem.*

De equis Darij Curt. lib. 3. *dolore efferati*. Vtramque pestem Aristot. coniungit 2. Rhet. cap. 2. imò iram definit per dolorem. ὀργή, ὄρεξις μετὰ λύπης.

Conscia virtus. 5. Conscia virtvs.] Lucret. *sentit enim vim quisque suam.*

Apollo Æneæ fautor. 6. Sic altvs Apollo.] Cum respectu ad totam Iliadem, vbi Apollo semper inducitur Æneæ fauens. Exploranda imprimis vigesima Ilias. Et, si velis, cum respectu ad Augustum, cuius tutelare numen Phœbus, & Augustus in Ænea repræsentatur.

Conferre manus. 7. Incipias conferre manvm.] Tale illud lib. 12.

Incipe, si qua animi virtus, & confere dextram.

Tò *conferre manum* immutauit leuiter ab illo Lucret. lib. 4.

At contrà conferre manu certamina pugnæ.

& Lucret. ab Hom. 6. Iliad. qui non *conferre manum*, sed συνάγειν ὑσμίνην, *conferre prælium*. Sed & alacritatem hanc ad visum Mezentium dat Virg. suo Heroï, vt Homerus suo Iliad. 20. ad visum Hectorem, ὡς εἶδ', ὣς ἀνέπαλτο.

Homeri vitium. 8. Tantvm effatvs.] Ideo pauca, vt qui cupidus rei gerendæ. O quoties in hac re Homerus ἄτοπος, & ἀνήθης! non vereor ita loqui. Plena Ilias his ante certamen inutilibus iactantiis. Non hæc certè natura iræ, præsertim in bello. Præclarè Virg. de Ænea lib. 12. *se suscitat ira*, quia videlicet tunc non præsens hostis. At, cùm præsens est, vt hoc loco, statim aduolat, & pauca loquitur. Nam visus hostis iram statim acuit. Ceterùm verba, quæ commutari ab vtroque hoste solent ante singularem pugnam, *ferocia dicta* vocat Liu. lib. 23. cùm in certamine Iubelij Campani, & Asellij Romani ita scribit: *Cùm iam antè ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos.*

Ferocia dicta.

Infesta hasta. 9. Infesta svbit obvivs hasta.] Est hoc, quod sup. *aduersáque ingens apparuit hasta*. Liu. vt dicebam modò, *infestis hastis*.

Imitatio Virgilij. 10. Hæc via sola fvit, qva perdere posses.] Simile illud Agamemnonis apud Calab. lib. 3. vbi ad mortuum Achillem ita loquitur,

Ῥηΐτεροι δ' ἄρα σεῖο καταφθιμένοιο πελόμεθα:

Faciliores (superatu) sumus te exstincto.

Confinia & verba Bacchi apud Non. lib. 29. vbi vulnerato adolescente Hymenæo, quem amabat, ait,

——ἐν κραδίῃ δὲ

Λοίγιον ἕλκος ἔχοντι συνουτάσθην ὑμεναίῳ

——*in corde vero*

Lethali plaga vulneratus sum cum Hymenæo.

Cyclopis impietas. 11. Nec Divvm parcimvs vlli.] Vide vt expendi explicans, & apta verba Cyclopis apud Hom. D Odyss. 9.

Νήπιός εἰς ὦ ξεῖν',——

Ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι.

Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,

Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.

Οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην:

Stultus es ô hospes, ——

Qui me Deos iubes aut timere, aut obseruare.

Neque enim Cyclopes Iouem Ægiochum curant,

Neque Deos beatos, quoniam multo præstantiores sumus.

Neque ego Iouis inimicitias euitans parcam.

Talis & oratio Amyci apud Valer. 4. Arg. E

Nec lacryma, nec forte preces, Superive vocati

Pectora nostra mouent, aliis Rex Iuppiter oris.

Donum in malam etiã partem. 12. Dona.] Vox hæc etiam de re ingrata. Itaque hastam vocat *donum*. Ita Ouid. 9. Metamorph. *feralia dona*. & Valer. 4. Arg. ore Amyci, *Prima manu cui dona fero?* id est, cui mortem affero? Inde & Latinis locutio ista in vsu, *dare morti, exitio*, &c. vt etiam Græcis. Nam Calab. lib. 3. δώσω θάνατον, καὶ κῆρας ἐρεμνάς: *dabo mortem, & Parcas nigras.* Firmo rem eandem Homerico testimonio. Nam lib. 24. Iliad. dicuntur esse apud Iouem δοιοὶ πίθοι δώρων, *duo dolia*

Do in malam etiam partem.

donorum, quæ ipſe dat mortalibus: vas alterum κα-κῶν *malorum*, alterum ἐάων *bonorum*. Vides, vt tam bóna, quàm mala comprehendat vnico *doni* nomine. Sic *premium* apud Virg. & alios eſt ambiguæ ſignificationis. Sic & *pretium* apud Terent. in malam partem.

Premium in malam partem.

Imitatio.

13. INDE ALIVD SVPER, ATQVE ALIVD.] Illuſtrat Germ. ex Callimacho, qui in Apoll.

Ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ βάλλων ὠκὺν ὀιστὸν:———

Aliam ſupra aliam iaculans ſagittam celerem.———

Ex Calab. qui lib. 6. ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ ἵει προίαλλε: *ſagittam aliam ſupra aliam miſit.* Sed dici quit, alluſum ad illud Catull. *Hac atque illa dies, atque alia, atque alia.*

Pugnæ genus.

14. FIGITQVE, VOLATQVE INGENTI GYRO.] Hoc genus pugnæ repræſentat Valer. 4. Arg. Mezentij ars tota poſita in fatigando Ænea, Æneæ in ſe tuendo. Itaque ille gyrate ſpacioſos orbes, hic ſe circumferre in eodem gradu. Ergo in Valer. Amycus,

Continuò Bebryx, Maleæ velut arce fragoſa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tollere paſſus
Brachia, torrens præceps agit vndique nimbo,
Curſibus inuoluens, totáque immanis arena
Inſequitur.———

Contra Pollux: *vigil ille metu cum pectore & armis Huc alternus & huc.* & poſteà. *prouidus ictus Seruat.* Apud Nonn. lib 21. committitur pugna equitis cum pedite, nec diſpar Virgiliano euentui. Apud Plut. fit incurſus à barbaro pedite in equitem Pompeium.

Gyrus.

15. VOLATQVE INGENTI GYRO.] Ouid. de volante volucre, *ducitque per aëra gyros.* Itaque agnoſce in vtroque Vate miram poëſin. Ouidius aui propriè volanti dat gyros metaphoricè, Virgilius equo propriè gyranti dat volatum metaphoricè. Iſtæ commutationes metaphorarum mihi ſemper in guſtu.

Vmbo quid.

16. VMBO.] Quicquid eſt extumidum & prominens *vmbo* dicitur. Itaque nulla eſt ratio cur hæc vox arctetur tantùm ad clypeúm. Stat. 2. Theb. pro humero poſuit, nam de Tydeo, *clypeum non ſuſtinet vmbo.* nam videlicet iam defeſſus Tydeus. Idem lib. 6. pro ſaxo, quod eſſe ſolet terminus agricolis. Verba eius:

———*hinc ſaxeus vmbo*
Arbiter agricolis finem iacet inter vtrumque.

Idem in Achill. pro rupe maris, eo verſu,

———*vndiſona quos circuit vmbo Maleæ.*

Inde & pars illa veſtis, quæ exit ad pectus cum tumore *vmbo* etiam dicitur, quo ſenſu accepit Perſ. Sat. 5. & Tertull. lib. de Pallio bis.

Sylua, de telorum multitudine.

17. CIRCVMFERT TEGMINE SYLVAM.] Ab hac Muſa Valer. lib. 6.

Septeno validam circumfert tegmine molem.

Ab eadem ſuam ditauit Stat. bis, nam lib. 5. Theb. de ſerpente occiſo àb Apolline,

———*donec tibi Delie fixus*
Vexit arundineam centeno robore ſyluam.

& lib. 8. loquens de Tydeo,

Nemus ferratum.

———*denſis iam conſitus haſtis*
Ferratum quatit vmbra nemus.———

Quint. Serenus dixit *ſylua capilli* ad denſitatem comarum explicandam. Pudebit nunc audire Homerum, qui 5. Iliad. ſic, σάκος δ' ἀνὰ ἔσχετο πολλὰ, id eſt, δόρατα: *ſcutum autem multas haſtas excepit.* Quid his ſimplicius? & quid his ſublimius? *ſylua immanis in æratotegmine.*

[a] Inde vbi tot traxiſſe moras, tot ſpicula tædet
Vellere, & vrgetur pugna congreſſus iniqua,
Multa mouens animo, iam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi caua tempora coniicit haſtam.
[b] Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſúmque equitem ſuper ipſe ſecutus
Implicat, eiectóque incumbit cernuus armo.
[c] Clamore incendunt cœlum Troëſque, Latiníque.
Aduolat Æneas, vagináque eripit enſem:
Et ſuper hæc. vbi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? [d] contrà Tyrrhenus, & auras
Suſpiciens hauſit cœlum, mentémque recepit;
Hoſtis amare, quid increpitas, mortémque minaris?
Nullum in cæde nefas; nec ſic ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lauſus.
[e] Vnum hoc per (ſiqua eſt victis venia hoſtibus) oro,
Corpus humo patiare tegi. ſcio acerba meorum
Circumſtare odia, hunc (oro) defende furorem,
Et me conſortem nati concede ſepulcro.
[f] Hæc loquitur, iugulóque haud inſcius accipit enſem,
Vndantíque animam diffundit in arma cruore.

ARGVMENTVM.

Ferit Æneas Mezentij equum. hic ſe attollit, effundit equitem, aduolat Æneas diſtricto enſe, ille non orat vitam ſibi, ſed ſepulturam dari, & enſi dat iugulum.

EXPLICATIO.

[a] VIDEBAT Æneas ſe nihil proficere contra Mezentium, nam tantùm ſe tuebatur, illum nihil lædebat ipſe. Trahebat quippe moras in euellendi

lendis spiculis, iniqua erat pugna, nam ipse pedes. A Ergo sibi cogitanti, qua tandem ratione bellũ conficeret, subiit, equum percutere: atque adeò hastam coniicit inter equi tempora, signat traiectam equi frontem.

b Ecce ad sensum doloris se estatim equus attollit, firmátque in pedes posteriores, arrectus totus: ac deinde subitò, mutata forma, sistit se in pedes priores, & *calcibus auras verberat*, ac tum equitem effundit, incumbítque eiecto Mezentio, cadens ipse in armum pronus, ac sic *implicat*, id est, impedit Mezentium. Itaque, Lector, non concordant *eiecto armo*, imò, *cernuus armo incumbit eiecto* Mezẽtio. Et nota, impleri iam quæ dixerat ad equum suum Mezentius: *Aut eris mecum victor, aut pariter occumbes.* non primum, sed alterum. Occubuit certè pariter, nam *incumbit cernuus eiecto*, & cadenti domino.

c Ad hunc successum clamorem ingentem tollere Troiani, & Latini: Æneas aduolare, ensem diripere, hostem premere, illum increpitare verbis illis, *vbi nunc acer Mezentius? vbi animi vis effera?* Per *cœlum* hîc cape aërem. Tritum illud Lucretij, *in hoc cœlo, qui dicitur aër.*

d Collegit se Mezentius, cœlum vidit, recepit animum quippe turbatum ex ruina equi & sua; ac tunc ad increpitantem & interminantem Ænean. Mori in acie virum fortem nefas non est, *nec ita veni ad prælia*, vt putarem scelus esse mori, hoc enim si existimarem, non venissem. Quid quòd *Lausus meus non tecum pepigit mihi hæc fœdera*, id est, non ita à te in C certamine affectus est, vt mihi reliquerit desiderium vitæ? itaque non mortem deprecor, mori cum filio volo, recuso esse superstes. Potest etiam sentẽtia aliter concipi hunc in modum: Non ita veni ad prælia, vt tibi si victor essem parcerem: quamobrem, neque volo mihi parci, quando interfectus à te meus Lausus hæc fœdera non permittebat. Vide, si placet, Titium lib. 3. Loc. cap. 10. qui aliter explicat hos versus. Et tu nota elegantem illam commutationẽ, *auras suspiciens hausit cœlum.* Auræ hauriuntur, cœlum suspicitur. Sed non hoc voluit, imò contrà, auras fecit suspici, cœlum hauriri. Hæc acumina millena in hoc Vate, si sint oculi.

e Tantùm hoc vnum oro (si victis hostibus danda venia aliqua) vt corpus meum sepeliendum tradas. Ratio, cur hoc petat. Quia acerbissima sunt D meorum in me odia. ergo *defende hunc furorem*, ne sim ludibrium meis ciuibus. Hæ primæ preces Mezentij. Alteræ. Fac, vt vnà cum Lauso sepeliar. Credo id petiuisse Mezentium quasi occurrentem obiectioni. Nam posset illi dici. Quid petis sepulturam? eruent te inde hostes tui. Ergo ille: tutus ero, si sepeliar cum Lauso; nati mei reuerentia incolume erit sepulcrum.

f Hæc ille paucissimis: ac ne degener videretur, & non fortis, ipse iugulum præbuit, ensem accepit, effudit animam largissimo cruore effuso.

NOTÆ.

Spicula vellere. 1. SPICVLA VELLERE.] Non videlicet ferrum inflectebatur in ipso scuto, hoc si esset, non euelleret. Erat sanè pugnantium ars, vt tela post transfixos hostiles clypeos plicarentur inflecterentúrque; vt ita dependentibus hastis grauarentur, qui gestabant clypeos, illósque abiicerent, & nudis essent corporibus ad ictus excipiendos. Hoc genus belli habes apud Plut. in vita Camilli, quæ res salutem attulit Romanis, exitium Gallis.

Iniqua pugna, quæ. 2. PVGNA INIQVA.] Quia vnus eques, alter pedes. Sic lib. 9. *non æquo dare se campo.* quia Troiani in mœnibus, Rutuli in solo infimo.

Arrectus equus. 3. TOLLIT SE ARRECTVM QVADRVPES.] Similis successus duo sunt exempla in Liuio. Primum lib. 8. his verbis. *Spiculum* (Manlius) *inter aures equi fixit, ad cuius vulneris sensum, cùm equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmáque innixum, attollentem se à graui casu Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit.* Quin, si verum est, & ita credo, Virgilium inseruisse suis versibus multos ac varios successus Romanorum, quis neget hunc Manlij & Metij (hoc nomen victo) hîc repræsentatum? Redeo. Alterum lib. 27. istis: *ibi equus pilo traiectus, cùm prolapsum per caput Regem effudisset, atrox pugna vtrimque accensa est.* Equi atterentes ruina suos sessores dicuntur à Plutar. in vita Crassi συμπατοῦντες τοὺς ἐπιβάτας. & de illis ait, ἀνεσκίρτων ὑπ' ὀδύνης: *exsiliebant ad sensum doloris.* Apud eundem in vita Timoleontis, equus afflictus vulnere sessorem excutit. & in vita Fabij, Παῦλον τρωθεὶς ὁ ἵππος ἀπεσείσατο, *vulneratus equus Paulum excussit.* Apud Calab. lib. 11. milites duo ἀπ' ὠκυπόδων σφῶν ἵππων. Apud Herodot. Musâ 9. equus Masistij sagitta percussus præ dolore ἵσταται ὀρθὸς, καὶ ἀποσείεται Μασίστιον, *erigitur rectus in pedes, & Masistium excutit.* Cuius Masistij casus etiam meminit Plut. in Aristide, ἐξαρθεὶς ὁ ἵππος τὸν Μασίστιον ἀπέρριψε. Imitationem si quæras, fortasse sumpta ab istis Homericis Iliade octaua:

Equi ferocés. Manlij pugna.

——ἵππος ἐτείρετο, τὸν βάλεν ἰῷ
Δῖος Ἀλέξανδρος, Ἑλένης πόσις ἠϋκόμοιο,
Ἄκρην κακκορυφήν, ὅθι τε πρῶται τρίχες ἵππων
Κρανίῳ ἐμπεφύασι, μάλιστα δὲ καίριόν ἐστιν.
Ἀλγήσας δ' ἀνέπαλτο, βέλος δ' εἰς ἐγκέφαλον δῦ:
——*equus vexabatur, quem vulnerauerat sagitta*
Nobilis Alexander, Helenæ maritus pulchricomæ,
Summo in vertice, vbi primi crines equorum
Cranio in nascuntur, maximè verò lethale (vulnus) *est.*
Dolens verò resilit (equus) *telum enim in cerebrum penetrauit.*

Vel ab Eurip. in Hippol. vbi ait,

Ὀρθὸν τε κρᾶτ' ἔστησαν, οὖς τ' εἰς οὐρανὸν
Ἵπποι.——
Caput autem statuerunt erectum, & aurem in cœlum
Equi.——

Arectus equus. 4. ARRECTVM.] Explicui, arrectum equum in pedes posteriores. Nam Liuius, vt vidisti, *equus prioribus pedibus erectis.* Vide & quæ adduxi ex Herodoto, & Euripid. & Ammian. lib. 30. ita scripsit: *Equus anteriores pedes, præter morem, erigens in sublime, innata feritate concitus.* Cur *præter morem*? Quia frequentiùs equus posterioribus pedibus insultat, hósque erigit, vt impetat calcibus. Si quando tamen velit, quod rarius est, arrectus & sublimis stare, priores erigit. Aliud est enim ferire calcibus, aliud stare rectum. Primum fit sistendo in anteriores pedes, alterum sistendo in posteriores. Sic Philost. in Heroïc. ἵπποι E ἐκθορόντες ὀρθοὶ ἀνεσκίρτησαν: *furiosi equi erecti resultarunt.* Nequit itaque in Poëta hic versus,

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat.——

accipi de vna eadémque figura equi. Nam illud, *Tollit se arrectum*, capiendum de nisu in pedes posteriores, quod sequitur, *calcibus auras verberat*, de nisu in priores. Nisi quis dicat *calces* hoc loco abusiuè sumi pro pedibus anterioribus, & vnam tantùm equi figuram fuisse: ita vt arrectus Mezentium excuteret, aërem tunc verberans.

5. EFFV

Effundi ex equo. 5. EFFVSVMQVE EQVITEM.] Ita suprà in hoc lib. *currus effunduntque ducem.* Arripuit Liu. nam lib. 10. *equo effusus.* & lib. 21. *Equus repentè corruit, consulémque lapsum super caput effudit.* Nonn. lib. 11. ἵππ☉ ἀποσείεται ἡνίοχον. Iterum:

Γλαῦκον ἀπισείσαντες ἐπὶ χθονὶ λυσσάδες ἵπποι:

Furiosi equi Glaucum exturbarunt.

Et de tauro loquens, qui iuuenem à dorso excussit moribundum κόντον προκάρηνον ἐὸν ἀπεσείσατο νώτων. Nescio an laudem Valerium, qui 4. Arg. Amycum cadentem *effusum* ait; nam videlicet non ille ab equo cecidit. Itaque satis fuisset *fusum*, nisi quis probet referens ad magnitudinem corporis: ita enim magnus vt veluti alicunde effundi videretur. Locus, quem noto, is est,

——*effusumque secutus* (id est, Amycum Pollux)

Haud reuocare gradum patitur, turbátque, premitque.

Cernuus. 6. CERNVVS.] Est hoc, quod de equis Homerus Iliad. 17. οὔδει ἐνισκίμψαντε καρήατα. Latinæ voci respondet κατωφερής, commune attributum bestiarum, quòd deorsum cernant. Et hìc signatiùs: ait enim *procumbit cernuus* vbi exprimitur equus κατωμισής, id est, *ex humeris sessorem excutiens.* Glossæ: *cernuas*, κυβιστᾷ. Itaque, cùm de Cebrione cadente è curru ait Hom. 16. Iliad. κυβιστᾷ, liquidum exprimere *cernuationem*. Inde commodè illum comparat ἀρνευτῆρι, *vrinatori* Sidon. Paneg. Auiti dixit, *curuato cernuus collo ora.* Versus ille Lucilij (non ego hoc primus dico)

Cernuus extemplo plantas conuestit honestas,

decepit multos, vt putarent esse *cernuum* genus calceamenti, cùm tantùm explicetur habitus calceantium se.

7. CLAMORE INCENDVNT.] Qui agnoscunt κατάχρησιν, id est, *abusionem*, vt hìc *accendere*, aut *incendere* sit idem, quod *implere*, non placent. Nec testimonia Lucretij, quæ Gifan. aduocat, id probant. Nam illud lib. 3.

Morbus accensus nobis per viscera sensus,

cur non capiatur de igne? & adhuc meliùs illud lib. 5. vbi de Sole,

Anticipat cœlum radiis accendere tentans.

Itaque, nescio cur in vtroque testimonio explicetur Lucretius *accensus*, id est, completus. & *accendere*, id est, complere. Aliter Virgilium explico. Nulla est κατάχρησις. Verè aër constipatus vaporibus, extenuatur, & fit rarior clamoribus & tinnitibus cymbalorum. Hæc verò extenuatio aëris proxima est dispositio ad calorem. Ac proinde dici aër potest accendi vocibus, accedente præsertim feruore clamantium, & veluti igneis pectoribus aërem incendentium. Nam Stat. in fletu pro defuncto Archemoro dixit, *accenso clamore*; quod videlicet Calab. lib. 5.

Incendi aër quî dicatur.

Ἠχὴ δ' ἄσπετος ὦρτο δι' αἰθέρ☉ ἀκαμάτοιο:

Surgebat ingens clamor per indefessum atherem.

Est etiam alia solutio. Dicimus alicuius animum *incendere*, cùm illum impellimus, commouemúsque ad rem aliquam. Sic ergo dicetur *aer incendi vocibus*, nam clamoribus percutitur, agitatur, fluctuat. Plut. in vita Pompeij. οἷον ἐν τῷ ἀέρι σάλον καὶ κῦμα ποιοῦσι, πολλῇ δ' ἰσχυρᾷ φερομένη, id est, φωνή, nam de ea loquitur: *cùm vox effusè & violenter missa motum in aëre fluctúmque excitauerit.* Lege illum, quærit enim ibi causam, cur aues è cœlo decidant, excitato hominum clamore. Eandem quæstionem agitat in vita T. Quincti Flaminij.

Hypermeter versus. 8. LATINIQVE.] Versus ex studio hypermeter ad significandū clamorem illum productum in lōgum. Nō enim hæc Nota dissimilis illis, quas alibi dedi de versibus hypermetris, quoties in Virgilio occurrunt.

Ensem eripere vagina. 9. VAGINAQVE ERIPIT ENSEM.] Iliad. 4. ἐρύσατο δὲ ξίφ☉ ὀξὺ, *traxit, eduxit acutum gladium.* aptiùs Noster ad indicandam celeritatem. Aristoph. in Vesp. ἐξέλκεις τὸ κέντρον.

Iactantiæ vanæ. 10. VBI NVNC MEZENTIVS ACER, ET ILLA, &c.] Ita 8. Iliad. πῇ ἔβαν εὐχωλαί; *quò abierunt iactantiæ?* Et lib. 13.

——ποῦ τοι ἀπειλαὶ

Οἴχονται, τὰς Τρωσὶν ἀπείλεον υἷες Ἀχαιῶν;

——*vbi nunc tibi minæ*

Abeunt, quas Troianis minabantur filij Achiuorum?

Et lib. 5.

Ἕκτορ πῇ δή τοι μέν☉ οἴχεται, ὃ πρὶν ἔχεσκες;

Hector, quò abit virtus, quam priùs habebas?

Et lib. 20. Apollo ad Æneam,

——ποῦ τοι ἀπειλαί,

Τὰς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπίσχεο οἰνοποτάζων;

——*vbi nam minæ,*

Quas iactabas in conuiuiis apud Principes Troianos?

Similis locus Calab. lib. 1. ore Penthesileæ,

Πῇ νῦν Τυδείδας βίη; πῇ δ' Αἰακίδαο;

Πῇ γ' Αἴαντες; τοὺς γὰρ ἀρίστους ἔμμεν' ἀείδουσι:

Quò nunc vis Tydidæ? quò Æacidæ?

Quò Aiacis? hos enim esse fortissimos fama est.

Apud Nonnum lib. 30. reprehendens Bacchum Deus alius ita increpat,

Πῇ σέο κάλλιμα θύρσα, καὶ ἀμπελόεντες ὀϊστοί;

Vbinam sunt tui thyrsi validi, vbi vitea sagitta?

Oenone Paridi, qui se contempserat, ita insultat apud Cal. lib. 10. ποῦ νύ τοι ἐστὶν ἐυστέφαν☉ Κυθέρεια; *vbi nunc tibi est Venus coronigera?* Non abit insultatio illa in Telephum iam sanie putridum, & simulacrum hominis, non hominem, è lib. 4. Epigram.

Telephus.

Οὗτος ὁ Τευθρανίης πρόμ☉ ἄγριος, οὗτος ὁ τὸ πρὶν

Τλήσ☉ αἱμάξας φρικτὸν Ἄρη Δαναῶν:

Hic est acerrimus ille Teuthraniæ propugnator, hic ille Telephus, qui priùs cruentauit horribilem Martem Græcorum.

Cur non libem aliquid ex Latinis? Ouid. 13. Metamorph.

Hostis vbi est Aiax? vbi sunt ingentia magni Verba viri?——

Lucanus Curioni mortuo ita insultat lib. 4.

Quid nunc Rostra tibi prosunt turbata, forúmque?

Lege reliqua.

Haurire cœlum. 11. HAVSIT COELVM.] Est hoc, quod lib. 4. de moriente Regina Carthaginis, *Quæsiuit cœlo lucem.* & sup. de moriente Anthore, *cœlúmque aspicit.* Sed credo in Mezentio alium signari affectū, & notari verbum ἀντοφθαλμεῖν, *oculos contrà attollere*; quod audacibus dat Polyb. lib. 3. Ait enim, πρὸς αὐτοὺς ἀντοφθαλμεῖν ἐτόλμα. Non est hoc alienum ab hoc loco, si quis circumstantias consideret à persona Mezentij, vt dicatur cœlum respectasse cum furore.

Recipere mentem. 12. MENTEMQVE RECEPIT.] Hom. Iliad. 22. Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἄμπνυτο, καὶ ἐς φρένας θυμὸς ἀγέρθη:

Sed vt respirauit, & reuocatus est in mentem animus.

Calab. lib. 3. ἐν φρεσὶ θυμὸς βαιὸν ἀνέπνευσεν: *in mentibus animus nonnihil respirauit.* Et recepit quidem mentem, quasi priùs ψυχορραγῶν fuisset, & ψυχοθανατῶν. Vtrumque enim verbum Plut. inducit in vita Antonij loquens de angustiis morientis. Idem Plut. in vita Alexand. ἀναλαβεῖν ἑαυτόν, de homine recipiente se; & flexu alio loquens de Pyrrho Rege, ἐκ τῆς πληγῆς ἀναφέρεσθαι, *se colligere se ex vulnere.* Homer. 4. Iliad.

Colligere se.

Ἄψορρον οἱ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀγέρθη:

Iterum illi animus in pectora est reuocatus.

Morientia superbia. 13. HOSTIS AMARE QVID INCREPITAS? &c.] Iliad. 20.

Πηλείδη,

Πηλείδη, μή δή μ' ἐπέεσσί γε νηπύτιον ὣς
Ἔλπεο δειδίξεσθαι :———
Pelide, ne me verbis, vt puerulum,
Speres ad metum adducere.———

Hæc audacia Mezentij contra victorem suum reuocat mihi in mentem versum Lucani lib. 4.
Victorésque suos vultu spectare superbo.
Considerate Virg. lib. 1.
Non ea vis animi, nec tanta superbia victis.
Ceterùm à versu Virg. in quo *increpitas* & *minaris*, Propert. fortasse versum suum Eleg. 17. lib. 2.
Aspice quàm sæuas increpet aura minas.

14. NVLLVM IN CÆDE NEFAS.] Quia, vt ait Soph. in Aiace, καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή: *honeste mori generosum decet.* Explicui, vt vidisti, dupliciter: & pro altera mea explicatione est locus Plut. in vita Lysandri, vbi Philocles moriturus nō fractus ea calamitate Lysandro dixit, μὴ κατηγόρει ὧν οὐδείς ἐστι δικαστής, ἀλλὰ γενόμενος κύριος πρᾶττε ἅπερ ἂν νικηθεὶς ἔπασχες: *ne sibi obiiceret crimina, quorum iudex esset nemo, imo ea victor ageret, quæ passurus esset victus.* Quibus hortatus est Philocles hostem ad cædem suam, quando ipse quoque, si victor fuisset, interfecturus esset Lysandrum, nullo interposito fœdere. Imò existimo rem Virgilij sumptam ab hac ipsissima Lysandri historia, & aliam non posse esse sententiam.

Mortem generosus honestè. — Victor facit, quæ victus pateretur.

15. PER.] Incertum reliquit, quid hîc subaudiendum, vt maior esse affectus. Fortasse, per veniam, si qua danda hostibus, & danda est: vel, per te ipsum: vel, per Lausum meum: vel propter me, qui Princeps sum: vel, per Deos ipsos, quod tamen minùs credendum ab impio. Erit, qui putet, iungendam præpositionem hanc cum extremo *oro*, vt dicat, *Perorote, si qua venia est hostibus.* quod ego in incerto relinquo.

Per, absolutè.

16. CORPVS HVMO PATIARE TEGI.] Hoc vnum enixè, nihil aliud petit apud Soph. Aiax ab Ioue, & reddit rationem,
Καὶ μὴ πρὸς ἐχθρῶν του κατοπτευθεὶς πάρος
Ῥιφθῶ κυσὶ πρόβλητος, οἰωνοῖς θ' ἕλωρ:
Ne ab hostium quopiam conspectus prius
Proiiciar canibus expositus, & volucribus ludibrium.

Eadem omnino Mezentij est ratio: vult sepeliri, quia scit concitata in se multorum odia. Hoc idem contendit ab Achille Hector iam prostratus:
Λίσσομαι ὑπὲρ ψυχῆς, καὶ γούνων, καὶ σῶν τοκήων,
Μή με ἔα παρ νηυσὶ κύνας καταδάψαι Ἀχαιῶν:
Precor per animam, per genua, per parentes,
Ne me sinas apud naues vorari à canibus Græcorum.

Sepultura quare optāda.

17. MEORVM.] Addit *odia*, quod nemo expectaret. Probè Sen. Rhet. Cont. 7. *Magnis sceleribus iura naturæ intereunt.* Nihil ergo mirum si Mezentium sui odio haberent, propter *infandas cædes*, & *facta Tyranni effera*, vt habetur lib. 8.

18. ET ME CONSORTEM, &c.] Apud Hom. Iliad. 23. vmbra Patrocli petit ab Achille componi eius ossa vnà cum ossibus Achillis, μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ' Ἀχιλλεῦ.

19. IVGVLOQVE HAVD INSCIVS ACCIPIT ENSEM.] Notarunt iam viri docti allusum à Poëta ad ludum gladiatorum. Victor enim dicebat victo, *ferrum recipe.* Ac tum victus, si esset fortis, iugulum

Recipe ferrum.

A præbebat, gladium ipse collo accipiebat, nihil detrectans, putans hoc gloriosum: porrò qui imbecillo erant animo, detrectabant ictum, opponebant brachium, aut quid simile. Ergo Mezentius, instar fortissimi gladiatoris, iugulum ipse præbet, & ferrum accipit. Sed iam ad moris huius firmamenta. Cicer. 2. Tuscul. *Quis mediocris gladiator, non non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis, cùm decubuisset, ferrum iussus recipere, collum contraxit?* Omitto loca, quæ alij aduocant (nam Ciceronem non visum omittere, etiamsi præoccupatum) & adduco in quæ ipse incidi, vbi allusio ad hunc morem. Pono enim in lucro multorum scriptorum mentem cognosci. Huc ergo allusum ab eodem Tullio 2. Tuscul. *Si nudus es, da*

Gladiatorum mos.

B *iugulum*, &c. Ab Liuio lib. 22. *Quosdam iacentes viuos succisis feminibus poplitibúsque inuenerunt, nudantes ceruicem iugulúmque, & reliquum sanguinem iubentes haurire.* Sermo est Scriptori de Annibale perlustrante cæsum exercitum. Ab Tacito lib. 1. Hist. qui de Galba, *obtulisse vltro percussoribus iugulum, agerent, ac ferirent, si è Rep. videretur.* & lib. 1. Ann. *ceruicémque percussoribus obtulit.* Ab Quintil. Declam. 305. *Minus quidem miserrimos ciues confuderat istius aspectus, iugulum contumaciter parabant.* Ab Seneca epist. 4. *Cæsar iussit, Lepidum Decimo tribuno præbere ceruicem, præbere iugulum.* & epist. 30. *Gladiator tota pugna timidissimus, iugulum aduersario præstat, & errantem gladium sibi attemperat.* A Bibulo,

Nudare iugulum. — Ceruicem offerre. — Iugulum parare. — Præbere iugulum. — Præstare iugulum.

C qui apud Appian. 2. Ciuil. ἀπεγύμνου τὴν σφαγήν: *nudabat iugulum.* ab Lucano lib. 4.

Nudare iugulum.

———*primus dux ipse carinæ*
Vulteius iugulo poscens iam fata retecto,
Ecquis, ait, iuuenum est, cuius sit dextra cruore
Digna meo?———

Retegere iugulum.

Ab Prudent. Hym. 14. περὶ στεφ.
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectúsque ad imum vim gladij traham.

Recipere ferrum.

Ab Plutar. apud quem in Lucullo Regia femina τῷ Βακχίδῃ τὴν σφαγὴν παρέσχε: *Bacchidæ præbuit iugulum.* Et quidem Pomp. Magnus percussus in Ægypto gladiatorio animo videtur fuisse; nam de illo Plu-

Pompeij virtus.

D tar. μηδὲν εἰπὼν ἀνάξιον ἑαυτοῦ, μηδὲ ποιήσας, ἀλλὰ στενάξας μόνον ἐνεκαρτέρησε ταῖς πληγαῖς: *Nihil se indignum aut loquens, aut faciens, tantùm suspirans, patienter ictus cepit.* vt etiam Cæsar apud eundem in vita Antonij, vbi τὸ ἱμάτιον ἀπάγων ἀπὸ τοῦ τραχήλου, τῷ βουλομένῳ παρέχειν τὴν σφαγὴν ἐβόα: *Detracta toga à collo, clamabat, dare se iugulum volenti.* Iphigenia apud Euripid. & Polyxena apud eundem, virgo vtraque virilis, παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως: *præbebo ceruicem animosè.* Vides, vt omnes isti auctores alluserint ad eum morem, aut verbis, aut factis. Verba sunt *nudare, offerre, parare, præbere, præstare, retegere iugulum:* facta Pompe-

Cæsaris virtus.

E iana, & Iuliana, tum etiam illorum, quorum expressa testimonia.

20. VNDANTIQVE ANIMAM, &c.] Non oportet, confugias ad opinionem eorum, qui dicebant, sanguinem esse animam. Sic accipienda illa Senecæ epist. 76. *Scit sua nihil interesse, vtrum anima per os, an per iugulum exeat.* Indicat certè opinionem Ethnicorum, qui putabant, nihil esse aliud animam, quàm sanguinem.

Anima est sanguis ex opinione Ethnicorū.

FINIS LIBRI X.

P. VIRGI

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS
LIBER XI.

ARGVMENTVM.

ÆNEAS *trophæum Marti ſiſtit hortans ſuos ad virtutem & pietatem, illam in peragendo bello, hanc in humandis mortuis, præcipua cura fit circa Pallantem, qui ad patrẽ mittitur cum captis curribus. Veniunt ad Æneam Legati Latinorum ſupplices petitum defunctis ſepulturam, hanc ille cõcedit; commouentur hoſtes eius pietate, inde in illius laudes effuſim erumpit Drances. Fiunt induciæ, & paratur materia rogis cremandorum cadauerum. Fit recurſus ad Euandrum, qui defunctum natum excipit cum facibus, & ingenti ploratu. Troiani, & Latini ſuos ſepeliunt. Redeunt Legati, quos Latini miſerant ad Diomeden ſpe fruſtrati, mæret Rex Latinus, concilium cogit, iubetur Venulus Princeps legationis referre omnia: narrat ille vti Diomedes noluerit auxilia Latinis mittere, & rationes cur noluerit. Sequitur Latini oratio deteſtantis bellum, & pacem ſuadentis, eius conſilium Drances adiuuat Turno inſenſus, ſuadétque Regi, vti Æneæ natam Lauiniam in matrimonium adiungat. Reſpondet hîc Turnus eleuans eius in loquendo futilitatem, & reprehendens in agendo ignauiam, ſuámque virtutem attollit, & Troianos contemnit, ac Regi ſatisfacit, ſéque demum deuouet pro communi ſalute. Dum hæc in concilio, Troiani ruunt, diſcedunt mæſti qui conſultabant, tuba inſonat, matronæ preces fundunt, armatur Turnus, occurrit illi Camilla. Deſcribitur locus, per quem tranſiturus Æneas, & vbi contra illum diſpoſitæ à Turno inſidiæ. Interponitur Camillæ hiſtoria, quam narrat Diana, dans Nymphæ Opi ſagittam, qua conficiat interemptorem virginis. Accedunt iam Troiani & Rutuli congreſſuri, deſcribitur apparatus armorum, & animorum furor, Acontei mors, & aliorum, Camillæ inter duces reliquos exultantia, arma & pugnandi modus, conficit duces plurimos, & cædem ingentem edit, totámque aciem Troianorum peſſumdat, quam ex parte reſtituit Tarchon editis magnæ virtutis exẽplis. Deſcribitur Aruntis dolus in Camillam, hæc cadit, & percuſſor quoque eius. Mortua Camilla fit Latinorum fuga, Troianorum impreſſio, & cædes paſſim miſera. Audit Turnus ſuorum cladem, inſidias deſerit, ad vrbem tendit, Æneas poſt illum, datúrque libro exitus.*

[a] OCeanum interea ſurgens Aurora reliquit,
Æneas (quamquam & ſociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbatáque funere mens eſt)
Vota Deûm primo victor ſoluebat Eoo.
[b] Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo: fulgentiáque induit arma
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,

Teláque

Teláque trunca viri,& bis ſex thoraca petitum,
Perfoſsúmque locis:clypeúmque ex ære ſiniſtræ
Subligat,atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

ARGVMENTVM.

Die orto, Æneas trophæum Marti ſiſtit.

EXPLICATIO.

a POst interfectum Mezentium nox aduenit, quierunt arma, orta eſt lux, & cum ea Æneæ cura. Itaque ſtatim *primo Eoo*, id eſt, prima albente Aurora, vt qui *victor*, *ſoluebat Deorũ vota*, trophæo excitato, tametſi premeretur tum cura humandorum cadauerum, tum vnius Pallantis funere eſſet mœſtiſſimus. Poëta maiore incremento *turbatus*. Pertinet hoc ad pietatem Æneæ, cui ſacra primùm curæ in tantis curis, in tam acerbo dolore.

b Conſtituit trophæi ſpeciem, quod ſacrum Marti magno bellorum Deo. Ergo, quercus, cui vndique rami amputati, conſtituitur in tumulo, & ea *ingens*, nam arma ingentia. In hac quercu *aptat criſtas*, & has *rorantes ſanguine*: deinde *tela*, & hæc *trunca*: mox, *thoracem*, & hunc *perfoſſum ictibus duodecim*. Tandem poſt omnia *clypeum*, *atque enſem*, illum *ex ære*, id eſt, æreum; hunc *eburnum*, propter vaginam, vt vult Seru. aut propter capulum, vt ego volo. Data verò eſt ſedes clypeo ad ſiniſtram partem quercus, enſi ad collum eiuſdem arboris: vt quercus armatum hominem, qua poſſet ratione, repræſentaret, verè Mezentium ipſum. In hoc enim poſita trophæi ratio, vt arbor pro homine eſſet, captiua pro captiuo.

NOTÆ.

Exordia librorum ab die oriente.

1. OCEANVM INTEREA, &c.] Tria noto in hoc libri initio. Primum, frequentiſſimum eſſe Poëtis librorum exordia ſumi ab die oriente. Hoc eſt exordium 8. Iliad.

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν·

Aurora quidem crocea veſte ſpargebatur per totam terrã.

Homeri vitium.

Ab eadem Aurora, & oriente Sole incipit Homerus Iliadem vndecimam, & decimam nonam: tum etiam Odyſſeam ſecundam, tertiam, quintam, octauam, decimamſeptimam. Certè Virgilius vnum tantùm librum dicauit huic exordio ſobrietate, qua ſolet. Nam, quis neget Homerum, quaſi rerum inopem, decurriſſe ſæpe ad idem exordium? quod vitium in eo obuium, nam plures libros, tam ex Iliade, quàm ex Odyſſea incipit vel ab hac particula ἦμος, vel ab iſta ἠὼς. Cauit hoc diligenter Virg. qui libros omnes inchoauit diuerſa ſemper voce. Nemo dicat mihi, caſu id factum: ego ſtudium puto. Simili vitio peccat Cal. nam ab oriente Aurora, aut Sole incipit librum ſecũdum, tertium, ſextum, ſeptimum, octauũ, nonum, vltimum. Ego iſta in poëſi monſtra eſſe puto.

Virgilij concinnitas.

Alterum eſt, vt notes concinnitatem Vatis, qui cùm librum iſtũ incipiat ab die oriente, eundẽ definit in diem occidentem, vt libet oriatur cum die oriente, deſinat cum deſinente. Quod tantùm in octaua Iliade, non in aliis animaduertit Homerus: & quidem vix in octaua. Eſt adhuc & maior in Virgilio concinnitas, ſi expendas hîc Auroram emergere ab mari, & in libri exitu Solem mergi in mare, vt non ſolùm res ipſa, ſed etiam modus rei ſibi conſentiant. Quis, putas, Poëtarum hoc animaduerteret? Ducent te Notæ iſtæ ad imitationem huius Vatis.

Imitatio

Tertium eſt, vt diſcas imitationem. Sumpta hæc ab Iliad. 9. vbi Hom. Oceani meminit,

Ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
ὤρνυθ', ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι, ἠδὲ βροτοῖσι·

Aurora quidem crocea veſte ab Oceani fluctibus
Surgebat, vt immortalibus lucem ferret, ac mortalibus.

Homerum ſuperat Virgilius.

Sed neque hoc abeat ſine criſi: nam cur ἀθανάτοισι? Dij enim ſemper in luce. Neque nox noſtra cœlum occupat. Apparent (dices) aſtra. Sed hoc ex obſcuro medio, cœlum quippe ſemper cum luce. Redeo. Item Hom. 7. Iliad. Solem facit orientem ἐξ ἀκαλαρρείταο βαθυρρόου Ὠκεανοῖο. Sed potius, Noſtrum Calabro inſtitiſſe lib. 6.

Ἦμος δ' Ὠκεανοῖο ῥόον, καὶ λέκτρα λιποῦσα
Τιθωνοῦ, προσέβη μέγαν οὐρανόν.———

Aurora autem relicto Oceani fluxu, & lecto
Tithoni, aſcendit cœlum in magnum.———

Hoc (inquam) potius: nam hic Ὠκεανοῦ, λιποῦσα, προσέβη. & Noſter, *Oceanum, reliquit, ſurgens.*

Imitatio.

2. QVANQVAM ET SOCIIS DARE TEMPVS HVMANDIS.] Fortaſſe ab Cal. lib. 3.

———οὐ γὰρ ἔοικεν
Αἰσχύνειν ἐπὶ δηρὸν ἀκηδέας οἰχομένους.
———*non enim decet*

Diuturno (ſepulturæ) *neglectu mortuos dehoneſtare.*

Eſt quidpiam ſimile in Homer. Iliad. 18. etiamſi de re alia.

Ἐς δ' ἀγορὴν ἀγέροντο, πάρος δόρποιο μέδεσθαι·

In concionem congregabantur, antequam cœnã curarent.

Cladis magnæ nota.

Inter notas magnæ cladis adhibet Plut. in vita Craſſi hanc, videlicet abiectam curam humandorum cadauerum. οὔτε ταφὰς τῶν κειμένων ποιεῖσθαι λόγον. Nam hæc prima eſſe debet, ſcribẽte Curtio lib. 5. de Mag. Alex. *Rex dimittere milites inſepultos erubeſcebat, ita tradito more, vt vix vllum militiæ tam ſolemne eſſet munus, quàm humandi ſuos.* In vita quoque Pompeij ait Plut. neglectam curam hanc à Lucullo, cauſam fuiſſe odij in illum concepti, μίσους αἰτίαν γενέσθαι, quo exemplo admonitus Pompeius, cùm incidit in cadauera inhumata, ἔθαψε λαμπρῶς, καὶ φιλοτίμως ἅπαντας. Ennod. Declam. 10. dixit: *Communis eſt vniuerſis defunctorum reuerentia, & circa religionem forte vltima conditorum dignam poſuit humanitas vniuerſa culturam.*

Defunctorũ cura.

3. PRÆCIPITANT CVRÆ.] Lucan. lib. 5. *Præcipitantq́; ſuos luctus.* Stat. 7. Theb. *præcipitet pugnas.* Eſt hoc, quod Ouid 8. Metamorph. *nec plura ſinit tempus.*

4. TVRBATA MENS EST.] Sen Rhe. Cont. 7. *Olim iam mihi excuſa mens eſt, ex quo, &c.*

Funere polluti.

5. VOTA DEVM PRIMO VICTOR SOLVEBAT.] Notat Seru. Romanam conſuetudinem, videlicet, *vt polluti funere minime ſacrificarent. Si tamen contingeret, vt vno eodémque tempore funeſtaretur quis, & cogeretur operam dare ſacrificiis, elaborabat, vt prius ſacra compleret, quàm funus agnoſceret.* Hæc ergo cauſa, cur ſacra præponantur cadaueribus humandis. Firmat exemplo Horat. Paluilli, qui ad nuntium mortui filij noluit ſacra intermittere. Poſſis ita. Sed ego libenter confugio ad morem alium, quo duces poſt bellum præclarè geſtum, ſacra parágebant. Sic Appian. in Hiſpan. Scipionẽ deſcribit poſt recuperatã

Sacra poſt victoriam.

Saguntum facta peragentem, & victoriam celebrantem.

Quercus ad trophæa. 6. INGENTEM QVERCVM.] Hæc arbor, vt plurimùm, assumpta ad excitanda trophæa. Sidon. Paneg. Maiorian. de hac re loquens, *& quercum captiuo pondere curuet*. & Anth. *quercusq́; trophæis Curua tremit*. Stat. 2. Theb. in quercu trophæum statuit. Claud. 1. Ruff. *vestita spoliis donabere quercu*. & 2. Stil.

Diuitibus exuuiis tendentem ad sydera quercum.

Ita & Romulus Acronis arma, & Marcellus Britomartis opima suspendunt in quercu. Demum Virg. 10. Æneid.

Hæc arma, exuuiasq́; viri tua quercus habebit.

Dixi, vt plurimùm: nam saltem ex Romano more. Certè Claud. 3. Rap. abietem vestit spoliis Enceladi. & Græci aliud genus trophæi habuerunt. Aristophanis interpres in Plut. ἐστὶ δὲ τρόπαιον ὃ ἐν ταῖς νίκαις Trophæum apud Græcos, quid. ἱστῶλαιοι ἱστᾶσιν, τεῖχος, ἢ λίθον μέγαν ἱστάντες: *Est trophæum murus aut columna lapidea, quam veteres in victoriis excitabant*. Denique erecta trophæa in hastis duabus, longiore vna, breuiore altera, efformatis in modū crucis. Inde propriè & verè Tertull. Apolog. *Sed* Crux ad trophæa. *& victorias adoratis, cùm in trophæis cruces intestina sint trophæorum*. Quia crux formata intus latebat, vt latent intestina in corpore, & foris ostentabat militaria spolia. Et nota dici quercum *ingentem*. Nam huic gloriæ semper quærebatur arbor maxima. Plutar. in trophæo Romuli, δρῦν ὑπερμεγέθη, *quercum magnæ proceritatis*. & Stat. 2. Theb. eligit quercum, quæ *iamdudum oblita iuuenta*, id est, magni iam senij.

7. DECISIS VNDIQVE RAMIS.] Sueton. in Calig. c. 45. *truncatisq́; arboribus, & in modum trophæorum adornatis*. Iuuenal. Sat. 10.

Bellorum exuuia truncis affixa trophæis.

Prudent. 2. Sym. ait, suspensa fragmina telorum cuidam *trunco*.

Trophæa in locis editis. 8. CONSITVIT TVMVLO.] Morem hîc inuenit Seru. [illegible] *trophæa* (inquit) *non figebamur, nisi in eminentioribus locis*. Et firmat, quia Sallust. de Pompeio: *Deuictis Hispanis, trophæa in Pyrenæa iugis constituit*. & addit, inde factum, vt trophæa in arcubus vrbium statuantur. Obsecro, trophæum istud non longè Et in loco cædis. fortasse excitatum à loco, in quo occisus Mezentius. Notanter enim Strab. dixit loquens de Fabio Maximo, qui vicit Allobroges, ἔστησε τρόπαιον αὐτόθι, *statuit trophæum ibi*. & Tacit. 2. Ann. *Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem salutauit, struxitque aggerem, & in modum trophæorum arma*.

9. FVLGENTIA.] Hom. 18. Iliad. τεύχεα μαρμαίροντα. & alibi. παμφανόωντα. Nunquam modici in hac re, siue Poëtæ, siue scriptores. Plutar. in vita Crassi armatos ait esse φλεγυρωτέρους. Omitto.

10. INDVIT ARMA.] Nota copiam, *induit, aptat, subligat, suspendit*. Stat. 2. Theb. *inserit*. nam *subligat* à Nostro accepit. Ab eodem Claud. 1. Ruff. & Prudent. 2. Symm. *suspendit*. & Claud. 1. Ruff. *vestita quercu* dixit, quia Noster *induit*. & inf. *induites truncos*. Sed notanda copia eiusdem Claud. 3. Rapt. qui in hac re mirè exultat. Nam, *posuisse cruentam Ægida, sylua exuuiis superbit, victoria vestit nemus, dependent tergora, affixæ facies truncis, arbor spoliis exultat, arma sustinet, ornatur, gestat*. Demum,

Nullaq́; non magni iactat se nominis arbor.

Sed nemo sanus præferat hanc copiam Virgilianæ sobrietati.

Trophæa nō solùm Marti dicabantur. 11. TIBI MAGNE TROPHÆVM BELLIPOTENS.] Nam trophæum cùm sit militare, ideo bellorum Deo. Germanus Patriarcha Constantinopolit. cùm, A loquens de Christo, attingat morem hunc, signanter ait, νόμῳ στρατιωτικῷ, *militari more*. Sed scias tamen alijs, quàm Marti, trophæa hæc dicata. Plin. enim lib. 6. cap. 28. scribit Numenium gemina trophæa Ioui ac Neptuno statuisse. Germanicus apud Tacit. 2. Ann. sacrat trophæum *Marti, & Ioui, & Augusto*. Eodem trahat aliquis Strabonem lib. 4. vbi ait, Fabium Maximum, deuictis Gallis, trophæum statuisse, ac Marti templum vnum, Herculi alterum dedicasse. Trahat (inquam) nam hæc templa pro trophæo. Quod Virgil. *bellipotens*, Stat. lib. 7. *armipotens*.

12. APTAT RORANTES SANGVINE CRISTAS.] Locorum similitudo. Cùm hic sit locus imitationis, adducam aliquos, qui B similia. Iuuen. Sat. 10.

Bellorum exuuia, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside bucula pendens.

Stat. 2. Theb.

Huic leues galeas perfossaq́; vulnera crebrò
Inserit arma ferens. huic truncos ictibus enses
Subligat, & tinctas membris spirantibus hastas.

Claud. 3. Rapt.

——— *Phlegræis sylua superbit*
Exuuiis, totumq́; nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus, hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ facies truncis.———

13. ET BIS SEX THORACA PETITVM.] Putat Seru. allusum ad morem, quo interempti duces ab C omni exercitu vulnerabantur. Quò trahit illud Duces interempti vulnerabantur ab omni exercitu. Homer. Iliad. 22. vbi interfectum Hectorem ab Achille, alij hastis perfoderunt, οὐδ' (inquit) ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη. Ergo, quia Thusciæ populus in partes duodecim diuisus fuit, credibile à Principibus harum partiū perfossum Mezentium, ac proinde duodecim sunt vulnera. Idem videtur sentire Vrs. aduocans Homeri adducta verba. Sed ego tibi Germane assentio hanc subtilitatem respuenti. Maior gloria Æneæ est, si ipse in certamine tot vulneribus hostem confecerit: & magna Mezentij, qui nisi tot vulneribus animam dederit. Assentiente & Iulij loco lib. 3. Ciuil. *Scuto ad eum relato Scæuæ Centurionis, inuenta sunt in eo foramina ducenta triginta*. D In Epig. etiam ἀσπίδα πολυτρητον. Vide & sequentem Notam.

14. PERFOSSVM.] Inducitur à Leonida lib. 1. Spolia perfossa & cruenta grata Marti. Epig. Mars abominans dicata sibi fuisse arma incruenta, neque perfossa, nam hæc nulla est gloria.

Οὐκ ἐμὰ ταῦτα λάφυρα. τίς ὁ θριγκοῖσιν ἀνάψας
Ἄρεος ταῦτα τὰν ἄχαριν χάριτα;
Ἄκλαστοι μὲν κοντοί, ἀναίμακτοι δὲ γανῶσαι
Ἀσπίδες, ἄκλαστοι δ' αἱ κλαδαραὶ χάμακες:
Non mea sunt hæc spolia. quis in ædibus suspendit
Martis ingratam hanc gratiam?
Conti sunt non fracti, incruentæ etiam splendidæ
Scuta, neque fracta sunt hastæ arboreæ.

E Ergo Æneas rorantes appendit cristas, tela truncata, clypeum perfossum: nam hæc spolia grata Marti. Timotheus quidam Atheniens. apud Plutar. in vita Pelopidæ ostentat laudis loco τὴν ἀσπίδα λόγχῃ διακεκομμένην, *clypeum lancea perfossum*.

15. CLYPEVMQVE EX ÆRE, &c.] Dixi explicans, redditam formā armati hominis. Ideo clypeus ad sinistram arboris, ensis ad collum militari more. Nam baltheus collo appensus, & inde ensis dimittebatur ad latus. Hanc formā armati hominis firmant Trophæa armatum hominem repræsentabant. verba Minutij hæc: *Trophæa vestra victricia, non tantùm simplicis crucis faciē, verùm & adfixi hominis imitātur*. Nā [illegible]

nimirum

nimirum adfixa arma in cruce adfixi hominis figuram exhibebant. Alludit Minut. ad morem, quem ex Tertull. repræsentaui sexta Nota huius tractus. Vt ergo trophæa in cruce adfixum hominem, ita in arA bore armatum referebant.

16. SVBLIGAT.] Videlicet διὰ ὀχάνης. Sic enim vocat Plut. in Cleomene amentum illud, quo solet clypeus suspendi.

ᵃ Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ouantes.
ᵇ Maxima res effecta, viri: timor omnis abesto,
Quod superest. hæc sunt spolia, & de Rege superbo
Primitiæ, manibúsque meis Mezentius hic est.
ᶜ Nunc iter ad Regem nobis, murósque Latinos,
Arma parate animis, & spe præsumite bellum.
ᵈ Ne qua mora ignaros (vbi primùm vellere signa
Annuerint Superi, pubémque educere castris)
Impediat, segnésque metu sententia tardet.
ᵉ Interea socios, inhumatáque corpora terræ
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est.
ᶠ Ite (ait) egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperêre suo, decorate supremis
Muneribus: mœstámque Euandri primus ad vrbem
Mittatur Pallas: quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

ARGVMENTVM.

Hortatur socios ad virtutem, ad pietatem: illam in peragendo bello, hanc in humandis mortuis.

EXPLICATIO.

ᵃ INCIPIO ab parenthesi. Repræsentatur magnus Princeps, & qualem in sua Æneide vult Maro. Stipat, tegitque illum *turba*, sed *ducum*. Nam præ illo, & eius virtute, duces etiam in turba sunt. Hortatur itaque *socios*, & illos ab se vno *ouantes*. Quippe omnium gloria ab illo tota, vt qui Mezentium interfeC cerit.

ᵇ O *viri*, quia cum ducibus tantùm loquitur, & proceribus, non cum reliquo exercitu. Ergo, ô *viri*, si interfecto Mezentio *maxima res effecta est*, *quod superest*, id est, τὸ λοιπόν. Clariùs. Effecta re maxima, reliquum est, vt *absit omnis timor*. sed *abesto* augustius, & ex dignitate magni Principis. Sed quare abesse debet omnis timor? quia

—— hæc sunt spolia, & de Rege superbo
Primitiæ, manibusq́; meis Mezentius hic est.

Quasi dicat: Videte qualem vobis Mezentium reddidi. Nam *hic* contumeliosè accipio, cum oppositio D ne ad superbiam. Superbus ille Rex Mezentius *hic est*, iam nullus, οὐδείς. Apage, vt per *Regem superbum* capias Turnum. Et *primitiæ* dixit signatè, quia sacrat trophæum Marti.

ᶜ Vicimus iam campestri bello, ibimus alacres ad obsidendos muros Latini Regis. Sed tria necessaria, arma, animi, spes.

B ᵈ Volui vos monitos de expeditione ad muros, ne in mora sitis, eùm, captatis auguriis, ire ad bellum cœperimus, educto è castris milite: quæ sanè mora segnitiem & metum arguet.

ᵉ Dum verò à bello vacamus, & tempus fit obsidendæ vrbis, *mandemus terræ socios*, *inhumatáque corpora*, id est, inhumata corpora sociorum, est enim ἓν διὰ δυοῖν. Nam hic *solus honos est sub Acheronte*, quia videlicet talis honos animæ, qualis cadaueri: quippe sepultorum animæ traiiciebant fluuium, hoc latè lib. 6.

ᶠ Oratio plena artis militaris; non enim tam miseratur mortuos, quàm accendit viuos ad virtutem. Egregiæ sunt hæ animæ, quia *pepererunt nobis*, ἐμφατικῶς, *patriam hanc*, δεικτικῶς, non auro, aut quouis alio, sed *suo sanguine*. Nota, quia *pepererunt*, ideo *sanguine*. Ab tot meritis decorandæ sunt *muneribus*, id est, factis, quæ suprema. Et ante alios curanda vnius Pallantis sepultura, itaque, *mittatur ad Euandri vrbem*. Addit elogium, & dolorem. Elogium, nam nulla eguit virtute, id est, fortissimus fuit, nihil in eo requiras, nihil desideres. Dolorem, nam obiit immaturus, ideo *dies atra*, *acerbum funus*, *ablatus*, *mersus*.

NOTÆ.

1. STIPATA TEGEBAT TVRBA DVCVM.] Retuli ad dignitatem Principis Æneæ. Comitatum hunc Principum παραπομπὴν vocat Artem. lib. 1. c. 79. Idem lib. 2. cap. 3. χρὴ γὰρ τὸν ἔχοντα πορφύραν, πάντως διάδημα, ἢ στέφανον ἔχειν, καὶ πολλοὺς ἀκολούθους, καὶ φύλακας: *Oportet enim, qui gerit purpuram, habere etiam diadema, aut coronam, multos etiam* Principes sint cum comitatu.

comites & custodes. Sic Coriolanum καθιζόμενον μετ' ὄχλου Plutar. inducit ad ostentandam auctoritatem. Philo περὶ φιλανθρ. meminit πλῆθος θεραπόντων, ad indicandum fastum Principum; & θεράποντας ait de comitibus, cui voci ἀπαράπεμπτον oppone. Sic enim vocat Plut. in vita Alex. Regem, qui est sine comitatu.

Imitatio. 2. MAXIMA RES EFFECTA.] Tale illud Iliad. 22.

Ἠράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον:
Consecuti sumus magnam gloriam, occidimus diuinum Hectorem.

3. TIMOR OMNIS ABESTO.] Iliad. vlt. μηδέ τι τάρβει: *nihil time.*

Acrothinia. 4. SPOLIA.] Allusum ad ἀκροθίνια notat Passerat. quæ vox signat & *spolia*, & *frugum primitias*: cùm λάφυρα tantùm sint viuis abstracta, σκῦλα & σκυλεύματα tantùm mortuis.

Superbus vnde. 5. SVPERBO.] Latinos hanc vocem accepisse à Græca voce ὑπέρβιος monuit Henric. Steph. Latini enim incipientibus ab aspirata addunt litteram sibilantem. sic ὗς, *sus*, & infinita.

Manus, pro virtute. 6. MANIBVSQVE MEIS.] Id est, virtute. Locutio Latij crebra. Propert. de Hercule Eleg. 10. lib. 4. *manibus purgatum sanxerat orbem.*

Titulus in trophæis. 7. MEZENTIVS HIC EST.] Moris fuit in tropheis affigi nomina illorum, de quibus trophæum erigebatur, quod postea firmabo ad illud, *inimicaq́; nomina figi.* Hîc tantùm dico, titulum fortasse huius trophæi fuisse, *Mezentius hic est.* Nam τὸ *hic est* sapit titulum, accedente Ouid. in epist. Phyll.

Hoc tua post illos titulo signetur imago;
HIC EST, *cuius amans hospita capta dolo est.*

Imitatio. 8. NVNC ITER AD, &c.] Imitatio clara Hom. Iliad. 22. vbi Achilles, interfecto Hectore, monet, eundum contra vrbem Priami. Locum, vt longum, omitto. versus signatior est,

Εἰ δ' ἄγετ' ἀμφὶ πόλιν σὺν τεύχεσι πειρηθῶμεν:
Eia agite, circa ciuitatem cum armis experiamur.

Præsumere bellum. 9. SPE PRÆSVMITE BELLVM.] Non alio sensu Horat. Sat. 2. lib. 2. *præsumis molliciem.* & Tertull. de Anim. *Inferna supplicia præsumebas, & non præcauebas.* Plin. lib. 25. c. 2. de Mithridate bibente quotidie venenum, *præsumptis remediis, vt consuetudine ipsa innoxium fieret.* Sen. epist. 105. *si sæpe cogitaueris, & futura præsumpseris.* Est, *spe præsumere*, προκατελπίζειν. Vide, quę ex Budæo Pont. Certè Pausanias προθυμίαν & ἐλπίζειν coniunxit in Attic. & Eurip. in Ione, προλάζυμαι τῷ χρόνῳ.

Vellere signa. 10. VELLERE SIGNA.] Signa euelli non poterant, nisi captato augurio, & Diis fauentibus. Itaque ait, ad annuentes Superos signa euellemus, non aliter. Nota verò annuentium erat, si signa facilè euellentem sequerentur. Quis nescit cladem Crassi in Parthis? Atqui ille (auctore Appiano) euellere nequibat signa. Plut. etiam in eius vita ait, primam aquilam, postquam euulsa est, retrò rediisse, vt quæ non facilè sequeretur. λέγεται δὲ καὶ τῶν ἀετῶν ὁ πρῶτος ὀρθὸς ἀπὸ ταυτομάτου μεταστραφῆναι. Apud Sueton. cap. 13. Claudij. Camillo Scriboniano mouenti in Claudium triste fuit omen, nam *neque aquila ornari neque signa conuelli, moueriq́; potuerunt.* Accepit ab Suetonio Orosius eadem verba. Idem omen Flamminio Consuli apud Sil lib. 5 accidit, vbi,

Signa etiam effusa certant dum vellere mole.

vbi *certant*, & *mole*, posita ad indicandam difficultatem. Cui loco cognatus alter Plut. in vita Gracchorum, vbi signum συντριβὲν, *diffractum est*, videlicet, τοῦ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου, *signifero magna vi obnitente.* Hæc enim difficultas orta ab renuente signo.

11. ANNVERINT SVPERI.] Xerxes apud Herodot. Musa septima, διαβαίνωμεν ἐπευξάμενοι τοῖσι θεοῖσι: *faciamus expeditionem precati priùs Deos.*

12. INTEREA SOCIOS, &c.] Cura magna olim erga interfectos in bello, & nescio qua ratione maior quàm erga alios. Huius rei seges magna cùm in multis, tum in vno Pausania maxima, vt cùm ait Attic. cerni sepulcra illorum militum, qui περὶ Κόρινθον πεσόντες, &, τοῖς μὲν ἐν Εὐβοίᾳ τε, καὶ Χίῳ τελευτήσασι. Iterum, εἰσὶ δὲ ἐπ' ἄλλῃ στήλῃ καὶ οἱ μαχεσάμενοι περὶ τὴν Θρᾴκην, καὶ ἐν Μεγάροις. Postea: ἐτάφησαν δὲ καὶ οἱ περὶ τὸν Ἑλλήσποντον ναυμαχήσαντες. Possem integrum transcribere. vbi vides præclaram mentionem illorum militum, & sepulcrorum. Nam pugnando ceciderant ad Corinthum, Eubœan, Chium, Thraciam, Megarin, Hellespontum. — Defunctorū cura.

13. TERRÆ MANDEMVS.] Lib. 9. tamen dixit, *mandet humo solita*, casu vltimo.

14. QVI SOLVS HONOS ACHERONTE, &c.] Hom. 16. Iliad. loquens de sepultura mortuorum, τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, *hic est honos mortuorum.* Repetit Iliad. 23. Quintil. declam. 328. de re mortuorum loquens, *Qui supremus claris ciuibus honor habetur.* — Sepultura honor mortuorum.

15. EGREGIAS ANIMAS, QVÆ SANGVINE, &c.] Cognata huic loco & sententiæ verba Lysiæ in oratione funebri de Atheniensib. qui prælio periêre. — Illustrissimi qui pro patria occubuêre.
μετὰ πλείστων πόνων, καὶ φανερωτάτων ἀγώνων, καὶ καλλίστων κινδύνων ἐλευθέρασαν μὲν ἐποίησαν τὴν Ἑλλάδα, μεγίστην δ' ἀπέδειξαν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα: *Hi plurimis laboribus, manifestissimis certaminibus, ac pulcherrimis periculis Græciam liberarunt, suamque patriam maximam reddiderunt.* Hoc quid est aliud, quàm Virgilianum, *egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperêre suo?* Et ad exitum eiusdem orationis: προσήκει τούτους εὐδαιμονεστάτους ἡγεῖσθαι, οἵτινες ὑπὲρ μεγίστων, καὶ καλλίστων κινδυνεύσαντες, οὕτως τὸν βίον ἐτελεύτησαν: *Oportet hos beatissimos existimemus, qui maxima, ac pulcherrima ausi, ita diem obiêre.* Et addit, memoriam eorum debere esse immortalem. ἀγήρατοι μὲν αὐτῶν αἱ μνῆμαι. Aristid. in Panath. ait, Athenienses sanxisse, τῶν μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως τελευτησάντων, αὐτῶν μὲν ἐπαίνους ἐπὶ ταῖς ταφαῖς καθ' ἕκαστον ἔτος λέγειν: *vt qui pro patria obiissent, quotannis publicè ad sepulcra laudarentur.* Vide & Platon. in Menex. vbi multa in hoc argumentum.

16. ANIMAS.] Cur hoc? nónne sepultura corpori conuenit? Nonius *animam* hoc loco sumit pro cadauere. Ego tripliciter expedio. Vel iuxta ea, quæ dixi latè 6. Æneid. vbi pars animæ, quæ vmbra dicitur (loquor ex doctrina Gentilium) putabatur comitari cadauera sepultorum. Vel locutus Poëta κατὰ συνεκδοχήν, videlicet ex communicatione animæ & corporis. Itaque, quia corpus domicilium animæ, dicitur anima ipsa decorari sepultura, vt lib. 6. anima Palinuri, *nunc me fluctus habet*, certè corpus erat in fluctibus. Tertiò, cur non anima dici queat decorari, quæ pars tota animositatis? In superbo titulo deuictarum gentium Athenienses apud Aristidem in Parephtheg. Ἑλλάδα πᾶσαν ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς ῥυσάμενοι: *Græciam omnem liberantes nostris animabus.* His *egregias animas*, videtur reddere Homeri ἰφθίμους ψυχάς. Talem virum Calab. vocat ἐσθλὸν ... lib. 4. — Animæ dicuntur ornari sepulcralibus.

17. QVI SANGVINE NOBIS HANC PATRIAM PEPERERE.]

PEPERERE.] Conueniens huic excursui locus Thucyd. lib. 2. qui ore Periclis in orat. funeb. καὶ ἐκεῖνοι τ' ἄξιοι ἐπαίνου, καὶ ἔτι μᾶλλον οἱ πατέρες ἡμῶν, κτησάμενοι γὰρ πρὸς οἷς ἐδέξαντο ὅσην ἔχομεν ἀρχήν, οὐκ ἀπόνως ἡμῖν τοῖς νῦν προσκατέλιπον: *& cùm illi laude digni sint, tum vel magis patres nostri, qui ad ea, quæ acceperant, hoc quantumcunque habemus Imperium adiicientes, non sine labore partum, nobis, qui nunc sumus, reliquerunt.* Qui locus adiungitur superioribus Lysiæ.

Locorum similitudo.

18. PEPERERE.] Fortasse ab Enn. apud quem Scipio African.

Patriam parere. Imitatio

Desine Roma tuos hostes ———
Namque tibi monumenta mei peperere labores.

Et lib. 17. Annal.

Non possunt mussare boni, qui facta labore
Militiæ enixi peperere. ———

19. SVPREMIS MVNERIBVS.] A Plut. in vita Antonij dicuntur exsequiæ τιμαὶ τελευταῖαι: *honores extremi.* Ad hunc modum Eurip. in Orest. loquens de mortua Clytæmnestra, λουτρῶν πανυστάτων, *extremis lauacris.* Quicquid enim fit in honorem mortuorum, postremum dicitur.

Suprema munera.

20 VIRTVTIS EGENTEM.] Locutio est Ennij. Illustraui lib. 8.

21. ABSTVLIT.] De morte immatura. Ita Ouid. 10. Metamorph. *crescentesque abstulit annos.* Estque hoc, quod idem in eodem lib. dixit, *prima fraudate iuuenta.*

Aufero, de morte immatura.

22. ATRA DIES.] Cal. lib. 3. μόρος αἰπὺς. Iam hoc alibi.

23. MERSIT.] Ita etiam de re funerea lib. 6.

24. ACERBO.] Dixi satis ad 6. Æneid. vbi explicatum ab immaturis fructibus dici *acerba funera.* Et hîc adiicio, sæpe ab eadem voce dici quæcunque peruersa & mala sunt; vt cùm Aristoph. in Vesp. vocat στομφάζοντας, homines superbos, vt qui rideant extra opportunitatem, potiùs irrideant. Quæ vox fit ἀπὸ τοῦ στόματος, καὶ ὄμφακος, *ab ore, & vua immatura.* Sic etiam & Plato Comicus ὄμφακας traduxit ad animi asperitatem notandam, vt notauit iam Christianus in eundem Aristoph.

Acerba, de quibus.

[a] Sic ait illacrymans, recipítque ad limina gressum,
Corpus vbi exanimi positum Pallantis Acœtes
Seruabat senior, qui Parrhasio Euandro
Armiger antè fuit: sed non felicibus æquè
Tum comes auspiciis charo datus ibat alumno.
[b] Circum omnes famulûmque manus, Troianáque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.
[c] Vt verò Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus, mœstóque immugit Regia luctu.
[d] Ipse caput niuei fultum Pallantis, & ora
Vt vidit: læuíque patens in pectore vulnus
Cuspidis Ausoniæ, lacrymis ita fatur obortis.

ARGVMENTVM.

Adit locum, vbi positus Pallas, excitatur aliorum gemitus, & vnius Æneæ lacryma.

EXPLICATIO.

[a] ORATIO Æneæ in lacrymas desinit, itque ad locum, vbi positus Pallas iam exanimis, vbi seruatus ab Acœte sene, qui fuerat Euandri armiger, & Pallantis custos, priùs quidem felix, nunc satis miser. In his versibus miri sunt affectus, aliquos Donatus attigit. Quale est audire, senem bello iam inutilem, esse superstitem; iuuenem bello vtilissimum, iacere? Quale, fuisse Acœtem felicem in anteacta vita, infelicem in exitu? Quale, interesse funeri charissimi alumni, qui putauerat se reportaturum illum victorem ad patrem? Quale, interfuisse tot bellis semper illæsum, & Pallantem primo pugnæ die abreptum fuisse?

[b] Efficitur res tota tragica, ab turba famulorum & Troianorum, qui erant circum cadauer cõplorabũdi: ab Iliabidus feminis, quibus solutus crinis lugentium more.

[c] Vix Æneas pedem intulerat, cùm ad visum illum nouus & magnus gemitus exoritur, qui penè ad sydera. Tundunt omnes pectora, & Regia immugit. Quid compares cum hac mœstitia?

[d] Ab aliorum gemitu, tunsione, luctu separat lacrymas Æneæ, quæ excitatæ ad visum Pallantem. Videt enim iuuenem pulcherrimum, ideo *niueum*, in cuius tamen pectore patentissimum vulnus. Nec caret peculiari affectu nominari *cuspidem Ausoniam.* Quasi dicat: Qui Parrhasius, qui alitus in spem Regni, qui in florida iuuentute, cadit in Italia. Sic sunt fortunæ, & bellorum fata.

NOTÆ.

1 RECIPIT.] Ita apud Hom. 18. Iliad. cùm alij plorarent circa Patroclum, fit peculiaris mentio amicissimi Achillis, qui μετὰ δ' ἄρα σφι ἕπετο, *vnà cum aliis sequebatur.*

2. AD LIMINA.] Vox signatissima. & ex more. Itaq; nõ hîc pars pro toto, sed verè capienda tãtùm limina. Moris fuit scilicet, vt cadauera producerentur ad domorum vestibula, & limina, vt inde efferrentur ad sepulturam, & hæc dicebatur *collocatio*, vel *positio* cadaueris. Ita de cadauere Augusti Sueton. c. 100. *Equester ordo suscepit, vrbique intulit, atque in vestibulo domus collocauit.* Asconius in orat. pro Milon. loquens de Clodio, *corpus in atrio domus positum.* Mihi non dubium, quin ad hunc morem

Collocatio, Positio cadaueris.

narret; hunc rem ipsam formare verbis: neque tam verba ex A *rebus, quàm res ipsas excitare è verbis.*

Fœminæ lugentiū habitu circa cadauer.

7. ET MOESTÆ ILIADES, &c.] Attingit morem antiquitatis illius. Erant enim circa cadauer collocati defuncti feminæ lugentium habitu, ideo hîc, *crinem de more soluta*, id est, de more funerum. Sed iam ad firmamenta. Apud Calab. lib. 1. in luctu Auroræ erga Memnonem, sunt κοῦραι ἐϋπλόκαμοι δυώδεκα, *puellæ duodecim capillo decoræ*. In 3. etiam Æneid.

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Quem versum dupliciter explicui, nec muto. In funere etiam Patrocli inducuntur δμωαί, id est, *ancillæ*, quæ θυμὸν ἀκηχέμεναι μεγάλ' ἴαχον, *animo afflictatæ altè eiulabāt*. &, χερσὶ δὲ πᾶσαι στήθεα πεπλήγοντο, *omnes manibus percutiebant pectora*. Hic locus facit, vt credam B veram esse Seruij explicationem, qui per *Iliadas* intelligit ancillas Troianas. Nam & Hom. δμωὰς inducit. Etenim honestæ omnes feminæ relictæ in Sicilia, excepta vna matre Euryali, *quæ te sola puer*, &c. Statius etiam apertè 6. Theb. in funere Archemori, *mollem famularum brachia planctum*. & apud Calab. lib. 3. circa cadauer Achillis sunt μογεραὶ λάτριδες, *laboriosæ ancillæ*, quæ

Ancillæ cōplorantes circa cadauer.

ἱστάμεναι γοάασκον ἀμύσσουσαι χρόα καλόν,
Stantes lugebant, deformantes corpus pulchrum.

Sic capio Eurip. in Alcest. vbi δοῦπος νεολαία γυναικῶν, *strepit iuuenilis cœtus mulierum.*

Comæ solutæ habitus lugentium.

8. CRINEM DE MORE SOLVTÆ.] Quis nescit hunc esse habitum lugentium? Lycophron loquens de Siculis,

Κρατὸς δ' ἄκαρθος νῶτα καλλυνεῖ φόβη,
Μνῆμαι παλαιῶν πημάτων ἰδυμμάτων:
Intonsa per tergum fluit capitis coma,
Doloris antiqui memoriam refricans.

Albinouan. ad Liuiam,

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem,
Pallida proiecta flere per ora coma.

Parco, nam iam hoc tertia Æneide.

Lamēta repetuntur interueniente aliquo.

9. VT VERO ÆNEAS, &c.] Cùm dicat Seru. *naturale esse, vt intermissa lamenta repetantur, cùm aliquis nouus aduenerit*; & addat, *ita in Stat. nam ingressis ducibus denuò defletur Archemorus*, clarum respexisse illum ad versus 6. Theb. hos,

——— *mox vt morientia digna*
Vulnibus Inachij penetrarunt limina Reges,
Ceu noua tum clades, & primo saucius infans
Vulnere lethalis ve irrumperet atria serpens.
Sic alium ex alio, quanquam lassata, fragorem
Pectora congeminant, integratoq; resultant
Accenso clamore fores. ———

Sed rem hanc aliunde ego illustro. Philostratus in Heroicis ait, ingentem gemitum excitatum à Græcis, cùm ingressi, vbi Aiax iacebat, ἀποσφαγέντα εἶδον, & περὶ τῷ ξίφει κείμενον. Profero & opportunum locum Plutar. qui in funeratione Philopœmenis, ὡς ἂν συναναμιχθῶσιν αὐτοῖς οἱ πρεσβύτεροι, μετὰ γυναικῶν καὶ παίδων ὀλοφυρμὸς ἤδη διὰ παντὸς ἐχώρει τοῦ στρατεύματος: *Vt verò senes fuerunt cum mulieribus & pueris commisti, tum verò ingens comploratio per exercitum discurrit.* Neq; abit locus Iustini lib. 19. *Inter hæc procedit inops è naui sua Imperator sordida seruiliq; tunica discinctus, ad cuius conspectum plangentia agmina iunguntur.*

Pectus tundebatur in luctu.

10. TVNSIS PECTORIBVS.] Cal. lib. 3. loquens de fletu habito pro Achille mortuo ab puellis,

Στήθεά τ' ἀμφοτέρῃσι πεπληγυῖαι παλάμῃσιν,
Ἐκ θυμοῦ στονάχιζον ἐΰφρονα Πηλείωνα:
Et pectora vtraque tundentes manu,
Ex animo deflebant beneuolum Pelidem.

Venus apud Ouid. 10. Metamorph. deflens mortuū Adonidem, *indignis percussit pectora palmis*. Prop. Eleg. 9. lib. 2.

Languida vesana verberat ora manu.

Velim scias sæpe clamores istos ex gemitibus edi in funeribus Gentilium, non ex misericordia & dolore animi, sed ex consuetudine. Consueuit enim attolli clamor, vt lib. 6. in funere Miseni,

Ergo omnes magno circùm clamore fremebant.

Et in Alcestide Eurip. vbi in morte huius feminæ adhibet χειρῶν κτύπον, *strepitum manuum*. In Poëta tamen ex vera capio misericordia, vt illa Herodiani lib. 1. in obitu Marci Imperatoris, οἰκτος δὲ πάντας ἐλάμβανε τοὺς παρόντας, ὡς μηδὲ καρτερήσαντάς τινας αὐτῶν εἰς οἰμωγὴν ἀναβοῆσαι: *Tanta autem omnes, qui aderant, miseratio inuasit, vt sui parum compotes gemitum attollerent.*

Scena lugentium. Sepultura eo honestior, quo maior clamor.

11. MISTOQVE IMMVGIT REGIA LVCTV.] Possit vocari hæc *lugentium scena*, quæ est in Sen. epist. 99. Virgilij verbo significatur maximus lugentium clamor. Ita scilicet putabatur honestatus fuisse defunctus. Loquens de funeratione Aiacis Philostrat. in Heroic. ᾤμωξαν μὲν ὑπ' αὐτοῦ ἀθρόον, ὡς ἀτὰ κοῖλοι ἀχῆσαι μηδὲ τοῦ Ἰλίου: *vsque adeò ingemuerunt, vt in Ilio quoque exaudirentur*. Maiore incremento Eurip. in Phœniss.

Βροντᾶ καὶ στεναγμὸς,
Ἰαχᾶ τ' ἦν ὅμοιος:
Tonitruo autem luctus,
Clamorque erat similis.

Pulchritudo ad excitandos affectus.

12. NIVEI.] Notetur affectus. Inter cruorem, & vulnera niueus Pallas, & pulcher. Obseruaui ad hāc rem loca aliquot lib. 9. in cæde Euryali. Hîc adiicio C Nonnum lib. 11. qui pari affectu de iuuene pulcherrimo & dilacerato,

Καὶ νέκυος περ ἐόντος ἔτι στίλβουσι παρειαὶ,
Ὀφθαλμοὶ γελόωσι, καὶ εἰς ἔτι, δίχθαδίης δὲ
Εἰσέτι σῆς παλάμης χιονώδεες εἰσὶν ἀγοστοί:
Mortuus licèt cùm sis adhuc refulgent genæ,
Oculi rident etiam adhuc, duplicis verò
Adhuc tuæ manus niueæ sunt palmæ.

Et postea magno affectu,

Οὐ ῥόδα σῶν μελέων θανατηφόρος ἔσβεσεν αὔρη:
Membrorum tuorum rosas non exstinxit lethalis aura.

Et suprà dixerat, οὐδὲ ἑ κάλλος ἔλειπε, *non ipsum dereliquit pulchritudo*. Idem lib. 29. de corpore vulnerato, ῥοδόεις χροὸς, *rosei corporis*. &, κελάρυζεν ἐπὶ χθονὶ λύθρος ἐρώτων: *fluebat cum sonitu in terram cruor amorum*. Et lib. 30. ῥοδέην ἀκτῖνα κονιομένοιο προσώπου: *roseū radium sordidatæ frontis*. ibid. κτάνε κάλλος ἀελλῆεν: *occidit intempestiuam pulchritudinem*. Volui hanc Notam ab vno D tantùm Nonno.

Fultum caput. Mortui coronabantur.

13. FVLTVM.] An repositum in puluinari, & molli tomento? Potest hoc esse. Sed quid si coronatum floribus, rosisque intelligat, quibus veluti fultum caput? Hoc si est (quod non abnuendum) illustrabitur mos ab Tullio in orat. pro Flacco, ab Tertull. de Cor. Mil. ab Aristoph. in Concion. ab Minutio in Octau. ab Plinio lib. 21. c. 3. ab Clemente lib. 2. Pædag. & iterum in Protrep. In loca hæc ego incidi, alij multa inuenêre.

Patens vulnus in pectore.

14. PATENS IN PECTORE VVLNVS.] Amplum vulnus, & lethale intelligit. Amplum in voce *patens*, lethale, quia *in pectore*. Itaque, hoc est, quod Plut. in vita Crassi dixit de Romanis, qui cadebant percussi iaculis Parthorum, ὑπὸ τραυμάτων μεγάλων καὶ καιρίων. E vbi μεγάλα τραύματα sunt *patentia*, καίρια *lethalia*. Sed & τὸ *patens* est, quod Græci (Germano notante) ἕλκος μύκον, ὠτειλὴν χαίνουσα. Stat. 8. Theb. dixit, *magna vulnera*. vt Plut. μεγάλα.

Imitatio.

15. LACRYMIS ITA FATVR OBORTIS.] Tota sententia de Ænea lacrymante ad visum defun-

ctum amicum desumpta, credo, est ab Homero 18. A Iliad. qui de Achille vidente Patroclum, ita.

Δάκρυα θερμὰ χέων, ἐπεὶ εἴσιδε πιστὸν ἑταῖρον
Κείμενον ἐν φέρτρῳ, δεδαϊγμένον ὀξέϊ χαλκῷ:
Lacrymas calidas fundens, postquam vidit fidum socium
Iacentem in pheretro, perfossum acuto ære.

Ab vtroque, & veriùs à Virg. Valerius 3. Arg.

——circa lacrymis ac mentibus ægri
Stant Mynia, deflétque nefas: & cuspidis ictus
Æsonia, fortémque ducis solantur acerbum.

Tale & illud Nonni lib. 11.

——ἐν κονίῃ δὲ
Κείμενον εἰσορόων, πάλιν ἴαχε πενθάδι φωνῇ.
——in puluere autem
Iacentem intuens rursum insonuit lugubri voce.

Et nota *lacrymas* Heroïs Æneæ, non ploratus, aut eiulatus, quales interdum Achilli dat Homerus vitiosè. Loca iam censuit Scal. Verè Seneca epist. 63. *Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant: Lacrymandum est, non plorandum.* Vide eundem epist. 99. de re hac te larè differentem. Lacrymæ pro amicis.

[a] Téne, inquit, miserande puer, cùm læta veniret,
Inuidit fortuna mihi; ne Regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
[b] Non hæc Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam, cùm me complexus euntem
Mitteret in magnum Imperium, metuénsque moneret,
Acres esse viros, cum dura prælia gente.
[c] Et nunc ille quidem spe multùm captus inani
Fors & vota facit, cumulátque altaria donis.
Nos iuuenem exanimum, & nil iam cœlestibus vllis
Debentem vano mœsti comitamur honore.
[d] Infelix nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, expectatíque triumphi,
Hæc mea magna fides. At non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis Iüle!

B

ARGVMENTVM.

Oratio Æneæ, in qua affectus ad defunctum Pallantem, maximè ad absentem Euandrum ex successu præterito, præsenti, futuro.

EXPLICATIO.

[a] LOQVITVR cum Pallante, mouétque affectus ab ætate, *puer*; ab cæde, *miserande*; ab tempore, *cùm læta veniret*, &c. Quasi dicat: cùm læta fulgeret fortuna, propter spem potiundæ Italiæ, tunc illa *inuidit mihi*. & *ne Regna videres nostra*, quasi communia esset habiturus cum eo, si viueret. Demum à trium- C pho, quem habiturus in ædibus paternis, & quo iam cariturus, ideo, *neque ad sedes victor veherere paternas*.

[b] Hæc omnia κατὰ συμπάθειαν: nullibi enim narrantur dicta. Mouentur verò affectus à præterito successu, nam cùm discessi in bellum ab Euandro, ille monuit, Italos viros esse acres, gentem duram, prælia ardua; & ego illi vicissim promisi fore, vt te incolumem redderem.

[c] Hic iam à præsenti successu Euandri, & sui. Euandri, nam *captus inani spe facit vota, altaria donis cumulat*. Sui, nam deflet iuuenem exanimum, & mœstus comitatur vano honore illum, qui iam transiit in potestatem Deorum inferorum, ac proinde *nihil iam debet vllis cælestibus*. Honor defunctorum di- B citur *vanus*, quia honoris huius nullus ad illos sensus.

[d] Sequuntur extremi affectus à futuro successu. *Infelix* es ô Euander, nam *videbis crudele funus nati*. Ex tam atroci deinde querimonia ad se redit, quasi in se hæreat culpa huius mali,

Hi nostri reditus, expectatiq́; triumphi,
Hæc mea magna fides.——

Mox cum Euandro tanquam præsente loquitur. *Aspicies* quidem filium, at *non pulsum pudendis vulneribus*, id est, à tergo acceptis: nec etiamsi *pater, optabis dirum funus nato sospiti*. Patres enim generosi optant suis liberis mortem, cùm eos cernunt redeuntes ad se, turpi fuga elapsos à bello, & cum vulneribus in tergo. Quare *nato sospite*, dicam in Notis. Pergit; C *hei mihi quantum*, &c. Nihil potuit viuidius ad commiserationem, quasi in vno Pallante sita spes futuri Regni, & Iüli gloria.

NOTÆ.

1. TENE, &c.] A sententia, comploratione, & lacrymis Æneæ non abit vetus sepulcri inscriptio,

Decipimur votis, & tempore fallimur, & mors
Deridet curas: anxia vita nihil.

In hac autem oratione, non dubium, quin Poëta repræsentauerit verus Græciæ institutum, quod & Romani arripuerunt, celebrandi videlicet mortuorum solennia & laudes oratione funebri. Orationes funebres.

1. INQVIT.] Nemo damnet hunc pleonasmum, Virgilius defenditur. etiamsi

etiamsi præcesserit *fatur*, nam ille ex Græco fonte. Sed quid si non pleonasmus? Primum (*fatur*) referturad lacrymas, quæ loquuntur, & vicem habent vocis: alterum (*inquit*) ad verba.

3. CVM LÆTA VENIRET.] Posset vsurpare Æneas illud Bassi apud Sen.Rhet. Controu. 7. *Infelix futura est etiam victoria mea.*

Sedes, pro domo.

4. SEDES PATERNAS.] Id est, domum. Ita Horat.Od.6.lib.2.

Tybur Argæo positum colono
Sit meæ sedes vtinam senectæ.

Noster 2. Æneid. *Has mihi seruassent sedes.* Inde & *sedere*, pro domicilium figere, mihi iam obseruatum.

5. MITTERET IN MAGNVM IMPERIVM.] Possit alludere ad expeditiones Heroum; Bellerophontis, qui à Prœto missus apud Hom.6. Iliad. Iasonis, qui à Pelia apud Apollon. Hinc se Æneas purgat, quòd non steterit promissis, cùm Euander tamen se in vera imperia miserit, non dolo aliquo, vt Prœtus, & Pelias.

Metuo, pro caueo.

6. METVENS.] Hîc est *cauens*, vt qui prudens. Sæpe enim *metuo*, pro *caueo*, & *prouideo*. Horat. Satyra 2. lib. 2.

An qui contentus paruo, metuénsque futuri,
In pace, vt sapiens aptarit idonea bello?

vbi qui *metuens*, hîc & *sapiens*. Sed rem hanc aliàs.

Acris, acreis, pro, acres.

7. ACRES.] In codicibus Seru. & aliis est *acreis*. Sciendum ex Charisio, quod & ex Plin. adducit, solere veteres scribere per, is, quartos casus plurales eorum nominum, quorum patrius pluralis desineret in, ium. Sic *partis*, pro, *partes*, quia *partium*. Sic *Syrtis*, pro, *Syrtes*, quia *Syrtium*. Sic *tris*, pro, *tres*, quia *trium*. Sic *acris*, pro, *acres*, quia *acrium*. Mox verò vsus obtinuit, vt non iam per, is, scriberentur, sed per ει Græcâ diphthongû. Aduocaui hæc exempla, quia ea in Virg. Nam 6. Æneid. multi legunt, *parteis vbi se via findit in ambas.* & lib. 1. *in breuia & Syrteis.* & 3. *Treis adeò incertos.* & hîc, *Acreis esse viros.*

Partis, partis, pro, partes. Syrtis, Syrteis, pro, Syrtes. Tris, treis, pro, tres.

Lectio Virgiliana. Forset.

8. FORS ET.] Albericus putat legendum *forset* vnica dictione, quæ vox, etiamsi nunc non vsitata, olim recepta, vt *ollis, fuat, vixet, iusso, faxit*. Imitationem huius loci debes Germano, qui ab Soph. illam petit, apud quem Tecmessa ita loquitur cum Aiace,

Imitatio.

————αἰδέσαι δὲ μητέρα
Πολλῶν ἐτῶν κληροῦχον, ἣ σε πολλάκις
Θεοῖς ἀρᾶται ζῶντα πρὸς δόμους μολεῖν:
————*reuerere matrem*
Multorum iam annorum, quæ multiplicibus votis
Deos precatur, vt domum saluus redeas.

Cumulo, verbû sacrorum.

9. CVMVLAT.] Verbum sacrorum. Prudent. Apoth.

Hunc ego non cumulem myrrhaq; & thuris, & auri
Muneribus? ———

Tibull. Eleg. 5. lib. 2. *Dum cumulant aras.* Est hoc, quod Stat. 6. Theb. *auxerat aras.* quod verbi arripuit, credo, à Plauto Mercat.

Augeo, verbum sacrorum.

———*aliquid cedo*,
Qui hanc vicini nostri aram augeam Syra.

Et adhuc Plaut. & alij ab Græcis. Nam Eurip. Hipp. βούθυτον φόνον Ἑλλὰς ἀέξει: *auget Græcia cædem boum.* Electra apud Soph. dicit, λιπαρεῖ προσῆγον χερί. Ait videlicet, se sacrificasse manu semper munifica. Ex qua sacrorum nota Stat. 4. Theb. *larga cæde imbuêrunt*, &c. *aggeritur.* ibid. *dona amplissima sacris.* Plut. in vita Alexand. λαμπρὰ ἀναθήματα.

Debeo, qua potestate dicatur.

10. ET NIL IAM COELESTIBVS VLLIS DEBENTEM.] Explica, non iam subditum, non iam obnoxium Diis cœlestibus, quando transierit in potestatem Deorum inferorum: vtiq; *mortuum*. Hoc enim verbo hęc potestas explicatur. Ouid. 10. Metamorph. loquens cum Diis infernis,

Omnia debentur vobis, paulúmque morati
Seriùs, aut citiùs sedem properamus ad vnam.

Cùm Sen. Controu. 6. dixit, *filius meus ait se vxori parricidium debere*, nihil aliud significat, quàm eum, qui est obnoxius. Horat. ad Pison. *Debemur morti nos nostráque.* Aiax apud Soph. cùm destinat mori, ait se nihil iam debere Diis cœlestibus; nam de illis intelligendus est, etiamsi θεοῖς tantùm dicat. θεοῖς οὐδὲν εἰμ' ὀφειλέτης ἔτι. Huc possum trahere eundem Soph. in Antig. vbi Tiresias dissertans cum Creonte prohibente sepulturam mortuo Principi, ait ὧν οὔτε σοὶ μέτεστιν, οὔτε τοῖς ἄνω θεοῖσιν: *neque tibi hoc licet, neque Diis cœlestibus.* Quare, *neque Diis cœlestibus?* quia non iam mortuus in illorum potestate. Ideo subiicit,

Τούτων σε λωβητῆρες ὑστεροφθόροι
Λοχῶσιν ᾍδου, καὶ θεῶν ἐριννύες.

Dicit, Furias postea fore vindices, videlicet illas, in quarum iam potestatem transierit mortuus. Nã mortuus quidem πέπαυται κάμνων καὶ ὑπηρετῶν, ait Artem. c.54. lib. 1. *defunctus est laboribus & ministeriis*, humanis scilicet. An aliud est illud de crine secando, & dicando Proserpinæ? de quo iam lib. 4.

11. VANO COMITATVR HONORE.] Hecuba apud Eurip. Troadib. Mortuorũ honor putabatur vanus ab Ethnicis.

Δοκῶ δὲ τοῖς θανοῦσι διαφέρειν βραχύ,
Εἰ πλουσίων τις τεύξεται κτερισμάτων,
Κενὸν δὲ γαύρωμ' ἐστὶ τῶν ζώντων τόδε:
Existimo autem non multùm interesse mortuorum,
Si quis sortiatur locupletes inferias,
Hoc enim tantùm est inanis pompa viuentium.

12. MOESTI.] Vox funerum. Sidon. epist. 8. lib. 1. *mœstissimus hæc tibi nuntio.* quippe obitum nuntiabat. Exemplula passim obuia. Mœsticies, de funeribus.

13. INFELIX NATI FVNVS, &c.] Non dissident ab his affectibus, quos Cal. excitat lib. 3. ore Aiacis habentis ante se Achillem mortuum; vbi Aiax commemorat lacrymas, in quas erumpet Peleus Achillis pater audito nuntio mortis. Lege ab eo versu, Imitatio.

Ὢ πόποι ὡς ἄρα πάγχυ γέρων ἐν δώματι Πηλεὺς
Ὀχθήσει.———

Affectus isti mouentur à voto parentum, qui optant filios esse sibi superstites. Sen. consol. ad Heluiã cap. 16. *Deos oro, contingat hunc nobis habere superstitem.* Alter Sen. Controu. 5. *Ita mihi superstite filio mori liceat.* & Controu. 19. *Si pascere non vis matrem, expecta saltem vt efferas.* Inde querela in vet. inscript. Parentum vota.

Quod decuit natum patri præstare sepulto,
Hoc contrà nato præstitit ipse parens.

14. HI NOSTRI REDITVS.] Latet hîc magnus affectus, quasi dicat. Redit ad te, sed quidem mortuus. vel potiùs. Non ad te redit, nam qui mortuus redit, non verè redit. Ita de Achille Iliad. 18. cernente Patroclum mortuum, Imitatio.

Τόν ῥ' ἤτοι μὲν ἔπεμπε σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν
Ἐς πόλεμον, οὐδ' αὖτις ἐδέξατο νοστήσαντα:
Quem quidem miserat cum equis & curribus
Ad bellum, neque rursum excepit reuersum.

Atqui redierat. Sed quia mortuus redit, dicitur non reuersus. Sen. Controu. 8. præclarè: *Mihi non redditus, sed relatus est.* Ab perlustrato Virg. loco Valer. lib. 3. scripsit magno affectu, *taléisne acies, taléisne triumphos forte dabant?* scilicet Dij. & statim: *quinam reditus?*

15. PVDENDIS VVLNERIBVS.] Vulnera, vt accepta pectore, fuerunt gloriosissima; ita accepta tergo, plena dedecoris. Illa aduersa dicebantur & honesta, hæc auersa & pudenda. Transcribam locum Æliani lib. 12. Var. Hist. c. 21. de Lacedæmoniorum institutis: Pudenda vulnera.

comitatus, & hic est maximus, vt decebat dignitatem Pallantis. Nam leguntur mille viri, híque *ex toto agmine*, videlicet ex Troianis, Hetruscis, Arcadibus. Sequitur ratio duplex, cur tam speciosus comitatus. Prior, *qui supremum comitentur honorem*. Posterior, *intersintque patris lacrymis*, quæ sanè *solatia exigua* erunt, ad *ingentem luctum*, *sed debita misero patri*.

ᵇ Nemo est segnis ad vocem imperantis Æneæ. Itaque pheretrum diligentissimè texunt cratibus, & virgis arbuti ac quercus, atque intra pheretrum toros exstruunt, illósque concamerant obtentis frondibus. Hæc sententia: sed poëticè omnia. Nam *crates, & pheretrum texunt*, nihil est aliud, quàm *pheretrum texunt è cratibus*. & hæ crates arbuteæ, quernæ, frondidæ.

ᶜ Opificio facto, qui aderant *ponunt* (verbum funerum) iuuenem in *agresti stramine*, & *sublimem*, iusserat quippe Æneas *tolli*. Sequitur mira comparatio. Vidisti florem aut violæ, aut hyacinthi, cui adhuc natiuus fulgor, & propria pulchritudinis forma, quia videlicet demessus non manu rustici, qui statim perdit florem, sed tantùm *pollice virginis*, talem puta Pallantem. Mira (inquam) comparatio: quia, vt flores inter herbas micant, ita Pallas inter congeriem illam frondidam. Comparatur verò cum hyacintho, quia Hyacinthus puer fuit. & hic *languens*, quia *non iam alit tellus*, &c. quo signatur mollitudo, & teneritudo pulchelli corporis. Ex his omnibus exsurgit mira, & tragica commiseratio.

NOTÆ.

1. TOLLI MISERABILE CORPVS, &c.] Similem successum narrat Dionys. lib. 5. Antiquit. de Bruto Romano Consule, qui in acie cecidit, quem milites reportarunt multis cum lacrymis, & laudibus, coronis etiam victricibus. Constat imitatione Virgilij locus Corippi lib. 3. in funere Iustiniani Imperat.

——— nec plura moratus
Augustus, nutu tolli sublime pheretrum
Imperat, & tota populus processit ab aula.

Corpus, pro cadauere. 2. CORPVS.] Tam Latinis *corpus*, quàm Græcis σῶμα, pro cadauere frequenti vsu. *Cadaueri* propriè respondet πτῶμα, nam vt nos à *cadendo*, ita illi παρὰ τὸ πεπτωκέναι. σῶμα verò, quòd seruet animam, παρὰ σώζεσθαι: siue, vt vult Plato in Cratylo, quòd signum sit ibi manentis animæ, παρὰ τὸ σῆμα εἶναι τῆς ψυχῆς. sed cognatius prius etymon.

3. LECTOS EX AGMINE MITTIT.] Hom. 9. Iliad.

——— ἀποκρίνας ἀρίστους
Κεκριμένους κατὰ λαὸν Ἀχαιϊκόν. ———
——— *præmisit optimos*
Deligens ex Achaico exercitu. ———

Millenarius numerus ad dignitatem. 4. MILLE VIROS.] Hic numerus sæpe assumptus ad dignitatem. Ita Ioseph. lib. 2. Bell. Iud. c. 10. χιλίους πρέσβεις inducit ex honestate legationis.

Supremum, in re funerum. 5. SVPREMVM HONOREM.] Ita Ouid. 1. Am. *supremus ignis*. & 2. Ar. *extremos rogos*. Prop. Eleg. 20. lib. 2. *extremas tenebras*. & Elegia 17. lib. 1. *vltimus lapis*. Omnia hæc in re funerum.

6. SOLATIA LVCTVS EXIGVA.] Stat. 6. Theb. loquens de solatio simili mortuorum,

Inde ingens lacrymis honor, & miseranda voluptas.

Imitatio. Cùm ait *exigua*, visum Germ. allusum ad locũ Soph. vbi Electra ait, capillos resectos oblatósque in honorem defuncti, esse quidem debita munera, sed σμικρὰ μὲν τάδ᾽, *exigua hæc tamen.*

A 7. HAVD SEGNES ALII CRATES, &c.] Ad hunc locum, & morem Stat. 6. Theb. in funeratione Archemori, Pheretrum è cratibus.

Tristibus interea ramis, teneraq; cupresso
Damnatus flammæ torus, & puerile pheretrum
Texitur, ima virem agresti stramina cultu.

8. VIMINE QVERNO.] A *quercu quernus*. Qua forma, *colurnum, ficulnum, aprugnum*. Seru. Quernum à quercu.

9. TOROS.] Sunt quæ λέχεα Iliad. 18. Hom. & quas εὐναὶ Eurip. in Rhes. Torus mortuorum.

10. OBTENTV FRONDIS INVMBRANT.] Nõ dubitem his frondibus coronas accipere, ex more tritissimo. Pelopidæ interfecto (ait Plutar.) ingesti sunt ab omnibus certatim στέφανοι. Aristoph. Lysist. cùm dicat, quendam iam vocari à Charonte, offert illi, Coronarum plenũ pheretrum.
B καὶ ταί νι λαβὲ τὸν στέφανον. Simile studium matronarum in ornando funere Virginiæ narrat Dionys. lib. 11. Antiq. & Stat. 6. Theb.

Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatis morituris floribus agger.

Itaque, coronæ per totum pheretrum spargebantur. Quin, qua ibant exequiæ; nam Plin. lib. 21. c. 3. in funere Scipionis Africani, *Populus qua præferebatur, flores è prospectu omni sparsit.*

11. SVBLIMEM.] Ita beatulus ille Persianus componitur *alto lecto*. Pheretrum Archemori apud Stat. 6. Theb. *assurgens* dicitur, *tollitur*. & *attollitur*. vbi & multi ordines. Valer. lib. 3. Arg. de Cyzico mortuo, *eminet*, quia in sublimi toro, &, *allevat Æsonides*, ac statim, *celsóq; reponit in ostro*. Dio Chrysost. Orat. 62. Sublimis torus defunctorum.
C loquens de Sardanapalo ἀναβάδην dicit, vt qui sublimis. Ex quo more pheretrum dici *celsum* Silio lib. 10. vir eruditus Marcilius notat, & Martiali Epig. 44. lib. 8. *torus crescit*. & Lucian. περὶ πένθ. ὑψηλῆς καὶ μετέωρος, ὥσπερ εἰς πομπὴν κεκοσμημένος. Huc trahi potest Propert. Eleg. 13. lib. 1.

Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

12. QVALEM VIRGINEO, &c.] Fortasse ab Catull. qui in Carm. Nupt. de flore, *tenui carptus defloruit vngui*. Propert etiam Eleg. 20. lib. 1. dixit, Imitatio.

Quæ modo decerpens tenero pueriliter vngue.

Ouid. 4. Fast. *papauereas subsecat vngue comas*. Colum. in Hort. *qui pollice molles Demetiunt flores*. Non hinc abeunt, quæ coniunxi lib. 9. in morte Euryali.

D 13. DEMESSVM POLLICE FLOREM.] Obserua cõmutationẽ metaphorarũ. Hic flos dicitur demessus à virgine. Contrà, ab Eurip. in Elect. virgo dicitur demessa ferro, ad cædem virginis explicandam, quasi virgo instar floris sit. Verba Tragici sunt, Commutatio metaphorarum.

λευκὴν δέραν τ᾽ Ἰφιγένης πορθμίδα:
Candidam demessuit Iphigeniæ genam.

14. LANGVENTIS HYACINTHI.] Locutus cum respectu ad puerum Hyacinthum, vt & Nicander, καρπὸν πολυθρήνου ὑακίνθου: *fructum multigemuli Hyacinthi.* Non abit Ouid comparatio 11. Metamorph. *buxoq; simillimus ora Pallor abit*. Ait *languentis*, vt etiam de flore lib. 9. *languescit moriens*. Cum affectu Nonnus lib. 11. κύμβαλον κεκλιμένον ἄνθος. Est enim παθητικὸς, si cernas florem iacentem & sordidatum. Non dissident affectus sancti Hieronymi à Virgilianis epist. ad Heliod. vbi
E ait. *Vbi nunc decora illa facies, vbi totius corporis dignitas, qua veluti pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur? Marcescebat, proh dolor, flante Austro lilium, & purpura violæ in pallorem sensim migrabat.*

15. MATER TELLVS.] Dixi satis in Georg. Adiungam Plinij verba cap. 63. lib. 2. vbi de Terra: *Cui vni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus materna venerationis.* Pergit multis. Apul. de Mund. Terra mater.

Mund. *genitrix, atque altrix animantium omnium tellus.* A Hom. ſæpe, γῆ μήτηρ.

16. VIRES.] De herbis ſæpe Plin. *vires, potentiam, poteſtatem, pollere, virtutem.*

[a] Tum geminas veſtes, oſtróque, auróque rigentes
Extulit Æneas; quas illi læta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.
[b] Harum vnam iuueni, ſupremum mœſtus honorem,
Induit: arſuráſque comas obnubit amictu.
[c] Multáque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.
Addit equos, & tela, quibus ſpoliauerat hoſtem.
[d] Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas.
[e] Indutóſque iubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicáque nomina figi.

B

ARGVMENTVM.

Obnubit Æneas defuncti corpus, & caput: iungit prædam, quæ mittenda: ligat iuuenes, qui mactandi: induit armis arborum truncos, qui ferendi ad trophæum.

EXPLICATIO.

[a] HIc iam ſpectatur non ſolùm Æneæ pietas, ſed etiam magnificentia, cùm pretioſiſſimas veſtes abſumat in Pallante honeſtando. Eſt enim multiplex veſtium commẽdatio: à materia, nã purpureæ: ab ornatu huius purpuræ, nam ea auro rigebat. & poſtea ſignatiùs, *tenui telas diſcreuerat auro*: ab arte, nam telas nominat, quæ auro diſcretæ: ab artifice, nam has Dido, & *ſuis manibus*, vt in nota amoris, & *læta laborum*, quia in gratiam Æneæ, cui illa perſtudioſè volebat placere. Dicitur Dido *Sidonia* non tantùm ornatu poëtico, ſed ſignatè ad rem, nam Sidones principes fuerunt texturæ purpureæ. C

[b] Harum veſtium vna induit corpus Pallantis, altera eius caput. Ita Seru. & alij interpretes. Quia videlicet adducta veſtis gemina, quæ non neceſſaria, niſi inſumenda in vſum duplicem. Nota πάθος in illis, *arſuras comas.*

[c] Quæ hæc præmia, niſi haſtæ, gladij, thoraces, galeæ? & hæc omnia *longo ordine*, ad oſtentationem & magnificentiam funeris: equi etiam captiui præferuntur. D

[d] Reuocet Lector in memoriam, quæ præmiſſa Æneide decima, vbi iuuenes octo viui rapti ſunt & aſſeruati, vt immolarentur in ſepulcro Pallantis. Hos ibi, & hic *inferias* vocat, quæ cædendæ. Ergo horum iuuenum manus hîc poſt tergum Æneas vincit, vt reliquam pompam funeris comitentur.

[e] Demum trunci arborum induuntur armis cæſorum hoſtium, ne deſint trophæa in hoc apparatu: ſingulis truncis adiungitur nomen cæſi hoſtis: ferunt hos non è vulgo milites, ſed ipſi duces. Adeò omnia in hoc funere magnifica & ſpectata.

NOTÆ.

1. OSTRO.] Dixi alibi, purpura ſolitos mortuos tegi ad funeris magnificentiam. Hîc audi verſus Calabri lib. 3. in funere Achillis, *Purpura tegebantur mortui.*

——— λοῦσαί τε νέκυν, περὶ δ' εἵματα ἕσσαι
Καλά, τά οἱ πέρι παιδὶ φίλῳ ἁλιπόρφυρα μήτηρ:
———*cadauer abluere & veſtibus amicire*
Pulchris, quas purpura tinctas charo filio dederat mater.

Valerius lib. 3. Arg. ſpirans ad Muſam Virg. in funere Cyzici,

———*hunc crebris quatiens ſingultibus ora*
Alleuat Æſonides, celſoq; reponit in oſtro.
Dat pictas auro, atque ardenti murice veſtes,
Quas rapuit telis formoſa vocantibus Auſtris
Hypſipyle. ———

Apud Plut. Antonius, Βρούτῳ δὲ τὴν αὑτοῦ φοινικίδα πολλῶν χρημάτων ἀξίαν οὖσαν ἐπέρριψε: *Bruto magni pretij purpuream veſtem iniecit.* Apud eundem Plut. Lycurgus iubet θεῖναι ἅπαντας, i. *omnes poſitos*, ἐν φοινικίδι περιστέλλεσθαι, *indui amictu purpureo.* Et Cleomenes (vt ait idẽ Plut. in eius vita) Lydiadæ cadauer ἐνδυόμενος φοινικίδι. Ammian. lib. 16. *velamen purpureum à Diocletiani ſepulcro furatus.*

2. AVROQVE RIGENTES.] Ita lib. 1. *pallam ſignis auroq; rigentem.* Huc pertinet aſperitas veſtium ab auro. Sidon. Epithal. eodem ſenſu dixit *trabeas rigentes*, ab auro, quod in trabeis: nam Claud. Paneg. Probi, *auratas trabeas.* & Auſon. *auratus trabeæ velauit amictus.* Ammian. lib. 16. *rigentiáque auro vexilla.* *Rigentes auro veſtes.* D *Aurum in trabeis.*

3. LÆTA LABORVM.] Explicat Iul. Scal. *quam laboris non pigeret.* Tale & illud, *fortunatúſque laborum.* Locutionem hanc peti ex penu Græco multis iam aperuit, & firmauit Brocenſ. in Mineruа. *Lætus laborum, Hellenicum.*

4. IPSA SVIS QVONDAM MANIBVS.] Hom. 5. Iliad. *Imitatio.*

Πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει
Ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο, καὶ κάμε χερσίν:
Peplum quidem tunc depoſuit patris in pauimento
Variegatum, quod ipſa fecerat, & laborarat manibus.

Ita & tertia Æneide,

Accipe & hæc manuum tibi quæ monumenta mearum.

Teſtificatio iſta amoris in multis expreſſa, nonnullos aduocat Germ. vide etiam me ad illud 1. Eclog. *ipſe ego cana legam*, &c. Adiunge & Liuium lib. 1. vbi ſoror illa

illa Horatij erupit in gemitus, vt vidit in fratris humero paludamentum sponsi sui, *quod ipsa confecerat.* De Eteocle Stat. 11. Theb.

Nec palla vulgare nitens opus ipsa nouarat
Maoniis Argia modis, & pollice docto
Stamina purpureae sociauerat aurea telae.

Nota mihi, Lector, munus Didonis. Vestes dedit ex auro, & purpura. Molle munus. Nam quid aliud expectes ab amante femina, & ad suum amatorculum? Fuit enim hoc genus vestis, ex purpura (inquam) & auro, mollissimum. Expressus est locus Herodiani lib. 1. vbi loquens de Commodo, qui sibi induerat λεοντῆν, id est, *pellem leonis*, ad similitudinem Herculis, atque etiam ἁλουργεῖς, καὶ χρυσοϋφεῖς ἐσθῆτας, *vestes purpura atque auro textas*, subiicit Scriptor, ὡς εἶναι καταγέλαστον αὐτὸν καὶ ὑφ' ἑνὶ σχήματι θηλείας πολυτέλειαν, καὶ ἡρώων ἰσχὺν μιμούμενον: *vt se ridendum praeberet, quippe eodem schemate feminarum luxum, & Heroum virtutem repraesentabat.* Athen. lib. 2. ait, Midiam his vestibus indui solitum ὑπ' ἀνανδρείας καὶ τρυφῆς, *prae imbecillitate, & luxu.* Est & praeclarus Liuij locus lib. 27. vbi, cùm Senatus mittat munera Regi Siphaci, ac Reginae eius vxori, ait Scriptor, missam Regi *tunicam purpuream*, Reginae autem *pallam pictam cum amiculo purpureo.* Quae sanè pictura tota ab auro. Itaque Regi missa purpura non picta, Reginae purpura picta auro. Scio & purpuram cum auro solitam dari viris fortibus in praemium. Sed hoc non obstat, quin in signatis aliquot auctorum locis vestis haec ad molliciem torqueatur.

Vestis ex auro & purpura mollissima fuit.

5. HARVM VNAM IVVENI, &c.] Vide, vt explicui; fuit enim moris vt veste vna corpus indueretur, & altera caput obuolueretur; quem satis ex hoc loco Poëtae discis. Et amictus quidem ad caput pertinet, vel ex illo lib. 12. *caput glauco contexit amictu.* Itaque praeclarè Turneb. lib. 6. Aduers. cap. 7. aduocat Varronem, qui lib. 4. de Ling. Lat. vestes diuidit in indutum, & amictum. Vt ita videatur Maro indutum dare corpori reliquo, amictum vni capiti. Huc spectant versus Nonni lib. 11. vbi Bacchus curans mortuum iuuenem, quem amabat, tegit veste duplici:

Defuncti tegebantur veste duplici.

Amictus, de vno capite.

Καί μιν ἀμφιχλαίνωσε τὸν ἄπνοον ὑψόθεν ὤμων,
Νεβρίδα δὲ ψυχροῖσιν ἐπὶ στέρνοισι καθάψας:
Induit mortuum ipsum chlana supra humerum,
Ceruinam etiam pellem frigido pectori induens.

Vbi vestis prima, quae supra humerum, est *amictus* Virgilij. Audi & Clement. in Protrep. *Quòd si etiam Corybantum velis orgia considerare, hi enim suum fratrem occidissent, caput mortui purpura contexerunt.* Est & in Christi Redemptoris magni funeratione vtriusque rei discreta notitia: fit enim mentio & sudarij, & linteaminum: sudarij ad caput, linteaminum ad reliquum corpus. Hinc esse credo, vt aliquando fiat mentio in numero multitudinis; vt cùm Apollo apud Hom. 16. Iliad. in funere Sarpedonis, περὶ δ' ἄμβροτα εἵματα ἕσσε, *diuinis* (illum) *circumindu it vestibus.* Significat fortasse vtramque vestem. Sic & Cornelia apud Lucanum,

Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, & impressas auro quas fecerat olim
Exuuias, pictásque togas, velamina summo
Ter conspecta Ioui, funestóque intulit igni.

Eurip. etiā in Elect. loquitur numero multitudinis,

———κάλυπτε μέλεα ματέρος,
Πέπλοις καθάρμοζε σφαγάς:
———*tege membra matris,*
Peplis adapta vulnera.

Hos omnes, & quosquos ita inueneris, possis referre ad duplicem illam vestem. Porrò singulari numero qui loquantur, infiniti sunt: & in vnius Plutarchi vitis magna est seges. Mihi nunc ante oculos loca quatuor, videlicet in Alcibiade, Cleomene, Alexandro, Lucullo. Primus visus sibi est praesagio mortis ἀμπεχόμενος ἐσθῆτι τῆς ἑταίρας. In altero leges τεθνηκώς in re hac. Tertius pietate in Darium, τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λαβὼν ἐπέβαλεν τῷ σώματι, καὶ περιέστειλεν. Quartus Zarbieni funerationem curat πορφυρᾷ ἐσθῆτι κοσμηθείς. Vide eundem in exitu vitae Bruti.

Veste tegebantur defuncti.

6. ARSVRASQVE COMAS OBNVBIT AMICTV.] Probo quae dixi in superiore Nota, sed nihil impedit morē alium cursim à Poëta innui, quem explicat Seneca de Consolat. ad Martiā cap. 15. *Tib. Caesar, & quem genuerat, & quem adoptauerat, amisit: ipse tamen pro Rostris laudauit filiū, stetitque in conspectu posito cadauere, interiecto tantūmodo velamēto, quòd Pontificis oculos à funere arceret.* Morem itaque à Seneca clarè explicatum, Maro inuolutè attingit: sic enim solent Poëtae, & saepe Noster. Et quidem quis nescit Gentiles ea fuisse superstitione, vt se funestatos putarent viso cadauere?

Cadauera visa cernentes funestabant.

7. PRAEMIA.] Coniungit *praemia*, quae aggerantur, & *praedam*, quam iubet duci. Itaque haec duo saepe coniungi, iam notauit Ian. Guliel. in Plautin. Quaest. & inde corrigit Plauti versus Menaech.

Praemiū, de praeda.

Auerti praedam ab hostibus nostrûm salute sociûm.
PE. *Heus adolescens, ecqua pars inest praemij mihi?*

8. PRAEDAM LONGO IVBET ORDINE DVCI.] Paria in omnibus militarium Principum funeribus. Exemplum sit funus Coriolani apud Dionys. lib. 8. vbi praeferuntur *manubiae, spolia, coronae, imagines vrbium ab eo captarum.* Inde & statim Virg.

Praeda vnà cum defuncto.

Addit equos, & tela quibus spoliauerat hostem.

Liu. lib. 8. in funere adolescentis Manlij: *spoliisque contectum iuuenis corpus structo extra vallum rogo cremaretur.* In funere Archemori Stat. lib. 6.

Arma etiam, & veterum exuuias circumdat auorum,
Gloria mista malis, afflictaeque ambitus aulae.

Sil. lib. 11. etiamsi non in funere,

———*praeda & captiua leguntur*
Corpora, direptaque, viris sub Marte cruento
Exuuiae, fausti superis libamina belli.

9. ORDINE.] In triumpho Aureliani Vopiscus: *cetera talia per ordinem ducta.* Ita solemnis fuit ordo rerum portandarū ad funus, vt dicat Sueton. in Iulio cap. 84. loquens de huius funeratione: *Praeferentibus munera, quia suffectura dies non videbatur, praeceptum est, vt omisso ordine, quibus quisque vellet itineribus vrbis, portaret in campum.* quasi necessaria exceptio.

Ordo in re defunctorū.

10. ADDIT EQVOS.] Scilicet cremandos in ipso rogo. Id enim apparet ex Hom. Iliad. 23. nam in funere Patrocli Achilles

Equi cremabantur cum defuncto.

———πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ μεγάλα στοναχίζων:
———*equos quatuor ceruicis elatae*
Rapidè igni immisit, plurimùm ingemiscens.

Et in sermone etiā de rogo eiusdem Patrocli, καίοντο δὲ ἵπποι τε, καὶ ἄνδρες: *vrebantur mistim equique, virique.* Calab. etiam lib. 3. in funere Achillis ait, iniectos in rogum equos vitósque, qui caesi ad eas exequias. Verba eius. ... Et lib. 1. ait, Priamum decreuisse inferre Penthesileam in sepulcrum Laomedontis, *vnà cum armis, & equo.* ὁμῶς τεύχεσι καὶ ἵππῳ. Tacit. de Moribus Germanorum: *sua cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur.*

11. VINXERAT ET POST TERGA MANVS.] Hic nempe habitus talium. Plutar. in Philopoemene inducit ἐχθροὺς δεσμίους ἀγομένους, *hostes ductos cum vinculis,* eos scilicet, qui comitabantur ossa, & vrnam ducis

Vindicti captiui.

mortui. Vopiſcus in triumpho Aureliani loquens de Gotthis, Alanis, aliiſque victis hoſtibus, *religatis manibus captiui præceſſerunt*. Parco, nam iam alibi.

12. QVOS MITTERET VMBRIS INFERIAS.] Conſule, quæ dedi lib. 10. ad illud,

Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris.

Et adiice Iuſtinum, qui lib. 11. loquens de Alexandro Mag. *Cædis conſcios ad tumulum patris occidi iuſſit.*

Cæſus ſanguis.

13. CÆSO SANGVINE.] Figurata locutio, pro, cæſorum ſanguine. Sic ſuprà, *captiuo ſanguine*, pro, captiuorum ſanguine.

Hoſtium ſtatuæ.

14. INDVTOSQVE IVBET, &c.] Iam ſtatuæ hoſtium, qui victi bello; iam trunci cum hoſtium armis ferebantur. Primi moris obuia mentio. Nunc, cùm hæc ſcribo, Plutarchum cerno, qui in vita Luculli, αὐτοῦ τε Μιθριδάτου χρυσοῦς ἑξάπηχυς κολοσσός, καὶ θυρεὸς τις διάλιθος: *ipſius Mithridatis ſtatua aurea ſenum pedum, & ſcutum gemmis diſtinctum.* Alterius hîc Virgilius, & Liuius de Romulo, & de eodem Plutarchus, & in vita Marcelli, ídque iam ſuprà firmaui. Notetur locutio *indutos*, id eſt, armatos. Sic & *nudus*, qui eſt inermis in Liuio, Ammiano, Tacito, aliis. Et Cyrill. Alexand. in Amos γυμνόν, id eſt, *nudum* explicat per ἀθώρηκτον, ἄνοπλον, ἄσκευον: & opponit has omnes voces homini, qui eſt ἐν ὅπλοις.

Trunci cum ſpoliis hoſtium.

Indutus, id eſt, armatus.

Nudus, id eſt, inermis.

Trophæa ſæpe in humeris.

15. IPSOS FERRE DVCES.] Sæpe trophæa curru agebantur, ſæpe humeris ducum. Extremum hoc voluit Virg. ad maiorem oſtentationem. Plutar. de Romulo. ὑπολαβὼν δὲ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ ὀρθὸν ἐβάδιζεν: *trophæum dextro innixum humero rectum gerens incedebat.* Ita & in triumphis vſitatum. Idem Plut. in triumpho Luculli, præmiſſo rerum catalogo, quæ geſtabantur, intérque eas Mithridatis ſtatua, ſubiicit, ταῦτα μὲν ἄνδρες παρεκόμιζον: *hæc viri deportabant.* Non admitto Seruij alteram explicationem, qui *duces* accipit de Haleſo, & aliis interfectis à Pallante.

Tituli in trophæis.

16. INIMICAQVE NOMINA FIGI.] Subiungam moris huius firmamenta, moris (inquam) quo titulis noſcebantur illi, de quibus trophæum excitabatur. Claud. 3. Rapt. vbi excitatur trophæum deuictorum Gigantum, ait,

Nulláque non magni iactat ſe nominis arbor.

Indicat enim ſcriptum titulum, in quaque arbore. Clarè ad hunc morem Plin. Paneg. Traiani, vbi: *Videor iam cernere non ſpoliis prouinciarum, & extorto ſociis auro, ſed hoſtilibus armis, captorúmque Regum catenis triumphum grauem. Videor ingentium ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noſcitare.* Tacit. de funere Auguſti ait decretum, *vt legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur.* Et 2. Ann. loquens de exercitu, *ſtruxitque aggerem, & in modum trophæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit.* Dionyſ. lib. 2. loquens de pompa Romuli, cùm vicit Camerinos, ait prælatum rerum geſtarum elogium Græcis litteris ſcriptum. Plutar. in vita Timoleontis ait, adornata fuiſſe quædam trophæa καλλίσταις ἐπιγραφαῖς, *pulcherrimis titulis.* Vopiſcus in triumpho Aureliani: *prælati ſunt tituli gentium nomina continentes.* Dio lib. 37. de trophæis Pompeij, ait, vnum fuiſſe magnum, & ſumptuosè adornatum, & γραφὴν ἔχον, ὅτι τῆς οἰκουμένης ἐστίν, *habens hunc titulum, totius terrarum orbis.* Hos titulos indicat Ariſtid. in Paraphtheg. Ἀθηναῖοι ἀπὸ Θηβαίων, ἢ Περσῶν: *Athenienſes de Thebanis, vel Perſis.* Apud Stob. de Fortitudine, leges, Othryadem moribundum erexiſſe trophæum, ac proprio cruore trophæo titulum hunc addidiſſe, Λακεδαιμόνιοι κατὰ Ἀργείων, *Lacedemonij contra Argiuos.* Ex eodem more Ouidius, Albinouanus, Propertius. Primus Eleg. 2. lib. 4. Triſt.

Cúmque ducum titulis oppida capta leges.

Alter ad Liuiam,

Cunctáque per titulos oppida capta ſuos.

Tertius Eleg. 4. lib. 3.

——& titulis oppida capta legam.

Huius moris plenus ad ſatietatem Pauſan. ideo nihil ab illo. Ex hoc more ſoleo explicare illud ſuprà, *Mezentius hic eſt*, vt vocula *hic* titulum indicet. Notetur demum ſolita *affigi* Epigrammata in trophæis vice nominis. Exempla obuia. Agathiam vide lib. 2. Hiſt. in quo Epigramma victoriæ celeberrimæ, quam à Francis habuit virilis ille eunuchus Narſes. Hos titulos γράμματα vocat Plut. in vita Pomp. agens enim de illius triumpho, γράμμασι δὲ προηγουμένοις ἐδηλοῦτο τὰ γένη, καθ' ὧν ἐθριάμβευεν: *præcedentibus litteris noſcebantur gentes, de quibus triumphabat*, id eſt, titulis. Quin interpres Ariſtophanis ait, trophæum apud Græcos eſſe columnam lapideam, in qua ſcriptæ erant, quæ res eſſent contra hoſtem geſtæ. verba, quæ ad rem. Καὶ γράφοντες ἐν τούτῳ ἃ κατὰ τῶν ἀντιπάλων ἔργα διεπράχασιν. & nihil certè cõmemorat de armis inde appẽſis.

Epigrammata defunctorum.

Trophæum apud Græcos, quid.

[a] Ducitur infelix æuo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc vnguibus ora,
Sternitur & toto proiectus corpore terræ.
[b] Ducunt & Rutulo perfuſos ſanguine currus.
Pòſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttíſque humectat grandibus ora.
[c] Haſtam alij, galeámque ferunt. nam cetera Turnus
Victor habet. tum mœſta phalanx, Teucríque ſequuntur,
Tyrrheníque duces, & verſis Arcades armis.
[d] Poſtquam omnis longè comitum proceſſerat ordo,
Subſtitit Æneas, gemitúque hæc edidit alto.
Nos alias hinc ad lacrymas, eadem horrida bella
Fata vocant: ſalue æternum mihi maxime Palla,
Æternúmque vale. nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, greſſúmque in caſtra ferebat.

ARGV

ARGVMENTVM.

Procedit pompa funeris, Acetes custos iuuenis, currus hostium capti, Pallantis equus plorabundus, & eius arma, milites lecti ex toto exercitu armis inuersis. Demum adhibentur Æneæ verba.

EXPLICATIO.

a IN principe pompæ loco Acetes ponitur defuncti iuuenis custos, qui verè *ducitur*, vt *confectus æuo*, nec satis firmis viribus. Ad vnā rem tamen vires suppetebant, nam fœdabat (verbū mirum ad πάθος) *pugnis pectora & vnguibus.* Interdum etiam humi sternebatur totus lamentabundus. Omnia hîc παθητικά. B

b Intellige currus detractos hosti, & hos *Rutulo perfusos sanguine*, ad gloriā Pallantis. Deinde sequitur Æthon equus eiusdē Pallantis. mira hîc πάθη. Nam, qui priùs *bellator*, iam sine *insignibus*: quin *lacrymans*, & *guttis grandibus*, quibus *humectat* (verbū αὐξητικόν) *ora*.

c Sequuntur alij cum hasta & galea Pallantis. Sed cur hæc tantùm? quia *cetera Turnus victor habet*. Mox *phalāx* tota, videlicet mille illi viri lecti ex toto agmine, nimirū ex Teucris, Tyrrhenis, Arcadibus; & omnes *versis armis*, vt in luctu. Expedit Germanus, cur dicatur Turnus habere arma cetera, cùm lib. 10. baltheum tantùm Pallantis Turnus rapuerit. Quia videlicet, vno baltheo, vt nobilissimo spolio, nominato, cetera intelligenda Poëta omisit. Itaque cum baltheo & alia rapuit. Sed mox idem Turnus ex tot C spoliis hastam, vt præcipuā inter τὰ πληκτικὰ ὅπλα; & galeam, vt præcipuā inter τὰ φυλακτικά, restituit: siue liberalitate motus: siue, vt ego existimo, λύσεως ἀποίνων, vt de Achille loquitur Hom. 11. Iliad. Itaque hasta & galea redempta sunt pretio. & hæc omnia κατὰ σιωπὴν facta esse intelligenda sunt.

d In exitu adhibetur Æneæ pietas, qui, procedente funere, ipse substitit, & cum gemitu dixit Pallanti extremum *salue*, extremum *vale*, idque *æternum*, quia nunquam deinde eum visurus, & cui paratæ à fatis aliæ lacrymæ, alia bella. Quo dicto, funus processit, & ille rediit in vrbem ad suos. In qua vrbe non fuerat, ex quo ad Euandrum iuerat octaua Æneide.

NOTÆ.

1. PECTORA NVNC FOEDANS, &c.] Idem carmen habes lib. 4. aliqua transpositione,

Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

2. STERNITVR ET TOTO, &c.] Hæc dolendi ratio priscis in vsu. Non enim se solùm puluere, aut cinere conspergebant: sed etiam se per terram, aut cinerem volutabant. Hoc doloris genere mœrēr apud Calab. lib. 3. Principes Græci post interfectū Achillem, vt cùm Aiax inducitur παρὰ θινὶ θαλάσσης ἐκχύμενος, *fusus ad arenam maris*. Et Peleus ipsius Achillis pater, ἐπ' ἐσχατόωντι βίοτον κατὰ δῶμ' ὀδύρεσθαι: *exedens vitam cum cruciatibus ad focum*. Eundem Peleum Eurip. in Androm. inducit πιτνοῦντα πρὸς γῆν, *prostratum humi*, cuius interfectus est nepos Pyrrhus ab Oreste. Ouid. 8. Metamorph.

Puluere caniciem genitor, vultúsque seniles
Fœdat humi fusos.

Stat. 3. Theb.

Caniciem impexam dira tellure volutans.

Doloris nota constratio corporis.

3. PERFVSOS SANGVINE CVRRVS.] Ita 11. Iliad. αἵματι δ' ἄξων νέρθεν ἅπας πεπάλακτο: *axis totus sangui-*

A *ne erat perfusus*. Quod repetit Iliad. 20. Est hoc, quod Cal. lib. 10. de armis, πεπαλαγμένα λύθρῳ *fœdata tabo*.

4. BELLATOR EQVVS.] In 10. *Bellatoris equi*. Tacit. de Morib. Germ. *Illum bellatorem equum, illam cruentam victricémque frameā*. Eodē attributo vsus Val. 2 Arg. & Ouid. 2. Fast. Lucret de equis, *duellica proles*, quia bellatores. Prop. Eleg. 4. lib. 4. *bellicus equus*. Græci, ἵππος πολεμιστής. & Plut. in Cat. Maiore, ἵππους πολεμιστάς. *Equi bellatores.*

5. EQVVS.] An ducitur hic tantùm ad pompam funeris? an occidēdus, & mittendus in rogū ex more veterum? In hoc extremū inclinat Germani iudiciū. Nam veteres, quæ charissima erant defuncto, vnà cū illo sepeliebant. & quia fauet locus Cal. lib. 1. loquentis de funere Penthesileæ, vbi Priamus *Equus mittebatur in rogum cum defuncto.*

——φρεσὶν ᾗσι μενοίνα
Κούρην ὀμβριμόθυμον, ὁμῶς τεύχεσι, καὶ ἵππῳ,
Ἐς μέγα σῆμα βαλέσθαι ἀφνειοῦ Λαομέδοντος:
——*animo suo destinarat*
Puellam magnanimam, vnà cum armis, & equo,
In magnificum opulenti Laomedontis tumulum inferre.

6. POSITIS INSIGNIBVS.] Indicium luctus. Tacit. 3. Ann. in funere Germanici: *precedebant incompta signa*. & postea, *sine insignibus magistratus*. Non abit illud Val. 3. Arg. in re simili: *vadit sonipes ceruice remissa*, id est, non ὑψαύχην, vt sæpe equus dicitur ab Homero, sed submissus & tristis. Liu. lib. 9. etiamsi non in re funeris, certè in re indignissima: *plerique nobilium annulos aureos, & phaleras deponerēt*. Sed explico Virgiliū aliter. Allusit, credo, ad morē seruatū in funeribus, quo nō solùm viri tondebantur, cuius rei magna est mentio in auctoribus; sed etiam equi. Profero Eurip. in Alcest. vbi Admetus propter vxoris obitū, ita præcipit, *Insignia posita in luctu.* *Tonsio in luctu.*

Πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν, ὧν ἐγὼ κρατῶ,
Πένθος γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω,
Κουρᾷ ξυρήκει, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.
Τέθριππά τε ζεύγνυσθε καὶ μονάμπυκας
Πώλους σιδήρῳ τέμνετ' αὐχένων φόβην:
Omnibus Thessalis, quibus ego præsum,
Iubeo communem esse luctum huius feminæ,
Cæsarie rasa, & nigra veste.
Quadrigásque iungite, & singularibus
Equis ferro secate ceruicis iubam.

Certum est autem, iubam esse maximum equorum insigne. Hoc ergo positū & præcisum equo Pallantis. Huc trahi potest, quod notabam ex Valer. qui in re funeris, *vadit sonipes ceruice remissa*. cur, *remissa*? D nisi quia videt se carere iubarum gloria, qua tantopere exultant equi.

7. ÆTHON.] Placuit Poëtæ ita Pallantē honestare, itaque attribuit equo illius nomen equi Solis.

8. IT LACRYMANS.] Non tam ad αὔξησιν. & poëticè, quàm ex veterum opinione, qui dabant lacrymas feris. Hom. de equis Achillis Iliad. 17. *Lacrymæ in feris.*

—— δάκρυα δέ σφιν
Θερμὰ κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισιν:
——*lacryma autem ipsis*
Calide ab genis fluebant in terram lugentibus.

De iisdem Calab. lib. 3.

E Οὐ μὲν ἀμβροτοι ἵπποι ἀταρβέος Αἰακίδαο
Μίμνον ἀδάκρυτοι παρὰ νήεσσι:——
Neque immortales equi impauidi Æacidæ
Manserunt lacrymarum expertes apud naues.——

Et statim de iisdem, μύροντο, *flebant*. Isidor. de equis cap. 1. lib. 12. *interfectis, vel morientibus dominis multi lacrymas effundunt*. Quin adiicit determinans, *solius equi est præter hominem lacrymari, & doloris affectum sentire*. Extrema hæc ὡς ἀληθῆ, vt postea indicabo, nam feris aliis datus hic sensus doloris. Sed redeo. Sueton. in Iul. cap. 81. *equorum greges vbertim flere*. Plin. cap. 42. lib. 8. *Equi lacrymæ.*

lib. 8. *amissos lugent dominos, lacrymásque interdum desiderio fundunt.* Oppian. 1. Cyneg. de iisdem μέγα στενάχουσι. Sed quæres, an aliæ feræ cum notis huius doloris? Certè multæ. Rex ferarum leo apud Plin. c. 16. lib. 8. dicitur lacrymas fundere. & Lucret. lib. 3.

Leonis,

——vis est violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes.

Elephanti, Tauri,

Claud. 2. Eutrop. *lacrymis torui maduêre leones.* De elephantis Xiphil. in Pomp. θρηνῶδη βοὴν, *lugubrem vocem.* De tauris Calpurn. 7. Eclog.

Et tua mœrentes expectant subila tauri.

Canis,

Sed de tauris iam ego multa 3. Georg. Canibus hunc sensum doloris dat Calab. lib. 3. cōparans cum horū luctu Æthiopum lacrymas ad interfectū Memnonē.

Asini,

Asinos Mauritaniæ acerrimas lacrymas fundere scribit Ælian. cap. 9. lib. 14. Sic & de iumentis in cōmuni Cyrill. Alexand. in Ionam, num. 21. τοῖς ἀνθρώποις συγκατακλγύνεσθαι, *dolere vnà cum hominibus*; & οἷον πενθεῖν, *veluti lugere.* Inde generatim Ouid. ad exaggeranda sua mala Eleg. 9. lib. 5. Trist. *quibus possunt illacrymare feræ.* De luctu auium vide me lib. 4. Georg.

Iumentorum omniū.

Humectare ora lacrymis.

9. GVTTISQVE HVMECTAT GRANDIBVS ORA.] Ab Lucret, qui lib. 1. *lacrymis salsis humectant ora genásque.* Sed priùs Eurip. in Ione,

δακρύοις δ' ὑγραίνασ' εὐγενῆ παρηΐδα,
Lacrymis humectans generosas genas.

Et iterum, ὑγρὸν βάλλω δάκρυ, *humidas lacrymas fundo.* & in Helen. βλέφαρον ὑγραίνω.

Imitatio.

10. TVM MOESTA PHALANX, &c.] Apparatus similis est Calab. lib. 3. in funere Antilochi,

Δὴ τότ' ἄρ' Ἀντιλόχοιο νέκυν ποτὶ νῆας ἔνεικαν
Κεκμηκαὶ Πύλιοι, μέγα στενάχοντες ἄνακτα:
Protinus cadauer Antilochi ad naues portant
Hastigeri Pylij, vehementer Regem complorantes.

Plutar. in vita Gracch. loquens de funere Atillij, ait portatum in forum οἰμωγῇ καὶ θρήνῳ.

Versa arma in luctu,

11. ET VERSIS ARCADES ARMIS.] Ita scilicet in exequiis militaribus. Stat. lib. 6. in funere Archemori,

Tum septem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenæ Reges. ——

Tacit. in funere Germanici 3. Ann. *præcedebant incompta signa, versi fasces.* Albinouan. ad Liuiam,

Quos primum vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi versos, indiciúmque mali.

Adhuc apud nostros inoleuit hæc consuetudo, vt in obitu ducis exercitus, & milites vexillis humum verrant, & inuersis cuspidibus hastæ inclinentur, trahantúrque. Ad hunc morem, vt luctuosum, allusit fortasse Ouid. lib. 3. Amor. Eleg. 8. cùm Cupidini dat *euersam pharetram,* id est, *inuersam,* vt alij etiam explicant, videlicet in mœrore illius. Multa in hunc locū Seru. Pet. Dan. adhibens rationes moris huius. Lege; & adiunge παλίντροποι, videlicet, fuisse hoc indicium defectionis militaris. Clarè Ammian. lib. 26. *Eum secuti complures, iam pila quatientes & gladios ad Imperatorem transeunt, cum vexillis scuta peruersa gestantes, quod defectionis signum est apertissimum.* Morem hunc, & locū Ammiani alij adnotauerunt. quibus addimus, id verè esse, quod idem eodem lib. *Hac sermonū placiditate omnes molliti, qui acriter venerant pugnaturi, signorum apicibus, aquilísque submissis desciuêre libentes ad eum.* Qui locus superiorem explicat, & mirum, omissum ab illis, qui priorem illum notauerant. Ideo enim inuersis signis qui deficiunt, vt qui veniant non ad lædendum, sed ad parendum.

Et defectione.

Altus gemitus.

12. GEMITV ALTO.] Plut. in vita Alexan. θρῆνος ἀναφέρειν στεναγμούς.

13. NOS ALIAS HINC AD LACRYMAS.] Quasi iam harum expers Pallas, vt qui mortuus. Itaque putemus allusum ad versus Eurip. in Troadib.

Lacrymarū expers defunctus.

Δάκρυά τ' ἐκ δακρύων καταλείβεται
Ἀμετέροισι δόμοις, ὁ θανὼν δ' ἐπι-
λάθεται ἀλγέων ἀδάκρυτος:
Lacrymæ stillant ex lacrymis
In nostris ædibus. qui verò mortuus est
Dolorum obliuiscitur iam illacrymabundus.

Audi & Musam Silij confinem vtrique Vati,

I decus Ausoniæ, quò fas est ire superbas
Virtute & factis animas, tibi gloria letho
Iam parta insigni, nostros fortuna labores
Versat adhuc, casúsque iubet nescire futuros.

Salue, vale, verba defunctorum.

14. SALVE ÆTERNVM, VALE.] Duplicata salutatio dicebatur mortuis ex more, ideo Virg. *salue, vale.* Vetus sepulcri inscriptio Romæ, AVE DOMINA, VALE DOMINA. Varro apud Seru. in libris, quos *Logistorios* appellauit, ita ait: *Ideo mortuis salue, & valedici, non, quòd aut valere, aut salui esse possint: sed, quòd ab eis recedimus, eos nunquam visuri.* Catull. in inferiis fratris,

Tuque in perpetuum frater aue, atque vale.

Sic & Plaut. Mercat. vtrumque verbum iungit in discessu, quasi in re tristi,

Lumen superum & inferum salue, simul autem vale.
Hinc hodie postremum extollo mea domo patria pedem.

Existimo verba hæc Plauti dicta cum respectu ad funera: qui enim domo peregrè abit, nescit an iterum viuus rediturus sit. Huc confero Artemidori verba cap. vlt. lib. 1. ἔρρωσο δὲ καὶ ὑγίαινε, ὅ τι λέγειν, οὔτε ἀκούειν ἀγαθόν. οὐ γὰρ προσιόντες ἀλλήλοις, οὔτε μέλλοντές τι πράττειν ταῦτα λέγουσιν ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἀπαλλαττόμενοι ἀλλήλων, καὶ πρὸς ὕπνον τρεπόμενοι. διὸ καὶ γάμους, καὶ κοινωνίας διίστησι, καὶ τοὺς νοσοῦντας ἀναιρεῖ: *vale & salue, neq; dicere, neque audire, bonum est. Non enim sibi homines congredientes, neque parantes aliquid facere* (verba) *hæc dicunt, sed cùm discedunt ab se, vertuntúrque ad somnum. Quapropter* (verba hæc) *nuptias, & societates dirimunt, & ægrotantes interimunt.* His aperit, vnde habuerint originem verba hæc infausta. Hinc etiam efficio in Virg. verbum *vale* respondere Græco ἔρρωσο, & *salue* Græco ὑγίαινε, non χαῖρε. Nam χαίρειν potius in re felici, non ὑγιαίνειν, vel ex adductis Artemidori. Quod firmo etiam ab Plut. lib. de Garrulitate, vbi narrat, Fuluium, qui prodiderat secretum ab Augusto, occursantem Augusto dixisse, χαῖρε Καῖσαρ. Mox verò Augustum respondisse, ὑγίαινε Φουλβίε. Quo verbo audito, statim Fuluius intellexit, se mori iussum. Vide & testimonium Dionis, quod affero Eclog. 3. ad illud, *longum vale.* Quod verò ἔρρωσο etiam accipiatur in malam partem, certo certius est his, qui vel Græca libarunt. Homerus sæpissimè illud, & Poëtæ alij in deterius capiunt. Hīc tantùm do interpretem Demosthenis Vlpianum. Vbi enim Orator de falsa legatione dicit, ἐρρῶσθαι πολλὰ φράσας, *valere multùm iussit,* Vlpianus ita: ἀντὶ τοῦ οἰμώζειν, *pro plorare.* & adiicit. τὸ δ' ἀμφορούμενον ἐστὶν ἡ λέξις, καὶ ἐπὶ κακοῦ λέγεται: *est verbum ambiguum, & sumitur in malam partem.* Iraque, Lector, *salue* est ὑγίαινε: & *vale* est ἔρρωσο, in re tristi, & mortuorum. Ergo, qui ad locum Virgilij conferunt verba Sueton. cap. 4. in Galba, qui illud Odyss. vlt. οὖλέ τε, καὶ μέγα χαῖρε, à re abeunt. Obiicies mihi contra ea, quæ dixi, Euripidem, apud quem iugulanda Polyxena ad matrem, χαῖρ' ὦ τεκοῦσα, &c. Sed hoc nihil est, nam eo ipso, quòd Hecuba manebat cum vita, iudicata est à filia esse felix. Inde Hecuba respondet, χαίρουσιν ἄλλοι, μητρὶ δ' οὐκ ἔστι χαρά: *salueant alij, matri enim nulla est salus.* Fortior nodus Homericus Iliad. 23. vbi Achilles mortuum Patroclum ita salutat,

tat, χαῖρέ μοι ὦ Πάτροκλε. Verbum ergo χαίρω in re etiam mœſta, non tantùm ὑγιαίνω. Fateor, hoc eſſe validum. Sed quis neget (non hoc effugium eſt, ſed vera ſolutio) non poſſe in Hom. & aliis verbum χαίρω ſumi καταχρηστικῶς, vt multa paſſim? Homerum imitatur Eurip. in Alceſt. vbi ad mortuam Alceſtin χαῖρε. Eadem catachreſis in eodem Eurip. in Hipp. vbi ipſe Hippolytus volens Venerem abire in rem malam, Κύπριν πολλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω. Sed qui preſsè loquuntur & propriè, rémque diſcriminant, vt fecit Auguſtus apud Plut. loco laudato, accipiunt, vti ego explicui. Abſolui penſum. Tantùm adiicio, Ouidium non contentum verbo duplici in re funeris, ſcripſiſſe 3. Faſt.

Térque vale dixit, cineres ter ad oſſa relatos
Preſſit.——

Adiicio etiam, diſcrimen illud multorum, vt *ſalue* A ſit adeuntis, *vale* abeuntis, non eſſe perpetuum. Nam Claud. 1. Rap. de abeunte Cerere à Sicilia, *ſalue gratiſſima tellus*. Et Hercules apud Eurip. diſcedens ab Amphitryone, χαῖρ' ὦ πρέσβυ: *ſalue ô ſenex*. Et Clytæmneſtra apud eundem in Iphig. in Aul. diſcedens ab Achille, & indignabunda,

χαῖρ', οὐ γὰρ ὀρθοῖς ὄμμασίν σ' ἔτ' εἰσορῶ:
Salue, non enim rectis deinde oculis te intueor.

Idem verbum eſt in Oreſte, & in Hippolyto, & in diſceſſu, vt etiam in Nazianz. Orat. 32. Quæ omnia teſtimonia refero ad catachreſin, vt dicebam. Æternum vale.

15. ÆTERNVM VALE.] Id eſt, in æternum tempus. Apage, vt *æternum* ſit aduerbium. Apta verò in hunc locum, quæ dixi 3. Eclog. ad illud, *longum vale*.

16. TENDEBAT.] Eadem ſignificatione τείνειν Græcis dici Germ. notat, nam Eurip. Supplicib. οἱ δ' ἔτεινον εἰς πύλας.

ª Iámque oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniámque rogàntes:
ᵇ Corpora per campos ferro quæ fuſa iacebant,
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ:
Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis;
Parceret hoſpitibus quondam, ſocerı́ſque vocatis.
ᶜ Quos bonus Æneas haud aſpernanda precantes
Proſequitur venia, & verbis hæc inſuper addit.
ᵈ Quænam vos tanto fortuna indigna Latini
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacémne exanimis, & Martis ſorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.
Nec veni, niſi fata locum, ſedémque dediſſent.
Nec bellum cum gente gero. Rex noſtra reliquit
Hoſpitia, & Turni potiùs ſe credidit armis.
Æquius huic Turno fuerat ſe opponere morti
Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros
Apparat, his mecum decuit concurrere telis.
Vixet, cui vitam Deus, aut ſua dextra dediſſet.
Nunc ite, & miſeris ſupponite ciuibus ignem.

ARGVMENTVM.

Veniunt ad Ænean Legati Latinorum ſupplices petitum defunctis ſepulturam: hanc ille concedit & belli culpam, ac tanta cladis in Latinum coniicit, ſeque purgat Deorum fatis.

EXPLICATIO.

ª EVNTI Æneæ ad muros Legati Latinorum ſupplicabundi occurrerunt cum ramis oleæ: hæc enim nota vnica ſupplicum. Veniunt verò ab Laurolauinio, hæc enim vrbs Latini Regis. Notat doctè Germ. mitti legationem ab Rutulis ad Ænean (non contrà) tanquam ad victorem, vt cui, ex commiſſa iam pugna, partes campi adiudicatæ.

ᵇ Quid vero Legati? redderet tumulanda corpora, quæ ferri ſæuitia iacebant per campos. Ratio duplex. Prima, *Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis.* B Altera. *Parceret hoſpitibus quondam, ſocerı́ſque vocatis.* Pendet illa ex pietate, hæc ex fide. Notetur illud, *ferro fuſa*, quaſi excuſetur Æneas.

ᶜ Videt Æneas, hæc non eſſe *aſpernanda*, &, vt *bonus precantes proſequitur venia*, quia videlicet illi venerant *rogantes veniam*. Deinde placuit illi altercari cum Legatis de præſenti bello.

ᵈ Hac oratione vult Æneas ſe cum Latinis conciliare, vt is, qui à bello abhorreat, qui totus in pacem inclinet, qui doleat mortuorum miſeriam. Ab hoc ſcopo conciliationis ortum, vt iam illos leniter reprehendat, iam ſe excuſet, iam culpam in alios conferat, omnia grauiter, & cum decoro. Percur- C ram breuiter orationem. Ergo, ipſi ſe bello implicuerant, ſed culpam coniicit in fortunam, *quæ vos fortuna implicuit bello?* & hæc *indigna*, quia indigni vos hac clade. Amicos cur fugitis? Nihil potuit maius. *Oratis pacem exanimis, & peremptis Martis ſorte?* quaſi non ipſe peremerit, nec in eius culpa ſitum, ſed in ſorte, in fortuna. Pergit. *equidem & viuis concedere vellem.* Quaſi dicat: Beneficium vnum petitis; ego

addo alterum. Vos enim de mortuis estis solliciti, ego de viuis. Est & hic latens reprehensio. Vos estis pertinaces, nam ego pacem volo. Et nota præclarè dici *pacem* pro sepultura, vt eadem vox seruiat paci viuorum. Sequitur excusatio. *Nec veni*, &c. Cogunt me fata, nequeo aliter, in vobis hæret culpa, Dij mihi hanc sedem assignarunt, & loca. Deinde, *nec bellum cum gente gero*. Quasi dicat: vobísne ego hostis sim, qui estis subditi? nihil me læsistis. Regem vestrum incuso: ille *reliquit nostra hospitia*, notat Latini perfidiam, *& credidit se armis Turni*, quod cedit in meum dedecus; quasi Turnus potentior sit ad tuendum Regem. Ergo, si ita potens est Turnus, vt Rex se illi crediderit, facite vt mecum descendat in singulare certamen. Æquius enim fuisset ad finiendum bellum, ad pellendos Teucros, mecum *his*, δεικτικῶς, *armis* congrederetur, non vos supponeret. Vixisset sanè cui Deus vitam dedisset, cui sua virtus. Quia victoria contingit, aut dante illam fortuna, aut vnoquoque sibi illam pariente propria virtute. Et vide modestiam: non ait; interfecissem illum: sed, vixisset cui Deus, &c. Sed iam ite, & cremate ciues vestros, miseros quidem, vt qui perierint, non sua culpa, nec suo in negotio, sed nuptias dum Turno quærunt. Sic ego expendebam hanc orationem. Sed libanda aliqua ab Scal. qui lib. 3. Poët. cap. 85. rem totam ad tectam ironiam confert: vt dissimulet Æneas ciues Laurentes ab se interfectos, quo scopo ait,

Pacemne exanimis, & belli sorte peremptis,

quasi dicat, non à me, sed à bello. *equidem & viuis concedere vellem*: non igitur ego belli auctor. Ideo addit, *nec bellum cum gente gero*, sed cum Latino: unde non ego cum illo, sed ille mecum, nam *Rex nostra reliquit hospitia*. & *hospitia*, quia Drances dixerat, *parceret hospitibus*, qui tamen erant hostes.

Æquius huic Turno fuerat se opponere morti.

Quid enim illi maius poterat euenire, quàm mors? certè dedecus. Ideo, *æquius*, nam inuenisset in morte æquiorem fortunam. In illis, *huic Turno*, inest contemptus cum indignatione.

NOTÆ.

Velamenta supplicum in manibus.

1. VELATI RAMIS OLEÆ.] Accipiendus locus de manibus, in quibus erant velamenta supplicum. Explicui satis hanc rem lib. 7. ad illud, *Præferimus manibus vittas*. Errant grauiter, qui *velatos supplices* explicant coronatos in capitibus. Non sic est: nam velamenta in manibus fuerunt. Sed hoc iam excussi dicto loco. Et hîc affero nouum argumentum ex collatione locorum Virgilij. Iubet Æneas lib. 7. ire suos oratores ad Latinum *ramis velatos Palladis*, & postea oratores iidem loquentes cum Latino dicunt, *præferimus manibus vittas*, quibus explicant, quæ sit velatio illa. Itaque hoc, vt certissimum omitto, & quod petendum ab lib. 7. Hîc igitur dabo Notas quasdam affines huic rei, & vtiles non solùm iuuentuti, sed viris etiam, qui versantur in hac literarum palæstra.

Olea cur in re supplicũ.

Prima est, cur olea huic negotio assumatur. Rationem habes apud S. Ioannem Chrysost. Orat. 3. de incóprehẽsibili Dei natura. οἱ ἄνθρωποι κλάδους ἐλαιῶν ἐνεγκόντες ἱκετεύουσι τοὺς βασιλέας, διὰ τὸ φυτὸν ἐλαίας αὐτοὺς τῆς φιλανθρωπίας ἀναμιμνήσκοντες: *Homines ramos olearum gerentes mouere Reges consueuerunt, nam eo arboris genere humanitatem commemorant*. Altera est Scholiastæ Euripid. in Androm: vbi ait, hos ramos gestari solitos, non solùm ἐν ταῖς χερσὶ *in manibus*, sed τῷ στόματι (ait ille) id est, *in ore*. Eius sententiam ego con-

Rami supplicum interdum in ore.

firmo loco altero eiusdem Euripidis in Orest. vbi Orestes ipse, qui supplex erat, & sine ramis, ait,

Ἱκέτης ἀφύλλου στόματος ἐξάπτων λιτάς

Preces fundo supplex ore carente ramis.

Cur ergo στόμα ἄφυλλον, nisi quia aliquando cum his ramis? Tertia est eiusdem Scholiastæ in Orest. vbi ait, hæc supplicum velamenta fieri solita ἐκ τῶν θαλλῶν ἢ δάφνης, ἢ ἐλαίας, *ex ramis aut lauri, aut oleæ*. Itaque, nouam arborem intrudit in hanc scenam. Quartò, audi verba Ammiani lib. 18. vbi cognosces circumstantias aliquot moris huius apud Assyrios. Verba eius. *Ab Vrsino agnitus, sublata tiara, quam capiti summo ferebat honoris insigne, desiluit equo, curuatisque membris humum vultu penè contingens salutauit patronum & dominum appellans, manus post tergum conuertens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam*. Agnosce tres circumstantias, salutationem, vultum humi affixum, manus conuersas in tergum. Quintò, scias, hos ramos supplicum interdum fuisse νεοδρέπτους, vt ait Plut. in vita Thesei, id est, *recenter decerptos*. Æschyl. etiam in Supplicib. κλάδοισι νεοδρέπτοις. Sextò, hæc velamenta erant è lana alba, ideo Æschyl ibidem λευκοστεφεῖς ἱκετηρίας. & è lana quidem, quia vt olea, ita etiam & lana indicium est pacis. Septimò, sciendum, hunc morem totum sumptum à Græcis. Liuius lib. 29. *velamenta supplicum ramos oleæ, vt Græcis mos est, porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt*. Octauò, hæc supplicum insignia adhibita aliis, quàm hominibus. Nam idem Liu. lib. 30. *velata infulis ramisque oleæ Carthaginiensium occurrit nauis*. Nonò, scias, comites velamenti fuisse sordes vestium, vt omni ratione habitus lugubris repræsentaretur. Liu. lib. 35. *Literis Eurylochi admoniti propinqui amicique, & qui eiusdem factionis erat, liberos, & coniugem eius cum sordida veste tenentes velamenta supplicum, concionem frequentem adire iubent*. Attingit hoc alibi idem Liu. adiungitque notam aliam, videlicet capillos promissos. Nam lib. 44. ita scribit: *sordidati barba, & capillo promisso cum ramis oleæ ingressi Curiam procubuerunt*. Porrò & procubitum in terram ex adductis testimoniis potuisti animaduertere, tum ex verbis istis eiusdem Liu. lib. 45. *vniuersi procidérunt, ramos oleæ iactantes*: Stat. lib. 11. de supplice loquens: *pronus sternitur*. &, *humique voluitur*. Hanc diligentiam non ingratam putabit, qui anhelat ad hos mores inuestigandos.

Laurus aliquando supplicum.

Supplicum circumstantiæ.

Rami supplicum recenter decerpti.

Velamenta è lana.

Supplicum mos à Græcis.

Velamenti comites sordes vestium.

Capilli promissi.

Procubitus in terram.

Victi ad victores.

2. CORPORA PER CAMPOS, &c.] Legationis huius pia petitio in aliis est. Eurip. Supplicib.

Πάντες σ᾽ ἱκνοῦνται Δαναΐδαι θάψαι νεκρούς:

Omnes Danaïdæ te suppliciter orant mortuos sepelire.

Idem Tragicus,

Πέμψω λόγους Κρέοντι, νεκρῶν σώματ᾽ ἐξαιτούμενος:

Mittam Creonti nuntium, petens mortuorum corpora.

Hom. 7. Iliad. ait, propositam hostibus legationem, vt cessarent à bello, εἰσόκε νεκροὺς κήομεν, *donec mortuos comburamus*. Priamus etiam apud Cal. lib. 9. legationem mittit ad Græcos λισσόμενος νέκυας πυρακαίμεν, *supplicans mortuos comburere*. Plutar. in Nicia, ἔπεμψε κήρυκα πρὸς τοὺς πολεμίους περὶ ἀναιρέσεως, *misit ad hostes caduceatorem recuperandorum cadauerum causâ*. Notaui iam in explicatione mitti legationem ad Ænean, tanquam ad victorem. Quam ad rem confero verba Iustini lib. 6. hæc: *In eo prælio Archidamus Rex Lacedæmoniorum vulneratur, qui, cùm cadi suos, & victos videret, per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Græcos victoriæ traditæ*. Ergo Latini victoriam fuisse Æneæ clarè indicant hac defunctorum ad sepulturam petitione.

3. TVMVLO SVCCEDERE TERRÆ.] Pro, terra condi, tegi tumulo, ad eum modum, quo, *successi*-

Succedere tumulo.

mus antro. Politissima certè locutio, & inde laudata Scaligero. Itaque noluit illa Eurip. in Supplicib. τὰ καλυφθῆναι νεκρὰ. κρυβήσονται χθονί. τάφῳ δίδονται. Nec illa Soph. Antig. τὸ χθονὸς ἔκρυψε. ἐν τάφῳ τιθέναι. & in Aiace, σῶμα τυμβεῦσαι τάφῳ. neque infinita Hom.

Certamen contra mortuos inglorium.

4. Nullum cum victis certamen, &c.] Apto Virgilio nobilissimum locum Lysiæ in orat. funebri. πέμψαντες κήρυκας, ἐδέοντο αὐτῶν δοῦναι τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν, νομίζοντες ἀνδρῶν τῶν ἀγαθῶν τοὺς μὲν ζῶντας τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι, ἀπιστούντων δὲ σφίσιν αὐτοῖς ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων σώμασι τὴν εὐψυχίαν ἐπιδείκνυσθαι: *Missis præconibus eos deprecantur, vt mortuos humari sinerent. existimabant enim virorum fortium esse viuos hostes persequi vsque ad vltionem, timidorum autem & suis viribus diffidentium in defunctorum corpora virtutem ostentare.* Plato etiam lib.5. Leg. ἀνελεύθερον τὸν πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος: *Illiberale est putare esse hostem defuncti corpus.* & mox ait, hoc qui agunt, esse similes canibus, qui in mortuos sæuiunt. Non abhorret sententia Sophoc. apud Stob.

Τί κέρδος ἢ καὶ τ' οὐκ ὄντας αἰκίζειν νεκρούς;

Quod est lucrum, mortuos fœdare, qui iam non sunt?

Demosth. in Coron. τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὑπέστη τις ἢ πλείων, ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ; *Quis enim ignorat omnium, viuentes omnes inuidiæ plus minusue esse obnoxios, in defunctos autem etiam hostium odia conquiescere?* Idem contra Leptinem: καὶ μὴν κἀκεῖνος τῶν καλῶς δοκούντων ἔχειν ἐστὶν ὁ Σόλωνος νόμος, μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα: *Quin illa Solonis lex est è laudatarum numero, mortuo nemini maledicendum.* Istis consentit Calaber libro primo,

Mortuo nemini maledicendum.

Οὐ γὰρ ἐπεὶ φθιμένοισι πέλει κότος, ἀλλ' ἐλεεινοὶ
Δήϊοι οὐκ ἔτ' ἐόντες, ἐπεὶ ἀπὸ θυμὸς ὄληται:

Mortuis enim non est irascendum, imò misericordia digni sunt
Hostes non iam superstites, extincto iam (hostili) *animo.*

Et lib.9. de defunctis ait, οὐ γάρ σοι μῆνις ὀπηδεῖ: *non iam illos ira sequitur.* Inde deturpatio illa Antigoni apud Iosephum lib.1. Bell. Iudaic. cap. 13. Ἀντίγονος δὲ οὐκ ἀπέχρησεν ἡ νίκη, προῆλθε δὲ εἰς τοσοῦτο ὀργῆς, ὥστε καὶ νεκρὸν αἰκίζεσθαι τὸν Ἰώσηπον: *Antigonus autem minimè victoria contentus fuit, sed eò processit iracundiæ, vt mortuum Iosephum indignè afficeret.* Et Constantij Augusti apud Hilarium: *Ceteri quidem mortales semper cum viuis bella gesserunt, dum homini ad hominem vltra mortem nihil causæ est: tibi verò inimicitiarum nullus est finis.* Vide Valer Max. lib.4. cap.1. de Moderatione, vbi loquitur de inimicitiis testatissimis Scipionum, Numidici, & Africani, quas tamen Numidicus, mortuo Africano, statim deleuit.

Bonus, id est, sine inuidia.

5. Bonus Æneas.] Explica *bonum*, id est, ἄφθονος, *sine inuidia.* Nam φύσεως κακίας σημεῖόν ἐστιν ὁ φθόνος, ait Demosth. orat. contra Leptin. *Inuidia argumentum est prauitatis naturæ.* Vnde ille colligit, Athenienses verè esse bonos, quia carentes ipsi inuidia sepelirent eos, qui in acie occubuissent. Dedi mentem Demosthenis, non verba omnia, quia locus longus.

6. Prosequitur veniam] Respondet τῷ, *veniamque rogantes.*

7. Pacem.] Notabam explicans, dixisse *pacem* pro sepultura, vt vox vna vtrique sententiæ seruiret, *pacem exanimis, pacem viuis.* Ita Hom. 11. Iliad. verbum δώσειν diuersæ sententiæ accommodat, εὖχος ἐμοὶ δώσειν, ψυχὴν δ' Ἄϊδι: *mihi gloriam daturum, animam Plutoni.*

Pax, pro sepultura.

8. Exanimis.] Huic voci propriè respondebit Græcorum ἀποψύχω, quæ vox est in Soph. Aiace, ἀποψύχειν βίον, vt vtraque vox sit, *expellere animam.* Sæpe enim ἀπὸ Græcum, & ex Latinum sibi respondent. Sic ἀποφυγὴ, ἀποπνευστέω, ἀποχωρέω, *effugium, efflo, excedo.* Perlustra verò Scal. cap. 12. lib.3. Poët. vbi coniungit, & expendit multa Virgilij loca de pietate Æneæ erga defunctos.

Ex, respondet sæpe Græcæ voci ἀπό.

9. Fata locum, sedemque dedissent.] Sæpe hoc prædicat in Æneide, in istis. *Italiam quæro fatis. Italiam fato profugus. Italiam Lyciæ iussêre capessere sortes. Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras Imperiis egêre suis.* & sæpe alibi. Vt scilicet desertoris nomen & proditoris amandet ab Ænea, quod aliquibus persuasum. Vnde hac maximè iniuria Turnus Ænean petit, *desertorem Asiæ, & fugacem*; vt etiam Dido. Cauit ergò suo Heroi Virg. in gratiam Augusti.

Fatalis Æneas.

10. Rex nostra reliquit hospitia.] Nusquam iræ maiores, quàm ob violatam hospitalitatem. Exempla plurima in vno Pausan. Hom. Odyss. vigesima.

Hospitalitas læsa magnarum cladium causa.

—— οὐ γὰρ καλὸν ἀτέμβειν, οὐδὲ δίκαιον
Ξείνους: ——
—— *non enim bonum eludere, neque iustum*
Hospites. ——

Et Odyss. 14. dicit, non oportere ξεῖνον ἀτιμῆσαι, *hospitem dehonestare.* Cesso ab loco communi.

11. Vixet.] Ita omnes legunt, pro, *vixisses.* In nonnullis tamen, *vixit.* cui lectioni non deest suus lepor.

Vixet.

12. Miseris supponite ciuibus ignem.] Nescio qua cum his cognatione dixit Val. 3. Arg.

Cur etiam flammas miserósque moramur honores?

Iterum:

Vos, age, funereas ad littora voluite syluas,
Et socios lustrate rogos, date debita cæsis
Munera. ——

Et nota, Latinos petiuisse, *tumulo succedere terræ*, Æneã respondisse, *supponite ciuibus ignẽ*, cognatione quadam inter *succedere*, & *supponere*. Hæ notulæ poëtam promouent. Rursum, quia hîc *supponite ignem*, infrà, *subiectis ignibus.*

Supponere ignem.

[a] Dixerat Æneas. olli stupuêre silentes,
Conuersiq́; oculos inter se, atque ora tenebant:
[b] Tum senior, sempérque odiis, & crimine Drances
Infensus iuueni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert. [c] ô fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Iustitiæne prius mirer, bellíne laborum?
[d] Nos verò hæc patriam grati referemus ad vrbem:
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino

Iungemus Regi: quærat ſibi fœdera Turnus.
[e] Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxáque ſubiectare humeris Troiana iuuabit.
Dixerat hæc: vnóque omnes eadem ore fremebant.
[f] Bis ſenos pepigêre dies, & pace ſequeſtra
Per ſyluas Teucri, miſtíque impunè Latini
Errauêre iugis: ferro ſonat alta bipenni
Fraxinus: euertunt actas ad ſydera pinus.
Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.

ARGVMENTVM.

Commouentur hoſtes pietate Æneæ. Erumpit in eius laudes effuſiſſim Drances. Fiunt induciæ, & paratur materia rogis cremandorum cadauerum.

EXPLICATIO.

[a] AD pietatem Æneæ obſtupeſcunt, ab ſtupore ſilentium ſequitur, & tantùm loquuntur oculis viciſſim in ſe conuerſis, atque ore.

[b] Poſt aliquod ſilentij ſpatium, vnus Drances, & quia *ſenior*, & quia *infenſus Turno* ad Ænean loquitur. Illud, *odiis, & crimine*, eſt, infenſus odiis & proprio crimine, quaſi odiorum tota ſentina penderet à culpa Drancis & crimine, non ab Turno. Aliter interpretes. vt velis. Poteſt etiam eſſe ἓν διὰ δυοῖν, vt *odiis, & crimine*, pro, odiorum crimine. Ait *viciſſim* cum reſpectu ad Ænean, id eſt, ſeruata ſermonis vice: *Orſa*, nam quæ orſus Æneas fuerat de Turno, ille accumulat.

[c] Sunt omnia præcipua ad laudem Æneæ, *ingens fama*, ſed *armis ingentior*. quia oculi fideliores auribus. Magnus fuerat Æneas auditus, maior viſus, quod paucis contingit. Ab tanta ergo magnitudine dubitatio illa, *quibus cælo* (id eſt, cœlitib.) *te laudibus æquem?* ſed cur æquandus laudibus cum cœlitibus? quia iuſtitia, & virtus belli in eo maxima: & dubitat, vtra ſit maior, vt oſtendat vtranque eſſe in eo principem virtutem.

[d] Promittit iam ſe vrbi narraturum admirandas virtutes: deinde facturum, vt Latino concilietur, Turnus excludatur. Et nota, priùs præmiſſum *referemus ad vrbem*, & deinde, *te Latino iungemus*. Nam ſæpe à populo arbitrium Principum; & quò ille inclinat, hi quoque inclinant. Ergo, priùs populum ſtudiosè conciliabimus, deinde Regẽ, vt hoc fauore populi tu admittaris, Turnus excludatur, nam hoc eſt, *quærat ſibi fœdera*, alia coniugia nempe. Tu enim iungeris, id eſt, de tuo agetur coniugio.

[e] Cùm hæc profecta ſint ab homine ſene, aptiſſima admodùm ſunt. Nam quale eſt audire ſenem virum, & principem inter ſuos ſublaturum humeris moles & ſaxa ædificij, & hoc cum voluptate: nam *iuuabit*. Sed vnica ratio, nam *fatales moles*. Quis enim non præſtet ſuam operam fatis adimplendis? Hæc ille, & omnes eadem pari aſſenſu; & cum fremitu, quò ſtudium intelligas.

[f] Ergo factis induciis, nullo cautu hoſtes errant A per ſyluas, materiam ſecturi mortuorum rogis. Omnia ſunt propria. Fraxinus, & pinus ſecuri cæduntur: robora, & cedrus, quia durioris materiæ, cuneis ſcinduntur. Nota & lucem epithetorum. Fraxinus eſt *alta*, pinus *acta ad ſydera*, robora ſunt *dura*, quippe *cuneis* pro epitheto eſt, queîs notatur durities, demum cedrus *olens*. Verba quoque aptiſſima ſunt. Fraxinus *ſonat*, nam, cùm frangitur, claro eſt ſonitu, non obtuſo, certè clamoſior, quàm aliæ arbores. Pinus, vt quæ altæ *euertuntur*. quo res fit tragica. Robur, & cedrus *ſcinduntur*, quod verbum aptius ad cuneos. Demum poſt ſectam materiam ſequitur comportatio, imò *vectatio* frequẽtatiua voce, quò intelligas eũtes ſæpe & redeuntes; & *plauſtris gementibus*; qui gemitus adhuc mihi poſt tot ſæcula in auribus ſtridet, eáſque opprimit.

B

NOTÆ.

1. DIXERAT ÆNEAS, &c.] Verſus Homericus millies repetitus, Imitatio.

Ὣς ἔφαθ', οἱ ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ:

quem tamen ſemel in Virg. videas. Heliod. lib. 6. Hiſt. Æth. ita, *ἀχαρεῖς ἐπιπλεῖστον εἰς ὄψιν*.

2. SEMPERQVE ODIIS, &c.] Volunt duci ab illo Hom. 2. Iliad. Imitatio.

Ἔχθιστος δ' Ἀχιλῆι μάλιστ' ἦν, καὶ Ὀδυσῆι:

Infenſiſſimus Achilli maximè erat & Vlyſſi.

3. O FAMA INGENS, &c.] Scripſit Macrob. lib. 6. c. 2. & placuit aliis, aſpiraſſe Virg. ad verba Tull. de Catone Maiore, hæc: *contingebat in eo, quod plerìſque contrà ſolet, vt maiora omnia re, quàm fama viderentur.* Imitatio.

C 4. VIR TROIANE.] Notauit iam Donatus, ſolere inferiores, cùm loquuntur cum maioribus, abſtinere à nominibus propriis, quadam dignitatis ratione: contrà, qui ſunt ſuperiores honore, ſolitos nominare inferiores. Hoc ſi eſt verum (nam ſæpe video perturbari) non deſunt in Marone exempla. Hîc inferior, *vir Troiane*. Achates, *Nate Dea*. Ilioneus, *ô Regina*. Euander, *hoſpes Troiane*. Hi omnes, vt inferiores, abſtinent à propriis. Contrà ſuperiores. Nam Iuno, *Æole namque tibi*. Camilla ad vnam è miniſtris, *hactenus Acca ſoror*. Dido, *Anna ſoror*. Tu conſule Alexand. libro Genial. 2. c. 19. & ibid. Tiraquell. Inde veluti in contumeliam Iuno, *vincor ab Ænea*. Nominis vſurpandi ratio.

5. IVSTITIÆNE PRIVS, &c.] Coniunxi ſtudiosè aliquos auctores, qui coniungunt vtramq; hanc virtutem, ſcilicet *Iuſtitiam*, & *Fortitudinem*, quos non pigebit communicare Lectori meo. Chorum ducat Hom. qui de Sarpedone ait ſeruaſſe Lyciam *δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ*, *iuſtitia, & fortitudine*. In quem Homeri verſum Iuſtitia, & fortitudo in magnis viris.

ſum extſtat vetus ſcholion, vbi citatur hoc Æſchyli, ἰσχὺς συζυγεῖσα καὶ δίκη: *virtus & iuſtitia copulantur.* Verſum etiam illum Hom. celebratiſſimum,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής,
Virumque, & bonus Rex, pugnatórque animoſus.

Hunc (inquam) verſum ad duas has virtutes refert Dio Chryſoſtom. Orat. 1. αὐτὸς γὰρ ὥσπερ ἐπιτιθεὶς τὰς δύο τὰς βασιλικωτάτας ἀρετὰς, τήν τε ἀνδρείαν, καὶ δικαιοσύνην, ὅτε φησὶν, ἀμφότερον, &c. *Ipſe enim* (Homerus) *ſubiicit manifeſtè duas Rege digniſſimas virtutes, fortitudinem & Iuſtitiam, vbi inquit, vtrumque*, &c. Idem Orat. 4. ὁ γὰρ βασιλεὺς ἀνθρώπων ἄριστος ἐστιν, ἀνδρειότατος ὤν, καὶ δικαιότατος, *ille eſt Rex hominum optimus, qui fortiſſimus eſt, & iuſtiſſimus.* Herodian. lib. 2. ait, Pertinacem Barbaris fuiſſe metui, tum μνήμῃ τῆς ἐν ταῖς προτέραις αὐτοῦ στρατείαις ἀρετῆς, *memoria retinentibus virtutem illius in ſuperioribus bellis*: tum, quòd μηδένα ἑκὼν ἀδικήσει ποτὲ, *neminem ab illo ſcirent vnquam vltrò offenſum.* Dionyſ. in prœmio Hiſtor. laudans Romanos multis virtutibus, inter reliquas reponit excellentiam rei bellicæ, & iuſtitiam. Quod etiam Plut. in vitis Luculli, & Pauli Æmilij, nam inter ceteras illorum virtutes meminit ἀνδρείας, καὶ δικαιοσύνης. Quas duas virtutes Alexandro attribuit idem Plut. orat. 1. de fortuna illius, πολλὴν μὲν ἀνδρείαν, καὶ δικαιοσύνην. & de Ariamene Perſa in vita Themiſtoclis, πολὺ κράτιστος ἦν, καὶ δικαιότατος. Euripid. in Troad. vocat Hectorem ξυνέσει κἀνδρείᾳ μέγας. Dedi Græcos. Coniungere aliquot Latinos, ingratum non erit. Cic. de Pomp. 2. in Anton. *Cuius virtute terribilior erat Pop. Rom. exteris gentibus, iuſtitia charior.* Ouid. 6. Metamorph.

Sceptra loci, rerúmque capit moderamen Erechtheus,
Iuſtitia dubium, validiſne potentior armis.

Quod ad imitationem Virg. nam etiam laudat dubitans, vtra maior virtus. De Octauio Auguſti patre Sueton. cap. 3. Aug. *Prouincia præfuit non minore iuſtitia, quam fortitudine.* Darius, tametſi hoſtis, *virtutem iuſtitiámque* laudat Alexandri apud Curt. lib. 5. Claud. 1. Stil.

Narrem iuſtitiam? reſplendet gloria Martis.

Quaſi dubitabundus, quid potiùs laudet? Albertus Krantius de Frottone Rege Danorum cap. 9. lib. 1. Hiſt. Vandal. *Rex iuſtitia, & fortitudine inſignis.* Omiſi multos, & tot adduxi, vt videas prædicari de Ænea virtutes illas, quas aſſignarunt magni ſcriptores magnis Principibus, veluti illæ duæ ſint quaſi rerum omnium pace & bello gerendarum cardines. Sed quæri poteſt, cur Drances in Ænea iuſtitiam laudauerit; nam de fortitudine liquet. German. refert ad mortuos, quòd videlicet iuſta reddi mortuis voluerit. Ego refero ad veram ipſam iuſtitiam, quę claruit in oratione Æneæ: Nemini eripio, quod ſuum eſt: nã Dij, & fata dederunt mihi hunc locũ, hanc ſedẽ. Præterea, nullum bellum cum gente gero, tantũ Turnum ad certamen voco, qui iniuriam affert, ceteri nihil læſerunt. Ceterùm locutio ipſa, *mirer iuſtitiæ, laborum*, Græcorum eſt, hi ſubaudient ἕνεκα. Doleo Iul. Scal. aliter ſenſiſſe lib. 4. Poët. c. 36. Ait enim, *caſum, pro caſu, Græca non, vt aiunt figura, ſed conſuetudine, mirer laborum, id eſt, labores.* clarè errat. — *Æneæ iuſtitia.*

6. BELLINE LABORVM?] Modum hunc loquendi ſub dubitatione, illuſtro ex Plutarcho, qui in vita Pauli Æmilij, loquens de Paulo ipſo, & Timoleonte, ait, διαμφισβήτησιν παρέξετον, πότερον εὐτολμία μᾶλλον, ἢ φρονήσει τὰ μέγιστα τῶν πεπραγμένων κατορθῶσαι: *Ambiguum reliquerunt felicitatene, an prudentia potius res maximas geſſerint.* — *Belliſne laborum?*

7. FATALES MOLES.] Ita *fatalem Ænean, fatale monſtrum, fatalis equus.* & Horat. *fatalis index.*

8. SAXAQVE SVBVECTARE.] Id eſt, ſurſum tollere. Lucret. lib. 6. — *Subuecto.*

Saxáque ſubiectare, & arena tollere nimbos.

Sic & ſubiicio lib. 2. *corpora ſaltu ſubiiciunt in equos.*

9. VNOQVE OMNES EADEM ORE FREMEBANT.] Eſt hoc Homericum ὁμοθυμαδόν. Plato 1. Leg. μιᾷ δὲ φωνῇ, καὶ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν: *vna omnes voce conſentire, atque vno ore.* & lib. ſecundo Politicor. πάντες γὰρ ἐξ ἑνὸς στόματος ὑμνοῦσι: *Omnes vno ore prædicant.* Cicero de Amic. *omnes vno ore conſentiunt.* De fremitu militari ad aſſenſum iam Lipſ. Omitto. Hic fremitus ſimilis ſtridori Amm. lib. 16 *ſtridore dentium infrendentes in hoſtem duci exorabant.*

10. PEPIGERE DIES.] Notat inducias, quæ cum pacto fiebant, ideo *pepigére.* Plutarchus in vita Gracchorum verbum pacti accommodat ipſi cadaueri, ὑπόσπονδος ὢν ἡμῖν ἀποδοθῇ νεκρός. quaſi dicas Latinè: *datum eſt nobis ad ſepulturam pactum cadauer*, id eſt, datum per inducias eſt cadauer. — *Pactio, de induciis.*

11. PACE SEQVESTRA.] Sequeſter eſt is (ait Modeſtin. Iur. Conſ.) apud quem plures deponunt rem eandem, de qua controuerſia eſt, ſic dictus, quòd pars vtraque eius fidem ſequatur. Eleganter hac voce vſus Tertull. lib. de Patient. *Adeò ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus: ſi mortem, reſuſcitator eſt.* Itaque, ſequeſtre dictum, quicquid medium. Nam verè is eſt medius, apud quem plures deponunt rem. Bene ergo induciæ dicuntur *pax ſequeſtra*, nam illæ mediæ inter præteritum bellum, & futurum, & inter vtrumque hoſtem. Iſidor. ait, reſpondere ſibi *ſequeſtre* & μέσον. Germanus *ſequeſtrem pacem* Virgilij explicat *intermediam intercedentem*, προξενοῦσαν, & μεσεγγυωμένην, *cuius interuentu impunè aduerſæ partes, & innocuè rebus ſuis vacare, & ſupereſſe potuerint.* Ego *ſequeſtrem pacem* explicuerim per ἐκεχειρίαν, qua voce notatur τῶν χειρῶν ἀποχὴ, καὶ πολέμου ἀνάπαυσις. Eſt enim ἐκεχειρία, *cohibitio manuum, & ceſſatio à bello*, an aliud induciæ? Sic è contrario, *in manibus Mars ipſe.* A Virg. Lucanus, & Sidonius: ille lib. 10. *pacíſque ſequeſter.* hic in Maiorian. *pace ſequeſtra Claſſica laxaſſes.* Ab Ennod. in Declam. dicta *ſequeſtrata vxor.* Notet Lector & vocem aliam. Inducias has ad ſepeliendos mortuos in pace veteres *iuſtitium* dixêre: quin & luctus ipſe ob defunctum dicebatur *iuſtitium.* Itaque *induciæ* & *iuſtitium* opponuntur, vt *pax* & *bellum.* Nam *induciæ* dabantur in bello, *iuſtitium* in pace, & vtrumque mortuis lugendis. Sidon. epiſt. 8. lib. 2. *Deceſſit nudius tertius non abſque iuſtitio matrona Filmatia.* Vide Sidonij interpretes. Nam vt in bello arma, in pace ceſſabant iura ad luctum mortuorum. Tacitus 3. Annal. *iuſtitium* vocat tempus, quo facta funeratio Germanici, & illi opponit *munia.* Verba eius: *tum exuto iuſtitio, & reditũ ad munia.* — *Sequeſtre eſt quicquid eſt medium.* — *Ecechiria, quid ſit.* — *Iuſtitiũ, de induciis.*

12. TEVCRI MISTIQVE IMPVNE LATINI.] Conuertit ſe vnuſquiſq; ad ſuos mortuos curandos. Quadrãt verba Pauſan. Meſſen. hæc. προϊούσης δὲ τῆς ἡμέρας, ὑπὲρ ἀναιρέσεως τῶν νεκρῶν ἐπικηρυκευσαμένων, καὶ ἐπειδὴ περὶ ἀμφοτέροις συνεχωρήθη, ἐτράποντο ἤδη πρὸς τὸ θάπτειν: *vbi proceſſit dies de cadaueribus tollendis per caduceatores pactis induciis, ad ſuos ſe vterque exercitus humandos conuertit.* — *Locorum ſimilitudo.*

13. FERRO BIPENNI.] Vides inſtrumenta duo in Virg. hîc *bipennem*, poſtea *cuneum*: Vtrumque aptum: nam illa ad ſectionem, hic ad fiſſionem. Homerus decimotertio Iliados ſecat ἀξίνῃσιν πελέκεσι. vt & Iliade vigeſima tertia infert ὑλοτόμους πελέκεας. vt etiam Cal. lib. 12. in fabrica equi πελέκεσσι δαιδαλέοισι. Sil. *bipennem* vſurpat, Stat. *ferrum*, Virg. vtrumque, ideo *ferro bipenni*, id eſt, *ferro bipennato*, quo explicatur ſecuris — *Ferrũ bipẽne quid ſit.*

ἀμφὶ

ἀμφήκης, & ἀμφίδοξος, vt Homerus loquitur. Non enim audio Grammaticos, qui putant, duplex esse substantiuum. Errant. Adiectiuum est *bipenne*. Probo facilè. Quam galeam Aristophanes vocat τετράπτιλον, boni interpretes reddunt *quadripennem*, id est, *quadriplumem*. Si ergo *quadripennis* est adiectiuum, cur non *bipennis*? Sic & 11. Iliad. galea, quæ à triplici crista dicta est τετράφαλον, & τρίλοφος, redditur etiam *tripennis*. Et clarè Terentius Varro in Parmenone: *ferens ferream humero bipennem securim*. vbi *bipennis* adiectiuum est. Id ego præfero subtilitati Hartungi Decur. 3. c. 6. Nam vt *bipennis* sit substantiuum nemo doctus credat. Illud verò Homericum, πελεκέας θοούς, aliam habet considerationem, quam ego alibi.

Bipennis adiectiuũ est.

14. FRAXINVS.] Secat Virgilius *fraxinum, pinum, robur, cedrum, ornos*, vt intelligas has esse ferales arbores. Easdem intulit in funere Miseni: tantùm pro pinu substituit *piceam*, pro robore *ilicem*, videlicet cognatas arbores. Easdem intulit Ennius libro sexto Annal. adempta *cedro* & addita *quercu*. Statius bis excurrit in hanc rem; sed lib. 3. in genere tantùm loquitur, nullam nominans arborem, in 6. multas nominat, videlicet quas vidisti, & addit de nouo funestas alias, *fagum, cupressum, taxum, abietem, alnum, vlmum*. Sil. lib. decimo aliquas harum nominat, & addit *populum*.

Arbores ferales.

15. EVERTVNT.] Excurram hîc latiusculè in gratiam illorum, quibus in gustu est poësis. Virgilius tria habet verba ad hanc scissionem, videlicet *sono, euerto, scindo*. propriè omnia. Nam *fraxinus*, vt clamosior, *sonat*. Sic Ennius, *fraxinus frangitur*. quo verbo cape fragorem sonantis arboris. Pinus, vt alta, *euertitur*. Robur, vt durum, *scinditur*. Sed & verbum *sono* ad securis ictum referendum. vt ab Homero Iliad. vigesimatertia quercus cadunt μεγάλα κτυπέουσαι, *edito magno sono*. Pari proprietate lib. 6. loquitur Virg. vbi robur *finditur*, ilex & fraxinus *sonant ictibus*, piceæ *procumbunt*, vt quæ *altæ*; & orni *aduoluuntur*, vt quæ *ingentes*. Sed iam ad alios. Pulcherrima est Ennij opera, *cedunt arbusta, percellunt quercus, ilex percellitur, fraxinus frangitur, abies consternitur, pinus peruertunt*, demum,

Verba ad significandam sectionem arborum. Sono, Euerto, Scindo, Findo, Procumbo; Ennij verba ad rem eandem.

——omne sonabat
Arbustum fremitu syluai frondosiai.

Hos duos, Virgilium, & Ennium principe loco pono. Reliqui non ita accurati, sed obuio quoque verbo, & sæpe vulgari, & absque studio. Adiungam tamen quæ visa exquisitiora, omissis aliis. Statius libro tertio: *syluas ferro retegunt, truncant apicem annosum*. & libro sexto: *aderat miserabile luco excidium*. deinde, *cadit fagus, pinus scinditur vulnere, alnus & vlmus acclinant cacumina*. Claudianus libro secundo Eutrop. *duris haurire bipennibus Hebrum*. Marius Victor libro secundo in Genesim, ad fabricam arcæ Noë,

Statij, & aliorum.

——densas prosternere syluas
Incipiunt, atque annosas proscindere quercus.
Admittit lucis radios, vmbrisque leuatur
Campus, & aequaeuo spoliantur robore valles.

Corippus lib. 4.

Rarescunt luci, campi spoliantur opaci.

Silium mitto, vt in quo nihil exquisitum. Adiungam aliquid ex Græcis. Hom. 13. Iliad. δρῦς ἤριπεν. & de rusticis, ἐξέταμον. & libro vndecimo: δένδρεα τάμνειν. Nonnus libro vigesimoprimo, δρύινε χθόνια τένδρεα. Calab. lib. 12. vbi secantur arbores ad fabricam equi Troiani, multa vsurpat. τάμον δένδρεα, ... Et lib. 3. in funere Achillis, θεσπεσίην ὕλην, à quo ego illustro Valerium lib. 1. qui in fabrica nauis primæ, *Delatum nemus*. Ita enim hic *adlatum nemus*, vt Græcus, θεσπεσίην ὕλην.

16. ACTAS AD SYDERA PINVS.] In attributis arborum videas Virg. pressè loqui, & ad rem. Apud Stat. 6. Thebaid. multa est lasciuia, adeò nihil pressè: multa aliena, adeò pauca ad rem. Illam ego Stat. paginam (parcant mihi illius manes) abominor. Cur enim, & ad quam rem, ad narrandas funestas arbores, quæsita illa attributa? De taxo ait, *metuendaque succo*. De fraxino, *belli potura cruores*. De abiete, *audax*, propter nauigationes. De alno, *amica fretis*. De vlmo, *nec inhospita vitibus*. Quid ista oportuit, quæ longè à re funerea? Satis fuerit carpsisse Stat. hinc tu alios. Longè aliter Virg. in quo nihil otiosum. Nã fraxinus est *alta*, & pinus *acta ad sydera*, quia videlicet eo honestius funus, quo grandiores arbores, & maior pyra. Hinc ergo quæsita attributa de magnitudine arborum, & stultè recurreret ad nauigationes, ad bella, ad vites. Sic Hom. Iliad. 23. in funere Patrocli, μέγα ἠρίον, *magnum sepulcrum*, videlicet propter ἄσπετον ὕλην, *immensam materiam*. atque præclarè, excisas δρῦας ὑψικόμους, *quercus altissimas*. Vide & pyram altissimam, quam sibi apud Sen. parat Hercules. Appianus in Hispan. de funere Viriati parat ornatum ὑψηλοτάτης πυρᾶς, *altissimæ pyræ*.

Attributa esse debent ad rem.

17. OLENTEM CEDRVM.] Quia quærebantur arbores odoriferæ ad vstrinam pyræ abigendam. Et hæc est ratio, cur adhibita cedrus ab scientissimo Poëta, etiamsi non esset in eo orbe, modò verè cedrum intelligat, modò iuniperum, quam Plinius cedro ait esse similem: & verè, nam suauitate odoris, foliis, baccis, similis est cedro. Tu lege Pet. Vict. lib. 38. cap. 1.

Odoriferæ arbores quærebantur ad pyram.

18. SCINDERE.] Mortuorum funera sacra fuerunt; propriè ergo *scindere*, vt in re sacra. Interpretes Aristophan. in Irena, σχίζας κυρίως ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὰ ἐπὶ ταῖς θυσίαις ... ξύλα: *vocabant propriè veteres ligna, quæ seruirent sacris, schizas*. Intellige per *schizas*, ligna fissilia, ἀπὸ τοῦ σχίζειν, *à scindendo, secando, findendo*. Aduocat interpres testimonium Hom. qui, καῖε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων: *vre ô senex super schiza*.

Scindo, verbum sacrorum.

19. CEDRVM.] Nulla arbor in Virgilio est otiosa, multæ in Silio, plurimæ in Statio, & aliis. Virgilius ego cedrum euertit propter odorem vstrinæ, vt dicebam iam. Roges, cur *robora*? quia hæc arbor sacerrima vltra omnes, propter tutelam Iouis. De fraxino, & pinu ipse explicat, quia altissimæ arbores cædendæ ad ornatum pyræ. Sed & de pinu est ratio alia, quæ duci potest ab Herodot. Musa sexta, vbi habetur, Crœsum aliquando minitatum Lampsacenis, excisurum se illos vt pinum. Redditur verò dirarum minarum ratio hæc. ὅτι πίτυς μούνη δενδρέων πάντων ἐκκοπεῖσα, βλαστὸν οὐδένα μετίει, ἀλλὰ πανώλεθρος ἐξαπόλλυται: *pinum ex omnibus arboribus solam esse, quæ excisa nullam sobolem remittat, sed prorsus emoriatur*.

Ferales arbores. Pinus cur feralis.

20. NEC PLAVSTRIS, &c.] Locus Homeri vltim. Iliad. vbi bobus & mulis iunctis iugo,

Imitatio.

Ἐννῆμαρ μὲν τοίγε ἀγίνεον ἄσπετον ὕλην:
Per nouem dies illi vectabant immensam materiam.

Et Calaber libro duodecimo vbi in fabrica equi lignei,

——μόγεον δὲ θυμὸς ἐπὶ ἔργῳ
Αἰζηῶν τε, καὶ ἡμιόνων:——
——*laborabat in eo opere virtus*
Iuuenum, & mulorum.——

21. GEMENTIBVS,] Arripuit Sen. in Hipp. *fertur plaustro* plaustris.

Gemo, de plaustro.

plaustro præda gementi. & Apollon.lib. 2.Excid.Hierosl. A in re planè simili,

Cæduntur syluæ, plaustrisque gementibus orni,
Fraxineæq; trabes, & pinea robora mistim.

Quę duo loca Virgilio annectebat charissimus Morlanius. & ego Græcos. nam Cal.lib.3. ἐστένε δ' ἄσπετος ὕλη: *gemebat ingens materia.* Cyrill. Alexandrinus in Amos num. 23. κυλίονται δὲ ὁμοῦ τοῖς ἄξοσιν οἱ τροχοὶ βαρύτε, καὶ δυστηχὲς ἀποτρίζοντες τῶν ξύλων, καὶ μονονουχὶ καταμκραγόντων ἐπικειμένων αὐτοῖς φορτίων: *Voluuntur circum axes rotæ, lignis graui & ingrato sono stridentibus, & propè clamantibus pro impositis sibi oneribus.* ibid. de axe, dixit καταβοᾶν, *clamorem.* Corippus lib.4.

Robora syluarum tunc plaustra gementia ducunt,
Magnis ponderibus tractu scindente rotarum.

Gaudent. quoque Episcop. Brixiens. *iter solidum plaustris gementibus commodabat.* Est hoc, quod Sidonius epist.10.lib.2.*stridentum essedorum.* & quod Claud. de mulab.Gallic.*esseda multisonora.*

[a] Et iam fama volans tanti prænuntia luctus
Euandrum, Euandríque domos, & mœnia complet,
Quæ modò victorem Latio Pallanta ferebat;
[b] Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuêre faces: lucet via longo
Ordine flammarum, & latè discriminat agros.
[c] Contrà turba Phrygum veniens plangentia iungit
Agmina, quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mœstam incendunt clamoribus vrbem.
[d] At non Euandrum potis est vis vlla tenere,
Sed venit in medios, pheretro Pallante reposto
Procubuit super, atque hæret lacrymansq; geménsque.
[e] Et via vix tandem voci laxata dolore est.

ARGVMENTVM.

Fama defunctum preuenit implens vrbem Euandri, ruunt omnes ad portas, & cum facibus, iunguntur agmina, editur ploratus, adest Euander, hæretq; mortuo nato.

EXPLICATIO.

[a] EX natura famæ, quæ veros nuntios præuenit, ideo *prænuntia:* & quia prænuntia, ideo *volans,* quasi non vt nuntij consueto itinere, sed per aërem. Mira verò dispositio, cùm illa complet primò *Euandrum,* vt quem acrior dolor tangeret, deinde *domos* eius, tertiò *mœnia,* id est, vrbem. Quid verò famaż acerbos affert luctus, quæ ante momentum temporis præclaras iuuenis victorias. Egregium πάθος, C nam à summa fortuna ad summam infelicitatem.

[b] Non est Poëta oblitus decori in tanto dolore Euandri. Alius quippe primò patrem ipsum conuolantem faceret. Non sic, vulgus primò ruit ad portas, & qua inferendum funus; facésque rapit ex vetere more, viæ omnes flammis lucent, & ita illæ multæ, vt agri ipsi discerni & discriminari possent. Puto indicari à Poëta tempus nocturnum, & inde discriminatio illa ex multitudine flammarum. Aliorum interpretationem nihil moror: certè meam, & rem Virgilij firmant verba Varronis, & Verrij Flacci vocata à Seruio: *Si filiusfamilias extra vrbem decessisset, libertos amicósque obuiam processisse, & sub noctem corpus in vrbem illatum in Cereris facibus quoniam prælucentibus, ad cuius exequias nemo rogabatur.* Vide in Vate doctissimo omnia ex hoc more. Prodeunt omnes obuiam, & nemo rogatur, & sub noctem, & cum facibus: quia scilicet filiusfamilias extra vrbẽ decessit. Cur illi dicant B *in Cereris,* cõsule Gutheriũ lib.1.de Iure Manium c.8.

[c] Fiunt iam omnia tragica. Vides .n. & planctus venientium cum cadauere, & clamores excipientiũ. & in hac Tragœdia omnia propriè. Qui veniũt cum cadauere, vt viri, vt militares, tantùm plangunt: feminæ, quæ funus excipiunt, clamores attollunt, & vrbem incendunt. Quæ hæc rerum facies?

[d] Quid si consideres Euandrum? Erat Rex, & senex: sed erat etiam pater. Itaque nec Regia seueritas, nec senectus inualida patrem retardant. Ruit in medios omnium, ac statim viso Rege funus, quod procedebat, substitit. Itaque ille *procubuit super Pallante, reposito pheretro,* id est, subsistente, neque procedente funere. Vt procubuit, hæsit in vultu nati, ibi lacrymæ, ibi gemitus. Omnia ex magno decoro. Poëta alius hanc nactus occasionẽ, quid non fureret? Induceret patrem lacerantem comas, turpantẽ faciem, fœdantem genas, exosculantem foramen hiantis vulneris. Non ita hic Vates. Pater erat, & Rex erat: in patre sunt lacrymæ, & gemitus: in Rege maiestas & decorum. Illud de pheretro potest aliter explicari, vt dicat, procubuit super Pallante, qui repositus in pheretro. non pugno.

[e] Egregius versus, & nescio an satis expensus. Solet dolor vocẽ intercludere, sed ita etiam esse magnus potest, vt cogat ad loquendũ, & vocẽ laxet. Extremũ hoc Poëta voluit. Atq; ita indicatur fuisse dolor admodũ viuidus. Ita solet ira vocẽ impedire, acris tamen & summa illã aperit. Et hoc aliquando visum in homine muto, cui nunquam antea locuto ira subita & vehemens vocem dedit, atq; aperuit organa.

NOTÆ.

1. ET IAM FAMA VOLANS, &c.] Est hoc illud lib.9. *Interea* Famæ velocitas.

Interea pauidam volitans pennata per vrbem
Nuntia fama ruit.———

Claud.2.Euttop.

Iam vaga pallantem densis terroribus aulam
Fama quatit.———

Val.2.Arg.de eadem, *motis quatit oppida linguis.* Amm. lib.15. *Erratica quædam anteuolans prodiderat fama.* Adi quæ iam 4.Æneid.

2. PRÆNVNTIA.] Nonnus lib.41.dixit, προάγγελ☉ ἦλθε.

Romana historia repræsentata.

3. ARCADES AD PORTAS RVERE.] Id ipsum Romanos fecisse post rumorem acceptum Cannensis cladis, auctor est Appian.in Annibal. illato enim nuntio ingens multitudo promiscuè portis effusa est, vbi & suos lamentabantur, & nominatim compellabát. In re simili Tacitus libro tertio Annalium, nuntiato aduentu funeris Germanici, vbi noti, & ignoti *ruere ad oppidum Brundusium*, excepturi scilicet Agrippinam portantem cineres. Et *ruere* ait historicè pro *ruebant*, quod & Homero vsitatum. Nam Iliade vndecima, ἀΐσσειν, ὑποδέχεσθαι, σημαίνειν, vt Virgilius *ruere*. Præterea, ruunt Arcades vniuersim, vt Pallanti fiant exequiæ publicæ. Ait quippe Dio Chrysost.Orat.31.sepulcrum non esse notam virtutis, sed opulentiæ, nisi si quis δημοσίᾳ, id est, *publicè*, & ab omnibus sepeliatur.

Exequiæ publicæ.

Faces in funeribus.

4. FVNEREAS RAPVERE FACES.] Faces, cereos, candelas accendi in funeribus iam olim vsitatum. De facib.Tacit.2.Ann.in funere Germanici: *Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentiū vastus, modo ploratibus inquies, plena vrbis itinera, collucentes per campum Martis faces.* Facibus iungebatur cereus. Sen.de Tranquill.lib.1.c.11. *Toties præter limen meum immaturas exequias fax cereusque præcessit.* De candelis Pers.Sat.3. *Hinc tuba, candelæ,* &c. Notarunt iam aliqui, in his Marcil.ad Persium, & Lipsius ad Senec.de Breuitate vitæ c.extremo, faces gestari solitas in funeribus immaturis & acerbis, quod præclarè Pallanti conuenit, de quo suprà,

Cerei.

Candelæ.

Acerba funera cum facibus.

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Morem itaque illum firmabis tum ex adducto loco Sen.tum ex isto eiusdem epist.122. *Quamulum enim à funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos viuunt.* Ouidius libro tertio Metamorphos.in re Narcissi rapti immaturè, *quassásque faces, pheretrúmque pararunt.* Persisto, quia iam vterque de hoc more, & effusim Kirchmannus de funerib.Roman. libro 2.c. 3. signatè verò Poëta, *funereas faces*, cùm sint nonnulli, qui *funus* dici velint à funalibus. In his Seru. & ab illo Isidorus. Morem hunc acceptum volunt à prisco æuo, in quo funera semper elata noctu, inde & mos permansit, etiamsi interdiu elata cadauera. Coniunxerunt viri docti aliquos scriptores, qui simul locuti de facibus nuptialibus & funereis iunctim, ludentes ex vtraque face. Quibus indico locū illis illibatum Tatij Alexand. apud quem pater Chariclis ex eadem re affectus mouet, cùm videt Chariclem coram se mortuum,

Funus vnde.

Funera olim noctu elata.

5. PLANGENTIA IVNGIT, &c. Ab toto hoc loco Stat.5.Theb.

———*laceras comitata Thoantis*
Aduehit exequias. contrà subit obuia mater
Femineos cœtus, plangentiáque agmina ducens.

Nec longè abit Val.5.Arg.

Parte alia Clite laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum.

Imitatio.

Neque Hom.locus vlt.Iliad.

——— οὐδέ τις αὐτόθι ἐνὶ πτόλει λίπετ᾽ ἀνὴρ,
Οὐδὲ γυνή. πάντας γὰρ ἀάσχετον ἵκετο πένθ☉;

———*neque quispiam ibi in vrbe relictus est vir,*
Neque femina. omnes enim inuasit dolor intolerabilis.

Iustinus lib.19.dixit, *plangentia agmina iunguntur.* Rationem huius habes in Sen.epist.99.vbi ait, *Sine spectatore cessat dolor.* & præmisit, *clarius, cùm audiuntur gemunt.* Quia scilicet dolor ex se ostentabundus est.

6. INCENDVNT CLAMORIBVS VRBEM.] Ad eum modum, quo, *Martémque accendere cantu*, id est, excitare. Sic *incendunt*, id est, turbant vrbem clamoribus. Nam illud *incendunt*, id est, complent, dicitur Musis inuitis. Sed iam ego aliàs.

Incendo, de clamore.

7. POTIS EST.] Id est, potest; vt etiam Lucr.lib.5.

Quis potis est dignum palanti pectore carmen
Condere pro rerum maiestatisque repertis?

Maro alibi, *potis est per tela, per hostes.*

8. PHERETRO.] Multi ita indigetant. Tacitus 2. Annal. *torum.* Hom.sæpe λέχ☉. A Græcis Latini. Nam Suetonius in Iulium cap.84. *lectum* vocat. Martialis nominat *sandapilam.* Plautus *capulum.* Horatius *libytinam.* Martialis iterum *Orcinianam spondam*, & *lectum Stygium.* Lucanus, & Horatius *arcam.* Alij *arceram.* Dici etiam *lecticam*, & *lecticulam* iam Lipsius obseruauit lib.1.Elect.c.19. Dionys.& Plut. in vita Gracchi κλίνην. Vide, quàm multis nominibus efferatur res illa, qua tu efferendus es ad tumulum. Inter tot autem propria admodùm vox est *pheretrum*: nam & Græcis ἐκφέρω, & Latinis *effero* de hac re. Antipho, τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἡ ἐξεφέρετο ὁ παῖς: *tertia autem die, qua elatus est puer.*

Pheretrum. Torus. Lectus. Sandapila. Capulus. Sponda Orci. Lectica.

Effero, verbum mortuorum.

9. REPOSTO.] Sic 6.*tellure repostos.* & in re mortuorum Prop.Eleg.17.lib.1.*fata reponere.*

Repostus.

10. PROCVBVIT SVPER, &c.] Hoc affectu Val.lib.3.

Tum super exangues conferta cadis aceruos
Præcipiti plangore ruunt.———

Lineæ Virgilianæ videntur ductæ à Cal.lib.3.

Imitatio.

Μήτηρ δ᾽ ἀμφιχυθεῖσα κύσε στόμα Πηλείων☉
Παιδὸς ἑοῖ, καὶ τοῖον ἔπ☉ φάτο δακρυχέουσα:
Mater autem in amplexum fusa osculata est os Pelidæ
Filij sui, & hanc lacrymans querimoniam protulit.

Pari affectu apud Plut.in vita Agidis, Agistrata mater illius videns filium mortuum τῷ νεκρῷ προσπεσοῦσα, καὶ φιλήσασα τὸ πρόσωπον, *in filium ruit, & faciem eius exosculata est.* Ita & pater Glaucæ apud Euripid. in Med. προσπίτνει νεκρῷ, *irruit in cadauer mortuæ filiæ.* & Sigismundus apud Greg.Turon. c.5. lib.3 *pater super cadauer exanime ruens flere cœpit amarissimè.*

11. ATQVE HÆRET.] Ita Mezentius libro decimo: *corpore inhæret*, defuncti filij. Vterque locus notat amplexus, & oscula, vt Calaber in adducto loco, κύσε στόμα, & Thisbe apud Ouidium lib. quarto Metamorph. *amplexáque corpus amantis*, id est, mortui Pyrami. Val.3.Arg. *artus fatur cōplexus amicos.* Anna 4.Æneid. *semianimem germanam amplexa fouebat.* Sen. epist.99. *Cùm teneremus corpus è complexu nostro in ignem transiturum.* Est hoc, quod idem ad Helu. capite secundo: *In manibus & in osculis tuis mortuum funeraueras.* Hos mortuorum amplexus vocat Plutarc.in vita Catonis Vticens. περιπλοκὰς νεκρῶν. & in vita Cleom. περιβαλὼν τὸν νεκρὸν.

Hæret defuncto.

12. LACRYMANSQVE GEMENSQVE.] In re simili Euripid.Suppl. ὄμμα δάκρυσι τέγγων. & 2.Iliad. ὀδυρόμεν☉ καὶ ἀχέων; *flens & dolens.* & de Pericle ad amissum filium Plut.quem ante se mortuum habebat, ἐπλήγη τῷ πάθει πρὸς τὴν ὄψιν, ὥστε κλαυθμόν τε ῥῆξαι, καὶ πλῆθ☉ ἐκχέαι δακρύων: *ita oppressus dolore est ad illud spectaculum, vt erumperet in eiulatum, & magnam vim profunderet lacrymarū.* Ego hîc iudiciū Virg.considero, qui de sene, tantùm *lacrymans.* Cauit eo Euripides in Hercul. vbi γραίας ὄσσων πηγὰς, *seniles oculorum fontes.*

Virgilij iudicium.

Non

Non enim extremæ & siccæ iam senectuti conueniunt fontes lacrymarum, satis sunt lacrymæ. De Megera quoque anu iam grandi, *ἁδρὸν δάκρυ, vberes lacrymas.*

Dolor magnus adimit vocem, & sensum.

13. ET VIA VIX TANDEM, &c.] Ita in magno dolore Stat. 11. Theb.

Nec vox vlla seni, iacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.

Ouidius in magno dolore 11. Metamorph. *stupet hic.* Idem egregiè dixit, vocem deuorari à dolore. Plut. in vita Pomp. ἦν δὲ τοῦ δήμου θαῦμα, καὶ σιωπὴ πολλή. Et ibidem ipse Pompeius facta iactura magni honoris, ἄφθεγγος καθῆστο, *sedit tacitus*, videlicet ὅμοιος παράφρονι καὶ παραπλῆγι τὴν διάνοιαν, *dementi similis & attonito mentem.* Et paulo pòst Cornelia eius vxor, audita eadem clade, πολὺν χρόνον ἔκφρων, καὶ ἄναυδος ἔκειτο, *diu de statu mentis dimota, ac muta iacuit. nimirum oppressa doloris magnitudine.* Liuius libro 3. *flens diu vocem non misit.* Andromacha 3. Æneid. *diriguit visu in medio.* Vide huiuc locum. Quod sequitur laxaram tandem vocem, illustrabis sequentibus. Statius 5. Theb.

Vox post magnum dolorem.

——tandem laxata dolore
Vox inuenit iter, gemitúsque in verba soluti.

Et lib. 11. in re planè simili,

Tandem muta furens genitor suspiria soluit.

Ouid. 9. Metamorph.

Linguáque vix tales icto dedit aëre voces.

Andromacha lib. 3. *longo vix tandem tempore fatur.*

[a] Non hæc, ô Palla, dederas promissa parenti,
Cautiùs vt sæuo velles te credere Marti.
[b] Haud ignarus eram, quantùm noua gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset.
[c] Primitiæ iuuenis miseræ, bellíque propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum
Vota precésque meæ. [d] túque ô sanctissima coniux
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem.
[e] Contrà ego viuendo vici mea vota, superstes
Restarem vt genitor: Troüm socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis, animam ipse dedissem:
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret.
[f] Nec vos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras: sors ista senectæ
Debita erat nostræ. quòd si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus antè
Ducentem in Latium Teucros cecidisse iuuabit.
[g] Quin ego non alio digner te funere Palla,
Quàm pius Æneas, & quàm magni Phryges, & quàm
Tyrrheníque duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho.
[h] Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, & idem si robur ab annis,
Turne. sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores Regi mandata referte.
[i] Quòd vitam moror inuisam, Pallante perempto,
Dextera causa tua est, Turnum natóque patríque
Quam debere vides, meritis vacat hic tibi solus,
Fortunæq; locus. non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: sed gnato manes perferre sub imos.

B

ARGVMENTVM.

Oratio Euandri plena magnis affectibus, in qua inest Pallantis gloria, sui miseria, erepta coniugis felicitas, Troianorum laus, Æneæ magnificentia, Turni detestatio, cupiditas vindictæ.

EXPLICATIO.

[a] PRIMA hæc dicta κατὰ τὸ σιωπώμενον. Nullibi enim legitur id Pallas promisisse patri. Sed credibile ad senis cōsilia, vt cautè se gereret, neq; audax in bello esset, iuuenem respondisse cum blandimēto aliquo

aliquo patri assentientem. Egregiè ergo vidit Poëta, vt ista *συντόμβα* essent. Fuisset enim præter decorum feruidæ adolescentiæ, vt Pallas id diceret: quod tamen nunc in ore patris indignum non est. In attributo *sæuo* latet ratio. Crede te cautè Marti, quia sæuus.

b Pendent à superioribus. Promisisti te fore cautum in bello. Sed ego cur credidi, qui sciebam experimento, quantùm posset prima illa & noua armorum gloria, dulce illud certandi decus, imò dulcius rebus omnibus? ideo *prædulce*, ac proinde (hæc est enim mens senis) in me culpa residet, qui cùm hæc scirem, te tamen misi. Potest etiam esse *prædulce*, immaturum, quasi ante tempus dulce.

c Significat fuisse tyrociniũ belli infelicissimum Pallanti, nam primo bello statim raptus. Ideo, *miseræ primitiæ, rudimenta dura*. Sequitur ratio tantæ calamitatis, quia *nulli Deorum exaudita vota & preces meæ*. Sed cur rudimenta hæc dicuntur esse *belli propinqui?* vel quia ante maturam ætatem bellum hoc appropinquauerit: vel ita propinqui, vt mitti posset. Nam, si bellum longè fieret, non ita facilè mitteretur. Ita expedit Seru.

d Apostrophe ad coniugem, qua hæc dicitur *felix*. Sed cur *felix*? quòd (vide ingens *πάθος*) obierit. Sequitur ingens *αὔξησις*, *neque in hunc seruata dolorem*. Quod enim esse maius incrementum potest? Nam dolor superat ipsam mortem. Felix ergo, & quòd obierit, & quòd dolore isto caruerit.

e Ab vxore redit ad se. Ego contrà sum miserrimus, quia *viuendo vici mea fata*. Explicat statim, quid sit viuendo vincere sua fata: quia genitor cùm essem, superstes restiti, id est, superuixi filio; est enim veluti fatum, vt pater præcedat morte filium. Ab hac fatorum lege non seruata oriuntur miri affectus. Ego debuissem sequi socia Troianorum arma, non tu: me Rutuli telis obruerent, non te: me hæc pompa domum referret, non te. Hoc videlicet fata postulabant, quia ego maior te.

f Vult esse saluam Troianorum fidem, fœdera, hospitia. Nihil horum arguo, nihil damno. Nam *sors ista debita erat senectæ nostræ*. Itaque, nulla in Teucris culpa, sed in me sors hæsit. Consolatur se statim. Esto, immatura debuit esse hæc sors, quod maius solatium, quàm ab immaturè rapto, tantam editam in hostes stragem, & cæsa tot Volscorum millia? Ergo, *iuuabit*, recreabitque me, illum cecidisse, qui tot priùs Volscos cecidit. Nota oppositionem. Ille cecidit, à quo cæsa millia. Auget adhuc gloriam nati. Duxit hic Teucros in Latium. Nam videlicet Pallante comite nauigauit ex Hetruria Æneas in Latium. Meminit Volscorum, quia hi in exercitu Turni; & Camilla Volsca fuit.

g Alia consolatio à magnifico funere, à quo vult ipse abstinere, quòd nihil possit magnificentius Ænea, Phrygibus, Tyrrhenis. Sed cur hoc funus magnificum? quia ibi visebantur trophæa illorum ducum, quos Pallas morti dederat.

h Apostrophe ad Turnum orta ex visis aliorum ducum trophæis. Tu quoque, ô Turne, in horum trunco aliquo armatus stares, id est, vestirent quoque arma tua truncum aliquem, si esset par ætas, par robur, aut nati, aut mei. Et statim ad Troianos conuersus, *quid vos ab armis demoror?* ite, & perferte Regi vestro mandata hæc mea.

i Sequuntur mandata ad Ænean. Abrumperem statim vitam, quæ mihi iam inuisa Pallante interfecto, sed tua dextera, & virtus, ô Ænea, facit, vt morer adhuc in vita, nam spes mihi concepta est fore, vt te videã nati mei vltorem. Vides enim Turnum debitum esse (*παρεμβον*) mihi & nato. *Hic solus locus vacat tibi*, id est, relictus est tibi ad merita tua in me augenda, & ad fortunam meam. Quasi dicat: Nullo me potes maiore merito beare, nulla maiore fortuna quàm si Turnum interficias. Nulla enim alia *quæro vitæ gaudia*, deinde *nec fas* est me quærere, qui spondam Orci penè attigi. Tantùm volo *perferre nato gaudia sub imos manes*, nuntium scilicet interfecti Turni.

NOTÆ.

1. NON HÆC Ô PALLA, &c.] Similia auctorum loca, qui similes lacrymas commouent, cùm inducunt aliquos complorabundos ex pari affectu visi ante oculos cadaueris, non persequor propter longitudinem, tantùm indico Lectori loca. Adeat igitur Achillem Alexand. vbi pater Charielis erumpit in similes querelas, cùm videt ante se filiũ mortuum, elisúmque ab equo, & laceratum. Adeat Statium 3. Theb. ab illis versibus, *Locorum similitudo.*

Vt vidit, lacrymisque oculi patuère profusis,
Hósne ego complexus genitrix. &c.———

In quibus videtur Stat. (vt hoc cursim dicam) imitatus illa Eurip. in Troadib.

Οἴμοι, τὰ πολλ' ἀσπάσμαθ', αἵ τ' ἐμαὶ τροφαί,
Ὕπνοι δ' ἐκεῖνοι φροῦδά μοι.———
Eheu multi complexus, & meæ illæ alimoniæ,
Et somni illi periêre mihi.———

Redeo. Adeat loca Xenophontis & Plutarchi, quæ indicat Germanus. & locum Catulli, quem Vrsinus; & Sophoclis in Aiace, quem ego, vbi Teucer deplorat visum Aiacem fratrem mortuum. Loca etiam multa Calab. lib. 3. vbi à multis itur in similes querimonias, viso Achille mortuo. Eundem libro 10. vbi Hecuba deflet mortuum Paridem. Adeat & declamationem Ennodij, vbi Thetis videt coram se defunctum Achillem. Et querimonias patris Glaucæ in domo Creontis apud Eurip. in Medea, vbi Princeps vidit ante oculos defunctam filiam venenis Medeæ, ab illo versu,

Τίς σ' ὧδ' ἀτίμως δαιμόνων σ' ἀπώλεσεν;
Quis Deorum tam turpiter te perdidit?

Et planctum Musæ deflentis filium Rhesum, coram se interfectum ab illis, ἰαλέμῳ αὐθιγενεῖ. atque etiam Cadmi in Bacchis deflentis nepotem Pentheum laceratum.

2. CAVTIVS VT SÆVO, &c.] Seneca Controu. 8. *Fortis plusquàm aut legi, aut patri fas est*. Ceterùm cum hoc consilio cautè pugnandi affinis Ouidius duplici in loco. Videlicet in epistola vbi Laodomia hoc identidem suo Protesilao. & 10. Metamorph. vbi Venus suo Adonidi: illa vt Troianos hostes vitet, hæc vt feras.

3. QVANTVM NOVA GLORIA IN ARMIS.] Cal. lib. 1. *Belli dulce tyronibus.*

Ἀνδρὶ γὰρ αἰχμητῇ νίκη κλέος, ἔργα τ' Ἄρηος
Τερπνά.———
Viro enim pugnaci victoria decori est, & Martis opera
Voluptati.———

Vide Adag. *Dulce bellum inexpertis*.

4. PRIMITIÆ IVVENIS MISERÆ.] Arripuit Stat. & in re simili lib. 11. Theb. *Primitiæ, de mortuis*

Hostia

Hostia nate iaces, ceu mutus, & è grege sanguis.
Heu mihi primitiis armorum, & rite nefasto
Libatus, iussúsque mori.——

Quintil. de re eadem Declam. 315. *Debetur hoc disciplinæ militari, debetur castrorum seueritati. Infelix exeuntium omen, miseræq; primitiæ.* Sophoc. in Elect. dixit θυηλὴν Ἄρεως, quasi sacrificium & primitias Martis, loquens videlicet de mortuo. Plutar. in Cimone, ἀρχὰς ἀγώνων, *rudimenta præliorum.*

Vota non exaudita. 5. ET NVLLI EXAVDITA DEORVM VOTA, &c.] Hinc fluxêre illa Statij 11. Theb. licèt in contrarium conuersa,

Heu dolor, heu iusto magis exaudita parentis
Vota, malaq; preces! quisnam fuit ille Deorum,
Qui stetit orantem iuxta, præceptáque verba
Dictauit fatis? ——

Mortui felicitas quæ. 6. FELIX MORTE TVA.] Tale illud Apollon. lib. 1. Arg. de Æsone patre Iasonis,

——— ἦ τέ οἱ ἦεν
Βέλτερον, εἰ τὸ πάροιθεν ἐνὶ κτερέεσσιν ἐλυσθεὶς
Νειόθι γαίης κεῖτο, κακῶν ἔτι νῆις ἀέθλων:
——— *certè illi esset*
Satius, si priùs funeribus solutus
Sub terra iaceret, malorum adhuc inscius certaminum.

Briseis apud Calab. viso ante oculos mortuo Achille,

——— ὡς ὄφελόν μοι
Γαῖα χυτὴ κατὰ κάλυψε, πάρος σὸν πότμον ἰδέσθαι:
——— *vtinam me verò*
Terra effusa abscondisset, antequam fuissem fati tui spectatrix.

Ab hoc affectu Stat. lib. 11. *ô diri coniugis olim Felices tenebræ.* ne scilicet spectaret Oedipus illa funera. Idem 3. Theb. non dissimili affectu,

Ah quanto meliùs, dextráque in sorte iugatæ,
Queîs steriles thalami, nulloq; vlulata dolore
Respexit Lucina domum.——

Nam videlicet est felicius carere liberis, quàm cernere eos mortuos. Amphitruo apud Eurip. in Hercule petit à Lyco interfici se, & Megaram ante liberos, ne illos interfectos videant,

ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν, ἀνόσιον θέαν,
Ψυχορραγοῦντα. ——
Ne liberos intueamur, spectaculum impium,
Efflantes animas.——

In hæc ego incidi. Germanus tibi dat Æschylum in Pers. vbi, νῦν δὲ σε ζηλῶ θανόντα, πρὶν κακῶν ἰδεῖν βυθόν, *inuideo tibi morienti, prius quàm videas malorum gurgitem.* Et Euripid. qui de Alcmena in Heracl. ὦ δυσάλαιστα τλήμων μακρᾶς βιοτῆς: *ô misera, cui contigit longa vita.* Et Morlanius meus Ambrosium, qui in obitu Satyri: *Felix igitur tam opportuno obitu, quia non es in hunc seruatus dolorem.* Volo etiam notes, hanc Euandri orationem esse animi anxij, & destituti consilio, atque hominis non satis compotis sui, quod astruit locus Aristid. loquentis de Themistocle constituto in magnis difficultatibus, in quibus tamen vir ille magnus οὐκ ἠπόρησεν, οὐδ' ἐξεπλάγη, οὐδ' εὐδαιμόνισε τοὺς πάλαι κειμένους: *nunquam fuit inops consilij, nec obstupuit, nec eos, qui fuerant iam olim mortui, felices prædicauit.* Itaque mortem optare indicium est languentis animi.

Mors multorum inuidenda.

Mortē optare est hominis lāguentis animi.

7. CONTRA EGO VIVENDO, &c.] Huc pertinet querela Hecubæ apud Eurip. Troadib. in sermone Astyanactis,

Σὺ δ' οὐκ ἐμ', ἀλλ' ἐγώ σε τὸν νεώτερον,
Γραῦς, ἄπολις, ἄτεκνος ἄθλιον θάπτω νεκρόν:
Tu verò non me, sed ego te iuniorem,
Anus, extorris, orba miserum sepelio cadauer.

A Dolent enim parentes natis superuiuere. Tale & illud Quintil. in adducta Declam. 315. *Si alterum vtique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis?* & Declam. 344. *Infelices quidem, qui liberos suos ad rogum deflent.* Cùm verò queratur Euander, se diu vixisse ad videnda tot mala, non abludent versus Iuuen. Sat. 10. vbi de Nestore ita ait: Paretes dolēt natis superuiuere.

——— *oro parumper*
Attendas quantùm de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cùm videt acris
Antilochi barbam ardentem. nam quærit ab omni
Quisquis adest socio, cur hæc in tempora duret?
Quod facinus dignum tam longo admiserit æuo?
Hæc eadem Peleus raptum cùm luget Achillem.

Iuuenali affinis Propert. Eleg. 13. lib. 2. imò ab hoc

B Satyricus:

Atque vtinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quauis de tribus vna soror.
Nam quò tam dubiæ seruetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longæua minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidisset corpus humari:
Diceret aut, ô mors, cur mihi sera venis?

Tale & illud Albinou. ad Liuiam,

Accusátque annos vt diuturna suos.

Et Lucani lib. 2.

Seruatósque iterum bellis ciuilibus annos.

Versus Virg. ductus videtur ab illo Lucret. lib. 1.

Multaque viuendo vitalia vincere secla.

C 8. SVPERSTES.] Signatè, & efficaciter ad conquestionem, quasi Dij interfecto Pallante, & seruato Euandro, abusi fuerint nominibus rerum, dicente Tullio de patribus lib. 2. de Nat. *Nam qui totos dies precabantur, & immolabāt, vt sui liberi sibi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Ergo, in me (queri Euander potest) commutatá sunt rerum vocabula. Superstitiosus vnde.

9. ATQVE HÆC POMPA DOMVM, &c.] Hoc scilicet conuenientius naturæ. In re simili Euripid. Supplic. de matribus, quibus perempti filij, ait seruatas, Parres mori priùs, cōueniencius naturæ.

——— οὐ Δήμητρος εἰς μυστήρια,
Ἀλλ' ὡς νεκρὰς θάψωσιν, ἃς αὐτὰς ἐχρῆν
Κείνων ταφείσας χερσὶν ὡραίων τυχεῖν:
——— *non ad mysteria Cereris,*

D *Sed vt mortuos sepeliant, quas ipsas oportuit*
Sepultas manibus filiorum consequi tempestiuum funus.

Tam à Virg. quàm ab Eurip. Valerius 3. Arg.

——— *quòd si iam bella manebant,*
Et placitum hoc Superis, nónne hæc mea iustiùs essent
Funera? méque tuus potiùs nunc plangeret error?

Ait verò Poëta *pompa*, sermone proprio mortuorum. Stat. 5. Sylu. Pompa, de funeribus.

Exequias, & dona malæ feralia pompæ.

Quint. Declam. 328. *Ducatur ingens funeris pompa.* & πομπὴ Græcis sæpe in hoc vsu. & vox illa obuia in Plut. Iosephus quoque lib. 1. Bell. Iud. c. 9. λαμπροτάτην πομπὴν ἐπὶ τῷ πατρὶ κηδείας ἐτέλεσε: *clarissimam paterno funeri pompam celebrauit.*

E 10. NEC VOS ARGVERIM TEVCRI, &c.] Pari affectu Stat. 5. Theb. Locorum similitudo.

——— *quos arguo Diuos?*
Ipsa ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
Exposui fatis. ——

Et Val. lib. 3. Arg.

Nec Clarij nunc antra Dei, quercúsque Tonantis
Arguerem.——

Præclarè hi duo, nam ex præſcripto Virgilij, non Homeri, qui 3. Iliad.

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσὶ, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν·

Non tu mihi culpanda es, dij mihi ſunt culpandi.

Homeri vitium.

Non enim ita palàm in Deos. Itaque cautè Virgil. *ſors iſta ſenectæ*, &c. Similis eſt incogitantia lib. 19. Iliad. vbi Agamemnon ait ſe non fuiſſe culpæ ſuæ auctorem, ſed Iouem. Verba, quæ noto, ſunt hæc, ἐγὼ δ᾽ οὐκ αἴτιός εἰμι, ἀλλὰ Ζεύς.

11. NEC FOEDERA, NEC QVÆ, &c.] Reſpicit illa, quæ ſuprà Æneas, *Hæc mea magna fides?*

Imitatio.

12. CÆSIS VOLSCORVM, &c.] Tale & illud præconium Hectoris vlt. Iliad.

——ἐπεὶ μάλα πολλοὶ Ἀχαιῶν

Ἕκτορος ἐν παλάμῃσιν ὀδὰξ ἕλον ἄσπετον οὖδας·

——quando multi admodum Græcorum

Hectoris in manibus magnum ſolum dentibus momorderunt.

Iuuo, de re voluptatis.

13. IVVABIT.] In hoc verbo ineſt voluptas. Expende ergo. Iuuat me & recreat in ſummo mœrore recordatio cæſorum à te. Quaſi vnicum ſit ſolatium vindicta ſumpta de hoſtibus. Ad rem hanc Liuius lib. 25. *Qui eam victimam præ ſe ad inferos miſiſſet, eum decus eximium, egregiúmque ſolatium ſuæ morti inuenturum.* Plinius etiam *ſolatium* dixit de re eadem epiſt. 14. lib. 3. *Non ſine vltionis ſolatio deceſſit.* Caſſiod. *gaudium* cap. 1. lib. 7. *Ceſi de optata vltione gauderem.* Hæc profectò mens eſt Virg. vel ex ſequentibus, vbi Euander hoc vnum *gaudium* quærit, interfici ſcilicet Turnum ab Ænea in vltionem interfecti filij. Vel torque aliò ſententiam, dicente Quintil. Declam. 377. *Auida eſt gloriæ paterna pietas.* Itaque, gloria cæſorum minuit dolorem patris, inde in ſummo dolore eſt iuuamen & voluptas.

Vindicta affert ſolatiū.

Dare letho.

14. QVOS DAT TVA DEXTERA LETHO.] Ita lib. 12.

Multa virûm volitans dat fortia corpora letho.

Et in 5. *Millia multa daret letho.* Quæ locutio ſumpta ab Ennio, Pacuuio, Varrone, vt iam indicauit Hieronym. Columna. Primus in Telepho, *letho dari.* Alter in Duloreſte, *letho dabis.* Tertius lib. 6. Ling. Lat. *Ollus letho datus eſt.* Hæc, etiamſi minutula, non negligenda.

15. ESSET PAR ÆTAS, &c.] Poſſis referre ad vtrumque, Pallantem ſcilicet, & Euandrum: ſed æquiùs ad Euandrum, vel ex ſimilitudine locorum Homeri, apud quem ſenes ita ſolent, vt cùm Laërtes Odyſſ. vlt. ait ſe interfecturum procos, ſi talis eſſet, qualis olim in florente ætate. & Neſtor 7. Iliad.

A

Εἴθ᾽ ὣς ἡβώοιμι, βίη δέ μοι ἔμπεδος εἴη·

Vtinam eſſem iuuenis, & virtus mihi eſſet valida.

Sed horum locorum ſimilitudinem, & parem in ſenibus arrogantiam iam contuli libro 8. in ſermone eiuſdem Euandri.

16. QVOD VITAM MOROR INVISAM, &c.] Non dubium, quin tota ſententia deſumpta ab Iliad. 18. vbi Achilles ita loquitur. Imitatio.

——ἐπεὶ οὐδ᾽ ἐμὲ θυμὸς ἄνωγε

Ζώειν, οὐδ᾽ ἄνδρεσσι μετέμμεναι, αἴ κε μὴ Ἕκτωρ

Πρῶτος ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃ,

Πατρόκλοιο δ᾽ ἕλωρα Μενοιτιάδεω ἀποτίσῃ·

B

——quando neque me animus iubet

Viuere, neque viris intereſſe, niſi Hector

Primus mea haſta percuſſus animum amittat,

Patrocli autem dilaniationem Menœtiadæ luat.

17. DEXTERA CAVSA, &c.] Cùm Euander ab Ænea petat vltionem Pallantis, rectè Germ. adducit conſentientem Xenophontis locum. Omitto, ne actum agam; & offero ipſe Ioſephum libro 1. Bell. Iud. c. 11. vbi Phaſaëlus dux ita dixit iam moriens: νῦν εὔθυμος ἄπειμι, τὸν μετελευσόμενον τοὺς ἐχθροὺς ζῶντα καταλιπών: *Nunc bono animo diſcedo, cùm viuum relinquam vltorem inimicorum.* Et Euripidem in Elect. vbi Electra ipſa non diſſimili ſententia,

Mors dulcis eſt viſa hoſtium vltione.

Θάνοιμι, μητρὸς αἷμ᾽ ἐπισφάξασ᾽ ἐμῆς·

Moriar, vbi matris meæ ſanguinem effudero.

C

Ibid. poſt multa,

Εἰ γὰρ θάνοιμι τοῦτ᾽ ἰδὼν ἐγώ ποτε·

Vtinam moriar hoc conſpicatus.

Id eſt, moriar poſt interfectos Ægyſtum & Clytæmneſtram. Et in Oreſt. ait Oreſtes ipſe.

Εἰ γὰρ τοῦτο κατθάνοιμ᾽ ἰδών·

Vtinam moriar hoc cùm viderim.

Cupit quippe mori, poſtquam viderit interfectum Menelaum. Et inf. longiore ſermone,

Δράσας τι χρῄζω τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς θανεῖν,

Ἵν᾽ ἀνταπολέσωμεν, οἵ με προὔδοσαν,

Στένωσι δ᾽ οἵπερ κἀμ᾽ ἔθηκαν ἄθλιον·

Mori volo aliquid machinans inimicis meis,

Vt viciſſim perdamus illos, qui me prodiderunt,

Et gemant, qui me miſerum fecerunt.

Seneca lib. 1. de Clement. c. 21. dixit, *vltio ſolatium affert ei, qui accepit iniuriam.* & Tertull. lib. de Anim. *Pro ſolatio vltionis.*

[a] Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores:
[b] Iam pater Æneas, iam curuo in littore Tarchon
Conſtituêre pyras: huc corpora quiſque ſuorum
More tulêre patrum, ſubiectíſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
[c] Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mœſtum funeris ignem
Luſtrauêre in equis, vlulatúſque ore dedêre.
Spargitur & tellus lacrymis, ſparguntur & arma.
It cœlo clamórque virûm, clangórque tubarum.
[d] Hinc alij ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas, enſéſque decoros,
Frænáque, feruentéſque rotas: pars munera nota,

Ipſorum

Ipſorum clypeos, & non felicia tela:
ᶜ Multa boum circa mactantur corpora morti;
Setigeróſque ſues, raptáſque ex omnibus agris
In flammam iugulant pecudes. tum littore toto
Ardentes ſpectant ſocios, ſemuſtáque ſeruant
Buſta, nec auelli poſſunt: nox humida donec
Inuertit cœlum ſtellis fulgentibus aptum.

ARGVMENTVM.

Troiani ſuos ſepeliunt, conſumitur dies integer in parentando, attinguntur varij mores, qui ſeruati in re funerea.

EXPLICATIO.

ᵃ REDIT ad inſtitutum, debes enim hæc annectere cum verſu illo,

Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.

Nam quæ pertinent ad luctum Euandri ſubiecta ſunt velut per parentheſin. Scias etiam in hoc libro dies quinque impendi. In primo excitatur trophæum Mezentij, lugetur Pallas, ornatur eius pheretrum, mittitur ad patrem: in altero fiunt exequiæ illorum, qui interfecti narrantur libro 10. tam ex Troianis, quàm ex Latinis: poſt dies tres fit oſſilegium crematorum cadauerum, & in extremò horum trium fit concilium in ædibus Latini, & peragitur bellum. Sed iam ad rem. Deſcribit Auroræ aduentum, quæ lucem attulit *mortalibus*, ſignatè, & contra Homerum, vt dicam in Notis, & *miſeris*, quia *referens opera, atque labores.* Annon hæc magna miſeria?

ᵇ Æneas ſuos curat Troianos, Tarchon ſuos Hetruſcos; & relinquit intelligendum κατὰ σιωπώμενον, Arcadas curatos miſtim ab Ænea, & Tarchonte, quippe mortuo Pallante. Atque adeò in Poëtæ animo (mihi hoc non dubium) fuit ingens πάθος, cùm nominauit Ænean, & Tarchontem, doloŕque exſtitit ex ſuppreſſo Pallante. Ergo vterque dux pyras exſtruit, & ſuos tumulat, Æneas Troiano ritu, Tarchon Hetruſco, ignis ſubiicitur pyris, íſq; adeò magnus ex ingenti materia, vt cœlum etiam latere ſumo videretur.

ᶜ Hinc iam varij ritus ſeruati in funeribus. Armati decurrunt circum rogos, luſtrantque obequitantes, ídque cum magno vlulatu. Ait *cincti*, quia expediri & militari more. Accipe verò hos verſus, vt illud, *pateris libamus, & auro*, id eſt, aureis pateris. Itaque, quamuis duplex ſit oratio, vna eſt ſententia: quaſi dicat. Ter rogos decurrêre, luſtrantes ter ignem, &c. Sequitur ritus alius, nam lacrymis ſparſum ſolum, ſparſa arma: deinde auditus clamor omnium vociferantium, & tubarum ſonitus clangentium.

ᵈ Vſitatum quoque, vt cum defunctis vnà arma concremarentur, & hoſtium, & propria. Ergo dantur igni galeæ, enſes, fræna, rotæ, omnia hæc direpta hoſtibus: deinde clypei proprij, inde *nota munera*, & tela, quæ vocat parum felicia, vt quæ ſuos dominos non defenderint.

A ᵉ Denique fuſus ſanguis ferarum, nam hoc quoque è ritu funerum. Itaque boues mactantur in honorem Mortis, ſues, & pecudes aliæ, ſanguíſque in flammas funditur. Quibus peractis ibi lacrymabundi permanent donec omnia ignis abſumpſit, & nox aduenit.

NOTÆ.

1. MISERIS MORTALIBVS.] Reſpondet τοῖς Homericis δειλοῖσι βροτοῖσι. Lucretius etiam lib. 5. dixit, *miſeris mortalibus*. & Cal. lib. 6. in exortu quoque Auroræ, βροτοὶ οἱ ῥᾷ φθινύθοντες, *mortales facilè pereuntes.* Et Poëta quidem tantùm *mortalibus*, taxans, credo, Homerum, qui 19. Iliad. ait, Auroram lucem attuliſſe, non ſolùm βροτοῖσι, ſed etiam ἀθανάτοισι. & adhuc Iliad. 18. non ſolùm ἄλλοις ἀθανάτοισι, ſed etiam Ζηνί. Atqui Dij in perpetua luce, vt qui in cœlo, vbi nullæ tenebræ, lux ergo tantùm eſt donũ mortalium. Porrò cùm Deos iſtos putidos veterum in cœlo conſtituo, loquor Gentiles interpretans. — *Miſeri mortales.* — *Homeri vitium.*

2. EXTVLERAT LVCEM.] Laudo Seruij Notam. Præclarè etenim *extulerat Aurora lucem*, quia in ſermone funebri, & *effero*, verbum eſt mortuorum. Itaque cognata ſunt hæc. Ita lib. 4. abeunte Ænea, & Didonem relinquente, ait, — *Efferre lucem.*

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

C Neſcias enim qua ratione iſta cognatio laudanda ſit. Linquit Aurora cubile Tithoni, cùm Æneas linquit Didonem: effert Aurora lucem, cùm efferendi mortui. Nunc diſplicebit tibi Calab. libro 6. vbi in exortu diei, cùm præmiſerit, γέλασσε δὲ γαῖα καὶ αἰθὴρ, *riſit tellus, & æther*, mox ſubiicit de hominibus, εἰς ἔργα τράποντο, *vertebantur ad labores.* quia addit φθινύθοντες, vt qui perituri. Longè iſta ab riſu Auroræ. Et quamuis aliquis poſſit Calabrum laudare ex oppoſitione: ſed non dubium quin maior ſit concinnitas Virgiliana. Nonnum laudo, à quo lib. 17. Aurora dicitur πολεμητόκος, *parturiens bella*: nam eo loci bella canit Græcus.

3. REFERENS OPERA, ATQVE LABORES.] Nam videlicet, vt nox inducitur νὺξ ἄγουσα λύσιν καμάτοιο φέρουσα, verba ſunt Calab. libro 10. *ferens hominibus ſolutionem laboris*: ita è contrario Aurora dicitur φερέπονος. Et melius quidem *referens*, quia iteratò ſæpe, quàm ſimplex φέρει Homericum Iliad. decimanona. Itaque ex ductu Virgilij Manilius lib. 1. — *Nox ad laborum requiem.*

Illic orta dies ſopitas excitat vrbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris.

4. CVRVO IN LITTORE.] Attius Phœniſſ. *Ac vbi curuo littore latratu vnda ſub vndis labunda ſonit.* Minutius, *Oram curui molliter littoris legebamus.* Lucret. lib. 2. — *Curuum littus.*

Littoris incurui bibulam lauit æquor arenam.
Hieronym.epist.50. *Reconditos curuorum littorum sinus.* & epist.41. *Curuo assidens littori.*

Pyræ in funeribus cur magnæ.

5. CONSTITVERE PYRAS.] Hom.13.Iliad. πυρὴν ἔγειρε λαὸς Ἀχαιῶν: *pyram excitauit populus Achiuorum.* Volo hîc discas rationem, cur in funeribus maximę pyræ excitarentur, eámque à Plut.lib.de If.& Osirid. οἱ ἰατροὶ πρὸς τὰ λοιμικὰ πάθη βοηθεῖν δοκοῦσι φλόγα πολλὴν ποιοῦντες ὡς λεπτύνουσαν τὸν ἀέρα. λεπτύνει δὲ βέλτιον ἐὰν εὐώδη ξύλα καίωσιν, οἷα κυπαρίττου, καὶ ἀρκεύθου, καὶ πεύκης: *Censent medici aduersum pestem remedio esse copiosam flammam, vt quæ aërem attenuet. Hoc autem fit melius, si odorata ligna vrantur, vt cupressi, iuniperi, piceæ.* Ergo, cùm ex cadaueribus in bellorum cladibus timeri possit hoc malum, factum vt Poëtæ sæpissimè in re simili grandes excitent pyras.

Mores sepeliendi.

6. MORE TVLERE PATRVM.] Cùm tenacissimi sint mortales paternarum consuetudinum, tum maximè in funeribus, vt apparet ex hoc loco, & ex sexta Æneide, vbi in Miseni funere ait, facem subiectam cadaueri *more parentum.* Huc pertinet locus Liuij lib.25. in morte Gracchi, vbi ait, *armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum, motibúsque armorum & corporum suæ cuique genti assuetis.* Quod affine Virgilio, qui, *quisque more suorum patrum.* & Thucyd lib.1. vbi ait, effossis sepulcris, Cares agnitos, τῷ τρόπῳ, ᾧ νῦν ἔτι θάπτουσι: *sepulturæ ipsius modo, quem nunc adhuc retinent.*

Subiicere ignem.

7. SVBIECTISQVE IGNIBVS.] Hom.Iliad. vlt. in re etiam funerea, ἐν δ' ἴβαλον πῦρ. Vide me lib.6. ad illud de Miseni funere, *subiectam, more parentũ, Auersi*

Supponere,

tenuêre facem. Propert. Eleg. 13. lib. 2. voluit *suppono*, eo versu,

Deinde, vbi suppositus cinerem me fecerit ardor.

Subdere.

Liu.lib.45. *Ipse Imperator face subdita succendit.* Plut.in Cimone, πῦρ ἐνῆκαν. Velleius libro 2. ab Nostro, *subiecto igne.* & Vegetius libro 4. cap. 4. *subiectis ignibus.*

Tenebræ, de fumo, & Nubes.

8. CONDITVR IN TENEBRAS.] Vocat tenebras, & cœli caliginem *fumum*, qui ex incensis pyris. Pulchrè Stat 4. Sylu. fumum exstantem è thure incenso appellat nubẽ, *Sabæis nubibus.* & Perf. Satyr.5. nebulam de lucernæ fumo, *nebulam vomuêre lucernæ.* Ab nube, & nebula nõ abeunt tenebræ Virgilianæ: imò illi duo obuiè, Virg. exquisitè. Itaque Poëta pro fumo dicat, *nubem, nebulam, tenebras.*

Decursio in funeribus,

9. DECVRRERE ROGOS.] Decursio in funeribus celeberima est, & ita putabatur defunctus lustrari. De Seuero loquens Xiphil. καὶ τῇ τῶν παίδων περιδρομῇ ἐτιμήθη: *honestatus est filiorum suorum decursione.* Dio lib.56. de funere Augusti, περιῆλθον αὐτήν, id est, πυρὰν: *ierunt circa pyram.* Sueton. in Claud. c. 1. de Druso loquens: *circa quem* (tumulum) *deinceps stato die quotannis miles decurreret.* Huc refero Pindarum Od.1.Olymp. vbi in exequiis Pelopis, eius τύμβον, id est, *tumulum* vocat ἀμφίπολον, quòd circumambiatur. Et quidem Eustathius ita explicat τάφον ἀμφίπολον. Quintilianus Declam. 328. *Vniuersus denique populus lustret atque ambiat rogum.* Calaber lib. 3. in funere Achillis, ἐρρώσαντο ἀμφὶ πυρήν. Hæc de more hoc in genere. Sed ego persequar notas Virgilij ratus id pertinere ad interpretem. Adhibet ille quatuor. Nam decursio ista ter repetebatur. Deinde fiebat ab armatis, ideo *cincti fulgentibus armis.* Tertiò, ab equitibus, *lustrauère in equis.* Quartò, cum vlulatu, *vlulatúsque ore dedêre.* Primum firmat

Ter repetebatur,

Homerus 23. Iliad. vbi ait, factam decursionem τρίς, *ter.* Apollonius lib. 1. τρὶς τύμβῳ ἐπεστρώσαντο; A *ter sepulcro persoluerunt iusta*; & est sermo de decursione. & de eadem loquens libro 4. τρὶς δινηθέντες ait. & adiicit, facta trina decursione putatum ritè conditum cadauer, ἐν κτερέων ἴχονται. Statius libro 6: *Ter curuos egêre sinus.* Valerius 3. Arg. ait, ter relatos fuisse orbes. Hic sanè numerus in re omni sacra sacer est. Aristid. orat. 2. Sacr. Serm. δραμεῖν κύκλῳ περὶ τοὺς ναοὺς εἰς τρὶς: *Ter circum templa currere.* Alterum de ar-

Fiebat ab armatis,

matis Hom. vlt. Odyss.

——— πολλοὶ δ' ἥρωες Ἀχαιοὶ
Τεύχεσιν ἐρρώσαντο πυρὴν πέρι. ———

——— *multi autem Heroës Achiui*
Cum armis circa pyram decurrerunt. ———

B Cal.lib. 3. σὺν ἔντεσιν ἐρρώσαντο ἀμφὶ πυρήν. Hæsit enim totus Homero. Apollonius libro 1. τεύχεσι δινηθέντες. & libro 4. σὺν ἔντεσι δινηθέντες. Ab Appiano in Hispanic. qui decurrunt in funere Viriati inducuntur ἔνοπλοι, *armati.* Plato lib. 12. Leg. loquens de hac re ait, decursionem debere fieri ab armaris, dans illis τὴν πολεμικὴν σκευήν, quasi procederent ad hostilem pugnam. Val. 3. Arg.

Inde ter armatis Minyis referentibus orbes,
Concussi tremuêre rogi. ———

Liuius lib. 25. in funere Gracchi ait, *armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum.* Neque verò dubium, quin arma pertineant ad splendorem decursionis & funeris: vnde peculiariter est illud Lu-
C cani lib.8. de exequiis Pompeij,

——— *totus vt ignem*
Proiectis mærens exercitus ambiat armis.

Scio ab Alexandro factam hanc decursionem ad sepulcrum Achillis sine armis; nam Plutarchus in eius vita, συναναδραμὼν γυμνός. Sed hoc nihil est, cùm diuersi mores induci sæpe soleant ad rem eandem ex varia gentium consuetudine. Tertium de

Ab equitibus.

equitibus Dio lib. 46. vbi in funere Augusti, cùm primum locum in decurrendo assignet Sacerdotibus, alterum attribuit equitibus, ἐπειτα (inquit) δὲ οἵ τ' ἱππεῖς. & libro 59. in funere Drusillæ, καὶ χωρὶς οἱ ἱππεῖς περὶ τὸν τάφον αὐτῆς περιίππευσαν: *seorsim equester ordo circa illius tumulum obequitauit.* Plato loco adducto, σὺν τοῖς ἵπποις μετὰ ἱππέας, *cum equis equites.* Ita
D verò hoc seruatum, vt sæpissimè tamen pedites

Quibus misti interdũ pedites.

misti essent equitibus. Calab. in decursione Achillis,

Πεζοὶ ἅμ' ἱππήεσσι σὺν ἔντεσιν ἐρρώσαντο
Ἀμφὶ πυρὴν πολύδακρυν. ———

Pedites simul cum equitibus armati circumierunt
Pyram admodum lacrymosam. ———

In eadem ab Homero Odyss. vlt. iunguntur πεζοί θ' ἱππῆές τε. Appianus etiam lib. 1. Ciuil. καὶ τὴν πυρὰν οἵ θ' ἱππεῖς, καὶ στρατιὰ περιέδραμον: *circa pyram tum equites decurrerunt, tum vniuersus exercitus.* Et in Hispanic. in funere Viriati, καὶ κατ' ἴλας οἵ τε πεζοί, καὶ οἱ ἱππεῖς
E ἐν κύκλῳ περιθέοντες αὐτὸν ἔνοπλοι βαρβαρικῶς ἐπῄνουν: *pedites, atque equites per turmas in orbem decurrentes cum armis barbarico ritu illum laudabant.* Plato libro vndecimo Leg. post mentionem equitum, adiicit, σὺν δ' ὅπλοις ὁπλίτας. Sunt enim ὁπλῖται milites leuis armaturæ. Vltimum de vlulatibus & cla-

Cum vlulatu

moribus Homerus Odyss. vlt. vbi post decursionem in funere Achillis adiicit appendicem, πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει: *multus autem strepitus excitatus est.* In funere etiam Patrocli Iliad. 23. Græci, cùm decur-
runt,

runt, inducuntur μυρόμενοι, vt alibi etiam ab Calabro. Hos clamores adiutos tubarum sonitu Val. ait lib. 3. Atq. *ter inhorruit æther Luctificum clangente tuba.* Hos strepitus ita Stat. lib. 6.

——ter curuos egêre sinus, illisaq; telis
Tela sonant, quater horrendum pepulêre fragorem
Arma, quater mollem famularum brachia planctum.

Porrò, quæ pertinent ad partem sinistram, vnde deberet decursio incipere, non attringo, quia neque Maro. Vide Lipsium, Turnebum, Kirchmannum, alios.

Mœstities, cur deigne. 10. MOESTVM FVNERIS IGNEM.] Cur *mœstum*? An quòd illi mista atricies ex fumo proueniens? An quòd lustratio facta circa ignem iam morientem & elanguidum, ac proinde mœstum, vt non clarum & rutilum? An, quia hoc est attributum rerum funeralium omnium? Sic suprà, *mœsta phalanx, mœstam incendunt clamoribus vrbem.* & lib. 5. in funere Anchisæ, *mœstasq; sacrauimus aras.* & in 3. aræ Polydori defuncti stant *cæruleis mœstæ vittis.* An demum *mœstum ignem* dicit, pro, mœsti ipsi? quæ hypallage ita frequens in Marone, vt nihil frequentius. Adduxi testimonia aliquot nona Æneide ad illud, *purpurei cristis iuuenes.*

Imitatio. 11. SPARGITVR ET TELLVS LACRYMIS, &c.] Versus penè ad verbum Homericus Iliad. 23.

Δεύοντο ψάμαθοι, δεύοντο δὲ τεύχεα φωτῶν
Δάκρυσι.——

vbi vides & terram, & arma madefacta lacrymis. Calab. etiam lib. 3. in funere Achillis,

Δεύετο δὲ χθὼν πᾶσα περὶ νέκυν Αἰακίδαο
Δάκρυσι, καὶ μέγα πένθος ἐνέστενεν. ἀμφὶ δὲ λαῶν
Μυρομένων δάκρυσι φορύνετο τεύχεα πάντα:
Humectabatur terra omnis circa cadauer Æacidæ
Lacrymis gemuitq; magno gemitu, populiq;
Gementis lacrymis vniuersa arma fœdabantur.

Lacrymis rigabantur cineres. Cùm verò audis terram sparsam lacrymis, intellige cineres ipsos & ossa mortuorum, hoc enim fuit è pietate & more. Ampelus adolescens apud Nonnum lib. 11. Dionys.

Ὄφρα τύχω μετὰ πότμον ἐκλαυσμένον κονίης:
Vt consequar post fatum cinerem defletum.

Est in lib. 3. Epig. κεκλαυμένας βώλας: *glebæ flete.* Stat. 2. Sylu. in re funeris,

At domini fletus, hos tantùm hausêre fauillæ,
Hos bibit ipse rogus.——

Et lib. 3. in lacrymis Hetrusci,

Semper & Assyrios felix bibat vrna liquores,
Et lacrymas.——

Huc refer Terentianum illud And. *fletur.* & Ouid. 4. Fast. de Remi funere, vbi, *plorato rogo.* & inf. in hoc lib. *inhumata, infletaq; turba.* Itaque, verè lacrymæ rigabant aut cadauera, aut ossa, aut cineres. Hoc deflet Auson. in Mosell.

Infletæq; iacent inopes super arua cateruæ.

Deploratū, id est, desperatum. Plutar. inducit δακρύοντας eos, qui portabant vrnam Philopœmenis. Hinc orta forma Latij, qua *deplorata* dicuntur, quæ desperata sunt, nam mortuus nequit reuiuiscere.

12. IT COELO CLAMORQVE VIRVM.] Hom. 2. Iliad. αὐτὴ δ' οὐρανὸν ἷκεν, quod sæpe repetit.

Tubæ in ministerio funerum. 13. CLANGORQVE TVBARVM.] Σάλπιγγος ἠχὼ dixit Eurip. in Troadib. Fuerunt turbæ in ministerio funerum. Inde Prop. Eleg. vlt. lib. 4.

Sic mœstæ cecinêre tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Ouid. in epist. Medeæ ad Iasonem,

Tibiaq; effudit socialia carmina vobis,

A *At mihi funesta flebiliora tuba.*

Quamobrem Propert. congruenti attributo Eleg. 3. lib. 4. *querulas tubas.* Et Quintil. *sonabant clangore ferali tuba.* Huc allusum à Tertull. de Cor. Milit. *Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat.* vocat tubicinem æneatorem. Et ab Petron. in Sat. *Narrabo tibi adolescens, paralysin caue. Nunquam ægrum tam magno periculo vidi, medius fidius iam peristi. Quòd si idem frigus genua manusq; tentauerit, licet ad tubicines mittas.* Artem. lib. 1. c. 58. ait, cantu tubæ audito, ægrum tolli. Narratio Plutar. de pica, quæ ad eandem rem pertinet, facilis aditu est. Hoc idem firmat Apul. lib. 1. Flor. *Is igitur, cùm esset in tibicinio apprimè nobilis, nihil æquè se laborare, & animo angi & mente dicebat, quàm quòd monumentarij ceraulæ tubicines dicerentur.* Originem cur tubæ in ministerio funerum rimari possumus ab Plut. in vita Gracchor. vbi ait, postulatos rei capitalis ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, *vocari tuba ad iudicium.* Itaque tuba à foro ad funus. Appian. in re eadem narranda lib. 1. Ciu. tantùm præconis meminit, κήρυττειν ait, de tuba nihil, sed ea intelligenda, nam præco cum tuba. Dicebantur tubicines funerum etiam *siticines*, & *sicinistæ*, & Galeno τυμβαῦλαι, vt notauit iam Brod. lib. 4. Miscell. cap. 30. Porrò discrimen inter *tubam*, & *tibiam* in re funerea, alij iam attigerunt. Verè mihi non satis placent, qui potentiores tuba elatos scribunt, tenuiores tibia. Nam Persio in præpotente diuite *tubam* adhibenti oppono Tullium lib. 2. Leg. ita scribentem:

B Origo eius moris.

Siticines.

Tibiæ & tubæ in funeribus discrimen.

C *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easq; etiam ad cantus, ad tibicinem persequuntor, cui nomen næniæ. Quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Et in orat. pro Milon. dixit Clodium elatum *sine cantu, sine tibiis.* Imò flebilius quiddam tibia, quàm tuba. Inde Prop. Eleg. 7. lib. 2.

Tibia funesta tristior illa tuba.

Nam videlicet nænia ad tibiam, non ad tubam. Et causa tota referenda ad formam, tibia enim erat flebilior, quia adunca: non ita tuba, vt quæ recta. Stat. clarè 6. Theb.

Tum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia.——

Contrà tuba clari est sonitus, de quo iam 5. Æneid. Oppones mihi Propertium Eleg. 13. lib. 4. scribentem;

D *Nec mea tum longa spatietur imagine pompa,*
Nec tuba sit fati vana querela mei.

Quasi nolit efferri, vt potentiores solent. Soluo. Non inde sequitur, vt velit tibiam, sed tantùm dicit, nolle exequiarum vanitatem. Demum tibias adhibitas in funeribus honestis, satis liquidum ex Ouid. 6. Fast. vbi ait,

Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Euerti primum discrimen adhiberi solitum, euerto alterum. Solet iactari à Grammaticis (Seruium intelligo in 5. Æneid. Luctatium in 6. Theb. aliósque) pueros elatos tibia, grandiores natu tuba. Astruunt ex Stat. scribente 6. Theb.

E Discrimen alterum.

Tum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes.

Possunt etiam & ex sacra historia. Nam Matth. 9. fit mentio αὐλητῶν, id est, *tibicinum*, in funere puellæ. Soluo. Verè pueri efferebantur ad tibiam, sed non inde fit, grandiores natu non ad eandem efferri. Itaque pueri ad vnam tibiam efferebantur: viri & ad tibiã, & ad tubam. Tot enim testimonia sunt tibiarum in

Pueri ad tibiam efferebantur.

funeribus virorum, vt necessariò debeamus cedere. Hæc tibi passim occurrent. Nunc mihi ante oculos Xiphilin. qui in funere Pertinacis (vide, an ille æuo grandis) meminit ἰπαυλητῶν, id est, *tibicinum*. & Sueton. qui in funere Iulij cap. 84. tibicines adhibet. Et quidem versus adducti ex Ouid. 6. Fast. indiscriminatim accipiendi sunt. & Festus absque vlla distinctione: *Funebres tibiæ dicuntur, cum quibus in funere canitur.* Demum, certissimum est næniam esse defunctorum, & hanc fieri ad *tibiam*, non ad *tubam*. Atqui nænia viris omnibus dabatur. Et quidem næniam lugubrem defunctorum cantari ad tibiam iam suprà attigi in hac Nota, & Kirchmannus probat, quem vide, & adiice illi Nonnum lib. 40. Dionys. qui αὐλοῖς, id est, *tibiis*, dat θρηνητὴν γοῶν. Hæc placuit distinctissimè scribere, neque credo insciτè, etiamsi videā viris doctis æui huius aliter placuisse. Magium intelligo cap. 13. lib. 1. aliósque. Nota & vocem illam *clangor*, de tuba. σαλπίγγων βοὴν inuenies in Athen. lib. 6. Bacchilides σαλπίγγων κτύπος. Valer. lib. 3. in funere Cizyci, *luctificum clangente tuba*. Postquam legeris hanc Notam, possis mihi obiicere versum Eurip. in Alcest. vbi Admetus Rex in funere vxoris præcipit,

Νænia, defunctorum.

Clangor, de tuba.

> Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος
> Ἔστω: ———
> *Tibiarum verò ne per vrbem, neque lyræ strepitus*
> *Sit.* ———

Vbi absolutè negat tibiam in funere. Sed credamus interdici, non næniam lugubrem, quæ fit ad tibiam; sed cantum hilarem, vt apparet ex coniunctione lyræ.

14. Hinc alii spolia, &c.] Frequentissimum hoc in funeribus. Apud Liu. lib. 8. T. Manlij adolescentis corpus crematur *spoliis contectum*. Ibidem ait: *Magister equitum vt ex tanta cæde multis potitus spoliis, congesta in ingentem aceruum hostilia arma subdito igne concremauit.* Et lib. 45. loquens de Paulo Consule: *Cetera omnis generis arma cumulata in ingentem aceruum precatus Martem, Mineruam, Lunamq́; matrem, & ceteros Deos, quibus spolia hostium dicare ius fasq́; est, ipse Imperator face subdita. succendit.* Quo loci Turn. legit *Luam*, non *Lunam* & approbat Germanus. Nam hæc Dea à *luendo*, & *expiando* dicta. Redeo. Calab. lib. 3. in funere Achillis,

Spoliis contecta cadauera cremabantur.

Lua Dea.

> Ἀμφὶ δὲ τεύχεα πολλὰ περὶ πυρκαϊῆς βάλον
> Αἰζηοὶ κταμένων ———
> *Circum autem plurima arma rogo accumulant*
> *Interfectorum iuuenum.*

15. Ferventesqve rotas.] Ita 3. Georg. *feruidus axis*. Horat. *feruidis rotis*. Martial. Amph. *ferueutes currus*. Ouid. 2. Art. *rota feruenti*. Hieronym. in vita Hilarionis: *sub horum curru rota feruent.*

Feruor, de rotis.

16. Pars mvnera nota, ipsorvm clypeos, &c.] Hoc quoque è more, vt quæ ipsis erant charissima, eodem rogo cremarentur, arma, vestes, thesauri. Hom. Odyss. 12. de funere Elpenoris,

Cremabantur cū mortuis, quæ ipsis erant charissima.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη, καὶ τεύχεα νεκροῦ.

Vides vt combustus, & defunctus, & defuncti arma. Stat. 6. Theb.

> *Ditantur flammæ, non vnquam opulentior illo*
> *Ante cinis, crepitant flammæ, atque immane liquescit*
> *Argentum, & pictis exsudat vestibus aurum.*

Et lib. 5.

> *Molior igne pyram, sceptrum super, armaq́; patris*
> *Iniicio, & notas Regum gestamina vestes.*

Tacit. de Morib. Germ. in re funeris, *sua cuiq́; arma igni adiiciuntur.* Ælian. c. 8. lib. 7. Var. Hist. ὅτε Ἡφαιστίων ἀπέθανεν, Ἀλέξανδρος ὅπλα αὐτῷ εἰς τὴν πυρὰν ἐνέβαλε: *Cùm diem obiisset Hephæstion, Alexander arma in pyram iniecit.* Additque etiam iniectum igni aurum, argentum, & magni pretij vestem. Ab Plut. in Pelopid. numerantur & τρόπαια, καὶ παντευχίαι χρυσαῖ: *hostium trophæa, & aureæ omnis generis armaturæ.* De his armis accipiendus versus Soph. in Antig. vbi decernit Creon, non sepeliendum solùm Eteoclem, sed cum illo pariter omnia obruenda,

Arma cremabantur cum defuncto.

> Ἃ τοῖς ἀρίστοις ἔρχεται κάτω νεκροῖς:
> *Quæ adduntur mortuis primariis.*

Eurip. in Helen. ait comburenda ad sepulcrum Menelaï χαλκήλατ' ὅπλα, *arma ænea*. & addit rationem, καὶ γὰρ ἦν φίλος δορί, *vt qui esset armorum amans.* Quin ad maiorem funeris ambitionem congerebant etiā, quæ non essent defunctorum, sed aut cognatorum, aut amicorum. In Iulij funere apud Sueton. c. 84. tibicines, atque artifices scenici, qui aderant, *vestem detractam sibi, atque discissam iniecere flammæ.* Addit. *& veteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti, funus celebrabant.* Hac magnificentia vsus Priamus apud Calab. lib. 1. qui pyram Penthesileæ imposuit πολλοῖς σὺν κτεάτεσσι, *multis cum opibus*. Paria fermè idem Græcus lib. 3. in funere Achillis, numerans φάρεα, χρυσόν, ἤλεκτρον, *vestes, aurum, electrum*. & Philostratus de eodem Achille. Antoninus Caracall. apud Herodian. lib. 4. cùm peruenisset ad tumulum Alexandri, obtulit χλαμύδα ἁλουργῆ, *chlamydem purpureā*, quam ipse gestabat, atque etiam δακτυλίους λίθων τιμίων, ζωστῆράς τε, καὶ εἴ τι πολυτελὲς ἐφόρει: *annulos, in quibus erant gemmæ pretiosæ, zonas, & quicquid magni sumptus gestabat.* Parco huic rei. Et adiicio etiā multa congeri solita, non quidem cremanda, sed asseruanda vnà cum cadauere, siue arma, siue pretiosa alia. Curtius lib. 10. scribit, in sepulcro Cyri iussu Alexādri aperto, inuentum *clypeum eius putrem, arcus duos Scythicos, & acinacem.* Mos idem constat ex Iosepho, & Cedreno, qui dicunt, Salomonem in sepulcro patris magnum auri pondus defodisse. atque ex Quintil. Declam. 369. vbi habetur actio violati sepulcri, nam quidam arma de sepulcro viri fortis abstulit. Parco etiam & huic eruditioni.

Amicorum res etiam.

Asseruanda multa cum cadauere.

17. Et non felicia tela.] Autumat Germ. posse hæc referri ad tritum illud ἐχθρῶν τὰ δῶρα ἄδωρα. Quippe credibile, vel ante bellum, vel in induciis accepta arma ab hostibus, & permutata. Sed certè locus capiendus, vt iam explicui.

18. Mvlta bovm, &c.] Hunc quoque morem astruam collatis auctoribus. Ab Hom. Iliad. 23. in funere Patrocli dicuntur mactati βόες, οἶες, αἶγες, ὗες, *boues, oues, capræ, sues.* Calab. 3. in exequiis Achillis,

Boues mactati in sepulcris.

> Σὺν δ' οἴας, σύας τ' ἔβαλον βεβριθότας ἀλοιφῇ:
> *Adiiciunt oues, & sues redundantes pinguedine.*

Et Odyss. vlt. in eiusdem Achillis funeratione,

> ——— πολλὰ δ' ἐπ' αὐτῷ (πυρί)
> Μῆλα κατεκτάνομεν μάλα πίονα, καὶ ἕλικας βοῦς.
> ——— *multas autem in ipso* (igne)
> *Oues iugulauimus pingues admodum, & nigras boues.*

Apud Herodian. lib. 4. Antoninus παντοδαπὰ ζῶα κατασφάξας, *mactas omnis generis animalia.* Milites curantes funus Viriati apud Appian. in Hispanic. ἱερεῖά τε πολλὰ ἐπέσφαξαν αὐτῷ: *hostias multas ipsi mactarunt.* Eurip. in Helen. ait moris fuisse mactari in honorem mortuorum, ἵππον, ἢ ταῦρον, *equum, aut taurum.* & in Elect.

> Πυρᾷ τ' ἔσφαξ' αἷμα μηλείου φόνου:
> *Pyramq́; sanguine ouium cæsarum imbui.*

19. Morti.] Adiicit Poëta, quasi in honorem Mortis mactata pecora. Certè apud veteres Mors culta,

Mors culta vt Dea.

culta, vt Dea. Illi Lacedæmonij templa dedicarunt, auctore Plut. in Cleomone, θανάτου ἱερὰ, ait ille. Tu vide Titium lib. 4. Locor. c. 20. vbi ex Æliano, citante Eustathio, καὶ θανάτου ἄλλο, id est, ἱερόν: *& Mortis templum aliud*. Vide & Lilium 1. Synt. & Alex. Neapol. Pausanias etiam lib. 3. Mortis simulacri meminit. Hæc quamuis vera sint, sed non dubium, quin simpliciter capi queat Poëta, vt *mactari morti*, nihil sit aliud, quàm *mactari*: ac tunc erit *morti*, pro *morte*, nam Latinum casum veteres ita desinebant, quod iam à me sæpe obseruatum.

Setigeri sues.

20. SETIGEROSQVE SVES.] Ab Lucret. qui lib. 5. *setigeris suibus*.

Studium erga defunctos.

21. NEQVE AVELLI POSSVNT.] Hoc studium in defunctos illustrauit Ioann. Passerat. Lucret. lib. 3.

At nos horrifico cinefactum te propè busto
Insatiabiliter deflebimus, æternumq́;.

Ouid. in Epiced. Tibull.

Cumq́; tuis sua iunxerunt Nemesisq́;, Pudórque
Oscula, nec solos destituêre rogos.

Hâc parum constantem fidem Cynthiæ in colendo sepulcro suo timebat Propert. Eleg. 19. lib. 1.

Quàm vereor, ne te, contempto, Cynthia, busto,
Abstrahat è nostro puluere iniquus amor.

22. NOX HVMIDA DONEC.] Incepit hic tractus ab Aurora oriente, vt vidisti, desinítque in diē desinentem, vt hinc facilè motem possim colligere; videlicet, diem solidum à luce prima ad lucem vltimam impendi solitum in funeratione. Idem apparet ex Hom. Iliad. vlt. in funere Hectoris,

Dies integer in funeratione.

——κλαίων δ' ἀμφίστασθ' ὅμιλος,
Καί νύ κε δὴ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα,
Ἕκτορα δάκρυ χέοντες ὀδύροντο πρὸ πυλάων:
——*plorans populus circumstabat,*
Perq́; diem integrum vsque ad occidentem Solem,
Hectorem lacrymantes lugebant ante portas.

Attingit & Iliad. 19. vbi Vlysses reprehēdens Achillem de luctu perpeti, ait satis esse, si dies vnus detur lacrymis. Verba signata. ἐπ' ἤματι δακρύσαντες. Iterum in eodem lib. cùm Achilles velit diem alterum luctui addere, eam sibi legem imponit, vt diem integrum perseueret, aliísque abeuntibus ad cœnam, ipse maneat; quod & facit. Inde mandata illa Iouis ad Mineruam, vt perferat Nectar & Ambrosiam ad Achillem, ne fame pereat, quoniam

Ἧσται ὀδυρόμενος ἕταρον φίλον· οἱ δὲ δὴ ἄλλοι
Οἴχονται μετὰ δεῖπνον· ὁ δ' ἄκμηνος καὶ ἄπαστος:
Sedet lugens socium dilectum; alij autem
Abeunt ad cœnam: is verò ieiunus & impastus est.

Aptum stellis.

23. STELLIS FVLGENTIBVS APTVM.] Seruius explicat, *coniunctum*, ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι. Quod verbum ita ego iam accepi 5. Æneid. ad illud,

Muneraq́; in naues ternos aptare iuuencos.

Vide etiam, quæ dedi lib. 4. ad illud,

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

a Nec minùs & miseri diuersa in parte Latini
Innumeras struxêre pyras, & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, auectáque partim
Finitimos tollunt in agros, vrbíque remittunt.
b Cetera, confusæq́; ingentem cædis aceruum,
Nec numero, nec honore cremant. tunc vndique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
c Tertia lux gelidam cœlo dimouerat vmbram,
Mœrentes altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, tepidóque onerabant aggere terræ:

ARGVMENTVM.

Latinorum exequiæ, vbi maior cædes, distributio cadauerum, ossilegium.

EXPLICATIO.

a FVERAT maior cædes in castris Latinorum, inde & exequiæ operosiores, hinc *innumeras struxêre pyras*. & verè *miseri*, vt qui pleni tot funeribus. Distribuit verò Poëta cadauera hunc in modum. Multa ibi infossa, multa missa in agros finitimos; hoc enim commodè potuit fieri, nam qui è longinquo venerant, remitti facilè in patriam non potuerunt: demum alia remissa in vrbem sunt. Roges. Hinc cremati, an integro cadauere sepulti? certè cremati si attendas; nam innumeræ sunt pyræ, quia multi infossi. Infodi enim etiam dicebantur ossa & cineres. Etenim innumeræ illæ pyræ, quæ structæ, nulli essent vsui, nisi ad multos illos, qui infossi. Nam postea vnicus tantùm & magnus rogus aceruū reliquum absumpsit. Itaque, multi illi capiendi ἐξαιρέτως, vt qui præcipuo essent honore.

b Ceteri omnes conferti in aceruum vnum, erat enim ingens & confusa cædes, concremantur, nullo nec numero, nec honore. Quod sequitur de ignibus certatim collucentibus, est tanquam epiphonema totius sermonis. Nam & innumeræ illæ pyræ, & rogus ille, qui seruiit vniuersæ turbæ, exstruebantur à singulis, quanto poterant apparatu maiore.

c Post tertium diem celebratum ossilegium à mœrentibus; eruta enim ossa ex cinere, vt terræ mandarentur, in quam infodiebantur aggestam & oneratam. Hyppallagen agnoscit Seruius, vt sit *tepido aggere*, pro, *tepida ossa*. Ait *altum cinerem*, id est, copiosum, vt ex multis cadaueribus.

NOTÆ.

1. NEC MINVS INTEREA DIVERSA IN PARTE, &c.] Cognatum illud Cal. lib. 1. Imitatio.

Ἀργεῖοι δ' ἀπάνευθε δέδαν πυρὶ πολλὰ κάρηνα
Ἡρώων,

Ἡρώων δ' ἀνέφη ὁμοῦ κτάθει.———

Argiui autem seorsim tradiderunt igni multa capita

Heroum,qui cum ipsis vnà interfecti.———

Nec minùs. Porrò locutio ista *nec minus*, pro *pariter*, siue *etiam*, nescias quo gustu amata Virgilio. Sic,*Nec minus ex imbri Soles.Nec minus Andromache.Nec minus ille exultat demens.*

2. STRVXERE PYRAS.] Ex hoc testimonio, itémque ex illo Ouid.4.Fast.de Remi funere,

Vltima plorato subdita flamma rogo est.

Atque etiam ex Plut.in Numa, vbi ait,cadauer Numæ tradendum rogo fuisse,nisi hoc ipse fieri vetuisset, qui viuus cauerat,ne combureretur. Ex his(inquam) & aliis satis coarguunt viri docti lapsum Plinij cap.54. lib.7.vbi ait: *Ipsum cremari apud Romanos non fuit veteris instituti. terra condebantur. at postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum.* Nam, cur non vetus institutum, quod sub Latino, sub Romulo, sub Numa? Vel potiùs dicamus fuisse hoc Plinij μνημονικὸν ἁμάρτημα,nam ipsemet cap.12. lib.14.scribit: *Numa Regis Posthumia lex est,vino rogum ne aspergito.* Cremati ergo sub Numa Romani ex ipso Plinio.

Cremari fuit veteris instituti.

3. PARTIM.]Geminatur hæc particula,vt vides. Fateor hoc frequens, sed non semper. Itaque malè scripsit Budæus semper geminandam. Sed iam contra illum Magius cap.7.lib.1. Miscell. aduocato Lucretio,& Tullio. Ego addo Hirtium, qui Bell.Alex. *Quòd nisi locorum notitia reliqui se texissent, partimq; in naues,quibus flumen transierant,recepissent,funditus deleti essent.*

Partim non semper geminatur.

4. FINITIMOS TOLLVNT IN AGROS.] Lege cap.21.lib.14.Var.Pet.Victor. vbi de ritu sepulcrorum in agris,tam ex Romano, quàm ex Græco more.Adde Victorio Realinum,qui signat eam partem agri,quæ esset ante portas vrbium. Ab vtroque abstineo,ne actum agam.Sed & in viis sepulcra posita, quis est qui ignoret?Inde frequentes illæ inscriptiones ad viatores, de quibus Ouid. *oculo properante.* Apud Eurip. in Rhes. supplicantur mortui λεωφόρους πρὸς ἐκτροπὰς,*ad diuerticula publicarum viarum.* Iuuen. etiam Sat.1.dixit,

Sepulcra in agris,&

Viis.

Quorum Flaminia tegitur cinis,atque Latina.

A quo Prudent.lib.1.in Symm.

———*Dis Manibus illic*

Marmora secta lego,quacunque Latina vetustos

Custodit cineres,densisq; Salaria bustis.

Possum suspicari, *finitimos agros* Virgilij esse agellos, & hortos,in quibus solitum defunctos humari. Ita Martial.Epig.115.lib.1.

Hos tibi vicinos Faustine Telesphorus hortos

Fœnius,& breue rus,vdaq; prata tenet.

5. VRBIQVE REMITTVNT.]Mos hic tumulandi in ædibus apparet ex Papin.3. Sylu. vbi in lacrymis Hetrusci,

Sepulcra in ædibus.

———*nec funera mittam*

Longius,hic Manes,hic intra tecta tenebo,

Tu custos,dominusq; Laris.———

Fuit & hoc in vsu antiquis Romanis,quod habeo à Dionys.lib.3. Antiquit.vbi de patre Horatiorum ait, *passus non est, cadauer filia in ædes inferri ,neque permisit, vt in patriis monumentis conderetur.* Patria ergo monumenta in ædibus. De vnis Tarentinis id ipsum scribit Polyb.lib.8.quibus moris fuit, θάπτεσθαι πάντας ἐντὸς τῶν τειχῶν, *sepelire omnes intra muros.* Quod fecerunt admoniti quodam oraculo. Lege in eo. Tertull.de Resurrect. Carnis: *scilicet quòd apud Maiores, omnes homines in suis domibus sepeliuntur.*Phocionis ossa (auctor est Plut.) adduxit mulier quæpiam εἰς τὴν οἰ-

A κίαν,κατώρυξε παρὰ τὴν ἑστίαν, *suam ad domum*,] *sepeliuitq; ad focum.* Allusit Quint. Declam.377.*Sed necesse est moriamur,sed domi ibi certè pater sepeliet.* Attigit & leuiter morem hunc Demosthenes orat. contra Midiam. εἰ γὰρ ἐν ἐκ τῶν ἐγκλημάτων κατώρθωσεν, ἀπάντων ἂν ἀπεστερήμην ἐγὼ,καὶ μηδὲ ταφῆναι προσήκει τῷ πατρῴῳ οἴκῳ μοι. *Nam si vna eius insidiæ successum habuissent, essem omnibus spoliatus, nec licuisset mihi domi sepeliri.* Inde fortasse factum,vt sepulcrum dicatur *domus.* Sic enim appellat Auctor Octau.act.4.& alij.Regredior. Eodem pertinet fuisse olim sepulcra in vrbium foris. quod attigit Quintil. Declam.274.*Parum erat sepeliri Tyrannum,nisi in foro etiam sepeliretur?* Scio fuisse olim leges contra hunc morem.Nam Cic.2.Leg. *Hominem mortuum,inquit lex,in vrbe ne sepelito.* Et Paulus I.C.ratio-

Domus cur dicatur sepulcrum.

Sepulcra in in foro vrbium.

B nem addit, cùm ait: *Corpus in ciuitatem inferri non licet,ne funestentur sacra ciuitatis.* Sed tamen concessum viris magnis,vt in vrbe sepelirentur, quod iam ex Cicerone, Plutarcho, Dionysio alij ante me adnotarunt, ac proinde omitto. Absolui rem, nec quæ dixi, mutuo: sed quid si Virgilius mori antiquo hæsit, & legibus, vt sententia sit, remittunt ab vrbe? Neque enim nouum est huic Vati ita desinere ablatiuos, vt solebant veteres. Sic illud, *Ardet apex capiti*, pro, in capite. Cesso ab testimoniis,quia iam ego de re hac bis,aut ter. Ergo *vrbi remittere* erit, remittere vrbe, id est, ab vrbe. Placet nonnihil hæc explicatio,quia meliùs videtur annecti cum superiore hemistichio, *Finitimos tollunt in*

Remittere vrbi, quid sit.

C *agros.*

6. CETERA,CONFVSAEQVE,&c.]Mos militaris,vt multi simul. Liuius de Annibale lib.22.*Tum sepeliendi causâ conferri in vnum corpora suorum iussit.*Apud eundem lib. 26. Acarnanes precantur Epirotas, *vt qui suorum in acie cecidissent, eos vno tumulo contegerent.* & lib. 27. loquens de Romanis ait, *corpora collata in vnum sepeliri.* Hoc pietatis exemplum de Romano exercitu Tacitus narrat, vt etiam Herodianus lib.4. de occisis Alexandriæ ad Imperat.Antonino Caracalla. Cedrenus pag. 473. θάψας τοὺς πολεμίους εἰς ἕνα χῶρον συναγαγών. Sic lib.3.Epig.vbi agitur de excidio Corinthi,

Tumulati multi simul militari more.

———δ' ἐρυπτεῖν ταὶ δὲ νεκρῶν

Ὀστέα συνιθεὶς εἷς ἐπέχει σκόπελος.

D Dicit videlicet,vno scopulo contineri ossa mortuorum,qui victi hasta.

7. NEC NVMERO,NEC HONORE CREMANT.] Quippe congestio multorum cadauerum minùs è laude & gloria. Itaque hic versus opponitur innumeris illis pyris excitatis. Singulæ enim singulis structæ,& quia multi cæsi,ideo illæ multæ:reliqui in aceruum vnum coniecti, hoc enim in vsu.Quod liquidum ex Calab.lib.1.& 3.In primo ait,nobiles separatos à turba,& πληθὺν τεθνεώτων, id est, *multitudinem mortuorum* coniectam in vnum aceruum. In tertio verò ait,Achillem separatum rogo, cùm alij μίγδα, id est, *confusim & mistim* essent cremati.Apollon. lib.2.Excidij Hierosolym.

Sepulcra communis.

E ——— *nec ponere charis*

Seposito vacat igne rogum,collecta cremantur

Corpora.———

Ab hoc more soleo explicare versus Eurip. in Alcest.

Μὴ δὲ νεκρῶν ὡς φθιμένων

Χῶμα νομιζέσθω

Τύμβον σᾶς ἀλόχου:

Nec mortuorum tanquam

Aggerem existimato

Tumulum tuæ vxoris.

Vt dicat,

Vt dicat, ne putes contemnendum tumulum, ac si esset multorum χῶμα, vbi sicut non discretus numerus, ita neque honor. Apud Polyb. lib. 3. Annibal sepelit triginta tantùm ex suis, quos putauit ἐπιφανεστάτους, *nobilissimos*, vbi credibile alios confertim sepultos, quamuis hoc tacuerit. Sed triginta illi discreti honore. Nonnus in re simili dixit lib. 40. ἀκελεῦν πυρὴν, *indistinctam pyram*; quia videlicet conferri multi in ἕνα τύμβον ἀπειρέσιον, *ingentem vnum tumulum*. Eurip. in Supplic. ait, Capaneum cremandum sepeliendúmque χωρὶς, *seorsim*; cùm tamen placeat ἄλλους πάντας ἐν μιᾷ πυρᾷ, *vno in rogo* esse cremandos. Apud Ammian. lib. 17. Iulianus *sine discretione cunctos humari mandauit*. Sunt qui *nec numero* explicent, igni lento, quia magnus aceruus. Nam *numerò* idem est, quod *citò* & *properanter*. Plaut. Pœn. *cur numerò estis mortui?* id est, cur ita citò? Vide Festum. Quisque vt volet, ego certè ad numerum refero.

8. TERTIA LVX, &c.] Notauit iam Acro in Horat. & ex eo Læuin. in Sueton. cap. 35. in vita Neronis, moris fuisse, vt post triduum à rogo cinis in vrnam mitteretur, ac mandaretur tumulo. Si Homeri vestigia sequamur, credibile expectari hoc spatium, aut aliud simile; nam hoc tempore ardebant pyræ. Ait enim Iliad. 23. itum ad hanc rem post exortum Auroræ, nam tum πυρκαϊὴ ἐμαραίνετο, παύσατο δὲ φλόξ, *exstincta est pyra, & cessauit flamma*. Cùm verò ossilegium à multis dicatur fieri solitum die nono, intelligit Gutherius nonum diem de nobilibus, & Virgilium expedit de turba pauperiore. Vide illum lib. 1. de Iur. Man. cap. 28. Ego tamen refero ad multitudinem cæsorum, non enim sine incommodo expectari posset dies nonus.

Cinis in vrnam post triduum.

9. MOERENTES.] Vox signatissima in luctu pro defunctis. Contuli alibi testimonia, hîc Inscriptiones offero. In vna, PLORANS MOESTISSIMA MATER FECIT. In altera, DIS MANIBVS PAVLINÆ VALERIÆ FILIÆ DVLCISSIMÆ PARENTES MOESTISSIMI. & alia item: HALÆ RVFFINÆ PARENTES MOESTISSIMI. Abundant istæ. Itaque, *mœstitia* propria vox ad hanc rem, non *tristitia*.

Mœror, de luctu defunctorum.

10. RVEBANT.] Hoc vsu Val. Flacc. lib. 3. *fluctusq; arbusta ruentem*.

11. OSSA.] Attingit celeberrimum morem ὀστολογίας, *ossilegij*. vt etiam in 6. de funere Miseni, vbi ego nihil reseruans ad hunc locum. De hoc more iam Kirchmannus lib. 3. de funerib. cap. 6. adducto Tibulli loco, quem expendit. Sed quia longè plura ego reperi, non grauabor notas omnes ossilegij adhibere. Si quis hanc paginam tædij plenam putet, illam prætereat: scio à doctis non afficiendam tædij censura. Do imprimis vasculi, in quo fiebat ossilegium, nomina: & deinde materiam: inter nomina solemne fuit *vrna*. Hac voce vsus Tacit. 3. Ann. vbi de Agrippina, *feralem vrnam tenens*. & multi alij. Deinde *cadus*, quæ vox in Virgilio, Propertio, Tibullo, aliis. Tertiò Propert. vocat *testam*, & *bustum*, cùm scribit Eleg. 13. lib. 2.

Ossilegij mores.

Vasculum ossilegij fuit, Vrna, Cadus, Testa, Bustum,

Deinde, vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiet Manes paruula testa meos.
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat exstincti funeris vmbra locum.

Idem Propert. amphoram dixit Eleg. 5. lib. 4.

Amphora,

Sit tumulus Lenæ curto vetus amphora collo.

Quid Græci? Homer. Iliad. 23. φιάλην vocat, *phialam*. Calab. lib. 1. & alibi χηλὸν, quasi dicas *arcam*. & lib. 3. ἀμφιφορῆα nominat, interpretes *amphoram* reddunt. Verba Calabri. ἀμφιφορῆα ᾧ ἐνὶ θῆκαν ὀστέα Ἀχιλλῆος μεγαλήτορος: *amphoram, in qua posuerunt magnanimi Achillis ossa*. Xiphilinus ὑδρίαν nominat, *hydrian*, vbi coniecta Seueri ossa. Homeri Scholiastes loquens de hac re Iliad. 4. ἀγγεῖον, id est, *vas*, aut *doliũ*. Moschus εἰδ. 4. κρωσσὸν. Calab. lib. 10. ait ossa Paridis & Oenones condita χρυσείῳ ἐν κρητῆρι, *in aureo cratere*. Homer. Iliad. 23. σορὸν vocat. Interpres Lycophronis de hac re loquens coniungit tres voces, addens scilicet τοῖς κρωσσοῖς, & ἀμφιφορεῦσι iam dictis τὴν λάρνακα. Plutar. nouam vocem intrudit, nam ait ossa Marcelli cōdita εἰς κάλπιν. est propriè κάλπη *vrna aquaria*. Transeo ad materiam. Virgilio satis fuit lib. 6. *ahenam* facere. Ambitiosior Calab. lib. 10. apud quem ossa Paridis conduntur χρυσείῳ ἐν κρητῆρι. & lib. 3. quippe in maximo duce Achille. Ait enim,

Arca, *Hydria,* *Dolium.* *Vrnæ materia multiplex.*

Τοῦ δ' ἄρ' ὀστέα πάντα φίλοι συνάγειρον ἑταῖροι
Ἀλλεγον ἐς χηλὸν πολυχανδέα τε, βριαρήν τε,
Ἀργυρέην, χρυσῷ δ' ἄρ' ἀγλαΐῃ πάντα ἐκέκαστο:
Huius autem ossa omnia lacrymabundi amici
Collegerunt in vrnam capacem, ac ponderosam
Argenteam, quæ tota præfulgenti auro ornata.

Eutrop. lib. 8. loquens de Traiano, *ossa eius collocata in vrna aurea in foro*. Vide & Spartianum in vita Seueri, vbi memorat *auream vrnulam*. à quo tamen dissidet Xiphil. qui ait Seueri ossa coniecta in vrnam factam πορφύρου λίθου, *ex lapide porphyretico*. Plutar. dat Demetrio τὴν ὑδρίαν χρυσήλατον οὖσαν. Idem ait Marcelli ossa condita εἰς κάλπιν ἀργυρᾶν. Ibidem, χρύσεος ἀμφιφορεὺς. Gradum iam facio ad ipsum ossilegium. Dicam tria, videlicet, quæ præcedunt, quæ comitantur, quæ sequuntur. Præcedebat exstinctio rogi, & ea fiebat vino. Calab. lib. 1. in funere Penthesileæ, πυρκαϊὴν σβέσσαν (scilicet λαοὶ) ἡδέϊ οἴνῳ: *exstinxit pyram populus fragranti vino*. Et quia hæc exstinctio facta aspersione, dictum *vinum respersum*. de quo vide Festum. Idem Calab. lib. 10. in funere Paridis, πυρκαϊὴν οἴνῳ σβέσαν. Attingit Pruden. in περὶ στεφ.

Exstinctio rogi vino.

Vinum respersum.

Tum de corporibus sacris fauillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.

Adiicit Tibullus vino lac: ait enim,

Lacte.

Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.

Sed de hac exstinctione, déque aliis moribus illi annexis dicebam lib. 6. Æneid. Procedo ad mores, qui comitantur ossilegium. Legebant ossa patres, amici hæredes, ac proinde alij quauis coniuncti cognatione, aut ratione alia deuincti. De patrib. Sen. lib. 2. de ira: *Dignus fuit cui permitteres à conuiuio ad ossa filij legenda discedere*. De amicis Calab. lib. 3. apud quem Achillis ossa ἑταῖροι ἄλλεγον. De hæredibus Martial. lib. 8. etiamsi in ioco,

Legebant ossa patres, Amici, Hæredes.

Ossa licèt quondam defuncti non legat hæres,
Hoc sibi iam Picens præstitit officium.

Qui legebant (en alter mos) erant discincti è ritu vetere. Clarè Tibull. Eleg. 2. lib. 3.

Discinctio in legendo.

Pars, quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incincta nigra candida veste legant.

Sueton. in ossilegio Augusti cap. 100. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati ac discincti*. His duobus moribus tertium adiice ex eodem Suetonio, nam consequenter addit, *pedibusq; nudis*. Rectè tamen autumat Kirchman. id religionis ergo factum in Augusto, neque proinde dici posse seruatum in aliis funeribus. Quartum morem à Tibullo elice,

Nudis pedibus ossa legebantur.

Lotis manibus. elice, loco laudato, vbi vult legi ossa lotis manibus. A

Perfusaq́, pias antè liquore manus.

Lacrymis ossa perfundebantur. Sit quintus, lacrymis perfundi solita ossa & cineres in ipsa lectione; quod non tantùm capiendum ex pietate, sed ex vero more. Ouid. in epist. Sapphûs,

Sex mihi natales ierant, cùm lecta parentis,
Ante diem, lucrymas ossa bibêre meas.

Horat. Od. 6. lib. 2.

Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacryma fauillam
Vatis amici.

Orestes apud Eurip. in Elect.

———σοῖς τάφον μολὼν πατρὸς
Δάκρυά τ' ἔδωκα.———

B Quæ de ossilegio capi, nihil vetat. Sextus. Ossa inter legendum sinu fouebantur nota amoris. Attigit Tibull. Eleg. 3. lib. 1. Fouebantur sinu.

Abstineas mors atra precor, non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Sen. cap. 2. consol. ad Heluiam: *Modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Et Seneca pater controu. 22. *Vnde tam graues paterni sinus? nunquid ossa filij reportant?* Mulier quædam, quæ Phocionis ossa collegit (ait Plut. in eius vita) ἐνθεμένη δὲ τῷ κόλπῳ τὰ ὀστᾶ. Septimum aperit Tibullus, cùm ait: Tollebantur in altū.

Posthac carbasëis humorem tollere ventis.

C Ait videlicet, solita ossa attolli in altum, vt siccaretur humor conceptus ex vino, lacte, lacrymis. Præclarè ergo Scriptor Genial. lib. 3. c. 7. de hac re loquens: *ossa linteo ventilare.* Quem morem non vidit Tiraquell. nam ibi sanctè deierat, mendum esse, & pro *ventilare*, legendum esse *velare*. Falsus est, quod iam contra illum vidit Kirchman. Vocat verò Tibullus (hoc vt obiter scias) vestes tenues *ventos*, vt Petron. *inducere ventum textilem.* & statim, *linea nebula.* Sequuntur iam mores post ossilegium. In vrnam primùm condebantur, ac tum *componi* ossa dicebantur. Omitto, quia iam Kirchm. Deinde coniectis ossibus vnguenta admiscebantur, & odores. Hoc satis docet Calab. lib. 3. loquens de Achillis funeratione, nam post collecta, & conclusa ossa ita subiicit. Condebantur in vrnā. Vngebātur.

D

Καὶ τὰ μὲν ἀμβροσίῃ καὶ ἀλείφατι παγχυ δίηναν,
Κοῦραι Νηρῆος, μέγ' Ἀχιλλῆα κυδαίνουσαι.
Ἐς δὲ βοῶν δημὸν θέσαν, ἀθρόα ταρχύσαντες,
Σὺν μέλιτι λιαρῷ.———

Atque hæc Ambrosia intus delibuta, & vnguento reddiderunt
Nerei filiæ, Achillem magno honore afficientes,
Boûmque aruinam indiderunt, permista condientes
Cum dulci melle.———

Et lib. 1. vbi sermo est de exequiis Penthesileæ,

Ὀστέα δ' ἀλέξαντε: ἄδην ἐπιχεύαν ἄλειφαρ
Ηδὺ καὶ ἐς κοίλην χηλὸν θέσαν. ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτοῖς
Πιότα δημὸν ὕπερθ' ἔβαλλον βοός.———

Lectis ossibus admiscuêre affatim vnguentum
Suaue, posueruntq́, in cauam vrnam. insuper etiam ipsis
Pinguem bouis adipem adiecère.———

Homer. Iliad. 23. de ossilegio Patrocli etiam adhibet iniectum *adipem*, & hunc *duplicem*, δίπλακα δημόν. His adiungatur Tibull. Eleg. 2. lib. 3. vbi de ossibus iam conditis ita præcipit,

Illic, quas mittit diues Panchaïca merces,
Eoiq́, Arabes, diues & Assyria.

Lacrymæ adiiciebantur. Tertiò, lacrymæ amicorum in ipsam vrnam denuò adiiciebantur. Nam eodem loco Tibull.

Et nostri memores lacrymæ fundamur eodem,

Sic ego componi versus in ossa velim.

Ita possis accipere Poëtas, quoties illis est sermo de cinere fleto, de ossibus fletis. De phiala lacrymarum lege Gutherium. Quartò, conditis ossibus tegebatur vrna. Hom. Iliad. 24. postquam Hectoris ossa in vrnam condita esse dixit, statum subiicit, Vrna tegebatur.

Πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσιν:
Purpureis mollibus peplis tegentes.

Et Iliad. 23. de Patroclo, ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν, *operuerunt tenui velamine.* Attigit Virg. 6. Æneid.

Ossaq́, lecta cado texit Corinæus aheno.

Vbi non dicit, *texit aheno*, sed *lecta aheno* mox *texit*. Adeò hoc solemne, vt Cedrenus in funeratione Heraclij Imperat. non factum aliquandiu notet. ἱμάτιον (τὸ σῶμα) ἀσκεπὲς ἡμέρας δ'. Quintò, vrna coronabatur. Plutar. in vita Demetrij ait, ciuitates, ad quas appellebat defuncti Demetrij corpus ingessisse coronas illius vrnæ. Verba eius. αἱ δὲ πόλεις στεφάνους ἐπέφερον τῇ ὑδρίᾳ. Et de vrna, in qua ferebātur ossa Philopœmenis ait, ὑπὸ πλήθους ταινιῶν τε, καὶ στεφάνων μόλις ὁρωμένην: *præ multitudine vittarum, & coronarum cerni vix posse.* Hoc Propert. fieri voluit suæ vrnæ, & lauro, quippe Poëta, Coronabatur.

Et sit in exiguo laurus superaddita busto.

vbi *bustum exiguum* est vrna. Neque, quæ sequuntur, pugnant, si examinentur. Sextò, studium erat amicorum vrnam manibus contingere præ pietate in defunctum. Hoc certè factum in funeratione Philopœmenis Plutar. narrat, cuius vrnam amici obuij ἐψηλάφησαν. His factis, vrna nouum nomen comparabat: non enim tum solùm dicebatur *vrna*, sed etiam *ossuarium*, aut *cinerarium*, quod iam ex Sancto Hieronymo, & aliis astruxit Kirchmannus. Omitto, & addo nouum quoque nomen parari ossibus. Propert. certè Eleg. 3. lib. 2. Contingebatur ab amicis. Ossuarium, Cinerarium.

Accipiat manes paruula testa meos.

Id est, *ossa*, quæ tamen *manes* nominat. Quia videlicet manes credebantur comitari ossa. Ita Sen. epist. 86. Manes, de ossibus.

In ipsa Scipionis Africani villa iacens hæc tibi scribo, adoratis manibus eius, vt ara, quam sepulcrum esse tanti viri suspicor. Propert. laudato loco reliquias suas, & ossa dicit *funus*, in quem locum vide Passeratium. Demum Poëtæ post ossa lecta, & condita erumpebant exclamando, humanarum rerum fragilitate commoti. Præclarus est Ouid. locus in Metamorph. Funus, de ossibus. Fragilitas humanarum rerum.

Iam timor ille Phrygum, decus, & tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello
Arserat: armarat Deus idem, idemq́, cremarat:
Iam cinis est, & de tam magno restat Achille
Nescio quid, paruam quod non bene compleat vrnam.

Hinc fortasse Propert. Eleg. 9. lib. 2. loquens de Briseide,

———*& tanti corpus Achillis,*
Maximaq́, in parua sustulit ossa manu.

Absolui, quæ promisi: & do morem alium de tempore, videlicet fieri solitum ossilegium noctu: quod satis docet Eurip. in Orest. vbi ait, Ossilegium fiebat noctu.

E

Νυκτὸς φυλάσσων ὀστέων ἀναίρεσιν:
Obseruans noctu lectionem ossium.

Et indicat Virg. superiore tractu, vbi ait,

———*semustaq́, seruant*
Busta, nec auelli possunt, nox humida donec
Inuertit cœlum stellis fulgentibus aptum.

Vides, vt quieti ad sepulcra essent vsque ad noctem: ossilegium ergo post aduentum noctis.

12. ONERABANT AGGERE.] E more hoc quoque. Martial. lib. 8. *aggesta contumulauit humo.* Tacit. in re simili 2. Ann. *struxitq́, aggerem.* Cal. lib. 10 ἀθρόον ἂν χυτὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο: *interfectis effossam terram ad tumulum* Aggere, de sepulcro.

mulum aggerarunt. Sic 3.Æneid. *aggeritur tumulo tellus*. A μὲν. Inde idem Iliad. 21. humationem vocat τυμβο-
Hom.etiam de hac aggestione 7.Iliad. τύμβον χέο- χοίην ab *aggerando*. & Iliad.23. σῆμα τι χεῦαι.

[a] Iam verò in tectis prædiuitis vrbe Latini
Præcipuus fragor,& longè pars maxima luctus.
Hîc matres,miseræq; nurus,hîc chara sororum
Pectora mœrentum,puerique parentibus orbi
Dirum execrantur bellum, Turnique Hymenæos.
Ipsum armis,ipsumq; iubent decernere ferro,
Qui Regnum Italiæ,& primos sibi poscat honores:
[b] Ingrauat hæc sæuus Drances,solumque vocari
Testatur,solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contrà variis sententia dictis
Pro Turno,& magnum Reginæ nomen obumbrat,
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.

ARGVMENTVM.

Ab tot cædibus luctus ciuium, etiam dissidia pro Turno, & contra Turnum.

EXPLICATIO.

[a] EN tibi iam παρενθεσιν ad magnam partem huius libri,videlicet ad consilium Latini de pace,& ad contentionem Turni & Drancis. Quippe ab tot cædibus ortus in Regia fragor,in vrbe luctus.Itaque fragor spectat Regiam,vbi consilia agitabantur: luctus vrbem,vbi fiebat comploratio. Ergo, matres plorabant suos liberos, nurus maritos, sorores suos fratres,pueri patres, & omnes demum bellum execrabãtur,vt quod *dirum*; & imprimis *Turni Hymenæos*, id est,nuptias,inuidiosè hoc dictum:perinde ac si diceret. Turni voluptas tantopere ambita emitur nostrorum sanguine. Igitur,quando hoc ita est,ipse solus armis,& ferro decernat,ipse emat suo cruore Regnum Italiæ,& honores primos,id est, successionem Imperij : nam hæc deuoluenda ad illum, qui Lauiniam duceret.

[b] Consilia hæc,& incitatam contra Turnum plebem Drances incendebat *sæuus* in Turnum,dicebãtque,illum solum vocari ad singulare certamen,illum posci.Certè audierat ab Ænea,

Æquius huic Turno fuerat se opponere morti.
Si bellum finire manu,si pellere Teucros
Apparat,his decuit mecum concurrere telis.

Sed plebi & Dranci multa se opponebant pro Turno. Imprimis magna pro illo vmbra & defensio Amata ipsa,quæ tota in eius nuptias incumbebat, & Ænean odorat. Deinde illum tuebantur magna & præclara eius facinora,multos.n. Troianorum in superiore bello interfecerat: ac propterea tum dignus videbatur,qui Imperio succederet: tum idoneus credebatur,qui Troianos pelleret.

NOTÆ.

Fragor in concionib. 1. FRAGOR.] Videtur mihi locutus Poëta cum respectu ad strepitus, qui interdum excitabantur in Senatu,& foro;in consiliis, & causis. Hoc vt putem, viam mihi Donatus aperit sua commentatione, qui fragorem hunc refert ad consilia perturbata in ædibus Latini. Quis verò nescit, quæ Tullius de fluctibus concionum,& forensibus tempestatibus:Etenim

B sæpe qui vnius erant opinionis similes fragores excitabant ex industria.De legibus Gracchorum loquens Appian.lib.1.Ciuil. ait, καὶ βοῆς ἄφνω παρὰ τῶν συνειδότων γενομένης : *clamore simul à complicibus excitato*. ibid. ait,ita magnos fuisse hos strepitus, ὡς γενομένης βροντῆς, *ac si editum esset tonitruum*. Et quid est aliud βροντὴ,quã *fragor*: Certè 8.Æneid. de tonitru, *fragor intonat ingens*. Itaque *fragor* Virgilij in his consiliis respõdebit βροντῇ Appiani,vt in re simillima.

Imitatio. 2. HIC MATRES,&c.] Comploratio hæc ducta Homerico filo,lib.vlt.Iliad.vbi,

Παῖδες μὲν πατέρ' ἀμφὶ καθήμενοι ἔνδοθεν αὐλῆς
Δάκρυσιν εἵματ' ἔφυρον.———

Et post pauca;

Θυγατέρες δ' ἀνὰ δώματ', ἰδὲ νυοὶ ὠδύροντο,
Τῶν μιμνησκόμεναι,οἳ δὴ πολέες τε,καὶ ἐσθλοὶ
Χερσὶν ὑπ' Ἀργείων κέατο ψυχὰς ὀλέσαντες:
Filij quidem patrem circumsedentes in aula
Lacrymis vestes rigabant.———
Filiæ verò per ædes,& nurus lamentabantur,
C *Illorum reminiscentes,qui tum multi & strenui*
Manibus sub Græcorum iacebant vita priuati.

Ad vtriusq; textum ita & sua neuit Stat. 3. Theb.

At nuptæ exanimes,puerique,ægrique parentes,
Mœnibus effusi per plana,per ardua passim,
Quisque suas auidi ad lacrymas miserabile currunt
Certamen.———

3. DIRVM EXECRANTVR BELLVM.] Est hoc Horatianum illud Od.1.lib.1.*bellaq; matribus detestata*.

Nuptias detestari. 4. TVRNIQVE HYMENÆOS.] Pari affectu Lemniades apud Val.Flacc.lib.2.Arg.

———*nudisq; sub astris*
Condensæ fletus acuunt,ac dira precantur
Coniugia,& Stygias infanda ad fœdera tædas.

5. IPSVM ARMIS,&c.] Cedren.in re simili p.571. τῶν ἀρχηγῶν ἀγῶνι κριθῆναι τὸ πρᾶγμα βουλευσαμένων: *decernentibus, vt bellum decerneretur ducum certamine.*

Decernere ferro. 6. DECERNERE FERRO.] Ab Enn. qui 2.Ann.

D *Annuit,sese mecum decernere ferro.*

Ita extrema Æneide,

Pro vobis fœdus luere,& decernere ferro.

Et post pauca;

Inter se coiisse viros,& cernere ferro.

Quem locum adi,vt hunc illustres.

Vmbra, de nobilibus. 7. MAGNVM REGINÆ NOMEN OBVMBRAT.] Cùm dicat Seru. translationem sumi ab arboribus, *quia nomen nobilium tanquam vmbra est aliis*, præit mihi, vt putem Sen.à Virg.lineas suas duxisse,cùm lib.3. Ben.c.32.scripsit: *vtrùm Octauius maius vllum beneficium*

dedit filio, an patri Diuus Augustus, quamuis illum umbra A *adoptiui patris absconditi?* vbi ſententia eſt, Octauiũ naturalẽ patrẽ Auguſti latuiſſe magnitudine Iulij adoptantis Auguſtum, vt arbor minor latere ſub magna ſolet. Tum etiam Lucanum; cùm de Pompeio ait *ſtat Magni nominis vmbra*. Vt ſententia ſit, Pompeiũ aliis fuiſſe veluti vmbram; & eo magis Lucanus à Virgilio, nam quæ ſequuntur de quercu, quæ

——ſublimis in agro
Exuuias veteres populi, ſacrataque geſtans
Dona ducum.——

videntur ſapere ſequentem Virgilij verſum,

Multa virûm meritis ſuſtentat fama trophæis.

Itaque Amata pro vmbra eſt Turno, vt Pompeius ſuis ciuibus: & Turnus glorioſus eſt ſuis trophæis, vt quercus ſuis.

[a] Hos inter motus medio flagrante tumultu,
Ecce ſuper mœſti magni Diomedis ab vrbe
Legati reſponſa ferunt. nihil omnibus actum
Tantorum impenſis operum: nil dona, nec aurum,
Nec magnas valuiſſe preces. alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Troiano ab Rege petendum.
[b] Deficit ingenti luctu Rex ipſe Latinus.
Fatalem Ænean manifeſto Numine ferri
Admonet ira Deûm, tumulíque ante ora recentes.
[c] Ergo concilium magnum, primóſque ſuorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli conuenêre, fluúntque ad Regia plenis
Tecta viis: ſedet in mediis Rex maximus æuo,
Et primus ſceptris, haud læta fronte, Latinus.
[d] Atque hîc Legatos Ætola ex vrbe remiſſos,
Quæ referant, fari iubet: & reſponſa repoſcit
Ordine cuncta ſuo tunc facta ſilentia linguis,
Et Venulus dicto parens, ita farier infit.

ARGVMENTVM.

Redeunt Legati ab Diomede ſpe fruſtrati. Mœret Latinus, concilium cogit, conueniunt proceres, fit conſeſſus, iubetur Venulus princeps legationis referre omnia, ille ſe narrationi accingit.

EXPLICATIO.

[a] TVRBATA omnia erant in ciuitate Latini, accedit noua cauſa turbationis. Nam Legati, qui miſſi Arpos vrbem Apuliæ ad Diomedem, redeunt mœſtiſſimi, quia *nihil actum impenſis omnibus tantorum operum*. Videlicet non donis, non auro, non magnis precibus. Hæc ſunt impenſa illa. Quin afferunt ab Diomede, vt quærerent Latini aliunde opem, aut pacem ab Ænea peterent.

[b] Indicat λειποψυχίαν Latini, nam quid aliud C eſt *luctu deficit?* ideo verò in hoc deliquio, vt ad quem magna pars cladis deuoluebatur. Nam in rerum aduerſitatibus, Regibus imprimis periculum imminet. Præterea ſe Rex ipſe pungit noua conſideratione. Nam ex multitudine cæſorum, quorum tumuli erant ante ora, coniicit Deorum iram, qui manifeſtis indiciis Ænean vocabant, velut deſtinatum iam fato ad ampliſſimum Imperium.

[c] Ergo in tanta rerum perplexitate concilium cogit, & acciri ſuos iubet. Conueniunt illi ad Regiam, & plenæ ſunt commeantium hinc inde ad palatium viæ. Sedet Latinus in mediis, vt qui *Rex*, vt qui *æuo maximus*, vt qui *primus ſceptris*, id eſt, B inter ſceptriferos. Sed inter tot præclara, tamen *haud læta fronte*. nam cura mali altiùs inſederat. Erat in eo conſeſſu Turnus. Sed hoc κατὰ τὸ σιωπώμενον, nam in ſuperiore libro ſubſtractus pugnæ Ardeam iuerat.

[d] Cùm ſediſſent omnes, iuſſit Rex Legatos cuncta ordine narrare. Tacent omnes ad imperium Regis, & Venulus princeps eius legationis paret ac loquitur.

NOTÆ.

1. HOS INTER MOTVS, &c.] Neſcio an expenderis magnam Poëtæ huius conſecutionem in loquendo. Ideo *inter motus*, quia *tumultu flagrante*. vt dicat: *tumultu flagrante inter hos motus*, conſequenter, vt dixi, quia, ſumpta metaphora ab igne, conſequens eſt, vt addat motus; flamma quippe creſcit, ſi C moueatur. Inde vetus illud, *Fax agitando ardeſcit*, & Ouid. 1. Amor. Eleg. 2. — Vi[illegible] cō-cinnitas.

Vidi ego iactatas mota face creſcere flammas,
Et rurſus nullo concutiente mori.

Et Portius Latro apud Sen. controuerſ. 10. *Non vides, vti immota fax torpeat, & exagitata reddat ignes?* à quo verſus ſuos Naſo. Vide ibi Senecam. Sed huius rei, flammæ ſcilicet creſcentis ad motum, teſtimonia aliquot inuenies lib. 10. ad illud,

Ac velut optato ventis æſtate coortis.

Ergo Poëta ex hac rei natura dixit *tumultum flagrare inter motus*. Hanc virtutem deſidero in Hom. nam ſæpiſſimè loquitur non conſequẽter. Aduoco exemplum ex Iliade vigeſimaprima, vbi cùm vult percutere Aſteropæum Achilles, huius haſtam vocat — Homeri vitium.

ἰθυπτίωνα,

ἰθυπτίωνα, *recta volantem.* & tamen ibi non recta volat via, nam καί τε τοῦ μὲν ἀφάμαρτεν, *ab eo quidem aberrauit.* Hæc non satis consequenter dicuntur. Quis non rideret, si tu Lector loquereris ita? *Misi hastam recta via volantem, quæ aberrauit ab scopo.* Hæc in Hom. vitia tot penè, quot lineæ.

Tumultus de aulis Principum.

2. TVMVLTV.] De Regiis Principum *tumultum* dixit Sidonius epistola quinta libri quinti: *Neque adhuc Principum, aulicorúmque tumultuosis foribus obuersor.*

Imitatio.

3. NIHIL OMNIBVS ACTVM, &c.] Putat Hieron. Columna, Virgilium allusisse ad locum lib. 5. Annalium Ennij, vbi Pyrrhus misit oratorem Cyneam eloquentissimum ad Romanos, qui muneribus, ac blanditiis eos ad pacem adduceret, qui tamen rediit re infecta. Verba Ennij, *Orator sine pace redit.*

4. NIL DONA, NEC AVRVM, &c.] De huius machinæ potentia fusè lib. 5. Hinc Diomedis virtus, qui tanto machinamento deiectus non fuerit.

Animus quibus expugnetur.

5. NEC MAGNAS VALVISSE PRECES.] Animus, vt plurimùm, expugnari solet & minis, & precibus. Hic habes preces, in 8. minas, quibus actum cum Diomede, illis versibus.

Quid struat his cœptis, quem si fortuna sequatur
Euentum pugnæ cupiat, manifestiùs ipsi,
Quàm Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

Quo tamen in loco preces omisit, quas hîc adhiber, vt ex duobus locis longè distantibus tu sententiam vnam coniungas. Cuius moris Maroniani iam te admonui Ecloga 6. ad illud, *Hinc lapides Pyrrhæ iactos.*

Petendum pacem.

6. PACEM TROIANO AB REGE PETENDVM.] Sermo merè Græcus. Est enim *petendum pacem,* αἰτεῖν εἰρήνην. Sic Lucret lib. 1.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Id est, φοβητέον τὰς ποινάς. Varro de Re Rust. *Iuuras substernendum palea.* στρωτέον ἀχύροις. Liu. lib. 42. *Nec prætermittendum spem vllam.* Tertullianus de Pallio capite tertio: *Multa dicendum fuit.* πολλὰ εἰρητέον. Scio Julium Scaligerum legere libro quarto Poët. cap. 47. *pacem petendam.* Sed cur mutat lectionem hærentem infinitis seculis, doctorúmque iudicio, & Græcorum locutione confirmatam? Demosth. contra Aristoc. ποιητέον τοὺς λόγους, *faciendum sermones.*

Deliquium. Regum maior dolor in communi malo.

7. DEFICIT INGENTI LVCTV.] Mœrebant alij, vt vidisti superiore tractu, vnus Rex *deficit,* quo verbo dixi indicari λειποψυχίαν, id est, *deliquium.* Ita verè est. Dolent alij, sed Regis maior dolor in communi malo, vt qui omnium caput. Apto huic loco verba Ioannis Chrysostomi homilia decima de Pœnit. σώματος γὰρ καὶ μελῶν δίκην ἀλλήλοις ἐσμὲν συνδεδεμένοι. ἐπὶ δὲ τοῦ σώματος κἂν ὁ πους δέξηται τραῦμα, τὴν κεφαλὴν ἐπικύπτουσαν ὁρῶμεν. καίτοι τί ταύτης σεμνότερον; ἀλλ' οὐχ ὁρᾷ τὴν ἀξίαν ἐν τῷ καιρῷ τῆς συμφορᾶς: *Corporis enim & membrorum exemplo compacti sumus. In corpore autem tametsi pes vulnus accipiat, humi caput incli-*

A *nari videmus; & quid eo venerabilius? sed tamen dignitatem suam non vidit calamitatis tempore.* Sic planè Reges.

8. PRIMOSQVE SVORVM.] Claudianus Bell. Get.

——primósque suorum
Consultare iubet, bellísque annísque verendos.

Consilia necessaria in bello.

Nunquam verò magis necessaria consilia & concilia, quàm in bello. Inde à Pind. Od. 12. Olympic. vtrumque coniungitur. Nam loquens cum fortuna ait: A te gubernantur & ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι, κἀγοραὶ βουλαφόροι, *& in terra rapida bella, & conciones consilij altrices.* Sed nefas est præterire imitationem. Sumpta hæc ab 2. Iliad.

Imitatio.

B

Αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσε
Κηρύσσειν ἀγορὴν δὲ κάρη κομόωντας Ἀχαιούς:
Sed ille præconibus vocalibus iussit
Præconio accire ad concionem comatos Achiuos.

Et, vt in Virg. sequitur, *olli conuenêre,* ita statim Hom. τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.

9. ALTA INTRA LIMINA.] Quæstionem Seruij hoc loco, & solutionem omitto, vt futilem ad Virgilium.

10. COGIT.] Xenophon libro primo ἑλλ. ἐκκλησίαν ποιήσας.

Fluo, ab aquis ad homines.

11. FLVVNT.] Ab aquis ad homines. Sic Homerus libro secundo Iliados in re simili, ἐπεχέοντο. & Calaber lib. 6. ἐς ἀγορὴν ἐχέοντο. *fluebant ad concionem.* Hom. pari metaphora ῥέοντο. Sed de hoc iam libro secundo Georg. vbi *vnda* de hominibus. Ne abeat, aliquos hîc legere *ruunt.*

C

Duces omnes in consiliis cum sceptro.

12. PRIMVS SCEPTRIS.] Seru. explicat *inter sceptriferos.* & addit rationem, quia *apud veteres omnes duces cum sceptris ingrediebantur Curiam.* Alij explicant *sceptris* causaliter, id est, propter sceptra. Ego puto, posse etiam capi cum respectu ad Turnum, qui ibi cum sceptro, nam 8. Æneid. æqualiter Rex dicitur cum Latino, eo versu,

Quàm Turno Regi, aut Regi apparere Latino.

Quin Virg. totus contendit ad locum Hom. 2. Iliad. indicatum iam, ibi autem, κρείων Ἀγαμέμνων ἔστη σκῆπτρον ἔχων.

Imitatio.

13. RESPONSA REPOSCIT.] Aliquis sapor iudicio Vrsini ad illud 9. Iliad.

Πρῶτος δ' ἐξερέεινεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων:
Primus autem interrogauit Rex virorum Agamemnon.

14. ORDINE.] Aduerbium Homericum ad hanc

D

rem, ἐπισχερώ.

Infit.

Fari infit.

15. FARIER INFIT.] Expedit hoc Germanus. Nam *infit* est vel incipit, ita enim Festus explicat. Quo sensu Plaut. Aulul. *infit ibi postulare.* & Lucretius lib. 3. *quicunque adoritur, & infit.* Vel est *infit,* idem quod inquit, vt dicat, *inquit fari,* pro, fatur. idque Hellenicè, nam Xenoph. simili pleonasmo in Oecon. φάναι ἔφη. & Hom. βάσκ' ἴθι. & βῆ ἴμεν, βῆ ἴμεναι, βῆ ἰέναι. Adiunge & Latinis hoc in vsu. Sic, *vadit vadere, & ire, pergit pergere.* De quo pleonasmo iam aliàs.

[a] Vidimus ô ciues Diomedem, Argiuáque castra,
Atque iter emensi casus superauimus omnes,
Contigimúsque manum, qua concidit Ilia tellus.
[b] Ille vrbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis agris.
[c] Postquam introgressi, & coràm data copia fandi,
Munera præferimus, nomen, patriámque docemus,

Qui

Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore.

ARGVMENTVM.

Ait Venulus iuisse ad Diomedem condentem tunc vrbem, præstitisse munera, & mandata legationis exposuisse.

EXPLICATIO.

ᵃ ACCIPIENDA hæc per ὕστερον πρότερον, quod genus narrationis familiare est Poëtis. Itaque, prius erat, *emensi iter superauimus omnes casus* viarum ac difficultates, & deinde, *vidimus Diomedem*, &c. Sed inuertit, vt dixi, more poëtico; adde, & Rhetorico, vt Seruius notat. Nam Rhetores quoque ita sæpissimè. Expende tertium versum. Nam quale est audire, apprehensam manum illam, quæ Troiam euertit? qua re quid maius?

B ᵇ Adhibet circumstantiam aliam, videlicet studium condendæ vrbis, quo occupatum Diomedem inuenerit. Ait Strabo libro sexto, & Seruius etiam, Diomedem condidisse vrbem, quam vocauit *Argos hippion* à patria, quia videlicet ἀπὸ τοῦ Ἄργους ἱπποβότου, id est, *ab Argo nutriente equos*, ille traxit Argos hippion, id est, Argos equestre. Sed addit Strabo, corruptione declinasse hanc vocem in Argyripam, & postea adhuc maiore corruptione in Arpos. Itaque Argos hippion, Argyripa, Arpi, vrbs est eadem, tantùm diuersa nomina. Hanc igitur condebat Diomedes. Videndus etiam Appianus in Annibale, vbi etiam ait vrbem Arpos conditam ab Diomede. Polybius libro tertio vocat Ἀργυριππαν. Sed vbi? in Apulia iuxta montem Garganum. Apulia quippe, Iapygia etiam dicitur ab flante inde vento Iapyge, id est, Cauro. Inde & Garganus mons Apuliæ, Iapix dicitur, & Iapygius noto attributo.

C ᶜ Ab notitia locorum transit ad alias circumstantias, & omnes ordine debito. Ingressi ad eum sumus, postquam data est copia: præferimus munera, vt flectemus; docemus nomen nostrum, & patriam, atque etiam eos, qui nobis bellum intulerint; si ita vir tantus; & prò nouis hospitibus, & contra antiquos hostes excitaretur: & hanc esse vnicam profectionis nostræ causam. Nos ille vt audiuit, hæc reddidit, & *ore placido*: vt ita intelligas habitum futuræ orationis ad pacem spectantis.

NOTÆ.

1. VIDIMVS.] Non capio simpliciter, sed explico, *obseruauimus, & diligenter omnia considerauimus*. Nam *videre* antiquis fuit seruare & obseruare. Sic ὀπτῶλαι apud Aristotelem sunt, qui *seruant retia*, vt locutus est Virgilius, & ὀπτῶλαι sunt *vinearum custodes*, & veluti speculatores. Omnia ab ὄπτομαι, *video*. — Video, pro obseruo.

2. DIOMEDEM.] Ita vulgati codices. Sed Macrobius capite decimoseptimo libri quinti agnoscit *Diomede*; forma Græca Διομήδη. Sicut etiam Seruius Petr. Daniel. tum etiam doctissimus Iulius Scaliger capite trigesimosexto libri quarti Poëtices. Sic *Androgeo* forma Græca, pro, Androgei. Sic *Dido* in quarto casu: sic *duo*, pro, duos, nam Græci δύο. — Lectio Virgiliana.

3. ITER EMENSI.] Ab Græcis, qui ἀναμετρεῖν ὁδόν. Ita septimo Æneidos; *Iámque iter emensi*. & Statius libro secundo Thebaidos; *emensus iter*. & libro tertio, *remensus iter*. vt de terra, etiam de aqua. Nam libro tertio Æneidos, *permensi nauibus æquor*. quod Græci itidem, nam Nonnus lib. 25. διαμέτρεεν Ἰνδὸν ὑδάσπην, *demensus Indum Hydaspem*. — Metiri iter.

4. CONTIGIMVSQVE MANVM.] In notam amicitiæ. Liu. dixit lib. 3ᵛ. *Contactu societate*. Sed huius rei testimonia in 8. & alibi: pertinent enim hæc ad supplices. — Manum cōtingere nota amicitiæ.

5. MANVM, QVA CONCIDIT ILIA TELLVS.] Affectus hic in Hom. est vlt. Iliad. vbi Priamus, cùm accedit ad Achillem, — Imitatio.

——κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας:
——osculatus est manus
Graues, homicidas, quæ sibi multos interfecerant filios.

6. ILIA TELLVS.] Pro Ilio Troiæ, aut pro ipsa Troia. Ita Horat. *Assaraci tellus*, id est, Troia. & Propert. Eleg. 1. lib. 4. — Ilia tellus.

Vertite equum Danaï, malè vincitis, Ilia tellus
Viuet, & huic cineri Iuppiter arma dabit.

7. GARGANI IAPYGIS.] Omnino, quod Lucan. — Garganus.

Appulus Adriacas exit Garganus ad vndas.

Τὸ *condebat*, vt Ouid. etiam de Diomede lib. 14. Metamorph.

—ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliáque arua tenebat.

Et Strabo libro sexto hanc vrbem vocat κτίσμα Diomedis.

8. MVNERA PRÆFERIMVS.] Mos gentium, vt Legati semper cum muneribus. Liuius libro trigesimo loquens de Masinissa: *Munera, quæ Legati ferrent Regi, decreuerunt*. Iulius libro primo Gall. *Cæsar initio orationis, sua Senatúsque in eum, Ariouistum, beneficia commemorauit, quòd Rex appellatus esset à Senatu, quòd amicus, quòd munera amplissimè missa*. Tacitus de Ptolemæo lib. 14. *Qui Scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera darent.* — Legati semper cum muneribus.

ᵃ O fortunatæ gentes, Saturnia Regna,
Antiqui Ausonij, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadétque ignota lacessere bella?
ᵇ Quicunque Iliacos ferro violauimus agros

(Mitto

(Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simoïs premit ille viros) infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes.
[c] Vel Priamo miseranda manus. scit triste Mineruæ
Sydus, & Euboïcæ cautes, vltórque Caphareus.
[d] Militia ex illa diuersum ad littus adacti,
Atrides Protei Menelaus ad vsque columnas
Exulat, Ætnæos vidit Cyclopas Vlysses.
[e] Regna Neoptolemi referam, versósque penates
Idomenei? Libycóve habitantes littore Locros?
[f] Ipse Mycenæus magnorum ductor Achiuûm
Coniugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit: deuicta Asia subsedit adulter,
[g] Inuidisse Deos, patriis vt redditus oris,
Coniugium optatum, & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
[h] Et socij amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibúsque vagantur aues (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lacrymosis vocibus implent.
[i] Hæc adeò ex illo mihi iam speranda fuerunt
Tempore, cùm ferro cœlestia corpora demens
Appetij, & Veneris violaui vulnere dextram.
[k] Ne verò, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris vllum post eruta bellum
Pergama: nec veterum memini, lætórve malorum.

ARGVMENTVM.

Oratio Diomedis dehortatoria à bello cum Troianis, caussam efficit exemplo calamitatum, quas passi Græci in bello, & post illud: commemorat naufragium commune Græcorum tum priuatas calamitates Menelaï, Vlyssis, Neoptolemi, Idomenei, Locrorum, Agamemnonis, & demum suas, & sociorum suorum.

EXPLICATIO.

[a] EXORDIVM orationis ductum à pace, qua semper Italia floruit. Commodè, nam hanc vult persuadere. *O antiqui Ausonij fortunata gentes*, quia *Saturnia Regna*, nam vt habetur lib. 8.

Aureaque vt perhibent illo sub Rege fuerunt
Sæcula, sic placida populos in pace regebat.

Cùm ergo sẽper pace floruerітis, vt qui verè Saturnij, *quæ fortuna quietos vos sollicitat*: præsertim cùm bella ista ignota sint vobis: id est, cùm ignotus hic hostis: & maior vestra culpa, quòd velitis *lacessere*.

[b] Vult narrare calamitates, quas passi Græci, qui Troiam euerterunt, & incipit ab his, quas experti ipso decennali bello, imò has omittit, vt infinitas. Opes enim omnes bello illo exhaustæ, & multi pro sepulcro habuerunt aquas Simoëntis. Hæc itaque omittit, & transit ad supplicia, quæ passi postea; & ad pœnas, quæ expensæ. Expende tria

A verba. *Violauimus*, quasi sacrilegium fuerit Troianos inuadere. *Supplicia infanda*, vt quæ non facilè quisquam possit fari præ multitudine. *Pœnas scelerum*, quasi scelerati Græci fuerint, quo nihil dici maius potuit à Græco homine.

[c] Indicium magnæ cladis, cùm vel hostis ipse miseretur. Dilabitur iam ad explicanda mala, quæ passi Græci post excidium, & incipit à tempestate, qua afflictati, cùm redirent à bello, ad insulam Euboëam, vbi est Caphareus promontorium. Mirè dictum, *sciunt cautes, scit Caphareus*.

[d] Ab communi clade pergit ad singulares. Aitque diuulsum fuisse, & laceratum exercitum; quo nocumento nullum maius. Etenim tunc gloriosa est victoria, cùm, deuictis hostibus, exercitus integer redit in propria lætabundus. Non sic Græ-
B cis contigit. Omnes enim, alius aliò, à se diuulsi. Incipit à Menelao, qui exul dilapsus ad Ægyptum est, vbi fuerat Rex Proteus, & vbi huius columnæ; & ab Vlysse, qui ad Siciliam auectus, vbi immanissimi Cyclopes in Ætna monte.

[e] Breuiter commemoro tres historias, quas hîc attingit. Pyrrhus Achillis filius, alio nomine Neoptolemus, voluit ducere Hermionem desponsatam Oresti, inde ab hoc ille interfectus ad aras Apollinis. Idomeneus, qui ad Cretam appulerat, expulsus inde est ob crudelitatem. Hanc partem historiæ pete ab interpretibus, & ego etiam de illa libro tertio Æneidos. Locri socij fuerunt Aiacis, & pars illorum à bello Troiano delata est extorris ad Pentapolim Africæ. Ergo, quid referam horum trium euersa Regna?

f Neque verò Agamemnon, tanti exercitus dux, incolumis fuit à clade, imò ipse acerbissimam expertus: quippe, cùm in patriam lætus, confecto bello, rediret, in ipso statim Regio limine occisus est à Clytæmnestra, & Ægystho, qui, quamdiu Agamemnon à bello abfuerat, stupri & adulterij consuetudine vixerant. Itaque viro principi, qui Asiam deuicerat, non defuit domi adulter, qui esset & eius lecti & vitæ subsessor, id est, qui eius lectum violaret, & eius vitæ insidias poneret. Expendit Macrobius libro quarto, capite quarto hos versus, & varia in illis πάθη. A patria, *Mycenæus*. A fortuna, *magnorum ductor Achiuûm*. A necessitudine, *coniugis infandæ*. A loco, *prima intra limina*. Miri omnes affectus. Itaque, neque patria, neque fortuna, neque necessitudo, neque locus tutum reddiderunt.

g Ab tot aliorum cladibus iam ad suas tandem Diomedes. Subaudi verbum. *Quid referam, inuidisse Deos*, &c. Historia hæc est. Schenelus, (alij, filius Scheneli) Ægialam Diomedis vxorem stupro cognouit, quamdiu ille in bello Troiano fuit, quod resciscens, redire in patriam noluit, sed migrauit ad Apuliam Italiæ. Aiunt verò stuprum illud astu Veneris machinatum in vindictam accepti vulneris in Troiano bello. Hinc est, vt dicat Deos inuidisse, ne rediret in patriam, & vrbem suam, & ad coniugium.

h Percenset deinde clades sociorum suorum, qui versi in aues iracundia Veneris, quæ aues *Diomedeæ* dicuntur. Vide hîc Seruium, & interpretes. Ac tu expende altam Maronis Musam in re tristi, & tragica. Nam quale est audire, amissos fuisse socios, dira meorum supplicia, impleri scopulos lacrymosis vocibus? & *vocibus* ait, quia homines fuerant.

i Conijcit malorum suorum culpam in vnam suam temeritatem, qua in bello Troiano pugnauit contra Deos, & vnius Veneris dextram vulnerauit, imò *violauit vulnere*, quippe rem sanctam. Ex quo tempore (inquit) augurabar iam hoc fore.

k Hinc est, vt nolit cogi ad diras pugnas, & inauspicatas. Satis sit (inquit) eruta sint Pergama, & deleta ab imis fundamentis vrbs florentissima. Iam, post id bellum, cetera bella cum Troianis abnuo: à quibus bellis ita abhorreo, vt nec læter euersam Troiam, nec velim meminisse victoriæ, quæ tanti constitit.

NOTÆ.

Sollicito, pro, turbo.

1. SOLLICITAT.] Notæ Passeratij aduertentis ab Liuio dici, *pacem sollicitare*, pro, turbare, adiunge locum hunc Virg. vt sit *sollicitat quietos*, turbat pacificos.

Imitatio.

2. QVICVNQVE ILIACOS, &c.] Locus planè Hom. Odyss. 3.

Ἄλλοι μὲν γὰρ πάντες, ὅσοι Τρωσὶν πολέμιζον,
Ἰλάθομεθ' ἤχι ἕκαστος ἀπώλετο λυγρῷ ὀλέθρῳ·
Alios quidem omnes, qui aduersum Troianos pugnauimus
Audiuimus singulos periisse exitiali fato.

Violo in re sacra, & Lædo.

3. FERRO VIOLAVIMVS AGROS.] Quasi agri Troiani sacri fuerint. Duplex verbum in Virg. eiusdem potestatis est, *violo*, & *lædo*, vtrumque in re sacra. Ita 2. Æneidos de Troiano equo, *violasset dona Mineruæ*. & postea, *sacrum qui cuspide robur læserit*, quasi *lædo*, & *violo* eandem vim habeant in re sacra. Ex hac obseruatione credo Tibullum iunxisse Elegia nona lib. 1.

Quid mihi si fueras miseros læsurus amores,
Fœdera per Diuos clàm violanda dabas?

Ille, emphaticè.

4. SIMOIS ILLE.] Laudo Seruium, qui: *ille mirè exsecratur*. Itaque, specie exsecrationis dixit *ille*, reuocans Diomedes in memoriam Græcorum plurimos ibi sepultos. Cui obseruationi cognatissima sunt, quæ ego tertio Æneid. ad illud, *classémque sub ipsa Antandro*. vbi *ipsa Antandro*, dictum ἐμφατικῶς. Adi locum.

Imitatio.

5. MITTO EA, QVÆ MVRIS, &c.] Ex Odyss. 3.

Ἠδ' ὅσα καὶ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο ἄνακτος
Μαρνάμεθ', ἔνθα δ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι·
Et quæ ad magnum murum Regis Priami
Pugnauimus, vbi periêre, qui erant Principes.

Et *aliis muris* dicit, nam sæpe Homer. Ἴλιον αἰπὺν, αἰπεινὴν, ἠνεμόεσσαν.

6. SCELERVM POENAS.] Signatissima vóx ad augendum maleficium, & quam satis illustrabis lecta oratione pro Ligatio, vbi ab hac voce vide quantùm abhorreat Tull.

Hostisque etiam misereri.

7. VEL PRIAMO MISERANDA MANVS.] Tale illud 2.

——*quis talia fando*
Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Vlyssei
Temperet à lacrymis? ——

Nam Troiana mala eius generis fuêre, vt hostes etiam ploraturi essent. Eodem libro Anchises pari emphasi, *miserebitur hostis*. Ita & Pacuuius in Duloreste,

Si Priamus adesset, & ipse eius commiseresceret.

Cui loco institisse creditur Virgilius. Ennius quinto Annal.

Cogebant hostes lacrymantes, vt misererent.

Ouid. 6. Metam. de Niobe,

——*at nunc miseranda vel hosti*
Corporibus gelidis incumbit.——

Et lib. 4. ab Nostro,

Græcia tunc potuit Priamo quoque flenda videri.

De Tarquinio ait Dionys. tolerasse senectutem vel inimicis miserabilem. Claud. de Bello Gild. *ipsa meos horreret Parthia casus*. Sidon. epist. 7. lib. 1. *vsque ad inimicorum dolorem deuenustatus*. Hoc sensu dixit Ioseph. lib. 7. Bell. Iud. c. 16. superbissimos homines eò calamitatum redactos, vt eorum mutatio esset etiam ἐλεεινή. Sen. in Agam.

——*cladibus nostris daret*
Vel Troia lacrymas.

Soph. in Aiace,

ὦ δύσμορ' Αἴας, οἷος ὢν, οἵως ἔχεις,
ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.
O infelix Aiax, qui vir, quo te habes pacto?
Vt apud hostes dignus es lacrymas assequi.

8. MINERVÆ SYDVS.] Quod hoc sydus? Seru. *arietem* capit, qui in potestate Mineruæ, vt ita verna procella naues Græcorum conuulsæ accipiantur: & manubiæ Mineruales (inquit Seru.) id est fulmina, tempestates grauissimas commouent. Solinus c. 19. ad finem ita explicat hoc sydus loquens de Caphareo: *Ibi post Ilij excidium Argiuam classem vel Mineruæ ira; vel, quod certior prodit memoria, sydus Arcturi, grauibus affecit casibus*. Turnebo tamen & Germano visum, nihil esse aliud *sydus Mineruæ*, quàm Mineruam ipsam. Nam verè hæc Dea tempestatem illam excitauit. In hoc possis inclinare, nam Poëtæ omnes, & alij eam tempestatem huic Deæ attribuunt in vltio

vltionem violatæ Caſſandræ in templo huius Deæ ab Aiace Oïlei filio. Horat.10.Epod.

Quietiore nec feratur æquore,
Quàm Graia victorum manus:
Cùm Pallas vsto vertit iram ab Ilio,
In impiam Aiacis ratem.

Et de hoc malo loquens Hom.Odyſſ.3. μῆνιος (inquit) ἐξ ὀλοῆς γλαυκώπιδος. Virg. etiam ipſe 1. Æn. *Pallaſne exurere claſſem*, &c. Sed ego tamen in aliud poſſum inclinare. Pater Palamedis in vltionem interfecti filij facem Græcis oſtendit è rupe, qua face decepti Græci in ſaxa impegêre. Hanc facem *ſydus* vocat Poëta, vt ante illum Eurip. in Helena. Profero locum, nam eo innitor. Ergo de Nauplio patre Palamedis.

Sydus Minervæ, de face Palamedis.

———πέτραις
Καφηρέαις ἐμβαλὼν,
Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς,
δόλιον ἀστέρα λάμψας:
———*in petras*
Caphareas (Græcos) *immiſit,*
Ægaiſque marinis littoribus,
Accendens doloſam ſtellam.

Seneca in Agamem. *facem* maluit vocare, conuertens verſus Euripid.

———*hanc arcem occupat*
Palamedis ille genitor, & clarum manu
Lumen nefanda, vertice è ſummo efferens
In ſaxa ducit perfida claſſem face.

Obiicies. Eſto, fax illa dicatur ſtella ab Eurip. ſed cur Poëta adducit *Mineruæ*? Hoc non eſt difficile. Nam cur non poëtico iure fabulæ coniungantur, & etiam confundantur? Credi poteſt Nauplius feciſſe hoc Mineruæ impulſu, & inde vterque vltus eſt ſuas iniurias, Nauplius perempti filij, Minerua templi violati. Præſertim cùm Calab. lib. extremo in hanc miſeram Tragœdiam ſimul inducat & Nauplium, & Mineruam. De illo, χειρὶ πεύκην αἰθομένην ἀνάειρε. de illa, μέγ' ἐγήθεεν. Vbi vides Deam lætabundam ad ſublatam ardentem ab illo facem. Ceterùm, ſi te delectat ſimilitudo hiſtoriarum, tale quidpiam Plut. in vita Luculli. Λέγεται γὰρ Ἀρτέμιδος χόλῳ Πριαπίνης ὁ χειμὼν ἐμπεσεῖν τοῖς Ποντικοῖς συλήσασιν αὐτῆς τὸ ἱερὸν, καὶ τὸ ξόανον ἀνασπάσασι: *Ferunt tempeſtatem illam immiſſam Ponticis ira Dianæ Priapinæ, quòd fanum eius ſpoliaviſſent, & ſignum loco mouiſſent.*

Hiſtoriæ ſimilitudo.

9. Evboicæ cavtes.] Eurip. in Helen. de hac ipſa tempeſtate, ἀμφὶ ῥοθίαν Εὐβοίαν. &, Ναυπλίου Εὐβοϊκὰ πυρπολήματα: *faces Nauplij Euboïcæ.* Ouid. 1. Triſt. Eleg. 1.

Euboïcæ cautes.

Quicunque Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboïcis vela retorquet aquis.

Cal. lib. 14. πέτρῃσι περὶ τρηχεῖσι δάμησαν: *attriti ſunt ad cautes rigidas.* Iterum. ἀργαλέῃσι περὶ τρηχείαις πέτραις: *triſtificis cautibus illiſi.* Hi ſcopuli ita deſcribuntur à Philoſtrato lib. 2. Icon. αἱ τὸ πέλαγος ἀνεσχηκυῖαι πέτραι, καὶ ἡ ζέουσα περὶ αὐτὰς θάλαττα: *Petra exſtantes è pelago, ac circa ipſas feruens mare.* & poſtea κοιλάδες dicuntur, quia cauernoſæ. Inde ſub illis mare feruidum. Omnino, quod Seneca Agamemn. de illis, *æſtuat ſcopulis fretum.*

10. Vltor qve Capharevs.] Eurip. in Hel. de hac tempeſtate, πέτραις Καφηρέαις. Sen. Agam. *fallax Caphareus.* Baſſus lib. 1. Epigram.

Caphareus.

Οὐλόμεναι νῆσοι καφαρεῖδες, αἱ πονηρὲς
... Ἑλλάδος ἐν ὕπνω, καὶ στόλον Ἑλλάδος.

Pacuuius in Dulor. apud Priſcian. in voce *pleros* ait: *Pater Achæos in Capharëis ſaxis pleros perdidit.* Prop. Eleg. 7. lib. 3.

Saxa triumphales fregêre Capharea puppes.
Naufraga cùm vaſto Græcia tracta ſalo eſt.

Baſſum explicat Propertius. Vt verò Poëta *vltor*, ita idem Prop. Eleg. 1. lib. 4.

Nauplius vltores ſub noctem porrigit ignes,
Et natat exuuiis Græcia preſſa ſuis.

Vide etiam, vti Virgilij locum expendat Pet. Vict. lib. 31. cap. 12.

11. Militia ex illa, &c.] Cal. in exitu lib. vlt. loquens de Græcis, & poſt hanc tempeſtatem, Imitatio.

Ἄλλη δ' ἄλλος ἵκανεν, ὅπη θεὸς ἦγεν ἕκαστον:
Alius aliò deuenit, quò Deus ducebat quemque.

Et de hac ipſa re Sen. ad Helu. cap. 7. *Quid* (enumerem) *Diomedem, alióſque, quos Troianum bellum victos ſimul victoréſque per alienas terras diſſipauit?* Dio Chryſoſt. Orat. 11. ait, Græcos poſt hanc militiam deueniſſe in omnem δυστυχίαν, καὶ ταπεινότητα, *infelicitatem, & miſeriam.* Eurip. in Helen. χειμὼν ἄλλοσ' ἄλλον ὥρισεν: *tempeſtas alium aliò applicuit.*

Locorum ſimilitudo.

12. Atrides Protei Menelavs.] Solertiſſimè fabulam inuertit. Nam Menelaus viuus raptus eſt ad ſedes beatorum, vt perpetuum æuum in quiete ageret, tamen exilium nuncupat diſſimulato nomine felicitatis. Etenim Odyſſ. 4. Proteus ipſi Menelao ita vaticinatur,

Menelaj fabula.

———σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσι:———
———*te in Elyſium campum, ac terrarum vltima*
Dij tranſmittent.———

Ariſtoteles in Peplo, ſi illius eſt opus illud,

Ὄλβιος ὦ Μενέλαε, σὺ τ' ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
Ἐν μακάρων νήσοις γαμβρὲ Διὸς μεγάλου:
O felix Menelae tu immortalis, & ſenij expers
In beatorum (es) *inſulis, magni gener Iouis.*

Inde Auſon. in Epitaphio huius Principis,

Felix ô Menelae, Deûm cui debita ſedes,
Decretúmque piis Manibus Elyſium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti,
Coniugij vindex, vltor adulterij.
Æterno pollens æuo, æternáque iuuenta,
Nec lethi paſſus tempora, nec ſenij.

Dici tamen poteſt, non inuerſam fabulam, ſi Euripidem ſequamur in Hel. vbi ait, appuliſſe Menelaum exulem in Ægyptum, vnde rapta vxore fugit, poſt quod exilium ſecutæ beatorum illæ ſedes.

13. Colvmnas.] Ad fines Ægypti perueniſſe intelligit, vbi Rex fuit Proteus. Has columnas Turneb. accipit, quæ in confiniis regionum erigebantur, vt terras dirimerent, quæque ab Polluce στῆλαι ὅριαι dicuntur. Firmátque hiſtoria Peloponneſium & Ionum, à quibus in controuerſia columna erecta eſt, quæ litem diſcerneret. Vide Strab. lib. 3. Quæ hîc Seru. de Hercule non placent.

Columnæ ad confinia.

14. Ætnæos vidit Cyclopas,] Laudat Seruius affectum τοῦ *vidit*, ſimilem illi,

Video, cum affectu.

Quàm ſimul informem vaſto vidiſſe ſub antro
Scyllam.———

15. Vlysses.] De etymo Vlyſſis audiendus Hom. interpres. λέγεται παρὰ τὸ ὁδὸς καὶ τὸ ὕω, ὅτι ἐν τῇ ὁδῷ ἐγεννήθη: *dictus eſt à via, & pluo, quòd in via genitus.* Nimirum Anticlea eius mater (reliquis Græcis parco) cùm incederet grauida per Neritum montem Ithacæ, ac tum temporis vehementer plueret, illa tum timore perculſa ac feſtinans cecidit, Vlyſſémque peperit. An verò Vlyſſes dicendum Latinè, an Vlixes, vide operam Noſtri Biſciolæ in Hor. ſubſec.

Vlyſſis etymon.

16. Ipse Mycenævs, &c.] De hac cæde qui non loquti? Vide imprimis Euripidem in Elect.

Agamemnonis mors. Velleius lib. 1. *facinore uxoris oppressus occiditur.* Aristoteles in Peplo, A

Αἰνότατ' Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος ὦ ξένε τύμβον,
ὅς θάνεν ὑπ' Αἰγίσθου, κουριδίης τ' ἀλόχου.

Atridæ tumulum spectas Agamemnonis, hospes,
Qui perit Ægysthi, coniugis atque dolo.

Versio est Gul. Canteri. Auson. in Epitaph.

Rex Regum Atrides fraternæ coniugis vltor
Oppetiit manibus coniugis ipse suæ.

Mycenæus, Græca forma. Dixit *Mycenæus* forma Græca. Soph. in Elect. τῷ Μυκηναίῳ. Eurip. in Elect. quoque ἀνὴρ Μυκηναῖος. ibid. βωμῶν Μυκηναίων.

Agamemnonis elogia. 17. MAGNORVM DVCTOR ACHIVVM.] Versus integer Poëtæ sapit Euripideum illum in Elect.

——ὁ κλεινὸς τῶν Μυκηναίων ἄναξ:
——*inclytus Rex Mycenæorum.*

Ibidem de ipso Agamemnone, ἀνδρ' ἄριστον Ἑλλάδος: *virum Græciæ præstantissimum.* Et in Hecub. de eodem, ὃ πὶρ καὶ μέγιστον ἦν κράτος, *cuius erat summum Imperium.* Et in Oreste de eodem Rege, ὁ κλεινὸς, ὁ δὴ κλεινός.

18. CONIVGIS INFANDÆ.] Ad hanc rem pertinet Adagium, *Quadrantaria Clytæmnestra*, de femina impudica. Lege Iun. Cent. 1. Adag. 77. & adde à me, posse aptari Adagio illi versus Propertij Eleg. 19. lib. 3. Quadrantaria Clytæmnestra.

Quidve Clytæmnestra, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?

Clytæmnestræ elogia. Lege & Philostrat. lib. 2. Icon. Clytæmnestra ab Eurip. in Elect. dicitur δεινὴ γυνὴ, *scelesta femina.* & in Oreste eandem vocat ἀνοσιωτάτην, *sceleratissimam.* C Ibid. κακῆς γυναικὸς, *mala femina.* & Tyndareus pater Clytæmnestræ dicitur genuisse θυγατέρα κακήν.

19. PRIMA INTRA LIMINA.] Dissidet Eurip. qui in Elect. ait, interfectum Agamemnonem ἐν λέκτροις, *in lectis.* Sed assentio Germano, qui ait indicari à Poëta modum submissi à Clytæmnestra adulteri & percussoris, dicente Homero Odyss. 11. interfectum Agamemnonē, cùm vocatus est ab Ægystho domum ad conuiuium, οἶκον δὲ καλέσσας δειπνίσσας, ac tum ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ.

Subsessores adulteri. 19. DEXTRA OPPETIIT.] Attribuit mortem tanti viri vni Clytæmnestræ, sed tam ipsa, quàm Ægysthus in hac noxa. Nam Eurip. in Elect. ξίφος, id est, *gladium*, dat Clytæmnestræ, & πέλεκυν, id est, *securim*, Ægystho, ad hanc cædem. D

20. SVBSEDIT ADVLTER.] Subsessores dicuntur, qui clàm domi subsident ad obeundum adulterium. Nam Val. Max. cap. 2. lib. 7. *Nulli tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur.* Et non dubium, quin *subsideo* ad insidias traducatur, vt *obsideo, insideo, resideo.* Vnde Passeratius illud Propertij Eleg. 8. lib. 1. Subsideo, de insidiis.

Atque ego non videam tales subsidere ventos.

ad insidias refert, vt dicat, nolim videre tales ventos tibi insidiantes. Sic & Lucanus lib. 5. dixit, *Regnum subsidere mundi*, pro, dolo inuadere. Sic ergo *subsessor matrimonij* erit, qui insidias lecto ponit coniugali. & quis hic, nisi adulter? Indè Græcis μοιχὸς, *mœchus* dicitur & ἔφεδρος, id est, *insessor, subsessor*, & γαμοκλόπος, *nuptiarum fur*, vtique τὰς εὐνὰς ὑποκλεπτόμενος. Philo lib. de Ioseph. dixit, ἀλλοτρίων θηρᾶν γάμων. Dici etiam posset ἀλοχοπίπης, ad eum modum, quo Hom. παρθενοπίπης, & alij γυναικοπίπης. Ita placitum de hoc loco. Sed qui vellet, posset aliter, vt dicat Poëta, Ægysthum, post interfectum à coniunge Agamemnonem, opes huius inuasisse, domum occupauisse. Clariùs. inibi sedes suas fixisse, & locasse domicilium. Nam ita accepit hoc verbum Suetonius in Vitell. cap. 1. *Tempore deinde Samnitici belli, præsidio in* In sessor. E

Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subsedisse Nuceriæ, id est, sedes locasse. Itaque, sublato Agamemnone, palàm amores suos exercuit Ægysthus. Porrò sunt, qui anxiè quærant, an legendum sit, *deuictam Asiam.* quod studium ἀμφιμάχεσθαι, vt loquar cum Homero.

21. INVIDISSE DEOS.] Huic affectui obnoxij falsi illi Dij. Prop. Eleg. 12. lib. 1. *Inuidiæ fuimus. num me Deus obruit?* Ouid. etiam 14. Metamorph. *odium* dat Veneri. Aristoteles lib. 1. Metaphy. Deos absoluit, & Poëtas ait egregiè in hoc mentiri veteri parœmia, ἀλλὰ, κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. Dij Gentiū inuidi.

22. PVLCHRAM CALYDONA.] Hom. 9. Iliad. πίειραν πεδίον Καλυδῶνος ἐρατεινῆς: *pinguissimum solum amabilis Calydonis.* Itaque ab hac vbertate *pulchritudo* Virgilij.

B 23. HVNC ETIAM HORRIBILI, &c.] Versos socios Diomedis in aues, quas Latini *Diomedeas* vocant, Græci *Erodios*, non solùm interpretes, sed etiam scribit Aristot. lib. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. Quin ait, quod mirère, eas aues mites esse Græcis, in memoriam sui ducis Græci; Barbaris verò immites, ita vt conuolent contra illos, pedibus ac rostris terreant, lacerent, demum interimant multis inflictis vulneribus. Verba Philosophi sunt. ταύτας λέγουσιν ἐὰν μὲν Ἕλληνες ἀποβαίνωσιν εἰς τὸ τόπον ἡσυχίαν ἔχειν, ἐὰν δὲ τῶν βαρβάρων τινὲς τῶν περιοίκων, ἀνισταμένας καὶ αἰωρουμένας καταβαίνειν αὐτοὺς εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ τοῖς ῥύγχεσι τιτρώσκουσας ἀποκτείνειν. Satis sit hunc audiuisse, nam Plinius, Solinus, Ouidius, S. Augustinus lib. 18. de Ciu. & S. Isid. tibi in promptu erunt. Addit Seru. inuerti fabulam à Virg. nam socij Diomedis versi in aues sunt post mortem eius. Non placet. Nam etiam Lycophron ait, versos ante illius mortem, Diomedeæ aues.

Πικρὰν ἑταίρων ἐπτερωμένων ἰδὼν
Οἰωνόμικτον μοῖραν:——

Triste suorum comitum qui vidit fatum,
Quos sumptis tulit aura pennis.——

Si vis fortassè fabulam consimilem, audi Calab. lib. 2. vbi loquitur de sociis Memnonis, Similitudo fabulæ.

——τοὺς δ' ἠριγένεια βοῶπις,
Πολλ' ὀλοφυρομένους, κρατεροῦ περὶ σήματι παιδὸς
Οἰωνοὺς ποίησε, καὶ ἠέρι δῶκε φέρεσθαι:
——*quos Aurora, cui bouini oculi,*
Multùm lamentantes ad strenui filij sepulcrum
In aues vertit, aerique ferendos dedit.

24. PORTENTA SEQVVNTVR.] Existimo locutionem sumi à venatione. Etenim fata, Parcæ, portenta, & similia dicuntur assequi homines, vt venator prædam. Duco ex Eurip. qui clarè in Ione, Portenta sequuntur, à venatione.

Ὦ Ζεῦ, τίς ἡμᾶς ἐκκυνηγετεῖ πότμος;
O Iuppiter, quod fatum nos venatur?

25. SCOPVLOS LACRYMOSIS VOCIBVS IMPLENT.] De auibus Memnonis Cal. lib. 2.

——οἱ δ' ἔτι τύμβον ἐπὶ σφετέρου βασιλῆος
Ἑσσύμενοι γοόωσι:——
——*illæ autem Principis sui bustum*
Frequentantes plangunt.——

26. ADEO EX ILLO.] Hæc vocum consecutio, *iam ex illo tempore, cùm*, vt elegans, obseruata est Godescalco, & firmata testimoniis.

27. SPERANDA.] Ambigua vox, vt satis iam 1. Æneid. & 4. Adiunge Catull. qui, *non hoc miseram sperare iubebas.* & Propert. Eleg. 5. lib. 2. *Hoc' merui sperare?* Spero, vox ambigua.

28. COELESTIA CORPORA.] Ita 1. Æneid. *animis cœlestibus.* ibid. *haud tibi vultus mortalis.* Et apud Maronem, *cœleste corpus, cœlestis animus, vultus non mortalis*, Deus est, exquisita locutione.

29. VENERIS VIOLAVI VVLNERE DEXTRAM.] Veneris vulnus.

Haben

Habentur ista lib. 5. Iliad. vbi de Diomede in pugna contra Venerem,

Ἄκρην οὔτασε χεῖρα μεταλμένος ὀξέϊ χαλκῷ:

Summam vulnerauit manum insiliens acuta hasta.

Tertull. contra Gent. hoc idem scribens ait, *Venerem humana sagitta sauciatam.* sed hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα. Nunquam enim Diomedes sagittarius in Iliade; &, si alicubi, non certè ibi. Itàque χαλκὸς Homeri ad hastam debuit trahere, non ad sagittam.

Gentium ludibria.

Vide verò ibi Tertull. vbi vocat hæc *Gentium ludibria.* Nam inducere Deos pugnantes & vulneratos, meræ sunt nugæ. Vide etiam, vti Dio Chrysost. Orat. 11. Homerum reprehendat. Par ludibrium apud Plutar. in vita Luculli, vbi Minerua in pugna exhibetur ἱδρῶτι πολλῷ ῥεομένη, *multo fluens sudore.* & ὑποφαίνουσά τι τοῦ πέπλου περιερρηγμένον, *ostentans partem pepli discissam.* Sed in his ludibriis tractandis cautior Homero Virgilius fuit. Tantùm enim nominat *vulnera*, tum hîc, tum in 10. *credo. mea vulnera restant.* Nam, quæ Hom. de sanguine Veneris scripsit, quàm exposita sint incommodis, disces ex multis, qui locum illum tractarunt, tum ex nupero And. Schotto Societatis nostræ viro doctissimo, quem vide in 1. Suas. Sen. Rhetoris.

Virgilius Homerum intellexit.

30. DEXTRAM.] Laudo Poëtam, qui optimè Homerum intellexit, & ante Virgilium nemo.

A Nam, cùm Homerus tantùm dixerit, vulneratam Veneris ἄκρην χεῖρα, *summam manum*, Virgilius illum explicans addit *dextram.* Quod duxit à verbo Homerico μεταλμένος, *insiliens.* quod dat Græcus Diomedi vulneranti. Nam, si læua manus fuisset vulnerata, καὶ οὐδ' ἂν ἔδει μεταπηδήσαντος, *non saltu opus fuisset*, ait Plutar. lib. 9. Symp. quæst. 4. *Quoniam dextræ suæ* (ratio est eiusdem Plut.) *habebat oppositam sinistram Veneris.* Saltus ergo necessarius, vt feriretur dextra manus. Sic expedit quæstionem hanc Plut. & post lectum (ita credibile est) Maronem. Atque adeò, quæ postea argutatus est Plutarchus, verisimile est, priùs irrepsisse in animum Virgilij, qui cùm *dextram* dixerit, occasionem dedit (vt ego puto) B Plutarcho argutandi ex saltu vulnus factum in dextera.

Venus vulnerata.

31. NE VERO, NE ME, &c.] Hac historia efficit Paus. in Attic. neminem Græcorum ante Pyrrhum intulisse bellum Romano Imperio. Itaque Pyrrhus fuit princeps inter Græcos in Romanis oppugnandis. Nam Διομήδει μὲν γὰρ καὶ Ἀργείων τοῖς σὺν αὐτῷ, οὐδεμίαν ἔτι γενέσθαι πρὸς Αἰνείαν λέγεται μάχην, *neque Diomedes, neque Græci, qui cum illo erant, vllum bellum contra Ænean gessere.*

Pyrrhus primus Græcorum in oppugnandis Romanis.

32. LÆTORVM MALORVM.] Ita sup. *læta laborum.*

a Munera, quæ patriis ad me portastis ab oris,
Vertite ad Ænean: stetimus tela aspera contra,
Contulimúsque manus. experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
b Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros, vltrò Inachias venisset ad vrbes
Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
c Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Troiæ,
Hectoris, Æneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis,
Hic pietate prior. coëant in fœdera dextræ,
Qua datur: ast armis concurrant arma, cauete.
d Et responsa simul quæ sint, Rex optime Regum,
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.
e Vix ea Legati, variúsque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Cùm rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinæq; fremunt ripæ crepitantibus vndis.

ARGVMENTVM.

Desinit in laudem Æneæ, hortatúrque ad pacem, & adhibetur audientium fremitus.

EXPLICATIO.

a ORATIO Diomedis diuisa est in partes duas. Hactenus, narratis calamitatibus, negauit C auxilia, quæ petebantur, & ideo absoluit, *ne me ad tales impellite pugnas.* Hinc iam incipit pars altera, vbi, narrata Æneæ virtute, ad pacem hortatur. Incipit verò à muneribus. Quasi dicat. Vultis hominem demereri? vertite ad illum hæc munera. Non ego, vt vilia contemno, sed talia puto, vt his ille flectatur. Bello enim nihil agetis. Mihi credite scienti eius virtutem. Pugnaui cum illo eminùs, ideo *stetimus tela aspera contra*: pugnaui cominùs, ideo *contulimúsque manus.* Vultis verò scire, an cominùs fortis sit? expertus sum, *quantus assurgat in clypeum.* Vultis scire, an sit quoque fortis eminùs? expertus sum, *quo turbine torqueat hastam.*

b Ad

b Ad maiorem Æneæ laudem, parem illum postea facit cum Hectore. Nunc verò ait: si duos alios Troia haberet Æneæ similes, ita vt iam tres essent (nam vnum tantùm parem habuit Hectorem) quid fore putatis de Græcia? Ipsi nos vltrò lacesserent, venirent ad Græciam, mutarentur fata, omnia in nobis luctu redundarent.

c Quo argumento nitar, audite. Nam Hectoris, & Æneæ virtute, per annos decem dilatum est bellum. Hi duo in mora fuêre, quominùs statim Troia caperetur. Ambo enim insignes sunt animis, & armis, & Æneas adhuc *prior pietate*. Si ergo tertius alius accessisset, actum de Græcia esset. Hinc concludit iungenda fœdera, abstinendum ab armis. Illud, *hæsit victoria*, Claud. arripuit, & Petron. *hæsit acies*.

d Dixi iam, duabus partibus contineri hanc orationem, in prima Diomedes negat auxilium, in altera suadet pacem. Ergo, *audistis quæ sint responsa*, id est, vt negauerit auxilia: &, *quæ sit sententia in magno hoc bello*, id est, vt suaserit pacem. Porrò libentius capio *magno bello*, in extremo casu, quàm in tertio.

e Audisti strepitum, quo ripæ infremunt, cum saxorum obiectu rapidissimi amnes præcluduntur: cum hoc confer fremorem Latinorum, qui ad Legatorum sermonem turbati.

NOTÆ.

1. MVNERA.] Propriè, nam *munera* hominum sunt, sicut *dona* Deorum. Afranius in Fratriis: *Nullam profectò accessi aram, quin Deos supplicus, sumptu, votis, donis, precibus plorans, obsecrans nequicquam defatigarem.* Sed hoc discrimen sæpe confunditur. *(Munera hominum. Dona Deorum.)*

2. STETIMVS TELA ASPERA CONTRA.] Habetur pugna hæc in Iliade. Notetur locutio, quæ non dissimilis ab Euripidea in Med. παρ' ἀσπίδα στῆναι, *stare ad clypeum*. Vt etiam Phœniss. στάντες παρ' ἀσπίδα. Hinc autem incipiunt virtutes Æneæ bellicæ. Nescias verò vnde ortum, vt hic vir imbellis dicatur fuisse, & vulgò vt talis traducatur. Certè ab Hom. 16. Iliad. ἐσθλὸς dicitur, & κρατερός. quibus attributis ille afficit bellicosissimos. & 20. μεγαλήτορος Αἰνείας. &, Αἰνείαο δαΐφρονος. Ibidem æqua trutina cum Achille ponitur, *(Stare ad clypeum. Æneæ militaris virtus.)*

——δύω δ' ἄνερες ἔξοχ' ἄριστοι
Αἰνείας τ' Ἀγχισιάδης, καὶ δῖος Ἀχιλλεύς·
——*duo quoque viri longè fortissimi,*
Æneásque Anchisiades, & diuinus Achilles.

Quo loci duo illi concurrunt ad pugnam μεμαῶτε μάχεσθαι, ac tunc excitatur theatrum Deorum omnium spectantium vtriusque viri virtutem. Mox ea fuisse virtute prædicatur, vt contra Achillem arriperet saxum, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, *quod non duo viri ferrent*, tamen ῥέα πάλλε καὶ οἶος, *facilè solus versabat*. Et Achilles ipse, vbi stetit contra Æncan, ipsumque vidit, ταρβῆσαι fuisse dicitur, id est, *perterritus*. Lib. etiam 13. mira sunt eius elogia. Nemo reprehendat hanc operam, vt otiosam: non enim importunè de Ænea in Æneide, in hoc præsertim loco. Ibi itaque Idomeneus, qui fuisse fortissimus prædicatur, ita timet congressum cum Ænea, vt aduocet viros fortissimos, vt omnes coniuncti vni obsistant. Troiani contrà, qui priùs timidi, vt videntur audentem Ænean, illum sequebantur, ὡς εἴ τε μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα, *vt post arietem sequuntur pecudes*.

A Et hi erant, non è vulgo, sed Deiphobus, Paris, Agenor. Ibidem Æneas dicitur Ἄρηϊ ἐξοχος ἄλλων, *Martius longe præ ceteris*. &, ἀτάλαντος Ἄρηϊ, *Marti similis*. Libro 5. comparatur cum leone, λέων ὥς. & ἄναξ ἀνδρῶν dicitur. Quid Calaber? Libro 3. κρατερὸς πάϊς Ἀγχίσαο. & 10. θρασὺ σθένος Αἰνείαο. vbi etiam sternit magnos duces, & se in prima acie ostentat. In 11.

——ἐπεί ῥ' αὐτῷ (Αἰνείᾳ)
Θάρσος ἀπειρέσιον θεὸς ὤπασεν. οὐδέ τις αὐτοῦ
Ἔσκεν οἱ κατ' δῆριν ἐναντίον ὄσσε βαλέσθαι·
——*huic enim* (Æneæ)
B *Maximam Deus virtutem præbuerat, ita vt nemo hostium*
Ipsi in certamine oculos auderet obuertere.

Excurrit mox in alias eius laudes, ita vt comparet cum ipso Ioue tonante, fulminante, ac disturbante exercitus Gigantum: atque illum ex æquo componit cum Pyrrho, & iterum comparans ait, Αἰνείαν θ' ἐϊκελον ἄλλοις. quia non aliter ac fera in hostes ruerer. Philostratus in Heroïcis ait, Ænean fuisse Troianorum maximum Αἰνείας μετ' ἴσον τῷ Ἕκτορι ὄντι. Ibidem æqua lance componit Hectorem, Sarpedonem, Ænean. Aitque, Vlyssem viso Ænea solitum se transferre ad faciliora prælia. & de eodem Ænea ait, ουδ' ἁλῶναι ὑπὸ τοῦ δέους, *nullo vnquam*
C *terrore affectum*. Eurip. in Rheso Ænean vocat καρτερόχειρα, *tolerantem*. Hæc placuit delibare pro Ænea tuo, ô Maro.

3. EXPERTO CREDITE.] Alludit fortasse ad illud, *expertus metuit*. Vt etiam Opp. 3. Hal. ἀτὰρ ἤδη μαθὼν ἀποπαύεται ὁρμῆς: *experientia doctus quiescit ab impetu*. *(Expertus metuit.)*

4. IN CLYPEVM ASSVRGAT.] Exprimitur habitus militaris. Ammian. lib. 16. *Erectus in aculeum*. De Aiace 12. Iliad. ἀσπίδα νύξεν ἐπάλμενος: *scutum percussit insiliens*. lib. 14. οὔτασ' ἐπάλμενος. & lib. 13. de Idomeneo, & Merione separatis locis, ἐπάλμενος. ibidem de Menelao, ἐπάλτο. Nihil in Hom. D frequentius. Prudent. Psychom. *(Erigi in clypeum militaris habitus.)*

——*ense corusco*
Conniza in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumque ferit librata cerebrum.

Noto hîc quidpiam non vulgare. Cùm det Diomedes Æneæ secum pugnanti clypeum, innuitur clarè, Diomedem quoque ipsum gestasse clypeum, vt paribus armis contra illum staret. Erat verò Diomedes Ætolus: atqui Eurip. in Phœniss. σακεσφόροι γὰρ πάντες Αἰτωλοί, *Ætoli omnes clypeati sunt*. Itaque, cùm alij variis armaturæ generibus essent instructi, Ætoli nunquam sine clypeo. Et in Supplic. Tydeo etiam Ætolo ἀσπίδα, id est, *clypeum*, attribuit, & his verbis, vt satis indicet, huic vni genti hoc esse vnicum E armaturæ genus, peculiari ratione, quàm aliis gentibus. Quærebam rationem, & inueniebam esse hanc posse. Inuenêre Ætoli lanceas, vt auctor est Plin. consequens ergo est, vt hastati qui sunt, vnicè & præ aliis sint clypeati. Inde Mart. Epig. 2. lib. 7. vt exaggeret duriciam loricæ Domitiani, ait illam *ad Ætolæ securam cuspidis ictus*. Nihil enim impedit, vt aliud agens hoc attingat. *(Ætoli semper cum clypeo.)*

5. QVO TVRBINE TORQVEAT HASTAM.] Ita hasta comparatur cum turbine, vt cum eodem solent comparari magni duces. Sic de Penthesilea Calaber lib. 1. λαίλαπι κυανέῃ ἐναλίγκιος. Sed de hac re alibi.

6. SI DVO.] Pro, duos, vt *ambo*, pro, ambos, Græcorum more, qui δύο, ἄμφω in quarto casu. Vtrumque Horat. nam 1. Serm. *duos si discordia* *(Duo, pro, duos. Ambo, pro, ambos.)*

vexet

vexet inertes. & 2. *iurando obstringam ambo.* Propert. Eleg. 11. lib. 3. *duo currus* dixit in quarto casu. Martial. lib. 7. *Elysium possidet ambo nemus.* Sic enim in lib. veteri, non, *vmbra*, vt in vulgatis; vt dicat. Nemus Elysium possidet ambo, id est, Hetruscum, & eius vxorem. Plaut. Mostel. *Ludificatur cornix vna vulturios duo.* Iterum, *cornix astat, & vulturios duo vicissim vellicat.* & Pseud. *inter nos duo conuenit.* Ceterùm imitatio ducta ab illo Hom. τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν: *tales mihi decem essent consultores Græcorum.* Explicui *duo*, vt vidisti, hunc in modum, id est, si tres essent tales, videlicet Æneas, & duo alij. Itaque, videtur Virgilius, ex ternarij numeri perfectione, optare in vtilitatem Troianorum tres duces, nimirum Ænean ipsum, Hectorem, de quo postea, & tertium alium, qui non exstat. Nam vt velit duos fuisse, non concedam, fuêre enim iam Æneas & Hector: tres ergo optat. Virgilianæ sententiæ non absimilis illa Silij lib. 2.

Imitatio.

Huic si vita duci nostrum durasset in æuum,
Non Trebia infaustas superasset sanguine ripas,
Nec Trasimene tuus premeret tot nomina gurges.

Historiæ similitudo.

Eurip. in Helen. dixit, κλεινὸν ζεῦγος, *inclytum par*, de Agamemnone & Menelao.

7. TVLISSET.] Arripuit locutionem Martial. Epig. 51. lib. 11. *& Vatem non minus ipse tulit*, id est, agellus Varem tulit.

8. DARDANVS.] Pro, Dardanius. hoc alibi.

9. HECTORIS, ÆNEÆQVE MANV.] Ita sæpe Hom. Hectorem, atque Ænean coniungit. Nam 6. Iliad. Αἰνεία τε, καὶ Ἕκτορ. vbi latiùs de vtroque. & lib. 17.

Hector, atque Æneas.

Ἕκτωρ, Αἰνείας θ' οἳ Τρώων εἰσὶν ἄριστοι.

Vtrumque etiam Ouid. coniungit 14. Metamorph.

Non hic Æneas, non qui defenderet Andron
Hector erat, per quos decimum durastis in annum.

Ab hac belli mutua opera Hectorem vocat Æneas lib. 1. Æneid. *amicum.*

10. ET IN DECIMVM VESTIGIA RETTVLIT ANNVM.] Ita lib. 9. *decimum quos distulit Hector in annum.* Adi hunc locum. Ait Sen. Rh. Suas. 2. dici solitum à Messala, hemistichium hoc, *& in decimum vestigia rettulit annum*, explementum esse, & in voce *hæsit* desinendum.

11. COEANT IN FOEDERA DEXTRÆ.] Manuum scilicet coniunctione & apprehensione

Manuum prehensione fiebant fœdera.

A fœdera inibantur. Liu. lib. 23. *Pauca horæ sunt, intra quas iurantes per quicquid Deorum est dextras dextræ iungentes, fidem obstrinximus.* Sed de hoc iam.

12. VARIVSQVE PER ORA CVCVRRIT.] Liu. lib. 32. *Secundùm orationem Prætoris murmur ortum aliorum cum assensu, aliorum inclementer assentientes increpantium.* Vbi vides in murmure assensum & dissensum; Poëta vnico verbo, *varius fremor.* Plut. in vita Alex. ἅμα δὲ τῷ λόγῳ τούτῳ κρότος καὶ θόρυβος γινόμενος: *sermonem secuta est admurmuratio & tumultus.*

Fremor in assensu, & dissensu.

13. FREMOR.] Scribit Eustath. solere Homerum, cùm voces sunt duriusculæ, adiungere B comparationem ad leniendum horrorem. Aduocat exempla. Libro 4. Iliad. cùm milites vocat νέφος, *nubem*, ad exprimendam multitudinem, statim subiunxit comparationem veræ nubis, quæ à mari venit perducta flatu Zephyri. Ita Odyss. 20. cùm dixisset, κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει, *cor latrat illi intus*, subiunxit,

Fremor, cur de hominibus.

ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα,
Vt cùm canis latrat circa teneros catulos.

Ex his lucem dat Virgilio Hartung. decur. 3. Nam, cùm Virg. dixisset *fremor*, quæ vox in hominibus minùs vsitata, subiunxit comparationem fluminis, C vbi fremitus ab occluso alueo ex interiectis saxis.

14 CEV SAXA MORANTVR CVM RAPIDOS AMNES, &c.] Non abit multùm ab hac comparatione illa Hom. 2. Iliad.

Fluminis comparatio.

Ὡς ἔφατ'. Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα
Ἀκτῇ ἐφ' ὑψηλῇ, ὅτε κινήσει Νότος ἐλθὼν
Προβλῆτι σκοπέλῳ: ———
Sic dixit. Argiui verò altè clamarunt, vt cùm fluctus
Littore in alto, cùm mouet Notus surgens
In procurrente scopulo. ———

Non absimile Calab. lib. 4.

D Κινύτο δ' ἠΰτε πόντος ἀπείριτος Ἰκαρίοιο:
Mouebatur vti vasta vnda (maris) *Icarij.*

Et Ammian. lib. 16. *Clamor ipso feruore certaminum à tenui susurro exoriens, paulatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.*

15. CVM RAPIDOS AMNES.] Ab Lucret. lib. 1. *cùm rapidos tranant amnes.*

Rapidi amnes.

16. VICINÆQVE FREMVNT RIPÆ.] Apollon. lib. 2. Arg. βόμβει δ' ἁλιμυρέες ἀκταί.

17. CREPITANTIBVS VNDIS.] Nota copiam: *murmur, rapiditas, fremor, fremitus, crepitus.*

[a] Vt primùm placati animi, & trepida ora quierunt,
Præfatus Diuos, solio Rex infit ab alto.
[b] Antè equidem summa de re statuisse Latini
Et vellem, & fuerat melius: non tempore tali
Cogere concilium, cùm muros obsidet hostis.
[c] Bellum importunum, ciues, cum gente Deorum,
Inuictísque viris gerimus: quos nulla fatigant
Prælia, nec victi possunt absistere ferro.
[d] Spem, si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite: spes sibi quisque. sed, hæc quàm angusta, videtis.
Cetera qua rerum iaceant perculsa ruina,
Ante oculos, intérque manus sunt omnia vestras.
[e] Nec quemquam incuso. potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit. toto certatum est corpore Regni.

ARGV

ARGVMENTVM.

Sequitur Latini orationis pars prima, vbi extollitur Troianorum virtus, & proponuntur tum formidanda, quæ passi Itali in bello; tum quæ imminent, cùm destituti sint omni spe in posterum.

EXPLICATIO.

a DIXERAT, audientium *ora fremuisse*, nunc opponens ait, *ora quierunt*, & *trepida*, quia ibi *turbata*. inde est, vt animi quoque placarentur. Latinus itaque iam ad placatos fari potuit, præmissa, vt mos est, Deorum præfatione.

b Initium orationis ab malo, quod iam est præsens, & in foribus, vt ita arctet auditores, cogatque ad id, quod intendit. Priùs fuerat statuendum de belli summa, non hoc tempore, cùm obsidemur. In his latenter carpit Turnum, qui noluit periculū expendere initio belli, nam lib. 7. ad illum Latinus,

——te Turne nefas, te triste manebit
Supplicium, votisque Deos venerabere seris.

c En laus Troianorum ad terrorem. *Gens est Deorum*, contra quam pugnamus, id propter Ænean. *Inuicti sunt viri*, id propter reliquos Troianos: ac proinde *bellum* est *importunum*, nam scilicet pugnamus mortales contra Deos, victi contra inuictos. Probat, quæ dixerat. Dij sunt, quia *nulla* eos *fatigant prælia*. Inuicti sunt, quia si aliquando fortasse victi, tamen, *nec victi possunt absistere ferro*.

d Possent obiicere. Victi sumus, sed erunt auxilia. Præcidit hanc spem, nam Ætoli (Diomedem indicat) auxilia negant. Possent rursus obiicere. Si non sunt externa auxilia, *quisque sibi erit spes*. Præcidit hoc quoque, quia *hæc angusta est*. Probat, nam *cetera omnia perculsa sunt ruina*. Testes vos estis, vt qui oculis cernitis, & manibus tractatis tam diram cladem. Dicit hoc propter mortuos, qui *ante ora recentes*.

e Adiicit: *non ideo incuso quemquam*; quia, quanta esse potuit vestra virtus, tota enituit, & certatum est tota Regni mole, totis opibus. Quasi dicat: Non vos in culpa, sed hostes, vt qui *gens Deorum*, vt qui *inuicti*.

NOTÆ.

1. VT PRIMVM PLACATI ANIMI, &c.] Hanc post tumultum secutam quietem comparatione illustrat Petr. Apollon. lib. 2. Excid. Hierosl. quam adhibeo, quia respondet Virgilianæ sup. adductæ, etiamsi contrario gustu,

Maris quiescentis comparatio.

Sic vbi desierunt reuocati carcere venti
Cæruleam turbare Thetin, spumantia sensim
Subsidunt maria, & fluctus sua littora seruant
Pacati, totóque silescunt murmura ponto.

Itaque discat iuuenis comparare surgentia populi murmura cum fremore ventorum, quod fecit Virgilius, & eadem compressa cum quiescente tempestate, quod Apollonius.

Præfari Deos.

2. PRÆFATVS DIVOS.] Incipiebant veteres illi orationes suas à Deorum precibus, & tunc dicebantur *præfari*. Plin. Pang. Traiani: *Bene, ac sapienter, P.C. maiores instituerunt, vt rerum gerendarum, ita dicendi initium à precationibus capere. Quod nihil ritè, ni-*
A *hilque prouidenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Scholiast. Apollon. in ea verba, ἀρχόμενος σέο Φοῖβε, ita ait. ἔθος γὰρ ἦν ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι: *Moris erat ab Dijs proœmium ducere.* Et id est, quod Enarrator Demosth. Vlpianus in 2. Olynth. ἀπὸ θεῶν ἀρξάμενος. & Demosthenes ipse de Coron. πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις. & in 1. epist. idem Demosth. παντὸς ἀρχομένῳ σπουδαίου λόγου, καὶ ἔργου ἀπὸ τῶν θεῶν ὑπολαμβάνω προσήκειν πρῶτον ἄρχεσθαι: *Omnis & dicti, & facti grauioris principia ducenda mihi videntur à Diis immortalibus.* Ab Demosthene, credo, qui duo coniunxit λόγον, ἔργον, verba Plinij suprà adducta, qui *rerum gerendarum, & dicendi initium*. Galen. de vsu Part. motem hunc ita attingit πάλιν οὖν ὥσπερ ἀπὸ θεοῦ φωνῆς, τῆς
B Ἱπποκράτους ἀρξώμεθα λέξεως: *Rursum igitur ab Hippocratis dictione, tanquam à Dei voce, auspicemur.* Aristid. in 2. Platon. ἀρχὴ δ' ἡμῖν ἐκ θεῶν. Et Liu. ore Posthumij Cons. *Nulli vnquam concioni Quirites, tam non solùm apta, sed etiam necessaria hæc solemnis Deorum comprecatio fuit.* & paulo superiùs dixerat idem Liu. *Consules in Rostra ascenderunt, & concione aduocata, cùm solemne carmen precationis, quod præfari priusquam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset Consul.* Qui locus mirus est ad morem cognoscendum. Ouid. 15. Metamorph. *priscóque Deos de more precatus.* Ex testimoniis, quæ adduxi, liquidum est, propriè *præfari*, esse, dicere aliquid extra orationem, quò fieret precatio ad Deos.

Precationis carmen.

C 3. SOLIO REX INFIT AB ALTO.] Est *solium* thronus Regius, quod multis posset astrui: mihi nunc in oculis locus Sen. lib. de Tranquill. cap. 11. Cùm verò etiam *solium* sit Iurisconsultorum, vt conuincit locus Tullij hic lib. 1. de Legib. *Ego verò ætatis potius vacationi confidebam, cùm præsertim non recusarem, quominus more patrio sedens in solio Consulibus respōnderem, senectutisque non inertis grato, atque honesto munere fungerer.* Cùm hoc (inquam) sit *solium*, fortasse inde vox traducta ad Regalem thronum, nam Reges instar oraculorum dicebantur populis ex solio respondere; & responsa Regum sunt.

Solium erat Iurisconsult.

4. ANTE EQVIDEM, &c.] Initio huius orationis respondet pars orationis quartæ Demo-
D sthen. aduersùs Philippum, vbi reprehendit Athenienses, quòd nihil ab initio rectè instruxerint, nihil instituerint, sed semper euentum affectarentur: quo viso statim res alias molirentur, & noua semper cœptarent consilia. Signatiora hæc sunt. οὐδὲν πώποτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν πραγμάτων ἐξ ἀρχῆς συνεστήσασθε, οὐδὲ κατεσκευάσασθε ὀρθῶς. ἀλλὰ τὸ συμβαῖνον ἀεὶ διώκετε. εἶτ' ἐπειδὰν ὑστερήσητε, παύεσθε. ἕτερον πάλιν ἐὰν συμβῇ τι, παρασκευάζεσθε, καὶ θορυβεῖσθε. τὸ δ' οὐχ οὕτως ἔχει. Clarissima sunt, præsertim auditis, quæ iam præmisi.

Locorum similitudo.

5. NON TEMPORE TALI COGERE CONCILIVM.] Quadrant verba Lucij Valerij apud Dionys. lib. 11. Ant. κρεῖττον γὰρ ἡ πρόνοια τῆς μεταμελείας. καὶ τὸ μὴ πιστεύειν τοῖς πονηροῖς σωφρονέστερον τοῦ
E πιστεύσαντας κατηγορεῖν: *Melius est enim prouidere, quàm pænitere. & malis non credere cordatius est, quàm, vbi credideris, eosdem reprehendere.* Quadrant (inquam) ex mente Latini, qui respicit superiora, potuit enim non inflecti ad vota Turni, quem nunc reprehendit, quem tamen tunc est sequutus. Et omnino quidem pertinet ad Latini mentem locus Demosthen. Philip. 4. vbi reprehendit Athenienses, quòd tunc consultationes haberent, cùm gerenda res esset, & bellico vtendum apparatu. Omitto verba, quia multa.

Occurrendū malo.

6. INVI

Romani inuicti.

6. INVICTISQVE VIRIS.] Cùm hîc repræſentari A Romanos, qui inuicti; iam alij dixerint, & in his Scaliger, adeat Lector, quæ ego iam de Romanorum virtute bis, aut ter, & quæ Polyb. ſcribit lib.3. vbi Romani dicuntur ἄπειροι τῆς ἥττης, vt qui nunquam victi. Dignus eſt locus, qui adeatur propter conſternationem illam, quæ ſecuta ad verba Prætoris hæc, λειπόμεθα μάχῃ μεγάλῃ, vt ad verba illorum auribus inſolentiſſima.

Fortiſſimi victi bello nunquam abſiſtunt. Marcelli laus.

7. QVOS NVLLA FATIGANT PRÆLIA, &c.] Hanc ſententiam præclarè illuſtrat Pet. Victorius in lib.1. Rhet. Ariſtot. cognitione vocis huius ἀναμάχεσθαι. quæ vox de illis dicitur, qui victi bello, nunquam abſiſtunt, ſed iterum tentare aleam volunt. Addítque, Virgilium hoc loco vim verbi huius intellexiſſe. Inde laus magna Marcelli, qui ab hoſte Annibale pridie victus, poſtridie bellum impigrè inſtaurauit. B Subiicio tibi verba Plut. in huius viri vita. ὦ Ἡράκλεις, τί χρήσεταί τις ἀνθρώπῳ, μή τε τὴν χείρονα τύχην, μή τε τὴν βελτίστην φέρειν εἰδότι; μόνος γὰρ οὗτος οὐδὲ νικῶν δίδωσιν ἀνάπαυσιν, οὔ τε λαμβάνει νικώμενος. Pergítque aliis in eandem ſententiam. Id eſt. *Dij boni, quiſnam hunc tractarit hominem, qui nec ſecundam, nec aduerſam fortunam ferre ſcit? Solus hic otium nec vincendo præſtat, nec victus ſuſcipit.* Sumpſit Plutarchus à Liuio, & hunc reddidit. Liuij ſunt. *Cum eo hoſte res eſt, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poteſt: ſeu vincit, ferociter inſtat victis; ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen.* Eſt hoc, quod Homer.13. Iliad. & ſæpe alibi, Τρῶες δὲ μάχης ἀκόρητοι ἔασιν: *ſunt Troiani pugnandi* C *inſatiabiles.* Hanc virtutem de Romanis prædicat Plut. in vita Pyrrhi his verbis. καὶ ταῖς ἥτταις οὐκ ἀποβαλόντας τὸ θαρρεῖν, ἀλλὰ ῥώμην καὶ φιλοτιμίαν ὑπ᾽ ὀργῆς ἐπὶ τὸν πόλεμον προσλαμβάνοντας. Ait Romanos *non deiicere animos cladibus, ſed pertinaciam & contentionem ex ira ad bellum creſcere.* Eandem virtutem prædicat de Cimone in perſequendo Rege Perſarum, cui locum non dabat ad reſpirandum. Eandem de Iulio, adeò vt eius milites fatiſcentes labore dicerent, ποῖ δὴ καὶ πρός τι πέρας ἡμᾶς ὁ ἀνὴρ καταθήσεται περιφέρων, καὶ χρώμενος ὥσπερ ἀτρύτοις καὶ ἀψύχοις ἡμῖν; *vbi tandem, & quam ad metam hic vir nobis quietem concedet, qui circumducit nos, vtitúrque ſicut ferreis & inanimatis?* Eandem de Demetrio, cui dat ἐκ τῶν ἐσχάτων ἀπορειῶν τὰς μεγίστας εὐτυχίας, *ex extremis difficultatibus ſummas felicitates.* Hoc verò eſſe propriè ἀναμάχεσθαι, Victorius explicuit, vt dicebam. Inde Argiui, magna clade accepta ab Spartanis, dixerunt ſe iterum velle ἀναμάχεσθαι: quibus tamen Spartanorum Rex Cleomenes pulchrè reſpondit, *non video cur duarum ſyllabarum adiectione, nunc meliores, quàm paulo antè fuiſtis, eſſe poſſitis.* Alludit quippe ad præpoſitionem ἀνά. Narrat hæc Plut. in Laconic. Græca, quibus caret Victor. ſunt. θαυμάζω εἰ δύο συλλαβῶν προσθήκῃ νῦν κρείττονες ἐγένεσθε, ἢ πρόσθεν ἦτε. Porrò & rei Virgilianæ probè annectes verſus Horatianos Od. 4. lib.4. hos,

Duris vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes, animumq́; ferro.

Quos verſus ego alibi illuſtrabam non vulgariter.

Pono, in metu, & ſpe.

8. PONITE.] Contraria pari verbo. Nam lib.1. *pone metum.* & hîc, *ponite ſpem.*

Spes ſibi quiſque.

9. SPES SIBI QVISQVE.] Salluſt. Iugurth. *Neque alius in alio magis, quàm in ſe ſpem habere.* In eodem opere: *Mihi ſpes omnes in memet ſitæ.*

Bellum malorum cauſa.

10. IACEANT PERCVLSA RVINA.] Nam quid non mali à bello? vbi, *victáque pugnaci iura ſub enſe iacent.* Agnoſce Ouid. Eleg. 8. lib.5. Triſt. Parco communi loco.

Corpus, de Regno vnde.

11. TOTO CERTATVM CORPORE REGNI.] Non vanè putat Germ. alluſum ad pancratiſtas. Nam hi manibus, pedibus, ipſis adhuc vngulis, omni ope, omni nixu, totis viribus, toto corpore decertant. Hinc ego puto illuſtrari poſſe Oppianum 2. Cyneg. vbi fluuium æſtuantem, & damna plurima inferentem vocat δέμας αἰπύ, *arduum corpus*, quaſi tota pugnet mole. & Tullium, qui de Tuberone pugnãte in Cæſarem, *quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi?* Non enim fruſtra tot membra numerata, & tot partes. Ammian. dixit lib.20. *cuncta oppidi membra.* In lib.4. Epiſt. Famil. epiſt.5. inuenies, *cadauera populorum*, videlicet de Corintho, aliiſque euerſis.

ᵃ Nunc adeò quæ ſit dubiæ ſententia menti,
Expediam: & paucis (animos adhibete) docebo.
ᵇ Eſt antiquus ager Thuſco mihi proximus amni,
Longus ad occaſum, fines ſuper vſque Sicanos.
Arunci Rutulíque ſerunt, & vomere duros
Exercent colles, atque horum aſperrima paſcunt.
ᶜ Hæc omnis regio, & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum, & fœderis æquas
Dicamus leges, ſocióſque in Regna vocemus.
Conſidant, ſi tantus amor, & mœnia condant.
ᵈ Sin alios fines, aliámque capeſſere gentem
Eſt animus, poſſuntq́; ſolo decedere noſtro,
Bis denas Italo texamus robore naues,
Seu plures complere valent, iacet omnis ad vndam
Materies; ipſi numerúmque modúmque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, naualia demus.

[c] Præterea qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacísque manu prætendere ramos,
Munera portantes, eborísque auríque talenta,
Et sellam Regni, trabeámque insignia nostri.
Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.

A

ARGVMENTVM.

Pars altera orationis suadentis pacem cum diuisione, vt Troianis detur ager in Italia, si velint manere: vel naues, si velint abire.

EXPLICATIO.

[a] IDEO *dubiæ menti*, quia proponit duo, & vtrum eligat, ignorat.

[b] Laudandi proculdubio versus, vt quibus docemur descriptiones facere in re etiam tenui optimè & eleganter. Describit itaque agrum suum Latinus ab antiquitate, à situ, à dimensione, ab vsu. Ergo, *est mihi antiquus ager*; en primum: *proximus amni Tyberi*, en situs: *porrectus in Occasum, & vsque Sicanos fines*; en dimensio: *ferunt illum Arunci & Rutuli, colles etiam exercent vomere*; en vsus & vtilitas: nam indicat agrum frumentarium. Sed de hoc in Notis.

B

[c] Hanc igitur partem, pinetum etiam vicini montis assignat Troianis, si velint manere in Italia: ac tunc fœdus constituatur, & sint socij, non stipendiarij, vrbémque ædificent.

[d] Si autem velint abire, se naues daturum dicit viginti; aut plures, si illæ non satis toti genti: idque esse perfacile, materia quippe suppetente ad vndas. Ac propterea ipsimet Troiani statuant aut numerum nauium, aut illarum formam & modum: & Latini suppetant sumptus, artifices, ligna necessaria fabricæ. Sumptus intelligit per *æra*, artifices per *manus*, ligna per *naualia*, vtique νήια ξύλα, aut νήια δοῦρα.

C

[e] Demum ait Latinus, mittendam esse ad illos speciosissimam legationem ad ferienda fœdera. Speciosissimam scilicet, tum numero; nam *centum*: tum nobilitate, nam *prima de gente*. Ad hæc ornatam insigni pacis, id est, olea: & muneribus, talentis scilicet auri atque eboris: demum, quod maximum est, cum sella & trabea, quæ duo Regum insignia.

D

NOTÆ.

1. PAVCIS (ANIMOS ADHIBETE) DOCEBO.] Ita Tyberinus ab Æneam lib. 8. *paucis (aduerte) docebo*. Tò, *animos adhibete*, ab Lucret. qui lib. 2. *Nunc animum nobis adhibe*. — *Paucis docere.*

2. ANTIQVVS AGER.] Sapit hoc priscam Heroum vitam, quibus inter magnificas opes inerant etiam agri frumentacei & arboreta, non solùm ad delicias (nam huic vsui seruiebant horti) sed etiam ad commodum & vitam. Huius rei sæpe occurrit mentio in Hom. vt cùm Iliad. 12. Sarpedon de se, & Glauco ait. — *Agri opes olim Heroibus.*

Καὶ τέμενος νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας,
Καλὸν, φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο:
Et prædium magnum colimus iuxta ripas Xanthi,
Pulchrum, soli arboribus consiti, & arui frugiferi.

3. AGER.] Dissidet à Donato Seruius, hic enim accipit agrum Romanum, cùm Donatus accipiat de agro, qui erat in Campania iuxta fluuium Vfentem. Ratio Seruij, quia ex Liuio, Sisenna, Catone, alijsque scriptoribus Romanis habetur, *Troianos accepisse* à Latino agrum, qui est inter Laurentum, & castra Troiana. Quin Cato commemorat modum agri, qui habuit iugera DCC. & verba Trebatij hæc lib. 7. de Regionib. *Luci, qui sunt in agris, qui concilio capti sunt, hos lucos eadem ceremonia moréque conquiri haberique oportet, vt ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt.* Verba hæc (inquam) ait Seru. de agro Romano intelligenda. Hinc iam omnia rectè procedunt. Nam *Thuscus amnis* est Tyberis. *Longus in Occasum*, quia ad Laurentum & Hostiam tendit. *fines super vsque Sicanos*; nam ea loca, vbi nunc est Roma, Sicani tenuerunt. Vnde lib. 8. *& gentes venêre Sicanæ*. Hi postea à Liguribus pulsi sunt, Ligures à Sacranis, Sacrani ab Aboriginibus. Hanc de Siculis opinionem firmant verba hæc Marliani in Topographia lib. 1. c. 2. *Vrbem Romam in Occidenti ad Tyberim conditam, centum & viginti stadiis à mari distantem, Siculos primùm inhabitare constat.* — *Ager quem Latinus Æneæ dedit.*

4. ARVNCI RVTVLIQVE.] Indicat agrum vectigalem, & stipendiarium. Erat enim Regis, sed serebant & exercebant Arunci ac Rutuli. Sic lib. sequente, *conductáque pater tellure serebat.* — *Ager vectigalis.*

5. SERVNT, ET VOMERE, &c.] Puto describi à Virgilio agrum, cui triplex vtilitas, vt videlicet sit frumentaceus, ideo, *Arunci Rutuliq; serunt*. Deinde pars altera, quæ collina, apta sit vitibus: vinum enim collinum Cato & Varro celebrant, & ipse Virg. in Georg. vbi & ego: itaque ad viteum agrum explicandum dixit, *vomere duros exercent colles*. Demum, vt pars tertia, quæ *asperrima*, sit pascua, seruiens caprarum pastioni, nam hoc animal solet depascere, quæ sunt asperiora. — *Ager frumentaceus, viteus, pascuus.*

6. FOEDERIS ÆQVAS DICAMVS LEGES.] Tria fuisse inter Romanos fœderum genera ex Liu. lib. 34. apertum fit; vnum, cùm leges dicebantur bello victis: alterum, cùm pares bello veniebant in amicitiam æquo fœdere: tertium, cùm ad amicitiam sociali quodam fœdere coïbant, qui nunquam hostes fuerant. Ergo, versus Maronis procedit ex secundo illo fœderum genere. Hostes enim iam fuerant Latini, & Troiani, vt indicat atrox bellum, quod præcedit in decimo. Idem fœdus iungit Æneas cum Latino lib. 12. his versibus. — *Fœderum genus triplex.*

Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi Regna peto, paribus se legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant.

7. SIN ALIOS FINES, &c.] Hæc pars orationis de abituris Troianis, déque Rutulis præbituris, quæ essent necessaria ad viam, videtur ducta à consilio An — *Imitatio.*

lio An

lio Antenoris lib. 7. Iliad. vbi ait, Græcis (si velint abire) reddendam Helenam, atque etiam opes cum ipsa,

——Ἀργείην Ἑλένην (inquit) καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν.——

8. BIS DENAS.] Quas videlicet amiserat Æneas longo nauigationis cursu, nam ipse lib. 1.

Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor.

Texere naues.

9. TEXAMVS.] Quod Polyb. lib. 1. ναυπηγεῖσθαι. & Plut. in Thes. συμπηξάντες, vterque de nauibus. Vide verò quæ dixi 2. Æneid. ad illud, *intexunt abiete costas.*

Materiatio.

10. MATERIES.] Latinis *materiatio* dicitur, & *materiari*, Græcis ναυπηγήσιμα.

Manus, de artifice.

11. MANVS.] Discutit vocem hanc Germanus doctè, vide illum. Simpliciter tamen capio *artifices* cum Seru. vtique ἐργάτας. ipse lib. 1. Æneid. *Artificumque manus.*

Ramus pacis.

12. PACIS RAMOS.] Oleam intelligit, qua de re vbertim aliàs.

Ebur in donum.

13. EBORISQVE AVRIQVE TALENTA.] Aurum dari in donum, certissimum: de ebore firmat Vrs. producto loco Herodoti lib. 3. vbi Æthiopes, inter alia munera, quæ ferunt ad Cambysen, tum ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλους εἴκοσι, *viginti grandes elephantorum dentes.*

Sella Regni.

14. SELLAM REGNI.] Attingit proculdubio morem Rom. Populi, qui *sellam* mittebat Regibus præcipuo munere. Liu. lib. 27. loquens de Syphace: *Legati dona tulère, togamque, & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream.* Dionys. lib. 5. ait, Romanos misisse ad Porsennam Regem Hetruscorum, *sellam eburneam, sceptrum, coronam auream, vestem triumphalem.* Traxère fortasse morê hunc Romani ab Hetruscis, à quibus multa manarunt in populum potentem. Nam apud eundem Dionys. lib. 3. Hetrusci afferunt ad Tarquinium Priscum, *coronam auream, sellam eburneam, & sceptrum in summitate aquilam habens, tunicam purpura, auróque distinctam, togam purpuream pictámque, instar earum quas & Lydi, & Persæ gestabant.* His testimoniis vidisti obiter materiam sellæ, quam tacuit Maro, vt qui non scriptorem, sed Poëtam agat. Itaque, sella hæc *eburnea* fuit. Inde fortasse factum, vt, procedente Imperio, sellæ Ædilium, Prætorum, Consulum (nam hi tres tantùm magistratus ea vtebantur) essent *eburneæ.* Inde Ouid. 1. Fast.

Magistratus qui sella vtebantur.

Et noua conspicuum pondera semit ebur.

& Horat. epist. 6. lib. 1. *curule ebur.* Quod ipsum etiam ab Hetruscis manasse credibile; nam Silius de Vetulonia vrbe Hetruriæ,

Hæc altas eboris decorauit honore curules.

Notabit diligens Lector parenthesin, quam interposui, de tribus magistratibus, qui vsi *sella eburnea curuli*, vt non ducatur Seruij errore, qui in hunc locum ait, ea tantùm vsos, qui triumphali curru inuecti fuissent. Clarè errat. Et cùm Festus *curules magistratus* dixit, eos tres intellexit. Volo etiam scias, *sellā* Maronis, & illam, de qua locutus Liu. lib. 27. & Dionys. lib. 5. & 3. verè esse *Regios thronos*, qui tamen *sellæ* nomine dicuntur à Latinis. Nam Dionys. lib. 3. clarè, θρόνον ἐλεφάντινον. & cap. 1. lib. Esther dicitur de Artaxerxe, ὅτε ἐθρονίσθη ἐν Σούσοις. & Ioseph. de re eadem loquens lib. 1. Bell. Iud. c. 17. θρόνω χρυσῷ διελθὼν. Adde etiam huic doctrinæ, thronum, sedem, solium, eandem esse rem, tantùm diuersa nomina. Hoc iam attigit Briss. de Regno Persar. Nam Plut. lib. 2. de Fort. Alex. Κύρου θρόνον dixit. & Horat. Od. 1. lib. 2. *Cyri so-*

Thronus, sedes, soliū, res eadem.

A *lium.* & Curt. lib. 6. *Cyri sedem.* Demum adde, hanc esse sellam, in qua Reges ius dicebant, & inde accepère Romani magistratus. Cic. 2. Verr. *Palàm de sella ac tribunali pronunciat.* Itaque erat sella in ipso tribunali, ac proinde Latinus vult ad Ænean mittere *sellæ* nomine potestatem iuris dicundi. Et hinc est consequens, vt *sellæ* nomine Regnum intelligat Virgilius, vt etiam Soph. in Antig. τρέφω δύ' ἄτα κἀπαναστάσεις θρόνων: *nutrio pestes duas thronorum*, id est, pestes duas Regni. Has Notulas, vt non obuias, vidisse hîc non pigebit.

15. TRABEAM.] De hac dixi satis lib. 7. reseruans ad hunc locum, quæ pertinent ad formam. Conueniunt omnes fuisse vestem, in qua essent trabes discolores. Quin, si Ausonio credis, eadem fuit

B cum toga picta. & palmata. Verba Auson. in gratiar. Act. *Parum est, si qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi iubes. Nec satis habes, vt largitionum ministri ex more fungantur. Eligis ipse de multis, & cùm elegeris, munera tua honòre prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi, in qua Diuus Constantinus parens noster intextus est. Me beatum! cuius insignibus talis cura præstetur. Hæc planè, hac est picta, vt dicitur, vestis, non magis auro suo, quàm tuis verbis.* Vides, vt Gratianus *trabeam* mittat ad Ausonium, & eandem vocet *palmatam*, cùm ait, *palmatam tibi misi.* & mox ipse Ausonius dicat; *hac est picta.* Ergo *trabea, palmata, picta*, vestis eadem. Hoc si est, liquet iam de forma trabeæ, vt esset vestis, in qua esset palma

Trabea, palmata, picta, eadem vestis.

C instar trabis picta auro. Itaque ab auro picto, *picta*: à palma, *palmata*: & quia hæc picta palma instar trabis, *trabea.* Quæ dixi de auro clara sunt. Nam Ausonius, *picta vestis non magis auro suo.* & inf. *trabeam non magis auro suo, quàm munere tuo splendidam.* Claud. Paneg. Prob. *auratas trabeas.* & Sidon. Pang. Anthem. *effulgens trabealis mole metalli.* Quæ dicta hactenus, vera esse puto, ita tamen, vt initio non esset vestis, in qua trabs picta: sed mera trabs, id est, insigne aliquod instar trabis, quæ penderet è collo illigata fibulis, & hæc propriè dicebatur *trabea.* Dico itaque, *trabeam* fuisse non trabem insertam vesti, & ibi pictam, sed ipsam exstitisse solam. Insurgent in me multi, quia nemo hoc dixit. Fateor. Sed neque ego iuro, tantùm ita fuisse con-

Trabea quid propriè.

D iecto, idque triplici coniectura. Primò, si trabs fuisset picta in toga, non *trabea* dici deberet, sed *trabeata*: sicuti *palmata* dicitur, in qua palma. Deinde id me docet hodiernus vsus. Scholæ Europæ clarissimæ Salmanticensis, & Complutensis collegas suos distinguunt panno aut purpureo, aut prassino, aut violaceo, aliisque coloribus, Hispani *vecam* nominant, quod insigne mera est trabs. Cur non ergo ad hunc modum potuerunt veteres initio ipso? Tertiò, allucet aliquid locus Tertulliani de idolol. vbi: *Igitur purpura illa, & aurum ceruicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ.* vbi prætextam integrum indumen-

E tum videtur opponere vesti purpureæ integro quoque indumento, & trabeam auro ceruicis. Hæc, vt dixi, non pro veris vendito, sed coniiciendo.

16. INSIGNIA.] Videlicet βασίλεια, quæ vox apud Græcos signat *diadema*, *sceptrum*, *purpuram.*

17. CONSVLITE IN MEDIVM.] Græci quoque βουλεύεσθαι εἰς κοινὸν, &, κοινολογεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους. Æschyl. Suppl. κοινολογίας ἔχου. Hæc Germanus. Ego incidi in Homer. qui Iliad. 23. ἐς μέσον δικάσατε.

Consulere in medium.

& in Euripid. qui in Furent. ἣν τιν' οὖν γνώμην ἔχεις, λέγ' A ἐς τὸ κοινὸν: *sententiam, si quam habes, profer in medium,*

18. Rebvs svccvrrite fessis.] Ouid. Eleg. 4. lib. 1. Trist. *rebus succurrite lapsis.* Tacit. 15. Annal. *Deligendumq́; qui fessis rebus succurreret.* Succurro

a Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua inuidia, stimulísque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
Seditione potens (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.
b Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
Consulis ô bone Rex. cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatúsque remittat,
Cuius ob auspicium infandum, moresque sinistros
(Dicam equidem, licèt arma mihi, mortémque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totámque videmus
Consedisse vrbem luctu, dum Troïa tentat
Castra, fugæ fidens, & cœlum territat armis.
c Vnum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis, ducíque iubes, vnum optime Regum
Adiicias, nec te vllius violentia vincat,
Quin natam egregio genero, dignísque Hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere iungas.

ARGVMENTVM.

Drances (cuius hic mores describuntur) in Turnum inuehitur, & Regi suadet, vti Æneæ natam Lauiniam in matrimonium adiungat.

EXPLICATIO.

a Describitvr Drances à moribus, iam inuidus infensúsque Turno, & odij stimulis agitatus, & inf. *potens seditione.* & *idem* ait, quia præcessit non multo antè, *Ingrauat hæc sæuus Drances.* Deinde ab opibus, quarum abundans & *largus.* Tertiò, ab eloquentia; nam qui opum largus, tamen *lingua* largior, & *melior.* Quartò, ab ignauia, quia *frigida bello dextera.* Quintò, à prudentia, nam *habitus auctor non futilis,* nec vanus *consilii.* Sextò, à genere, quod nobilissimum à matre, quippe sorore (sic ferunt) Latini; humillimum à patre, quippe incerto, & rustico, vt aiunt. Hic ergo, his siue vitiis, siue virtutibus nobilis, surrexit, acerbissimè dicturus in Turnum. Poëta mirè, *onerat dictis, iras aggerat.*

b Præcesserat in oratione Latini de strage magna,

Ante oculos, interq́; manus sunt omnia vestras.

Ergo Drances, *Consulis rem nulli obscuram, nec egentem nostræ vocis.* Nam *cuncti fatentur se scire* quæ sit, & *quid ferat fortuna populi:* sed timent Turnum, nam hoc est, D *mussant dicere.* Ergo *det libertatem* (notat παρρησίαν) *fandi, & flatus* (notat φύσημα, quæ vox ad superbiam trahitur) *remittat,* is *ob cuius infaustum auspicium & mores sinistros* (suppresserat ista verecundè oratione sua B Latinus, euulgat Drances nihil Turnum curās) *videmus cecidisse tot ducum lumina, vrbem luctu consedisse, dum* misellus iste, non quidem inuadit, vt decebat Principem exercitus, sed tantùm *tentat castra Troia,* non virtuti, sed *fugæ fidens:* nec vera præbet fortitudinis exempla, tantùm ostentabundè & futiliter *cœlum armis territat,* vt solent pueri minas iactare. In parenthesi illa,

(*Dicam equidem, licèt arma mihi, mortemq́; minetur*)

ostendit se virum constantem pro vtilitate Regni, vt qui vitam etiam paratus sit amittere pro patria. Sed cur de Turno, *infaustum auspicium*? Imputat hoc illi Drances (ait Seru.) vt liberet populum ab ignauia. Perinde ac si diceret: Fortissimi sunt Itali, & vincerent, nisi irent ad bellum auspiciis tuis. Cur de eodem, *sinistros mores?* Fortasse, quia non vtilitate publi- C ca quærebat nuptias Lauiniæ, sed ardens libidine immodica.

c Consulit tandem Regi Drances, vt tot donis vnum, quod præcipuum, adiungat, natam scilicet in matrimonium Æneæ. Ratio quadruplex; quia *Dardanidis,* id est, cognatis tuis, nam Dardanus ab Italia in Asiam profectus. Altera, quia *gener egregius.* Tertia, quia *digni Hymenæi;* vt cum homine Dea nato, victore Italiæ, Deorum beneficio ab Troianis flammis seruato. Quartò, quia ita tandem sequetur æterna pax, æternum fœdus. Tantis ergo allucentibus commodis, cur te miseri homunculi Turni *vincat violentia,* id est, inanis terror?

Notæ.

1. Tvm Drances.] Vult Vrsin. latere in Drance personam

personam Polydamantis, si adeantur quæ de illo Hom. Iliad. 12. Macrob. tamen cap. 2. lib. 5. Satur. in Drance Achillem ponit, in Turno Agamemnonem: quippe, vt Agamemnon suis tantùm amoribus erat intentus. Achilles curabat de re vniuersa; ita Turnus suis nuptiis inhiabat, Drances publico bono studebat.

2. QVEM GLORIA TVRNI OBLIQVA INVIDIA, &c.] Noto, nullum genus discordiæ constitui ab eminentissimo Poëta in castris Æneæ, cùm tamen hoc loco, & lib. 12. Latini duces dissidio ardeant, vnde illi victores, isti victi. Certè nihil pessumdandis hostibus aptius. Tacit. de Morib. Germ. *Maneat, quæso, duretq; gentibus, si non amor noster, at certè odium sui: quando vrgentibus Imperij fatis, nihil iam præstare fortuna maius potest, quàm hostium discordiam.* & in vita Agricolæ: *Nostris illi discessionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt.*

Discordiæ malum.

3. OBLIQVA INVIDIA.] Id est, non manifesta, ob metum. Sic explicat Iul. Scal. & verè. Inuidebat enim, sed non ausus se hostem dare Turno, prætextu boni publici odium in illum torquebat. Ducit Germ. locutionem à Græcis, qui δυσχερῆ, & χαλεπά, *difficilia, & acerba* sæpe vocant σκολιά, *obliqua.* & Pind. σκολιὰς φρένας, *obliquas mentes.* Poëtæ etiam Græci in re inuidiæ dicunt λοξὸν ὄμμα, *obliquum oculum.* Ita etiam Horat. loquitur, *obliquo oculo mea commoda quisquam limat*, id est, οὐκ ὀρθοῖς ὄμμασιν, vt loquitur Soph. & Stat. 2. Theb.

Obliquum.

Respectántve truces obliquo lumine matres.

4. STIMVLISQVE AGITABAT AMARIS.] Non duco à re equestri, sed ab œstro, quo stimulante agitantur boues. Inde & fortasse *obliqua inuidia.* Nam œstro impellente boues aguntur εἰς ἄναντα, κάταντα, πάραντα, δόχμια, vt de bobus (etiamsi in re alia) loquitur Homer. Iliad. 23. *in acclinia, declinia, transuersa, obliqua.*

Stimuli ab œstro.

5. LARGVS OPVM, ET LINGVA MELIOR.] Quis scit, an, cùm hæc duo coniungat, alludat ad veterem parœmiam, ἀργύρου κρῆναι λαλοῦσι: *argenti fontes loquuntur?* Opibus enim præpotentes putant se tutò posse loqui. Suidas ait dici, ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων, *de indoctis*, δὲ πλούτῳ ὑπερβολὴν παρρησιαζομένων καὶ λαλούντων, *qui propter opum abundantiam proiecti sunt ad loquendum.* Potuisset Erasmus Suidæ testimonio ditare Adagium suum: item sententia Eurip. in Androm. vbi ait, multos esse insipientes, videri tamen sapientes, si præstent opibus. Versus sunt.

Argẽti fontes loquuntur. Prouerb.

Ἔξωθεν εἰσὶν οἱ δοκοῦντες εὖ φρονεῖν
Λαμπροί, τὰ δ᾽ ἔνδον πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι,
Πλὴν εἴ τι πλούτῳ: ———
Videntur sapere extrinsecus, & esse satis
Splendidi, intus verò similes sunt omnibus hominibus,
Nisi si quid præstent opibus. ———

Opulenti esse videntur sapientes.

Et de iisdem iterum,

——— ὄντες οὐδένες
Οἱ δ᾽ εἰσὶν αὐτῶν μυρίων σοφώτεροι:
——— *cùm sint* (homines) *nihili*
Sunt illi sapientiores multis aliis.

6. LINGVA MELIOR, SED FRIGIDA BELLO DEXTERA.] Claud. in Eutrop. 2. credo ex Nostro,

Loquaces sæpe ignaui.

——— *lingua iactator, abundans*
Corporis, exiguusq; animi. ———

Sallust. 3. Hist. *Impigram linguam, ignauum animum.* Et in Iugurth. *Lingua, quàm manu, promptior.* Plutarch in Themist. de Epicyde quodam, δημαγωγὸν ὄντα δεινὸν μὲν εἰπεῖν, μαλακὸν δὲ τὴν ψυχὴν: *concionatorem acrem in dicendo, sed animo imbellem.* Isocrat. dixit, τὸ γὰρ ἐπαινεῖν ἐν τοῖς λόγοις, ἀργὸν ἐν ταῖς πράξεσι. Ammian. lib. 17. *ignauus,*

A *sed verbis effusior.* Noster Mariana cap. 15. lib. 9. Hist. *vt quisque est animo ignauus, ita procax ore.* Eurip. in Herc. coniunxit hæc duo, γλώσσης ψόφον, & ῥώμης ἔκλειψιν, *linguæ strepitum, defectum virtutis.* Plaut. Bacchid. *Lingua factiosi, inertes opera.* Hom. 4. Iliad.

——— τὸν υἱὸν
Γείνατο εἷο χέρεια μάχῃ, ἀγορῇ δέ τ᾽ ἀμείνω:
——— *filium*
Genuit se ipso peiorem pugna, concione autem meliorem.

Contrariam sententiam ita Sallust. Iugurth. *Plurimùm facere, & minimùm ipse de se loqui.* Et de Tydeo Eurip. Suppl.

B Οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρός, ἀλλ᾽ ἐν ἀσπίδι:
Non erat verbis clarus, sed clypeo.

Iterum ait, illum valuisse ἐν τοῖσιν ἔργοις, καὶ τοῖς λόγοις, *in factis, non in verbis.* Porrò homines loquaces dicuntur ab Cyrill. in Amos, πολὺ τὴν γλῶτταν κατευρυκότες. à Cedreno de Boïla Romano, τὴν γλῶτταν ὑγρός: *fluidus lingua.* Plaut. Asin. *Lingua largior.* Hunc morbum γλωσσαλγίαν vocat Eurip. in Andr. & in Orest. ἀχάλαστον γλῶσσαν.

Loquacitas.

7. MELIOR.] Locutio ducitur à Græcis, quibus κρείσσων, id est, *melior*, est præstantior. Sic Horat. *ceruus pugna melior.* Sallust. Iugurth. *bello meliores.* Iustin. lib. 9. *Scythæ meliores Macedonibus.* Liu. lib. 34. *Melior eis Romanus.*

Melior, id est, præstantior.

C 8. CONSILIIS HABITVS NON FVTILIS AVCTOR.] Hom. 18. Iliad. ἀγορῇ ἀμείνονες. Vt verò hîc *futilis*, ita Sil. lib. 9. *& virus futile linguæ.* Hominem verbis futilem Homer. Iliad. 23. vocat μύθοις λαβρευόμενον. & λάβραγόραν. Eurip. in Oreste ἀθυρόγλωσσον.

Futilis.

9. SEDITIONE POTENS.] Præclarè, vt *cui frigida bello dextera.* Imbelles enim apti sunt commouendis seditionibus. Lucan. lib. 5.

Imbelles seditiones cõmouent.

Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio tantumq; fugam meditata iuuentus.

Potens seditione dicitur ab Homer. Iliad. 23. νείκει ἄριστος.

10. GENVS HVIC MATERNA, &c.] Silius lib. 12.

Locorum similitudo.

Asdrubalis proles, cui vano corda tumore
Maternum implebat genus. ———

Gustu Virgilij Sidon. epist. 11. lib. 1. *Quem inter initia cognosci claritas vitrici magis, quàm patris fecerit.*

D

11. SVPERBVM NOBILITAS DABAT.] Amm. lib. 14. *Propinquitate Regiæ stirpis, gentilitateq; etiamnum Constantini nominis efferebatur in fastus.*

Superbia ab nobilitate.

12. INCERTVM DE PATRE FEREBAT.] Huc allusit Sidon. Pang. Anthem.

Incertum genus.

Incertum crepat ille patrem, cùm serua sit illi
Certa parens, nunc, vt Regis sit filius, effert
Matris adulterium. ———

Heliodor. lib. 4. hanc generis incertitudinem vocat ἀμφιβολίαν. Quintil. Declam. 310. *Duas familias incerta stirpe confudisti.* Plutar. in Themist. ἐκ γένους ἀμαυροτέρου. Ouid. Eleg. 3. lib. 3. Pont. etiam dixit *incertum genus.* & 5. Metamorph. flexu alio, *dubio genitore creatus.* Eurip. in Ione præclarè,

E

Ἀδίκημα τοῦ γυναικὸς ἐγενόμην ἴσως:
Fortassis fui probrum alicuius mulieris.

In eadem Tragœdia vocat ἀναρίθμητον eum, qui nescit, qua sit matre natus, quasi hic nullo ponendus sit in numero. Volunt, Virgilium allusisse ad Hom. apud quem Telemachus interrogatus à Minerua, an esse Vlyssis filius, respondit, affirmare id matrem suam Penelopem, sed nemini certum esse patrem. Non placent. Cur ἀπάτορες dicantur Latinis *spurij*, lege Plut. in αἰτ.

13. ONERAT DICTIS.] Terentius And. *onerare iniuriis.* Sallustius (si is verè) in Tull. *etiámne odio*

Onero, in malam partem.

odio tuo aures nostras onerabis? Pulchra est metaphora. Ita etiam lib.4. *His germana malis oneras.* Plutar. in vita Caton. Vticensf. ait, amicitiam Cæsaris onus fuisse, quo premerentur Pompeij humeri, quódque tandem depositurus in terram esset, cùm ferre non posset. Eò enim spectant verba, quæ ille vsurpat, putà, βαρύνεσθαι, κρατεῖσθαι, μή τι ἀποθέσθαι δυνάμενος, μή τι φέρειν ὑπομένων.

Aggero, de iris.

14. AGGERAT IRAS.] Ex virtute Græca, nam χέεσθαι, χώννυσθαι, χῶσαι, quæ voces propriè de aggeribus dicuntur, traducuntur interdum ad iram. Hom. Iliad.19.

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ

Rex enim maior cùm irascitur viro inferiori.

Consulta, de Diis.

15. CONSVLIS O BONE REX.] Latet diuinitas in voce. Consulta enim Deorum fuêre. Stat.7. Theb. de Ioue, *ille refert consulta patris.* & in re sacra 6. Æneid. *dum consulta petis.* Ad eum modum, quo χρηματίζω verbum oraculorum traducitur ad Reges. Nam Plut. in disput. Amat. ait, Semiramidem postulasse ab Nino, vt sibi permitteret diem vnum gestare diadema, & responsa dare; pro quo Græcus, ἔχουσαν τὸ διάδημα, καὶ χρηματίζουσαν. Simili ambitione Romani Senatus sui decreta dicebant *consulta.*

Mussq.

16. DICERE MVSSANT.] Reddunt Latini verbum μύζω. Aristoph. Thesmoph. τί μύζεις; *quid mussas?* Est verò hoc verbum, reddere vocem, & tanquã murmur per nares occlusis labiis. quod murmur in vsu sæpe solet esse, cùm non audemus loqui, nam tum flatus quidam per nares mittitur. Ita idem Aristoph. in Βατραχ.

Καὶ ξύνεσιν, καὶ μυκτῆρας ὀσφραντηρίους,
Ὀρθῶς μ' ἐλέγχειν, ὧν ἂν ἅπτωμαι λόγων:
Et solertia, & nares olfactoria,
Vt quos aggredior sermones, rectè arguam.

Quem in locum interpres, ὡς συντελοῦντας τοὺς μυκτῆρας εἰς τὴν φωνήν, *tanquam nares perficere debeant & complere vocem.* Ergo ait Poëta. Occluso sunt ore ad dicendum præ Turni metu, naribus admurmurant. Contrariam huic rei sententiam video in Lucan. lib.5. vbi,

Non pauidum iam murmur erat, nec pectore toto
Ira latens.———

Pergit multis. Sed paria cum Virg. Cal. lib.2. adeò, vt putem huic Latinum institisse,

———οὐδ' ἀναφανδὸν
Μῦθον ἔφασαν· πάντες γὰρ ἑὸν τρομέοντες ἄνακτα
Ἄζοντ'.———
———*non clarè*
Sententiam dicebant. omnes enim trepidi Regem suum
Verebantur.———

17. DICAM, LICET ARMA MIHI.] Non abludit Hom. Iliad.1. εἴπερ μοι νεμεσήσεαι, οὐδ' ἐπικεύσω, *licèt mihi irascaris, non celabo.*

Lumen, de homine.

18. LVMINA TOT CECIDISSE DVCVM.] Lumen de homine, tritum. Soph. Antig. φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις: *lumẽ in familia Oedipi.* In Paneg. Constantini, *Luminibus ciuitatis exstinctis.* Hom. σοὶ φάος γίνωμαι: *tibi fiam lumen.* in 2. de Hectore, *lux Dardaniæ.* & sexcenta alia. Non abeunt similes locutiones. Nam Pind. Σικελίας ὀφθαλμός, *Siciliæ oculus.* & lib.3. Anth. Corinthus dicitur Ἑλλάδος ἄστρον, *Græciæ astrum.* quam ciuitatem *lumen Græciæ* vocat Tull in Maniliana. Dubitabam cur Poëta, *lumina cecidisse*, non satis, vt videtur, consequẽte metaphora, cùm debuisset potiùs *exstincta*, aut tale quid. Soluo. Certum est, viros fortes comparari solitos cum fulminibus. Atqui de fulmine verbum *cado* solemne est. & Horat. *fulmine caduco* dixit Od.4. lib.3.

Oculus Siciliæ.

Virgilius defenditur. Cado, de fulmine.

Ergo ait Drances, *cecidisse* tot duces cum strage hostium, vt solet fulmen cadere. Esse possunt aliæ solutiones, quas, me tacente, scis ipse.

19. TOTAMQVE VIDEMVS, &c.] Ab hac clade publica, quam Drances imputat vni Turno, minimè abeunt verba Polydamantis contra Paridem apud Calab. lib.2.

Imitatio.

Σὴν θάρσος ἤγαγε νῶϊν ὀϊζύν. σὸς νόος ἔτλη
Ἀργεῖν ἀπειρέσιον, καὶ τλήσεται, εἰσόκε πάτρην
Σὺν λαοῖς σφετέροισι δαϊζομένην ἐσίδηαι:
Temeritas tua calamitatem nobis attulit. tuus animus sustinuit
Infinitum bellum, & sustinebit, donec patriam
Vnà cum populis suis deuastatam videas.

Est & elegans locus Eurip. vbi Peleus contra Menelaum,

Ψυχὰς δὲ πολλὰς κἀγαθὰς ἀπώλεσας,
Παίδων τ' ἄπαιδας γραῦς ἔθηκας ἐν δόμοις,
Πολιούς τ' ἀφείλου πατέρας εὐγενῆ τέκνα.
Perdidisti plurimos, & præstantes viros,
Fecisti anus orbatas liberis in ædibus,
Et à parentibus senibus abstulisti generosos liberos.

Vide & non dissimilem orationem Agathiæ lib.4. Histor. vbi Colchici euersum suarum rerum statum conqueruntur. Et adiungo adhuc Lucan. lib.5. apud quem turba ita in Iulium inuehitur,

———*finis quis quæritur armis?*
Quid satis est, si Roma parum? iam respice canos,
Inualidasq́ue manus, & inanes cerne lacertos,
Vsus abit vitæ, bellis consumimus æuum.

20. CONSEDISSE VRBEM LVCTV.] Allusum ad habitum lugentium. Sic & Pind. Od.10. Olymp.

Sedeo, de lugentibus.

———ἴδε πατρίδα πολυκτέανον
Ὑπὸ στερεῷ πυρί, πλαγαῖς τε σιδάρου
Βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄτας ἵζοισαν ἑὰν πόλιν:
———*vidit patriam* (priùs) *diuitem*
Valido igni prostratam, & ferri ictibus
Sedentem vrbem suam in profundo calamitatis gurgite.

Sed de hoc habitu lugentium dixi iam lib.9. per initia, & locis aliis. Hinc factum, vt *surgere*, pro cessare à luctu aliqui dixerint, quæsita oppositione. Albinouanus ad Liuiam,

Oppositum eius surgo.

Alta mane, supraq́ue tuos exsurge dolores.

Sen. de Cõsolat. ad Marciam c.2. de Octauia sorore Augusti dolente de obitu Marcelli filij: *Talis per omnem vitam fuit, qualis in funere, non dico, non ausa consurgere, sed alleuari recusans.* Id est, vt sederat in funere, ita semper sedit, nolens nec surgere, nec leuari.

21. ET COELVM TERRITAT ARMIS.] Ait Erasm. Ch.2. Cent.4. c.6. allusum à Poëta ad bellum Gigãtum, qui in cœlum feroces. Adnectitque verba Synesij in epist. ad Andron. τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράττειν ἐπιχειρεῖ: *capite conatur cœlũ perrumpere.* Potest. Sed ego potiùs capio de inani conatu, non de feroci, qualis Gigantum. ideo *territat*, & *cœlum*, quasi terriculamenta nihil possint cœlum lædere.

Territare, quid.

22. DVCIQVE IVBES.] Ita in multis legitur. Sed legendum videtur *dici*, ne repetat otiosè, nam præcesserat *mitti*. Ergo sententia est: Cùm iubeas mitti dona, & dici mandata, adiice, &c.

Lectio Virgiliana.

23. QVIN NATAM EGREGIO GENERO, &c.] Locũ Hom. ex Iliad.7. vbi decernitur, vt Helena Græcis reddatur, iam suprà adduxi. Adiũgo hîc locum Cal. lib.2. apud quẽ pari cum Homero aura Polydamas,

Ἀλλ' ἤδη Δαναοῖσι, καὶ εἰ βραδύ, λώϊον εἴη
Εἰσέτι κυδαλίμην Ἑλένην, καὶ κτήματ' ἐκείνης:
Sed iam Danaïs, etiamsi serò (tamen) *est conducibilius*
Adhuc (tradamus, *nobilem Helenã, & eius possessiones.*

Quòd

ᵃ Quòd si tantus habet mentes, & pectora terror,
Ipsum obtestemur, veniámque oremus ab ipso:
Cedat ius proprium Regi, patriæq; remittat.
ᵇ Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proiicis? ô Latio caput horum, & causa malorum?
ᶜ Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes
Turne, simul pacis solum inuiolabile pignus.
ᵈ Primus ego, inuisum quem tu tibi fingis (& esse
Nil moror) en supplex venio, miserere tuorum,
Pone animos, & pulsus abi. sat funera fusi
Vidimus, ingentes & desolauimus agros.
ᵉ Aut, si fama mouet, si tantum pectore robur
Concipis, & si adeò dotalis Regia cordi est,
Aude, atque aduersum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet vt Turno contingat Regia coniux,
Nos animæ viles, inhumata, infletáque turba
Sternamur campis: etiam tu, si qua tibi vis,
Si patrij quid Martis habes, illum aspice contrà,
Qui vocat.

ARGVMENTVM.

Pars altera orationis, quæ tota ad Turnum, qua petit, vt vel cedat Æneæ nuptiis, vel pugnet cum illo monomachia.

EXPLICATIO.

ᵃ SENTENTIA est. Si, quominùs natam des Æneæ, Turnũ times, ô Latine, obtestemur ipsũ (inuidiosè, *ipsum*) & oremus veniam, vt cedat tibi Regi ius tuum proprium, idque in gratiam patriæ. Quasi dicat: Patiatur, te Regem vti iure tuo. Dissensi in explicatione hac ab omnibus, qui *ius proprium* referunt ad Turnum: ego ad Latinum refero. est enim maior emphasis; & nihil dici acrius potuit ad Latinum mouendum. Aliter tum frigida est sententia, tum falsa. Nam nullum ius Turni ad nuptias Lauiniæ.

ᵇ Apostrophe ad Turnum, vbi omnia emphatica. Quid *ciues* scilicet tuos, *proiicis* vt viles *in pericula aperta*, idq; *toties*, & quidem *miseros*, te vno miseriam hanc afferente? Nam, quæ maior miseria, quàm innocẽtes ciues infelicitatem tuam communicare? Demum erumpit in illud, *ô Latio caput horum, & causa malorum*, quod nemo iustè expendat. Tu causa es, non Latinus, non Æneas, qui pacem volunt. & *causa* ait, in qua voce latet criminatio.

ᶜ Atqui in bello esse solet salus, nam ab eo pax. Quid ergo dicit Drances? Tuo in bello nulla est salus, ô Turne. Nam tantùm territas, fidis fugæ, tentas castra hostium, nihil proficis. Ergo, pacem, quæ solet bello haberi, habeamus à voluntate tua, hanc poscimus à te Turne: atque etiam *pignus pacis*, id est, Lauinium. hoc vnicum pignus est, non aliud.

ᵈ Illusio ad concitandam inuidiam: nihil enim minùs, quàm supplex erat. Tu fingis me tibi hostem, non certè sum: sed tibi, & patriæ consulo. Sed esto, sim tibi hostis verus, nihil hoc moror (*nos, & me damnida*) dum pro patria hostis sim tibi. Ergo, ego qui hostis *supplex venio*, ἐμφατικῶς, *miserere*, si non mei hostis, *tuorum*: atque *animos pone*, vt toties victus, *& abi pulsus*, nulla te tibi suffragante ad has nuptias. Nam quid aliud superest post tot funera, post tot agros vastatos? Nam videlicet iam nulli erant agrorum cultores, cùm hi vocati essent ad militiam.

ᵉ Suadet iam, vti solus congrediatur cum Ænea singulari certamine, si tantopere ambit Lauiniæ nuptias, & propriæ confidit virtuti. Nam causa hæc priuata est, non publica. Cur enim illi, ad quos ista nihil pertinent, sternantur campis (vt viles animæ) inhumati atq; infleti, quæ extrema est miseria? Multa ex his plena ἐμφάσεων. Si Turnus obiiceret. Atqui humati omnes sunt, qui ceciderunt. Diceret Drances; non tuo, sed Æneæ beneficio. Absoluit tandem. Si tibi vis est in animo, vel à te, vel concepta à patria, en hostis, qui te vocat ad monomachiam. Dixi *à patria* explicans illud, *Si patrij quid Martis*, nam Turnus non Martis filius.

NOTÆ.

1. TERROR.] Ducta mihi videtur locutio à nocturnis terriculamentis, quæ inania cùm sint, pauore tamen implent. Ita Soph. in Elect.

Ἐκ δείματός τȣ νυκτέρȣ, δοκεῖ ἐμοὶ (subaudi) πεπεισμένη:

Nocturno terriculamento, vt mihi videtur, persuasa est. Id enim intendit Drances, Turni omnia inania esse. Ideo suprà, *& cælum territat armis*, de futiliter ostentabundo. — Terror vnde.

2. CEDAT IVS PROPRIVM, &c.] Cùm Drances in medio reprehensionis feruore, docet Turnum, quid illi sit faciendum, apto huc verba Isocrat. orat. περ. εἰ. quibus ait, munus esse obiurgantis, μὴ μόνον κατηγορεῖν τῶν πεπραγμένων, ἀλλὰ καὶ συμβουλεύειν ὧν ἀπεχόμενοι, καὶ τίνων ἐπιθυμοῦντες: *non solùm, quæ perperàm fiant, accusare, & ostendere etiam viam emendandi, & à quibus debeant fugere, quæ amplecti.* — Obiurgantis munus.

3. IVS.] Vlpiani I. C. error manifestus est ducentis *ius* à *iustitia*, cùm contrà sit. nam à *iure iustus*, à *iusto* — Iustitia vnde.

iustitia; vt honestus ab honor, pigritia à piger.

Locorum similitudo. 4. PATRIÆQVE REMITTAT.] Simili oratione Iosephus lib. 7. Bell. Iud. cap. 4. ad obstinatos Iudæos, καὶ πολλὰ προσλιπαρῶν φείσασθαι τῆς πατρίδος: *precabatur enixè, patriæ parcerent*. Pergit multis.

5. QVID MISEROS, &c.] Similia apud Liban. in Declamat. Menelaus, vbi in Paridem coniicit rei malè gestæ euentum omnem. Locus est lōgus, omitto. Soleo dicere, duas esse ex vniuersis auctoribus speciosissimas ἀποστροφὰς, cum quibus nullas confero, hanc scilicet, & illam Tullij in Tuberonem, *Quid tuus ille Tubero*, &c. In vtraque par energia & vita.

Apostrophe.

6. APERTA PERICVLA.] Πρόδηλον κίνδυνον dixêre Demosth. & Thucyd.

Canum verba. 7. PROIICIS.] Allusum credo ad ἑλώρια Homerica, quæ prima Iliade dantur κύνεσσιν, id est, *canibus*. Nam *iacio*, *proiicio*, *abiicio*, & similia, sunt canum, vt iam 6. Æneid. ad illud de Cerbero, *offam obiicit*. Vt dicat Drances, vilissimos nos putas, & proiicis, vt simus laniamenta canum.

Caput, & causa malorum. 8. CAPVT HORVM, ET CAVSA MALORVM.] Demosth. in Chers. κακῶν Φίλιππος ἐστιν αἴτιος. idem orat. 13. κεφάλαιον ἁπάντων. Æschin. contra Ctesiph. πάντων δὲ τῶν κακῶν αἴτιος γίγνεται. In his vides κεφάλαιον respondere *capiti*, & αἴτιον *causa*, videlicet, vt crimen, nam inde *accuso*. Sic & soror dicitur ab Electra apud Soph. malorum αἰτία. Flexu alio, & pleniore Plut. in vita Crassi de Ariamene quodam, qui malorum Crassi omnium causa fuit. πάντων, ὅσα συνήνεγκεν εἰς ὄλεθρον ἡ τύχη κακὰ μέγιστον αὐτοῖς καὶ τελεώτατον γενόμενος. Idem in Agesilao, κακῶν αἴτιος ἐκκαύσας τὸν πόλεμον. Vbi cum auctore mali coniungit fuisse quoque belli facem.

Pax melior bello. 9. NVLLA SALVS BELLO.] Ita Isocrates in ea, quæ est de Pace, dixit, τὴν μὲν ἡσυχίαν ὠφελιμωτέραν εἶναι τῆς πολυπραγμοσύνης: *Vilius esse otium, & cedere in maius lucrum, quàm bello nundinari*. Euripides in Supplic.

Ὅσῳ τε πολέμου κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς:

Quantò pax melior est bello mortalibus.

Et in Oreste ait, θεῶν εἰρήνην esse καλλίστην. Contraria sententia Sen. in Herc. Fur. *Omnis in ferro est salus*.

Venio, de supplicibus. 10. SVPPLEX VENIO.] Quæsitum verbum ad rē. Nā ἱκέτης, id est, *supplex* ab ἵκω, id est, *venio*. Sic illa, *Plemmyrium vndosum, acanthida dumi, capræ carpetis*, & sexcenta in hoc Vate.

Ponere animos. 11. PONE ANIMOS, ET PVLSVS ABI.] Sūptus sermo à forēsibus repulsis. Quò etiā spectauit Ouid. 2. Amor. Eleg. 9. *Sæpe repulsus eam*. quod arripuit Propert. Eleg. 4. lib. 2. nam in re amoris, *sæpe repulsus eas*. Sed cùm Poëta præmittat, *Pone animos*, dubitabam an esset ductus sermo à tauris victis, cùm pelluntur pascuis à victoribus, abeúntque posita ferocitate animi: nam, non dubium, quin Drances respiciat ad fugam Turni è bello, quæ habetur lib. 10.

Belli mala. 12. SAT FVNERA FVSI VIDIMVS.] Est hoc, quod Eurip. in Androm.

———πτώματα

Πλεῖστ' Ἑλλάδος πίπτοντα δορὶ τῶν νεκρῶν:

———*cadauera*

Multa iacent in Græcia mortuorum cæsa armis.

Amplificat locum hunc Calab. lib. 1. nominatis personis ad maiorem conquestionem. Nam parentibus desiderantur τέκνα, *liberi*: vxoribus ἀνέρες, *viri*: filij deflent τοκῆας, *parentes*: sorores tristantur ἀδελφῶν ἐπ' ὀλέθρῳ, *de exitio fratrum*. ac nemo tandem ἔζυγης κακότητος ἄμμορος, *immunis est calamitosæ infelicitatis*. Tractat & locum hunc Hom. 6. Iliad.

Λαοὶ μὲν φθινύθουσι περὶ πτόλιν, αἰπύ τε τεῖχος

Μαρνάμενοι. σέο δ' εἵνεκ' ἀϋτή τε, πτόλεμός τε

Ἄστυ τόδ' ἀμφιδέδηε:———

Pereunt populi circa vrbem, & altos muros

Conflictabundi, tuique causâ clamórque, & bellum

Circa vrbem ardet.———

Vastare. 13. INGENTIS ET DESOLAVIMVS AGROS.] Est hoc, quod in 8. *vastant cultoribus agros*. Aristid. in 2. Platon. κενὴν ἀνθρώπων χώραν. Pulchrè Eurip. in Herc. ἄλσος ἠρήμωσε, scilicet Hercules, *nemus viduauit*. Noster lib. 8. *viduasset ciuibus vrbem*. Iterum Euripid. in Rheso, πόλεις ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐκένωσε: *vacuefecit vrbes viris præstantibus*. Stat. 4. Theb. *Phocida celsam vastat*, quod scilicet Xenoph. 4. ἑλλ. τὴν μὲν χώραν ἐρήμωσε. Notetur locutio Hom. Iliad. 23. πολέος πεδίοιο, pro, *ingentis agri*.

Dotalis. 14. DOTALIS REGIA.] Nota diligenter intelligi à Poëta feminam ἐπίκληρον, nō ἐπίπροικον. Est enim femina ἐπίκληρος, ad quam tota hæreditas deuoluitur, nulla reliqua prole mascula: ἐπίπροικος autem tantùm est, quæ partem hæreditatis in dotem accipit.

15. SCILICET VT TVRNO, &c.] Ab explorato hoc loco Stat. 3. Theb. ore Capanei, Locorum similitudo.

———*quid vota virûm meliora moraris?*

Scilicet vt vanis auibus, natóque, domóque,

Et thalamo potiare iacens, sileamus inulti?

16. NOS ANIMÆ VILES.] Lucan. lib. 5. Vilis anima.

Aut quæ nos viles animas in fata relinquens.

Et lib. 7. *& viles animas, perituraq́; frustra Agmina*. Sunt *viles animæ*, seruorum animæ. Certè illud Petronij, *vilissimo sanguine Tutelam placare*, explicat Ianus Dusa, *seruili & fugitiuorum sanguine*. Et ego firmo. Nam Petron. idem, *Vilis seruus habet Regis bona*.

17. INHVMATA, INFLETA.] Duo dicit, quæ ludibrij plena, scilicet turbam ἄταφον, ἄκλαυστον. Inde sequitur, sterni campis cum contumelia. De vtraque iniuria, iam aliis locis, de prima in decimo, de altera suprà in hoc libro. Quod Virg. *infleta*, Ouid. in Ibim, *indeploratum caput*. Et quidem contumeliosum esse ita sterni corpora, nullo eget testimonio. Sed mihi nunc ante oculos Herodian. lib. 4. vbi iungit ἀθάπτα τὰ ἐρριμμένα, & μηδ' ὁσίας. Infletus. Indeploratus.

Aspice contra. 18. ASPICE CONTRA.] Græci has voces ligant more suo. Nam illi ἀντιδέρκεσθαι, ἀντοφθαλμεῖν, ἀντιβλέπειν, ἀντωπεῖσθαι. Ceterùm sententia eadem est cum illa Homerica Iliad. 13. αὐτὸς ἐναντίος ἵσταθ' ἐμεῖο. Plutarchus in Sertor. καὶ τῷ Σερτωρίῳ μονομαχῆσαι προκαλεῖσθαι τὸν Μέτελλον. Virgilius voluit simplex *vocat*.

ᵃ Talibus exarsit dictis violentia Turni,
Dat gemitum, rumpítque has imo pectore voces.
Larga quidem semper Drance tibi copia fandi,
Tum cùm bella manus poscunt, patribúsque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,

Quæ

Quæ tutò tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger murorum, & inundant sanguine fossæ.
ᶜ Proinde tona eloquio, solitum tibi, méque timoris
Argue tu Drance, tot quando stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit, passímque trophæis
Insignis agros. Possit quid viuida virtus
Experiare licet: nec longè scilicet hostes
Quærendi nobis, circumstant vndique muros.
Imus in aduersos? quid cessas? an tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibúsque fugacibus istis
Semper erit?

ARGVMENTVM.

Turni orationis pars prima, qua in Drancem inuehitur, eius in loquendo futilitatem eleuans, & in agendo ignauiam reprehendens.

EXPLICATIO.

ᵃ ARDEBAT Turnus oratione Latini, iam nouis contumeliis exarsit, gemit vt vir fortis, gemitum sequuntur voces, quas rumpit è pectore. His verbis satis indicatur habitus futuræ orationis.

ᵇ Incipit à reprehensione importunæ eloquentiæ totus in Drancem inuectus. Itaque, eloquentiam non reprehendit, sed importunitatem (ἀκαιρίαν vocat Demosth.) nam *tunc, cùm bella manus poscunt*, ille largissimè loquitur, & lingua abutitur, idque *semper*, vt qui de more habeat: primúsque accedit ad consilium patrum ad res belli expendendas, qui hostem nunquam vidit, *sed non replenda est curia verbis*, imò defendenda factis. Quæ verba *volant*, vt inutilia: & *magna*, nam plena fastus & arrogantiæ: & *tibi* inconsulto; & *tutò*, quia tunc videlicet loqueris, cùm muri hostem à te distinent, nec fossæ inundant sanguine. Propriè autem *agger* de muris, nam hæc vox includit & palos & terram, quibus fiebant munitiones ad tuenda castra, quod iam alibi.

ᶜ Incipit iam insultare Dranci. *Tona eloquio*, non armorum strepitu. Sequuntur acerbissimæ ironiæ. Nam quî daret aceruos mortuorum, & agros trophæis nobilitaret atque insigniret, cui virtus in lingua, cui larga fandi copia, qui tantùm eloquio tonaret? Adiicit, *possit quid viuida virtus*, &c. Perinde ac si dicat: vis scire vter nostrûm fortior, tu, an ego? adsunt hostes, non longè illi quærendi, vt qui muros nostros circumstent. *Imus in illos?* ita prouocat ad eundum. Cessabat Drances, ideo *quid cessas?* Pergit. *An tibi Mauors* armorũ Deus *in lingua ventosa?* quia dixerat, *volant tibi verba*, & in *pedibus istis* (δειξικῶς) *fugacibus*, nihil enim magis à Marte alienum, quàm fuga. Notat Iul. Scal. cap. 24. lib. 3. Poët. hanc propriè esse translationem criminis, nam cùm non possit negare Turnus obiecta à Drance, videlicet, cæsa tot ciuium millia, & magnam stragem, & hanc suâ causâ, transfert crimen obiiciendo Dranci ignauiam, vt rẽ leniat ab indignitate personæ obiicientis.

NOTÆ.

1. TALIBVS EXARSIT, &c.] Respectum vult Vr- *Locorum similitudo.* A sin. ad illud Iliad. 1. ὣς φάτο, Πηλείωνι δ᾽ ἄχος γένετο. Ego ad illud Calab. lib. 2. vbi post audita acerbissima verba Paridis, ὁ δ᾽ὁ χωόμενος φάτο μῦθον Πουλυδάμας: *iratus autem Polydamas respondit.* Vel etiam ad illud eiusdem lib. vbi post verba intemperantissima Thersitæ, ὃ δέ οἱ ἀσχαλόωντι θυμῷ Πηλείδης ἐχόλωσε. Est & frequẽs illud in Hom. τὸν δ᾽ ἄρ᾽ χολωσάμενος ἀντίον ηὔδα. Tale quiddam est in histor. Ioseph. lib. 1. Bell. Iud. cap. 10. vbi quidam inducuntur μᾶλλον ἀγανακτοῦντες; quòd videlicet amicè admonerentur μὴ θ᾽ ἑαυτοῖς ἀπωλείας αἰτίους, μή τι τῇ πατρίδι πολέμου γίνεσθαι: *ne essent auctores & sui exitij, & belli in patriam.* Considero & quidpiam in Poëta, videlicet ductam locutionem ab lebetè æstuante præ vi ignis, qualem ipsemet descripsit 7. Æneid. ad comparandas eiusdem Turni iras his au- B reis versibus (adduco tantùm extremos)

Exultántque æstu latices, furit intus aqua vis,
Fumidus. atque altè spumis exuberat amnis,
Nec iam se capit vnda, volat vapor ater ad auras.

Accommodo hunc in modum. *Turni violentia* respõdet *vi aquæ.* verbum *exarsit* verbo *furit.* τὸ, *dat gemitum laticibus æstu exultantibus.* τὸ, *rumpítque has imo pectore voces vndæ non se intus capienti*, & *volantibus ad auras vaporibus.* Sed non necesse, vt semper Poëtæ comparationes adiungant, satis est ad illas referant sermones. *Comparatio nõ semper adducenda.*

2. VIOLENTIA TVRNI.] Consequenter, nam *exarsit*; & *violentia* etiam de igne dicitur. Inde in adductis versibus de aqua æstuante, *furit intus aqua vis.* Deinde, *Turni violentia*, vt βίη Ἡρακλῆος. Sed cur C ita furens Turnus? quia, vt ait Eurip. in Androm.

Οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους
Πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο.

Ait scilicet, homines fastu plenos, & magna spirantes acerbè ferre potiora consilia, & sermones inferiorum. *Superbi notæ.*

3. LARGA QVIDEM SEMPER, &c.] Ductus locus ab illis 2. Iliad. *Imitatio.*

Ὦ γέρον αἰεί τοι μῦθοι φίλοι ἄκριτοί εἰσιν,
Ὥς ποτ᾽ ἐπ᾽ εἰρήνης, πόλεμος δ᾽ ἀλίαστος ὄρωρεν:
O senex semper placent tibi verba indiscreta,
Sicuti olim in pace (ita & nunc) orto bello ineuitabili.

Dicuntur porrò hæc à Turno in contumeliam. Nihil enim magis à bello alienum, quàm verba, vbi facto est opus. Inde signatissimè Poëta, *tunc, cùm bella* D *manus poscunt.* Liu. lib. 45. loquens de homine, qui in bello segnis: *Ille nihil, præterquàm loqui.* Siccius Dentatus apud Dionys. lib. 20. exprobrans ait, *Totus illorum splendor, non in armis, sed in verbis est positus.* Vitium hoc notat Demosth. in Cherson. παρεσκευάσατ᾽ ὑμᾶς ἐκ πολλῶ τῶν πολιτευομένων τινες, ἐν μὲν ταῖς ἐκκλησίαις φοβεροὺς καὶ χαλεποὺς. ἐν δὲ ταῖς παρασκευαῖς ταῖς τοῦ πολέμου ῥαθύμους *Loquaces timidi sunt.*

ῥαθύμως καὶ εὐκαταφρονήτως: *Iam olim quidam Reip. gubernatores ita vos parauerunt, vt in concionibus metuendissimi & acres, in bellicis verò apparatibus remissi & aspernandi.* A
Non abludit Hom. 16. Iliad.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ᾽ ἐνὶ βουλῇ:
In manibus finis belli, verborum in consilio.

Mars cur Græcis Ἄρης. Neque etymologia Suidæ, à quo Ἄρης, id est, *Mars* dicitur ἀπὸ τοῦ ῥῶ, ῥέειν, & α, priuante, redditque rationem hanc, ὅτι ἐν τῷ πολέμῳ οὐ λόγων, ἀλλ᾽ ἔργων χρεία: *quòd in bello necessaria non sint verba, sed facta.* Inde Homer. 16. Iliad.

—οὔ τι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι:
—*nihil necesse est verba augere, sed pugnare.*

Euripid. in Suppl. vnico verbo laudes Tydæi amplectens ait.

Τυδεὺς δ᾽ ἔπαινον ἐν βραχεῖ θήσω μέγαν,
Οὐκ ἐν λόγοις ἦν λαμπρὸς, ἀλλ᾽ ἐν ἀσπίδι
Δεινὸς σοφιστής——
Tydei laudem magnam vnico verbo absoluam,
Non erat clarus in loquendo, sed in clypeo
Acer sophista.

Sophista in armis. Quia vera belli dissertatio posita in armis, non in verbis. Inde laus illa Iugurthæ apud Sallust. *Plurimum facere, & minimum ipse de se loqui.*

4. COPIA FANDI.] Notat facundum, non eloquentem. Nam Varro lib. 5. Ling. Lat. *Qui facile fantur, facundi dicti.* A quo Isid. 10. etym. *facundus dictus, qui facilè fari possit.* Facũdi qui.

5. SED NON REPLENDA EST CVRIA VERBIS.] Credamus allusum ad veterem parœmiam, οὐ λόγων ἀγορὰ δεῖται Ἑλλάδος, ἀλλ᾽ ἔργων: *Græcorum forum non verbis eget, sed factis.* Ego credo in tota hac oratione propositum Poëtæ Calabrum ad imitationem lib. 2. vbi Paris non dissimili ratione inuehitur in Polydamantem, vbi is vocatur φυγοπτόλεμος, ἄναλκις: *fugiens bellum, & ignauus.* Et ad illum, εὔχεαι εἶναι ἄρειος ἐν βουλῇ: *te in consilio fortem esse prædicas*, & tamen χερείονα μήδεαι εἰδὼς, *nosti deteriora consilia.* Quamobrem ἀπόσχου δηιοτῆτος, *abstine à bello*, μίμνε ἐνὶ μεγάροισι, *cessa in ædibus.* & καθήμενος, *deses.* nam οἱ ἄλλοι ἀμφ᾽ ἐμοὶ θωρήξονται, *alij mecum vna armabuntur.* Pergit aliis. Facta, non verba ptou C

Magna verba. 6. MAGNA.] Verba superbiæ plena vocat *magna.* Soph. Antig. μεγάλης γλώσσης κόμποις: *magna linguæ fastus*, id est, arrogantis linguæ. Cyprianus de Bono Patient. *non loquimur magna*, id est, non iactabunda. Inde & μέγα φρονεῖν, non tantùm de sensu animi, sed etiam de verbis plenis tumore. Propert. Eleg. 5. lib. 1. & Tibull. Eleg. 6. lib. 2. hoc sensu vterque *verba fortia*, id est, superba, vti apparet ab extremo, qui ait, D Fortia verba.

Magna loquor: sed magnificè mihi magna locuto
Excutient clausæ fortia verba fores.

Vides, vti explicet *magna verba* esse *verba fortia.* Hos homines λόγοις θρασεῖς vocat. Eurip. Phœniss.

Distinere hostem. Agger. 7. DISTINET HOSTEM AGGER MVRORVM.] Hom. 12. Iliad. ὡς ἄρα τοὺς διέεργεν ἐπάλξεις: *sic hos distinebant propugnacula.* Huiusmodi aggeres in Prolog. Hist. Iosephus vocat προσβολὰς, χώματα, περιβολὰς τῶν τειχῶν.

Lectio Virgiliana. 8. NEC INVNDANT SANGVINE FOSSÆ.] Sustineri hæc lectio potest, & explicatio nostra. Sed certius est hîc debere legi, *& inundant*, postulante hoc sententia. Neque hæc facultas debet censeri Poëtis noua.

9. PROINDE.] Habet hoc loco magnam emphasin: quasi dicat. Quid prodest me esse fortem, quãdo hîc imbellis ita in me eloquio tonat: Itaque respondebit voculæ ἔπειτα, quæ interdum Græcis cum magna emphasi, vt cùm Aristophan. in Vespis dixit, Proinde, qua emphasi.

Ἔπειτα παῖδας χρὴ φυτεύειν καὶ τρέφειν,
Ὅθ᾽ οὗτοι μ᾽ οὐτ᾽ ἀποπνῖξαι βούλεται:
Proinde oportet liberos procreare & nutrire,
Quando iste suffocare me nunc vult.

Ac si dicat. Quorsum liberos procreamus, quando hîc me partem suffocare vult?

10. TONA ELOQVIO.] Ita Aristoph. in Equitib. de Pericle, ἐλαστρέφων ἀστράπτει rumpens verba fulminei. Vide 6. Æneid. vbi dici *tono*, & *fulmina* de eloquentiâ probaui ex Hieronymo, Ammiano, Prudentio. Hinc soleo explicare versum Soph. in Elect. B Tono, de eloquentia.

Ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών:
Exultans sermonem quendam iactasse dicitur.

Ducit enim locutionem à fulminibus; nam verbum βάλλω de his dicitur. Nam Græci βαλεῖν κεραυνοῖς, & κεραυνοβολεῖν. Ergo βαλεῖν ἔπος erit, *tonare verbum.* præsertim si addas τὸ ἐκκομπάσας. Iactare sermonem, à fulminibus.

11. STRAGIS ACERVOS.] Ita lib. 6. *confusæ stragis aceruum.* Attius ἐπὶ ναυσὶ μαχ. apud Nonium, Aceruí mortuorum.

Scamandriam vndam sanctam salso obtexi sanguine,
Atque aceruos alta in amni corpore expleui hostico.

Hos corporum aceruos in Xãtho Hom. ita Iliad. 21. στρόφθαλος νεκύων. Aliqui in Virg. legunt, *tot quando cædis aceruos.*

12. VIVIDA VIRTVS.] Lucret. lib. 1. *viuida vis animi.* Tertull. 1. aduers. Marcionem: Viuida virtus.

Certatus, magni possit quid viuida virtus.

13. LICET.] Hac vocula fieri insultantiam amara quadam & ironica concessione, certum est. Inde Ouid. 3. Metamorph. Licet, ad insultantiã.

Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare, licet.———

14. CIRCVMSTANT VNDIQVE MVROS.] Hom. 16. Iliad. τεῖχος ἀμφιμάχονται.

15. IMVS.] Præsens ad vrgendum. Liu. pari emphasi lib. 27. *Quin imus, inquit, ipsi cum equitibus paucis exploratum?* Plaut. Cas. *Quin imus, ergo?* Pari energia Græci. Demosth. in Cherson. οὐκ ἀναστάντες ἤδη περιγενήσεσθε εἰς Πειραιᾶ; *Non itis iam in Piræum surgentes è loco?* & Hom. 12. Iliad. ἴομεν μετὰ μαχηταῖς. Imus, ad vrgendum.

16. QVID CESSAS?] Cessatorem in bello μετὰ μάχης Hom. vocat Iliad. 13. Sed frequentissima illius vox est per verbum μεθίημι. Cessator.

17. VENTOSA IN LINGVA.] Augustin. lib. 3. cont. Academ. cap. 7. *Videatur sanè quibuslibet Cicero hic non iocatus, sed inania & ventosa quædam, quod ab ipsorum Græculorum leuitate non abhorret, sequi & colligere voluisse.* Sedul. lib. 2. *Ventosa loquendi gloria.* Ab Græcis, à quibus lingua tantùm pugnat (& huc respicit Maro, cùm ait, *Mauors in lingua*) dicitur γλωσσαστής, vt cui lingua pro clypeo. Ouidius nono Metamorph. dixit, Ventosa lingua. Lingua pugnans.

Dummodò pugnando superem, tu vince loquendo.

Tales describens Iosephus in Prol. Hist. εὐθέως τὸ στόμα, καὶ ἡ γλῶσσα λέλυται: *patet continuò os, & soluta est lingua.* Putabam *ventosos homines* dici cum respectu ad *ventosos partus.* Nam quibus verba tantùm, & non facta, quid aliud potiùs potest conuenire?

• Pulsus ego? aut quisquam meritò fœdissime pulsum
Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tybrim

Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?
[b] Haud ita me experti Bitias, & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor ſub Tartara miſi
Incluſus muris, hoſtilíque aggere ſeptus.
[c] Nulla ſalus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebúſque tuis: proinde omnia magno
Ne ceſſa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ, contrà premere arma Latini.
[d] Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiſcunt:
Nunc & Tydides, & Lariſſæus Achilles:
Amnis & Adriacas retrò fugit Aufidus vndas.
[e] Vel cùm ſe pauidum contra mea iurgia fingit,
Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.
[f] Nunquam animam talem dextra hac (abſiſte moueri)
Amittes: habitet tecum, ſit pectore in iſto.

ARGVMENTVM.

Pars altera, qua virtutem ſuam attollit, Troianos contemnit, Dranci inſultat.

EXPLICATIO.

[a] DESERVERAT aciẽ Turnus eõmento Iunonis, vt habetur lib. 10. quò ſpectauit ſuprà Drãces illis, *Pone animos, & pulſus abi.* Ergo nũc Turnus, *Egóne pulſus*, qui potiùs illuſus ſum, vt aciem deſererem? ô *fœdiſſime, quiſquam ne inde arguet meritò me pulſum?* Quaſi dicat: fœdiſſima eſt, & inſcientiſſima iſta tua argumentandi ratio. Probat. Nam, quî dici poteſt bello *pulſus*, qui Tybrim Troiano ſanguine ita auxit, vt tumidum fecerit? qui Euandri domum ſtirpitus comminuerit, interfecto nato, ac proinde adempta in omne æuum poſtera ſobole? qui Arcadas armis exuerit? His probauit, fœdè admodùm increpitum ſe à Drance.

[b] Non contentus Turnus his ſucceſſibus in laudem ſui, addit virtutẽ, qua proſtrauit Gigantes duos Bitiam, & Pandarum: & qua infinitos alios interfecit die vna, idque incluſus muris hoſtilibus. Habentur iſta ad calcem libri noni.

[c] Dixerat Drances. *Nulla ſalus bello*, ſed pace. Repetit Turnus ironicè; & addit, *capiti cane*, &c. quaſi dicat: Hanc nullam ſalutem *cane*, ac diuina augur C dementiſſime *capiti Dardanio* (non nominat Æneam, ad contemptum) & *rebus tuis*. Pergit. *Proinde omnia*, &c. Sententia eſt: Cùm putes, nullam eſſe ſalutem bello, confundis omnia, & turbas metu. Sed ne ceſſa hoc facere, turba quantùm voles. Nam ſi extollis gentem Troianam, certè bis victam: ſi premis Latini arma, certè à me victricia.

[d] Sententia eſt ironica. Tu ô Drance, qui nobis metum vis ingerere pulchris tuis mendaciis, mentire & dic nunc fortiſſimos illos Myrmidonas, tum etiam Diomedem, atque Achillem timuiſſe *arma Phrygia*, id eſt, imbellia. Quis hoc credat? Mentire etiam amnem Apuliæ Aufidum retrò fugere ab mari Adriatico, in quod influit, permeato Apenino,

A vt Polyb. ſcribit lib. 3. διέῤῥει τὸν Ἀπεννῖνον. Mentire (inquam) illum retrò fugere præ metu Troianorum, vt quondam Xanthus Græcorum metu. Achilles dicitur *Lariſſæus* ab vrbe Lariſſa.

[e] Dixerat Drances. *Det libertatem fandi*, quaſi Turnum timeret: ſe etiam nunc pauidum ſimulabat ad Turni ſermonem. Ergo ait Turnus de Drance. *Timorem ſuum* (ita explicat Seru.) *naturalẽ inuidioſè in meam cauſam retorquet, vt meæ præſentia, non illius naturæ, quòd timet, eſſe videatur.* Ego aliter, quàm vulgus, verſus hos accipio, & puto illa, *artificis ſcelus*, includenda eſſe parentheſi, vt ſententia ſit. Et nunc etiam, cùm ego loquor, ſe fingit pauidum, & hac ſimulata formidine (ô ſceleratum artificem) acerbat meum crimen, id eſt, me adducit in acerbiſſimum crimen odij.

B [f] Adimit illi hunc metum. Non eſt meæ gloriæ tam vilem animam perdere, digna eſt illa tali pectore, tali domicilio, tecũ habitet, ſit vnà tecum: quamobrem *abſiſte moueri*, & quietus eſto.

NOTÆ.

1. AVT QVISQVAM MERITÒ, &c.] Totus hic locus adumbrat illum Hom. 8. Iliad. vbi Neſtor ita loquitur ad Diomedem:

Ὤ μοι, Τυδέως υἱὲ δαΐφρονος, οἷον ἔειπες. Imitatio.
Εἴπερ γάρ σ' Ἕκτωρ γε κακὸν, καὶ ἀνάλκιδα φήσει,
C Ἀλλ' οὐ πείσονται Τρῶες, καὶ Δαρδανίωνες,
Καὶ Τρώων ἄλοχοι μεγαθύμων ἀσπιστάων,
Τάων ἐν κονίῃσι βάλες θαλεροὺς παρακοίτας:

Ah, fili bellicoſi Tydei, quid dixiſti?
Et ſi te Hector ignauum, & imbellem dicat,
Tamen non credent Troiani, & Dardani,
Troianorúmque vxores magnanimorum ſcutatorum
Quarum in pulueres ieciſti iuuenes maritos.

2. CRESCERE TYBRIM SANGVINE.] Eſt hoc illud lib. 6. Flumina plena ſanguinis in cladibus.

Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.

Dilatat Horat. Od. 1. lib. 2.

Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod bellum Dauniæ

Non

Non decolorauêre cades? ———

Et Od.12.lib.eiusdem de mari Siculo, *pleno purpureum sanguine.*

Imitatio. 3. TOTAM CVM STIRPE VIDEBIT, &c.] Ita etiam Soph. Elect.

Φεῦ, φεῦ. τὸ πᾶν δὴ διαπεπόρθηται τῆς πάλαι
Πρόῤῥιζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος:

Heu, heu totum iam veterum dominorum
A radice, vt apparet, penitus interiit genus.

4. PROCVBVISSE DOMVM.] Ita & Æschyl. ἐν χοηφ. μέγαν δόμον πεπτωκέναι. Non dubium autem, quin Poëta ad arboris ruinam alluserit, ideo *stirpe*, & *procubuisse*. Lectori Virgiliano meditandum semper est, vnde Poëta sermonem sumat. Aduoco exêplum è lib.6. quia ibi omisi. Ait in eo libro loquens de labe, quæ animæ accedit ex consortio corporis,

———*penitúsque necesse est,*
Multa diu concreta modis inolescere miris.

Inolesco, ab insitione ad animam. vbi sermonem sumit proculdubio ab insitionibus arborum. Ipse 2. Georg. *vdóque docent inolescere libro.* Ergo, quemadmodum arbor, pura priùs, postquam insitionem accepit, habet admistionem alterius arboris: sic anima, quæ ex igni & aëre (vt Poëta loquitur) terrenum quiddam accipit ex terreno corpore. Ideo *penitus*, nam insertum germen penetrat. & *miris modis*, nam arbor, quæ inoculatur,

Miratúrque nouas frondes, & non sua poma.

5. PANDARVS INGENS.] Quippe lib.9. de Bitia, & Pandaro:

Quales aëria liquentia flumina circum
Consurgunt gemina quercus, intonsáque cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.

6. SVB TARTARA MISI.] Lib.12.

Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam.

Cane tibi. 7. CAPITI CANE TALIA DEMENS, &c.] Ab illo 2. Iliad.

Ὦ γέρον, τῷ δ' ἄγε νῦν μαντεύεο σοῖσι τέκεσσιν:

O senex, eia age cane nunc tuis filiis.

Geminum illud Aristoph. in Lysist. τοῦτο μὲν ὦ γραῦς αὐτῇ κρώζεις: *ô vetula tibi hoc crocites.* Aristid. in posteriore Sicula, εἰ δεῖ ᾗ μάντεις τρέπειν εἰς Συρακουσίων παῖδας, &c. & in priore, τρέποις δ' εἰς ἑτέρους ἡ βλασφημία. Sed hoc iam aliàs.

8. ATQVE EXTOLLERE VIRES.] Notat Victor. hæc eo animo dicta à Turno, vt indicaret, Drancem magnum esse oratorem, ac propterea orationem illius suspectam omnes haberent. Nam hoc esse maximum munus oratoris Cicero in Bruto ostendit, vímque omnem illius consistere, si sciat rem augere laudando, & rursus vituperando affligere. Et Arist. 2. Rh. huius rei signatè meminit. χρῶνται γὰρ πάντες τῷ μειοῦν, καὶ αὔξειν: *vtuntur omnes extenuatione, & amplificatione.* Hactenus Victorius. Volo hîc notes quidpiam non vulgare, etiamsi extra commentationem. Nam cur aliquando hoc non liceat? Amplificatio Rhetorum tãtùm est, si ductum Aristotelis sequaris, in suasione, in laude, in defensione: non in dissuasione, in vituperio, in accusatione. Id planum facit locus, quem adduxi ex Aristotele. Nam ad verbum αὔξειν, id est, *amplificare*, referũtur statim συμβουλεύοντες, ἐπαινοῦντες, ἀπολογούμενοι: *suadentes, laudantes, defendentes.* Ad verbum autem μειοῦν, id est, *extenuare*, referuntur ἀποτρέποντες, ψέγοντες, κατηγοροῦντες: *dissuadentes, vituperantes, accusantes.* Itaque, impropriè loquetur, qui dixerit, *amplificare alicuius vitia*: debet dicere, *extenuare.*

Oratoris munus maximum.

Amplificatio Rhetorum, quæ.

9. GENTIS BIS VICTÆ.] Primùm ab Hercule, deinde à Græcis. Ita lib.2.

———*satis vna supérque*
A *Vidimus excidia, & captæ superauimus vrbi.*

10. PHRYGIA ARMA.] Quasi, nulla. Nã Phryges mollissimi habiti. Dixi iam 9. Æneid. & alibi. Phryges molles.

11. ADRIACAS.] Cato in Orig. *Interiit oppidum Atria, à quo mare Atriaticum, quod nunc Adriaticum.* Adria vnde.

12. RETRO FVGIT.] Allusum ad Prouerb. ἄνω ποταμῶν χωροῦσιν αἱ παγαί. de qua re iam libris octauo, & nono.

13. AVFIDVS.] Attingit nemo, cur hũc fluuium præ aliis assumpserit. Animum adiicit Poëta Turni ore ad cladem Cannensem, quæ facta ad hunc fluuium, vt latè docet Polyb. lib.3. quasi dicat: Non sunt hi ferocissimi illi Carthaginienses, ab quorum terrore, & armorum strepitu retrò fugit Aufidus. Neque obstat, cladem hanc nondum peractã. Nam B quis ignorat Poëtam in toto hoc opere allusisse ad futuras res Romani Populi? quod sæpe iam visum. Aufidus.

24. VEL CVM SE PAVIDVM, &c.] Proprium meticulosi & ignaui est, vt colorem mutet ex insito pauore, habitum etiam & corporis, & loci commutet, sítque inquietus. Hæc omnia proculdubio Poëta notat, quem illustro ab Homero, & Pindaro. Ait prior lib.13. Iliad. Meticulosæ notæ.

Τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ,
Οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμός,
Ἀλλὰ μετοκλάζει.———

Ignaui enim mutatur color aliter aliàs,
Neque ei quietè vt sedeat continetur in mentibus animus,
Sed mutat sedem.———

C Et Iliad.17. vt Troianos meticulosos esse significet, ait, τρέπετο χρώς, *mutabatur color.* Posterior totus Homero hærens Od.3. Nem.

———ψεφεννὸς ἀνὴρ
Ἄλλοτ' ἄλλα πνέων, οὔ ποτ' ἀτρεκεῖ
Κατέβα ποδί.———

Obscurus vir aliàs alia spirans nunquam pede exactè stabili incedit.

15. ANIMAM TALEM HANC.] Id est, ψυχὴν οὐτιδανήν, vt loquũtur Græci, *nullius pretij animam.* Plutar. in vita Aristidæ vocat, ἐπὶ σώμασι μαλακοῖς ψυχὰς ἀνάνδρους, *in corporibus mollibus effeminatas animas.* Inde statim, *habitet tecum, & sit corpore in isto*, id est, in molli corpore mollis anima. Et Cal. libro secundo dixit, Anima ignaua.

D

Οὐδέ τοι ἐν στήθεσσι φίλεν μενεδήιον ἦτορ,
Ἀλλὰ δέος, καὶ φύζα:———

Non tibi inest in pectore fortis animus,
Sed metus, & fuga.———

Et fortasse respectum ad illud Sallust. Catil. qui de ignauis ait, *anima oneri fuit.* vt sententia sit: porta tecũ hoc onus animæ. Clariùs: animam onerosam.

16. AMITTES.] Cùm Turnus nolit inquinari vili sanguine, pertinent ad hunc locum versus Phædri in fabella, vbi, cùm aper vellet irruere in asinum, tamen iram repressit: Vili sanguine nemo inquinandus.

Aper cùm vellet facere generosum impetum,
Repressit iram: & facilis vindicta est mihi,
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

E Quem ad locum Riter. coniungit Guntherum de leone ita loquentem,

———*sperníque minore*
Tingere cæde genas, & vili sanguine pasci.

Et tu poteris Epigrammata aliquot Martialis de leone & lepore, illud imprimis, cuius initium, *Quid nunc sæua fugis*, &c.

410. a Nunc

ᵃ Nunc ad te, & tua, magne pater, consulta reuertor.
Si nullam nostris vltrà spem ponis in armis,
Si tam deserti sumus, & semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum,
Optemus pacem, & dextras tendamus inermes.
ᵇ Quanquam ô si solitæ quicquam virtutis adesset,
Ille mihi ante oculos fortunatúsque laborum,
Egregiúsque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.
ᶜ Sin & opes nobis, & adhuc intacta iuuentus,
Auxilióque vrbes Italæ, populíque supersunt:
Sin & Troianis cum multo gloria venit
Sanguine, sunt illis sua funera, párque per omnes
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies, variúsque labor mutabilis æui
Rettulit in melius: multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

ARGVMENTVM.

Pars tertia, qua Latino satisfacit de cæde vagante etiam per hostium castra pari tempestate, ac proinde nihil desperandum à victoria.

EXPLICATIO.

ᵃ LATINVS dixerat, *consulite in medium*, ergo Turnus, *reuertor ad tua consilia.* & vide artem B oratoris, ab turbido cursu orationis in Drancem conuertit se ad quietum & lenem. Vituperat verò consilia Latini de pace, sed occultè, non ausus palàm. Posita verò occulta ista vituperatio in proponendis rebus, quæ indecoræ. Est enim indignum ita abiectò esse animo, vt nulla spes in armis ponatur; vt putent se desertos, quia negata auxilia ab Diomede: vt dicant funditus se perire, quia semel versum agmen: demum, quia amentissimum est existimare, fortunam non habere regressum, cùm varia sit, & nihil illa mutabilius. Ab tot indignitatibus concludit id, quod indignius, *oremus pacem*; & quod indignissimum, *& dextras tendamus inermes*, quod prorsus seruile est.

ᵇ Ab tanta indignitate exclamat veluti corrigens, quæ dixerat de dextris inermibus. Perindè acsi dicat: Quanquam quid ô dixi? vos me cogitis, in quibus nihil pristinæ & solitæ virtutis video. Illi solum egregio animo fuêre, ac proinde suis in laboribus felices, qui iam cecidêre in acie, ne viderent indigna hæc. Innuit latenter illos, qui aderant, fuisse cessatores in bello, nec respondisse solitæ Italorum virtuti: ac proinde, nunc cogitare de pace, vt qui hostem formident.

ᶜ Moles huius orationis tota opponitur superiori. Dicitis, nullam esse spem in nostris armis, atqui sunt *nobis opes*, estque imprimis *iuuentus*, & hæc *intacta*, & integra. spes ergo est. Dicitis, esse nos desertos, atqui *supersunt nobis auxilio vrbes Italæ, populique.*

A Dicitis, periisse nos funditus, quia semel versum agmen, atqui Troiani non vincunt sine sanguine, imò paria in illis funera, par tempestas. Hoc cùm sit, cur deficimus in ipso limine? cur tremitis ante tubam? Dicitis demum, fortunam carere regressu, atqui illa est mutabilis, imò ludit cum mortalibus locans in solido, quem priùs deiecerat; & nihil est tam deforme, quod non in melius referatur, variante semper rerum vice.

NOTÆ.

1. NVNC AD TE, ET, &c.] Tale quid Lucill. Imitatio.

Nunc ad te redeo, & quæ res me impendet, agatur.

Nec longè abit illud Hom. Iliad. 18.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ:

Sed illa quidem antefacta esse sinamus, dolentes quamuis.

2. ET SEMEL AGMINE VERSO, &c.] Ad Turni mentem, & Maronis cursum mirè quadrant verba ducis Dercyllidæ apud Xenoph. lib. 4. Anab.
C δεῖ δὲ ἐκ ὅπως ἔχειν, εἰ τῇ ναυμαχίᾳ ἐκρατήθημεν, οὐδὲν ἄρα ἔτι ἐσμέν: *Neque verò is rerum status est, vt qui nauali prælio victi sumus, nihil iam simus amplius.* Tu reliqua. Locorum similitudo.

3. DEXTRAS TENDAMVS INERMES.] Quippe supplices arma deponebant, quibus nudi se victoribus dedebant. Liu. lib. 28. *Patefacta repentè porta frequentes ex oppido sese eiecerunt. scuta præ se tenentes, ne tela procul conijcerentur, dextras nudas ostentantes, vt gladios abiecisse appareret.* Iulius 2. Ciuil. *Tum hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum ira perculsi, vrbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese*
D *porta foras vniuersi proripiunt.* Inde 1. Æneid. Supplices sine armis.

Tendentémque manus Priamum conspexit inermes.

Id est, nudas armis. Id potiùs placet ex habitu hoc supplicum, quàm illud Seru. id est, *sine sceptro.*

4. QVANQVAM O.] Budæus in Comm. pag. 1289. ait, hoc loco particulam *quanquam* non esse aduersantem, sed figuratam, vt illud Gazæ reddentis ex Quanquam ô, quid sit.

Cicerone, καὶ τί ὦ θεοὶ πανάγαθοι: *Quanquam ô Dij boni.* Sed aptius certè est, vt aduersantem putemus, dolet enim se dixisse, *inermes dextras tendamus.* Quid? quòd integrū hoc *quanquam ô*, videtur respicere illud Eurip. in Bacchis, vbi Bacchus in summa ira, cùm videat se despici à Pentheo dicit, ἀλλ' ὦ: *sed ô.* Ac proinde *quanquam* Virgilianum respondebit ἀλλ' Eurip.

5. SI SOLITÆ QVICQVAM VIRTVTIS ADESSET.] Cùm sententia sit, si esset virtus, non esset desperatio, quadrat in hunc locum sententia Eurip. in Furent.

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσιν
Πέποιθεν αἰεί, τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακοῦ:
Ille vir est fortissimus, qui cum spe
Confidit semper: nam desperare ignaui est hominis.

Desperare ignaui est.

6. FORTVNATVSQVE LABORVM.] Hellenicum, vt statim, *egregiùsque animi.* & in 2. *fidens animi.*

Fortunatus laborum.

7. ET HVMVM SEMEL ORE MOMORDIT.] Solemne hoc multis. Hom. 11. Iliad. de interfectis, ὀδὰξ ἕλον οὖδας: *mordicus prehenderunt terram.* Lycoph. in Alexand.

Mordent terram morientes.

Πολλοὶ δὲ πρόσθε γαῖαν ἐκ κείνης ὀδὰξ
Δάψουσι πρηνιχθέντες: ———
Multi priùs terram ab illa dentibus
Mordebunt præcipitati.———

De Eteocle, & Polynice Eurip. Phœniss. γαῖαν δ' ὀδὰξ ἑλόντες. Interfecti à Penthesilea apud Calab. lib. 1. dicuntur κόνιν δραγμοῖσι δεδραγμένοι. quasi ipsis mandibulis arriperent puluerem. & lib. 11. γαῖαν δ' ἐνέρεισαν ὀδόντας: *terræ dentes impressit.* Nonnus lib. 22. ἔσφιγξε μεμηνότι γαῖαν ὀδόντι: *compressit terram irato dente.* Hæc satis testimonia. Porrò formas, quibus alij hoc dixerint, reseruo ad locum alium huius libri. Sed hîc causam persequar, cur hoc ita solemne Vatibus. Sunt, qui hoc non referant ad morem aliquem, sed ad id, quod necessariò accidit, nam cùm aliquis pronus cadit, necesse est terra os conspurcet. Huc trahit Victorius Homerum, apud quem procus interfectus ab Vlysse χθόνα τύπτε μετώπῳ, *fronte terram percussit.* Et ego possum Agathiam, qui de Fulcari duce Herulorum moriente in acie tantùm ait, ἔπεσεν πρηνὴς ἐπὶ τὸ ἀσπίδος. & Virgilium, qui lib. 10. de cadente Pallante solùm dixit, *petit ore terram hostilem.* vt & Senecam in Furen. de Lyco, *terram petiuit ore.* atque etiam Hesiodum in Scuto, qui, δηρὶ τυπεὶς ἐρείσθη γαίῃ. nec non Horatium Od. 7. lib. 2. qui, *Turpe solum tetigêre mento.* Hæc ego attuli iuuans explicationem Victorij. Sed certè credibilius est, id ab Heroïcis Vatibus scriptum, vel causâ ostentandæ iræ in morientibus, ad eum modum, quo Stat. lib. 2. Theb. *immorsáque cadens obmutuit hasta.* & quo Liuius de cæsis Romanis in Cannensi prælio scripsit: *Inuenti sunt quidam mersis in effossam terram capitibus, quos sibi ipsos fecisse foueas, obruentésque ora subiecta, super humo iniecta, interclusisse spiritum apparebat.* Quod triste inuentum nulla res alia excogitauit, quàm ira & indignatio morientium. Sed clarè Nonnus lib. 22. ad iram retulit, ita scribens,

Morientiū indignatio.

———καὶ ὡς κοτέων ὀλετῆρι
Εὐρυχαίτης ἔσφιγξε μεμηνότι γαῖαν ὀδόντι:
———*& tanquam iratus occisori*
Latè hians compressit terram dente rabido:

Sic & apud Olaum Mag. lib. 5. Epit. de Gigant. cadens Starchaterus ferocitatem indicat hac vna re. Verba Scriptoris sunt. *Quod* (caput) *corpore auulsum, impactúmque terræ, glebam morsu carpsisse fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans.* Vel id faciebant cadentes, ne quis gemitus anteacta vita indignus exciperetur à circumstantibus. Quin (quod

A Delrius Noster commeminit in Comm. Sen.) fuêre Barbari hac constantia, vt cum risu etiam morerentur, ostentandæ vanitatis causâ. Nam de Agnero quodam ait Saxo lib. 2. Hist. *soluto in risum ore, per summam doloris dissimulationem spiritum reddidisse.* Et de eodem,

Ridendo excepit lethum, mortémque cachinno.

8. SIN ET OPES NOBIS, &c.] Præclarè ante auxilia & socios constituit opes suas. Nam frustra Princeps bellum illaturus alienis opibus confidet, nisi suis nitatur. In Thucydide vidi (locus excidit) *non fidendum fœderibus*, non alio sensu, quàm hoc. Iosephus cap. 14. lib. 1. Bell. Iud. de re eadem

Principis opes attendendæ.

B loquens. σφαλερὰ δὲ ἐλπὶς ἡ ἐξ ἰδίας ἰσχύος, ἀλλ' ἐξ ἀλλοτρίας ἠρτημένη: *Spes est fallax, quæ non suis viribus nititur, & à se pendet, sed ab alienis.*

9. TROIANIS CVM MVLTO GLORIA VENIT SANGVINE.] Est hoc, quod Hom. Iliad. 17. loquens de Græcis. οὐδ' οἱ γὰρ ἀναιμωτί γ' ἐμάχοντο: *nec pugnabant ipsi sine sanguine.* Et Iosep. lib. 1. Bell. Iud. cap. 12. οὐ μὴν ἐν ἅπασιν ηὐτύχουν. ἔστι γὰρ ὅπῃ καὶ αὐτοὶ πταίοντες ἀνέστρεφον: *Non tamen illis omnia pro voto cedebant, sed ipsi quoque interdum cum offensione recedebant.*

Non sine labore tuo.

10. SVNTQVE ILLIS SVA FVNERA, PARQVE, &c.] Germanus ait, innui pugnam illam, quam C ἀγχώμαλον vocant Plutar. & Thucyd. id est, *parem, dubiam, ancipitem.* Ego in Demosthene vidi (locus non subit) μάχην ἀντίῤῥοπον. Et Ioseph. lib. 1. Bell. Iudaic. cap. 8. πολλὰς ῥοπὰς dixit, vt Quintil. Declam. 315. *momenta victoriæ.* Hi omnes intelligunt pugnam contrario veluti appensam pondere. Neque abludit illud Eurip. in Heracl. à Virgiliana sententia.

Pugna dubia.

Οὔ σοι μόνῳ ἔγχος, οὐδ'
Ἰτέα κατάχαλκός ἐστι:
Non tibi soli hasta est,
Neque clypeus munitus ære.

Non tibi soli hasta.

Ceterùm Iul. Scal. ait, hæc eo animo dici à Turno, vt leniat inuidiam contractam ex oratione Drancis, nam euentus is, qui communis est etiam hostibus, D Turnum non onerat.

11. TEMPESTAS.] Ita in rebelli Hom. 4. Iliad. de exercitu dixit, νέφος πεζῶν, *nubem peditum.* Quin affert comparationem nimbi excitari ad explicandam tempestatem belli. Obuium hoc in Nonno, Calabro, aliis. Tale & illud. 7. Æneid. *Diluuio ex illo*, &c. De bello quoque Claud. 2. Eutrop. *& si quid tempestas prima reliquit.*

Tempestas, de re belli, & Nubes.

12. IN LIMINE PRIMO DEFICIMVS.] Non dubium, quin sermo trahatur ab his, qui offendunt in limine, & non audent ingredi viam, vitantes omen. Erant enim religiosa limina, præsertim templorum, vt apparet ex illo Lucani lib. 2. *laceráque in limine sacro Attonitæ fudêre comas.* ex illo Paulini in tertio E Nat. Felicis: *pectora liminibus sterni.* Prudent. in hymn. S. Laurentij, *exosculantur limina.* Arnobij lib. 1. *Limina ipsa conuerrerent osculis.* Cùm ergo sacra essent limina, factum, vt qui offenderent, desisterent ab ingressu, vel domus, vel viæ, deterriti omine.

Limina religiosa veteribus.

13. CVR ANTE TVBAM TREMOR OCCVPAT ARTVS?] Adducit Erasm. Chil. 2. Cent. 8. cap. 69. versum hunc Maronis in speciem Prouerbij, sed nulla re ditat. Posset Nonnum adiungere, ita loquentem ad rem hanc lib. 30.

Ante tubam metus.

Πῇ φεύγεις Διόνυσε; τί σοι φόβος ἀντὶ κυδοιμοῦ;
Quò fugis Bacche? quid tibi metus ante bellum?

Posset & Euripidem in Bacch.

Φόβος διεπτόησε, πρὶν λόγχην θιγεῖν:
Metus perterrefecit, priusquam hastam tangeres.

Pulcherrimè de ignauis dixit Claud. 2. Eutrop.

———iam

——iam signa, tubæq;
Mollescunt, ipsos ignauia fluxit in enses.
Germanus ait, fieri allusionem ad illud Phylarchi, quod Plutar. commeminit, & Eustathius in 21. Iliad. Extremi verba hæc sunt. Φύλαρχός τινα ὡς ἀπόλεμον, ἐπὶ τῶν παροιμιωδῶς τὸ, πολεμίας σάλπιγγος οὐδ' ἐν ὕπνοις ὑπομένων ἀκοῦσαι: *Phylarchus quendam, vt imbellem reprehendebat, dicens parœmiacum illud, militarem tubam neque in somnis audire sustinet.* Demum huc allusum à Iuuen. Sat. 1. aspirante eruditorum collegio:
——tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas, galeatum sero duelli
Pœnitet.——

Tuba primò funerum, deinde belli.
14. TVBAM.] Cùm tuba ad mortuos pertineat, vt dixi sup. in hoc libro, dubitabam aliquando, an Romani instrumentum hoc à funeribus ad bellum traduxerint, vt si quis dicat, *tocar a morir*. Itaque fortasse origo prima fuit funerum, inde ad bella.

Dies vna multa potest commutare.
15. MVLTA DIES, &c.] Ab Enn. qui 7. Annal.
——multa dies in bello conficit vnus,
Et rursus multæ fortunæ fortè recumbunt,
Haudquaquam quempiam semper fortuna secuta est.
Eurip. in Oedip. ἡμέρα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει: *Dies multas habet mutationes.* Heliod. lib. 1. Hist. Æth. tractat locum hunc; sententia eius est, diem vnum intermissum plurimùm conferre ad maximas mutationes. Hecuba apud Eurip.
Τὸν πάντα δ' ὄλβον ἦμαρ ἕν μ' ἀφείλετο:
Vniuersam felicitatem abstulit mihi dies vna.
Ioan. Chrysost. Hom. 22. de ira. οὐ γὰρ οἴδαμεν τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα: *nescimus enim, quid sequens* (dies) *pariet.* Nazianz. Orat. 43. μία ῥοπὴ καιροῦ (φησι) πολλὰς πραγμάτων μεταβολὰς: *Affert vnicum temporis momentum multas rerum vicissitudines.* Pind. Od. 3. Isth. ad finem:
Αἰὼν δὲ κυλινδομέναις
Ἁμέραις ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξάλλαξεν.
Tempus autem, dum voluuntur dies, aliàs aliam affert rerum vicissitudinem. Theoc. εἰδ. 4.
Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον:
Confidere oportet Batte, forsitan cras erit melius.
Ad mentem Poëtæ omnino Liu. lib. 42. *Multa diem tempúsque afferre posse, quibus non amissa modò recuperare, sed timendus vltrò his esse, quos nunc timere posset.* Et Plin. cap. 40. lib. 7. qui elegantissimè, *alius de alio iudicat dies.* Quia videlicet sequente die multa in melius referuntur, quæ deterrima erant in præcedente. Inde dictum Pindaro Od. 1. Olymp.
Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
A Μάρτυρες σοφώτατοι:
Posteri dies testes sunt sapientissimi.

Imitatio.
Dixi initio Notę, imitationem ductam ab Ennio, nam id video placuisse Macrobio. Sed certè non insciè referri queat ad Homer. Iliad. 8.
Νῦν μὲν γὰρ τούτῳ Κρονίδης Ζεὺς κῦδος ὀπάζει
Σήμερον, ὕστερον αὖτε καὶ ἡμῖν, αἴ κ' ἐθέλῃσι:
Nunc enim huic Saturnides Iuppiter gloriam præbet
Hodie, postea rursum & nobis, si voluerit.

Referre in melius.
16. RETTVLIT IN MELIVS.] Græci, εἰς τὸ λῷον μεταβάλλειν, & μεθιστάναι εἰς τὸ φέρτερον τιθέναι. εἰς τὸ βέλτιον τρέπειν. εἰς ἀγαθὰ μεταβάλλειν. Non malè hæc omnia reddes, *in melius referre*, ex præscripto Maronis.
B Plato etiam dixit, ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβολάς. Sic Plaut. Epid. *referre in spem.*

Victoria alterna.
17. MVLTOS ALTERNA REVISENS, &c.] Est hoc, quod Hom. Iliad. 6. νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας: *victoria commutat homines.* Aristoph. in Irena, πολέμου μεταπρεπτος αὔρα: *versilis aura belli.* Ab hac alternante rerum vicissitudine fortuna Græcis dicitur ἀλλοπρόσαλλος, & ἑτερόρροπος. Agathias lib. 4. fortunæ dat παλίμβολα. Omitto infinita.

Ludo, de fortuna.
18. LVSIT.] Græci de fortuna παίγνιον, καὶ παίζειν, *ludicrum, & ludere.* De ea Horat. *Ludum insolentem lu-*
C *dere pertinax.* Sidon. epist. 1. lib. 2. *Mihi videtur quasi præscia futurorum lusisse fortuna.* Eurip. in Supp. præclarè dixit, τρυφᾷ δ' ὁ δαίμων. quasi homines voluptati sint fortunæ, vt cum quibus lusitet. Et verè ludit fortuna, quia omnia ad gustum mutat. Ita enim Aristides in 2. Platonica expendit, dici à Platone hominem esse θεοῦ παίγνιον, *Dei ludicrū*, quia videlicet, πάντα ἐναλλὰξ περιέρχεται, *omnia vicissim in orbem mutantur.*

In solido.
19. IN SOLIDO RVRSVS FORTVNA LOCAVIT.] Symm. epist. 42. lib. 1. *Nunc habitum lætiorem mentibus suadeamus, quando Paulinæ nostræ valetudinem rursus locauit in solido pax Deorum.* Est *in solido*, idem quod, resti-
D tuit omnimodæ felicitati. Sidon. in epist. *etiamsi ex solido poema displiceat*, id est, omnino, in totū. & idem Symm. epist. 51. lib. 1. *Dij salutem Reip. in solido locent.* Qui in Virg. legunt *in solio* nō placent. vel ex tot imitatoribus, nā superioribus adiice etiam Sen. Suas. 2.

Fortuna, δαίμων.
20. FORTVNA.] Credo hoc loco fortunam respondere non tam τύχῃ, quàm δαίμονι: vel si τύχῃ, certè præcipuè δαίμονι. Ducor in hoc, quia quoties de rerum varietate sermo est apud Græcos, frequentiùs vsurpant δαίμονα, quàm τύχην: Id verum esse comperiet Lector, cùm inciderit in loca. Nunc Sophoclem cerno in Elect. qui de hac re loquens, αὐτὸς δαιμόνων στρατεῖ. Plato etiam frequentissimè δαίμων ad hanc rem, non τύχη.

[a] Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi:
At Messapus erit, felíxque Tolumnius, & quos
Tot populi misêre duces: nec parua sequetur
Gloria delectos Latio, & Laurentibus agris.
[b] Est & Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas.
[c] Quòd si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantúmque bonis communibus obsto;
Non adeò has exosa manus victoria fugit,
Vt tanta quicquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contrà, vel magnum præstet Achillem,
Factáque Vulcani manibus paria induat arma

Ille licèt. [d] vobis animam hanc, socerόque Latino
Turnus ego, haud vlli veterum virtute secundus
Deuoueo. Solum Æneas vocat, & vocet, oro.
Nec Drances potiùs, siue est hæc ira Deorum,
Morte luat: siue est virtus & gloria, tollat.

ARGVMENTVM.

Pars vltima, in qua docet satis esse auxiliorum in Italia, & se deuouet pro communi salute.

EXPLICATIO.

[a] CONTRA Diomedem,& Arpos eius vrbem opponit validiora auxilia (nam hoc restabat Turno probandum) videlicet Messapum, Tolumnium, duces plurimos ab magnis vrbibus. Expende hîc quæpiam. Diomedes *Ætolus* dicitur, veluti in contemptum. non fauet nobis ille Græculus & imbellis. nam tales Græci habiti ab Romanis. Ergo, huic imbelli opponitur Messapus, qui fortissimus,

Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro.

Huic infelici, quod ipse Diomedes de se prædicauerat, vt Legati etiam, opponitur Tolumnius, qui *felix*. Demum huic, qui vnus est, opponuntur magni & plurimi duces. Sequitur. *Nec parua sequetur,* &c. id est, (ex mente interpretum) feliciores & fortiores erimus Græcis, nam breui tempore Troianos vincemus, non vt Græci, qui decennio, ac vix tunc.

[b] Vultis adhuc & validissima auxilia? adsunt nobis Volsci, & illorum dux Camilla cum equitibus, maior viris femina.

[c] Restabat vltimum de se vocato ab Ænea ad singulare certamen, hoc enim Drances obiecerat. De hoc ergo disserit in extrema oratione. Ostendit itaque paratum se ad pugnandum cum Ænea, adhibétque rationem triplicem, cur eat in hanc deliberationem. Prima, ne obstet bono communi, & publico: altera, quia expertus est victoriam sibi comitem aliàs fuisse: tertia, quia pro tanta spe vincendi Æneæ nihil recusabit. Et addit. Ire delibero contra illum, etiamsi parem se Achilli præstet, etiamsi arma induat facta Vulcani opera. & *paria* (inquit) quia sicut Achillis arma facta à Vulcano, ita Æneæ. Ista intelligenda κατὰ σιωπώμενον.

[d] Si quis obijceret. Moriere, ô Turne, in hoc singulari certamine. Nihil hoc est, respondet. libenter me pro vobis, & pro Latino deuoueo. Ratio, nam vel vincar, vel vincam. Si vincar, ipse volo Deorum iram subire, non vulgi inuidiam, si Drances lueret: si vincam, nolo meæ gloriæ Drances particeps sit.

NOTÆ.

1. MESSAPVS.] Ab hoc fortasse dicta pars quædam Apuliæ *Messapia*. Lege Polyb. lib. 3. vt & pars altera eiusdem Apuliæ *Daunia*, ab auo Turni Dauno, vt commeminit idem Scriptor. Hinc credo factum, vt Turnus in tanto pretio habeat Messapum, vt à quo vnà & ab auo fluxerint nomina (Messapia. Daunia.)

A Apuliæ, ac proinde credibile vtrumque amicitia coniunctum, Daunum (inquam) & Messapum.

2. FELIXQVE TOLVMNIVS.] Retuli ad belli felicitatem: sed non inscitè possim quoque ad auguratum; vt indicet Poëta fuisse Tolumnium semper felicem vatem Italis, & hanc felicitatem trahere etiam ad bellum. (Felix, de auguratu.)

3. TOT POPVLI MISERE DVCES, &c.] Cùm dicat Turnus sibi adesse magnos viros, & duces, etiamsi non Diomedes, potuit deriuari hæc sententia ab illo Iliad. 1.

B

——παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι,
οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς:
——*sunt & mihi alij,*
Qui me honorabunt, maximè autē consiliarius Iuppiter.

4. AGMEN AGENS EQVITVM.] Ita & Cal. lib. 2. de Memnone, ἄγων φῦλα λαῶν. Signatò verò *agmen agens*, indicans etymon, nam *agmen* propriè est, quod in via, ab *agendo* dictum. Inde est, vt hæc vox detur serpenti, fluuio, alijs.

5. FLORENTES ÆRE CATERVAS.] Signat equitatum cataphractorum militum. Nam hemistichiū hoc explicatio est prioris, vt dicat, agebat Camilla agmen equitum cataphractorum, qui toti muniti ac C vestiti ære. Quale agmen describit Claud. 2. Ruffin. (Cataphracti.)

Hinc alij sæuum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit, formátque chalybs coniuncta per artem
Flexilis inductis (alij, *indutis*) *hamatur lamina membris,*
Horribilis visu, credas simulacra moueri
Ferrea, cognatóque viros spirare metallo.
Par vestitus equis, ferrata fronte minantur,
Ferratósque mouent securi vulneris armos.

Idem in 6. Consf. Honorij:

D

Vt chabyle indutos equites, & in ære latentes
Vidit cornipedes: quanam de gente, rogabat,
Ferrati venère viri? quæ terra metallo
Nascentes informat equos, simulacráque bellis
Viua dedit?——

Poëticè ista, & exultabundè. Vide qua breuitate complectatur Sallustius tantam Claudiani exultantiam: *Progrediebantur* (inquit) *milites cataphracti, ferrea omni specie.* Et Tacit. 3. Ann. *Paulum moræ attulêre ferrati, restantibus laminis aduersum pila & gladios.* Pari breuitate Noster, *& florentes ære cateruas.* Volui locum istum illustrare vnius præcipuè Claud. versibus; nam alio in loco produco Scriptores, qui de E cataphractis militibus. Ait verò *florentes ære*, id est, fulgentes ære. Verba enim *floreo*, & *flos* dicuntur de rebus fulgidis. Quam rem satis illustraui lib. 7. ad finem, vbi habetur hoc idem hemistichium. (Floreo, pro, fulgeo.)

6. CATERVAS.] Præclarè, tum quia in re militari plerumque dicebantur *cateruæ* de Barbaris, quales tum Volsci: tum quia de cataphractis, & hos inducit Virgilius. Primum firmat Tacitus lib. 4. *Barbari cateruis decurrentes.* & Ammian. lib. 19. *Barbarorum mori obstinatorum cateruis semet* (exercitus) *immersit.* Vegetius clarè rem notat lib. 1. cap. 1. *Celtiberi, pluresque Barbaricæ nationes cateruis vtebantur in prælio.* (Cateruæ, de Barbaris, & de exercitus.)

prælio. Vides, vt de Barbaris dicantur *cateruæ.* Idem notat Sallust. in Iugurth. vbi de Numidis *cateruas* dicit. Est hoc, quod Tacit. 3. Ann. etiam de Barbaris, *per globos incursaret.* Alterum Amm. lib. 25. *Erant autem omnes cateruæ ferratæ, ita per singula densis laminis tectæ, vt iuncturæ rigentes compagibus artuum conuenirent, humanorúmque vultuum simulacra, ita capitibus diligenter aptata, vt,* &c. vbi vides, *cateruas* dici de cataphractis. — Cataphractis.

Imitatio. — 7. QVOD SI ME SOLVM, &c.] Ductum ab illo 3. Iliad.

Νῦν δ᾽ αὖτ᾽ εἴ μ᾽ ἐθέλεις πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι,
Ἄλλους μὲν κάθισον Τρῶας, καὶ πάντας Ἀχαιούς:
Nunc autem si me vis præliari, ac pugnare,
Fac sedere Troianos, & Græcos omnes.

Adeò, vt. — 8. ADEO, &c.] Hanc consecutionem vocum, vt elegantem obseruat Godesc. Ita Terent. And.

Vultu adeò modesto, adeò venusto, vt nihil suprà.

Horat.

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit.

Imitatio. — 9. IBO ANIMIS CONTRA, &c.] Par energia (ait Germ.) in illis Iliad. 20.

——ὅ με μάλα ῥεῖα
Νικήσει, οὐδ᾽ εἰ παγχάλκεος εὔχεται εἶναι:
——*nec me facilè admodùm*
Vincet, neque si ferreus esse totus glorietur.

Tale quid de Penthesilea Cal. lib. 1. promittente ardua:

Ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ὑπέσχετο ἔργον, ὃ οὔ ποτε θνητὸς ἐώλπει,
Δηώσειν Ἀχιλῆα, καὶ εὐρέα λαὸν ὀλέσσειν
Ἀργείων, νῆας δὲ πυρὸς καθύπερθε βαλέσθαι:
Illa verò in se facinus recepit, quod nemo sperauerit,
Debellaturam se Achillem, & magnas copias perdituram

A *Græcorum, naues supernè igni tradituram.*

10. HAVD VLLI VETERVM VIRTVTE SECVNDVS.] Tale illud Stheneli apud Hom. 14. Iliad. — Imitatio.

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι:
Nos quidem patribus longè fortiores gloriamur esse.

11. DEVOVEO.] Alludit ad verbum κατάρχεσθαι, quo vtitur Eurip. in Heracl. ad deuotionem, & alij sæpe. Repræsentatæ personæ Deciorum in deuotione hac Turni. Insistit verò Poëta formulæ deuotionis. Ait enim: *Turnus ego deuoueo animam hanc vobis, socerôque Latino.* Vis enim tota deuotionis posita in hoc, vt fieret pro bono, & salute publica. Ita in deuotione Decij patris apud Liu. lib. 8. & filij apud eundem lib. 10. apparet. Omitto, quia facilè adiri possunt. Ennius lib. 6. Annal. ita concipit. — Deuotionis formula. B

——*audite parumper,*
Vt pro Romano populo prognariter armis
Certando, prudens animam de corpore mitto.

Menœceus apud Eurip. Phœniss. ita se deuouet.

——εἶμι, καὶ σώσω πόλιν,
Ψυχὴν δὲ δώσω τῆσδ᾽ ὑπερθανεῖν χθονός:
——*vado, & vrbem seruabo,*
C *Animam dabo moriens pro hac terra.*

Creüsa apud eundem in Ione ita,

Ἱερὸν τὸ σῶμα τῷ θεῷ δίδωμ᾽ ἔχειν:
Sacrum hoc corpus do Deo habendum.

Id est, deuoueo me. & in Heracl. Macaria virgo,

Θνήσκειν ἑτοίμα, καὶ παρίστασθαι σφαγῇ:
Parata sum mori, & me præbere in victimam.

12. TOLLAT.] Ab Hom. qui sæpe, ἄρεσθαι κῦδος.

[a] Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant
Certantes, castra Æneas, aciémque mouebat.
[b] Nuntius ingenti per Regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnísque vrbem terroribus implet.
Instructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrrhenámque manum totis descendere campis.
[c] Extemplò turbati animi, concussáque vulgi
Pectora, & arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt, fremit arma iuuentus.
Flent mœsti, mussántque patres. hîc vndique clamor
Dissensu vario magnus se tollit ad auras.
[d] Haud secus atque alto in luco cùm fortè cateruæ
Consedêre auium, piscosóve amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
[e] Imò, ait, ô ciues, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes;
Illi armis in Regna ruunt. nec plura locutus
Corripuit sese, & tectis citus extulit altis.
Tu Volusi armari Volscorum edice maniplis:
Duc, ait, & Rutulos equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus vrbis firment, turrésque capessant.
Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.

ARGVMENTVM.

Dum hæc in concilio, Æneas instructa acie ruit, fit turbatio, & clamor omnium, hic clamor qualis fuerit comparatione explicatur. Turnus, vt angustiæ temporis locum dedere, aciem disposuit.

EXPLICATIO.

a SENTENTIA duorum versuum clara est. omitto. Tu nota mentem Poëtæ, qui hinc laudem Æneæ quærit, nam strenuum ducem exhibet B in agendo, cùm Latini cunctabundi & consultabundi. quo innuit sæpe in bellis virtutem præponi consiliis.

b Aduolat nuntius, Regiam tumultu, terrore vrbem complet, adesse instructos hostes, & copias perquàm ingentes: hoc enim innuit, cùm ait, *totis descendere campis.*

c Sequitur id, quod necessariò ab imparatis, nam turbantur animi, vulgus concutitur pauore, arriguntur iræ, poscunt trepidi arma, non solùm voce, sed etiam *manu*, est hic gestus flagitantium. Sed in hac tamen rerum confusione adhibentur à Poëta personarum discrimina. Nam *iuuentus arma fremit*, quod proprium eius ætatis. Patres, vt qui iam senes, *flent mœsti & mussant.* nam quid aliud facerent inepti iam bello? Inde fit, vt ab *dissensu vario* iuuenum, & C senum magnus clamor tollatur.

d Vidisti aues, cùm cateruatim in luco consident: aut cycnos cùm ad Padusam constrepunt rauco sonitu; talem puta hunc dissensum, & clamorem.

e Exultabundè hæc Turnus egregiam nactus occasionem; reprehendit enim illos, qui sederent in conciliis, & pacem laudarent, cùm hostis interim rueret ad arripienda Regna. Statim se inde quàm celerrimè proripit, suósque duces disponit, vt angustiæ temporis patiuntur. Voluso mandat, vt armentur Volsci: Messapo, vt ducat in aciem armatos equites: Coræ, & Catillo fratribus, vt peditem partim diffundant per campos ad speciem magni agminis ostentandam, partim referuent ad firmandos vrbis aditus, & occupandas turres ac propugna- D cula. Partem porrò reliquam sibi assumit, vt se illa in omnem euentum sequatur. Explicui ista, vt vidisti; alius, vt volet. Certè in Poëta confusa hæc sunt, sed confusa ex studio ad indicandam præcipitantiam, qua Turnus hæc omnia momento temporis præstitit, vocatus subitò ex concilio ad arma. Dixi Coræ, & Catillo datum peditem (quamuis Poëta abstineat ab hac voce) vt oppositio fiat ad equitem Messapi. Sed angustiæ non passæ integra Turnum loqui. Sed alius (vt dixi) vt volet. τὸ *edice*, pro, edic. Veteres enim *dice, duce, face*, sed recentiores per apocopen *dic, duc, fac.* τὸ *iusso*, pro, iussero. E

NOTÆ.

Imitatio. 1. ILLI HÆC INTER SE, &c.] Adumbratur versus Hom. Iliad.

οἳ τῶν ἀντιβίων μαχεσσομένων ἐπέεσσιν.

Similitudo historiæ. 2. NVNTIVS INGENTI, &c.] Similis planè successus apud Liu. 42. *Consultantibus quid agerent* A (*aderant autem Eumenes, & Attalus in consilio*) *trepidus nuntius affert, hostem magno agmine adesse. Consilio dimisso, signum extemplo datum, vt arma capiant.* Tale & illud lib. 21. *Dum ea Romani parant consultántque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur.*

3. VRBEM TERRORIBVS IMPLET.] Τὸ *implet* non tam refertur ad πληρόω, quàm ad μεστόω. Nam πληρόω propriè dicit rerum perfectionem, vt πληροῦν ναῦν, pro, adornare & implere naues classiario milite. Inde & πλήρωμα. Sed μεστόω ad affectus traducitur, vt implere aliquem terrore, ira, gaudio. Soph. in Antig. Implere vrbem terroribus, quid respiciat.

παῦσαι, πρὶν ὀργῆς καί με μεστῶσαι λέγων:

Desine, priusquàm me ira loquendo impleas.

4. ARRECTÆ STIMVLIS HAVD MOLLIBVS IRÆ.] Inf. in hoc lib. *stimulis haud mollibus incitat iras.* Arnob. lib. 7. *stimulis exagitantur irarum.* & *arrecta ira* ait, ducto sermone ab equis, qui stimulati arrigunt aures, corpus, sensus. Quam rem iam aliàs. Stimuli irarum.

5. MVSSANT.] Hom. 4. Iliad. ἐπέμυξαν. de hoc alibi.

6. HAVD SECVS, ATQVE IN LVCO.] Hæc vocum consecutio est etiam in Sallust. Iugurth. *haud secus, atque in mari.* Haud secus, atque.

7. PISCOSOVE AMNE PADVSÆ.] Ita *piscoso amne*, vt Hom. ἰχθυόεντι. Ita verò, *amne Padusæ*, vt *vis Herculis*, pro Hercule. Sic Iliad. 15. μέγα σθένος Ἠετίωνος. & post pauca. Λεοντῆος κρατερὸν μένος, *magnum robur Eetionis. fortis virtus Leontei*, pro Eetione, & Leonteo. & adhuc inf. βίη Τεύκροιο ἄνακτος, *vis Teucri Regis.* Sed quid *Padusa*? Plin. cap. 16. lib. 3. de Pado loquens ait. *Angusta fossa Rauennam trahitur, vbi Padusa vocatur.* Padusa ergo, idem qui Padus, tantùm vbi est angustus, Padusa dicitur forma diminuente. Polyb. lib. 2. Hist. discriminat à Pado, vbi de Consulib. Romanis loquens, διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν, κατὰ τὰς συρροίας τοῦ Πάδου, καὶ Παδόα ποταμοῦ: *Traiecerunt in terram Insubrum, qua Padusa, & Padus confluunt.* Nam Παδόαν Polybij *Padusam* reddit Casaubon. & alij. Vide Geographos, & Seruium Danielis. Certè Valgius in Elegis ad illud Plinij videtur alludere, eo disticho, Padusa.

Et placidam fossa qua iungunt ora Padusam,

Nauigat Alpini flumina magna Padi.

Satis mihi sit proposuisse discrimen inter Plinium, & Polybium, mihi (inquam) qui ea loca nunquam perlustraui. Sed inuitatus similitudine vocum, quæ est inter Padum, & Padusam, explico locum Plut. in Sertorio, etiamsi res Virgilij non sit. Habemus Hispani fluuium nobilissimum *Tagum*, & alium forma diminuente *Taiunnam.* Principem illum Græci Τάγον vocant, hunc alterum Ταγώνιον, hæc enim est forma diminutiuorum apud Græcos. Ergo, cùm Plutar. meminerit belli facti ad *Tagonium*, malè interpretes, viri alioqui docti, reddunt aut Tagum, aut Henarem fluuium Complutensem, cùm debeant Taiunnam. Nam verè bellum illud, quod Plut. eo loci scribit factum est ad Taiunnam, & adhuc meo æuo monumenta extant belli huius ad ripas Taiunnæ. Sed mirandum non est homines non Hispanos ignorauisse, quæ sunt Hispaniæ: vt neque ego despicio, quæ sunt Italorum in discrimine Padi, aut Padusæ. Sed ex coniunctura Polybio hærerem. Ita vt sicut Hispanis diuersa sunt Tagus, & Taiunna: ita Italis Padus, & Padusa. Tagonium, Hispaniæ fluuius.

8. RAVCI.] Ita lib. 7. loquens de cycnis, *raucarum volucrum.* Lucianus in lib. de Electro de hac aue, κρώζουσιν οὕτω πάνυ ἄμουσον καὶ ἀσθενές: *Crocitant hi admo* Raucedo cycnorum.

admodùm absurdè, & ineleganter. Auctor etiam Philomelæ, *cycni prope flumina drensant.* quo verbo indicatur insuauis cantus. Hi profectò veriora quàm illi, qui dant cycnis suauem cantilenam. — Cycnorum vox.

9. STAGNA LOQVACIA.] Quod cycnis conuenit, aquis dat, notissima hypallage. Ita lib. 7. ab sonantibus cycnis dicit, *sonat amnis, & Asia longè Pulsa palus.* & in 12. *nidisque loquacibus.* Talis hypallage etiã in 2. Iliad. vbi cùm sonantes cycni & volucres aliæ inducantur, tamen σμαραγεῖ δέ τε λειμών: *resonat autem & pratum.* — Hypallage.

10. ARREPTO TEMPORE.] Id est, καιρὸν λαβὼν Turnus, καὶ τυχών. vel καιρὸν ἁρπάσας. Primum obuium est. Alterum vidi in Iosepho lib. 1. Bell. Iud. cap. 17. ἡ δὲ λαβοῦσα τὸν καιρὸν εἰς τὰς διαβολὰς ἁρπάσασα. Plutarch. in vita Cleomen. verbo alio. ἀεὶ τῷ καιρῷ χρησάμενος, quod verbum commune est Demostheni. Sed & pro ἐν καιρῷ dicit idem Plutarchus in vita Cicer. ἐν δέοντι. Et Eurip. in Helen. τὸν καιρὸν vocat ἀκμήν. Hellenicum illud χρῆσθαι, quod iam præmisi, vsurpauit Stat. lib. 7. — Arrepto tempore.

——& preceps tempore Tydeus
Vtitur. ite, age, nunc pacem sperate, fidémque.

Et lib. 11.

Instat Agenoreus miles, cœlique tumultu
Vtitur.——

Sidon. epist. 11. lib. 1. aliter extulit: *Tunc ille, qui simile aliquid optaret, tempore inuento, non vnum, inquit.* id est, tempore arrepto, & καιρὸν λαβών. Martialis Epigr. 19. lib. 10. *tempore non tuo,* id est, οὐ καιρῷ. Plurimi tamen verbum *arripio* arripuêre à Virgilio, vt Claudian. 2. Eutrop.

Continuò secat vngue genas, & tempore pandit
Arrepto gemitus.——

Et Stat. 7. Theb.

——fera tempus Erinnys
Arripit, & primæ molitur semina pugnæ.

11. COGITE CONCILIVM, &c.] Excursui Virgilij, & sententiæ Turni simillima sunt infinita propè Demosthenis loquentis contra Philippum. Reprehendit enim suos Athenienses, quòd illo impigrè rem agente, & inuadente eorum fortunas, toti essent occupati in conciliis agendis, captandísque consiliis. Qui legat Olynthiacas, qui Philippicas, id planum esse inueniet. Sed & in orat. 12. cùm præmiserit militarem operam Philippi, subiicit de Atheniensibus, ἡμεῖς δ' οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα, μέλλοντες ἀεί, &c. Est hoc planè, quod hîc Turnus, nos sedemus in cõciliis, pacem laudamus, & hostes interim ruunt in Regna. Polyb. etiam lib. 3. dixit. ἔτι γὰρ διαβουλευομένων τί δεῖ πράττειν ἀπώλοντο: *dum enim adhuc, quid opus facto* — Concilia, cũ esset bellandum.

A *deliberant, peribant.* Eurip. in Phœn. ore Eteoclis dicit,

——οὐ λόγων ἔτ' ἀγών, ἀλλ' ἀναλοῦμεν χρόνον:
——non est certamen disputationis, nam perit tempus.

videlicet instante pugna. Sed pulcherrimus verè est ad hanc rem Dionysij locus lib. 11. Antiquit. vbi, cũ Decemuiri Senatum coëgissent ad dicendas sententias de bello contra Æquos, & Sabinos, & C. Claud. longa oratione docuisset, illud tunc omittendum, & dicendum potiùs de statu rerum ciuilium, in hunc L. Cornelius ita disseruit. *Si hostes contra vrbem nostram veniant, & copias ad muros admoueant, quid faciemus Claudi: Certè ipsis dicemus, expectate donec alios magistratus creauerimus. Claudius enim nobis persuasit, vt de nulla alia re Senatus Consultum faciamus, neque ad populum rem referamus, néve copias conscribamus. Abite igitur,* B *& cùm audieritis, Consules, aliósque magistratus à Pop. Rom. creatos, & res omnes ad bellum necessarias à nobis paratas, tunc redite,* &c.

12. CORRIPVIT SESE.] Pari phrasi lib. 5. *campum corripuêre,* & aliàs. Quæ locutio à Græcis fluxit. Nam Theoc. εἰδ. 13. de Hercule currente in omnem partem, πολὺν ἐπιλάμβανε χῶρον. Sed certè viuidius est Latinum *corripere,* quàm Græcum *capere.* — Corripere sese.

13. TV VOLVSE ARMARI, &c.] Præclarè Volscorũ aciẽ duci Volsco cõmendat. Volusus. n. dictus quasi Voloscus: hoc. n. nomen priscũ Volscorum. Cato de Originibus; *Voloscos, quos vocamus Volscos.* Ceterùm his Turni præceptionibus non absimilis illa Dictatoris Romani apud Liuium libro sexto: *Tu (Semproni) fretus armis, animísque concitatis equis inuade mediam aciem: ego cum legionibus in turbantes trepidantésque inferam signa.* — Volosci qui postea Volsci. C

14. MANIPLIS.] Vsurpat nomen Romanæ militiæ. Lege Lips.

15. MESSAPVS.] Nugatur hîc Seru. Certè *Messapus* tectus est: & possum ita cum aliquo loqui. Tale illud lib. 1. Æneid.

Nate meæ vires, mea magna potentia solus.

vbi Venus cum Cupidine loquitur, & dicit *solus.* Exempla huius locutionis multa suppetit Minerua Brocensis.

16. IVSSO.] Sic *amasso,* pro, amauero. *leuasso,* pro, leuauero. Sed alij vtuntur istis affectatione inani, Virg. cum iudicio. Maluit enim *iusso,* quàm *iussero,* videlicet ad celeritatem. — Iusso. D

17. MECVM MANVS INFERAT ARMA.] Existimaui Poëtam hoc verborum tenore dissimulanter, & vt decet Poëtas, alludere ad tritum illud Romanorũ: *Sequantur me qui Remp. saluam esse volunt.* Quam ad formam respexit Cedren. pag. 587. εἴ τις πολεμιστής, ἀκολουθείτω μοι: *si quis bellator, me sequatur.* — Arma mecum, quid.

[a] Ilicet in muros tota discurritur vrbe.
[b] Concilium ipse pater, & magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt.
[c] Multáque se incusat, qui non acceperit vltrò
Dardanium Ænean, generúmque asciuerit vrbi.
[d] Præfodiunt alij portas, aut saxa, sudésque
Subuectant, bello dat signum rauca cruentum
Buccina. tum muros varia cinxêre corona
Matronæ, puerique. vocat labor vltimus omnes.
[e] Nec non ad templum, summásque ad Palladis arces
Subuehitur magna matrum Regina caterua,

Dona ferens: iuxtáque comes Lauinia virgo,
Causa mali tanti, atque oculos deiecta decoros.
Succedunt matres; & templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces.
Armipotens belli præses, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygij prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portísque effunde sub altis.

A

ARGVMENTVM.

Discursus ciuium ad defensionem vrbis, Latini mœstitudo, apparatus ad bellum, clangor buccinæ, matronarum preces.

EXPLICATIO.

a OMNIA fiunt raptim. *discurritur*, & *tota vrbe*, & *in muros.* quia hæc pars tuenda ab hoste, & id præceperat Turnus.

b Pars magna turbationis ad Latinum pertinuit. *Deserit concilium, & magna incepta*, quia incepta hæc tota ad pacem, qua nihil maius oppressis bello vrbibus. & pacem hanc *differt*, quia *turbatus tristi tempore*, καιρὸν accipe. B

c Ipse se reprehendit, imò se reum facit, nam hoc est *incusat*; vt qui *non acceperit Ænean in generum*, quippe *Dardanium*, id est, Italia oriundum. Nam Dardanus Italus fuit.

d Sequitur studium omnium ad defendendam patriam. *Alij portas præfodiunt.* Refert Seruius ad fossas, id scilicet præceperat Turnus. *Pars aditus vrbis firmant.* Pergit. Alij *subuectant* in murum *saxa*, *sudésque*, ad hostem & feriendum, & repellendum. Hoc puncto temporis *buccina dat cruentum signum.* Ac tunc ipsæ quoque *matronæ, & pueri* excitati ad publicam defensionem currunt, *& muros cinxêre varia corona.* Ratio: nam *labor vltimus omnes vocat.* Putabant scilicet illum fore diem vitæ vltimum, aut mortis: C libertatis, aut seruitutis. Vocat *variam coronam* ab discriminante vario sexu puerorum & feminarum.

e Amata, Lauinia, & nobiles aliæ feminæ aliam ineunt rationem defensionis, confugiúntque ad preces. Tu hîc expende maiestatem Reginæ euntis: *subuehitur*, vt quæ in pilento, & *magna matrum caterua*, vt decebat Latini vxorem; & cum donis, vt gratiores sint preces: *iuxtáque comes Lauinia virgo*, vt moris est Principibus Reginis, quæ filias hæredes secum ferunt ad publicas res. Illud, *causa mali tanti*, mirè dictum, & illud, *oculos deiecta decoros*, ex magno decoro. Et quidem oculi, quo deiectiores, eo magis decori. Iam verò preces, quæ tumultuariè fiunt, non dantur Principibus feminis, sed turbæ matrum. Quid verò petunt à Pallade Dea bellorum? vt telum frangat. parum hoc: vt ipsum pronum sternat solo. Ratio: quia prædo est, & raptor. Vide verò, vt Pallas concilietur à potestate, quia *armipotens belli præses.* à loco *Tritonia.* à religione *virgo.*

NOTÆ.

1. ILICET.] Cùm hæc vocula dicatur, quasi *ire licet*, laudo Poëtam, qui aptè ea vtitur. Ergo hîc *ilicet*, quia *discurritur tota vrbe*, id est, itur. Sic secundo libro de igne *ilicet*, quia *voluitur summa ad fastigia.* & in libro septimo *ilicet*, quia *vndique collecti coëunt.* Ilicet.

2. CONCILIVM DESERIT.] Homerus 2. Iliad. λῦσ' ἀγορήν.

3. MVLTA.] Grammatici, id est, multùm. abnuo: imò κατὰ πολλά. Latinè dicas: Multis se incusat. Itaque Hellenicè locutus est, non barbarè. Præpositio subaudiẽda.

4. MVROS VARIA CINXERE CORONA.] Sophoc. in Antigon. στεφάνωμα πύργων, *coronamentum murorum.* Plutarchus in vita Marcelli, κύκλῳ τὸ τεῖχος παμμπληθέσι ὅπλοις. Liuius libro trigesimo septimo; *viri propugnarent, feminæ tela omnis generis, saxaq́; in muros gererent.* Apud Pausaniam feminæ Messeniorum tegulas, saxa, & similia in murum comportant ad defensionem. Id ipsum apud Plutarchũ libro de virtutibus Mulierum efficiunt Argiuæ feminæ, quæ παρ' ἔπαλξιν ἱστάμεναι κύκλῳ τὸ τεῖχος περιέστησαν. Feminæ pugnant è muris.

5. NEC NON AD TEMPLVM, &c.] Non dubium, quin toto hoc loco adumbretur locus Hom. Iliad. 6. vbi decernitur, vt Hecuba eat ad templum Palladis petitura opem. Ibi n. ἐν πόλει ἄκρῃ, hîc *summas arces.* Ibi ξυνάγουσα γεραιάς, hîc *magna matrum caterua.* Ibi πέπλον, & ζῶε, hîc *dona ferens.* Quod pertinet ad peplũ expressit 1. Æn. *peplumq́; ferebant.* Ibi petitur à Pallade, vt Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Ἰλίου, hîc preces contra Ænean diriguntur. sed mitto Homerum. Certè in aliis patria. Apud Dionys. lib. 8. Romanæ feminæ in exitio, quod à Coriolano imminebat ad Deorum templa concurrunt solutis crinibus, petentes opem contra imminentem vim. Faciunt idem iterum in eodem lib. vbi oblitæ decori, & cum lamentis sese volutant ad Deorum simulacra. Apud Polyb. lib. 3. vbi describitur status vrbis expectantis euentum pugnæ Cannensis, sunt εὐχαὶ, & θυσίαι, καὶ θεῶν ἱκετηρίαι, *preces, victimæ, supplicationes Deorum.* Apud Liu. lib. 26. *vndique matronæ in publicum effusæ circa Deûm delubra discurrunt.* Pergit multis. Vide & eundem lib. 5. in imminente pauore ab Veiis. Omitto & alium eiusdem locum lib. 3. Est & de re hac locus longissimus in Iul. lib. 2. Ciuil. cùm ab Annibale premeretur Romani. αἱ γυναῖκες (ait Appian. in Annibalic.) ἱκέτευον ἐν τοῖς ἱεροῖς μετὰ τῶν τέκνων, λῆξαι περὶ τὰς συμφορὰς τῇ πόλει: *Mulieres cum liberis in templis rogabant, vt finis tandem esset calamitatibus.* Absoluat hoc auctoritas Polyb. ita de hac re scribentis. τοῦτο γὰρ ἔθος αὐταῖς (γυναιξὶν) ἐστὶ ποιεῖν, ὅταν τις ὁλόχρος τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος: *Hic est n. feminarum mos, cùm patriã extremum periculum inuasit.* Hinc illustrabis & loca Sil. Lucan. Statij, quæ omitto, partim vt præoccupata, partim vt longa. Imitatio. Similitudo historiæ. Feminarum preces in extremo periculo.

D

6. SVM

6. SVMMASQVE AD PALLADIS ARCES.] De templorum situ, quæ apud veteres in locis editis, dixi 3. Æneid. ideo hîc nihil. Itur verò ad Palladem, non solùm exemplo Homerico, sed cum respectu ad Romanũ Populũ, in cuius Deæ tutela ille fuit: ea.n. etiã præses vrbis Romæ. Hoc ex multis liquidum, tũ maximè ex inscriptione Ciceronis dedicantis signũ Palladis in Capitolio, cùm iret in exilium, sub hac inscriptione, quæ est apud Plut. ἈΘΗΝᾼ ῬΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙ: MINERVÆ ROMÆ PRÆSIDI.

Minerua præses Romæ.

7. MAGNA MATRVM REGINA CATERVA.] Nonnulla ad hunc morem, quo matronæ non se in publicum dabant, nisi cum magno & splendido comitatu, Sambucus coniungit in Aristænetum.

8. DONA FERENS.] Peplum credo tum ex imitatione Homeri, & consensu loci alterius lib. 1. Æn. tum quia in Ceiri Palladi peplus affertur in donum, quasi illo Dea hæc gauderet. Vide quæ iam ego 1. Æneid.

Peplus Mineruæ.

9. IVXTAQVE COMES LAVINIA VIRGO.] Cùm Amata aduecta sit pilento, ex priuilegio concesso vnis matronis, vt te latè docebit locus ille 8. Æneid. *Pilentis matres in mollibus*, quæret aliquis, vbinam gestata Lauinia, quæ non matrona, sed adhuc virgo? Hanc rem, ac proinde locum Maronis, explicat Artemid. lib. 1. à quo colliges, concessum currum non solùm matronis, sed diuitibus etiam virginibus, atque ideo putandus est Maro ex summa doctrina id dixisse. Verba Artem. si quis quærat hæc sunt. φημὶ δ' ἀγαθὸν εἶναι πλουσίαις γυναιξὶν, καὶ παρθένοις, πλουσίαις, τὸ διὰ πόλεως ἅρμα ἐλαύνειν. Neque verò dissimulanda est prudentia Virgilij, qui parcè Lauiniam inducit in hoc opus: ac tum tacentem, rubentem, modestam, nunquam loquentem, vt Stat. Antigonem, & alij; quod præceptum non omissum Plut. ἐν ἐρωτικ.

Virginibus datus currus.

10. CAVSA MALI TANTI.] Athen. lib. 13. plures historias affert, & commemorat bella ob mulieres orta, Troianum, Thebanum, Criseum, hæc tria ad decennium. Expeditionẽ Cambysis in Ægyptios susceptam femina impulit. Familiæ ob feminas quæ non euersæ? Philippi ob nuptias Cleopatræ, Herculis ob Ioles, Thesei ob Phædræ, Creontis ob Glauces, Agamemnonis ob Cassandræ. Hæc ille latè. Imitatio Virg. sumpta fortasse ab illo 5. Iliad. vbi naues Paridis Hom. vocat ἀρχεκάκους, *principium malorum*. & continenter αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο: *quæ exitio fuerunt Troianis omnibus.*

Bella multa feminarum causâ.

11. ATQVE OCVLOS DEIECTA DECOROS.] Ex magno virginitatis decoro. Apud Val. Flacc. lib. 7. Medea adhuc virgo attollit vix tandem lumina. Hic habitus datur Chariclíæ ab Heliod. κάτω νεύουσα. De Aspas. Ælian. c. 1. lib. 2. var. Hist. ἑώρα κάτω. De Hypsipyle Apoll. lib. 1. ἐγκλιδὸν ὄσσε βαλοῦσα, *deorsum oculos mittens*. Adrasti filias virgines ita describit Stat. 2. Th.

Oculorum deiectio in virginibus.

Ibant insignes vultuq́, habituq́, verendo,
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Deiectæq́, genas.———

Et in genere hoc est vnicum ornamentum omnium feminarum, etiã non virginũ. Sic Dido 1. Æneid. inducitur *vultũ demissa*. Philomela apud Ouid. 6. Met. *deiectoq́, in humum vultu*. & in Epist. *pudor deiecit ocellos*. Androm. 3. Æneid. *demisit vultum*. Pergo. Ait *decoros*, quia verè oculi gratiores sunt, si sint deiecti. Itaque videtur esse in Poëta causa pulchritudinis, vt dicat: ideo decori, quia deiecti. Ad quem modum Ouidius,

Oculi deiecti gratiores.

Spectabat terram, terram spectare decebat.

Est enim in oculis, vt sedes pudoris, ita decoris. Ita hoc verum, vt Ouid. 1. Amor. Eleg. 4. hanc modestiam vocet veras insidias:

Siue aliqua est oculos in me deiecta modestos,
Vror, & insidiæ sunt pudor ille meæ.

Ergo, cùm idem in epist. Sapphûs scripsit,

O facies oculis insidiosa meis.

cur non accipi queat de hac oculorum deiectione? Aperio rationẽ. Sunt oculi deiecti verè insidiosi, nã verissimè hic est habitus insidiantis: sicuti ille in insidiis est, qui occultus est, nec se dat conspicuum.

12. ET TEMPLVM THVRE VAPORANT.] Præclarè Sil. Thure vaporare.

Tanta adeò, cùm res trepidæ, reuerentia Diuûm
Nascitur; & raræ fumant fœlicibus aræ.

Et Stat. 1. Theb.

———*largóque refecti*
Thure vaporatis lucent altaribus ignes.

Vapor Virgilij Fumus est: sed noluit loqui vulgariter. Apud Eurip. in Ione suffitus hic fit myrrha, nõ thure.

Σμύρνης δ' ἀνύδρου καπνὸς
Εἰς ὀρόφους Φοίβου πέτεται:
Myrrhæ aridæ fumus
Ad summa Phœbi tecta volat.

13. THVRE.] De etymo huius voculæ variè auctores. Alij ἀπὸ τοῦ θύειν, quòd sacris seruiat, vt vult Iulius Modestus. Alij merè Latinum faciunt, & scribunt *tus*, vt vult Sosip. Charis. lib. 1. qui ducit à *tundendo*. De thure an res nouella, dixi alibi. Thuris etymon.

14. ARMIPOTENS, &c.] Hi tres versus ducti ab totidem Homericis 6. Iliad. Imitatio.

Πότνι' Ἀθηναίη, ἐρυσίπτολι, δῖα θεάων,
Ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος, ἠδὲ καὶ αὐτὸν
Πρηνέα δὸς πεσέειν Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων:
Veneranda Minerua vrbium custos, diua Dearum,
Frange hastam Diomedis, atque ipsum
Pronum da cadere ante Scæas portas.

En ratio, cur preces dirigantur ad hanc Deam, quia ἐρυσίπτολις. & inde Græcus πυλάων, & Latinus *portarum* meminit, quia in portis posita vrbium custodia. Scaliger qua solet trutina de Homero. *Nihil noui, vulgaria omnia, nuda.* Explico illum. *Nihil noui*, quia tritum de Minerua, πότνια, ἐρυσίπτολις, δῖα θεάων. *Vulgaria omnia*, quia nihil quæsitum. *Nuda*, quia nudum illud, ἆξον ἔγχος, cùm Virg. *telũ Phrygij prædonis*. Et *armipotẽs* ait Noster, vt in 3. *Palladis armisonæ*. Ouid. 1. Trist. Eleg. 4. *bellatrix Diua*. Est & similis locus Euripid. in Elect. Pallas vrbiũ præses. Homeri vitium.

Ἥρα τε, βωμῶν ἣ Μυκηναίων κρατεῖς,
Νίκην δὸς ἡμῖν, εἰ δίκαι' αἰτούμεθα:
Et tu Iuno, quæ Mycenæis aris præsides,
Victoriam da nobis, si iusta petimus.

15. FRANGE MANV TELVM.] Nõ solùm ab illo ἆξον ἔγχος. sed etiam ab illo Pind. Od. 1. Olymp. πέδασον ἔγχος Οἰνομάου χάλκεον: *impedi hastam Oenomai æream.*

16. PRONVM STERNE SOLO.] Vidisti iam in Hom. πρηνέα δὸς πεσέειν, à quo & Calab. lib. 1.

Δὸς πεσέειν ὑπὸ χερσὶν Ἀχιλλῆος βασίλειαν:
Da cadere sub manibus Reginæ Martiæ.

* Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus,
Iámque adeò Rutulum thoraca indutus, ahenis
Horrebat squammis, surásque incluserat auro,

Tem

Tempora nudus adhuc,laterīque accinxerat ensem,
Fulgebátque alta decurrens aureus arce:
Exultátque animis,& spe iam præcipit hostem.
[b] Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus,campóque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentáque tendit equarum:
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat,arrectísque fremit ceruicibus altè
Luxurians,ludúntque iubæ per colla,per armos.

ARGVMENTVM.

Armatur Turnus, & comparatur cum equo exultante.

EXPLICATIO.

[a] HABES hic apparatum Turni comparantis se ad bellum. Primò generatim *cingitur in prælia.* mox statim explicat hanc cinctionem ab thorace, ocreis,ense,&c. Ait *furens,*vel amore Lauiniæ,vel belli iris; & *certatim*, vt iam Æneas, vel festinanter, vt explicat Seru. Vide verò distributionem. Induerat thoracem,cui squammæ ahenæ; ocreas, quæ aureæ. Non nominat ocreas, contentus dixisse *auro*,ad notandam præcipitantiam.Elucet hæc etiā in mutatione temporum,nam is *horrebat,fulgebat*, qui *incluserat, accinxerat.*Hęc enim temporum confusio tota ad pręcipitantiam. Sed *nudus tempora* , vt à suis nosceretur, acrioréśque ingeneraret itatū stimulos. Sic totus aureus per arcem decurrebat,vbi Amata,& Lauinia,vt se illis ostentaret. Ita verò erat exultabundus,vt videretur iam hostem spe ipsa præcepisse,& aduentum eius anteuertisse.

[b] Sequitur comparatio equi,qui diu fuit in stabulo,& abruptis vinclis euadit in campum liber, itque vel ad libidinem explendam, vel ad flumen lauandi studio.Quò dum it, tunc *emicat.* & explicans quid sit *emicat*,addit,*fremit arrectis altè ceruicibus,luxurias,ludunt iubæ per colla,per armos.*

NOTÆ.

Imitatio. 1. CINGITVR IPSE, &c.] Imitatio huius loci tota ab Iliad.19.versus do,etiamsi *rudes* appellet Scaliger:

Κνημίδας μὲν πρῶτον περὶ κνήμησιν ἔθηκε
Καλάς,ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.
Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε.
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον
Χάλκεον,αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε
Εἵλετο.τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένεθ' ἠΰτε μήνης.
Ocreas primùm tibiis circumposuit
Pulchras,argenteis fibulis aptatas.
Deinde thoracem pectoribus induit,
Humeris autem iniecit ensem,cui argentei claui.
Æreum deinde scutum magnum,firmúmque
Accepit.huius autem longè fulgor stabatur sicut Luna.

Homerū superat Virgilius. Quid hîc non vulgare? vel dicat Lector, vti posset planiùs hoc dici:non autem vulgare,*horrere squammis, auro suras includere,certatim,*pro,festinanter, *spe hostem præcipere.*Neque placet illud de Luna,meliùs de Paride 6.Iliad.

Τεύχεσι παμφαίνων,ὥς τ' ἠλέκτωρ ἐβεβήκει:
Armis præfulgens tanquam Sol incedebat.

Cinctio. Neque est vulgare *cingi*, pro, armari, quod Græci ζώννυσθαι,vel potiùs ἐνζώννυσθαι,si sequaris Græcos scrupulosiores. Nam *cincti* aliquando pro inefficacibus sumebantur,vt opponuntur *præcinctis* & *strenuis*.Itaque armati εὔζωνοι. Sed Plautus tamen simpliciter, vt Noster,& reiecta hac subtilitate,in Amph. *Cingitur,certè expedit se.*

Includere suras. 2. SVRASQVE INCLVSERAT AVRO.] Proculdubio ab Liuio Andronico,qui in Ino,
Et iam purpureo suras include cothurno.

Nudus,de inermi. 3. TEMPORA NVDVS.] Lib. 4. Epigr. γυμνωθεὶς ὅπλων.& sequenti Epig. ὅπλων γυμνόν.Sic & *exuo*, nam ibid. πάντα σ' ἀπέδυσε,id est,ὅπλα.

Accingi ense. 4. ACCINXERAT ENSEM.] De gladio etiam Tacitus libro 11. Annalium: *Militem, quia vallum non accinctus: atque alium, quia pugione tantùm accinctus, foderet, morte punitos.*

5. EXVLTATQVE ANIMIS.] Est hoc, quod de Tiberio Sempronio Polyb.lib.3.vanè exultante, victóque ad Trebiam.ὁ δὲ Τιβέριος μετεωρισθεὶς,καὶ περιχαρὴς γενόμενος ἐπὶ τῷ προτερήματι,&c.

Præcipere victoriam. 6. SPE IAM PRÆCIPIT HOSTEM.] Est hoc fermè,quod suprà, *& spe præsumite bellum.* Aptat Germanus Virgilio verba hæc Iulij 3.Ciuil.*Hæc cùm facta essent in concilio,magna spe omnium, & lætitia discessum est, ac iam omnino victoriam præcipiebant.*

Equus ferociens cum ferociente iuuene cōparatur. 7. QVALIS VBI ABRVPTIS,&c.] Præclarè comparat exultantem iuuenem cum equo ferociente, vt etiam habetur in vita Nazianz.vbi de iuuene,

Ὁρμαῖς ἀτάκτοις εὐκόλως ῥιπίζεται,
Ὡς πῶλος ἅπτων εἰς δρόμους θυμοῦ πλέως:
Rapitur facilè præcipiti impetu,
Vt pullus plenus ferocia ad cursus salit.

Et apud Euripid.in Bacch. equinus pullus assumitur ad explicandam exultantiam.Comparatio verò Virgilij sumpta est ab Hom.6.Iliad.

Imitatio.

Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο
Κυδιόων.ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει.ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται.ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς
Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα,καὶ νομὸν ἵππων:
Sicut, cùm aliquis, qui diu stetit equus pastus ad præsepe,
Ruptis vinculis currit per campum terram feriens,
Consuetus lauari lenifluo fluuio
Exultans. altè verò caput tollit. circum autem iubæ
Humeros iactantur. hic autem splendore fretus
Facilè ipsum genua ferunt ad loca consueta in pascua equorum,

In

Homerum superat Virgilius. In hac comparatione Scaliger Virgilium præstantiorem Homero putat. Primò; nam vocem στατὸς Latinus signauit aduerbio illo *tandem*, & *liber equus*, quo indicat multo tempore solutum non fuisse. Deinde, quia diuisio, & distributio Virgiliana multo est melior, *ad pastus, aut ad fluuium*. sicut equus Homeri ἐς ἤθεα, καὶ νομὸν ἵππων, nam versus ille,

Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο,

otiosus est: præterquàm, quòd pessimi sunt equi, qui aquis gaudent, vt qui neque sitis, neque laboris tolerantes. Sed in hoc fallitur Scal. vt postea dicā. Tertiò, quia Hom. dat hanc comparationem nulla re immutata in 6. Iliad. Paridi, & in 15. Hectori, quod turpe est. Nam cùm comparationes fiant duabus de causis, aut ob efficaciā, aut ob decorē; vtrumque, si repetatur, amittitur. Quartò, quia species est solœcismi in Hom. cùm. n. præcesserit κροαίνων in recto sine verbo, statim subiicit ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει. Demum, quia plus *fremit*, quàm κυδιόων: & *luxurians*, quàm ἀγλαΐηφι πεποιθώς: & felicius *ludunt*, quàm ἀΐσσονται. nam *ludunt* indicat modò huc, modò illuc. & verius *per colla, per armos*, quàm ὤμοις tantùm. Est & alia Enn. 2. Annal.

Imitatio. comparatio, quam subiicio:

Et nunc, sicut equus, qui de præsepibus actus
Vincla suis magnis animis abrumpit, & inde
Fert sese campi per cærula, lætáque prata,
Celso pectore, sæpe iubam quassans simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Arripuit certè Ennius aliqua ab Homero, scilicet *vincla abrumpit*, nam illa δεσμὸν ἀποῤῥήξας, & illud θείῃ πεδίοιο, dilatauit Ennius,

Fert sese campi per cærula lætaque prata.

Quin ait Columna magnificentiùs dictum ab Enn.

Celso pectore, sæpe iubam quassans simul altam.

quàm illud, ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει. Addit etiam idem Columna, elegantiùs dictum à Virg.

———arrectisq; fremit ceruicibus altè
Luxurians, luduntque iubæ per colla, per armos.

ad quem modum Stat. 6. Theb. de equo,

—saliēre iubæ, atque erectus in armos.

& Lucan. *spargitq; iubas, & surrigit aures.* Demum in hac ingeniorum comparatione audiendus Claud. qui in Nupt. Hon.

Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitauit odor tumidus, quatiénsque decoras
Curuata ceruice iubas, Pharsalia rura
Peruolat, & notos hinnitu flagitat amnes
Naribus accensis.———

Nequit dubitari Claud. propiorem fuisse Virgilio, quàm Homero, aut Ennio. Lege Columnam, qui discutit Claud. versus, & aliorum. Scaliger ait felicem fuisse Claud. qui ad normam Virgilij.

Equi luxuria. 8. CAMPOQVE POTITVS APERTO.] Max. Tyr. dissertat. 10. ait, liberum equum διὰ πεδίου κροαίνειν καὶ ὑβρίζειν, *per campum exultare & ferocire.* Tractat ibi Maximus Hom. locum. Nazianz. Orat. 20. ποιεῖ τὸν Ὁμηρικὸν ἵππον ὁ πόθος, & τὰ δεσμὰ ῥήξας τῶν κατεχόντων κροαίνω τὸ πεδίον, & πρὸς τὸν σύννομον ἱεφέρομαι. *Præ animi desiderio imitor Homericū equum, ac perfractis eorum, à quibus retinebar, vinculis, campos pedibus pulso, ferebárque cum impetu ad sodalem.*

9. AVT ILLE IN PASTVS, &c.] Non credo triplicem causam assignari à Virgilio, videlicet, pastum, libidinem, & flumen, sed duas tantùm, libidinem, & flumen; vt dicat, in pascua tendit, vbi sunt equarum armenta, vel in flumen. Nam si ad præsepe fuerat, & diu, non certè egebat pastione: potius est, vt satur ex farragine optet aut coïtum, aut flumen. Plutarch. in vita Lysand. meminit loquens de equo νομῆς ἀφέτου καὶ λειμῶνος, *liberæ pastionis & prati*, quo gratissimè hæc fera conuolat.

Equus cùm amat, tunc exultatior. 10. ARMENTAQVE TENDIT EQVARVM.] Vides, vt equus, qui it ad amores suos, inducatur luxurians, arrectis ceruicibus, cum fremitu & iubis ludentibus per colla & armos. Itaque mihi non dubium, quin describat Poëta equū Xenoph. lib. de re equestri; vbi ait. ὅταν γὰρ αὐθις ἔλθῃ παρ' ἵππους, μάλιστα δὲ πρὸς θηλείας, τότε αἴρει τε τὸν αὐχένα ἀνωτάτω, & κυρτοῖ μάλιστα τὴν κεφαλὴν γοργούμενος: *quoties enim ad alios accedit equos, præsertim ad equas, tum & ceruicem ad summum attollit, & caput agili maximè motu recuruat.* Hinc est, vt in adductis versibus Homeri, vbi ait, & νομὸν ἵππων, possim commodiùs explicare *pastum equarum*, quàm cum interpretibus *equorum*. nam hæc iactantia est ad conspectum feminarum. A me est Virgil. qui Homeri νομὸν ἵππων, reddit, *in pastus equarum*. De equina libidine, quam hîc attingit Poëta dixi fusè 3. Georg. Adiicio Hesychium, qui mœchos vocat φιλίππους.

Equus amās aquarum. 11. AVT ASSVETVS AQVÆ, &c.] Videntur ista dici ex ingenio ac natura equorum, scribente Aristotele lib. 8. de Histor. Animal. capite vigesimoquarto: χαίρουσι δὲ ἵπποι τοῖς λειμῶσι, & τοῖς ἕλεσι: *gaudent pratis riguis, & paludibus.* & post pauca. ὅταν πίνωσι λούονται. καὶ γὰρ ὅλως ἐστὶ φιλόλουτρον τὸ ζῶον, καὶ ἔτι φίλυδρον: *Cùm biberint, lauant se, balneum enim omnino hoc animal adamat, & aquæ est deditum.* Euertunt ista, quæ contra Homerum scripsit Iul. Scal. & non vidit tantus vir, eadem opera, qua Homerum vult obruere, obrui quoque Virgilium, quod ipse non vult; nam sicut Græcus εἰωθὼς, ita Latinus *assuetus*, & *perfundi*, & *noto flumine*, quibus omnibus consuetudo indicatur. Quid, quòd hoc consentaneum est cum equi natura calida? Et esse animal calidum satis indicat eius leuitas, velocitas, audacia. Virgilius libro tertio Georgic. *calidumq; animis, & cursibus acrem.* & Græci passim θερμὸν. Huc etiam pertinent verba Naziāzeni Oratione quadragesima tertia, qui ita lasciuientem equum describit: ὑψαυχενῶν ἵππος, & ἀγέρωχος τοῖς ὄικοις δυσχεραίνων, & τὰ δεσμὰ τυραννούμενος κροαίνει κατὰ πεδίον, καὶ ποταμοῖς ὡραΐζεται: *superbiens equus, & iubam erigens, stabulum fastidit, ac perfractis vinculis per campos lasciuus fertur, atque in fluminibus gestitans sese ostentat.*

12. ARRECTISQVE, &c.] De notis boni equi dixi 3. Georg.

Iubæ equorum. 13. LVDVNTQVE IVBÆ, &c.] Philostrat. Iunior in Iconib. χαίτας δ' ἀμφιλαφῆ κυανῶν ἀναφύουσιν αὐχένων: *Profusam comam cyaneis attollunt ceruicibus.* & *iuba* ait, quæ propriæ equorum, non leonum, vt malè putant aliqui, iuuante hoc Philostrati loco in Epistol. λέων λάσιος, & ἵππος τῇ χαίτῃ πεποιθώς: *Leo hirsutie, equus iuba confidit.* Video ab Aristot. lib. 2. de partib. Animal. cap. 14. dari equis λοφιὰν, leonibus χαίτην. Sed hoc nihil est contra me. Nam etiamsi in re Græcorum ambigi hoc possit, non certè in Latinis vocibus. Sed de hac re iam alibi.

[a] Obuia cui Volscorum acie comitante Camilla
Occurrit, portísque ab equo Regina sub ipsis
Desiluit, quam tota cohors imitata, relictis

Ad terram defluxit equis: tum talia fatur.
[b] Turne, sui meritò si qua est fiducia forti,
Audeo, & Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Soláque Tyrrhenos equites ire obuia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli,
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serua.
[c] Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus,
O decus Italiæ virgo, quas dicere grates,
Quásve referre parem? sed nunc (est omnia quando
Iste animus supra) mecum partire laborem.
[d] Æneas (vt fama fidem, missiq; reportant
Exploratores) equitum leuia improbus arma
Præmisit quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta iugo properans aduentat ad vrbem.
Furta paro belli conuexo in tramite syluæ,
Vt biuias armato obsidam milite fauces:
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis,
Tecum acer Messapus erit, turmæq; Latinæ,
Tyburtíque manus, ducis & tu concipe curam.
[e] Sic ait; & paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, sociósque duces, & pergit in hostem.

ARGVMENTVM.

Occurrit Camilla Turno, gratè se excipiunt, promittit virgo virilem virtutem, & munia belli diuidit, sed illa aliter disponit Turnus.

EXPLICATIO.

[a] NVNC primùm Camilla, & Turnus in toto hoc opere occurrunt, & nunquam deinde. O quoties Poëtæ alij ista ad nauseam repeterent! Ergo, ait, Camillam Turno obuiam occurrisse, descendisse ab equo ad ipsas vrbis portas salutaturā Turnū, vt exercitus ducem, id pariter fecisse totā eius cohortē exēplo Principis feminę. In verbo *defluxit* ait Seru. notari artem descendendi ex equo facilem & militarem.

[b] Sequitur Camillæ pollicitatio virilis, & planè fortis, qua promittit ausuram se occurrere Troianorū turmæ, ituram obuiam, & ipsam solam, in Tyrrhenos equites, tentaturam prima belli pericula: monétque Turnum, vt ipse pedes ad murum subsistat, seruaturus vrbem. In summa se ipsa vult opponere integro hostium equitatui, qui vagari solet aperto campo: peditibus vult vt Turnus præsit, qui solent irruptiones moliri in vrbes. Illud, *sui meritò si qua est fiducia forti*, est, si quis habet confidentiam ex conscientia suæ fortitudinis.

C [c] Obstupescit Turnus ad virile promissum, figit in ea oculos, vt attentè consideret militarem virtutem, vocat illam *Italiæ decus*. nescit quî possit gratias aut *dicere*, aut *referre*. Partitur laborem cum illa, cui animus supra omnem laborem. Et *partire* ait, vt etiam Liuius lib. 21. *partiens curas belli*.

[d] Aperit consiliū suum Turnus, & partem Camillæ annuit, partem abnuit: annuit vt ipsa pugnet con-

A tra Tyrrhenos, & tentet belli prima pericula: abnuit vt *sola*, nam *tecum erit Messapus, Latinæ turmæ, manus Tyburti*, quorum tamen ipsa omnium sit dux. & *tecum erit* dicit magno honore, quasi non tu illi subdita, sed ille tibi: abnuit etiam, vt ipse ad portas subsistat, nam iturus ad excipiendum per insidias Æneam, qui præmisso leui equite, per montem auium quàm celerrimè ad vrbem aduentabat: ac proinde obsessurus erat Turnus armato milite conuexum syluæ tramitem, & fauces, in quibus via duplex, ne per aliquam earum hostis euaderet.

[e] His dictis Messapum, & reliquos hortatur, qui relinquebantur cum Camilla: ipse contendit ad locū, vbi parandæ insidiæ contra Ænean. Consiliū hoc excogitatum Virgilio præclarissimè, vt videlicet ab-
B sint à bello Æneas, & Turnus, quo in bello Camilla editura esset res magnas: esset.n. contra decorum talia edi à femina præsentibus magnis ducibus. Videtúrque mihi Poëta voluisse Calabrum corrigere, qui hoc non viderit in Penthesilea.

NOTÆ.

1. REGINA DESILVIT.] Latet aliqua Hom. imitatio, apud quem lib. 12. Iliad. vt Hector ἐξ ὀχέων ἆλτο χαμᾶζε, *ex curribus desiluit in terrā*, statim reliqui Troiani inducūtur ἀποβάντες, *descendentes* etiā ex equis. & ratio. ὡς εἶδον Ἕκτορα δῖον, *vt viderunt diuinum Hectorē* descendisse. Sylla etiā apud Plut. hoc honore Pompeiū
C excipit, ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου, *desiliens ex equo* & socij Mariū apud Plut. ἐπεὶ δ' ἐγγὺς ἦσαν ἀποπηδήσαντες ἐξ ἵππων τὸν Μάριον. Locutio ipsa in Liuio est lib. 2. *desiliunt ex equis*. repetit lib. 9. 24. & 35. Desiluit equo.

2. COHORS.] Hoc tu Maro poëtico iure: nam cohors peditum est, vt turma equitum. Est & aliud effugium præter ius poëticum, nam iam ab descensu cohors fuit.

3. DEFLV

Destraxit e quo. 3. DEFLVXIT EQVIS.] Furius lib.1.apud Macrob. lib.6.c.4. A

Ille graui subitò deuinctus vulnere habenas
Misit equi, lapsúsque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis sonitum. ———

Latini à Græcis, qui τοῦ ἵππου ἀπορρεῖν, pari fluxionis verbo. Plutar. in Eumene, ἀπὸ τοῦ ἵππου. Vulgò ἀποβαίνειν ἵππων, καταβαίνειν, ἀποπηδᾶν, καταπηδᾶν. Appian. in Mithrid. dixit; ἐξήλατο. Cùm addit Poëta *ad terram*, etiam in hoc Græcos imitatur. Homer. itaq; 6. Iliad. non contentus dixisse ἐξ ἵππων ἀποβάντες, addit, ἐπὶ χθόνα, & alibi χαμᾶζε.

Feminæ viriles. 4. AVDEO ET ÆNEADVM, &c.] Describit feminam, quæ vltra feminam, vt loquitur Nazianz. in Carmine de vita sua,

θῆλυς τὸ σῶμα, τὸν τρόπον δ' ἀνδρὸς πέρα:
Femina corpore, moribus supra virum.

Talem feminam Græci dicunt ἀντιάνειραν, de qua dicebam 1. Æneid. ad illud, *audétque viris concurrere virgo.* quem locum vide, vt hunc illustres. Huic Camillæ pollicitationi non dissimilis illa Penthesileæ lib. 1. Calab.

Imitatio. Ἡ δ' ἄρ' ὑπέσχετο ἔργον, ὃ οὔποτε θνητὸς ἐώλπει,
Δηώσειν Ἀχιλῆα, καὶ εὐρέα λαὸν ὀλέσσειν
Ἀργείων, νῆας δὲ πυρὸς καθύπερθε βαλέσθαι.
Illa in se facinus recepit, quod mortalium nemo crederet,
Debellaturā Achillem, & numerosas copias perdituram
Græcorum, nauésque desuper igni tradituram.

Tam Calaber, quàm Virg. describunt verè feminam ἀντιάνειραν, vt dicebam, siue ἀρρενωπὸν, vt loquitur Aristotel. lib. 2. de generat. Animal. id est, *instar viri.*
Feminæ masculæ, quæ. Et notandum scribi à Philosopho eo loci, nasci interdum feminas masculas, quarum nota est, non ha-
Homines feminei, qui. bere illas τὰ καταμήνια, *menstrua.* Sic contrà ait nasci homines θηλυκούς, *femineos*, quorum nota est, habere illos τὸ σπέρμα λεπτὸν καὶ ψυχρὸν, *semen exile & frigidum.*

Imitatio. 5. SOLAQVE, &c.] Tale illud Iliad. 13.

——— μενοινάω δὲ καὶ οἶος
Ἕκτορι Πριαμίδῃ ἄμοτον μεμαῶτι μάχεσθαι:
——— *opto autem solus*
Pugnare contra Hectorem Priamidem pugnæ insatiabiliter appetentem.

Pericula manu tentare. 6. TENTARE PERICVLA.] Ait Camilla tentare, vt quæ velit esse οὐ παρ' αὐτοῖς, (vt loquitur Sophocl. in Elect.) ἀλλ' ἐν αὐτοῖσι κακοῖς, *non prope pericula, sed in ipsis.* Ideo *manu tentare.* D

O tu. 7. TV PEDES.] Nescio an bene obseruet Gerardus in Plutum Aristophan. ex eo loco ὦ μοχθηρὲ σύ, Græcis esse vocatiuum ὦ σύ. Argumento est, dici à Latinis *tu bone tibi consule*, & talia, vt, *ò tu*, &c. & non tamen inde sequitur *tu* esse vocatiuum: sic neque ὦ σύ.

Horror, de armis, & 8. HORRENDA IN VIRGINE.] Possis referre attributum vel ad militarem feminam, nam *horror armorum* est. Sic apud Calab. lib. 1. Penthesilea ἀρηία κούρη: *virgo Martia*. & iterum κούρη ἐνυαλίη: *virgo Mauortia.* Eadem lib. 2. dicitur δαΐφρων, & ἐκπαγλος, *bellatrix, & stupenda*; videlicet, vt à Nonno Amazones μαχήμονες γυναῖκες. & Apollon. 1. Arg. κούρη εὐπτολέμεια. E & de Electra Eurip. in Oreste, τρίτας ἀρετὰς κεκτημένη. Sic & Amazones dicuntur ab Calab. lib. 1. ὀμβριμόθυμοι. & ab Apoll. lib. 2. φιλοπτόλεμοι κοῦραι. & ab Se-
Virginitate. neca in Hippol. *gens armigera.* Vel ad virginitatem, quæ, quia sacra, ideo *horrenda.* Sic de templo in 7. *horrendum relligione.* & in 6. Sibylla *horrenda* dicitur, quia virgo sacra. & S. Ioannes Chrysost. in Orat. de Martyre Luciano, loquens de sacra Eucharistia ait, τραπέζης φρικώδους: *horrendæ mensæ.*

Fixus, de intuitu. 9. FIXVS.] Describit hominem intuentem ἀτενὲς, quæ vox notat intentionem in videndo. Propertius Eleg. 3. lib. 1. vtrumque coniunxit.

Sed sic hærebam fixis intentus ocellis.

& *oculos* dixit in plurali, quasi totus vellet esse (sic ego concipio) oculatus ad intuendam Camillam. Platonis distichon apud Laërtium præclarū hoc est,

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός, εἴθε γενοίμην
Οὐρανός, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω:
Stellas intueris, stella ipse cùm sis, vtinam ego essem
Cœlum, vt pluribus te oculis cernerem.

Decus, vox blandiens. 10. O DECVS ITALIÆ VIRGO.] De hoc genere blandimenti dixi in Eclog. Hîc adiicio nummum Iustiniani Imperatoris apud Cedrenū, in quo nummo se in altera parte essinxit, in altera Belisarium B cum hac inscriptione, Βελισάριος ἡ δόξα τῶν Ῥωμαίων. Sententia verò affinis est Euripideæ in Heracl. vbi Iolanus ad virginem Macariam,

Ἀλλ' ὦ μέγιστον ἐκπρέπουσ' εὐψυχίας:
At ò (virgo) maximè excellens animi magnitudine.

Referre gratias. 11. QVASVE REFERRE PAREM.] Verbum ad hanc rem ἐξοχήν. Audiat æquus Lector verba Senecæ epist. 81. hæc: *Mira in quibusdam rebus verborum proprietas est, & consuetudo sermonis antiqui quædam efficacissimis & officia docentibus notis signat. Sic certè solemus loqui. ille illi gratiam retulit. Referre est, vltrò quod debeas afferre. Non dicimus gratiam reddidit. Reddunt enim, & qui reposcuntur, & qui inuiti, & qui vbilibet, & qui per alium. Non dicimus, reposuit beneficium, aut soluit. Nullum enim nobis placuit, quod æri alieno conuenit, verbum. Referre est, ad eum, à quo acceperis, ferre. hæc vox significat voluntariam relationem. Qui retulit ipse se appellauit. Itaque negamus quenquam scire gratiam referre, nisi sapientem.* Vides, vt nullum, præter hoc verbum probet Seneca; vt hoc verbum sit propriè sapientum, vt in illo sita sit vis efficacissima sermonis huius. Itaque κατ' ἐξοχὴν vsurpandum ad hanc rem. C

12. OMNIA ISTE ANIMVS SVPRA.] Non dissidet ab hac sententia ista Sallust. in Iugurth. *Supra fortunam animum gereret.* Aperio & quidpiam non vulgare. Quid si *animus supra omnia*, est, ad mortem dispositus animus? Nam ille est supra omnia, cui contemptui est etiam vita ipsa. Præsertim cùm vox *supra* notet mortuorum. Sic *supremi sermones* apud Tacit. lib. 1. Ann. sunt sermones morientis. ibidem *suprema mandata.* atque etiam *suprema soluere*, de exequiis. Centena hæc. Supra omnia, quid sit.

13. FAMA FIDEM.] Soleo admirari in Virg. quæ sunt vulgaria dici ab illo ita longè à vulgo, vt noua appareant. Quid magis vulgare, quàm rumorem dissipari à fama? quid minùs vulgariter, quàm *fama portat fidem*? Dixit *reportat*, quia iterati nuntij. Infinita sunt hæc in hoc Principe. Qui post illum scripsēre, non tam illum imitantur, quàm anhelant ad eius imitationem. Vnum semper excipio Horatium, qui dignissimus Virgilij discipulus. Et aspectum fortasse ad vinum, quod dicitur *portare ætatem* aut *senectam*, cùm diu consistit, neque vilescit, aut vappescit: sic rumor constans *portat*, imò *reportat famam*, quia, vt dixi, constans est iteratis nuntiis. Fidem portare. Portare ætatem, de vino.

14. LEVIA.] Leuem & volantem equitem, qualis nunc est in militia Africana, oppones graui & statario equiti, qualis nunc est in Gallorum militia. Oppositio.

15. IMPROBVS.] Vox non aliena à Turni animo. Vetē Æneas *improbus*, id est, pertinax in bellando: sed Turnus non fortasse hoc animo.

16. QVATERENT CAMPOS.] Turbarent campos. Lucret. lib. 2. Quatere cāpos.

Transmittunt valido quatientes impete campos.

Et esse hoc idem, quod καθιππάζεσθαι Germ. notat. Sic Thucyd. καθιππάζεσθαι χώραν. Silius lib. 12, A

Prærumpit Capua Pœnus, vicináque latè
Præmisso terrore quatit.———

Imitatio. 17. PER DESERTA, &c.] Ita de Rheso Eurip.

Καὶ πῶς πρὸς Ἴδης ἐργάδας πορεύεται
Πλαγχθεὶς πλατείας ἐκτὸς ἁμαξιτοῦ;

Et quomodo ad Idæ colles iter facit
Aberrans à lata via, campestri, & plaustraria.

Furtum, de bello. 18. FVRTA PARO BELLI.] Furtum de bello dixit Sallust. citante Seruio, *gens ad furta belli peridonea.* Adiungo quæ sequuntur. Plutarch. in Philopœm. στρατείας κλωπείας, *furtiuas expeditiones.* & in Lysandri vita, ἀπάταις τὰ πολλὰ διαποικίλλων τῶ πολέμω: *res bellicas perpetrans dolis.* Stat. 10. Theb. *gradiens furta ad Mauortia belli.* Considero in vigilãtissimo Poëta hoc verbum datum Turno. Apage, vt illud Æneæ daret. Fraus enim & dolus longè, vt plurimùm, à bono duce: & certè multa sunt necessaria, vt ea fraus laudem habeat. De Romanis Ælian. lib. 12. Var. Hist. δι' ἀρετῆς γὰρ ἴσασι Ῥωμαῖοι ἀγαθοὶ εἶναι, οὐ μὴν διὰ τέχνης, Virtute vincendum, nō dolo. καὶ πανουργίας: *Virtute vincere Romani assueuerunt, non dolo, & furto.* Cauit ergo Poëta, vt labem hanc daret patri Romanorum Æneæ. Celebratissima est vox illa Alexandri apud Plut. in eius Regis vita, οὐ κλέπτω τὴν νίκην, *non furor victoriam.* Dixit hoc, cùm suadebatur à suis, vt noctu hostem aggrederetur, & tenebris tegeret tantum bellum. Ceterùm, integrum versum Virg. hunc

Furta paro belli conuexo in tramite syluæ,

videtur ad verbum reddidisse Nonnus lib. 21. Dionys.

———ἐν ἄλσεσι φώριος Ἄρης
Ἠλιβάτων χλοεροῖσι φυτῶν κεκάλυπτο κορύμβοις:

———*in nemoribus furtiuus Mars*
Altarum viridibus arborum abscondebatur ramis.

19. COLLATIS SIGNIS.] Sermo Romanus & militaris. sic enim dicebatur, *quoties acie dimicatum esset,* ait Seru. Conserta signa.

20. TECVM.] Abiungunt Græci, qui σύν σοι, vt habetur Iliad. 10. id est, *cum te.* sic μετὰ σφισιν.

21. TYBVRTIQVE MANVS.] Vide 7. Æneid. vbi Coras, & Catillus fratres *Tyburtia mœnia linquunt.*

22. CVRAM.] Noluit vulgare *munus.* Sed & *cura* militaris est vox, & sæpe in ore Sallustij; vt cùm ait in Catil. *Fesulanum quendam in sinistra parte curare iubet.* & in Iug. *In postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat,* & sæpe aliàs. B Cura, militaris vox.

23. HORTATVR.] Verbum proprium ducis in bello, & quod vltimum in re hac, & quo audito nullum expectes efficacius. Lucius Æmilius apud Polyb. lib. 3. ante Cannensem cladem; ὑπομιμνήσκειν μόνον, παρακαλεῖν δ' οὐ πρέπειν: *Monere tantùm (vos) non etiam hortari oportet.* quasi abstineret ab hortatione, efficacissimo ducis verbo. Dixi, nullum esse efficacius, quod intelligendum, nisi transeatur ad iurgia. Hortor, verbum ducis.

^a Est curuo anfractu vallis accommoda fraudi,
Armorúmque dolis: quam densis frondibus atrum
Vrget vtrimque latus, tenuis qua semita ducit,
Angustæq; ferunt fauces, aditúsque maligni.
^b Hanc super in speculis, summóque in vertice montis
Planicies ignota iacet, tutíque receptus:
Seu dextra læuáque velis occurrere pugnæ,
Siue instare iugis, & grandia voluere saxa.
^c Huc iuuenis nota fertur regione viarum,
Arripuítque locum, & syluis insedit iniquis.

C

ARGVMENTVM.

Describitur locus, quo transiturus Æneas, & vbi contra illum dispositæ à Turno insidiæ.

EXPLICATIO.

^a DESCRIPTIO loci mira. *Est (inquit) vallis fraudi accommoda, & dolis armorum.* Cur? quia ea vallis interrupta est anfractibus, hísque curuis, id est, sinuosis, ac tota plena recessibus. Deinde, quia hanc vallem ab vtroque latere *vrget nemus atrũ densitate frondium.* Tertiò, quia ingressus ad illam est per *tenuem semitam, angustas fauces, malignos aditus,* id est, tenebricosos ex densitate arborum.

^b Pergit descriptio. Super hanc vallem *iacet planicies in summo montis vertice,* eáq; *ignota* aduenis, & *receptus tuti.* Ex qua planicie, tanquam *in speculis* indigenę esse possunt, vt inde cernant eos, qui per inferiorem & perplexam vallẽm iter faciunt. Inde itaq; possunt, *seu dextra, seu læua occurrere pugnæ,* id est, hostibus, vel *iugis instare,* & inde *grandia saxa voluere.*

^c Huc igitur aduolauit ad insidias locãdas Turnus, *arripuitq́; locum,* id est, raptim tenuit, & præoccupauit milite, & insedit ad insidias. Itaq; consilium Turni fuit arcẽ montis occupare, vt Ænean prætereuntem per inferiorem vallem inde inuaderet, vel saxis conficeret miserandum in modum. vtique ἀναχωρήσεις ἰλόχα, vt in re simili loquitur Ioseph. lib. 1. Bell. c. 11.

NOTÆ.

1. VALLIS ACCOMMODA FRAVDI, &c.] Valles esse solent aptæ ad insidias. Inde 2. Eclog. *non tuta valle,* quem locum adi: & hîc adiice λόχους, id est, *insidias,* verè dici περὶ τῆς λόχμης. Est autem λόχμη locus δασὺς (inquit interpres Aristophanius) densus, fruticosus, plenúsque cespitibus, & syluosus. Inde Appian. 1. Ciuil. λόχους ἐν φάραγξιν ἐνεδρεύσας, *insidias in valle dispones.* Apud Polyb. lib. 3. milites includuntur ad insidias εἰς τινὰς ὑλώδεις καὶ κοίλους τόπους, *in loca quadã syluosa & caua.* In eodẽ lib. insidiæ collocãtur cõtra Annibalẽ ad φάραγγα τινὰ δύσβατον & κρημνώδη, *vallẽ confragosam & præruptam.* Ibidem locum vepribus, ac virgultis vestitum vocat εὐφυῆ πρὸς ἐνέδραν, *accommodum ad insidias.* Apud Sallust. in Iugurth. insidiæ locãtur *inter virgulta.* Sed Insidiæ in vallibus. D

Sed huius rei nulla viuidior imago, quàm quæ habetur apud Liu. lib. 9. de Romanis militibus deprehensis in Caudinis Furculis. qui locus multam habet similitudinem cum hoc Maroniano. Nam ibi saltus sunt *angusti, & syluosi*, & ad eos *intranda angustiæ*, illisque *imminent iuga*.

Locorum similitudo.

2. QVAM DENSIS FRONDIBVS, &c.] Non dubiũ, quin Stat. 2. Theb. Musam suam ditauerit hæres totus Maronianæ in simili descriptione.

Fit via per dumos, propior qua calle latenti
Præcelerant, densaq́; legunt compendia syluæ.
Lecta dolis sedes. gemini procul vrbe malignis
Faucibus vrgentur colles, quos vmbra superni
Montis, & incuruis claudunt iuga frondea syluis.
Insidias natura loco, cæcámque latendi
Struxit opem, mediásque arctè secat aspera rupes
Semita, quam subiecti campi, deuexáque latis
Arua iacent spatiis, contrà importuna crepido
Oedipodioniæ domus alitis.——

3. TENVIS QVA SEMITA DVCIT.] Est hoc, quod lib. 9.
Rara per occultos ducebat semita calles.
Quem locum vide, vt hunc illustres.

Fauces, de locis.

4. ANGVSTÆQVE FERVNT FAVCES.] Liu. de loco Caudino: *sed antequam venias ad eum intrandæ primæ angustiæ sunt*, &c. Vt Latini *fauces*, Græci ad eãdem rem A dicunt στόμα, ος. Curtius sæpe *fauces*.

5. ADITVSQVE MALIGNI.] Explicui tenebricosos, ad eum modũm, quo *lux maligna* 6. Æneid. Sed possunt etiam esse breues & perangusti, ac vix capaces vnius hominis, & quibus *vix singuli ducerentur*, vt loquitur Iulius lib. 1. Gall.

Malignum, quid.

6. INSTARE IVGIS.] Explica, vel stare in iugis ad voluenda saxa: vel imminere iugis desuper, & ipsis hostibus è iugo.

7. NOTA REGIONE VIARVM.] His opponit Polyb. lib. 3. τόπους ἀδήλους, cùm nescit miles, qua iturus.

Oppositio.

8. SYLVIS INSEDIT INIQVIS.] Insidiæ quippe ab insidendo. Inde & Græci ἐνέδραι, *insidiæ*, nam ἕδρα B est *sedes*, & ἐνεδρεύω, *insidior*. Sic ἔφεδρος, ἐφεδρεία, ἐφεδρεύω. Imaginem huius rei habes apud Polyb. lib. 3. vbi Boij inducuntur ἐν τισὶ δρυμοῖς ἑτοιμάσαντες ἐνέδρας, *parantes insidias in quibusdam saltibus*. Eodem in libro post multa, Allobroges loca occupant, per quæ necessariò ascẽdendum Annibali. & apud Plut. in Nicia, vbi fit mẽtio Συρακουσίων ἐνέδρας πεποιημένων καὶ προκατεχόντων τὰς παρόδους, *Syracusanorum, qui insidias facerent, & præoccuparent loca, quibus transeundum erat*.

Insideo, ad insidias.

Similitudo historiæ.

9. INIQVIS.] Propriè accipe, id est, inæqualibus. Erant enim in ea sylua loca iam alta, iam ima, iam surrecta, iam depressa: & inde locus aptus insidiis.

a Velocem interea superis in sedibus Opim,
Vnam ex virginibus sociis, sacráque caterua
Compellabat, & has tristes Latonia voces
Ore dabat. Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Chara mihi ante alias. b neque enim nouus iste Dianæ
Venit amor, subitáque animum dulcedine mouit.
c Pulsus ob inuidiam Regno, virésque superbas
Priuerno antiqua Metabus cùm excederet vrbe
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrísque vocauit
Nomine Casmillæ mutata parte Camillam.

ARGVMENTVM.

Orditur Diana Camillæ historiam, volens aperire, vnde sibi sacra esset ea virgo; incipitque à fuga patris Metabi è Regno cum infante filia.

EXPLICATIO.

a DIGRESSIO commoda tum ad leuandum tædium, tum ad rem ipsam Virgilij. Nam cùm pars reliqua huius libri tota impendatur in Camillæ gestis (absentibus Ænea, & Turno) celebrãdis, æquissimum est, vt huius virginis initia prima cognoscantur. Additur magna claritudo ex narrante Dea, & ad Nympham, & in ipso cœlo: quasi Camillæ gesta mereantur Deam, quæ narret; Nympham, quæ audiat; cœlum, in quo narrentur. Ergo Diana Nympham suam Opim compellat, & tota lacrymabunda queritur, ire ad bellum Camillam, quæ sibi ante alias chara, & *nequicquam* incingi, nam tandẽ in eo bello peritura est. Nota hîc aliqua. Opim vocat *velocem*, vt ve- C natricem, & quæ in comitatu Dianæ. In illis, *dabat voces ore*, non est pleonasmus, etiamsi Seru. hoc velit, sed exprimitur habitus doloris, quasi in ipso ore appareret tristitia, ideo coniunge *voces tristes ore*, non, *dabat ore*. Ait, *graditur*, quia *ad bellum*. est enim *gradior* militare, inde & *Gradiuus*. τὸ *nostris*, tuis & meis.

b Ne putes, ô Nympha, ait Diana, amorem istum, quo complector Camillam, mihi nunc nouum aduenire, & subita quadam dulcedine animum meum permoueri. quasi dicat: antiquus est amor, quod vt scias, audi.

c Metabus Camillæ pater inuidia inimicorum & potentia pulsus Regno est, fugitque ex vrbe sua Priuerno. Exilium vt leniret, sustulit secum filiam tum D infantem, quam à matre Casmilla Camillam vocauit. Retuli *vires superbas* ad potentiam hostium, posfis cum Seru. aliter, quia videlicet ipse Metabus superbè dominabatur.

NOTÆ.

1. OPIM.] Cur Virg. fecerit Opim Dianæ comitẽ dissident

Opis, cur comes Dianæ.

dissident Macrob. & Turn. Ait prior cap. 22. lib. 5. Satur. Dianam ipsam ab Alexandro Ætolo dici Opim eo versu,

Ὑμνῆσαι ταχίνην Οὖπιν ἀοιδήν ἰοχέαιραν.

Et Poëtam attribuisse Nymphæ Dianæ nomẽ ipsiusmet Dianæ. Ait posterior cap. 3. lib. 22. Aduers. Virgilium institisse Callimacho, qui Opim nominat inter Nymphas, quæ afferunt primitias Delum, istis versibus.

Πρῶταί τοι τάδ' ἔνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
Οὖπίς τε, Λοξώ τε, καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Ait, primas omnium Opim, Loxo, Hecaërgen attulisse dona à flauis Arimaspis. In hoc dissidio Turnebo hæserim, præsertim cum Apollodorus lib. 1. Biblioth. dicat ex quorumdam opinione, Orionẽ confixum sagittis à Diana, quòd Opi eius Nymphæ vim inferre intentasset. Opis ergo inter comites Dianæ.

Gradior, verbum militare.

2. Graditvr.] Veteres dicebant *gradus grandire*. & Plaut. *grandes gradus* nominat. Hi gradus militibus maximè conueniunt. Græci dicũt διαβεβηκέναι, quasi crura & pedes aperiantur ad grandem incessum. Nã Theophr. in Charact. διαβεβηκὼς dixit de eo, qui grãdi gradu vtitur. Quem ad locum plura his Casaub. vbi etiam notat διαβαίνειν esse etiam militare, nã dicuntur διαβαίνειν, qui se parant ad hostilem impetum excipiendum, vt qui cruribus sint apertis. Inde est apud Platon. in Tyrtæo, εὖ διαβάντα μάχεσθαι.

Nequicquam, ex affectu.

3. Nostris neqvicqvam cingitvr armis.] Magnus affectus, quasi frustranea sint arma Numinis. De Chariclia Heliod. lib. 4. Hist. Æthip. ὦ μάτην ὡραία, ô *nequicquam formosa*. qui affectus magnus.

4. Chara mihi ante alias.] Lubentiùs refero ad Camillam, quàm ad Opim.

5. Animvm movit.] Hom. 14. Odyss. ἔσαινε θυμόν.

Metabus.

6. Metabvs.] Turnebus adducto loco profert ex Stephano Metabum quendam, qui Metaponto vrbi Italiæ nomen dedit, quæ vrbs priùs dicta est Si- A tis; dicitque, ideo Poëtam appellasse Metabum patrem Camillæ, vt morientem antiquorum memoriam renouaret. Etenim Μεταπόντιον (ait Steph.) οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον: *Barbari Metapontum vocabant Metabum.*

Belli & prælij discrimẽ.

7. Media inter prælia belli.] Locus notandus ad distinctionem prælij & belli. Est bellum, integrum veluti corpus, prælia eius veluti membra. Itaque vnum bellum Troianum fuit per decennium, in quo multa prælia. Signatè Tacit. lib. 4. Hist. in sermone belli vnius nominat *secundum prælium*. Sic Lucret. non semel *belli certamina*. Hom. sæpissimè coniungit πόλεμον, μάχην, & πολεμίζειν, μάχεσθαι. Aduocat Nonius Lucilij verba hæc: *Populus Romanus victus vi, & superatus præliis sæpe est multis, bello verò nunquam.* B Virg. inf. in hoc lib. in bello vno tria adhibet prælia versu illo, *Tertia sed postquam congressi in prælia.* Polyb. lib. 3. minuta hæc prælia, & per partes gesta, vocat τὰς κατὰ μέρος ἀκροβολισμούς. & paulo pòst. ἀκροβολισμοὶ δὲ μόνον καὶ συμπλοκαὶ κατὰ μέρος ἐγίνοντο τελέως: *leuiter duntaxat, & per partes sæpiùs est pugnatum.*

Camilla vnde dicta.

8. Mvtata parte.] Cur mutata parte? imò detracta parte. Hæreamus Turnebo docenti, Maronem innuere, Camillam dictam à Camœna, mutata parte nominis. Latini Camœnas dicebant olim Casmœnas. Ergo à Camœna dicta est Casmilla mater, & filia dicta est Camilla. Atque adeò tam mater, quàm filia, vtraque habuit nominis mutationem. Itaque ait Poëta. Camilla dicta est à matre Casmilla; C quia, vt mater mutauit nomen, ita & filia. Video ista non dici expressè à Virgilio poëticè rem tractante. Ideo ait Turn. hoc ab illo innui. Si cui placeat Macrob. eruditio, adeat illum lib. 3. Sat. cap. 8. Lege & Brissonium libro de Ritu Nuptiarum, vbi longissimè probat ministros in rebus sacris dici *Camillos*. quod nomen competit etiam huic virgini, quippe ministræ Dianæ.

[a] Ipse sinu præ se portans iuga longa petebat
Solorum nemorum: tela vndique sæua premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
[b] Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans
Spumabat ripis (tantus se nubibus imber
Ruperat) ille innare parans, infantis amore
Tardatur, charóque oneri timet. omnia secum
Versanti subitò vix hæc sententia sedit.
[c] Telum immane, manu valida quod fortè gerebat
Bellator, solidum nodis, & robore cocto.
[d] Huic natam libro, & syluestri subere clausam
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ,
Quam dextra ingenti librans ita ad æthera fatur.
Alma tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo
Ipse pater famulam voueo. tua prima per auras
Tela tenens hostem supplex fugit. accipe, testor,
Diua tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
[e] Dixit, & adducto contortum hastile lacerto
Immittit: sonuêre vndæ, rapidum super amnem
Infelix fugit in iaculo stridente Camilla.

ARGV

A

ARGVMENTVM.

Fugientem patrem hoſtes inſequuntur, ille in fuga cùm ad amnem tumentem imbribus perueniſſet, natam incluſam ſubere, & haſtæ illigatam iacit in vlteriorem ripam, Dianæ illam deuouens.

EXPLICATIO.

a SENTENTIA plena πάθους, ab chariſſimo pignore geſtato in ſinu, à ſolitaria fuga per nemora & montes, ab telis innumeris in vitam vnam deſtinatis, ab multis militibus in vnum hominem & impeditum filia aduolantibus.

B b En dirius malum & acerbius. Peruenit ad fluuium, qui præ imbrium copia tumidus, & ad ſummas vſque ſpumans ripas fugam detinuit. Voluit ſe natatui committere, ſed timuit oneri infantili, tandem poſt multa, quæ ſecum verſauit, cùm nulli rei acquieſceret, *ſedit in animo ſententia hæc*, ac vix *ſedit*, adeò mens turbida, & *ſubitò ſedit*, quaſi ſubitò Diana ipſa hanc cogitationem immiſiſſet. Itaque non diſtinguendum poſt vocem *ſubitò*, ſed ante illam.

c Geſtabat fortè vir *bellator telum manu*, & quia telum hoc *immane*, ideò *manu valida*. in his enim minimis non deeſt ſibi Poëta. Erat verò hoc telum *ſolidum*, tum ab natura, quia *nodoſum*, tum ab arte, quia *coctum*. Materia eius *roborea*.

d Ergo claudit natam (en conſilium) ſylueſtri ſubere, inuoluítque libris & corticibus arborum, eámque mediæ haſtæ illigat, *habilem*, id eſt, εὐκατάσκευαστον, & εὔπλεκτον. Explico clariùs tyroni. Ligauit *habilem*, id eſt, ita ligauit, vt bene ſe haberet. Procedit. Et conuerſus ad preces, libránſque haſtam, puellam mihi commendat, vouétque in famulam, & potuit, quia *pater*. Ratio, cur mihi præ aliis commendaret, quia meis telis illigata hoſtem fugeret; & inter nemora, quæ mihi ſacra ſunt: vſúſque eſt in facto hoc me teſte, vt intelligerem ego, rem illam, quam moliebatur; non tam temeritati adſcribendam, quàm fiduciæ in me.

e Hoc cùm dixiſſet, lacertum adduxit ad maiorem iactus impetum, haſtam contorſit ita validè, vt vndæ quoque inſonarent. Atque ita Camilla hoſtes ſuos fugit traiecto amne in iaculo.

D

NOTÆ.

Sinus in amore. 1. SINV.] Hæc vox ſemper in mentione amoris, & ſtudij. Ita lib. 4. *ſinu germanã amplexa fouebat*. Plutar. in vita Caton. Vtic. Γαβίνιον ἐκ τῶν Πομπηίου κόλπων ἄνθρωπον: *Gabinium hominem ex Pompeij ſinu.*

Similitudo hiſtoriæ. 2. ECCE FVGÆ MEDIO, &c.] Coniicit Turn. Poëtam ſumpſiſſe hoc ex hiſtoria Pyrrhi Regis Epirotarum, tantùm poëtico iure ad prodigiũ fabuloſiùs aliquanto reddidiſſe. Puerum enim Pyrrhum ſeruare conãtibus idẽ fluuij obex oppoſitus fuit, ac puer ęgrè eſt traiectus, vixque hoſtes ſequentes contentiſſimo impetu præuenit. Hoc certè perſpicuum fiet conferenti verba Virgilij, & Plutarchi in vita Pyrrhi.

E Locorum ſimilitudo. 3. SVMMIS AMASENVS ABVNDANS, &c.] Talia fermè de Aſopo Stat. 7. Theb.

——fortè & trepidantibus ingens
Deſcendebat agris, animos ſiue imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, ſeu fluminis illa
Mens fuit, obiectúſque vado pater arma vetabat.

Et Ouid. lib. 9. Metamorph.

Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad vndas,
Vberior ſoliuo, nimbis hyemalibus auctus,
Verticibúſque frequens erat, atque imperuius amnis.

4. SPVMABAT RIPIS.] Sen. in Oct. de Eueno amne.

Iam penè ſummis turbidus ripis erat.

Plut. in vita Pyrrhi, πολύ τε γὰρ ἐξῄρετο ῥεῦμα καὶ θολερὸν ὄμβρων ἐπιγενομένων: *largam enim & turbidam voluebat* (fluuius) *aquam ex imbribus.*

Rumpo, de aquis. 5. IMBER RVPERAT SE.] A Græcis. Nã Apollon. lib. 2. ἐρράγη ὄμβρος ἀθέσφατος. & Nicand. ὄμβρειο ῥαγέντος. exemplula hæc in Germ. & pleni Græci. Sunt qui putent, cõſuetudine magis ſermonis, quàm proprietate aliqua, *imbrem* dici de cœleſti aquarum agmine. Imber. Nam verè *imber* eſt aqua quælibet, cùm Lucret. dixerit, nominans quatuor elementa,

Ex igni, terra, atque anima naſcuntur, & imbri.

Et Ouid. Eleg. 1. lib. 4. de Pont.

Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

Lege quæ dedi 1. Æneid. ad illud, *Accipiunt inimicum imbrem.*

Onus charum. 6. CHAROQVE ONERI TIMET.] Anacr. φόρτον ἔρωτος: *onus amoris*. Ita verò hîc *timet oneri*, vt 2. Æneid. *comitique onerique timentem.*

Imitatio. 7. OMNIA SECVM VERSANTI.] Ita Iliad. 10.

ἥδε δέ οἱ φρονέοντι ἀρίστη φαίνετο βουλή:
Cogitanti illi hæc optima viſa eſt ſententia.

& Il. 13.

ὧδε δέ οἱ φρονέοντι δοάσσατο κέρδιον εἶναι:
Sic illi cogitanti viſum melius eſſe.

C Ammian. lib. 18. *Seditque tandem multa & varia cogitanti id tentare*. Sidon. Paneg. Auiti: *Tandem cunctanti ſedit ſententia.*

8. QVOD FORTE GEREBAT.] Notet Lector pẽdere ſententiam, & aliquid deeſſe, ſi *quod*, referatur ad telum: nam dicet, *telum. quod gerebat, huic natam implicat*. quæ ſententia manca eſt, & hians. Hinc eſt, vt vel aliquid ſit ſubaudiendum, quod quale ſit, me tacente, ſcis ipſe: vel ſcribendum *quòd*, pro, quia, vt dicat, *quia fortè gerebat telum, huic natam implicat.*

9. ROBORE COCTO.] Tale illud Perſ. Sat. 1.

Vt ramale vetus vegrandi ſubere coctum.

Coctum robur, quid. Eſt *coctum* in Perſ. Sole exſiccatũ. Inde eſt, vt *robur coctum* in Virg. eſſe poſſit, exſiccatum diuturno Sole: ac proinde haſta ex antiquo robore, & durato ab Sole. Ego explicans ad artem retuli, qua ligna durari igne conſueſcunt.

10. CIRCVMLIGAT HASTÆ.] Plutar. in hiſtoria illa Pyrrhi. ζωστῆρι προσπήξαντες ἀκοντίσει πρὸς φελλόν. Dicit, corticem illigatum fuiſſe haſtæ, & ita in vlteriorem ripam iactu perueniſſe.

Libro. 11. LIBRANS.] Quod Plaut. Amphit. *pugnos ponderat*. quod lib. 5. *librauit caeſtus.*

Precũ fundendarum mos. 12. AD ÆTHERA FATVR.] Intellige Poëtam. Metabus preces fundit ad Dianam, non ad cœlum, ſed conuerſus ad cœlum, hoc enim ſubaudiendum, & ideo eò conuerſus, quia ibi Diana. Apud Calab. lib. 1. inducitur Priamus orans domi ſuæ Iouem, qui erat in Ida, ac tum Græcus,

Εὔχετ' ἐς ἱρὸν ἰδὼν πανταμμορέος Ἰδαίοιο
Ζηνός. ——
Orabat conuerſus ad fanum ſacrum Idæi
Iouis. ——

Achilles 16. Iliad. Iouem precaturus, priùs inducitur, οὐρανὸν εἰσανιδών, *cœlum ſuſpiciens*. & lib. 3. Menelaus loquens cum Ioue, ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν. Midas apud Ouid. 11. Metamorph. precaturus Bacchum, priùs,

Ad cœlumq́, manus, & ſplendida brachia tollens.

Ita, qui Neptunum precabantur, conuertebant ſe ad mare; qui Plutonẽ, ad terrã. Exemplum Neptuni eſt in Virg. 5. Æneid. vbi Cloãthus precatutus Neptunũ, induci

inducitur *palmas ponto tendens*. Plutonis in Hom. 9. A Iliad. vbi de femina precante Deos inferos, πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία, quia videlicet,

Κικλήσκουσ' Ἀΐδην, καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν:

Inuocabat Plutonem, & grauem Proserpinam.

Ideo ergo, & geniculatim sedebat, & terram pulsabat manibus, quasi tota intenta vni terræ, & eò spectans, vbi erant Dij, quos inuocabat. Neque aliam vim habet Comicum illud Plauti, & Terentij. Prior Amph.

Lucescit hoc iã, quid sit.

Eamus Amphitruo, lucescit hoc iam.

Posterior Hecyr.

Lucescit hoc iam, cesso pulsare ostium.

In quibus *hoc lucescit*, est cœlum, quod intento digito signabatur, & ideo *hoc*.

13. NEMORVM CVLTRIX.] Hinc Horat.

Tibi, quo vsu in sacris.

Montium custos, nemorúmque virgo.

& 9. Æneid. Nisus, *nemorum Latonia custos*. Expendatur & vocula (*tibi*) quæ clariùs enuntianda, vt iam alij adnotarunt; hac enim forma vsi veteres in re simili. Ita in Ecl. *Ecce duas tibi Daphni*. &, *Setosi caput hoc apri tibi Delia*. & innumera.

Patres habent potestatem auctoramenti.

14. IPSE PATER FAMVLAM VOVEO.] Seru. *Bene ipse pater, quia auctoramenti potestatem nisi patres non habent.* Cuiacius in Paratitlis. *Pollicitationis species est votum, quod Deo fit. sed illud in eo præcipuum, vt soli patresfamilias ex eo obligentur, quasi actu solemni (nam & præsentibus multis fiebat voti nuncupatio) aut filiusfamilias, & seruus iussu eius, in cuius potestate sunt. & secundùm ius Virgilius, Ipse pater famulam voueo.*

Ministri Deorum.

15. FAMVLAM.] Rectè notat Germ. eos qui dicati sunt ministerio Deorum, dici à Græcis, δοῦλους, θεράποντας, ὑπηρέτας, λάτρεις: *seruos, famulos, ministros, cultores*. vt etiam hîc à Virg. qui sacram Dianæ Camillam vocat *famulam*. Vnde & Soph. in Oedip.

Οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ:

Non sibi seruus viuo, sed Apollini.

Inde & Seru. ait, Camillam ita dictam ab hoc famulatu & ministerio, quippe Deorum ministros *Camillos* dixerunt. Additque, id quod præcessit de nomine accepto à matre, poëticè tantùm dictum, non verè. Nam verissimè dicta est Camilla, quia ministra. Quadrat igitur in hunc locum doctrina Macrob. lib. 3. Sat. cap. 8. quam locupletauit Brissonius in lib. de ritibus Nuptiarum. Lege vtrumque. Camilli Deorũ ministri.

16. TVA TELA TENENS.] Vides Camillam hastæ illigari à patre, quod dum facit, ait, hastam teneri ab illa, & mox sequitur, *Accipe tuam ô Diua*. Possum itaque suspicari allusisse Poëtam ad morem illorum, qui filios sibi adoptabant traditione armorum. Apud Cassiod. lib. 8. Iustinianus quempiam ita adoptat. verba Scriptoris: *desiderio concordiæ factus est per arma filius*. Ibidem. *Gensimundus ille toto orbe cantabilis, solùm armis filius factus.* Credibile dictum hoc à recenti scriptore ex ritu veterum ante se gentium. Potuit ergo Poëta ritum humanum ad diuina transcribere, & Camillam exinde fuisse Deæ adscriptam, ex quo tenuit eius telum. Si quis dicat, Poëtam ne hoc quidem somniasse, tuebor me aliorum insomniis, qui nullo fundamento, quo ego non careo; mira in Virgilio. Imò nulla alia ratio est in Vate, cur consectetur puella, nisi quia tenet tela. Et hæc forsasse causa, cur dixerit *tenens tua tela*, cùm verè non tenuerit, sed illigata fuerit. Nam hypallage hîc extra rem esset. B Armorum traditione fiebat adoptatio.

C 17. ADDVCTO CONTORTVM HASTILE LACERTO.] Ita lib. 9. Nisus,

Ocyùs adducto torquens hastile lacerto.

Sed tu vide, vt locum hunc illustres, quę dixi eodem in libro ad illud, *telum librabat ab aure*.

[a] At Metabus magna propiùs iam vrgente caterua,
Dat sese fluuio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triuiæ, de cespite vellit.
[b] Non illum tectis vllæ, non mœnibus vrbes
Accepêre, neque ipse manus feritate dedisset,
Pastorum & solis exegit montibus æuum.
[c] Hîc natam in dumis, intérque horrentia lustra
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens vbera labris.
[d] Vtq; pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, iaculo palmas onerauit acuto,
Spiculáque ex humero paruæ suspendit, & arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent.
[e] Tela manu iam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena,
Strymoniámque gruem, aut album deiecit olorem.

D

ARGVMENTVM.

Mox pater se fluuio committit, nec se vrbibus credit, æuum agit in montibus, Camillam nutrit equino lacte, quę iam tum à pueritia venationi assuevit.

EXPLICATIO.

[a] VIx patet hastam iecerat, cùm hostes aderant, ille se fluuio dat, & *victor*, id est, compos iam propositi, hastã vellit è terra, vnà cũ virgine, quæ iam *donum*

donum Triuiæ,vt quæ seruata Dianæ opera.

b Erat Metabus natura fæuus,ac proinde neque receptus ab vlla est vrbium; neque si vellent, ipse se in aliquam reciperet præ feritate animi: atque adeò vitam traduxit solus in solis montibus, vbi pastores degunt.

c Hinc factum, vt Camilla educaretur inter vepreta,& dumos, inque horrentibus ferarum lustris, & ferino equæ lacte,cuius bestiæ vbera pater infantis ori applicabat, & eius labris immulgebat ad alimoniam.Versus ille,

Armentalis equæ mammis,& lacte ferino,

habet ἓν διὰ δυοῖν. nam tantùm dicit, nutribat illam lacte ferino equæ,vt,*pateris libamus,& auro*,pro, aureis pateris.

d Alimoniam secuta est fera educatio: vix enim firmare gressus potuit,cùm pater natæ iacula in manus dedit, & eius humeris suspendit arcum & spicula.Pro auro,quo crines illigantur, pro palla,qua tegi solent feminæ, gestabat illa in dorso exuuias interemptæ tigridis.

e Ab hoc habitu non aliena exercitatio, torquere tela in feras cœpit, fundam rotare, gruem figere, olorem deiicere.Expende mihi illud,*Tela manu*,&c. Quia *manus tenera*,ideo *tela puerilia*. Sicut conuersim suprà de patre, quia *manus valida*, ideo *telum immane*.

NOTÆ.

Victor, id est, voti cõpos.

1. VICTOR.] Pro,voti compos,vt lib.8.*mihi victor honorem Persolues.*

Donũ Triuiæ,quid.

2. DONVM TRIVIÆ.] Accipiunt, quam pater exinde donum Dianæ dedit. Possunt. Sed ego aliter.Quam Diana dedit patri,vt seruatrix puellæ.Itaque gauisus pater est dono illo Dianæ.

3. CESPITE.] Explica,gramineo cespite,id est,à terra herbida.

4. NON ILLVM TECTIS, NON MOENIBVS VRBES.] Talis ea discriminatio lib.1. *vrbe, domo socias.*

Dare manus, de victo.

5. NEQVE IPSE MANVS FERITATE DEDISSET.] Adagij forma, pro, victum se fateri.Horat.Epod.17.

Iam iam efficaci do manus scientiæ.

Vide Erasm.Nata videtur locutio ab simili illo, *dare herbam*. Tale & illud lib.9. *neque enim iaculo vitam ille dedisset.*

6. SOLIS EXEGIT MONTIBVS ÆVVM.] Ita de Cyrene Nympha Pind.Od.9.Pyth.

Ὁ,σῶν κευθμῶνας ἔχει ἐχοέντων:

Habitat recessus montium vmbrosorum.

Æuum etiã de hominibus.

7. ÆVVM.] Quamuis *æuum* sit quasi ἀεὶ ὤν,*perpetuum,æternum,semper durans*, ac proinde de Diis dicatur; tamen Virg.locutus est ex imitatione Homeri, cui sæpissimè αἰὼν est *vita*, id est,ζωὴ.Sic Iliad.16.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε λίπῃ ψυχή τε,καὶ αἰών:

Sed postquam eum liquerit anima,& æuum.

Sic etiam Lucret.qui bis,aut ter: *degere æuum*. & Ennius qui 9.Annal.*æuum agitabant.*

Nutriti à feris.

8. ARMENTALIS EQVÆ.] Ita prædiuinatur virtus militaris Camillæ, quemadmodum Iamum cùm laudat Pind.Od.6.Olymp. nutritum à serpente; vt non immeritò sperare aliquid magnum ab illis possimus, erga quos tanta fuerit Superûm indulgentia. Multa huius rei exempla coniungit Alex.Neap.non solùm de equarum lacte,sed aliarum etiam ferarum, à quibus nutriti magni Heroës. Sed de equabus lege, quæ Gesner. coniungit, vbi agit de equo,littera F.Est *equa armentalis*,ἵππος ἀγελαία.

A 9. LACTE FERINO.] Manil.lib.1.de Ioue loquens,

Cuius ab vberibus magnum ille ascendit Olympum
Lacte fero crescens ad fulmina.———

Sed Manilius de capella loquitur nutrice Iouis, quamobrem signatiùs Virgilius,qui de equa. *Ferus* enim pro equo simpliciter. Vide me 2.Æneid.ad illud,*In latus inq; feri.*

Ferus, pro equo simpliciter.

10. NVTRIBAT.] Tale illud Virg.*lenibat,polibat, vestibat.*& Catull.

Nutribat.

Vellera virgati custodibant calathisci.

& Terent. Eun. *neque scibat*. Fit hoc explosu vnius vocalis.

B 11. VTQVE PEDVM PRIMIS INFANS,&c.]Ab infantia quippe probi mores discendi. Audi Sen.epist. 25.*Quadragenarium pupillũ cogitas sub tutela tua continere?respice ætatem eius iam duram, & intractabilem.tenera finguntur.* Sed de hac re iam ego alibi aptissimo in loco.

Mores discendi ab infantia.

12. INSTITERAT.]Est hoc,quod de Pyrrho Plut. ἀροσεξαμαςὰς.Ab Virg.Iuuen.Sat.6.*nec tremulis possunt insistere plantis*.Nota verò constructionem quarti casus.Ita Plaut. Capt.*Omnes itinera insistant sua.* Subaudiendum *in*, vt,*insistere in vestigia, in itinera*. vel.*sistere in vestigia,itinera.* Porrò hoc, *insistere plantis*, simillimum est Horatianis verbis Epist.ad Pison.

Insistere vestigia.

C *Reddere qui voces iam scit puer,& pede certo*
Signat humum.———

13. IACVLO PALMAS ONERAVIT ACVTO.] Talis educatio Cyrenæ Nymphæ à patre Telesicrate apud Pind.Od.9.Pyth.

Similitudo historiæ.

———ὁ δὲ τὰν εὐώλενον
Θρέψατο παῖδα Κύρανάν.
Ἁ μὲν οὔθ' ἱστῶν παλιμβά-
μους ἐφίλασεν ὁδοὺς,
Οὔ τε δείπνων οἰκουριᾶν
Μεθ' ἑταιρᾶν τέρψιας.
Ἀλλ' ἀκόντεσσί τε χαλκέοις,
Φασγάνῳ τε μαρναμένα,
Κεράϊζεν ἀγρίους
D Θῆρας.

Id est.*Ille autem Lacertis decoram educauit filiam Cyrenam. Hæc neque telarum retrogradas amauit vias, neque cœnarum oblectationes inter domesticas socias: sed iaculis æris, ensesq; dimicans,conficiebat feras bestias.*

14. SPICVLAQVE EX HVMERO,&c.] Talis habitus Atalantæ apud Ouid.8.Metamorph.

Venatricis habitus.

Ex humero pendens resonabat eburnea læuo
Telorum custos, arcum quoque læua tenebat.

15. PRO CRINALI AVRO.] Ouid.5.Metamorph. simpliciter vocat crinale,

———*ornabant aurata monilia collum,*
Et madidos myrrha curuum crinale capillos.

Alibi:

Nec torques collo,nec habens crinale capillo.

Est *crinale* fascia quædam, aut vitta, qua illigantur crines,ne vagentur. Vlpianus vocat *fasciam crinalem*. E Græcè possis κεφαλόδεσμον, & ἐπίκρανον, siue ταινίαν ἀναδέσμην. Itaque *crinale aurum* erit vitta aurea ad continendos crines.

Crinale, quid.

16. PRO LONGÆ TEGMINE PALLÆ.] Disertè, & signatè *longæ pallæ*: nam hæc etiam virorum fuit, sed non longa. Et quidem virorum fuisse iam indicaui, adductis testimoniis, prima Æneide. Et hîc adiice Martial.

Palla longa feminarum.

Dimidiasq; nates Gallica palla tegit.

Viri pallæ Gallorum respondere χιτῶν Strabonis, vult Bayf.producto testimonio.Lege illum.Signatè etiam *tegmine*,indicans pallã vltimam esse in vestitu,

 omni

omninóque exteriorem, quando etiam loco illius pendetent exuuiæ tigridis. Huc spectat Horat. Sat. 2. lib. 1. A

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Palla vnde. Varro lib. 4. ait *pallam* dictam, quòd *palàm* & *foris*.

Ferarum exuuiæ in bello. 17. Tigridis exvviæ, &c.] Ita etiam 1. Æneid. inducit Nympham venatricem,

Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis.

Apud Apollon. lib. 1. Anchæus infertur gestans Μαιναλίης ἄρκτοιο δέρος, *Mænaliæ vrsæ pellem*. Apud Nonnum lib. 9. Bacchus

Ποικίλον ἠώρησεν ἐπ' αὐχένι νεβρὸν ἀείρων:
Suspendit ab ceruice variegatum hinnulum gestabundus.

Iterum:

Καὶ θρασὺν αἰολόνωτον ἔχων τιταίνων μῆρον ὤμῳ
Τίγριν ἄνω κούφιζε μετάρσιον ἐκτὸς δεσμῶν:
Tenensq; audacem, variumq; extentum humero
Tigrin supernè sub imum leuauit extra vinculum. B

Adduco & Latinos. Stat. 4. Theb.

——flauent capiti, tergoq; leonum
Exuuiæ, gentilis honos.——

Ita & de Daphne Ouidius,

Syluarum latebris, captiuarumq; ferarum
Exuuiis gaudens.——

Et Sil. lib. 15. dat Annibali amictum ex pelle leonina. Valer. lib. 6. Arg. canit quendam cum exuuiis tigridis, quin perquàm optima fictione ait,

Perq; leuem, & multo maculatam murice tigrim
Concita cuspis abit, subitos ex ore cruores
Saucia tigris hiat, vitamq; effundit herilem.

Pueritia ad bellum informata. 18. Tela manv iam tvm, &c.] Apud Statium Achilles in Achilleide similem prædicat de se adhuc puero instructionem vitæ, C

——visisq; decebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus vndis
Robora, nec vastæ trepidare silentia syluæ.
Iam tunc hasta manu, iam tunc ceruice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataq; multo
Sole geluq; cutis: tenero nec fusa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.

Talis & ille versus Silij lib. 9.

Paruula nos arcu puerili spicula sensim
Fundimus.——

Hunc etiàm in modum pueritia Bacchi describitur ab Nonno lib. 9. de quo,

Ποσσὶ μὲν ὠκυτέροισι παρέστιχεν ἴθμα λαγωῦ:
Pedibus velocioribus præteriit gressum leporis.

Seneca epist. 36. hunc morem dat Parthis infantibus, & pueris Germanis: *Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet; si in Germania, protinus puer tenerum hastile vibraret.* Et quidem iam de Camilla ipsa lib. 7.

——non illa colo calathisve Mineruæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo.

Quæ sententia videtur sumpta ab Xenoph. in lib. de Repub. Lacedæmoniorum, vbi ait, nihil posse expectari μεγαλεῖον, *maximum*, ab illis feminis, quæ exercent ἐριουργεῖν, *artem lanificij*.

Funda teres. 19. Et fvndam tereti.] Stat. 4. Theb.

——teretes pars vertere fundas
Assueti, vacuoq; diem præcingere gyro.

20. Circvm capvt.] Ita Calab. lib. 11. in re simili, δινήσας περὶ κρατί: *rotans circa caput*. Est hoc, quod in Georg. *torquentem verbera fundæ*, id est, ἀμφὶ κρατί. Libet suspicari, ab hac circa caput fundæ circumductione ortam Hispanam vocem *perigallo* ex corruptione verbi Græci περιάγω, id est, *circumduco*. Multa à nostris dicuntur minore probabilitate.

Agere fundam. 21. Egit.] Hoc Maronis fulcro expeditior est correctio illa Statij in Achill. *flexæ Balearis actor habenæ*, cùm priùs *auctor* legeretur. Ergo, ita Stat. *actor*, vt Virg. *egit*. Similiter in 9. de Mezentio,

Ipse ter adducta circum caput egit habena.

22. Strymoniamqve grvem.] Martial. Epig. 30. lib. 9. *Strymonio de grege ripa sonat.* Sed de hoc dixi alibi. Τὸ *deiecit* respondere Græco καταβάλλειν ex Xenoph. Germanus astruit.

[a] Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optauêre nurum, sola contenta Diana
Æternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros,
Chara mihi, comitúmque foret nunc vna mearum.
[b] Verùm age, quandoquidem fatis vrgetur acerbis,
Labere Nympha polo, finésque inuise Latinos,
Tristis vbi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, & vltricem pharetra deprome sagittam.
Hac quicunque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Itálusve, mihi pariter det sanguine pœnas:
[c] Pòst ego nube caua miserandæ corpus, & arma
Inspoliata feram tumulo, patriæq; reponam.
[d] Dixit, at illa leues cœli demissa per auras,
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.

ARGVMENTVM.

Egressa Camilla pueritiæ annos virginitatem colit, dolet Diana bello illo perituram, datq; Opi sagittam, qua conficiat interemptorem tantæ virginis. Descendit Opis ad locum belli. D

EXPLI

EXPLICATIO.

a CANTATA hactenus pueritia Camillæ, iam ætas sequens. Postquam attigit annos pubertatis, me semper coluit (ait Diana) tela mea in pretio, & virginitatem habuit, quamuis multæ matres enixè in nurum optarent. Addit Dea, dolere se vehementer, Camillam flagrare amore belli, quod ni fecisset, esset proculdubio vna è Nympharum numero, quæ Dianam comitantur.

b Sed quando mors in bello hoc Camillæ impendet, non segnis Diana est in vlciscenda sua virgine. Itaque iubet Opim descendere ad locum belli, sagitta tradita, qua interemptorem conficiat, vt is luat proprio sanguine pretiosissimam vitam, siue Troianus fuerit, siue Italus. An *violator sacri corporis* (signata omnia sunt) impunè abeat?

c Promittit nouam operam in tuendo defunctæ corpore, quod tectura est nube, & sepulcro reddi-tura vnà cum armis: non enim passura est, vt ab vllo mortalium spolietur.

d Hæc Diana, & Opis statim ad belli locum descendit, sed nube (sic solent Dij) recta, imò *nigro turbine*, credo ad signandum æstum irarum, quas iam Opis conceperat contra interfectorem Camillæ: aliter placidam nubem Poëta describeret.

NOTÆ.

1. MVLTÆ ILLAM, &c.] Tale illud de Lauinia lib. 7. *Multi illam magno è Latio*, &c. & Catulli,

Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ.

Et Ouid. 3. Metamorph.

Multi illum iuuenes, multæ petière puellæ:
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuuenes, nullæ tetigêre puellæ.

De Daphne etiam lib. 2. eiusdem operis,

Multi illam petière, illa aspernata petentes
Impatiens, expersq́; tori nemora auia lustrat.

Imitatio. Fluxêre tam Virgiliana, quàm Ouidiana à Catullo, nisi quis velit, omnes adhuc sumpsisse à Pind. Od. 9. Pyth. vbi in sermone Cyrenæ Nymphæ:

Τὰν μάλα πολλοὶ ἀρι-
στῆες ἀνδρῶν αἴτεον
συγγενεῖς, πολλοὶ δὲ καὶ
ξείνων, ἐπεὶ θαητὸν εἶδος
ἔπλετο.———

Id est. *Quam multi petebant cognati, viri admodùm fortes, multi etiam ex peregrinis, erat enim forma admiranda.*

Æternum non est aduerbium. 2. ÆTERNVM.] Seru. aduerbialiter accipit pro *æternò*. Abnuo: imò æternum subaudi tempus, more Græcorum. Sed habeo à Seruio, & hoc ei annuo, *æternum*, & *amorem* diuelli à se. Itaque non dicit, *æternum amorem*.

Imitatio. 3. LABERE NYMPHA POLO, &c.] Iliad. 23.

Βάσκ' ἴθι Ἶρι ταχεῖα λιποῦσ' ἕδος Οὐλύμποιο:
Vade age velox Iris relinquens solum cœli.

Solum, de cœlo. ἕδος *solum* reddo; nam Ouid. 1. Metamorph. *Astra tenent cæleste solum.*

Nymphæ erant Dearum ministræ. 4. DEPROME.] Vides vt mandet illi, quid opus facto, ex doctrina Gentilium, qui vnicuilibet Dearum Nymphas dabant administras, quibus, quid ipsæ vellent, mandarent. Sic Diana Opi curam dat cædis Camillæ vindicandæ. Sic lib. sequente Iuno vtitur Iuturna Nympha. Apud Val. 3. Arg. Iuno eadem commendat Nymphæ raptum Hylæ. Sic aderant Veneri suæ Idaliæ, Thetidi Naiades, &c.

A 5. HAC QVICVNQVE, &c.] Similis adhortatio Bacchi apud Nonnum lib. 29. πέμπε βέλος φίλε κοῦρε: *mitte telum chare puer*. & statim: Locorum similitudo.

Βάλλε τεοῖς βέλεσσι καὶ ἄφρονα Δηριαδῆα,
Δυσμενέων βασιλῆα, θεημάχον:———
Percute tuis telis stultum Deriadem,
Hostium Regem, cum Diis pugnantem.

6. POST EGO NVBE CAVA, &c.] Vnicè instituit loco Calab. lib. 4. vbi de sepultura Glauci, Imitatio.

———τὸν δ' αὐτὸς Ἀπόλλων
Ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο μάλ' ἐσσυμένως ἀναείρας
Δῶκε θεοῖς ἀνέμοισι φέρειν Λυκίης σχεδὸν αἴης.
Οἱ δέ μιν αἶψ' ἀπένειμαν:———
———*hunc autem ipse Apollo*
Ex flamma ardente properè sublatum
B *Rapidis ad terram Lyciam portandum ventis dedit.*
Qui protinus eum abstulerunt.———

Ita videlicet putabantur Dij honestare funera illorum, quos amabant. Simili poësi honestatur apud eundem funus Memnonis, ait enim lib. 2.

———θοοὶ δ' ἅμα πάντες ἀῆται
Μητρὸς ἐφημοσύνῃσι, βίῃ φορέοντο κελεύθῳ
Ἐς πεδίον Πριάμοιο, καὶ ἀμφεχέοντο θανόντι.
Οἳ καὶ ἀναρπάξαντο θοῶς υἱῆα Ἠοῦς,
Καί ἑ φέρον πολιοῖο δι' ἠέρος:———
———*celeres autem venti simul omnes*
Matris (Auroræ) iussu, vno raptim itinere deferebantur
In campum Priami, circumfusiq́; mortuo
Confestim arripiunt Auroræ natum,
C *Perq́; aëra canum auferunt.*———

Sic ergo vult Diana, cadauer Camillæ latens in nube asportandum in sepulcrum patrium ministerio ventorum; hoc enim intelligendum.

7. PATRIÆQVE REPONAM.] Ducta hæc sunt ab Homer. 16. Iliad. vbi decernitur ab Iunone, vt Sarpedon post cædem deferatur in patriam terram Lyciæ, Imitatio.

Ἔνθά ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε, ἔται τε,
Τύμβῳ τε, καὶ στήλῃ τε. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων:
Vbi ipsum sepelient fratresq́;, ciuesq́;,
Et monumento, & columna. hic enim honor est mortuorum.

COELI DEMISSA PER AVRAS.] Cùm Diana hinc abeat, neque velit spectare cadentem Camillam, & D pro se substituat Nympham; libet Maronem illustrare ab Euripide in Hippol. vbi Diana eadem pereuntem Hippolytum cultorem suum non vult oculis cernere, imò cum illo ita loquitur:

Imitatio.

Καὶ χαῖρ'· ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις φθιτοὺς ὁρᾶν,
Οὐδ' ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς.
Ὁρῶ γάρ σ' ἤδη τοῦδε πλησίον κακοῦ.
Vale, nam non fas mihi morientes intueri,
Neque polluere oculos, animam cùm moriens efflaueris,
Video enim te iam vicinum esse huic malo.

Ex hac ergo Deorum lege abit apud Virg. Diana, ne videat pereuntem Camillam.

9. CIRCVMDATA TVRBINE CORPVS.] Ita Deæ solent, ne videantur à mortalibus. Hom. 18. Iliad. de E Iride, Dij nube inclusi.

Ἀμφὶ δέ οἱ κεφαλῇ νέφος ἔστεφε δῖα θεάων:
Circumq́; eius caput nubem induit diua Dearum.

De Diis Calab. lib. 12.

———ἀνέμων δ' ἐπιβάντες ἀέλλας
Οὐρανόθεν φορέοντ' ἐπὶ χθόνα:———
———*ventorum autem procellis conscensis*
E cœlo deferebantur ad terram.———

Homerus dat Ioui (referente hoc ab Homero ipso Dione Chrysost. Orat. 12.) τινὰ νέφους ἀεὶ περὶ τὴν κεφαλὴν στέφανον, *quandam nubium circum caput coronam.*

a At

^a At manus interea muris Troiana propinquat,
Hetruſcíque duces, equitúmque exercitus omnis,
Compoſiti numero in turmas. fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis,
Huc obuerſus, & huc. tum late ferreus haſtis
Horret ager, campíque armis ſublimibus ardent.
^b Nec non Meſſapus contrà, celeréſque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillæ,
Aduerſi campo apparent, haſtáſque reductis
Protendunt longè dextris, & ſpicula vibrant,
Aduentúſque virûm, fremitúſque ardeſcit equorum.

ARGVMENTVM.

Accedunt iam Troiani, & Rutuli congreſſuri, deſcribitur apparatus armorum, & animorum furor.

EXPLICATIO.

^a PRincipe loco ponit Troianos, cum quibus Hetruſci, & Arcades, qui turmatim ad aciem procedebant. Equi infremunt, & inſultant, bellúmque appetunt, ac dolent ſe habenis reprimi & retardari, quominùs ad bellum eant, ſeque in omnem partem obuertunt, ex magno ſpiritu, quo anhelant. Tota acies Troiana videbatur horrere haſtarum ferreis mucronibus, non aliter ac ſpicæ in agro horrent: quin, haſtis erectis in ſublime, campi videbantur ardere præ fulgore cuſpidum.

^b Poſteriore loco ponit aciem Latinorum, vbi Meſſapus, Catillus, Coras, Camilla. Dat his eadem, quæ Troianis, etiamſi flexu alio. Omnes enim in campo *apparent*, quo verbo, quid concipiam, nequeo explicare; eſt enim verbum hoc admodùm tragicum. Omnes cum haſtis erant, híſque protenſis, vibrabántque cuſpides, & reductæ erant dextræ, quaſi iam paratæ ad ictum. Videres itaque in acie Latinorum & frementes viros, & ardentes equos.

NOTÆ.

1. EQVITVMQVE EXERCITVS OMNIS.] Accepi de Arcadibus, tum quia in hac recenſione illi non erant relinquendi: tum quia Arcades equitatu valent; & hi, qui cum Ænea, equites erant, vt apparet ex lib. 10. vbi de illis, *(Arcades valent equitatu.)*

Aſpera queis natura loci dimittere quando
Suaſit equos. ——

Vt ibi dimiſſi equi non patiente loco aſpero, ita hîc neceſſariò aſſumpti. Euander etiam ad Ænean lib. 8.

Arcades huic equites bis centum robora pubis
Lecta dabo, totidémq; ſuo tibi nomine Pallas.

Sed Poëta conſultiſſimè, & per ingens πάθος, abſtinet ſemper ab Arcadum nomine, poſtquam Pallas cecidit.

2. COMPOSITI NVMERO IN TVRMAS.] An ſim-A pliciter loquitur, vt turmæ ſuum quæque habuerint equitum numerum? an cum reſpectu ad muſicos militares numeros? Hoc ſi eſt, ſatis illuſtrabitur hic locus his, quæ dixi lib. 7.

3. FREMIT.] Propriè: nam & Græci equum φρυαγματίαν vocant. & fremitus equi eſt ἀπὸ τοῦ φρεμάσσειν, vel φρυάττεσθαι. Itaque Stat. qui lib. 6. dixit, *fremitum accepère leonis*, & alij, qui dant ventis, mari, littoribus, adhuc & ipſis hominibus in aſſenſu, & diſſenſu, hi omnes ab equo accipiunt. Dixit Virgil. vnico verbo *fremo*, quod verſu integro Silius lib. 1. *(Fremo, equorum eſt.)*

Martius hinc ſonipes campos hinnitibus implet,

quod duobus Nonnus lib. 22.

B Ἵπποι χαλκοχίτωνες ἐπεσμαράγιζον Ἐνυὼ
Κοναβλίζοντες ἐνυαλίῳ χρεμετισμῷ:
Equi ferreas tunicas habentes reſonabant Bellonam,
Martem cantantes Martiali hinnitu.

1. INSVLTANS SONIPES.] Ita in Georg. *inſultare ſolo.* Dio Chryſoſt. Orat. 12. deſcribit equos præ ardore, & bellandi cupiditate ſolo vngulis inſultantes, & omnis moræ impatientes, ὡς ἀγχόμενοι τὸν χρόνον, ὑπὸ αὐτοῦ τῆς δὲ καὶ προθυμίας κόπτοντες τὸ ἔδαφος ταῖς ὁπλαῖς. Cùm lego verſus Virgilij, in quibus ſonipes fremit, inſultat, pugnat, obuertitur; occurrit illud Plut. in vita Artoxerxis, vbi laudans Xenophontem ait, ab illo res deſcribi, non vt geſtas, ſed, vt ſi tunc gererentur, ſpectarentúrque ocu-C lis, τοῖς πράγμασιν, ὡς οὐ γεγενημένοις, ἀλλὰ γινομένοις. Et addit, eam eſſe energiam hominis, vt videaris non tam eſſe auditor, quàm ſocius belli, & periclitari te in acie, συγκινδυνεύοντα. Vide, Lector, an iſta meliùs quadrent Virgilio? *(Virgilius viuide omnia repræſentat.)*

5. HVC OBVERSVS, ET HVC.] Mirè exprimit quæ dixerat 3. Georg. *ſuq; laboranti ſimilis.* Nam hîc ego laborantem agnoſco equum. Ennodius Paneg. *Sonipes lituorum deſideriis inquietus.*

6. FERREVS HASTIS HORRET AGER.] Ducit Macrob. lib. 6. cap. 4. imitationem ab Ennio, qui 14. Annal. *Horreſcit telis exercitus.* & in Erechtheo, *horreſcunt tela.* aut ab Hom. qui 13. Iliad. *(Imitatio.)*

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσιν:
D *Horruit haſtis pugna, quæ conſumptrix mortalium.*

Paria Vrſ. & Scal. Sed locum hunc ditaui ſatis lib. 7. Æneid. Non dubium, quin hi omnes ducant locutionem ab ſpicis agrorum; vt etiam Eurip. Phœniſſ.

Λόχον πυκνοῖσιν ἀσπίσι πεφρικότα:
Cohortem conſertis clypeis horrentem.

7. CAM

Armorum ardor.

7. CAMPIQVE ARMIS SVBLIMIBVS ARDENT.] Apollon. loquens de armis, στράπτε, *fulgurabant*, videlicet, ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα, *sub Sole igni simillima*. Hom. 19. Iliad. etiam de armis:

> Αἴγλη δ' οὐρανὸν ἷκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθὼν
> Χαλκοῦ ὑπὸ στεροπῆς: ———
> *Fulgor autem ad cœlum ibat, ridebat autem omnis circùm terra*
> *Ab splendore æris.* ———

Abnuo hunc risum in honore armorum. Latiùs idem 2. Iliad.

> Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην
> Οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή,
> Ὣς τῶν ἀρχομένων ἄπο, χαλκοῦ θεσπεσίοιο
> Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἷκε:
> *Velut ignis lucens comburit immensam syluam*
> *Montis in verticibus, procul autem apparet splendor,*
> *Sic his abeuntibus, diuini æris*
> *Apparens fulgor per aërem ad cœlum ibat.*

Est & in Phœniss. Eurip. locus elegans:

> Ἀμφὶ δὲ πόλιν νέφος
> Ἀσπίδων πυκνὸν φλέγει
> Σχῆμα φοινὶκ μάχης:
> *Circa vrbem autem nubes*
> *Densa clypeorum ardet,*
> *Species cruenta pugnæ.*

Ibidem iterum;

> Κατάχαλκον ἅπαν
> Πεδίον ἀστράπτει:
> *Æreus omnis*
> *Campus fulgurat.*

Sed Virg. integrum versum ab Ennio accepit lib. 1. Ann.

Ala, de auxiliis.

8. ET VIRGINIS ALA CAMILÆ.] Doctè & signatè *ala*. Nam hæc vox sociorum est, & auxiliorum. Romana legio alas non habuit, sed quoties A hæc vox in Liuio, & aliis occurrit, capienda est de auxiliis. Itaque *alarij equites* sunt auxiliarij equites. Doctè ergo *ala Camillæ*; nam hæc virgo in auxilio Turni. Quæ dixi multa probant. Liuius lib. 40. *Alarij equites postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus vidêre.* vbi apertè Romanos equites distinguit ab equitibus alariis. Sed cesso ab re, quam iam Lips. & Godescal. latè, ille in Polyb. hîc in Veget. Tantùm indico, firmari hanc doctrinam posse ex Inscriptionibus, quas plurimas Smetius, & Gruterus suppetunt, in quibus sæpe videas *alam Britannicam, Pannoniorum, Indianam, Phrygum.* Alias etiam, in quibus disertè, *ala auxiliorum, ala auxiliariorum.* Et quadrat omnino cum re Camillæ: nam ala constabat ex equitibus, atqui sup.

> *Est & Volscorum egregia de gente Camilla*
> B *Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas.*

Qua in re directè opponuntur *cornua*, & *alæ*, non minùs atque *equites*, & *pedites*. Nam cornua peditum sunt, alæ equitum. Ala equitũ. Cornua peditum.

9. REDVCTIS DEXTRIS.] De hoc habitu iaculantium iam bis, aut ter.

10. SPICVLA VIBRANT.] Nescias, quo malo inductum à pædotribis, vt *spicula* explicent sagittas. Spiculum, quid Cùm *spiculum* ducatur ab spica, propriè erit ferrum aut hastæ aut sagittæ, aut iaculi. Hîc ait Virg. *Protendunt hastas, & vibrant* (earum) *spicula.* Imò Veget. cap. 15. lib. 2. ait, duplex esse Romanum telum, & maius esse idem, quod *spiculum*: minus idem, quod C *verutum*. Inde, qui Græcis sunt δορυφόροι, Latinis erunt *spiculatores*, id est, *somatophylaces*, custodes corporis Principum.

11. FREMITVSQVE ARDESCIT EQVORVM.] Allusum ad equum illum, quem θερμὸν Græci dicunt, Ardor, de equis. & Virg. in Georg. *calidum animis.* Sed & in genere *ardeo* poni in re belli, quis ignorat? Polyb. lib. 3. ἐξέκαυσαν πόλεμον, & millena.

ᵃ Iámque intra iactum teli progressus vterque
Substiterat: subito erumpunt clamore, furentésque
Exhortantur equos; fundunt simul vndique tela
Crebra niuis ritu, cœlúmque obtexitur vmbra.
ᵇ Continuò aduersis Tyrrhenus & acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primíque ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractáque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excussus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti
Præcipitat longè, & vitam dispergit in auras.
ᶜ Extemplò turbatæ acies, versíque Latini
Reiiciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt; princeps turmas inducit Asylas.
Iámque propinquabant portis, rursúsque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penitúsque datis referuntur habenis.
ᵈ Qualis vbi alterno procurrens gurgite pontus,
Nunc ruit ad terras, scopulósque superiacit vndam
Spumeus, extremámque sinu perfundit arenam.
Nunc rapidus retrò, atque æstu reuoluta resorbens
Saxa fugit, littúsque vado labente relinquit.

ARGV

ARGVMENTVM.

Primus prælij impetus, tela crebra, Tyrrheni & Acontei congressus, & huius mors: belli reciprocatio, & hæc comparata cum maritima.

EXPLICATIO.

a ERAT iam vtraque acies eo spatio à se diuulsa, vt tela peruenire ex vna ad alteram possent, cùm subitò attollitur clamor militari more, equi concitantur: mittuntur, imò funduntur tela B creberrima instar niuis, adeò vt cœlum texerit iaculorum imber.

b Hæc generatim, sequuntur deinde discrimina peculiaria; & ante omnia Tyrrheni & Acontei congressus. Quæ incursio facta & hastis virorum, & equorum pectoribus. Viri incurrunt totis viribus, & vterque cadit ingenti sonitu, nam equi quoque ceciderunt ruptis & perfractis pectoribus ex congressu. Sed ruina Acontei notabilior, vt qui excussus instar aut fulminis, aut globi è militari tormento, vitam in ipsis auris disperserit. Erat Tyrrhenus ex Troiana acie, Aconteus ex Rutula. Et hoc ipso Poëta ponit veluti augurium belli: nam vt primus congressus malè cessit Rutulo, ita & credibile finem C responsurum, vt verè respondit.

c Hoc congressu turbatæ acies, & Latini reiectis in tergum parmis ad vrbem conuertuntur, simulata fuga, & ex belli arte. Troiani in illos ingruunt, & Asylas imprimis turmas equitum in illos inducit. Sed cùm iam appropinquarent vrbis mœnibus, ecce subitò, resumptis viribus, Latini sublato clamore in hostes redeunt, ac tum Troiani fugiunt, ac retrò laxatis habenis referuntur.

d Sequitur optima ad rem comparatio ab accessu, & recessu maris, alternante enim fluxu, & refluxu, nunc ad terras ruit spumans in scopulos, vndam in arenam fundens, nunc refertur, & retrò abiens reuoluitur, resorbétque vndas deserto littore. Talis fuit ea belli species.

NOTÆ.

1. INTRA IACTVM TELI.] Est hoc, quod Liu. lib. 2. *ad coniectum teli*. quod Noster lib. 10. — *Intra iactū teli.*

Hunc vbi contiguum missæ fore credidit hastæ.

quod pulchrè Soph. in Oedip. Tyr. ξύμμετρος ὡς βάλλειν, &, βαλλεῖσθαι. nec minùs pulchrè Plutar. in vita Pomp. ἐν ἐφέλκαις ὄντων γενέσθαι τὰς φάλαγγας. & Hom. 15. Iliad. βέλε' ἔπιπτε, *tela attingebant*. Demum quod vulgò Græci omnes ἔσω βελῶν. His oppone ex Plut. in vita Antonij, ἐκτὸς τοξεύματος. Homer. 14. Iliad. ἐκ βελέων. Latini omnes, *extra iactum teli*. Hom. 15. Iliad. tela, quæ non attingunt, ita explicat,

Πολλὰ δὲ καὶ μεσσηγὺ, πάρος χρόα λευκὸν ἐπαυρεῖν:

Ait, multa in medium cadere, priusquàm attingerent corpus hostile. Spatium illud, quod est inter vtrumque exercitum, vocat Plut. διάστημα in vita Fabij. Cum sapore ad has locutiones dixit Quintil. Declam. 323. *intra cadem*.

2. EXHORTANTVR EQVOS.] Tale illud Propert. Eleg. 14. lib. 3.

Hortari patrios per iuga longa canes.

Id est, clamando hortari canes, vt Virg. *clamore exhortamur equos*. & Ouid.

Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.

A Id est, si clamore horteris. Hoc enim vnicum discrimen in feris inter *hortor*, & *moneo*, vt *hortor* fiat clamore, sed *moneo* stimulo; ille enim, qui accendit feram clamore, hortatur illam: sed qui illam pungit stimulo, monet, vel admonet. — *Hortor clamore.*

3. FVNDVNT, &c.] Calab. lib. 11. — *Fundo, de iaculis.*

Πάντῃ δ' αἰγανέαι τε, καὶ ἔγχεα, καὶ βέλε' ἀνδρῶν,

Ἄλλοθεν ἄλλα χέοντο:——

In omnem partem iacula, hastæ, & virorum tela

Alia aliò fundebantur.——

Vterque ab aquis transfert. Sed persistit Virg. in metaphora, quod non Calaber. Similiter Hom. Iliad. 15. cùm dicat βέλεα συνεχέως χέοντο, nihil tamen subiicit de imbre, aut niue.

B 4. NIVIS RITV.] Hom. 12. Iliad. de saxorum imbre, νιφάδες δ' ὡς πῖπτον ἔραζε: *cadebant vt niues in terram*. & Iliad. 12. ὥστε νιφάδες χιόνος πίπτωσι θαμειαί: *sicut grumi niuis cadunt crebri*: sic (inquit) λίθοι πωτῶντο, *lapides volitabant*. Adi locum hunc Homeri: & videbis Virgilium breuissimè complexum, quæ Homer. vix decem integris versibus. Calab. lib. 11. νιφάδεσσι δ' ἐοικότα πίπτε βέλεμνα: *cadebant iacula niuibus similia*. Eadem comparatione vsus est Dionys. lib. 9. Antiquit. in eo bello, quod gestum contra Fabios. Ammian. lib. 20. *Sagittarum nimbi crebriùs volitantes*. Pacuuius in Paulo, — *Nix telorū.*

Sagittis, plumbo, & saxis grandinat, niuit.

Tò *ritu* Corippus arripuit lib. 3. *Funduntur lacrymæ ritu niuis*. & Ammian. lib. 14. *Ritu grandinis vndique conuolantibus telis*. Mutauit Ouid. in Epist. — *Ritu niuis.*

More niuis lacrymæ Sole madentis eunt.

A quo & Corippus lib. 4. *More niuis sparsurus erat*. Seneca epist. 64. *Ritu Deorum*. Tò, *crebra tela*, dixit Plut. in vita Marij, πολλοῖς βέλεσι φερομένοις. — *More niuis.*

5. COELVMQVE OBTEXIT VRVMBRA.] Ita lib. 10. *& obumbrant æthera telis*. quem locum vide.

6. ADVERSIS.] Ait *aduersis hastis* cōcurrisse, quod genus pugnæ Sallust. in Iugurth. expressiùs, *aduersis equis concurrere*. Nam & Virg. equites infert. — *Aduersis hastis.*

7. TYRRHENVS.] Videtur esse hic ille Orphitus, D de quo fit postea mentio in hoc libro, quem Camilla interficit, cum hac insultatione,

Syluis te Tyrrhene feras agitare putasti?

Vbi, si legas quæ præcedunt, Orphitum esse intelliges. Vide ibi. Aperio hîc Lectori obseruationem meam. Tribus continuis libris bellum peragitur, decimo, vndecimo, duodecimo. Exercitus Æneæ conflatus erat ex gēte triplici, Troiana, Arcadia, Tyrrhena, sub ducibus Ænea Pallante, Tarchonte. Ita verò tres disponitur à Virgilio, vt præcipua clades libri decimi destinetur contra Arcadas, præcipua vndecimi cōtra Tyrrhenos, præcipua duodecimi cōtra Troianos. Video mistim alios interfici, sed clades præcipua ira destinata est, vt aperui. Similiter etiam illōrum gloria. Nam etiamsi de his omnibus gloriosa fiat mentio in triplici libro, sed præcipuè in decimo E attolluntur Arcades, in vndecimo Hetrusci, in duodecimo Troiani. — *Virgilij cōcinnitas.*

8. RVINAM DANT.] Interpretes, qui dicunt hos duos concidisse mutuis vulneribus, credo decipi: vterque dedit ruinam, sed Aconteus tantùm obiit. Nam Tyrrhenus, vt nunc dicebam, postea cadit Camillæ manibus.

9. PERFRACTAQVE QVADRVPEDANTVM, &c.] Similis fermè successus est apud Dionys. lib. 5. Antiquit. vbi narratur congressus Aruntis vnius è Superbi liberis, & Bruti primi Consulis. Verba interpretis: *Illorum equi concurrentes, aduersis pectoribus contrary, delati impetu in posteriores pedes erecti sunt, & sessores suos* — *Similitudo historiæ.*

retorto

retorto collo excusserũt. *Illi igitur ita prolapsi iacebant, multũ sanguinẽ per vulnera effundẽtes, & luctantes efflabãt animas.* Vide & Liu.lib.2. Similis quoque apud Plut. in Eumene, vbi Eumenes ipse, & Neoptolemus concurrunt in equis. Hunc equorum concursum προσβολὴν possis vocare, nam idem Plut. in vita Alexandri, τὰς ἵππους προσβαλὼν ὁ ἴδις τοῖς ἵπποις. & in vita Artoxerx. ita describit concursum istum. ἤλαυνον εἰς αὐτὸν τὸν ἵππον, καὶ αὐτὸς εἰς ἐκεῖνον.

Excuti. 10. EXCVSSVS ACONTEVS.] Nec Soph. qui Elect. δίφρου κυλισθεὶς, &, πεσόντος ἐκ δίφρου, &, ἐξαντύγων ἐλαθείς. nec Homerus, qui paribus sæpe verbis, Maronis verbum æquant. Nam *excuti* dicit non ruinam solùm, sed nocumentum in ruina. Sunt enim tria illa simplicia admodùm, *volui, cadere, labi.*

11. FVLMINIS IN MOREM.] Amm. lib. 17. *tanquam fulminis turbo perculsit.*

Dispergit vitam in auras. 12. ET VITAM DISPERGIT IN AVRAS.] Cal. lib. 1. ψυχὴ δ' ἀνέμοισι πολυάικτοισιν ἀέρθη: *anima autem ventosis auris miscebatur.* Idem lib. 11. στονόεις δὲ οἱ ἠέρι θυμὸς ἄφαρ μίγη: *anima gemebunda aëri statim mista est.* Nonn. etiam lib. 22.

Ψυχὴ δ' ἠνεμόφοιτος ἀναΐξασα θανόντος:
Anima verò mortui ventiuaga exsiluit.

Ammian. lib. 19. *animis in ventum solutis.* Virg. tamen quiddam peculiare notat, vt Aconteus ante ruinam spirauerit, ad eum modum, quo de columba in 5. *vitámque reliquit in astris.* Et spatio in illo spirauit, nam *præcipitat longè.* Tale & illud Auson. in Mosella, *vitam consumit in auris.* Ita possum explicare Eurip. in Phœniss. vbi Iocasta interminans nuntio, nisi dicat, quæ ipsa vult dici, ait, nisi dixeris ἐκφυγὴ πρὸς αἰθέρα *fugiendum tibi erit in aërem,* aut, *atherem.* Scio posse esse sententiam aliam, sed hæc inscita non erit.

13. RELICIVNT PARMAS.] Commoda est Seru. interpretatio hæc: *Reiiciunt, retro agunt, vel retrorsum ferunt, vt cedentium terga munita sint; vt ipse statim,*

Bis reiecti armis respectant terga tegentes.

Sanè nunc fugiunt, non timore sed lege præliandi. Sallustius. More equestris prælij sumptis tergis, ac redditis. Hæc ille.

Terga sumpta, & reddita. Iuuo illum loco altero eiusdem Sallust. qui in Iugurth. *Non, vti equestri prælio solet, sequi, deinde cederẽ.* Quæ verba satis indicant legem illam præliandi. Et Platonis loco, qui in Lachete ait, Lacedæmonios, cùm incidissent in hostes, fugisse primùm, mox verò ἀναστρεφομένους ὥσπερ ἱππέας μάχεσθαι, *conuertisse se ad pugnam equitum more.* Item loco Taciti, qui 6. Annal. *equestris prælij more frontis, & tergi vice.* Titius lib. 8. c. 10. dicebat esse hoc, quod Polyb. μάχεσθαι ἐκ τῆς ἀναστροφῆς καὶ μεταβολῆς. quem tamen immaniter falli iam in illum Villiomarus, veriùs Iosephus Scal. mutato nomine. Nam Virgilianum prælium fit vera fuga, etiamsi simulata: Polybianum autem est σχῆμα παρατάξεως, vbi nulla fuga: tantùm itatio quædam & conuersio ad dextrum, & sinistrum cornu, & hæc dicitur μεταβολή: aut ab hastatis ad triarios, & hæc dicitur ἀναστροφή. Non hæc est Virgilij pugna. nam verè fugiunt milites, etiamsi simulatè, tegentes terga: mox redeunt à fuga, & irruunt. Porrò pugna hæc Villiomari contra Titium respicit locum istum Polyb. lib. 3. (aduoco verba, quia neuter illorum) οὐ γὰρ ἦν κατὰ νόμους ἐξ ἀναστροφῆς καὶ μεταβολῆς ὁ κίνδυνος: *Neque enim, vt in legitimis pugnis fieri solet, auersione ab hoste, & conuersione in eundem dimicabatur.* Redeo. Hæc etiamsi vera essent (quæ non probat Scaliger, sed tantùm iudicium suum esse vult pro lege) sed (esto) vera essent, negari nequit, locum Polybij capi verè posse de re Virgilij. Ago nunc Titij partes, in quem plus iusto debacchatur Scaliger. Nam locus alter

A Polybij in eodem libro tertio, quem locum aut non vidit Scaliger, aut dissimulauit, apertè pro Titio. Loquens enim de more pugnandi Numidarum, ita ait. ἀποχωρεῖν μὲν εὐχερῶς καὶ σποράδην, ἐπικεῖσθαι δὲ πάλιν ἐκ μεταβολῆς θρασέως καὶ τολμηρῶς. Ait Numidas, *facilè & sparsim terga vertere, ac deinde fronte iterum conuersa hostem acriter, atque audacter petere.* vbi vides μεταβολὴν de re Virgiliana. & in loco Platonis, quem iam adduxi, qui etiam de re Virgilij capiendus, vidisti ἀναστροφὴν. dixit enim ἀναστρεφομένους. Quas duas voces in Titio reprehendit Scaliger. Itaque vox vtraque μεταβολὴ, & ἀναστροφὴ dici verè potest de re Virgilij, quod vult Titius, contra quod quid pugnare possit non video.

14. INDVCIT.] Legi ab aliis *immisit* iã Vrs. notauit. Lectio Virgiliana.

15. MOLLIA COLLA.] Latini reflectunt *colla mollia,*

B scilicet equorum, qui domiti, ac proinde molles ad omnẽ flexũ. Ita locutus Catul. *mollesq́ue colla iuuencis.* & Noster 3. Georg. *molli collo,* pro, domito, eo versu,

Belgica vel molli meliùs feret esseda collo.

16. HI FVGIVNT, &c.] Videlicet προσβολὰς μὴ φέρειν εἰς ἐκκλίνειν, ait Iosephus lib. 1. Bel. Iud. c. 12. & Eurip. in re simili in Heracl. ἐχώρησαν πάλιν.

Fluxus cõparatio, ac refluxus. 17. QVALIS VBI ALTERNO, &c.] Illustrissima cõparatio. Stat. lib. 11. multas confercit, & extremo loco Virgilianam:

Ceu redeunt nubes, ceu circumstantibus Austris
Alternis procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulam, nunc obruit æstus arenas.

C Sed & comparatio Cal. lib. etiã 11. huc aptanda est,

——οἱ δ' ἀπιόντες
Χάζοντ', ἠΰτε κῦμα ἐκ Βορέαο θυέλλης
Πολλὸν ἐπεφλάζοντο κυλινδέμεναι αἰγιαλοῖσιν,
Ὀρνύμενον ἐκ πόντοιο, τὸ δ' ἔκποθεν ἄλλος ἀήτης
Ἀντίος ἀίξας, μεγάλῃ περὶ λαίλαπι θύων
Ὤσῃ ἀπ' ἠιόνων βορέω ἔτι βαιὸν ἀέντος:

——*hi autem obuersis tergis*
Recesserunt, vt fluctus à Boreæ procella
Cum magno æstu aduoluuntur littoribus.
Concitati è mari, hos autem alius vndecunque ventus
Aduersum ruens, & grassans magno turbine,
Aquilone parum spirante, à littore depellit.

D Sed de hoc maris fluxu, aut refluxu, quem hîc attingit Poëta, ego multis prolatis auctoribus locutus sum 2. Georg. ad illud,

——*qua vi maria alta tumescant*
Obicibus ruptis, rursúmque in se ipsa residant.

vbi *tumescãt maria alta,* est, quod hoc loco, *pòtus procurrẽs gurgite ad terram ruit, vndã iacit super scopulos, perfũdit sinu extremã arenã.* Τὸ verò *residãt in se rursùm,* est, quod hîc *fugit retrò resorbens æstu saxa reuoluta, relinquit littus vado labente.* Et ex hoc loco habebis, vti Virg. iã pressè, cũ vult, iã vbertim loquatur. Contrariã sententiã de mari nullam in partem commoto ita extulit Homer. 14. Iliad. ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ.

Resorbeo, de refluxu, & Nudo. 18. RESORBENS.] Hoc verbum est in Hor. Plin. Lucret. ad rem eandẽ. Vide dictũ locũ Georg. & hîc

E adiice verbũ *nudo* de re eadẽ. Nã Sen. lib. de Prou. c. 1. *nudari littora pelago in se recedente.* cui opponit, *eademq́; intra exiguum tempus operiri.* Auson. in Mosell.

Cùm virides algas & rubra corallia nudat
Æstus.——

Cui recessui idem opponit hos versus,

——*diffunditur alueo*
Æstus, & extremi procurrunt margine fluctus.

Oppositio. Iosephus lib. 1. Bell. Iud. c. 16. huic ἐγείρεται κῦμα πρὸς τὰς πέτρας opponit τὴν ἀναστροφὴν τοῦ κύματος. Max. Tyr. dissert. 34. opponit ῥεῦμα προσιὸν, καὶ ἀπιόν. Arist. in Ægyptiaca etiam loquens de aquis opposuit

ἀύξει, ἐ ἐθίει. & ſtatim loquens de Nilo, ἀνάβασιν & A ἀποῤῥολῶ. & iterū verba hæc, ὑψωθῆ, & λήγει. Has oppoſitiones adiunges illis, quas attuli ad dictum locū Georg. Præterea Sen. 1. de Ben. c. 10. *Quos æſtus accedēs longiùs extulit, recedens interiore littorū veſtigio tenuit.* & lib. 7. c. 10. *Licèt neſcias, quæ ratio Oceanū effundat, ac reuocet.* & lib. de Prouid. c. 1. *modò contrahi vndas, & introrſum agi: modò erumpere, & magno curſu repetere ſedem ſuam.*

[a] Bis Thuſci Rutulos egêre ad mœnia verſos
Bis reiecti armis reſpectant terga tegentes.
[b] Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia, totas
Implicuêre inter ſe acies, legitq; virum vir,
Tum verò gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armáque, corporáque, & permiſti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi, pugna aſpera ſurgit.
[c] Orſilochus Remuli (quando ipſum horrebat adire)
Haſtam intorſit equo, ferrúmque ſub aure reliquit.
Quo ſonipes ictu furit arduus, altáque iactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Voluitur ille excuſſus humi. [d] Catillus Iolam:
Ingentémque animis, ingentem corpore, & armis
Deiicit Herminium; nudo cui vertice fulua
Cæſaries, nudíque humeri, nec vulnera terrent,
Tantus in arma patet. latos huic haſta per armos
Acta tremit, duplicátque virum transfixa, dolore.
[e] Funditur ater vbique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchrámque petunt per vulnera mortem.

ARGVMENTVM.

Fuga repetitur: tertiò ſiſtitur omni copiarum mole. cædes aſperrima. Remuli, Iolæ, Herminij clades.

EXPLICATIO.

[a] SIMVLATA illa Rutulorum fuga ſuprà eſt narrata, ea cùm iterum repetatur, dicitur bis facta. Itaque bis acti ſunt ad mœnia à Thuſcis, ac proinde bis texerunt terga reiectis armis, reſpectantéſque vt cauti, ac proinde bis quoque Thuſci relati retrò ſunt.

[b] Iam verò tertio prælio, ceſſante fuga, implicatæ ſunt acies totæ, & quiſque legit virum, cui obſiſteret, in quem pugnaret, cui vel gloriam daret, vel adimeret, vt loquitur Homerus, ἢ κῦδος ὀρέξειν, ἢ ἑλέσθαι. C Quo in congreſſu ita acerrima fuit pugna, vt nemo ſatis queat perſequi morientium gemitum, aut arma, & corpora altiſſimo imbuta ſanguine ac demerſa: quin eadem clades equos quoque auferebat, qui ſemianimes, & virorum cædibus permiſti, per agros voluebantur. Expendi tantillùm, nequiui cetera.

[c] Annectuntur hi verſus cum ſuperioribus, imò ab illis pendent. Tria dixerat, lectum virum à viro, interfectos viros, interfectos equos. Ecce tibi Orſilochus legens ad pugnam Remulum, ecce vt Remulus ipſe voluatur excuſſus humi, ecce vt eius equus percuſſus in aure domini cladem expectatur. Vide verò vt graphicè omnia, præcipuè quæ ad equū pertinent. Ipſum videor nunc cernere arduum, furentémque ab ictu, impatientem vulneris, iactantē crura anteriora, pectúſque attingentem, & inſiſtentem vnis poſterioribus pedibus. Quo habitu nónne euolueret, nónne excuteret miſerum Remulum: certè inſtat ponderis tormento excuſſi.

[d] Tranſit ad Catillum, qui *Iolam* facili certè neB gotio interfecit. Hoc indicat Poëta, cùm illum abſumat nulla facta peculiari mentione. Maiore negotio Herminium *deiecit.* Metaphora videtur ſumpta ab arbore, quam ictibus deiicit, deturbátque ruſticus, ideo *ingentem animis, ingentem corpore, ingentem armis,* vt arbor, quæ ingens trunco, & ramalibus. Pergit. Erat Herminio *cæſaries fulua, nudum caput, nudi humeri,* quia abſque galea, & thorace. Sic arbor deſuper frondea, cui non malè aſſimiles cæſariatum, & fuluum caput, ſicut neque ramis humeros nudatos. Erat verò nudo capite, nudis humeris, vt qui non vulneribus terreretur, ſed tantus vellet, quantus erat, apparere & patere. Ab hac Herminij deſcriptione tranſit ad eius exitium. Transfigitur per armos ab Catillo, & haſta quidem *tremit*, vt tremeret confixa trunco arboris. Quid deinde? *duplicat virum,* id eſt, incuruat, & veluti facit duplicem, ſic cæſa arbor duplex iam eſt. Videbitur alicui hæc interpretandi ratio non inepta.

[e] Iſtud, *funditur ater vbique cruor*, poſſit referri ad vnum Herminium, à quo, vt à tam grandi corpore, fundi cruor in omnem partem videretur; ὑπερβολὴ quidem poëtica. Sed quia ſequitur, *dant funera ferro certantes*, æquius eſt, vt referas ad reliquos certatores, qui etiam eo honeſtiorem putabant mortem, quo per plura vulnera.

NOTÆ.

D 1. BIS THVSCI, &c.] Hi duo verſus explicandi, & illuſtrandi, vt iam ſuprà. Hîc adiungo locum Cal. lib. 11. non abeuntem, etiamſi non de fuga: Imitatio.

Καὶ ῥ' ὅτε μὲν Δαναοὶ Τρώων ἀνέεργον ὅμιλον,
Ἄλλοτε δ' αὖ Τρῶες Δαναῶν στίχας: ———
Nunc verò Danai Troüm reprimebant agmen,
Interdum rurſus Troiani Danaorum ordines. ———

Ad

Ad imitationem enim vel vmbra satis esse solet. Vidi & noui, qui putaret his versibus indicari à Poëta serram militarem, quia Festus de ea loquens: *Serra prœliari dicitur, cùm assiduè acceditur, recediturq́; neque vllo consistitur tempore.* Vide & de serra Agell. lib. 10. cap. 9. Sed immanè hic falsus, nihil enim serra habet commune cum Virgilij loco. Aptarem tamen huic rei locũ Plat. in Lachet. vbi ita scribit: ὁ Ὅμηρος που ἐπαινῶν τοὺς τοῦ Αἰνείου ἵππους ἐπίστασθαι κραιπνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα, ἔφη, διωκέμεν ἠδὲ φέβεσθαι· καὶ αὐτὸν τὸν Αἰνείαν κατὰ τοῦτ' ἐνεκωμίασε κατὰ τὴν τοῦ φόβου ἐπιστήμην, καὶ εἶπεν αὐτὸν εἶναι μήστωρα φόβοιο: *Homerus Æneæ equos laudans ait, celerrimè hinc, & hinc persequi, atque fugere. Ænean etiam ipsum similiter laudat, quod sciret & fugere, & alios in fugam conuertere.* & Thucydidem, qui lib. 2. loquens de Bello Platæensium, & Thebanorum, hanc formam belli repræsentat, καὶ δὶς μὲν ἢ τρὶς ἀπεκρούσαντο: *bis terue repulsi.* Iterum lib. 3. in Bello Atheniensium, & Ætolorum. vbi Ætoli pedem referunt instante exercitu Atheniensium, & mox ipsi instant Atheniensibus referentibus pedem. Additque diu durasse hanc pugnam alterutra insecutione ac fuga.

Serra militaris. *Fuga ex persitu militari.*

2. TERGA TEGENTES.] Cum hoc alludit etymon clypei: sunt enim, qui ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, id est, *ab occultando.* Sidon. 5. Carm. *Leuam parma tegit.* Alij aliunde ducunt. Vide Plin.

Clypeus vnde dictus.

3. IMPLICVERE INTER SE ACIES.] Est hoc, quod Homerus libro decimonono Iliad. ὡς τ' ἀνεμώδει ὁμιλήσωσι φάλαγγες. Ibidem aliter, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα. & propiùs ad Virg. libro decimotertio: πολέμοιο πεῖραρ ἐπαλλάξαντες. vt & Plato, qui Leg. 11. ἐν ταῖς συμπλοκαῖς μάχῃ. Nonnus libro trigesimosecundo: συμμιγέες φάλαγγες. Plutarchus in vita Crassi, συνάψαι εἰς χεῖρας. Quo etiam verbo Euripides in Oreste, φασγάνων ἀκμὰς συνήψαμεν, *gladiorum acies commisimus.* & in Heraclide, συνῆψαν ἀλλήλοις μάχην. Iosephus ad verbum cap. 2. lib. 7. Bell. Iudaici; σπασάμενοι δὲ τὰ ξίφη συμπλεκόμενοι, *eductis gladiis implicabantur.* vt etiam Cedren. pag. 306. συμπλακῆναι εἰς μάχην. & Polybius libro tertio, ἅμα δὲ τῷ συμμίξαι γίγνονται ἰσχυρὰς τῆς συμπλοκῆς. Aristophan. in Pace, ὅτι δὴ χαλεπὸν ἦν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰέναι. Sophoc. in Antig. ἔχθιστος ἰὼν πρὸς ἴσους.

Implicitæ acies.

4. LEGITQVE VIRVM VIR.] Duplex sententia. Prima Turnebi, Germani, & ferè omnium asserentium allusum à Poëta ad morem, cuius sæpe Liu. meminit, & aliquando Tacit. & scriptores alij; quo more dabatur interdũ potestas militibus legẽdi quẽ vellẽt, cuiusq; virtuti plurimũ fiderẽt, vt ab illo latus suũ tegeretur, & ita fiebat, vt omnes lecti essẽt. Probare hũc morem, otiosum erit in tanta aliorũ opera. Erit ergo iuxta hunc morẽ sententia, quẽque pugnãtiũ legisse sibi virũ à suis, à quó tegeretur, vt ita audacior in bello esset, tali defensore hærẽte ad latus, quẽ ipsemet legisset. Altera est nostra. Nã tametsi morem illum fateamur, & ipsa verborũ forma ad ipsum alludat, sed alia est mens Poëtæ. Sæpe in acie contingit, vt quisq; hostis sibi aliũ destinet, contra quem rem gerat. An post implicitas acies (nam hoc præcessit) quisq; sibi virum legeret ad lateris sui custodiam? nugæ. Nullũ.n. tunc otium huic lectioni. Quid ergo ait? Planè quod in 10. *seque viro vir Contulit.* & quod Val. Flacc. lib. 6. Arg.

Vir virũ legit, quid sit.

Ille, vbi confertis iunxêre frequentia telis
Agmina, virque virum galeis adflauit adactis.

Et quod Cal. lib. 11. ἄλλοι δ' ἄλλοισι συνήντεον ἀλλήλοισι, *alij aliis concurrerunt.* Quod Hom. Iliad. 13. ἀνὴρ δ' ἄνδρ' ἐξενάριξεν, *vir virum feriebat.* Quod Polyb. lib. 3. συμπίπτοντες κατ' ἄνδρα. & clariùs idem in eodem lib. in Cannensi

A. pugna ait, non pugnatum inter Romanos & Pœnos: ὡς ὁμοῦ, id est, *vt solitum est ex lege belli;* ἀλλ' εἰ ἅπαξ συμπέσοιεν ἐμπλεκόμενοι κατ' ἄνδρα, *sed vt semel erant congressi vir cum viro decertabant.* Sic & Plut. in vita Æmilij ait pugnatum καθ' ἕνα. & in vita Q. Flamminij ait, κατ' ἄνδρα συμπλακῆναι: *congressum fuisse virum cum viro.* & Eurip. in Supplicib.

ἱππῆς δ' ἱππεῦσιν ἦσαν ἀνθωπλισμένοι.
Equites erant oppositi equitibus.

Ita factum credo in bello hoc Virgiliano, vt quisque sibi virum ad certamen delegerit, contra quem pugnaret. Ita etiam Curtius lib. 3. post implicatas acies Darij, & Alexandri, *collato pede quasi singuli inter se dimicarent, in eodem vestigio stabant.* Ouid. 1. leg. 7. lib. 4.

B Pont. *admotáque dextera dextræ.* Neque verò insolens est, formam aliquam verborum conuerti ex re vna ad aliam: imò id ita in Latio tritum, vt non monstrũ debeat videri formam hanc *virum à viro legi* traductam à delectu amicorum ad delectum hostium. Pro explicatione nostra apertè est Donatus, qui ait, non lectum amicum, sed hostem, quem quisque superaret. Traductione (inquam) formæ ex re vna in aliam. Nónne *beatè viuere* est, honestè & bene viuere? atqui Cic. 2. Fin. de luxuriosis dixit *beatè viuere.* Certè Donati verba neque inepta, neque imperita sunt, neque alicuius, qui Donatum corruperit. Adduco adhuc pro maiore firmitudine Petrum Apollonium, qui lib. 2. Excid. Hierosl. ita Maronẽ imitatur,

C
——— *tum demum viribus aucti*
Hebræos Itali pellunt, rursúsque Latinos
Insurgens Hebræus agit, nunc illa vicissim
Nunc hæc terra patet.———

Et post pauca;

———*rabies at postquam tertia iunctos*
Conseruit, legitq́; virum vir feruidus ira.

In quibus cogitare aliquid de prima illa lectione, ineptum erit; imò ineptissimum.

5. TVM VERO GEMITVS, &c.] Continent hi tres versus miram belli & exitialem hypotyposin, qualem non facilè in aliis reperies. Cal. lib. 1. ita,

Belli hypotyposis.

Πυκναὶ δὲ, στεφαναὶ δὲ καὶ ἀρρηγεῖς φάλαγγες
Ῥεῖα δὲ τρωῖας:———
Densa & valida sternuntur agmina
Facilè, & sine mora.———

D
In Iosepho plures descriptiones inuenies, easq; optimas. Nunc mihi in oculis caput 2. lib. 7. Bell. Iudaic. Lege ab eo loco, φόνος δ' ἦν ἑκατέρωθεν πολὺς, &c. Aliqui Poëtæ in re simili recurrunt ad comparationes: Habet cum Virgiliana similitudinem aliquam illa Eurip. Phœniss.

Συνῆψαι ἴσχυ. πᾶν δ' ὁμοῦ κακά.
Ἔθνησκον, ἐξέπιπτον ἀντύγων ἄπο.
Τροχοί τ' ἐπήδων ἄξονές τ' ἐπ' ἄξοσι.
Νεκροὶ δὲ νεκροῖς ἐξενηρίθμουν ὁμοῦ:
Commissæ hastæ sunt. omnia simul mala irruunt.
Moriebantur, cadebant à curribus,
Subsultabant rota, axes axibus,

E
Mortui mortuis simul aggerabantur.

Præclara quoque est ea eiusdem Eurip. descriptio in Herael. & qua magnum indicatur exitium. Ibi itaque post commissam pugnam ita subiicit:

Πόσον τιν' αὐχεῖς σάλπιγγ' ἀϋτὴν βρέμειν;
Πόσον τινὰ στεναγμὸν, οἰμωγὴν δ' ὁμοῦ;
Quantum sonitum clypeorum putas fremuisse?
Quantum gemitum, eiulatúmque simul?

6. ARMAQVE, CORPORAQVE.] Laudo Stat. qui magistri sui modulo lib. 10. Theb. *Tergaq́; pectoraq́;.* Est hoc optimum genus imitationis.

7. HASTAM INTORSIT EQVO.] Par fermè succes

successus ad exitum lib.10.de equo Mezentij. Inde illustrari hic locus potest.

8. VOLVITVR ILLE EXCVSSVS HVMI.] Illustraui & hoc lib.10.& hic adiicio Xenophont. qui lib.1. παιδ. ἵππῳ μικροῦ κάτω ... ἐξετραχήλισεν. Itaque equus excutiens sessorem, est, ἐκτραχηλίζων ἀναβάτην.

9. INGENTEMQVE ANIMIS, INGENTEM CORPORE.] Reddit, qua potest ratione, Homericū μέγας μεγαλωστί.

10. HERMINIVM.] Sumi hoc nomen ex Romana historia volunt interpretes, & alij. Laërtius enim & Herminius cum Coclite steterunt contra Thuscos, cùm pons Sublicius rumpebatur. Amat Poëta aspergere suo poëmati similia nomina.

11. PATENT.] Respectum ad Græcorum τὰ ἐπίκαιρα Germ. monet. Sunt ἐπίκαιρα, quæ patent vulneri.

12. TREMIT.] Ita lib.10. tremebunda hasta.

Lectio Virgiliana. 13. DVPLICATQVE VIRVM TRANSFIXA DOLORE.] Qui legunt *dolorem*, non ita facilè expedient. Aptius est, vt dicatur Herminius dolore ipso incuruatus, quod Hom. ἰδνωθείς. Sic & Cynthia apparens Propertio Eleg.7.lib.4.ait,

Denique quis nostro curuum te funere vidit?

Id est, quis te tristem vidit meo funere? Sic & Pers. Sat.1. *incuruasse querela*. Propertius videtur allusisse ad silicernium. Si legas *dolorem*, erit sententia: Duplicat dolorem, quia duplex foramen, ait enim *transfixa*.

14. PVLCHRAMQVE PETVNT PER VVLNERA MORTEM.] Nā sæpe per hæc mors habita honestissima. Moriin bello honestissimum. Liban. Declam.15. τοὺς ἐν τῇ μάχῃ καλῶς ἀποθανόντας: *pulchrè in bello morientes*. Domitian. dux in orat. ad milites apud Simoc. lib.5. Hist.c.4. οὐδὲν ἥδιον ἐναγωνίου θανάτου γλυκύτερον: *nihil dulcius, quā in acie occūbere*. De his, qui in bello ceciderant Curt. lib.3. *egregia morte defuncti*. & eod. lib. *Et, sicut dubium esset, an vinceret, ita illud vtique certum esse, honestè, & magna laude moriturum*. Sulpitius lib.2. sac. Hist. loquens de Esther: *& si certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat*. Sed locum hunc alibi copiosiùs auxi.

[a] At medias inter cædes exultat Amazon,
Vnum exerta latus pugnæ pharetrata Camilla.
[b] Et nunc lenta manu spargens hastilia densat,
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem;
Aureus ex humeris sonat arcus, & arma Dianæ.
[c] Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit
Spicula conuerso fugientia dirigit arcu.
[d] At circùm lectæ comites, Larináque virgo,
Tulláque, & æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacísque bonas, bellíque ministras.
[e] Quales Threiciæ cùm flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, seu cùm se Martia curru
Penthesilea refert: magnóque vlulante tumultu,
Feminea exultant lunatis agmina peltis.

ARGVMENTVM.

Camillæ inter duces reliquos exultantia, arma, & pugnandi modus: eius comites, & comparatio sumpta ab Amazonibus.

EXPLICATIO.

[a] HInc Camillæ facta, in quib. reliquus liber, in ea studium, gloria, & bellandi peritia. Illa *inter cædes exultat*, vide arrogantiam, vt quæ omnia contemneret, & verè exultaret. Erat cum pharetra in humeris, & sinistrum latus *exertum*, id est, nudum.

[b] Arma eius, hastæ, bipennes, sagittæ. Nunc hastas spargit, & dēsatim, vt visum è re cōmodius: nūc bipēni arrepta, indefessim pugnat: arcus, & pharetra pēdebāt sonabantq; ex humero ad vsum, cùm ipsa vellet. Duplex commendatio, à materia, quia arcus *aureus*: ab Numine, quia ea arma *Dianæ sunt*.

[c] Explicat nunc quis vsus arcus & sagittarum. Si quando præ hostium impetu cogeretur tergum vertere, à tergo etiam pugnabat, nam conuerso per scapulas arcu in hostes, sagittis rem gerebat adhuc fugiens ipsa, vt solent Parthi.

[d] Sequitur comitatus Camillæ. Tegebant eius latus Italicæ virgines, & lectæ omnes. Poëta tres numerat, Larinam, Tullam, Tarpeiam. Extremæ dat *securim æratam* in manu, qua hostes quateret. Erant istæ pacis bellique administræ.

[e] Comparatio aptissima sumpta ab Amazonib. quę degūt ad Termodoontē Asiæ fluuiū, & quibus picta arma: quę feminę exultāt lunatis peltis, cùm comitātur Hippolyten Reginam suam, aut Penthesileam. Omnia in his quinque versibus ita sunt tragica, & grandia, vt fulcris cothurnatis incedant.

NOTÆ.

1. EXVLTAT.] Verbum militum, quibus gaudiū cædes, cruor voluptas. Sic infr. *exultant agmina*. Nec alio sensu Cal. lib.1. dixit Penthesileam *exhilarari sanguine*. τὸ αἷμα οἱ μάλα θυμὸν ἰαίνει. Simocatt. c.6 lib.3. eleganter dixit, τῷ πολέμῳ σφριγῶντος, *bello luxuriante*. Homero in re simili sæpissimè placuit κυδιάων. Exulto, de cædibus.

2. AMAZON.] Id est, *quasi Amazon*, ait Seru. non enim verè Amazon. Sic de Venere *venatrix*, quasi venatrix. De Sinone *turbatus*, quasi turbatus. De Ænea *ignotus*, quasi ignotus. Ista interdum in Commentariis nostris *nullificamina*, vt loquitur Tertull. necessaria Grūmaticis, quibus sæpe seruimus. Amazonis etymō, quòd māma careat, nemo ignorat. Sed & apud Gręcos notione alia dici Amazones pro pauperibus, Amazones, de pauperib. &

& qui victu careant, vt qui ne mazam quidem habeant, iam Cælius notauit ex Græcorum Comment.

Amazonibus sinistra mamma nuda.

3. VNVM EXERTA LATVS.] Errant insigniter, qui explicant de dextro latere, cùm debeant de sinistro. Amazonibus.n.sinistra mamma fuit nuda, & exerta, non dextera, quod iam ex Curt.astruxi 1. Æneid. inde inf. Camilla, quia percussa in corde, quod ad sinistram vergit,

Hasta sub exertam donec perlata papillam.

Exertatio Amazonum quid sit, explicata.

Porrò Germ. qui exercitationem hanc refert ad clypeum, quo quia tegitur sinistra, ideo ait nudum fuisse dextrum latus, quia sine illo, longè fallitur. Nam exertatio ista non dicitur respectu clypei, sed cinguli excurrentis subtus mammam, relinquentisq; illã liberam & nudam, & iam aperui 1. Æneid. ad illud,

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ.

B

Certè Martial. lib. 9. Epig. 104. vbi dixit,

Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo,

capi potest de cingulo excurrente subtus nudã mammã, atq; illigato. Redeo. Vt verò sinistra fuit nuda, ita dextra adusta, quod iã ex Hippocr. Diodoro, Curtio, lib. 1. Æn. & hîc adiungo Hom. interpretẽ, ἐκλήθησαν διὰ τὸ τὸν δεξιὸν μαζὸν ἐκτέμνειν ἑαυταῖς, ὡς ἐμποδίζοντα ἐν τῷ τοξεύειν: *Dicuntur ab excisa mamma dextera, quòd ea impedimento sit ad arcus vibrationem.* Inde dictæ Amazones ab hac vna adusta mamma, & hoc probabilius: non quòd vtraque carerent, vt volunt aliqui, etiam primæ classis auctores.

Amazonibus dextra adusta.

Imitatio.

4. ET NVNC LENTA MANV, &c.] Cùm det Camillæ triplex armorum genus, hastam, securim, arcũ cum sagittis, omnino hæsit loco Cal. lib. 1. vbi Penthesileæ dat ὀξὺν ἄκοντα, *acutam hastam.* armátque illam βουπλῆγι καθ. στόμα, *securi, cui os latum.* Demum dat illi ἰοδόκον, καὶ τόξον ἀμαιμάκετον, *pharetram, & arcum immitem.* Rectiùs tamen multò Virgilius arcum appendit Camillæ humero, quàm Calaber, qui equo. Ait enim pharetram & arcum gestari ab equo Penthesileæ.

C

5. SPARGENS HASTILIA.] Verbũ iã dicatum militiæ. Stat. 2. Theb. *saxa manu spargere* Val. 6. Arg. *densa spargens hastilia dextra.* Enn. in Scipione,

Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.

Vidi etiam in Græcis. Nam Nonnus libr. 21. πολυσπερέων βελέων, *sparsorum telorum.* propriè, *seminatorum.*

D

Spargo, cur de telis.

A quo apparet ratio vocis: vt enim frumenta sparguntur, id est, seminantur, vt occultentur in terra; ita tela, vt in corporibus hostium.

Lectio Virgiliana.

6. DENSAT.] Sunt, qui hîc *denset.* Possunt. Hoc iam alibi.

Bipennis.

7. BIPENNEM.] Huius teli genus obuium in auctoribus. Attuli iam ex Cal. βουπλῆγα. quo vsa in bello Penthesilea. Apoll. lib. 1. dat cuipiam πέλεκυν μέγαν, *securim magnam.* & addit ἀμφίτομον, *vtrinque secantem.* i. bipennem, vt explico. Agathias lib. 1. Hist. ait, Fulcarem ducem Herulorum cecidisse in bello, cùm multis iaculis, tum πελέκει τὴν κεφαλὴν κεχαραγμένος, *securi impacta capiti.* Plutarchus in vita Marij. ἐνταῦθα δ' αἱ γυναῖκες ἀπαντῶσαι μετὰ ξιφῶν καὶ πελέκεων δεινὸν τετριγυῖαι καὶ περιαλγὲς... *Ibi occurrentes feminæ cum gladiis & securibus horrendè, & acriter stridentes.* Et ibidem loquens de Cimbris: ἀξίνη τις μία δ' ἦν ἑκάστῳ διστόμος. Ait singulis fuisse bipennata tela. Ouid. in Epist. Amazonas vocat *securigeras.*

Imitatio.

8. AVREVS EX HVMERIS SONAT ARCVS, &c.] Versus Hom. lib. 1. Iliad.

Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο:

Sonuerunt sagittæ super humeros irati.

Prop. Eleg. 12. lib. 2.

Et pharetra ex humero Gnosia vtroque sonat.

A

Locorum similitudo.

9. ILLA ETIAM, SI QVANDO, &c.] Hæc ratio etiam est in Cal. lib. 1. Gestabat (inquit) Penthesilea arcum & pharetram.

——εἶπε δ' ἄρ' αὐτῇ
Χρειὼ ἐν' αἱματόεντι μόθῳ βελέων ἀλεγεινῶν,
Καὶ τόξον πέλοιτο:——

——*si respiciam illi*
Opus in conflictu cruento sagittis vulnificis,
Arcúque foret.——

Fugiendo pugnare.

10. FVGIENTIA.] Allusũ ad pugnas vel Parthorum, vel Scytharũ. De Parthis obuia vbiq; testimonia. De Scythis profero Plat. in Lachet. ὥσπερ καὶ Σκύθαι λέγονται οὐχ ἧττον φεύγοντες ἢ διώκοντες μάχεσθαι: *Quemadmodũ Scythæ dicuntur tam fugiendo quàm insequendo pugnare.*

Dirigo militare.

11. DIRIGIT.] Verbũ obuium in Hom. Cal. etiam lib. 11. πάντα κατιθύνοντι βέλεμνα. Iosephus lib. 1. Bell.

B

Iud. Herodem dexterrimum in iaculando, vocat ab hac directione ἀκοντιστὴν εὐθυβολώτατον.

12. AT CIRCVM LECTÆ COMITES.] Vide Cal. lib. 1. vbi dat comitatum Penthesileæ, ab eo loco, τῷ δ' εἰ,&c. cui attribuit comites duodecim. Virgilius ducit hæc nomina vel à rebus Italiæ, nam *Larina*, credo, ab lacu Lario. vel à nominibus notis in Italia, vt *Tulla*, & *Tarpeia.* Vt verò Calaber de comite vna, μίγ' ἔγχεϊ ῥυδιόωσα, ad quærendam varietatem poëseos, ita Virgilius de alia, *aratam quatiens securim*, ne videlicet sicca nomina orationem reddant ingratam.

Securis interdum missilis.

13. SECVRIM.] Dixi iam suprà; & hîc adde, interdũ securim fuisse missilem. Nam Sidon. epist. 20.

C

lib. 4: *lanceis vncatis; securibúsque missilibus dextra refertæ.* Nisi quis addat vocem, ita: *securibúsque, ac missilibus.*

Dia.

14. DIA CAMILLA.] Diuina. Ita Pers. *dia poëmata.* Horat. *sententia dia Catonis.*

15. MINISTRAS.] Ab Calabro etiam comites Penthesileæ dicuntur δμωαί. Vocat has ministrãs *bonas*, id est, ἰδυίας, scientes rerum, & quæ ad pacem pertinent, & quæ ad bellum. Recurre ad illud 5. Ecl. *boni quoniam conuenimus ambo.* Qui in hoc loco legunt, *pacisque bona, bellique ministras*, non placent.

Lectio Virgiliana.

Nam concinnitatis amans Poëta non diceret, *pacis bona*, cùm tantùm *belli.* Ornaret enim vt pacem, ita bellum, attributo aliquo.

D

Amazonum descriptio.

16. QVALES THREICIÆ CVM, &c.] Vides his quinque versibus pulcherrimam Amazonum descriptionem. Subiicio Silianam lib. 2.

Quales Threïciæ Rhodopen, Pangæaq; lustrant
Saxosis nemora alta iugis, cursuq; fatigant
Hebrum innupta manus: spreti Ciconesq;, Getæq;,
Et Rhesi domus, & lunatis Bistones armis.

Et illam Claud. qui de iisdem, sed iam in pace,

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis
Nuda cohors: quoties Arcton populata virago
Hippolyte, niueas ducit post prælia turmas.
Seu flauos strauêre Getas, seu fortè rigentem
Thermodontiaca Tanain fregêre securi.

Flumina pro eorũ ripis.

17. FLVMINA THERMODONTIS PVLSANT.]

E

Poësis mira. Non enim flumen pulsatur, sed ripa fluminis. Sic 2. Georg.

Namque alia nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, campósque & flumina latè
Curua tenent.——

Id est, ripas fluminum. Auson. in Mosella,

Sic mea flauentem pingunt vinea Garumnam.

Ita & Prop. Eleg. 14. lib. 1.

Tu licet abiectus Tyberina molliter vnda.

Thermodõ fluuius.

Noto etiam dictum propriè à Poëta *flumina*, nullo tropo. Nam Apollon. lib. 2. Argonaut. ait, huic fluuio

non esse vnum, sed multa μετ... fluenta. Quot? τετράκις ἐπὶ ἑκατὸν; centum quater. Adeò vt dicat, plures horum meatuum esse incognitos præ multitudine, πολλὰς δὲ ἀφανεῖς ἔχειν. De Thermodonte alio fluuio apud Cheronæam vide disputationem Plut. in vita Demosthenis.

Lectio Virgiliana. 18. THERMODOONTIS.] Legendũ *Thermodōtis*, multi enixè contendunt; & qui Græcos adeat, in id ibit: quippe Apol. lib. 2. Θερμώδοντος. Æschyl. in Prometh. Θερμώδοντα. Nonn. lib. 20. νῆα ἀπὸ Θερμώδοντος Ἀμαζόνες. Orph. Arg. Θερμώδων κεῖται. & alij etiã non Poëtæ. Nã Plut. in vit. Lucull. τῶν περὶ Θερμώδοντα πεδίων. & alibi sæpe. Strabo quoque lib. 11. ἀντὶ τοῦ Λύκου λίθνος Θερμώδοντα. & Herodot. lib. 9. Θερμώδοντος ποταμοῦ. Est & ratio. Nã cùm secũda vocalis sit, ω, peccaret versus Virgilij. Demũ Stat. 1. Sylu. *Thermodontiacas calere turmas.* Hæc eò pertinent, vt intelligas in Poëta esse carmen spondaicum, & legendum *Thermodontis.* Si quis tamen legat; vt in vulgatis *Thermodoontis*, sciat posse. Primò lege Dorum, qui, ω, vertunt in, o, ac proinde constabit versus, si scribas Θερμοδόοντος. Quin aliquando in Græcis inueniri Θερμοδόων, & non semper Θερμώδων, testificatur Germanus. Deinde, quia Prop. clarè Eleg. 14. lib. 3.

Thermodoonteis turba lauatur aquis.

Sed hoc eludi posset. Porrò synæresim Seruianam explodo. Nulla est synæresis: sed verè in Græcis est Θερμώδων.

19. PVLSANT.] Non fluuius pulsatur, sed littus, vt explicui. Ita tamen maior energia, quasi flumen sentiat vim Amazonum. Talis illa de equo Martis poësis Stat. *ingenti propellit Strymona flatu.*

20. PICTIS.] De hac armorum elegantia alibi.

Bellot. pro, bello. 21. BELLANTVR.] Pro, bellant, vt Pers. Sat. 5. *aruitinantur verba.*

Vnimãmæ. 22. AMAZONES.] Titinnius Latinè vocat *vnimammas.*

Hippolyte. 23. HIPOLYTEN.] Fuit hæc Penthesileæ κασιγνήτη, *soror*, ait Cal. lib. 1. ideo ex studio vtranq; Poëta coniungit. Modum cædis lege apud Cal.

Martius animus. 24. MARTIA PENTHESILEA.] Datur huic à Cal. lib. 1. Ἄρηϊος θυμὸς, *animus Martius.*

15. LVNATIS AGMINA PELTIS.] Ita Stat. lib. 5. Theb. *lunatum agmen.* & Sen. Trag. *lunata pelta.* Error Hesychij & Suidæ pessimus est. Ait prior, πέλτη, εἶδος ὅπλου, δόρυ: *pelta, species armorum, hasta.* Posterior, πέλται, λόγχαι: *peltæ, hastæ.* Manauit error à vocum similitudine. Nam *paltæ* iacula sunt, à *vibrando* dicta, ἀπὸ τοῦ πάλλειν. Xenophon libro primo παιδ. vbi describit venationem Persarum, dat illis παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφιέναι, τῷ δὲ, ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι: *palta duo, quorum alterum mittant; altero, si opus sit, cominùs vtantur.* Suidas quoque ipse, παλτὸν, τὸ δόρατον. & ipse etiam Hesychius παλτὰ, ἀκόντια, λόγχαι. Igitur ab hac vocum similitudine vterque aut deceptus, aut corruptus. Nam peltas ad iacula retulit nemo. Sed aliquid libemus de forma peltarũm, hanc enim attingit Poëta. In hac re dissidium est. Plutarchus in Numa de re alia loquens, eas esse rotundas satis indicat, attribuens κύκλον & περιφέρειαν. Scholiastes tamen Thucydidæ in libro secundo ad ea verba, ἐπιτίων τε καὶ πελταστῶν, ita ait. πέλτη, ἀσπὶς τετράγωνος, *pelta, scutum quadrangulum.* Suidas quoque, πέλται, ἀσπίδια τετράγωνα. Sed hos loqui non de pelta Amazonum, mihi certissimum, nam hæc lunata fuit; nec aliud vult Plinius, cùm assimilat folio ficus Indicæ capite quinto libri duodecimi. Verba eius: *Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet.* Isidorus facit *in modum Lunæ mediæ.* qua voce Poëtas explicat, qui lunatas cùm faciunt peltas, *in modum Lunæ mediæ* intelligendi sunt, aut saltem, quod ego potius credo, *in modum Lunæ cum morsu aliquo*; nam ita est folium ficus Indicæ. Nam, quod rotundum est, & in modum Lunæ plenæ, Latinis *lunatum* non dicitur, sed quod est forma semicirculari, fortasse, quia hac forma, vt plurimùm, Luna visitur. Quæ de bilune pelta Amazonum in suis Analectis vir doctus scribit, non satis capio, præsertim addita rotunda effigie cum morsu duplici in modum semilunæ. Ea enim longè abest à Plinij forma de ficu Indica.

Lunatum agmen. Peltarum forma.

[a] Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Deiicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
[b] Eumenium Clytio primum patre, cuius apertum
Aduersi longa transuerberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens riuos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriénsque suo se in vulnere versat.
[c] Tum Lirim, Pagasúmque super: quorum alter habenas
Suffosso reuolutus equo dum colligit: alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit inertem,
Præcipites, paritérque ruunt. [d] his addit Amastrum
Hippotaden: sequitúrque incumbens eminùs hasta
Tereáque, Harpalicúmque, & Demophoonta, Chromínque:
Quótque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygij cecidêre viri. [e] procul Orphitus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos humeros erepta iuuenco
Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus,
Et malæ texêre lupi cum dentibus albis.

Agre

Agreſtiſque manus armat ſparus. ipſe cateruis
Vertitur in mediis, & toto vertice ſuprà eſt.
f Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verſo)
Traiicit, & ſuper hæc inimico pectore fatur.
Syluis te Tyrrhene feras agitare putaſti?
Aduenit qui veſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret: nomen tamen haud leue patrum
Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillæ.

ARGVMENTVM.

Interficit variis mortibus duces plurimos, horum aliquos Poeta ſpeciali narratione ab aliis diſcriminat.

EXPLICATIO.

a AGGRESSVRVS Camillæ facta præmittit verſus duos in eius laudem, quaſi tanta fuerit peritia huius virginis in tractandis armis, vt ſciri vix poſſit, qui primus ab ea interfectus, qui vltimus. Videbatur furere inſtar nubis, quæ fulmen *deiicit*, quæ *fundit* grandinem.

b Primum omnium Eumenium interficit Clytij filium. Adhibet modum mortis, & miſeri morientis formam. Modum, nam *apertum pectus tranſuerberat abiete*, eſt figurata locutio, id eſt, verberando aperit. vt, *incenſum animum inflammauit amore.* & *aduerſi* ait, ad ſignandam fortitudinem viri, qui ſemper aduerſo in hoſtem pectore. Pereuntis formam, nam *vomit riuos ſanguinis*, *mandit cruentam humum*, *verſat ſeſe in ſuo vulnere.* tragica omnia. & verè *riuos vomit*, quia tranſuerberatus. atque adeò *vomit* à pectore, & à tergo, & ideo non riuum, ſed *riuos.* Finge aquarum originem ſcaturientem ab ſpecu, & inde in omnem partem riuulos eiaculos, ita ille in vtramque partem. Nota & locutionem miram, *verſat ſeſe in ſuo vulnere*, pro, in ſuo ſanguine.

c Sequitur Liris, & Pagaſi exitium. Liris equum ſuffoderat, id eſt, penitiore punxerat ſtimulo, inde impatiens equus ſeſſoris ruinam parabat: hic habenas contrahebat, ne omnino laberetur; erat quippe iam equo teuolutus. Pagaſus tum manum dabat iamiam lapſabundo. Hoc puncto temporis Camilla ita celeriter vtrumque percuſſit, vt præcipites in terram pariter ruerent ex equis. Vocat *inermem manum*, vel quia inefficaci auxilio, vel quia verè inermis. Dixi equum ſuffoſſum ab ipſomet ſeſſore. Poſſit qui velit referre ad externam vim; ita vt alius equum transfixiſſet, vnde impatientia feri.

d Confercit iam hîc Camilla multos mortalium (Poëta quinque numerat) Amaſtrum gladio cominùs interficit (hæc, credo, mens Poëtæ) quatuor reliquos haſta aſſequitur incumbens eminùs: eáque fuit iaculantis felicitas, vt quot haſtas torſerit, interfecerit viros totidem, nullo ictu fruſtrato.

e Facit moram in deſcribendo Orphito, qui venator & in equo Iapyge, id eſt, Apulo, & in armis ignotis. Sed quæ hæc ignota arma? Pro lorica erat homini pellis tauri, qua humeros tegebat, & quem taurum ipſe, etiamſi pugnatorem, tamen pugnando vicerat, hoc enim videtur innuere Poëta, aliàs non

A tauri *pugnatoris* meminiſſet. Pro galea erat lupi caput cum dentibus. Pro haſta agreſtis ſparus. Accedebat ad formidinem armorum ſtatura hominis etiam formidanda; nam toto vertice ſupra alios eminebat, vertebatúrque per medias cateruas, id eſt, ἀναστρέφεται (ait Seru.) Deſcribit, vt puto, militem omnia obeuntem, & huc illuc circumcurſantem, ſeque in omnem partem conuertentem cum terrore hoſtium.

f Dixerat, Orphitum eſſe venatorem. Ergo, quia ille arte feras ſolitus erat capere, eadem ipſe capitur, id eſt, inſidiis. Eſt enim *excipio* verbum venato-
B rum, & quo inſidiæ feris poſitæ indicantur, vt alibi à me. Cùm itaque Camilla turbans omnia, hoſtile agmen in fugam verteret, inter reliquos fugit Orphitus, tum hominem à tergo traiecit volante haſta; ac mox inſultabunda. Putabas (inquit) te feras agitare in ſyluis ſparo iſto tuo? atqui aduenit dies, qui redarguat, refellátque veſtram iſtam iactantiam armis muliebribus. Sed glorioſè tamen occumbis, nam manu Camillæ.

C

NOTÆ.

1. QVEM TELO PRIMVM, &c.] Neſcias quo conſenſu tragicas belli clades Poëtæ exorſi hoc initio. Parens Homerus lib. 5. Iliad. de Hectore, — *Quem primum, quem poſtremum.*

Ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξεν;
Tum quem primum, quem poſtremum interfecit?

Repetit lib. 11. in rebus eiuſdem Hectoris. & lib. 16. in rebus Patrocli, cui extremo loco Virg. hæſit, nam ibi Homerus interrogat Patroclum, quem primum,
D quem poſtremum interfecerit? & addit, ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν: *cùm te Dij ad mortem vocauerunt.* Sic & Camilla, quo die periit, interrogatur de virtute ſua. Delectatus Nonnus hac poëſi tribus in locis, libris videlicet 22. & 30. & 32. Aliquo ſapore Stat. lib. 1. *Quem priùs Heroüm Clio dabis?* Sed & S. Ioannes Chryſoſt. laudaturus Ignatium Martyrem aſſurgit poëtica aſſultantia, τί πρῶτον, τί δεύτερον εἴπω, τί τρίτον; Ariſtides etiam in Panathen. τί χρὴ πρῶτον, ἢ τί τελευταῖον εἰπεῖν; & in Leuctrica. οὐκ οἶδα δ' ὅ,τι πρῶτον εἴπω, πολλῶν παρόντων. Vide & lib. 5. Epigram. & Terent. Eunuch. act. 5. ſcen. 9.

E 2. ASPERA VIRGO.] In verbis eſt acumen. Mollis eſt virgo, & blanda: atqui hîc dura & aſpera. — *Virgilij acumen.* Attributum refero ad ferrum, quo armata: Camillam enim ſi tangeres, aſperam ferro ſentires. Ad hunc modum Horat. Od. 2. lib. 3.

——— eheu, ne rudis agminum
Sponſus laceſſat Regius aſperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.

Sic sup. *pugna aspera surgit.* videlicet ab armis pugnantium. & Ouid. in Cydippe, *aspera prælia.* Etenim asperitas semper refertur ad inæqualem tactum; vt cùm Pind. apud Erotianum, τραχὺ ῥόπαλον. Sic & *asperitas* de nummis, de vestibus, de gemmis, &c. Et nulla alia ratio, cur maria dicantur *aspera*, nisi ab inæqualitate vndarum & fluctuum in tempestate. & cùm Quintil. Declam. 343. vocat puellam *moribus seueram, & asperam*, huc referendus est. Non nego asperitatem de multis rebus dici, sed semper cùm relatu ad inæqualitatem.

Asperitas, de qua re.

3. DEIICIS, FVNDIS.] Laudo Virgilium, qui omnia consequenter. Videor cernere in Camilla ingentem & procellosam nubem, quæ ex se & fulmen demittit, quod vastam turrem, aut montem *deiicit*: & etiam *fundit* grandinem. Vide ergo in hoc tractu vti Camilla iam *Clytium* deiiciat virum singularem & ferum. Nam de illo,

Virgilij concinnitas.

Aduersi longa transuerberat abiete pectus.

Ita certè fulmen arborem, aut rupem vastaret. Vis eandem cernere spargentem cædium grandinem? audi,

Tereaque, Harpalicùmque, & Demophoonta, Chrominque.

Ergo, qui dicturus Clytij mortem, præmisit, *deiicis*: qui deinde plures aggeraturus, præmisit, *fundis.* Somnia, dicet aliquis. & huic ego. an tu vigilas?

4. ABIETE.] Nihil tritius. Sic fraxinus pro hasta, pinus pro naui. & millena. Quid, quòd Camillæ virtus tollitur, quæ abietem regeret?

Abies pro hasta.

5. VOMENS.] Sic Varro in Marcipore de nubibus,

Aquam vomentes inferam mortalibus.

Imaginem specus, quam dixi, adumbrat hîc Virg. vt etiam lib. 9. de moriente Sulmone, *vomens calidum de pectore flumen.* quem locum consule.

6. RIVOS.] Explicui propriè, quia ex vtroque foramine, nam transuerberatus. Sic Ouid. 9. Metamorph. de Nesso interfecto, *sanguis per vtrumque foramen emicuit*, quia præcessit, *fugientia terga sagitta traiicit.*

Riui sanguinis.

7. CRVENTAM MANDIT HVMVM.] Homer. Iliad. 16. κόνιος δεδραγμένος αἱματοέσσης: *cruento arrepto puluere.*

8. MANDIT HVMVM.] Vide suprà ad illud, *& humum semel ore momordit.* Hîc dabo formas, quas ibi omisi, & promisi. Homer. sæpe ὀδὰξ ἕλον οὖδας. & forma alia 6. Iliad. ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν. à quo Apollon. lib. 3. Arg. βῶλον ὀδὰξ λαζόμενοι. Lycoph. in Alex. γαῖαν ὀδὰξ δάψουσι. Nonn. lib. 11. ἐσφιγξε γαῖαν ὀδόντι. explicâ, *strinxit, pressit.* Inuenio & duas alias formas in Calab. nàm lib. 1. δεδραγμένοι κόνιν. & lib. 11. γαῖαν ἐρείπεσαι ὀδόντας. Quid Latini? Omitto, *petere, oppetere, occumbere*, quæ verba de cadentibus prono ore. Matius Poëta antiquus antiquo etiam verbo, *ille hiatans herbas moribundo ore.* Solemne est verbum *mordeo*, quod intulit Princeps Virgilius, à quo Ouidius, Claudianus, Plinius. Primus lib. 9. Metamorph. *& arenas ore momordi.* Alter de bell. Get. *Italiamque momordit arenam.* Tertius cap. 16. lib. 8. de leone: *Creditum est à moriente humum morderi.* verbum *mando* hîc habes.

Mandere humum.

Hiatare, Mordere.

9. SVFFOSSO.] Retuli ad stimulum, quo equus fossus, vt lib. 6. *foderet calcaribus armos.* Possis etiam ad alium, qui hasta traiecerit. Itaque, Seruius, qui explicat, *suffosso præcipiti & cadenti*, non placet. Potiùs arriperem illud eiusdem legentis, *suffuso*, id est, casuro. & adiicit: *suffusi equi dicuntur, quos vulgò incespitatores vocant.*

Equi suffusi qui.

10. ALTER DVM SVBIT.] Ita etiam Græci de duobus, ἕτερος.

11. INCVMBENS.] Describit Camillam ἐγκείμενον, καὶ ἐπικειμένην vrgentem hostes. Hæc enim vox in re simili frequentissima in Hom. & *incumbens* quidem, vt quæ ad exitium & mortem hostium. sic de morbo *incumbere* dixit Sidon. epist. 24. lib. 4. cui opponit *succumbo.*

Incumbo vt in exitio. Oppositio.

12. QVOTQVE EMISSA MANV, &c.] De Penthesilea Cal. lib. 1.

Imitatio.

πολλοὺς δ' αὖτ' ἐδάμασσεν, ὅσων τύχε δουρὶ κελαινῷ:
Deiecit insuper alios, quosquos contigit nigra hasta.

Nec absimilia Hom. lib. 8. de Teucro, qui cùm octo sagittas emisisset,

B

πάντες δ' ἐν χροῒ πῆχθεν ἀρηϊθόων αἰζηῶν:
Omnes fixæ sunt in corpore Martiorum iuuenum.

13. CVI PELLIS LATOS HVMEROS, &c.] Hoc genus armaturæ olim in pretio ad ferocitatem præferendam, & terrendos hostes. Sum iam de illa alias locutus; nunc offero Apollon. lib. 1.

Ferarum exuuiæ in bello.

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμφέχετ' ὤμους
Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν:———
Pellem tauri ad imum demissam induit circa humeros
Argus Arestorides atram lanugine.———

De Achille Ennod. in Declam. *Illos humeros, quos spolium leonis terga calefecerant, auro distincta, vel murice palla claudebat.* Erat hic quidem Heroum habitus. Interpres Apollon. συνήθες τοῖς ἥρωσι δορματοφορεῖν. Herodot. Musa septima Æthiopibus dat παρδαλέας, καὶ λεοντέας.

C

14. CAPVT INGENS ORIS HIATVS.] Plutar. de Cimbris loquẽs in vita Marij; κράνη μὲν εἴκασμένα θηρίων φοβερῶν χάσμασι, καὶ προτομαῖς ἰδέαις ἀτόποις ἔχοντες, ἃς ἐπαιρόμενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος ἐφαίνοντο μείζους: *galeas gerebant, quæ repræsentarent ferarum belluarum rictus, & insuetas figuras, quas alatis fastigiantes cristis apparebant eminentiores.* Virgilius tamen non ferarum similitudinem, sed verè feras ipsas dat pro galea ad maiorem terrorem. Hîc Orphito caput lupi, & lib. 7. caput leonis Auentino,

Hiatus ferarum pro galeis.

Ipse pedes tegmen torquens immane leonis
Terribili impexum seta cum dentibus albis
Indutus capiti.———

Vide hunc locum, vbi in Nota ad τὸ *indutus capiti*, satis Virgilium exornaui. Eurip. de Hercule in Tragœdia eiusdem, δεινῷ χάσματι θηρός. Ait armatum in capite *terribili rictu feræ.* Plutar. ait Pyrrhum gestasse in galea cornua hircina. γνώριμον (inquit) τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι, καὶ τοῖς τραγικοῖς κέρασιν: *agnitus est ex crista insigni, & hircinis cornibus.*

D

15. AGRESTISQVE MANVS ARMAT SPARVS.] Fuisse hoc telum missile satis indicat Æmilius in Epaminonda, quem ducem ait *sparo eminùs percussum.* Maro *agrestem* vocat; nam telum nulla politum arte, vt liquidum ex Sallust. in Catil. vbi, cùm partem exercitus idoneis & militaribus armis instruat, subiicit: *ceteri, vt quemquem casus armauerat, sparos, lanceas, alij præacutas sudes portabant.* Lucill. vt est apud Non. diuerso enuntiat genere; nam ille, *tum spara, tum rumices.* Cùm Poëta adiiciat, *armat manus*, ductum (ait Germ.) à Græco senario,

Sparus.

E

Ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίζει χέρα:
Contra hostes animus armat manum.

16. TOTO VERTICE SVPRA EST.] Repetitur ad calcem lib. 7. & ad initium lib. 9. adi extremum locum.

17. REDARGVERET.] Cùm hoc verbum fortiter, vt certum est, visum mihi Poëtam alludere ad crimen *desertorum*, quo in hoc opere Troiani sæpe

Redarguo.

aspe r

aſperguntur à Didone, Turno, aliis. Sic verbum ἐξελέγχω à foro ad rem ſimilem traductum vidi in Demoſthene.

Mori ſub magno hoſte glorioſum.

18. NOMEN TAMEN HAVD LEVE, &c.] De hac gloria loquutus ſum lib. 10. ad illud, *Æneæ magni dextra cadis.* & hîc adiicio Achillem Homericum, qui ignauo mortis genere deprehenſus, vt putabat, ita optat,

Ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος:
Vtinam me Hector interfeciſſet, qui hic educatus eſt fortiſſimus.

Et reddit rationem; nam ita interfeciſſet ἀγαθὸς ἀγαθόν, *fortis fortem.* quaſi eſſet glorioſum, fortem à forti cadere. Ouid. 10. Metamorph. *à tanto non indignabere vinci.* & poſt pauca.

—*ſeu vincar, habebis*
Hippomane victo magnum & memorabile nomen.

Stat. lib. 8. Theb. *magnum cupis improbe lethi nomen, ait.* A Id eſt, cupis cadere à forti viro glorioſa morte. Apud Olaum Magnum Starcharterus athleta ait, optare ſe magnum percuſſorem his verſibus;

Quippe operam clarum mens percuſſoris adoptat,
Horret ab ignaua fatum depoſcere dextra.

Apud Curt. lib. 7. captiui quidam ducti ad necem, *gaudent ſe perire à tanto Rege* (Alexandro) *victore omnium gentium.* & addunt: *Si ab alio occiderentur triſtes morituros fuiſſe.* Cùm verò Poëta adiiciat,

Manibus hoc referes telo cecidiſſe Camillæ,

non dubium, quin ab illo Ouid. & Valer. Ille in Metamorph. vbi Perſeus,

Magna feres tacitus ſolatia mortis ad vmbras,
A tanto cecidiſſe viro.—

Hic lib. 4. Argon. vbi Pollux ad Amycum,

Ac ſuper inſiſtens. Pollux ego miſſus Amyclis,
Et Ioue natus, ait, nomen mirantibus vmbris
Hoc referes, ſic & memori noſcere ſepulcro.

a Protinus Orſilochum, & Buten, duo maxima Teucrûm
Corpora: ſed Buten aduerſa cuſpide figit,
Loricam galeámque inter, qua colla ſedentis
Lucent, & læuo dependet parma lacerto.
b Orſilochum fugiens, magnúmque agitata per orbem
Eludit gyro interior, ſequitúrque ſequentem.
Tum validam pérque arma viro, pérque oſſa ſecurim
Altior inſurgens oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
c Incidit huic, ſubitóque aſpectu territus hæſit
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus dum fallere fata ſinebant.
d Iſque vbi ſe nullo iam curſu euadere pugna
Poſſe, neque inſtantem Reginam auertere cernit,
Conſilio verſare dolos aggreſſus & aſtu,
Incipit hæc. Quid tam egregium ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominùs æquo
Mecum crede ſolo, pugnæq; accinge pedeſtri:
Iam noſces ventoſa feret cui gloria laudem.
e Dixit. at illa furens, acríque incenſa dolore,
Tradit equum comiti, paribúſque aſſiſtit in armis,
Enſe pedes nudo, puráque interrita parma.
f At iuuenis viciſſe dolo ratus, auolat ipſe
(Haud mora) conuerſíſque fugax aufertur habenis,
Quadrupedémque citum ferrata calce fatigat

ARGVMENTVM.

Pergit in factis Camillæ recenſendis. occiduntur Butes, & Orſilochus: narratur Auni dolus.

EXPLICATIO.

a HÆc tot mortium diſcrimina pertinent ad laudem Camillæ, quæ in omni bellandi genere eſſet peritiſſima. Fit mentio peculiaris Orſilo- B chi, & Butæ, qui maximo erant corpore inter Teucros. Deſcribit graphicè vulnus Butæ. Eſt ille percuſſus in læua colli parte, Camillæ cuſpide inueniente viam inter loricam & galeam: quia videlicet parma pendebat id temporis è lacerto læuo, neque ſublata ad tuendam partem illam. Itaque eo puncto temporis lucente & apparente carne non fuit Camilla otioſa. Eſt *ſedentis*, equitantis. Inde *ſeſſor* de equite.

b Ad exitium Orſilochi vſa eſt dolo. Fugit illum, non quidem recto curſu; nam hoc timentis eſſet, ſed gyro interiore (id eſt, ſiniſtriore) tanquam ludens & eludens. Ille incautè Camillam ſequebatur,

13. ÆQVO CREDE SOLO.] Vt 9. Æneid. *dare se æquo campo.* quem locum vide.

Ventosa gloria, de quibus.

14. VENTOSA GLORIA.] Sophocl. in Antig. ἀνεμόεν φρόνημα: *ventosum consilium.* Rationem huius attributi Liu. aperit lib. 42. *Quosdam ventosum ingenium, quia Perseus magis aura popularis erat.* Ergo *ventosa gloria*, quæ plena est popularitate. Sic suprà *ventosa lingua* de Drance, quia videbatur rem populi agere contra Turnum. Sic & Ancus lib. 6. Æneid. qui iactabundus, & totus popularis, dicitur *gaudere auris*, illis versibus,

——sequitur iactantior Ancus
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

Aura, de populo.

Quintil. Declam. 352. *Incerta populi aura.* Ennod. in Natali Sancti Epiphan. *aura popularis exsuscitat.* In his, vt vides, semper aura refertur ad populum.

Lectio Virgiliana.

15. LAVDEM.] Commodus est sensus, si ita legas, quasi ἐκ τῆς κενοδοξίας dependeat laus. Multi tamen enixè contendunt, legendum *fraudem.* Nam *fraus* in iure est etiam *noxa, pœna, damnum, detrimentum.* Vt dicat: Nosces, cui inanis iactantia afferat noxam. In his sunt Seru. & Gifan. in Indice ad Lucret. qui aiunt hanc esse veterem lectionem & veram. Sic Cicero, citante Seru. *Ne fraudi sit ei, qui populum ad concionem vocarit.* Sic Sallust. Catil. *Diem statuit, antequam sine fraude liceret ab armis discedere.* & Lucret. *fraudi esse*, pro, damno esse. Schardius quoque idem notat ex Cuiacio. Etego in confirmationem eiusdem lectionis noto dictum à Poëta *ferat.*

Fraus vnde.

Sunt verò multi (vide Schard.) qui fraudem ducant ἀπὸ τοῦ φέρειν. Sic infrà, *fraus perferet.* nam qui dolo & fraude agunt, alienum auferunt.

Similitudo historiæ.

16. TRADIT EQVVM COMITI.] Duxit videlicet contumeliæ, quod obiectum fuerat, ideo equum relinquit, vt sibi spem fugæ præcidat, quod magni quoque duces fecerunt. Iulius lib. 1. Gall. *Cæsar primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, vt æquato periculo spem fugæ tolleret.* & *æquato* (ait) *periculo*, vt Virg. *æquo solo.* Spartacus quoque apud Plut. in vita Crassi, gladio equum admotum confodit. Sed Virg. sententia ducta videtur ab Hom. Iliad. 8. vbi Cebriones ad pugnandum ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε, *ex curru in terram desiluit.*

Nudus ensis.

17. ENSE LEVIS NVDO, &c.] Dat Camillæ velitarem habitum, qualem velitibus dat Liu. lib. 38. de qua re nihil dico in tanta aliorum luce. Ait *nudo ense*, vt Nonn. lib. 21. γυμνώσας σελασφόρα νῶτα μαχαίρης: *nudauit fulgentia dorsa machæræ.* Vide & lib. 9. vbi habetur idem hemistichium.

Pura parma.

18. PVRA PARMA.] Lege, vt illustres hunc locum, quæ dedi lib. 9. ad illud, *parmáque inglorius alba.* Ita verò dicta *pura parma*, vt ab Iuuenal. Sat. 9. *argenti vascula puri.* & ab Plin. epist. 1. lib. 3. *in argento puro, & antiquo.*

Lectio Virgiliana.

19. VICISSE.] Vbi hæc victoria? nullibi inuenies. Mutanda omnino lectio est, & legendum: *At iuuenis vixisse dolo ratus.* Putauit enim Aunus hoc dolo vitam recuperasse, quam amissam putabat, si congrederetur cum Camilla. Nam de victoria ne cogitauit quidem: tantùm enim voluit instantem Reginam hoc dolo auertere, consulens suæ vitæ.

Historia Romana repræsentata.

20. CONVERSISQVE FVGAX AVFERTVR HABENIS.] Est hoc, quod Xenoph. dixit ἀνακρούσας ἀφεῖναι τοὺς ἵππους. vt etiam Diodor. ἀνακρούσας ἐλαύνειν. Ceterùm, cùm certissimum sit à Poëta sæpissimè historias inseri Romani Populi, cur non credam, illum hoc loco aspirasse ad nobilem illam historiam Iubelij Campani, & Claudij Asellij Romani, quam narrat Liu. lib. 23. ad exitum? Iubelius Asellium prouocauit ad singulare certamen, quo coram omnibus incepto, Iubelius timore, vt apparuit, plenus, ita ad Asellium: *Equorum hoc, non equitum erit certamen, nisi è campo in cauam hanc viam demittimus equos: ibi, nullo ad euagandum spatio, comminùs conserentur manus.* Asellius statim se in cauam illam viam dedit, congressurus cùm Iubelio, qui tamen nusquam deinde apparuit, *verbis ferocior, quàm re*, ait Liuius. Tum victor ab omnibus acclamatus est Asellius. Ergo, vt Barbarus ab cæde sua Romanum hac fraude auertit, ita simili planè dolo Aunus auertere vult Camillam. Qui adeat Liuium, videbit facti similitudinem; & obiter notabit Adagij illius, *Cantherius est in porta*, aliam originem ab ea, quem Erasmus affert.

Ferrata calce equum fatigare.

21. FERRATA CALCE FATIGAT.] Ad verbum penè Hom. 23. ἔλαυνε κέντρῳ ἐπικαίρχων: *impellebat vrgens stimulo.* & Xenoph. οὐδὲν φείδεσθαι τῶν ἵππων, ἀλλὰ ἐξαιμάττειν τῷ πολὺ τῷ κέντρῳ: *equis non parcere, verùm crebro stimulo cruentare.* & Lucian. προσβαλὼν τοὺς μύωπας τῷ ἵππῳ ἤλαυνε. vbi eleganter μύωπας pro *calcaribus.* quasi dicat: ita calcari vrgebat, vt veluti œstrum immitteret. A quo fortasse Cedren. τὸν ἵππον μυωπίζας pag. 643. quam locutionem sæpe vsurpat. Sed pag. 556. ἵππον κεντρίζων. Græci alij crebrò, δρόμῳ πολλῷ, συντόνῳ. & Plut. in vita Anton. προσελάσας τὸν ἵππον. Aristid. orat. 3. Sacr. serm. δρόμῳ τ' ἐπελαύνειν τὸν ἵππον. Eurip. in Iphig. Aulidensi ita mutauit, πώλους κέντρῳ θεινομένους. Sunt qui in Virg. legant, *ferrato calce.* Sed Sil. lectionem communem firmat, qui imitans,

Iam compos voti ferrata calce fatigat
Cornipedem.——

Non dubium, quin *stimulus* respondeat κέντρῳ Græcorum. Itaque Eurip. qui in Hippol. dixit, λαβὼν κέντρον εἰς χεῖρας, locutus est per catachresin, accipiens κέντρον pro *flagello.*

ᵃ Vane Ligur, frustráque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes,
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
ᵇ Hæc fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frænísque aduersa prehensis
Congreditur, pœnásque inimico à sanguine sumit.
ᶜ Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensámque tenet, pedibúsque euiscerat vncis.
Tum cruor, & vulsæ labuntur ab æthere plumæ.

ARGV

ARGVMENTVM.

Camilla pedes fugientem equo Aunum consequitur, & mactat ad satietatem: adhibetur comparatio accipitris euiscerantis columbam.

EXPLICATIO.

a VOCAT *vanum*, vel quia *frustra elatus superbis animis*; quasi dicat, κενόδοξον futiliter superbire. vel *vanus*, id est, versipellis & fraudulentus, quod explicans addit,

Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.

Quasi dolus in bello vana sit vmbra virtutis, non vera virtus: nam qui vincunt dolo, vincunt inani fortitudine. Sed qui veram seriem Virgilij amat, ita explicet: *Vanus*, quia *frustra elatus*. & quia *frustra*, ideo *nequicquam tentasti lubricus artes*, & quia *nequicquam tentasti*, ideo *non futurus incolumis*. Ne scilicet lætetur fallax pater fallaciis filij, dolosus pater dolis filij. In voce *lubricus* allusum fortasse ad naturam serpentium.

b Hæc cùm dixisset, ea velocitate volantem equum pedes ipsa anteuertit, vt ignem diceres, quo elemento nihil leuius, & celerius. Astitit equo è regione, nam hoc est, *aduersa* prehendit fræna, hominem interfecit. Et nota concinnitatem Poëtæ, quia dictum lib. 7. Camillæ cursu ne segetem quidē lædi, sit vt hîc equum volantem pedes ipsa anteuertat.

c Comparatio & apta, & plena acuminis. Apta, nam vti accipiter consequitur columbam in nube, id est, volantem: sic Camilla hominem equo volantem. Ideo enim sup. de Auno, *auolat*, quia adducturus hanc comparationem. Plena acuminis, nam videbatur potiùs vir comparandus accipitri, femina columbæ. Sed secus est: nam Ligur veriùs erat femina, Camilla veriùs vir, inde commutatio. Dicitur accipiter *sacer*, quasi exsecrandus, & metuendus auibus, & obiter allusum ad Græcum ἱερὸν, aut ἱέραξ. Vox *pennis* videbitur alicui ambigua; vt accipiter dicatur assequi *pennis* columbam: vel columba dicatur *sublimis pennis*. Si me consulas, nihil ambiguū; nam omnis ambiguitas reponenda inter vitia est, & ideo amandanda ab auctore Latini sermonis Virgilio. Dicit ergo *pennis sublimem columbam*, vel ex vocum ipsarum coniunctione. Demum expende viuam descriptionem euisceratæ columbæ, stillantis cruoris, labentium plumarum. Videor nunc cernere columbam hoc malo affectam inter vncos pedes accipitris.

NOTÆ.

Locorum similitudo. 1. VANE LIGVR.] Ab explorato hoc loco Ouid. lib. 9. Metamorph. ore Herculis videntis rapinam Nessi,

——quò te fiducia, clamat,
Vana pedum violente rapit?——

Et statim,

Haud tamen effugies, quamuis ope fidis equina.

Ligures malè audiuêre. 2. PATRIAS ARTES.] Audiuêre quippe malè Ligures. Cato 2. Orig. loquens de illis: *Sed ipsi vnde oriundi sunt exacta memoria illiterati, mendaces, quæ sunt, & vera minus meminêre.* Nigidius. *Nam & Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones, insidiosi, fallaces, mendaces.* Vtrumque Seru. aduocat. Ratio videtur indicari à Nigidio. Nam qui montes habitant, & syluas, insidiosi, vt plurimùm sunt, quod in hoc libro, & alibi astruxi. Ligures itaque, qui in Apennino, hi perfidi. Inde sup. signanter,

Apenninicolæ bellator filius Auni,

quasi tota fraus ab Apennino. Quod Virg. *patrias artes*, *patrium ritum*, *patrium morem*, Demosthen. sæpissimè κατὰ τὰ πάτρια.

Ars pro dolo. 3. ARTES.] Id est, dolos. Hæc enim vox in hoc vsu. Quintil. Declam. 330. *mentitus es patri, & amorem meretricis finxisti. plena est huiusmodi artibus vita. plena sunt etiam theatra. Circumscribuntur & seruorum artibus patres & mendaciis filiorum.* & Declam. 338. *artes nouercales.* & Declam. 341. *Mille artibus circumscribimur.* Hæc exemplula addenda aliis, quæ alij.

Lectio Virgiliana. 4. NEC FRAVS TE, &c.] Ita commodè legi potest, imò & citra vulgus. Nam quamuis fortunæ attribui soleat reditus in patriam, Virg. noluit fortunam nominare, sed fraudem. Dixi hoc, nam nonnulli legunt, *Nec fors te*, &c. quia idem, *Sed queis fortuna negarat in patriam reditus.* Ita hîc aiunt, *fors non te perferet incolumem.*

Imitatio. 5. PERNICIBVS IGNEA PLANTIS.] Sumpsit à Catullo, sed mutauit *flammam* in *ignem*. Ille itaque de Achille,

Flammea præuertens celeris vestigia ceruæ.

Hanc celeritatem Soph. Antig. κνῶον ἐξ ἄρας πόδα.

7. FRÆNIS PREHENSIS.] Allusum fortasse hac vocula ad luctatorum λαβὴν.

Accipitris comparatio. 8. QVAM FACILE ACCIPITER, &c.] Cùm accipiter multis aliis auibus sit formidandus, vni imprimis columbæ. Ab hoc ergo timore sumpta comparatio Virgiliana. Eurip. Andro.

Πελειάδες ἰδοῦσ' ἱέρακα πρὸς φυγὴν ὁρμῶσιν.

Columbæ timor. *Columbæ viso accipitre fugam capessunt.*

Lucret. lib. 3. specie quadam ironiæ,

Effugeret canis Hircano de semine sæpe
Cornigeri incursum cerui, tremeretque per auras
Aeris accipiter fugiens veniente columba.

Horat. Od. 37. lib. 1. *accipiter velut molles columbas.* Hieronym. ad Demetriadem. *De agmine columbarum crebrò accipiter vnā separat, quam statim inuadat, & laceret, cuius carnibus, & cruore saturetur.* Ab his inimicitiis consilium suum astruxit Calchas vates apud Calab. lib. 12. vbi ἴρηξ οἷος πέλειαν, *accipiter persequebatur columbam.* Lege reliqua. Ab eodem Calab. lib. 1. Penthesilea dicitur esse facilis labor, vt capiatur ab Achille. ὅπως ἴρηκι πέλεια, *vti accipitri columba.* Apollon. lib. 1. Arg.

Οἱ δ' ἄλλοι ἐξαπίνης ὑπέτρεσαν, ἠΰτε κίρκους
ὠκυπέτας ἀγεληδὸν ὑποτρέσσωσι πέλειαι:

Alij verò fugientes tremuerunt, veluti accipitres
Celeres turmatim tremunt columbæ.

Hom. Iliad. 15. ait Apollinem descendisse è cœlo similem ἴρηκι ὠκέϊ φασσοφόνῳ, *accipitri veloci occisori columbarum.* Hom. idem de Diana loquens Iliad. 21.

——φύγεν ὥστε πέλεια,
Ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην:
——fugit velut columba,
Quæ ab accipitre in cauam volauit petram.

Lib. etiam 22. Iliad.

Ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν ἐλαφρότατος πετεηνῶν
Ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν:
Tanquam accipiter in montibus velocissimus volucrum
Facilè volauit post timidam columbam.

Accipitris & columbæ inimicitiæ. Has duas comparationes ad trutinam vocat Scal. & Latino, vt solet, dat palmam. Denique inter notissimas animantium inimicitias solemnis est hæc accipitrum, & columbarum, adeò vt Græcis ab hoc vnico timore columba dicatur simpliciter, & nulla re addita,

addita, τρήρων, ἀπὸ τοῦ τρεῖν. Inde Euripidem in Hecuba scribentem, A

——εἶκον μ' ὡς ὄρνιν
Θάμβει τῷδ' ἐξεπτάξας.
——ædibus me quasi auem
Cum terrore hoc euolare fecisti,

de columba accipio: cùm præsertim addat οἴκων. Hæc enim auis versatur in domibus. Notabis locum Iustini lib. 27. vbi Ptolemæus *Hierax* cognominatur, id est, *Accipiter*, quia instar huius auis inuolaret in alienas fortunas.

Sacer cur de accipitre. 9. SACER ALES.] Non immeritò visum Seruio allusum ad vocem Græcam ἱέραξ, quasi ἱερὸς, quia hæc auis nota est sacrorum peritis. Huc pertinent, quæ adduxi superiore Nota ex lib. 12. Calab. vbi ab hac aue Calchantis augurium & cõsilium. Nec alio quidem sensu, quàm ab auspiciis idem Calab. lib. 5. aquilã vocat ἱερὸν ὄρνιν, *sacram auem*. Vide verò vti auẽ hanc in re militari inferat Virg. vt alibi aquilam. Istæ enim duæ volucres ad rem belli trahuntur, vt notæ rapacitatis. Hinc est, vt magni olim duces dici voluerint, non solùm κεραυνοὶ, *fulmina*, sed ἀετοὶ, καὶ ἱέρακες, *aquilæ, & accipitres*, vt auctor est Plutar. in vita Aristidæ. Vide & Iustin. lib. 27. de Ptolemæo.

10. SVBLIMEM IN NVBE.] Cycni ab Eurip. in Helen. dicuntur σύνομοι νεφέων δρόμου: *consortes nubium cursus.*

Columba timidissima. 11. COLVMBAM.] Hæc vna auis sæpissimè assumitur ad timidorum naturam explicandam. Inde illam dicebam absolutè à Græcis dici τρήρωνα. Soph. in Aiace,

Μέγαν ὄκνον ἔχω, καὶ πεφόβημαι,
Πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας.
Sum trepidus & in metu,

A *Volucris ceu oculus columbæ.*

Itaque ex natura huius auis Ioann. Chrysost. Oratione 4. de Nat. Dei. Καθάπερ γὰρ ἀφελὴς περιστερὰ χειροήθης καὶ ἥμερος ἐν οἰκίσκῳ τινὶ διατρίβουσα, ὅταν ποτὲ αἴσθηται τινὸς ψόφου, πτοηθεῖσα πρὸς τὴν ὀροφὴν ἵπταται, καὶ διὰ τῶν θυρίδων τινὰ ἔξοδον ἐπιζητεῖ τῆς ἀγωνίας ἀπαλλαγῆναι ἐπιζητοῦσα: *Nam vt domestica & mansueta columba per tabulata spatians ædium, si strepitum senserit, exterrita auolat in tectum, & sublimem sese efferens, exitum sollicitè petit, pauoréque leuari enititur.* Adduxi versionem ex recensione Frontonis Nostri. Ab eadem auis huius natura Calab. lib. 1. ad prædicendum exitum infelicem Penthesileæ, inducit aquilam, quæ vnguibus teneret πέλειαν, & hanc δειμαίνουσαν. Existimo & columbam intelligi B ab Eurip. in Herc. cùm ait, ὄρνις ὡς ἐπτηξε. Nam τὸ ἐπτηξε ducit nos ad τρήρωνα. Sed de hac re dixi etiã lib. 9. vbi paria de columba. Tu lege Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 1. & 2. de Pont. Eleg. 2. vbi de auis huius metu loquitur, vt etiam bis, aut ter in Metamorph.

12. PEDIBVSQVE EVISCERAT VNCIS.] Non dissimili effigie & ferocitate Apul. 1. Florid. inducit aquilam rostro transfodientem, vnguibus inuncantem quodcunque esui fors obtulit.

13. VVLSÆ LABVNTVR AB ÆTHERE PLVMÆ.] Hom. Odyss. 15. loquens etiam de accipitre, Imitatio.

——ἐν δὲ πόδεσσι
C Τίλλε πέλειαν ἔχων, κατὰ δὲ πτερὰ χεῦεν ἔραζε:
Arreptam pedibus columbam vulsit, plumæ autem fluxêre in terram.

Stat. 3. Theb. ad vmbram Virg. loquens de pugna inter aquilas, & cycnos,

Cernis inexperto rorantes sanguine ventos,
Et plumis stillare diem.——

[a] At non hæc nullis hominum sator, atque Deorum
Obseruans oculis, summo sedet altus Olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia sæua
Suscitat, & stimulis haud mollibus incitat iras.
[b] Ergo inter cædes, cedentiáque agmina Tarchon
Fertur equo, variísque instigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans, reficítque in prælia pulsos.
[c] Quis metus, ô nunquam dolituri, ô semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignauia venit?
[d] Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quò ferrum? quídue hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnáque bella:
Aut, vbi curua choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.

ARGVMENTVM.

Res Æneæ perditas Tarchon reficit Tyrrhenos suos ad bellum acuens contra Camillam; vtiturq́; ad illos sermone, qui totus ad pudorem.

D

EXPLICATIO.

[a] VIDIT Iuppiter res perditas Troianorum, fessos milites, duces desides: vidit Camillæ gloriã, ferocitatẽ, assultantiã. Inde voluit Tarchontẽ Tyrrhenum ducem excitare, qui milites acueret, prælium reficeret, iras adderet. *Obseruans nonnullis oculis*, est, obseruans non otiosè, oculis non conniuentibus, imò impigrè, & oculis viuidis. τὸ, *summo*

mo sedet altus Olympo, dictum ex maiestate huius Numinis. Ait *suscitat*, quasi dormientem; quo verbo, & sequentibus illis, *stimulis*, &c. ducit locutionem ab sessore, qui pigrum equum stimulo vrget. *haud mollibus*, id est, ferratis calcaribus. A

ᵇ Vide Iouis virtutem. Dormiebat Tarchon, iam alacer versatur inter ipsas etiam cædes, inter cedentia agmina, suos *instigat vocibus*, id est, amarè reprehēdit, vt vrgeat efficaciùs vocat quemque nomine.

ᶜ Vocat Tarchon suos his duobus versibus meticulosos, stupidos, inertes, ignauos. Stupiditas indicatur in illis, *ô nunquam dolituri*. nam stupidus est, quē iniuria non mouet. Reliqua vitia clarè posuit.

ᵈ Redit ad singula. Cur meticulosi? quia

Femina palantes agit, atque hæc agmina vertit. B

Cur stupidi? Quia cùm geratis ferrum & tela in dexteris, tamen non sentitis vos gerere, nam irritè geritis, & ad nullum effectum. quæ maior stupiditas? Cur inertes, atque ignaui? Quia ē contrario non segnes estis in Venere, & nocturna bella, ad festa Bacchi, ad dapes, ad pocula, ad epulas lucorum, vbi pinguis hostia deuoranda, nuntiante aruspice secunda esse sacra & prospera. Nam videlicet tunc hilariùs editur, & largiùs bibitur.

Notæ.

1. At non hæc, &c.] Ita Iliad. 16.

Οὐ δ' ἔτι Ζεὺς τρέψεν ἀπὸ κρατερᾶς ὑσμίνης ὄσσε φαεινώ·
Neque Iuppiter auertit fulgentes oculos à forti pugna.

2. Sator.] Non horum tantùm dici *sator* solet, sed & *astrorum sator* ab Stat. 3. Theb. & rerum omnium ab aliis.

3. Nullis observans oculis.] Eleganti flexu reddidit Homericū illud, οὐδ' ἀλαοσκοπίην εἶχε κλυτὸς Ἐννοσίγαιος, Iliad. 9. id est, *non vanam habuit speculationem Neptunus*, pro ἐπιμελῶς ἐσκόπει: *diligenter speculatus est*. & esse hanc formam parœmiæ Suidas animaduertit. *Diligenter speculari. Prou.*

4. Summo sedet altus Olympo.] Est hoc, quod lib. 1. *æthere summo*. &c. *vertice cœli*. Homer. sæpe, ἀκροτάτῃ κορυφῇ. &, ἐν κορυφῇσι Οὐλύμποιο. &, ἐπὶ πτύχας Οὐλύμποιο.

5. Tyrrhenum genitor Tarchontem, &c.] Laudat meritò Scaliger Poëtam, qui absentem Ænean facit, vt det locum Tarchonti ad ostentandam virtutem. esset enim parum prudens, præsente illo, ita Tarchontem exultare. Sic etiam & Turnus abest, vt detur locus factis Camillæ. Nemo Poëtarum hoc vidit, qui imitati Virgilium sunt. Præsentibus Eteocle, & Polynice; Iulio, & Pompeio; Annibale, & Scipione duces alij exultant, cædunt, gloriosi sunt. Noto Statium, Lucanum, Silium. Taceo Homerum, apud quem præsentibus Agamemnone, Achille, Diomede, Aiace mille sunt deformitates. *Homeri vitium.*

6. Suscitat.] Respondet Homericis ὤτρυνε. & ὀτρύνων. Vnde sumatur locutio explico lib. 12. vbi de Ænea, *& se suscitat ira.*

7. Cedentiaque agmina.] Huic opponit Sallust. in Iugurth. *insto*, & *sequor*. Itaque Camilla instabat, sequebatur, Tyrrheni *cedebant*. *Oppositio.*

8. Nomine quemque vocans.] Ducit Macrob. lib. 6. cap. 1. imitationem loci huius ab Furio, qui lib. 10. *Imitatio.*

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse
Commemorat. ———

Deinde infrà:

Confirmat dictis, simul atque exsuscitat acres
Ad bellandum animos, reficitque ad prælia mentes.

Τὸ, *nomine quemque vocans*, est (ait Germ.) quod Thucyd. ὀνομακλήδην. quod Hom. ἐξ ὀνόματος. quod Græci alij ὀνόμασι προσαγορεύων. Posset addere Demosthenem, qui κατ' ὄνομα. Dionem, qui ἕκαστον ὀνόμασι ἐπονομάζων. Plutarchum, qui ὀνόμασι καλέσαι. Vide & hîc Collectorem. *Nomine vocans.*

9. Pulsos.] Vide sup. ad illud: *Pone animos, & pulsus abi.*

10. Quis metus ô nunquam, &c.] Sunt qui putent acerbam hanc reprehensionem ductam ab illa Enn. Annalib. *Imitatio.*

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,
Illaque virgo vir est. ———

Scaliger cum hac Virgiliana duplicem Homeri cōponit, alteram lib. 4. τίπτε καταπτώσσοντες ἀφέστατε. alteram lib. 8. Αἰδὼς Ἀργεῖοι, κάκ' ἐλέγχεα, &c. & addit Virgilianam æqualem esse pugnæ ipsi.

11. O nunquam dolituri.] Id est, ἀνάλγητοι, apud Aristot. ait Vrs. sunt hi, qui non sentiunt dolorem, nec mouentur re vlla, omnino stupidi, de quibus dices cum Æschine, οὐδ' ἔτι καὶ νῦν τῆς ἑαυτοῦ συμφορᾶς ἐπαισθάνεται: *ne nunc quidem adhuc calamitatem suam persentiscere*. & cum Plutar. αἴσθησιν ἀποβάλλειν, *sensum amittere*. vtique ἀναισθήτως ἔχειν. Miserum sanè est, non posse dolere, cùm velis, vt loquitur Electra apud Sophoclem: sed miserius multo, non dolere, cùm debeas. Nam illud externa vis efficit, istud tuus stupor. *Dolor's sensum amittere.* C

12. Inertes.] Propriè: nam inertia militare est crimen. Quintil. Declam. 377. *An infeliciter, te iubente, pugnaueram, & inertiæ pœnam verebar?* Tales in bello homines ῥέγχοντας vocat Plut. in Catone Maiore, quibus opponit ἀλαλάζοντας. Nam segnes præ inertia stertunt; strenui fremunt. *Inertia, militare crimen.* *Oppositio.*

13. Femina palantes agit, &c.] Nihil potuit viuidius. Feminarum enim mollitudo est, vt quibus μαλθακὴν dant scriptores. & Simocatta, quicquid pertinet ad δειλίαν, id est, *timorem*, vocat θηλυπρεπές, quasi timor vnicus sit feminarum. & timori opponit εὐτολμίαν, id est, *decoram audaciam*, & hanc esse ait ἀρρενωπόν, vt quæ tota ad viros pertineat. Hoc ergo cùm sit, quis neget istos viuidè pungi? imitatio fortasse sumpta ab Eurip. in Bacch. vbi, *Feminæ timidissimæ. Oppositio.* D

———κἀτρεψάμεσθα φυγῇ γυναῖκες ἄνδρας.
———*conuertebam in fugam feminæ viros.* *Imitatio.*

14. Quo ferrum, &c.] Est hoc argumentum Tullij, etiamsi in re alia, qui ait, ideo à Iudicibus gestari gladios manibus, vt sceleratis obsistant. Commutat Virg. Gestantur in bello gladij, vt in hostem eatur, aliter irritè gestantur. Et fortasse allusum à Poëta ad historiam Iulij, cuius cēturio quidam pulsato gladij capulo, dixit, αὕτη (μάχαιρα) δώσει: *hic dabit*. Quasi diceret: Gladius dabit, quæ petimus dari Cæsari, si vos Consules non datis; ideo enim à nobis gestantur. Hector apud Eurip. in Rhes. dicit, *Romana historia repræsentata.*

Μάχας πρὸ χειρῶν, καὶ δόρυ βαστάζομεν:
Prælia in manibus, & hastas gerimus. E

Eteocles apud eundem in Phœniss. ait,

———οὐκέθ' αἱματηρὸν τοὐμὸν ἀργήσει ξίφος:
———*non deinceps cruentus meus gladius otiosus erit.*

15. Tela irrita.] Sunt hæc, quæ carent effectu, qualia secunda Æneide, *Irritum, de telis.*

Tela manu miseri iactabant irrita Teucri.

His opponuntur illa lib. 10. *non vllum dextera frustra Torserit in Rutulos.* Et *irrita* ait, quia qui inertes sunt, nō mouent manus in bello, de quo militum genere Cato ille Censorius apud Plut. dicebat, στρατιώτην μὴ φιλεῖν, τὰς μὲν χεῖρας ἐν τῷ βαδίζειν, τοὺς δὲ πόδας ἐν τῷ μάχεσθαι

μαχήσαιτο αὐτῷ: *Nolle se militem, qui inter eundum manus, in pugnando moueret pedes.* Themistocles apud eundem Plut. dicit: Καθάπερ αἱ τευθίδες μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δ' οὐκ ἔχετε: *sicut loligines habetis gladium, sed non habetis cor.* Et hoc, quid est aliud, quàm irrita esse tela?

Miles malus quis.

16. NOCTVRNAQVE BELLA.] Qualia sunt amantium, & qualia attingit Claud. in Nupt. Honor. & Mariæ,

Bella amantiū nocturna.

Tum victor madido prosiliens toro
Nocturni referens vulnera prælij.

Catull. de coma Beren.

Dulcia nocturna portas vestigia rixa.

Propert. Eleg. 6. lib. 3.

Dum pugnant Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.

Et Eleg. 1. lib. 2.

Nos contrà angusto versamus prælia lecto.

17. AVT VBI CVRVA, &c.] Cùm triplex sit Bacchica saltatio, scilicet *emmelia, cordace, sicinnis*, de quibus locutus sum in Eclogis; hoc versu *sicinnidem* à Poëta intelligi vult Nostræ Societatis vir doctiss. Delrius in Oedip. Sen. de qua etiam locutus Enn. *Bacchico insultans modo*, & Seneca ipse cùm dixit,

Bacchica saltatio triplex. Sicinnis saltatio.

Te Bassaridum comitata cohors
Nunc Edoni pede pulsauit
Sola Pangæi.———

Nam sicinnis, vt magis incondita, ita erat lepidior, & concitatior, & thyrsigeris Bacchi, ac Satyris accommodatior. Nam testatur Dionys. lib. 7. ludicris & ridiculis gesticulationibus Pyrrhicæ gestus, ac motus imitatam. Id ego persuadeor, tum quia tibiam huic choro Poëta adiungit, quę interdum etiam horribilis, dicente Catullo,

Tibia interdum horribilis.

Barbaraq́, horribili stridebat tibia cantu.

Tum quia Nonnus sæpissimè tripudium efferatum & insolens Baccho, & Bacchis attribuit. Loca illius adducere, sit arenas numerare.

18. TIBIA.] In genere sacris ferè omnibus deseruiit tibia, & inde inducta à Poëta in sacris Bacchi. Sic lib. 9. in sacris Cybeles. à Pindaro Od. 3. Olymp. in

Tibia communis multis sacris.

A sacris certaminibus, θεῶν αὐλῶν, inquit ille. Ac, ne te lateam, nullum sacrum absque tibia: religiosum, profanum, bellicum, pacificum; vrbanum, rusticum; viuorum, mortuorum. Rationem, cur tam multis sacris seruiret, suppeditat Apul. lib. 1. Flor. vbi loquens de tibiæ sonis: *Seu tu velles Æolium simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Doricum bellicosum.* Quæ verba penè gemina sunt cum verbis Luciani in Harmonide, vbi dat tibię φυλάξειν ἔνθεον, τῆς Λυδίας τὸ Βακχικόν, τῆς Δωρίας τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν: *Phrygij soni diuinum impetum, Lydiæ furorem Bacchicum, harmoniæ Doriorum seueritatem, Ionum iucunditatem*. Sed nullis sacris tam propriæ tibiæ, quàm sacris Bacchi, dicente Isiodoro: *Tibias appellatas putant, quòd primùm de ceruinis tibus, cruribusq́, hinnulorum fierent: deinde per abusionem ita coeptas vocari, etiam quæ non de cruribus ossibusq́, fierent.* Atqui ceruina omnia & hinnulea Bacchi erant, vt apparet ex nebridibus. B

19. DAPES.] Propriè. Seru. *Dapes Deorum sunt, epulæ hominum.*

Dapes Deorum, Epulæ hominum.

20. PLENÆ MENSÆ.] Arripuit Propert. Elg. 16. lib. 2.

Nunc, sine me, plena fiunt conuiuia mensa.

Et Virg à Plauto fortasse, qui Men. *apud mensam plenam homini rostrum deliges.* Non dissimile Sueton. in Iul. cap. 24. *pleno conuiuio.*

Plena mensa.

21. ARVSPEX.] Propriè. Differunt enim augur, & aruspex: ille ab auium gestu, & garritu dictus: hic ab inspectione tantùm animalium. Ergo in sacris, vbi hostia, *aruspex* Virgilianus. Ennius 1. Ann. discriminatim, *dant operam auspicio, augurioq́.*

Aruspex quid propriè. Augur quid.

C 22. VOCE ET HOSTIA PINGVIS, &c. Hæc verba, & quæ præcedunt de choreis, satis indicant allusisse Virg. ad versus Homericos Iliade extrema,

Imitatio.

Τοὺς μὲν ἀπώλεσ' Ἄρης, τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται,
Ψεῦσται τ', ὀρχησταί τι, χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,
Ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες:

Hos quidem perdidit Mars, hi verò culpandi omnes supersunt,
Mendaces, saltatoresq́, choreis optimi,
Agnorum, & hædorum publici raptores.

ᵃ Hæc effatus, equum in medium moriturus & ipse
Concitat, & Venulo aduersum se turbidus infert,
Direptúmque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
ᵇ Tollitur in cœlum clamor, cunctíque Latini
Conuertêre oculos. volat igneus æquore Tarchon,
Arma virúmque ferens: tum summa ipsius ab hasta
Diffringit ferrum, & partes rimatur apertas
Qua vulnus lethale ferat. contrà ille repugnans
Sustinet à iugulo dextram, & vim viribus exit.
ᶜ Vtq; volans altè raptum cùm fulua draconem
Fert aquila, implicuítque pedes, atque vnguibus hæsit.
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectísque horret squammis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minùs vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tyburtum ex agmine Tarchon
Portat ouans. ducis exemplum, euentúmque secuti
Mæonidæ incurrunt.———

ARGVMENTVM.

Verba exemplo firmat, nam in hostes incurrit, Venulum equo abripit: quod facinus, vt egregium, illustri comparatione exornatur aquilæ rapientis draconem, laceramisq; in aere.

EXPLICATIO.

a EODEM ardore, quo milites reprehenderat, se in medium agmen concitato equo coniicit, *moriturus*, *& ipse*, vt mortui iam alij fuerant, qui in hostes incurrerant. Itaque noluit superstes esse suis. Sed aliter fata dispofuêre, & eius virtus. Nam, vt erat ardore turbidus, Venulo se aduersum intulit, quem, quanta potuit vi, equo diripuit, complexus validè, transtulitque in suum equum, portauitque ante gremium. Nescio quæ hîc latêt cõcinnitas, nam Tarchon, qui erat in auxiliis Æneæ, interficit Venulum, qui petiuerat auxilia contra Ænean.

b Ad insolitum spectaculum, & virtutem penè vltra mortalem sublatus clamor omnium, conuersi Latinorum oculi. Tarchon ira ardidus toto volat æquore *ferens arma & virum*, id est, armatum virum. Erat Venulo hasta, cuius ferrum Tarchon diffringit, & nouum belli genus inchoat. Tu expende quale esset spectaculum cernere Venulũ inter duros Tarchontis & hostiles complexus, & hunc quidem rimantem apertas ab armis partes ad inferendum lethale vulnus, illum contrà repugnantem, sustinentem dimouentémque ab iugulo illius dexteram, & vim viribus euitantem. An tu quicquam τραγικώτερον?

c Sequitur comparatio, quam nemo satis expendat, vbi species Tarchontis & Venuli viuidè repræsentatur. Solet aquila draconem rapere, illi vnguibus inhærere, ac totum implicare, ille contrà, vt semel est saucius, sinuosis se flexibus ac voluminibus versat, horret squammis, ore sibilat, altiùs insurgit: aquila verò luctantem comprimit, vrget, & tundit aduncitate rostri, neque cessat interim à volatu: talem finge eam pugnam. Tum Tyrrheni ad Principis sui *exemplum* auidè contra hostes incurrunt. Adiicit Poëta etiam *euentum*, quasi promitterent sibi eandem felicitatem.

NOTÆ.

1. MORITVRVS ET IPSE.] Talis ea Priami senis deliberatio 2. Æneid. vbi *densos fertur moriturus in hostes*. & Pallantis superiore lib.

Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.

2. CONCITAT.] Equum admissum intelligit, quem cursum ἐντονον vocat Iosephus lib. 1. Bell. Iud. c. 5.

3. DIREPTVMQVE AB EQVO, &c.] Volunt interpretes, atque etiam Scal. lib. 5. Poët. cap. 26. tractum hoc ab historia Iulij Cæsaris, qui ita quoque ab hoste Gallo raptus est, vt ipse in Ephemeride sua commemorat. In historia Hierosolymitana apud Iosephum lib. 7. Bell. Iud. c. 5. quidpiam est simile, imò maius. Nam Pedanius miles Romanus, Iudæis in fugam versis, cùm equo veheretur contra illos fugientes, tantùm se inclinauit sedens ipse in equo vt Iudæum quendam raperet fugientem, grauem corpore, & totum armatum, talo pedis comprehensum. In quo facto ostendit (ait Scriptor) multùm ἱππικῆς ἐμπειρίας, equestris peritiæ. Simile facinus

Romana historia repræsentata.

Similitudo historiæ.

A Romani militis apud Plut. in vita Camilli, qui sanè miles ἄρας μετέωρον ἐυρωστότερος ὤν, videlicet, πολέμιον: valentior viribus hostem arripit sublimẽ. Apud Calab. lib. 1. si hoc est aliquid ad illustrationem Poëtæ, time Penthesilea Achillem, qui

Ἤδη μιν μέλλοντα καθελκέμεν ὠκέος ἵππου,

Iam ipsam à celeri equo abstracturus erat.

Apud Nonnum lib. 29. inducitur Bacchus simili virtute,

———κούφιζε πεπαρμένον ἀνέρα θύρσῳ

ὄρθιον, ὑψιπότητον, ἐν ἠερίῃ δὲ κελεύθῳ

ἴνδον ἐλαφρίζων:———

———*eleuauit virum transfixum thyrso,*

Rectum, altiuolum, aerias per vias

Indum attollens.———

B Sic & apud Hom. Iliad. 16. dux quispiam alium

Εἷλκε δὲ δουρὸς ἑλὼν ὑπὲρ ἄντυγος:———

Traxit super currum prehensum hasta.———

Et subiicit comparationem aptam rei suæ, vt trahi solet piscis piscatoris hamo.

4. MVLTA VI CONCITVS AVFERT.] Iosephus in Pedanij historia, τοσοῦτον ἐπεδείξατο τῆς τε δεξιᾶς τὸν τόνον, καὶ τῷ λοιπῷ σώματι. Ait videlicet, ostendisse illum hoc facto virtutem, firmitatémque dexteræ, ac totius corporis. Et verè ad hanc rem necessaria vis, & multa.

5. TOLLITVR IN COELVM CLAMOR.] Ducit Macrob. c. 1. lib. 6. ab illo Ennij, Imitatio.

Tollitur in cœlum clamor cum exortus vtrisque.

C 6. CONVERTERE OCVLOS.] Liu. lib. 26. in bello Annibalis loquens de bellica Nauij virtute: *ingens corpus erat, & arma honestabant, & sublatum altè signum conuerterat ad spectaculum ciues, hostesq;*.

7. VOLAT.] Quæsitum verbum, nam comparaturus statim Tarchontem cum volante aquila. De qua Virgilij obseruatione iam locis aliis.

8. ARMA VIRVMQVE.] Cùm hoc loco sententia sit, quam attuli in Explicatione, fortasse ipsissima etiam est in principio totius Æneidos; vt dicat, *Arma virumq; cano*, id est, cano armatum virum, nimirum virum, qui armatus patrauit ingens bellum Italicum. Arma virúmque cano, quid sit.

D 9. ET PARTES RIMATVR APERTAS.] Imaginem similis successus hanc habes in Declam. 344. Quintil. *Aptantem iam ingulo mucronem, iam incumbentem, iam penè admotam vsque ad sanguinem manum.* Sed & verbum *rimatur* quæsitum est, nam de rostro vulturis in 6. *rimaturq; epulis*. Ergo hîc Tarchô *rimatur*, quia aues rostro dicuntur rimari. & qui adducturus est comparationem auis, præmittit verbum eiusdem auis. De hac obseruatione dixi iam locis aliis; & hîc illustro rem eandem Oppiani loco lib. 2. Cyneg. vbi loquens de pugna taurorum, & adducturus, ad illustrandum eorum certamen, congressum, quo naues sese impetunt, statim in ipso initio pugnæ taurorum exhibet versum istum, Locorum similitudo. Rimor.

Πρῶτα μὲν ἀντίπρωρον ἐς ἀλλήλους ὁρόωντες:

E *Primũ quidẽ frontibus aduersis alter in alterũ intuentur.*

Vbi vox ἀντίπρωρον, quæ propria est nauium, signata est, quia dicturus postea, ὡς δ' ἐνὶ πτολέμῳ βυθίῳ, &c. *quemadmodum in nauali prælio.*

10. VVLNVS LETHALE.] Πληγὴν θανατηφόρον.

11. ET VIM VIRIBVS EXIT.] Id est, euitat, & cauet. Dixi iam lib. 5. ad illud, *atque oculis vigilantibus exit.* Transfert huc.

12. VTQVE VOLANS ALTE, &c.] Hanc aquilæ, & draconis pugnam prior Homer. attigit lib. 12. Iliad. Aquilæ & draconis pugna.

Αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων

Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,

Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα, καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω· ὁ δ' ἀπ' ἕθεν ἧκε χαμᾶζε
Ἀλγήσας ὀδύνῃσι. ———
Aquila altiuolans ad sinistram populum continens,
Cruentum draconem gestans vnguibus immanem,
Viuum adhuc palpitantem, & nondum oblitus est pugnæ.
Percussit enim ipsum tenentem ad pectus apud collum
Reuolutus retrò hæc autem à se demisit in terram
Dolens doloribus. ———

Vide, si placet, Tullium lib.2.Diuinat.vbi Homericos versus conuertit non insuauiter. Macrobius pessimo iudicio victoriam dat Homero, Scaliger Virgilio iustissimo, quem si adeas, videbis & ridebis Macrobij nugas, & admiraberis Scaligeriani ingenij felicitatem. Quantùm enim inferior Homerus Virgilio est, tantùm Macrobius Scaligero. Sed ego rixam illam omitto, vt longissimè productam, & adduco tantùm vti Virgiliana comparatio respondeat rei propositæ, vt tu docearis imitari Virgilium. Venulum corripit Tarchon his versibus,

Direptumq́ ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.

His paria sunt illa,

———*raptum quem fulua draconem*
Fert aquila, implicuitq́ pedes, atque vnguibus hæsit.

Deinde, vt ibi, *volat igneus æquore Tarchon*, ita hic, *simul æthera verberat alis.* Itaque agnosce volantem vtrumque, Tarchontem & aquilam. Tertiò Tarchon *partes rimatur apertas, qua vulnus lethale ferat*, vt aquila *haud minus vrget adunco luctantem rostro.* Quartò, Venulus repugnat, & *sustinet a iugulo dextram*, &c. vt serpens *versat sinuosa volumina, horret squammis, ore sibilat.* Sed quoniam hic locus proprius est imitationis, videamus vti alij. Claud. in Bell. Gildon. ad vestigia Virg.

Locorum similitudo.

———*fuluusq́ tonantis*
Armiger ad liquidam, cunctis spectantibus, æthram
Correptum pedibus curuis innexum hydrum,
Dumq́ reluctantem morsu partitur obunco,
Hæsit in vngue caput, truncatus decidit anguis.

Sil.lib.12.de aquila contra serpentem,

Illa hostem rostro atque assuetis fulmina ferre
Vnguibus incessens, &c. ———

Latior Silio Ouidius lib.5.Metamorph.

Denique nitentem contra, elabiq́ volentem
Implicat vt serpens, quem Regia sustinet ales,
Sublimemq́ rapit, pendens caput illa pedesq́
Alligat, & cauda spatiantes implicat alas.

Ab Nonno etiam lib.38.inducitur

Αἰετὸς ὑψικέλευθος ὄφιν κεραὸν κομίζων
Θηγαλέοις ὀνύχεσσι: ———
Aquila altigrada serpentem cornutum ferens
Acutis vnguibus. ———

Ac statim draco dicitur *θρασὺν αὐχένα κάμπτων: flectens* (contra aquilam) *audacem ceruicem.* Plutar. in vita Timoleontis, *δράκοντα τοῖς ὄνυξιν ἔφερεν* (*ἀετὸς*) *διαπεπαρμένον: ferebat draconem* (aquila) *vnguibus confixum.* Natæ omnes Poëtarum comparationes ab inimicitiis notissimis inter aquilam, & draconem. Plutar. in Comment. de inuidia, & odio, notissimas animalium inimicitias commemorans, ab hac incipit tanquam à principe, *πολεμοῦσι γὰρ ἀετοί, καὶ δράκοντες.* Nicander in Theriac. celebrat has inimicitias à versu illo, *Τῶν μὲν τ' ἐκπλαγγεν*, &c. Inde & Soph. in Antig. Polynicem aquilæ comparat, & partes Thebanorũ, atque Eteoclis draconi attribuit, visus non

Aquilæ, & draconis inimicitiæ.

A posse aliter meliùs explicare fraternas illas inimicitias. Aristotel. lib.1. Hist. *ἔστι δ' ἀετὸς, καὶ δράκων πολέμια.* Plin. cap. 4. lib. 10. *Acrior est cum dracone pugna, multoq́ magis anceps, etiamsi in aëre.* Celebrauêre etiam Lacedæmonij, quorum sigillum erat *ἀετὸς δράκοντα ἐπειλημμένος*, vt est apud Ioseph. lib. 12. Antiquit. cap. 5. id est, *aquila tenens draconem vnguibus.*

Lacedæmoniorum sigillum.

13. IMPLICVITQVE PEDES.] Nonnus lib.38. de hac re loquens. Imitatio.

Ὡς ὅγε θηγαλέων ὀνύχων κεχαραγμένος αἰχμαῖς
Ἅρπαγος οἰωνοῖο πεπαρμένος ὀξέϊ ταρσῷ:
Vt hic acutorum vnguium laceratus cuspidibus
Rapacis auis transfixus acri pede.

Pind. Od.3. Nem. *αἰετὸς ἔλαβε δαφοινὸν ἄγραν ποσίν.* diuulsi verba. Plut. in vita Themist. de complexu aquilæ,
B *περιβαλόντα* (*τὸν ἀετὸν*) *τὰς πτέρυγας ἐξάραι καὶ κομίζειν πολλὴν ὁδόν.* Eurip. in Elect. *ὄνυξιν ἄγραν φέρουσαι.*

14. SERPENS SINVOSA VOLVMINA VERSAT.] Oppianus libro secundo Hal. de serpente loquens, etiamsi in pugna ceruorum. *ὁ δ' εἰλεῖται ἀμφί τε γυῖα, δειρήν τε, στέρνον τε: ille verò implicatur circa genua collum, pectus.* & lib.2. de Venat. de hac fera, *στρεφάλιγξιν ὑφαινόμενον δολιχῇσιν: longis voluminibus contortam.* ibidem, *εἰλυόμενον περὶ γαστήρ.* Hęc serpentium volumina vocat Eurip. in Med. *σπείρας πεοιπλέκων.*

Serpentis implicatio.

15. ARRECTISQVE HORRET SQVAMMIS.] Serpentis ferocitatem simili malo oppressi ita describit
C Oppian. lib. 2. Cyneg.

Serpentis ferocitas.

———*ἐς δ' αἰθέρα θ' ὑψόσ' ἀείρει*
Λευγαλέην δειρήν, λευκοὺς δ' ὑπέφηνεν ὀδόντας
Ὀξέα πεφρικότας, ἀραρεῖται γένειον
Πικροῖς φυσιόων συρίγμασιν ἰοφόρος θήρ:
———*ad cœlum altè attollit*
Funestam ceruicem, albósque dentes expedit
Acute rigentes, collidítque malas
Acerbis spirans sibilis venenata bestia.

Sed de his & similibus notis ego hîc parciùs, quia iam multa in Georg.

16. ÆTHERA VERBERAT ALIS.] Alcimus lib. 4. de Mundi origine,

Aërem verberare.

Illa volans longè diuerberat aëra plansu.

17. HAVD ALITER PRÆDAM TYBVRTVM EX A-
D GMINE TARCHON PORTAT OVANS.] Apto huc notam Scal. lib. 3. Poët. cap. 28. *Vnum Venulum habes, quem viuum aufert Tarchon, cuius rei exitum cum haud ponit, nónne vir est incomparabilis? Hæc est varietas, quæ hiscentem perducit auditorem ad finem vsque.* Et meam. Video enim, cum oppositione ad res Camillæ historiam hanc scriptam. Sicut enim illa Aunum equo deturbauit, ita Tarchon Venulum equo abstrahit, inde illa accipitri comparatur, hic aquilæ.

Virgilij varietas.

18. DVCIS EXEMPLVM, EVENTVMQVE.] Intellexit fortasse nemo hæc paucula, cùm omnes tamen intelligant. Dissimulat Poëta veterem formam Latij vocibus mutatis, quia non vult loqui, vt vulgus. Tri-
E tum est debere militem sequi Imperatoris sui *ductum* & *auspicium.* Ergo *exemplum* pro ductu est, *euentus* pro auspicio. Est *ductus*, cùm ipse Princeps bello præit, & Tarchon *exemplo* præiuit. Est *auspicium* totum ad felicitatem, & hæc latet in *euentu* Tarchontis. Iraque, *ducis exemplum, euentumq́ secuti*, est, secuti ductum, & auspicium ducis.

Ductus, & auspicium.

19. MÆONIDÆ.] Id est, Tyrrheni. vide lib. 8. ad illud, *ô Mæoniæ delecta iuuentus.*

a——tum fatis debitus Aruns
Velocem iaculo,& multa priùs arte Camillam
Circuit,& quæ sit fortuna facillima,tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Aruns subit,& tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa,pedémque ex hoste reportat;
Hac iuuenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus,iámque hos aditus,omnémque pererrat
Vndique circuitum,& certam quatit improbus hastam.
b Fortè sacer Cybelæ Chloreus,olímque Sacerdos,
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantémque agitabat equum,quam pellis ahenis
In plumam squammis auro conserta tegebat.
Ipse peregrina ferrugine clarus & ostro
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus,& aurea vati
Cassida:tum croceam chlamydémque,sinúsque crepantes
Carbaseos,fuluo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas,& barbara tegmina crurum.
c Hunc virgo,siue vt templis præfigeret arma
Troïa,captiuo siue vt se ferret in auro,
Venatrix,vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca sequebatur,totúmque incensa per agmen
Femineo prædæ,& spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cùm tandem tempore capto
Coniicit,& Superos Aruns sic voce precatur.

ARGVMENTVM.

Arunis dolus in Camillam, Chlorei armati venustissima descriptio,Camillæ cæca & incauta cupiditas.

EXPLICATIO.

a CONTINENT hi omnes versus venatoriam disciplinam, ad quam Poëta alludit, quasi Aruns prædam venetũr. Inde sunt verba illa, *circuit, tentat, lustrat vestigia, pererrat hos, atque hos aditus, omnem vndique circuitum.* & talia. Inde etiam Camillam vocat *velocem*, quo attributo possis ceruum afficere, & Aruns est cum *iaculo* venatorio. Explico nonnulla. Est Aruns *fatis debitus*, vt intelligas non fore illi impunem hanc venationem, erat enim fatale mori illum, qui Camillam interficeret. *Multa arte*, id est, multa fraude. Sic *arte Pelasga*. Ait *fortuna facillima*, id est, qua tutiùs, & citiùs posset. Aruns *subit*, vt qui cum dolo. Vocula *furtim* notat belli insidias. Sic suprà, *furta paro belli.*

b Præclarè Seru. locum istum intellexit. Quæritur *bona occasio ad mortem Camillæ, vt Sacerdotem maioris Numinis conetur occidere, per quod quasi exauthoratur Dianæ fauor, interueniente maioris Numinis iracundia.*

A Ergo, describitur Chloreus, qui *sacer Cybelæ*, vt qui eius *Sacerdos*. Descriptionem refero ad equum, quo vectus; ad arma, quibus vsus, ad fulgorem, qui in armis; ad ritum, quo armatus. Explico hæc quatuor. Equus spumabat præ ferocitate, erátque cataphractus, id est, totus ære armatus, ideo illùm *pellis tegebat conserta squammis in modum plumarum*, erantque squámæ istæ ahenæ, sed auro intinctæ, quasi ad nebulam. Arma illius erant partim Phrvgia, quod de thorace & tegminibus crurum accipio partim Cretensia, nam hæc sunt *spicula Cortynia*, & cum *cornu Lycio:* partim Hispanicus ornatus; nam hæc est *peregrina ferrugo*. Ità ex diuersis orbis partibus ducem istum exornat. Fulgor armorum varius erat. nam imprimis ipse *fulgebat*. Arcus erat *aureus*. Claritudo mista ex B *ostro,& ferrugine*. Huc refer tunicæ picturam, quæ ex *acu*. Ritum armorum attingit in arcu pendente ex humeris; in cinctione, qua crepantes sinus carbasi collecti in nodum erant. Peculiaria ex Notis pendent. Exquisita hæc,& accurata descriptio pertinet ad illiciendum Camillæ animum, vt redderetur incauta, & ita tandem periret. Quippe quæ ingenio muliebri tota fulgoribus illis inhiaret,& minùs sibi caueret. Nec alia est mens Poëtæ.

c En, quæ dicebam modò. Vides vt Camilla *cæca, incauta* sequatur *vnum ex omni certamine*, vt ardeat *amore prædæ*, *&* *spoliorum*. quippe *amore feminea*. Ratiò verò duplex. Prima, *siue vt tẽplis præfigeret arma Troiana* trophæi loco. Altera, *siue vt se ferret in auro* [illegible] *pino*, cùm venaretur. Indicat, quàm sint [illegible]

[illegible]

ctantiæ cupidæ, & inanis oſtentationis. Ergo Aruns A tempus idoneum obſeruat, cùm illa minùs cauta, præmiſſis ad Deos precibus.

NOTÆ.

Debitus fatis. 1. FATIS DEBITVS.] Eodem ſenſu κατάκειτον ψυχὴν dixit Ioſephus cap.3. lib.1. Bell. Iud. id eſt, *damnatam animam.* Intellige *fatum* κατὰ μόρον. Fatatum enim huic hoc mortis genus, cui oppone ὑπὲρ μόρον. Eodem ſenſu, quo hîc *debitus*, Horat. Od.36. lib.1.

Placare vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ Deos.

Aruns Hetruſcus. 2. ARVNS.] Hic fortaſſe Hetruſcus genere, nam Plutar. in vita Camilli meminit Aruntis cuiuſdam Hetruſci, ſiue Arrontis. B

Venatio repræſentata. 3. MVLTA PRIOR ARTE CAMILLAM CIRCVIT.] Explicui totum hunc tractum cum alluſione ad rem venatoriam. Triplicem locum ſimillimum in Virg. inuenio ab hac eadem re; hunc, in quo ſum, & illum lib.8. vbi Hercules,

——— omnémque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat, & illuc.

Lege reliqua. Item illum lib.9. vbi Turnus

——— huc turbidus, atque huc
Luſtrat equo muros, aditumq́; per auia quærit.

4. TENTAT.] Poſſet Aruns, quod Horatianus ille Sat.9. lib.1.

Haud mihi deero, non deſiſtam, tempora quæram.

Eſt enim oratio hæc tentantis omnia.

5. QVA SE CVNQVE FVRENS, &c.] Ab hoc verſu Prudent. in Pſychom. C

Qua ſe cumque fugax trepidis fert curſibus agmen.

Similitudo hiſtoriæ. Eſt apud Plut. in vita Pyrrhi quidpiam ſimillimum. Inducit Scriptor Italum quempiam in bello ἀνεχοντα τῷ Πύῤῥῳ, καὶ τὸν ἵππον ἀντιπαρεξάγοντα, καὶ συμμεθιστάμενον ἀεὶ, καὶ συγκινούμενον, *intentum vni Pyrrho, atque infeſto equo inuehentem, ac quoſcunque ferret & moueret, ſemper aſſectantem.* Ita vt alius videns ita monuerit Pyrrhum: ὁ γὰρ ἵππος τὸν μέλανα, καὶ πόδας λευκὸς ἔχων, θυμούμενος μεστὸς ὢν καὶ θυμοῦ, τοὺς δ᾽ ἄλλους ἐᾷ χαίρειν: *Te vnum intuetur, tibi imminet ſpirituum & animorum plenus, alios omittit.*

6. VESTIGIA LVSTRAT.] In Eclog. *tua dum veſtigia luſtro.*

7. QVA VICTRIX, &c.] Inducit Aruntem φεύγοντα. vbi ego noto miram poëſim ex duabus perſonis, Arunte, & Camilla. Aruns obſeruat Camillæ D veſtigia, Camilla Chlorei: Aurunsc autè & cum dolo Camillam ſequitur, cupidus vindictæ; Camilla incautè Chloreum, cupida ſpoliorum: Aruns perterrat omnem aditum, omnem circuitum, vt vnam petat Camillam; Camilla totum agmen, vt vnũ Chloreum. Ita ſunt humana, ille tibi inſidias ſtruit, tu alteri.

Imitatio. 8. FORTE SACER, &c.] Ductum fortaſſe ab Iliad.5.

Ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Δάρης, ἀφνειὸς, ἀμύμων,
Ἱρεὺς Ἡφαίστοιο:———
Erat quiſpiam inter Troianos Dares, diues, optimus,
Sacerdos Vulcani.———

Virgiliani credo Sacerdotis imagine Valer. produxit ſuum in auem lib.6. ab illis verſibus,

Indigenis ſacratus aquis, magnique Sacerdos
Phaſidis, Arctois Achites errabat in armis.

Vide reliqua. Ab eadem imagine Prudentius Superbiam in Pſychom. illis verſibus,

Fortè per effuſas inflata Superbia turmas
Effrani volitabat equo.———

9. OLIMQVE SACERDOS.] Non negat tunc fuiſſe. ita ego puto. Tu vide interpretes.

Spuma iræ notat. 10. SPVMANTEM.] Indicat equi ferocitatem. Ita Nonnus lib.10. Dionyſ.

Ἀφρὸν ἀκοντίζων χιονώδεα, μάρτυρα λύσσης:
Spumam eiibrans inſtar niuis, teſtem furoris.

Eurip. in Suppl. ora equorum ait ἀφρῷ καταστάζοντα. Ariſtophan. in Lyſiſt. ad explicandam apti iram, πολὺς δ᾽ ἀμφὶ τὰς γνάθους ἀφρὸς ἔρρει: *fluebat plurima per ora ſpuma.* Sed quid ſi etiam ſudantem equum Virg. intelligit? Nam ibidem Comicus,

Πολὺς δ᾽ ἄμα
Καὶ κατὰ τῶν σκελῶν ἀφρὸς ἴει:
Plurima etiam
Ibat ſpuma ſimul per crura.

Equus cataphractus. 11. QVEM PELLIS AHENIS, &c.] Intelligit equum cataphractum, aut cataphractarium. Et quidē equites cataphracti dicebantur, qui ipſi toti erant muniti ære, atque etiam illorum equi. Quales equites deſcribit Athen. lib.5. τῶν ἵππων καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐσκεπασμένων τοῖς ὅπλοις. & qualem Maſiſtium Plutar. in Ariſtide, οὐ μόνον στέρνα, καὶ κεφαλὴν, ἀλλὰ καὶ τὰ γυῖα χρυσῷ, καὶ χαλκῷ, καὶ σιδήρῳ καταπεφραγμένος: *non tantùm pectus, & caput, ſed & reliqua membra habebat munita auro, ære, ferro.* Intelligit certè πανοπλίαν. Vide verò vt Nazarius deſcribat hanc formam in Pan. *Quæ illa fuiſſe dicitur ſpecies, quàm atrox viſu, quàm formidoloſa! Operimento ferri equi atque homines pariter obſepti (clibanariis in exercitu nomen eſt) ſuperne omnibus tectis equorum pectoribus, demiſſa lorica, & crurum tenus pendens ſine impedimento greſſus à noxa vulneris vendicabat.* Loca quæpiam Claudiani de cataphractis ſuprà attuli in hoc libro. Quæ de *clibanariis* attingit Nazarius inuenies apud Amm. libro 15. & Lampridium in vita Alexandri.

Cataphracti equi deſcriptio.

12. PELLIS AHENIS.] Sententia eſt, equum Chlorei ornatum pelle alicuius feræ, quæ pellis tota eſſet contecta æreis laminis in modum plumæ. Ita equus Æneæ lib.8.

Laminæ in modũ plumæ.

———quem fulua leonis
Pellis obit totum præfulgens vnguibus aureis.

Statius lib.4. equum producit *velatum geminæ deiectu lyncis.* De equo Superbiæ Prudent.

———quem pelle leonis
Texerat, & validos villis ornauerat armos.

Plumarium opus. 13. IN PLVMAM SQVAMMIS.] Plumariũ hoc opus attingit Salluſt. citante illum Seruio. Verba Scriptoris: *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Hoc ſcilicet ante inuentos thoraces, qui eſſent, aut fuſi, aut cuſi ære. In Iuſtin. lib.14. ſunt *loricæ plumatæ.* & in Stat. lib.11. *thorax plumatus.* Ait enim,

Qua malè iam plumis imus tegit inguina thorax.

Sed de hoc iam alij fusè, ideo ego hîc parcè. Tantùm noto, cùm in auctoribus legeris opus ſquammatum, poſſe te tutò intelligere opus plumarium, etiamſi abſit inde ea vox. Nam Virg. adhibet ſquammas in formam plumarum; vt cùm ait Plut. in vita Luculli θώρακα μὲν ἔχων σιδηροῦν φολιδωτὸν ἀποστίλβοντα: *habens thoracem ferreum ſquammis refulgentem.* Nam, E cur non iſtæ ſquammæ in formam plumarum, vel ex Virgilio coniungente vtrumque? Noto etiam, opus hoc in vſu etiam extra ſquammas, & ferrum. Nam Ammian. lib.17. *Loricæ ex cornibus raſis & leuigatis plumarum ſpecie linteis indumentis innexæ.* Audi eundem Amm. lib.24. vt habeas cauſam plumarij huius operis: *Hoſtem vndique laminis ferreis in modum tenuis plumæ contectum, fidentémque, quòd tela rigentis ferri lapſibus impacta reſiliebant.*

Squammatũ opus.

Plumarium opus etiam extra ferrũ.

Aurum, de nebula.

14. Avro.] Explicui de nebula, qua squammæ istæ perfusæ, & intinctæ. Lipsius aliter: *An quia aurum* (inquit) *squammis mistum? an quia ipsæ squammæ auro innexæ?* Neutrum puto. Decepit illum vox *conserta*, quam iungit *auro*. Cùm tamen sententia sit, pellis conserta squammis ahenis. Sed res hæc leuicula est.

Ferrugo Ibera.

15. Peregrina ferrvgine.] Hoc integro versu cape colorem, quem Hispani dicunt *morado*, in quo est ferri color, & cum nitore. Est hæc enim vera purpura, quod in Georg. astruxi, nec vanè, vt credo. Vide, quæ dixi lib. 9. ad illud, *& ferrugine clarus Ibera*. Ea enim omnia & loco huic conueniunt.

Purpureus color in bello.

Vsitatum porrò veteribus purpurã gestare in bello, præsertim hoc in vsu Lacedæmoniis. Vel quia hic color viros decet, ex opinione gentium. Vel quia idem hic color faceret, vt cognatione, quæ est illi cum sanguine, minùs vulnerati terrerentur. Hæc ratio est in Eustath. ad lib. 14. Odyss. vel demum, quia hic color iram acuit, vt vidi in Plutarcho. Philostratus etiam in Epistolis ait patia fermè cũ his, quæ iam scripsi. Ait enim gestatum in bello à Laconib. vel, vt ἐκπλήττωσι τοὺς πολεμίους, *terrerent hostes*. vel, vt ἀγνοῶσι τὸ αἷμα τῇ κοινωνίᾳ τῆς βαφῆς, *sanguinem non agnoscerent communione coloris*. Vtcunque, color hic in bello vsitatissimus est, vt probant Romanæ chlamydes, quæ purpureæ, teste Athenæo, & aliis. Aristophan. etiam in Pace adducit cassidem φοινικίδα, *purpuream*. Deniq; notetur locus Platonis 12. Legum ad hanc ipsam rem. χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη, βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν, ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα: *Color albus præcipuè decorus Deo est, tincta verò absint, nisi à bellicis insignibus*. Et quidem vox Græca βάμμα ducit te ad tinctionem purpuræ ex frequẽti vsurpatione, vt probat βαφή, vnde & dibapha.

Cortynos vrbs.

16. Lycio Cortynia cornv.] Cortynos, aut Gortynos vrbs Cretæ, quæ, vt tota Creta, sagittandi arte floruit. Inde κατ' ἐξοχὴν *spicula Cortynia*. Plutar. in vita Cleomen. βέλεσι χρώμενοι τοῖς Κρητικοῖς. & Plinius cap. 36. lib. 16. loquens de vsu sagittarum: *præcipuus hic vsus in Creta*. Sic & Lycij, vt in genere omnes Orientales. Inde arcus cornua ab illis sumit etiam κατ' ἐξοχὴν. Sunt *cornua* in arcu, quæ postea Poëta vocat *capita*, eo versu, *donec curuata coirent inter se capita*, &c.

Aurea omnia ex decoro.

16. Avrevs ex hvmeris sonat arcvs, &c.] Aurea omnia ex decoro, qualia Eurip. in Phœniss.

Ὡς ὅπλοισι χρυσέοις εὐπρεπής, γέρον,
Ἑῴοις ὅμοια φλέγεται
Βολαῖς ἁλίου: ———
Armis aureis quàm decorus, ô senex,
Matutini fulgurans sicut
Radij Solis. ———

In ipsa auri vsurpata sæpiùs voce, potuit hærere Callimacho, qui Hymno Apollin. χρύσεα dixit de indumento & fibula. & statim repetit, χρύσεα καὶ τὰ πέδιλα, *aurea etiam calceamenta*. & absoluit, πολύχρυσος γὰρ Ἀπόλλων. Sed similia de auro loca adduxi lib. 7. ad illud,

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Qui duo versus auro effulgent, vt hi, in quibus sum, Est enim istud venustissimum, *aureus arcus, aurea cassida, fuluo in nodum collegerat auro*. Tale illud Stat. lib. 6. Theb. etiamsi de colore alio,

Ipse habitus niueus, niuei dant colla iugales,
Concolor est albis & cassis, & infula cristis.

& illud eiusdem, mutata materia alia,

Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.

Ego aliquando ita lusi ad horum exempla,

Glarea pellucens argento, argenteus amnis,
Argenti rident per amœna virentia flores.

His amœnitatibus plenissimus est Plautus, vt cum de die dicit in Capt. *amœnitate amœna amœnus*. & Casin. *Mala mala male monstrant*. & Epid. *Quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicũde ab aliquibus blattis*. & Bacchidib. *Bacchis Bacchas metuo, & Bacchanal tuum*.

Sono, de armis.

17. Sonat arcvs.] Stat. 4. Theb.

—trux læua sonat arcus, & aspera plumis
Terga Cydonææ corythos arundine pulsat.

De Phœbo 4. Æneid. *Tela sonant humeris*. De Hercule lib. 4. Epig. τυρβίζοντος ἐπ' ὤμοις ἰός.

Cassida, cassidæ.

B 18. Avrea vati cassida.] Pari forma Proper. Eleg. 11. lib. 3.

Aurea cui postquam nudauit cassida frontem.

Notat Seru. poni à Virg. accusatiuum pro nominatiuo. Firmat eius mentem Passerat. in Propert. nam & Varro *compedam* posuit pro *compes*, & *chlamyda* pro *chlamys*. & Festus *Itonida* pro *Itonis*. Difficilis expeditio Poëtarum. Faciliùs expedies, si dicas, formam esse harum vocum duplicem, vt inflectatur *cassis, cassidis*, &, *cassida, cassida*, vt &, *compes, compedis*, &, *compeda, compeda*; & sic in aliis: ita tamen, vt altera formetur à quarto casu primæ. Quod in verbis Græcorum vsitatissimum, nam barytona multa formantur à futuris aliorum barytonorum. Festus ait: *Cassidam antiqui pro casside ponebant*. Ita enim Festi locũ legit Luc. C Fruterius lib. 3. Verisim. cap. 5.

Crepo, de vestibus.

19. Sinvsqve crepantes.] Statius etiam in veste lib. 7. Theb.

——— *crepat aurea grandine multa*
Palla. ———

Hanc locutionem assumpsit Sidon. epist. 7. libro 1. *crepantes adulationum bullas*. Sophocl. in Antig. dixit χρυσοῦ καναχῆς. vbi dat auro sonitum, crepitum. Possum existimare *crepanti vesti* opponi directè εἵματα σιγαλόεντα Homeri; ad verbum, *tacentes vestes*; interpretes reddunt *artificiosas*. Ergo σιγαλόεντα, quasi σιγῶντα, & præ teneritudine, & earum tenuitate μὴ ἠχοῦντα, *non sonantes*. Scio alios aliunde deducere. Sed quæ dixi censeri debent non inscita.

Carbasi infectio.

20. Carbaseos.] Ait chlamydẽ fuisse croceam, D & in ea *sinus carbaseos*. Ita lib. 8. ait de Tybri, *eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus*. Cùm glaucus color non multùm abeat à croceo, videtur carbasus hoc colore infici solita à veteribus, congruente in vnam rem vtroque Virgilij loco. Et quidem Chlorei chlamys fuit carbasea, ad eum modum, quo notat Plin. lib. 19. cap. 1. ad finem, induci ab Hom. pugnatores *thoracibus lineis*. vox Hom. 2. Iliad. est λινοθώρηξ. Sic ergo thorax Chlorei esse potuit ex carbaso linea infecta colore croceo.

21. Fvlvo in nodvm collegerat avro.] Videtur hic nodus fuisse in pectore ex imitatione Prudentij Psychom.

Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.

Pictura in vestibus.

E 22. Pictvs acv tvnicas.] De pictura, quæ ad acum refertur, dixi in 3. bis, & in 6. semel. Consule. Ita accipio & Eurip. in Herc. χρυσεόστολον φᾶρος: *aureis filis textum amictum*, id est, pictum acu. Lazius inter genera chlamydum lib. 8. c. 10. *pictam* agnoscit, & eò reuocat versum hunc Virgilij. Sed quî pot... nam Poëta tunicas pingit, quæ super chlamydem, non ipsam chlamydem,

Barbari dicti Phryges.

23. ET BARBARA TEGMINA CRVRVM.] Id est, Phrygia tegmina. Phryges enim κατ' ἐξοχὴν dicti barbari. Plut. in vita Periclis, βάρβαρον πόλιν, de vrbe Troia. Euripid. in Helen. βαρβάρῳ πλάτᾳ, *remo barbaro*, de nauigatione Paridis. ibidem, βαρβάρου χθονὸς, de Phrygia ipsa. Et in Androm. de ipsamet Andromacha, γυναικὸς βαρβάρου. Vide 2. Æneid. ad illud, *Barbarico postes auro.* Inde consequenter hæc tegmina picta erant acu. Phryges quippe acu pingere inuenêre. Quod cui non tritum? Et quidem hoc argumento picturatæ vestis confugio ad Phrygas. Nam, nisi hoc esset, Italica tegmina intelligerem in Italico Sacerdote, ex trito more, quo Italia dicta est *Barbaria.* Plut. Mostell.

Italia dicta olim Barbaria.

Non enim hac pultiphagus opera fecit
Barbarus.———

Id est, Italus. Sed argumento, vt dixi picturæ confugio ad Phrygas. Redeo ad Virg. Tegmen etiam de re simili dixit Catull.

Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ.

Et quidem in Virg. possum capere per *tegmina barbara*, non ocreas, sed serica tegmina, & acu picta, quæ super ocreas: ad eum modum, quo super chlamydem iniectæ tunicæ. Germanus ad *bracchas* refert, ex eo Taciti 18. Annal. *bracchas tegmen barbarum indutus.* Vt velis.

24. VT TEMPLIS PRÆFIGERET ARMA.] Dixi de hoc more 3. Æneid. ad illud,

Ære cauo clypeum magni gestamen Abantis.

Hîc audi Eurip. in Elect. vbi de Agamemnone,

———ὑψηλῶν δ' ἐπὶ
Ναῶν τίθεισι σκῦλα πλεῖστα βαρβάρων:
———*excelsis autem in*
Templis posuit spolia plurima Barbarorum.

Spolia in templis.

Feminæ amantissimæ fastus.

25. CAPTIVO SIVE VT SE FERRET IN AVRO.] Notat feminam κομπώδη διακένῳ δυνάμει, vt loquitur Plutar. in vita Luculli, id est, *vanè iactabundam, ostentabundam.* Vitium hoc muliebre attingit idem Plut. in vita Periclis, ὥσπερ ἀλαζόνα γυναῖκα περιαπτομένην λίθους πολυτελεῖς: *insolentis more mulieris, quæ se pretiosissimis gemmis excolit.* Hunc amorem nulla magis res explicat, quàm successus Glaucæ vxoris Iasonis, quæ cùm incredibili odio prosequeretur Medeã, & eius liberos, vt tamen vidit pulcherrimas vestes, & coronam auream missam dono ab Medea, omnem statim iram deposuit,

Ἡ δ' ὡς ἐσεῖδε κόσμον, οὐκ ἠνέσχετο:
Hæc verò vt aspexit ornatum, non continuit se.

Is est Euripides. Additque Tragicus loquens de illa,

Δώροις ὑπερχαίρουσα, πολλὰ πολλάκις
Τένοντ' ἐς ὀρθὸν ὄμμασι σκοπουμένη:
Donis vehementer gaudens sæpe & frequenter
Ceruicem erigebat oculis circumspiciens.

Donec tandem imprudens consumpta est venenis, quibus vestes illæ erant illitæ. Apud eundẽ in Troadib. Helena amat Paridem, videlicet βαρβάροις ἐσθήμασι, χρυσῷ τε λαμπρὸν: *splendentem vestibus barbaricis, atque auro.* Adeò feminæ splendoris pretiosissimi auidæ. Ab Euripe illustrabis Ouidium, qui de Paride in Epist.

Veneras, vt fama est, multo spectabilis auro.

Certamen pugnæ.

26. EX OMNI CERTAMINE PVGNÆ.] Fortè ab Lucret. qui lib. 4.

At contrà conferre manu certamina pugnæ.

Romana historia repræsentata.

27. PRÆDÆ, ET SPOLIORVM ARDEBAT AMORE.] Cùm sequatur statim, telum emissum ab Arunte, non diffidebit ab hac poëtica inuentione historia Herminij apud Dionys. lib. 6. Antiquit. Ille enim ictus gladio est à quopiam, cùm cæcus prædæ cupiditate militem spoliaret, quem interfecerat.

28. TEMPORAE CAPTO.] Quod suprà, *arrepto tempore Turnus.* Vide ibi.

Voce precari, non est pleonasmus.

29. VOCE PRECATVR.] Non est pleonasmus; sed modum explicat. Poterat enim precatio fieri mussitatione quadam. An voces pleonasmum, illud Didonis in 4.

Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Non certè. Certè pleonasmus, cùm sit vitiosus, nolo sit in Rege Poëtarum vllus, quantumuis illis Homerus scateat.

[a] Summe Deûm, sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
Da Pater hoc nostris aboleri dedecus armis
Omnipotens. [b] non exuuias, pulsæve trophæum
Virginis, aut spolia vlla peto: mihi cætera laudem
Facta ferent, hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patriam remeabo inglorius vrbem.
[c] Audiit, & voti Phœbus succedere partem
Mente dedit, partem volucres dispersit in auras.
Sterneret vt subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem vt patria alta videret,
Non dedit; ínque Notos vocem vertêre procellæ:

D

ARGVMENTVM.

Preces Aruntis ad Apollinem, quibus petit cædem virginis, & reditum in patriam: cædem annuit Phœbus, reditum abnuit,

EXPLICATIO.

[a] VOCAT initio Apollinem *summum Deorum* ex affectu, quo illum colit, sic postea *omnipotẽs*, ex eodem affectu. Nam alioquin Iuppiter credebatur

ab

ab Gentibus & summus Deorum, & omnipotens. Dirigit verò preces ad Apollinem illum, qui *custos Soractis* montis. Conciliat illum, cùm ait, *quem primi colimus*, id est, nos te præ aliis colimus, nos primi sumus in te colendo. Deinde, *cui pineus ardor aceruo pascitur*, id est, aceruos ex tæda pinea in tui honorem accendimus. Quin (vide qua erga te confidentia simus) te vno freti, & tua pietate prunas nudis pedibus calcamus, idque illæsi. Cùm ergo tanta sit mutua vicissitudo & cultus nostri erga te, & beneficiorum tuorum erga nos, quid mirum si ausim petere beneficium vnicum? Da ergo Pater, vt nostris armis tantum dedecus amandetur. Potes, vt qui *omnipotens*; debes; vt qui *Pater*.

b Si quis obiiceret. Quæ tua gloria, ô Aruns, si feminam interficias? Non (inquit) gloriam peto, non exuuias, non spolia, non excitabo trophæum: laudem quæram ab aliis meis præclaris factis, ab hoc vno illam abnuo; rātùm volo, vt meo vulnere, meo telo cadat, pellatur dira hæc pestis. Hoc si consequar, patriam remeabo, etiam sine gloria. Hoc ipso Aruns reditum in patriam petit, vt liquidum ex consequentibus.

c Partem voti Phœbus concessit, partem negauit, concessit, vti Camillam sterneret; negauit, vti incolumis in patriam rediret. Poëta ad ventos confugit, vt indicet alteram precum partem inanem fuisse, & effectu cariturain.

NOTÆ.

1. SVMME DEVM.] Retuli cum Seru. ad affectum orantis. Possit, qui velit, recurrere ad doctrinā Macrobij referentis omnia ferè Numina ad vnum Solem, eorúmque potestates ad huius vnius potestatem. Primum illud firmare potest Euripides, apud quem Hippolytus putat Dianam esse μεγίστην δαιμόνων, *Deorum maximam*. Hoc autem ex affectu. — *Sol numen maximum.*

2. SANCTI.] Sacrati, dicati tibi. Catull. — *Sanctus, id est, sacratus.*

Quid tibi si sanctis concesserit Incola Itonis?

3. CVSTOS SORACTIS APOLLO.] Præmitto verba Plin. cap. 2. lib. 7. *Haud procul vrbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollinis, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur.* Eadem narrat Solinus cap. 8. & *lignorum struem* vocat, vt Plin. Silius *aceruum*, vt Maro, — *Soractis mōtis sacra.*

Cùm prius Arcitenens accensis gaudet aceruis.

Ex narratione Virgilij collige, Aruntem vnum fuisse ex ea familia, nam subiicit,

— & medium freti pietate per ignem

Cultores multa premimus vestigia pruna.

Strabo lib. 5. dissidet à Virgilio, Plinio, Solino, aliis. Nam eandem rem commemorans, attribuit hanc religionem non Phœbo, sed Feroniæ. Non absimilis est locus eiusdem Strab. lib. 12. vbi ait, esse in Castabalis templum Dianæ Persicæ, vbi fœminæ huic Deæ sacræ incedunt illæsæ per prunas nudis pedibus. Vicina superstitio illa, qua veteres transibant per flammas, quam ex Theodorito, Balsamone, aliis, iam indicauit Casaub. ad Persium. Et vicinior adhuc illa, qua in iureiurando ignea lamina rapiebatur illæsis manibus, de qua plenè & doctè Delrius Noster in Quæst. Magic. Gregorius etiam Turon. lib. 1. cap. 1. narrat, quempiam, ad præbendam testificationē innocentiæ, prunas byrrho inclusisse, qui mox illæsus apparuit. Hos omnes mores, & similes pertinere ad purgationem, expiationémque sacrorum, satis liquidum ex Festo, qui in *Aqua* ita scribit. *Itaque funus prosecuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua adspersi; quod purgationis genus vocabant suffitionem.* Theodoritus etiam, post explicatum risum de transitu super flammas (aduocat illum Casaub.) ita subiicit. ἐδόκει δὲ ἀποτροπιασμὸς εἶναι, καὶ κάθαρσις: *videtur mihi esse hoc genus purgationis ad auertenda mala.* Inde & inter purgationes, quæ adhibentur 6. Æneid. *scelus exuritur igni.* Ex his moribus expendo ego Horatij sententiam Od. 1. lib. 2. vbi cùm præmiserit canī à Pollione arma, quæ — *Iuramētum apprehenso igni.* — *Suffitio.*

Nondum expiatis vncta cruoribus,

subiicit,

— incedis per ignes

Suppositos cineri doloso.

Quasi dicat. Malè tibi cessura res est, & cum periculo incedis per hos ignes, quia arma illa, quæ canis, nondum sunt expiata. Etenim cùm hæc sacra fora pertineant ad auertenda, expianda, purganda mala, quis dubitet illi imminere periculum, qui ad illa accederet non expiatus? Hæc etiam mens Prop. Eleg. 5. lib. 1. qui cùm præmisisset,

Infelix properas vltima nosse mala,

subiicit,

Et miser ignotos vestigia ferre per ignes.

Porrò diuinam potestatem Hirpinorum, de qua initio Notæ sum locutus, Varro negat, ita scribēs apud Seruium: *Varro vbique expugnator* (sic legendum, non *expurgator*, vt in excusis) *religionis, cùm quoddam medicamentum describeret, sic ait: vti solent Hirpini, qui ambulaturi per ignem medicamento plantas tingunt.* — *Hirpinorū potestas.*

4. COLIMVS.] Verbum sacrorum. Sen. epist. 64. *Ritu Deorum colendi.* & millia.

5. CVI PINEVS ARDOR.] Indicat prunas horum sacrorum esse ex pinu; nisi speciem posuit pro genere.

6. PREMIMVS VESTIGIA PRVNA.] Ioan. Chrysost. Oratione ad Sanctum Iulianum, ἐν ἄνθραξιν ἐμβαίνειν: *per carbones incedere.* Forma alia Strab. libro 5. γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξιᾶσιν ἀνθρακιὰν, καὶ σποδιὰν μεγάλην, *nudis pedibus prunas, & copiosum inambulant cinerem.* & alia adhuc lib. 12. γυμνοῖς τοῖς ποσὶ δι' ἀνθρακιᾶς βαδίζειν: *nudis pedibus per prunas ingredi*, Horat. *incedis per ignes.* Virgilianus flexus maiorem indicat religionem, *premimus* (ait) *vestigia.* quasi ita fiderent Numini, vt non cursim, sed irent pressis vestigiis, & cum mora altè pedes infigerent, adeò tuti patrocinio Numinis. — *Nudis pedibus per ignes.*

7. DA.] Hoc verbum iam intrusit inter ea, quibus precatio ad Deos fieret, Brissonius, multísque firmauit. Sed illustriora sunt testimonia duo, quibus vtitur Germ. nam in re cædis, vt etiam Virg. Euripid. Phœniss. δός μοι κτανεῖν ἀδελφόν. Æschyl. ἐν Χοηφ. δός μοι τίσασθαι μόρον πατρός: *Da mihi fratrem interficere. Da mihi vlcisci fatum patris.* — *Da.*

8. REMEABO INGLORIVS VRBEM.] Quod Hom. 2. Iliad. ἀκλεᾶ Ἄργος ἱκέσθαι: *redire inglorium ad vrbem Argos.*

9. AVDIIT, ET VOTI, &c.] Hi quinque versus facti ab quatuor Homericis Iliad. 16. Additus vnus Poëtæ volenti sibi respondere, nam quia dixerat, *partem volucres dispersit in auras*, subiicit, inq. *Notos vocem vertere procellæ*, quasi instaurans superiorem sensum ait Scal. quem vide de toto hoc loco disputantem, & dantem palmam Latino. Hæc enim ratio, cur supra Homerum excurrerit, qui parcior illo esse solet. Ergo Hom.

Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεύς,

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. — *Imitatio.*

Νηῶν

Νηῶν μέν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε
Δῶκε, σόον δ' ἀνένευσε μάχης ἐξαπονέεσθαι:
Sic preces fudit, hunc autem audiuit consiliarius Iuppiter,
Huic quidem partem concessit, partem verò abnuit.
Ab nauibus quidem repellere bellum, & pugnam
Concessit: saluum autem redire à bello abnuit.

10. SVCCEDERE PARTEM.] Opponit Passeratius hunc locum Catullo, & Tibullo. In primo, *omnia omnibus annuit.* in altero, *cunctáque veraci capite annuit.* Quæ facilitas Numinum ingens est. Non sic erga Aruntem, nam partem dat Phœbus, partem negat. Quam rem ad moderationem Dei huius refert Seruius, concedentis aliqua in gratiam sui Sacerdotis, negantis aliqua in gratiam suæ sororis Dianæ, cui addicta & dicata Camilla. Ego miram poësin considero in Virgilio, nec vnquam satis demitor viri
Virgilij cōcinnitas. huius concinnitatem. Tres sunt personæ huius tragici successus, Camilla, Aruns, Chloreus; & singulæ singulis Numinibus sacræ, Camilla Dianæ, Aruns Phœbo, Chloreus Cybelæ. Itaque pugna non tam inter humana, quàm inter diuina: & ita tandem res fit, vt vnumquodque Numen prouideat rei suæ. Nã Camilla si moritur, habet vltricem Dianam: Aruns si moritur, habet adiutorem Phœbum in re magnæ gloriæ, concedit quippe illi partem magni voti, id est, cædem Camillæ: Chloreus omnino euadit liber, tuente illum Cybele, hanc enim fuisse mentem Poëtæ mihi non dubium.

11. MENTE.] Præclarè: nam si indicium aliquod exterius esset Numinis rei concessæ, aut negatæ, terA
reretur à facto Aruns.

12. DEDIT.] Pro, annuit, aut concessit. δῶκε, ἔδωκε. & 1. Iliad. θεοὶ δοῖεν.

13. PARTEM VOLVCRES DISPERSIT IN AVRAS.] Est hoc, quod Hom. 12. Iliad. de Asio precante, οὐδὲ Διὸς πεῖθε φρένα: *neque Iouis persuasit menti.* Ventis cōmittere.
Sed seruata forma Virg. Lucanus lib. 5.

——in ventos impendo vota, fretúmque.

Ouid. in Epist. Sapphûs,

——& Zephyri verba caduca ferunt.

Tibullus quoque Eleg. 4. lib. 1. ait ventos ferre periuria. Pulchrè dixit Eurip. in Helen. loquens de ira & iurgio, quod intercesserat. ἴτω δ' ὑπόπτερον, *eat, & subuolet.* ad verbum, *eat alatum.* quasi dicat, eat in auras, & vanescat. Et in Hecub. λόγοι πρὸς αἰθέρα φροῦδοι.
B
Nam sermones commissi auris vanidi sunt. & Pentheus apud eundem in Bacchis,

Καὶ στέμματ' ἀνέμοις, καὶ θυέλλαισι μέθες.
Coronas ventis & procellis committe.

Id est, contemne sacra Bacchi. Sed hæc sententia illustrata iam à me libris nono, decimo, & alibi.

14. PATRIA ALTA.] Eurip. Troad. πατρίδ' ὑψίπυργον. Non vacat epithetum. Credo Poëtam alludere ad studium ciuium, qui suos redeuntes à bello milites solent è summis mœnibus, tectis, turribus cernere, & auidè expectare. Quod studium Martialis exprimit loquens de reditu Domitiani ad vrbem, & Ouidius in Epistola Oenones.

ᵃ Ergo vt missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Conuertêre animos acies, oculósque tulêre
Cuncti ad Reginam Volsci. nihil ipsa nec auræ,
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli:
Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineúmque altè bibit acta cruorem.
ᵇ Concurrunt trepidæ comites, dominámque ruentem
Suscipiunt: fugit ánte omnes exterritus Aruns,
Lætitia, mistóque metu, nec iam ampliùs hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
ᶜ Ac velut ille priùs, quàm tela inimica sequantur,
Continuò in montes sese auius abdidit altos
Occiso pastore lupus, magnóque iuuenco
Conscius audacis facti, caudámque remulcens
Subiecit pauitantem vtero, syluásque petiuit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
Contentúsque fuga, mediis se immiscuit armis.

ARGVMENTVM.

Camilla caditur, Aruns arripit fugam, hanc Poëta explicat comparatione lupi abdentis se in syluas post audax facinus.

EXPLICATIO.

a AD sonitum teli stridentis per auras totæ acies oculos conuertêre, sed præcipuè Volsci ad
C
Reginam suam. Illa ita Chloreo occidendo intenta erat, vt neque stridentem auram sentiret, nec sonitum teli, nec ipsum adeò telum, donec percussa est sinistro in latere, quod expapillatum & exertum, videlicet à papilla exerta.

ᵇ Quia omnes simul currunt, ideo *concurrunt*, & *trepidæ*, qua voce & timor, & festinatio indicantur. Statim *suscipiunt ruentem dominam.* Aruns illicò præ timore fugit, sed diuersi in homine affectus, iam *lætus* ab glorioso facinore, iam *timidus* ab instante, vt putabat, vltore aliquo. Noluit se iam *credere hastæ virginis*, *nec telis occurrere audet* illius. Non est sibi

contrarius

contrarius Poëta. Nam tametsi dixerit Camillam A fuisse, sed eam ruentem Aruns non viderat, nam statim, vt emisit telum, fugit: itaque potuit suspicari illam, aut non percussam, aut non ita lethaliter, quin vires suppeterent ad vltionem.

c Optima comparatio. Solet lupus occiso pastore, aut iuuenco aliquo, qui præclarus è toto grege, statim fugere in syluas, & se abdere, reflexa in vterum cauda: huius instar Aruns fugit, ac se aliorum armis immiscuit, ne agnosceretur.

NOTÆ.

Lectio Virgiliana. 1. ACIES.] Aliqui hîc legunt *acres*. Placuit *acies*, & sic etiam legit Seru. Pet. Daniel.

Auras olim pro, auræ. 2. AVRÆ.] Legit Seru. *auras*. & id etiam arripit Alberic. Gentil. in lib. Virgilianar. Lect. cap. 8. & hi quidem non solùm forma Græca, qui αὔρας in gignendi: sed forma antiqua Latina. Nam Latini olim gaudebant forma Græca. Sic *paterfamilias*, pro, *familiæ*. Sed in hoc extremo libentiùs ierim ad Græcorum κατὰ, vt sit quartus casus multitudinis, *pater κατὰ familias*.

3. EXERTAM.] Sinistram intelligi, quod latus expapillatum, iam aperui libro 1. Æneid. & suprà in hoc libro.

Papilla percussa. 4. PAPILLAM.] Hom. Iliad. 8. & 15. βάλε στῆθος παρὰ μαζόν: *percussit pectus ad papillam*. Cal lib. 3. ἐτύρα(?) παρὰ μαζὸν τυχήσας: *interfecit contingens ad papillam*. Quo in ictu creberrimus est Calab. Nam & lib. 10. κατέπεφνε τυχὼν ὑπὸ μαζὸν εἴσω. ibid. ἀγχόθι μαζοῦ, &c. Nonn. lib. 22. ὑπὲρ μαζοῖο. Explicui sinistrã papillam percussam. Obiicies eundem Græcum Calabrum, qui & Penthesileam, & Bremusam, vtramque Amazona, inducit lib. 1. percussam dextro latere. De prima, ὑπὲρ μαζοῖο ἤλασε δεξιτεροῖο. De altera, δεξιτερὸν παρὰ μαζόν. Cùm ergo Virgilius videatur contendere ad exemplum Penthesileæ interfectæ, videbitur alicui capiendus de dextro latere. Soluo

Virgilius defenditur. hunc in modum. Certum est Amazonibus fuisse adustam dextram papillam, quod ex Curtio & Hippocrate astruxi lib. 1. Æneid. & suprà in hoc libro ex interprete Homeri: ac proinde nuda, & exerta mãma erit sinistra, quod & ratio dictat, si adusta dextera; & verba Curtij, quæ adduxi 1. Æneid. Cùm ergo Virg. in exertam papillam ictum dirigat, necessariò capiendus de sinistra. Lapsus itaque mihi videtur Calab. cùm ait, Amazonas Penthesileam, & Bremusam percussas papilla dextera, qua carueruntr: nisi in illo quis capiat *papillam* pro loco papillæ. in quo tamen insipidum aliquid.

Hæreo, de hasta. 5. HÆSIT.] Alibi ad rem eandem *inhæsit*. Pulchrè lib. 4. Epig. de rebus, quæ ita inhærent, ἀμφιδακής, est enim veluti morsus. cui verbo respondebit *inesco*. Itaque *inescatur hasta*, erit, *ceuaste la lança*.

Imitatio. 6. VIRGINEVMQVE ALTE BIBIT ACTA CRVOREM.] Ait Macrob. cap. 6. lib. 6. ductum hoc ab illo Hom. qui de hasta, λιλαιομένη χροὸς ἆσαι: *cupida satiare se corpore*. Adiungo illi Euripidem, qui in Herc. Fur. hastis dat *cupiditatem*. ἧς (videlicet τυραννίδος) μακρᾷ

Cupiditas de hasta, & λόγχαι πηδῶσ' ἔρωτι: *propter quam* (tyrannidem) *longæ hastæ saltant præ cupiditate*. ad verbum, *præ amore*. Non dissidet illud Propert. Eleg. 12. lib. 3.

Lætitia. *Néve tua Meda lætentur cade sagittæ*.

& à Virg. Petron. *Syllanus bibit ensis*. τὸ altè, est, quod sæpe aliàs, *penitus*.

7. LÆTITIA, MISTOQVE METV.] Coniunctio ista variorum affectuum pulcherrima est. Ita 1. Æneid. *Lætitiáque, metúque auidi*. Sall. Iugurth. *Lætos modò, modò pauidos animaduerteres*. Non absimile illud Eurip. Iphig. κατὰ δ' ὄγκος ἅμα χαρᾷ, *cum lætitia simul & luctu*. Heliodor. lib. 4. de Chariclia, λύπης τε ἐπὶ τῷ χωρισμῷ, καὶ χαρᾶς ἐπὶ τοῖς ἐλπιζομένοις ἐν μεταιχμίῳ σαλευούσης: *inter dolorem, propter* (illorum) *discessum & lætitiam propter ea, quæ sperabat, fluctuantem*.

Lætitia & metus coniuncti affectus.

Imitatio. 8. AC VELVT ILLE, &c. Clara Homeri imitatio Iliad. 15. vbi de Antilocho filio Nestoris,

> Ἀλλ' ὅγ' ἄρ' ἔτρεσε, θηρὶ κακὸν ῥέξαντι ἐοικώς,
> Ὅς τε κύνα κτείνας, ἢ βουκόλον ἀμφὶ βόεσσι,
> Φεύγει πρίν περ ὅμιλον ἀολλισθήμεναι ἀνδρῶν.
> Ὡς τρέσε Νεστορίδης: ———

B
> *Sed is fugit, feræ quæ malum patrauit similis,*
> *Quæ canem vbi interfecit, aut bubulcum circa boues,*
> *Fugit antequam multitudo congregetur virorum.*
> *Sic fugit Nestorides.* ———

Homerum superat Virgilius. Adiungo verba Scaligeri, vt tu scias Homerum cum victoria imitari. Ille ita. *In his tanta est differẽtia, quanta inter discipulum meditantem, & præceptorem suum consilium, atque operam apponentem. Nam quid dicam tibi de verbis illis, Conscius audacis facti? tum autem bestia ἦθος. Est enim pauoris signum caudam demittere. & verbum signatum remulcens, id est, retrahens. Vbi notabis etiam loquendi modum, nam cùm lupus pauitaret, & versus ferret, vt diceret, pauitans, vsus est felici attributione, propterea quòd videretur pauitare cauda, quippe quæ se occultaret. Ac præterea numerum auxit, cùm accentus è pauitans, translatus est in pauitantem.*

C
Caudã remulcere, timoris nota. 9. CAVDAMQVE REMVLCENS.] Timoris nota, cùm cauda retrahitur, ac reducitur, demittitúrque. Aristoteles libro 9. de Histor. Animal. cap. 44. loquens de leonibus; καὶ φεύγουσι δὲ ἐνίοτε καθέντες τὴν κέρκον, ὥσπερ κύνες: *Fugiunt interdum demissa inter crura cauda, vt canes*. ita vertit Gaza. Hanc timoris notam indicat Aristoph. in Plut. vbi Pluros ipse,

> Οὐκ οἶδ'. ἐγὼ δ' ἐκεῖνον ὀρρωδῶ πάνυ:
> *Nescio. sed ego formido ipsum maximè.*

Indicat (inquam) nam ὄρρος est *os animalis, vnde pendet cauda*, & pro cauda sumitur, & δίω est *timeo*. Inde itaque ὀρρωδῶ, cùm cauda præ timore inter femora reducitur. Sic & Homer. de ipsismet lupis

D
Odyss. 10. dixit, οὐρῇσι μακρῇσι περισσαίνοντες, *caudis longis circummulcentes*. Est itaque, *mulcere caudam* in nota timoris, quòd Horatius de Cerbero timente dixit, *Demittit aures*. Et Lactantius (ait Turn.) de feris dixit, *aures demulcent*, id est, demittunt. Poëta voluit *remulceo* ad frequentiam signandam. Sic contrà, cùm cauda tollitur, & latus percutitur, signum est exultantis feræ. Inde Lucanus inducit leonem stimulantem latus *verbere caudæ*. Sic Calaber lib. 1. virtutem Penthesileæ ita comparat,

Caudã erigere, virtutis nota.

> ——— ἠΰτε
> Πάρδαλις, ἐν ξυλόχοισιν ὀλέθριον ἦτορ
> Δεινὰ περισσαίνουσα, θορεῖ κατεναντ' ἐπιόντων
> Ἀγρευτῶν. ———

E
> ——— *veluti*
> *Pardalis in sylua, perniciali corde*
> *Mouens caudam terribiliter, insilit in inuadentes*
> *Venatores.* ———

Summa est, demissam caudam, esse notam timoris: erectam, fortitudinis. Sed video adhuc peculiare quiddam in Virgilio. Qui currunt, eo contentiùs currunt, si manus demittant. Plautus clarè Epidic.

—imò

Manus demittere in fuga, cur.

——— *imò si audias*

Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.

Id est, fugias perquàm celertimè. Sic ergo lupus fugiens caudam demittit, vt celeriùs fugiat. Non enim posset contento cursu fugere, si erecta esset cauda. Aristotel. lib. 4. ad Nicomach. dixit, οἱ θέοντες θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας: *fugientes, celeriùs fugiunt, si manus iactent.* Hanc iactationem explicat Virg. verbo *remulcens caudam pauitantem.*

Locorum similitudo.

10. SYLVASQVE PETIVIT.] Eustath. in Homericos versus de leone, & feris aliis ait, φεύγειν πρὶν ὑπ' ἀνδρῶν καταληφθῶσι, *fugere priùs quàm à viris comprehendantur,* cùm videlicet ἢ ποίμνῃ ἐπιβουλεύσωσιν, ἢ βουκόλον κτείνωσιν, ἢ κύνα, ἢ ὅλως τοιοῦτόν τι κακουργήσωσι: *aut gregi insidias fecerint, aut bubulcum interfecerint, aut canem, aut omnino quidpiam mali patrauerint.* Apto & verba Curtij lib. 4. optima ad rem. *Delituisse inter angustias saltus, ritu ignobilium ferarum, quæ, strepitu prætereuntium audito, syluarum latebris se occuluerunt.*

A 11. SE TVRBIDVS ABSTVLIT.] De hoc fugæ genere lib. 4. Epig. ἀνεπτοίασαντες Ἀχαιοὶ φύρδην. videlicet ex natura timentium, qui mistim fugiunt & turbidè. Fugientium natura.

12. CONTENTVSQVE FVGA.] Notat ignauum militem, qui honorem habet nullo in pretio, & tantùm in pretio habet præoccupauisse præsidium fugæ. Tales describit Romanos milites Salust. in Iugurth. *Nostri fœda fuga, plerique abiectis armis, proximum collem occupauère.* Ego non dubito, quin explicatio Virgilij, quæ obuia est omnibus, verissima sit. Sed posset quispiam referre B ad verbum *contendo*, vt dicat, *contentus fuga*, id est, contenta fuga, contendens fugam. Miles ignauus.

13. MEDIIS SE IMMISCVIT ARMIS.] Exemplo Homeri (ait Germ.) Iliad. 16. qui inducit Euphorbum percusso Patroclo refugientem. ἀνέδραμε, inquit, &, μίκτο δ' ὁμίλῳ. Imitatio.

[a] Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
[b] Labitur exsanguis, labuntur frigida letho
Lumina. purpureus quondam color ora reliquit.
[c] Tunc sic expirans Accam ex æqualibus vnam
Alloquitur (fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quî cum partiri curas) atque hæc ita fatur.
[d] Hactenus Acca soror potui; nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circùm.
[e] Effuge, & hæc Turno mandata nouissima perfer,
Succedat pugnæ, Troianósque arceat vrbe.
[f] Iámque vale. simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non sponte fluens. tum frigida toto
Paulatim exsoluit se corpore: lentáque colla,
Et captum letho posuit caput, arma relinquens.
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

C

ARGVMENTVM.

Camilla moriens Accam ad Turnum mittit, fessis vt rebus medeatur, quibus datis mandatis vita deseritur.

EXPLICATIO.

[a] POST Aruntis fugam, redit ad Camillam, quæ iam moribunda telum manu extraxit, sed fer- D rum non potuit, quippe altum erat vulnus, & mucro hærebat ad costas inter ossa.

[b] Ab alto vulnere copiosus sanguis, ideo *labitur exsanguis.* atque etiam *labuntur lumina letho iam frigida.* Indicat deiectionem oculorum ab vicina iam morte, & quia iam tota *exsanguis*, ideo *color quondam purpureus reliquit ora.*

[c] Non est oblita belli, & publicæ salutis in summo discrimine. Tales quippe duces ad exemplum proponit Virgilius. Itaque Accam alloquitur. Sed cur hanc præ aliis? quia æqualis sibi æuo, quia eius fidem præ aliis antè experta erat, ac proinde curas suas cum illa communicare erat solita.

[d] Verbo pleno dignitatis ait, *Hactenus potui.* quasi dicat: Hactenus fui bello potens. Huic potentiæ opponit acerbitatem vulneris, quo conficitur: nam iam tum tenebræ oculos inuadebant, vt solet moribundis contingere.

[e] Mittit mandata ad Turnum, vt *succedat pugnæ*, nihil de se sollicita, tantùm de publico bono, & vt *Troianos vrbe arceat*, quia eadem iam olim,

Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serua.

[f] Apparent iam signa morientis, nam habenas liquit, fluxit ad terram non volens, ac *tum*, id est, deinde illa, vt quæ iam *frigida, paulatim se toto exsoluit corpore.* Notat corpus iam à morte languidum, & penè exuertebratum, atque eluxatum. Pergit. *Lenta colla posuit*, vt quæ non iam firma, sed vigore defecta. & *caput captum letho*, ληφθὲν, inuadente morte principem partem. Tandem indignabunda anima, meliùs & figuratiùs Poëta, *vita indignata*, vt quæ abrupta in medio ætatis cursu, & in florente iuuentute, *fugit sub vmbras*, & *cum gemitu*, vt decebat virilem feminam.

NOTÆ.

1. ILLA MANV, &c.] Est hoc, quod de Pallante in 10.

Ille rapit calidum frustra de vulnere telum.

Quod Hom. 13. Iliad. ἐκ χροὸς ἔγχος ἀνέσπασεν. vide dictum locum.

2. LABITVR EXSANGVIS.] Calab. lib. 1. de cadente Amazone, ἡ γὰρ ἔλυσεν. &, ὑπεκλάσθη μελέεσσι. Dicit, solutam fuisse & debilitatam membris. Cùm ait *exsanguis*, notat alborem, quo mortui pallent. Prudent. de mortuis loquens hymn. 10. Cathem. (Albor mortuorum.)

——pallida tabo
Color albidus inficit ora.

Inde *albori* opponit statim Poëta *purpureum colorem*.

3. LABVNTVR FRIGIDA LETHO, &c.] Ait oculos labi in morte. Huc spectauit, ni fallor, Quintil. in præfat. lib. 6. vbi de filio moriente: *Tuósne ego, ô mea spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi?* & Ouid. 3. Trist. Eleg. 3. (Oculi labuntur in morte.)

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

4. ÆQVALIBVS.] Ita dicuntur aulico sermone, quos Hispani vocant *meninos*. De quo Principum more iam lib. 3. Æneid. (Æquales.)

5. PARTIRI CVRAS.] Ea forma, qua suprà, *mecum partire laborem*. qua Phœdrus in fabell. (Partiri curas.)

Amplexus ille vtrumque, & carpens oscula,
Dulcémque in ambos charitatem partiens.

quem in locum vide Rittershus.

6. POTVI.] Non subaudio cum Seru. *potui viuere, pugnare*. Imò, *potui*, est ἴσχυσα, *valui viribus, & potens fui bello*. Nam tametsi à re nihil differat, multùm certè ab energia.

7. VVLNVS ACERBVM.] Alludit ad immaturam mortem, & indebitam florenti ætati: de qua iam lib. 6.

8. TENEBRIS NIGRESCVNT OMNIA CIRCVM.] Nihil frequentius in Hom. qui sæpissimè de his oculorum tenebris in morientibus. Libo paucula ex vno lib. 13. Iliad. in quo sum, cùm hæc scribo. Ergo, (Oculorum tenebræ in morientibus.)

——τινὰ Τρώων ἐρεβεννῇ νυκτὶ καλύψαι:
——aliquem Troianorum obscura nocte tegere.

Et iterum:

——τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε:
——huic verò tenebræ texerunt oculos.

Et post pauca;

Τὸν δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἐρεβεννὴ νὺξ ἐκάλυψεν:
Hunc autem in oculis obscura nox cooperuit.

Demum forma alia,

——στυγερὸς δ' ἄρα μιν σκότος εἷλεν:
——tristes illum tenebræ ceperunt.

Euripides quoque millies hanc rem. Alcestis moritura,

Καὶ μὴν σκοτεινὸν ὄμμα μου βαρύνεται.
Atqui tenebricosi mei grauantur oculi.

Iterum:

Σκοτία δ' ἐπ' ὄσσοισι νὺξ ἐφέρπει:
Tenebrosa nox adserpit oculis.

Et de moriente Hippolyto. κατ' ὄσσων κιχάνει μ' ἤδη σκότος. & de Polynice in Phœniss. ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος. Sed si quæras imitationem Virgilij veram, ea sumpta est ex Calabro, cui hæsit in toto hoc Camillæ occasu, quod sic efficio. Camilla moriens ex equo *fluit*. Penthesilea θοῶς δ' ἀπεκύλισ' ἵππου. Camilla *arma reliquit*. Penthesilea ἐκ δ' ἔβαλεν χειρὸς πέλεκυν. Camilla *labitur exsanguis*. De Penthesilea Græcus, μέλαν δέ οἱ ἔρρεεν αἷμα. De Camilla, *exsoluit se corpore*. Penthesilea ὑπεκλάσθη μελέεσσιν. Vt Camilla feritur in *papilla*, ita & Penthesilea. Vt Camillæ *nigrescunt omnia tenebris*, ita de Penthesilea, ἀμφὶ δέ οἱ νὺξ ὀφθαλμοὺς ἤχλυσε. (Imitatio.)

9. SVCCEDAT PVGNÆ.] Mandata hoc versu contenta simillima sunt illis, quæ habet in re simili Polyb. lib. 3. vbi ad Tiberium mittuntur nuntij δηλοῦντες μὲν τὴν παρουσίαν τῶν πολεμίων, δεόμενοι δὲ διὸ ἀπολιπόντα τὰς προκειμένας πράξεις σπεύδειν βοηθεῖν τοῖς ἰδίοις πράγμασιν, *vt certior fiat de hostium aduentu, missisque, quæ destinauerat, patriæ quàm primùm opem ferat.* (Similitudo historiæ.)

10. LINQVEBAT HABENAS.] Ita etiam de moriente Hom. Iliad. 16. ἐκ δ' ἄρα χειρῶν ἡνία ἠΐχθησαν: *habenæ ex manibus defluxerant*. & lib. 11. (Linquere habenas.)

Ἐκ γὰρ σφέας χειρῶν φύγον ἡνία σιγαλόεντα:
Ex ipsorum enim manibus fugerant habenæ artificiatæ.

Apud Stat. lib. 7. quendam equus suus, *nec iam arma, aut frena tenentem portat*. De moriente Pyrrho Plutar. καὶ προήκατο τὰς ἡνίας αἱ χεῖρες: *habenas manus remisere*. Imitationem si quæras, ea sumpta à Furio, qui lib. 1. Annal.

Ille graui subitò deuinctus vulnere, habenas
Misit equi, lapsúsque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis sonitum.—— (Imitatio.)

11. AD TERRAM NON SPONTE FLVENS.] Est hoc, quod in simili malo lib. 3. Georg. etiamsi de fera, (Equo cadere.)

Ad terrámque fluit deuexo pondere ceruix.

De Constantino illo, quem Phocas in bello interfecit, Cedren. pag. 570. καὶ ὁ μὲν λειποθυμήσας τῇ ἀνυποστάτῳ φορᾷ τῆς πληγῆς, πίπτει παραυτίκα τοῦ ἵππου: *Intolerabili vulneris vi, equo statim decidit, animo illum deficiente.*

12. LENTAQVE COLLA.] In hac lentitie videtur spectare ad tacitam florum, aut papaueris comparationem, qua idem est vsus 9. Æneid. in obitu Euryali.

13. POSVIT CAPVT.] Allusum ad verbum κεῖσθαι, quod etiam in mortuis, & τιθέναι. (Pono, mortuorum.)

14. VITAQVE CVM GEMITV, &c.] Reddidit versum Hom. Iliad. 16. (Imitatio.)

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄϊδόσδε βεβήκει:
Aduolans autem ex membris anima, iuit in infernum.

Hoc ipso versu clauditur tota Æneis. vide, vt ibi illustrem. Qui moriuntur indignabundè, dicuntur mori *cum gemitu*, vt hîc Camilla, cui morti opponit directè Theocrit. loquens de Adonide, λεπτὸν ἀποψύχων: *emittens animam tenuiter*. (Oppositio.)

ᵃ Tum verò immensus surgens ferit aurea clamor
Sydera: deiecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi, simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Euandríque Arcadis alæ.

ᵇ At

[b] At Triuiæ custos iamdudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectátque interrita pugnas.
Vtque procul medio iuuenum in clamore furentum
Prospexit tristi mulctatam morte Camillam,
Ingemuítque, dedítque has imo pectore voces.
[c] Heu nimiùm, virgo, nimiùm crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello.
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
[d] Non tamen indecorem tua te Regina relinquit
Extrema iam in morte: neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violauit vulnere corpus
Morte luet merita. [e] Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacáque ilice tectum.

ARGVMENTVM.

Æneæ acies acriùs incumbit, Camilla victa. Opis Dianæ famula, quæ pugnas spectauerat, dolet cecidisse virginem, promittítque vltionem. Describitur sepulcrum Dercenni Regis.

EXPLICATIO.

[a] TROIANORVM vires Camilla vna confregerat, hac ergo victa, illi lætabundi clamoribus insurgunt, & de nouo bellum recrudescit. Incumbunt omnes simul, Teucri, Tyrrheni, Arcades. Quibus verbis Poëta Troianos, & auxilia numerat.

[b] Conquiescit Poëta à bellis intentus vni vltioni virginis. Memineris Lector suprà in hoc libro vltionem interfectæ Camillæ mandatam Opi ab Diana. Opis itaque (ait Poëta) pugnas spectabat sedens summo in monte. Eámque ait ingemuisse, & fleuisse ad Camillæ occasum, vt primum illam vidit inter furentium iuuenum fremitus mulctatam morte.

[c] Sequitur Nymphæ fletus, in quo fletu ita rem gerit Poëta, vt quærat laudem Troianorum, etiam in aliena re. Nam mortem, qua mulctata est Camilla, vocat *supplicium*, quod persoluit, quia ausa est Troianos bello lacessere: quasi hi sancti fuerint, & à Ioue geniti, contra quos nihil erat audendum. Inde sequitur, nihil Camillæ profuisse (est hæc magna conquestio) Dianæ cultum; nec gessisse pharetras, quas gestare solebant huius Deæ Nymphæ. Itaque contra Troianos nec Diana ipsa potuit.

[d] Pergit ad solatium vltionis, qua decoranda est Camilla. Est enim honoris argumentum habuisse paratam vltionem: sicuti contrà est indecorum, inultum aliquem cadere. Ita verò loquitur de Camilla, quasi ea sacra fuerit, ideo *morte luet, qui tuum corpus violauit vulnere*. Sacra enim dicuntur *violari*.

[e] Describit locum, ad quem descenderit è monte Opis ad occidendum interfectorem Camillæ Aruntem. Is locus fuit sepulcrum Dercenni Regis, qui vnus fuit ex antiquissimis Regibus vrbis Laurentis. Erat itaque hóc sepulcrum, & *ingens*, & *sub monte alto*, & *ex terreno aggere*. notat aggestam terram in tumulum; ac demum totum *tectum opaca ilice*, ad maiorem cultum, & religionem.

NOTÆ.

1. FERIT AVREA CLAMOR SYDERA.] Ita lib. 2. *ferit aurea sydera clamor*. &, *aurea sydera*, vt Eurip. in Elect. χρυσέων ἄστρων. — *Clamor fecit sydera.*

2. SIMVL OMNIS.] Non te prætereat res, etiamsi leuicula. Non est idem *omnes*, & *cuncti*. Sed *simul omnes*, & *cuncti*, idem est. *Cunctos* itaque Poëta intelligit. Sic lib. 3. *vnà omnes fecère pedem*, id est, cuncti. — *Omnes, & cuncti differunt.*

3. ALTA SEDET.] Ita Homericus Iuppiter 6. Iliad. spectaturus pugnas ἐν κορυφῇσι καθέζετο: *sedebat in verticibus*. Et Xerxes apud Plut. in vita Themistocl. ἄνω καθῆστο τὸ στόλον ἐποπτεύων καὶ τὴν παράταξιν: *sedebat in loco edito classem & aciem intuens.*

4. MVLCTATAM MORTE.] Germanus *mulcatam* legit, & validè tuetur hanc lectionem. Lege viri docti argumenta & coniecturas. — *Mulctatus.*

5. HEV NIMIVM, VIRGO, NIMIVM.] Ita quoque geminat Claud. 1. Eutrop. — *Nimiùm, nimiùm.*

Me nimiùm timido. nimiùm iunxère remisso.

Tale quidpiam est apud veterem Poëtam Alpheum, cuius extat lib. 1. Epigram. hendecasyllabum hoc,

τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν με τέρπει.

6. NEC TIBI DESERTÆ, &c.] Talis ea conquestio Statij lib. 4. Theb.

Nunc vbi bella tibi? nil te mea tela iuuabunt,
Nec teretes arcus, &c. ———

Sed Virgilium aspirasse ad hoc Homericum, Germ. ait, — *Imitatio.*

ἀλλ' οὐδ' οἱ τότε γε χραῖσμ' Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.
Sed nulla tunc illi vtilitas in Diana sagittigaudia.

Liceat interpretibus aliquando voces tales confingere.

7. IN DVMIS.] Per dumos, qui in syluis, & lucis passim, syluas & lucos intelligit: hæc enim campi pars Dianæ sacra.

8. HVMERO GESSISSE PHARETRAS.] Nota poëticos flexus, vt docearis. Hîc cum *humero* in singulari iungit *pharetras* in plurali: contrà 1. — *Flexus poëticus.*

Æneid. *Illa pharetram fert humeris.* Istæ notulæ ducent te ad imitationem Virgilij. Aduoco exemplum. Possum ego ita imitari. *Telum humeris pendet Diuæ.* Vel, *Tela humero pendent Diuæ.* De ornatu porrò pharetræ; cùm ad humeros, cùm ad latus, alibi.

Mors linea. 9. EXTREMA IAM IN MORTE.] Itá 2. Æneid.

Extrema iam in morte parant defendere telis.

Verè extrema mors, quæ *linea rerum*, ait Horat.

Acumen. 10. NEQVE HOC SINE NOMINE LETHVM.] Nota acumen. *Lethum* dicitur ἀπὸ τοῦ λαθεῖν, *ab obliuiscendo*. Ergo ait, lethum hoc, lethum verè non erit, nam hoc est, *non sine nomine*.

Inultum mori, erat dedecus. 11. AVT FAMAM PATIERIS INVLTÆ.] Erat hoc plenum dedecoris. Inde Romanis Lucanus obiicit, conuerti eos ad bella ciuilia, cùm Crassus erraret *vmbra inulta*. Ioseph. lib. 1. Bell. Iud. cap. 17. τιμωρήσειν γὲ μὴν αὐτὸν τοὺς Ὑρκανοῦ καὶ Μαριάμμης δαίμονας: *vlturum se manes Hyrcani, & Mariamnes.*

Deorum iura. 12. NAM QVICVNQVE TVVM VIOLAVIT, &c.] Nunquam atrociùs mortales puniebant Dij, quàm cùm violassent, quæ sibi essent sacra. Ita 2. Æneid.

Nam si vestra manus violasset dona Mineruæ,
Tum magnum exitium Priamo, Phrygibúsque futurum.

Et suprà in hoc libro,

——infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes,

videlicet,

Quicunque Iliacos ferro violauimus agros.

Quasi Troiani agri sacri essent Dijs.

Sepulcra in montibus. 13. MONTE SVB ALTO.] Scribit Seru. *Apud maiores, nobiles aut sub montibus altis, aut in ipsis montibus sepeliebantur.* Firmabis ex Lucano, qui,

Et Regum cineres exstructo monte quiescunt.

Ex Iuuenale, qui Sat. 5.

Clitipsa veheris dùm per monumenta Latina.

Inde sepulcra à Græcis κρηπῖδες vocantur, vt quæ in crepidinibus. Credo falli eos, qui aliò detorquent hanc vocem.

Lectio Virgiliana. 14. DERCENNI.] Alij *Dercenij*. aut *Dorcenni*, & *Dorcenij*. Quidam etiam *Stercenij*. Putatur fuisse aut Rex Aborigenum, aut fictum. Deest lux historiæ.

Agger, de sepulcro. 15. TERRENO EX AGGERE.] Alludit proculdubio ad sepulcrorum sepimenta, quæ dicebantur *tumuli* à tumore. Ita in 7. *Aggere composito tumuli.* Catull. de eadem re loquens, *excelso coaceruatum aggere.* Hæc sepimenta fiebant ex materia aut saxea, aut terrea. Extremam inducit Poëta; de qua capiendus Plin. lib. 35. cap. 12. *Quin & defunctos sese multi fictilibus solijs condi maluêre.* Non enim Plin. vrnam fictilem intelligit, sed terreum tumulum, intra quem inclusa vrna.

Bustum, pro sepulcro. 16. BVSTVM.] Ponitur pro sepulcro, vt etiam ab Catullo,

Cùm teres excelso coaceruatum aggere bustum.

Arbores ad sepulcra. 17. OPACAQVE ILICE TECTVM.] Ex dignitate & more. Strabo lib. 5. loquens de Augusto ait, ambitum sepulcri illius fuisse *intus alnis consitum*, ἐντὸς δὲ αἰγείροις κατάφυτον.

[a] Hìc Dea se primùm rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.
[b] Vt vidit fulgentem armis ac vana tumentem.
Cur, inquit, diuersus abis? huc dirige gressum,
Huc periture veni: capias vt digna Camillæ
Præmia: túne etiam telis moriere Dianæ?
[c] Dixit. & aurata volucrem Threïssa sagittam
Deprompsit pharetra, cornuq; infensa tetendit,
Et duxit longè, donec curuata coïrent
Inter se capita, & manibus iam tangeret æquis
Læua aciem ferri, dextra neruóque papillam.
[d] Extemplò teli stridorem, aurásque sonantes
Audiit vnà Aruns, hæsitq; in corpore ferrum.
[e] Illum expirantem socij, atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in puluere linquunt.
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.

ARGVMENTVM.

Opis arcum contendit, Aruntem interficit, redit in cœlum.

EXPLICATIO.

[a] SEPVLCRVM Dercenni descriptum ex occasione est, nam in eum tumulum Opis se contulit, Aruntem inde speculatura. In illis, *rapido pulcherrima nisu*, pulcritudinem refero ad *nisum*, vt dicat in eo volatu & nisu pulcherrimã apparuisse Opim.

[b] Immiscuerat se iam Aruns aliorum armis, tumore vano perfusus: sed abiisse in diuersa nihil misero profuit, illum ad supplicium Nympha vocat, irrisoriè ad *præmia*. Dolet verò fraudulento homini contingere gloriosam mortem, nam periturus Dianæ telis. adde & iussu: & ministerio adhuc Nymphæ.

[c] Depingit Poëta graphicè intentionem arcus. Primùm Opis depromit sagittam è pharetra, deinde intendit cornu (est hîc quartus casus) infensa animo in Aruntem. Explicat statim qualis hæc intentio.

tentio. Ita cornu illud duxit longè, vt capita inter se coirent curuata. Factum ab hoc longo curuamine, vt manus dextera, qua neruus tenebatur, papillam Nymphæ attingeret, atque adeò ipse etiam neruus: sinistra verò, qua tenebatur cornu, attingeret aciem, id est, cuspidem teli emittendi. Nulla arcus intentio esse maior potuit. Qui hæc non percipit, meditetur secum gestum iaculantis, & capiet.

d Ea fuit celeritas sagittæ, vt Aruns vno temporis puncto & ferrum senserit in corpore, & teli stridorem in adsonante aura. Hæc est sententia, etiamsi poëticè aliter prolata.

e Pertinent hæc ad vltionem: factum enim permissu Dianæ, vt nulla cura expirantis haberetur à sociis, nulla cadaueris. Itaque relictus à suis est Aruns inter sordes pulueris. Opis statim in cœlum remeauit, nuntiatura, credo, Dianæ executionem facti.

Notæ.

Nictor.

1. Nisv sistit.] Quod lib. 4. *nitens Cyllenius alis constitit*. Lucret. lib. 6. dixit, *Pennarum nisus*. & postea, *nictari*, &, *insistere alis*.

Vana tumens.

2. Vana tvmentem.] Ἐτώσια διδαίνοντα diceret Hom. καὶ ὀγκούμενον, id est, κατ' ἐτώσια. Seru. explicat per κενοδοξίαν.

Diuersus abis.

3. Cvr, inqvit, diversvs abis?] Ita lib. 5. *Quò diuersus abis?* Stat. lib. 7. *Aquilonis hiatus in diuersa ferunt.*

4. Præmia.] Species est ὀξυμώρου. vt lib. 2. *præmia reddant debita*. Sic *dona*, & *munera*, vt lib. 10. illustraui.

5. Tvnc etiam telis moriere Dianæ.] Triplex sententia. Prima nostra, quam iam adhibui explicans. Altera Seruij, qui ait respectum ad fabulam Niobes. Tertia Germani, qui ita concipit. Túne etiam opprimêris subito mortis genere, & à Diana, cùm sis vir? Quia videlicet rarò Diana telis suis in viros vtebatur. Illud verò de subito mortis genere explicat ab Eustathio, qui in 6. Iliad. ὅτι δὴ τῇ Ἀρτέμιδι, τουτέστι τῇ σελήνῃ, τοὺς αἰφνιδίους θανάτους τῶν γυναικῶν ἀνατίθησιν ἡ Ἑλληνικὴ δόξα, δῆλον ἐστιν, ὥσπερ ὁ Ἀπόλλων ἥλιος αἴτιος λέγεται τοῦ αἴφνης θνήσκειν τοὺς ἄνδρας: *Græcorum opinio fuit, vt Dianæ, hoc est, Lunæ, subitæ mortes feminarum attribuantur, quemadmodum Apollini, hoc est, Soli, subitæ virorum mortes.* Ceterùm, cur arcus & sagittæ dicantur Dianæ tela, quis ignorat? Tantùm noto ex Pausan. in Attic. hanc Deam primam vsam arcu in venatione iuxta Ilissum amnem, in loco, qui Agra dicitur.

Dianæ attribuebantur subitæ mortes feminarum.

6. Threissa.] Cur Opis ita dicatur, apparet ex Commentatione Seruij editi ex bibliotheca Pet. Danielis, quæ tamen Commentatio mendis plurimis deformata est. Inde tamen elici potest, Nymphas ex Hyperboreis venisse in Thraciam ad Latonam, ad educandam Dianam. Vna earum fortassis Opis fuit. Si quis meliùs coniectet ex Seruio, audiam.

7. Sagittam deprompsit pharetra.] Ad verbum Hom. 4. Iliad. σύλα πῶμα φαρέτρης. Verbo alio Nonn. lib. 29. γυμνώσατο πῶμα φαρέτρης.

Arcus curuatio ad ictum.

8. Donec cvrvata coirent inter se capita.] Est hoc, quod Hom. 11. Iliad. ὁ δὲ τόξου πῆχυν ἀνέλκει. vbi πῆχυν posuit pro *cornu*. Nonn. lib. 10. βέλος δ' ἐπὶ κυκλάδι νευρῇ ἕλκειν: *intendit telum in neruo ad circulum.* Vt hic ἐπὶ κυκλάδι, ita Calaber lib. 10. verbum κυκλόω. κυκλώθη (inquit) δὲ κέρας. Ad verbum Ouid. 11. Metamorph. *Nec mora, curuauit cornu.* In hastis verbo alio vsus Homer. Iliad. 13. ἔγχεα ἐπτύσσοντο, *flectebantur, contrahebantur, plicabantur.* Næuius præclarè, *cornuat aurum*, id est, curuat arcum aureum. Sidon. Paneg. Anthem.

Flexa reluctantes in cornua trudere neruos.

Ouid. 8. Metamorph.

Impositis calamis patulos sinuauerat arcus.

Curuatio arcus ad vim.

Hæc curuatio tota ad vim sagittæ emittendæ, scribente sic Plutarcho in vita M. Crassi. εὐτόνους δὲ τὰς πληγὰς καὶ βιαίους διδόντες ἀπὸ τόξων κραταιῶν καὶ μεγάλων, καὶ τῇ σκολιότητι τῆς καμπῆς ἠναγκασμένον τὸ βέλος ἀποστελλόντων: *validas autem plagas, & violentas incusserunt ab grandibus, atque firmis arcubus, qui ex tortuosa flexura impellebant magna vi telum.* Ceterùm verbum proprium artis huius si velis scire, est *impleo*. Dicitur enim arcus *impleri*, cùm curuatur. Nam, cùm arcus sit semilunis, in curuatione reddit figuram Lunæ plenæ. Vegetius lib. 1. cap. 15. *Maior adhibenda solertia, vt* (tyrones) *arcum scienter teneant, vt fortiter impleant, vt dextera cum ratione ducatur.* Sidon. epist. 2. lib. 1. *Spicula capit, implet, expellit.* Sermo est de arcu. Hinc illustrari potest illud Zachariæ cap. 9. num. 13. *Quoniam extendi mihi Iudam, quasi arcum: impleui Ephraim*, id est, quasi arcum impleui. Euripid. in Rheso expressit per verbum *iungo*, nam tum plenus est arcus, cùm iunguntur extrema: Versus est,

Impleo, verbum arcus.

Ζεύγνυτε κερόδετα τόξα νευραῖς:

Iungite neruis arcus corneos.

Caput, de arcu.

9. Capita.] Sidon. epist. 2. lib. 1. *Acceptum* (arcum) *insinuatis è regione capitibus intendit.*

Homerũ superat Virgilius.

11. Læva aciem ferri.] Hunc læuæ manus contactum ad teli cuspidem, dextræ ad pectus aut papillam, egregiè excogitauit Virg. cùm Homerus tantùm dixerit 4. Iliad.

Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον:

Neruum quidem mammæ applicuit, arcui autem ferrum.

Plebeium hoc esse iam censuit Scalig. Cùm Virgilius multo illustriùs complexus fuerit manuum æquale officium, simul & diuersum. Nonnus lib. 29. sententiam hanc dilatat hunc in modum:

Locorum similitudo.

Ἰὸν ἑλὼν προβλῆτα, καὶ εἴρυσεν ἠθάδα νευρήν,
Τόξον ἐπιθοτόρῳ παλάμῃ κυκλούμενον ἕλκων.
Ἀκρότατον δὲ σίδηρον ἐρεισάμενος περὶ τόξῳ
Φοίνια νεῦρα βόεια πέλασσε γείτονι μαζῷ:
Capiens prominens telum traxit consuetum neruum,
Arcúmque incuruatum ab manu retrò intendente.
Summum verò ferrum firmans circa arcum
Lethales neruos boum applicuit vicinæ mammæ.

11. Dextra, nervoqve papillam.] Commodè hunc in locum adducit Germ. verba hæc Eustath. in 6. Iliad. Ἰστέον ὅτε ἀρχαϊκὸν τὸ τὴν νευρὰν πελάζειν τῷ μαζῷ, ὃ καὶ Ἀμαζόνες ἐποίουν, ὡς προείρηται. τὸ δὲ μέχρι, καὶ εἰς τὸ δεξιὸν οὖς αὐτὴν ἐκτανύειν, νεώτερον, ὡς καὶ Προκόπιος ἐν τοῖς Λιβυκοῖς προοιμιαζόμενος ἱστορεῖ: *Sciendum fuisse veteris moris neruum mammæ applicare, quod & Amazonum fuit, vt dictum est: recentioris verò illum ad dextram vsque aurem extendere, vt Procopius scribit in Libycorum proœmio.*

Arcus iaculandi mos.

Stridor, de telis.

12. Teli stridorem.] Ita Virg. *stridens hasta, sagitta, phalarica, telum*, variis locis. Alibi *stridente iaculo*. Dicam lib. 12. Dionis Chrysost. sententiam.

Insepultus.

13. Ignoto camporvm in pvlvere.] Huius contumeliæ plenissimus Homerus. Vide & illud lib. 10, *Isthic nunc metuende iace.* ἀκλεῶς ὡμρίθη(?) dixit

dixit Cedren. de his, qui pereunt inglorij. De magnis ducibus Atheniensium, qui perierunt in bello Siculo, ait Plut. in Nicia, σώματα ἐκβληθέντα, κεῖσθαι φανερὰ τοῖς δεομένοις τοῦ θεάματος: *proiecta fuisse corpora, & iacuisse in publico ad cuiuslibet spectaculum.* Sic A & in vita Aristidæ Persæ fugiunt, προϊέμενοι δὲ νεκρόν, *relinquentes cadauer*, videlicet Masistij. & in vita Periclis, προβαλεῖν ἀκήδευτα τὰ σώματα: *proijcere insepulta cadauera.*

[a] Prima fugit, domina amissa, leuis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas,
Disiectíque duces, desolatíque manipli
Tuta petunt, & equis auersi ad mœnia tendunt.
[b] Nec quisquam instantes Teucros, lethúmque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contrà.
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
Quadrupedúmque putrem cursu quatit vngula campum.
[c] Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis, & è speculis percussæ pectora matres
Femineum clamorem ad cœli sydera tollunt.
[d] Qui cursu portas primi irrupêre patentes,
Hos inimica super misto premit agmine turba.
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi expirant animas: pars claudere portas,
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: oritúrque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
[e] Exclusi ante oculos, lacrymantúmque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, vrgente ruina,
Voluitur: immissis pars cæca, & concita frænis
Arietat in portas, & dûros obiice postes.
[f] Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) vt vidêre Camillam,
Tela manu trepidæ iaciunt, ac robore duro
Stipitibus ferrum, sudibúsque imitantur obustis,
Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.

ARGVMENTVM.

Fit fuga Latinorum, Troianorum impressio, & passim cædes misera, quam magnis affectibus explicat Poëta.

EXPLICATIO.

[a] NVMERAT omnium fugam. Primò ait, fugisse auxiliares equites (nam hi sunt alarij) qui cum Camilla venerant. Causa, quia *amissa domina*: deinde Rutulos; causa, quia *turbati*, inter quos etiam Atinas, etiamsi *acer*. Tertiò, reliquos duces & signiferos, illi *disiecti*, hi *desolati*. In his est causa, & effectus: quia enim *disiecti duces*, ideo *manipli*, id est, signiferi *desolati*, id est, deserti, & relicti soli. Hi omnes *tuta* vrbis *petunt*, & equorum beneficio, vt Liu. loquitur, salutem quærunt.

[b] Ecce post fugam miseram Rutulorum exultantes Troianos. Instant isti victores, & lethum ferunt A iracundi, nemo Latinorum illos sustinet, nemini satis virium ad resistendum; adeò fortiter Troiani impressionem fecerunt. Quin omnia in Latinis erant imbecilla, nam membra languida, & arcus remissi: vnus tantùm equorum cursus intentus, quibus freti adspirabant ad salutem.

[c] Sequitur puluis, qui necessarius comes fugæ, & hic ita multus, vt caliginem & noctem referret. Augebant malum feminæ percussu pectorum, clamore vocum: è speculis enim cernebant suorum fugam. Itaque causa ingentis turbationis fuêre ipsimet Latini, qui sua fuga ciues terruerunt. Omnino B quod Plut. in vita Camilli ait, τοσοῦτον οἱ φεύγοντες ἐνειργάζοντο δεῖμα τοῖς ὑποδεχομένοις, καὶ τοσαύτης πάλιν ἐνεπίμπλαντο ταραχῆς καὶ παραφροσύνης: *Tanto pauore, qui ex fuga se receperant ad ciuitatem, repleuerunt vrbem* (Romam) *tanta eam incesserat perturbatio & stupor*, &c.

[d] Prosequitur Poëta circumstantias huius fugæ, & atrocem calamitatem, quæ comitata est fugam. Qui primi Latinorum ad vrbem fugerunt, etiamsi apertæ essent portæ ad receptum, non tamen ideo mortem vitarunt: nam ea hostium multitudo ingruit,

gruit, vt in ipso limine, in ipsis iam mœnibus, & adhuc in ipsis domibus, vbi tutos se fore putabant, occiderentur. Accidit aliud incommodum; nam Latini, ne hostes irrûperent, portas clausêre, quo factū est, vt etiam ipsi ciues excluderentur, vnde orta ingens cædes, & miserrima. Illud, *inq, arma ruentum*, etiam de Latinis accipe. Qui enim aditus defendebant, suos etiam feriebant ruentes ad receptum, ac proinde in suorum arma.

e Miserandum admodùm πάθος. Excludebantur multi ante oculos & ora suorum parentum: & vel præcipites voluebantur in fossas, vel cæci instar pecudum impingebant in portas magno equorum delati impetu; adeò remedia omnia salutis, etiamsi inania, imò cum exitio, dominante quærebant metu.

f Non defuit feminis, cùm viris deesset animus. Itaque cùm summum illud & extremum putarent esse certamen, è muris tela deuoluere, pugnare acriter, festinare omnia, mori pro patria, nihil non audere. Illud, *imitantur ferrum stipitibus, & sudibus obustis*, nihil est aliud, quàm ita igne extrema palorum fuisse obdurata, & præpilata, vt vsum etiam ferri præberent.

N O T Æ.

Duce cæso reliqui proteruntur. 1. PRIMA FVGIT DOMINA AMISSA, &c.] Ita verè est. Cæso enim duce milites reliqui pessumdantur, atteruntur, funduntur. Cornelius Cossus apud Liu. lib. 4. *terrore cæsi Regis hostes fundit*. Apud eundem lib. 6. *Suppressit impetum Romanorum vulnus Imperatoris App. Claudij*. & lib. 30. Romani hostes, postquam *auferri ex prælio propè exsanguem videre* (Magonem ducem) *extemplo in fugam omnes conuersi*. Iosephus lib. 1. Bell. Iud. c. 4. ait, pugnante validè & superstite Antiocho, milites quoque eius rem fortiter gessisse, cadente autem eo, omnes fugisse. Signata, quæ ad rem. πεσόντος δὲ ἐκκλίνουσι πάντες. Sed id notius, quàm vt egeat multa historiarum luce. Rem exemplo confirmat Polyb. lib. 3. καθάπερ γὰρ νεὼς ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸν κυβερνήτην, τὸ ὅλον αὐτανδρὶ σκάφος ὑποχείριον γίνεται τοῖς ἐχθροῖς. τὸν αὐτὸν τρόπον ἐὰν τὸν προεστῶτα ἐν πολέμῳ, &c. *Vt enim sublato gubernatore nauis vniuersa cum ipsis vectoribus in potestatem hostium venit: sic, vbi in bello ducem*, &c. Demum notentur verba Demosth. contra

Prouerbiū. Niciam, quæ sapiunt parœmiam. ἴστε δήπου τοῦθ' ὅτι τὸν ἡγεμόνα ἄν ἀφέλῃ τις, οἰχεται ὁ λοιπὸς χορός: *Scitis autem hoc vtique, si quis ducem sustulerit, reliquum chorum perire.*

Ala militaris. 2. LEVIS ALA.] Rectè *leuis*, nam ala ex equitibus constabat. Nam etiamsi aliquando ex peditibus, vt iam astruxit Lips. 2. de Mil. Rom. tamen primum illud frequentissimum. Veget. lib. 2. *Alæ dicuntur equitum, quod ad similitudinem alarum ab vtraque parte protegunt acies.*

Acer cur is, qui fugit. 3. FVGIT ACER ATINAS.] Quî *acer*, qui fugit? forsassis attributum refertur ad acrem & intentam fugam. Ad eum modum, quo Græci etiam de fuga dicunt ἐντόνως καὶ φύσλω ἐλαύνειν. Sed salua quoque est sententia, vt iam explicui.

Belli extremum discrimen quod Manipli. 4. DESOLATI.] His respondere Homericos οἰωθέντας Vrsin. notat. Rectè verò monet Seru. notari à Poëta extremum discrimen in *desolatis manipulis*, id est, signiferis. *Nam vbique dux præcipit, vt frequentes circa signa sint milites.* Aduocat hoc ex Sallustio.

5. MANIPLI.] Intelligi hic signiferos, quia sub Romulo pauper tunc Romanus exercitus hastas illigabat manipulis fœni, Seruius notat; atque ab eo alij.

6. AVERSI AD MOENIA TENDVNT.] Libet suspicari insertam in hoc tractu partem Romanæ historiæ. Qui enim Virgilium legerit, videbitur intueri fugam illam, qua Volsci in vrbem suam Coriolos abrepti sunt, quorum fugientium tergis hæsit Coriolanus cum ingenti cæde ad portas vsque. Lege Plut. cum præsertim apud Virg. dicantur principe loco fugisse Volsci. Romana historia repræsentata.

7. INSTANTES.] Vox militaris, cui directè oppositum verbum *cedo*. Sallust. Iugurth. *instanti cedere*. Itaque ille verè *instat*, cui alter fugiendo *cedit*. Exprimit verò Poëta quam Græci dicunt σύνδρομον δίωξιν. Oppositio.

8. LETHVMQVE FERENTES.] Quia in manibus ferrum, à quo lethum. Clarius libro septimo: *Bella manu, lethúmque gero.* & Stat. lib. 7. *ferrum, ignémque ferens.* Ferre lethū, cur.

9. QVADRVPEDVMQVE PVTREM.] Vide, quæ lib. 8. ad illud, *quadrupedante putrem*.

10. CVRSV QVATIT VNGVLA CAMPVM.] Clarè ab Enn. qui 6. Ann. Quatit vngula campū.

Explorant Numidæ, totam quatit vngula terram.

Et lib. 8.

Consequitur, summo sonitu quatit vngula terram.

Et adhuc lib. 17.

It eques, & plausu caua concutit vngula terram,

Iam ab his alij. Ouid. Eleg. 10. lib. 3. Trist. *vngula pulsat equi*. Stat. 6. Theb. *ferit grauis vngula campum*. Ouid. in Halieuticis,

Compescatq; solum generoso concita pulsu
Vngula. ———

Fortasse Latini omnes ab Hesiodo, qui in Scuto,

——— χθὼν δ' ἐκτύπεεν ὠκέες ἵπποι
Νύσσοντες χηλῇσιν ———
———*Terram verberabant veloces equi*
Pungentes vngulis. ———

Cui annecte Pind. qui Od. 4. Pyth. à pulsu equinorum pedum dixit ἱππόκροτος ὁδὸς. & eundem Hesiod. qui καναχηδὰ ἵπποι omnia ab hoc strepitu. & Sophoclem, qui Elect. de eodem strepitu, κτυπεῖ κροτητῶν ἁρμάτων. & Euripidem, qui in Helen. ἱππόκροτα δάπεδα, *sola pulsata equinis vngulis*. & Homer. qui 17. Iliad. κτύπον ἵππων. Ab eodem 6. Iliad. equus inducitur κροαίνων. Cyrillus Alexandrinus Comment. in Nahum n. 27. loquens de apparatu belli, ἱπποκροτουμένην μὲν τὴν πόλιν, & τοῖς τροχοῖς τῶν ἁρμάτων καταπτυπουμένην: *vrbem equorum vngulis pulsatam, & currruum rotis perstrepentem.* Nonnus lib. 41. ἐπίφυλον πέδον ὁπλῇ ἵππος ἀνεκρόταλιζε: *plaudebat equus lacerans solum vngula.*

11. CALIGINE TVRBIDVS ATRA.] Ita ab Homero lib. 5. Iliad. ἐρεβεννὸς ἀὴρ, *caliginosus aër*. & Hesiod. Theog. ζόφου ἠερόεντος: *obscuræ caliginis*. Polyb. lib. 3. ita de hac caligine, συννεφοῦς τῆς κατὰ τὸν ἀέρα διαστάσεως ὑπαρχούσης. Ammianus lib. 20. *Offunditur densioribus tenebris cœlum, vt crassato aere, ne proxima quidem, & apposita cernere queamus.* Et nota ab exorto puluere indicari malum imminens, totámque irrumpentem aciē contra muros. Æschyl. in Suppl. κόνιν, id est, *puluerem*, vocat ἄγγελον στρατοῦ, *nuntium exercitus*, hincque ἄναυδον, *mutum*. Et esse quidem puluerem ἄγγελον Senec. epist. 123. indicat, cùm ait: *Qui honestum hominem venire magno puluere ostendant*. Sæpe adhuc inter stratagemata excitatio pulueris, videlicet ad ostentandas maiores copias; adeò hæc hostilis aciei nota. Apud Liu. lib. 10. leges: *Ex transuerso puluis, velut ingentis agminis* Puluis excitatus.

minis incessu motum apparuit. & statim: *Puluerem maiorem, quam pro numero excitabant. Insidentes mulis calones frondosos ramos per terram trahebant.* A

12. PERCVSSÆ PECTORA.] Græcanicum, nec solùm poëticum, sed aliorum. Nam Agath. lib. 1. Hist. πολλοῖς ἀκοντίοις τὰ στέρνα βληθεὶς: *ceciderunt percussi pectora multis iaculis.* Sed huius syntaxeos plenissimi omnes Græci. Et *pectora* dixit modestissimè, cùm tamen *mammas* indicet. Artemid. lib. 1. c. 43. de feminis loquens. αὗται γὰρ ἐν πένθει καὶ τοὺς μαζοὺς λακερίζουσι: *hæ in luctu mammas dilaniant.*

Pectus pro mammis.

13. FEMINEVM CLAMOREM.] Seru. explicat non malè *impatientem clamorem.* De qua vocis notione iam ego latè loco alio. Ceterùm ab hac vna re augeri clades solent. Fit enim vti ex feminarum clamoribus res tota appareat esse tragica & lamentabilis. Aduoco locum nuper adducti scriptoris, ex libro 1. Hist. & Latina tantùm. *Ingens ploratus est exortus, crebrique eiulatus, & lamentabiles voces longè latèque exaudiebantur. Mulieres etiam multæ vnguibus dilaniatæ, stolisque discerptis per propugnacula discurrebant, siue matres eorum, qui necati putabantur, siue sponsæ, siue quacunque alia ratione hoc illis tangeret.* B

Feminæ plebratu suo omnia reddunt tragica.

14. MISTO PREMIT AGMINE TVRBA.] Videlicet à se ipsis premebantur. quod genus cladis expertus Nicias apud Plut. συμπεσόντες ὑπ' ἀλλήλων ἀπώλλυντο. Idem in Catone Maiore ait, φόβῳ πληγῆς, καὶ σιδήρου πολεμίων αὐτοὺς διέφθειρον: *Dum vulnera, & ferrum hostile timent, semet ipsi affligebant.* Ita & de fuga Romanorum ad Trasimenum lacum Liu. lib. 22. *Per omnia arcta, præruptáque velut cæci euadunt, armáque & viri super alium, alij præcipitantur.* & lib. 34. in re simili: *Caeduntur in portis suomet ipsi agmine in arcto hærentes.* Quæ ex Plutarcho, & Liuio adduxi, explicant omnino rem Maronis. C

Similitudo historiæ.

15. SED LIMINE IN IPSO, &c.] In toto hoc tractu, vt vides, habetur pugna acerrima facta ad ipsas vrbis portas. Dicas penè *Antarium bellum*; quod hoc sit, vide in Festo. Cùm verò multi putent Romanas historias repræsentatas sæpe ab hoc Vate, putauerim hîc posse adludi ad nobilem illam pugnam, quæ facta *sub ipsa porta Capuæ,* quam habes apud Liu. lib. 26. Talem cladem in ipso vrbis aditu & limine, ἐπὶ τῶν ἐμβολῶν τῆς πόλεως, dicit Iosephus lib. 1. Bell. Iud. cap. 10. & Polyb. lib. 3. πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει.

Antarium bellum. Romana historia repræsentata.

16. NEC SOCIIS APERIRE VIAM, &c.] Exsurgit hinc magna conquestio. Itaque cùm perlustrauerit Virgilius Hom. locum Iliad. 12. tamen addidit affectus, quibus ille caret: ille enim tantùm, D

Imitatio.

——— πύλας

Εὗρ' ἐπικεκλιμένας σανίδας, καὶ μακρὸν ὀχῆα.
Ἀλλ' ἀναπεπταμένας ἔχον ἀνέρες, εἴ τιν' ἑταίρων
Ἐκ πολέμου φεύγοντα σαώσειαν μετὰ νῆας:

——— *neque portis*
Inuenit acclinatas tabulas, & longum vectem.
Sed apertas tenebant viri, si quem socium
E bello fugientem saluum perducerent ad naues.

Longè ab hoc est, claudi socij portas, excludi mœnibus, & ante parentum lacrymas, & in ipso salutis remedio nullum esse remedium. Affectum hunc Iosephus excitat lib. 1. Bell. Iud. c. 14. cùm ait, eos, qui fugiunt à suis etiam conculcari & pessumdari. Verba eius. πολλοὶ δ' ὑπὸ τῶν ἑαυτῶν συμπατηθέντες διεφθάρησαν. E

Homerum superat Virgilius.

17. ANTE OCVLOS.] Est hæc maior adhuc conquestionis occasio. vbi enim ad dolorem accedunt testes oculi, quid ampliùs quæras? Tractaui hunc locum prima Æneide, & hîc adijcio Soph. qui in Elect.

Oculi augent dolorem.

Ἄγετε τὸ μῖσος, ὡς ἂν ὄμμασιν αὐτίκα
Παρὼν θάνῃ τῷ νυμφίῳ:
Abducite istam odiosam, vt ob oculos
Coram sponso moriatur.

Ab hoc loco notat Iosephus libro primo Belli Iudaici capite tertio crudelitatem Demetrij, qui γυναῖκας τε, καὶ τέκνα αὐτῶν ἀπέσφαξε ταῖς ὄψεσι: *mulieres & liberos necauit ante oculos illorum* parentum. & Homerus Odyss. duodecima conquestionem affectùmque Vlyssis, qui de abreptis à Scylla comitibus, ἐμοῖς ἴδον ὀφθαλμοῖσι, *meis vidi oculis.* Quintilianus etiam Declamatione ducentesima septuagesima, *Casos laceratósque, ac laqueo inmentes* (vultus filiæ) *pater vidi.* Hoc affectu Iocasta apud Statium libro vndecimo vocat felicem Oedipum, quia cæcus non viderit stragem filiorum. & se infelicem, quòd videat. Itaque de illo, *ô diri coniugis olim felices tenebræ.* & de se, *datis improba lumina pœnas.* Amphitryo apud Euripidem in Hercule vult interfici ante liberos, ne videat oculis τέκνα ψυχορραγοῦντα, *filios efflantes spiritum.* Ibidem Hercules, τίν' ὄψιν τήνδε δέρκομαι τάλας, *quale spectaculum video miser!* & in Supplicibus ait nullum esse maius malum,

Ἢ τέκνα λεύσσειν ἐνθάδε,
Quàm cernere liberos mortuos.

Hæc res, si non aliæ, quæ multæ fuerunt, deturparet satis proscriptionem Syllanam, πρὸς γυναιξὶ γαμεταῖς ἄνδρες ἐσφάττοντο, καὶ πρὸς μητράσι παῖδες, ait Plutarchus: *Ante coniuges viri, ante matres filij iugulabantur.* Vide eundem Plut. in vita Demosthenis in ipso exitu.

18. ARIETAT IN PORTAS.] Explica, aut pulsat, aut obnititur. Primum à Plauto, qui Trucul. Arietare.

Quis ille est, qui tam proteruè nostras ædes arietat?

& ab Attio, qui apud Tullium libro primo Diuinat. *connititur in me arietare.* Alterum etiam à Plauto, qui Captiuit. *humerus mihi est aries*, videlicet, quo obnitar ad impressionem. Vnde ducatur locutio nemo ignorat.

19. IPSÆ DE MVRIS MATRES, &c.] Pari audacia apud Sallustium Iugurth. *Ad hoc mulieres puerique pro tectis ædificiorum saxa, & alia, quæ locus prabebat, certatim mittere.* Lege Platonem libro septimo Legum, vbi tractat, vti debeant feminæ pugnare. Plutarchus in vita Pyrrhi narrat, quam operam in bello ediderint Spartanæ mulieres & virgines. Nazianzenus Oratione vigesima; οὐδὲ γυναῖκες ἄοπλοι τηνικαῦτα τῷ καιρῷ θήγοιτο, μάλιστα δ' ἦσαν αὐταῖς αἱ κεραμίδες: *Nec mulieres quidem tunc inermes erant, radij erant ipsis hastarum loco.* Feminæ pugnant pro patria.

20. MONSTRAT.] Cur hoc verbum præ alio? An quia pro monstro est, feminis suppetere animum, cùm deesset viris? an simpliciter pro quouis alio verbo? vt velis. Monstro.

21. TELA MANV TREPIDÆ IACIVNT.] Expendit Scaliger libro tertio Poëtic. cap. 14. verbum *trepidæ.* Iaciunt tela, sed *trepidæ*, vt intelligas naturam pugnare cum necessitate, qua adductæ volunt mori pro mœnibus. Possunt etiam esse *trepidæ*, festinabundæ. Trepidus.

22. MORI PRO MOENIBVS AVDENT.] Iulius Scaliger legit *ardent.* Sed pro vulgata lectione est Eurip. qui Supp. ad verbum, πρὸ πύργων τλήσεται θανεῖν: *pro turribus audere mori.* Lectio Virgiliana.

ᵃ Interea Turnum in ſyluis ſæuiſſimus implet
Nuntius,& iuueni ingentem fert Acca tumultum.
ᵇ Deletas Volſcorum acies,ceciditſſe Camillam;
Ingruere infenſos hoſtes,& Marte ſecundo
Omnia corripuiſſe; metum iam ad mœnia ferri.
ᶜ Ille furens,nam ſæua Iouis ſic Numina poſcunt,
Deſerit obſeſſos colles,nemora aſpera linquit.
ᵈ Vix è conſpectu exierat,campúmque tenebat,
Cùm pater Æneas ſaltus ingreſſus apertos,
Exſuperátque iugum,ſyluáque euadit opaca.
ᵉ Sic ambo ad muros rapidi,totóque feruntur
Agmine,nec longis inter ſe paſſibus abſunt.
ᶠ Ac ſimul Æneas fumantes puluere campos
Proſpexit longè,Laurentiaq; agmina vidit:
Et ſæuum Ænean agnouit Turnus in armis,
Aduentumq; pedum,flatuſq; audiuit equorum:
ᵍ Continuóque ineant pugnas,& prælia tentent:
Ni roſeus feſſos iam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos,noctemq; die labente reducat.
Conſidunt caſtris ante vrbem,& mœnia vallant.

ARGVMENTVM.

Audit ab Acca Turnus ſuorum cladem, inſidias deſerit,ad vrbem tendit, Æneas poſt illum, datúrque libro exitus.

EXPLICATIO.

ᵃ MANDAVERAT Accæ Camilla,vt cladis nuntium ad Turnum perferret,qui in ſyluis erat in inſidiis contra Ænean. Vide verò vti ad horrorem narret hoc Poëta.Turnus enim non accipit,aut audit nuntium,quæ verba obuia, ſed *impletur nuntio*, & hoc ſæuiſſimo: accipit *tumultum*,& hunc *ingentem*.

ᵇ En,cur nuntius ſæuiſſimus. Quid enim ſæuius audire potuit,quàm *deletas Volſcorum acies?* & creſcit malum,cùm additur *cecidiſſe Camillam*.Sed dirius adhuc eſt,quod ſequitur,iam mœnia inuadi, vbi Rex Latinus,vbi Amata,vbi ipſa Lauinia, quippe hoſtes infenſi, & ſecundo Marte omnia protererentes illuc aduolabant.

ᶜ Cur *furens*? quia ſæuiente Ioue cogitur inſidias relinquere.Itaque duplex furoris cauſa:prima,elabi Ænean ab inſidiis:altera,pugnare in eum Iouem.

ᵈ Ecce, vt Dij Ænean ſeruauerint, nam vix Turnus exierat locum inſidiarum, cùm Æneas illac iter tutus habuit ſuperato iugo collium, & relicta ſylua.

ᵉ Hinc factum,vt ambo pariter contenderent ad muros,Turnus tutandos,Æneas diruendos.

ᶠ Nouit ſtatim Æneas hoſtem ſuum, Turnus ſuum: ille ab excitato, & fumante puluere; hic ab ſtrepitu pedum,& equorum flatibus.Quaſi dicat:Ille oculis,hic auribus hoſtem ſuum vterque agnouit. Nota mirificè dici *flatus equorum* pro hinnitibus, hos

A enim audiuit.

ᵍ Diremit nox prælium:nam aliter continuò, vt venerant, pugnam iniuiſſent. Vterque ergo in armis conſedit ante vrbem circumuallatis mœnibus.

NOTÆ.

1. IMPLET NVNTIVS.] Phraſis hæc priùs dicta eſt Demoſtheni epiſt.6. ἁπάσας τὰς ἐν Πελοποννήσῳ πόλεις τοιούτων λόγων ἐνέπλησαν: *Omnes Peloponneſi vrbes his ſermonibus impleuerunt*.Non abit forma alia,qua Græci vtuntur,in his Liban.in orat. Vlyſſis ad Troianos, θορύβου ἐκκλησίαν πληρώσαντες, *implentes concionem tumultu*. vbi ſermo eſt de verbis, quibus excitatur tumul-B tus. Statius ab Noſtro 4.Theb. *impleras nuntius aures*. Cùm ait, *ſæuiſſimus nuntius*, eſt, quod lib. 8. *grauior ne nuntius aures Vulneret*. Ioſephus lib.1.Bell.Iud.cap.11. dixit, ἄγγελοι τῆς συμφορᾶς, *nuntij calamitatis*. Sen. epiſt. 99. *nuntius perculit*. Impleo, de nuntio.

2. DELETAS VOLSCORVM ACIES,&c.] Hæc mandati breuitas,& in rebus acciſis,reuocat mihi in animum illam Xenophont.lib.1.ἑλλ.vbi in ſimili clade. ἔρρει τὰ καλά, Μίνδαρος δ' ἀπέσσυται, πεινῶντι τὤνδρες, ἀπορέομες τί χρὴ δρᾶν: *Actum eſt de rebus noſtris præclaris, Mindarus cecidit, eſuriunt milites. inopia conſilij laboramus*. Tam Maro, quàm Xenophon breuiſſimè, calamitatis articulo conſiderato. O quoties Home- rus dilabitur abutens & tempore, & rebus in ſimil-C limis mandatis, cùm exercitus aut Græcorum, aut Troianorum premitur ſimili clade! Aſſiduus eius Lector hoc facilè deprehendet. Porrò verba Xenophontis Plutarchus arripuit in vita Alcibiad. Pulcherrimè dixit Eurip.in Oreſte, ὁ μῦθος δ' οὐ μακρὸς μακρῶν πέρι: *non eſt ſermo magnus in rebus magnis*. Ait videlicet, breuiter dicendum, cùm res ſunt in arcto. Hæc eſt mens Tragici, vt adeunti apparebit. Mandati breuitas. Homeri vitium. Sermo magnus non eſt in rebus magnis.

3. INGRVERE INFENSOS HOSTES,&c.] Videtur

mihi

mihi Poëta loqui cum animo vel ad ignem ingruentem, corripientémque omnia, vel ad fluuium grassantem, deuastantémque. Poëtæ alij sibi non satisfaciunt, nisi expressè comparationes adducant: vnus Virgilius tacitè illas insinuat. Annon, obsecro Troianis, qui hic inducuntur ingruentes infensi, corripientes omnia, ferentes metum ad mœnia, aptari possent versus illi 2. Æneidos?

Comparationes non semper adhibendæ.

In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, &c. ———

Est hæc maxima poëseos virtus, & nulli Poëtarum animaduersa. Sic lib. 6. audis,

———*penitúsque necesse est.*
Multa diu concreta modis inolescere miris.

vbi totus sermo tendit ad insitiones arborum, vt iam explicui alio loco libri huius vndecimi. Cùm libro 4. audis,

Quæ luctantem animam, nexósque resolueret artus.

omnia petuntur ab athletis, *luctatio, nexus, resolutio,* tacito athletarum nomine. Sic statim vbi legis, *fumantes puluere campos*, intellige puluerem comparari ad fumi nebulam: & cùm subiicit,

Continuóque ineant pugnas, & prælia tentent,

videor cernere tauros duos volentes inire pugnas, tentare prælia. Cùm ait alibi,

Corruit in vulnus, sonitum super arma dedêre,

quis non videt cadentem arborem? Sic expende mihi illud Apul. lib. 5. vbi ille ita loquitur ad Venerem de filio Cupidine: *An quòd ætatẽ portat bellulè, propterea tibi semper puer videtur?* vbi loquitur cum respectu ad vinum, quod ferre & portare ætatem dicitur, cùm vetustate non euanescit.

Portare ætatẽ, de vino.

4. NAM SÆVA IOVIS SIC NVMINA POSCVNT.] Expressum illud primæ Iliados, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. vbi δὲ pro, γὰρ ex interpretibus notat Vrsinus. & sic Virg. *nam.* Sententiam similem reperi in Epigramm. quod est apud Demosth. de Corona, ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἦδε τέλος.

Iouis potestas.

5. CAMPVMQVE TENEBAT.] Nescio an satis ceperit vulgaris Lector. Campus dicitur de æqua planicie, & cum oppositione ad colles. Vnde vinum *campestre*, & *collinum* directè opponuntur auctoribus Rei Rusticæ, quod iam in Georg. Ergo, cùm Turnus dicitur deseruisse colles, & campũ tenuisse, perinde est, ac descendisse è vertice in planum. Sic lib. 9. *non æquo dare se campo.* vbi *æquus campus* est planus, vtique æquor. Hæc loca τόπους ἱππάσιμους vocat Polyb. libr. 3. & idem simpliciter τὰ ἱππάσιμα. Quin si etymon campi consideres, nullum aliud, quàm planicies, vbi se equi exercent, flectúntque in omnem partem, ἀπὸ τοῦ καμπτῆναι. Hesychius ait, *hippodromum*, & *campum* sibi respondere. Sic *campsa*, & *campsare*, vbi erat equorum flexus.

Campus in bello de qua re.

Campi etymon.

Campsa.

6. APERTOS.] Explica, liberos iam insidiis. Itaque opponuntur *aperta*, & *obsessa* loca, aut *insidiosa*. Sic opponit Ioseph. lib. 1. Bel. Iud. c. 12. φανερῶς συμπλεκόμενοι, & λοχῶντες, loquens de his, qui se impetunt, aut aperto, aut insidioso bello.

Oppositio.

7. SIC AMBO AD MVROS, &c.] Plutar. in vita Timoleontis. καὶ πως ἀπ' αὐτομάτου συνέτυχε, σπευδόντων ἀμφοτέρων, ὥς ἵνα καιρὸν ἀμφοτέροις γενέσθαι τῆς παρουσίας: *Accidit autem forte fortuna, dum pro se maturat vterque, vt sub idem tempus adessent ambo.*

Similitudo historiæ.

8. AT SIMVL ÆNEAS FVMANTES PVLVERE CAMPOS.] Simile indicium aduentantium hostium apud Liu. lib. 21. *Densior deinde incessu tot hominum, equorúmque oriens puluis signum propinquantium hostium fuit.* Similiter in Enn. 8. Ann,

Iamque ferè puluis ad cœlum vasta videtur.

Imò, iam *puluis* pro campo militari, vt in Horat. *puluere Troico.* & in Val. lib. 2. *puluere pugnæ.*

Puluis pro campo militari.

9. FVMANTES.] Vt hîc *fumus* in re pulueris, ita Eurip. Troad. κόνις δ' ἴσα καπνῷ. vbi puluerem fumo comparat. & Val. Flacc. lib. 6. *atróque in puluere.* Calab. lib. 4.

Fumus, de puluere.

πουλὺς δ' αἰθέρ' ἵκανε κονίσαλος ἐκ πεδίοιο
Καπνῷ ἢ ὀμίχλῃ ἐναλίγκιος: ———

Multùm autem pulueris in sublime ferebatur
Fumo aut nebulæ similis. ———

10. SÆVVM ÆNEAN.] Fortem explicant Seru. Gifan. Tuneb. alij.

Sæuus pro forti.

11. ADVENTVMQVE PEDVM.] Ad hunc versum adiungit Hieronym. Colum. illum Enn. in Thyeste,

Imitatio.

Sed sonitus aures meas pedum pulsu increpat.

Et Lucretium, qui lib. 2.

———*subterq; virûm vi*
Excutitur pedibus sonitus. ———

Suprà:

Aduentúsque virûm, fremitúsque ardescit equorum.

12. CONTINVOQVE INEANT PVGNAS, &c.] Cùm sententia sit, diremptam pugnam à superueniente nocte, pertinet huc illud Hom. lib. 7. Iliad. vbi Idæus præco,

Nox pugnas diremit.

Νὺξ δ' ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι:
Nox iam adest, bonum autem nocti parere.

Et lib. 18.

Νῦν μὲν νὺξ ἀπέπαυσε ποδώκεα Πηλείωνα:
Nunc quidem nox cessare fecit velocem Pelidem.

Eodem adhuc libro,

Ἠέλιος μὲν ἔδυ, παύσαντο δὲ δῖοι Ἀχαιοὶ
Φυλόπιδος κρατερῆς, καὶ ὁμοιίου πολέμοιο:
Sol occidit, & cessabant diuini Achiui
A forti conflictu, & bello simili.

Calab. lib. 10.

———τῶ γάρ ῥα κυδοιμοῦ
Νὺξ ἀπέπαυσε μέλαινα: ———
———*à prælio enim*
Nox nigra auocauit. ———

Nonn. lib. 24. Dionys.

Ἤδη δ' ἀχλυόεσσα τίταται ζόφος. ἀγχιφανὴς δὲ
Δῆριν ἀναστέλλων ἀμαρύσσεται ἕσπερος ἀστήρ:
Iam caliginosa extenditur nox, propè verò apparens
Pugnam reprimens fulget Hesperus stella.

Plaut. Amphit.

Sed prælium id tandem nox diremit interuentu suo.

Mitto Ennium, Silium, Lucanum, quos alij iam ad rem eandem composuêre, & in quos ego incideram: & profero loca aliqua Romanæ historiæ. Sic Sabini, & Romani: Romulus, & Tatius dirempti sunt prælio nocte aduentante, vti narrat Dionys. libro 2. Idem successus narratur in bello, quod habuit Romulus cum Veientibus. Id creberrimum in historia Liu. libris 3. 21. 27. in historia Iugurthina Sallust. Adduxi has historias ex gustu illorum, qui putant sæpe Virg. allusisse ad res Romani Populi. Id si est verum, fortasse in hoc peculiari successu spectauit ad historiam Marcelli, & Annibalis, de qua Liu. lib. 27. *Cùm iam nox instaret, Marte æquo discessum est, castra exiguo distantia spatio raptim ante noctem permunita.* Nam Virgil. *nec longis inter se passibus absunt.*

Romana historia repræsentata.

13. INEANT PVGNAS.] Rectè monet Germ. dictum *ineant*, & *tentent*, pro, iniuissent, & tentassent, ex Græcorum, & Hom. imprimis imitatione. Sic lib. vlt. Odyss. καί νύ κ' ἔπεφνον, καὶ θῆκαν ἀνόστους, pro, ἔπεφνον ἄν.

Ineant, pro, iniuissent.

14. PVGNAS, ET PRÆLIA.] Est hoc, quod Hom. sæpe; μάχη, πόλεμος. Il. &c. πολεμίζειν, καὶ μάχεσθαι. & Lucret.

Pugna, prælium.

Et

Et velut æternò certamine prælia, pugnásque
Edere turmatim certantia.———

Roseus, de Sole. 15. Roseus Phoebus.] Ita ludunt Poëtæ. Lucret. lib. 5.

Dum rosea face Sol inferret lumina mundo.

Prudent. lib. 5. in Symmach. rosis vestit rotas adhuc, & lora Solis,

Immotásque rotas, & flecti nescia lora
Aut ornat redimita rosis, &c.———

De Lucifero, Aurora, Iride, Venere, stellis aliis id tritum.

Locorum similitudo. 16. Fessos iam gurgite Phoebus Ibero, &c.] Arripuit Sen. in Thyeste,

———*nescit fessos*
Tingere currus, nec fumantes
Sudore iubas mergere ponto.

Quem in locum Hispanorum fabulas iam Noster A Delrius commeminit, qui affirmabant Solem in extrema Hispania occidere in mari, cum magno strepitu, veluti candēti ferro in aquā immerso. Cuius rei aduocat auctores Cleomedem lib. 2. & Possidonium apud Strabon. lib. 1. quò putandus allusisse Auson. epist. ad Paulinum, Hispanorū antiquorum fabula.

Stridebatq́, freto Titan insignis Ibero.

Procedunt hæc ex duplici veterum ignoratione: prima, qua putabant Solem esse ignitum ferrum, aut lapidem flamma succensum: altera, qua credebant Solem quotidie mori in mari, & eum, qui postero die visebatur, diuersum esse Solem. de qua re ego iam alibi. Solis fabulę.

17. Noctemque die labente reducat.] Contraria sententia Eurip. in Rhes. ἡμέρας μεσαία φάος. &, νὺξ ἀμειψητική φάος. Oppositio.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

P. VIR

P. VIRGILII MARONIS ÆNEIDOS LIBER XII.

ARGVMENTVM.

CONIICIVNT *Latini culpam in Turnum rei malè gestæ, ille ardet & furit, pôscitque ab Rege singulare certamen cum Ænea, resistitque monitis tam Regis, quàm Amatæ, ac visa tum temporis Lauinia ardentiùs furit, mittitque ad Ænean Idmonem, qui nuntiet singularem congressum, itque ad domum, vbi armatur: idem Æneas facit. Interponitur Iuno monens Juturnam, vt fratris saluti consulat. Procedunt ad fœdus, quod ante singulare certamen solet feriri, inde Latinus & Turnus, hinc Æneas & Ascanius, iurant Reges, mactantur hostiæ, Iuturna dolos nectit pro fratre, turbantur omnia. Primus Tolumnius hastam iacit in Troianos, principium pugnæ. Ab hoc initio sæuitum deinde in bello acriter commistis phalangibus, fugit in vrbem Latinus, & tolluntur raptim, quæ parata ad sacra. In ipso statim initio Æneas vulneratur, cedit acie, Turnus animos capit, volitat, proterit, necat multos mortalium. Laboratur interim in curando Ænea, sed nihil ars proficit, & tamen diuina Veneris ope saluti redditur, reditque ad bellum: Latini cæduntur, & fugiunt, sed ille vni intendit Turno, quem cùm non possit seruante Iuturna assequi, obuios quosque trucidat, vt etiam seorsim Turnus, donec integræ acies commiscentur. Adhibetur noua ineundi belli deliberatio, iubente Ænea, vt vrbs diruatur, quæ multipliciter oppugnatur. In hoc rerum articulo Amata sibi exitium suspendio facit, quæ calamitas mirum in modum omnia turbat, hanc ab nuntio Turnus accipit, ac statim decernit cum Ænea congredi, illum vocat ad singulare certamen, audit & adest Æneas, incipitur congressus coniectis hastis, dein cominùs nudatis gladiis, sed frangitur Turni gladius, & hæret Æneæ hasta, arma vterque recuperat diuina ope, redeúntque ad certamen. Hoc dum geritur, Iuppiter Iunonem hortatur desinat à fauentia Turni, paret illa, tantùm petens, vt Latij nomen, Albæ, & Romæ perpetuum in Italia sit, abolito Troianorum: annuit Juppiier, ac læta discedit Iuno. Hoc facto, vt inde quoque Iuturnam depellat Iuppiter vnam è Furiis mittit conuersam in noctuam, agnoscit Iuturna diram volucrem, ac proinde Iouis voluntatem, disceditque ab acie. Redeunt statim Æneas & Turnus ad certamen, in quo Turnus vincitur, atque eius morte clauditur illustrissimum opus Æneidos.*

TVrnus vt infractos aduerso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis, vltrò implacabilis ardet,
Attollítque animos. [b] Pœnorum qualis in aruis
Saucius ille graui venantum vulnere pectus,
Tum demum mouet arma leo: gaudetq; comantes
Excutiens ceruice toros, fixúmque latronis

Impa

Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
[c] Tum sic affatur Regem, atque ita turbidus infit.
Nulla mora in Turno, nihil est quod dicta retractent.
Ignaui Æneadæ, nec, quæ pepigêre, recusent.
Congredior. fer sacra pater, & concipe fœdus.
[d] Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ (sedeant, specténtque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lauinia coniux.

ARGVMENTVM.

Coniiciunt Latini culpam in Turnum rei malè gestæ, ille ardet, & furit, vt solet percussus leo, posčitq; ab Rege singulare certamen cum Ænea.

EXPLICATIO.

[a] TRIPLEX causa ardoris, & iracundiæ Turni. Prima, Latinos defecisse, vt qui iam tot bellis fracti essent. Altera, quæ efficacior, reposci à se promissa, id est, singularem cum Ænea congressum. Tertia, quæ efficacissima, se omnium *oculis signari*, vt imbellem, & non audentem cum Ænea congredi. Hinc ergo ardor implacabilis, & ira supra modum.

[b] Comparatio apta ab leone, qui non solùm saucius est vulnere, sed etiam gestat fixum telum. Quid ille tunc? *Mouet arma, toros excutit, telum frangit impauidus, fremit cruento ore.* Talis Turni ira.

[c] Eadem, qua reliquos, ira Regem adit, docétque, velle se congredi cum Ænea singulari certamine, nullam in se esse moram, nihil valituram ignauiam Troianorum, qui id recusabant. Studiosè hæc pro se Turnus, nihil enim recusabant Troiani, suo freti duce, sed hoc illis Turnus appingit & affingit. Pergit Turnus hortans Regem & compellans, vt ferat sacra, & fœdus concipiat solemni verborum forma.

[d] Ingens pollicitatio. *dextra hac.* δεικτικῶς. *mittam sub Tartara*, locum inferni profundissimum: eò enim necesse erat ire *desertorem*, id est, fugacem hominem ac prædonem: & *Asiæ*, id est, imbellem planè & effeminatum; nam tales Asiatici. Quòd si id non fecero, *habeat victos*, ducat Lauiniam. Quid Latini? *sedeant, specténtque* rem planè tragicam tamquam è theatro aliquo: ego enim *solus refellam crimen*, non verbis, vt refelli in foro solent crimina: sed *ferro*, vt in bello.

NOTÆ.

1. INFRACTOS.] Seruius explicat inuictos, nã efficacius: vt qui antea semper inuicti & ἀήττητοι fuissent, iam tandem aduerso Marte deficiant. Nolui hoc: nam nemo ita vsurpat Latinorum, apud quos *infracti* sunt verè fracti ac victi. Seneca de Breuit. vitæ cap. 5. *infractam ætatem* Augusti vocat, cùm ille agebat annum circiter quinquagesimum octauum. & epist. 90. *molléisque canius & infractos.* Valer. lib. 4. cap. 7. *infractæ fortunæ homines magis amicorum studia desiderant*, id est, (Infracti, qui.)

A accisæ & perditæ fortunæ homines. Liuius lib. 38. *oratio submissa, & infracta.* Sulpit. lib. 2. sacr. Hist. *Partium vires amisso duce infractæ.* Quin Virgilius ipse semper hanc vocem eodem significato accipit. Nullum hactenus testimonium inueni, quo *infractum* accipi queat pro valido & forti. Nam illud Plinij cap. 50. lib. 8. loquentis de capris, quo Grammatici opinionem hanc firmant, *mares quam maximè simos, longis auriculis, infractisque armis quàm villosissimos probant*, sciant esse corruptum. nam in nupera editione Dalechãp. ita legitur: *Mares quam maximè simos, longis auriculis infractis, armísque villosissimis probant.* vbi *infractæ auriculæ*, sunt deciduæ, & flaccidæ. Qui illud Liuij lib. 7. post medium, *adeò infractos gereret animos, vt se ipse, suaque omnia potestatis alienæ faceret*, explicant fortes &

B validos, verè falsi sunt, & verba Liuij tantùm egent Lectore. Ergo Poëta idẽ ait quod Quintil. Declam. 317. *fractis militum armis, & inclinata in posterum iam spe.* & quod Soph. in Antig. θραυσθέντα, καὶ ῥαγέντα: *contritum, & fractum.* & quod Plutarc in Nicia. ὑπερπονοῦντας τῷ πολέμῳ, καὶ βαρυνομένους: *fatiscentes & grauatos bello.* Sed cùm multi in hac voce peccent, tum præsertim Cruserius Plutarchi interpres, vt cùm in vita Catonis Vticensis ἰσχυρὸν reddit *infractum*, & alibi. Interpres etiam Nonni lib. 21. ἑρκίων ὀχ' ἀρρήκτων, malè reddit, *aggeribus infractis.* Nemo mihi Tacitum obtrudat, qui 4. Ann. cap. 7. *infracto animo.* quo loci rigorem videtur notare. Nam vel trahendus ad significatum meum, & verè trahi potest: vel eleuandus.

C 2. SVA NVNC PROMISSA REPOSCI.] Plutarch. in Artox. ποῦ νῦν αἱ πίστεις ἐκεῖναι; ποῦ αἱ δεήσεις, αἷς πολέμῳ καὶ κακοῖς ἐνεπέπληκας ἡμᾶς; *vbi nunc sunt tuæ illæ promissiones? vbi obsecrationes, quibus bello nos & malis immersisti?* (Similitudo historiæ.)

3. SE SIGNARI OCVLIS.] Id in contumeliam, quasi notaretur. Ad quem modum Seneca controu. 8. *Quotiescumque tumultus aliquis exortus est, in me ciuium diriguntur oculi.* & Sen. Philosophus 3. Benef. cap. 17. *Pœna est, quòd omnium designatur oculis, aut designari se indicat.* infrà in hoc lib. *in te ora Latini, in te oculos referunt.* Et Tertullian. cap. 4. de Pall. in re omnino contumeliosa dixit, *& acie figere, & digito destinare, & nutu tradere.* Ibidem postea, *vrges oculis*, id est, notas ad infamiam. Hoc affectu dixit Demosthenes ora- (Oculis signari)

D tione 3. in Philipp. μέλλομεν, καὶ μαλακιζόμεθα, καὶ πρὸς τοὺς πλησίον βλέπομεν ἀπιστοῦντες ἀλλήλοις: *Cunctamur & effeminati sumus, & ad proximos respicimus, alius alij diffidentes.* Nescio verò ad hîc cum Budæo possim capere verbum ἀποβλέπω, cui ait respondere istud Virgilianum. Nam signario Virgilij tota ad contumeliam, Græcorum ἀποβλέπεσθαι πρός τινα, ad laudẽ est; cui laudi quadrabit illud Luciani de Gymnas.

ὁ ἵππος ὁ περὶ τὴν θέαν, καὶ τὸ ἐπισημαίνεσθαι, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ: *laus, quæ tribuitur ab spectatoribus est, & esse clarissimum, & monstrari digito.* Quod genus laudis attingit Horat. Od. 3. lib. 4. Perf. Sat. 1. Ouid. sæpe, Martial. Epig. 13. lib. 5. *& dicitur hic est.* Plinius epist. 23. lib. 9. loquens de Demosthene. Meliùs itaque videtur coniectare Germanus, qui rem torquet ad verbum ὑποβλέπειν, quasi obtueri, & peruersis oculis aliquem aspicere, id est, σιλλαίνειν, quod Ionibus erat *subsannare*, & *nutu oculorum mordere*, videlicet, ἀπὸ τῶν ἰλλῶν. Sunt ἰλλοὶ, qui sunt strabis & retortis oculis: inde & σιλλαίνειν, *torquere oculos cum irrisione*, à quo σιλλοὶ, genus Poëtarum maledicum. Appian. 1. Ciuil. ὑποβλέψαι αὐτῷ δεινὸν dixit de acerbo intuitu. & Hippocrat. in Coac. Prænot. de oculo distortè intuente, ἰλλαίνων ὀφθαλμός. Plutarc. in vita Caton. Censorij, ὑποβλέψας πικρότερον: *amarulentiùs intuens.* & in vita Pyrrhi, ὑποβλέψε δεινόν.

Digito mõstrari.

Silli, Poëtæ maledici.

Ardeo, militare.

4. ARDET.] Verbum militare. Nec alio ductu Plutarc. in Catone Maiore dixit de Annibale, ἐπιφλέγει τὴν Ἰταλίαν, *vrebat Italiam.*

5. POENORVM QVALIS IN ARVIS, &c.] Assumitur hæc comparatio ad repræsentandam Turni superbiam. Ait quippe Cyrillus Alexand in Oseam, per bestias, vt plurimùm, in comparationibus signati homines τοὺς δυνατωτάτους, καὶ ἐκδειματοῦν ἑτέρους ἱκανῶς ἔχοντας, τοὺς ἀγρίους, καὶ ἐπιλευστικούς, καὶ μιαιφονεῖν εἰωθότας, καὶ πολὺ λίαν ἔχοντας τὸ ἀνήμερον: *potentissimos, & qui alios possunt terrere, agrestes, oppressores, trucidatores, ac moribus magnopere efferatos.* Hac obseruatione imbutus Maro, nunquam Anean suum, quem vt Principem pietatis attollit, cum leone, aut immiti alia fera comparat, cùm sæpe Turnum, Mezentium, alios. Verè enim Horat. Od. 16. lib. 1. dixit de homine formato à Prometheo,

Feræ cur assumãtur ad comparationes.

Æneas nũquam comparatur cũ fera.

> *Fertur Prometheus addere principi*
> *Limo coactus particulam vndique*
> *Desectam, & insani leonis*
> *Vim stomacho apposuisse nostro.*

Itaque pars illa irarum, quæ insanit in hominibus, sumpta est à leonibus. Apud Plutarch. Antigonus in vita Eumenis, cùm traderet Eumenem ipsum vinctum ad custodiam, dixit non aliter custodiendum, quàm soleat leo custodiri. Ad acres Alexandri mores explicandos ait idem in eius vita, habuisse illum θυμοειδῆ, καὶ λεοντώδη τὴν φύσιν, *naturam animosam, & leoninam.* & de Cleomene ait versari inter Ægyptios quemadmodum soleat ὁ λέων ἐν τοῖς προβάτοις, *leo inter oues.* vocátque illum μέγα θηρίον, καὶ δυσθήρατον, *magnam feram, & captu difficilem.* Mater Periclis parere in somnis visa est sibi λέοντα. De Hercule Eurip. καλέσχε λέοντος ἀγρίου θυμόν. & de Danaë, λέοντα τέξεται: *leonem pariet*, scilicet Perseum. Ab eodem in Oreste, Orestes ipse & Pylades dicuntur leones, cùm exercuêre ingentem carnificinam. In hac verò comparatione vnicè hæsit Virg. Homero Iliad. 20. qui sic loquitur ore Oeobani,

Leo cur assumptus ad comparationes.

Imitatio.

> ——— *insurgit Achilles*
> *Ceu leo, quem iuuenes infestis vndique telis*
> *Per campos agitant: quem si quis vulnere læsit,*
> *Viribus, atque animis audacior, ocyùs illum*
> *Appetit ore fremens, & hianti gutture spumans.*
> *Tum demum furit, irarúmque incenditur æstu,*
> *Et caudam mouet, & latera, atque immania terga.*
> *In pugnam sese irritans exasperat iram,*
> *Irruit obuia quæque terens, solúmque requirens*
> *Vulneris auctorem, vel victor in hoste futurus,*
> *Vel moriturus ibi.* ———

Huic (inquam) comparationi hæsit vnicè, vt apparet

A ex integris versibus, & maximè ex vltimis, vbi vt leo vult aut interficere, aut interfici: ita Turnus, aut victor esse, aut victus. Cùm verò Virgilius addat in sua comparatione, fixum telum in leone, coniicio illum hæsisse Calabro lib. 3. vbi de Achille ait similem esse leoni,

> ——— ὅν τι βάλησι
> Θηρητὴρ, ὁ δ' ἄρ' εἴ τι πεπαρμένος ἦτορ ἄκοντι
> Λήθεται ἠνορέης, ἀλλὰ στρέφετ' ἄγριον ὄμμα
> Σμερδαλέον, βλοσυρῇσιν ὑπαὶ γενύεσσι βεβρυχώς:
> ———*quem cùm percusseris*
> *Venator, iáq; venabulo pectus transfixum habens, nequaquam*
> *Fortitudinis obliuiscitur, sed truculentos torquens oculos,*
> *Tremendum infrendet immani rictu.*

B Aristotel. etiam lib. 3. Ethic. cap. 8. ait feras esse iracundas ἐπὶ τοὺς πλήξαντας: *aduersùs vulneratores.* Dixi quos imitetur Virgilius: illum proculdubio Valerius lib. 3. vbi de Hercule,

> *Ille velut refugi quem contigit improba Mauri*
> *Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur,*
> *Frangit & absentem vacuis sub dentibus hostem.*
> *Sic furiis accensa gerens Tirynthius ora.*

6. ILLE.] Vacare eleganter Turn. iam monuit, & varia aduocat testimonia. Sed hoc non è meo gustu. Verè non vacat, sed maior emphasis.

Ille, an vacet.

7. VENANTVM.] Pro venatorum. Lucret. lib. 4.
Venantúmque canes in molli sæpe quiete.

8. MOVET ARMA.] Id est, vngues & dentes, & reliqua quibus carnificinam exercent bestiæ. Ioan. C Chrys. Homil. 8. ad Pop. ὅπλα τοῦ λέοντος κόμη τριχῶν, ὀνύχων ἀκμὴ, καὶ ὀδόντες ὑπεσμένοι: *Leonis arma, horror iubarum, vnguium mucro, & dentes acuti.* Sedulius de leone lib. 2. *in totum mouet arma gregem.* Ouid. 10. Metamorph. *armatósq; vnguibus vrsos.* Vt verò hîc, *mouet arma*, de leone, ita de tauro 3. Georg.
Signa mouet, præcépsque oblitum fertur in hostem.

Arma, de vnguibus.

9. COMANTES EXCVTIENS CERVICE TOROS.] Est hæc in hac fera significatio iræ. Ita de illa Lucanus lib. 1.

Leonis ira iuba apparet.

> *Erexitque iubas, vasto & graue murmur hiatu*
> *Infremuit.* ———

Vide reliqua Lucani. Catullus de leone etiam,
Rutilam ferox torosa quatiet iubam.
Inde ab setis ferarum Græci ἀναχαιτίζειν dicunt, pro ἀγριοῦσθαι. Est enim in iubis ferarum quædam exul- D tantia, adeò vt dicat Plin. cap. 42. lib. 8. equarum libidiné extinguì tonsa iuba. Inde & Seneca in Oedipo,

Equarum libido extinguitur tonsa iuba.

> *Qualis per arua Libycus insanit leo,*
> *Fuluam minaci fronte concutiens iubam.*

10. LATRONIS.] Olim pro milite & stipatore, ἀπὸ τοῦ λάτρου, aut λάτρις, id est, *à mercede*, qua conducebantur, vt ait Varro lib. 6. Ling. Latin. Hanc mercedem λάτρον nominat Festus, aut ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, vt ait Seru. quod ille explicat *obsequi*, & *seruire mercede.* Hinc detorta vox est ad prauũ significatum: nam vt conducti milites ad omne discrimen mittebãtur; sic nunc, qui per insidias adoriuntur, omni se peri- E culo obiiciunt. Hæc de re Græca. Sunt tamen alij, qui ducant à *latendo*: sunt, qui ab *latere*, vt qui ab hoc adoriantur. Aut etiam ab *latere*, quia *circum latera erant Regi, atq; ad latera habebant ferrum.* adduxi verba Varronis libro 6. Linguæ Latin. Sed è re Græca facilior est expeditio ad Virgilium, addente Seruio: *vnde nunc dicit latronis telo fixum leonem, quia etiam venatores operas suas locare consueuerant.* Ergo, sicut stipatores mercede ibant ad bellum, & ideo dicti *latrones*: sic venatores mercede eadé ibant ad capturam; ac pro

Latro, quid olim.

Latro vnde.

ac proinde dici *latrones* poterant. Et satis se explicat Poëta, nam qui priùs *venantum* dixerat, nunc *latronis*. Testimonia quædam Plauti obuia vbique.

Venatoriū telum.

11. FRANGIT TELVM.] Cùm hæc vox communis sit ad omnia missilia, fortasse Poëta *sibunam*, aut *sibynam* intellexit, cuius venatorij teli Hesych. & Athen. meminêre. Potest etiam confugi simpliciter ad venabulum. Potest etiam ad δόρυ, nam Synes. lib. de Insomn. δορυαλώτων θηρῶν dixit, quasi hoc teli genus destinatum sit feriundis feris. Sed ego iam de his telis abundè quarta Æneide.

Leonis fremitus.

12. FREMIT ORE CRVENTO.] Δεινόν τι, καὶ δυσηχὲς βρυχώμενον, ait de leone Cyrill. Comment. in Amos numero 17. *Horribile quiddam, & absonum rugientem.* Et in Oseam ait, leonem infremere δεινόν, καὶ ἐκπληκτικὸν, καὶ βροντῆς ἀδρῶς πλησίον, *tremendum, horrisonum, & instar tonitrui.* Theocrit. εἰδ. 25. loquens de leone Herculeo rugitum hunc vocat ὠρυθμὸν. ὠρυθμοῖο, inquit, ἀυτῆσαι. Ab Oppiano libro quarto Venat. leo dicitur ab fremitu ἐρίβρομος. Seneca libro primo de ira capite primo, *leones fremunt*, cùm scilicet irati.

13. GLISCIT.] Citat Nonius illud Pacuuij in Perib.

Sed nescio, quidnam est animi; horrescit & gliscit gaudium.

Glisco, de igne olim.

Ait Seru. *gliscit* dictum olim de ignis incremento. inde præclarè, *accenso Turno.* Lucretius libro 1. dixit, *ignis gliscens*, id est, crescens. Christianus in Iren. Aristoph. ducit hanc voculam à Græco γλίχομαι. & γλίσχρος Comici explicat λαιμαργὸν, & συντόνως ἐπιθυμοῦντα: *auidum & vltra modum appetentem.*

Iuuenes ἄφρονες.

14. ATQVE ITA TVRBIDVS INFIT.] Rectissimè libro 1. Epigramm. νεώτεροι dicuntur ἄφρονες. Sed vbi non iuuenes damnati hoc vitio? De hoc ætatis puncto Maxim. Tyrius Dissert. 25. ὑπὸ φλεγμονῆς ἀκαταγχέτου. dat quippe præ feruore ætatis intemperantiam.

Imitatio.

15. NVLLA MORA IN TVRNO.] Calab. libro 1.

——τῷ μή τις ἔτ' ἀμβολίη πολέμοιο
Εἴη τετρομένοισιν. ἔοικε γὰρ ἐν δαῒ μᾶλλον
Τεθνάμεν.——
——*quamobrem nulla belli mora*
Afflictis sit. satius est in prælio
Occumbere.——

16. NIHIL EST QVOD DICTA RETRACTENT.] Respectum ad versus illos lib. 11. ore Æneæ,

Æquius huic Turno fuerat se opponere morti,
Si bellum finire manu, si pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis.
Vixet, cui vitam Deus, aut sua fata dedissent.

Hinc & Drances ad Turnum, *illum aspice contrà, qui vocat.*

Præsens ad vrgendum.

17. CONGREDIOR.] Præsens ad vrgendum. ita illud, *imus in aduersos.* Vide ibi.

18. CONCIPE FOEDVS.] Rem transige conceptis verbis & formis.

Imitatio.

19. AVT HAC DARDANIVM, &c.] Ita de leo- A ne Homerus Iliad. 20.

——ἤν τινα πέφνῃ
Ἀνδρῶν, ἢ αὐτὸς φθίεται πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ:
——*si quem interficiat*
Virorum, vel ipse trucidetur prima in turba.

Vincere, aut mori.

Annibal ad suos apud Polyb. lib. 3. δεῖ γὰρ ἢ νικᾷν, ἢ θνήσκειν: *oportet autem aut vincere, aut mori.* Oppian. 1. Cyn. cùm præcesserit, hostem non posse vitari, subiicit, vel νίκην φέρειν, *victoriam ferendam*, vel τέκνον κτίσθαι, *moriendum.*

Desertor, in contumelia.

20. DESERTOREM.] Se proinde fortem dicit, & credo alludi ad veterem legem, qua *vir fortis desertorem iubebatur occidere manu sua.* Cuius meminit Quintil. Declam. 325. Ergo ait Turnus, *dextra hac interfi-* B *ciam desertorem.* & ideo hac *dextra*, quia lex, *manu sua.* Et quidem cùm vocat desertorem, eo ipso criminatur. Apud Theocrit. εἰδ. 13. Argonautæ Herculem occupatum in quærendo Hyla conuiciantur vocantes λιποναύταν: *desertorem nauis.* Ita & Annibal exprobrat Romano duci apud Liu. lib. 21. vocans *desertorem exercitus.*

Theatri sermo ad bellum.

21. SEDEANT, SPECTENTQVE.] Retuli explicans ad spectacula, adiuuante hoc Polyb. loco libro 3. ἐκθεατρίειν δὲ τὰς πολεμίων φυγομαχίας: *quasi in scena se hostium ignauiam detrectantium pugnam esse publicaturos.* & Plutarchi, qui in vita Coriolani loquens de re simili, θεατὰς καθῆσθαι: *spectatores sedere.* & Heliodori lib. 9. Histor. Æthiop. καὶ θεατρον τὰ πάθη τὰ ἐκείνων ποιούμενοι: *facientes theatrum illorum calamitates.*

Sedere est ignauorum.

C Possit tamen, qui velit, ad socordiam, atque ignauiam referre. Nam sedere ignauorum est, quod aliàs firmaui. Quasi dicat Turnus: Ego hac dextra interficiam hominem; Latini, qui sine manibus sunt, sedeant tantùm & spectent. Itaque opponit suam dexteram illorum sessioni. Profero elegantem Liuij locum è lib. 7. vbi Sext. Tullius ita ad Dictatorem Romanū desperantem de virtute militum: *& tu Imperator noster, quod ægriùs patimur, exercitum tuum sine animis, sine armis, sine manibus iudicas esse: & priùs quàm expertus nos esses, de nobis ita desperasti, vt te mancorum ac debilium ducem iudicares esse. Quid enim aliud esse causæ credamus, cur veteranus dux fortissimus bello, compressis, quod aiunt, manibus sedeas?* & Plu-

Prouerbiū.

tarch. qui in vita Themistoclis, οὐκέτι καθήμενος ὑπὸ D σκιάδι χρυσῇ θεάσεσθαι τὴν μάχην ἐφ' ἡσυχίας: *Non deinde sedens sub aureo vmbraculo pugnas spectabit nihil ipse agens.*

Ferro causam dicere.

22. FERRO CRIMEN REFELLAM.] Ex hac Musa Petron. Arb. *& causam dicite ferro.*

Virgilij cōcinnitas.

23. AVT HABEAT VICTOS.] Disce esse concinnus Poëta. Vt suprà, *ignaui Æneadæ*, etiamsi de vno Ænea: ita nunc, *aut habeat victos*, etiamsi de vno Turno. Quia videlicet, vt ab duce ignauo ignaui milites, ita à victo duce victi milites. Imi-

Imitatio.

tatio fortasse sumpta est ab Euripide in Heracl. vbi Hyllus vocat Euristheum ad monomachiam, hac lege, vt victor Euristheus capiat liberos Herculis: victus permittat Hyllo ipsi paternos honores.

[a] Olli sedato respondit corde Latinus.
[b] O præstans animi iuuenis, quantùm ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensiùs æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
[c] Sunt tibi Regna patris Dauni, sunt oppida capta

Multa manu: necnon aurúmque, animúſque Latino eſt.
[d] Sunt aliæ innuptæ Latio, & Laurentibus agris,
Nec genus indecores: ſine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis, ſimul hæc animo hauri.
[e] Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat: ídque omnes Diuiq́; , hominesq́; canebant:
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
Coniugis & mœſtæ lacrymis vincla omnia rupi,
Promiſſam eripui genero, arma impia ſumpſi.
[f] Ex illo, qui me caſus, quæ Turne ſequantur
Bella, vides: quantos primus patiâre labores.
Bis magna victi pugna: vix vrbe tuemur
Spes Italas, recalent noſtro Tyberina fluenta
Sanguine adhuc, campiq́; ingentes oſſibus albent.
[g] Quò referor toties? quæ mentem inſania mutat?
Si Turno extincto ſocios ſum accire paratus,
Cur non incolumi potiùs certamina tollo?
Quid conſanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia? ad mortem ſi te (fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & connubia noſtra petentem?
[h] Reſpice res bello varias, miſerere parentis
Longæui, quem nunc mœſtum patria Ardea longè
Diuidit. ——

ARGVMENTVM.

Oratio Latini ad Turnum, qua monet vt opes conſideret, quas habet præter Regnum: nuptias, quas habere poteſt præter Lauiniam: Deorum, & hominum oracula, quæ iubent illam dari externo: clades, in quas coniecta eſt Italia: periculum vitæ, quod de nouo imminet: euentus, qui varij in bello ſunt: ſenectutem patris, qui tunc erat Ardeæ.

EXPLICATIO.

[a] IDEO *ſedato corde*, quia ad ſedandos Turni impetus. Itaq; eo verbulo includitur habitus ſequentis orationis.

[b] Exordium orationis, vbi & Turnum laudat, & reddit ſermonis ſui rationem. Laus in illis, *præſtans animi*. Reddit rationem ſui ſermonis, cùm ait, velle ſe expēdere caſus omnes, vt qui metuat & caueat, quod pertinet ad ſenilem prudentiam: idq; eo impēſiùs ab ſe præſtandum, quo ille ferociùs ſæuit.

[c] Ratio prima, qua argutiſſimè negat illi ſua Regna, quia iam *ſunt tibi Regna patris Dauni*. Deinde *ſunt tibi multa oppida capta manu tua*. Ergo, ſi propter Regnum vis dimicare, habes paternum: ſi propter gloriam, multos virtute ſuperaſti. ita Seru. ſequitur, *necnon aurúmque, animúſque Latino eſt*. Quæ verba variè Seru. & alij explicant. Hæreo Turnebo ita explicanti, vt dicat Latinus: vt tibi ſunt Regna tui patris, & alia oppida; ſic mihi eſt aurum, & animus. Quaſi dicat: Nec tu mei indiges, nec ego tui; non ſunt neceſſariæ iſtæ nuptiæ, vt tu mihi præſidium quæras, non vt ego tibi. Sunt mihi opes & aurum; eſt animus ad tuenda mea Regna.

[d] Ratio altera. Vis Lauiniam, vel quia adhuc virgo, vel quia ex Principe genere. Atqui ſunt multæ aliæ *innuptæ* virgines in toto Latio, & adhuc in *agris Laurentibus*; &, ſi non ex Principe genere, certè *non indecores*. Obiiciet aliquis. Volebat Turnus dotatam Regno. Hoc iam excluſerat ſuperiore ratione, *ſunt tibi Regna patris Dauni*, &c. Ab his rationibus pergit ad tertiam, ad quam præmittit ſimplicitatem dicentis, nam hoc eſt, *ſublatis aperire dolis*, vt Turnus acquieſcat, etiamſi quæ dicturus eſt, *mollia fatu non* ſint.

[e] Ratio ergo tertia, quæ tota poſita in vera narratione rei geſtæ. Natam adiungere debui *nulli veterum procorum*, loquitur generaliter, ne putet Turnus ſibi necti dolos. Ratio, quia *id canebant Diui*, propter Faunum; *homines*, propter vates. Vide verò quanta ſit potentia amoris tui, cognati ſanguinis (quia Venilia mater Turni, ſoror erat Amatæ) lacrymarum coniugis. Victus his omnibus *rupi vincla omnia* religionis & fœderis, *eripui genero Æneæ promiſſam* per Legatos filiam (ſic habetur in ſeptimo) *ſumpſi arma impia*, quia in generum meum.

[f] Ratio quarta à præſenti, & futura clade. A præſenti, nam vides, ô Turne, *caſus*, in quos coniecti ſumus; *bella, quæ ſequantur* nos; *labores*, quos ipſe imprimis pateris. A futura, nam cùm *bis magna pugna victi* ſimus, fit proinde, vt *vix tueamur ſpes Italas*. Argumento eſt Tyberis, qui adhuc calet noſtro ſanguine; campi, qui albent noſtris oſſibus. Hæc cò ſpectant, vt videat Turnus nullam fore in poſterum recuperandæ potentiæ ſpem, cùm florentiſſimus quiſque in acie ceciderit. Ait, *recalent*, ad indicandam frequentiam cæſorum.

g Ratio

g Ratio quinta, qua se insaniæ coarguit, hunc in A modum. Si, te extincto, necessariò mihi asciscendi sunt externi socij; cur non potiùs, te viuo, tollo certamina? nam Rutuli omnes, & Itali insanum me esse dicent, si te, natam meam petentem, morti (quod absit) obiecerim.

h Iubet demum, vt consideret varios belli euentus, ne eum ignauiæ tantùm videatur arguere, ideo suprà, *atque omnes metuentem expendere casus.* Post omnia definit in affectus vice epilogi, mouens πάθος ab senecta Dauni patris, ab eiúsque lacrymis & mœstitia. Annectit Seru. *longè mœstum*, nam *longè diuidis*, non procedit, non enim Ardea longè à Laurento. Vt velis.

B

NOTÆ.

Lio, o. V.in. o. Ellum. Olum. 1. OLLI.] Exiles literas, *i*, & *v*, mutabant veteres in *o*, sic *olli*, pro, illi, *seruos*, pro, seruus. inde & *seruolus*. Donatus in And. *Ellum, & olum, dicebant veteres, pro, illum.*

Sedatũ cor. 2. SEDATO CORDE.] Habitus, vt dixi, futuræ orationis. Sic apud Sallust. Iugutth. *Rex satis placidè verba facit.* & Ammian. lib. 20. *suadebat placido sermone.* Ceterùm Virgilij versus spondæis scatet ad Latini Regis grauitatem indicandam. Vnde non malè coniectant aliqui, factum versum ad imitationem tardissimi Enniani 1. Annal.

Spondæi ad grauitatem.

Imitatio. *Olli respondit Rex Albai Longai.*

Vide verò vt sequens tota oratio habeat patris consilia, & minas interdum, nam pro minis est timor C mortis Turni. Præclarè dixit Ioseph. lib. 1. Bell. cap. 17. loquens de Herode, βραχέα μὲν ἠπείλησεν, ὡς βασιλεὺς, τὰ πολλὰ δ' ἐνουθέτησεν, ὡς πατήρ: *quasi Rex pauca est interminatus, pluribus quasi pater monuit.*

Regis oratio qual.s.

Respondeo, vox oraculorum. 3. RESPONDIT.] Vox propria oraculorum. Et inde Reges dicuntur *respondere*, quia instar oraculi illorum vox. De Principe loquens Seneca libro de cons. ad Polybium cap. 33. *verba velut ab oraculo emissa.*

4. O PRÆSTANS ANIMI.] Expendit præclarè Seru. latenter indicari ab Latino, Turnum esse inferiorem Ænea virtute & viribus, vt ita deterreat illum à congressu. Quasi dicat: Præstas tantùm animo, non viribus, non virtute. Quis ergo non videt superari hîc Homerum Iliad. 22. vbi Priamus dehortans Hectorem a congressu cum Achille, postquam D præmisit, vt euitaret certamen illud, subiicit;

Homerum superat Virgilius.

——— ἵνα μὴ τάχα πότμον ἐπίσπῃς
Πηλεΐωνι δαμεὶς, ἐπειὴ πολὺ φέρτερός ἐστιν·
——— *vt ne citò mortem inuenias*
Ab Achille domitus, quoniam multo fortior est.

Nihil audire clarius ad contumeliam Hector potuit, nihil dissimulantius Turnus ad cauendum sibi.

Imitatio. 5. QVANTVM IPSE FEROCI, &c.] Ductum ab Attio in Antigona, ait Macrobius,

Quanto magis te istiusmodi esse intelligo,
Tanto Antigona magis me par est tibi
Consulere, & parcere. ———

E

Adolescẽtia ferox. 6. FEROCI VIRTVTE.] Quippe iuuenis, cuius propria temeritas & ferocitas animi. Liuius lib. 31. de Hiosto quodam Sardo: *adolescens ferox.* Quintil. Declam. 279. *ferociam iuuenum.* Xenophon de Rep. Lacedæm. iuuenibus dat μέγιστον φρόνημα, ὕβριν ἐπιπολάζουσαν, ἰσχυροτάτας ἐπιθυμίας: *spiritus maximos, petulantiam redundantem, cupiditates vehementissimas.* A quo mihi videtur Quint. Declam. 321. sumpsisse verba hæc: *Adolescens est, omnes cupiditates, omnes impetus in hac ætate faciliùs conualescunt.* Seneca in Octau.

Iuuenilis ardor impetu primo furit.

Horat. Od. 4. lib. 4. *imbelli* opponit:

——— *nec imbellem feroces*
Progenerant aquilæ columbam.

Eurip. Phœniss. νεάζοντα vocat *iuueniliter exultantem.*

7. TANTO.] Noluit elegans Poëta vulgus sequi. Alij *tantùm, quantùm; tanti, quanti: tanto, quanto.* ab hoc (inquam) discessit. Nam cùm præcesserit *quantùm*, tamẽ subiicit, *tanto me impensiùs.* Hoc enim sublimius est, quàm si diceret *tantùm.* Non assequetur hâc elegantiam, nisi cui aures limatissimæ. Quantùm, tanto.

8. ME IMPENSIVS ÆQVVM EST CONSVLERE.] Seneca Octauia:

Præcipere mitem conuenit pueris senem.

Habes Lector in Latino typum prudentis, cuius est munus, reprimere ferocientem furorem. Præclarè Homer. Iliad. 8. fingit, solam Mineruam prudentiæ Deam, ausam fuisse Iouem alloqui vehementer iratum, cui sanè Deæ post tot iras placidum se præbuit. Non malè huc referas etymon ἀνάκτων. Reges enim dicti non solùm βασιλεῖς, sed etiam ἄνακτες, videlicet ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς, quòd se habeant prouidè & diligenter. Eustathius in lib. 1. Iliad. ἄνακτας ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τοὺς βασιλεῖς διὰ τὸ ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχειν τῶν ὑποτεταγμένων: *Veteres vocabant Reges non solùm βασιλεῖς, sed etiam ἄνακτας, quòd soliciti essent pro subditis.* Et quidem duo illa verba *ipse* & *me* capienda emphaticè, vt ipse Turnus iuuenis opponatur seni Latino, in quo ab ætate senilis prudentia. Synesius lib. de Insomn. ita expendit Homerum. Καὶ Ὁμήρῳ ὁ ἄρα διὰ τοῦτο τῆς τοῦ Διὸς γνώμης ἐξῆφθαι τὰ τῶν θεῶν πράγματα ὅτι

Prudentis typus.

Reges cur dicti ἄνακτες.

Prudentia in senibus.

——— πρότερος γέγονεν, καὶ πλείονα εἴδει.
αὐτὸ δ' ἔοικε τὸ πρεσβύτερον εἶναι, καὶ γὰρ τὴν ἡλικίαν εἰς τοῦτο εἶμαι συντείνειν ἕως ἐστιν, ὅτι συμβαίνει διὰ τὸν χρόνον πολλὰ γινώσκειν: *Apud Homerum Deorum res ex arbitrio Iouis pendent, quòd*

——— *natu sit maior, pluráque norit.*

ob id nempe, quòd natu sit grandior. Ad hoc enim ætatis mentionem arbitror in his versibus pertinere, quòd pro temporis diuturnitate plura nosse contigerit. Præclarè dixit Eurip. in Phœniss.

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ,
Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν. ἀλλ' ἡ μπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον:
O fili, non omnia mala senectuti
Insunt Eteocles: sed experientia
Habet aliquid sapientius dicere, quàm iuuenes.

9. SVNT OPPIDA CAPTA MVLTA MANV.] Intelligit Turnum fuisse αὐτόχειρα, & αὐτουργόν. vide quæ dixi lib. 3. Georgic. ad illud, Manu cape-re.

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa.

10. SVNT ALIÆ, &c.] Locus Homeri, qui ore Achillis Iliad. 9. Imitatio.

Πολλαὶ δ' Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε, Φθίην τε
Κοῦραι ἀριστήων, οἵ τε πτολίεθρα ῥύονται,
Τάων ἥν κ' ἐθέλωμι φίλην ποιήσομ' ἄκοιτιν:
Multæ autem Achiuæ sunt in Græciáque, Phthiáque
Filiæ Principum, qui ciuitates tuentur,
Harum, quam voluero dilectam faciam vxorem.

Putat & Vrsinus adiectum animum ad Theocrit. in Dioscur. vbi præmissa mentione multarum prouinciarum & vrbium, subiicit,

Ἔνθα κόραι ξανθαὶ ὑπὸ σφετέροισι τρέφονται
Μητρὸς, ἢ τι φυῆς ἐπιδευέες, ἢ τι νόοιο.
Τάων εὐμαρὲς ὕμμιν ὀπυίειν ἅς κ' ἐθέλητε:
Vbi puellæ parentum suorum cura aluntur
Multæ, neque decora forma carentes, neque ingenio,
Ex illis facile erit vobis ducere quascunque volueritis.

Laurentes agri. 11. ET LAVRENTIBVS AGRIS.] Non est pleonasmus; imò stringit rationem pressiùs. Non solùm in Latio, sed etiam in finibus adhuc agri Laurentini. Vulgò dicunt *territorium*, videlicet partem illam, quæ pertinet ad principem aliquam vrbem. Sic *ager Pistoriensis* apud Sallust. *ager Volaterranus* apud Tullium. Debes Collectori.

12. MOLLIA FATV.] Eurip. in Med. dixit, ἀκοῦσαι μαλθακά: *mollia auditu.*

Sine dolo. 13. SVBLATIS APERIRE DOLIS.] His respondere voculam ἀτεχνῶς apud Aristot. Germanus putat, quasi *sine dolo & artificio.* Addo ego, huic particulæ ἀτεχνῶς, opponi illa Iosephi libro 1. Bell. cap. 17. πάντων δ' ἀποπεραθεὶς τῷ προσώπῳ: vbi sermo est de Herode, qui multas subinde formas sumebat ad decipiendum. In verbo *aperire* inuenio imitationem Euripidis in Medea, & sine vlla ostentatione, quæ est maxima virtus poëseos. Nesciunt alij Poëtæ imitari Græcos, nisi etiam quasi digito indicent, vnde sumpserint, quò alluserint, quò aspirarint. Ergo, *Clauis, de pectore.* ita Virgil. *aperire* de pectore, quasi claui quadam aperiat pectus absque omni dolo. Ergo, Eurip.

Ἄχαρις ὄλοιτο, ὅτῳ πάρεστι
Μὴ φίλους τιμᾶν, καθαρὰν ἀνοίξαντι
Τὶ κλῇδα φρενῶν
Pereat inuisus, qui non vult
Amicos iuuare, aperiens candidam
Clauem pectoris.

Hoc quid est aliud, quàm Virgilianum, *sublatis aperire dolis?*

Sensuū verba etiam de animo. 14. ANIMO HAVRI.] Disce varietatem: nam lib. 4. *auribus hausi.* Itaque à sensu corporis conuertit verbum ad sensum animi. Excurram breuiter per sensus alios. Statim, *respice res bello varias*, id est, considera, cùm tamen sæpe *video*, & *aspicio* dicantur de ipsis oculis. Sic *tango* de corporeo sensu; vt, *tango aras*, cùm tamen alibi, *nec solos tangit Atridas iste dolor*, id est, non solùm Atridæ punguntur dolore animi. Sic qui in Georg. *fibris amaris*, in Æneide, *dictis amaris*, à gustu corporis ad sensum animi.

Vincla rūpere. 15. VINCLA OMNIA RVPI.] Propert. Eleg. 15. lib. 1. *vincula rupit amor.*

Ex illo. 16. EX ILLO.] Græci ad verbum, ἐξ ἐκείνης, ἐκ τούτου.

17. BIS.] Semel in decimo, vbi cadit Mezentius: iterum in vndecimo, vbi Camilla. Non omittam, *Romana historia repræsentata.* cùm restet vltimum bellum gerendum in hoc libro, vbi cadit Turnus, Poëtam hoc triplici magno bello adumbrasse triplex illud solemne, quod gestum ad [illegible] Trebiam, ad Thrasimenum, ad Cannas, hoste Annibale, continuo impetu. In primo victus est Sempronius, in altero Flaminius, in tertio Paulus, omnes Consules. Nam, etiamsi in aliis bellis victoriam habuerit Annibal, sed certè alternante semper fortuna, nec ita aspirante, vt primis illis tribus, videlicet virtute magnorum ducum, Fabij, Marcelli, Scipionis. Itaque non errabit, qui dixerit, Latinos triplici bello victos ab Troianis, ad exemplum, quo victi Romani triplici illo bello ad Trebiam, Thrasimenum, Cannas: ac proinde Virgiliū successum hunc Romani Imperij voluisse adumbrare.

Magna pugna vinci. 18. MAGNA VICTI PVGNA.] Signatè & propriè:

A nam hæc forma vsitata in eo populo, quoties accepta ingens clades. Post eam, quæ accidit ad Thrasimenum, scribit Polyb. lib. 3. Prætorē Romanum, cùm primùm nuntius allatus Romam est, stetisse pro Rostris, ac dixisse, λελείμμεθα μάχῃ μεγάλῃ: *victi sumus magna pugna.* Plutarchus de re eadem loquens in vita Fabij, νενικήμεθα, ὦ ἄνδρες Ῥωμαῖοι, μεγάλῃ μάχῃ: *victi sumus, ò viri Romani, pugna magna.* Sic contrà dici consueuit in magna victoria; nam Plutarchus de sera vindicta, vbi loquitur de Gelone, στρατολογήσας ἄριστα, καὶ νικήσας μάχῃ μεγάλῃ Καρχηδονίους: *gesto bello optimè, & vincens pugna magna Carthaginienses.* Adeò hoc verum, vt Polybius in laudato loco, post verba illa, *victi sumus magna pugna*, addat hunc in modum: τηλικαύτην συνέβη γενέσθαι διατροπήν, ὥστε τοῖς

B παραγενομένοις ἐφ' ἑκατέρων τῶν καιρῶν, πολλῷ μεῖζον τότε φανῆναι τὸ γεγονὸς, ἢ παρ' αὐτὸν τὸν τῆς μάχης καιρόν: *Tanta repentè animorum secuta est consternatio, vt his qui vtrique interfuerant, prælio, inquam, & concioni, multò tunc maior clades accepta fuerit visa, quàm in ipsa pugna.* Idem fermè scribit Plutarchus in vita Fabij. Ad hanc formam proculdubio alludit Liuius lib. 26. ore Scipionis: *Donata nobis sors est, vt magnis omnibus bellis victi vicerimus.* Ad eandem Lucillius, quem aduocat Donat. in Teren. Eun.

Vicimus ò socij, & magnam pugnauimu pugnam.

19. RECALENT NOSTRO TYBERINA FLVENTA SANGVINE.] Indicium magnæ cladis, quo argumento dictum ab Hom. 7. Iliad. *Flumina sanguinea indicium magnæ cladis.*

—αἷμα κελαινὸν ἐΰρρειν ἀμφὶ Σκάμανδρον:

C —*sanguis niger ad pulchrè fluentem Scamandrum.*

Apud eundem lib. 22. fluuius ita conqueritur,

Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα:
Plena sunt enim iam mihi cadaueribus amœna fluenta.

Et iterum, στεινόμενος νεκύεσσιν, vt qui cadaueribus obstructus. Sic & Marius apud Appian. lib. 1. Ciuil. cladem coniicit ἐκ τῶν φερομένων κατὰ τὸ ῥεῦμα σωμάτων. & Philostratus libro 4. Anthol. inde virtutem Telephi, quòd πλήθει τοῦ φόνου ἐκέρασε Κάϊκον: *plenum cadibus miscuerit Caycum.* Sic apud Ammianum libro 16. *Spumans denique cruore barbarico decolor alueus insueta stupebat augmenta.* & lib. 17. *Adeò vt abundè cruore diffuso meatus fluminis spumaret tumens.* Mitto Florum lib. 2. cap. 6. Horatium Od. 1. lib. 2. Ouidium Eleg.

D 9. lib. 4. Pont. & Plutar. in vita Demosthenis, vbi ait fluuium Thermodonta (non illum Amazonum) nobilitatum ab simili clade, vocatúmque Αἵμονα. Euripidem, apud quem Hercules hac re potissimùm minas suas indicat, dicens cruētaturum se Ismenum, & Dircen hostili cruore. Vt verò Virgil. *recalent* in cæde, ita Iosephus libro 7. Bell. cap. 4. θερμὰς ἔτι τὰς χεῖρας ἐξ ὁμοφύλων ἔχοντες φόνων: *calentibus adhuc manibus gentili cade.* *Caleo, in cæde.*

20. CAMPIQVE INGENTES OSSIBVS ALBENT.] Argumentum alterum magnæ cædis, de quo ad exitum lib. 5. *scopulos Sirenum, multorúmque ossibus albos.* quem locum vide. Sidonius lib. 3. epist. 2. *campos sepultos ossibus insepultis.* Tacit. lib. 1. *medio campo albentia ossa.* Liuius libro 36. *ossibus, quæ passim strata erant.* Ennod. Paneg. *Campus humanorum ossium candore nobi-* *Ossa albētia indicium cladis.*

E *lissimus.* Seneca Oedip.

——*albens ossibus sparsis solum.*

Aristoteles libro 1. de Anim. cap. extremò aduocat versum Empedoclis, quod definit, τὰ δ' ὀστέα λευκὰ γένοντο. Apuleius lib. 8. *suisque visceribus nudatis ossibus cuncta candere.* Est verò Latini argumentum idem fermè; quod succurrit Scipionis apud Liuium libro 26.

Trebia,

Locorum similitudo. *Trebia, Thrasimenus, Cannæ, quid aliud sunt, quàm monumenta occisorum exercituum, Consulumq́, Romanorum?* Tale argumentum Plutarchi orat. 2. de Fort. Alex. νεκρῶν τὸ Βαβυλώνιον ἐπλήσθη πεδίον: *Babylonius campus oppletus est cadaueribus.* & in vita Fabij, vbi de exercitu, ἐξημβλύνετο, καὶ κατατέτριπτο τοῖς ἀλωφήτοις ἀγῶσιν: *retusus, atque attritus continuis præliis.*

Senes mente imbecilli. 21. QVO REFEROR TOTIES? &c.] Pulchrè lib. 1. Epig. πολιαὶ ἐ δ' ῥαχίες. quod valet etiam in consiliis. Est enim senectus non solùm viribus languida, sed etiam consiliis. Apud Stob. Hesiodus Serm. 115. τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει τὸν νοῦν. clarè ait, mentem hebetari à canicie. Ibidem ait Euripides, in senibus non esse mentem, quamuis ipsi decepti putent se habere. νοῦς δ' οὐκ ἔτι ἔστι. οἰόμεθα δ' εὖ φρονεῖν. itaque non immeritò de se grandæuus Rex Latinus fatetur hanc mentis imbecillitatem, qui sæpe mutet consilia.

22. FORS DICTA REFVTET.] Quod Æschylus (ait Vrs.) ὃ μὴ γένοιτο.

Bellum varium. 23. RES BELLO VARIAS.] Quid magis bello varium? πολέμου ῥοπὰς, dixit Ioseph. cap. 8. lib. 1. Bell. Iudaïci, quòd facilè huc illúcque inclinet. πόλεμος quoque, id est, *bellum*, ab Simocatta lib. 2. cap. 3. dicitur πολύμορφος, *multiforme.*

Imitatio. 24. MISERERE PARENTIS.] In simile πάθος desinit oratio Priami ad filium Hectorem dehortantis illum à congressu cum Achille,

Πρὸς δ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέαιρε:
Ad hæc verò, mei infelicis adhuc viuentis miserere.

——ᵃ Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur, exsuperat magis, ægrescítque medendo.
Vt primùm fari potuit, sic incipit ore.
ᵇ Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, lethúmque sinas pro laude pacisci.
ᶜ Et nos tela, pater, ferrúmque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
ᵈ Longè illi Dea mater erit, quæ nube fugacem
Feminea tegat, & vanis sese occulat vmbris.

ARGVMENTVM.

Resistit violentissimè Latino Turnus cum despicatu senis, cum laude sua, cum contumelia Æneæ.

EXPLICATIO.

ᵃ LATINVS *sedato corde* loquutus est; en iam Turni *violentia* lenitati illius opposita. Non ille *flectitur*, imò *exsuperat magis*, & *ægrescit* dum curatur, quia hoc est *medendo*. Et cùm ira locum concessit, loquutus ad Regem est.

ᵇ Videor agnoscere contemptum, spernit enim Turnus Regis consilia. *Depone*, inquit, *hanc curam & sine me pacisci lethum pro laude*; nam vir fortis gloriosam mortem præponit saluti, id est, optimum erit pactum, si lethum emam laude: imò, si laudē letho.

ᶜ Transit ad laudem sui, habétque oratio speciē ironiæ. *Nos* quoque *tela, & ferrum spargimus*, nec inutiliter, nam *nostro sequitur de vulnere sanguis.*

ᵈ Absoluit cum contumelia Æneæ, qui si aliquid valet, maternis dolis valet. Venus enim illum occultat & tegit, ne in acie cadat. Artes istæ nihil illi nunc proderunt.

NOTÆ.

1. VIOLENTIA TVRNI.] Locutio poëtica, pro Turno. sic Ennius 1. Annal. *sonus Egeriai*, pro Egeria. Cicero Arato, *vis magna nepai*, pro scorpione. Plutar. aduersùs Colotem ait, βίαν Ἡρακλέους εἶναι αὐτὸν Ἡρακλέα: *vim Herculeam esse ipsum Herculem.* (Vis Herculia.) Sed millena in Nostro, & aliis. Rectè verò *violentia*: nam tales iuuenes.

Flectitur animus. 2. FLECTITVR.] Salluſt. Iugurth. *Postquam hæc, atque alia talia dixit, neque animus Marij flectitur.*

3. EXSVPERAT MAGIS.] Tacitè alludit ad comparationem vndantis præ igne lebetis, quam ipse de Turno lib. 7. *Nec iam se capit vnda.* sic nunc, *exsuperat*: videlicet αἵματος πλήθει, καὶ θερμότητι, ait Plutar. in lib. de virt. Moralib. copia enim, & calor sanguinis iuuenes reddit violentiores, & efferatiores. (Iuuenum violentia.) Inde eorum affectiones διάπυροι, καὶ οἰστρώδεις, *ardentes, & furiosæ*, ait idem: vt contrà in grandæua ætate ἐπιλείπει τὸ θαρρεῖν, vt idem scribit in vita Ciceronis, *deficit virtus, & audacia.* Inde sæpissimè Virgilius iuueni Turno fiduciam dat. Dixi in hac Turni violentia exsuperante allusum ad naturam ignis. Ita verè est. Nam Eurip. in Oreste, cùm comparauerit iram cum igne, adiicit ita tractandos iratos (omitto versus, quippe plures) vt tractatur ignis, cui debet cędi, ne sit nocumento: ita scilicet cedendum iratis. (Irati vti tractandi.) Ad rem. Nihil obtinet Latinus à Turno, quia proposuit *haud mollia fatu*, & cùm ille in maiore feruore iratum. Debuisset καιρὸν ἐκλαβόμενος, ait ibi Tragicus, id est, *tēpus captare, obseruare.* ἴσως ἂν ἐκπνεύσειεν, *fortasse ita exhalaret.* & iam emisso spiritu,

Τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις:
Possis eo vti, quantùm velis.

Itaque vult eminentissimus Poëta explicare causam non tunc obtineri, cùm habita non molli tempore.

4. ÆGRESCITQVE, MEDENDO.] Vetus inscriptio Neapoli, *Ægrescunt, & moriuntur.* Sententiæ Virgilianæ similis illa Ouidij, quem aduocat Pontanus,

Acrior admonitu est, moderaminaq́, ipsa nocebant.

Et ego Ammianum, qui lib. 14. de Gallo Cæsare, *quibus* (consiliis) *Cæsar acriùs efferatus.* Ibidem, *ad rabiem eum potiùs exibrabat*, videlicet Thalassius præfectus admonendo Cæsarem. (Iratum consilia reddunt ferociorem.) Maximus Tyr. Dissert. 25. de adolescentibus, ἔμπληκτοι, καὶ ἀκρατεῖς, vt qui efferati nullis pareant consiliis. Et alius quispiam apud Cedren. ματαίαις ταῖς φρεσίν. Vide an καιρὸς ad rem sit. Ideo verò *medendo*, quasi immedicabilis esset

furor Turni. Ioseph. lib. 1 Belli cap. 17. εἰς ἀνήκεστον ὀργὴν ἐξαγριοῦται: efferatur ira immedicabili. A

Ore incipit, non pleonasmus.

5. SIC INCIPIT ORE.] Non est pleonasmus, nihil enim redundat in Virgilio, tantùm notat, potuisse tandem os fungi suo munere, quod priùs clausum præ iracundia.

6. QVAM PRO ME CVRAM, &c.] Valer. Flacc. lib. 7.

I precor, atque vnum pro me dimitte timorem.

Ceterùm oratio Turni conferri queat in homines, qui ruunt in suam perniciem, neque acquiescunt salutaribus consiliis.

Lethum pro laude pacisci.

7. LETHVMQVE SINAS PRO LAVDE PACISCI.] Ita in 5. *vitamq́ volunt pro laude pacisci.* Neque contraria est sententia, etiamsi ibi *vitam*, hîc *lethum* dicat. Nam sententia est, emendam laudem ipsa vita, ipsa morte. Omnino quod Terent. Phorm. scen. 3 act. 2. B

Ita me Dij bene ament, vt mihi liceat tamdiu, quod amo, frui,

Iam depecisci morte cupio.———

Et Propert. Eleg. 16. lib. 3.

Talis mors pretio vel sit emenda mihi.

Lege loca quæ dedi lib. 9. Æneid. ad illud,

Qui vita bene credat emi, quò tendis honorem.

Imitatio.

Et nos pugnamus. Prouerb.

8. ET NOS TELA PATER, &c.] Tale illud Hom. Iliad. 20. ore Hectoris ad minitantem Achillem, ἐπεὶ ἦ καὶ ἐμὸν βέλος ὀξὺ: & meum est acutum telum. Neque abit illud Acamantis 14. Iliad. contra insultantes Græcos,

Οὔ θην οἴοισίν γε πόνος τ' ἔσσεται ἠδ' ὀϊζὺς
Ἡμῖν, ἀλλά ποθ' ὧδε κατακτενέεσθε καὶ ὔμμες:
Non quidem solis labor erit & luctus
Nobis, sed aliquando sic occidemini & vos.

Notus versiculus Ouidianus in epist. Paridis.

Et mihi sunt vires, & mea tela nocent.

Diomedes lib. 5. Iliad. ad Mineruam fugam sibi adhortantem, ἔτι μοι ἔμπεδον ἐστιν: *adhuc mihi vires sunt integræ.*

Heroës singuli cum Numine.

9. LONGE ILLI DEA MATER ERIT.] Solita dari ab heroïcis Vatibus Numina heroïcis viris ad horum custodiam, vt cùm ait Homer. Iliad. 20.

Αἰεὶ γὰρ παρά οἵ γε θεῶν, ὅς λοιγὸν ἀμύνει:
Semper enim adest vnus Deorum, qui perniciē auertat.

Plena tota Ilias huius moris. Hoc ergo longè esse ab Ænea vult Turnus, alluditque ad locum lib. 5. Iliad. vbi Venus eripit Ænean filium Diomedi. Sententiæ Virgilij similis illa Statij 3. Theb.

Locorum similitudo.

———*procul hæc tibi mollis*
Infula, terrificique aberit clementia Phœbi.

Longè esse.

De locutione ista *longè erit*, pro, *longè aberit*, lege Muretum lib. 10. Variar. cap. 4. vbi & locum Iulij corrigit lib. 1. Gall. *longè his fraternum nomen Populi Rom. futurum*, nòn *abfuturum*, vt vulgò legitur, quia videlicet Virg. *longè erit*. Id ipsum sentit Lips. 2. Elect. Sed certè vulgaris lectio Iulij retineri potest, neque locus ille ea eget medicina, vt etiam putat Vrsinus in Notis ad Iulium, nam Ouid. 4. Metamorph.

———*longè tibi Iuppiter absit.*

Longè abesse.

Et Tibull. Eleg. 5. lib. 1.

At mihi nunc longè gloria fortis abest.

Cicero etiam epist. 22. lib. 12. *longè gentium absunt.* Quæ ista licentia trucidandi auctores Latinos? Ecce, quia Virg. dixit *longe erit*, pro, *longè aberit*, nemo iam tutò potest dicere longè *abesse*? Sunt hæc æui huius monstra. Ceterùm ab Nostro Plin. in Paneg. *Longéque tunc illi diuinitas sua*, &c.

Nube tegere.

10. NVBE FVGACEM TEGAT.] Calab. lib. 2. ἀχλύϊ θεσπεσίῃ κεκαλυμμένος: tecti densa caligine. Homerus tamen 5. Iliad. ad quem locum hîc alludit Poëta, ait Venerem texisse filium, cùm extenderet πήχεε λευκώ, & πέπλοιο φαεινοῦ πτύγμα: *vlnas candidas, pepli fulgidi plicaturam.* De nube tacet, & hanc dat postea Apollini, qui Ænean à periculo eripuit κυανέῃ νεφέλῃ. Quem verò hîc *fugacem* Turnus, suprà *desertorem* dixit.

Virgilius defenditur.

11. SESE.] Cùm sententia videatur petere id accipiendum de Ænea, quem Venus texit, tamen particulæ *sese* ad Venerem nos ducunt, considerata vi Grammaticalis reciproci. Hinc est, vt aliqui Virgilium damnent. Sed videant, an verè Poëta eas particulas ad Venerem referat: nam cur non Venus erepturà natum sese vmbris occultaret? dicente Calabro lib. 3. C

———ἐπεὶ σύ μοι ἦτορ ἔολπεν
Ἔμμεναι Ἀπόλλωνα λυγρῇ κεκαλυμμένον ὄρφνῃ:
———*quando mihi cor auguratur*
Esse Apollinem, eum qui horrenda latet caligine.

Dij tecti caligine.

Neque verò necessaria auctoritas, cùm sciamus, Deos vt plurimùm, tectos caligine apparuisse. Ergo ait Poëta: Longè erit Venus, quæ tegat natum, quæ se ipsa occulat. Imò ita plenior erit sententia, nec bis dicet rem eandem, quod esse vitium omnes fatentur.

[a] At Regina noua pugnæ conterrita sorte
Flebat, & ardentem generum moritura tenebat.
[b] Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum: spes tu nunc vna senectæ,
Tu requies miseræ: decus, Imperiúmque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit:
Vnum oro, desiste manum committere Teucris.
[c] Qui te cunque manent isto certamine casus,
Et me Turne manent, simul hoc inuisa relinquam
Lumina, nec generum Ænean captiua videbo.

D

ARGVMENTVM.

Armata Turnum obtestatur, ne cum Troianis pugnet, nam eo extincto, in quo Regiæ totius fulcrum, ipsa quoque habitura est vitæ exitum.

EXPLICATIO.

[a] QVI Latino grauitatem dedit, iam ex diuerso decoro, feminæ affectus alios, nam Regina terretur, flet, imò & manum iniicit, & Turnum tenet,

tenet, quippe moritura, si ille abiret.

ᵇ Sequitur obtestatio Reginæ per lacrymas, & per honorem suum. Quin addit mulcimenta, vt efficaciùs retineat. Tu spes meæ senectæ, requies meæ miseriæ: penes te est decus, & Imperium Latini: demum domus tota in te inclinat, in te recumbit (vide vt bina semper dederit concinnus Poëta.) Quid tandem post obtestationes, post tot mulcimenta? *vnum oro*, videlicet, *desiste manum committere Teucris*.

ᶜ Ratio præcedentis petitiones. Nam casus tuus, meus erit casus. Si tu vt fortis contemnis pericula, ne vt homo contemne inuidiam, quæ in te redundabit, si ego mortem opperam, quod certissimum erit, te extincto: neque enim captiua videbo Ænean generum.

NOTÆ.

1. AT REGINA, &c.] Totus hic locus adumbratur ab sexta Iliade, vbi Andromacha vult retinere Hectorem ruentem ad pugnam. Comparet Lector otiosus. Videat etiam Daretis Phrygij eadem de re verba; & Statij quoque Thebaidem vndecimam, quo loci aspirans ille ad Musam Maronis inducit Iocastam primò matrem continentem Eteoclem, ne eat ad pugnam. Deinde Iocastæ orationem & affectus excipit filia Antigone, ad eum modum, quo Lauinia Amatæ. Indicaui tantùm hæc loca, abstinui à verbis, vt multis.

Nouum, quid notet. 2. NOVA SORTE.] Seru. explicat, magna sorte; ita vt *sors magna* sit *singulare certamen*. & addit rationem, *nam nouum non est quod fuerat antè promissum*. Id si est verum, respondebit non τῷ νέῳ Græcorum, sed τῷ καινῷ. Imò hoc ipsum mihi persuadet explicationem Seruij, nam καινοτομεῖν Græcis, quod propriè est *lapides excidere*, ad magna traducitur. Sic καινοτόμα apud Herodian. lib. 7. sunt res nouæ & magnæ, quas aliquis molitur. Et Gregor. de terra parturiente Gigantes dixit καινοτομῆσαι. & ipsamet certè lapidum excisio non absque magno molimine.

Locorum similitudo. 3. ARDENTEM GENERVM MORITVRA TENEBAT.] Conferatur hic locus cum illo secundi, vbi Creüsa retinet Ænean euntem ad bellum.

4. TVRNE PER HAS, &c.] Confer hanc orationem inclusam octo versibus, cum illa, qua Hecuba voluit retinere Hectorem ruentem ad bellum contra Achillem lib. 22. Iliad. quę item constat octo versibus, & videbis in pari versuum numero non paria Homerum superat Virgilius. rationum pondera. Ibi flet Hecuba, sed lacrymæ illæ extra orationem sunt: Amatæ in ipsa oratione, imò per illas obtestatur, & illas indicat, *per has ego te lacrymas*. Loco illius λαθικηδέα μαζὸν ἐπέσχον: *prabui mammam, qua sedares luctum*, loco (inquam) illius est, *per si quis Amatæ tangit honos animum*. Nam illud de mamma non potuit, vt quæ non mater Turni. Mulcimentis istis,

———spes tu nunc vna senectæ,
Tu requies miseræ: decus Imperiumq́; Latini
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit,

omnino Græcus caret. Petitio Hecubę est, μὴ πρόμος ἵστασο τούτῳ, *ne pugna cum hoc*, id est, Achille: Amatæ efficacior, quia δεικτικῶς, *vnum oro*. & pro, τούτῳ est,

———desiste manum committere Teucris,

non ausa dicere, *desiste manum committere cum hoc*, ne ipso Turnus ditiùs irasceretur, si audiret, sese inferiorem viribus Ænea. ideo absolutè *Teucris*. Pergit Hecuba, εἴπερ γάρ σε κατακτάνῃ, *si enim te interfecerit*. Apa-

A ge, vt hoc verbum assumeret Amata, tantùm indicans ait,

Qui te cumque manent isto certamine casus.

Definit tandem Hecuba in hunc flectum, si te interfecerit, non te plorabo in lectis, nam te canes hinc longiùs comedent. Quanto est efficacius? Si cadas, & ipsa cadam, nolo viuere te cadente. & hoc non simpliciter, sed cum ingenti conquestione, *relinquam inuisa lumina*. & addit, quia nolo esse *captiua*.

5. TANGIT HONOS ANIMVM.] Sic Horat. epist. ad Pison. *cor spectantis tetigisse querela*. & Lucret. lib. 3. *tangere pectus dulcedine*. Itaque idem *tangere animum, cor, pectus*, id est, permouere. Sic explico. Nam Plutar. B in Lysandro, illum qui gloria non tangitur, vocat ἀπαθῆ, καὶ ἀκίνητον. Ouid. Eleg. 8. lib. 1. Trist. *vota duros non tetigêre Deos*. Tango in affectu.

6. SPES TV NVNC VNA SENECTÆ.] Stat. 1. Sylu. *requies portusq́; senectæ*. & *spes* ait, ad eum modum, quo Polyb. lib. 3. πατρὶς πάσας τὰς ἐλπίδας ἔχει τῆς σωτηρίας ἐν ὑμῖν: *Habet patria spes omnes salutis in vobis*. Spes senectæ.

7. TE PENES.] Est hoc quod Eurip. in Taur. dicit καὶ τὰ μ' ἐν ὑμῖν ἔστιν: *Mea in vobis sunt sita*. Aduocat Erythr. illud Vlpiani de verb. signif. *Penes te amplius est, quàm apud te: nam apud te, est, quod qualitercunque à te tenetur, penes te est, quod quodammodo à te possidetur*. vide Pontanum. Ad sententiam pertinet illud Eu- Penes te. C rip. in Taur. vbi ad Orestem dicitur, Imitatio.

———Ἄργος πρὸς σε νῦν ἀποβλέπει:
———Argos in te respicit.

6. IN TE OMNIS DOMVS INCLINATA RECVMBIT.] Aristoph. in Lysistr.

Συνεχόμισάν σοι καὶ κοινῇ τὰ γλίσματα πάντ' ἐπίσης φασί:
In te vna spes nostras, & communes posuêre querelas.

Seneca in Furen. *vnicum lapsa domus firmamen*. Proper. Eleg. vlt. lib. 4.

Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.

Horat. Od. 17. lib. 2.

———mearum
Grande decus columenq́; rerum.

D Quod fortasse sumpsit à Pind. qui Olymp. Hectorem appellat ἄμαχον, ἀστραβῆ κίονα, *columnam inexpugnabilem, immobilem*. In Herodoti Musa septima est, ἐν ἀνδρὶ γὰρ εἶναι πάντα τὰ βασιλέως πρήγματα γινέσθαι: *Regis res omnes in vno viro sitas esse*. Eurip. in Hipp Θήβας τεῖχος: *murus Thebarum*, vt in quo sitæ spes omnes Thebarum. Sed quidpiam peculiare est in Virg. qui *domum*, id est, genus, & familiam, ait incumbere in Turnum, vt in generum, videlicet propter filios & posteros. Quo sensu Tacit. lib. 5. Hist. *Non legiones, non classes, proinde firma Imperij munimenta quàm numerum liberorum*. & 1. Annal. *Quo pluribus munimentis insisteret, nitetur subsidio plurium liberorum*. Sic possum accipere illud Tecmessæ ad Aiacem apud Sophoclem in Flagellif. ἐν σοὶ πᾶσ' ἔγωγε σῴζομαι: *in te tota ego ferror*. Et Eurip. in Bacch. ô fili, ὃ δῶμ' ἀνέβλεπεν: *in quem* E *domus respiciebat*. Vt verò hîc *recumbit*, ita ex nota Budæi Polyb. lib. 3. ἀπήρεισαι. vide illum pag. 980. Sed certè cùm Virgilius dixerit, *recumbit*, quo verbo ducimur ad columnam: & *domus*, qua voce ducimur ad liberos, mihi non dubium, quin hæserit omnino Euripidi, qui in Iphig. in Tauris ait, Liberi sunt columna domus. Liberi plures firmamentum domus. Imitatio.

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες:
Columnæ enim domorum (id est, familiarum) *sunt libri masculi.*

Et in Medea ait liberos esse ἔρυμα δώμασι, *propugnaculum domorum*.

9. VNVM ORO, DESISTE, &c.] Huic versui respondebunt illi, qui sunt 3. Iliad. Imitatio.

———ἀλλὰ

———ἀλλά σ' ἔγωγε
Παύσασθαι κέλομαι, μηδὲ ξανθῷ Μενελάῳ
Ἀντίβιον πόλεμον πολεμίζειν, μηδὲ μάχεσθαι:
———*sed te ego*
Cessare iubeo, neque flauo Menelao
Hostem te in bello, & pugna prabere.

Manum cõmittere. 10. MANVM COMMITTERE.] χεῖρα συνάπτειν.

Locorum similitudo. 11. QVI TE CVMQVE MANENT, &c.] Similis locus 2. Æneid.

A *Quo res cumque cadent, vnum & commune periclum,*
Vna salus ambobus erit.———

Et Propert. Eleg. 28. lib. 2.

Viuam si viuet: si cadet illa, cadam.

Plaut. Mostell. *Si cades, non cades quin tecum cadam?*

12. INVISA.] Quia *lumina*, ideo *inuisa*. Huic, *lumen relinquere*, opponit Virg. 2. Georg. *tolli in oras luminis*. & 7. Æneid. *edi sub oras luminis*. Oppositio.

[a] Accepit vocem lacrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
[b] Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur, vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
[c] Illum turbat amor, figítque in virgine vultus,
Ardet in arma magis, paucísque affatur Amatam.
Ne quæso, ne me lacrymis, néve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem
O mater, neque enim Turno mora libera mortis.
[d] Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta Tyranno
Haud placitura refer. Cùm primùm crastina cœlo
Puniceis inuecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos, Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm, nostro dirimatur sanguine bellum,
Illo quæratur coniux Lauinia campo.

ARGVMENTVM.

Visa tum temporis Lauinia (cuius pulchritudo ex occasione describitur) ardorem Turni acrius incendit, qui Amatæ lacrymas verbis castigat, & ad Ænean mittit Idmona nuntiaturum singularem congressum.

EXPLICATIO.

[a] SERVIVS sic ordinat. *Lauinia accepit vocem matris, perfusa lacrymis flagrantes genas.* & deinde, *cui rubor subiecit ignem*, pro, cui ignis subiecit ruborem, nam hypallage est, inquit. Neutrum placet. C Non primum, quia indignum est tanto Poëta nesciuisse voces aliter disponere: non alterum, quia non necessarium. Ego sic explico. *Accepit Lauinia matris vocem* vnà cum *lacrymis*, id est, & vocem, & lacrymas, nam respicit illud, *Turne, per has ego te lacrymas.* Hispanè, *ojo que su madre daba voçes cy quellorabá*. & infra fit mentio lacrymarum Amatæ, *ne quæso néve lacrymis*, nunquam Lauiniæ. Pergit. *perfusa genas flagrantes*, id est flagrantia & ardore perfusa genas. Fateor hoc esse difficilius. Sed mauolo Poëtam difficilem, quàm stupidum. Mihi tamen difficile non videtur. Nam, cur non poëticè quispiam dicat? *indutus corpus stola, caput galea.* Sic etiam egregiè & poëticè dicam, *perfusus madentes oculos*, pro, *perfusus oculos madore*. Procedit. Adeò verò plurimus fuit rubor & flagrantia, vt ignem subiecerit toti corpori: quasi rubor multus B penè in ignem.

[b] Sequitur comparatio. Vidisti ebur perfusum purpura, aut alba lilia permista multis rosis, & veluti ab istis ruborem trahentia; ergo, *tales virgo dabat ore colores*, mistos scilicet ex cãdido, & purpureo. Ordino *multa rosa*, non *lilia multa alba*, vt malè Seruius. Illud meum multo opportunius.

[c] Est hoc hysteron proteron. Ex fixis oculis in virgine fit ille turbatior, ac proinde ardentior ad bellum. Itaque statim à virgine conuersus ad Amatam, petit ab ea ne ploret; sunt enim lacrymæ aduersum omen eunti ad bellum. Adiicit: *neque enim Turno mora libera mortis*, id est, detrectare pugnam hanc non possum, eundum mihi vel ad certam mortem est, res hæc non mihi est integra. Nescio cur Seruius dicat, locum hunc esse insolubilem. Est enim oratio hæc effrænati & præcipitis hominis, inquit Turneb. quique obstinato est animo ad mortem.

[d] Nactus Turnus egregiam occasionem ostentandi amoris sui erga Lauiniam, vt videat illa & audiat nullum pro ipsa detrectari periculum, conuersus ad Idmonem, iubet illum mandata ad Ænean perferre, vt sequenti statim die exercitus à bello cessent, & arma militum conquiescant: nam meo (inquit) & illius sanguine bellum dirimi necesse est, eo campo quæretur vxor Lauinia, singulari inter nos duos tantùm congressu.

NOTÆ.

1. ACCEPIT VOCEM, &c.] Tria loca inuenio in Statio, quæ fluxêre ab hoc Virg. 3. Theb. Locorum similitudo.

At gemi

At gemitus Argia viri non amplius aquo
Corde ferens, socuumq; animo miserata dolorem.

Et lib. 11. vbi Antigone excitatur ad fletus matris Iocastæ cōtinentis filium, ne iret ad bellum, *At parte ex alia*, &c. lege reliqua. Demum alib. *& gemitu mœstos imitata parentes.* Illud de Iocasta & Antigone sumpsit Statius proculdubio ab Phœnissis Eurip.

Virgilij ars in vocibus dispositis. 2. FLAGRANTES PERFVSA GENAS, &c.] Ars magni Poëtæ, nam flagrantia, ignis, rubor, calefacio ad rem eandem pertinent: ita verò disponuntur, vt non idem dici videatur, nam *rubor ignem subiicit per genas flagrantes, currúque per ora calefacta.* & his omnibus vnus pudor indicatur. Vide ieiunium Calabri lib. 1. loquentis de Penthesilea, αἰδὼς δ᾽ ἀμφερύθηνε: *pudor ruborem addebat.* Apollon. lib. 1. loquens de Hypsipyle, παρθενικὰς ἐρύθηνε παρειάς: *virgines genas rubefecit.* Moschus in descriptione Helenæ, φοινίσσετο μέσσα παρειά: *rubebant media genarum.* Leonides in Epigram.

Αἰδοῖ πάντα πρόσωπον ἐρυθραίνομαι:
Rubore vultum omnem purpurasco.

Sic & Pind. θερμαινόμενος αἰδοῖ. Eurip. in Iphigen. φοινίσσεται παρηὶς ἐμὰν αἰσχύνᾳ. Omnes isti, vt vides, aut habent tantùm verbum *rubere*, aut illi addunt nomen *pudoris*. Nemo *ignem* habet. In vno Æliano tria vidi, vt in Virg. nam de Aspasia ita ait cap. 1. lib. 12. Var. hist. ἐρυθημάτων ἦν μάλα φλεγυρῶν ἐμπεπλησμένη αὐτῆς τὸ πρόσωπον, καὶ ἐκ παντὸς αἰδουμένη τῷ τρόπῳ ὅλῳ ἦν: *Plena erat eius facies flammeo rubore perquàm eleganti, & omni ex parte verecundiam repræsentabat.* vbi sunt ἐρυθήματα, & hæc φλεγυρά, & additur αἰδουμένη. Omnia etiam hæc coniunxit inter Latinos Claudianus lib. 1. Rapt. ab inspectato Virgilio,

——*niueos infecit purpura vultus*
Per liquidas succensa genas, castiq; pudoris
Illuxere faces.——

Placet illud Ouid. 7. Metamorph.

Erubuêre genæ, totoq; recanduit ore.

Necnon illud Valer. lib. 6. de Medea, *roseo pudor errat in ore.* Roges fortasse, cur tantopere institerim in laudando Virgilio, quòd *ignis* meminerit in hac re? Ignis cur in pudore. Quia verè purpureus color exsistit præclarus ex mistura ignei, & candidi. Vidit hoc Virgilius, non alij. Locus clarus est in Aristotele lib. 11. Meteor. cap. 5. μάλιστα δὲ φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν δεῖ· τὸ τοιοῦτο μάλιστα ἐκ τοῦ πυρώδους καὶ λευκοῦ φαίνεται μιγνυμένων κατὰ τὰς ἐπιπροσθήσεις: *Imprimis verò colores punicei, aut purpurei, quòd hi potissimùm mistura ignei candidique, altero alteri superinduto, temperari soleant.* Purpureus color quando optimus. Plutarch. in Sympos. αἴθοντα φλόγα τοῖς ῥόδοις στέφανον: *coronam ardentem roseis floribus.*

Pudor virginum. 3. RVBOR.] Pudor maxima est virtus virginitatis. Apul. lib. 1. *Virginali verecundia.* Simonid. apud Athen. lib. 13.

Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὴν παρθένος:
Verecundo ex ore vocem emisit virgo.

Itaque Virgilius cùm viderit nullam pulchritudinem esse dignam laude, nisi quæ pudibunda, *ruborem* Lauiniæ dedit. Inde Cornel. Gall. Eleg. 1.

Candida contempsi, nisi quæ suffusa rubore
Vernarent propriis ora serena rosis.

Apuleius etiam lib. 11. *roseo rubore flammida.* Plato in Charmide, ἀνερυθριάσας οὖν ὁ Χαρμίδης, πρῶτον μὲν ἔτι καλλίων ἐφάνη· καὶ γὰρ τὸ αἰσχυντηλὸν αὐτοῦ τῇ ἡλικίᾳ ἔπρεψεν. Pulchritudo ab pudore. Ait Charmidē rubore ipso apparuisse pulchriorem, quoniam pudor decet eam ætatem.

Ebur inficiebatur purpura. 4. INDVM SANGVINEO, &c.] De ebore Indico, quod aliis præstantius, dixi in Georgicis. Hîc dicam, quæ pertinent ad locum istum. Olim ebur infici solitum purpureo colore, multa clamant, quæ hanc rem conuincunt, etiamsi desita ab nostris sit: nunc

A enim nulli sunt infectores eboris. Inprimis magnū pondus Virgilius ipse, qui hoc non diceret, nisi ars hæc aliquando fuisset. Sed produco alios. Hom. 4. Iliad.

Ὡς δ᾽ ὅτε τίς τ᾽ ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μηονὶς ἠὲ Κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων:
Veluti cùm mulier aliqua ebur tinxerit purpura
Mæonia, aut ex Caria, vt seruiat equo ad maxillas.

Ab hoc Ouid. 2. Amor.

Aut quod (ne longis flauescere possit ab annis)
Mæonis Assyrium femina tinxit ebur.

vbi est & ratio artis, ne ebur flauescat, ideo inficitur. Claud. 1. Rap.

——*non sic Deus ardet eburnum*
Lydia Sydonio quod femina tinxerit ostro.

B Dicit *Lydia*, quod Homer. Μηονίς. nam Eustath. ibi, Μηονὶς γυνὴ, ἡ Λυδή. & Μαίονες iidem, qui & Λυδοί. Redeo. Achilles Alexandrinus eandem artem Lydis attribuit. Ouid. 4. Metamorph. loquens de colore, ait esse similem *ebori tincto.* Stat. lib. 1. Achill.

Lactea Massagetæ veluti cùm pocula fuscant
Sanguine puniceo. vel ebur corrumpitur ostro.

Maximus Tyr. Dissertat. 24. ἐλέφαντος ὑπὸ γυναικὸς βαρβάρου φοίνικι ἐξηνθισμένου: *eboris à femina barbara purpura rubefacti.* Philostr. lib. 2. Icon. καὶ τὸ αἷμα δὲ, ἴον ἐπὶ ἐλέφαντι χρῶμα ἀνθεῖ: *& sanguis, vt in ebore color floret*, &c. Allusit Valer. lib. 2. Arg.

Exanimum veluti multa tamen arte coactum
Mœret ebur, Pariisue notas, & nomina sumit,
C *Cùm lapis, aut liquidi referunt miranda colores.*

5. VIOLAVERIT.] Ita reddit Homericum μιαίνειν. Violo, de tinctura, Corrumpo, Maculo, Propior ad Homerum Stat. in laudato loco, vbi *corrumpitur.* Et propior adhuc Valer. lib. 4. Arg. inferens verbum *maculo*, vbi ait,

Lyda nurus sparso telas maculauerit ostro.

Græci alij (auctore Eustath. in locum dictum Homeri) βάπτειν, καὶ φαρμάσσειν, ad hanc rem. Sic Ouid. Tingo, Claud. & alij verbum *tingo*, quod respondet τῷ βάπτω. Plin. lib. 9. cap. 41. verbum *inebrio* vsurpat loquens Inebrio, de colorum mistione. Plutar. in lib. περὶ τοῦ εἰ, ita tractat Homeri locum. τὸ δὲ εἰλικρινὲς καὶ καθαρὸν, ἑτέρῳ γὰρ μίξει πρὸς ἕτερον ὁ μιασμός. ὡς που καὶ Ὅμηρος ἐλέφαντά τινα φοινισσόμενον βαφῇ μιαίνεσθαι φησί. καὶ τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς, φθείρεσθαι, καὶ φθορὰν τὴν μίξιν ὀνομάζουσι: Dicit, *id quod sincerum est & purum, si alteri misceatur, iam tum inquinari, inde Homerum dixisse de tincto ebore, esse inquinatum; & ab infectoribus colores mistos dici propriè corrumpi, & mistionem ipsam nominari corruptelam.* Inquino.

D

6. VEL MISTA RVBENT VBI LILIA, &c. Illustro & hanc comparationem. Anacr. πρίνει τὰ λευκὰ ῥόδοις κρίνα πλακέντα: *libia alba decora sunt rosis adplicita.* Liliorum, & rosarum mistio. Prudent. Psychom.

——*tum sanguine tinctis*
Inter texta rosis candentia libia miscet.

Ouid. ab Nostro 2. Amor.

Quale rosa fulgent inter sua lilia mistæ.

Cùm verò vis tota comparationis posita sit in mistione colorum purpurei & candidi assumptis rosis, Purpureus & candidus color. E & liliis, non aberunt illi, qui vtrumque colorem cōiungunt, etiamsi in materia alia. Vt cùm Nonnus lib. 11. describens pulchritudinem pueri Calami coniunxit lac, & purpurantem rosam. Lac. & rosa. καὶ δέμας εἶχε γάλακτι πανείκελον: *habuit corpus lacti persimile*, & statim. ἀμφὶ δὲ λευκὸν ἀκρότατον πορφύρε ῥόδον: *candorem summa in cute purpurabat rosa.* Sic Ennius 11. Annal.

Sic mulier rubuit ceu lacte & purpura mista.

Tam Ennius, quàm Nonnus accepêre (credo) ab Anacreonte, qui,

Γράφε ῥῖνα, καὶ παρειὰς

ῥόδα

Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας
Pinge nares,& genas
Rosas lacti miscens.
Hinc illustro Propertium scribentem Eleg.3.lib.2.
Vtq; rosæ puro lacte natent folia.
[Lac, & corallia.] Transeo ad alia. Sidonius iunxit *lac,& corallia*, nam loquens de cycnis Veneris,
Lactea puniceo sinuantur colla corallo.
Tibull.lib.3.Eleg.4.aliunde sumpsit,
[Mala, & lilia.] *Vt cùm contexunt Amaranthis alba puella*
Lilia:& autumno candida mala rubent.
Propertius *minium* cum *niue* composuit ad rem eandem Eleg.3.lib.2.
[Nix, & minium.] *Vt Mæotica nix minio si certet Ibero.*
[Rosa.] Musæus describens Herûs pulchritudinem in vna rosa vtrumque colorem posuit, cùm ea mista ex candido & puniceo. Verba eius:
Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν,
Ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον:———
Rubebant verò summi circuli niuearum genarum,
Vt bicolor ex calatho rosa.———
Vt intelligas illud ἐκ καλύκων Græci, & versionem nostram *ex calatho*, vide quæ dedi 1.Eclog.ad illud, *Ecce ferunt Nymphæ calathis.* Redeo ad pēsum. Aristænetus vnas tantùm assumpsit rosas epist.10.lib.1. καὶ τοσοῦτον ἐξεφοινίχθη τὸ πρόσωπον, ὡς δοκεῖν, ὅτι τῶν παρειῶν ἔνδον ἔχει τινὰ ῥόδων λειμῶνα: *Ita vultu erubuit, vt videretur habere intra genas pratum quoddã rosarum.* Anacreon
[Pratum rosarum.] [Lilia,& violæ.] *lilia*,& *violas* coniunxit, omissis rosis, cùm scripsit,
Μέσον αὔλακα δὲ Κύπριν
Κρίνον ὡς ἴοις ἑλιχθὲν
Διαφαίνεται γαλήνης:
Medio sulco Venus
Quasi lilium violis implicatum
Renidet placidum per æquor.
[Lunæ incãtatæ color.] Demum hunc duplicem colorem alij posuêre in Luna cùm incantatur, nam ipsa est candida, & incantatio reddit verecundam. In promptu sunt hac de re Ouidij & aliorum versus. Multi tamen locuti sunt absque signata materia coniungentes vtrumque colorem. Vt cùm Seneca in Medea scripsit,
[Candidus color,& purpureus.] *Ostro sic niues Phœniceo color*
Perfusus rubuit.———
Statius.2.Theb.
Candida purpureum fusa super ora ruborem.
Idem lib.1.Syluar.
O vbi purpureo suffusus sanguine candor.
Tibull.Eleg.4.lib.3.
Candor erat,qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt iuueni primùm virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.
Propert.Eleg.25.lib.2.
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco.dulcis vterque color.
Quippe *fuscum colorem* accipe pro purpureo, ex consensione aliorum Poëtarum. & quia verè nigricat purpura, præsertim saturata.
[Lilia cur rubeant.] 7. MISTA RVBENT, &c.] Notandum vnicè dari ruborem liliis tantùm ex vicinitate rubentis rosæ. ideo signatè, *rubent mista rosis.* Hoc non debet insolens videri, vt probatum iam lib.1.Æneid.ad illud, *lumẽnque iuuenta purpureum*, ex Horatio, Tatio, Philostrato, Ioanne Chrysostomo.
[Amor turbat.] 8 ILLVM TVRBAT AMOR.] Liuius lib.3.de Appio depereunte Virgineam: *Tanta vis amentia verius quàm amoris,mentem turbauerat.* Masinissam idem scriptor lib.30. amant em impensè Sophonisbam inducit cum rubore, lacrymis, suspirio, gemitu. De Baccho impensè amante Nonnus lib.11. γηθόσυνος. De Herode Iosephus c.12.lib.10. Antiq. ὡς δὲ καὶ θεασάμενον ἡ τῆς παιδὸς ἐξέπληξεν ὥρα: *puella pulchritudo intuentem stupore affixit.* Pheroras quidam apud eundem c.17.lib.2. [Efficit stupidos, Insanos.] Bell.Iud. cùm sibi ipse attribueret παρακοπὴν φρενῶν, καὶ μανίαν, *mentis diminutionem, atque insaniam*, subiicit statim, ἧς αἴτιον εἶναι τὸν ἔρωτα τῆς γυναικὸς ἔλεγεν, *cuius (insaniæ) causam dicebat esse amorẽ fœmina.* Vide notas, quas Plutar.in vita Demetrij dat Antiocho ad visam Stratonicen, quã deperibat. Inter plures alias adhibẽtur ἀταξία, θόρυβος ἐν τοῖς σφυγμοῖς, ἀπορία, θάμβος, ὠχρίασις: *confusio, perturbatio pulsus, perplexitas, stupor, pallor.*
[Amor incẽdit furorem bellicum.] 9. ARDET IN ARMA MAGIS.] Videlicet post visam Lauiniam. Profero elegantem Plutar. locum ἐν τῷ ἐρωτ. ad rem hanc. ἀνὴρ γὰρ ὑποπλησθεὶς ἔρωτος οὐδὲν Ἄρεος δεῖται μαχόμενος πολεμίοις. ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ θεὸν ἔχων συνόντα, πῦρ, καὶ θάλατταν, καὶ πνοὰς τὰς αἰθέρος περᾶν ἕτοιμος ὑπὲρ τοῦ φίλου, ὅπου ἂν κελεύῃ: *Amore vir correptus, nequaquam indiget ope Martis, si dimicandum cum hostibus sit. Sed cùm ipse suum Deum* (Amorem intelligit) *comitem habeat, paratus est ignem, & mare, & aërem superare pro amico, si iusserit.* Hinc ergo Poëta communi verbo *ardet* vsus, quod & de amore,& de bello. Nõnus lib.11. σπινθῆρας ἐρώτων: *Scintillas amorum.* Annecto Plutarcho Max.Tyrium Differt.8.vbi ait, ἔδει γὰρ ἑκαστον τῶν ἐραστῶν ἀριστεύειν ἐν ὄψει τῶν παιδικῶν μαχόμενον: *Necesse fuit amatores singulos strenuè rem gerere, quippe pugnantes coram his quos amabant.* Hinc ergo tam acer Turnus, quia & amans, quod habes ex Plutarcho; & coram Lauinia, quod habes ex Maximo. Idẽ Maximus ait Differt.10.eum, qui amat, contemnere omnia horribilia, ac nullius gladios formidare.
[Imitatio.] 10. NE QVÆSO, NE ME LACRYMIS, &c.] Locus sumptus ab Apollonio lib.1.Arg.
Μή μοι λευγαλέας ἐνιβάλλεο μῆτερ ἀνίας:
Ne mihi tristes incutias mater curas.
Lege reliqua. Sunt verba Iasonis ad matrem. Infrà idem Iason,
Ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν αὖθι μετ᾽ ἀμφιπόλοισιν ἕκηλος
Μίμνε δόμοις, μηδ᾽ ὄρνις ἀεικελίη πέλε νηΐ:
Proinde tu quidem nunc hîc cum famulabus quieta
Mane domi, neque auis tristis sis naui.
Institit proculdubio Apollon. istis Homericis vlt. Iliad.
Μή μ᾽ ἐθέλοντ᾽ ἰέναι κατερύκανε, μηδέ μοι αὐτὴ
Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὴ πέλευ:———
Ne me volentem ire retine, neque mihi ipsa
Auis sis mala in ædibus.———
Quæ loca affinitatem habent cum Virgiliano, vt etiam ille 23.Iliad.
Μή μοι ἐρύκεσθον, μηδ᾽ ἵστατον ἀχνύμενοι κῆρ:
Ne me moramini, neque state tristes corde.
[Lacrymæ infelix omen.] 11. NE ME LACRYMIS, NEVE OMINE.] Sunt quippe lacrymæ infelix omen profecturis. Ouid.8. Metamorph.
Inter opus, monitusq; genæ maduêre seniles,
Et patriæ tremuêre manus, dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo.———
Sic in 8.Euander, abeunte Pallante filio, *hæret inexpletum lacrymans*, quem nunquam deinde, nisi mortuum, vidit. Sic Amaræ lacrymæ omen fuêre Turno, quippe cecidit in acie. Quis nescit lacrymas, quas accepit Hector ab Priamo, Hecuba, Andromacha, cùm iret ad bellum, neque rediit? Ex hac veterum obseruatione præclarè Passeratius corrigit Tibullum lib.1.Eleg.3.
Cuncta dabant reditum, tamen haud deterrita fruſtra es,
Cùm fleres nostras respiceretq; vias.
Neque enim vetus lectio ita congruens. Itaque exituris lacrymæ sunt geminum omen cum offensione pedis. Obseruo elegantem locum Eurip. ad hanc rem

rem in Orest. vbi Pylades persuadet fugienti Oresti nihil dicat sorori Electræ, nam erunt lacrymæ in discessu, quæ lacrymæ οἰωνὸς μέγας, *magnum augurium*, id est, triste, & acerbum omen.

Prosequor, quo via.

11. PROSEQVERE.] Propriè est deducentium aliquem, cum discedit. Plaut. Cas. *nouam nuptam volo rus prosequi*. Liu. lib. 2. *Decedentem domum cum fauore ac laudibus prosecuti*. Sidon. epist. 8. lib. 4. *caterua prosecutorum*. quem in locum plura Coluius.

Haud placitura.

12. HAVD PLACITVRA REFER.] Apul. Apol. 2. *Reportat ad socerum haud mollia*.

Puniceum, de Aurora.

13. PVNICEIS.] Poëta ἄδηλος (ait Vrs.) de Aurora, φοινικοδάκτυλος. Claud. 1. Rap. dat nouæ luci *puniceos ortus*. Sic consequenter in hoc eodem versu *rubebit*. & 3. Æneid.

Iamque rubescebat stellis aurora fugatis.

Aurora cum rotis.

14. ROTIS.] Ouid. 3. Metamorph.

Cum croceis inuecta rotis Aurora reducet.

& 7. Æneid. quem locum adeas,

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Euripid. in Orest. auroram vocat μονόπωλον, vt quæ inueheretur vnico equo, id est, curru vnico: verè bigis, in quibus tantùm essent rotæ binæ, quæ efficiunt vnum currum, non quatuor rotæ.

15. NON TEVCROS AGAT IN RVTVLOS.] Pertinent ad hunc locum multa lib. 3. Iliad. Lege ab eo loco αὐτὰρ ἐμὲ ἐν μέσῳ, &c.

Imitatio.

16. NOSTRO DIRIMATVR SANGVINE BELLVM.] Est hoc Euripideum illud Phœniss.

Monomachia.

Μόνος συνάψω σου, γόνῳ τῷ 'μῷ μάχην:
Solus committam fratre cum meo pugnam.

Et in Heracl. ἐμοὶ μόνος μόνῳ μάχην συνάψαι: *mecum solo solus congrediatur in pugna*. Tydeus apud Stat. libro 2. Theb.

Quis timor audendi? quæ tanta ignauia? solus,
Solus in arma voco. ———

Sic sup. *& solus ferro*, &c. Tale & illud apud Cedren. A pag. 560. προκαλούμενος αὐτὸν εἰς μονομαχίαν, δέον εἶναι λέγων, ἀνδρὸς θανάτῳ κριθῆναι τὸ ἔργον, ἢ καταστρατιῶται, καὶ κατὰ μικρὸν ἐξαναλοῦσθαι τὰ ἔθνη: *prouocans illum ad singulare certamen, satius esse ducens, decerni rem vnius hominis interitu, quam paulatim gentes integras singulari, & absumi*. Lege eundem pagina ducentesima octuagesimaprima, vbi μονομαχία componit bellum inter Romanos, & Persas, nullo alio interfecto. Sed mihi non dubium, quin Augustæus Poëta ad historiam Augusti aspirarit, quem Principem iactabundus Antonius ad singulare certamen prouocauit. Verba Plutarchi in vita Antonij sunt, αὖθι κομπάζων Ἀντώνιος αὐτὸν μὲν εἰς μονομαχίαν προὐκαλεῖτο.

Romana historia representata.

Locorum similitudo.

17. ILLO QVÆRATVR, &c.] Tale ferinè illud Lucani lib. 7.

Qui sobolem, ac thalamos desertáque pignora quærit,
Ense petat, medio posuit Deus omnia campo.

Par penè arrogantia Memnonis apud Calabrum lib. 2.

B Γνώσῃ ἐνὶ πτολέμῳ, ὁπότ' ἀνέρος εἴδεται ἀλκή:
Cognosces in bello, vbi viri spectatur virtus.

Imitatio.

Sed Virgilius proculdubiò ad Homerum aspirauit 3. Iliad. vbi in simili fœdere cùm Iris dicat Helenæ pugnaturos pro illa singulari certamine Menelaum, & Paridem, absoluit,

Τῷ δὲ νικήσαντι φίλη κεκλήσῃ ἄκοιτις:
Vocaberis vxor chara victoris.

Vel ad Eurip. in Helen. vbi Menelaus ad ipsam Helenam,

Πρῶτον δ' ἀγῶνα μέγαν ἀγωνιούμεθα
Λέκτρων ὑπὲρ σῶν. ὁ δὲ θέλων, ἴτω πέλας:
Sed prius magnum certamen certauimus
Pro tuo lecto. qui (te) vult, accedat (ad pugnam) *propè.*

Bellum, explorator virtutis.

Et præclarè quidem Turnus, *quæratur coniux campo*, nam bellum, vt inquit Simocatta c. 13. lib. 3. est virtutis βάσανος, & διαιτητής, *explorator, & censor*.

[a] Hæc vbi dicta dedit, rapidúsque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudétque tuens ante ora frementes,
[b] Pilumno, quos ipsa decus dedit Orithyia,
Qui candore niues anteirent, cursibus auras.
[c] Circunstant properi aurigæ, manibúsque lacessunt
Pectora plausa cauis, & colla comantia pectunt.
[d] Ipse dehinc auro squallentem, albóque orichalco
Circundat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensémque, clypeúmque, & rubræ cornua cristæ;
Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat vnda.
[e] Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium: quassátque trementem
Vociferans. Nunc ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. da sternere corpus,
Loricámque manu valida lacerare reuulsam
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro, myrrháque madentes.

ARGVMENTVM.

Relinquit Turnus Regiam, itque ad ædes suas, vbi post adductos, paratosq́; ab aurigis ad prælium equos, ipse armatur lorica, ense, clypeo, hasta.

EXPLICATIO.

a BELLANDI auidum indicat ex rapiditate, qua inde recessit; ex diligentia, qua equos poscit. Vix nominat, & iam adsunt ante ora; gaudétq; audito illorum fremitu.

b Sequuntur elogia equorum. Primùm à primis possessoribus, fuerunt.n. Orithyię Reginę Thracum, & dati dono tanquam in *decus* magno Principi Italorũ *Pilumno*. Quales ergo illi: deinde à candore, quo niues superabant. Tertiò à pernicitate, qua auras.

c En iam διακονία aurigarum, qui *circumstant*, & *properi*. Ac *lacessunt manibus* tanquam prouocaturi, illorum *pectora*. Egregiè illud, *plausa cauis manibus*, ex blandimento equorum. Demum *pectunt colla comantia*, id est, comunt & pectunt colla, & iubas.

d Ab equis ad Turnum. Ante omnia loricam induit. Puto versum esse difficilem. Ego sic explico, vt materia loricæ esset ex orichalco, quæ tamen auro squalleret. Itaq; *circundat humeris loricã ex albo orichalco, sed squallentem auro*. Sed Poëta poëticè. Procedit. *aptat sibi ensem habendo*, id est, habilem. deinde *clypeum*. mox *rubræ cornua cristæ*, id est, cristas plumeas rubras, sectas, diuisásque veluti in cornua. Redit iterum ad ensem, cuius peculiaris mentio, quia opus Vulcani, & dono datum Dauno parenti Turni.

e Præcipuæ moræ in hasta; nam ea putabat Turnus configendum Ænean. Itaque hanc *corripit*, quia festinanter: hanc *quassat trementem*, id est, cùm quassat, facit tremere. Cum ea loquitur admodùm vociferanter, gaudens eam fuisse Actoris Aurunci, nunc suam, petitque ab ea, vt cũ nunquã missa frustra fuerit, nũc præcipuè adsit, cùm sternendus semiuir Phryx; cùmque fœdandi sint puluere crines illi, priùs vibrati ferro calido, & madentes myrrha. Illud, *lacerare reuulsam loricam*, est, lacerare & reuellere. Habet verò energiã, quasi dicat. Te hasta perforante & sternente hostile corpus, lorica quoque perforabitur, ac proinde lacerabitur facilè: ideo ergo, *da sternere corpus*, ac proinde, *da loricam lacerare*, iuxta illud lib. 11. *& bis sex thoraca petitum.*

NOTÆ.

1. GAVDETQVE TVENS ANTE ORA FREMENTES.] Gaudium videlicet à fremitu, quia ab illo omen victoriæ. ita Seru. Iuuat eius mentem Tacit. de Morib. German. Hi.n. Deorum voluntatem, & futura omnia ab hac fera explorant, atq; adeò diligenter equorum *hinnitus ac fremitus obseruant*. De Dario, & Regib. Pers. loquens Amm. lib. 23. ait, *imperitandi initiũ equino hinnitu sortiri*. quem hinnitum *felix auspicium* vocat Iust. lib. 1. hist. Et Oppian. lib. 1. κυν. ait Darium constitutum βασιλῆα *Regem* ab hinnitu equi, χρεμέθων, ait ille. Non frustra Sil. lib. 1.

Martius hinc sonipes campos hinnitibus implet.

Quasi ab hinnitu Martium esse & alacrem intelligat. Plin. c. 41. lib. 8. de equis, *præsagiunt pugnam*. Ab Ced. [Equorũ fremitus omen victoriæ.]

A dicitur Imperator Mauricius ἱπποτεκμήριος, *ducens augurium* ab equo, qui διαρράγη πεσὼν, *cadens ruptus est*. Ast *gaudet*, vt Hor. ad Pis. *gaudet equis*, de iuuene. Et Eurip. de Hippomed. in Supp. ἵπποις τε χαίρων, *equis gaudens*.

2. PILVMNO QVOS, &c.] Quid hîc Critici? Monstra tu ô Maro. Non enim verisimile Atticam Orithyiam notam Pilumno Italo, vt illi mitteret pretiosum munus. Sed sileant. Nam quod ius Poëtæ heroïci, nisi hoc: Equi Thraces celebratissimi sunt, vt clarum ab Hesiod. qui Θρήκης ἱπποτρόφου. ab Opp. lib. 1. κυν. à quo inter nobilissimos equos numerãtur Θρήϊκες, ab celebratissimis equis Rhesi, qui Thraces fuêre. ab Hom. qui Iliad. 14. ἱπποπόλων Θρηκῶν, ab tota Amazonũ historia, quæ cùm Thraces fuissent, ac proinde illarum equi. Hine idem Poëta Priamo puero in 5. & Turno in 9. dat equos Thracios. Xenoph. etiam lib. 7. Anab. Thraci cuidam dat ἵππον λευκὸν, & hîc equi Thracij superant *niues candore*. Cùm ergo ita nobiles fuerint equi Thraciæ, potuit Poëta iure Epicorum fingere, Orithyiam Deam Atticam, quæ mox in Thracia regnauit, rapta illuc à Borea, misisse hoc donum Deo alteri Italorum. Nam cur non noti sibi essent Dij, etiam in magna terrarũ distantia? Quid hîc pugnet, non video. Quid quòd potuit Poëta aspicere locum Cal. lib. 1. vbi loquens de Penthesilea ait: [Virgilius defenditur. Equi Thracesin precio.]

B

———ἵζετο δ' ἵππῳ
Καλῷ τ', ὠκυτάτῳ τε, τὸν οἱ ἄλοχος Βορέαο
Ὤπασεν Ὠρείθυια πάρος Θρήκηνδε κιοῦσα
Ξείνιον, ὅς τε θοῇσι μετέπρεπεν Ἁρπυίῃσι:
———*insidebat autem equo*
Pulchroq́; ac celerrimo: quem Boreæ illi vxor
Orithyia, in Thraciam veniens olim donauerat
Hospitale munus, qui celeres superabat Harpyias.

C

Neque verò contra elogia equorũ Thraciæ, quæ initio adduxi, pugnat scribi ab Absyrto (Ruellio interpretante) eos equos esse *deformi specie, rigido corpore, prægrandibus armis, curua spina, varos, atque ingressu cursuq́; vacillante*. Hoc (inquam) nihil pugnat, nam Poëta sequi debuit decantatissimam Poëtarum opinionem.

3. QVI CANDORE NIVES.] Locus Homer. 10. Iliad. vbi de equis Rhesi, [Imitatio.]

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι:
Candidiores niue, similes cursu ventis.

Quod meritò reprehendit Scal. Nam cur, qui niuem superant, ventos tantùm æquant? & Virg. laudat: tũ, quòd vtrobique præstantiores fecerit: tum, quòd in candoris excessu vsus sit metaphora; in cursu verò, qui proprius equorum, proprietate, nam *anteirent*. Itaque Homero insistendum potiùs in cursu fuit, qui proprius equorum, quàm in colore: ille verò secus. [Homeri vitium.]

D

4. CANDORE NIVES.] Non multùm abit comparatio Eurip. in Rheso: vt.n. Hom. & Virg. à niue, ille ab cycnis. Nam de equis Rhesi, [Equi niuei.]

Στίλβουσι δ' ὥστε ποταμίου κύκνου πτερόν:———
Splendent autem velut fluuialis cycni penna.———

Dixerat etiam de illis magno incremento, διαπρεπεῖς ἐν εὐφρόνῃ, eos esse *conspicuos adhuc in nocte*. Ouidio tamen *nix* placuit eo versic. lib. 1. Art.

Quattuor in niueis aureus ibis equis.

Et 8. Met. *niue candidioribus equis*. Catull. etiam, *Rhesi niueis, citisq́; bigis*. De Adagio isto, χιόνος λευκότερον, *niue candidius*. lege Iun. Cent. 4. Adag. 50.

E

5. CVRSIBVS AVRAS.] Cal. lib. 8. de equis Achillis, ἶσον δ' ἀνέμοισιν φέρονται: *feruntur pares ventis*. Hinc de equis volucribus, & volantibus multa apud auctores mentio. Vide de hac re Gesnerum. [Equi velocitas.]

6. CIRCVNSTANT PROPERI AVRIGÆ.] Similis διακονία apud Nonn. lib. 20. [Locorum similitudo.]

———Σάτυροι δὲ διαφορέησαν ἀπήνην

Παρδα

Παρδάλεων ζεῦξαν ἐπειγομένῳ Διονύσῳ:
—Satyri verò cruentum currum
Pantherarum coniunxerunt festinanti Baccho.

Similis apud Stat. lib. 1.

Frena tenent ipsa, pharetrásque & lucida comunt
Arma manu, mistisque iubas serpentibus augent.

Similis apud Eurip. in Hippol.

Τοὔνθεν δὲ μὲν τοι πᾶς ἀνὴρ ἠπείγετο,
Καὶ θᾶσσον, ἢ λέγει τις, ἐξηρτυμένας
Πώλους παρ' αὐτὸν δεσπότην ἐστήσαμεν:
Inde autem omnes festinabant,
Et dicto citiùs apparatos
Equos ad dominum ipsum statuimus.

Circumstare. Et *circumstant*, ait, quod ad verbum Homer. 18. Iliad. φίλοι δ' ἀμφέσταν ἑταῖροι. & flexu alio Orph. in Arg. ἄνακτα ... ἀμφιχυθέντες: *circum Regem fusi.*

Equi blandè tractandi. 6. MANIBVSQVE LACESSVNT, &c.] Ex ingenio equorũ, qui lacessẽdi quidẽ, sed cũ blandimẽto. Præcipit. n. Xenophon, non iracundè tractandũ equum. de qua re ille latè. Sen. lib. 1. de Clem. c. 16. *Equus non crebris verberib. exterret domandi peritus magister. fiet. n. formidolosus & contumax, nisi cum tactu blandiente permulseris.* Philost. de equis dixit, ... καὶ χαίτην, *aures, & iubas demulcere.* Inde & 3. Georg. Virg. *& plausæ sonitum ceruicis amare.* & Ouid. 1. Art.

Quadrupedes inter rapidi certamina cursus
Depexæq; iubæ, plausæq; colla iuuant.

Sic hîc *pectora plausa*. Et Ambros. lib. 3. de Virg. *Equorum vi plausæ sonitum discit amare ceruicis.* Itaque non falsò possum existimare locutiones istas in adulando, *palpare aliquem. & palpum obtrudere*, natas ab isto equorum ingenio, qui gaudent palpationibus.

Palpare in blandimẽto, vnde. Vel præeunte Hilario Pictau. qui de Constantio Imperatore ait, *non dorsa cadit, sed ventrẽ palpat*, cum apertissimo respectu ad equum. Sic contrà, cùm dicimus, ad notandum hominẽ, cui efferati sunt mores, illum *manum non pati*, possum quoque putare, ductum hoc ab efferatis equis, consentiente loco hoc Io. Chrys. Orat. 1. contra Iudæos. καθάπερ γὰρ τὰ ἄλογα, ἐπειδὰν δαψιλοῦς ἀπολαύσῃ φάτνης, εἰς πολυσαρκίαν ἐκβάντα, φιλονεικότερα, καὶ δυσκάθεκτα γίνεται, καὶ οὔτε ζυγὸν οὔτε ἡνίας, οὔτε ἡνιόχου χειρὸς ἀνέχεται: *Quemadmodum enim bruta vberiore pabulo distenta magis refractaria, atque indomita fiunt, & neque iugum, nec frenum, nec aurigæ manum patiuntur.*

Manum nõ pati, vnde. Ad hoc equorum ingenium notanda vnicè verba Aristid. in prima Platonica hæc. οὐκ οὖν οὐδ' ἵπποι τοὺς μὲν ὑδ' ἤπώποτε ἁψαμένους αὐτῶν γνωρίζουσι προσβλέποντες: *verùm nec equi eos quidem, quorum contactum nunquam senserint, ex aspectu cognoscunt.* vbi clarè ait, equos agnoscere suos equisones ex contactu quidem, non ex aspectu.

Equi agnoscunt ex cõtactu. Hãc rẽ effert Eurip. in Hel. verbo ψύχω. Huic rei vicinum paradoxon viri in Salmanticensi Academia nõ incelebris, qui dicebat, nihil à cane cerni oculis, sed huic feræ pro oculis esse nares.

Pectendi equi. 7. PECTVNT.] Id est, defricant. Sen. epist. 87. *equum ab ipso Catone defrictum.* Eurip. in Hippol.

Ψήκτραισιν ἵππων ἐκτενιζόμεσθα τρίχας:
Strigilibus equorum pectebamus crines.

Credo hoc esse, quod Apul. lib. de Mũdo dixit verbo *tẽperandi*, cũ scripsit: *Cũ tuba bellicũ cecinit, milites clãgore incẽsi, alius accingitur gladio, alius clypeũ capit, ille lorica se induit, hic galea caput, ille crura ocreis inuoluit, ille equum temperat frenis & loris iugales ad concordiã copulat.* Ita vt *tẽperare equũ* nihil sit aliud, quã lenocinio manus, & frictionis illũ ad bellũ, vt sic dicã, saporare. Nã *tẽperare*. i. frænis iniectis corrigere illius ferociã, nequit esse, cùm postea fiat specialis mentio fræni.

Locorum similitudo. 8. IPSE DEHINC, &c.] Similia loca armantiũ se ad bellũ habes plurima in Hom. Cal. Hesio. Vide primũ

A lib. 11. Iliad. vbi se armat Agamẽnon, alterũ lib. 1. vbi Penthesilea, tertiũ in Scuto, quibus omnibus, & cum victoria, vt solet, Virg. institit. Abhorruit. n. ab Hom. perissologia: nam versib. 14. absoluit, quæ ille vix 30. & veriùs Maro 8. tantũ versus insumpsit. nam reliqui continent sermonẽ ad hastã Actoris. Hinc est, vt putẽ, prælatũ Cal. Hom. in hac imitatione, nam presslior. Quid sumpserit ab Hesiodo, dicam postea.

Squallens auro. 9. AVRO SQVALLENTEM.] Sic lib. 10. *tunicã squallentem auro.* quem locum vide. Nihil verò aliud vult, quàm loricam *asperatam auro.*

Orichalcum. 10. ALBOQVE ORICHALCO.] Æs montanum, quasi χαλκὸς τοῦ ὄρους. vocat *album*, id est, splendidum. Sic enim explico ab Hesiodo, qui in Scut. κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ, id est, *ocreas orichalci splendidi*. Itaque *album* Latini, est φαεινὸν Græci. Arrianus ὀρείχαλκον vo-

Album pro splendido. B cat. Pessimè illi, qui scribunt *aurichalcum*. Nihil enim hoc æs cum auro, tantùm cum terra. Festus: *Cadmea terra, quæ in æs conïicitur, vt fiat orichalcum.* Nec verba Tull. 3. Off. ista; *Si quis aurũ videns orichalcũ se putat vendere*, &c. aliquid pro auro, si examinẽtur. Neque loca quædã Plaut. Hęc. n. omnia procedunt ex insita mortaliũ opinione, qui putarunt esse aurũ mistũ æri. Sed nemo se vidisse vnquã affirmat, quin neq; iã orichalcum vllũ, nisi factitiũ.

Orichalcũ nullum vnquam. Et fuisse aliquãdo negat Arist. apud interpretem Apollon. quod ex illo iam multi, & verba aduocat Germ. Eadem itaq; ratio *orichalci*, quæ & *Phœnicis*, quæ esse creditur, cùm non sit. Neq; est cur Plinio credamus cap. 2. lib. 34. scribenti, fuisse C aliquando, iamdiu non esse, tellure effœta. Nam si iam non repertum longo tempore, vt ipse ait, vnde potest affirmare, fuisse olim? Nihil certè pro illo, nisi vagans & incerta opinio.

Aptat habendo. 11. APTAT HABENDO.] Ita reddit frequentissimum Hom. χρηρός. Sic in Georg. *lentescit habendo.* Sic *habilis pharetra*, & similia.

Cristæ plures in vna galea. Cornua in cristis. 12. RVBRÆ CORNVA CRISTÆ.] Vni galeæ interdum duæ inerant, aut tres cristæ, quæ cùm diuisæ essent, formam reddebant cornu. Quæ itaque hîc *cornua*, in 6. vocat *vertices*, cùm ait: *Viden' vt gemino stent vertice cristæ?* Notes obiter συμφυῆ κέρατα, *naturalia cornua*, interdum galeis addita ad maiorem spectantiũ horrorẽ, quod de Gallis scribit Diod. Sic & galea Pyrrhi apud Plut. ornabatur τραγικοῖς κέρασι: *hircinis cornibus.*

Candesco. D 13. STYGIA CANDENTEM TINXERAT VNDA.] Est hoc, quod in 8. de officina Vulcan. *stridentia tingunt æra lacu.* Vide quæ in eo tractu, vt locum hunc exornes. Vt hîc, *candentem ensem*, ita Lucr. lib. 2. *ferrum candescit in igne.* Vide 3. Æneid. ad illud, *candente fauilla.* Pind. etiam 3. Pyth. πολιῷ χαλκῷ ait Germ.

Hastæ ad columnas. 14. INGENTI ADNIXA COLVMNÆ.] Ex more veterũ, qui hastas inclusas thecis, & colũnis innixas asseruabãt. De thecis tacuit Virg. dedit, quæ pertinent ad colũnas. Is mos liquidus ex Hom. Iliad. 17. & Odyss. 1. vbi hasta ponitur πρὸς κίονα μακρήν, *ad columnã longam.* Breuiter hæc duo dedi loca, quia fusè alij. Idẽ Hom. Iliad. 13. δούρατα, id est, *hastas*, exhibet ἑστaότα πρὸς ἐνώπια, quod idem fermè, *innixas parietibus.* Euripid. in

E Taur. cùm dicat asseruari

Πέλοπος παλαιὰν ἐν δόμοις λόγχην πατρὸς:
Hastam antiquam Pelopis in paternis ædibus,

credibile est eodem situ positam cum Homericis. Itaque non iacebant hastæ, non erant pendulæ: sed innixæ, & stantes, ideo ἑσταότα. Inde etiam signarè libro decimoseptimo Iliad. & 1. Odyss. ἔστησε πρὸς κίονα. In quo legitimo hastarum situ allusum fortasse ad etymon: nam Varro libro quarto de Lingua Lat. ait hastas dictas ab *stando*. Inde hîc *adstabat*, & in libro sexto, *stant terra defixæ hastæ.* Itaque cùm in

Hastæ vnde dictæ.

Pensilia arma. aliis legimus pēsilia fuisse arma, vt in Eurip. in Herac. A κρεμαστὰ πασσάλων ἑλών, *accipiens à clauis.* videlicet, ὁπλίτην κόσμον, *militarem ornatum.* & Androm.

Κρεμαστὰ τεύχη πασσάλων καθαρπάσας:

Pensilia arma ab clauis arripiens.

Cùm (inquam) hi, aut alij occurrāt, capiendi sunt de aliis armis, non de vna hasta, quæ quidem non pensilis, nec iacens, sed innixa, & stans. Et argumento est sæpe aliquid aliud subiungi, quo res indicetur, vt in eo loco, quē attuli ex Eurip. in Heracl. de ornatu militari appenso in clauis, subiungitur postea, κόσμῳ πυκασθεὶς τῷδε: *tegaris ornatu hoc.* rectio. n. nō fit hasta, sed clypeo, aut thorace, aut galea. Scio ab hoc more descisse Hom. Iliad. 10. vbi arma Nestoris, videlicet scutum, galea, atque etiam δύο δοῦρε, *hastæ duæ*, omnia B hæc ἔκειτο, *iacebant*, cùm ipse tunc dormiret. Sed hoc nihil mori nocet, cùm tempus belli describatur, ac tum iam arma extra locū, vbi solent asseruari. Si auctores alios explores, videbis nunquā hastas aut iacere, aut suspēdi, sed alia ab his, vt cū Nonn. dixit lib. 20.

Ἀσπίδες, ἐκ πήληκες ἐκρεμόωντο μελάθρῳ:

Scuta & galeæ suspendebantur in domo.

De hac armorum appensione iam vbertim alibi.

15. VALIDAM VI CORRIPIT HASTAM.] Hom. passim, δουρὶ κρατερόν. Cal. etiam lib. 1. forma alia, δουρὶ κρατερὸν. *corripit* Eurip. And. τεύχη καθαρπάσας.

16. ACTORIS AVRVNCI SPOLIVM.] Ait Seru. *vel quod Actori detraxerat Turnus, vel quod Actor cuidam alteri: nam ambiguè est positum.* Non fero. Nihil enim ambiguè Maro. Ambiguitas quippe ineptiam sapit, nisi adhibeatur ex studio ob rem aliquam, quæ hîc nulla occurrit. Itaque accipio alterum illud, *quod Actor cuidam alteri.* Nam postea magnifica Actoris mentio, *te Maximus Actor, te Turni nunc dextra gerit.* Quibus innuit, transmissam hastam ad se dono ab Actore: hunc enim si vicisset Turnus, explicuisset. Hemistichium hoc esse possit adagiale, ad eum modum, quo Iuuen. Sat. 2.

Virgilius defenditur.

Prouerbiū.

Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis,

Actoris Aurunci spolium. ———

Quæ verba indicant meam illam explicationē. Quasi dicat: vt Turnus hastam Actoris, ita ille Othonis speculū. Ergo, vt non victus Otho ab molli hoc, ita- D que neq; ab Turno Actor. sed satis de re leui.

17. QVASSATQVE TREMENTEM VOCIFERANS.] Vide, vt visa hasta, quæ iam bellis aliis inseruierat Actori vociferetur, quatiátq; illam, & veluti assumat animos. Apto itaq; in hunc locū, illū Chrys. Orat. de S. Iulian. vbi: εἰ γὰρ ὅπλα τις ἀγωνιστοῦ βλέπων ᾑμαγμένα, ἀσπίδα, ἐκ δόρυ, καὶ θώρακα, κἂν ἁπάντων ᾖ δειλότατος, ἀθρόως ἐξάλλεται, καὶ θερμότερος γίνεται, καὶ πρὸς τὸν πόλεμον ἐκπηδᾷ, ἀπὸ τῆς ὄψεως τῶν ὅπλων λαβὼν παράκλησιν, πρὸς τὸ τοῖς αὐτοῖς ἐπιχειρῆσαι πράγμασι: *Nam si bellatoris alterius arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam, loricam, licèt omnium sit ignauissimus, statim, exardescit, & ad bellum promptus emicat, atque à conspectu armorum sumit animū, vt easdē actiones aggrediatur.* Sed & hastā quassat Turnus vt iratus. Amm. lib. 21. *hastasq́; vibrantes irati.*

Arma visa animos dāt.

18. VOCIFERANS.] Vocula satis competens iuueni bellatori. Sic de Marte strepēte minis Hesiod. in Scut. κεκληγώς, *vociferans*, quæ vocula obuia in ducib. Hom.

Vociferor, de milicib.

19. NVNC Ô NVNQVAM FRVSTRATA VOCATVS, &c.] Illustrabis satis hūc locū his, quę dixi lib. 10. ad illud, *steterāt quæ in corpore Graii.* Arma quidē, quo probatiora aliis bellis, eo fideliora. Plaut. Curcul. sententiam Virgilij ita diceret, *iuuisti me semper machæra, clypeus, hasta pugnantem in acie.*

Arma fideliora, quo probatiora.

20. DA STERNERE CORPVS.] Pulchro flexu dixit hoc Pind. Od. 2. Olym. κράτει τέλος. Cogitaui vero à Poëta sub persona Turni dirigi has preces ad hastā, nō solū ex poëtica quadā phantasia, sed ex more, quo à viris militarib. hastę colebātur vt Numina, vt etiā gladij, habebātúrq; in religione. Plut. ait in gratiā Marij adductā ad sacra λόγχην ἀναδήμασι καὶ στεφανώμασι: *hastā vittis & coronamentis redimitā.* Idem in Pelopida ait, Alexandrū Tyrannū coronasse lanceā illā, qua Polyphronē auunculū interfecerat, quasi haberet in religione hastā, quæ gloriosum facinus ediderat. Verba signata, καθιερώσας καὶ καταστέψας ἔθυεν ὥσπερ θεῷ: *consecrauit, coronis rediminit, vt Deo sacrificauit.* Cal. etiam lib. 14.

Hastæ vt Numina.

———κατεστέψαντο δὲ νῆας,

Καὶ κεφαλὰς, ἐκ δοῦρα, καὶ ἀσπίδας ᾗσι μάχονται:

———*coronauerunt autem naues,*

Et capita, & hastas, & scuta, quibus pugnant.

Deriad. apud Nonn. lib. 21. ait suum Deū esse ἔγχος, *hastā.* Eustath. in lib. 1. Iliad. ita scribit. ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πήξας τὸ ὀρθὸν δόρυ, θεὸν τοῦτο προσέταξεν ἀριθμεῖν: *Hastam in medio foro erexit, iussitq́; pro Deo ipsam numerare.* Sic & Mezent. libr. 10. Æneid. inuocat suum *telum* vt Numen, in quo fideret: ait enim,

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro,

Nunc adsint. ———

Ergo, vt ibi Mezent. *adsu mihi telū*, ita hîc Turnus etiā precabundus, *da sternere.* adi adductū locū 10. Æneid. Sapit etiā religionem, quod Plut. narrat in Agesilao, huius viri hastam Lacedæmone asseruaram vsq; ad C æuum ipsius Scriptoris. Apud Æschylum ..ad Theb. Parthen. per hastā suā iurat, & eā colit pro Deo. Hoc iam Turn. monuit. Noti etiam esse debent versus illi Val. Flacc. lib. 3.

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,

Quæ neque iam frondes virides, nec proferet vmbras

Testor. ———

In his omnibus credamus à multis allusū omnino ad Romanor. morē, nam illi hastam pro Marte coluerūt, quod Arn. scribit lib. 9. adducitq; ex Varr. Adstipulatur locus Clem. Alex. ἐν Ῥώμῃ δὲ τὸ παλαιὸν, δόρυ φησὶ γεγονέναι τοῦ Ἄρεος τὸ ξόανον Οὐάρρων συγγραφεύς: Auctor est Varron. *Romæ olim hastam fuisse pro Martis simulacro.* Hinc itaq; irrepit superstitio. Demum notanda Iustini verba lib. 4. c. 3. *Nā & ab origine rerum pro Dijs immortalibus veteres hastas coluēre, ob cuius religionis memoriam, adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.* Quam sententiam Iustini firmant verba Plut. in Timoleonte, vbi narrans prodigia quædam, ait, ὀφθῆναι δὲ τὸ θεοῦ τὸ μὲν δόρυ σειόμενον ἐκ τῆς αἰχμῆς ἄκρας: *visa est Dei hasta summa cuspide vibrari.* Hinc satis illustrabitur Prud. Psychom. vbi gladius consecratur *Catholico in templo.*

Hasta pro Marte culta à Romanis.

21. SEMIVIRI PHRYGIS.] Quasi Æneas esset alter Paris: nam in 4. *Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu.* Paridi μαλακὴν ἐκ θήλειαν ἁρμονίαν, *mollem & muliebrem cantum* dat Plut. orat. 1. de For. Alex. Ab Arist. in 2. Platon. Paris dicitur μαλακώτατος, *ignauissimus.* Inde insigni contumelia audit Menelaus à Peleo apud E Eurip. in Androm. πρὸς ἀνδρὸς ἐρυγὸς ἀπηλλάχης λέχους, *ab Phryge homine priuatus fuisti lecto.* Equidem Turnus ita dehonestans Ænean, se proinde virilem facit, dignúmque, qui assumatur ad coniugium Lauiniæ, iuxta illud Eurip. in Elect.

Paris assumptus ad cōtumeliam.

———ἀλλ' ἐμοί γ' εἴη πόσις

Μὴ παρθενωπὸς, ἀλλὰ τἀνδρείου τρόπου:

———*at mihi sit maritus,*

Non virgineo vultu decorus, sed virilibus moribus.

Et reddit rationem dignam, quæ vbique legatur.

Maritus quis esse debeat.

Τὰ γὰρ τέκνα αὐτῶν (id est, ἀνδρείων) Ἄρεος ἐκκρεμάννυται,

Τὰ δ' εὐπρεπῆ δὴ κόσμος ἐν χοροῖς μόνον:

Liberi enim fortium ex Marte pendent,

Filij fortiū.

At

At formosulorum tantùm sunt ornamentum in choreis. Hic etiã scias latere opprobriũ aliud in voce *semiuir.* Nam Philo ἀνδρόγυνον, id est, *semiuiros*, accipit de his, qui mares amant. Sed Phryges (vt dicebã) malè semper audierunt. Eurip. in Orest. ait nullatenus timẽdos Phryges, quippe ἐνόπτρων, & μύρων ἐπιστάτας, *curatores speculorum, & vnguentorum.* Et vnus Æneas Iliad. 10. ab Hom. dicitur οἰνοβαρείων, & par est, ingurgitantẽ se vino, mollem esse. Iul. Firmic. c. 6. explicat *comitatum semiuirorum esse stuprorum, & flagitiorum, & libidinum socios.* In genere autem allusum ad Gallos, id est, exsectos Cybeles: nam Phryges castrabantur. Nazianz. Orat. 1. contra Iulian. Φρυξὶ τὸ καταῖαιρεῖσθαι ὑπ' αὐλῶν κηλουμένοις, καὶ ἀνατὸ ρυμιζομένοις ὑφ' ἅλμασι: *Mos est Phryges castrari, tibiarum cantu delinitos, & saltando euiratos.* Inde ab eodem Orat. 39. datur σρατὸς θηλυδρίας, *mollis exercitus*, Baccho ἀνδρογύνῳ, *semiuiro.* Sen. epist. 108. *Nec aliter concitantur, quàm solent Phryges tibicinis sono semiuiri*, id est, Galli. Apud Plutarch. in Apophth. est ἀνδρόγυνος in contumeliam.

Semiuir, vox probrosa.
Phryges malè audierũt.
Phryges castrantur.

21. FOEDARE IN PVLVERE CRINES.] Hom. 16. Iliad. Μιάνθησαν δ' ἔθειραι αἵματι, καὶ κονίῃσι: *fœdabantur comæ sanguine, & pulueribus.* Ouid. 1. Trist. Eleg. 3. *fœdatis puluere turpi crinibus.* Virg. planè ad Euripidem aspirauit in Herc. Furente, vbi Amphitryo,

Crines fœdati puluere.
Imitatio.

———τοῦ δὲ τοὺς ξανθοὺς πλόκους
Καθαιμάτωσ' ἄν.———
———*flauos huius capillos*
Cruentarem vtique.———

Vt enim ista iactantur in Lycum amantem flauiciem capillorum, ita in Ænean vibrantem crines. Solent Poëtæ ab hac vna re affectus mouere. Nescias enim quid in hac re insit dignitatis. Sic de Hectore,

Affectus à capillo.

Squallentem barbam, & concretos sanguine crines.

Et de Troïlo, *comæq; trahuntur per terram.* & de Creüsa Eurip. in Ione,

———αὐτῆς τοὺς ἀκηράτους πλόκους
Κόμης καταξήνωσι Παρνασοῦ πλάκες:
———*eius pulchros cincinnos*
Comæ lacerent Parnasi saxa.

Et de Hecuba in Tragœdia eius nominis,

———ἐπὶ χθονὸς
Κεῖται, κόνει φύρουσα δύστηνον κάρα:
———*interea*
Iacet puluere deturpans infelix caput.

Quærebam cur ab hac re Poëtæ potissimùm affectus moueant; & inueniebam fortasse rationem esse hanc, videlicet studium, quo veteres curabant capillum: illum enim illuminabant aureis ramentis. Lampridius de Commodo: *Capillo semper fucato, & aureis ramentis illuminato.* Ioseph. quoque lib. 8. Antiq. cap. 2. loquens de equitibus Salomonis ita scribit, ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις: *Ramentis auri capillum quotidie inspergebant.* & addit rationem: ὡς σίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀντανακλωμένης: *vt ad Solarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur.* Ergo

Capilli curandi apud veteres studium.
Auri ramẽta ad curandos capillos.

A huic tantæ curæ capillitij curandi opposita ex studio contumelia hostium in deturpando.

23. VIBRATOS CALIDO FERRO.] Intelligit capillos crispatos calamistro, quod instrumentũ igne calfactum intorquet capillos. Ideo ergo *ferro calido*, quia vis crispationis tota à calore. Inde Plin. c. 78. lib. 2. de Æthiopibus ait, *vicini syderis vapore torreri, adustisq́; similes gigni barba & capillo vibrato.* Quamobrem etiam Horatio Sat. 1. lib. 1. dicuntur *ciniflones*, qui capillos vibrant, quia hoc faciunt calfacto ferro in cinere. Ab eadem re Catull. Plaut. Sen. Tertull. eosdem artifices vocant *cinerarios.* Primus in Epithal. alter Aulul. tertius in lib. de constantia sapientis c. 14. quartus libr. 2. ad vxorem. Martial. quoque libro decimoquarto Epig. 26.

Capilli vibrati.
Crispati capilli.
Ciniflones, qui.
Cinerarij, qui.

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.

vbi voces *caustica*, & *accendit* pertinent ad rem Virg. Arnob. lib. 2. *Nec formis erubescerent masculorum calamistris vibrare cæsariem.* In quo scriptore *formis calamistris*, est, calidis, & feruentibus calamistris, nam
B antiqui *forma* dicebant calida, inde *formucapes*, quod postea forcipes, quia *forma* caperent, id est, calida. Esse verò hanc notam vitæ corruptissimæ, & ideo obiici Æneæ, certissimũ est. Cic. pro Sest. *Consul vnguentis delibutus, calamistrata coma.* Tertull. de feminarũ cultu, ita damnans hanc molliciem scribit: *Quid, crinibus vestris quiescere non licet; modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis?* In quo scriptore *suscitationem* possũ interpretari de vibratione. Nã idem lib. 2. ad vxorẽ, *cinerariis peregrinæ proceritatis.* Cũ ergo *proceritas* à ciniflone, & cinerario: videtur quoq; *suscitatio* eò referenda. Eurip. in Elect. de hac mollicie, πλόκος κτενισμοῖς θῆλυς: *capillus pexatione mollis.*

Forma, id est, calida.
Vibratio capilli tota ad molliciem.

24. MYRRHAQVE MADENTES.] Est hoc etiã argumẽtũ extremæ luxuriæ, & languoris. Claud. Bell. Gild.

Myrrha madidi.

Vmbratus dux ipse rosis, & madidus ibit
Vnguentis, crudúsque cibo, titubansq́; Lyæo.

Horat. in re molli Od. 14. lib. 3. *myrrheum crinem* & Tibull. lib. 3. Eleg. 4. *Stillabat Syrio myrrhea rore coma.* Sen.
C in Furen.

Hirtam Sabæa madidus myrrha comam.

Mart. Epig. 19. lib. 10. *cùm madẽt capilli.* sic & de Pison. Tull. in orat. post reditũ, quæ habita in Senatu, notãs illius mores: *Vini, somni, stupri plenus, madente coma, cõposito capillo.* Plut. in vit. Paul. τῷ σώματι σίλβων: *nitens corpore*, loquitur scilicet de molli, & effeminato. Et in vita Phocion. μύρον ὄζοντι, *vnguentum redolenti*, ad inurendã iniuriã. Quintil. Decl. 298. ponit inter perditæ vitæ signa hominẽ *flagrantem mero, redolentem vnguenta.* Eodẽ vitio notatur Æneas ab Iarba lib. 4. *crinemq́; madẽtem.* quem locum adi, vt geminum cum hoc. In vtroque enim Ænean notat sine ostentatione. Erat enim Æneas Phryx, & à Phrygibus ortæ hæ deliciæ. Cùm S. Basilius Oratione contra diuites dixit, μύρον βαρβαρικὸν, *vnguentum barbaricum*, Phrygium intellexit, vel ex communi notione, nam Phryges dicti vnicè Barbari. quod à me iam bis, aut ter.

Vitæ corruptæ argumenta.
Phryges delicioli.

ᵃ His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cùm prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat
Arboris obnixus trunco, ventósque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.
ᶜ Nec minùs interea maternis sæuus in armis

Æneas acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
[d] Tum socios, mœstíque metum solatur Iüli,
Fata docens, Regíque iubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.

ARGVMENTVM.

Turni parantis se ad prælium inanes furiæ, Æneæ in idem incumbentis militaris ardor.

EXPLICATIO.

[a] VT clarum ex præcedentibus, Turnus non tam irasci dicitur, quàm efferari, ideo de illo, *agitur,* non ira, sed *furia,* imò *furiis,* quasi in illo sæuirent Erinnyes. Itaque videbis gradus in Turno; nam primò *implacabilis ardet:* deinde ardor iste cum violentia, nam *accenso gliscit violentia Turno.* quæ nec dictis *flectitur,* imò *exsuperat magis.* Iam postremus gradus furiæ sunt, ideo *his agitur furiis.* Harum furiarum effectæ sunt *scintillæ,* & *ignis.* Illæ *absistunt ab toto ardentis ore,* hic *emicat ab oculis acribus.*

[b] Optima comparatio tauri cientis, id est, mouentis, commouentísque mugitus terrificos, ac proludentis ad pugnam. Prolusio hæc triplex. Prima, *obnixus trunco arboris tentat irasci in cornua.* i. experitur iras cornu. Altera, *lacessit ventos ictibus.* Tertia, *proludit sparsa arena.* Est *proludere, ens y mie* præmeditari.

[c] Longè ab Turno Æneas, cuius tanta est moderatio, vt laboret in excitanda ira, ideo de illo, *acuit Martem, & se suscitat ira.* & gaudet non quidem esse bellum, sed *componi bellum oblato fœdere.* Est *sæuus,* fortis. & nota acumen. Nihil magis alienum à Venere, quàm militaris sæuitia, tamen *sæuus in armis maternis.*

[d] Mœsti erant fortasse de singulari certamine timentes suo Principi: admit & Iülo & reliquis sociis hunc metum *docens fata* Explico, docens fatale esse se victorem fore; nam ab illius victoria æterna vrbs. Nota prudentiã sequentis orationis. Turnus minitabũdus iras & bellũ indixerat, Æneas iubet referri responsa, non belli, sed pacis, nam ab eo bello pax: & hæc responsa dari, non Turno, sed Latino, quo firmiora essent.

NOTÆ.

Agi furiis. 1. AGITVR FVRIIS.] Propert. Eleg. 13. lib. 1. *Te tuus ardor agit.*

Irati sunt insani. 2. FVRIIS.] Ex natura irati, qui verè insanus. Seneca lib. 1. de ira cap. 1. *Nam vt furentium certa indicia sunt audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt.* Græci ἀγριαίνειν dicunt pro *irasci,* quod propriè est *efferari.* Aristoteles libro 7. Ethicor. cap. 7. ait iram, non tam ἀκούειν τοῦ λόγου, quàm παρακούειν. quo indicat, illam negligenter & confusè rationem audire, & quasi inuitè. Valentinianus Imperator *ferus* dicitur ab Amm. lib. [illegible] loquente de illius ira. Capitol. de Maximino: *Homo natura ferus sic exarsit, vt non hominem, sed beluã putares.* Rectè ergo furiæ de irato Turno. Quid, quòd furiæ istæ Turni tragicum quiddam sapiunt? Celebrat Plutarch. in vita Pyrrhi sententiam Hom. hunc in modum. Τὸν Ὅμηρον ἐδείκνυεν ὀρθῶς καὶ μὴ ἐμπειρίας ἀποφαίνεσθαι τῶν ἀρετῶν μόνην τὴν ἀνδρείαν φορὰς πολλάκις ἐνθουσιώδεις καὶ μανικὰς εἰρημένην: *Homerũ rectè & peritè demonstrasse dixisse, ex omnibus virtutibus vnam fortitudinem lymphatico & phanatico motu ferri.*

Scintillæ in oculis iratorum. 3. SCINTILLÆ ABSISTVNT.] Xenoph. lib. 7. de reb. Græcorum, πῦρ πνέοντας dixit, *ignem afflantes,* ad exprimendam ferociam. Arnob. lib. 1. *ex oculis luminibus scintillæ micent.* De Dracone ait Apoll. lib. 4. Arg. esse eius oculos similes σπινθαρύγεσσι, *scintillis.* ab eodem lib. 1. ocul. irati hominis dicuntur [illegible], id est, *scintillæ.* & μαρμαρυγαί. in hymno Apoll. σπινθαρίδες [illegible] videlicet, [illegible]: *volabant ab eo scintillæ.* Plaut. Men. *oculis scintillam.* Pulchrè Prudẽt. Psychom. *ira ignea.* [illegible] *absistunt* nemo satis laudet. Vulgus Poëtarum hoc satis vulgariter, nisi qui accepere à Poëta. Illud [illegible], quod adduxi, displicere debet nemini.

Oculorum ardor in ira. 4. OCVLIS MICAT ACRIBVS IGNIS.] Non satis dixisse, *ab toto ore,* nam hic ardor præcipuè ab oculis. Hom. libro 12. Iliad. ad finem, πυρὶ δ' ὄσσε δεδήει *ignis ardebant oculi* & 15. ὄσσε λαμπέσθην. quod repetit lib. 9. Nonn. lib. 30.

Μαρμαρυγὴν πυρόεσσαν ἀκοντίζουσιν ὀπωπαί:

Splendorem ignitum eiaculabantur oculi.

& lib. 10. ὄμμα [illegible] Maximus Tyr. Dissert. 8. ἀποσελαγίζεται τὸ ὄμμα. Calab. lib. 3. πῦρ μάρμαιρε, videlicet, ἐκ [illegible]. Ioann. Chrysost. hom. de ira, & furore, loquens de iratis, πῦρ ἀφιᾶσιν οἱ ὀφθαλμοί: *flammam oculi emittunt.* Simocatt. cap. 6. lib. 1. de iratis loquens, τοῖς ὀφθαλμοῖς [illegible] τῇ φλογί: *oculis flamma scintillantibus.* Sen. de iratis lib. 1. de ira cap. 1. *flagrant, & micant oculi.* & lib. 2. cap. 35. *flamma lumina ardentia.* Ammian. lib. 16. *elucebat furor ex oculis.* Prop. Eleg. 9. lib. 4. *fulminat ille oculis.* Silius lib. 9. *à toruo surgebant lumine flammæ.* Imitationem Virgilij si quæras, sumpta fortasse ab Lucret. qui lib. 3. Imitatio.

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira
Cum feruescit, & ex oculis micat acribus ignis.

Rationes, cur ita ardeant oculi, vt videantur ignem emittere, tres affert Ioachim. Camerar. Decur. 1. Problem. 8. vide etiam Arist. in Problem. sect. 31. quæst. 3. vbi quærit, cur iratis oculi erubescãt? & Fœsiũ in illud Hippoc. ἀνιδρῶτες ὄμματα ἔρυθρα. in Coac. Prænor. sect. 2. Rationẽ ab Eurip. facile est colligere, qui in Herc. dat huic furẽti in oculis scintillas quasdã αἱματηράς, *sanguineas.* Quia ergo sanguis habet cum igni similitudinem, factum, vt iratis dicantur micare oculi. Inde idem Eurip. in Aul. coniungit iras, & sanguinem in oculis, ore Agamemnonis ad Menelaum, Iratis cur ardeant oculi.

Εἰπέ μοι, τί δεινὰ φυσᾷς, αἱματηρὸν ὄμμ' ἔχων;
Dic mihi, quare acerba spiras, habens oculum cruentum?

Et Phil. quoq; signatè in lib. de spec. Legib. loquẽs de iratis, ait, ὀφθαλμοὶ οἰδοῦσι & ὕφαιμον κ πυρῶδες: *intumescunt oculi praeferentes sanguineum quiddã, atq; igniũ.* Hanc nostram rationem dignam putabit aliquis, quam coniungat cum aliorum rationibus. Possit, qui velit, torquere

torquere aliò, videlicet ad leonem, qui habet *oculorum pupillas ignitas*, ait Orus Apollo in Hierog. sed hoc tritum de leone, ideo non persequor. Ergo, quia irati similitudinem habent cum oculis huius feræ, ideo igniti oculis.

Taurorum iræ.

5. MVGITVS VELVTI, &c.] Taurum assumit ad comparandum iratum hominem, nam pugnæ taurorum notissimæ sunt & celebratæ iam huic Vati, tum lib. 3. Georg. tum inf. in hoc libro. Vsurpo hic verba Cyrilli Alex. Comment. in Ionam num. 3. φρόχλες γὰρ ἀεὶ τὸ βάρβαρον εἰς ὀργὰς, καὶ ὅσον ἴδιμον ἀποταυρούμενοι: *Barbari semper præcipites ad iram, & facillimè vt tauri aguntur.* Seneca ad hanc taurorum naturam proculdubio allusit adhibens inter notas iratorum *mugitus*, idque bis, scilicet lib. 1. de ira cap. 1. & lib. 2. cap. 35. Et Eurip. de furente Hercule, μυκᾶται, *mugit*. vbi etiam adducit comparationem à tauro. Et in Aulide Orestem vocat μόσχον, *vitulum*.

Mugio in ira.

Irasci in cornua.

6. ATQVE IRASCI IN CORNVA TENTAT] Vide 3. Georg. ad illud, *atque irasci in cornua discit.* vbi & hoc, & quod sequitur, *arboris obnixus trunco*, illustratum iam. Ouid. 12. Metamorph. dixit,

Haud secus exarsit quàm circo taurus aperto,
Cùm sua terribili petit irritamina cornu.

Tauri irati notæ.

Notas irati tauri has adhibet Eurip. in Hel.

ἀλλ' ἐξεβρυχᾶτ' ὄμμ' ἀναστρέφων κύκλῳ,
Κυρτῶν τε νῶτα, κεἰς κέρας παρεμβλέπων,
Μὴ θιγγάνειν ἀπεῖργεν:———
Sed mugiebat circumagitans oculos,
Et curuans tergum, & suspectans in cornua,
Ac ne attingeretur cauebat.———

Mugitus taurorum in pugna alio flexu Oppian. expressit 2. Venat.

Ὀξέα κεκλήγοντες ἐνυαλίοισιν ἀϋτμαῖς.
Acutè frementes Martiis flatibus.

Ventos lacessere.

7. VENTOSQVE LACESSIT ICTIBVS.] Vide ibidem, & adiice tum Senecam, qui lib. 1. de ira cap. 1. *taurorum cornua iactantur in vacuum*, tum Virgilianum, fluxisse ab Græco illo, πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμαίνοντα. quem versum aduocat Tull. epist. 5. lib. 8. ad Atticum. Allusum ab Paulo Apost. nam inanem explicans conatum, ἀέρα δέρων, *aërem cædens*.

Aërem verberare.

Arenam spargere.

8. SPARSA AD PVGNAM PROLVDIT ARENA.] De irato tauro Seneca loco adducto: *& arena pulsu pedum spargitur.* Plutarchus de solertia Animal. ὅρα προθέσεις καὶ παρασκευὰς ταύρων ἐπὶ μάχην κονιομένων: *intuere apparatus taurorum, cùm pugnam destinant, puluere se conspergentium.* Vt verò apparet ex sequentibus Plutarchi, faciunt hoc tauri, vt indurent corpus ad vulnera. Ouid. Eleg. 9. lib. 4. Trist. hac nota inducit taurum comparantem se ad iram. Versus sunt:

Circus adhuc cessat, spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto iam pede pulsat humum.

Notanda sunt verba Plinij cap. 45. lib. 8. qui hanc iræ notam vni tantùm attribuit tauro, de hoc enim loquens ita ait: *Tota comminatio prioribus in pedibus stat, ira gliscente alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animalium eo stimulo ardescens.* Non itaque debet confundi nota iræ tauri cum nota suis, qui iratus *pede prosubigit terram.* Aliud est enim *arenam spargere*, aliud, *terram prosubigere*. Taurus enim vult se puluere conspergere, quod sus non intendit. Oppian. lib. 2. Cyn. de tauris loquens, ἀμφὶ τε ποσσὶ γαῖαν, οἷα κονίοντες: *mutunt pedibus terram, veluti qui puluere conspergantur.* Tauri quoque ab Calabro lib. 4. in pugna inducuntur ποσσὶ κονίοντες.

9. ACVIT MARTEM.] Præclarè: nam iram Æneæ opponit feritati Turni. Itaque Turnus furebat instar belluæ, Æneas vt vir irascebatur. Ira enim præsertim in bello necessaria. Ait Cicero 4. Academ putauisse veteres Academicos, *iracundiam ipsam fortitudinis quasi cotem esse.* Quid si ad hanc cotem allusum à Virg. cùm ait, *acuit*? ira verò Turni *non est ira, feritas est*, ait Sen. lib. 2. de ira cap. 5. Vt hîc *acuit* in re iræ, ita Plutar. in vita Iulij in re simili, παραξύνων. & flexu alio in vita Camilli, θηγόμενος, καὶ παροξυνόμενος.

Ira cos fortitudinis. Acuo, de ira.

10. ET SE SVSCITAT IRA.] Prima illa locutio, *acuit Martem*, desumpta ab cote, iam hæc altera à stimulis animalium, quæ dicuntur sese cauda irritare ad iram, vt de leone Lucanus,

Suscitari ira, à caudis ferarum.

Mox vbi se saua stimulauit verbere cauda.

Inde & cauda hæc ἀλκαία dicitur, ἀπὸ τοῦ εἰς ἀλκὴν ἐξεγείρειν πρακτικὴν, quod se ea verberans, *in fortitudinem exciter.* Moueor, vt putem Poëtam allusisse ad ferarum stimulos, nam sæpissimè qui loquuntur de ira, eò recurrunt: præsertim cùm sermo est de ira, quæ necessaria ad bellum, quæque in laude est posita. ita Seneca lib. 1. de ira cap. 7. *Nec quicquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hic stimulus peragitauit.* Liuius lib. 33. *ibi quantam vim ad stimulandos animos ira haberet, apparuit.* Aristoteles, vt est apud Senecam lib. 3. de ira cap. 3. ait iram, *calcar esse virtutis: hac erepta inermem animum, & ad conatus magnos pigrum, inertémque fieri.* Itaque ira, si Senecam & Liuium audias, est *stimulus* fortitudinis; si Aristotelem, *calcar.* Plutarchus etiam in Cleomene κέντρον θυμοῦ dixit, *aculeum, stimulum iræ.* Et in Agide adhibet duo verba ad eamdem rem, quæ ad stimulos pertinent, videlicet, συνεξορμᾶν, καὶ συνεπιτείχειν. Et in vita Periclis ait, θυμὸν, id est, *iram*, esse κέντρον, id est, *aculeum.* Ergo Poëta: suscitat se ad fortitudinem ira tanquam calcari & stimulo. & talis ferarum cauda. Eodem quoque refero eundem Plutarchum in Coriolano, θυμὸν ἐξερρίπιζον αὐτοῦ, *illius iram stimulabant.* Cùm Afranius in Vopisco dixit: *cuius te suscitat imago?* nihil aliud voluit, quàm cuius te veterum imago ad virtutem stimulat, calcárque iniicit ad gloriam?

Stimulus, de ira.

Ira calcar virtutis.

11. DICERE LEGES.] Sic & Græci (ait Germ.) νόμον λέγειν. quod Cedren κατὰ ἔθος νόμι.

Leges dicere.

[a] Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cùm primùm alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.
[b] Campum ad certamen magnæ sub mœnibus vrbis
Dimensi Rutulíque viri, Teucríque parabant,
[c] In medióque focos, & Diis communibus aras
Grammineas, alij fontémque ignémque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

[d] Procedit legio Ausonidûm, pilatáque plenis
Agmina se fundunt portis. hic Troïus omnis,
Tyrrhenúsque ruit variis exercitus armis.
Haud secus instructi ferro, quàm si aspera Martis
Pugna vocet. [e] nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant, ostróque decori,
Et genus Assaraci Mnestheus, & fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
[f] Vtque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.
[g] Tum studio effusæ matres, & vulgus inermum,
Inualidíque senes turres, & tecta domorum
Obsedêre, alij portis sublimibus astant.

ARGVMENTVM.

Orto die fit dimensio campi ad certamen, afferuntur sacra, procedunt Rutuli, & Troiani ad spectaculum cum armis, qui non his apti spectant è locis vrbis editis.

EXPLICATIO.

[a] HOc videlicet tempus Turnus præfinierat. Notetur elegans aduentâtis diei descriptio à sparso lumine, à percussis Sole montibus, ab equis linquentibus maria, à luce efflata è naribus.

[b] Sententia est, Rutulos & Troianos, suam singulos partem campi accepisse purgandam, parandámque ad certamen.

[c] Medius locus sacris destinatur. Est in Poëta ὕστερον πρότερον: nam sententia est, statuunt *in medio aras gramineas Diis communibus*, & in aris *focos*. Pergit. *ferebant alij fontémque ignémque*. Hic ignis alius ab focis iam nominatis, & vsui alteri, dicam in Notis. Sequitur ministrorum ornatus. Hi *velati lino*; nam candida in vsu sacrorum, & *cincti tempora verbena*, id est, herba sacra. Describit videlicet Feciales, quos Plutar. in vita Camilli vocat φύλακας εἰρήνης, ἐπιγνώμονας βεβαιωτὰς αἰτιῶν, αἳ σὺν δίκῃ πόλεμον ἐπικυράττουσι, id est, *custodes pacis, cognitores arbitrósque causarum legitimarum belli indicendi.*

[d] Numerat primò agmina, deinde duces. Ergo Ausoniis, id est, Rutulis, eorúmque legioni opponit Troianum, ac Tyrrhenum exercitum. Rutuli fundunt se è portis, Troiani & Tyrrheni ruunt è castris. & omnes armati, vti ad pugnam, & variis armis è vario gentium ritu. Sunt *pilata agmina*, conferta, addensata. Prudenter tacentur Arcades, nam eorum dux Pallas iam ceciderat. omnia videt Virgilius.

[e] Sequuntur duces. Hi insignes auro, & purpura. Et quia dixerat, *Troïus exercitus*, & *Tyrrhenus*; pro Troianis est Mnestheus, pro Tyrrhenis Asylas, vt liquidum ex lib. 10. pro Rutulis verò Messapus. & versus Messapi opponitur superiori. Quasi dicat: si Mnestheus ex genere Assaraci, Messapus proles Neptunia: si Asylas fortis, Messapus equûm domitor.

[f] Habitus spectantium militum, non pugnantium, defixæ hastæ, acclinata scuta.

[g] Iam verò inutiles bello feminæ, vulgus, senes
A occupant ad spectandum turres murorum, tecta domorum, fastigia portarum. concinne omnia.

NOTÆ.

1. SPARGEBAT LVMINE.] Græci, Homer. Calaber, in re simili κίδναται. Sic etiam Æschyl. Pers. πρὶν σκεδάσαι θεοῦ ἀκτῖνας. Boët. lib. 2. *lucem spargere*, loquitur de Phœbo. De quo etiam Lucan. lib. 3. *spargens radios*. Possumus putare hanc Poëtarum locutionem manasse ab opinione Democriti, qui de-
B finiens lumen, dicebat esse *decisiones à corporibus lucidis defluentes, & veluti atomos*. Vide tamen, vt hanc refellat Aristoteles lib. 2. de Anima.

Spargere lucem, vnde.

2. MONTES.] Impingit quippe Sol primùm in cacumina. Ita Lucifer surgit 2. Æneid. *iugis summæ Idæ*. & Titan apud Sen. in Troad. *stringit summa iuga*. Cedren. pag. 470. τοῦ ἡλίου τὰς ἀκρωρείας αὐγάζοντος: *illustrante Sole cacumina*. Nota est historia illa seruorum, qui cùm liberos omnes sustulissent, pactíque essent, se Regnum illi daturos, qui orientem Solem primus cerneret: vnus eorum retrò montes respectabat auersus ab ortu Solis, cùm reliqui conuersi
C in illum essent; & ille vnus Regnum sibi obtinuit, ac proinde hero, cui pepercerat, quippe conuersus ad montes Solem primus omnium vidit. Huc spectat narratio Plutarchi in lib. de virtutibus Mulier. vbi agit de Lyciis explicans chimæram fuisse ὄρος ἀντήλιον, *montem Soli oppositum*.

Montes Sol illustrat ante omnia.

Seruorum historia.

Chimæra mons fuit.

3. SE GVRGITE TOLLVNT, &c.] Hæc poësis cui non placita? Tibull. lib. 4.

Splendidior liquidis cùm Sol caput extulit vndis.

De Titane Sil. lib. 12. *dum gurgite lucem spirantes proferret equos*. Mitto.

Equi Solis è mari.

D 4. SOLIS EQVI.] Pulchri sunt versus Prudent. lib. 11. contra Symm. de isto Solis apparatu,

Hoc sydus, currum, rapidásque agitare quadrigas
Commenti, & capiti radios, & verbera dextræ,
Et frænos, phaleriásque, & equorum pectora anhela.

Manil. lib. 1. *Phœbus moderatur habenas*. Theognis in sententiis dat Soli in æthere μώνυχας ἵππους. Vetus Poëta apud Censorinum de Die Natali cap. 28. *ô beato lumine volitans, qui per cœlum candidus equitas!* loquitur cum Sole. Apud Cedren. pag. 266. Sol statuitur ἐπὶ λευκοῦ ἅρματος. Plutarch. in Conuiuio septem Sap. ἥλιον ἐν ἅρμασι λέγουσι περιπολεῖν. *Solem aiunt curru circumuehi*. Horat. in Carm. Sæcul. ait, Solem ferri *curru nitido*. Pausan. in Corinth. adducit, ἅρμα τὸν ἥλιον φέρει.

Solis apparatus.

5. LVCEM

Imitatio.

5. LVCEMQVE ELATIS NARIBVS EFFLANT.] Aut ab Pindaro, aut ab Ennio. Ille Od. 7. Olymp.

——ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατὴρ
Πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων:
——*radiorum genitor pater.*
Princeps equorum spirantium ignem.

Lux ab equorum naribus.

Ennius verò: *fundúntque elatis naribus lucem.* Ouid. 2. Metamorph.

——*quadrupedes animosos ignibus illis,*
Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant

Est hoc quod idem eodem lib. de iisdem equis, *ignémque vomentes.* Est verò sublimius *lucem efflari,* quàm *ignem efflari.*

Focus, quid propriè.

6. IN MEDIOQVE FOCOS.] Cur hic focos, cùm deinde, *fontémque ignémque ferebant?* otiosum quispiam putauit Virgilium. Duplex effugium. Cùm *focus* sit propriè non ignis, sed locus vbi ignis fouetur, ac proinde queat separari ab igne, dicente Ouid. 6. Fast. *sintq; sine igne foci.* Cùm hoc (inquam) sit propriè *focus*, potuit Poëta primùm *focos* numerare, deinde *ignem*, qui imponendus foco. vnde Isid. *ignis ipsa flamma est, focus verò fomes ac nutrimentum ignis.* & adducit Varronem, qui ait: *focus dictus, quòd foueat ignem.*

Vnde dictus.

Ignis duplex in sacro.

Secundò dici potest, in hoc sacro duplicem fuisse ignem, vnum in omni sacro necessarium iugulandis pecudibus, de quo postea, *in flammam iugulant pecudes.* & Eurip. in Supp. εἰσεῖδες τ' ἱερὰς φλόγα; *vidisti flammam hostiarum?* & huic vsui destinat Poëta hos primos *focos*. Alterum huic sacro, in quo fœdus feritur, necessarium, & huic vsui destinat *ignem* sequentem.

Aqua & ignis in omni fœdere.

Aqua & igni interdicere, vnde.

Sanè (hoc iam Seruij est) *ad facienda fœdera semper aqua & ignis adhibentur. Inde & quos arcere volumus à nostro consortio, eis aqua & igni interdicimus, id est, rebus quibus consortia copulantur.* Ex his elige vtrum malis. Mihi hoc alterum placet, nam infrà, *Tango aras, mediósque ignes,* videlicet cùm Latinus iurat in hoc fœdere. & per testationem ignis fieri iuraméta iam ex Arato Theonis interprete Turnebus astruxit. Et cùm Plutar. ἐν ῥωμ. quærit, cur sponsa ignem tangeret? hoc refert extremo loco ad fidem & societaté, quam seruaturi coniuges. Itaque extremus ignis peculiaris his sacris, id est, fœderibus. Eurip. in Suppl. in querela fidei non seruatæ πυρὰν nominat, *ignem*, imò πυρὰν accipit pro *ara*.

Ignis pro ara.

Ara pro igne.

vnde ego Tertullianum illustro. Sicut enim Eurip. nominaturus aram dicit πυρὰν, id est, *ignem*: contrà Tertull. in Apolog. *Mutius dexteram suam libens in ara reliquit.* Et ad Martyres: *Mutius manum suam dextram in ara cremauit,* id est, in foco. Itaque est grata vicissitudo. Nam & *focus* pro *ara* sumitur, & *ara* pro *foco*. Inde versum istum Virgilij,

In mediòque focos, & Diis communibus aras,

possum explicare per ἓν διὰ δυοῖν. vt dicat, vel focos ararum, vel aras focorum.

Comunes Dij.

7. ET DIIS COMMVNIBVS ARAS.] Qui sint *Dij communes*, cui non notum? Omitto, nam hîc tantùm accipio cum Turn. Deos illos, quorum interuentu fœdus hoc esset peragendum, quia videlicet communes futuri essent & Troianis, & Latinis. Sic Hercules dictus *communis* octaua Æneide, quia cultus ab Troianis, & Arcadibus. Eo sensu capio Propertium Eleg. 11. lib. 1.

Vt solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse Deos.

Id est, Deos, quos & puella, & ipse amator colerent. Sic contrà Appian. in Hispanicis ait, vocari in bello elephantos κοινοὺς πολεμίους, *hostes communes*; nam vbi turbati sunt, omnes pro hostibus ex æquo habent, ac pariter in alienos, atque in suos sæuiunt. Sic 2. Æneid. *nati serua communis amorem.* Nihil tamen impedit allatos verè ad hoc fœdus *Martem, Bellonam, victoriam*, qui tres, vt plurimùm, vocati *communes Dij.* Et quidem Homerus Martem vocat ἀλλοπρόσαλλον, Bellonam ξυνὸν, victoriam ἑτεραλκέα.

Cespes pro ara.

8. ARAS GRAMINEAS.] Turn. explicat, cespititias, quales in castris excitabantur. Fortasse quia cespes pro ara fuit antiquis. Neque enim alio sensu Horat. Od. 8. lib. 3. dixit, positum carbonem *in cespite*, id est, in ara. & Calpur. in Bucol. *cespite viuo Pone focum*, id est, pone focum in ara. Possis sequi Turnebum; & me, si placeat, qui *gramineas aras* explico, è quacumque herba factas.

Gramen pro quacunque herba.

Graminea corona, & Obsidionalis.

Nam *gramen* pro quacumque herba apud veteres, quod astruo ex Plinio, qui lib. 22. cap. 6. loquens de corona *graminea*, & *obsidionali*, quæ eadem, ita scribit: *Nullæ herbæ fuére certæ in hoc honore, sed quæcumque fuerant in periculi sede, quamuis ignobiles, ignotæq;, honorem nobilem faciebant.* Seruius etiam hîc, *licet omnis herba gramen vocetur.* Astringere quippe Poëtam ad verum tantùm gramen non est necesse.

Fons pro aqua.

9. FONTEM.] Pro aqua, vt in Georg. *bibant violaria fontem.* Sic Soph. in Elect. πηγὰς γάλακτος, dixit, *fontes lactis.* cùm lac tantùm intelligat. ibidem Electra ipsa dicitur πηγὰς ποταμίας φερομένη, *fluminеos fontes ferens* ad vsum domesticum, id est, aquam ex fontibus, aut fluminibus.

Puteus pro aqua.

Huic vicinum φρέαρ, id est, *puteum*, dici pro aqua ab Aristoph. in Iren.

Τῆς ἰωνιᾶς τε τῆς πρὸς
Τῷ φρέατι: ——
Violæ, quæ propinquæ
Puteo. ——

Aqua ad vsum sacrorum.

Id est, aquæ, vt explicant interpretes. Sed cui vsui aqua? certè ea necessaria ex sacrificantium ritu. Vide me 8. Eclog. ad illud, *Effer aquam.* Item quæ de lustrali aqua Gentilium dixi lib. 6. ad illud,

Idem ter socios pura circumtulit vnda.

Et ad illud, *corpúsque recenti spargit aqua.* & quæ Brodæus scripsit cap. 38. lib. 1. Miscell.

10. IGNEMQVE.] Cui vsui, dixi suprà.

Linum in sacris.

11. VELATI LINO.] Aut quia induti lineis vestibus Feciales (nam Feciales hîc intelligit, vt qui ad facienda fœdera) quod tamen contra morem esse ait Seru. nam hi ministri nunquam lineis vsi, sed hoc factum à Poëta ad indicandum infelicem exitum huius sacri, more suo. Firmat hoc multis.

Filũ laneũ.

Vel *velati lino* propter filũ tãtùm laneum, quod in capite Fecialiũ. Varro: *Flamines, quòd licio in apice velati erant.* De Legato illo, qui res repeteret, ait Liu. lib. 1. *capite velato*, quod dici tantùm propter filum lanæ, quod *velamen* dicebatur, Scal. aperit in Coniect. Inde & vir doctus Passerat. pro eodem accipit *velari lino*, & *velari filo*.

Velari lino, & filo.

Limum, genus vestis.

Sunt tamen, qui in Poëta *limo* legant, accipiántque de genere vestis, quæ propriè ab vmbilico ad pedes. *Habebat hæc* (verba sunt Seru.) *in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam. Vnde & nomen accepit: nam limum, obliquum dicimus.* Hæc ille. firmat, quia Terent. *limis* dicit, pro obliquis.

Fecialium mos.

12. VERBENA TEMPORA VINCTI.] Hæ voces clarè indicant hos ministros fuisse Feciales. Ait enim *& verbena*, & *vincti tempora.* Vtrumque assumo ex Liuio. Primum ex lib. 30. *Feciales, cùm in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur, ipsis postulantibus S. C. in hac verba factum est, vt priuos lapides, silices, priuásque verbenas secum ferrent.* Hic scilicet apparatus ad ferienda fœdera. Alterum ex lib. 1. vbi, in fœdere percusso inter Tullum Hostilium, atque Albanos, verbenæ fit mentio, qua M. Valerius Fecialis *caput, capillósque tangit* Spurij Fusij, qui in patrem patratum

sacraba

ſacrabatur. Hi omnes miniſtri erant fœderis feriundi, & faciundi. Et quidem coronæ in fœderibus meminit Plutar. 7. Sympoſ. αἱ δὲ σπονδαὶ ποθοῦσιν αὐτὸν (αὐλὸν) ἅμα τῷ στεφάνῳ: *amant fœdera eam* (tibiam) *vnà cum corona.* Porrò verbenam eſſe omnem herbã ſacram, tum alibi à me dictum, tum obuium. Contendit Gorop. lib. 6. Orig. vocem hanc eſſe Germanam, Virgiliúmque eius proprietatem ab aliquo eius gentis didiciſſe, & ideo *vincti.* nam *verbena* patria Germanorum lingua eſt *herba alligans*, ſiue *quid vinciens.*

Verbena.

13. VINCTI.] Hor. Od. 7. lib. 1. *vinxiſſe corona.* & Od. 4

Nec vincire nouis tempora floribus.

Vincio, de corona.

14. PROCEDIT LEGIO.] Notat inceſſus militaris grauitatem. Sic inf. *Procedunt caſtris.* Talia, *incedo*, & *progredior.* vt, *Diuûm incedo Regina.* &, *Tandem progreditur.*

Procedo, militare.

15. LEGIO.] Ita dicta à delectu. Plutar. ἐκλήθη λεγιὼν, τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων: *Dicta legio, quòd lecti ex omnibus eſſent milites.*

Legio vnde dicta.

16. AVSONIDVM.] Pro, Auſonidarum, nam Auſonidæ.

17. PILATA.] Explicui, *conferta*, *addenſata*, nam nequit eſſe pilis armata, quippe poſtea, *defigunt tellure haſtas.* Hic ergo nullo pila, tantùm haſtæ. Debes itaque hunc locum Seruio, non vulgari, ſed Per. Danielis. Fuit *pilatum* apud veteres quicquid ſpiſſum eſt, & denſum. Scaurus de vita ſua: *in agrum hoſtium veni pilatim exercitum duxi*, id eſt, ſtrictim, denſatim. Ennius Satyr. 2. *Contemplor inde loci liquidas pilatáſque ætheris oras*, id eſt, firmas, ſtabiles, & quaſi pilis fultas. Hoſtius lib. 1. Belli Hiſtrici,

Pilatum, pro, addenſatum.

Percutit, atque haſtam pilans præ pondere frangit.

id eſt, figens, quod eſt firmitudinis. Hæc teſtimonia, & has explicationes adhibet correctus Seru. quibus caret vulgaris; alia inſuper, quæ omiſi.

18. FVNDVNT.] Victorius lib. 28. cap. 18. multa teſtimonia coniungit, quibus firmat pari vſu Græcos dicere ῥέειν, ἐκχυθῆ, quæ verba ad fluxum pertinent. Sed ego vbertim ad illud 2. Georg. *totis vomit ædibus vndam.* vbi *vnda* de hominibus.

Fundo, de hominibus.

19. AVRO VOLITANT OSTROQVE DECORI.] Intelligit veſtem purpuream, cui intextum aurum. Cedrenus vocat ὑφάσματα χρυσοῦ, & χρυσοϋφῆ ἐσθῆτα. Hæc veſtis dicitur etiam *picta*, quaſi picta auro, & opponitur veſti, quæ dicta ὁλοπόρφυρος, in qua nihil auri. Fortaſſe ab hoc auro explicari queat Horat. Od. 1. lib. 3.

Purpurea veſtis.

Nec purpurarum ſydere clarior
Delinit vſus.———

vbi claritas inſtar ſyderis tota ab auro, vt enim ſydus in cœlo, ita aurum in purpura rutilat. In *oſtro* agnoſce conchyliatam & muricatam purpurã, qualem Sen. Rhetor Controu. 15. *Ex omni rupe conchylium trahitur, quo veſtis cruentetur.* & tu vide Brodæum lib. 1. Miſcell. cap. 8. vbi diſcriminat veſtem purpuream à coccinea, rubram à rufa, Phœniceam à purpurea.

Oſtrum.

20. DEFIGVNT TELLVRE HASTAS.] Ita vt inferior pars hæreret terræ, mucro ſupernè emicaret, vel ex Hom. qui Iliad. 10.

———ἔγχεα δέ σφιν
ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο, τῆλε δὲ χαλκὸς
λάμπ', ὥς τε στεροπὴ πατρὸς Διός:———
———*haſta verò ipſis*
Recta, defixa erant inferiore parte, longè autem ferrum
Splendebat vt fulgur patris Iouis.———

Sic & 3. Iliad. de eodem ſpectantium militum habitu, πὰρ δ' ἔγχεα μακρὰ πέπηγεν. Sic in 6. *Stant terra defixæ haſtæ.* Nam ſcilicet hic eſt pacis habitus. Valerius Flacc. lib. 4. *fixáque ſilet Gradiuus in haſta.* Philoſtrat. lib. 2. Icon. πήξαντες δὲ καὶ τὰς αἰχμὰς εἰς τὸ ἔδαφος, ἐπαλλάττουσι τὼ πόδε, καὶ στηρίζονται ἐπὶ τῶν αἰχμῶν: *Affixis ſolo haſtis, alternis inſiſtunt pedibus, haſtis ipſis acclinati.* & Iunior etiam Philoſt. in Iconib. ἀκοντίῳ τ' ἐπερείσας: *innixus iaculo.* In habitu etiam pacis Eurip. vt perageretur ſacrificium, ait in Helen. λόγχας θέντες: *deponentes haſtas.* Seneca, ſiue quis ille, in Theb. *haſtam ſolo defige.* Sic ergo milites non pugnaturi, ſed ſpectaturi tantùm pugnantes Ænean, & Turnum, *defigunt tellure haſtas.* Sunt verò, qui in hac defixione agnoſcant morem militarem, in his Mag. 3. Miſcell. cap. 2. Ferebant ſcilicet milites ſecum ferrum cauum, quod terræ affigerent, cùm neceſſe eſſet, vt ibi haſtas reponerent. Verba Euſtathij in Hom. hæc ſunt. Σαυρωτὴρ σιδήρεον κοῖλον ἐξ ἄκρου ὀξὺ, ᾧ ἐντιθέμενον τὸ ὄπισθεν ἄκρον τοῦ δόρατος ὀρθὸν αὐτὸ ἱστάναι ποιεῖ πηγνύμενον κατὰ γῆς: *Sauroter, ferrum cauum in acutum deſinens, cui inſerta infima pars haſtæ efficit, vt recta ſtatuatur, defixa terræ.* Quæ verba videntur ſeparare σαυρωτῆρα ab haſta. Cùm tamen certum ſit, σαυρωτῆρα eſſe ferrum, quod in extrema haſtæ parte, quódque opponitur ἐπιδορατίδι, id eſt, *mucroni*, qui eſt in ſumma haſta, quáque fit ictus. Et interpretes Caſaubon. & Lipſius in Polyb. σαυρωτῆρα reddunt *imam cuſpidem.* quam partem etiam οὐρίαχον, & στύρακα nominant Græci. & apud Suidam & Heſych. idem eſt omnino σαυρωτὴρ & στύραξ. & Maximus Tyrius Diſſertat. 28. στύρακα, id eſt, σαυρωτῆρα directè opponit τῇ αἰχμῇ, id eſt, *cuſpidi*, qua fit percuſſio. Verba eius. ὁ δὲ στύρακα κινήσας παρέπεμψεν τὴν κίνησιν κατὰ παντὸς τοῦ δόρατος μέχρι τῆς αἰχμῆς. Ait videlicet, *mota extrema haſtæ parte mitti motum in cuſpidem.* Quid, quòd verba Euſtathij adducta non neceſſariò ſeparant σαυρωτῆρα ab *haſta?* atque adeò morem illum Magij ex verbis illis agnoſcere neceſſarium non eſt: præſertim cùm ſcribat Dio lib. 40. haſtam illam, qua Aquilifer ferebat auream aquilam, deſinere ἐς ὀξὺν στύρακα, *in acutam cuſpidem.* vt videlicet faciliùs humi infigi poſſet, vbi non neceſſarium aliud ferrum ad infixionem.

Haſta defixa, habitus pacis.

Sauroter.

21. SCVTA RECLINANT.] Quibus innitantur ſpectaturi certamen. In re ſimili 3. Iliad. ἀσπίσι κεκλιμένοι: *acclinati ſcutis.* & in 10. etiamſi in re non ſimili; nam de dormientibus, ὑπὸ κρασὶν δ' ἔχον ἀσπίδας: *ſub capitibus habebant ſcuta.* quippe hæc indicia pacis. Et milites Virgiliani habitũ pacis repræſentant; nam pugna tantùm futura inter Turnum, atque Ænean. Plutar. in Timoleonte, καὶ θέντες τὰς ἀσπίδας διαπνέοντο: *clypeis poſitis reſpirabant.* Sic & in Sylla milites inducit τοῖς θυρεοῖς κεκλιμένους. Auctor Thebaidos, *arma defixa incubat.* & Stat. 2. Theb.

Scutis inclinari, habitus pacis.

Annixi iaculis, & humi poſita arma tenentes.

Qua forma Virg. *reclinant*, ea Hom. 4. Iliad. ἀνακλῖναι τόξον πρὸς τῇ γῇ.

22. TVM STVDIO EFFVSÆ MATRES, &c.] Sic 4. Iliad. occupant

Feminarum ſtudia in bello.

Τεῖχος μέν ῥ' ἄλοχοί τε φίλαι, καὶ νήπια τέκνα:
Murum coniugéſque dilectæ, & infantes filij.

De feminis etiam Cal. lib. 1. ὑσμίνην δ' ἀπάνευθεν ἐσέδρακον: *pugnam è longinquo ſpectarunt.* Præclarè Stat. lib. 7.

Nondum hoſtis contrà, trepido tamen agmine matres
Conſcendunt muros, inde arma nitentia natis,
Et formidandos monſtrant ſub caſſide patres.

23. INVALIDIQVE SENES.] Simile quidpiam App. in Annibal. γέροντες ἐς τὸ τεῖχος ἀνεπήδων: *murum ſenes conſcendebant.* vocat ſenes

Locorum ſimilitudo.

nes *inualidos*, vt Eurip. in Hecub. φροῦδος φρίζους.

24. TVRRES, AC TECTA DOMORVM OBSEDERE.] Tale ſpectaculum tibi offert Claud. 6. Hon.

——— Et quantùm licuit conſurgere tectis,
Vna replet turba facies.———

Et 5. Stil.

Nónne vides & plebe vias, & tecta latere
Matribus?———

Sic & Stat. 11. Theb.

Prominet excelſis vulgus miſerabile tectis.

A Tacit. 3. Annal. *Complentur non modò portus, & proxima maris, ſed mœnia, ac tecta, quáque longiſſimè proſpectari poterat.* Plut. de rebus C. Gracchi ſcribens ait, tantam hominum multitudinem Romam confluxiſſe eius petitioni gratulantium, vt campo turbam non capiente, cernerentur, audirentúrque homines clamabundi, ἀπὸ τῶν τεγῶν, καὶ τῶν κεράμων: *ab tectis, & tegulis.* Liuius lib. 24. *Multitudo pars procurrit in vias, pars in ædium veſtibulis ſtat, pars ex tectis feneſtriſque proſpectant.* Vide eundem lib. 23. loquentem de ſpectaculo, quod factum ad cernendum ſingulare certamen Iubelij Campani, & Aſelij Romani.

[a] At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur
(Tum neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo campum ſpectabat, & ambas
Laurentum, Troúmque acies, vrbémque Latini.
[b] Extemplò Turni ſic eſt affata ſororem
Diua Deam, ſtagnis quæ fluminibúſque ſonoris
Præſidet: hunc illi Rex ætheris altus honorem
Iuppiter erepta pro virginitate ſacrauit.
[c] Nympha decus fluuiorum, animo gratiſſima noſtro,
Scis vt te cunctis vnam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Iouis ingratum aſcendêre cubile
Prætulerim, cœlíque libens in parte locarim;
Diſce tuum, ne me incuſes, Iuturna, dolorem.
[d] Qua viſa eſt fortuna pati, Parcæq; ſinebant
Cedere res Latio, Turnum, & tua mœnia texi,
Nunc iuuenem imparibus video concurrere fatis,
Parcarúmque dies, & vis inimica propinquat.
Non pugnam aſpicere hanc oculis, non fœdera poſſum;
Tu pro germano, ſi quid præſentius audes,
Perge, decet: forſan miſeros meliora ſequentur.
[e] Vix ea: cùm lacrymas oculis Iuturna profudit,
Térque, quatérque manu pectus percuſſit honeſtum.
Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Iuno,
Accelera, & fratrem, ſi quis modus, eripe morti,
Aut tu bella cie, conceptúmque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, & triſti turbatam vulnere mentis.

ARGVMENTVM.

Iuno pro Turno ſollicita adit huius ſororem Iuturnam, hortans rem vt fratris tueatur, congerens argumenta, quæ poteſt validiora.

EXPLICATIO.

[a] VBIQVE Iuno à Poëta adhibetur curans res Turni: ac nunc proinde ex vertice; nam hoc eſt, *ex ſummo tumulo* Albani montis ſpectabat *campum*, & in campo *ambas acies*, & *Latini vrbem*. Adiicit parenthesin de Albano monte tum nihil noto, quia Alba tum non condita.

B [b] Conſilium Iunonis fuit fœdus diſturbare, ne fieret ſingularis ille congreſſus. Ad rem hanc vult vti opera Iuturnæ, quæ Turni ſoror germana. Hanc ergo affatur. Sed priùs, quæ hæc Dea? nimirum, *quæ præſidet ſtagnis, & fluminibus.* Nam *Iuppiter illi honorem hunc ſacrauit,* id eſt, illam ſacram fecit hoc honore. Cauſa, *pro erepta virginitate.*

[c] Oratio Iunonis ad Iuturnam tota fuco plena, & ſpirans mendacia. Non enim illa ita ſolet cum pellicibus, ſed nunc neceſſitate coacta ad lubidinem ſermonem confingit. Itaque, vide, vt captet. *Decus fluuiorum, gratiſſima noſtro animo.* Nil minùs: nam quando gratæ pellices? *Scis*, ne poſſit negare, *vt te vnam prætulerim cunctis, quæcunque aſcendêre cubile*, id eſt, lectum, *Iouis*, & *ingratum*. Ludit in vocibus. Quaſi dicat: Eſt magnum, te mihi eſſe gratiſſimam

in re

in te ingrata. Nec solùm *prætulerim*: sed *locarim in parte cæli*. idque *libens*, quod quis credat? Quid tandem Iuno post tot blandimenta? *Disce*, non tam meum, quàm *tuum dolorem*. Itaque negotium tuum ago. & repellens à se crimen, *ne me incuses*.

d Poterat obiici Iunoni impotentia. Tu ad Nympham confugis soror & coniux Iouis? Hanc a se amandat, & se tuetur fatorum decretis, quæ ipsis adhuc Diis potentiora. *Qua*, id est, quatenus, *passa est fortuna*, quatenus *Parcæ sinebant cedere res Latio*, id est, *feliciter cuncta procedere*, scholion est Seruij: vel *cedere*, id est *succedere res Latinis*, scholion est Nebrissensis; tunc *texi Turnum, & tua mœnia*. Nunc iam quid possum? Concurrit enim iuuenis Turnus, non tam cum Ænea, quàm cum *fatis*, hisque *imparibus*. Etenim *propinquat dies* fatalis *Parcarum*, *& vis inimica*, ac proinde

Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.

Quamobrem *tu*, ἰμφατικῶς, *si quid audes præsentius*, id est, efficacius, vt *pro germano, perge, decet*. Quasi dicat: Non est illicitum germanam pro fratre aliquid audere, etiam contra Iouem & fata. Adiicit, *forsan miseros meliora sequentur*, si mutari omnino nequeant fata.

e Pro responso fuerunt lacrymæ, & percussio pectoris, & hæc sæpe iterata. Has lacrymas disturbat Iuno; illæ enim inutiles, cùm res manus postulat: nam mortuo potiùs dandæ, quàm periclitanti. Itaque hortatur, sinat has lacrymas acceleret, fratrem morti eripiat, *si quis modus*. hic autem modus duplex est, videlicet,

Aut tu bella cie, conceptúmque excute fœdus.

Quasi dicat: Vel tu pugna pro fratre singulariter cum Ænea, vel fac vt fœdus excutiatur mista vtraque acie. Quia verò hoc magnum, vt quod contra Iouem, & fata, firmat illam istis, *Auctor ego audendi*. Ac statim abiit relinquens illam & *incertam* consilij, & *turbatam mentis vulnere*, de fratris exitio imminente

NOTÆ.

Tautologia nulla in Virgilio.

1. NEQVE NOMEN, NEQVE HONOS, AVT GLORIA.] Nulla hic tautologia, aut perissologia. Huius vitij nunquam capax hic Vates. Ait, *nomen*, quia tunc nondum huic monti nomen, quia Alba nondum condita. Ait *honos*, quia tunc nulla res diuina eo loci, vt postea, & *honos* quidem respicit sacrificium, vt liquidum ex infinitis locis Virgilij, & aliorum. Vide me 3. Æneid. ad illud, *meritos aris mactauit honores*. Demum ait, *gloria*, quia Albæ fuit maxima parentem esse Romani Populi, & tunc quidem nondum parens. Præclarè ergo, & non redundanter, huic monti tunc nullum *nomen*, *honos*, *gloria*.

Honos, de sacrificio.

Lectio Virgiliana.

2. SPECTABAT.] Seru. agnoscit, *aspectabat*. Alij item.

Laurentes vnde dicti.

3. LAVRENTVM.] Ita dicti ab laurorum copia. Herodian. lib. 1. loquens de hoc tractu: μεγίστοις καὶ σκιοῖς (τὸ χωρίον) δαφνηφόροις ἄλσεσιν. ὅθεν καὶ ὄνομα τῷ χωρίῳ: *Regio multis è lauro nemoribus opaca, vnde & illi nomen*. Maro tamen lib. 17. vni lauro nomen tribuit, non earum copiæ.

Deorum, & Diuorum discrimen.

4. DIVA DEAM.] Cùm Dij propriè æterni sint, Diui assumpti ex hominibus, Seruius Poëtam expedit per hypallagen, vt dicat *Diua Deam*, quasi *Dea Diuam*. Adducit & tectorium aliud. Iuno pro *aere* sumitur à Poëtis, rectè ergo *Diua* de Iunone, quia

Iuno pro aere.

sub Diuo, est, sub aere. Et rectè etiam Iuturna quit dici *Dea* ab religione, cui semper adnexus timor. δέος enim Græcis etiam est θεός. vnde & iuxta aliquos *Deus*. Iuturnæ religio multis inclaruit, tum imprimis templo Castorũ, quod iuxta eam aquam. Cuius rei Ouid. meminit lib. 1. Fast. & Val. Max. lib. 1. cap. 8.

Deus, vnde.

5. STAGNIS.] Italiæ scilicet; nam Varro, citante Seruio: *Iuturna inter proprios Deos, Nymphasque ponitur*. Indicat Deam hanc esse *Indigetem*. Eius festa *Iuturnalia* dicta, & *Iuturnæ feriæ* illi celebrari ab artificibus, qui *aqua* aliquid exercerent, idem Seru. contestatur. Huic Deæ Lutatius Catullus templum fecit in Campo Martio. Inde Ouid. in Fast. cultam in eo scribit,

Iuturnalia.

Te quoque lux eadem Turni soror æde recepit,
Hîc, vbi virginea campus obitur aqua.

6. FLVMINIBVSQVE SONORIS.] Lege hîc Pontanum.

7. PRÆSIDET.] Consequenter ad superiorem Notam. Nam hoc verbum Diis locorum solens attribuit Maro. Sic in 3.

Præsideo, de Diis locorũ.

Gradiuumque patrem, Geticis qui præsidet aruis.

Et in 6. *arces, quibus altus Apollo Præsidet*.

8. REX ÆTHERIS.] Ab Ouid. Eleg. 3. lib. 4. Trist. Iuppiter dicitur *Rex mundi*.

9. HONOREM.] Sic etiam Hylas versus in fontem de se apud Val. lib. 4. Arg.

Honor, de re sacra.

——& iam mihi lumina cœli (Iuppiter)
Conciliat, iungitque suos, & fontis honores.

Cùm addit hunc *honorem* dari pro *erepta virginitate*, commodè German. intelligit ἀντιπαρθένια.

10. DECVS FLVVIORVM.] Fortasse ab salubritate, quæ prædicata de hoc fonte. Varro lib. 4. Ling. Lat. *Nympha Iuturna, quæ iuuaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent*. Fortasse etiam ab vsu; nam *de hoc fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueuerat*. Ergo, *decus fluuiorum*, vel quia aqua saluberrima, vel quia in vsu sacrorum.

Iuturnæ fontis elogia.

11. ANIMO GRATISSIMA NOSTRO.] Ad verbum Hom. 5. Iliad. ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ. & Theoc. εἰδ. 3. ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλημένε: *mihi bene chare*.

12. SCIS, VT, &c.] Aduertit Scal. orationem hanc non factam sine oratione Iunonis ad Thetidem apud Apollon. lib. 4. Itaque tametsi inde non omnino orta sit, tamen non facta sine illa. Ait quippe ibi Iuno ad Thetidem,

Imitatio.

Ἐξέτι νηπυτίης αὐτὴ τρέφον, ἠδ' ἀγάπησα,
Ἔξοχον ἀλλάων, αἵ τ' εἰν ἁλὶ ναιετάουσιν.
Οὕνεκεν οὐκ ἔτλης εὐνῇ Διὸς ἱεμένοιο
Λέξασθαι: ——
Ab ipsa infantia (te) *inde alui, atque dilexi*
Præ aliis, quæ in pelago degunt.
Quòd detrectasti in lecto Iouis cupientis
Dormire.——

13. MAGNANIMI IOVIS.] Cur in re Venerea, quæ mollissima, hoc attributum, tam hîc, quàm infrà, vbi eadem Iuturna,

Magnanimus cur Iuppiter.

——nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iouis, hæc pro virginitate reponis?

Dico probabiliter id ductum à vi, qua vir instar militis pugnat, & oppugnat, ac vincit feminam, & prosternit. Hesiod. in Scut. de Alcmæna, quæ victa à Ioue, θεῷ δμηθεῖσα. iterum, ὑποδμηθεῖσα κελαινεφέϊ Κρονίωνι. Obuia hæc in Poëtis. Quin omnis *veneris prælij* nomine afficitur tum ab aliis, tum ab Nostro lib. 11. ibi, *nocturnáque bella*. vbi vide me. Petron. dixit, *fortiter facere*, pro, ἀφροδισιάζειν. Est qui Poëtam capiat εἰρωνικῶς. Nam qui in scortationibus, & adulteriis

cæteris bellator est magnus, videtur ironicè bellator dici.

Hypallage. 14. INGRATVM.] Hypallage, pro, ingrati Iouis. Et queritur, Iouem non sibi gratiam præstitisse seruanti vxoriam fidem. Ille quippe multarum pellicum amore irretitus est, ipsa vni semper Ioui adhæsit in lecto coniugali: ideo ergo *ingratus*.

15. ASCENDERE.] Nihil ab Græcis frequentius in re hac. Hesiod. in Scut. λεχέων ἐπιβῆναι. iterum, ἀλόχου ἐπεβήσατο εὐνῆς. In Theog. λέχος εἰσαναβαίνων. Eurip. in Helen. Διὸς ἐς λέχος ἀνιβᾶσαι. Homer. 9. Iliad. τῆς εὐνῆς ἐπιβήμεναι. Cyrill. Alexand. Comment. in Amos numer. 18. πατρὸς μὲν τὴν ἐπιβαίνειν εὐνάς. Insistit verò Virg. mori, nam ideo *ascendere*, quia sæpe gradus ad lectum. Vetus lexicon, *embasicœta*, ἐμβασικοίτης, quasi dicas, *inscensrix lecti*. Lucan. clarè lib. 2.

Lecti coniugalis gradus.

——gradibusque, accliuis eburnis
Stat torus.——

Hos gradus satis indicat Propert. Eleg. 4. lib. 4.
Nube, ait, & Regni scande cubile mei.
Et Ouid. 2. Fast. loquens de Fauno, & in συνουσίᾳ,
Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit.
Plaut. Asinar. *in lectum inscendat* Et Varro lib. 4. Ling. Latin. *Simplici scansione ascendebant in lectum non altum, scabello in altiorem.* Græci, in his Phocyllid. βατήεντα λέχος dicunt, quasi *scansorium lectum*.

16. CVBILE.] Nescio, qua incuria factum, vt homines blenni, & prorsus insipidi *cubile* semper reddant, interpretentúrque *aposento*, cùm sæpe debeant *lectum*. Verè enim *cubile* est *lectus* à cubando. Firmat rē hanc Maro ipse, qui, λέχος ἐπιβαίνειν, aut λέχος potiùs ἐπιβαίνειν, ipse reddit, *ascendere cubile*. Ergo *cubile*, & λέχος idem. Firmat Lucan. in exitu lib. 5. qui de Cornelia Pompeij vxore cubante sola in lecto,

Cubile quid significet.

Non iuuat in toto corpus iactare cubili,
Seruatur pars illa tori.——

vbi, quòd priùs *cubile*, postea vocat *torum*. dicit enim, Corneliam non spatiatam toto lecto seruantem illius partem Pompeio. Quintil. Declam. 279. *pudorem cubiculi*, dixit. & Sidon. epist. 2. lib. 2. *dormitorium cubiculum*. Claud. 2. Rapt.

Ducitur in thalamum virgo, stat pronuba iuxtà
Stellantes mox picta sinus, tangensque cubile,
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

vbi, quem priùs *thalamum*, qui est lectus coniugalis, mox vocat *cubile*. Sil. libro 7. *membra cubili Erigit*, id est, lecto. Horat. Epod. 12. *tenta cubilia*. vbi vetus interpres: *tenta cubilia, lectus funibus, vel fasciolis tentus*. Ex Latina cognitione interpres Plutarchi in vita Caton. Vticens. illud ἐξέπεσε τῆς κλίνης, reddit, *decidit cubili*. Certum est autem κλίνην esse *lectum*. Lamprid. in Heliog. *Hic solido argento factos habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares*, ita etiam accipiendus versus ille 4. Eclog.

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Huc pertinet illud iactatum in Clodiam vxorem Metelli, *in triclinio Coa, in cubiculo Nola*. Vbi ex triclinio notat (explicatore Christian. Florent. in Vesp. Aristophan.) simplicem & naturalem συνουσίαν, ex cubiculo omnia monstra fœditatis. Eodem sensu accipit *cubiculum* Tacit. 4. Ann. cap. 6. Non itaque aliud *cubile*, quàm θάλαμος Oppiani libro 1. κυν.

In triclinio Coa, in cubiculo Nola.

A quàm κοίτη Iosephi libro 1. Bell. Iud. cap. 17. quàm εὐνὴ Cyrilli Alexand. Comment. in Amos numer. 18. Hi, & plures alij vsurpant has voces ἀντιτιθέντες. Quæ dixi vera sunt. Aliquando tamen non pro *lecto*, sed pro *parte domus, vbi est lectus*, sumitur; vt cùm Quintil. Declam. 347. scripsit: *In eadem domo, in eodem cubiculo, in eodem lecto*. vbi discriminat lectum à cubiculo. Vt & Sueton. qui in Neron. cap. 25. *sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit*. Demum Tullius 1. Catil. *Nemo inuentus est tam miser, qui non cubile ac lectulum suum saluum esse velit.* Sed Tullius torqueri potest ad prius significatum. & B Quintilianus, ac Suetonius mihi parum placent.

17. PRÆTVLERIM.] Videtur fuisse hic sermo amatorius, dicente Quintil. Declam. 319. *Flens & orbus querar, quòd vxor mea alium amauerit, alium prætulerit*. Ita vt *prælata* diceretur, quæ principem partem in toro haberet. Ergo Iuno: Tu ex numero pellicum prælata es aliis. Præfero, sermo amatorius.

18. PARCÆQVE SINEBANT.] Signatè. Sic omina, auguria, auspicia dicebantur *sinere*, vnde & *sinistræ aues*, à sinendo. Quod Plutar. astruit ἐν ῥωμ. τὸ δ᾽ ἀριστερὸν, τὸ ὅπερ ὀνομάζουσι: *læuum, sinistrum vocant*. & reddit rationem, quia quod Græci ἐᾶσαι, hoc Latini *sinere*. Sino, verbū augurum. Sinistræ aues, vnde.

C 19. NON PVGNAM ASPICERE HANC OCVLIS, &c. Locus planè Hom. 3. Iliad. Imitatio.

Ἤτοι ἐγὼν εἶμι προτὶ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν
Ἄψ· ἐπεὶ οὔπω τλήσομ᾽ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι
Μαρνάμενον φίλον υἱὸν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ:
Certè ego vado ad Ilion ventosam
Retrò, quando non sustineo oculis cernere
Pugnantem dilectum filium cum bellatore Menelao.

20. SI QVID PRÆSENTIVS.] Cum sapore ad Græcam vocem. nam παρεῖναι est, *esse animo præsenti*, id est, interrito. Inde & παραστατικός, *confidens & animosus*. Sed locum Virgilij aperiam inf. ad D illud,

Dat signum cœlo, quo non præsentius vllum.

21. DECET.] Vide vt explicui. Sed fortasse mens alia, & hoc loco *decet* sumitur significato Græco, vt *decens* hic sit τὸ δέον. & *decet* τὸ δεῖ. ad eum modum, quo Demosthenes 3. Philip. dixit, δεῖ τῆς πολλῆς φροντίδος, καὶ βουλῆς: *eget multa cura, & consilio*, id est, necessaria est cura, & consilium. vt dicat Iuno: Perge, nam *decet*, id est, necessaria est diligentia. Decet, quo significato vsurpetur.

22. FORSAN MISEROS MELIORA SEQVENTVR.] Apollon. lib. 2. Excid. Hierosf.

Forsitan afflictis rebus meliora dabuntur.

23. LACRYMAS.] Has suis Diis Gentiles passim. In 10. Iuno illacrymatur. In 5. Eclog. Nymphæ de- E flent Daphnin. In 12. Venus *indigno nati concussa dolore*. Alios quis numeret? Lacrymæ Deorum.

24. TERQVE, QVATERQVE.] Id est, sæpiùs. Suaues sunt illi, qui determinant ad septenarium numerum. Macrobium noto aliósque, contra quos hîc leuiter. Strabo Homerum explicat in simili locutione de numero indeterminato; & Seru. Virgilium 1. Æn. ad illud, *ô terque quaterque beati*. Quis Propertium trahat ad numerum determinatum, cùm scribit lib. 3. Terque, quaterque, id est, sæpe.

Tu Petum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque, quaterque mari.

Quis Ouidium 1. Fast. *adductaque claua trinodis Ter, quater?* Quid, quòd sæpe mutatur numerus? vt Ouid. 4. Metamorph. *bis térque per auras More rotat fundæ.* Theocrit. εἰδ. 13. τρὶς δ' ἀὸ ὁ παῖς ὑπάκουσεν. Et obsecro, si aspirauit Virg. 1. Æneid. in illis, *ô térque quatérque beati*, ad gradum illum felicitatis septenarij numeri, quem vult Macrobius, quid dicet ad Homerum, qui multo antè, τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, quem profectò Virgilius imitatus est? atqui Homerum Eustathius ita explicat; ἀφελῶς εἴρηται, *simpliciter dicitur.* Ita & in Irena Aristophan. ὦ τρισμάκαρ. Itaque putandi sunt Poëtæ loqui tantùm ad incrementum orationis. vt Horat. *Felices ter & amplius.* & Ouid. 3. Trist.

O quater, & quoties non est numerare beatum!

& Aristophan. in Plut. non contentus vulgari ista Poëtarum locutione, adijcit. καὶ τρὶς κακοδαίμων, καὶ τετράκις, καὶ πεντάκις, καὶ δωδεκάκις, καὶ μυριάκις. Diuinet iam aliquis de tot numeris. Quin de ternario ipso, qui numerus putatur esse validus in omni religione, ita scribit Plut. de Isid, & Osir. τὸ δὲ πολλάκις εἰώθαμεν καὶ τρὶς λέγειν, ὡς τὸ τρισμάκαρες: *numerum multiplicem solemus notare sæpe ternario numero, vt cùm dicimus, ô ter felices.* Idem lib. 1. de Placit. Philosoph. ἡ δὲ τριάς, πλῆθος, ὡς τρισμάκαρες.

25. NON LACRYMIS HOC TEMPVS.] Stat. citante Seruio, *accenso flebitis igne.* Lacrymæ tēpus importunum.

26. CONCEPTVMQVE EXCVTE FOEDVS.] Talis ea Statij oratio 3. Theb. Locorum similitudo.

——rape cunctantes, & fœdera turba.
Quæ dedimus sibi fas ipsos incendere bello
Cælicolas.——

27. AVCTOR EGO AVDENDI.] Terentius diceret, *non defugio auctoritatem.* Poëta aspirauit ad tritum illud, *Auctor Senatus.* Orosius cap. 17. lib. 2. dixit, *Thrasybulus auctor audendi pro patria fuit.* Vt autem hoc loco *auctor* de femina (notat hoc Germ.) sic Ouid. 4. Fast. Auctor audendi.

Optima tu proprij Numinis auctor eris.

Sic & Græci, ὁ, καὶ ἡ αἴτιος. Nam Arist. δύναμις αἴτιος. κίνησις αἴτιος. Tale illud Ouid.

Sponsor coniugij stat Dea picta sui.

28. INCERTAM.] Παραλογιζομένην, καὶ παράλογον. Vt enim Diodor. παράλογα τῆς τύχης dixit: ita Liu. *incerta belli, incerta casuum.* Hoc enim sensu Græci παράλογον. Sed cur Iuturna *incerta?* quia suprà, *forsan miseros meliora sequentur.* Incertus.

29. TVRBATAM VVLNERE MENTIS.] Quia *verba feriunt animum*, scholion est Iulij Scal. Non abit illud 8. *ne nuntius aures vulneret.* quem locum adi. Vulnus, de verbo.

[a] Interea Reges (ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt
Solis aui specimen. bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro:
[b] Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo,
Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,
Et iuxtà Ascanius, magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris.[c] puráque in veste Sacerdos
Setigeræ fœtum suis, intonsámque bidentem
Attulit, admouítque pecus flagrantibus aris.
[d] Illi ad surgentem conuersi lumina Solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterísque altaria libant.

ARGVMENTVM.

Ex castris suis Latinus, & Turnus; ex suis Æneas, & Ascanius procedunt ad fœdus feriundum: fit solemnis hostiarum probatio.

EXPLICATIO.

[a] MIRVS apparatus Regum conuenientium ad fœdus, nam *ingenti mole*, id est, pompa & ambitu. Quæ hæc moles? *Latinus vehitur curru quadriiugo*, Turnus tantùm *bigis*, vt qui inferior. Senex cum corona Regia, cui *bis sex radij*, id est, duodecim Solares radij: & hoc in monimentum generis: nam illius auus Sol, quippe Circe, quæ mater Latini, filia est Solis. Turnus tamen, vt qui iuuenis, & militaris, adest

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

[b] Pergit ad Ænean, & Ascanium; quos opponit Latino, & Turno. In hac re narranda sedulus pro re Romana Virgilius fuit, & verè centoculus. Quasi dicat: Magnus est Latinus, qui ab Sole ortum ducit; sed magnus quoque Æneas, qui *pater*, & *Romanæ stirpis origo.* Etenim par est, & fortasse maius, patrem esse Romani Imperij, quàm habere patrem, & auum Solem. Pari energia Ascanius dicitur, *magna spes altera Romæ.* quæ laus maior cumulatissimis Turni laudibus. Quis non laudat illud Lucani?

Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.

vbi vnum Catonem Diis omnibus opposuit. Sic

Virg.

A

Virg. fulgentissimum Romanum Imperium Soli opposuit. Iam versus ille,

Sydereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,

opponitur radiis Solaribus Latini. Hac ergo pompa Reges *procedunt castris.*

c Sequuntur hostiæ, videlicet sus, & ouis. Vtramque feram Sacerdos *attulit, arisque admouit.* suem, quem Latinus immolaret; ouem, quam Æneas. & ipsa *in veste pura* è ritu. Nota & lucem epithetorum, sus est *setigera*, ouis *intonsa*. Lana quippe huius pro setis illius.

d Adductis hostiis à Sacerdote, admotisque ad aras ipsi Principes Latinus, atque Æneas *conuersi lumina*, oculos, *ad surgentem Solem*, orientem, *dant*, fundunt, *manibus fruges salsas*, far tostum, & sale mistum, & molitum. Hoc enim est, *dant fruges salsas*, id est, spargunt salsis frugibus, Latinus suem, Æneas

B

ouem. Hæc est prima probatio victimæ. Altera: *notant ferro summa tempora pecudum.* quia videlicet cultrum à fronte ducebant vsque ad caudam. Tertia, *paterisque altaria libant.* nam scilicet vino fuso è pateris altaria tingebantur. Est enim *libant*, intingunt leuiter altaria vino paterarum. Aliæ quæpiam explicationes monstrosæ sunt.

NOTÆ.

1. INTEREA REGES, &c.] Pendet sententia vsque ad *re procedunt*, vt dicat, *Reges procedunt.* Media debent includi parenthesi. Itaque malè Macrob. cap. 6. libro 6. notauit, *de duobus incipit dicere, & in vnum desinit.* Nam hic, *interea Reges*, & tamen statim Latinus *vehitur.* Sic & Hom. cùm præmiserit, οἱ δ' δύο σκῆπτρα, subiicit, ὁ μὲν κρατὲρ ἱερὸν ἱκανε. Sed ista ad Virgilium ἄτοπα.

Macrobij error.

C

2. INGENTI MOLE.] Accipi potest comitatus, qui semper è Regum & Principum omnium dignitate. Qualem stipatum Tacitus describit de Mor. Germ. *Hæc dignitas, hæ vires magno semper electorum iuuenum gloria circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solùm in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est si numero, ac virtute comitatus emineat.*

Regum comitatus.

3. QVADRIIVGO CVRRV.] Τετραωρίαν dicunt Græci, & τέθριππον. Sic & ἅρμα τετράζυξ, & ἵπποι τετράορ, id est, ἵπποι τέσσαρες. Est & imitatio Homeri, qui 3. Iliad. de Priamo procedente ad fœdus. ἐκέλευσε δ' ἑταίρους ἵππους ζευγνύμεναι.

Quadriiugum.

D

4. AVRATI BIS SEX RADII.] Non dubium, quin in Latino repræsentet gloriam Augusti, de quo Sueton. in eius vita cap. 94. loquens de Octauio illius patre: *videre visus est filium radiata corona, super laureatum currum bis senis equis candore eximio trahentibus.* Cedren. quoque ait pag. 141. Octauium vidisse, qua nocte natus Augustus est, ἐκ τῶν κόλπων τῆς γυναικὸς αὐτοῦ τὸν ἥλιον ἀνατείλαντα: *exorientem Solem è sinu vxoris suæ.* De quo omine etiam Sueton. loquitur cap. 94. Plin. Paneg. laudans Traianum; quòd plurima in populum merita contulisset, ita ait: *Horum* (beneficiorum) *vnum si præstitisset alius, illi iamdudum radiatum caput*, &c. Auctor quoque Panegyrici dicti Maximiano: *Trabea vestræ triumphales, & fasces Consulares, & sellæ Curules, & hæc obsequiorum stipatio, & fulgor, & illa lux diuinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima, & augustissima.* Probant ista

Latinus Augustum repræsentat.

Sol Augustus.

E

Radiata capita Principum.

morem non solùm Augusti, sed reliquorum Imperatorum, qui capitibus solerent Solis radios adiungere: è quo gentium ritu credibile est, Christianos accepisse morem, quo cernuntur Sanctorum capita radiata. Ceterùm ad rem, quam dicebam initio, pertinet quinta sequens Nota. τὸ *bis sex* fortasse ab Ennio, qui 9. Annal. *lychnorum lumina bis sex.*

Bis sex.

5. SOLIS AVI SPECIMEN.] Hic iam clarissimè rem Augusti attingit. Nam Velleius lib. altero ita scribit: *Cùm intraret vrbem, Solis orbis super caput eius incuruatus æqualiter, rotundatúsque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est.* Nihil enim vetat, in Latino repræsentatum Augustum, imò hoc solens Maro, qui nullam occasionem prætermittit blandiendi Augusto, cùm præsertim hic se filium Phœbi assereret. Quin, vt huic argumento similia alia annectam, necunde meliùs Regia dignitas potest dignosci, quàm ab hac Solis imagine, quam in coronis repræsentant Reges. Pierius quidem iam notauit ex hoc loco Virgilij, ex nummis etiam, & monumentis antiquorum coronas Regias radiis duodecim constare, quia coronæ Solis duodecim pretiosis lapidibus constabant. De corona Iunonis Martianus lib. 1. *Erat illi in circulum ducta fulgens corona, quæ duodecim flammis igniorum lapidum fulgurabat.* Inde factum, vt Reges olim, se esse *Solem* dicerent ingenti laude. Talem fuisse appellatum à Demosthene Alexandrum Plutarchus scribit περὶ δυσωπ: talem ab Æsopo Ægyptium quendam Regem, in illius vita legitur: tales fuisse Reges Persarum, certissimum. Nam Plut. in Artox. Prisco Cyro nomen fuisse Solis scribit, & addit rationem, nam Persæ Solem vocant Cyrum, Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον. Quin Sapor apud Ammian. lib. 17. de se ipso: *Rex Regum Sapor, particeps syderum, frater Solis, & Lunæ*, &c. Inde ego illustro Horat. qui de Bruto Prætore Asiæ Sat. 7. lib. 1.

Augustus Sol.

Coronæ Regum instar Solis imaginis.

Radij duodecim in coronis Principum.

Sol dicebatur apud Persas Cyrus.

Solem Asiæ Brutum appellat, stellásque salubres
Appellat comites. ——

Quo loci nihil interpretes. Et animum profectò Horatius adiecit ad Reges Persarum, qui se nominabant aut *Solem*, aut *fratres Solis.* Hac vna re dignitatem suorum liberorum, quos ex Cleopatra sustulit, indicauit Antonius, vt in eius vita narrat Plut. Filium quippe, & filiam habuit, illum Alexandrum vocauit, cognomento ἥλιον, id est, *Solem*, illam Cleopatram, cognomento σελήνην, id est, *Lunam.* Ex sapore ad hæc blandimenta procedunt, quæ dixi superiore Nota de radiis Solaribus. Sicuti etiam libro 1. Epigram. Germanico Principi dantur ἀκτῖνες, qui verè sunt radij Solis. Inde etiam procedit, vt Principes cum Sole & syderibus comparentur. Quemadmodum ab Eurip. in Phœniss. Hippomedon dicitur ἀστὴρ ὥς τις. & de duce alio ait; Ἥλιος ὅπως φλογίζων βέλη ἀκτῖνος: *fulgurans sicut radij matutini Solis.* Sed de hac re ego locis aliis. Consequenter verò Poëta dedit Latino currum quadriiugum, qui Solis est. Eurip. in Ione de Sole loquens, ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων. & in Helen. τέθριππα τ' ἀελίου. & in Elect. τέθριππον ἥλιον ἐλαύνει.

D

Sol, & Luna, de liberis.

6. BIGIS IN ALBIS.] Philostr. lib. 1. Icon. τὸ τοῖν δυοῖν ἅρμα ἵπποιν, τὼ δὲ ἵππω λευκώ.

7. IT TVRNVS.] Pro Antenore, hunc enim comitem dat Homerus Priamo procedenti ad fœdus. Correxit Latinus Græcum, id est, Virgilius Homerum,

Virgilius corrigit Homerum.

meum,vt sæpissimè. Debuisset enim Paridem Priamo adiungere. Fœdus enim feriebatur, vt Paris pugnaret,non Antenor.

Bina tela magnis ducibus.

18. Bina.] Vel quia magnis ducibus datum,vt hastas binas gestarent. De Sarpedone Homer.Iliad. 12. δύο δ' ἄρα τινάσσων. Eodem lib. de Hectore, δοιὰ δ' ἐν χερσὶν δοῦρ' ἔχων. De duce alio 21. Iliad. ἔχων δύο δοῦρε. Penthesilea apud Calab. lib. 1. δοιὰς εἷλετ' ἄκοντας.

Militaris peritia.

Vel, ita indicata militaris perita Turni. Nam apud Cedren. pag.431. ita leges. ἐλήφθη δέ τις αἰχμάλωτος τῶν Σαρακηνῶν, κατὰ χεῖρα τε γενναῖος, καὶ χειρῶν εὐφυΐᾳ ὀνομαστός, ὡς εἴ τι δεξιὸς περὶ τὴν ἱππασίαν, καὶ ὡς ἐν ταῖς ἱππασίαις δυσὶ δόρασι χρώμενος, ἐπιτέχνως ἄγαν καὶ εὐφυῶς καταβάλλει τοὺς ἐναντίους: *Saracenus quidam inter captiuos fuit manu promptus, & manuum agilitate celebris, erat enim dexterrimus in arte equitandi, interque equitandum duabus hastis vtebatur, aduersarios sciitè admodum & promptè deuastans.* Ex eadem peritia videtur Cilicibus δύο ἀκόντια dare Herodotus Musa septima. Vel tertiò allusum ad Romanos gladiatores. Nam Artemid.lib.2.cap.3. inter gladiatores διμάχαιρον constituit, id est, *duplici gladio pugnantem.* Sic & Quadrigarius Gallo illi, cui Manlius torquem ademit, dat *gladios duos.* Vel quartò demum allusum ad vniuersam militiam Romanam.Nam Polyb.describens Romanum militem, ὑσσοὶ δύο: *duo pila.*& Veget.lib. 2. *habebant duo missilia, vnum maius, quod pilum vocabant,& aliud minus,quod verutum.* Extremum hoc de veruto eludit Lips. Vide illum. Verè enim Romani binis & æqualibus pilis armabantur.

Gladiator cum gladio duplici.

Pila duo in Romana militia.

9. Lato.] Dixi iam 1.Æneid. vbi habetur hic versus.

10. Crispans.] Πάλλων, τινάσσων δόρατα.

Æneas cur Pater.

11. Pater Æneas.] Quia *Romanæ stirpis origo.* Ergo, sicut Iuppiter dicitur cognomento *Pater*, quia ad illum omnes Deorum familiæ referrentur: ita Æneas,quòd esset Romanorum principium. Et præsertim,quia *origo Iuliæ gentis Æneas*, vt ait Tacit. lib.4. Annal. Deinde in gratiam Augusti, qui sibi cognomen *Patris* asciuerat: vt etiam liquidum ex numismate, in quo AVGVSTVS PATER. Hæ legitimæ defensiones Virgilij, nulla Homeri, qui de Achille pugnante, quiescente, flente, ridente; irato, miti, πόδας ὠκύς. Ita fermè Virgilij altera anima Scaliger lib.5.Poët.cap.3.pet initia.

Augustus Pater.

Scaliger Virgilij anima.

Sydereus clypeus cur.

12. Sydereo.] An quia clypeus interpunctus, & veluti distinctus syderibus, ad eum modum, quo Æneæ ensis in 4. *stellatus iaspide fulua*? An quia flammas instar radiorum mitteret, & coruscaret? ita vt *sydereus* sit radians, ad eum modum, quo Martial. *sydereus colossus*, id est, radians, nam idem,

Nec te detineat miri radiata colossi.

Tale illud, *vastos vmbo vomit aureus ignes.* & Prop. Eleg.6.lib.4. *Armorum radiis.* An demum, quia diuinus clypeus? ideo & consequenter *cœlestibus armis.* Ita Columell. in Horto, *syderei Maronis*, id est, diuini. Satis de te leui: sed leuia interdum agitanda.

13. Et ivxta Ascanivs.] Est hoc, quod Ioseph. lib.11. Antiquit. cap.4. μετ' αὐτὸν ἐξετ ἀρχιερεύς.

14. Magnæ spes altera Romæ.] Quod hîc iactatum de Tullio (vide illud in Pont.) risui exponunt docti.

15. Procedvnt castris.] Similem huic narrationem inuenies in Dionys. libr. 3. Antiquit. ad pugnam illam Horatianorum,& Curiatiorum.

Romana historia repræsentata.

Pura vestis quæ.

16. Pvraqve in veste.] Seruius restitutus magnam lucem dat huic loco, cùm scribit: *Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus vti consueuerant, vt neque funesta sit, neque fulgorata* Θ, K. Hæc ille. Ex quibus verbis morem elicio, vt vestes, quæ iam funeri peragendo seruiissent, haberent Θ, ἀπὸ τοῦ θανάτου. quæ ictæ fulmine, aut fulguritæ haberent K, ἀπὸ τοῦ κεραυνοῦ. Puræ ergo vestes, quæ carent & Θ, & K, id est, quæ nec funestæ, nec fulguritæ. Accinit Festus, qui ait: *Pura vestimenta Sacerdotes ad sacrificium habebant, id est, non fulgurita, non funesta.* Vterque tam Seru. quàm Festus, addit, esse etiam *puram vestem*, quæ caret macula. Ego verba quæpiam omisi tum Seruij, tum Festi, in quibus planus error. Sunt porrò (in his est Mercerius in Tertull.) qui dicant *puram vestem* debere esse albam. Probat. Nam, quas Plutar. ἐσθῆτας καθαράς dixit in Catone, easdem λευκάς dixit in Pompeio. Sed si sequamur ductum Seruij, falsus est Mercerius. Addit enim Seru. vestem hanc debere esse *purpuream*, & *lineam.* Eius ratio. Nam, *purpura maris vicem ad piandum præbet, linum verò fluminis.* Reliqua Seruij deformata sunt. Plin. loquens de lino cap. 1. lib. 19. *vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* De hac re vide locum Apul. Apolog. 1. Vtcumque, certè magna est mentio purarum vestium in rebus sacris. Plutar. in vita Æmilij, καθαραῖς ἐσθῆσι κεκοσμημένοι. Tibull. lib.2. Eleg.1.

Funestæ vestes, & Fulguratæ.

Purpurea, & linea vestis.

Casta placent Superis,pura cum veste venite.

Varro in Eumenidib. *Nam quæ venustas hic adest gallantibus? quæ casta vestis?*

Suillum pecus sacrorũ initium.

17. Setigeræ foetvm svis.] Nam hîc fœdus feritur. Varro libro 2. Rei Rust.cap.4. *à suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur, cuius vestigia, quòd Initiis Cereris porci immolantur, & quòd Initiis pacis, fœdus cùm feritur, porcus occiditur.* Sed cur Varro primum illud? *à suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumptum.* Hoc illustrabit Clemens 2. Strom. cap.9. ex vetere quodam Philosopho suis etymologiam afferente; dictum videlicet ὗν, quasi θῦν, vt qui ad θύσιν, id est, *sacrificium & mactationem* aptus solummodo sit. Verba Græci Scriptoris sunt. λέγεται γοῦν τινα τῶν φιλοσοφούντων ἐτυμολογοῦντα τὴν ὗν, θῦν εἶναι φάσκειν, ὡς εἰς θύσιν καὶ σφαγὴν μόνην ἐπιτήδειον. Ex quibus verbis vide vt locum Varronis restituat Victorius in Notis ad illum. Vide etiam quæ iam dixi lib.8. ad illud, *cæsa iungebant fœdera porca.* Vt Virg. *setigeræ*, ita Lucret. lib.6. *setigeris subus.*

Suis etymon.

Ouis in fœderibus Græco more.

18. Intonsamqve bidentem.] Tria hîc notat Seru. Primum, *sanè ouem Græco more fœderi adhibuit.* Fortasse, quia in fœdere, quod ictum Iliad.3. ἀρνοὶ, id est, *agni*, mactantur. Inde ego explicans dedi suem Latino, ouem Æneæ; & quia ita concinnior sententia. Deinde ait, Virg. dixisse *intonsam* quam Pontifices *altilaneam.* Tertiò, ideo adhibere non suem simpliciter, sed *fœtum suis*, nec bidentem vtcunque, sed *intonsam*, id est, *breuem adhuc.* Reddit rationem. *Nam in rebus, quas volebant fieri celerius, senibus & iam decrescentibus animalibus sacrificabant: in rebus verò, quas augeri, & confirmari volebant, de minoribus & adhuc crescentibus immolabant.*

Altilanea ouis.

Sacrificij genus duplex.

19. Admo

19. ADMOVITQVE.] Verbum sacrorum, de quo iam Brisson.

20. AD SVRGENTEM CONVERSI LVMINA SOLEM.] Duplex sententia. Prima, conuersi sunt ad Solem, qui tunc erat in ortu. nam suprà,

Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies. ———

Qua in re mori insistit. Interpretes enim Apollonij in lib. 1. Arg. τοῖς μὲν ὦν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι, τοῖς δὲ οὐρανίοις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου: *Diis manibus sacra fiunt Sole obeunte, cœlestibus manè Sole oriente.* Interpres quoque Pind. in Od. 4. Isthm.

Inferis fiunt sacra Sole obeunte. Superis Sole oriente.

ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι, κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς: *Moris fuit Heroibus sacrificare occidente Sole, Diis oriente.* Et quidem per Heroas intelligit subterraneos, nam in dæmonas verti Heroas Ethnici putabant. Addit idem interpres Pind. rationem vtriusque sacri. καὶ συμβολικῶς ἑκάστῳ τὸ τῆς θυσίας πρός τι τὴν αὔξησιν, καὶ φθορὰν ἑκατέροις ὠφελημένην: *Symboli ea fuit cuique significatio sacrificij, his incrementi, illis interitus.* En prima explicatio, altera nata ab scrupulo Seruij, qui non accipit orientem tunc Solem, nam *iamdudum dies erat*: sed ἀνατολήν, ex ritu gentium, quæ conuersæ ad orientem precabantur. De quo more nos satis lib. 8. ad illud, *ætherij spectans orientia Solis Lumina.* & hîc adiicio Nazianzenum epist. ad Philagrium, καὶ τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀνατείνας, πρὸς γε ἀνατολὰς οἷον βλέπων: *manus ad cœlum tendens, orientémque spectans.* & Higinum, qui de limitibus: *Postea placuit omnem religionem eò conuertere, ex qua parte cœli terra illuminatur.* Adiice etiam quæ hîc ex Lipsio Collector Symbolarum.

Preces cum conuersione ad orientem.

21. FRVGES SALSAS.] Non capio ὀλὰς, aut ὀλοχύτας Græcorum: sed *far* Latinorum. nam ὀλοχύται, insalsæ, insulsæve. Sed de hac re iam plenè secunda Æneide. Transfer huc. Erat verò hæc prima hostiarum probatio: fiebat enim vti istæ gratæ essent Diis, si sparsæ mola salsa. Adi dictum locum. Ita scilicet videbatur lustrata & sanctificata hostia, non tam credo à frugibus, quàm ab admisto sale. Inde apud Eurip. in Iphig. in Taur. dicitur de Oreste, qui pollutus iudicabatur ad sacrum, πόντου πηγαῖς ἁγνίσαι: *sanctificandum aquis maris*, quæ salsæ sunt. Ibidem eam esse ἁγνὸν καθαρμόν, *religiosam purificationem.* quæ fieret θαλασσίᾳ δρόσῳ, *marino rore.* Nam videlicet ait,

Salsæ fruges.

Sal ad sacra.

Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά:
Mare abluit omnia hominum mala.

Et Hecuba apud eundem vult lauare filiam Polyxenam mortuam ποντίας ἁλὸς λουτροῖς, *lauacris marini salis.*

22. ET TEMPORA FERRO SVMMA NOTANT PECVDVM.] Hæc est altera probatio. Dubius sum, an hîc accipiam cum Seruio cultrum obliquatum à fronte ad caudam? an cum Vate ipso euulsos pilos ouis, & setas suis? Ita, vt hanc euulsionem indicauerit verbis istis, *notant ferro summa tempora pecudum.* Et in hoc alterum inclino. Nam profectò hoc videtur esse idem, quod in 6.

Pilorum euulsio, probatio victimæ.

Et summas carpens media inter cornua setas,

quo loci fit etiam probatio victimæ. Accedit iudicium Germani, qui istis verbis ait videri respectum ad illud Hom. 3. Iliad. ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας, *desecuit pilos à capitibus agnorum.* & ad Euripid. qui in Oreste de coma Helenæ, εἴδετε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθρισε τρίχας: *Videte vt à vertice pilos euulserit.* Tu vide dictum locum sextæ Aeneidos.

23. FERRO.] Festus ait, cultrum illum, quo vtentur Flamines, Flamineæ, ac Pontifices, in sacris propriè dici *secespitam à secando*, & esse cultrum ferreum, oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, iuncto ad capulum auro argentóque, fixo clauis æneis, atque ære Cyprio. Sic fermè ille. Huius mentio est in Sueton. in vita Tiberij cap. 25. *Nam & inter Pontifices sacrificanti simul pro secespita plumbeum cultrum subiiciendum putauit.* Apud Eurip. in Elect. fit magna mentio gladij, quo mactanda victima, an esse debuisset Doricus, an Phthius? Hinc certè cognoscitur gentium superstitio. Ibidem hic culter dicitur σφαγίς, & in Aulid. φάσγανον, & in Taur. ξίφος. sed nulla res magis indicat religionem huius gladij, quàm quod idem Eurip. scribit in Supplicibus de cura, qua custodiendus ille, quo cæsæ hostiæ in iuramento Adrasti. Habentur hæc ad exitum illius Tragœdiæ.

Secespita.

Gladius victimarius in magna religione.

24. PATERISQVE ALTARIA LIBANT.] Vltima probatio, quod Plutarch. de virtutibus Mulier. κατέσπεισαν ἐκ φιάλης. Rigabatur enim vino altare, culter, victima, quæ, si non stupuisset ad fusum vinum, bona esse sacrificio putabatur. De hac probatione vide quæ dixi 6. Æneid. ad illud, *frontique inuergit vina Sacerdos.* & 4. ad illud, *media inter cornua fudit.* Sed Poëta poëticè. Non enim fuit necesse, hîc hostiam nominare, satis dixisse, fusum vinum in altare.

Vino hostia rigabatur.

[a] Tum pius Æneas stricto sic ense precatur.
[b] Esto nunc Sol testis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos volui perferre labores:
Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
Iam melior, iam Diua, precor: túque inclyte Mauors
Cuncta tuo qui bella Pater sub Numine torques:
Fontésque, fluuiósque voco, quæq; ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo sunt Numina ponto.
[c] Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Conuenit Euandri victos discedere ad vrbem.
Cedet Iülus agris, nec post arma vlla rebelles

Æneadæ referent, ferróve hæc Regna lacessent.
[d] Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
Vt potiùs reor, & potiùs Dij Numine firment,
Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi Regna peto: paribus se legibus ambæ
Inuictæ gentes æterna in fœdera mittant.
Sacra Deósque dabo, socer arma Latinus habeto,
Imperium solemne socer, mihi mœnia Teucri
Constituent, vrbíque dabit Lauinia nomen.

ARGVMENTVM.

Iuramentum Æneæ, quo, post inuocata Numina, affirmat, se, si victus fuerit ab Turno in singulari certamine, discessurum ad Euandrum; sin victor, daturum tantùm sacra, & Imperium fore penes Latinum.

EXPLICATIO.

[a] IVRAT prior Æneas, vt auidus iam pugnæ, vt cupidus feriundi pacti. & *stricto ense* ex forma & more iuramenti. & *pius*, quia in iuramento hoc religiosus inducitur.

[b] Primò Solem aduocat, quia ad illum conuersus: deinde, Iouem, quia omnium *Pater, & omnipotens*: tertiò, Iunonem, vt iam deinde *melior*, id est, fauentior, quàm hactenus, & addit, *iam Diua, precor*, vt magis deliniat hostilem Deam: quartò, Martem, nam Deus bellorum, & sibi bellandum cum Turno; est *torques* regis, sed *torques*, quia in bello vi omnia fiunt: quintò, *fontes, & fluuios*, commodè quia initio admonitus à Tyberino: sextò, totam cœli religionem, vt post specialem inuocationem, generatim Deos omnes includat: septimò maris Deos, fortasse propter matrem, quæ in vndis nata.

[c] Quid tandem post longam inuocationem? Si Turnus victor fuerit, discedam ad Euandrum, & vnà mecum Iulus filius, nunquam in posterum rebellabimus; imò, nullam belli occasionem (quod minus est) præbebimus. Quasi dicat: Non apertè bellum geremus contra vos, non occultè. Solet enim bellum inceptari contra finitimos Principes, vel apertè rebellando, rupto fœdere, quod erat sancitum: vel tentando aliquid, quo vicinus prouocetur. Volui hæc multis, ne quis dicat, Virgilium idem bis dicere.

[d] De Turno dixerat *si fors*; de se plenis votis, *sin victoria annuerit*, &, *vt potius reor*, &, *Dij firment*, non fortuna. Ait *nobis*, & *nostrum Martem* propter se, & Ascanium. Quid tandem si victor? Proponit quæ æquissima sunt. Eos qui se mihi hostes dant, nō cogam ad seruitium, non *iubebo parere*. vide sobrietatem. Vt etiam in sequenti, *nec mihi Regna peto*: nam quid magis coniunctum cum victore, quàm Imperium? atqui hoc abnuit. Quæritis leges? pares istæ erunt. Quæritis fœdera? æterna hæc erunt. Et quia pares erunt leges, & æterna fœdera, ideo *gentes ambæ inuictæ*. Nam nihil magis perdit Regna, quàm discordia. Vnum tantùm mihi ius *dandi sacra & Deos*, quod cui non gratum? Imperium totum sit penes socerum Latinum, nam illi erit ius armorum. Nam quid aliud est imperare,

A quàm habere potestatem mouendorum armorum, cùm necesse fuerit? Ergo, illi erit Imperium, quia habebit arma. Tandem, abstinebo à vestra vrbe, quæ nota magnæ sobrietatis; nam victores amant ingredi cum triumpho & plausu in vrbes victas. Adicit: *mihi* sine vestro labore *Teucri constituent mœnia.* Quasi dicat: Non habebo vos loco seruorum ad struenda mea ædificia, quia videlicet Drances dixerat lib. 11.

Saxaq; subuectare humeris Troiana iuuabit.

& hoc nunc respuit. Et huic meæ *vrbi nomen dabit Lauinia*, vt nunquam Troia sit vestro in ore.

B

NOTÆ.

1. STRICTO SIC ENSE PRECATVR.] Fortasse *stricto ense* quasi imprecans sibi mortem atrocem, si falleret, ad eum modum, quo apud Ammian. lib. 21. milites Cæsaris Iuliani: *iussi vniuersi in eius nomen iurare solemniter, gladiis ceruicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris.* Sed, nisi fallor, Poëtam mihi aperit interpres Euripidis in Orest. vbi ita ait. εἰώθασι γὰρ οἱ ἀνελόντες τινὰ δικαίως, ὡς εἴρηται, τῷ ἡλίῳ τὸ ξίφος δεικνύναι, σύμβολον τοῦ δικαίως πεφονευκέναι: *Consueuerunt, qui alium iustè interficiebant, in symbolum innocentiæ gladium Soli ostentare.* Ergo Æneas cùm hoc iuramento petat Turnum ad cædem, & iustam, priùs gladium Soli ostentat, statim enim, *Esto nunc Sol testis.* Vide etiam, an huc pertineat illud Apollonij Magi apud Philostrat. lib. 8. c. 3. vbi dicitur, nunquā preces fudisse, aut sacrificasse ἐς μάχαιραν βλέπων, *gladium habens ante oculos.* Quasi dicat, nunquam preces fudisse cum animo alterius interficiendi. Consequens ergo, vt qui animum habet in precibus interficiendi alterius, gladium nudet, videátque illum. Videtur quoque huc pertinere, quod ait Eurip. in laudata Tragœdia, non videlicet esse honestum post cædem iniustam

Ensis strictus in iuramento, cur.

Soli gladiū ostentare, quid.

C

Gladium intueri, quid.

——μελάνδετον δὲ φόνῳ
ξίφος εἰς αὐγὰς ἀελίου δεῖξαι:
——nigrum cæde
Ensem ostentare in lucem Solis.

D

Quasi dicat. Poteris, si iusta sit cædes, aut si cædem iustam meditère. Ex his, & similibus potuit Virgilius exhibere tragicum hoc spectaculum.

2. ESTO NVNC SOL TESTIS.] Nihil est, credo, aliud, quàm *sciat nunc Sol.* Nam Hom. 10. Iliad. ἴστω νῦν Ζεὺς, *Sciat nunc Iuppiter.* Atque *esto* Latinum ab ἴστω Græco. Et quidem Sol inuocabatur in iuramentis firmissimis, vt qui rerum omnium sciens & lustrans. Ita 4. Æneid.

Sol inuocatus in iuramento.

Sol

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.

De Chariclia Heliodor. lib. 10. τὰς δὲ χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείνασα, καὶ βοῆσα ἐξάκουσον, ἥλιε γενάρχα προγόνων ἐμῶν, ἔλεγε: *Tendens in cœlum manus, & exclamans, ita vt exaudiri posset, dicebat, Sol auctor maiorum meorum.* Sic & 3. Iliad.

Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις:

Sol, qui omnia vides, & omnia audis.

Propert. Eleg. 32. lib. 2.

Testis eris puras Phœbe videre manus.

Æschyl. in Prometh.

Καὶ τὸν Πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ:

Voce videntem cuncta Solis circulum.

Attius in Phœniss. citante Prisciano,

Sol qui micantem candido currum atque equis
Flammam citatis feruido ardore explicat.

Ennius in Medea, vt citat Probus,

Iuppiter, túque adeò summe Sol,
Qui res omnes inspicis.———

Sol iustitiæ arbiter. Cùm Plut. in lib. de Doctrina Principum scribat, Solem esse velut iustitiæ arbitrum & moderatorem, propter fixam legem sui cursus; non videtur alienum, vt hinc aduocetur ad iuramenta. Inde Apul. libro 1. *Sed priùs tibi deierabo Solem istum videntem Deum, me vera comperta memorare.* Iuuen. Sat. 13.

Per Solis radios, Tarpeiaq́; fulmina iurat.

Philo. περ. συγχ. μαρτυς ἡλιος.

Terra cum Sole iungitur. 3. Et hæc mihi terra precanti.] Coniungit cum Sole, vt Homerus 19. Iliad. ἴστω γῆ τε, καὶ ἥλιος: *sciat & terra, & Sol.* Et Eurip. in Medea,

Ὄμνυ πέδον γῆς, πατέρα θ' ἥλιον πατρὸς:

Iura per terram, Solémque patrem (mei) *patris.*

Ephippus apud Athenæum lib. 10. μὰ τὴν γῆν. Homerus, καὶ ποταμοί, καὶ γαῖα. Quia scilicet terra habita pro Dea. Inde Euripid. in Hecub. πότνια χθών. quod attributum Dearum est. Per hanc iurat Hippolytus apud eundem, καὶ πέδον χθονὸς ὄμνυμι.

Imitatio. 4. Qvam propter, &c.] Imitationem inuenit Germ. nam Hom. 1. Iliad. ᾧ ἔπι πολλ' ἐμόγησα. vtrobique enim præpositio postponitur. & deinde, vt Græcus, πολλ' ἐμόγησα: Latinus, *tantos potui perferre labores.*

5. Et Pater omnipotens.] Pind. in Pyth. μά τε ἴστω Ζεύς. Sæpe & hoc Homerus. De Ioue ait Euripides in Med. ὅρκων θνητοῖς ταμίας νενόμισται: *existimatur esse custos iuramentorum hominibus.*

Iuppiter custos iuramentorum. Virgilij acumen. 6. Et tv Satvrnia Ivno iam melior.] Inuenit acumen Seruius, vt dicat: tu quæ *Saturnia*. id est, quæ nocua es, sis iam melior. Quasi dicat: Eris melior, si iam deinde non sis Saturnia.

Fecialium iuramentū. 7. Tvqve inclyte Mavors.] Respicit & hîc ad iuramenta Fecialium, qui post Iouem, deinde Martem. Polyb. lib. 3. Ῥωμαίους δὲ δεῖ Δία λίθον κατά τι παλαιὸν ἔθος. ἔπι δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην, καὶ τὸν Ἐνυάλιον. Ait, post Iouem Lapidem ex vetere more adhiberi ad iuramentum Martem, & patrem Gradiuum.

8. Fontesqve flvviosqve voco.] Accipe fontes, & fluuios Italiæ, iuxta illud lib. 7. *& adhuc ignota precatur Flumina.* Nihil tamen vetat extendi ad fluuios alios. Nam Homerus de omnibus, καὶ ποταμοί, καὶ γαῖα, &c. Et Plutarch. in vita Demosthenis hanc formam iuramenti adhibet, μὰ γῆν, μὰ κρήνας,

Iuramentū per fluuios μὰ ποταμούς, μὰ νάματα: *Per terram, per fontes, per fluuios, per latices.*

9. Qvæqve ætheris alti religio.] Hîc cœlestia omnia Virg. includit, deinde maritima, & in oratione Latini omnia inferni Numina. Itaque non dubium, quin alluserit ad morem Romanum, quo præsertim in fœderibus Numina omnia inuocabantur. Plaut. Cistell. iurat per Deos Superos, Inferos, Medioxumos. Ouid. lib. . Trist. Nomina omnia in fœderibus.

Per mare, per terras, per tertia Numina iuro.

Vbi Dij maritimi, terrestres, cœlestes. Nam *tertia Numina*, cœlestes sunt. Medea apud Euripidem vult sibi iurari θεῶν ἅπαν γένος, *vniuersum genus Deorum.* Liuius libro 1. *Audi Iuppiter, & tu Iuno, Quirine, Dijque omnes cœlestes, vósque terrestres, vósque inferni audite.*

10. Ætheris alti.] Euripid. Iphig. in Aul. ἴστω αὐτὸς ὢν αἰθήρ: *hic iste* (testis) *æther.*

11. Cærvleo ponto.] Quis nescit hoc esse maris & aquarum epithetum? Huc spectant, quæ scribit Appian. de Sexto Pompeij Magni filio, qui Phœnicium paludamentum cōuertit in cæruleum, quòd vellet haberi Neptuni filius. Theoc. εἰδ. 25. γλαυκᾶς Ἀμφιτρίτας. Cæruleum, de aquis.

12. Convenit Evandri victos discedere ad vrbem.] Præclarè hoc; nam ex instituto principis populi, id est, Romani. Cauebatur enim plerumque in Romanis fœderibus, vt discrimen aliquod esset, & distantia loci inter eos, qui fœdera feriebant, ne videlicet occasio esset concurrendi ad arma. Atque ita ex hoc more videtur locutus hoc loco Virg. Sic in fœdere, quod ictum inter Romanos, & Carthaginienses de re Hispanica, conuenit, vti Carthaginiensiū Imperij finis esset Iberus amnis, vltra quem nec Romanis Carthaginiensium socios armis lacessere, nec Carthaginiensibus bellum traducere liceret. Narrat hoc Appian. in Ibericis, & repetit in Annibalicis. Vnde in Virg. *conuenit*, id est, fit conuentio, & pactum. Eadem lege factum video fœdus inter Eteoclem & Polynicem Reges Thebanos apud Euripidem in Phœniss. vbi Eteocles ita ait, Fœderati in aliqua loci distantia.

Ἠσσηθεὶς δ', τήνδε παραδώσω πόλιν,
Ὑμεῖς δ' ἀγῶν' ἀφέντες, Ἀργείαν χθόνα
Νίσεσθε:———

Victus si fuero, huic dedam ciuitatem,
Vos autem, amisso certamine, Argiuam ad terram
Redibitis.———

Dixi signatum esse verbum *conuenit*: nam de pacto, & conuentione. Sic Plaut. Amphit.

Conuenit, victi vtri sint eo prælio,
Vrbem, agrum, aras, focos, séque vti dederent.

13. Cedet Ivlvs agris.] Notat Turneb. singulari artificio, & propè adulatorio excogitatum hoc à Marone, quod non tam Æneæ, quàm Iülo quæri Italia significetur, vt Iuliæ familiæ, quæ tum rerum potiebatur, gratia quæratur. Ita etiam libro quarto, Iülus repræsentat Iuliū.

Ascanióne Pater Romanas inuidet arces?

Porrò de etymologia Iüli ab prima lanugine, cùm vicit Mezentium, iam plenè Seruius libro primo ad illud,

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iülo.

14. Sin nostrvm, &c.] Dicit *nostrum*, ait Turneb. quia illius esse Mars videtur, cuius est victoria. Addit Opsopæus in Senecam, diei *Deos nostros*, qui nobis fauent. Sic hoc loco, *nostrum Martem.* & alibi, Deus cuique suus.

———*nec Dij texere Cupencum,*
Ænea veniente sui.———

Ita & Sen. ipse 2. de Benef. c. 28. *Sed habuit suam Venerem.* Subdubitat verò Æneas, quia victoria communis est, & inclinare in hunc, & illum potest. Inde illam Græci ἑτεραλκῆ, ἀμφήριστον, ἑτεροκλινῆ, ἑτερόρροπον vocant.

15. SACRA DEOSQVE DABO, SOCER ARMA LATINVS HABETO.] Diuide versum, & capies. Sacra dabit Æneas, Latinus arma habebit. Itaque, sciтè, & doctè repræsentatur à Poëta mos Romanus, & populi illius administratio, in quo dignitas Pontificatus Maximi (quem titulum constituto deinde Imperio Imperatores & Augusti sibi vsurparunt, vt clarè patet ex inscriptionibus multis Augusti, & aliorum, qui mox secuti) prælata est Consulatui. Itaque, in Ænea, qui sacra & Deos dat, Pontificem Maximum circumscribit Virgilius: in Latino, cui arma habenda, Romanum Consulem. Quin fortasse tota illa administratio sacrorum, & armorum, quibus floruit Romanus Populus, originem habuit ab hoc ipso, quod Poëta hîc narrat. Nam, vti victo Turno, administratio Laurentis penes Latinum fuit; sacra penes Ænean: sic deinde hoc exemplo idem mos retentus. Quem morem nunc seruat Christianus populus, in quo arma penes Imperatorem Romanum, sacra penes Pontificem Romanum. Itaque versus Maronis circumscribit Regios Imperij fines, non enim tractandorum armorum, & sacrorũ idem debet esse Princeps. Nam tametsi aliquando à Regibus vsurpata est potestas sacrorum, postea tamen ablata ab illis est. Inde & *Regulorum* nomen mansit, quod docet Plutarch. ἐν ῥωμ. Sunt enim Reguli, qui curam gerunt sacrorum, quasi post Reges armorum. Notat verò Germ. in gratiam Iuliæ familiæ dictum, *Sacra Deósque dabo*; nam penes hanc gentem fuerunt sacra ab Iulo vsque ad Virgilij tempora. Sacra hæc ab æuo Æneæ Lanuuij asseruabantur, vt scribit Plut. in vita Coriolani, quòd eam vrbem Æneas condidisset. Nulla re probat Germanus, sed tibi in promptu est Tacit. 3. Annal. vbi de Iuliorum familia: *Augustales adiectos, quia proprium eius domus Sacerdotium esset, pro qua vota persoluerentur.*

Romanum Imperium repræsentatum.

Reguli qui olim.

Iulia familia curam habuit sacrorum.

16. SOCER ARMA LATINVS HABETO.] Parrhasius epistola 50. esse putat vocatiuum, Atticorum forma, qui vocatiuos omnes similes faciunt rectis. Sic accipit illud Scipionis Africani ex Lucillio apud Tull. 2. de Orat. *Quid Decius, maculam, an confixum vis facere?* Sed ego puto esse rectum, tam *Latinus*, quàm *Decius*. Sed Grammaticale hoc appellet Brocensis Mineruam, vbi magna exemplorum copia probat hanc Latinorum locutionem. Inde est, vt putem ego (*Deus*) semper esse rectum, nunquam vocatiuum. Cuius rei duplex argumentum. Primum, adiunctio vocis alterius, vt eum dicimus, *Deus meus exaudi me.* Vbi *meus* in recto est. ergo, & *Deus*. Nam aliter dicendum esset, *Deus mi.* Alterum, nam Prudentius in Symm. in vocatiuo dixit *Dee*. Ceterùm in excusis omnibus legitur, *socer arma.* Sed ex interpretatione Donati apparet legendum *pater*, vt dicat,

Deus semper est rectus.

Lectio Virgiliana.

——pater arma Latinus habeto,
Imperium solemne socer.——

17. IMPERIVM SOLEMNE SOCER,] Fortasse allusum ad illud Aristot. lib. 4. Politic. c. 4. quod expressum ab Hom.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.——

Ait, multorum imperium non esse è bono, sed vnum debere esse Principem, vnum Regem. Huc etiam allusum ab Herodiano libro 4. βασιλείαν ὁ Ζεὺς ὥσπερ αὐτὸς ἔχει μόνος θεῶν, οὕτω καὶ ἀνθρώπων ἑνὶ δίδωσιν: *Vt Iuppiter solus Deorum Imperium habet, ita illud dat vni mortalium.* Quis nescit versus Lucani hac de re? quis non Senecæ in Agamem. act. 2.

Princeps sit vnus.

18. VRBIQVE DABIT LAVINIA NOMEN.] Non ignoratum, datam aliquando similem gloriam feminis. Sic Manto Mantuæ dedit nomen, Rome femina (vt volunt aliqui) Romæ vrbi. Notula hæc Pontani est.

Feminæ dãt nomen vrbibus.

[a] Sic prior Æneas. sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens cœlum, tendítque ad sydera dextram.
[b] Hæc eadem Ænea, terram, mare, sydera iuro,
[c] Latonæq; genus duplex, Ianúmque bifrontem,
Vímque Deûm infernam, & diri sacraria Ditis.
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit;
Tango aras, mediósque ignes, & Numina testor.
[d] Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis vlla volentem
Auertet; non si tellurem effundat in vndas
Diluuio miscens, cœlúmve in Tartara soluat.
[e] Vt sceptrum hoc (dextra sceptrum nam fortè gerebat)
Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras;
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuítque comas, & brachia ferro,
Olim arbos, nunc artifices manus ære decoro
Inclusit, Patribúsque dedit gestare Latinis.

D

ARGVMENTVM.

Æneæ ductum in iurando Latinus sequitur, promittens æternam fore deinde pacem.

EXPLICATIO.

[a] NOTÆ duæ precantium, sublatio oculorum, & manuum ad cœlum,

[b] Ante

b Ante omnia iurat eadem, quæ Æneas, *terram*, nam ille, *& hæc mihi terra precanti*. Deinde, *mare*, nam ille, *fontésque, fluuiósque*. Tertiò, *sydera*, nam ille, *esto nunc Sol testis*.

c Dianam & Apollinem intelligit per *genus duplex Latonæ*. Reliquos clarè ponit, *Ianum bifrontem, vim infernam Deorum*, hypallage, pro, vim Deorum infernorum. *sacraria diri Ditis*, Plutonem principem καταχθόνιον. Post omnes, *Audiat hæc genitor* Iuppiter, *qui fœdera fulmine sancit*, vel quia sancta esse facit fœdera atque stabilia coruscante igne: vel quia fulmine punit fœdifragos, & ita tuetur ac vindicat, quod semel ictum est. Demum post tot Numina, ipse ex ritu, *aras tango, ignes medios, testor* (omnia) *Numina*. Illud, *medios ignes*, est hypallage, pro, ignes qui in medio.

d Promittit fore perpetuam pacem, æterna fœdera; à quibus non volens recedet ad mundi vsque exitum & exitium, modò is aquis, modò ruina absumatur. Est hoc ἀδύνατον ab rerum confusione. Quasi dicat: Omnia aquis miscebuntur, cœlum ruet in Tartara solutis compagibus, & ego non mutabor.

e Adhibet & aliud ἀδύνατον, desumptum à sceptro, quod ipse tunc gestabat, quod recisum ab syluis semel, atque artificis manu auro inclusum, non iam frondescere denuò poterit, & vmbras facere. sic nec mutari Latinus. Expendit locum istum Scal. A loco, *nunquam fundet virgulta*, quia de commissura virgultum exit. Ab officio, *nec vmbram*, quia frondes vmbram efficiunt. Illud, *matre caret*, suauissimè, & cum affectu amoris, nam quale est carere matre? Cùm adiicit, *posuitque comas, & brachia ferro*, perstat in metaphora, nam dixerat, *matre*. Illud, *olim arbos*, mirificum est, vt etiam circumscriptio illa, *manus artificis*, pro artifice. Pergit aliis Scaliger.

NOTÆ.

1. ÆNEAS, LATINVS.] Concinnè, quia *Æneas*, ideo *Latinus*. Quæ hæc Nota? vel quid tu hîc Cerda egregium? Aperio tibi, Lector, præceptum ad dictionem poëticam, à nemine animaduersum. Solet hic magister, cùm sermo est de duobus, aut tribus, eam concinnitatem seruare, vt nomen respondeat nomini, periphrasis periphrasi, patronymicum patronymico. Fuisset enim parum concinna locutio, si dixisset, *Virgilij cõcinnitas.*

Sic Anchisiades. sequitur sic deinde Latinus.

Qua inconcinnitate sæpissimè Homerus laborat, & in hac ipsa re. Nam 3. iliad. Agamemnon, & Priamus cùm ineunt fœdera, ille Ἀτρείδης dicitur, hic Πρίαμος Δαρδανίδης. Concinnior esset Homerus si diceret, vel Ἀτρείδης, & Δαρδανίδης: vel Ἀγαμέμνων, & Πρίαμος. Ex hac concinnitate expendo totum hunc tractum. Quia *sic prior Æneas*, ideo, *sequitur sic deinde Latinus*. Et statim, *Iuro ò Ænea*, quia, *sceptra Latinus habeto*. Pergit. quia, *Latonæque genus duplex*, ideo, *Ianúmque bifrontem*. quasi bifrons Ianus, eiúsque, sic dicam, duplicitas respondeat duplici generi Latonæ. Sic vbicunque noscitur Æneas suo nomine, suo etiã Turnus, nulla re addita. Sed si Æneas vestiatur attributo aliquo, etiam Turnus vestitur, vt infrà,

Haud aliter Tros Æneas, & Daunius Heros.

A Sic sæpe *Nisus, & Euryalus*, non pro Niso, Hyrtacides. Sed in 9. tamen, *tum sic Hyrtacides*, quia dicturus statim, *audite ò mentibus aquis Æneadæ*. vbi *Hyrtacides*, quia *Æneadæ*. Laudo Euripidem in Rheso, qui Οἰνείδας, & Λαερτιάδας, pro Diomede, & Vlysse. Cesso, & remitto Lectorem ad Notam dignam scitu, quam dabo infrà in hoc lib. ad illud, *turbámque sonantem Agminis aligeri*.

2. LOQVITVR SIC DEINDE.] Particula *deinde* adhibetur ad indicandam moram, & grauitatem incipientis Regis. Si enim præcipitantiam vellet Virg. illam adimeret, vt in infinitis locis. Ad rem sunt verba ista Vlpiani in 1. Olynth. Demosth. τό, μετὰ ταῦτα, καὶ εἶτα, καὶ αὖθις, καὶ πάλιν, καὶ τὰ τοιαῦτα μόρια βραδυτῆτος δεικτικά: *Particulæ postea, deinde, denuò, rursus, & alia huius generis tarditatem notant.* *Deinde, ad grauitatem orationis.*

B 3. SVSPICIENS COELVM.] Prima precantis nota. Homer. 19. Iliad. *Cœlum suspicere in precibus.*

Εὐξάμενος δ' ἄρ' ἔειπεν ἰδὼν ἐς οὐρανὸν εὐρύν·

Supplicans autem dixit suspiciens in cœlum latum.

Et lib. vlt. εὔχετ' ἔπειτα, videlicet, οὐρανὸν εἰσανιδών: *supplicauit deinde cælum aspectans.*

4. TENDITQVE AD SYDERA DEXTRAM.] Altera precantis nota. Apud Dionys. iurans Fecialis Romanus, *detracto capitis amiculo, & sublatis in cælum manibus, vt moris est, à Diis precatur*. Nihil frequentius in Græcis quàm ἀνασχεῖν τὰς χεῖρας inter precandum. Eurip. in Helen. *Tendere manum in precibus.*

Αἰτούμεθ', ὀρθὰς ὠλένας πρὸς οὐρανὸν
Ῥίψαντες, ἵνα, &c. ———

C *Petimus recta brachia ad cælum*
Iactantes. vt, &c. ———

Sed quare sublata manus inter feriendum fœdus? Quia hæc est maxima nota fidei datæ in iuramento. Lucan. lib. 1.

—*his cuncta simul assensêre cohortes,*
Elatásque altè quæcunque ad bella vocaret,
Promisêre manus. ———

5. LATONÆQVE GENVS.] Sumi *genus* pro filio, filia, aut prole, ita tritum, vt pudeat consequi.

6. IANVMQVE BIFRONTEM.] In mentione generali Deorum omittendus non fuit Ianus, qui Deus patrius Italorum, idque ex more. Nam apud Polyb. lib. 4. in fœdere, quod feriunt cum Romanis Carthaginienses, ante omnia iurant τοὺς θεοὺς τοὺς D πατρῴους. *Dij patrij in fœdere.*

7. VIMQVE DEVM INFERNAM.] Circumlocutio, pro Diis infernis. sic, ἡ Πριάμοιο, *vis Priami*, pro Priamo. & millena. sed aliud ago. Hoc iuramentum directè oppositum iuramento Deorum. Hi *per Stygem*, homines *per Manes, Infernum, Ditem*. Vt verò Diis inuiolabile suum iuramentum, ita hominibus suum. Itaque signatè Latinus *vim infernam*, notans vim iuramenti, quo illigatur. Apud Athen. libro 9. cùm conuiuæ vellent quidpiam scire à coquo, ille se non dicturum iurauit per eos, qui mortui fuissent in Marathone. Quo audito ἔδοξε πᾶσιν δεῖν τὸν τηλικοῦτον ὅρκον μὴ βιάζεσθαι τὸν ἄνθρωπον: *visum est omnibus cogendum non esse hominem propter tantum iuramentum.* *Iuramẽtum hominum.*

E Neque impedit hoc iuramentum violatum postea ab coquo, vtpote homine ridiculo.

8. DIRI SACRARIA DITIS.] Notat Erythr. esse hæc, *quæ sanctaria* appellat Plin. quæ Plut. ἄδυτα. Sed putemus potiùs allusisse Poëtam, non quidem ad cellas Deorum, quæ dicta *sacraria*, sed ad execranda inferorum loca, de quibus Homerus Iliad. 20. τά τε στυγέουσι θεοί περ, *quæ Dij execrantur, & odio habent.* *Sanctuaria.*

9. AVDIAT.]

Audiat Iuppiter iuramentum.

9. AVDIAT.] Ego puto genus fuisse iuramenti, *audiat Deus, audiat Iuppiter*; ad eum modum, quo Hom. sæpe, ἴστω Ζεὺ, *sciat Iuppiter*. Quæ forma obuia quoque est in Euripid. & Andromacha apud eundem ita iurat,

——— Ζεὺς δ' ἴστω μέγας,
ὡς οὐχ ἑκοῦσα τῷδ' ἐκοινώθην λέχει:
——— *sciat magnus Iuppiter,*
Quòd nolens facta sum huic socia toro.

Ibidem, Θεοὶ γὰρ εἴσ' ἐπόψονται τάδε: *Dij enim hæc videbunt*. Istæ omnes formæ similes.

Fulmine sancire fœdera, quid.

10. QVI FOEDERA FVLMINE SANCIT.] Explicui dupliciter. Primum accepi à Seruio, alterum à Turnebo; & hunc præfero, nec moror Titium, qui lib. 10. Locor. cap. 20. contra Turnebum pro Seruio est. Verè Iuppiter dicitur fœdus sancire fulmine; quia videlicet fulmine auctoritatem suam vindicat feriens fœdifragos. Aduoco in gratiam Turnebi, tum Virgilium ipsum, qui inf. non dissimili sententia, *frūstque reposcite flammis*: tum Silium, qui procul dubio lib. 11. Maronem ita explicat,

——— *hic erit ille,*
Qui tollat rabidis ignem fœdera sancies ensis.

Aristoph. (aduocat hunc Turneb.) τοῦτον (κεραυνὸν) γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους: *Hoc* (fulmen) *Iuppiter planè mittit in periuros*. Quid, quod planè Virgilius allusit ad veterem formam fœderis, qua Fecialis feriens porcam dirigebat preces ad Iouem petens, vt tantò vehementiùs perfidiam vlcisceretur, quanto plus potest pollètque? notauit hoc Germ. vnde & Hom. ἀνθρώπους τινύσθον, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ. Hinc est, vt in mentione Iouis inferatur sæpe fulmen, tanquam isto ille vtatur, & eo suam auctoritatem tueatur. Pind. Od. 4. Olymp. loquens cum illo, ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς: *vibrator altissime tonitrui*. Vetus inscriptio. IOVI. SANCTO. BRONTONTI. Apollon. etiam lib. 1. ait, fulmen, tonitruum, fulgur, hæc tria addere Ioui gloriam, & honorem. τοῖς γὰρ Διὶ κῦδος ὀπάζει.

Aras tangere in iuramento.

11. TANGO ARAS.] Mos antiquus in iuramentis. De Annibale Polybius libro 3. ἁψάμενον τῶν ἱερῶν ὀμνύναι: *tangentem sacra, iurasse*. Valerius libro primo Arg.

Ipse manu tangens damnati cornua tauri,
Vos quibus imperium Iouis, &c. ———

Tactio iure iuranda.

Iustin lib. 14. *Contingent ipsa simulacra, & puluinaria Deorum, in audiis vltimisque execrationibus adiurat*. Adeò solemnis hic mos, vt Dio Chrysost. Orat. 34. pro, *fœdus ferire* dicat, τὰ σπονδὰς θιγγάνοντες: *contingentes fœdus*. Mitto Tullium, Iuuenalem, Plautum, quos alij aduocant. Hic mos penetrauit ad Christianos in solemnibus iuramentis. Aduoco verba Sigiberti Ann. 552. *Pelagius insimulatus de morte Vigilij Papæ tenens sancta Euangelia & crucem publicè satisfecit*. Expressè, *tenens*: nam tactio ista fiebat apprehensione rei sacræ. Et Ioannes Chrysostomus Homil. 15. ad Populum Antioch. τῶν εὐαγγελίων ἁπτόμενοι καὶ ὀμνύοντα: *tangentem Euangelia, & iurantem*. Imò inde *aræ* dictæ, quasi *ansæ*. Vide Macrob. lib. 3. Sat. cap. 2. & Terentium Scaurum de orthographia. Sed & priùs dictæ *asæ*, vnde & *aræ*. vt *Valerius* priùs fuit *Valesius*. Sic in 4. *arásque tenentem audiit omnipotens*. Reuocat morem hunc Turnebus ab æuo Titanum, nam cùm Dij suscepturi bellum contra Titanas ad aram iurassent, obtinuit deinde religio, vt iuramenta tactu sancirentur.

Ara vnde dicta.

12. MEDIOSQVE IGNES.] Affinis mos superiori. Statius 3. Sylu. loquens de Hercule, *tangens surgentem altaribus ignem*. Iustinus libro 22. *Hamilcar expositis ignibus cereis tactisque in obsequia Pœnorum iurat*. Referendus Poëta in his medijs ignibus ad illud, quod sup. *in mediósque focos*. quem locum vide, vt hunc intelligas. Ne verò putes ignem tactum, sed tacta ara ignis tangi putabatur. Apage enim, vt recurrendum sit ad morem illum, quem Sophocl. attingit in Antig.

Tactio ignis quæ esset.

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν:
Eramus parati & ignitum ferrum tollere manibus,
Et ignem pertransire, & Deos iurare.

Si quis verò huc Poëtam referat, quod abnuo, adeat diligentissimam operam Delrij Nostri lib. 4. Disquisit. Magic. cap. 4. quæst. 4. sect. 3.

13. NVLLA DIES.] Hæc forma Græcis quoque in vsu, vt cùm Aristid. in Sicula Poster. dixit, καὶ οὔτε νὺξ, οὔτε ἡμέρα με παραιρεῖται τὴν μνήμην αὐτῆς: *Nulla neque nox, neque dies tollet à me huius memoriam*.

14. NON SI TELLVREM EFFVNDAT IN VNDAS.] Lucret. lib. 3.

Miscere terram mari.

Non si terra mari miscebitur, aut mare cœlo.

Claud. de Bell. Gild. *priùs astra Chaos miscebit Auerno*. Tale illud 5. Æneid. *maria omnia cœlo Miscuit*. Aristides orat. de Concord. ad ciuitates Asiæ, γῆν καὶ θάλατταν μεταβάλλοντα εἰς ἀλλήλας: *terram & mare inter se commutata*. Et quidem mistionem rerum Virg. notat, nam quæ miscentur deformata sunt. Plutarch. certè in vita Pauli, vt dicat, felicitatem humanam sæpe deformari calamitate, ait μίγνυται ἀνθρώπινον βίον.

15. COELVMVE IN TARTARA SOLVAT.] Affine illud Horat. Od. 5 Epod.

Priúsque cœlum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super.

Empedoclis opinio de mundo.

Putat verò Germ. alludi à Virg. ad sententiam Empedoclis, qui infinitos mundos constituebat, contendebatque infinitos ingenerari, & infinitos corrumpi. Neque abnuo; solet enim Virgilius in sua Epica respicere placita Philosophorum.

Imitatio.

16. VT SCEPTRVM HOC, &c.] Locus Hom. lib. 1. Iliad.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει (περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
Φύλλα, καὶ φλοιὸν) νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμαις φορέουσι δικασπόλοι. ———

Certè per hoc sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos
Producet, postquam primam incisionem in montibus reliquit,
Neque pullulabit (circum enim ipsi gladius decorticauit
Foliaq;, & corticem) nunc iterum ipsum filij Achiuorum
In manibus portant Iudices. ———

Hunc locum ita tractat Scal. vt victoriam det Virgilio. Lege in illo; & adiice Valer. Flaccum, qui hærens vestigiis vtriusque Varis lib. 3.

Hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,
Qua neque iam frondes virides, neque proferet vmbras,
Vt semel est auulsa iugis, ac matre perempta,
Fida ministeria, & diras obit horrida pugnas,
Testor, & hoc omni ductor tibi Numine firmo.

Locorum similitudo.

Non dissidet à iuramento Latini illud, quod est apud Plutarch. in vita M. Crassi. Vt enim hîc iuratur per virgam, quæ nunquam fundet frondes, ita ibi Vagises Legatus loquens cum Crasso, καὶ τῆς χειρὸς ὑπτίας δείξας τὸ μέσον, ἐντεῦθεν, εἶπεν, ὦ Κράσσε, φύσονται τρίχες, ἢ σὺ ὄψει Σελεύκειαν: *Manus supinatæ ostensa vola, hinc*

hinc prius, inquit, pili Crasse exorientur, quàm tu aspicias Seleuciam. Sed Homero & Virgilio contrarium quiddam habet Soph. in Elect. vbi ait: ἐκ τοῦ (σκήπτρου) ἄνω βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν: *Ex illo autem sceptro in altum succreuisse germinantem ramum.* quo videlicet tota Mycenarum tellus fuerat obumbrata. Iurat autem Latinus per sceptrum, vsurpato antiquo more, de quo loquitur Aristoteles libro 3. Polit. c. 14. hunc in modum, vbi sermo est de antiquis Regibus. τὰς δίκας ἔκρινον. τοῦτο δ' ἐποίουν οἱ μὲν οὐκ ὀμνύοντες, οἱ δ' ὀμνύντες. ὁ δ' ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις: *Controuersias disceptabant. hoc autem faciebant alij iniurati, alij iurati. Iusiurandum porrò erat sceptri sublatio.* Hanc ἐπανάτασιν satis indicat Poëta verbis illis, *dextra sceptrum nam fortè gerebat.* Certè apud Homerum 10. Iliad. iuraturus Hector Doloni sceptrum suum ponit in illius manu, quò Dolon firmissimum esse iusiurandum intelligeret. Sed nolo hinc absint verba Seruij hæc. *Vt autem sceptra adhibeantur ad fœdera hæc ratio est. Quia maiores semper simulacra Iouis adhibebant, quòd cùm tædiosum esset, præcipuè quando fiebant fœdera cum longè positis gentibus, inuentum est, vt sceptrum tenentes, quasi imaginem simulacri redderent Iouis. Sceptrum enim ipsius est Imperium. Vnde nunc tenet sceptrum Latinus, non quasi Rex, sed quasi Pater Patratus.*

Iuramẽtum per sceptru.

Sceptra cur adhibeãtur in fœdere.

17. NVNQVAM FRONDE LEVI FVNDET VIRGVLTA.] Quasi dicat: Nõ iterum reuirescet in frondes & virgulta. Ad rem Virgilij sunt verba S. Ioannis Chrysostomi in Laudat. 1. S. Romani Martyris: Καθάπερ γὰρ ἐκείνη ἡ ῥάβδος οὐκ ἠνωμένη ῥίζῃ, οὐδὲ ἕλκουσα τὰς ἀπὸ τῆς γῆς νοτίδας, ἀλλ' ἔρημος τῆς χορηγίας διὰ τῆς ἐκεῖθεν, καὶ τὴν καρπογόνον ἀπολέσασα δύναμιν, &c. *Quemadmodum enim virga illa non vnita radici, nec ex terra trahens humorem; sed ea defecta quæ illinc proficiscuntur, suppeditatione, ac perdita vitali, frugiferáque virtute, &c.*

Stirps.

18. IMO DE STIRPE.] Dicunt Grammatici *stirpem* in sermone proprio arborum esse generis masculi, in metaphorico hominum feminei. Non abnuo. nam & id docent vulgaria exempla. Sed sciant inueniri exempla huic doctrinæ pugnantia. Nam in re propria, & arborum Horat. Od. 29. lib. 3. *stirpésque raptas.* & in re metaphorica hominum Ennius, quem citat Scal. in Notis ad Fest. in *stipes.*

Nomine Pyrrhus, vti memorant à stirpe supremo.

Recido.

19. STIRPE RECISVM.] Hinc Claud. 1. Ruff. *visque à stirpe recisis.* Calpurn. 5. Eclog. *recidere frondes.*

20. MATRE CARET.] An terra? vt, *non iam mater alit tellus.* & Plato 12. Leg. μήτηρ δὲ ἡ γῆ. An arbore? vt,

Mater, de terra, & arbore.

Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.

21. POSVITQVE COMAS.] Hinc credo Propert. Eleg. 19. lib. 2.

Comas ponere.

Et vitem doctà ponere falce comas.

Volunt aliqui à Virgilio deberi corrigi Homerum in adductis versibus, ita vt ille scripserit, non τομὴν λέλοιπε: sed κόμην λέλοιπε. Locus Calabri aptandus est Virgilio; ille enim libro octauo loquens de hasta Achillis.

Lectio Homerica.

——φύτλη δέ οἱ ἐν κορυφῇσι
Πηλίου αἰπεινοῖο, τομὴν ἔθι λίπε, καὶ εὐνήν:
——*origo autem eius in vertice*
Pelij excelsi, vbi incisionem & stationem reliquit.

A quo loco apparet etiam nihil mutandum in Homero.

22. ARTIFICIS MANVS.] Hic pro aurario, vt in primo pro pictore in illis, *Artificúmque manus.* quem locum vide.

23. PATRIBVS LATINIS.] Quippe Reges esse debent patres. Iustinus lib. 15. *Lysimachus magno animo Regis, veluti parentis, contumeliam tulit.* Xenoph. libro 8. Cyrop. ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ: *Princeps bonus nihil differt à bono patre.* De Tiberio Principe illo, qui Iustino in Imperio Constantinopolitano successit, ita Simocatt. lib. 3. c. 16. πατὴρ ἐθέλων, ἢ δεσπότης ὑπὸ τῶν ὑπηκόων ἀναγορεύεσθαι: *Pater potiùs à suis subditis dici maluit, quàm dominus.* De Antonino Philosopho Aristides, οἷα πατὴρ, *tanquam pater.* & adiicit, οἷα ποιμὴν, *tanquam pastor.* Inde comparatio illa veteris Philosophi inter καλαύροπα, & σκῆπτρον, nam quod pastoribus est καλαῦροψ, est Regibus σκῆπτρον. Quippe vt patres pro liberis solliciti, ita pastores pro grege, & vtrumque pertinet ad Regem. Dio Chrysost. Orat. 12. loquens de Ioue ait: βασιλεὺς μὲν κατὰ τὴν ἀρχὴν καὶ δύναμιν ὠνομασμένος. πατὴρ δὲ οἶμαι διά τε κηδεμονίαν, καὶ τὸ πρᾶον: *Rex dicitur propter principatum & potentiam; pater autem, vt puto, propter curam, & mansuetudinem.*

Reges esse debent patres, &

Pastores.

Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum: tunc ritè sacratas
In flammam iugulant pecudes, & viscera viuis
Eripiunt, cumulántque oneratis lancibus aras.
[b] At verò Rutulis impar ea pugna videri
Iamdudum, & vario misceri pectora motu:
Tum magis, vt propiùs cernunt non viribus æquis.
[c] Adiuuat incessu tacito progressus, & aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentésque genæ, & iuuenili in corpore pallor.
[d] Quem simul ac Iuturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda,
In medias acies, formam assimulata Camerti,
Cui genus à proauis ingens, clarúmque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis,

In

In medias dat ſeſe acies haud neſcia rerum,
Rumoréſque ſerit varios, ac talia fatur.

ARGVMENTVM.

Mactatio hoſtiarum, Rutulórum fauor in Turnum, & in illum commiſeratio, Iuturnæ ſororis dolus.

EXPLICATIO.

a ÆNEAS & Latinus fœdus firmabant, excluſus enim Turnus, nā præſens Latinus. ad eũ modum, quo apud Homerum iurat Priamus, & fœdus init, excluſo Paride. Aderant duces alij teſtes fœderis, ideo *conſpectu in medio procerum.* Sequitur deinde B mactatio hoſtiarum. Ergo *iugulant pecudes*, Latinus ſuem, Æneas ouem. & has *ritè ſacratas*, id eſt, exploratas, & probatas ſalſis frugibus, notatione ferri, libato vino. Vix iugulāt, cùm *viuis* adhuc, & palpitantibus *eripiunt viſcera*, ac ſtatim *aras cumulant oneratis lancibus.*

b Indicauerant Rutuli iamdudum eam pugnam eſſe imparem, & ea res variis vulgi motibus in colloquiis agitata erat: tum verò, magis opinio hæc increuit, quo *propiùs*, præſentiúſque, atque apertiùs *cernunt illos congreſſuros non æquis viribus.* Quippe Æneas grandæuus dux, & experientia militari; Turnus iuuenis, & nullo antè in bello verſatus. Eſt *videri, miſceri*, videbatur, miſcebatur.

c Opinionem illam imparium virium Turnus C ipſe adiuuat, nam, cùm ad aram venerabundus accederet, viſa in eo ſunt indicia timoris quatuor. Primum, *inceſſus tacitus*, ſegníſque, ac minimè oſtentabundus. Alterum, *demiſſio oculorum*, quos non auſus attollere contra Ænean. Tertium, *tabentes genæ*, viſus enim eſt ſubita quadam macie deformari. Quartum, *pallor in corpore iuuenili*, qui pallor ſecutus ab macie, qua pallidus. Hæc omnia commiſerationem mouebant. Nam quale eſt iuuenem florentem ætate, & iuuentute validum induci cum tabe & pallore?

d Obſeruabat Iuturna momenta omnia ad diſturbandum fœdus, & ſingularem congreſſum. Ergo, vt vidit variantis vulgi ſententias, nulla mora interpoſita, Camertis formam referens, irrumpit in medias acies, incipítque rumores in vulgus ſpargere, ac tragicè perturbare omnia. Dicit bis, *in medias dat ſeſe acies*, ad notandam audaciam virginis. Sunt verò Camertis elogia tria, maiorum origo, paterna D virtus, propria fortitudo. Pertinent hæc ad conciliandam Iuturnæ ipſi auctoritatem.

NOTÆ.

Imitatio.

1. CONSPECTV IN MEDIO.] Tale quiddam in fœdere Regum Thebanorum apud Eurip. Phœniſſ. κἀν μεταιχμίοις ὅρκους συνῆψαι: *In medio vtriuſque aciei iuſiurandum commiſerunt.*

Imitatio.

2. IVGVLANT PECVDES.] Similem locum cædendæ victimæ, excoriandæ, & diligenter rei ſacræ E adminiſtrandæ, habes lib. 1. Æneid. & hîc exhibeo Euripidem, qui Elect.

Οἱ μὲν σφαγεῖ' ἐνέφερον, οἱ δ' ᾖρον κανᾶ,
ἄλλοι δὲ πῦρ ἀνῆπτον, ἀμφί τ' ἐσχάρας
A λέβητας ὤρθουν, πᾶσα δ' ἐκτύπει στέγη:
Hi quidem victimas adducebant, alij verò ferebant caniſtra,
Alij ignem accendebant, & circa focum
Lebetes erigebant, totúmq; tectum perſtrepebat.

Sed cur *iugulant pecudes?* Quia nulla ſanctio fœderis abſque ſanguine. Ita in fœdere Thebano, cuius mentio in ſuperiore Nota, μάντεις τε μῆλ' ἔσφαζον: *vates mactabant oues.* Et *in flammam* ait, nam ſupra ipſos ignes, quod genus ſacri indicat Perſius Sat. 2.

Fœdus ſemper cum ſanguine.

Tot tibi cùm in ſacris iunicum omenta liqueſcunt.

Sunt iunices δαμάλεις.

Iunices.

3. ET VISCERA VIVIS ERIPIVNT.] Nam palpitante adhuc fera, & penè viuente exta inſpiciebantur. Inde ſequitur apud eundem Tragicum in Thebano B fœdere, poſt mactatas oues, ῥήξεις τ' ἐσκόπουν: *& obſeruabant rupturas.* Ouid. 17. Metamorph.

Exta ſpirantia conſulebantur.

Protinus ereptas viuenti corpore fibras
Inſpiciunt, mentémque diu ſcrutantur in illis.

Seneca Tragicus in Thyeſte,

Erepta viuis exta pectoribus tremunt,
Spirántque venæ, corq; adhuc pauidum ſalit.
At ille fibras tractat, & fata inſpicit,
Adhuc calentes viſcerum venas notat.

Vide quæ dedi lib. 4. Æneid. vbi ſimilis locus.

4. CVMVLANTQVE ONERATIS LANCIBVS ARAS.] Eſt hoc, quod in Georg.

Cumulatio in lactis.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Itaque cumulatio iſta tota eſt ab extis; neque hîc aliquid capias de thure, etiamſi de thure dixerit in 8. C *cumulántque oneratis lancibus aras.* Etenim hîc Poëta intelligit *patinarias ſtruices* extorum, quæ Diis ſacrabantur; quales etiam in 5.

Struices patinariæ.

——*ſtruerémque ſuis altaria donis.*

Porrò partes has, quæ ab reliqua viſceratione ſeparabantur, dabantúrque Diis, *proſicias*, & *proſectas* vocabant Gentiles, atque etiam *ablegmina*; ſic enim legendum apud Feſtum, non *albegmina*, notauit iam Scal. quæ Græci ἀπολεγμοὺς vocarunt ἀπὸ τοῦ ἀπολέγειν. Iſidor. vocat etiam *proſegmina.* Itaque hîc Poëta intelligit *proſicia, proſecta, proſegmina, ablegmina*, ἀπολεγμούς. De verbo *cumulo* vide quæ dixi lib. 11. ad illud, *cumulántque altaria donis.*

Proſiciæ.
Proſectæ.
Ablegmina.

5. LANCIBVS.] Vox ſacrorum. Lances enim Tertull. lib. de Idol. inter vaſa ſacrificiorum infert, vt etiam Auſon. in Monoſyll. Ouid. alij.

Lances, vox ſacrorum.

Imitatio.

D 6. AT VERÒ RVTVLIS, &c.] Comparat locum hunc cum Homerico Germanus. Nā etiam in ſingulari certamine Hectoris, & Aiacis, Troiani inducuntur Hectori metuentes & diffidentes. Cùm enim Græci gauderent, tamen Troianos inuaſit timor.

Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον.

Hector quoque ipſe à Poëta meticuloſus inducitur, vt hoc loco Turnus,

Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν:
Animus ipſi Hectori in pectoribus palpitauit.

Hanc certatorum imparitatem exhibet Liuius lib. 7. loquens de Manlio, & Gallo: *Duo in medio armati,* E *nequaquam viſu ac ſpecie æſtimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, media in altero militaris ſtatura, modicáque in armis ſpecies.* Amputaui quæpiam, dedi neceſſaria.

7. INCESSV TACITO.] Hypallage, pro, tacitus ipſe. Sic

Hypallage.

Sic 4. Æneid. *totúmque pererrat Luminibus tacitis*, id est, tacens Dido ipſa. & Perſ. Sat. 2. *tacita acerra.* nam qui libat, tacet. Liu. de Manlio pugnaturo cum Gallo lib. 7. *pectus animorum, iraq; tacitæ plenus.* Ad ſententiam pertinent verba Senecæ epiſt. 114. *Non vides, ſi animus languet, trahi membra, & pigrè moueri pedes?* Quippe ab metu Turni piger illius inceſſus. Sed cùm dicat commotos milites viſa Turni ægritudine, huc traho verba Curtij lib. 3. vbi languente Alexandro, militum *in ipſum Regem miſericordia verſa, illum florem iuuentæ, illam vim animi, eundem Regem, & commilitonem diuelli ab ſe, & abripi querebantur.*

Timoris nota.

8. DEMISSO LVMINE.] Habitus mœſti, & timentis. Demoſthenes de ſe in Coron. ἀκούω στένων, καὶ κύπτων εἰς τὴν γῆν: *gemens audio, terrámque intuens.* Ouid. 15. Metamorph.

Oculi demiſſi habitus timentis & mœſti.

Demiſere oculos omnes, gemitúmque dedère.

Rex quidam barbarus apud Herodot. Muſa tertia præ mœrore ἔκυψε εἰς τὴν γῆν, *oculos humi deiecit.* Plutar. in Ageſilao inducit Spartanos quoſdam ὑπ' αἰσχύνης κύπτοντας εἰς τὴν γῆν, *præ pudore terram ſpectantes.* Eſt hoc, quod idem in eadem vita, βλέμματι ταπεινὸς. & in vita Phocionis, κάτω κύψαντες ἐδάκρυον: *lacrymabantur deiecto capite.* & in vita Catonis Vticenſ. πάντες ὑπ' αἰσχύνης σιωπῇ καὶ κάτω βλέποντες. Meminit eiuſdem affectus in vita Bruti.

9. IN MEDIAS ACIES FORMAM, &c.] Hom. 4. Iliad. Imitatio.

Ἡ δ' ἀνδρὶ ἰκέλη Τρώων κατεδύσαθ' ὅμιλον

Λαοδόκῳ Ἀντηνορίδῃ: ———

Dat ſe in turbam Troianorum aſſimulata

Laodocum Antenoridem. ———

10. RVMORESQVE SERIT.] Ab Furio Antiate, lib. 10. Annal. vbi, Imitatio.

Rumoréſque ſerunt varios, ac multa requirunt.

vel ab Cæcilio, qui in Plot. *ſermonem ſerit.* Soph. in Elect. dixit, Serere ſermones.

Σπείρῃ ματαίαν βάξιν ἐς πᾶσαν πόλιν:

Seminet rumores inanes totam per vrbem.

Plutar. in vita Iulij, κατέσπειραν λόγους. & de Pythiæ oraculis per initia, σπείροντες λόγους, καὶ θερίζοντες εὐθύς: *ſerentes ſermones, & metentes ſtatim.* Plato in Phædro, φυτεύῃ καὶ σπείρῃ λόγους: *plantauerit, & ſeuerit ſermones.* Ioann. Damaſcenus Orat. de Transfigurat. λόγον ἐνσπείροντες. Sed Virgilius propriè clancularios ſermones intelligit & furtiuos, ad eum modum, quo Ammian. lib. 14. *Per arcanos ſuſurros nutrimenta fictis criminibus ſubſerentes.* & lib. 20. *diſſeminantes mordaces ſuſurros.* Plutar. in Nicia ita rem hanc, λόγους ἐξέφερεν εἰς τὸν δῆμον. & in Alcibiade aliter, διαδοὺς λόγον. & adhuc aliter in Ariſtide, λόγους ἐμβαλεῖν. Hæc omnia idem ſunt. Extremum habet etiam in vita Camilli. ait enim ἐνέβαλε λόγους.

[a] Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus vnam
Obiectare animam? numeróne, an viribus æquis
Non ſumus? en omnes, & Troës, & Arcades hîc ſunt,
Fatalíſque manus, infenſa Hetruria Turno:
Vix hoſtem, alterni ſi congrediamur, habemus.
[b] Ille quidem ad Superos, quorum ſe deuouet aris,
Succedet fama, viuúſque per ora feretur:
Nos patria amiſſa dominis parere ſuperbis
Cogemur, qui nunc lenti conſedimus aruis.
[c] Talibus incenſa eſt iuuenum ſententia dictis
Iam magis atque magis: ſerpítque per agmina murmur.
Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini,
Qui ſibi iam requiem pugnæ, rebúſque ſalutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœdúſque precantur
Infectum, & Turni ſortem miſerantur iniquam.

ARGVMENTVM.

Iuturnæ oratio pro fratre ad Rutulos, horum in animis commutatio.

EXPLICATIO.

[a] OBIICIT primò pudorem Rutulis, qui patiantur *vnam animam obiectare pro cunctis talibus*, vbi *animam vnam* ἐξαιρέτως, & *cunctis pro talibus* ταπεινῶς. Nam ille *vnus*, qui præclarus; reliquis opponitur, qui *tales*, id eſt, inbecilli & languidi. Pergit, & alligat illos argumento efficaci, *numeróne, an viribus æquis non ſumus?* Probat de numero, tacet de viribus. De numero, nam coràm hoſtes omnes habetis, Troianos, Arcadas, Hetruſcos. Non ſunt autem multi hoſtes illi, qui oculis capi poſſunt. Ideo ait, *hîc ſunt*, δεικτικῶς, quaſi digito indicaret omnes. Præter hos, quos videtis, nulli ſunt alij. Vos autem quot eſtis? certè duplo plures illis, nam

Vix hoſtem, alterni ſi congrediamur, habemus.

Probauit de numero, ſed tacuit de viribus. Cur? quia hoc neque ipſi negarent. Imò probatio ipſa cederet in contumeliam. Nam hoc eſſet vocare in dubium virtutem Rutulorum. Quaſi dicat Iuturna: Plures eſtis numero, nam ſi alterni congrediamini, vix habetis hoſtem; maiores virtute, quod, vt perſpicuum vobis, relinquo.

[b] Adducit aliud argumentum comparans Turnum certatorem cum ſedentibus ſpectatoribus. Turnus (inquit) in ſingulari hoc certamine *viuus*

erit in omnium ore, *succedétque fama ad Superos*, nam illorum *se aris deuouet*, eritque in æternum liber: nos patriam amittemus, parebimus dominis, & his superbissimis, quia *in aruis lenti consedimus* ad spectandum.

c Commutata subitò studia sunt, incensíque ad bellum iuuenes, & illi, qui paulo antè otium amabant, & vnum Turnum periclitari volebant: iam non solùm volunt, sed *precantur*, quò auiditatem votorum intelligas, *fœdus infectum*. Ratio, quia *miserantur Turni sortem iniquam*, id est, imparem, & non æquam: impar enim viribus Æneæ.

NOTÆ.

Pudor. 1. NON PVDET.] Ait Dio Chrysost. Orat. 13. moris esse Poëtarum, vt nominent αἰδῶ ἀντὶ τῆς αἰσχύνης, *pudorem pro verecundia*. Intelligit autem per αἰσχύνην turpem verecundiam.

Cuncti tales, ignominiosè. 2. CVNCTIS PRO TALIBVS.] Contumeliosè, vt ille, qui, *Nos numerus sumus*, &c.

Obiecto. 3. OBIECTARE ANIMAM.] Ipse lib. 2. *caput obiectare periclis*. Quod fortasse à Sallust. qui Iug. *statuit eum obiectare periclis*.

Fatalis manus, quæ. 4. FATALISQVE MANVS.] Pessimè Seru. Troianos accipit, qui fatis ducentibus venerunt ad Italiam. Recurreret Vates, nam iam Troianos nominarat, quod vitium maximum, & non ferendum. Ergo per *fatalem manum* intelligit Virg. Hetruscos. Etenim Æneæ exercitus ex triplici gente constabat Troiana, Arcadica, Hetrusca. Cur auté Hetrusci, qui venerunt cum Ænea dicantur *fatales*, abundè liquet ex octaua, & decima Æneide.

Lectio Virgiliana. 5. INFENSA HETRVRIA TVRNO.] Ego libenter adimerem hoc hemistichium. Satis enim dixisse, *fatalisque manus*. Sequens enim explicatio non est moris Virgiliani. Potest tamen sustineri cum respectu ad id, quod habetur lib. 8. Ideo enim Hetrusci infesti Turno, quia is hospitio exceperat fugientem Mezentium,

Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Hetruria iustis.

Homeri vitium. 6. VIX HOSTEM, ALTERNI SI CONGREDIAMVR, HABEMVS.] Ductum hoc ab Hom. 2. Iliad. sed ita ductum, vt Græci orationem *tabernariam* appellet Scal. & meritò. Indigna enim oratio illa Imperatore Agamemnone. Dicit videlicet superari Troianos à Græcis magno numero. Nam si Græci distribuantur in decurias ad conuiuium, & assumatur vnus pocillator à Troianis ad decurias singulas, fiet vt

Πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο:
Multæ decuriæ careant pocillatore.

Noluit itaque Virg. neque epulas assumere in re belli, neque hostibus dare numerum ita exorbitantem, tantùm ait Iuturna, copias Rutulorum duplo esse maiores Inquit enim, *si alterni*, id est, si secundus quisque nostrûm velit congredi, vix est hostis. Clariùs. Non erit vnus Troianus alternis Rutulis: vacabunt alterni aliquot ex nostris.

7. SE DEVOVET ARIS.] Notet diligenter Lector verbum *voueo*, & *deuoueo* opponi. Illud est in votis, hoc in exsecrationibus. Oppositio.

8. VIVVSQVE PER ORA FERETVR.] Describit hominem, quem vnica voce Græci dicunt ἐπιβόητοι. & lib. 2. Epig. ἀνὰ στόμα. & Appian. 2. ἐμφ. διὰ στόματος ἦν. Viuus per ora.

9. QVI NVNC LENTI CONSEDIMVS ARVIS.] Nam sup. *sedeant, specténtque Latini*. Est hæc nota ignauorum. Aristides in 1. Platon. synonymicè exhibet καθῆσθαι, & κακὸν εἶναι: *sedere*, & *esse ignauum*. Demosthen. etiam in Olynth. huic καθήμεθα, & καθυφείμεθα adiungit ῥαθυμοῦντες, ὀκνοῦντες, μέλλοντες. Sedere ignauorum.

10. SERPITQVE PER AGMINA MVRMVR.] Est hoc, quod Stat. 11. Theb. *alternáque murmura voluunt Mussantes.*

11. IPSI LAVRENTES MVTATI, &c.] Notat militarem inconstantiam. Itaque totus hic locus oppositus est illi, qui habetur lib. 11. Militum inconstantia.

Dirum exsecrantur bellum, Turníque Hymenæos,
Ipsum armis, ipsumq́; iubent decernere ferro,
Qui Regnum Italiæ, & primos sibi poscat honores.

Itaque, qui *dirum exsecrantur bellum*, nunc *arma volunt*. Qui *ipsum iubent decernere ferro*, nunc *fœdus infectum precantur*. Qui erant infensi superbo homini, quòd *sibi posceret Regnum Italiæ, & honores primos*, nunc eiusdem *sortem miserantur iniquam*.

12. QVI SIBI IAM REQVIEM PVGNÆ SPERABANT.] Est hoc, quod Hom. 3. Iliad. ἐλπόμενοι παύσασθαι ὀϊζυροῦ πολέμοιο: *sperantes cessaturos se ab luctuoso bello.*

13. NVNC ARMA VOLVNT, &c.] Tale illud, Imitatio.

Τοῖσι δ' ἄφαρ πόλεμος γλυκίων γένετ', ἠὲ νέεσθαι
Φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν: ———
Quibus statim bellum dulcius est, quàm redire
Charam in patriam terram. ———

14. FOEDVS INFECTVM.] Inf. *infecto fœdere.*

a Hîc aliud maius Iuturna adiungit, & alto
Dat signum cœlo, quo non præsentius vllum
Turbauit mentes Italas, monstróque fefellit.
b Namque volans rubra fuluus Iouis ales in æthra
Littoreas agitabat aues, turbámque sonantem
Agminis aligeri, subitò cùm lapsus ad vndas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.
c Arrexêre animos Itali, cunctæq́; volucres
Conuertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheráque obscurant pennis, hostémque per auras
Facta nube premunt, donec vi victus, & ipso
Pondere defecit, prædámque ex vnguibus ales

Proic

Proiecit fluuio, penitúſque in nubila fugit.
[d] Tum verò augurium Rutuli clamore ſalutant,
Expediúntque manus, primúſque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis (inquit) quod ſæpe petiui.
Accipio, agnoſcóque Deos. me me duce, ferrum
Accipite ô Rutuli, quos improbus aduena bello
Territat inualidas vt aues, & littora noſtra
Vi populat: petet ille fugam, penitúſque profundo
Vela dabit; vos vnanimi denſate cateruas,
Et Regem vobis pugna defendite raptum.

ARGVMENTVM.

Firmat Iuturna orationem ſuam diuino monſtro. Nam cùm cycnum rapuiſſet aquila, & in hanc, vt in communem hoſtem, ſeſe reliquæ volucres concitauiſſent, donec prædam proiecit; Tolumnius ita rem interpretatus eſt, vt Rutulis maximos animos addiderit pro Turno, qui cycnus, contra Æneam, qui aquila.

EXPLICATIO.

[a] SEMPER idem eſt Maro, id eſt, ſemper in omnibus maximus. Quemadmodum 2. Æneid. vt vim adderet orationi Sinonis, fecit Laocoontem deuorari à ſerpentibus: ita hoc loco, vt vim addat orationi Iuturnæ, augurium aduocat; vt non faciles Rutuli videantur in ſubita animorum commutatione. Et quidem paritatem vtriuſque loci ſatis indicat Poëta, nam vt ibi, *Hic aliud maius miſeris*, &c. ita hîc etiam, *Hic aliud maius Iuturna*, &c. Sed iam ad ſententiam. Ait, Iuturnam dediſſe ſignum in cœlo, quo nullum *præſentius*, id eſt, efficacius ad turbandos Italos, potiùs ad fallendos, & ſignatè *monſtro*, quæ vox eſt auguratus, nam *monſtra* à monſtrando, quod futurum.

[b] Sequitur augurium. Agitabat aquila volucres, quæ erant in eo littore, & vna cùm eſſet, turbam totam aligeri agminis perterrebat, ac tum ſubitò volatu illapſa ſe in proximam dedit paludem, & rapuit vnguibus cycnum, qui præ ceteris excellebat.

[c] Ad ſubitum ſpectaculum arrecti ſunt Itali, & eo magis commoti, quòd cernerent volucres, quæ priùs aquilam fugiebant, conuerſo in eam clamore, ita ſeſe concitauiſſe, vt obſcurato præ multitudine aëre; factaque nube, tanto in eam impetu irruerint, vt ea fugerit, proiecto in aquam cycno, vi volucrum victa, & ipſo pondere defatigata.

[d] Rutuli alacres ad augurium hoc, tum illud *ſalutant*, id eſt, venerantur; tum *manus* tanquam ad proces *expediunt*. Addit omnibus animos augur Tolumnius; qui omen hoc, vt verum, accipit, & in illo Deos agnoſcit, eorúmque voluntatem iubentem. Præterea illud interpretatur ad guſtum Rutulorum. Nam aquilam, dicit eſſe Ænean Italica littora deuaſtantem; littoreas volucres, ipſos Rutulos; cycnum, Turnum. Inde illos ad bellum exhortatur, & Regis ſui defenſionem. Nam quemadmodum aquila fugit penitùs in nubila, relicto cycno: ita ille penitùs daturus vela, relicto Turno.

NOTÆ.

1. ALTO DAT SIGNVM COELO.] Ad exemplum fortaſſe Homeri, aut Calabri. Ait prior 2. Iliad. immiſſum Agamemnoni à Ioue fallax ſomnium in gratiam Thetidis, in gloriam Achillis. Ait poſterior, immiſſum à Mineruа ſomnium Pentheſileæ, quo hæc ſperauit fore, vt victoriam conſequeretur de Achille, quod tamen ſecus accidit, nam ipſa potiùs interfecta ab eo eſt. Ita etiam fallax hoc augurium in gratiam Turni, quaſi is eſſet eripiendus à manibus Æneæ, quod ſecus accidit. Imitatio.

2. QVO NON PRÆSENTIVS VLLVM, &c.] Nunc video locum illum, qui præceſſit in hoc libro, vbi Iuno ad Iuturnam, Præſentius ſignũ, quid.

Tu pro germano, ſi quid præſentius audes,
Perge, decet, &c.

locum (inquam) hunc vulgò non intelligi. Littera noſcitur, ſenſus non penetratur. Ergo ibi referenda eſt Iuno ad locum iſtum, vt intelligatur locuta de omine aliquo, aut augurio, quo honeſtè, & non extra decorum Rutuli voluntatem mutarent, cœleſti aliquo ſigno permoti. An eſt aliquid præſentius, efficaciúſve ſuperſtitione ad voluntates mortalium permutandas? Itaque, quod ibi Iuno præceperat, hîc exſequitur Iuturna.

3. TVRBAVIT MENTES ITALAS.] Ductum fortaſſe ab illo 12. Iliad. Imitatio.

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν:
Timuerunt Troiani, vt viderunt variegatum draconem.

4. NAMQVE VOLANS, &c.] Putant viri docti non pauci alluſum ad locum Hom. Odyſſ. 15: Imitatio.

Ὥς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις
Αἰετὸς, ἀργὴν χῆνα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον
Ἥμερον ἐξ αὐλῆς. οἱ δ' ἰύζοντες ἕποντο
Ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες. ὁ δέ σφιν ἐγγύθεν ἐλθὼν
Δεξιὸς ἤϊξε πρόσθ' ἵππων. οἱ δὲ ἰδόντες
Γήθησαν. καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη:
Sic ei locuto aduolauit dextra auis
Aquila, album anſerem ferens vnguibus magnum
Domeſticum è ſtabulo. hic autem clamantes ſequebantur
Viri, & mulieres. hic autem ipſos propè veniens
Dextera irruit ante equos. hi autem conſpicati
Gauiſi ſunt, & omnibus in mentibus animus lætatus eſt.

Vt verò Virgil. Homero inſiſtit nonnullis mutatis, ita proculdubio Statius 3. Theb. Virgilio eadem mutatione.

——*sed fortior ecce*
Aduentat per inane cohors. Septem ordine fuluo
Armigeras summi Iouis exultante caterua
Intuor: Inachij sint, hi tibi (concipe) Reges,
Inuasère globum niuei gregis, vncáque pandunt
Cadibus ora nouis, & strictis vnguibus instant.

Rubra æthra.

5. RVDRA IN ÆTHRA.] Ab igne vocat *rubram*, inde etiam αἰθὴρ ab ardore. Aristid. Hymn. in Iouem, καὶ πῦρ ἄνωθεν, ὃ δὴ αἰθέρα ὀνομάζουσιν, ἐπιστήσας: *ignem, quem vocant atherem, desuper collocans.*

6. IOVIS ALES.] Quid te hac certius? Inde à Pauf. lib. 5. inducitur Iuppiter ἀετὸν ἔχων ὄρνιθα, καὶ τῇ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν κεραυνόν. Et inf. loquens de eodem Ioue, ἐν ᾗ ταῖς χερσὶν αὐτὸς τέ ἐστιν αὐτοῦ, καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Διός. Ornamenta itaque propria Iouis sunt, fulmen in dextera, aquila in sinistra. Ortum huius tutelæ referunt ad fabulam, quippe Ioui contra Titanas proficiscenti, & sacrificanti in littore aquila apparuit bono auspicio. Inde in tutelam Iouis recepta hæc auis. Causas plurimas habet Eustath. in vlt. Iliad. & omnes petitas à fabulis. Sed existimandum potiùs est, Regi Deorum Reginam volucrum attributam. Cur verò peculiariter tam hîc, quàm 12 Æneid. tanta verborum pompa aduocetur à Virg. & felici semper omine, rem refero ad Augustum, cui vult blandiri: nam hæc auis fausta fuit huic Principi. Cedren. pag. 141. loquens de Augusto, ἀριστῶντι αὐτῷ ἐν ἀγρῷ, καθιπτάς ἀετὸς ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἄρτον ἥρπασε· καὶ ἐπανελθὼν πάλιν εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ τοῦτον κατέθετο. Hoc idem ita Latinè narrat Sueton. cap. 49. Vit. Aug. *Ad quartum lapidem Campana via in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei è manu rapuit, & cùm altissimè volasset, rursus ex improuiso leniter delapsa reddidit.*

Aquila cur in tutela Iouis.

Aquila Augusto fausta.

Agitare.

7. AGITABAT.] Quod Græci ἐλᾶν, & ἐλαύνειν, quod est *abigere*, & *fugare*. & quod 12. Æneid. *turbabat cælo.* Cicer. 2. Diuin. de aquila, *auis infestans alias & agitans.* Non dubium autem quin Virgil. locutus fuerit cum respectu ad inimicitias, quæ sunt inter cycnos, & aquilas. Vide Aristot. lib. 9. Histor. Animal. cap. 12. Sed de hac re dicebam alibi.

Aquilarum, & cycnorum inimicitiæ.

8. TVRBAMQVE SONANTEM AGMINIS ALIGERI.] Dixi non hinc longè, nudis nominibus respondere nuda nomina apud Virgil. Hic aperio præceptionem poëticam, & diligentiam viri incomparabilis Virgilij. Obseruaui periphrasin respondere periphrasi. Itaque, quia pro aquila, *Iouis ales*; ideo pro aliis volucribus, *turbam sonantem agminis aligeri.* Aliquis incogitans diceret, *aquila agitabat agmen aligerum.* Sed iam ad firmamenta, quibus docearis. In 7. ait.

Virgilij concinnitas.

Periphrasis respondet periphrasi.

——*postquam Laurentia victor*
Geryone extincto Tirynthius attigit arua.

Vbi, *victor Tirynthius* est Hercules, & quia hîc periphrasticè ponitur, ideo *Laurentia arua*, id est, Italiam. Esset enim inconcinnum dicere: *Hercules attigit arua Laurentia*: vel, *victor Tirynthius attigit Italiam.* Dices, nec Virg. hoc cogitauit, & ridiculum præceptum est. Apage hoc Lector, obruam te nube testimoniorum, vt cogitasse hoc Virgilium putes, & præceptum non sit ridiculum. In eodem lib. 7. quia pro Tyberi dixit, *Tyrrheno flumine*, ideo *boues Iberas.* Versus est,

Tyrrhenóque boues in flumine lauit Iberas.

In sexto libro audies,

Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.

Id est, fulmina, & tonitrua. Ibidem,

Nec non Threïcius longa cum veste Sacerdos.

videlicet, Orpheus cum palla. In 4.

Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

Hoc est, Mercurius ab Atlante. In lib. 1. coniungit *Reginam Deûm*, & *virum insignem pietate*, id est, Iunonem, & Ænean. Ibidem,

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Id est, audierat futuram Romam, quæ euerteret Carthaginem. Pulcherrimè in eodem lib.

Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat.——

Vbi tria periphrasticè dicuntur. Nam *Regius puer* est Ascanius, *charus genitor* Æneas, *vrbs Sidonia* Carthago. Quis putas hæc animaduerteret? ô quot in aliis Poëtis incogitantiæ! Redeo. In 5. pro Ganymede est *puer Regius*, pro aquila, quæ illum portabat, *Iouis armiger.* In 8.

Dona laboratæ Cereris, Bacchúmque ministrant.

Id est, panem, & vinum. Enormiter aures meas vulneraret, si diceret, *ministrant vinum*, vel *potum.* In eodem lib.

——*te filia Nerei,*
Te potuit lacrymis Tithonia flectere coniux.

Nimirum Thetis, & Aurora. In 2.

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Vbi, quia *Ithacus* pro Vlysse, ideo *Atridæ* pro Agamemnone; & Menelao. In lib. 9. *Ilia tellus, mœnia Regis Acestæ*, pro vrbibus Troia, & Segesta. Ita in 6. posuit *Caspia Regna*, pro Asia: *Mæotica tellus*, pro Europa: *ostia Nili*, pro Africa. Errarent hîc multi Poëtæ nominantes vnam orbis partem, aliam circumscribentes. Est & adhuc maior concinnitas, si consideres tres illas periphrases sumptas ab vnis aquis, videlicet à mari Caspio, à palude Mæotica, à fluuio Nili. Omitto infinita, & noto breuiter Poëtas alios, qui perperàm. Stat. 2. Theb.

Virgilij concinnitas.

Pallas, & asperior Phœbi soror.——

Debuisset enim aliquid pro Pallade, & abstinere ab eius nomine, quia videlicet Phœbi soror. Simili vitio Claud. 2. Rap.

It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Candida Parrhasij post hunc Regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuspide protegit arces.

Vbi, sicut circumscripsit Dianam, & Palladem, ita debuisset Venerem ab aliqua insula, & loco. Talis illa Calab. lib. 1. conniuentia,

Τίας Κασμίδαο τε ἠδ' ἄρης Πυθοιάδαο.

Homeri dormitatiunculas in hac re quis scribat? Opus alia Iliade. Pari censura noto versum Eurip. in Helena,

Ἥρα, Κύπρις τε, Διογενής τε παρθένος:
Iuno, Cypris, & virgo Ioue genita.

Pro, Iuno, Venus, Pallas. Non contendo, semper & vbique debere esse hunc rigorem: sed qui contemnat, illum certè Poëtam fore cuanidum & ψυχρόν.

9. LAPSV.] Indicat lenem aquilæ volatum. Sueton. Aug. cap. 94. *aquila leniter delapsa.* Apul. lib. 1. Flor. *aquila labitur.* Quem locum vide: ita enim de aquilæ volatu, vt illum æqualem faciat naui velificanti.

10. CYCNVM EXCELLENTEM PEDIBVS, &c.] Talis Valer. Musa lib. 1. Argon.

Talia conanti leuum Iouis armiger æthra
Aduenit, & validis fixam gerit improbus agnam.

vel, *gerit vnguibus agnam.*

11. ÆTHERAQVE OBSCVRANT PENNIS.]

PENNIS.] Eurip. in Elect. οἰωνῶν αἰθέρος τέκνοις. Nam vt quæ in æthere, ideo ætheris soboles.

Olatum. 12. HOSTEMQVE PER AVRAS, &c.] Huic ostento auium perturbantium aquilam non dissimile illud, quod est apud Plut. in vita Antonij: σημεῖον δὲ περὶ αὐτὴν δεινὸν ἐφάνη. χελιδόνες γὰρ ὑπὸ τὴν πρύμναν ἐνεόττευσαν. ἕτεραι δὲ ἐπελθοῦσαι καὶ ταύτας ἐξήλασαν, καὶ τὰ νεόττια διέφθειραν: *ostentum mirum accidit in ea* (naue Cleopatræ) *hirundines nidulatæ fuerant sub puppi, aliæ verò superuenientes, & has exegerunt, & pullos perdiderunt.*

Nubes, de auibus. 13. FACTA NVBE.] Ita Calab. lib. 2. loquens de locustis, ὡς νέφος, *vt nubes*. Plutarch. in vita Alexandri; ὄρνιθες νέφεσιν ἐοικότες: *aues similes nubibus*. Plin. lib. 11. cap. 19. de locustis: *Immensos tractus permeant, diraque messes contegunt nube.* Orosius quoque lib. 1. cap. 9. *locustarum nubes.*

Similitudo historiæ. 14. PROIECIT FLVVIO.] Non dissimile ostentum narrat Plutar. in vita Dionis, vbi, αἰετὸς μὲν γὰρ ἁρπάσας δοράτιον τινὸς τῶν δορυφόρων, ἀράμενος ὑψοῦ, καὶ φέρων ἀφῆκεν εἰς τὸ βυθόν: *Aquila raptam satellitis lanceam in sublime tulit, inde demisit in profundum.*

Fugio, ad notandam celeritatem. 15. PENITVSQVE IN NVBILA FVGIT.] Fugiendo penetrauit nubila. Ideo postea, *penitùsque profundo Vela dabit*. Et *fugit*, ait, non solùm ad significandam veram fugam, sed celerrimum volatum. Synes. lib. de Insomn. exaggerans ait, ὑποπτερῶσαι αὐτούς.

Saluto, pro adoro. 16. SALVTANT.] Esse hîc *adorant*, iam Brisson. cuius testimonia iam Collector Symbol.

Expedire manus, quid. 17. EXPEDIVNTQVE MANVS.] Retuli, non ad pugnam, sed ad preces. Nam & Germ. refert ad illud Hom. ἀναπτύξαι χεῖρας, quod videlicet est, εἰς εὐχὴν ἐξαπλῶσαι, id est, *expandere manus ad preces.*

Augurium duplex, Oblatiuum, Impetratiuum. Augurum dolus. 18. QVOD SÆPE PETIVI.] Cùm duplex esset augurium, *oblatiuum*, & *impetratiuum*, ita rem agit Tolumnius, vt quod *oblatum* fuerat, siue *oblatiuum*, vertat in *impetratiuum*, quo meliùs decipiat Rutulos. Ita fermè Seru. à quo Turneb. & alij. Ego tibi obseruo magnam veterum religionem positam in astutia, qua vtebantur, qui captabant, aut seruabant omina, auguria, auspicia. Quod à Tolumnij astu alienum non est. Tota enim sæpe felicitas posita in hac fallacia. Apud Ammian. lib. 21. cùm Iulianus quatiens scutum exerceretur in campo, discussis axiculis, quibus compaginatus erat orbis scuti, sola ansa remansit, quam Iulianus fortiter retinuit, ac tum Scriptor: *Territis omine diro præsentibus cunctis, nemo inquit* (Iulianus) *vereatur, habeo firmiter, quod tenebam.* Quibus pro se ita diligens fuit Iulianus, vt inde omen futuro Imperio arriperet, vnde alij desperauerant. Apud Plutar. in vita Timoleontis, cùm huius milites animum desponderent propter visos mulos, qui fortasse apium ferebant, nam coronæ ex

Coronæ apij. apio imponebantur sepulcris mortuorum; tum Timoleon vt religionem illam solueret, & timorem suis adimeret, rem aliò detorsit, καὶ τὸν στέφανον αὐτοῖς πρὸ τῆς νίκης κομιζόμενον, αὐτομάτως εἰς τὰς χεῖρας ἥκειν: *coronam ante victoriam ipsis vltrò delatam in manus venire*; quia videlicet apio coronarentur Isthmiorum victores. Camillus apud eundem cùm lapsabundus caderet, & qui aderant, stuperent ad omen attoniti, ille statim surgens, κατ' εὐχὴν σφάλμα μικρὸν ἐν' εὐτυχίᾳ μεγίστῃ. quasi Deo gratias ageret, qui immensæ suæ felicitati exiguum lapsum dedisset, à quo ita facilè surgeret. An alia fuit Alexandri fraus? cùm enim à Sacerdote Ammonis (narrat hoc Plut. in eius vita) audisset παιδίον, id est, *filiole*, ille extremam litteram commutauit, quasi audisset παῖ Διός, *fili Iouis*. Notat Cerda in *Æneid. tom. 2.*

A etiam Liuius lib. 26. de ione, solere illum vertere in prodigium, & reliem, quod naturaliter accidebat, ad excitandositum animos: vt cùm naturaliter recedente ma nudatis littoribus, ille confinxit, Romanis darsitatas vias, & maria recedere, quò ipsi ad ognandam vrbem haberent transitum. Apud Cam, territis militibus Alexandri propter defeô naturalem Lunæ, vates dicunt, non naturam ἐκλείψεως, quæ verè erat, sed confingunt, Solem esræcorum, Lunam Persarum, ac proinde in defectulus portendi ruinam Persarum, cùm secus esseam Sol Persarum fuit.

Sol Persarum fuit. Scribit S. Nazianz. Orat. ontra Iulianum, sacrificanti Apostatæ crucemparuisse in extis, quo prodigio cùm alij terreret, Iulianus rem detor-

B sit, tanquam circumclusilique Christiani tenerentur. Demum ea fuit oantium astutia, vt cùm aliter effugere omen nooffent, esset generalis quædam depellendi illiusio, si torquerent in caput hostium. Seneca ad Miam: *Quis non, si admoneatur, vt de suis cogitet, tuam dirum omen respuat, & in capita inimicorum, ausius intempestiui monitoris abire illa iubeat?* Hoc fac putabant se iam tutos esse. Hæc profectò om quadrant ad mentem Tolumnij, qui rem tantùoblatam, facit impetratam, torquens augurium hostes, & ita cauet, eluditque augurium.

Omina torquere in hostes.

19. ACCIPIO.] Vignata. Liu. lib. 1. *Dextra Hercules data, accipere men*, &c. & lib. 21. *vi-*

Accipio, de omine.

C *ctoriam, oménque accipere.* llus Æmilius apud Plutar. δέχομαι τὸν οἰωνόν: *accipiegurium.*

20. AGNOSCOQV DEOS.] Notat Passerat. in Propert. poni à etis *Deos*, pro Deorum voluntate. Ita hoc locc & in Horat. *Non sine Diis.*

Dij, pro Deorum voluntate.

21. TERRITAT INV.IDAS VT AVES.] Affinis Calaber lib. 11.

Imitatio.

> Α δειλοί, τί φέβεσθε, κότις ὑπιδανοῖσι
> Ψήρεσιν, ὥς τ' ἰφέδησατ' ἐναντία κίρκος;
> *Proh timidi, quid 'piditatis, non aliter quàm imbelles*
> *Sturni, quos falco ex 'uerso territat?*

D 22. POPVLAT.] Id erbi in bonis auctoribus. Propert. lib. 3. *luctus populauit Achiuos*. est etiam 1. Georg. & 1. Æneid.

Populo, pro populor.

23. PETET ILL FVGAM.] In contumeliam Æneæ, cuius isceffus *fuga* dicitur. Cùm 1. Iliad. Achilles dixissetνῦν δ' εἶμι Φθίην, *nunc vado Phthiam*. Agamemnon hc vertens in contumeliam ait, φεῦγε μάλ': *fuge citò.*

Fuga, in contumelia.

24. PENITVSQVE, &c.] Tale illud lib. 1. *penitùsque sonantes Accestis scopulos*. Iterum,

Penitus.

> ——*ater quos æquore turbo*
> *Abstulerat, penitùsque alias aduexerat oras.*

E 25. PROFVNDO] Non *mari*, aut *pelago*, sed *profundo*, tanquam cminosum; quasi in profunditate maris periturus ,neas.

Profundum cur de mari.

26. VNANIMI.] An *pugna vnanimi?* an verò *vos vnanimi?* nam est etiam *vnanimus*, vt velis. Ego hoc alterum. Aliqui legunt *vnanimes.*

Lectio Virgiliana.

27. DENSATE] Notat ex Briss. Germanus à nonnullis hîc leg *densete*, à verbo *denseo*. Sic lib. 10. *Extremi addensent acies*. & 1. Georg. *Denset erant quæ rara modo*. & Sallust. Hist. *augere & densere frontem.*

Denseo.

28. VOBIS RAPTVM.] Τὸ *vobis* ex affectu magno, & ἐνεργείᾳ; ac, meliùs dicam, ex penu tra-

Pronomina ad affectum.

 gico.

gico. Quasi dicat: Rapiemini Regem vestrum, & viuis vobis? Scipio Appian. in Iberic. Ἐπικουρεῖτε ὦ Ῥωμαῖοι κινδυνεύοντι τῷ Σκιπίωνι: Succur- A rite ô Romani Scipioni vestro periclitanti. Sic & Græci vsurpant pronomina ad magnam efficaciam. Redundant testimonia.

[a] Dixit: & aduersos telum contorsit in hostes,
Procurrens. sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat. simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactáque corda tumultu.
[b] Hasta volans vt fortè nouem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gilippo:
Horum vnum ad medium, teritur qua sutilis aluo
Baltheus, & laterum iuncturas fibula mordet;
Egregium forma iuuenem, & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fuluáque extendit arena.
[c] At fratres, animosa phalanx, accensáque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcíque ruunt, quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc densi rursus inundant
Troes, Agillinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnes amor vnus habet decernere ferro.
[d] Diripuêre aras. it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber,
Craterásque, focósque ferunt. fugit ipse Latinus
Pulsatos referens infecto fœdere Diuos.
Infrænant alij currus, aut corpora saltu
Subijciunt in equos, & strictis ensibus adsunt.

ARGVMENTVM.

Torquet hastam Tolumnius in Troianos, principium pugnæ, interficit vnum è nouem fratribus, hi ad vindictam inflammantur. Ab hoc initio itum deinde in bello acriter, commissis phalangibus. fugit in vrbem Latinus, & tolluntur raptim, quæ parata ad sacra.

EXPLICATIO.

[a] NON contentus animos verbis addidisse, addit & factis, contorta in hostes hasta, quo dirruptum fœdus indicaret. Τὸ *procurrens* habet habitum torquentis hastam. hasta vt *stridula*, *dat sonitum*. & quia non frustratus ictus, ideo *certa*. Ad hanc tortionem sublatus statim clamor, turbati cunei, & globi militum, inflammati ad bellum omnes.

[b] Quæ sequuntur nemo satis expediat, & expendat. An quicquam πραγματικώτερον? Erant in Troiana acie fratres nouem, forma pulcherrimi, filij Gilippi Arcadis, & Tyrrhenæ feminæ, quæ fida suo viro, illi numerosam sobolem procreauerat. Ergo Tolumnij hasta perlata in *horum vnum*, qui ceteris & *forma*, & *armis* præstantior, transfixit illum *ad medium* corpus, in ipsa *aluo*, *qua* parte *baltheus teritur*, & morsu fibulæ innectitur. Hinc transmissæ costæ, & ipse moribundus extentus in terram est. Illud, *late-* B *rum iuncturas fibula mordet*, est, qua fibula morsu iungit latera balthei. *los cabos, o, estremos del talabarte.*

[c] Quanto putas dolore & ardore æstuarent fratres? *pars gladios stringunt, pars corripiunt missilia*, vt eminùs, & cominùs rem gerant, & *ruunt cæci*, quia non satis prouidi salutis suæ, & cauti, quippe ardore furentes vindictæ. Contra illos Laurentes procurrunt, contra Laurentes Troiani, Agillini, Arcades, quibus picta arma. Ita puncto temporis turbata omnia, & *vnus* tantùm *amor* in ferro est, isto volunt rem decerni, non pactis aut fœderibus.

[d] Ad subitum furorem aræ diripiuntur, in quibus erant crateres ad libationem, foci ad fœdera, C Dij ad firmanda pacta. Hos secum aufert fugiens Latinus. Globi interim telorum & imbres conuolant, equi ad currus infrænantur, alij saltu in equos emicant, stricti enses intenduntur. Sententia implicata est in Poëta ad explicandam turbationem animorum. Nam post aras direptas illicò adhibet tempestatem & imbrem telorum: deinde redit ad crateras, focos, Diuos, qui erant in aris; & tandem iterum ad currus, equos, enses. *Pulsatos Diuos* explica, violatos ac læsos, quia violata & læsa fœdera.

NOTÆ.

1. ADVERSVS TELVM CONTORSIT IN HOSTES.] Non dubium, quin insistat Romano ritui Fecia

Fecialium, quem ritum fusè illustraui libro nono ad A illud,

—& iaculum intorquens immittit in auras
Principium pugna.—

Hasta in fines hostium torta, belli initium.

Hasta enim torta in fines hostium nota erat disruptæ iam pacis, & futuri belli. Hunc morem attigit Amm. lib. 18, his verbis: *Vixque ibi Grumbates hastam infectam sanguine, ritu patrio, nostrique more conjecerat Fecialis, armis exercitus concrepans inuolat in muros.* Ecce tibi post hastæ huius coniectum quid sequatur, *confestimque lacrymabilis belli turba crudescit*, &c. Claudianus planè ab hoc more libro secundo Eutrop. loquens de Marte,

Tunc adamante grauem, nodisq; rigentibus hastam,
Telum ingens, nullique adeò iaculabile torsit. B

Hoc & Græcis in vsu fuit. Inde Calab. lib. 10. de Iride Discordiarum Dea initio belli ita ait, πάλλε δ' λοίγιον ἔγχος εἰς ἠέρα: *vibrauit in aërem perniciosam hastam*, scilicet prouocatura ad bellum. Xiphilin. in vita M. Antonini. ταῦτ' εἰπὼν, καὶ τὸ δόρυ τὸ αἱματῶδες παρὰ τῷ ἐνυεῖῳ ἐς τὸ πολέμιον δὴ χωρίον, ὡς γε ἔκ τῶν συγγινομένων αὐτῷ ἤκουσα, ἀκοντίσας, ἐξωρμήθη: *Cùmque hæc dixisset, hastam sanguinolentam, quæ in templo Martis erat reposita, in agrum hostium, vt accepi ab his, qui aderant, contorquens, irruit.* Sed Poëta tamen vnicè respexit Homerum, apud quem hastæ tortione disruptum fœdus est, quod & attigit quinta Æneide, illis versibus:

Tertius Eurytion, tuus ô clarissime frater
Pandare, qui quondam iussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achiuos. C

Procurro, habitus pugnantis.

2. PROCVRRENS.] Habitus pugnantis & audentis. Ita inf. *agmina procurrunt.* & in 9. *procurrere longiùs audent.*

Arbor pro hasta, tragicè.

3. CORNVS.] Ponit materiam, quod solent alij heroïci Vates, non tam sectantes tritum χυδαῖον, quàm vt ita grandiorem faciant orationem. Est enim tragicum quiddam cernere connolantem, non hastam, sed arborem. Ita Hesiod. in Scut.

———ἀπὸ δ' ἄμφω χεῖρε ἴνας
Ἀνδροφόνος μελίη:———
———ambos incidit neruos
Homicida fraxinus.———

Ibidem magni duces inferuntur ἐλάτας ἐν χερσὶν ἔχοντες, *abietes in manibus gestantes.* Claudian. D

Non aries quateret muros, non fraxinus vrbes.

Homerus sæpe, Philostrat. in Heroïcis, alij hastam Achillis κατ' ἐξοχὴν vocant μελίην:

Secare auras.

4. AVRAS CERTA SECAT.] Sic 1. Georg. *secat aëra.* & 4. Æneid. *ventos secabat.* Ouid. pari verbo 4. Metamorph. *aëra findit.* Plut. in Pelopida loquens de cursu equorum ait, τὸν ἀέρα ῥυγνύμενον, *fissum, sectum aërem.*

Certum, de ictu.

5. CERTA SECAT.] Ita Val. Flacc. lib. 3.

———certo tendens stridore per vmbras
Æsonij venit hasta ducis.———

Præclarè, nam *per vmbras.* hoc enim maius. Ab hac certitudine præfert Martial. Othonem Catoni lib. 6. Epigramm. 32. E

Cuneus, de multitudine.

6. CVNEI.] Notauit iam Lips. hanc vocem sæpe accipi pro conferta multitudine. Sic hoc loco, ac sæpe alibi.

Calefactum cor.

7. CALEFACTAQVE CORDA.] Eurip. Elect. ad verbum, θερμαινόμεθα καρδίαν.

Volo, de telis.

8. HASTA VOLANS.] Sidon. Pan. Maior. *aliæ telo.* Hom. sæpe πέτετο ὀϊστός. Eun. 16. Ann. *tamen inde volans secum abstulit hasta.* Andronicus in Odyss.

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.

Stat. 2. Theb. *fuscas interuolat auras Hasta.* vide 8. Æn. ad illud, *volatile ferrum.*

Fidus.

9. FIDA.] Signatè hic Maro ad cauendum castitati feminæ. Videbatur enim posse subesse suspicio adulterij in numerosa sobole; hanc vt amoliatur *fidam* vocat.

Hybrides.

10. ARCADIO CONIVX TYRRHENA.] Designat filios fuisse hybridas, nam semi-Arcades, & semi-Tyrrheni. Vt Pallas, semi-Arcas, & semi-Sabellus, & Cyrus, semi-Medus, & semi-Persa.

11. GILIPPO.] Meminit Thucydides in historia, & Plut. in Nicia magni ducis Gilippi, qui res Atheniensium contudit.

Ictus in ventre.

12. AD MEDIVM.] Credo indicari ictum ad ventrem ipsum: qualem ictu describit Nonnus libro vigesimosecundo,

ὃς δὲ τυπεὶς κυλίνδετο χαζομένῃ κοιλίῃ:
Hic autem percussus volbatur secto ventre.

Ibidem ait percussum ὀμφαλόν, *vmbilicum.*

13. TERITVR QVA SVTILIS ALVO BALTHEVS.] Ictus hic describitur ab Homer. 4. Iliad. ᾗχι ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον: *vbi balthei fibulæ aureæ innectebantur.*

14. ET LATERVM IVNCTVRAS FIBVLA MORDET.] Ait factum ictum ad ipsas balthei iuncturas, & commissuras, quàque fibula innectitur: illa enim parte iuuentus ad ictum iacus, ad eum modum, quo Prudent. in Psychom. scripsit,

Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
Commissura dedit, qua se extrema polita
Squamma ligat tunicæ sic & sibi conserit oras.

Balthei iuncturæ.

De Balthei iuncturis ita al. lib. 3. Arg.

———quærendus ambit
Baltheus, & gemini committunt ora dracones.

Illa enim commissio ad iuncturas est. Fuit verò ictus Tolumnij ex arte iaculantis, nam tantùm ea pars, quæ ad iuncturas, nudarat, & illàc ingressa est hasta. Ait Polyb. lib. 3. debere pugnatorem attentè inspicere, καὶ τι γυμνὸν, ἢ παρεξέωσεν μέρος ἐστι τῶν ἀνταγωνιστῶν, *qua pars nuda, tectáve ab armis in aduersario appareat.* Ita apud Plutarch. in Aristid. celebratur vulnus, quo interfectus Mastius, nam cùm pectus, caput, & membra omnia aberet armis munita, tantùm patuit ictus, ἢ τὸ ἀραιὸν ὑπῆρχεν ... ὀφθαλμός. vt verò vulnus acceptum per morsum fibulæ, ita apud Sil. lib. 7.

———qua fibula morsus
Loricæ crebro laxata resueras ictu,
Accepit lateri, penitúsque in viscera adegit.

Fibulæ morsus.

15. FIBVLA MORDET.] Tertull. de Pall. *in fibulæ morsu.* Symm. lib. 1.

Est mihi castrensem quo mordet fibula vestem.

Hieronym. epist. 49. *Fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit.* Sid. Pan. Maior.

Ostricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat.———

Non tamen est hoc loco fibula instrumentum illud muliebre, quod celebatur ab hoc Vate locis aliis, & ab aliis: sed clauiculus ille, quo baltheus innectitur. ad eum modum, quo Tertull. dat antiquis Carthaginiensibus quadratam tunicam fibula constrictam; & quo Liu. dixit lib. 47. donatam puero *tunicam lato clauio cum Hispano sagulo, & aurea fibula.* vt videlicet fibula esset astringmentum saguli. Sed fateor tamen in idem ferè recedere.

Transadigo.

16. TRANSADIGIT.] Cùm hoc verbum sæpe inferant Poëtæ heroïci vt τραγικώτερον, eo tamen vsi alij affectatione quadam poëtica; vt cùm Ammian. libro quarto, *per medium pectus ictu fortissimo transadigit.*

Extensio habitus mortui.

17. EXTENDIT ARENA.] Habitus mortui. Mors enim

enim soluit, explicat, porrigit, extendit. Hom. Iliad. 13. καὶ ἔθεις. & lib. 20. τανυσθεὶς ... Calab. lib. 11. ἐν κονίῃσι τάνυσθεν ... Ibidem, ... τάνυσθεν. Nonnus lib. 32. ... τάνυσθεν ... Ibidem, ὀρθρίας δέμας, porrigens corpus. Apollon. lib. 1. ... ψαμάθοισιν ἐλυσθείς, in arenis solutus. Euripid. in Phœniss. ait Eteoclem, & Polynicem iacuisse ἐκτάδην, porrectum. Ad hunc modum loquuntur etiam Latini Poëtæ; vt cùm Lucan. lib. 5. Pythona sagittis Explicuit Valer. lib. 6. Arg. ingenti porrigit aruo. & lib. 4. Tenditur ille ingens hominum pauor. Ad hunc sermonem aspirat Martialis Epig. 87. lib. 9.

Porrectio.

Explicatio.

Sed mea porrexit Sporula, Paule pedes.

18. GLADIOS STRINGVNT.] Liu. lib. 38. stringit gladium. Sen. Contr. 7. vbi est gladius tuus? stringe. Suet. Calig. 33 strictu rum se lucubrationis suæ telum minabatur. Curt. lib. 3. gladios impigrè stringunt. Non dubium, quin hi à Poëtis.

Stringere gladium.

19. AGILLINI.] De his dictum lib. 7.

20. PICTIS ARMIS.] Vide in 10. ad illud, & versicoloribus armis.

21. SIC.] Hanc particulam, & in hoc loco Virg. explicat Passeratius in Prop. adeò, omnino prorsus, cùm nihil præcesserit. Vt in Sallust. Catil. Sic quisque hostem ferire, murum conscendere,

Sic, quo vsu.

22 TEMPESTAS TELORVM.] Sil. lib. 9. telorum nubem. & lib. 2. telorum nubibus. Stat. lib. 8. pulchrè tela comparat cum tempestate,

——non tanta cadentibus hœdis
Aëriam Rhodopen solida nive verberat Arctos:
Nec fragor Ausoniæ tantus cùm Iuppiter omni
Arce tonat, &c.——

Illustrabis satis hunc locum his, quæ dixi lib. 10. ad illud, nubem belli dum detonet.

23. FERREVS INGRVIT IMBER.] Stat. laudato loco, loquens de armis, sunt ferrea cœlo Nubila. & lib. 5.

Imber ferreus.

Instamus iactu telorum, & ferrea nimbis
Certat hyems.——

Lucan. lib. 4. telorum nimbo. Pacuuius,

Sagittis, plumbo, saxis grandinat, nimis.

Enn. 6. Annal.

Vndique conueniunt, velut imber, tela Tribuno
Configunt parmam.——

Idem lib. 8.

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber.

Ammian. sæpissimus est in hoc sermone, vt cùm ait libr. 10. Sagittarum nimbi crebriùs voliantes. Latini à Græcis. Pind. Od. 5. Isth. χαλαζάεντι φόνῳ: cade grandinea. Nonnus libro 22. ὄμβρος ὀϊστῶν: imber sagittarum. Mitto alios.

24. PVLSATOS.] Quasi Dij ignominia affecti essent infecto fœdere. Nam verè pulsatos Deos fuisse, incredibile ab seruantissimo totius decoris Virgilio. Non enim is est, qui Deos induceret verberatos ab Latino. Hæc stupiditas in alios cadit Poëtas, non in eorum principem. Nam cur abstineam à nomine ἰσοθείας, cùm lego in Hom. Iliad. 21. Laomedontem comminari ἀποκόψεμεν οὔατα χαλκῷ. abscissurum aures ferro, Neptuno scilicet, & Apollini: Hæc enim, & similia βλάσφημα non cadunt nisi in impiissimum, qualémque descripsit Iulianum Cedrenus pag. 253. qui exspirauit, πολλὰ δυσφημήσας εἰς τὰς ἑαυτοῦ θεούς, ἀπατεῶνας, καὶ πλάνους, καὶ φθόρας ἀποκαλῶν: Cùm primùm Deos suos multis maledictis proscidisset, vocans deceptores, fraudulentos, interfectores. Itaque pulsatos Virgilij, ne capias verberatos, vt quidam scioli, & planè blenni, sed indignè affectos ex infecto fœdere.

Pulsati Dij, qui.

Homeri vitium.

25. DIVOS.] M. Varro, & Atteius Diuos perpetuos dici volunt: Deos, qui ex hominibus fiunt. Alij secus.

Diui qui.

26. INFRÆNANT CVRRVS.] Agnosce hypallagen. Non enim currus infrænantur, sed equi qui in curribus. Nec putes, hypallagen hanc esse audacem, nam sic solent Poëtæ. Aristoph. in Irena dixit, χρυσοχάλινον πάταγον ψαλίων: auricoloris strepitum freni. ad verbum, auricolorem strepitum freni. Itaque, non dixit ψαλίων χρυσοχάλινον, sed πάταγον χρυσοχάλινον. Sic & Pind. Od. 1. Olymp. χρυσέαισιν δ' ἵπποις: Auratis in equis. & tamen non equi aurati, sed eorum ornamenta. Euripides in Hercul. Furent. λόγχαι ἀσπιδηφόροι: ... : sublatæ hastæ cupiditate. Non certè hastæ, sed qui hastas gerunt. Sed nihil tamen magis geminum, quàm illud eiusdem Euripid. in eadem Tragœdia,

Infrænare currus.

Hypallage.

Ἅρμασι δ' ἐνίησι κέντρον:
Curribus adhibet stimulum.

Pro equis, qui in curru. & in Helen.

Λέχεα σέθεν ὡς εἷλε
Πάρις αἰνόγαμος:
Postquam rapuit lectum tuum
Paris infelix maritus.

Id est, sponsam, quæ in lecto. Dixi de locutione, illustro sententiam. Ad hanc pertinet illud Curtij libro tertio: Equos plerique frænabant, discors exercitus, nec ad vnum intentus imperium, vario tumultu cuncta turbauerat. Similis præcipitantia apud Plutarchum in Sylla, ἐγχαλινώσας διὰ ταχέων. Notetur in exitu adagialis forma, quam indicat Appian. in Syriac. vbi loquens de Romanis ait. νῦν δὲ τὸν χαλινὸν, φασὶν, ἐνθέντας, καὶ τοῦ χαλινοῦ τὸν ἵππον ἀναβάντας, οὐκ ἂν ἐξέσθαι δηλοῦσιν ἐπὶ λόγοις: Nunc autem, cùm frænum, vt dicitur, imposuerint, cùm ascenderint infrænatum equum, nullam ex huiusmodi verbis pacem suscepturos puto. His satis indicatur, iam decretum bellum cùm frænum inijcitur, vsurparíque prouerbiali schemate, frænati sunt equi.

Locorum similitudo.

Prouerbiũ.

27. SALTV.] Signatè & propriè. Nam apud veteres nullus vsus stapedæ, aut subicis pedanei; Hispani estriuos dicunt: sed saltu fiebat ascensio. Senibus quidem, & Principibus tollendis vir erat huic rei præfectus, quem Spartian. in Caracall. & Ammian. lib. 30. vocant stratorem, Græci ἀναβολέα. Interequitandum autem pedes erant penduli, & nulla re innixi, vt etiam hodie equestres statuæ cernuntur. Omitto locum Eustathij in lib. 1. Odyss. quem iam Budæus, & Lipsius agitarunt.

Stapedæ non apud veteres.

Strator, quis.

28. SVBIICIVNT IN EQVOS.] Id est, sursum iaciunt. Significatio hæc non est insolens. Nam Virg. 5. Eclog.

Subiicio.

Quantùm vere nouo viridis se subiicit alnus.

Et 2. Georg.

Parua sub ingenti matris se subiicit vmbra.

Et 4. Georg.

Ter flamma ad summum tecti subiecta refulsit.

* Messapus Regem, Regísque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten, auidus confundere fœdus,
Aduerso proterret equo. ruit ille recedens,

Et

Et miser oppositis à tergo voluitur aris
In caput, inq; humeros: at feruidus aduolat hast
Messapus, telóque orantem multa trabali
Desuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatr.
Hoc habet, hæc melior Magnis data victima Diuis.
Concurrunt Itali, spoliantq; calentia membra.
b Obuius ambustum torrem Chorinæus ab ar
Corripit, & venienti Ebuso, plagámque ferenti
Occupat os flammis, illi ingens barba reluxit,
Nidorémque ambusta dedit: super ipse secutus
Cæsariem læua turbati corripit hostis,
Impressóque genu nitens, terræ applicat ipsum
Sic rigido latus ense ferit. c Podalirius Alsum
Pastorem, primáque acie per tela ruentem
Ense sequens nudo superimminet. ille securi
Aduersi frontem mediam, mentúmque reduct
Disiicit, & sparso latè rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

ARGVMENTVM.

Messapus interficit Aulesten, Chorinæus Troianus Ebusum, & Alsus pastor Rutulus Podalirium Troianum.

EXPLICATIO.

a OPTABAT. auidissimè Messapus fœdus illud confundere, vt qui esset Turni studiosus, vel potiùs auidus virtutis ostentandæ; ac statim equo, quo vehebatur, in Aulesten Tyrrhenum procurrit, quem esse Regem cognouit ex insigni, quod gerebat. Aulestes statim retrocessit, offenditque in aras, quas non viderat, quia illæ à tergo. & quia offendit, ideo *miser*. & est πάθ☉. Nam quale est ab re sacra haberi, non salutem, sed offensionem? Itaque ex offensione corruit in caput, atque in humeros. Messapus vtens labentis occasione celeriter aduolat, atque ex equo ipso illum hasta transfigit inutiliter deprecantem pro vita, deinde subsannabundus ait,

Hoc habet, hæc melior Magnis data victima Diuis.
Concurrunt statim Itali, & Aulestem, calentem adhuc vita, spoliant armis.

b Rependitur cædes Aulestæ, nam Chorinæus Troianus, arrepto ab ara titione, Ebusi volentis se percutere mentum accendit, præoccupato vulnere. Mentum statim, vt syluosum, relucere cœpit, & nidorem spargere. Incendio ipso ita turbatus est Ebusus, vt facilè Chorinæus comis, læua manu, arreptum terræ applicuerit, genúque, nixu magno, imprimens latus gladio perfoderit, dextra manu.

c Sequebatur Podalirius nudo ense, pastorem Alsum ruentem prima in acie cum Troianorum strage, iámque totus imminebat; cùm Alsus subitò reductam securim, qua, vt pastor, pugnabat, illisit in caput sequentis se Podalirij, illúdq; deformi ictu per frontem mediam vsque ad mentum diuisit. Inde arma irrigata ab fluente largissimè sanguine. Itaque miserum Podalirium inuasit, *vrget* potiùs *quies*, sed *dura*, & *somnus*, sed *ferreus*. Nam quies hæc & somnus *in æternam noctem*.

NOTÆ.

1. REGEM.] Ἄνακτα libentiùs ceperim, quàm βασιλῆ. Vt.n. respectu Iouis Dij ceteri dicũtur ἄνακτες, cùm ipse βασιλεὺς; ita Æneas sit βασιλεὺς, reliqui, qui in hoc opere dicuntur Reges, contrudendi sunt ad ἄνακτας. — Rex Anax.

2. TYRRHENVM AVLESTEM.] Fortasse nomẽ hoc cum cura. Nam cùm αὐλὴ inuentum sit Tyrrhenorum, inde credibile est Aulestæ Regis nomen inductum à Poëta. — Aulestes, cur ita dictus.

3. REGIS INSIGNE] Non aliud, quàm diadema; de quo iam lib. 7.

4. AVIDVS CONFVNDERE.] Hellenismus. Prop. *cupidus attingere*. Sed hoc iam alibi, prolatis etiam Græcis testimoniis. — Auidus confundere, hellenicum.

5. IN CAPVT, INQVE HVMEROS.] Describit κύμβαχον: is est, ἐπὶ κεφαλὴν, & ὤμους κυβιστῶν. Philost. enim lib. 2 Idon. ita ait. ὅδε εἰ ὤμους καὶ κεφαλὴν κεῖται, ποιητὴς ἂν φαίη κύμβαχ☉: *Alius in caput, atque humeros iacens Poëta vtique diceret, cymvachus.* — Cymbachus.

6. TELO TRABAL.] Id est, magno instar trabis; quod videlicet Poëta ipse, *telum ingens arboreum*. Ita Sil. *trabem* posuit pro hasta. Sed & *trabalem hastam* Stat. 4. Theb. & Naza. in Paneg. dixerunt. & Amm. libr. 16. *capita discissa trabalibus telis*. Sed & de rebus alijs. Nam Claud. *trabali sceptro*. Cic. Horat. Arnob. *clauos trabales* nominant. — Trabalis hasta.

7. DESVPER.] Scripsi alibi, solitos fieri ictus cum hastis, his tamen non emissis, quod hîc quoque factum. Desuper percussit, & ab equo, sed non hastam emisit. Tale belli genus habet Plutarchus in vita Camilli. Quis neget Romana pila (ὑσσοὺς ille vocat) esse

Pila non semper missilia. esse missilia? atqui ibi Cæsar. αὐτὸς δὲ τοὺς στρατιώτας ἐδίδαξε τοῖς ὑσσοῖς μακροῖς διὰ χειρὸς χρῆσθαι, ἐκ τοῖς ξίφεσι τῶν πολεμίων ὑποβάλλοντας ἐκδέχεσθαι τὰς καταφοράς: *Docuerat suos milites tractare cominus pila oblonga, vt his subiectis hostilium ensium ictus exciperent.* Vides pugnatum Romanis pilis διὰ χειρὸς, id est, *cominus*, non eminùs. Hoc idem firmo ex Eurip. qui in Herc. οὐδ' ἦλθε λόγχης ἐγγύς: *neque venit propè ad hastam*. Est enim μάχεσθαι ἐγγὺς, *pugnare cominus*.

Indignum non fortiter mortem subire. 8. ORANTEM MVLTA.] Indignitatem hominis indicat. Est. n. indignum Regem, non fortiter extremű ictum ferre. Hanc indignitatem ostendit Plut. in Perse, cùm is victus ab Paulo esset, nam orationem, qua orauit Paulum, ne se interficeret, vocat φωνὰς ἀγεννεῖς, *voces degeneres*. & addit, editum à Rege αἴσχιστον θέαμα, *turpissimum spectaculum*.

Habet, quid sit. 9. HOC HABET.] Subaudi vulnus. Forma recepta in Latio, & accepta ab ludo gladiatorio. Ita sc. insultrabat gladiator victor victo gladiatori. Terent. Andr. *Certe captus est, habet.* Prud. Psychom. *Hoc habet, exclamat victrix Regina.* Sen. Agam. *Habet, peractum est.* & in Herc. Oet.

Habet, peractum est. quas petit pœnas dedit.

Alibi idem Tragicus sæpe. Huc allusum à Sen. Philosopho de vita Beata: *non voluptatem, sed ipsos voluptas habet.* & epist. 8. *Habere nos putamus, habemur*, id est, cű putemus nos habere diuitias, habemur ab illis, vincimúrque, nam illæ pessumdant nos. Et ab Tull. lib. 9. epist. vlt. *Sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cùm esset obiectum habere eum Laida, habeo (inquit) Laida, non habeor à Laide.* Itaque Seru. qui explicat *habet* pro, *peractum est*, malè explicat. Imò *habet*, pro, *victus est*. sic Græci dicunt ἐχόμενον pro, νικᾶσθαι, id est, *haberi*, pro, *vinci*. Nam, vbi Eurip. in Orest. ἔχεις ἐμὲ, *habes me*; ibi Scholiastes, ἐνίκησας με, *vicisti me*. Sed & verba Aristippi, quæ Tull. reddidit, hæc sunt, ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι Λαΐδος. Huc etiam inuenio allusisse Plaut. Mostell. vbi seruus post inuentum callidum consilium, ait: *Hoc habet, reperi qui senem ducerem.* & in Mil. *Habet, opinor.* & Anacreontem, qui loquens de Cupidine, qui Martem sagitta percusserat. ὁ δ' ἔρως, ἔχ' αὐτό, φησίν. *Amor tibi hanc habe, dixit*, videlicet βέλεμνον, *sagittam*.

10. HÆC MELIOR, &c.] Vide, quæ dixi quinta Æneid. ad illud,

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis.

Hostes offerédi Diis. Hîc addo confinem sententiam Catonis Censorij apud Plut. in eius vita, qui dicebat, non offerendos esse Diis ad vlciscendas patentias iniurias, ἄρνας, οὐδ' ἐρίφους, ἀλλ' ἐχθρῶν δάκρυα, ἐκ καταστ...ιμούς, *agnos, neque hædos, sed hostium lacrymas, & damnationes.* quasi hæc melior esset hostia.

Victima, de homine. 11. VICTIMA.] De homine cæso. Itaque adlubescit illud Liu. lib. 22. vbi Insuber ille, qui Flamininiű Consulem hasta transfixit: *Iam ego hanc victimam manibus peremptorum fœdè ciuium dabo.* Plut. in vita Dionis ait, hunc Principem interfectum καθάπερ ἱερεῖον, *tanquam victimam*; vsurpátque verbum, ἀπεσφάξαν, quod est victimarum.

Occupo, militare. 12. OCCVPAT.] Verbum esse militare exemplis iam firmaui Æneide decima. Est enim propriè præuenire hostem, cùm is vult ictum inferre, vt cùm ait Plutarchus in vita Iulij, militem admonuisse manum gladio ad cædendum Cæsarem, quod fecisset, nisi armiger Cæsaris occupans audaci militi humerum abscidisset. Signata verba. φθάσαι ἀποκόψας αὐτοῦ τὸν ὦμον.

Barbatus. 13. INGENTI BARBA.] Notat hominem βαθυπώγωνα, & ἐυπώγωνα, qualémque Lucianus describit. Est etiam in hâc vocula doctus Poëta, qui bene barbatum induxerit, non Phrygem aliquem, sed Rutulum. Quippe Phryges rasi fuisse prædicantur, vt delicatuli & molles.

Noxij crinibus arrepti. 14. CÆSARIEM LÆVA.] Vide, quæ dixi 2. Æneid. in morte Priami, quibus locű illum illustrabis. Apud Plut. Alexander, δραξάμενος αὐτὸ τῶν τριχῶν. In summa enim ita hominem crinibus arripuit. Sic & noxij mactabantur, quod iam dixi 2. Æneid. & hîc adiicio eundem Plutar. in vita Artox. vbi carnifex interficit Darium Regem. Verba Scriptoris. ἐκ τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ δραξάμενος τῆς κόμης αὐτοῦ, ἐκ καταγαγὼν, ἀπέτεμε τῷ ξυρῷ τὸν τράχηλον: *Coma eius altera manu arrepta in terram adigens, collum nouacula amputauit.* Eurip. etiam in Aulide ait, Iphigeniam ducendam ad mortem correptam ξανθῆς ἐθείρης: *flaua è coma.* & in Tauris de humana loquens victima, ἁρπαζόμενος πλοκάμων: *correpta & torta è capillitio.*

15. IMPRESSOQVE GENV NITENS.] Videlicet insultabundus. De hâc contumelia dixi libris 10. & 11.

16. TERRÆ APPLICAT IPSVM.] Προσουδίζει.

17. PER TELA RVENTEM.] Plut. in vita Niciæ, διὰ μέσων ὠθεῖται τῶν ἀγώνων.

Nudare ensem. 18. ENSE NVDO.] Appian. 1. γυμνὰ ξίφη διδοὺς γυναιξί. Philost. Iun. in Icon. γυμνοῦ τοῦ ξίφους ἔστησε. S. Basil. in orat. de Gordio Martyre, ξίφος γυμνόν. Sed Stat. 7. Theb. non solùm dixit, *nudabunt enses*, sed etiam *aperire*, ait enim, *aperto ense vocat socios.*

Virgilij cócinnitas. 19. ILLE SECVRI.] Noto concinnitatē boni Poëtæ. Sicuti Chorinæus Troianus interfecit Ebusű Rutulum, sibi iam plagam ferentem, ita Alsus Rutulus interficit Podalirium Troianum sibi iam nudo ense imminentem. Ebusus plagam ferebat, Podalirius nudo ense imminebat: sed vterque victoria excidit.

20. FRONTEM MEDIAM, MENTVMQVE.] Hic ictus etiam est in 9. vbi Turnus Pandari

——mediam ferro gemina inter tempora frontem
Diuidit, impubesq; immani vulnere malas.

21. SPARSO LATE RIGAT ARMA CRVORE.] In 9. *atque arma cruenta cerebro.* Hom. τεύχεα αἱμόφυρτα, & βεβρυχόμενα. Nonn. lib. 22. χιτῶν ἐρυθαίνετο λύθρῳ.

22. OLLI DVRA QVIES, &c.] Hi duo versus habentur Æneide decima, vbi illos Notis quatuor illustraui.

[a] At pius Æneas dextram tendebat inermem,
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
[b] Quò ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras; ictum iam fœdus, & omnes
Compositæ leges; mihi ius concurrere soli.
Me sinite, atque auferte metus, ego fœdera faxo
Firma manu: Turnum iam debent hæc mihi sacra.
[c] Has inter voces, media inter talia verba,

Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt.
Incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem caſúſve Deúſve
Attulerit. preſſa eſt inſignis gloria facti,
Nec ſeſe Æneæ iactauit vulnere quiſquam.

ARGVMENTVM.

Æneas pugnas vetat, vt cui ſoli ex lege fœderis concurrendum cum ſolo Turno: quæ dum loquitur, vulneratur, ignorato auctore vulneris.

EXPLICATIO.

a SVBLATVM ſubitò belli fragorem Æneas voluit componere; quod vt faceret *dextram tendebat inermem*, id eſt, ſine gladio ſuos reuocaturus, & *nudato capite*, quia ſine galea, tantùm *ſuos clamore vocabat*. In his verè *pius*, & quia nolebat ſuos perire, & quia pro ſeruanda religione, & fœdere.

b Verba Æneæ ad ſuos. *Quò* inconſideratè *ruitis?* quaſi dicat: veſtra hæc erit ruina. *Quæ repens* (repentina) *ſurgit diſcordia?* & *iſta*, quam cerno oculis. O vos mei ſocij (verba ad feſtinantiam amputauit) *cohibete iras*, nam *ictum iam fœdus, & omnes compoſitæ leges*, ex quibus *mihi ius concurrere ſoli*. Quamobrem *me ſinite, atque auferte metus*, quaſi dicat: Nihil pro me timidi ſitis, ego enim *faxo*, faciam *firma fœdera* hac *manu*, quam in vos inermem intendo. *Hæc ſacra debent mihi iam Turnum*, id eſt, debitus ille eſt mihi, & manui meæ obnoxius, ex quo fœdus pepigimus.

c Præclarè hoc tu Maro, & ſtudioſè pro Æneæ tui gloria. Summa eſt, vulneratum fuiſſe Ænean. Sed in hoc vulnere quæ non vidit Poëta? Primò vulneratur hic dux, ne careat militari hac gloria, eſt enim glorioſum accipere in bello vulnera. Et quidem vix credi poteſt (ait Scal.) militem bonum tot in congreſſibus è prælio abire ſine vulnere. Et dici Æneas poſſet fortis, non tam virtute propria, quàm Deorũ miraculo. Itaque neſcio, an ſapiant Poëtæ Græci, qui celebrant, Neoptolemum in Troiano bello nunquam vulnus accepiſſe. At vulneratur *inter voces, inter verba*; non cùm pugnat: nam quis pugnantem Ænean percuteret? Secundò, vulneratur eminùs, nam ab volante ſagitta, quis enim cominùs illum feriret? Tertiò, ſagitta pellitur inſtar turbinis, non enim aliter decuit percuti hunc virum. Quartò, incertum eſt, à quo percuſſus, ne ſe quiſquam mortalium iactet tam glorioſo vulnere. Inde illud tribuitur aut caſui, aut Deo; ad eum modum, quo iactatum illud, *aut Cæſar, aut nihil*. Atque ita vir fortis patitur fortunam præliorum, & ſalua eſt perſonæ dignitas.

NOTÆ.

1. DEXTRAM TENDEBAT INERMEM.] Repræſentatur perſona Iulij, qui in Pharſalico conflictu iuſſit à cæde abſtinere, atque illis verbis, *Parcite ciuibus*. Et quidem hæc manus porrectio veluti caſtigatio fuit militum, ad eum modum, quo de Catone dixit Liu. lib. 34. *Adeò turbati erant dexteræ alæ equites, peditéſque, vt quoſdam Conſul manu ipſa reprehenderit*. Volo, venia tua, Lector, etiamſi extra Virgilium, Liuium explicare, vt intelligas, quæ ſit ita *manu reprehenſio*: & explico illum à Plut. in vita Timoleontis, vbi Legatus quidam oſtendit Andromacho manum ὑπτίαν, *ſupinam*, quam deinde inuertens καταστρέψας, ingentes minas effudit. Ac ſtatim Andromachus vicem reddens, & ridens illius minas, in eandem manum intendit, νῦν μὲν ὑπτίαν, ὡς ἐκεῖνος, νῦν δὲ πρηνῆ, *nunc ſupinam, vt ille, nunc pronam & inuerſam*. Ergo manum ſupinam oſtendere, & eandem inuertere, notat minas volentis aliũ ſubiicere, & tanquam manu opprimere. Eò, credo, ſpectatum ab Liuio eſt. vel tu aliud excogita. Sed redeo ad Poëtam. Poſſit etiam repræſentari perſona Achillis. Nam Iliad. 22. tribuitur,

Æneas Iuliũ repræſentat.

Manus reprehenſio, quid ſit.

Λαοῖσιν δ' ἀνένευε καρήατι δῖος Ἀχιλλεύς,
Οὐδ' εἴα ἱέμεναι ἐπὶ Ἕκτορι πικρὰ βέλεμνα,
Μή τις κῦδος ἄροιτο βαλών. ———
Populis autem innuebat capite diuus Achilles,
Neque ſinebat mittere in Hectorem lethiferas ſagittas,
Ne quis gloriam auferret iaculatus. ———

Imitatio.

2. TENDEBAT.] Græci τείνειν, & προτείνειν, quibus Plut. in vita Niciæ opponit συγκαθεῖναι τὰς χεῖρας.

3. NVDATO CAPITE.] Hîc quoque attingit rem Iulij, de quo Plut. de Fort. Rom. ἀφεῖλεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον, καὶ ἀναδείξας ἑαυτόν: *Detracto è capite tegmine ſe ipſum oſtendit*. De eodem Iulio Appianus libro ſecundo ἐμφ. τότε κράνος τῆς κεφαλῆς ἀφαιρῶν, *adempta caſſide è capite*. Sed hoc magnis aliis ducibus in vſu. De Pompeio Plut. in eius vita, ἄνευ κράνους ἠγωνίζετο, *ſine galea pugnabat*. De Paulo Æmilio idem, obequitaſſe aciem ἄνευ κράνους, καὶ θώρακος. De Seleuco in vita Demetrij, τὸ κράνος ἀποθέμενος, καὶ λαβὼν πέλτην, ἀπήντα τοῖς μισθοφόροις ἐπιδεικνύμενος αὑτόν: *Detracta galea, aſſumpta parma, occurrit mercenariis militibus, oſtentans ſe*. De Seuero, & in bello Herodian. lib. 3. ἀκαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ, *apero capite*. De German. Tacit. 2. Ann. *Quò magis agnoſceretur, detraxerat tegimen capiti, orabátque inſiſterent cædibus*. Annibalem, Maſiniſſam, Cyrum, Adrianum ita ſæpe pugnauiſſe alij iam adnotarunt. Lege Carolum Paſchal. lib. 5. Coron. c. 4. vbi longè alium vſum *nudati capitis* adducit, & potuiſſet adiungere Nazianzenum, qui Orat. 1. de Pace ad ſignandam impudentiam dixit, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ.

Manum tẽdere.

Capite nudato magni duces.

Nudum caput notat impudentiã.

4. CLAMORE VOCABAT.] Ioſeph. lib. 7. Bell. Iud. c. 10. ὁ μὲν οὖν Καῖσαρ τῇ τε βοῇ, καὶ τῇ δεξιᾷ διεσήμαινε τοῖς μαχομένοις: *Cæſar autem voce ſimul ac dextera pugnantibus ſignificabat*. Et *clamore* ait ex imagine æui Heroüm, quo à Poëtis illi fingebantur eſſe μεγαλοφωνότατοι, vt loquitur Plut. in vita Alcib. loquens de Thraſybulo. Hom. ſuos Heroas hac gloria afficit, vt à toto exercitu audirentur, vt etiam Dij. Eſt apud Plut. in vita Coriol. ſententia Catonis, qui dicebat militem debere eſſe, non ſolùm fortem manu, ſed etiam τόνῳ φωνῆς φοβερόν, *terribilem vocis contentione*. & in hac re poſitũ magnum victoriæ momentum ſæpiſſimè. Narrat. n. idem Plut. in vita Timoleontis, hunc ducẽ ita altè clamaſſe ſuis militibus, vt ſe ſequerentur, vt videretur vel ipſe paſſus ἐνθουσιασμὸν dum clamaret, vel clamauiſſe δαιμονίου τινὸς συνεπιφθεγξαμένου, *Deo aliquo vnà inclamante*, quã vocem ſecuta eſt victoria. Eurip. in Suppl.

Clamor in bello datus magnis ducibus.

indu

inducit ita clamosum ducem, vt ὥστε χθὼν *terra so-nitum redderet.*

5. Qvo rvitis?] Horat. Od.7.lib.1.
Quò quò scelesti ruitis?

6. Repens discordia.] Claud. *Repens fragor.* Liu.lib.9. *repens aduentus Cons.* & lib.10. *tumultus repens.*

7. O cohibete.] Subauditur fortasse, *per Deos.* nam Græci, ὦ πρὸς θεῶν.

8. Tvrnvm iam debent hæc mihi sacra.] Ita in 11. *fatis debitus Aruns.* Vide ibi.

Stridor, de telo emisso.

9. Stridens.] Claud.2. Eutrop. dixit *stridorem hasta.* Val.lib.3. de hasta Iasonis *certo stridore.* Arist. in Paraplith. εἰλ... σὺν ῥοίζῳ φ... Philost. Iun. in Icon. ... Hom. τ' ἐκζυγὰ λογχῆ. Ait Dio Chrys. Orat.12. hanc locutionem, & pares alias (ipse numerat ποταμοὺς μορμύροντας, βέλη κλαζόμενα, βοῶντα κύματα, χαλεπαίνοντας ἀνέμους *fluuios murmurantes, sagittas stridentes, fluctus clamantes, ventos irascentes*) ait (inquam) has locutiones, & pares alias, natas ab Hom. tanquam θαύματα, & πολλὴν ἐκπληξιν τῇ γνώμῃ ταραχὴν, καὶ θόρυβον, *miracula, & quæ animo perturbationem, & tumultum iniiciunt.* Innuit videlicet hæc omnia esse admodùm tragica. Cùm addit ille etiam hæc ἄτοπα, illi non consentio. Nam quæ in his est absurditas? imò omnia magna, & admiranda.

Sagitta cur alata.

10. Alis allapsa.] An propter velocitatem? Possis hoc ad eum modum, quo Eurip. in Herc. dixit, πτερωτὸν ἔγχος, & mille alij. An quia aptata esset plumulis, vt assolet? Possis hoc quoque. Sed quid si intelligit id genus sagittas, quas Herodian. lib.1. vocat μηνοειδεῖς, *lunatas*, quòd cuspidem habeant aduncam in modum Lunæ? Aut eas sagittas, quibus ἀμφὶ τὸ ἄκρον τῆς αἰχμῆς καμπύλαι τινὲς ἀκίδες ... *ad extremitatem spiculi mucrones quidam adunci vtrimque.* Verba sunt Agathiæ loquentis de angonibus Francorum. Teli genus est. Plin. etiam ita scribit cap.36. lib.16. *Calamis Orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt irreuocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis.* Et Tertul. lib. de Pœn. c. vlt. de re eadem loquens, dixit *irreuocabiles moras.* Itaque accipi potest Poëta de aliquo genere harum sagittarum, vel ex difficultate medici euellentis, quantumuis periti. Subditur enim postea,

Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subuenit.—

11. Sagitta.] Hac percussus Æneas & in femore. Adumbratus fortasse successibus Cn. Scipionis, cuius *femur tragula confixum*, ait Liu. lib.24. Aut Magni Alexandri, qui simile vulnus ter accepit, vt narrat Curt. libris 3.7.& 8. Aut Martis bellorum præsidis, quem

A Hercules percussit in femore, μηρὸν ἐπ' ... vt canit Hesiod. in Scuto. Video etiam multorum nobilium vulnera hac in parte, vt Telephi, cùm percussus est ab Achille, auctore Philostrato in Heroicis: Manlij Consulis in bello contra Hetruscos, auctore Dionys. lib.9. Æneæ ipsius, quem Aiax percussit μυῶνος κατὰ θεῖναι, *supra musculum*, vt lib.3. scribit Calaber: Cambysis, vt Musa tertia scribit Herodot. vnde illi mors: magni illius Cassij Scæuæ, auctore Plut. in vita Iulij: & Iulij ipsius, auctore eodem Plut. qui percussus est à Bruto in Senatu εἰς τὸν βουβῶνα: Arati apud eundem Plut. Furij Camilli, qui vulnus accepit εἰς τὸν μηρὸν, vt idem Plut. scribit: Eteoclis apud Eurip. Phœniss. qui percussus ab fratre κατὰ κνήμην: Philippi patris M. Alexandri, qui Philippus, auctore Oros. cap.13. lib.3. per-

Femoris vulnus per quã celebre.

B cussus est ab Triballis in femore: Luctatij Consulis in pugna ad Drepanum, auctore eod. c.10. lib.4. Ab tot Principibus video nobilitatum vulnus in femore. Neque enim placet Seru. qui Æneæ vulnus non constituit in genu, aut femore, sed in talo pedis. Nam vnde ille elicit? Pro me est Virg. qui postea,

———*quanquam tardante sagitta*
Interdum genua impediunt, cursumque recusant.

Incertus percussor.

12. Incertvm qva pvlsa manv.] Est hoc, quod Nonn. libr.22. καί τις ἐν ἀλλήλοισιν, *quispiam hostium.* Et de vulneratore Alexandri Curt. lib.8. *Quidam e muro sagitta percussit.* Apud Plut. magnus ille Marcellus, qui toties Annibalem vicit, cecidit in bello, vulnere illato ab incerto milite. Itaque non futiliter possum putare Marcelli casum repræsentatum à Virgilio. Bar-

Bartholomæus Morlanius.

C tholomæus Morlanius mihi fama & literis cognitus, non aspectu & colloquio, moribus certè & doctrina clarus, huic Maronis loco adiungebat Apollonium, qui lib.2. Excid. Hieros.

Incertum qua iacta manu delapsa sagitta est.

Et eundem, qui lib.4.

———*facti non cognitus auctor,*
Sed leuis accenso penetrauit lancea ferro.

Itémque Stat. qui 9. Theb.

Induit à tergo Michalesia cuspis Agyrten.
Respexit: nusquam auctor erat.

Auctor vulneris suppressus gloriæ est.

13. Pressa est insigni gloria facti.] Dat Maro Æneæ suo eam gloriam, quam scriptores Ale-

D xandro, qui cùm sæpius vulnera in bello acceperit, auctor vulneris sæpe supprimitur, aut quia verè ignoratus, aut quia id putatum pertinere ad dignitatem magni Principis. Hoc alterum credibilius, nam percussus à Dario in femore, ipse de hac re scribens literas ad Antipatrum, οὐκ εἴρηκεν ὅστις ἦν ὁ πατάξας ait Plutar. in eius vita: *non dixit, quis fuerit percussor.* Inculcant interpretes quæpiam de telis Iuturnæ contra Ænean, quæ ego hîc nolo.

[a] Turnus vt Ænean cedentem ex agmine vidit,
Turbatósque duces, subita spe feruidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltúque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
[b] Multa virûm volitans dat fortia corpora letho,
Seminecés voluit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
[c] Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebri
Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
Bella mouens immittit equos; illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrúmque volant: gemit vltima pulsu

Thraca pedum: circúmque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, Dei comitatus aguntur.
ᵈ Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes ſudore quatit (miſerabile) cæſis
Hoſtibus inſultans: ſpargit rapida vngula rores
Sanguineos, miſtáque cruor calcatur arena.

A

ARGVMENTVM.

Cedit acie Æneas, Turnus animos capit, volitat, proterit, necat multos mortalium, comparatur cum Marte fremebundo.

EXPLICATIO.

ᵃ ÆNEAS acie abiit, vt percuſſus; turbati ſunt duces Troiani: ab hoc ſucceſſu ſpes Turni ſubita, qua *arſit feruidus*. Latet in his Æneæ laus, quē ſolū Turnus timebat, non alium, imò nec totam aciem. Ergo qui, præſente Ænea, nihil eſt auſus; & ad aras *acceſſerat inceſſu tacito*, & *demiſſo lumine*, eo abſente iam eo, veluti certus de victoria, *equos poſcit, atque arma ſimul.* B vix iuſſerat, cùm adducti; & vix adducti, cùm iam ille *emicat ſaltu in currum ſuperbus, & molitur habenas manibus.* Dixit, *ſuperbus*, non ſolùm luculenter, ſed propriè, nam iam *ſuperbus*, qui ſupra currum.

ᵇ Adeſt ſucceſſus, & hic mirè tragicus. Nam quale eſt cernere ab vno homine per acies volitante multos & fortiſſimos letho datos? multos ſemineces prouolutos? tota agmina vnius curru protrita? haſtas fugientum tergis ingeſtas? & notetur aſcenſus poëticus. Magnum eſt *multos* fuiſſe trucidatos, maius integra *agmina* protrita, maximum omnes in *fugam* verſos.

ᶜ. Ab tanta ferocitate cum quo meliùs, quàm cū Marte, Turnum compares? Deum hunc viuidè deſcribit à circumſtantiis loci, ſanguinis, clypei, bello- C rum, equorum, comitum. Loci, nam apud Hebrum Thraciæ, quæ pars terrarum vt ferociſſima huic Deo ſacra, concitari ſolet: ſanguinis, vt quo gaudet: vidit hoc Seruius, nam *ſanguineus Mauors* explicat, αἱμοχαρής: clypei, quo *increpat*: bellorum, quæ *mouet*: equorum, quos *furentes immittit*, & qui ventos etiam volatu ſuperant, gemente extrema adhuc & remota parte Thraciæ ad illorum impulſum: comitum, nam circa illum *Formido, Iræ, Inſidiæ.*

ᵈ Talem te finge Turnum cernere, cùm *alacer inter prælia quatit equos fumantes ſudore*: cùm *inſultat cæſis hoſtibus*, id eſt, inſilit in cæſos hoſtes: cùm equorum illius *vngula ſpargit ſanguineos rores*: cùm *cruor calcatur miſta arena*, indicat videlicet largiſſimum ab D ſtrage Turni cruorem, quo tellus tota humefacta; Germanus explicat λύθρον.

NOTÆ.

1. TVRNVS VT AENEAN CEDENTEM, &c. Similis ſucceſſus fuit in pugna contra Etruſcos ad vulnus Manlij Conſulis, & ille fortaſſe hîc repræſentatus, cùm ſæpe ſoleat Poëta Romanas hiſtorias ſuis verſibus inſerere. Dionyſ. lib. 9. ita: *Quidam telum iaculatus Manlium per genua ad poplitem vſque lancea tranſfixit. Qui circumſtabant eum ſublatum in caſtra aſportarunt. Hoſtes Romanorum ducem occubuiſſe rati, corroborati ſunt: & cùm alij opem ipſis tuliſſent, Romanos duce orbatos premebant.* Neque impedit ad Homeri loca A aſpiraſſe Poëtam. Iliad. 1. ita leges,

Romana hiſtoria repræſentata.

Τειρόμενον βασιλῆα μάχης ἐξ αὖτις ἰόντα·
Ἕκτωρ δ' ὡς ἐνόησ' Ἀγαμέμνονα νόσφι κιόντα,
Τρωσί τε καὶ Λυκίοισιν ἐκέκλετο, μακρὸν ἀΰσας:
Laborantem Regem à pugna longè portantes.
Hector verò poſtquam intellexit Agamemnonem ſeorſim abeuntem,
Troianos Lyciósque hortabatur altè clamans.

Imitatio.

Contrà fit lib. 14. nam
Ἀργεῖοι δ' ὡς οὖν ἴδον Ἕκτορα νόσφι κιόντα,
Μᾶλλον ἐπὶ Τρώεσσι θόρον, μνήσαντο δὲ χάρμης:
Argiui vt viderunt Hectorem ſeorſim abeuntem,
Acriùs in Troïanos inſurrerunt, memineruntque pugnæ.

2. EX AGMINE.] Καταχρηστικῶς: nam *acie* debuiſſet. B Notum enim diſcrimen inter *agmen*, & *aciem*. Sed quia ægrè in Virgilio fero catachreſes, dico hac acie repræſentari agmen, vario curſu, ac diſcurſu. Cedentem ex acie hominem Plut. in Pyrrho vocat ἐκ τῶν μαχομένων ὑποστάντα. & in Bruto ait, ἐκστῆναι καὶ μεθελκύσαι ἐκ τοῦ χάρακος.

3. SALTVQVE.] Eſt altus in Virg. & ad locum editum, & ad locum demiſſum. Prioris rei teſtimonia hîc habes; & ſup. *corpora ſaltu ſubiiciunt in equos.* & in 6. de equo Troiano, *ſaltu ſuper ardua venit Pergama.* Poſterioris in 8. vbi Hercules *ſe iecit præcipiti ſaltu* in ſpeluncam Caci. & in 9. vbi Turnus *præceps ſaltu ſe ſe in fluuium dedit.* & inf. in hoc lib. *è curru ſaltum dedit ocyus aruis.* Æquus ſit Lector erga hæc minutula, cùm illa pertineant ad imitationem Virgilij:

Saltus & in ſublime, & in demiſſum.

C 4 IN CVRRVM.] Intellige ἅρμα πολεμιστήριον, non ἁμιλλητήριον. Ita enim decernit Ariſtides in Orat. ad Mineruam. Itaque aliis eſt currus, qui ſeruit bello; alius, qui certaminibus. Inde reprehendi Homerus poteſt, qui ludos funebres Patroclo dedit iiſdem curribus, quibus pugnatum in bello fuerat.

Currus duplex.

Homeri vitium.

5. MANIBVS MOLITVR HABENAS.] Noluit obuium aliquod, quale Propertianum Eleg. 8. lib. 4. *frena mouere.* Nec minùs exquiſitè in 5. *vndantia frena concuſſere.* Cùm ait *manibus*, notat etymon, nam *habenæ* dictæ quòd habeantur manibus.

Habenas moliri.

6. VOLITANS.] De Achille Ilia. 22. πέτετο: *volabat.*

7. AGMINA CVRRV PROTERIT.] Stat. deſcribens domum Martis, inter alia, quæ ibi formidanda, tum *protritáque curribus ora.* Quaſi hac vna re belli carnifi- D cina aptè exprimatur.

Curru protercre.

8. RAPTAS FVGIENTIBVS INGERIT HASTAS.] Cal. lib. 1. ...ε δ' αἶψε φεύγοντας. Plut. de Coroliano, ἐφείπετο τοῖς φεύγουσι. & *ingerit* ait ad notandā frequētiā; vt Catull. *Ingere mi calices amariores.* id eſt, ἀθρόον πολὺν ἐγχεῖσθαι, ait ab Xenoph. 8. παιδ. Achilles Stat.

Ingero notat frequentiam.

9. QVALIS APVD GELIDI, &c.] Incredibile, quantū locupletauerit Homeri inopiā. Nā 13. Iliad. tātùm
Οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισι:
Qualis pernicioſus Mars it ad bellum.
Et Iliad. 7.
Σεύατ' ἔπειθ', οἷός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης,
Ὅς τ' εἶσι πόλεμον δὲ μετ' ἀνέρας: ———
Irruit deinde, qualis ingens vadit Mars,
Qui it ad bellum contra viros. ———

Virgilius ditat Homeri inopiam.

Tu confer vtramque operam. Iaque Silius lib.1.relicto Homero, A

Quantus Bistoniis latè Gradiuus in oris
Belligero rapitur curru, telúmque coruscans,
Titanum quo pulsa cohors, flagrantia bella
Cornipedum afflatu domat, & stridoribus axis.

Neque abit flatus Claud. I. Eutrop.

Ecce autem flauis Gradiuus ab vsque Gelonis
Arua cruentato repetebat Thracia curru:
Subsidunt Pangæa rotis, altique sonoro
Stridunt axe niues. ———

Mars gaudet sanguine. 10. SANGVINEVS MAVORS.] Ouid.lib.1.Rem. *sanguinei Martis*. De illo Orph.in Hym. αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων. Stat.de eo 7.Th. *in sanguine gentis luxuriat*. Inde idē Martis itas *rubente* nominat. Hesiod.Scut. de eodem, αἵματι φοινικόεις. Æschil.Suppl. βροτολοιγὸς Ἄρη. Quo attributo vsus Hom. sæpe, & Opp.1. Cyn. B Ab Liuanio φιλαίματος dicitur, quod idem cum Homerico αἱμοχαρὴς. Et hæc quidem nota est pugnacissimorum. Pugnacissimorum nota. De minore Africano, cùm adhuc iuuenis, ait Plut. in vita patris Æmilij, αἵματος καινῶ πολεμίων ἀνάπλεως, ὥσπερ σκύλαξ γεννάιος: *Recenti hostium cruore oppletus, sicut generosus catulus* & statim dat illi ἡδονὴν ἀκρατῆ in sanguine, vt quise ad satietatem & cum voluptate in cruorem immergeret.

Clypeum quatere, quid notet. 11. CLYPEO INCREPAT.] Explica, Martem ciere strepitus illisa hasta in clypeum. Nam Philost.in Heroïc. loquens de Aiace βαίνων τε σοβαρὸν μετὰ τῆς αἰχμῆς πρὸς τὴν ἀσπίδα ἐδούπησε: *superbéque cum hasta incedens strepitum ad clypeum edidit*. Dio Cassius lib. 36. de pugna Pompeij cum Mithridate, οἱ μὲν τὰ δόρατα πρὸς τὰς ἀσπίδας προσέκρουον: *scuta hastis ad sonitum incutiebant*. Et esse hunc habitum iræ Ammian. scribit lib.14. *hastisque (miles) feriens scuta, qui habitus iram pugnantium conciitat*. Notentur verba eiusdem lib. 15. ita distinguentis de duplici strepitu clypei: *scuta genibus illidentes, quod est prosperitatis indicium plenum; nam contrà, cùm hastis clypei feriuntur, iræ documentum est, & doloris*. C

12. FVRENTES IMMITTIT EQVOS. Stat.3.Th. inter notas furentis Martis facit illum intonantem axe, & vrgentem currus.

Equorum velocitas. 13. ANTE NOTOS, ZEPHYRVMQVE VOLANT.] Facit equos πτηνοὺς τοῖς ποσί, vt loquitur Philost. in Heroïc. *volucres pedibus*, vt quibus ἡ δίνη τῶν τροχῶν σπουδῆς ἔμπλεως, vt idem loquitur 1. Icon. *vertigo rotarum plena est celeritatis*. Ceterùm de hyperbole, qua, quæ sunt velocissima, dicuntur ventos superare, alibi à me. Tu hîc nota pulchram poësin. Infrà in hoc lib. *venti anteuolant nimbos*. hîc iam ventos ipsos equi, qualis ergo horum celeritas? D

Gemitus terræ. 14. GEMIT, &c.] Ambitiosi in hac re Poëtæ vel ad ostentandam poëticam, vel ad excitandam admirationem. Hesiod.Scut. περὶ στενάχιζε δὲ γαῖα. Iterum. τῶν δ' ὑποσευομένων καναχίζε πόδ' ἱερὰ χθών. & in Theog. γῆ ἐσμαράγησεν. Hom.Iliad. 20. κάρκαιρε δὲ γαῖα ποσσὶν ὀρνυμένων. Calab.lib. 2. ἐλελίζετο γαῖα. & γαῖα δ' ἐπεσμαράγησε. Latini pari ostentatione. Valer. Flacc.lib.4 *Auia responsant gemitu iuga*. & lib.6.

Ipse rotis gemit intus ager, tremebundáque pulsu
Nutat humus, quatit vt sæuo cum fulmine Phlegram
Iuppiter. ———

Retuli, vt vidisti, ad ambitionem Poëtarum, qua solliciti vel de ostentatione, vel de admiratione: sed possim ad veritatem, scribente Plin.lib.2.c.94. *Quædam verò terræ ad ingressus tremunt, sicut in Gabiensi agro, non procul vrbe Roma, iugera fermè ducenta, equitantium cursu.*

Thraca 15. THRACA.] Græcorum forma, qui Θρήκη. vt etiam Val.1.Arg. *Thraca palus*.

Formido atra. 16. ATRÆ FORMIDINIS ORA.] Lucret.lib. 4.

Impendent atræ Formidinis ora supernè.

Sed cùm idem Lucret.lib.3.scripserit,

Est & frigida multa comes Formidinis aura,

Lectio Virgiliana. sunt qui in Virg. *aura* potiùs, quàm *ora* velint, nam πενθικώτερον ait Germ. Sed me isti in castra non ducunt sua.

Martis comitatus. 17. IRÆQVE, &c.] Inter comitatum Martis adhibet Formidinem, Iras, Insidias. Stat. longissimus est in his comitibus explicandis, cùm describit lib. 7. domum Martis. Adhibet ibi *Nefas*, *Iras*, *Insidias*, *Metus*, *Mortem*, *Impetum*, & similia. Ab Pind. (citante Plut. de Fraternitate) ἀλαλὰ πολέμου θυγάτηρ dicitur, *Tumultualtio belli filia*. Agath.lib.1. Histor. ait fingi à Poëtis pestes has, vt insuperabiles. Numerat ille φόβον, ἐνυώ, ἄτην, ἔριν: *Timorem, Enyo, Athen, Contentionem*. Hesiod. Theogon. ita scribit,

——— Ἄρηι
ῥινοτόρῳ Κυθέρεια φόβον, καὶ Δεῖμον ἔτικτεν
Δεινούς, οἵ τ' ἀνδρῶν πυκινὰς κλονέουσι φάλαγγας:
——— *Marti*
Clypeos dissecanti Venus Timorem, & Metum peperit
Graues, quique turbant densas virorum phalangas.

Stat. laudato loco vnum ante alios Martis comitem *Pauorem* longissimè describit. Lege ibi. His & aliis pestibus habiti à Gentilibus honores, vt Diis. *Dedicauit Hostilius* (Senecam adduco in fragmentis) Pauor, & Pallor inter Deos. *Pauorem, atque Pallorem teterrimos hominum adfectus*. Sed de his & aliis Martis aut comitibus, aut liberis locutus sum 8. Æneid. & in Georg.

18. ALACER.] Militaris & ferox, μάχιμος, καὶ πρόμος, vt loquitur Hom.

Fumus, de sudore. 19. FVMANTES SVDORE.] Val.4.Arg. *fumant crebro præcordia pulsu*. Crassam illam nebulam, quæ ex sudante erumpit, vocat propriissimè *fumum*. Non abit locutio Quintil. Declam. 291. *Non possum illam manum videre, quæ fumare mihi adhuc filij mei sanguine videtur.*

Imitatio. 20. SPARGIT RAPIDA VNGVLA RORES SANGVINEOS.] Sic ab Hom. I. 11. adhibētur ab equorū vngulis guttæ cruentatæ, ἀφ' ἱππείων ὁπλέων ῥαθάμιγγες. & præcesserat, αἵματι δ' ἄξων νέρθεν ἅπας πεπάλακτο. In quibus totus axis cruore inquinatus. Agnoscit Macrob. parem splendorem in vtroque Poëta: sed Scal. censet additum à Virg. splendorem grandiloquentiæ.

[a] Iámque neci Sthenelúmque dedit, Thamyrímque, Polúmque,
Hunc congressus & hunc, illum eminùs: eminùs ambos
Imbrasidas, Glaucum, atque Ladem; quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribúsque onerauerat armis,
Vel conferre manum, vel equo præuertere ventos.
[b] Parte alia, media Eumedes in prælia fertur

Antiqui proles bello præclara Dolonis,
Nomine auum referens, animo manibúsque parentem.
[c] Qui quondam castra vt Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio, nec equis aspirat Achillis.
[d] Hunc procul vt campo Turnus conspexit aperto,
Antè leui iaculo longum per inane secutus,
Sistit equos biiugos, & curru desilit, atque
Semianimi lapsóque superuenit, & pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit iugulo, atque hæc insuper addit.
En agros, & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens; hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.
[e] Huic comitem Buten coniecta cuspide mittit,
Chloreáque, Sybarímque, Daretáque, Thersilochúmque,
Et sternacis equi lapsum ceruice Thymœten.

ARGVMENTVM.

Enumerat viros duodecim, quos variis mortibus vnus interfecit Turnus, iam eminùs, iam cominùs.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT multos datos letho à Turno, protritos curru, confixos hastis; narrat iam singulatim has tragœdias. Primò interficit Sthenelum, Thamyrin, Polum: extremos duos cominùs, nam facta cum illis impressione, primum Sthenelum eminùs: interficit etiam eminùs Glaucum, & Ladem filios Imbrasi Lycij, quos pater ad bellum miserat ornatos & oneratos armis paribus, quibus vterentur: vel cominùs, nã hoc est, *vel conferre manum*: vel eminùs, nam hoc est, *vel equo præuertere ventos*. Ita concipio sententiam, alius vt volet. nam aliter insipidus mihi videretur Poëta. Est quippe necessaria celeritas ad pugnandum eminùs. fit enim iaculatio dum per aciem discurritur. Potest etiam concipi sententia hac ratione. vt *conferre manum* sit pugnare peditatu, *equo præuertere ventos*, equitatu.

[b] Eumedis mortem multis dilatat. Erat hic filius Dolonis, nepos Eumedis. Inde *nomine auum* referebat, patrem *animo ac manibus*, id est, imbecillitate & ignauia. Inde illud, *bello proles præclara Dolonis*, accipio irrisoriè & ironicè. Etenim qui legat timorem Dolonis apud Hom. 10. Iliad. & mortem satis ingloriam: & deinde consideret mortem filij in hoc loco plenã etiam ignominiæ; videbit nihil de patre & filio dici præclarum posse. Vide Notã meam quintam.

[c] Narrat ex occasione successum patris includens versibus quatuor magnam partem libri decimi Iliados, credo, vt Homerum doceat luxuriam castigare. Iuit Dolon ad speculandas res Græcorum missus ab Hectore, postulatis priùs in pretium facti equis Achillis. Ad speculandas etiam res Troianorum venerant Diomedes & Vlysses, à quibus interfectus est Dolon, imò ab solo Diomede, ideo hîc huius tantùm mentio. Ergo ait Poëta, qui ausus est pretium tantum poscere, pretium aliud inuenit, id est, mortem. Nam *affecit pretio*, irrisoriè dictum.

[d] Ab successu patris pergit ad successum filij. Vidit illum Turnus *aperto in campo*, id est, vbi non conferti milites, *secutus iaculo* illum est, quo percussus Eumedes lapsus est penè semianimis. Tum Turnus curru desiliens *semianimi ac lapso superuenit*, ac statim collũ illius pede impressit, extortóq; Eumedis gladio, eo ipso illum iugulauit. Addidit etiam vocis contumeliam. Agros nostros voluisti, habes iam illos, metire ad gustum dum iaces. Hoc præmij auferunt, quibus audacia in me.

[e] Numerat sex alios, quos Turnus interfecit, & omnes, vt indicat, eminùs. Est equus *sternax*, ferox, & qui sessorem sternit, atque excutit.

NOTÆ.

1. NECI STHENELVM DEDIT.] Ita sup. *dat fortia corpora letho.* Sulpit. Seuer. lib. 1. Sac. Histor. *Multa hominum millia letho dedit.* — Dare neci.

2. HVNC CONGRESSVS ET HVNC, ILLVM EMINVS.] Notetur oppositio inter voces *congredi*, & *eminùs*. Est enim *cõgredi* ἐλθεῖν εἰς χεῖρας, vt Hom. loquitur: vel συνάπτειν χεῖρας. quod nihil aliud quàm *cominùs pugnare*. — Oppositio.

3. AMBOS IMBRASIDAS.] Seru. legit *ambo*. potest, nam ita olim. Firmat ab Terentio, qui, *ambo opportunè vos volo.* — Lectio Virgiliana

4. EQVO PRÆVERTERE VENTOS.] De hac hyperbole alibi. Retuli explicationem ad pugnam, quę fit eminùs. Nam hæc sæpe fit cũ fuga, cũ procursu, & recursu, ad eum modũ, quo de Achille Pind. 3. Nem. — Fuga in pugna, quæ fit eminus.

Βραχυσίδαρον ἄκοντα πάλλων,
ἶσα τ' ἀνέμοις:——

Breuis ferri iaculum vibrans, & par ventis, Et quo de Coriolano Plut. ἄπιστον ἀγῶνα λέγεται, καὶ χειρὸς ἔργοις, καὶ ποδῶν τάχει, καὶ τόλμῃ καὶ ψυχῆς ἀγωνισάμενος ἐν τῇ πόλει. *Pugnam dicitur incredibilem manus promptitudine, pedum velocitate, atque ardore animi in oppido edidisse.*

5. PROLES BELLO PRÆCLARA DOLONIS.] Macrob. lib. 5. c. 16. ait, Virgilium sæpe desciscere ab Homero in fabulis, aut historiis. In fabulis, nam *Ægeon*

apud Homerum auxilio est Ioui, hunc contra Iouem armant versu Maronis. In historiis, nam *Eumedes Dolonis proles bello praeclara, animo manibúsque parentem refert, cùm apud Homerum Dolon imbellis sit.* Ita ille expedit. Non placet. aliter explicui. Etenim si viderem in hoc loco egregium aliquod Eumedis facinus, & mortem gloriosam, recurrerem ad explicationem Macrobij: cùm secus videam, rem totam refero ad ironiam. Ergo ita hîc *proles praeclara*, vt in 11. *capias vt digna Camillae Praemia*, εἰρωνικῶς. Id etiam coniici potest ex sequente illo, *affecit pretio*, vbi mera est ironia. Hoc nisi placeat, explico aliter, & credo verissimè; videlicet, vt mentio illa *antiqui Dolonis* non sit de Dolone Homerico exploratore, sed de antiquiore alio, qui in ea familia Dolon appellatus fuisset, & fortasse qui fuisset princeps generis. Huc me ducit nomen ipsum *antiquitatis*. Etenim pater Eumedis dici congruè nequit *antiquus Dolon*. Huc confero Euripidē, apud quem in Rheso Hector ita alloquitur Dolonem exploratorē,

Macrobij error.

Dolon Virgilianus quis.

> Ἐπώνυμος μὲν κάρτα, καὶ φιλόπολις
> Δόλων; πατρὸς γὰρ, καὶ πρὶν εὐκλεᾶ δόμον,
> Νῦν δὶς τόσως ἔθηκας εὐκλεέστερον:
> *Habes valdè conueniens nomen rei*
> *Dolon, patris verò domum & priùs nobilem,*
> *Nunc multò reddis nobiliorem, augens duplici gloria.*

Vides, vt iā nobilis fuisset ea familia. Ergo ait Poëta: Erat Eumedes, si principium generis, & antiquū Dolonem spectes, bello praeclarus; si auū, referebat eius nomen; si patrem Dolonem, erat animo imbecilli.

6. QVI QVONDAM, &c.] Habentur haec Iliad. 10.

7. SPECVLATOR.] Discrimen inter hunc, & *exploratorem* hoc adhibet Festus: *Speculator ab exploratore hoc distat, quòd speculator hostilia silentio perspicit, explorator pacata clamore cognoscit.* Itaque, ille in armis, hic in pacē; ille taciturnus, hic clamabundus. Hinc disces, quid propriè sit *ploro*, videlicet dolorem voce flebili, & publicè ostentare. Rem à compositis discimus. Nam *explorare* olim fuit exclamare, vt ibid. Festus. & *implorare* publicum quidpiam dicit, vt in 7.

Speculator, & explorator in quo differant.
Ploro, quid propriè.
Explorare, id est, exclamare olim.

> *Implorántque Deos, obtestantúrque Latinum.*

Inde propriè Horat. ad Pison.

> *Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,*
> *Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.* ——

Conducti enim ad funera dolorem ostentabant.

8. AVSVS PELIDAE, &c.] Petit his versib. Iliad. 10.

> Ἀλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καί μοι ὄμοσσον,
> Ἦ μὲν τοὺς ἵππους, καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ
> Δωσέμεν, οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα:
> *Sed age sceptrum mihi porrige, ac mihi iura,*
> *Equos certè, & currus variatos aere*
> *Daturum, qui ferunt praestantem Pelidem.*

Loquitur videlicet Dolon cum Hectore. Sed Poëta signarè dixit, *ausus poscere*, respiciens ea, quae ad Dolonem Vlysses.

> Ἦ ῥά νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμὸς
> Ἵππων Αἰακίδαο δαΐφρονος: ——
> *Certè tibi magna dona affectabat animus,*
> *Equos Aeacidae bellicosi.* ——

Ergo, *ausus*, quia homo nihili in bellatoris viri currus animum intendit. Ouid. dixit Eleg. 4. lib. 3. Trist.

Ausus.

> *Non foret Eumedes orbus, si filius eius*
> *Stultus Achilleos non adamasset equos.*

Quod Virg. per *audaciam*, hic per *stultitiam*.

9. NEC EQVIS ASPIRAT ACHILLIS.] Credo Poëtam locutum cum respectu ad ea quae passus Dolon sub ipsum mortis articulum. Inducitur enim βαμβαίνων, *balbutiens*; & cui ἀραβος ὀδόντων, *stridor dentium*; & χλωρὸς ὑπαὶ δείους, *pallidus prae timore*; & δακρύων, *lacrymabundus*. Quasi dicat Poëta: Quàm longè

Timoris notae.

A tunc aberant magni illi spiritus, quibus ad Achillis equos aspirabat?

10. IACVLO SECVTVS.] Non alia certè mens Poëtae (nemo hoc vidit) quàm proponere in exitio Eumedis mortem consatalem patri Doloni. Vt enim pater Dolon voluit mortem vitare fugiendo, sed Diomedes, vt illum sisteret, hastam intorsit, ac tunc ille constitit: ita Turnus filium Eumeden priùs hasta sequitur, quem ita retentum mox interficit.

Eumedis mors consatalis patri.

11. LONGVM PER INANE.] Ouid. 4. Eleg. lib. 1. Trist. *vacuas auras.*

Longum inane.

12. LAPSOQVE SVPERVENIT.] Tale illud 10. *Lapsúmque superstans immolat.*

13. ET PEDE COLLO IMPRESSO.] Ita in 10. *Tum super abiectum posito pede nixus.* & sup. in hoc lib. *Im-*
B *pressóque genu nitens.* De Polluce supra Amycum Valer. lib. 4. *Ac superinsistens.* Sed de hac contumelia dixi, nec (credo) semel.

Pede premere.

14. DEXTRAE MVCRONEM EXTORQVET.] Si ita legas, *dextrae* erit ipsius Eumedis. Si *dextra*, vel Eumedis, vt dicat, torquet ex dextra: vel Turni, qui dextra sua gladium ab alio extorsit.

15. EN,] Graecis ἤν, & ἠνὶ est *ecce*, idem quod ἰδού. Vnde apparet promanasse Latinum *en*; & producitur syllaba, quia Graeci ἤν.

16. AGROS.] Allusum ad morem, quo duces victores suis militibus agros hostium diuidebant. Plutarchus de Timoleonte, καὶ ψηφισάμενοι αὐτοῖς ἐξακισμυρίοις τὸ πλῆθος, τὴν μὲν χώραν διένειμαν, τὰς δὲ οἰκίας
C ἀπέδοντο χιλίων ταλάντων: *vt sexaginta millium expleuit numerum, diuisit his agrum, & aedificia mille talentis distraxit*, &c. Idem in vita Alexandri, ait hunc ducem distribuisse suis τοῖς μὲν ἀγρὸν, τοῖς δὲ κώμην: *huic agrum, illi pagum.* Augustus, atque Antonius (ait idem in vita Bruti) ὀλίγου δεῖν πάσης Ἰταλίας τοὺς παλαιοὺς οἰκήτορας ἐξελαύνοντες, ἵνα χώραν ἔχοιεν (στρατευόμενοι) καὶ πόλεις τὰς μὴ προσηκούσας λαβόντων: *Omni penè Italia veteres exegerunt cultores, vt agrum suis militibus, & oppida darent aliena.* Spectauit hanc rem Lucan. notissimis illis,

Agri hostiū diuidebantur militibus victoribus.

> ——— *querura dabuntur.*
> *Quae noster veteranus aret?* ———

Et alibi:

> *An melius fient piratae Magne coloni?*

17. HESPERIAM METIRE IACENS.] Sarcasmos iste, id est, amarulenta & acerba dicacitas, atque hostilis irrisio mori recepto innititur. Terrā enim non
D emimus, nisi priùs metiamur. Ergo irridens ait: Corpore tuo metire terram quam petisti. Ita in 10. *Istic nunc metuende iace.* & ibidem,

Metiri terram.

> *Hac dabitur dextra tellus quaesita per vndas.*

Quem ad locum multa iam contuli. Vide.

8. PRAEMIA.] In partem deteriorem. Sic in 11 *capias vt digna Camillae Praemia*, id est, mortem. Et Priamus ad Neoptolemum 2. Aeneid.

Praemium in malam partem.

> *Dij, si qua est caelo pietas, quae talia curet,*
> *Persoluant grates dignas, & praemia reddant*
> *Debita.* ——

Et sup. Tydides Dolonem *affecit pretio.* Sic & *donum* in malam saepe partem, quod alibi obseruatum. Ita &
E Graeci τιμὴν καὶ τίμημα in malam partem. vt & Virg. 1. Aeneid. *Hic pietatis honos?*

19. STERNACIS.] Vt mordacis. Iuris Cons. vocant *calcitronem.* Iul. Scal.

Sternax equus, & Calcitro.

20. LAPSVM CERVICE.] Herodot. Musa 7. καὶ ὁ ἵππος ὑποπίπτων ἐφ' ἐωυτοῦ τε, καὶ στὰς ὀρθὸς ἀποσείεται τὸν Φαρνούχεα: *Equus improuisò deterritus, & erectus in pedes excussit Pharnuchem.* Plutarchus in Pyrrho, κατέβαλε (ἵππος) συνδιανιστὰς τὸν Πύῤῥον. Sed similes ruinas dedi in 10.

[a] Ac velut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto
Inſonat Ægæo, ſequitúrque ad littora fluctus;
Qua venti incubuêre, fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quàcumque viam ſecat, agmina cedunt,
Conuerſæq; ruunt acies: fert impetus ipſum,
Et criſtam aduerſo curru quatit aura volantem.
[b] Non tulit inſtantem Phegeus, animiſq; frementem;
Obiecit ſeſe ad currum, & ſpumantia frænis
Ora citatorum dextra contorſit equorum.
[c] Dum trahitur, pendétque iugis, hunc lata retectum
Lancea conſequitur, rumpítque infixa bilicem
Loricam, & ſummum deguſtat vulnere corpus.
[d] Ille tamen clypeo obiecto conuerſus in hoſtem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat.
Quem rota præcipitem, & procurſu concitus axis
Impulit, effudítque ſolo: Turnúſque ſecutus
Imam inter galeam, ſummi thoracis & oras,
Abſtulit enſe caput, truncúmque reliquit arena.

A

ARGVMENTVM.

De Phegeo poſt duodecim illos interfectos ſermo vberior, præmiſſa prius comparatione, quâ Turni virtus illuſtratur.

EXPLICATIO.

[a] APTISSIMA comparatio ad Turni virtutem indicandam. Flantem Boream fugiunt nubila, inſtantem Turnum fugiunt hoſtes. Expende, vt dixerit, non *Boreas*, ſed *ſpiritus Boreæ* circuitione poëtica. & *Boreæ Edoni*, id eſt, Thracij, nam Edon mons eſt Thraciæ. Hic verò Borealis ſpiritus *inſonat*, perſtrepitque *alto Ægæo*, quo ſpiritu impellente *fluctus ſequitur ad littora*, atque ita fit, vt qua venti incumbunt, fugiant nubila: *ſic cedunt Turno agmina, & ruunt conuerſæ acies, quacumque* ille *viam ſecat*. Et adiicit, *impetus fert ipſum* impotentem ſui, vt rapitur ſpiritus Boreæ. Ac dum *aduerſo curru* fertur *aura* (mira eſt poëſis) *quatit*, commouetque *volantem criſtam*. B

[b] Sequitur virtus Phegei, & mors. In hac re deſcribenda graphicus eſt Poëta. *Non tulit Phegeus inſtantem* Turnum, *frementémque animis*. Itaque *obiecit ſeſe ad* illius *currum*, & incredibili virtute *contorſit dextrâ ora ſpumantia concitatorum equorum*, apprehenſis *frænis*. Magna certè opus fuit virtute ad detorquendos à curſu equos, flectendóſque aliam in partem, & inhibendum illorum impetum. C

[c] Subobſcurum hoc, & ita explicandum. Pertinax fuit Phegeus in torquendis equis, illi eundem trahebant, vt qui feroces. Itaque Phegeus dum *trahitur*, ac proinde videbatur veluti pendere è iugo inter ipſos equos: ac tum *lancea* miſſa à Turno illum *conſequitur retectum*, id eſt, patentem ad ictus inter equorum capita. Adhibet effectum ictus. *Rumpit loricam bilicem*, & tantùm *deguſtat vulnere ſummum corpus*, quia leuiter percuſſus eſt Phegeus, & perſtrictus morſu lanceæ tenuiſſimo.

[d] Quid tum Phegeus? eadem virtute, qua equos retinuerat, *conuerſus in hoſtem ibat clypeo obiecto, & petebat* ſibi *auxilium ducto mucrone*, id eſt, educto & nudato gladio. Dum verò totus pugnandi feruore intentus in Turnum eſt, miſerè protritus eſt ab rota & axe, concitantibus ſe equis; ac tunc Turnus deſiliens curru caput illi amputauit, immerſo gladio in iugulum inter imam galeam, & ſummas thoracis oras. Ita moritur Phegeus edito prius ingenti facinore.

NOTÆ.

1. AC VELVT EDONI BOREÆ.] Ita legendum, non *Edonij*. Sic & Stat. Lectio Virgiliana

Triſtius Edonas hyemes, Hebríumque niualem.

Lucanum enim, qui dixit,

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo,

ad ſyſtolem & licentiam Seruius reiicit. Ceterùm ad ſententiam pertinet verſus Calabri lib. 2. qui Achillis furorem comparat cum vento omnia ſubuertente, profligante, quaſſante.

2. ALTO INSONAT ÆGÆO.] Euripides dixit, αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος: *Ægæum ſalſum profunditatem*. De hoc mari dixi iam tertia Æneide. τὸ *inſonat* arripuit Ouidius Elegia decima lib. 3. Triſtium; *Boreas iactatis inſonat alis*. Plutarchus in vita Alex. vt clamorem Perſarum explicet eſſe vltra modum, καθάπερ ἐξ ἀχανοῦς προσήχει πελάγους: *inſonat veluti ex vaſto pelago*. Ægæum altum.

3. SEQVITVRQVE AD LITTORA FLVCTVS.] Ab hoc ductu & cõparatione non abit ab illa quæ eſt 3. Geor. de tauro ruente aduerſum hoſtẽ ſuũ. Lege ab illo verſu, *Fluctus vt in medio*, &c. vbi ego iam multa. Eſt apud Plut. in vita Pyrrhi eadem comparatio. Ῥωμαίων δὲ ἐρείδειν κύμασι κατὰ ἀντίλας, οἰομένων δ' αὖ ἐξι- Fluctus cõparatio.

 σταθεῖς:

γενέσθαι: *Romani quasi irruptioni fluctuum putauerunt sibi cedendum.*

Boreas fugat nubila.

4. FVGAM DANT NVBILA COELO.] Respicit attributum Boreæ, qui à Poëtis αἰθρηγενὴς dicitur, vt qui serenum cœlum reddat. Hippocrat. etiam lib. de Morb. Sacro, ita scribit. ὁ μὲν γὰρ βορέης ξυνίστησι τὸν ἠέρα, καὶ τὸν θολερόν τε, καὶ τὸ νεφῶδες ἐκκρίνει, καὶ λαμπρότερον καὶ διαφανέα ποιέει: *Boreas aërem quidem cogit, turbulentum ac nebulosum secernit, limpidum & lucidum reddit.* Eodem pertinet scribi ab Aristotele in Problem. mare, flante Borea, reddi perspectius & lucidius, ἐν βορείοις εὐδιοπτοτέρα ἡ θάλαττα.

Imitatio.

5. SIC TVRNO, QVACVNQVE, &c.] Par illa strenuitas Diomedis apud Hom. 5. Iliad.

> ὣς ὑπὸ Τυδεΐδῃ πυκιναὶ κλονέοντο φάλαγγες
> Τρώων, οὐδ' ἄρα μιν μίμνον πολέες περ ἐόντες:
> *Sic ab Tydide densæ turbabantur phalanges*
> *Troianorum, neque ipsum sustinebant, multi tametsi essent.*

Secare viam.

6. VIAM SECAT.] In 6. *Ille viam secat ad naues.*

Ira impotens.

7. FERT IMPETVS IPSVM.] Indicatur Turnus sui in bello impotens fuisse, quod de Pelopida Plut. *οὐ κατέσχε τοῦ λογισμοῦ τὴν ὀργὴν: non retinebat ratione iram.* Nam statim ad visum hostem, τῷ θυμῷ προέμενος τὸ σῶμα, καὶ τὴν τῆς ὅλης πράξεως, πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἐξαλλόμενος ἐφέρετο: *corpus & imperium rei gerendæ committens iracundiæ ante primam aciem inuectus prouolabat.* Hanc virtutem vltra omnem virtutem vocat Nonnus lib. 21. μένος καὶ θάρσος ἀρειμανές: *robur & insanam Martis confidentiam.*

8. CRISTAM QVATIT AVRA VOLANTEM.] Val. 5. Arg. *incita cristas Aura quatit.* Stat. 6. Thebaid. *flamésque reflectit Aura iubas.*

Spumans.

9. SPVMANTIA.] Ipse in 4. *frena spumantia.* in 11. *spumantem equum.* Ouid. 6. & 8. Metamorph. *spumantia ora.*

10. CITATORVM.] Attius Eurysace, *Reprime parumper citatum quadrupedem.* De leoninis versibus, qualis hic est, & quare ita dicantur, dicebam alibi. Nemo eos versus vitiosos in Marone iudicet, nam eius iudicium supra omnes censores.

11. DEXTRA CONTORSIT.] Vastissimæ vires indicantur. Nam quale est currentes equos inhibere, & torquere quò velis? Equum vnum volantem in medio cursu substitisse ad impressionem Hispani viri historiæ nostræ narrant. Quanto erit vastius iunctos curru equos tardare, aut flectere? Ait enim Plut. in Pelopida, ἵπποι θᾶττον ὑπὸ ζεύγους θέουσιν, ἢ καθ' αὑτοὺς ἐλαυνόμενοι, θέουσι: *Equi pernicius ruunt iuncti ad currum, quàm seorsim acti.* Et reddit rationem, non quia seorsim velociores non sint, sed quia συμπίπτοντες τὸν θυμὸν ἡ μετ' ἀλλήλων ἅμιλλα, καὶ φιλόνεικον, *mutua contentio & ambitio feruorem inflammat.*

Equi iuncti perniciores.

12. PENDETQVE IVGIS.] Plutar. dixit (citat Germ.) προσηρτημένος ἐπὶ ζυγῷ.

Lancea Hispanorum.

13. LANCEA.] Genus Hispanici hastilis, quod Græcis λόγχη. Et non esse vocem Latij, sed Hispanię ex Varrone adducit Agell. lib. 15. c. 30. Eius meminit Liu. sæpe, Ammian. lib. 24. Apul. 8. Plin. libro 1. epist. Notat à Plinio Lazius lib. 4. Comm. c. 15. lanceas antiquo Romano verbo dici *lucidlea*; & ego proprietatem epitheti: verè enim lancea *lata* erat.

Lucullea.

A Plutar. de lancea illa, qua interfectus magnus Imperator Marcellus. Μάρκελλον δέ τις λόγχῃ πλατείᾳ διὰ τῶν πλευρῶν διήλασεν: *Marcellum quispiam per latera lata transfixit.* Itaque non dissimilis magnitudine sarissis Macedonum, quas idem Plut. in Sylla vocat μακράς.

Lancea lata.

14. CONSEQVITVR.] Ita sup. *iaculo secutus.* Græci δορύληπτον dicunt, quem hasta assequitur.

Sequi, & consequi hasta.

15. SVMMVM DEGVSTAT VVLNERE CORPVS.] Indicat strictum fuisse leuiter corpus, ideo *degustat*, & *summum*, quod Plut. in vita Alexand. dixit, πρώτων ψαῦσαι τριχῶν, *primos capillos perstrinxisse.* Itaque πρώτων, & *summum* sibi in hac re respondent. De hoc genere vulneris alibi à me, & plenè. Hîc tantùm de verbo Virgil. quod accepit ab Hom. Hic enim B 21. Iliad.

Degusto, de leui vulnere.

> Ἀλλ' ἄγε δὴ καὶ δηϊὸς αἰχμῆς ἡμετέροιο
> Γεύσεται:———
> *Sed age iam & hastæ spiculum nostræ*
> *Gustabis.*———

Gusto, de vulnere, & de

Neque abit verbum eiusdem Hom. eodem lib.

> Ἰθὺς ἐμεῦ ἔβαλες, δὲ χρόα καλὸν ἔδαψας:
> *Rectà in me* (hastam) *impulisti, & pulchrum corpus momordisti.*

Igne.

Verbum Maronis de ignibus vsurpauit Lucret. lib. 2. *Ignes* (inquit) *degustant tigna.* quia videlicet ignes dicuntur *vorare* Græcis, & Latinis. Hasta etiam apud Nostrum lib. 11. *bibit cruorem*, quem locum vide. Verbum Virg. Græci vsurpant pari fermè significatio; vt C cùm Plut. in Sylla dixit, τῶν τιμῶν γευσάμενος, *gustans honores.* Et Eurip. in Alcest. οἷον πένθος τόδε γεύομαι: *amarum hunc dolorem gusto.* Et Tacitus 6. Annal. vt breuissimum Imperium Galbæ significaretur, *& tu Galba quandoque degustabis Imperium.* Verba sunt Tiberij ad Galbam.

Imitatio.

16. QVEM ROTA PRÆCIPITEM, &c.] Non abit Cal. lib. 6.

> ———θοὸς δέ μιν ἔκβαλε δίφρου
> Πρόσθεν ἑοῖο ποδοῖιν:———
> ———*subitò illum exturbauit curru*
> *Suum ante rotam.*

Neque illud Eurip. Suppl.

> ———θραυσθέντων δίφρων
> Εἰς κρᾶτα πρὸς γῆν ἐκκυλισθέντων βίᾳ:
> ———*fractis curribus*
> *In caput humi per vim præcipitati.*

17. IMAM INTER, &c.] Imitatur Flaccus libro 3. Nam vt Virg. inter galeam imam, & summum thoracem, ita ille,

> *Per clypei cedentis opus, partémque trilicem.*

18. ABSTVLIT ENSE CAPVT.] Flexu alio in decimo,

> *At tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.*

Insepultus.

19. TRVNCVMQVE RELIQVIT ARENA.] Quia sine capite, ideo *truncū.* Vide quæ iam 2. Æneid. vbi Priamus passus est parem contumeliam. & *reliquit in arena*, vt ignobilem, & de cuius sepultura nihil curaret. De Alexandro Pheræorum Tyranno Plutarchus in vita Pelopidæ; καὶ τῇ μετὰ θάνατον αἰκίᾳ τοῦ σώματος ῥιφέντος καὶ πατηθέντος. Dicit, cadauer post obitum cum contumelia proiectum, conculcatumque fuisse.

> * Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
> Interea Æneam Mnestheus, & fidus Achates,
> Ascaniúsque comes castris statuêre cruentum,

Alternos longa nitentem cuſpide greſſus.
b Sæuit,& infracta luctatur arundine telum
Eripere,auxilióque viam,quæ proxima,poſcit:
Enſe ſecent lato vulnus,teliq́ue latebram
Reſcindant penitùs,ſeſéque in bella remittant.
c Iámque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapix
Iaſides,acri quondam cui captus amore,
Ipſe ſuas artes,ſua munera lætus Apollo
Augurium,citharámque dabat,celeréſque ſagittas.
Ille,vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum,vſúmque medendi
Maluit,& mutas agitare inglorius artes.

A

ARGVMENTVM.

Æneas accepto vulnere it in caſtra, adhibetur eius animi magnitudo,& Iapigis medici elogia.

EXPLICATIO.

a LATET hîc cauſa, cur Turnus victor fureret, & ea in laudem Æneæ: dabat enim funera, quia tunc Æneas vulneratus non ſe poterat ad bel- B lum commouere, imò perducebatur à ſuis in caſtra totus cruentus, & *nitens* firmánsque *cuſpide alternos greſſus*;quia haſta vicem pedis gerebat,vbi vulnus acceptum fuerat. Itaque pedem ſanum figebat in terra, haſtam pro altero, & ideo *alterni greſſus*. Notetur & pietas ducentium Ænean, Mneſthei, Achatis, Aſcanij.

b Vide excelſum Æneæ animum. Nihil molle loquitur, aut facit in tam acerbo vulnere; imò *ſæuit*; & *luctatur* ſibi ipſemet *telum eripere fracta arundine*. Et quia de bello tantùm cogitat, non de ſalute, *poſcit in auxilium viam* eam, *quæ proxima*. Quæ verò hæc proxima via? certè magnanimum illud, *enſe ſecent vulnus*, & *lato*, vt qui nihil trepidet vllam carnificinam, & ideo adiungit, *teliq́ue latebram reſcin-* C *dant penitùs*, nullis herbis expectatis, nulla medendi arte. Sequitur ratio,cur ita vrgeat, *ſeſéque in bella remittant*.

c Adeſt ſtatim Iapix medicus filius Iaſi, quem Phœbus eximiè amauit; *dabátque* illi *lætus ſuas artes* tanquam pretioſa *munera*. Expende hæc paucula. *Lætus*, quia maior eſt dantis gratia, ſi ita det, quàm ſi triſtis, nam videbitur neceſſitate coactus & inuitè dare. *Dabat*,de imperfecto, quia verè non dedit: & non dedit, quia Iapix noluit accipere. Enumerat deinde artes, quas Iapigi dabat Phœbus, *augurium, citharas,ſagittas*, id eſt,diuinandi peritiam, Muſicam, & artem ſagittandi, nam his artibus Phœbus præeſt. Sed cur has artes ille noluit?quia præ his elegit alias, D videlicet βοτανικὴν, ἰατρικὴν, id eſt, *poteſtatem herbarum, vſum medendi*; quæ artes & mutæ ſunt, & abſque gloria. Sed cur has elegit? quia pius in patrem in extrema iam ſenectute poſitum, voluit, ſi poſſet,illi fata & vitam proferre medicinæ ope.

NOTÆ.

1. INTEREA ÆNEAN, &c.] Ita percuſſum Sarpedonem ſocij ἐξέφερον πολέμοιο. Iliade 5. *bello extraxerunt*. Sic etiam Polydamas, Æneas, & alij percuſſum Hectorem Iliad. 14. χερσὶν ἀείραντες φέρον ἐκ πόνου, *manibus eleuantes aſportarunt ex labore*: Amphimachum quoque Iliad. 13. ἑταῖροι ἔνεικαν. Apud Calab. etiam lib. 1. Podarces percuſſus, dicitur ἀπὸ πτολέμοιο λιασθεὶς, *à bello ſummotus*. Sed cùm ſæpiſſimè in hoc heroïco opere fiat alluſio ad Romanas hiſtorias, credibile eſt, repræſentatum acre bellum inter Ro- B manos, & Sabinos, in quo Romulus vulnus graue accepit,ac inde ſublatus eſt. Lege Dionyſ. lib. 2. Circumſtantiæ illius belli rem hanc probabilem faciunt. Nam vt ad cedentem Romulum acriùs inſtant Sabini,ita hîc Rutuli ad Ænean cedentem: vt acies Romana ibi integratur redeunte iterum ad arma Romulo,ita acies Troiana redeunte Ænea. Romana hiſtoria repræſentata.

2. ASCANIVS.] Scias hîc,ſcribi ab Dionyſio lib. 1. hunc puerum dictum priùs Euryleonta. Itaque, qui priùs Euryleon,mox Aſcanius. Aſcanius dictus etiã Euryleon.

3. ALTERNOS LONGA, &c.] Vt Hom. Iliad. 11. dixit, γόνυ γουνὸς ἀμείβων, *genu vnum genu altero alternans*. & vt Nonnus lib. 19. δεξιὸν ἐκ λαιοῖο ταρσὸν ἀμείβων, *dextram plantam ſiniſtra alternans*. & vt Eurip. in Elect. ἴχνος ἀλλαξώμεθα, *veſtigia commutemus*: ita No- C ſter, *pedem alternans cuſpide*. Plutar. in Philopœmene, παραλλάξει τῶν σκελῶν, *alternatione crurum*. De Eurymonide lib. 11. Iliad. σκάζων ἐκ πολέμοιο, vt qui claudicans è bello rediret. nam percuſſus κατὰ μηρὸν ὀϊστῷ, *ſagitta in femore*. Eurip. in Herc. ita rem hanc, Alterni greſſus.

——λέλοιπε ποδὸς ἀμαυρὸν ἴχνος:
——*defecit veſtigium pedis imbecillum*.

Val. 2 Arg.

Alternos ægro cunctantem poplite greſſus.

Vt Virg. *nitentem cuſpide*, ita de Achille vulnerato Calab. lib. 3. ἔστη δ' ἐρεισάμενος μελίῃ ἔπι: *conſtitit innixus fraxino*. Sic anus quædam apud Apollon. lib. 1. σκήπτρῳ ἐρειδομένη.

4. SÆVIT ET INFRACTA, &c.] Eadem planè D hiſtoria eſt Philopœmenis magni Achæorum Ducis apud Plut. in eius vita, vbi transfixo vtroque femore ſæuit, atque æſtuat ὑπὸ θυμοῦ, καὶ φιλοτιμίας πρὸς τὸν ἀγῶνα, *præ feruore, & cupiditate redeundi ad bellum*. imò, quod mirère, redit ad bellum habens adhuc latentem haſtam in femore. Exemplum alterum magni Similitudo hiſtoriæ.

animi habes in Eumene apud eundem, qui rediuit etiam ad bellum ὑπὸ τραυμάτων μηρῶς, καὶ βραχίονας διακεκομμένος: *traiectus femora & brachia vulneribus.* Eadem virtus in Camillo, qui percussus in femore οὐκ ἀνῆκεν, ἀλλ' ἐγκείμενος τῷ τραύματι καὶ ἕλκων τὸ ἀκόντισμα, καὶ συμπλεκόμενος τοῖς ἀρίστοις τῶν πολεμίων τρέπειν ἐποίησε: *nihil remisit à virtute, imò inhærens vulneri telum extrahens* (hoc Æneas optat) *congressus cum fortissimis hostibus, eos in fugam vertit.*

5. ENSE SECENT LATO VVLNVS.] Vt quide vulnere nihil curaret, vt de Vlysse ait Cal. lib. 3. ἕλκεος οὐκ ἀλέγιζεν. &c, vt qui respueret *lenta remedia, & segnes medicos*, vt de Alexandro ait Curt. lib. 3. Notat Germ. allusisse Poëtam his verbis ad ἐκτομὴν, speciem vnam euellendi è vulnere aculei, nam tres constituit Eustath. in 4. Iliad. videlicet ἐκτομὴν, διωσμὸν, ἐξολκήν, *sectionem, protrusionem, extractionem.* Et addit vsum primæ adhibitum ab Homero in Eurypylo, alterius in Diomede, tertiæ in Menelao. Opportuna etiam & huic loco verba Celsi, quæ Collector aduocat: *si retrò telum recipiendum est, amplianda scapello plaga est, quo facilius id sequatur, quòque minor oriatur inflammatio.*

Euellendi aculei modus triplex.

6. TELIQVE LATEBRAM.] Lib. 4. Anth. de Telephi vulnere, ἕλκος μηροῦ κεύθων βάρος: *occultans femore exitiale onus.*

Penitus.

7. PENITVS.] Hæc vox semper includit interius quiddam. Itaque vult rescindi interiorem illam teli latebram. Sic in 3. *causas penitus tentare latentes.* & millena.

8. IAMQVE ADERAT, &c.] Ad exemplum Homeri. nam 4. Iliad. vulnerato Menelao Machaon adest.

9. PHOEBO ANTE ALIOS DILECTVS IAPIX IASIDES.] Vtraque vox apta arti medicinæ. Nam ἰάομαι est *curo*. Ergo ab ἰᾶσθαι *Iapix* ab ἰάσασθαι, *Iasides*. Sunt qui in Virg. legant non *Iapix*, sed *Iapis*. & ita excudi fecit Theod. Pulman. & astruit Turneb. ex Ausonio, qui, *medicum quod lapida*.

Iapix vnde dictus. Lectio Virgiliana. Phœbi artes.

10. IPSE SVAS ARTES.] Enumerat artes Phœbi, itaque non incongruè aduocantur ab Vrsino versus Callimachi hymno ad Apollinem, vbi inter alias artes ait, Phœbo esse curæ τόξον, ἀοιδήν, μαντεῖα, ἰητρούς: *arcum*, ideo *celeresque sagittas*: & *Musicã*, ideo *citharamque dabat*. & *augures*, ideo *augurium*. Demũ *medicos*, ideo *scire potestates herbarum*. Plato etiam in Cratylo loquens de Apolline, illi attribuit μουσικήν τε, καὶ μαντικήν, καὶ ἰατρικήν, καὶ τοξικήν; *artem musicam, diuinatricem, medicam, iaculatoriam.*

Artes dicũtur dona.

11. SVA MVNERA.] Plato Leg. 7. τὰ τῶν Μουσῶν, καὶ Ἀπόλλωνος δῶρα: *Musarum, & Apollinis dona.*

Augurium Phœbi est.

12. AVGVRIVM CITHARAMQVE DABAT.] Ita Hom. 1. Iliad. τὴν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων, id est, μαντοσύνην. & 2. Iliad. τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν. Plutar. quoque in Agide ait, μαντικὴν δύναμιν esse Apollinis donum.

Celeres sagittæ.

13. CELERESQVE SAGITTAS.] In 5. *celeri certare sagitta*. Horat. *celeres sagittas promis.*

Depositus, quis.

14. DEPOSITI.] Dicitur *depositus* is, cuius salus desperata iam propè est. Nec alio sensu Ouid. Eleg. 2. lib. 2. Pont.

Iam propè depositus, certè iam frigidus æger
Seruatus per te, si modo seruor, ero.

Et Eleg. 3. lib. 3. Trist.

Nec mea consueto languescent corpora lecto,
Depositum nec me qui fleat vllus erit.

Vis etiam huius vocis liquet à verbis istis Tullij, quæ Seru. aduocat. *Ægram, & propè depositam Reipub.* A *partem suscepisse.* Sen. etiam Trag. ad exitum Oepidi, *Ite, ferte depositis opem.* Hæc de voce. Sed vnde ortum, vt *depositum* sit idem, quod *desperatum?* Referunt Seruius, Isidorus, Hartungus Decur. 3. ad morem veterum, quibus in vsu erat, vt qui laborabant periculoso morbo, desperata iam salute, ante ianuas domorum collocarentur: vel, vt spiritum redderent terræ; vel, vt à transeuntibus fortè curarentur, si qui iam simili morbo laborauissent. Isti itaque dicebantur *depositi*. Mos hic firmatur verbis Plut. in lib. cui titulus λάθε βιώσας, vbi ait: οἱ σφόδρα παλαιοὶ, καὶ τοὺς νοσοῦντας φανερῶς προσεῖχον. τούτων δ' ἕκαστος εἴ τι πρόσφορον ἔχοι παθὼν αὐτὸς, καὶ παθόντα θεραπεύσας, ἔφραζε τῷ δεομένῳ. καὶ τέχνην οὕτω φασὶν ἐκ πείρας συνερανιζομένην, μεγάλην γενέσθαι: *Prisci ægrotos suos in publico proponebant, vt prætereuntium quiuis, si quid, vel ipse eodem morbo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus, medelæ nosset, id ægrotanti significaret. Aiuntq; artem hoc modo experientia adiuuante creuisse.* B Est etiam eiusdem rei locus apud Max. Tyrium. Neque abhorrent, quæ scribit Plin. c. 1. lib. 29. solitos olim liberatos morbis scribere in templo Æsculapij, quæ auxilium attulissent, vt postea similitudo aliis proficeret; atque inde, vt auctor est Varro, excerpsisse Hippocratem medicinam illam, quæ vocatur clinice.

Ægroti collocabantur ante ianuã.

Medicina vnde creuerit.

15. PROFERRET FATA.] Eurip. ἐκτείνειν βίον, & μηκύνειν. Germ.

16. SCIRE POTESTATES.] Hom. 4. Iliad. φάρμακα εἰδὼς. & Eurip. in Med. οἶδα φάρμακα.

C 17. VSVMQVE MEDENDI.] Mihi non dubium, quin intelligat empiricen, quæ solo vsu & experientia constat, non clinicem. nam *vsus medendi* ducit me rectà ad empiricem. & ita omnia constant, videlicet quæ præcedunt, & quæ sequuntur. Præcessit, *pater depositus*, atqui depositi experientia tantùm curabantur, vt vidisti. Sequitur, has artes esse *mutas*, quod vnicè quadrat empiricæ, quæ non est disputatrix, vt quæ tantùm constet experientia. Debent certè mihi gratiam medici, qui Virgilium inclusi intra cancellos solius empiricæ, ac proinde exclusi illum à clinica. Quotquot autem hodie sunt præstantissimi medici, clinici dici volunt, non empirici. Ac proinde nihil ad illos Virg. pertinet vocans *mutos*, & *inglorios*. D Et nemo mihi persuadebit, Virgilium capi posse de clinicis, cùm clarè dixerit, *vsumque medendi.*

Empirice.

Clinici præstantissimi medicorũ.

18. MVTAS.] Vocat medicinam *artem mutam*, quia cùm intelligat empiricen, & hæc disputatrix non sit, sed tantùm constet experientia, iure optimo muta appellari potest. Plin. postquam scripserat cap. 1. lib. 29. *Alia factio ab experimentis se cognominans empiricen*, &c. subiicit. *Deserta deinde & hæc secta est, quoniam necesse erat in ea literas scire.* Quasi dicat: Necessariæ erant literæ in medicina, quibus empirice carebat. Muta ergo ars, quæ caret literis. Itaque Iapix, qui *vsum* tantùm *medendi* habuit, *artem* habuit *mutam*. Sed extendi potest doctrina, quia omnibus medicis in communi conuenit mutos esse, id est, non E multùm disputatores, cùm dicat clarissimus medicinæ professor Celsus, *morbos non eloquentia sed remediis curari.* Vnde & in medicos loquaces dicterium emanauit, ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος: *nouus morbus ægrotanti est loquax medicus.* Cassiodor. etiam lib. 6. Var. c. 19. satis indicat, medicinam esse artem *mutam*, cùm illam opponat *peritis causarum.* & Plin. de medicis dixit cap. 1. lib. 29. *Palàmque est, vt quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illicò vitæ nostræ necisque fieri.* Certè Hieronym. Mercurial. clarissimus medicus lib. 3. Var. c. 13. nihil discriminans sententiam

Muta empirice.

Medici muti sint.

Prouerbiũ. Loquax medicus.

tentiam Virgilij, accipit illum de medicis vniuersim, nec veretur artem suam *nimiam* dici. Hinc est, vt per *mutas artes* noluerim accipere chirurgiam: nam hæc taciturnitas verè conuenit & empiricæ, & in genere omnibus medicis. Sed & de hoc dicam infrà.

Medici cur inglorij. 19. Inglorivs.] Mihi non dubium, quin dictum hoc à Poëta, aut cum respectu ad empiricos, qui non ita gloriosi, vt qui ignorarent literas, vt indicaui iam ex Plinio: vel, quod potius credo, locutus est Maro cum respectu ad Romanos, apud quos hæc ars seruis passim communicata; vt liquidum ex Plutarcho, qui ait, Catoni Vticensi fuisse Cleanthem libertum medicum. Iulio etiam Cæsari medicus fuit seruus. Continuatum hoc in aliis Principibus. Nam Caligula apud Suetonium cap. 8. *ex seruis meis medicum.* & de Nerone idem, *medicúmque manumiserit.* & Seneca 3. de Benef. *imperauit medico, eidémque seruo suo.* & epistola 87. medicos vocat *humillimos.* Deiotarus quoque seruum habuit medicum. Æuo quoque Hippocratis hæc ars infra omnes habebatur, quod ipse testatur in Lege. verba eius, πολὺ τῶν πασῶν οὐδὲ τῶν τεχνέων ἀπολείπεται: *iam omnibus artibus longè inferior habetur.* Sed solentur se medici verbis Cassiodori libro 6. Var. c. 19. vbi de hac arte multa prædicat; & Hippocratis sectione prima, vbi, ἰητρικὴ τεχνέων μὲν πασέων ἐστὶν ἐπιφανεστάτη: *medicina omnium artium clarissima est.* Eadem sectione lib. de prisca medicina ait, hanc artem dignã esse, quæ referatur ad Deum, tanquam ad auctorem, ἀξίην τὴν τέχνην θεῷ προσθεῖναι. Quid, quòd magni Principes hac arte excelluerunt, inter quos & Magnus Alexander, auctore Plutarc. in eius vita, cui dat φιλιατρεῖν? Viri etiam pij. In his Cæsarius frater Magni Nazianzeni, quod ipse frater scribit Oratione 10. Sed coniungere hæc elogia medicorum est, non meum. De qua etiám re fusim Tiraquellus. Medicorum elogia.

ᵃ Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam
Æneas, magno iuuenum, & mœrentis Iúli
Concursu, lacrymísque immobilis. ᵇ ille retorto
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbíque potentibus herbis,
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensátque tenaci forcipe ferrum.
ᶜ Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subuenit, & sæuus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiúsque malum est. iam puluere cœlum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis. it tristis ad æthera clamor
Bellantum iuuenum, & duro sub Marte cadentum.

ARGVMENTVM.

Laboratur in curando Ænea, sed nihil opis in medicina.

EXPLICATIO.

ᵃ VT ex superioribus, ita etiam ex istis habetur Æneæ animi magnitudo, qui nec sedet in tãto dolore, sed *stat hastæ innixus*, vno tantùm *fremitu*, vt virum decet, *acerbitatem* rerum conquestus. Concurrunt statim ad illum militares iuuenes, flent omnes, & vnus præcipuè Iülus pius in patrem. Sed in tot aliorum *lacrymis* vnus Æneas est *immobilis.*

ᵇ Redit ad medicum, qui *succinctus retorto amictu Pæonium in morem*, id est, ex more medicorum, iam *manu medica*, iam *herbis potentibus multa trepidat*, id est, in multa pertrepidus incumbit, & *dextra sollicitat spicula, ferrúmque prensat* (quia sæpe) *tenaci forcipe.* Sed *nequicquam*, & frustra. *Herbas* vocat *Phœbi*, quia hic Deus inuentor medicinæ.

ᶜ Cur *nequicquam?* quia *nulla fortuna regit viam*, qua extrahantur spicula; quia *Apollo* ipse *auctor* medicinæ *nihil subuenit.* Interim autem quo putas fremitu Æneas sæuiret, cùm audiret belli horrorem magis ac magis increbrescentem: cùm ex fuga Troianorum intelligeret adesse *propius malum*: cùm cerneret cœlum oppletum puluere, & subeuntes in castra hostiles equites, nam densissima cadebant spicula: cùm audiret tristissimum clamorem *bellantum iuuenum*, imò *cadentum sub duro Marte*?

NOTÆ.

1. Acerba fremens.] Alibi, *acerba sonans.*

2. Nixvs in hastam.] Philostr. Iun. in Iconib. ἀκοντίῳ τι ἐπερείσας ἑαυτὸν ἕστηκε: *hastili innixus suo stabat.* Sic Diomedes, atque Vlysses 19. Iliad. ἔγχει ἐρειδομένω, vt vulnerati. Plutar. in vita Phocion. de eo, qui in crure vulnus acceperat, προσελθόντος ἐπὶ βακτηρίᾳ. & in vita Arati, τὸ γόνυ, καὶ τὸ σῶμα ἐγκλίνας, καὶ ἀπερειδόμενος ἐπὶ δόρατι. Niti hasta.

3. Lacrymisqve immobilis.] In Æneæ constantia repræsentata constantia C. Marij, de quo sic Plutarchus in eius vita. ἰξῶν γὰρ (ὡς ἔοικε) μεγάλων ἀνάπλεως ἄμφω τὰ σκέλη γεγονώς, καὶ τὴν ἀμορφίαν δυσχεραίνων, ἔγνω παρασχεῖν ἑαυτὸν ἰατρῷ. καὶ παρέσχεν ἀδέτως θάτερον σκέλος, οὐδὲ κινηθεὶς, οὐδὲ στενάξας, ἀλλὰ καθεστῶτι τῷ προσώπῳ, καὶ μετὰ σιωπῆς ὑπερβολάς τινας ἀλγηδόνων ἐν ταῖς τομαῖς ἀναδεχόμενος: *Cùm haberet vtrumque crus varicum plenum, & deformitatem illam ægrè ferret, statuit se præbere medico, præbuítque non ligatus alterum crus, neque* Æneas repræsentat Marium.

neque mouit se, vel ingemuit. sed vultu immoto pertulit dolores in secando intolerabiles. Describit hominem verè ἀπαθῆ, & ἀκίνητον, vt loquitur idem Plut. in Lysandri vita.

Medicorum vestis.

4. RETORTO.] Ex hac tortione vestis, & succinctione facilè licet colligere medicis olim vestem fuisse longam. Nisi quis referat ad Romanos, qui togati omnes.

5. PÆONIVM IN MOREM.] Vide lib. 7. ad illud, *Pæoniis reuocatum herbis.*

Medici senes.

6. SENIOR.] Inf. *Longæuus Iapix.* Sic Annibalis medicus ab Silio *senior* inducitur. Fortasse Poëtæ ducuntur ab experientia, quæ necessaria in medicis; & hæc non accedit nisi in ætate prouecta.

7. MANV MEDICA.] Signatè & doctè. Chirurgiam enim exercet Iapix, & tamen dicitur medicus: Olim istæ duæ artes non personis discriminatæ. Itaque medici erant etiam chirurgi, nullo honoris incommodo.

Medici olim chirurgi quoque.

Sen. epist. 52. *Nunquid ager laudat medicum secantem?* Sic & Plutarchus de Audit. ἰατρῷ, id est, *medico*, dat τομὴν, *sectionem.* & libro de adul. & amic. discern. ἰατρικῷ σμιλίῳ τέμνοι, *cultro medico secet.* ibidem homini φιλιατρεῦντι, *studioso rei medicæ*, dat verba τεμεῖν, καὶ καῦσαι, *secare, & vrere.* & de eodem Dio Chrysost. Orat. 38. eadem verba τμηθῆναι, καὶ καυθῆναι. Sanctus Cyprianus de Lapsis: *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat.* & Ioannes Chrysostomus Oratione 1. de S. Romano Martyre, καλεῖται λοιπὸν ἐπὶ τὴν τομὴν ὁ ἰατρὸς, *vocatur deinde medicus ad sectionem.* Hippocrates in lib. de Medico, huic dat χειρουργίαν, τομὴν, καῦσιν, tanquam propria artis medicæ. & in lib. περὶ εὐσχημοσύνης datur medico σίδηρος ad secandum. Ad rem eandem probandam exhibet Mercurialis inscriptionem, in qua Decimius quidã dicitur, MEDICVS, CLINICVS, CHIRVRGVS. Hinc est, vt qui in superiore tractu per *mutas artes* capiunt chirurgiam, non placeant. Nam verè olim eadem fuit ars & medici & chirurgi. Putant scilicet illi, ita se posse mederi vulneri illato à Virgilio, si contrudant artes illas ingloriàs & mutas ad chirurgos, & ita tuti sint medici. Sed quî possunt? nam olim idem fuit medicus & chirurgus, & verba illa dicuntur de medico Iapige. Aliter ego consului medicorum scholæ.

Imitatio.

Cæterùm in toto hoc tractu adumbratur locus Calabri libro 3. vbi medici studiosè incumbunt in curando eodem Ænea vulnerato. Sed & ab vtroque Poëta imitationem duxit Statius 3. Thebaid. vbi medicus totus incumbit in curando Tydeo. versus sunt.

> ——*lætus mediis in sedibus aulæ*
> *Constitit, ingentique exceptus terga columna.*
> *Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,*
> *Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis*
> *Mitior.*——

8. PHOEBIQVE, &c.] Nonnus libro 19. ἰλαρὸν ἕλκος ἀκεστὸς Φοιβάδι τέχνῃ *curabat vulnus Phœbea arte.*

Trepido.

9. NEQVICQVAM TREPIDAT.] Vel festinat, vt iam alibi: vel verè trepidat visa difficultate spiculi, ad eum modum, quo Plutarchus loquens de spiculo, quo traiectum femur Philopœmenis, ait: τὸ γὰρ τραῦμα τῆς ἀγκύλης χαλεπὴν ἐποίει τῷ ἀκοντίῳ τὴν ἔξοδον, ἐνεχόμενον δὲ τὴν τῶν τραυμάτων τὴν παρεδρείας δ' ὥστε οἱ παρόντες ἀψασθαι: *ansis iaculi, quæ ei aptata erat, difficilem reddebat telo in reuellendo per vulnera transitum. Itaque dubitabant, qui aderant, manum admouere.* Itaque, *trepidat* Iapix, nam trepidante manu attingit, & vix audet. Ioannes etiam Chrysostomus Oratione 2. de incomprehensibili Dei nat. ita ait. τὰ δὲ φαρμακοῦ ἤδη τραυμάτων ὑπὸ ἐπιβολὴν χειρὸς ἀνέχεται, οὐδὲ τὴν ἁπλῶν ἀνεχομένη προσάψεως: *tumescentia vulnera non patiuntur attrectationem manus, & recusant tactum asperiorem.* Vide etiam apud Plutarchum in vita Alexand. qua difficultate euulsa fuerit sagitta, qua transfixus is Princeps.

10. SPICVLA.] Capi potest numerus pro numero, noto iam tropo. Sed quid si propriè locutus propter binos hamos, aut cuspides, aut ansulas, quæ in hoc telo? De qua re iam suprà.

Hami telorum.

11. SOLLICITAT.] Principem huius verbi notionem esse *loco permouere* iam alij adnotarunt, in his Gifan. in Lucret. ex Donato, & Sex. Pomp. Propriè itaque Virg. *sollicitat spicula*, id est, vult mouere loco spiculum. sic & 1. Georg. *sollicitanda tellus.* & 4. *mare sollicitum.* & Ouid eleganter, *arcu sollicitare feras.* & Enn. 15. Annal.

Sollicito, quid propriè.

> *Histri tela manu iacientes sollicitabant.*

12. NVLLA VIAM FORTVNA REGIT.] Verba hæc, & totus hic tractus afferunt mihi in memoriam verba S. Ioannis Chrysostomi Orat. 5. de incomp. Dei natur. hæc: *Sæpe itaque euenit, vt cùm Rex ipse ægrotet, cubet, febriat, ardore laboret, adsint medici, adsint clientes, familiares, proceres, milites, duces: non ars medicorum, non amicorum præsentia, non familiarium administratio, non medicamentorum copia, non apparatus magnificentia, non pecuniarum facultates, non aliud quicquam rerum humanarum possit reddere infestantem morbum leniorem.* Nolui Græca, quia multa.

Locorum similitudo.

13. HORROR.] Quid ni hæc vox ἀπὸ τοῦ ὄῤῥου? Ausim verè affirmare. Est enim ὄῤῥος, τὸ ἱερὸν ὀστοῦν τὸ πέρας, id est, ὀῤῥοπύγιον. Ergo, quia in ea parte corporis apparet timoris nota, defluente ventre, inde *horror* ἀπὸ τοῦ ὄῤῥου. Inde verè dicentur *horrere*, qui ex timore patiuntur illud profluuium. Quæ timoris nota est apud Iobum cap. 41. ex mente Isidori, & Vatabli, verbis illis, *Angeli territi purgabuntur.*

Horror unde.

14. PVLVERE COELVM STARE.] Nihil aliud dicit, quàm medium aërem plenum fuisse puluere, hac imagine, vt videretur cœlum sustineri pulverea columna, tanquam basi. Ita quoque locutus Statius Theb. 7. *Pulwereo stant astra globo.* & libro 3. *stant fulti puluere crines.* hoc ipsum dicit libro 4. etiamsi flexu alio,

Puluere stat cœlum.

> ——*vmbráque immane volanti*
> *Implet agros, longóque attollit puluere campum.*

& alio Lucan. libro 4. *aëra nube sua texit puluis.* Locutio sanè Virg. nata videtur ab Ennio; qui, *stant puluere campi.* Sisenna quoque, *cœlum caligine stat.* & omnes adhuc ab Hom. nam hic 2. Iliad. ὑπὸ δ' ἄελλα κονίης ἵσταθ' ἀπειρεσίη. & apud Calab. lib. 2. Κόνις δ' ἀπὸ γαίης ἄχρις ἐς οὐρανὸν ὦρτο. Explicatio porrò Nonij, *stat cœlum puluere*, id est, horret puluere, mihi non placet. Expende & quidpiam aliud, cùm *cœlum* nominauit, voluit notare, ita ingentem fuisse caliginem, vt nihil, nisi cœlum, cerneretur. Calab. quidem lib. 11. de ingenti pulueris nebula, Οὐδ' ἄρα φαίνετο γαῖα, *nulla apparuit tellus.* & Plutarchus in vita Crassi de eadem re, μὴ προϊδεῖν δυνάμενοι, ait Romanos nihil potuisse cernere. Orosius cap. 15. libro 5. loquens de pugna inter Marium & Iugurtham loquitur maiori incremento: *Nunquam vlla Romano militi tumultuosior pugna & terribilior fuit, adeò vt discursu & fremitu circumeursantium & impetientium equitum suscitatus puluis cœlum subtexuerit, diem ademerit, noctémque obduxerit.*

Puluis magnus non magni belli.

15. SPICVLA CASTRIS DENSA CADVNT MEDIIS.] Hoc in vita Craſſi Plutarchus. A

Clamor ad cælum. 16. IT TRISTIS AD ÆTHERA CLAMOR, &c.] Percellitur Æneas hoc clamore, & ſuorum cæde, vt olim Turnus lib. 10.

Et nunc palantes video, gemitúmque cadentum
Accipio.———

17. BELLANTVM IVVENVM.] Retuli iuuenes tam *bellantes*, quàm *cadentes* ad vnos Troianos. Sed melior, credo, erit diuiſa ſententia, vt *bellantes* ſint Rutuli, & *cadentes* Troiani, vt dicat idem quod Homerus 4. Iliad.

Ἔνθα δ᾽ ἅμ᾽ οἰμωγή τε καὶ εὐχωλὴ πέλεν ἀνδρῶν,
ὀλλύντων τε, καὶ ὀλλυμένων:———
Tum verò eiulatus ſimul, & iactantia erat virorum,
Perimentiúmque, & peremptorum.———

[a] Hîc Venus indigno nati concuſſa dolore
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæsêre ſagittæ.
[b] Hoc Venus, obſcuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc fuſum labris ſplendentibus amnem
Inficit occultè medicans, ſpargítque ſalubris
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panaceam.
[c] Fouit ea vulnus lympha longæuus Iapix
Ignorans: ſubitóque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis ſtetit imo vulnere ſanguis.
Iámque ſecuta manum nullo cogente ſagitta
Excidit, atque nouæ redière in priſtina vires.
[d] Arma citi properate viro, quid ſtatis? Iapix
Conclamat, primúſque animos accendit in hoſtes.
Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proueniunt, neque te Ænea mea dextera ſeruat,
Maior agit Deus, atque opera ad maiora remittit.

ARGVMENTVM.

Adeſt laboranti nato Venus cum diuina ope, nam Dictamno medicatur aquam, qua fotum vulnus eſt, ac ſtatim ille ſaluti redditus.

EXPLICATIO.

[a] PARTICVLA *hîc* habet emphaſim. Quaſi dicat: Hoc tẽporis articulo, & tali rerũ deſperatione, nihil aut medico aut arte ſubueniente. Ergo hoc rerũ puncto Venus percellitur *dolore nati indigno*. hoc quoque ἐμφατικῶς: pius enim indignè premitur. Itaque illa vt *genitrix*, eſt & hîc emphaſis, *Dictamnum ab Ida carpit*, monte Cretæ, vbi laudatiſſimum. Cui herbæ eſt flos purpureus, & folia *pubentia*, id eſt, adulta. Inuenêre primæ omnium hanc medicinam Cretenſes capræ, nam percuſſæ herbam hanc depaſcuntur, ac tum ſagittæ excidunt. C

[b] Ergo Venus nulli viſa Dictamnum attulit, & illo *inficit amnem fuſum labris ſplendentibus*, id eſt, aquam, quæ fuſa in peluim erat, cui pelui ſumma labra auro erant ſplendida. Ego ſic concipio, tu vt mauis, & ita *occultè medicatur* eam aquam. Neque hoc contenta *ſpargit ſuccos ſalubris Ambroſiæ, & Panaceam odoriferam.*

[c] Ignorabat diuinam opem Iapix, ſed fortaſſe tunc ea aqua vulnus fouit, ac ſtatim fugit dolor omnis è corpore, ſanguis ſtetit imo in vulnere, ſagitta (cogente nemine) ipſa excidit manum ſecuta, & *vires nouæ*, id eſt, magnæ & admirandæ *redière in priſtina*, id eſt, in vſum priorem. B

[d] Perculſus medicus hoc miraculo, clamare altiùs cœpit, & omnium animos accendere contra hoſtes, vt citiſſimi *properarent arma viro*, id eſt, properanter afferrent arma Æneæ. Quin increpanter, *quid ſtatis?* Adducit etiam diuina argumenta. Nam ſanitas illa non humanæ artis, aut medicinæ, nec ab ipſius manu: ſed ab maiore Numine ſeruante Ænean, & remittente illum ad belli laborem, id eſt, iterum mittente ad inchoatum bellum, & *opera maiora*, id eſt, ad Turni cædem.

NOTÆ.

1. HIC VENVS, &c.] Totum hoc ad Homeri veſtigia Iliad. 16. nam quæ ibi de Glauco dicuntur, trãſferuntur hîc ad Ænean.

2. INDIGNO NATI CONCVSSA DOLORE.] Ariſtoteles in Peplo ad verbum, θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβλαμμένα. Eſt ergo *indignus dolor*, magnus, nam ille, ἄχει μεγάλῳ. Sic Ennius, *indignas turres*, id eſt, magnas. Dicunt enim Latini *dignum*, atque etiam *digitum* ab *indicando*, quaſi ſit δεῖγμα. Ergo, quod magnum eſt, neque indicari præ magnitudine poteſt, *indignum* dicitur. Sed ego de hac voce iam alibi. Poteſt etiam vox accipi ex mera conqueſtione vulgari ſignificato. Indignus, id eſt, magnus.

3. DICTAMNVM, &c.] Ariſtotel. [illegible] Dictamni medicina.

αἰ

αἱ ἐν Κρήτῃ αἶγες, ὅταν τοξευθῶσι, ζητοῦσιν, ὡς ἔοικε, τὸ δίκταμνον τὸ ἐκεῖ φυόμενον. ὅταν γὰρ φάγωσιν, εὐθὺς ἐκβάλλουσι τὰ τοξεύματα: *Ferunt in Creta capras, cùm hæ sagittis feriuntur, Dictamnum quærere ibi nascens, quod vt ederint, statim emittunt spicula.* Ac, ne te lassem nota re admodùm, eadem scribit idem Aristotel. lib. 9. Hist. Animal. Ælian. li. 1. Var. Hist. c. 10. Dioscor. lib. 3. c. 37. Val. Max. lib. 1. c. 8. Plutar. de Solert. Animal. & in Gryllo, Cicer. 3. Diuin. Isidor. & plures alij. Scribendum *Dictamnum* certissimè, non *Dictamum.* Nam Græci δίκταμνον. Non scribunt isti, quos protuli; qua parte Cretæ nascatur herba hæc, monuit tamen Seru. ad vrbem Dictam, vnde & nomen.

Dictamnū herba sacra Veneri.

4. GENITRIX.] Vt indulgens nato. Et verè hæc herba sacra erat Veneri; nam vtilis partui prolis, cui rei præest Venus. Serenus enim ita scribit,

Vt facili vigeat seruata puerpera partu,
Dictamnum bibitur. ———

Et Dioscor. ὠκυτόκιον vocat, quòd partus acceleret. Plutarch. etiam de Solert. Animal. ait hanc herbam habere ἐκβολητικὴν δύναμιν, *virtutem eiiciendi fœtus.* Idem scribit Theophr. libro 1. de Plant. Zenodotus Malleotes apud Arati interpretem ait Dictamnum πρὸς εὐτοκίαν συμβάλλεσθαι, *iuuare ad parientis facilitatem.*

Vbi prouenīat.

5. CRETÆA CARPIT AB IDA.] Plin. de hac herba cap. 8. lib. 25. *Non est alibi, quàm in Creta.* Cùm Synes. lib. de Insom. exaggerans dixit, Κρητικὴν πόαν, *herbam Creticam*, de Dictamno capio. Et generatim omnes Dictamni Cretensis, non alterius, meminêre. Itaque, cùm notet Eurip. Scholiastes in Hipp. simulacrum Dianæ coronari solitum Dictamno, credibile natum hoc, quòd placeret Deæ illa herba, quę nata est in Creta, vbi ipsa spatiari in venationibus solita. Euphorion etiam de Diana, στεψαμένη θαλεροῖσι συνήνθεος δικτάμνοισι: *venabat coronata floremibus Dictamnis.* Citat Euphorionem interpres Arati, & ipse etiam addit. ὅ (δίκταμνον) καὶ τὴν εὐλήθειαν φέρει. Possis etiam referre has coronas ad facilitatem partus, vt dicebam de Venere, cui præest Diana. Porrò de duplici Ida monte, Phrygio, & Cretæo tritum iam omnibus. Sed notetur discrimen. Ida Phrygia præstat herbarum amœnitate, Cretæa herbarum salubritate. Inde Propert. Eleg. 1. lib. 2.

Diana Dictamno coronata.

Ida duplex.

Et Deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.

Quin & Eustath. in 2. Iliad. ait ab Ida Cretæ dictam Idam Troiæ. Inde Cretensis nobilior, & celebratior. Additque omnem montem editum dictum veteribus *Idam* ab his duobus montibus, non aliter ac omnis aqua dicta est *Achelous.*

Ida dicitur mōs omnis editus.

6. PVBERIBVS CAVLEM FOLIIS.] Negat hoc Plin. nam lib. 25. c. 8. *Flos nullus ei* (Dictamno) *aut semen, aut caulis.* Dicamus ergo à Poëta vocari *caulem* καλαμηδόνα congeriem illam exuberantium foliorum. Est *puberibus* foliis, vel adultis cum Seruio, & in hoc vis tota remedij, nam pubertas illa ad efficaciam; sicut 4. Æneid. quæruntur ad sacrâ *pubentes herbæ:* vel mecum lanuginosis, tum quia lanugo herbarum congruentior cum pubertate hominum, vnde sumitur locutio, tum quia Dioscor. folia Dictamni facit γναφαλώδη καὶ λευκά, *lanuginosa & lanata.*

Pubertas foliorum.

Flos an Dictamno.

7. ET FLORE COMANTEM PVRPVREO.] Negat hoc Plinius idem, vt vidisti in superiore Nota; & præterea Dioscorides libro 3. cap. 37. vbi de Dicta-

A mno, οὔτε δὲ ἄνθος, οὔτε καρπὸν φέρει: *neque florem fert, neque fructum.* Sed certe Euphorion in adducto iam versu συνήνθεος dixit, *florebat.* & Stat. lib. 1. Sylu. *Dictamni florentis opem.* Quid, quòd idem Dioscorides cap. 39. eiusdem lib. Dictamni alterius Cretensis meminit, cuius folia similia foliis sisymbrij, & huic dat ἄνθος, id est, *florem*, ὀριγάνῳ ἀγρίῳ ὅμοιον, *similem agresti origano?* Ac proinde nihil vetat Virgilium de hoc altero scripsisse, ne tanto Poëtæ pudendus error adscribatur. Cùm præsertim Dioscor. extremo det ἄνθος μέλαν, *nigrum florem*; quæ nigricantia non abit à purpureo colore Virgilij: nam purpureus color nigredinem refert. Et Plutarchus in vita Catonis Vticensis discriminat inter πορφύραν ὀξεῖαν, καὶ μέλαιναν, *purpuram splendentem, & nigram.* Itaque dicamus Virgilium

Virgilius defenditur.

Niger color, de purpura.

B Dictamnum suum constituisse à duplici specie Dictamni, iure poëtico; à prima accepit vim cōtra sagittas, & folia lanuginosa: ab altera florem; & etiam caulem; nam & huic alteri καυλὸν dat Dioscor. vbi autem est καυλὸς, necesse est & caulis sit. Notetur vox *comans.* Sic Hom. Iliad. 11. in re simili, ἔθειρα. & Max. Tyr. Dissert. 18. in vnum confert τρίχας hominum, & φύλλα arborum. Plut. in Eumene, τῶν πεδίων κομώντων, *agris comantibus.* Eurip. in Ione myrto dat φόβην, *comam.* Ibidem φοίνικα, *palmam*, vocat ἁβροκόμαν.

Coma, de plantis.

8. NON ILLA FERIS INCOGNITA CAPRIS GRAMINA.] Dissident à Virgilio, & omnibus, qui de hac re scripserunt, Plinius, & Tertullianus. Nam hi duo

C nihil de capris, tantùm de ceruis loquuntur. Prior cap. 27. lib. 8. *Dictamnum herbam extrahendis sagittis cerui monstrauêre, percussi eo telo, pastúque eius herbæ eiecto.* Repetit cap. 8. lib. 25. Posterior cap. vlt. de Pœnit. *Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi Dictamno medendum.* Itaque dicamus vtrique animali, capræ, & ceruo, hanc esse præsentem medicinam. Quo astructo nunc intelligo locum libri quarti Æneid. vbi de cerua percussa *inter Cressia nemora*, ait Virgilius,

Dictamnū etiam ceruis vtile.

— illa fuga syluas, saltúsque peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.

D Fera quippe percussa in Creta quærit proculdubio Dictamnum in saltibus Dictæis ad expellendam sagittam. Laudo & Isidorum, qui præmissa herbæ huius potentia, subiicit in genere: *vnde eius pabulo feræ percussæ sagittas à corpore inhærentes eiiciunt.*

9. FERIS CAPRIS.] Notetur diligenter vox ista *feritatis.* Aristoteles enim libro 9. Hist. Animal. c. 6. ἐν Κρήτῃ φασὶ τὰς αἶγας τὰς ἀγρίας, ὅταν τοξευθῶσι, ζητεῖν τὸ δίκταμνον: *Ferunt feras capras in Creta percussas sagittis, Dictamnum quærere.* Quæ verba transtulit ab Aristotele Theophrastus libro nono περὶ φυτῶν ἱστορίας. Valer. etiam Maxim. lib. 1. c. 8. *syluestres capreas* nominat, & Cic. 2. Nat. *Auditum est, capras in Creta feras, cùm essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere, quæ Dictamnus vocaretur*, &c. Huc pertinet verbum Plinij cap. 8. lib. 25. discriminantis ita; *deteriores in agris pinguibus, verum quidem Dictamnum non nisi in asperis.*

Feris capris debetur Dictamni inuentum.

E Et quidem feræ capræ in locis asperis degunt, mansuetæ non item. Ac proinde virtus, qua inuenta hæc medela, debetur capris syluestribus, auctoribus Aristotele, Theophrasto, Valerio, Tullio, Virgilio: non mansuetis; quod nec Dioscorides sciuit, neque Ælianus, neque alij, qui de hac re scripserunt. Quid, quòd in venatione capræ feræ quęruntur, non mansuetæ? Sic 4. Æneid.

Ecce

Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ.
Feras capras Aristot. vt vidisti, nominat αἶγας ἀγρίας. Oppian. 2. Cyn. αἶγ' ἀγροτέρων dixit, & αἶγων καταιγί φῦλα. & vnica adhuc voce αἰγάγρας.

Gramen pro omni herba. 10. GRAMINA.] Hæc vox iam Poëtis omnibus vsurpata κατ' ἀναχωρήσεως pro omni herba.

11. CVM TERGO VOLVCRES HÆSERE SAGITTÆ.] Est hoc, quod in 4. *hæret lateri lethalis arundo.* quod in 7. *perque ilia venit arundo.*

Dij medica-ligine 12. OBSCVRO FACIEM CIRCVMDATA NIMBO.] Nihil capias de tempestate, cui hîc nullus locus, sed de aëre, quo septa aduenit, ne videretur, vt in 1. Æneam & Achaten Venus *obscuro gradientes aere sepsit.* In vtroque loco obscuritas innuit crassitiem aëris.

Lectio Virgiliana. 13. FVSVM.] Legunt aliqui *fuscum amnem*: à qua lectione non abest proprietas; nam cùm aqua hæc fuisset tepida, vt postea apparebit, non videtur alienum, vt cocta dicatur fusca, cum oppositione ad communem aquam. Seru. tamen Danielis *fusum* legit, atque etiam Iul. Scal. 4. Poët. c. 16. non longè à fine.

Labrum, de qua re. 14. LABRIS SPLENDENTIBVS.] Explica, lebeti, aut pelui. Scriptor ille, qui præfixit argumenta Tragœdiis Euripid. in argumento ad Medeam citat versum veteris Poëtæ loquentis ita de Medea,

Φάρμακα πολλ' ἕψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησι:
Pharmaca multa coquens in aureis lebetibus.

Pharmacorum genus triplex. 15. SPARGITQVE.] Cùm tria sint pharmacorum genera, auctore Eustathio, videlicet ἐπίπαστα, χριστὰ, ποτά, *inspersoria, vnctoria, potabilia*, liquidum ad prima Poëtam allusisse.

16. SALVBRIS.] Esse potest, vel *salubris Ambrosiæ*, vel *succos salubris*, pro, *salubres*, vt *omnis*, pro, *omnes*. In primum inclino ex coniunctione vocum.

Ambrosia. 17. AMBROSIÆ.] In Ambrosia, & Nectare poni à Diis ἀθάνατον, *immortalitatem*, canit Pindar. Od. 1. Olymp. Sed de his ego iam alibi.

Panaces. 18. ODORIFERAM PANACEAM.] Panaces, aut Panacea herba est grauis odoris. Lucret. lib. 4. *odorem expirant acrem Panaces, absynthia.* Ab hac acritudine odorifera dicitur à Poëta. Consentit Dioscorid. qui eius folia ὀζώδη facit, *nimium odorata.* Aiunt fabulæ, Ἰασὼ & Πανάκειαν filias fuisse Æsculapij, illam dictam παρὰ τὴν ἴασιν, *à medela*: hanc παρὰ τὸ πᾶν & ἄκος, *à curandis omne genus morbis.* Inde Arist. eneus lib. 1. epist. medicum quendam Πανάκειον vocat [illegible] ἰατρόν: *Panacium suo verè nomine dignum medicum* Vide Plin. & alios. Ceterùm Virg. concilians hac herba salutem & odorem aquæ, aspirat ad Homer. qui notante Athenæo lib. 5. c. 3.) inducit Helenam, quæ εἰς τὸν οἶνον ἐμβάλλει Πανακὲς φάρμακον: *In vinum inicit Panaceum pharmacum*, conciliatura scilicet Helena vino salutem & odorem.

Fouere, de tepida. 19. FOVIT EA VVLNVS LYMPHA.] Hunc mihi locum Athen. explicat lib. 2. c. 2. vbi de Homer. sic loquitur. οἶδε δὲ καὶ τὴν χλιαρὰν φύσιν πρὸς τὰ τραύματα. τὸν γοῦν Εὐρύπυλον πρόσθεν ἐκ τούτου καθαιρεῖ: *Nouit & naturam aquæ tepidæ ad vulnera. siquidem ea fouet vulneratum Eurypylum.* Est autem locus ille Homeri Iliade duodecima. Igitur vulnus Æneæ fotum aqua tepida intelligo. Poëtæ enim satis fuit rem indicasse verbo *foueo*, quod de tepidis dicitur. Obiicies. Frigida aspergendus fuit Æneas, vt sanguis sisteret ad contactum frigoris, nam hoc est è re medica. Inde sequitur, *omnis stetit imo vulnere sanguis.* Respondeo, primùm occurrendum dolori. Addit enim Athen. ibidem, calidam adhibendam ad mitigandos dolores, vt illi demulceantur, quod factum fuisse in Ænea

Tepida ad vulnera. Virg. sius defenditur.

A statim sequitur. Nam vt *fouit*, illicò, *subitoque omnis de corpore fugit Quippe dolor.* quo fugato dolore, *omnis stetit imo vulnere sanguis*, videlicet ab cœlesti medicina. Itaque in medendis corporibus primùm occurrendum est dolori, vt cum respectu ad æuum Heroum dixit Max. Tyr. his verbis. ἀλλὰ τότε μὲν ἡ τέχνη σώμασιν ὁμιλοῦσα οὐ ποικίλοις, οὐδὲ ἐκλελυμένοις πάντα πάσι ῥᾳδίως αὐτῷ μεταχειρίζεσθαι καὶ ἦν αὐτοῖς ἔργον τί ἄλλο.

Τοὺς δ' ἐκ τῶν μὲν ἐπὶ τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν:

Id est: *Ea namque ætate quæ tractabant, minus mutationibus obnoxia, minus varia, minus dissoluta erant corpora. Quare & facilior eorum cura erat, neque aliud medici opus, quam*

B *Tollere corporibus iaculum, vulnusque fouere.*

Loquitur scilicet Max. de Machaone & Podalirio. Et quidem verba S. Ioannis Chrysostom. Orat. 2. de incomprehensibili Dei natura, hæc, διὰ τοῦτο οἱ σοφοὶ τῶν ἰατρῶν μαλακῇ τινὶ σπογγιᾷ τὰ τοιαῦτα καταψήχουσιν ἕλκη: *Proinde periti medici spongia quadam molli talia demulcent*, id est, vulnera. Hæc (inquam) verba ducunt me ad spongiam tepida humefactam, non frigida. Præsertim cum idem statim accommodans rem hanc ad medicum spiritualem dicat, illum vsurpare ad medendum ἀπαλῇ σπογγιᾷ προσηνεῖ ὕδωρ, *clementem aquam in molli spongia.* Quæ est hæc clemens aqua? certè non frigida, imò tepida.

20. LONGÆVVS.] Consequenter, nam sup. *senior*.

21. SVBITOQVE OMNIS DE CORPORE FVGIT QVIPPE DOLOR.] Est hoc, quod Homer. Iliad. 16. αὐτίκα C παῦσ' ὀδύνας. & Iliad. 5. ὀδύναι δὲ κατηπιόωντο βαρεῖαι.

21. QVIPPE.] Iul. Scal. 4. Poët. c. 16. non longè à fine: *quippe asseueramus aduerbium. Quippe vetor fatis. fugit quippe dolor.* Quippe.

23. STETIT IMO VVLNERE SANGVIS.] Cicer. 2. Tusc. *Neque sanguis vllo potis est pacto profluens consistere.* Sententiam Virg. ita extulit Plut. in vita Agesil. τὴν φορὰν τοῦ αἵματος ἱστάναι, scilicet ἰατρός. Stetit sanguis.

24. IAMQVE SECVTA MANVM, &c.] In hoc spontaneo sagittæ exitu non dubium quin referendus sit Poëta ad exitum sagittarum voluntarium ex capræ corpore ad gustatum Dictamnum. Ælian. enim de hac re loquens capite decimo libri primi: τὰ βέλη ἐκπίπτειν. Aristot. Dioscor. Plut. vsurpant verbum ἐκβάλλειν in re eadem. Oppian. 2. Cyn. de re simili loquens, ἐξέπεσεν ῥεῖα. Dictamni natura.

D 25. NOVÆ REDIERE IN PRISTINA VIRES.] Vult Germ. adumbratum Hom. locum, apud quem Minerua curans Diomedis vulnus, eius membra reddidit ἐλαφρά, *leuia, agilia.*

26. ARMA CITI PROPERATE, &c.] Tale illud Silij libro quarto: *Arma viri, rapite arma viri, dux instat.*

27. NON HÆC HVMANIS OPIBVS, &c.] Prop. Eleg. 3. lib. 2.

Non non humani sunt partus talia dona,
Ista decem menses non peperere bona.

28. MAIOR AGIT DEVS.] Apollo, ex interpretatione Seruij. Neque dici potest, vt volunt aliqui, deceptus Seru. nam hoc potuit Iapix putare. Sed E Poëta tamen vsus falsa medici suspicione potuit Venerem intelligere. Vide quæ scripsi 2. Æneid. ad illud, *ducente Deo*, vbi sermo est de Venere. Sic & Plut. in vita Periclis de Minerua suggerente medicinam, ἡ θεὸς ὄναρ φανεῖσα συνέταξε θεραπείαν: *apparens in somnis Dea medicinam præscripsit.* vbi tamen θεὸς, id est, *Deus.* & de Iunone Euripid. in Herc. ὁ ἄντος, id est, κακόν. Deus etiam de Dea.

ᵃ Ille auidus pugnæ ſuras incluſerat auro
Hinc atque hinc,oditq; moras,haſtamq; coruſcat.
Poſtquam habilis lateri clypeus,loricáque tergo eſt,
Aſcanium fuſis circùm complectitur armis,
Summáque per galeam delibans oſcula fatur.
ᵇ Diſce puer virtutem ex me,verumq; laborem,
Fortunam ex aliis:nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit,& magna inter præmia ducet.
Tu facito mox,cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor,atque animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas,& auunculus excitet Hector.
ᶜ Hæc vbi dicta dedit,portis ſeſe extulit ingens,
Telum immane manu quatiens:ſimul agmine denſo
Anteus,Mneſtheúſque ruunt,omniſq; relictis
Turba fluit caſtris.tum cæco puluere campus
Miſcetur,pulſuq; pedum tremit excita tellus.
ᵈ Vidit ab aduerſo venientes aggere Turnus,
Vidêre Auſonij,gelidúſque per ima cucurrit
Oſſa tremor.prima ante omnes Iuturna Latinos
Audiit,agnouítque ſonum,& tremefacta refugit.
Illè volat,campóque atrum rapit agmen aperto.

ARGVMENTVM.

Armatur Æneas, deoſculatur Aſcanium, rapitur ad bellum alacer, terrentur Latini.

EXPLICATIO.

ᵃ VIDE præcipitantiam viri bellatoris. Vix ſanitati redditur, cùm ſuris induit aureas ocreas, & odio habens omnem moram,haſtam vibrat, clypeum ſumit, & loricam: tantillámque moram facit in complectendo,& deoſculando Aſcanio. Ita omnia præcipitanter, quia *auidus pugnæ*. Expende aliqua. B *Suras hinc, atque hinc*, id eſt, vtramque ſuram. *odit moras*, non abiicit, aut aliud obuium. Præclarè *habilis lateri clypeus*,& cum alluſione ad ὀχῆας, id eſt, *anſulas*,quibus innectitur clypeus, quæ dictà ἀπὸ τοῦ ἔχω,*ab habendo*, Filium *complectitur armis fuſis*, vt decet militem, non ademptis. Quaſi dicat: fundit ſuper filium armata brachia. *Delibat* tantùm *oſcula*, quia præ auiditate eundi noluit plenum guſtum, ideo etiam *ſumma oſcula*.quia vix attigit. Cùm ait *per galeam*,decenter ſignificat induiſſe quoque illam.Extremum hoc Seru.

ᵇ Sequuntur aurei verſus, quibus Æneas vult Aſcanium diſcere ab ſe militarem virtutem; *verum laborem*, id eſt, non eum laborem, qui adſcribitur, & affingitur aliis Imperatoribus, cùm caruerint. C Atqui *fortunam ex aliis*, quaſi hæc optanda tantùm ſit, & nemo eam poſſit promittere. Pergit. *nunc te mea dextera bello defenſum dabit*. pro defendet. *& magna inter præmia ducet*, id eſt, magna ad præmia. Hæ ſunt meæ partes, ô fili: tuæ, A vt cùm adoleueris maturiore, & firmiore ætate, repetas proponáſq; animo tuorum exempla, imprimis Æneæ patris,Hectoris auunculi.

ᶜ Vix dixerat,cùm illicò caſtrorum *portis ſeſe extulit quatiens manu ingens* ipſe *telum immane.* Itaque *ingens* eſt Æneas. Si quis velit, *telum ingens immane*, non pugnem. Sed ecce πρέπον magni Principis, nam *denſo agmine* ruunt vnà cum illo duces magni, & turba alia. Toto campo puluis excitabatur,& præcuntium ferocitate tremebat tellus.

ᵈ Vident agmen venientium Turnus,Latini, Iuturna: illi tremunt,hæc fugit. Vide,quantus Æneas ſit,quem Dea quoque fugit. Hic verò non *it*, ſed *volat*:nec *fert*,ſed *rapit*. Vide impetum feſtinantis,*agmen atrum* puluere,& *campo aperto*. quia qua ibat,cedebant omnes.

NOTÆ.

1. AVIDVS PVGNÆ.] Nota diligenter Lector diligentiã Virgilij de perſonis Æneæ, & Aſcanij. Quia pater eſt *auidus pugnæ*,ideo filium facit 9.Æneid.*auidum pugnæ*.Quia in 1.dicitur, *Æneæ, & Aſcanij mutua vicitudo.*

Omnis in Aſcanio chari ſtat pugna parentis,

ideo in 9.Iüli *animum patriæ ſtrinxit pietatis imago*.Quia in 1.Aſcanius *complexu Æneæ colloque pependit*, ideo hîc pater vicem reddens,

Aſcanium fuſis circùm complectitur armis.

Mittit Æneas Achatem ad Aſcanium, vt hunc ad mœnia ducat;optans eius conſpectum, *neque enim patrius conſiſtere mentem Paſſus amor*: ita mittit Aſcanius Niſum,& Euryalum,qui patrem accerſant, illis verſibus,

——*reuocate parentem,*

Red

Reddite conspectum, nihil illo triste recepto.
Æneas in 2. *horrore* perfunditur, vt vir, cùm *subiit patrii casus Iuli*: Iulus in hoc libro *mærore, & lacrymis*, vt puer, cùm videt ante oculos vulneratum patrem. Omitto multa similis diligentiæ loca, & hæc indicare è re visum ad imitationem tanti Vatis.

2. SVRAS INCLVSERAT AVRO.] Ab Euripid. fortassis, qui in Phœniss.

Ἤδη δ᾽ ἐγύμνουν σῶμα παγχάλκοις ὅπλοις
Δισσοὶ γέροντος Οἰδίπου παῖδες:
Iam tum occultabant corpus æreis armis
Gemini senis Oedipi iuuenes.

Habilis. 3. HABILIS.] Homerus εὖ ἀραρυῖαι vsque ad nauseam. Quid propriè sit *habile*, nosces præclarè ex contrario. Ait Liu. libr. 33. nauem quandam fuisse *inhabilis propè magnitudinis*. Ergo, vt *inhabile* est, quod nequit commodè tractari, ita contrà *habile*.

Lorica & tergi. & pectoris. 4. LORICAQVE TERGO EST.] Etenim æreus thorax & tergo, & pectori applicatur. De tergo hîc vides: de pectore audi Varronem: *Lorica à loris, quòd de crudo corio pectoralia faciebant.*

Imitatio. 5. ASCANIVM, &c.] Imitatio proculdubio Homeri, apud quem libro sexto Iliados Hector iturus iam ad bellum filium complectitur, osculatur, mille allicit blandimentis. Vt hîc *fusis* brachiis, ita Græci περιβάλλειν ad rem hanc. Et Philostratus libro primo Sophist. περιβαλὼν δὲ, καὶ ὑπερασπάσας αὐτόν. Actio ista

Concordia inter patres, & filios. Æneæ adducit mihi in memoriam Plutarchi sententiam in vita Demetrij. Cùm enim Antigonus pater filium Demetrium amplecteretur affatim, & exoscularetur, subiicit scriptor, ὡς ἰσχύν τινα πραγμάτων βασιλικῶν καὶ δυνάμεως ἐπίδειξιν εἶναι, τὴν πρὸς τὸν υἱὸν ὁμόνοιαν καὶ πίστιν. Dicit videlicet, *concordiam cum filio fidémque, quam ei habebat, esse veluti neruos Regiarum actionum, & ostentationem potentiæ.*

Oscula ab armato. 6. SVMMAQVE PER GALEAM, &c.] Stat. lib. 4. Theb.

——*galeis iuuat oscula clausis*
Inserere, amplexuq; truces deducere conos.

Plutarchus de Antonio, τὴν Κλεοπάτραν κατεφίλησεν ἐν τοῖς ὅπλοις: *Cleopatram in armis osculatus est.* Claud. in laudib. Serenæ,

——*galeaq; inserta minaci*
Oscula cristati raperes festina mariti.

Libare oscula. 7. DELIBANS OSCVLA.] In 1. *oscula libauit nata.* Apul. habetúrq; inter fragmenta Arbitri, *olli purpurea delibantes oscula.* Tu hîc lector παρθένιον Vatê agnosce,

Homeri vitium. qui tantùm *delibans*, idque ex decoro Æneæ. Alius hîc lasciueret. Et notat (credo) Homerum, apud quem Hector iturus ad bellum 6. Iliad. diu immoratur inter blanditias nati. Abstinet etiam prudenter à parte, qua impressum osculum, in qua etiam re nimius Homerus, vt cùm ait Odyss. 16. κύσσε δέ μιν, non solùm κεφαλὴν, sed adhuc ἄμφω φάεα καλά. Si à me quæras, quam partem putem osculatam Ascanij?

Osculum Æneæ in capite filij. Crediderim caput, præeunte ratione, & auctoritate. Ratione, quia in capite osculato minùs est blanditiarum, & ita decebat à viro militari fieri, & in conspectu tot procerum: itaque non ex decoro videbantur attingendæ genæ, aut facies pueri. Auctoritate, quia vir militaris Philippus Alexandri filij caput osculatur, τὴν κεφαλὴν φιλήσας, ait Plutarc. in vita Alexandri, videlicet postquam is inspectante patre Bucephalum domuerat. Et quidem hoc genus

Osculum militare, quid. osculi esse longè à blanditiis, & veluti militare, etiam liquidum è verbis Ammiani lib. 28. *Osculanda capita in modum taurorum minaciter obliquantes.* Scio ab Apul. libr. 2. induci inter blanda oscu-

A la; sed hoc nihil pugnat, cùm simillimi sæpe mores vsurpari soleant in re dissimili. Addo etiam in confirmationem, Eurip. auctoritatem in Medea, vbi, qui adsunt, osculantur ξανθὸν κάρα παίδων, *flauum caput puerorum.* Itaque videtur tale osculum deberi pueris. Et apud eundem in Troadib. inuitur Andromacha osculata filium Astyanacta in capite, nam cùm præcessisset, ἐκπίτνοντα βόστρυχον, *excelens cæsariem* pueri, subiicitur statim de osculo, φιλήμασιν τ᾽ ἴδ᾽ ὤμων.

8. DISCE PVER, &c.] Cùm dicat Æneas velle à se peti exemplum laboris & fortitudinis, non fortunæ & felicitatis; huc pertinet illud Coriolani euntis in exilium, qui suis liberis dixisse fertur (auctor est Dionys. lib. 8.) *vt illis, cùm ad ætatem virilem peruenirent, Dij darent meliorem fortunam, quàm patri; virtutem non deteriorem.* Nec non argumentum eiusdem Dionysij, qui ait se permotum ad scribendam historiam, videlicet vt haberent filij clarissimorum virorum genus vitæ, quod sequantur, non *iucundissimum & facillimum, sed generosissimum & laboriosissimum.* Pericles apud Plut. in opere, quo se quis laudare sine inuidia queat, quidpiam protulit huic non dissimile. Cùm enim amici morientem circumstarent, laudaréntque victorias eius & trophæa, ipse tunc Pericles, μικρὸν ἐπαναστὰς ἐμέμψατο αὐτοὺς, ὡς κοινὰ πολλῶν, καὶ τῆς τύχης ἔνια μᾶλλον ἢ τῆς ἀρετῆς ἐγκώμια λέγοντας, *paululùm* C *sese erigens reprehendit eos, quòd communes multorum, & fortunæ magis, quàm virtuti debitas laudes retulissent.* Argumentum hoc attigit Sulpitia illa Caleni coniux, cùm cecinit.

Virtus militaris discenda à maioribus, non felicitas.

B

Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeò magni fecisset, vtrúmne secundis,
An magis aduersis staret Romana propago.
Scilicet aduersis. ——

Vbi sententia est, non felicitate, sed labore partam Romani Imperij maiestatem. Geminum cum Maroniano illud Attij in armorum iudicio apud Macrob. lib. 6. c. 1.

Virtute sis par, dispar fortunis patri.

D Quæ verba Aiacis sunt alloquentis filium Eurysatem. Credendúsque Attius sumpsisse hoc ab Sophocle, apud quem Aiax instruens filium ὠμοῖς νόμοις *crudis legibus*, ita ait,

Ὦ παῖ γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος,
Τὰ δ᾽ ἄλλ᾽ ὁμοῖος, καὶ γένοι᾽ ἂν οὐ κακός.
O fili, fias patre fortunatior,
Cetera verò similis, ita fueris haud malus.

In illis *cetera similis*, labores intelligit. Sophoclem, & Attium Vrsinus adducit, sed priùs ego scripseram, & vtrumq; composueram, quàm in illo vidissem. Redeo. Non longè abit illud eiusdem Attij in Telepho,

E *Nam si à me Regnum fortuna, atque opes*
Eripere quiuit, at virtutem nequiuit.

Habet saporem cum Virgiliana sententia Euripid. in Alcestide, vbi habetur sermo hic ad lectum Alcestidis de futura Admeti vxore,

Σώφρων μὲν οὐκ ἂν μᾶλλον, εὐτυχὴς δ᾽ ἴσως:
Non quidem castior, sed fortasse felicior.

9. EX ME.] Seneca in Furente *ab* voluit, eo versu,

Et disce rerum imperia ab Alcide pati.

Plaut. in Trin. dixit, *meo modo, & moribus viuito.*

Inter, pro ad.

10. INTER PRÆMIA.] Pro *ad* positum ait Seru. & verba hæc Tull. in Catil. *Dico te priore nocte venisse inter falcarios*, explicat, pro, ad falcarios.

Facito.

11. FACITO.] Pro, da operam. Plaut. *facito, vt memineris.* Catull.

Tum vero facito, vt memori tibi condita corde.

Mox cùm.

12. MOX, CVM.] Eadem potestas vtrique particulæ; atque illis: *mox, quando: mox, vbi: mox, vt.* Omnia exemplis firmat Godesc.

Arborum sermo ad ætatem.

13. MATVRA ADOLEVERIT ÆTAS.] Vtraque vox sumpta ab arboribus. Eurip. in Heraclid. de liberis etiam loquens, cùm similes sunt patribus, dixit βλαστάνουσιν. vt & Plato de Leg. βλάστην ζώων. quæ verba arborum sunt.

Patrum exépla proponéda liberis.

14. ET PATER ÆNEAS, ET, &c.] Docemur his proponenda liberis exempla patrum, quibus exemplis nihil efficacius. Iactat hoc pater quidam apud Quintil. Declam. 258. *Quod fortiter fecisti, roboris & corporis mei, meum est: animus iste ad contemnenda pericula paratus, ex meo fluxit. Ego te diu præceptis feci virum fortem, proximè quidem etiam exemplo.* Philost. lib. 6. vit. Apoll. cap. 14. ἔστω ὁ πατὴρ παράδειγμα ἀρετῆς τοῖς παισίν: *Sit pater filiis virtutum exemplar.* Pulcherrimè Prud. Hym. 10. vers. 542.

Exemplum ad istud nitere ô fortis puer,
Generosa proles, matris & potentia,
Omnes capaces esse virtutum pater
Mandauit annos: neminem excepit diem,
Ipsis triumphos annuens vagitibus.

Seneca Heluiæ habenti Nouatillam loco filiæ, ita scribit: *Nunc mores eius compone, nunc forma. Altius præcepta descendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus. tuis assuescat sermonibus, ad tuum fingatur arbitrium. multùm illi dabis, etiamsi nihil dederis præter exemplum.* Præcipuè hæc exempla valent ad fortitudinem, quæ mens Poëtæ. Aristoteles libro quinto Politicorum dixit εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων. quæ verba ita reddidit Horat.

Fortes nascuntur fortibus & bonis.

Et Sen. in Troad.

Generosa in ortus semina exsurgunt suos.

Quot hîc paginæ impleri possent? Sed nefas est sileri imitationem. Fortasse hæc sumpta ab Eurip. in Androm. vbi de Pyrrho (cuius pater est Achilles, Peleus auus) dicitur,

——Πηλέως τε γὰρ ἄξια,
Πατρός τ' Ἀχιλλέως ἔργα δρῶν φανήσεται:
——*Peleo enim digna,*
Et Achille patre facta videbitur facere.

Itaque, Æneas pro Achille, Hector pro Peleo, Ascanius pro Pyrrho. Notetur domestica adduci exempla Æneæ, & Hectoris. Itaque quadrat locus Demosthenis libro tertio Olynth. οὐ γὰρ ἀλλοτρίοις ὑμῖν χρωμένοις παραδείγμασιν, ἀλλὰ οἰκείοις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εὐδαίμοσιν ἔξεστι γενέσθαι: *Non enim alienis vos vtentes exemplis, sed domesticis, ô viri Athenienses, felices esse licet.*

15. HÆC VBI DICTA DEDIT.] Hemistichium hoc Lucill. est. Macrob. Vrsin.

Imitatio.

16. PORTIS SESE EXTVLIT.] Ab Hom. Iliad. 17.
Ὣς εἰπὼν πυλέων ἐξέσσυτο φαίδιμος Ἕκτωρ:
Sic locutus portis sese extulit illustris Hector.

Quatere hastam.

17. QVATIENS.] Κραδαίνων, πάλλων. Sup. *hastamq;* coruscat.

Densitas, de acie.

18. AGMINE DENSO.] Plut. in vita Flamminij dixit, πυκνῶσαι τὴν τάξιν. Idem sæpe de re eadem πυκνότης.

Virgilij diligentia.

19. RVVNT.] Laudo diligentiam tuam Maro. Fortasse somnio cùm hæc scribo, sed dicam somnium meum. Pugnant in Turnum & Rutulos elementa quatuor. Nam Troiani *ruunt.* en fulmen igneum, nam *ruere* dicuntur fulmina præ præcipitantia, & quia veluti pars cœli ruinam videtur facere. Deinde, turba *fluit* castris relictis, en aqua. Troiani quippe instar fluminis effundebantur. Tertiò, *tum cæco puluere campus miscetur*, en aër, qui nubilosus præ puluere. impingebat in oculos hostium. Demum *pulsuq; pedum tremit excita tellus.* en vt terra tremore suo terrefecit Ausonios.

20. FLVIT.] Plut. in vita Alex. hac metaphora, ἐπικυμαίνειν τὴν φάλαγγα.

Terra tremit.

21. PVLSVQVE PEDVM TREMIT EXCITA TELLVS.] Ennodius Paneg. *tellus excita tremuit concussione cornipedum.* Statius libro duodecimo Thebaidos in re simili, *tum montes vndiq; fremunt.* & libro quinto, *Dat sonitum tellus.* Lucanus libro quarto: *Tum campi tremuere sono.* Calaber libro vndecimo: ἀμφὶ στεναχίζετο δ' αἶα. Iterum: βρέμει δέ τι γαῖα περὶ χθών. Habetur & hemistichium Virgilij libro septimo, vbi & illustratum.

Sudor gelidus.

22. GELIDVSQVE PER IMA, &c.] Silius libro decimoquarto, *gelidus per viscera sudor Corpore manabat tremulo.*

Atricies, de puluere.

23. ATRVM.] Explicuit per *atriciem* nubem pulueris. Vt Val. lib. 1. Arg. per *nigredinem* eo versu, *Solymo nigrantem puluere fratrem.* Quod accepit à Virgilio, qui in 9. *nigro glomerari puluere nubem.* & statim, *tenebras insurgere campo.*

Apertus cāpus, quis.

24. APERTO.] Sæpe occurrit hæc vocula in Virg. & puto non obuio significato explicandam, sed per eam debere intelligi id, quod in longitudinem protenditur. Itaque cùm in 11. ait de equo, *potitum campo aperto*, nihil vult aliud, quàm potitum spatio, vbi posset euagari longiùs: & hîc *campus apertus* est, vbi ingens spatium. nam Græci verbū ἀνοίγω ita vsurpant. vt cùm ait Xenoph. lib. 1. ἑλλ. πρὸς τὴν γῆν ἀνεβίβαζε τὰς ἑαυτοῦ τριήρεις, ὡς ἤνοιγε περὶ τὸ Ῥοίτειον: *Ad terram triremes suas subducebat, cùm circa Rhœteum in mare largius prodiisset.* Extrema respondent verbo ἤνοιγεν, *aperuisset.*

[a] Qualis vbi ad terram abrupto sydere nimbus
It mare per medium: miseris heu præscia longè
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus stragémque satis: ruet omnia latè.
Anteuolant, sonitúmque ferunt ad littora venti.
[b] Talis in aduersos ductor Rhœteïus hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. ferit ense graui Tymbræus Osirim

Arche

Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Vfentémque Gyas. Cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in aduersos telum qui torserat hostes.
[c] Tollitur in cœlum clamor, versíq; vicissim
Puluerulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
[d] Ipse neque aduersos dignatur sternere morti,
Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes
Insequitur, solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.

ARGVMENTVM.

Æneæ impetus cum tempestate comparatur, describitur Latinorum cædes & fuga.

EXPLICATIO.

[a] APrissima comparatio Æneæ furentis, in qua sunt causa & effecta duo. Causa ab abrupto sydere. Effecta, primum, corda agricolarum horrore plena; alterum, ruina arborum, strages satorum. Quæ duo effecta procedunt à ventis, qui volant ante tempestatem, vt malorum nuntij.

[b] Talem Ænean finge: etenim nimbus Æneas est. Ex effectis primum iam præcessit in illis, *gelidúsque per ima cucurrit Ossa tremor*, ideo enim in comparatione postea, *horrescunt corda agricolis*. Alterum sequitur in cædibus, quæ iam describuntur, nam Tymbræus, Mnestheus, Achates, Gyas, Troiani omnes, cædunt Osirim, Archetium, Epulonem, Vfentem, omnes Rutulos. Fit etiam peculiaris mentio Tolumnij auguris, qui etiam cecidit veluti in pœnam disturbati fœderis, cùm primus hastam torsit in Troianos.

[c] Hinc clamor sublatus, quod necesse in tanta terum trepidatione: & Rutuli versi in fugam præ timore aduolantis Æneæ instar turbinis. Accedit comes fugæ puluis, ideo *terga puluerulenta*.

[d] In personarum decoro seruando magnus semper est Virgilius. Ergo, cùm alij duces hostem quisque obuium interficeret, ipse nihil eos dignatur, etiamsi videat contra se dirigi equites, pedites, tela omnia. Omnia contẽnit, & vnũ tantùm quærit Turnum, vt fortis, vt religiosus. Vt fortis, quia quærit hostem digniorẽ honestioremq; præ aliis: vt religiosus, quia cautum erat fœdere, vt duo illi tantùm concurrerent singulari pugna, multitudini parceretur.

NOTÆ.

Homeri vitium. 1. QVALIS VBI, &c.] Scaliger *miseras* vocat Homericas comparationes præ hac, & enumeratis quatuor: adiicit, paruo negotio magnum fieri posse librum, si carmen condas, vti Homerus condidit. Primam tantùm profecto, alias omitto, ne te onerẽm.
Imitatio. Habetur ea 13. Iliad.

Ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι,
Ἤματι τῷ ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους
Οἵ τ' ἄμυδις κονίης μεγάλην ἱστᾶσιν ὀμίχλην:

A *Veluti autem quando à stridulis ventis agitatæ festinant procellæ,*
Die illo, cùm plurimus puluis est per vias,
Qui simul pulueris magnam excitant caliginem.
Omisso ergo Homero, ex Cal. lib. 1. vnam etiam propono, cùm possem multas,

Ἄλλος δ' ἄλλον ἔπεφνε περιστεναχίζετο δ' αἶα.
Ὡς δ' ὅτ' ἐπιβρίσαντος ἀπειρεσίου ἀνέμοιο
Λαῦρον ὑπαὶ ῥιπῆς βαρυχέος, ἄμυδις ἄλλα
Δένδρεα μακρὰ πίπτουσιν ὑπ' ἐκ ῥιζῶν ἐριπόντα,
Ἄλλοτε ἐν πεδίοις, βρέμει δέ τε πᾶσα περὶ χθών:

Alius autem alium trucidauit, vnde tellus longè latéque gemuit,
Vt fit quando valido ingrauescente vento,
Vehementer horrisono cum impetu, alia hic, alia illic
Longè arbores prosternuntur radicitus erutæ,
B *In fertili loco, vnde omnis circumfremit regio.*

2. ABRVPTO SYDERE.] Cùm *sydus* sumatur pro tempore, vt 1. Georg. *quo sydere terram Vertere Mæcenas*: aut pro tempestate & intemperie, vt 4. Æneid *Hyberno moliris sydere classem*. Cùm (inquã) ita sumatur hęc vox, confert bono iudicio Germ. rem hanc ad ortus, aut occasus syderum. Cùm .n. sub his soleant tempestates excitari, fit vt sic accipiatur more Latinorũ, qui sæpe confundunt causam cũ re effecta. Ergo *abrumpi sydus* erit, abrumpi turbinem & tempestatem. — Sydus pro tempore, & Tẽpestate.

3. NIMBVS IT MARE PER MEDIVM.] Cùm in mari tempestatem ponat, credo allusisse ad comparationem Hom. 13. Iliad. hanc, — Imitatio.

Οἱ δ' ἴσαν ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ,
Ἥ ῥά θ' ὑπὸ βροντῆς Διὸς εἶσι πέδονδε,
C Θεσπεσίῳ δ' ὁμάδῳ ἁλὶ μίσγεται, ἐν δέ τε πολλὰ
Κύματα παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης
Κυρτὰ, φαληριόωντα, πρὸ μέν τ' ἄλλ', αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα:

Hi autem ibant molestorum ventorum similes turbini,
Qui à tonitruo Iouis it per campum,
Magno autem cum strepitu mari miscetur, insuntq; multæ
Vndæ æstuantes multisoni maris,
Turgidæ, spuma albicantes, priùs quidem aliæ, deinde aliæ.

Ab vtroque Val. lib. 5. Arg.

Fit fragor ætherias cùm Iuppiter arduus arces
Impulerit, manus aut imas Neptunia terras,
Horruit immensum ponti latus, horruit omnis, &c.

4. HORRESCVNT CORDA AGRICOLIS.] Hanc
D partem comparationis sumpsit ab alia Homer. Iliad. 4. Hoc enim admirandum est in Virgilio, vt ex multis sæpe Homericis comparationibus vnam compingat. Non .n. abutens otio tibi illas coniungo. Est .n. pulcherrimum spectaculum cernere, vt molem ademerit, & ab vnaquaq; libauerit, quod idoneum ad rem suam. Sed ego iam ad meam.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ — Imitatio.
Ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς.
Τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα

Φαίνεται δ' ἰδὲν εἴη ποντόθεν, ἠύτε πίσσα, ἀνα πόντον,
Ῥίγησεν τε ἰδὼν ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα:
Sicut quando è specula vidit nimbum caprarius vir
Venientem per mare à Zephyri flatu:
Illi autem procul existenti niger vt pix
Videtur, gradiens per mare, adducit autem imbrem multum.
Horruitq́, conspicatus eum, subque specum oues compulit.
Aliquid & ab Hom.& à Virg. Valer.lib.3.Argon.loquens enim de imminente nube,

——— pendent mortalia longo
Corda metu,quibus illa fretis,quibus incidat aruis.

Imitatio. 5. ARBORIBVS STRAGEMQVE SATIS.] Non defatigatur Poëta, ecce & hoc à Cal.lib.1.

Ὡς δ' ὅτ' ἐπιβρίσαντος μέγα σοίμασα θυέλλα,
Ἀλλ' μὲν ἐκ ῥιζῶν χαμάδις βάλε δένδρεα μακρὰ,
Ἄνθεσι τηλεθόωντα:———
Sicut vbi ingrauescens magno murmure venti procella,
Arbores longas partim radicitus humi prosternit,
Cum floribus virescentes.———

Vide à quàm multis vnicam comparationem. Stragem hanc in re simili Hom.attigit Iliad.16. *μινύθει δέ τε ἔργ' ἀνθρώπων*, videlicet ad inundantem torrẽtem. Quo affectu 2.Æneid. *Sternit sata lata boumq́, labores.* & Stat. *deflent sua damna coloni.*

6. RVET.] Pro, *eruet*; dictum iam 1.Æneid.

Venti quomodo cum tempestate. 7. ANTEVOLANT.] Iul.Scal.ita: *Quomodo nimbum anteuolant venti, si illum impellunt? quia nimbus crassior aër est. Itaque ventus & post, & ante, & cum illo.* Et *volant* de ventis, poësi grata. Ouid.3. Trist. Eleg. 10. de Borea, *iactatis insonet alis.* & de Noto 1.Metam. *madidis euolat alis.* & centeni.

Ventorum impetus. 8. SONITVMQVE FERVNT AD LITTORA VENTI.] Cal. lib.3. loquens de Borea, & Zephyro venientib. Troiam ad incendendam pyram Achillis mortui,

Οἱ δὲ θοῶς ὄμηνδαν ὑπὲρ πόντοιο κέλευθα
Ῥοιζῷ ἀπειρεσίῳ. περὶ δ' ἴαχεν ἰσυμένοισι
Πόντος ὁμοῦ καὶ γαῖα:———
Illi statim viam arripuere super mare, vt ferrentur
Magno impetu, atque illis irruentibus infremuit
Pontus simul & terra.———

Sed non dubium, quin Virg. alludat ad prognosticum, cuius fit mentio 1.Georg. verbis illis, *resonantia longè Littora misceri.* Quo loci vide me.

Virgilij iudicium. 9. DVCTOR RHOETEIVS.] Cum iudicio, vt solet. Qui enim à mari tempestatem aduocauerat, Ænean indigetat à maris promontorio, quasi non minùs illi à mari, quàm venti. Millena in hoc Vate, si oculos habeas, quibus Poëtæ alij carent. Secutus verò sum vulgarem orthographiam. Credo tamen scribendum *Rheteïus.* Nam Iliense hoc promontorium *ῥήτειον* vocat Strab.lib.13.

Cuneus. 10. CVNEIS SE QVISQVE COACTIS AGGLOMERANT.] Potes accipere Poëtam, vt verè se milites in cuneos formarent ad irrumpendum. vel simpliciùs, vt tantùm indicet confertum militem. Ad sermonẽ Virg. compactus ille Tacit. *Illi veteris militiæ memores in cuneis congregantur densi vndique.* vbi tantùm densitas animaduertenda, non cuneus strictè sumptus. Hoc videtur etiam sentire Vrs. qui huc confert ex Iliad. 5. *Ἀργεῖοι δ' ὑπέμειναν ἀολλέες*: *Argiui addensati sustinuerunt.*

A

11. FERIT.] Esse hoc verbum proprium pugnantium cæstibus, iam alij adnotarunt. Inde Casaub. Persij imitationem notat, nam quod Horat. de affectata balbutie dixit, verbo cæstuum, *balba feris annoso verba palato,* Persius verbo luctantium, *tenero supplantat verba palato.* Ferio, de cæstibus.

12. CADIT IPSE TOLVMNIVS AVGVR.] Lege Erasm. Ch.1.Cent.2.c.14. in Adagio, *Malum consilium consultori pessimum.*

13. PRIMVS IN ADVERSOS, &c.] Ab Hom. Iliad. 16. vbi de Sarpedone, Imitatio.

Κεῖται ἀνὴρ, ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν:
Iacet vir, qui primus irruit in murum Græcorum.

B

14. TOLLITVR IN COELVM CLAMOR.] Aristoph. Vespis de clamore sublato ait, *ἐς τὸν οὐρανὸν*, *vsque ad æthera.* Alibi Noster, *it clamor cælo.* Et quidem Virgil. delectatus est verbo *tollere* ad hanc rem. In 9. *clamor tollitur.* In 2. *clamores ad sydera tollit.* Sic & Lucret.lib.4. *tollunt clamores.* Clamor in cœlum.

15. VERSIQVE VICISSIM.] Ideo *vicissim* Rutuli, quia, vulnerato Ænea, priùs Troiani fugerant. Præcessit enim,

—Turno, quocunque viam secat, agmina cedunt,
Conuersaq́, ruunt acies.———

16. IPSE NEQVE ADVERSOS.] Aliqui hîc legunt *auersos* id est, fugientes, quia & statim consequenter *insequitur,* ad eum modum, quo in 10. de Mezentio, Lectio Virgiliana.

Atque idem fugientem haud est dignatus Orodem
Sternere, nec iacta cæcum dare cuspide vulnus.

C

Sed præfero *aduersos.* hæc enim maior Æneæ gloria. & deinde repræsentata in Ænea persona Hectoris, de quo 16. Iliad. Imitatio.

Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἔα, οὐδ' ἐνάριζεν,
Αὐτὰρ ὁ Πατρόκλῳ ἔπεχε κρατερώνυχας ἵππους:
Hector autem alios sinebat Græcos, neque spoliabat,
Sed vni Patroclo intendebat equos, quibus fortes vngulæ.

17. SOLVM DENSA IN CALIGINE TVRNVM.] Ad vestigia Hom. Iliad. 3. Imitatio.

Ἀτρείδης δ' ἀν' ὅμιλον ἐφοίτα θηρὶ ἐοικὼς,
Εἴπου ἐσαθρήσειεν Ἀλέξανδρον θεοειδέα:
Atrides autem per turbam ibat feræ similis,
Sicubi cerneret Alexandrum diuinum.

D

18. VESTIGAT LVSTRANS.] Repræsentat imaginem venatoris. De quo Vatis huius more, qui non clarè comparationes det, sed ad illas tantùm alludat, dictum alibi copiosè. Sic infrà *vestigatq́, virum.* Ex re quoque venatoria Soph. in Aiace, de quærente alium dixit, *κυνηγετοῦντα ἴχνη*: *venantem vestigia.* Venatoris imago.

19. SOLVM IN CERTAMINA POSCIT.] Est hoc, quod in libro nono, *In solo Volscente moratur.* & Valer. libro sexto Arg. *Canthum sequitur, Canthumq́, reposcit.*

[a] Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longè lapsum temone relinquit.
Ipsa subit, manibúsque vndantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocémque, & corpus, & arma Metisci,
[b] Nigra velut magnas domini cùm diuitis ædes

Peruo

Peruolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parua legens, nidísque loquacibus escas.
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Iuturna per hostes
Fertur equis, rapidóque volans obit omnia curru.
Iámque hîc germanum, iámque hîc ostendit ouantem,
Nec conferre manum patitur. volat auia longè.

ARGVMENTVM.

Iuturnæ diligentia in seruando Turno, comparatur cùm hirundine.

EXPLICATIO.

a MEMINERIS suprà mandatum Iuturnæ à Iunone, vt Turnum morti eriperet, vel ipsa bella cieret, *Aut tu bella cie.* Ergo hoc ad implens præceptum, ipsa bellum administrat, *ipsa subit* in currum, excusso Metisco auriga *media inter lora*, atque ipsa *flectit manibus habenas*, & *vndantes* ait, quia *flectit* consequenti sermone. Demum in omnibus Metisco est similis voce, corpore, armis.

b Adhibet comparationem aptissimam. Solet hirundo peruolitare diligentissimè alicuius diuitis *ædes*, videlicet *atria*, *& porticus*, aut etiam *stagna*, vt quærat, legátque pabula suis pullis: talis Iuturna per medios hostes ferebatur, obibatque curru & equis loca omnia, ostentans iam hîc, iam alibi ouantem germanum, edentémque varias strages: tantùm cauebat à congressu Æneæ, peruolitans diuersa loca ab illis, in quibus Æneas versabatur.

NOTÆ.

Virago. 1. VIRAGO.] Præclarè: nam cùm *virago* sit, quæ impler virile officium, rectè, ita Iuturna dicitur, vt quæ subierit aurigæ munus in bello. Ergo cùm Ouid. dixit,

Fortis, & infelix, & plusquàm femina virgo,

viraginem definiuit, ita vt *virgo plusquàm femina*, sit virago. A voce *vir* olim *vira*, vnde virago. Vt Hebræis *is* est vir, *issa*, femina.

Imitatio. 2. AVRIGAM TVRNI, &c.] Totus hic locus ductus Homeri filo lib. 5. Iliad. vbi Palladem inducit aurigantem Diomedi, excusso Sthenelo auriga.

Ὣς φαμένη, Σθένελον μὲν ἀφ' ἵππων ὦσε χαμᾶζε,
Χειρὶ πάλιν ἐρύσασ'. ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσεν.
Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παραὶ Διομήδεα δῖον
Ἐμμεμαυῖα θεά. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα δ' ἄριστον.
Λάζετο δὲ μάστιγα, καὶ ἡνία Παλλὰς Ἀθήνη.
Sic locuta, Sthenelum ab equis deturbauit in terram
Manu retrorsum trahens. hic autem confestim desiliit.
Hæc verò in currum ascendit apud Diomedem diuinum
Gestiens Dea. Valdè autem crepuit fagineus axis
Sub pondere. potentem enim ducebat Deam, virúmque optimum.
Cepit autem flagellum. & habenas Pallas Minerua.

Homerum superat Virgilius. Confero breuiter, & cum victoria Latini. Ille, ὦσε, hic maiore efficacia, *excutit*. Ille, χειρὶ ἐρύσασα. hic, *relinquit lapsum temone media inter lora.* Neque enim di-

A gnata est *manu trahere*, sed *relinquere*, quod contemptibilius. Ille, ἔβαινε, hic, *subit*, vt rem regens clanculùm, hoc enim aptius ad dolum. Ille simpliciter, λάζετο μάστιγα καὶ ἡνία, hic pulcherrimè, *vndantes flectit habenas*. Illud de crepante axe relictum à Virg. optimo iudicio. Dolus enim nullam significationem permittebat rei factæ. Oportebat enim Turnum decipi. Itaque si axis gemeret, posset intelligere ascensum Numinis.

3. LAPSVM TEMONE.] Sic sup. *lapsum ceruice.* Cal. lib. 11. ἐκχυτόδ' ὢν σὺν ἵππῳ.

Vndare de habenis. 4 VNDANTES HABENAS.] Ita hoc dictum, vt à
B Lucillio, *comas fluitare*, & à Prudent. in Psychom.

Sericáque infractis fluitent vt pallia membris.

Sed hoc satis illustraui lib. 5. vbi, *vndantia lora*. Sic & Plaut. Epid. *vndantem chlamydem quassando facit.* & Aristotel. (notat Germ.) de reptilibus in lib. περὶ ζῴων, κυμαίνοντα, *vndabunda, fluctuabunda.* & motum illorum κύμανσιν, *fluctuationem.* Non abludit coniungi infrà *habenas* cum verbo aquarum, ait enim, *iratúmque omnes effundit habenas.* Noto etiam traductum hoc verbum ad homines. Nam Afranius apud Nonium, *Magnificè volo fluctuatim ire ad illum.* & Arnob. lib. 2. *lumborum crispitudine fluctuaret.* Fluctuo, de hominib.

C 5. NIGRA.] Audi Scal. lib. 3. Poët. cap. 27. *nigra hirundo ad differentiam Ripariarum, quæ species est hirundinis non nigræ. neque ædibus assueta* Hinc fortasse & Petron. dixit, *urbana Progne*, cum discrimine ad Ripariam & agrestem. Hirundo duplex.

Diues, beatus. 6. DOMINI DIVITIS.] Ab Catull. qui *diuitis domini hortulo.* Hom. Iliad. 11. ἀνδρὸς μάκαρος. quem enim nos *diuitem*, Græci *beatum* dicunt.

7. ATRIA.] Sic huic aui dat Cal. lib. 7. μέλαθρα. & Oppian. 5. Hal. ὄροφον. Arnob. lib. 6. *Hirundines intra ipsos ædium circumuolantes tholos.*

D 8. LVSTRAT.] Sanct. Hieronym. contra Heluid. *Illa ad hirundinis modum lustrat vniuersa penetralia.*

Hirundinis cibus. 9. PABVLA PARVA LEGENS.] Putà culices, & similia. Oppian. 3. Hal.

Ὡς δ' ὁπότ' ἀπτήνεσσι φέρει βόσιν ὀρταλίχοισι
Μήτηρ, εἰαρινὴ Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις:
Vt autem quando implumibus fert pabulum pullis
Mater, verna Zephyri prima nuntia hirundo.

Nazianz. in Carmine ad Nicobulum,

E Ὄρνις δ' ἄπτερα τέκνα φίλης καθύπερθε καλιῆς
Ἀμφιπεριτρύζει, καὶ τείρεται ἔνθα καὶ ἔνθα,
Μάστακ' ἀλητεύουσα προσὸς κοινὴ καὶ ἄπαστος:
Stridula quinetiam circumuolat vndique pullos
Implumes volucris, séque hic, illicque fatigat,
Pabula dum proli nutrix impasta requirit.

Hypallage. 10. NIDISQVE LOQVACIBVS.] Hypallage, nam hirundines loquuntur, non nidi. & *loquax* dicit, sic Oppian. 3. Hal. de hirundinum garritu, ἆπαν δὲ δῶμα λάλησιν. & quod hîc λάλησιν, statim idem, κλάζουσι νεοσσοῖς, de pullis hirundinum. & sup. τρύζοντες. Ab Anacreonte etiam hirundo dicitur λάλη, *loquax*. & loco alio dat illi φωνάς. Pollux dat huic aui ψιθυρίζειν.

Aristoph. in Ran. ἐπιτιμιοῦσιν. Athen. lib. 5. χελιδόνος πολυκρότε. Virg. inf. *sonat.* & 4. Georg. *garrula.* Vt etiam Arnob. lib. 7. *hirundines garrulæ.* Theophrast. in characterib. χελιδόνων λαλίστερος, dixit prouerbialiter, *hirundinibus loquacior.* A verbo τρύζειν, quod præmisi, Latinum *trinsare*, quod de hac aue. Quin ab loquacitate, qua hæc volucris insignis, Græcis dicitur κωτίλη. Est κωτίλλω, *loquor, garrio.* Ceterùm ea hypallaga, qua Virg. *nidis loquacibus*, ea (inquam) Iulius Montanus, *nidis argutis.* Floruit ille sub Tiberio. Versus adducit Sen. epist. 122.

Hirundine loquacior, Prouerbiũ.

Nidus loquax, quid.

——iam tristis hirundo
Argutis reditura cibos immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore ministrat.

A Iuuenal. etiam Sat. 5. *loquaci gaudebis nido.* & Amian. lib. 22. loquens de Ibide, *nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentum*, id est, pullis, per hypallagam. Itaque non placet Nonius, qui explicat *nidos* Virgilij de auium fœtibus in 4. Georg. *dulcem nidis immitibus escam.* Potius est, vt capias hypallagam, quod fit nullo incommodo Latij. Sunt enim qui quauis leui occasione fingunt noua vocum significata.

11. HVMIDA.] De quadruplici genere humidi lege Notam Luysini 2. Parer. cap. 25.

12. OSTENDIT OVANTEM.] Credo id factum à Iuturna, vt frater hac inani gloria inescatus nihil cogitaret de singulari certamine.

[a] Haud minùs Æneas tortos legit obuius orbes,
Vestigátque virum, & disiecta per agmina magna
Voce vocat. quoties oculos coniecit in hostem,
Alipedúmque fugam cursu tentauit equorum,
Auersos toties currus Iuturna retorsit.
[b] Heu, quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu,
Diuersæq; vocant animum in contraria curæ.
[c] Huic Messapus, vti læua duo fortè gerebat
Lenta leuis cursu præfixa hastilia ferro,
Horum vnum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Æneas, & se collegit in arma;
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summásque excussit vertice cristas.
[d] Tum verò assurgunt iræ, insidiisque subactus
Diuersos vbi sensit equos, currúmque referri,
Multa Iouem, & læsi testatus fœderis aras;
Iam tandem inuadit medios, & Marte secundo
Terribilis sæuam nullo discrimine cædem
Suscitat, irarúmque omnes effundit habenas.

ARGVMENTVM.

Æneas vni intendens Turno alios non curat, sed Messapi telo irritatus in omnes sæuit absque discrimine.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT Turni discursus per auia, ídque dolo Iuturnæ cauentis congressum fratris cum Ænea: iam contrà adhibet Æneæ in illo inuestigando diligentiam, qua, compendiosa semper via, dabat se Turno obuium, errantem præueniens, & ambages illius eludens. Neque hoc contentus, voce etiam magna illum inclamabat. Sed ea erat Iuturnæ in seruando fratre vigilantia, vt quoties Æneas vel oculos in hostem coniecerit, vel voluerit fugam equorum Turni impedire, toties illa habenas torserit, imò *retorserit*, quia frequenter hoc.

[b] Æstuat hoc rerum articulo Æneas, cùm hostem debitum nequeat assequi, & tamen aliorum, quos ipse hostes nolebat, telis & cócursu inuadatur. Nulla enim maior fluctuabundi consilij occasio.

B [c] Cùm ita ille dubitabundus hæreret, Messapus hastam vnam (duplicem quippe gestabat) in Ænean certo ictu direxit & contorsit. Vidit Æneas telum, ac subitò substitit, ac sese in clypeum colligens subsidit poplite. Itaque hasta præteruolans apicem tantùm tulit, & excussit, quod summum in cristis erat.

[d] Hoc euentu data iam occasio iris Æneæ. Cùm enim manifestò insidias videret, quibus Turni currus in diuersum abripiebantur, & se peti aliunde cerneret, terribiliter cœpit sæuire, ac soluens omnes irarum habenas, quemcunque obuium habuit, absque vllo discrimine obtruncabat; præfatus priùs, ac testatus Iouem, se id facere, quia læsæ aræ fœderis. In nullo deficit Virgilius, neque aliter sæuientem Ænean faceret, nisi hoc cautu.

C

NOTÆ.

1. LEGIT.] Nihil est aliud, quàm breuiore cursu ire obuiam Turno. Itaque hoc non abit ab his, quæ dicta lib. 11. de Camilla eludente hostis gyros.

2. MAGNA VOCE.] Periphrasis vociferantis. Sic infrà, *magnáque incusat voce Latinum.* Itaque non est pleonasmus: nam posset vocare, & non vociferaret.

3. OCV

Oculos conijcere, in ira.

3. OCVLOS CONIECIT IN HOSTEM.] Nota vim verbi. Ita oculos conieceit, vt vellet hastam, si posset, conijcere. Ita Plut. in vita Phocionis, ὀφθὲ τινὰ διαβλέποντες, scilicet ad excitandam iram.

Acumen.

4. ALIPEDVM, &c.] Nihil aliud dicit, quàm tentasse Ænean cursu suo impedire fugam equorum Turni. & vide αὔξησιν. Æneas currit, equi volant; & tamen vir maximus cursu vult volantes impedire.

Fluctuo, cur de hominibus in graui malo.

5. FLVCTVAT ÆSTV.] Apul. de Deo Socratis, *salo mentis ad omnes cogitationum æstus fluctuare*. Creberrima hæc est metaphora, & alibi firmata, atque illustrata. Sed quæ eius ratio? Non certè tantùm, quòd qui fluctuent, variè agitentur: sed quia, qui fluctuant, sint iam vicini morti, vbi deficit omne B consilium, & ideo *nequicquam*. Itaque Græci, non solùm κυμαίνειν ad hanc rem traducunt, sed etiam ἀλύειν, quod de ægrotis; vt cùm Agathias lib. 1. dixit, ἀλύοντι δ' οἱ, καὶ ἕκαστα γνωματεύοντι, ἔδοξε.

6. DIVERSÆ, &c.] Ab hoc versu Tibull. Eleg. 4. lib. 3.

Diuersásque suas agitat mens anxia curas.

7. DVO.] Iam sup. ad illud, *Bina manu lato crispans hastilia ferro.*

Præfixa hastilia ferro.

8. PRÆFIXA HASTILIA FERRO.] Est hoc, quod 15. Iliad. καὶ ἐσσυμένα εἱμένα χαλκῷ. & 3. δοῦρε κεκορυθμένα χαλκῷ quasi *induta*, & *munita ære*. Quod Eurip. in Herc. Fur. ξυνοπλα δόρατα: *armatæ hastæ*, id est, C munitæ ferro.

Colligere se in arma.

9. CERTO.] Vt sup. *auras certa secat.*

10. ET SE COLLEGIT IN ARMA.] Ita Stat. 11. Theb. *in clypeum turbatus colligit artus.* Hac forma S. Ioan. Chrysost. Orat. 5. de incompreh. Dei Nat. συνάγειν διάνοιαν, *mentem colligere*. Itaque Virgilianum verbum respondebit τῷ συνάγειν Græcorum. Mihi certè Budæus non placet, qui in Comm. pag. 941. Virgilianum *colligo*, quod est hoc loco, ait respondere τῷ συστρέφειν Græcorum. Nam Græci συστρέφειν ἑαυτὸν dicunt pro, *se colligere*. Neque exempla, quæ adducit, hoc probant. Dicitur enim συστρέφειν ἑαυτὸν de eo, qui se colligit, & veluti attemperat se ad iram & D conatum. & hoc probant Budæi ex Polybio, Aristotele, Platone testimonia: non de eo, qui colligit se ad tectionem & defensionem. Ac proinde Budæi testimoniis illustrabitur, non Virg. sed Valer. 7. Arg. vbi, *moriturque colligit iras.*

Arma simpliciter pro clypeo.

11. IN ARMA.] Locus dignus, qui notetur. Ponit *arma* simpliciter pro clypeo, vt res ipsa loquitur, & Statius interpretans lib. 11. *in clypeum turbatus colligit artus.* vbi, quod Virg. *in arma*, ille, *in clypeum*. Firmo hoc aliunde. Nota est lex Lacedæmoniorum, qui iubebant puniri illum, qui arma in bello proiecisset, aut amisisset. Atqui ea lex, etiamsi *arma* haberet in communi, tantùm capiebatur de clypeo, interprete Plutar. in vita Pelopidæ, cuius hæc sunt. οἱ δὲ τῶν Ἑλλήνων νομοθέται τὸν ῥίψαντα κολάζουσιν, οὐ τὸν ξίφος, A οὐδὲ λόγχην προέμενον: *Legislatores Græcorum eum, qui clypeum proiecerit, puniunt; non eum, qui gladium, vel hastam.* Nihil clarius.

Subsidere, militare.

12. POPLITE SVBSIDENS.] Omnino ab Eurip. in Phœniss. vbi de Eteocle, & Polynice latentibus sub clypeis ad euitandos ictus, ὑφίζανον κύκλοις: *subsiderunt sub clypeis.* Erat verò hoc ex arte militari. Veget. lib. 2. cap. 16. *Saltus quoque, & ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursúsque subsidere.*

Imitatio.

13. APICEM TAMEN, &c.] Ennij versum notarunt iam Macrob. Vrsinus, alij, nempe hunc,

——tamen inde volans secum abstulit hasta
Insigne.——

Tale quidpiam Plut. in vita Alexan. vbi Spithridates Regem adoritur barbarico gladio, καὶ τὸν μὲν λόφον ἀπέρρηξεν μετὰ θατέρου πτεροῦ: *cristámque cum altera auellit pinna.* Nec non in Hom. apud quem 4. Iliad. quispiam ἔβαλε κόρυθος φάλον. & 15. alius ῥῆξε ἱππειον λόφον. & in 11. fit ictus ἄκρην κὰκ κόρυθα, *summam ad galeam.* Homeri loca Germ. & alij integra afferunt.

Ira surgit in aduersis.

14. TVM VERO ASSVRGVNT IRÆ.] Similis locus in 10. *sæuæ iámque altiùs iræ Dardanio surgunt ductori.* Præclarè Plut. in vita Phocionis ait, hominum mores in aduersitatibus reddi amarulentos, πικρὰ ἤθη: & pronos ad tristitiam, μικρόλυπα: & inclinari ad iram, πρὸς ὀργάς.

Lædo, in sacris.

15. LÆSI FOEDERIS.] Verbum sacrorum: Tertull. de Pœnit. *Pendeo, & maceror, & excrucior, vt Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* Sed hoc iam alibi.

Aræ, quid. Altaria, quid.

16. ARAS.] De discrimine inter *aras*, & *altaria* multi multa. Sed verissimum est, illas esse, in quibus ἀρὰς, id est, *vota*, concipimus, siue in bonam, siue in malam partem. nam ἀραὶ sunt, & *diræ*, & *preces*, id est, εὐχαί: Altaria autem dicta ab eminentia sunt. Inde Gloss. *altare*, ἐπιβώμιος. Fest. *altaria ab altitudine dicta sunt, quòd antiqui Diis Superis in ædificiis a terra exaltatis sacra faciebant.* Interpres Statij: *Nominata sunt altaria, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum.* Ergo illi, qui *aras* distinguunt ab *altaribus*, quòd illæ sacræ sint Diis inferis, ista Superis: aut quòd illæ depressæ & fossæ in terra, si non errant, non certè explent notitiam. Itaque illæ dictæ à genere sacrorum, ista ab eminente forma.

Imitatio.

17. IRARVMQVE OMNES EFFVNDIT HABENAS.] Ab Ennio, qui (citante Seru.) *irarúmque effunde quadrigas.* Alij legunt, *effudit.* Silius ab Nostro,

Effundit cunctam rabiem, irarúmque procellas.

Liu. lib. 37. *effusissimis habenis stationem hostium inuadit.* & 3. Georg. *ruunt effusi carcere currus.* Græci ἀφεῖναι, ἐφεῖναι, ἐνεῖναι, quæ trita. Oppian. addit 2. Hal. λύειν ἡνίας. Notabis vocem δυσκάθεκτον, etiamsi nihil addatur, ad rem hanc referendam: nam ea vox propria est equi refractarij, & δυσηνιάζοντος.

[a] Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædes
Diuersas, obitumq; ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus Heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu
Iuppiter, æterna gentes in pace futuras?
[b] Æneas Rutulum Sucronem (ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus
Excipit in latus: &, qua fata celerrima, crudo
Transadigit costas, & crates pectoris ense.

[c] Tur

[e] Turnus equo deiectum Amycum, fratrémque Diorem
Congressus pedes, hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit: curruq; abscissa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.
[d] Ille Talon, Tanaínque neci, fortémque Cethegum,
Tres vno congressu, & mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrísque genus Peridiæ.
[e] Hic fratres Lycia missos, & Apollinis agris,
Et iuuenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada, piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, paupérque domus: nec nota potentum
Limina, conductáque pater tellure serebat.

A

ARGVMENTVM.

Turni, & Æneæ virtus in trucidandis hostibus, quos quisque obuios habuit.

EXPLICATIO.

[a] PVTAT, non se satis esse ad describenda acerba funera, cædes diuersas, variorum ducum obitus, molémque irarum, quibus Turnus, & Æneas inuicem sæuierint: inde Deum aduocat, qui sibi has B dictet clades, conuersúsque ad Iouem admiratur, cur gentes illæ, quæ victuræ deinde semper in æterna pace, nunc concurrant atroci & formidando bello.

[b] Videntur mihi multi istum locum non assequuti, qui *ruentes Teucros*, explicant, fugientes. Non sic est, imò *ruentes* explica, inuadentes. Ruebant scilicet Troiani vnà cum Ænea aduersum Rutulos effuso impetu, nemine illos tardante, donec ventum ad Sucronem est militem validum. Hic se illis opponens fecit, vt loco sisterent, sed accedens Æneas, adortúsque, ense illius transfodit latus inserto per costas, quæ sunt crates pectoris (est enim hæc epexegesis) qua parte citissima est ad mortem via. C

[c] Præcessit Æneæ facinus, sequitur Turni, nam suprà, *inf. vicem*. Ita verò concinnè rem gerit Poëta, vt posterior priorem superet. Æneas enim vnum tantùm Sucronem interfecerat, Turnus fratres duos Amycum, ac Diorem, vtrumque ipse pedes: & quidem Amycus equo deciderat. hunc hastæ cuspide interfecit, Diorem punctim cædendo mucrone gladij, ac mox in currum ascendit, desectáque amborum capita, ac stillantia sanguine, currui affixit ostentabundus.

[d] Duos deleuerat Turnus, Æneas iam quatuor: primos tres Talon, Tanain, Cethegum congressu vnico; quibus quartum addidit Onyten congressu altero. Erat hic Echionius, id est, Thebanus genere, & filius Peridiæ.

[e] Qui fuerint, & quot fuerint hi fratres missi ab Lycia, Poëta non loquitur, credibile multos fuisse, & plures illis quatuor, quos Æneas interfecit, ad eum modum, quo sup. dixit, *nouem pulcherrima fratrum Corpora*. Ergo, hos Turnus interfecit. Ac ne desit concinnitas, quemadmodum Æneas tres interfecerat congressu vno, quibus congressu altero quartum Onyten addiderat: ita nunc Turnus post interfectos fratres Lycios, addit Menœten. Notetur & alia concinnitas. in narrando Onyte meminerat patriæ, nam Echionius; & matris, quæ Peridia: ita nunc in narrando Menœte meminit patriæ, nam Arcas; & patris, qui pauper. Et quidem tam à filio, quàm à patre affectus mouet: à filio; nam exosus bella, sed *nequicquam*, quia in bello periit, & ex domo paupere, & ipse assuetus victitare piscatu, & nullis diuitum obsequiis notus: à patre, nam cultor terræ, & non quidem propriæ, sed conductæ.

NOTÆ.

1. QVIS MIHI NVNC, &c.] Allusum ad 12. Iliad. Imitatio.

> Ἀργαλέον δέ με ταῦτα, θεὸν ὥς, πάντ᾽ ἀγορεῦσαι:
> *Difficile est me hæc, tanquam Deum, omnia recensere.*

Nonnus lib. 21. dixit, μαχήμονες εἴπατε Μοῦσαι: *pugnaces dicite Musæ*. Loquuntur ita Poëtæ ad augendam rerum atrocitatem, quasi ita magnæ sint, vt Deus loqui debeat. Etenim καὶ γλῶττα (vt loquitur S. Ioann. Chrysost. Orat. 5. de incomp. Dei Nat.) καὶ ἀκοὴ, καὶ ἕκαστον τῶν αἰσθητηρίων ἡμῶν μέτρα, καὶ κανόνας, καὶ ὅρους ἔχει κειμένους: *& lingua, & aures, & singuli nostri sensus modum, normam, & limitem certum habent.*

2. TANTON' PLACVIT, &c.] Cum sapore Imitatio. Virg. Claud. 1. Eutrop. *tantóne libet mortalia visu Vertere?* & cum Homerico ipse Virg. 1. Iliad.

> Τίς τ᾽ ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
> *Quis vos Deorum contentioni ad pugnandum commisit?*

3. RVENTES.] Explicui non de fugientibus cum Ruo etiam turba interpretum, nam stare ita sententia non po- de instante. test, vt cuilibet patebit etiam parum oculato, sed contrà. Qui enim hostem persequuntur, etiam dici possunt *ruere*, cùm sæpe id fiat incomposito & palabundo agmine. Aduoco verba Plut. in vita Phocionis. D ἔπειτα τοῦτο ἰδόντες οἱ ἱππεῖς οὐκ ἐκαρτέρησαν, ἀλλ᾽ ἤλαυνον εὐθὺς εἰς τοὺς πολεμίους ἀσύντακτοι καὶ σποράδες ἐκ τοῦ στρατοπέδου προσφερόμενοι: *Deinde equites hoc conspicati, non se continuerunt, sed illicò admissis contra hostes equis incompositi & palabundi ex castris prorupère.* Hæc enim proruptio facta ab ruentibus. Sed & Poëta clarè inf. *ruenti Hilo*, id est, instanti.

4. STATVIT.] Indicat statariam pugnam.

5. EXCIPIT IN LATVS.] Præclarè: quia *in latus*, Statuo, de pugna stataria. ideo *excipit*; nam qui à latere adoritur, insidianter adori

Excipio, rebum insidiarum. Celerrima mors.

adoritur. & verbum *excipio* insidiarum est, vt iam A alias.

6. QVA FATA' CELERRIMA.] Indicat cor, quo transfosso, vide an celerrima sint fata? Calab. lib. 2. ita ait,

> ——διήλασε δ' ὄβριμον ἔγχος
> Ἐς κραδίην, θνητοῖσιν ἵνα πέλει ὠκὺς ὄλεθρος:
> ——impegit hastam rigidam
> *In cor, vbi velox mortalibus interitus est.*

Et lib. 11.

> ——χερσὶ ὁμῶς φορέοντο βέλεμνα
> Καίριον ἐς κραδίην, ὅθι περ φρένες εἰσὶν ἀνδρῶν,
> Καὶ μένος, ἧπαρ τε ἧ ὅτε μόροι εἰσὶ κελευθοι:
> ——*Parca vna cum iacula ferebantur*
> *Ad opportunum cordis locum, vbi mens hominum sedet,*
> *Et robur, maturaeque ad mortem sunt viæ.*

Est hoc, quod Ouid. 8. Metamorph. *quáque est via proxima letho.* Huc pertinet scitum medicorum, qui aiunt in corde nunquam fieri posse ἀπόστημα, *apostema, abscessum,* præ celeritate, qua mors sequitur, illo semel icto.

Crates pectoris.

7. CRATES PECTORIS.] Ad eum modum, quo Pind. Od. 6. Pyth. *cancellatum opus fauorum*, μελισσᾶν τρητὸν πόνον. & Virg. lib. 4. Georg. *crates fauorum.* Est verò in Poëta ἐν δὲ διοῖν.

Imitatio.

8. HVNC CVSPIDE LONGA, HVNC MVCRONE FERIT.] Planè ex Hom. Iliad. 20.

> Τὸν μὲν δουρὶ βαλὼν, τὸν δ' ἄορι τύψας:
> *Hunc quidem feriens hasta, hunc vero cominùs gladio percutiens.*

Axillatio.

9. CVRRVQVE ABSCISSA DVORVM SVSPENDIT CAPITA.] Inuenio Poëtam attigisse morem, quem aperiam. Græcis μασχάλη est *ala, axilla.* Vsitatum in æuo Heroum, summas partes interfectorum in bello hominum, vt caput, manus, pedes, recidere, quas axillis suis suspendebant interfectores. Inde μασχαλίζειν est *obtruncare per ignominiam,* & *obtruncata axillis suspendere.* Elect. apud Sophocl. narrans patrem Agamemnonem interfectum ab Clytæmnestra, ita ait,

> Ὑφ' ἧς θανὼν ἄτιμος ὥστε δυσμενὴς
> Ἐμασχαλίσθη.——
> *Ab qua sine honore, atque vt hostis*
> *Obtruncatus est.*——

Propriè tamen vox ἐμασχαλίσθη, quam reddidi, *obtruncatus est,* erit, suspensum fuisse caput Agamemnonis axillæ Clytæmnestræ. Nam interpres ibi. ἐμασχαλίσθη. ἀπὸ τῶν μασχάλας ἰλαβε τὰ ἄκρα, ἀντὶ τοῦ ἠκρωτηριάσθη. Ad rem. Facile est, Poëtam caput obtruncatum ab axillis traducere ad aliam partem. Ergo, Turnus cum repræsentatione veteris moris suspendit capita, si non axillis, certè curru, & præfert illa gloriabundus. Ad hunc morem respexit, credo, Plutar. in vita Crassi, ἐξήρτηντο δὲ τῶν ῥάβδων βαλάντια, καὶ περὶ τοὺς πελέκεις πρόσφατοι κεφαλαὶ Ῥωμαίων ἀποτετμημέναι: *Dependebant ex virgis Zonæ, & alligata securibus recens desecta Romanorum capita.* Hinc credo Hispanas voces manasse *mascaras, mascarones.* Nam hæ voces nostris signant figuram humani capitis suspensi trophæi loco in ædibus diuitum. Quin sæpe videas in tapetibus militares homines equis insidentes plenos his figuris, quasi hic mos receptus in bello esset. Quas figuras μασχάλας Græcè appellauerim, Hispanè *mascarones.*

10. ET RORANTIA SANGVINE PORTAT.] Ita alibi, *rorantes sanguine cristas.* &, *spargit rapida vngula rores.* Ros enim de quocunque liquore; vt Pind. Od. 7. Olymp. phialam scripsit ἔνδον ἀμπέλου καχλάζοισαν δρόσῳ: *intus rore vuæ bullientem.* Stat. 1. Theb.

Ros, de quocunque liquore.

> ——tum crines, ardentiáque ora cruentus
> *Roribus, & terra morientum aspergine manant.*

11. MITTIT.] Pro, interficit, vsitatum Nostro, sic, — Mitto, pro, interficio.

> *Huic comitem Butem coniecta cuspide mittit.*

&, *multos Danaûm demittimus Orco.* Val. lib. 7. Arg. *demittere letho.* Hom. 5. Iliad. αἴδωνηϊ προϊάψειν. & 6. ἀΐδι προϊάψειν.

12. NOMEN ECHIONIVM.] Quasi dicat, *Thebana illis gloria*, scholion est Seruij. Thebani dicti Echionij ab Rege Echione. *Genus*, id est, filius, quod alibi astructum. — Echionij, id est, Thebani.

13. FRATRES LYCIA MISSOS, ET APOLLINIS AGRIS.] Nam Apollo in Lycia colebatur. Sententia constat per ἓν διὰ δυοῖν. Quasi dicat: Missi B erant ab agris, qui sacri in Lycia Apollini. & agros Myrinos describit, vt puto. Myra enim (nomen est vrbis) in Lycia fuêre Apollinis oraculo celeberrima. Stephanus hanc ciuitatem in Lycia constituit Mart. lib. 9. *Campis diues Apollo sic Myrinis.* Plin. quoque lib. 32. cap. 2. meminit fontis, qui sacer Apollini in Myris Lyciæ. — ἓν διὰ δυοῖν. Myra Apollinis.

14. APOLLINIS AGRIS.] Ad excitandam conquestionem, quasi nihil iuuerit miseros venisse ab agris Apollinis; vt cùm in 2. dixit, — Affectus à Numine.

> ——nec te tua plurima Panthu
> *Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.*

C & ibidem Cassandra dicitur tracta *à templo, adytisque Mineruæ.* cui nihil profuit confugisse ad locum sacrum.

15. PISCOSÆ, &c.] Institum Calabro mouenti ab re hac similes affectus. Nam lib. 11. interficiuntur viri duo ἐπιστάμενοι δόλον ἰχθύσι μητίσασθαι, *docti dolum piscibus struere.* Virg. *ars fuerat*, quod Græcus, δόλον. — Ars pro dolo.

16. FLVMINA LERNÆ.] Dicit *flumina* de palude. Seru. *vetustè flumina pro fluore dixit.* Sic *fluuius, flumen, amnis* de ipso adhuc mari; quod iam in Georg.

17. PAVPERQVE DOMVS.] Signatè: nam etiamsi ex piscatu, sed erant necessaria ad victum. Est enim discrimen inter pauperem, & mendicum: mendico D res deficit; pauperi neque abundat, neque deficit, sed insunt quæ satis ad victum. Aristoph. in Pluto. — Pauperis & mendici discrimen.

> Πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστὶν μηδὲν ἔχοντα.
> Τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα,
> Περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι δὲ μηδ' ἐπιλείπειν.
> *Mendici vita, quam dicis est, viuere nihil habendo,*
> *Pauperis verò est, parcè viuere, dando operam rebus,*
> *Ita vt nihil abundet, & nihil quoque ei desit.*

Rectè ergo *pauper domus,* in qua ex piscatu necessarius victus. Cùm verò tam pater, quàm filij dicantur esse pauperes, credo allusum ab eminente Poëta ad rationem veteribus vsitatam comparandi lucri. Ibant enim militatum, vt virtute sibi pararent, E quæ deerant ad victum. Menedemus senex apud Terent. Heaut. act. 1. scen. 1. ita ait, — Pauperes ad bellum ibant lucrum paraturi.

> ——*in Asiam abij hinc propter paupertatem, atque ibi*
> *Simul rem & gloriam armis belli reperi.*

Ita & Sinon 1. Æneid.

> *Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.*

Vide & quæ dixi 3. Æneid. vbi sermo est de Achæmenide.

18. NEC NOTA POTENTVM LIMINA.] Non dubito ita scribere, non *munera*, vt in vulgaris; & laudo Vrsinum ita sentientem; profert etiam codicem, in quo *limina.* Itaque dicit, Menœtem fuisse deditum nullis obsequiis diuitum, cùm illorum limina non tereret. Quin ab hoc loco proculdubio Horat. Epod. Od. 2. loquens de rustico, cui satis est ad victum ex prouentu agelli, scripsit, — Lectio Virgiliana.

Forúm

Forúmque vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.———

Et quidem tam Virg. quàm Horat. referendi sunt ad salutationes. Ita & 2. Georg. *penetrant aulas, & limina Regum*. Si quis legat *munera*, sententia non eget explicatione.

A 19. CONDVCTAQVE PATER TELLVRE SEREBAT.] Significari tam hominem colonum, quàm agrum vectigalem, & stipendiarium iam Germ. animaduertit. Ita in 11. cùm ager Latini Regis describatur, tamen *Arunci, Rutulique serunt*, &c.

[a] Ac velut immissi diuersis partibus ignes
Arentem in syluam, & virgulta sonantia lauro:
Aut vbi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segniùs ambo
Æneas Turnúsque ruunt per prælia. nunc, nunc
Fluctuat ira intus, rumpuntur nescia vinci
Pectora, nunc totis in vulnera viribus itur.
[b] Murranum hîc atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per Regésque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo, atque ingenti turbine saxi
Excutit, effundítque solo: hunc loca, & iuga subter
Prouoluêre rotæ: crebro super vngula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.
[c] Ille ruenti Ilo, animísque immane frementi
Occurrit, telúmque aurata ad tempora torquet.
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.

ARGVMENTVM.

Comparatio vtriusque ducis ab ignibus, ab amnibus obuia omnia deuastantibus, depopulantibus. Æneas Murranum interficit, Turnus Ilum.

EXPLICATIO.

[a] CONTINGIT sæpe, vt à diuersis partibus ignes duo immittantur in arentem syluam; duo item amnes decurrant è diuersis altis montibus in patentia loca: tum quisque tam ignis, quàm amnis, quà eunt, omnia deuastant, omnia depopulantur. Ita Æneas & Turnus eunt non *segniùs* per prælia, & illis intus ira *fluctuat*. Notetur vtraque particula. Prima *segniùs* respicit comparationem ignis. Segnis enim quasi sine igne dicitur. ergo eunt igne non segniùs. altera *fluctuat* comparationem amnis. Pergit Poëta insistens eidem rei, *rumpuntur nescia vinci pectora*, vt nescit vinci ignis omnia domans. *nunc totis in vulnera viribus itur*, vt eunt amnes præcipites per patentia loca.

[b] Probat iam re hos duos viros, ignem fuisse, amnem fuisse. primò de Ænea, deinde de Turno. Æneas ergo Murranum gloriabundum de atauis, & auos personantem, iactantémque actum per Reges omnes Latinos genus ingenti saxo (scopulum appelles) *præcipitem excutit* è rotis, vt posset ignis fulmineus; *effunditque solo*, vt posset amnis currens. Nam quidni alludat ad superiores ignis, & fluuij comparationes: Carnificinã consummarunt rotæ & equi dilacerantes proculcantésque miserum dominum.

[c] Sequitur iam Turni facinus, nam & suprà, A *inque vicem*. Ergo, ille dedit se obuium Ilo ruenti inconsideratè per mediam aciem, & frementi perquàm immaniter, non animo, sed *animis*, vnus cùm esset. Torsit illi telum ad tempora. vocat hæc *aurata* ab inaurata galea. & ait *ad tempora*, quia transfixum totum caput, ideo sequitur *fixo cerebro*. & vide, an ictus fortis, nam *per galeam* via facta. Notetur & concinnitas digna hoc Vate. Æneas Murranum interfecerat, quo nomine Latini Reges appellati fuerant: iam Turnus Ilum interficit, quo nomine appellatus fuerat Rex Troiæ maximus. Virg. enim ipse, *Ilúsque, Assaracúsque*, &c. Debes hanc concinnitatem Turnebo cap. 7. lib. 10. Aduers. B

NOTÆ.

1. AC VELVT IMMISSI, &c.] Duplex comparatio ab igne, & fluuio, vt etiam in 2.

In segetem veluti cùm flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens.

Cùm verò fiat comparatio cum duplici igne, cum duplici fluuio, non est alienus locus Hesiodi in Scuto, vbi Herculis & Cycni ferocitas confertur cum duplice leone, cum duplice vulture contendentibus de præda. Notat Scal. Virgilij cantum longè feliciorem Homerico, qui Iliad. 11. duces suos duobus messoribus comparauit, nam præter casum segetis nulla vis est in re ipsa. Ait Poëta *immissi ignes*, vt in Georg. C Imitatio. Homerum superat Virgilius.

Diuersa immisit syluis incendia pastor.

2. ARENTEM IN SYLVAM.] Explica *aristas*, nam & in 2. *In segetem veluti*. & Calab. lib. 4. *κίνυτο, commotus est, ἠύτε αὐαλέον βαθὺ λήϊον, vt arida & profunda seges.* Arentes [illegible] de aristis.

3. VIRGVLTA SONANTIA LAVRO.] Propter

crepitum

crepitum incensæ materiæ & allusum certè ad strepitus adustæ lauri, qui seruati in omnibus. Pertinet huc locus Calab. lib. 1. vbi ait, Penthesileam fuisse πυρὶ ἐϊ... ἐναλίγκιον, *similem furenti igni*, cùm ἐν θάμνοις μαίνεται αὖ ἀλένοισι, *furit in aridis virgultis*.

Imitatio.

4. AVT VBI DECVRSV, &c.] Homericas comparationes adduxi iam lib. 2. Æn. alias item aliorum, sed Calabrum ibi non attigi, reseruans ad hunc locum. Ille itaque lib. 2. bis,

Fluminis comparatio.

Ὡς δ' ὅτ' ἐρίγδουποι ποταμοὶ μεγάλα στενάχουσι.

Vt quando sonori amnes valdè strepitant.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ μεγάλων ὀρέων ποταμὸς βαθυδίνης

Καχλάζων φορέηται ἀπείριτον ὀρυμαγδῷ:

Ac veluti à magnis montibus verticosus amnis

Defertur strepitu ingenti murmurans.

Et lib. 10. ait, cucurrisse per aciem Philoctetem similem ποταμῷ κελάδοντι, *strepenti fluuio*. Vtitur hac comparatione Maximus Tyr. Dissert. 17. ad rem aliā hoc verborum complexu. καθάπερ τῶν ποταμῶν οἱ χειμέριοι ὑπὲρ τὰς νομίμους ὄχθας ἀναχεόμενοι ἐπὶ γεωργίαν ἀρότῳ καὶ φυτουργίας, ἐπιβάλλουσι τὴν ἐπιρροὴν τῶν ἔργων καὶ τὸν κόσμον: *Non aliter, quam hyberni solent fluuij, qui si legitimum alueum semel excedant, sataque, ac plantas agricolarum inuadant, penitus eas inundant, ac destruunt.* Et

Locorum similitudo.

nota induci τὸ ἄροτον, & φυτουργίαν. Sic ego accipio in Virg. *arentem syluam*, id est, ἄροτον, &c, *virgulta sonantia lauro*, id est, φυτουργίαν. Proculdubio Oppian. Virgilio institit ita canens,

Οὐ τόσσον γ' ὀκτὼ πέλει πολυφλοίσβοιο θαλάσσης

Ἀντιπόρω ποταμὼ κατειβόμενον ὕδατι λάβρῳ:

Non tales vtrinque streperi maris

Aduersi duo fluuij delabuntur aqua impetuosa.

5. DE MONTIBVS ALTIS.] Attigit hoc Hom. 11. Iliad. nam de torrente. κατ' ὄρεσφιν ὀπαζόμενος. & 16. ἐξ ὀρέων ἐπὶ κάρ: *ex montibus in præceps.* & Calab. lib. 2. de fluuio, ἀπὸ μεγάλων ὀρέων. Nonn. lib. 22. de re eadem, ἐξ σκοπέλοιο. Lucret. lib. 1.

———*quod largis imbribus auget*

Montibus ex altis magnus decursus aquai.

Gemitus, de aqua.

6. DANT SONITVM.] Hom. 16. Iliad. χαράδραι μεγάλα στενάχουσι: *torrentes vehementer gemunt.* Sic & 3. Æneid. *gemitum pelagi.* In adductis vidisti iam καχλάζων, ὀρυμαγδῷ, κελάδοντι.

Locorum similitudo.

7. ET IN ÆQVORA CVRRVNT.] Hanc partem comparationis illustro versibus Nonni lib. 22.

Ὡς δ' ὅτε τις προχέων ποταμὸς δυσπέμφελον ὕδωρ

Ἄστατος ἐξ σκοπέλοιο χαραδραίοιο ῥεέθροις

Ἔρχεται εἰς πεδίον παφλάζων, οὐδέ μιν αὐταὶ

Ἔρκεσιν ἀρρήκτοισιν ἀνέστειλαν ἀλωαί:

Vt verò cùm fluuius quispiam proruens in immensam aquam,

Instabilisque ex scopulo torrente flumine

Venit in planiciem latam, neque ipsum ipsa

Aggeribus perualidis repellunt arua.

8. QVISQVE SVVM POPVLATVS ITER.] Quæ hæc populatio? Audi quæ de Romano fluuio Liu. lib. 24. *Tyberisque agros inundauit cum magna strage tectorum, pecorúmque, & hominum pernicie.* Talem puta Virgilianam populationem. Quin, si licet diuinare, credamus à Virg. adumbratam rem frequentissimam populi principis. In quo sæpe futuræ bellorum cladis præsagium fecit inundans & deuastans omnia Tyberis. Vt inde liquidum fit, cur adducat comparationem deuastantis fluminis in ingenti hac clade. Quod Virg. *populatus*, Philo lib. de Cherub. loquens de torrente omnia depopulante, vsurpat verbum πορθεῖν.

Tyberiana hi... ...na sæpe... ...tata.

9. NVNC NVNC, &c.] Exprimit Poëta, quantus esse soleat ardor animorum in obstinato bello ab ira fluctuante, à ruptis pectoribus, &c. Certe quantus esse hic ardor soleat, Liuius declarauit loquens de pugna ad Thrasimenum, cuius verba subiiciam, quæ mihi admirationem incutiunt, quoties lego. *Tantus fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus, vt eum terræ motum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes prostrauit, auertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.* Expendat Lector, quanta fuerit ea ira, qua vigente, horribilis tremor terræ perceptus sensu non sit.

Ardor animorum in bello.

10. FLVCTVAT IRA.] Lucret. lib. 3. *irarum fluctus.* integra postea adducam. Simocatt. cap. 6. lib. 1. ἀνέζεσεν αὖ καὶ μέγαν τῷ Χαγάνῳ θυμὸν ἐπικύματι: *feruor sanguinis excitauit in Chagano magnos irarum fluctus.* Quæ verba declarant & Lucretium, & Virgilium, nam fluctus irarum à fluctuante & feruente sanguine. Fluctus irarum.

11. RVMPVNTVR NESCIA VINCI PECTORA.] Cum gustu ad Lucret. qui lib. 3. Imitatio.

Quo genere imprimis vis est violenta leonum,

Pectora qui gemitu rumpunt plerunque gementes,

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

12. MVRRANVM.] Latini quippe omnes Reges dicti sunt Murrani, fortasse ab vnguento myrrhino, quo Reges illi vngerentur. Vel etiam à proprio Regis nomine. Sic apud Albanos Syluij, apud Ægyptios Ptolemæi, apud Athenienses Cecropidæ, apud Parthos Arsacidæ, apud Syrios Antiochi. Sunt ista in Turnebo, interpretibus, Alexandro in Genialib. Murrani Reges.

13. AVORVM ANTIQVA SONANTEM NOMINA.] Est hoc, quod Ælian. cap. 5. lib. 12. Var. hist. τοὺς φρονοῦντας ἐπὶ τοῖς πατράσι, *iactabundis propter maiores.* Repetit cap. 36. lib. 14. quod Plut. in Sertor. δι' εὐγένειαν ἐπαιρόμενος φρονήματι κενῷ: *sublatus vano spiritu ob natalium splendorem.* quod Heliod. lib. Æth. Hist. πολλὰ σεμνύνων ἑαυτὸν, καὶ γένος ἔνδοξον καταλέγων: *multa de se prædicans, & genus illustre exponens.* quod Cyrill. Alexand. Comment. in Amos de Iudæis, τὴν τῶν πατέρων ἀεὶ λογίζοντες εὐγένειαν, καὶ πολὺ τὴν γλῶτταν κατευρύνοντες: *maiorum nobilitatem perpetuò loquentes, & lingua largi.* quod Propert. Eleg. 13. lib. 1. *illustres femina iactat auos.* & Eleg. 11. lib. 4. *genus hic Rheno iactabat ab ipso.* Martial. lib. 5. Epig. 17. Iactare auos.

Dum proauos, atauósque refers, & nomina magna.

Quintil. Declam. 308. *iactatione sanguinis.* Vt Virg. *antiqua sonantem*, ita Valer. 3. Arg. *& Ophelten vana sonantem.* & Ammian. lib. 28. de quibusdam, qui se conspicuos dicebant prænominum claritudine: *iam Tarraciis, iam Perrasius, aliisque sonantibus originum insignibus multis.*

14. NOMINA.] Nescio quo plausu amata hæc vox Poëtis ad rumorem signandum. Vt cùm Martial. dixit Epig. 6. lib. 11. *veteres, ingentia nomina, patres.* Ouid. Eleg. 4. lib. 4. Trist. *nominibus generosus auorum.* Stat. Achill. 2. *ingentia certant Nomina.* Iuuen. Sat. 8. *alta nomina delectant.* Nomen ad rumorem.

15. SCOPVLO, ATQVE INGENTIS TVRBINE SAXI.] Ἓν διὰ δυοῖν. nimirum, *scopulo ingentis saxi deturbati.* Alibi, *atque ingentis fragmine montis.* vt hic *scopulo.* Legunt aliqui, *ingenti turbine.* ἓν διὰ δυοῖν.

16. NEC MEMORVM DOMINI PROCVLCAT EQVORVM.] Egregium πάθος, quia neque ipsi equi meminêre, eum esse suum dominum. A quo affectu non abit Ouidianus, quo proclamat miser à canibus laceratus,

Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum.

17. ILO.] Ita scribendum, non *Hilo*, iam Turn. monuit. Scias in mensione non absumi vocalem Ilus, non Hilus.

per ſynalœpham, idque ex vi Græca, ſcribitur enim Λ ἐλφ. Itaque metire, *lo animis*. nam *o*, non abſumitur.

18. AVRATA AD TEMPORA.] Cùm hoc dicatur propter galeam, lege quæ dedi ad exitum lib. 8. vbi de Auguſto, *geminas cui tempora flammas Læta vomunt*.

Imitatio. 19. OLLI PER GALEAM, &c.] Locus planè Hom. 13. Iliad.

Οὐ δ᾽ ἄρα χαλκείη κόρυς ἔσχεθεν, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῆς
Αἰχμὴ ἱεμένη ῥῆξ᾽ ὀστέον, ἐγκέφαλος δὲ
Ἔνδον ἅπας πεπάλακτο: ——
Neque æ ea galea reſtitit, ſed per ipſam
Cuſpis percupida rupit os, cerebrum verò
Intus totum inquinatum eſt. ——

Atque etiam Iliad. 12. vbi Polypœtes
Δουρὶ βάλεν Δάμασον κυνέης διὰ χαλκοπαρῄου:
Haſta percuſſit Damaſum per galeam æreas malas habentem.

mox ſubiicit verſus alios perſimiles ſuperioribus, vna, & altera tantùm voce immutata.

a Dextera nec tua te Graiûm fortiſſime Creteu
Eripuit Turno: nec Dij texêre Cupentum
Ænea veniente ſui, dedit obuia ferro
Pectora, nec miſero clypei mora profuit ærei.
b Te quoque Laurentes viderunt Æole campi
Oppetere, & latè terram conſternere tergo:
Occidis, Argiuæ quem non potuêre phalanges
Sternere, nec Priami regnorum euerſor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ, domus alta ſub Ida,
Lyrneſſi domus alta, ſolo Laurente ſepulcrum.
c Totæ adeò conuerſæ acies, omnéſque Latini,
Omnes Dardanidæ, Mneſtheus, acérque Sereſtus,
Et Meſſapus equûm domitor, & fortis Aſylas,
Thuſcorúmque phalanx, Euandríque Arcadis alæ:
Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies, vaſto certamine tendunt.

ARGVMENTVM.

Glorioſa Turni, atque Æneæ, & noua facinora: integræ aciei vtriuſque concurſatio.

EXPLICATIO.

a TVRNVS Creteum interficit, Æneas Cupentum, ſed Æneæ maior virtus. Nam fortitudo non eripuit Creteum Turno, ſed Dij non Cupentum eripuerunt Æneæ, ſed nec arma profuêre, nam per medium clypeum illatus ictus.

b Sequitur mors Æoli, quam tragicè deſcribit Poëta, & cum affectibus, neque verò nominat percuſſorem, ſed in acie tantùm ait cecidiſſe, ideo *occidis*, quo verbo res fit τεχνικώτερα. Affectus verò mouentur à loco, in quo natus; à loco; in quo mortuus. Sed in hac re efferenda quot lepores! *viderunt te campi Laurentes oppetere*. & *hic tibi mortis erant metæ*, cùm tibi *Lyrneſſi* fuiſſet, & *ſub Ida domus alta*, & geminat *domus alta*. vt ex geminatione exſurgat maior conqueſtio ab ſequenti hoc *ſolo Laurente ſepulcrum*. Vide enim quantùm interſit inter *domum altam*, & *ſepulcrum* quod in plano *ſolo*, & humili. Deinde mouetur affectus à magnitudine hominis, ideo *& latè terram conſternere tergo*. Tertiò, à fortitudine hominis, ideo *Argiuæ quem non potuêre phalanges Sternere*, nec totis phalangibus *Achilles* maior, nam *euerſor Regnorum Priami*. Itaque is cadit, qui formidandus magnitudine corporis, & virtute animi.

c Ab peculiaribus congreſſibus tranſit ad vniuerſam aciem, quæ implicata. Nam hinc Latini, inde Troiani, & Troianorum ſocij Thuſci, & Arcades in vnum concurrunt. Numerat etiam ductores aliquot Principes, videlicet Mneſtheum, Sereſtum, Aſylam, qui ex acie Æneæ: Meſſapum, qui ex acie Turni. Hi omnes omni armorum genere, omni conatu, non tam imperitant, quàm pugnant *pro ſe quiſque*. Nulla eſt mora, nulla eſt requies, vaſtum eſt & ingens certamen, omnes tendunt, & contendunt ad victoriam.

NOTÆ.

1. CRETEV.] Legi in nonnullis exemplaribus *Rheteu*, Pierius monet. quibus ferè eſt, vt accedam, cùm ad calcem lib. 9. Turnus interfecerit *Cretea Muſarum comitem*. Niſi quis dicat, vel diuerſum eſſe hominem, etiamſi idem nomen: vel ibi ſeruatum, etiamſi percuſſus fuerit, multa enim talia in bello. Itaque, quem ibi Turnus tantùm percutit, hîc interficit. & conſulit honori ſuo Poëta, nam *fortiſſimum* appellat, & ait concidiſſe ſub magno duce Turno, quæ gloria non obuia eſt. Conſulit (inquam) honori ſuo, cùm profeſſorem artis poëticæ Creteum inducit fortem. — Lectio Virgiliana. Virgil. hono. conſ.

2. NEC DII TEXERE CVPENTVM.] Seru. legit *Cupencum*, & addit, hoc nomine ſignificari *Sacerdotem* Sabinorum lingua. præclarè ergo, quaſi Dij nequiuerint ſeruare ſuum Sacerdotem. — Lectio Virgiliana.

3. SVI.] Qui illi fauebant. Quo ſenſu ſup. *noſtrum Martem*. & Seneca cap. 28. lib. 2. de Benef. *Habuit ſuum Venerem*, id eſt, fauentem. — Suus Deus.

4. ÆREI.]

Synecphonesis. 4. Ærei.] Hæc synecphonesis crebra in Virgilio, in fine, initio, medio. Testimonia primi, hîc ærei. in 5. *Unguibus aureis.* alibi, *pondera baltbei.* Alterius in 6. *ferreique Eumenidum thalami.* Tertij, cùm ait, *Terei, Protei*, &c.

5. Et late terram consternere tergo.] Illustraui alio in loco.

Phalanges de Romano exercitu. 6. Phalanges.] Etiamsi vox ista signet aciem Macedonum, sed qui Liuium vidit, viderit proinde sæpe eam vocem dici de Romano exercitu. & Cedren. pag. 323. βαθείας ἐν τῇ Ῥωμαίων φάλαγγος οὔσης: *conferta Romanorum phalange.* Verum est tamen, ita fieri mentionem phalangis, vt ferè semper cum respectu ad Macedonicam. De Nerone Sueton. cap. 19. *Parabat & ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senûm pedum tyronibus noua legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.* & Alexander Seuerus apud Herodian. lib. 4. lectissimam iuuenum manū Μακεδονικὴν ἐκάλει φάλαγγα: *vocabat Macedonicam phalangem.* Aperio & Lectori obseruationem. Cùm sermo est in Scriptoribus de re Macedonica, absolutè dicunt *phalanx.* hoc nullo eget fulcro. Quoties de aliis est sermo, milites dicebantur aut *phalangitæ*, aut *phalangarij.* Quibus vocibus significatur acies, non vera Macedonum, sed cum forma ad illam. Testimonium primæ vocis est in Liuio lib. 37. vbi de exercitu Antiochi: *Decem & sex millia peditum more Macedonū armati fuêre, qui phalangitæ appellabâtur.* Alterius in Lampridio, qui de Alexandro Seuero æmulante Magnum Alexandrum: *Fecerat & phalangem triginta millium hominum, quos phalangarios vocari iusserat.* Virg. certè attributis rem hanc discernit. Nam hîc, *Argiuæ phalanges.* & inf. *Thusc orúmque phalanx.* (Phalangitæ. Phalangarij.)

7. Nec Priami regnorum euersor Achilles.] Quia ab occiso Hectore, quem Achilles interfecit, tota Imperij ruina. Est *euersor* καταλύτης, πορθητής. Ouid. 12. Metamorph. (Euersor.)

> *Iam timor ille Phrygum, decus, & tutela Pelasgi*
> *Nominis Æacides, caput insuperabile bello.*

Allusit verò Poëta ad Hom. qui Achillem ter vocat πτολίπορθον, *euersorem vrbium.* videlicet Iliad. 8. 15. 24. de qua re iam ego contra Tullium & Eustathium 4. Eclog. Statius etiam, *Troiæ vastator Achilles.* Vide me 4. Eclog. ad illud,

> *Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.*

8. Hic tibi mortis erant metæ.] Hom. 17. Iliad. hoc affectu,

> Ἔνθα δέ τοι Πάτροκλε φάνη βιότοιο τελευτή:
> *Hic tibi Patrocle extitit vitæ finis.*

Sidon. epist. 17. lib. 7. *finiti cursus isthic vitæ.* Sed totus hic locus conditus ad Homeri eiusdem ductum, qui Iliad. 20. (Imitatio.)

A

> Ἔνθα δέ τοι θάνατος, γενεὴ δέ τοί ἐστ' ἐπὶ λίμνῃ
> Γυγαίῃ, ὅθι τοι τέμενος πατρώϊόν ἐστιν:
> *Hic sanè tibi mors, genus autem tibi ad lacum*
> *Gygaeum, vbi tibi ager est paternus.*

Doluit rem hanc Ouidius Eleg. 3. lib. 3. Trist.

> *Tam procul ignotis igitur moriemur in oris?*

9. Domus alta.] Hom. ὑψηλοῖο δόμοιο. & ὑψόροφος δ. Ita 2. Georg. & 10. Æneid. *domus alta.* Vide extremum locum.

10. Lyrnessi.] Ciuitas ad radices Idæ, & ἀντικρὺ ἡ τῆς Λέσβου, ait Strabo lib. 13. *Lesbo opposita.* Vide & Plin. cap. 30. lib. 5. vbi Idam ponit ad eum tractum, vbi Lyrnessus. & quæ dixi 1. Æneid. ad illud, *quanquam secreta parentis*, &c. (Lyrnessus.)

B

11. Solo Laurente sepulcrum.] Similis conquestio de diuerso loco natalitij, & mortis est in vetere inscriptione, (Sepultus alieno in loco.)

> *Gallia quem genuit de gente Nouem populorum,*
> *Itala terra tegit, Gallia quem genuit.*

Apud Eurip. in Alcest. fit hæc precatio, quasi nihil maius ea esse possit,

> ———εὐδαίμονας (παῖδας)
> Ἐν γῇ πατρῴᾳ τερπνὸν ἐκπλῆσαι βίον:
> ———*felices (liberos)*
> *In patrio solo iucundam vitam implere.*

C

Notabis integri versus miram oppositionem. Versus est, (Oppositio.)

> *Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.*

Ergo, Lyrnessus opponitur Laurenti; domus sepulcro, altitudo æquabili & plano solo. Conformata omnia ad affectus mouendos.

12. Pro se quisque.] Quia non tantùm ductu, sed virtute militari rem gerebant, & καθ' ἑαυτόν, vt Hom. loquitur. Sed & fortasse dicit, pugnasse eos *pro se*, id est, pro vita, ad eum modum, quo de Iulio pugnante contra filios Pompeij in Hispania, ait Plut. πολλάκις μὲν ἀγωνίσατο περὶ νίκης, νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψυχῆς: *Pugnauit sæpe pro victoria, nunc primùm pro vita.* Porro imitationem iam alij aperuerunt, ea sumpta ab Attio in Meleag. (Pro se quisque.)

D

> *Gaudent, currum, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent*
> *Pro se quisque, cum corona clarum conflat caput.*

13. Summa nituntur opum vi.] Ita in 9. *Summáque euertere opum vi.* Adducit Macrob. cap. 1. lib. 6. versus Ennij, qui lib. 4. (Opum vi.)

> *Romani scalis summa nituntur opum vi.*

Et lib. 16.

> *Reges per Regnum statuásque, sepulchráque quærunt;*
> *Ædificant nomen, summa nituntur opum vi.*

Apud Tull. 2. Diuinat. habetur hic versus,

> *Crœsus Halym penetrans magnam peruertet opum vim.*

a Hîc mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret vt ad muros, vrbíque aduerteret agmen
Ocyùs, & subita turbaret clade Latinos.
b Ille vt vestigans diuersa per agmina Turnum,
Huc, atque huc acies circumtulit: aspicit vrbem
Immunem tanti belli, atque impunè quietam.
Continuò pugnæ accendit maioris imago.
c Mnesthea, Sergestumq; vocat, fortémque Serestum
Ductores, tumulumq; capit, quò cetera Teucrûm
Concurrit legio: nec scuta, aut spicula densi

Deponunt: celso medius stans aggere fatur.
[d] Ne qua meis esto dictis mora. Iuppiter hac stat;
Ne quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
[e] Vrbem hodie, causam belli, Regna ipsa Latini,
Ni frænum accipere, & victi parere fatentur,
Eruam, & æqua solo fumantia culmina ponam.
[f] Scilicet expectem libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursúsque velit concurrere victus?
[g] Hoc caput, ô ciues, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces properè, fœdúsque reposcite flammis.

A

ARGVMENTVM.

Noua & subita belli ineundi deliberatio ex aspirante Venere, ex æstuante Ænea: hic scilicet suos hortatur, vt eant contra vrbem Latini, relicto palante hoste.

EXPLICATIO.

[a] FINGIT Poëta, consilium inuadendæ vrbis, & subitò turbandorum ciuium, profectum à Venere, impensè curante res filij, vt ostendat perpetuam Deorum in illum indulgentiam. Ideo postea Æneas ipse, *Iuppiter hac stat*.. Seruij enim ratio hæc, *nam incongruum fuerat occupatum bello per se tale cepisse consilium*, inepta est. Cur enim incongruum, vt magnus belli dux ingenij acie varias tentet in bello vincendi machinas? Cur in hoc consilij articulo Venus dicatur *pulcherrima*, aperio in Notis.

B

[b] Accidit ergo, vt cùm fortasse Æneas oculos in omnem agminum partem circumferret quæsiturus Turnum, tum etiam & vrbem cerneret immunem omni malo, ac statim accendit illum imago maioris pugnæ, aspirante scilicet tum Venere nouam belli ineundi rationem.

[c] Illicò ductores exercitus vocauit, cum illis vnà concurrit tota legio, non armis positis. Ipse occupato tumulo, quò meliùs ex aggere cerneretur, loqui cœpit.

[d] Breue est, vt in re arcta, exordium: ídque ductum à Numinis beneuolentia. Ergo, *nulla sit mora meis dictis*, quia *Iuppiter hac stat*, id est, stat Iuppiter pro religione, quam fœdifragi læserunt. Laudo & scholion hoc Iulij Scal. *Iuppiter hac stat, id est, hic est modus, hac via imponendi fatis finem.* Pergit. *nemo eat segnior*, quòd *inceptum subitum* videat. Hactenus exordium.

[e] Aperit iam sententiam suam. Ni pareant Latini, nisi frænos imperij mei accipiant, & se victos fateantur, non iam bellum erit, sed aperta expugnatio, nam *vrbem eruam* à fundamentis., *causam belli*, quia in ea vrbe erat Lauinia, *causa* (vt suprà dixerat) *mali tanti*: & quidem eruta vrbe *eruam ipsa* (ἐμφατικῶς) *Latini Regna, & ponam culmina æqua solo*. Vulgaris Poëta diceret, *æquabo solo*. Adhibet & modum, *fumantia, quia vrbem igne extincturus.*

[f] Vidisti primò exordium, deinde deliberationem, sequitur iam tertiò causa. Expectem ego Turni moras, & tergiuersationes? Quid, quòd nunquam mecum congredietur? Ratio: nam nollet *victus rursus concurrere.*

[g] En iam conclusio rei gerendæ. Cùm sit *hoc caput & summa belli nefandi*, id est, gesti contra fœdera, *ferte faces*, & has *properè*, & *flammis* vindicibus *fœdus reposcite*. Rectè hic Seru. *Flammas fœderis renouemus incendio vrbis. nam reposcite est, reuocate, innouate.*

NOTÆ.

1. HIC MENTEM ÆNEÆ, &c.] Hom. 18. Iliad. Imitatio.

Τῷ δ' ἄρ' ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη:
Huic in mentibus posuit Dea Minerua, cui glauci oculi.

Nec longè abit illud Calab. lib. 11.

Δὴ τότ' Ἀργείοισιν ὑπέρτερον ὤρνυτο θάρσος
Παλλάδος ἐννεσίῃσι δαΐφρονος: ———
Tandem maior Achiuos fiducia incessit
Bellacis Mineruæ suggestione. ———

2. GENITRIX PVLCHERRIMA.] Seruij scholion hoc, *perpetuum epithetum est, nec ad negotium pertinens*, ineptum est. An aliquid Maro non ad rem pertinens? Dicitur aliquid fieri *pulchrè*, cùm sapienter fit & opportunè. Terent. Eunuch. *Dixti pulchrè, nunquam vidi melius consilium dari.* Plaut. Aulul. *Neque ligna vsquam vidi preberi pulchrius.* Sic & Græci δέον, quod sumitur pro *opportunitate*. Nam Plutar. in vita Cicer. quod omnes dicerent ἐν καιρῷ, ille ἐν δέοντι. Ergo *pulcherrima* dicitur Venus, quæ pulcherrimum attulit consilium, id est, sapientissimum, & opportunissimum..& esse quidem potest hypallage, *genitrix pulcherrima misit mentem*, pro, pulcherrimam mentem. Sic *purpureos cristis iuuenes*, pro, purpureis cristis. & millena in vno Virg. Seruij nugæ. Pulcherrima cur Venus in consilio.

C

3. IRET VT AD MVROS, &c.] Non absonè huc trahetur Scipionis Magni consilium conferentis Carthaginem bellum Annibalis, vt ei finis esset. Romana historia repræsentata.

4. VRBIQVE ADVERTERET AGMEN.] Ouid. 1. Trist. Eleg. 2. *iussa me aduertite terræ.* Sic & 4. Georg. *terris festinem aduertere proram.* Aduerto.

5. HVC ATQVE HVC ACIES CIRCVMTVLIT.] Vide lib. 8. ad illud, *facilésque oculos.*

6. VRBEM IMMVNEM.] Doctissimè, nam vox hæc è media militia. Erant *immunes*, qui aut ex lege, aut ex beneficio vacabant. Liu. lib. 7. *Immunes operum militarium.* & quidem *militibus immunibus* opponuntur *munifices*. Veget. *Munifices appellantur, qui munus facere coguntur.* Ammian. lib. 25. *munifici gregario.* Immunes à bello qui. Oppositi.

D

7. MNESTHEA, SERGESTVMQVE, &c.] Tale quid Titus apud Ioseph. lib. 7. Bell. cap. 9. αὐτὸς συνῆγε τοὺς ἡγεμόνας, &c. Coniungit enim, conuocátque in vnum duces ad deliberandum de excidio templi.

8. Nec

Milites armati in concione.

8. NEC SCVTA, AVT SPICVLA DENSI DEPONVNT.] Elucet in istis mos Romanorum, qui armati aderant audituri suos Principes concionantes. Apud Claudian. de Bell. Gild.

——stat circumfusa iuuentus
Nixa hastis, pronásque ferox accommodat aures.

Ammian. lib. 2. *Progressus Princeps, ambitiosius solito tribunal ascendit, signis aquilísque circumdatus, & vexillis, septúsque totis armatarum cohortium globis.* Sic & apud alterum Plinium loquentis Traiani tribunal inducitur *pilorum, signorúmque horrore circumdatum.* Dixi signatè elucere Romanum morem: nam non ita semper apud Græcos. Apud Xenoph. enim lib. 2. de Rep. Græcor. audituri loquentem Thrasybulum iubentur priùs θέσθαι τὰς ἀσπίδας, *scuta deponere.* Simile fermè Plut. in vita Demet. vbi milites τὰς ἀσπίδας παρὰ χρῆμα θέμενοι πρὸ τῶν ποδῶν ἀνεκρότησαν, καὶ βοῶντες ἐκέλευον ἀποβαίνειν τὸν Δημήτριον σωτῆρα καὶ εὐεργέτην ἀναγορεύοντες: *depositis ad pedes clypeis ingenti plausu, & clamore hortati Demetrium sunt, vt de naui exiret, seruatorem, & benefactorem appellantes.*

Aggeres ducis concionantis.

9. CELSO MEDIVS STANS AGGERE FATVR.] Hoc quoque è more ducum, qui ab tumulo, ab aggere, à cespite concionabantur conspicui. De re hac iam plenè Lips. lib. 4. de Milit. Rom. dial. 9. ego nullo vtar illius testimonio. Sed profero Plut. in vita Pomp. vbi de hac re loquens, ὃ (βῆμα) ποιοῦσιν αὐτοὶ τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ κατ᾽ ἀλλήλων συντιθέντες, *quem suggestum faciunt grandibus cespitibus excisis, inuicem accumulatis.* Ammian. lib. 19. *celsoque aggere in speciem tribunalis erecto.* & lib. 21. loquens de Iuliano, *saxeo suggestu insistens.* Vopiscus etiam in vita Probi meminit *tribunalis cespititij.* & de illo Prud. Psychom.

Exstruitur media castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam, subiecta vnde omnia latè
Liber inoffenso circumspicit aëra visu.

Quin non solùm inde fiebant conciones, sed etiam in eodem duces munia aliqua administrabant. Sic Cato Vticensis inducitur à Plut. ἐπὶ χώματός τινος καθίζας, *sedens in aggere*, & non quidem concionabundus.

Stabant duces cùm dicebant.

10. STANS.] Duces quippe cùm dicebant, *stabant.* Hom. 1. Iliad.

Τοῖσι δ᾽ ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς:
His exsurgens locutus est pedibus velox Achilles.

Calchas quoque locuturus ἀνέστη, *surrexit.* Apud eundem Homerum excusat se Agamemnon, quòd propter vulnus concionaretur non stans.

Imitatio.

11. NE QVA MEIS ESTO DICTIS MORA.] Hom. 2. Iliad.

Ἀλλ᾽ ἄγεθ᾽, ὡς ἂν ἐγὼ εἴπω, πειθώμεθα πάντες:
Sed agite, vt iussero, pareamus omnes.

Deus adest.

12. IVPPITER HAC STAT.] Ita acriùs militem acuit. Græci apud Cal. lib. 1.

——οὐδὲ γὰρ ἡμεῖς
Νόσφι θεῶν Τρώεσσι μαχησόμεθ᾽ ἤματι τῷδε:
——non enim nos
Sine Deorum numine cum Troianis hodie pugnabimus.

In eodem lib. Troiani inuicem, θεὸς ἄμμιν ἀρήγει: *Deus nobis præsidio est.* Eurip. quoque in Rhes. καὶ Ζεὺς ὁ σὸς ἡμῖν πάρα: *nobiscum est Iuppiter.* Porrò imitatio (iam hāc Macrob. aperuit) sumpta ab Enn. 7. Annal.

Non semper vestra euertit, nunc Iuppiter hac stat.

Imitatio.

13. VRBEM HODIE, &c.] Non dissimile consilium Diomedis apud Cal. lib. 4. vbi post interfectum Achillem,

Ἀλλ᾽ ἄγε σὺν τεύχεσσι, καὶ ἅρμασιν, ἠδὲ καὶ ἵπποις
Ἴομεν ἀμφὶ πόληα:——
Ergo agite, instructi armis, curribus, equis
Eamus vrbem circumdaturi.——

14. CAVSAM BELLI.] Retuli ad Lauiniam. Possit aliquis ad Amatam, nam hæc inf.

Se causam clamat, crimenque, capútque malorum.

Accipere frænum.

15. FRÆNVM ACCIPERE.] Ad verbum Soph. in Elect. στόμια δέχεσθαι. vt hîc metaphoricè *frænum*, ita Græci. Nam Plut. in vita Arati, τῇ φρουρᾷ καὶ τοῖς ὁμήροις ὥσπερ χαλινούμενοι: *velutì frenatos præsidio & obsidibus.* Apud Eurip. in Taur. Orestes vt dicat, immissas sibi furias, quibus vexaretur, ait, iniecta sibi αἱματηρὰ στόμια, *cruenta frena.* Sic 1. Æneid. *& gentes frænare superbas.* Hermione apud Eurip. in Androm. ait, debere virum ἡνίας ἔχειν, *habere habenas*, id est, potestatem in domo.

Vrbs incendio prostrata.

16. ÆQVA SOLO FVMANTIA CVLMINA.] Vrbem incendio prostratam πυρκαϊὰν vocat Plut. in vita Camilli. Eurip. in Aul. dixit,

Πέρσας κατ᾽ ἄκρας πόλιν,
Vrbem euertens à culmine.

Ibid. γαῖαν Πριάμοιο ἐκπυρώσων.

Faces vitex ad incendium.

17. FERTE FACES.] Faces ad incendium, plerumque ex vitibus, fortè & semper. Quid si has Æneas poscit? Sic Cicero dixit: *Malleolos ad incendendam vrbem, facésque comparare.* Ammian. lib. 21. *Cùm aduentarent iam turres, contortis malleolis madentibus pice, arundine, quin etiam sarmentis, ac vario fomite flammarum incessebantur.* Sic & Thucydid. κληματίδων meminit lib. 7. in re incendij, id est, *malleolorum.* Græci alij φανὸς ἀμπέλου nominant.

[a] Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum, densáque ad muros mole feruntur.
[b] Scalæ improuisò, subitúsque apparuit ignis.
Discurrunt alij ad portas, primósque trucidant.
Ferrum alij torquent, & obumbrant æthera telis.
[c] Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnáque incusat voce Latinum;
Testatúrque Deos, iterùm se ad prælia cogi:
Bis iam Italos hostes, hæc altera fœdera rumpi.
[d] Exoritur trepidos inter discordia ciues.
Vrbem alij reserare iubent, & pandere portas
Dardanidis, ipsúmque trahunt in mœnia Regem.

Arma ferunt alij, & pergunt defendere muros.
[e] Inclusas vt cùm latebroso in pumice pastor
Vestigauit apes, fumóque impleuit amaro.
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnísque acuunt stridoribus iras.
Voluitur ater odor tectis: tum murmure cæco
Intus saxa sonant: vacuas it fumus ad auras.

ARGVMENTVM.

Paret Æneæ acies tota, fit conuolatio in vrbem, & cædes varia, atque oppugnationis forma multiplex: auditur inter reliquos clamores Æneæ obtestatio: turbantur ciues, ad quam turbationem explicandam adhibetur commoda comparatio.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIBITVR repentinus impetus Troianorum conuolantium contra vrbem ad Æneæ iussum. Pergunt, imò *feruntur*, quia sui impotes φέρονται ad muros cuneati & addensati, non solùm cursu, imò potiùs *animis certantibus*, vt intelligas præcipitantiam.

[b] Nihil opportunius ad terrendos ciues, vbi enim subitum malum, formido est maior. Ergo repentina omnia, videlicet, scalæ, ignis, discursio, cædes, hastarum tortio, sagittarum imber.

[c] Purgat se Æneas ab tam dira suorum carnificina, tendens dexteram, Latinum incusans, obtestans Deos præsides fœderis: purgat (inquam) se, quòd coactus sinat exerceri à suis tam diram cædem in Rutulos. Nam bis facti mihi estis hostes, quia bis rupistis fœdera. Bis scilicet inita fuêre fœdera, semel lib. 7. per Ilioneum principem legationis, iterum in hoc libro.

[d] Accessit ad malum vrbis ciuium discordia. Nam alij volunt Troianis portas aperire, vt cesset acerrima oppugnatio, trahúntque Regem Latinum, etiam nolentem, ad vrbis muros, vt sit ipse spectator diræ cladis: alij contrà, portas occludunt, & arma ferunt, ac defendunt muros, imò *pergunt defendere*, quasi frustra, vt qui non possint. Illud, *trahunt Regem ad mœnia*, explica, volunt trahere. Explicationem Donati nihil moror.

[e] Optima comparatio. Solent mellarij aluearia fumo explorare, apésque inuestigare. Illæ tum plenæ iratum discurrunt per cellas, & strident vehementiùs: ac mira tunc intus est confusio ex tetro odore, ex bombis apum. Talis erat vrbis species. Nam ciues expugnabantur igne, vt apes solent eiici fumo ex cauernis suis. Signatè *cerea castra*, nam comparatio assumitur ad rem militarem.

NOTÆ.

1. ANIMIS PARITER CERTANTIBVS.] Græci vnicavoce ψυχομαχεῖν, & ψυχομαχεῖν. Et nota voculam *pariter*. Etenim Græcis τὸ παρὰ nota est comparationis, quasi *iuxtà*. Inde Latinorum, *par, pariter*. Certabant quippe, vter iret celerior.

Pariter, vade.

2. DANT CVNEVM.] Potest accipi pro confer- A ta multitudine, vt suprà, *cuneis se quisque coactis*. vel pro vero cuneo, illo (inquam) quem Græci vocant ἔμβολον παράταξιν. De quo ego nihil, tum quia notus omnibus, tum quia multa Lips.

Cuneus.

3. SCALÆ.] Vide etiam & de his Lips. in Rom. Mil.

4. SVBITVSQVE APPARVIT IGNIS.] Ita 12. Iliad. Imitatio.

Πάντη γὰρ περὶ τεῖχος ὀρώρει θεσπιδαὲς πῦρ:
In omnem enim muri partem excitatus est perniciosus ignis.

5. PRIMOSQVE TRVCIDANT.] Cædes hæc ad portas vrbis facta repræsentatur à Plut. in vita Lu- B culli, ἤδη καὶ πρὸς ὀργὴν ἐπὶ τὰς ἐξόδους ὠθούμενοι καὶ βιαζόμενοι, αὐτοὺς ἀπέκτειναν: *infesti iam ad portas per impressionem & vim ipsos contrucidarunt*. & in vita Sertorij, πλεῖστοι μὲν ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων στρατιωτῶν περὶ τὰς πύλας: *Plurimi sunt à Romanis ad portas contrucidati*. Locorum similitudo.

6. ET OBVMBRANT ÆTHERA TELIS.] Ita in 11. *cælúmque obtexitur vmbra*. Credibile est allusum à Poëta ad nobilem sententiam Dieneeis Spartani, qui (narrat Herodotus Musa septima) cùm ante conflictum cum Medis audisset à quodam Barbaro, præ multitudine sagittarum, quam Barbari mitterent, Solem obduci, respondit nihil se timere iam Medos, quandoquidem ὑπὸ σκιῇ ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη, καὶ οὐκ ἐν ἡλίῳ, *pugna futura esset sub vmbra, nec cernente Sole.* C Allusit videlicet ad σκιομαχίαν, id est, *vmbratilem pugnam*, quæ tuta est, & tantùm habet præludium ad veram pugnam. Eiusdẽ rei meminit Plut. in Apoph. Laconic. λέγοντος δὲ τινὸς, ἀπὸ τῶν οἰστευμάτων τῶν βαρβάρων, οὐδὲ τὸν ἥλιον ἰδεῖν ἔστιν. οὐκοῦν, ἔφη, χάριεν εἰ ὑπὸ σκιὰν αὐτοῖς μαχεσόμεθα: *dicente quodam, fore vt sagittæ Barbarorum Solis conspectum eriperent: gratum ergo erit, inquit, si in vmbra contra ipsos pugnabimus.* Adeò animus iste, & sententia multis post seculis placuit, vt Virgilius illam bis suo carmine nobilitauerit, alij etiam vsurpauerint. Aristoph. Vesp. Obumbrare cœlum telis.

Ὑπὸ δὲ τῶν τοξευμάτων, οὐκ ἦν ἰδεῖν τὸν οὐρανόν:
Videri cælum non potuit præ imbre sagittarum. D

Et sermo quidem est Aristophani de pugna, qua Miltiades dux Atheniensium fudit Darium Regem Persarum in campis Marathoniis. De Xerxe Aristid. in Panath. ὥστε νύκτωρ μὲν ἤστραπτεν ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ. μεθημέραν δὲ νύκτα ἐπῆγεν, ὁπόταν τοξεύειν κελεύσειε: *itaque & noctu diem inducebat auro atque argento, & die noctem cùm suos iaculari iuberet*. De eodem in 2. Platon. vbi loquitur de Themistocle, ὁ δὲ ἥλιος συνεκρύπτετο τοῖς τοξεύμασι: *Sol autem telis obtegebatur.* Hos reperi, qui ex Græcis sententiam eam illustrauerint, & omnes, vt vides, in sermone rerum Persicarum, vnde sumpta prima sententiæ origo. Sunt & Latini. Princeps Noster. Deinde Arbiter de ipso Xerxe, *Solem texere sagittæ*. De eodem Sen. lib. de constantia Sapientis cap. 4. *Quid tu putas, cùm stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset, vllam sagittam in Solem incidisse?* Stat. 8. Theb.

Exclu

Exclusêre diem telis, stant ferrea cœlo
Nubila, nec iaculis arctatus sufficit aër.

Alicui placebit *atratus* ab nigricante die, & latente Sole iaculorum copia. Plin. loquens de populis Oriẽtalibus c. 36. lib. 16. *his armis Solem ipsum obumbrant.* Ammian. lib. 19. *sagittarum creberrima nube auras ipsas multitudine obumbrante.* & lib. 25. *Persæ sagittarum volantium crebritate, conspectum Solis rapiebant.* Ennod. Paneg. *Si cœlum lancearum imber obtegeret.* Silius libro nono,

——cœlumq́; & sydera pendens
Abstulit ingestis nox densa sub æthera telis.

Et lib. 2.

Conditur extemplò telorum nubibus æther.

Et lib. 4.

Hinc pila, hinc Libyca certant subtexere cornus
Densa nube polum.——

Lucan. lib. 3. *emissaq́; tela Aera texerunt.* Sed & ad res alias, non ad bellum tantùm sententia ea emanauit. Nam de locustis Plin. lib. 11. cap. 29. *Solémque obumbrant.* & Valer. lib. 4. Argonaut. de Harpyis, *Cocytia nubes.*

Tendere manum. 7. DEXTRAM SVB MOENIA TENDIT.] Τὰς χεῖρας ὀρέγων, ait Plut. in Brut. & de re simili. Brutus enim obsessos Xanthios hortabatur, ne vellent perire, sed facerent deditionem.

8. INCVSAT.] Tanquam incutiat crimen violatæ religionis.

Romana historia repræsentata. 9. TESTATVRQVE DEOS, &c.] Tale illud Consulis Varronis apud Liu. lib. 22. *Testareturq́; Deos, & homines his, nullam penes se culpam esse, quod Annibal iam velut suam cepisset Italiam.*

Discordia in bello. 10. EXORITVR TREPIDOS, &c.] Semper nocua est discordia, sed potissimùm in bello. Polyb. de hac re loquens lib. 5. ἐν ἀμφισβήτησις καὶ δυσμενεία περὶ τοὺς ἡγεμόνας, ὃ πάντων ἐστὶ σφαλερώτατον: *Accidit, quod omnium periculosissimum est, vt dissiderent animis inter se duces.* Veget. lib. 3. c. 10. *Inter hostes discordiarum serere causas sapientis est ducis.*

Vrbis turbatio. 11. VRBEM ALII, &c.] Huic tractui, vbi turbatio repentina ciuium, non absimilis locus Liu. libro 37. ab eo, *haud secus quàm in repentino incendio, aut capta vrbe trepidatur,* &c. Lege eundem libro 2. vbi post ignem iniectum ædificiis muro imminentibus, tollitur clamor oppidanorum, mistus muliebri, puerilíq; ploratu, vnde & Romanis auctus animus, & Volsci turbati. Lege & Statium libro septimo Thebaid. ab eo loco,

Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?

Apum fumus. 12. INCLVSAS VT CVM, &c.] Sumptum ab Apoll. 2. Arg.

Ὡς δ' ὁπότε μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες,
Ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἔνι καπνιόωσιν.
Αἱ δ' ἤτοι τείως μὲν ἀολλέες ᾧ ἐνὶ σίμβλῳ
Βομβηδὸν κλονέονται, ἐπὶ πρὸ δὲ λιγνυόεντι
Καπνῷ τυφόμεναι πέτρης ἑκὰς ἀΐσσουσιν,

Haud secus, quàm apum examen magnum opiliones,
Aut apiarij in petra fumigarunt,
Quæ tum confertim in aluearí
Cum strepitu turbantur, plus æquo verò crescente
Fumo infestatæ, è petra rapiim effunduntur.

Libat & rem hanc Cal. lib. 3. vbi ait in vnum Aiacem irruisse Troianos,

——ἀτυχηλέες εὖτε μέλισσαι,
Αἵθ' ἐὸν περὶ σίμβλον ἀπειρέσιαι ποτέονται
Ἀνδρ' ἀπαμυνόμεναι:——
——*quemadmodum protensis apes labris,*
Quæ ad alueare suum agmine innumero volitant
Arcentes virum.——

Imitatio. A Huc etiam pertinent versus Aristophan. in Vespis,

——ἡνίκ' ἦλθεν ὁ βάρβαρος
Τῷ καπνῷ τύφων ἅπασαν τὴν πόλιν, καὶ πυρπολῶν
Ἐξελεῖν ἡμῶν μενοινῶν πρὸς βίαν τὰ 'νθρήνια.
Εὐθέως γὰρ ἐκδραμόντες, ξὺν δορὶ ξὺν ἀσπίδι
Ἐμαχόμεσθ' αὐτοῖσι, θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες.
Πᾶς ἀνὴρ παρ' ἄνδρ' ὑπ' ὀργῆς τὴν χελύνην ἐσθίων:

——barbarus cum veniret
Fumo & igne vniuersam perditurus vrbem:
Vique vellet vindicare tecta nostra cerea.
Nam statim cursu incitato scutum & hastam inuadimus,
Et pugnam ciemus hausto mox thymo iracundiæ.
Hic viri omnes ordinati mord cus labrum premunt præ B *ira.*

Apũ metus. Et *inclusas* ait Poëta, nam in aluearia sua se statim apes recipiunt in summo metu. Plutar. cum allusione ad rem hanc in vita Pomp. loquens de piratis, ὥσπερ εἰς σμῆνος ἰσδυόντο πανταχόθεν καταφερόμενοι τὴν Κιλικίαν: *Tanquam in aluearium, in Ciliciam delati vndique abdiderunt se.*

Pumex. 13. LATEBROSO IN PVMICE.] Intelligi hîc cauum, & erosum saxum iam Turn. animaduertit ab Plin. scribente lib. 36. cap. 21. hunc in modum: *Non prætermittenda est & pumicum natura; appellantur quidem ita & erosa saxa in ædificiis, quæ Musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam.* Vides specus formam, talem quippe amant apes. Ita & Prop. Eleg. C 3. lib. 3.

Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebantq́; cauis tympana pumicibus.

Et Ouid. Eleg. 1. lib. 3. Amor. *speluncaq́; pumice pendens.* & lib. 3. Metamorph. in descriptione antri ait, *pumice viuo.* Inde laudo doctum Germani scholion, κοίλη καὶ σπηλαιώδης πέτρα: *in caua petra, & ad formam speluncæ.* Quod consentit cum Hom. qui 2. Iliad. loquens de habitaculo apum, πέτρης ἐκ γλαφυρῆς, *ex petra scalpta, caua.*

Pastor, de mellario. 14. PASTOR.] Ita appellat mellarium. Non rectè Apollonio, adducto in loco, dicuntur μηλοβοτῆρες. nam quid ad hanc rem ouium pastores? atqui *pastor* tantùm, bene.

Fumo apes pelluntur. D 15. FVMOQVE IMPLEVIT.] Exigi è latibulis suis fumo apes, & hac vna re expugnari, certum. Calab. lib. 3. ait, illas cruciari καπνοῦ ὑπαὶ ῥιπῆς: *violentia fumi.* & alueare expugnari καπνῷ Plut. ait lib. de Auditione. Apud Aristophan in. Vesp. cùm Bdelycleon dixisset,

Παῖ, παῖ' ὦ Ξανθία τοὺς σφῆκας ἀπὸ τῆς οἰκίας:
Xanthia feri, feri, pelle vespas è domo.

Respondit illicò Xanthias,

Ἀλλὰ δρῶ τοῦτ'. ἀλλὰ καὶ σὺ τῦφε πολλῷ τῷ καπνῷ:
Hoc ago ipsum, sed tu adiure plurimum fumum excitans.

Confero & verba S. Cyrilli Alex. Comment. in Nahum num. 25. οἱ μελισσουργοὶ κατὰ καιρὸς, ὅτε τὰ κηρία τῶν E σύμβλων ἐξορύττειν ἐθέλωσι, πῦρ ἐνάπτοντες, καπνῷ τὰς μὲν μελίσσας διώκουσιν, ἵνα μὴ μάχοιντο, καὶ κατά τι τρώσειαν τοῖς κέντροις αὐτοὺς ἀθρόαι περιπετόμεναι: *Apiarij cùm suo tempore fauos ex aluearibus eximere volunt, ignem accendunt, & apes fumo persequuntur, ne densatim circumuolantes pugnent, & aculeis suis ipsos conuulnerent.* De apiculis Ammian. lib. 18. *fumo pelluntur.* Ouid. 1. Rem. *suppositos fugiunt examina fumos.* Nazianzen. Orat. 20. ὡς καπνῷ σμῆνος κινηθὲν ἄλλο ἐπ' ἄλλῳ ἀνηγείρεται & ἀνίσταται. *velut fumo apum examen mouente, certatim omnes excitantur, & exsurgunt.* Attingit & hoc Lycoph. loquens de Græcis, ὡς μέλισσαι συμπεφυρμέναι καπνῷ: *vt apes fumo conturbatæ.* Vide præterea quæ dedi lib. 4. Georgic. ad illud,

illud, *fumósque manu prætendit sequaces.* Huc allusisse A credendi sunt alij, etiamsi apes non nominent, vt cùm Hom. Iliad. 9. dixit, interficiendos in nauibus Græcos ἀτυζομένους ὑπὸ καπνοῦ: *turbatos a fumo.* & Aristophan. cùm in Plut. dixit,

Ἐμὲ δ' ἐξέτυψεν ὁ καπνός. οὐχ οἷός τε γὰρ
Ἔνδον μένειν ἦν. ἔδακνε γὰρ τὰ βλέφαρά μου:
Me fumus foras exegit. neque mihi licet
Intus manere; momordit enim meas palpebras.

Amarus cur fumus.

16. AMARO.] De fumo, qui narium est, dicit amaritiem, quæ pertinet ad sensum gustus. Sic Aristoph. in adducto testimonio de fumo, ἔδακνε, *momordit.* & in Lysist. cùm præcessisset, Λήμνιον τὸ πῦρ, *Lemnius ignis,* subiecit, ὀδὰξ ἔβρυκε τὰς λήμας ἐμοῦ: *inuasit mordicus lemas meas.* vbi morsus, qui est gustus, datur tactui, ignis quippe ad tactum pertinet. Ita & 4. Æneid. *rumore incensus amaro.* vbi amaricies, quæ est gustus, datur tu- B mori, qui est aurium. Itaque dici possunt amara, non solùm quæ gustantur; sed quæ audiuntur, tanguntur, olfiunt. Sed ad hanc rem pertinet imprimis locus Aristot. lib. 2. de Anim. cap. 9. multis ostendentis sensum olfacientem mutuari locutiones suas ab ore. Itaque, sicuti quæ gustantur ore, ait ille, dicuntur dulcia, amara, acria, acerba. καὶ ὁμοίως δὴ καὶ δριμεῖα, καὶ αὐστηρὰ, καὶ ὀξεῖα, καὶ λιπαρά ἐστιν ὀσμή: *Ita & odor dicitur acer, acerbus, acutus, pinguis.* Hæc ille multis. Adi, si placet.

Olfaciens sensus.

Odor vnde sumat locutiones.

17. TREPIDÆ RERVM.] Ἀπορούσας, καὶ ἀμηχανούσας explicat Germ. id est, *consilij inopes. & auxilij.* Ad formam locutionis pertinet dici alibi, *fessi rerum.*

18. CEREA CASTRA.] Vt in 4. Georg. *Cerea Regna.* Claud. etiam 2. Rap. *cerea castra.*

Cerea castra

19. MAGNISQVE ACVVNT STRIDORIBVS IRAS.] De iris apum dixi 4. Georg. ad illud, *illis ira modum supra est.*

20. ATER ODOR.] Dicebam modò de pari re. Nam *odor,* qui est narium, dicitur *ater.* pertinet quippe atricies ad oculos. Vide quæ fusè iam 2. Æneid. ad illud, *clarescunt sonitus.*

Odor cur ater.

21. MVRMVRE.] Calaber libro 1. in comparatione,

Apum murmura.

Ὡς δ' ὅτ' ἔσω σίμβλοιο μέγ' ἰύζωσι μέλισσαι:
Vt cum in aluearijs plurimum strepitauerint apes.

Et lib. 11. in alia comparatione,

Οἷον ὑπὸ σμήνεσσι περιτρομέωσι μέλισσαι:
Vt cùm in cellulis circumsusurrant apes.

De his bombis, susurris, fremitibus iam libro quarto Georg.

22. CÆCO.] Quia auditur intus. Ecce & *cæcitas*, quæ est oculorum, datur *murmuri*, quod est aurium.

Cæcitas de auribus.

23. VACVAS IT FVMVS AD AVRAS.] Calab. lib. 3. Imitatio.

——ἀνὰ δ' ἤγρετο πολὺς
Καπνὸς ἐς ἠέρα: ——
——*surgebat autem densus*
Fumus in aera.——

[a] Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus vrbem.
[b] Regina vt tectis venientem prospicit hostem,
Inscendi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contrà Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ iuuenem in certamine credit
Extinctum, & subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat, criménque, caputq; malorum:
Multáque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.
[d] Quam cladem miseræ postquam accepêre Latinæ,
Filia prima manu flauos Lauinia crines,
Et roseas laniata genas: tum cetera circùm
Turba furit, resonant latæ plangoribus ædes.
[d] Hinc totam infelix vulgatur fama per vrbem.
Demittunt mentes. it scissa veste Latinus
Coniugis attonitus fatis, vrbísque ruina,
Caniciem immundo perfusam puluere turpans.
Multáque se incusat, qui non acceperit antè
Dardanium Ænean, generumq; asciuerit vltrò.

C

ARGVMENTVM.

Complet calamitates atrox Amatæ exitium, quæ vitam suspendio finit: fit ingens planctus ab Lauinia, Latino, ceteris.

EXPLICATIO.

[a] NARRATA hactenus externa mala ab hoste ingruente, à flammis vastantibus. His cladibus fessi erant, & prostrati Latini: accidit illicò internum

ternum malum, quo vrbs tota funditus luctu euersa.

b Narrat iam calamitatem. Vidit è domo sua Amata conuolantem contra vrbem hostem, vidit scalis conscendi muros, & grassantem iam ignem per ædium tecta: neminem contrà, qui defenderet, non acies Rutulas, non Turni agmina. Vides vt describit calamitatis gradus semper maiores. Pergo. Inde percussa est inani credulitate, qua putauit cecidisse in acie Turnum. Hinc clamare per dolorem cœpit, se malorum fuisse causam, crimen, caput: ab dolore transiit ad furorem, quo, cùm multa priùs muliebriter eiulasset, amictus discidit, & laqueo è trabe appenso collum inseruit, deformi mortis genere.

c Fama statim rei inuasit Latinas feminas, quæ erant in comitatu Lauiniæ, hæc prima omnium furere per dolorem cœpit in capillos, in faciem: reliquæ correptæ sunt pari insania, & ædes Regiæ latæ & amplæ plangoribus magnis resonarunt.

d Ab Regia in vrbem reliquam calamitas penetrauit. Ciues demiserunt animos. Latini dolor spectatus præ aliis est: nam vestes conscidit, & caput puluere deturpauit, stupenti similis, attonito similis, ob fata coniugis. Se præterea tanti facinoris reum incusauit, quòd Ænean vrbe non acceperit, neque in generum asciuerit.

NOTÆ.

Accidit, quid propriè.

1. ACCIDIT.] Quid propriè sit, elice ex Senec. epist. 110. *Adhibe diligentiam tuam, & intuere, quid sint res nostræ, non quid vocentur: & scies plura mala contingere nobis, quàm accidere.* Contingit enim, quod est ex voto: accidit, quod non è voto. & id probat ibi Seneca. Multa scilicet, quæ putantur esse mala, cedere sæpe ex voto: secus, multa, quæ bona esse putantur, habere dirum exitum.

Lectio Virgiliana.

2. INSCENDI MVROS.] Sic scripsi indubitanter secutus Gulielmum Cant. libr. 6. Nou. Lect. cap. 28. sic n. defenditur Poëta ab inutili pleonasmo. Nam cur bis dicat eandem rem? Deinde respicit præteritum illud,

Scala improuisò, subitusq́; apparuit ignis.

Ergo, *inscendi muros*, refertur *ad scalas*. τὸ, *ignesq́; ad tecta volare*, ad *subitúsque apparuit ignis*. Neque impedit, multis seculis lectum fuisse, *incendi muros*.

Imitatio.

3. IGNESQVE AD TECTA VOLARE.] Sophocl. Antig.

Στεφάνωμα πύργων
Πευκάενθ' Ἥφαιστον ἑλεῖν:
Pinnas turrium
Vulcanus piceus occuparet.

Calab. lib. 3. ἀρθὲν δ' αὐτμὴν Ἡφαίστου μελάθροιο: *sublata est flamma ardentis Vulcani.* Plutarch. in vita Arati, ἤρθη ἡ φλόξ. & in vita Camilli, flammam ait ἀναστρεφομένην, καὶ περινεμομένην, vt quæ dissipet se in lignea, & depascatur. Nonn. lib. 25.

Καὶ πολὺς ἠερόφοιτος ἐλίσσετο καπνὸς ἀλήτης:
Multusq́; voluebatur errans per aërem fumus.

Volo, de flamma.

4. VOLARE.] Sic Lucret. lib. 1. *volucrum flammarum.* Eurip. in Ione, καπνὸς πέταται: *fumus volat.* & in Troadib. καπνῷ πτέρυγι: *fumo alato.* Vide quæ scripsi 2. Georg. ad illud, *fumósque volucres.*

Pugnæ certamina.

5. PVGNÆ IN CERTAMINE.] Sic alibi iungit *prælia pugnæ.* vt Lucret. lib. 1. *certamina belli.* Hom. sæpe πόλεμον, μάχην.

6. SI CAVSAM, &c.] Affine illud libri vndecimi de Turno, *ô Latio caput horum, & causa malorum.*

Amictus.

7. DISCINDIT AMICTVS.] Explico, capitis tegmina, iuxta ea, quæ dicta iam mihi lib. 11. ad illud Pallantis, *comas obnubit amictu.* Detraxit itaque Amata à capite & collo ornamenta, vt commodiùs collum laqueo aptaret. Quin propè est, vt credam intelligi per *amictum* ipsum diadema. Eò enim me ducit, tum *purpura*, ait enim *amictus purpureos*: tum similitudo historiæ apud Plut. in vita Luculli, vbi vxor Mithridatis, ἀποσπάσασα τῆς κεφαλῆς τὸ διάδημα τῷ τραχήλῳ περιῆψε, καὶ ἀνήρτησεν ἑαυτὴν: *Detractum à capite diadema collo aptauit: atque ex eo semetipsa suspendit.* & Antigone apud Sophoclem in Tragœdia eius nominis inducitur suspensa βρόχῳ μιτρώδει, *è mitrali laqueo.*

Similitudo historiæ.

Suspendium multorum nobilium.

8. ET NODVM INFORMIS LETHI, &c.] Simile fatum nobilium multorum, vt certè miror. Ita vitam finiit Regina Arsace apud Heliodorum libro 8. Hist. Æthiop. Epicasta apud Hom. Odyss. 11. Quinct. Fuluius Flaccus Pontifex Max. apud Liu. lib. 42. Valentinian. Iunior apud Cedren. pag. 266. Nobilis iuuenis apud Plutarch. πῶς ἄν τις διακρίνειεν, tantùm quòd asperiùs à Pythagora obiurgatus coram aliis fuisset. Nobilissimæ virgines, & pulcherrimæ apud eundem Plut. de virt. mul. atque etiam Agestrata mater Agidis, cuius vitam Plut. scripsit. Oedipi etiam vxor Iocasta, vt scribit Soph. in Antigone. Mater quoque Helenæ, vt ipsa Helena testatur apud Eurip. in Tragœdia eius nominis, vitam finiuit suspendio. Itaque tragicum genus mortis amauit Poëta in Amata, nam heroïcum opus totum est tragicum. Et huic, credo, præsertim historiæ hæsit Virg. nam inf. Helena dicit, Ledam suspensam laqueo, quòd filia Paridi infeliciter nupserit. Ita etiam vitam terminauit Phædra apud eundem Eurip. in Hipp. Taceo Mycerini filiam apud Herodotum lib. 2. Saguntinas feminas apud Appian. in Ibericis; & plures alias. Demum vix est vlla illustris femina in Tragœdiis, quæ non ita vitam absoluerit. Dixi hæc Virgilium excusans, quem damnant aliqui, quòd hoc mortis genere hauserit nobilissimam feminam. Res hæc verè petita est ex tragicis successibus.

9. NODVM.] Ita Propert. de hoc mortis genere Eleg. 29. lib. 2. *in collo iam mihi nodus erat.* & Petron. Sat. *ceruicesq́; nodo condebam.* Ambros. de Tobia c. 2. *informis laquei nodum stringitis.* Inde Sedulius dixit, *nodatis faucibus.*

Suspendium cur dicatur informe. Ratio prima ab ignominia eius mortis.

10. INFORMIS LETHI.] Suspendium dicitur lethum informe ab ignominia: quod enim ignominiosum & infame est, ac turpe, dici optimè *deforme* & *informe* potest. Ratio hæc Seruij est, inde infamiam colligentis, quia in libris Pontificalibus cautum erat, vt, qui laqueo vitam finiisset, insepultus abiiceretur. Hanc infamiam colliges quoque ex Varrone ita scribente apud Seru. Danielis: *Suspendiosis, quibus iusta fieri ius non sinit, suspensis oscillis veluti per imitationem mortis, parentari.* Quæ autem maior infamia, quàm carere iustis, & fieri parentationem veluti per ludibrium? Ad ignominiam etiam pertinent verba hæc Artem. lib. 1. c. 5. ἄτιμός τε, καὶ φυγὰς γενόμενος, ἀναρτήσας ἑαυτὸν ἐτελεύτησε τὸν βίον, ὡς μὴ ἀποθανὼν ἔχειν ὄνομα, τούτους γὰρ μόνους ἐκ νεκρῶν δαίμονας οὐ καλοῦσιν οἱ προσήκοντες: *Ignominiaq́; affectus, & fugitiuus factus, se ipsum suspendens vitam absoluit, ita vt nec mortuus haberet nomen. Hos enim solos in mortuorum cœnis cognati non nominant.* Euripid. etiam in Hel. scripsit,

Ἀσχήμονες μὲν ἀγχόναι μετάρσιοι.

Κὰτ βίον δ' ἄλλοις δυσπρεπὴς ἐμπλέξεται:
Deformes equidem laquei sublimes.
Quin etiam in seruis turpe existimatur.

Itaque, quod Eurip. per ἀσχημοσύνην, id est, *deformitatem*, & αἰσχύνην, id est, *turpitudinem*, Virgilius per *informem* explicuit. Eustath. quoque hoc genus mortis vocat μιαρὸν, id est, *fœdum, impurum*. Nam in libr. 22. Odyss. constituens discrimen inter καθαρὸν, & ἀκάθαρτον θάνατον, *puram*, & *impuram mortem*, ait puram esse & honestam, quæ fit gladio, ὁ διὰ ξίφους: sed μιαρὸς ἀγχόνιμος, & *impura quæ fit suspendio*. Scio historiam Æliani lib. 13. Var. Hist. c. 36. vbi Olympias vxor Philippi mittit Eurydicæ, quam odio habebat, cicutam, gladium, laqueum, vt mortis genus eligeret, ἡ δὲ αἱρεῖται τὸν βρόχον: *illa verò laqueum eligit*. Scio & nobiles virgines apud Plut. facta sibi potestate eligendæ mortis, laqueum elegisse. & addit Plut. obiisse illas, μὴ ἀπειπούσας, μηδὲ ἀναξίως, *neque abiectè, neque indignè*. Sed hæc nihil sunt contra laquei indignitatem, nam feminæ in arcto constitutæ, & ... quid mirum si illam eligerent? Ergo laqueus *informe* est *letum*, quia ignominiosum. Est verò ignominiosum propter ἀτιμίαν, quæ ratio est Varronis: quòd suspendiosi essent in cœnis ἀνώνυμοι, quæ ratio est Artemidori: propter ἀσχημοσύνην & αἰσχύνην, Euripidis: propter μιαρὸν, & ἀκάθαρτον Eustathij. Sed quid vetat meam addi explicationem? Quid si hæc informitas desumitur à figura corporis non rectâ? Etenim qui collo pendent, ita habent reflexum caput, vt non forma debita corporis seruetur. Quò traho vsurpari à Græcis ad suspendium verbum καταστρέφω. Plutar. in Parall. βρόχῳ τὸν βίον κατέστρεψε. Restat, audiant nouitij Græculi formas rei huius. Solemne verbum est ἀπάγχεσθαι, quod obuium in multis: solemne nomen ἀγχόνη, quod passim quoque obuium. Si quæras circuitus vocum, ego in hos incidi. Plut. de virt. mul. τῷ τραχήλῳ περιθέσθαι τὸν βρόχον. & in vita Agidis, παρέδωκε τῷ βρόχῳ τὸν τράχηλον. Euripid. in Alcest. βρόχῳ δέρην πελάσαι. in Helen. βρόχῳ ἐλαύνειν δέρην. Ibidem, ἀγχόνιον βρόχον κατεδύσατο. & in Orest. βρόχους ἄπτειν κρεμαστούς. & in Androm. ἀρτῆσαι, & ἀφαρτῆσαι δέρην. & in Hipp. βρόχον καθαρμόζειν, loquitur de Phædra. Sophoc. in Antig. κρεμαστὴν αὐχένος καὶ καθημμένην. Ibid. πλεκταῖσιν ἀρτάναις λωβᾶται βίον. Hom. Odyss. 11. ἀψαμένη βρόχον. quod multi vsurparunt. Cedren. ἀγχόνῃ ἐχρήσατο. Artemid. lib. 1. cap. ἀναρτήσας ἑαυτὸν ἐτελεύτησε τὸν βίον. Ioann. Damasc. orat. de Transfigurat. βρόχῳ ... Sic. n. ibi legendum, non, ... A Varrone dicuntur *suspendiosi*. Supplicium ipsum à Plin. dicitur *pœna præpostera*. Vinculum, quod innectitur collo, dicitur ab Lucillio apud Nonnum *collare*, à Plaut. in Rud. *columbar*. Salsè Plaut. in Aulul. eum, qui suspensus est laqueo, vocat *literam longam*. Per *longam* verò *literam* intelligit eminentius iota, illud nimirum, quod pro duplici solet appingi, hunc in modum, *DIs*. pro, *Diis*, *AntonI*. pro, *Antonij*. Astruerem multis locum hunc Plauti, si mea esset res. Falluntur enim, qui in eo capiunt, aut simplex iota, aut litteram *L*.

Ratio altera.

Suspendij formulæ.

Suspendiosi. Pœna præpostera. Collare. Columbar.

Longa litera, quæ.

11. TRABE NECTIT AB ALTA.] Homerus Odyss. 11.

Ἀψαμένη βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο μελάθρου:
Aptans laqueum altum ab altis ædibus.

Censet Scal. versum Virg. *maiore cultu* esse. Quod verò Noster *trabe alta*, & Hom. αἰπὺν, & ὑψηλοῖο, Eurip. in Helen. dixit, ἀγχόνας μεταρσίους, *sublimes laques*. & in Alcest. βρόχῳ οὐρανίῳ, *cælesti laqueo*. id est, alto, & sublimi. Ibid. αἰώρημα δέρης. & in Orest. βρόχους κρεμαστοὺς, *laqueos pensiles*. quam vocem sæpe vsurpat in Hippol.

Pensiles laquei.

A Et in Phœniss. dixit, ... κρεμαστὰς ἀγχόνας.

12. FILIA PRIMA MANU FLAVOS, &c.] Vsitatum hoc in magno dolore. Apud Homer. 10. Iliad. Agamemnon præ dolore ἕλκετο χαίτας, *euellebat capillos*. Nescio an decorè detur hæc nota & viro, & principi exercitus. Longè aliud Virg. iudicium. Ouid. de Venere deflente Adonidem, *pariterque sinus, pariterque capillos Rupit*. Eurip. in Orest. κτύπον κρατὸς, dixit in nota doloris. Et laniat capillos Lauinia vellitque, cum allusione fortasse ad morem alium, quo in honore defunctorum capilli euellebantur. & ita vult Amatæ parentare, de quo more alibi.

Capilli vulsi in magno dolore.

13. FLAVOS CRINES.] Ait Seru. antiquam lectionem esse *floros crines*, id est, florulentos, dicitque hunc B esse Ennianum sermonem. Citat Attium, qui Bacchidib. *Flori crines, video, & propexi iacent*. Ibid. *Et lanugo floro nunc demum irrigat*. Pacuuius quoque in Antiopa: *Cerui cùm floros dispergit crines*. Siue, vt corrigit Colu. in Not. ad Sidon. epist. 6. lib. 1. *Ceruicum floros dispergite crines*. Probus etiam *floros* legit in Virg. & inuenit concinnitatem; nam qui *floros crines* à floribus, statim *roseas genas* à rosis. Non hi contemnendi, sed vulgaris lectio commoda est. nam & in 4. de Didone, *flauentesq; abscissa comas*. Hanc crinium lacerationem vocat Eurip. in And. σπάραγμα κόμας.

Lectio Virgiliana. Flori crines.

14. ET ROSEAS LANIATA GENAS.] Est hæc altera doloris nota, & maior, cùm non solùm in capillos fit impetus, sed in faciem, & genas. Ismene apud C Soph. in Antig.

Genarum laniatio in dolore.

——αἱματόεν
Ῥέθος αἰσχύνει,
Τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν:
——sanguineam
Faciem deformat,
Madefaciens formosas genas.

Eurip. in Supplicib.

Διὰ παρηΐδος ὄνυχα λευκὸν
Αἱματοῦτε:——
Per genas vnguem candidum
Cruentate.——

& de Hermione in Androm. ὀνύχων ἀμύγματα, *laniationes vnguium*. Artem. lib. 2. c. 30. καὶ γὰρ ἐν τοῖς πένθεσι λωβῶνται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι: *etenim in luctibus homines* D *genas solent dilacerare*. Sen. ad Marciam c. 6. *Ingerantur lacerato pectori manus, & in ipsam faciem impetus fiat*. Notes obiter doloris instrumenta. Feminæ in dolore, manu crines fœdant, ora vnguibus, pectus pugnis. Inde in 4.

Doloris feminei instrumenta.

Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

Oenone ad Paridem,

Oráque sunt digitis aspera facta meis.

Cal. lib. 3. de Briseide παλάμῃσι δρυπτομένη χρόα καλόν: *palmis lancinans corpus tenerum*. Eurip. in Hel.

Ὄνυχι δ' ἁπαλόχροα γένυν
Ἔδευσε φονίαισι πλαγαῖς:
Vnguibusq; teneras genas
Cruentauit lethalibus plagis.

E Ibidem ipsa Helena,

Παρῇδι τ' ὄνυχα φόνιον ἐμβαλῶ:
Iniiciam genis cruentos vngues.

Petron. *faciemque vnguibus sectam*.

15. ROSEAS GENAS.] Sic 1. Æneid. *rosea ceruice*. & 2. *roseo ore*. Hæc attributa sumpta sunt ab rosa illa, quæ carni humanæ est concolor. Hispan. *incarnata*. & esse hanc, quam *Trachiniam* Plin. vocat, existimo ductus his eius verbis ex c. 4. lib. 21. *Addidêre alij Milesiam, cuius sit ardentissimus color, non excedentis duodena folia, proximam ei Trachiniam minus rubentem, mox Alabandicam viliorem albicantibus foliis*. Etenim tempera-tura

Roseæ genæ.

Trachinia rosa.

tura illa ex colore minus rubente ducit me ad *rosam incarnatam*. Ad eandem traho Apuleium, cùm describens faciem hominis pudore occupati, ait *pudore esse punicantem*. Id generis rosas (*incarnatas* inquam) ait Conrad. Heresbrach. lib. 2. de Re Rust. dici *prouinciales*. Colorem quarum (notante Alciato 2. Parerg. c. 1.) Græci ἀνδρείκελον dicunt, à similitudine carnis humanæ: nâ hic color vulgò *carneus* dicitur. Atque hunc colorem videtur mihi voluisse significare Anacreon, cùm scripsit,

Prouincialis rosa.

> Γράφε ῥῖνα καὶ παρειὰς
> ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας:
> *Nares pinge & genas*
> *Rosas admiscens lacti.*

Denique sit Poëta interpres sui, qui enim hîc dat Lauiniæ *roseas genas*, supra eidem dedit mistos colores, qui referunt ostrum atque ebur. omnino colorem carneum.

16. TVM CETERA.] Præcessit, *prima Lauinia*, sequitur *tum*, eleganti consecutione. Ita & Propert. lib. 1. post illud,

> *Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,*

subiicit,

> *Tum mihi constantis deiecit lumina fastus.*

Pectoris percussio in dolore.

17. RESONANT LATÆ PLANGORIBVS ÆDES.] Ego capio de percussione pectorum. Hanc enim doloris notam voluit dare ceteris feminis, ne æquarent dolorem Lauiniæ, qui esse debuit maximus, & ideo in genas sæuiit. Ouid. in Epist.

> *Et plangit tenera pectora casta manu.*

Vides vt plangorem dederit pectori. Sic & Homer. Iliad. 18. χερσὶ δὲ πᾶσαι στήθεα πεπλήγοντο: *manibus autem omnes percutiebant pectora.* Vt verò hîc planctus describitur in Regiis ædibus, ita 2. Æneid. ad inuasionem Regiæ Priami. & 4. post mortem Reginæ. Vide & locum Eurip. in Alceſtide, de planctu Regiæ post huius occasum.

18. DEMITTVNT MENTES.] Est hoc, quod Claudian. 2. Eutrop.

> *Tum verò cecidêre animi, tantisque procellis*
> *Deficium sæpi.* ——

Vestis scissio in dolore.

19. SCISSA VESTE.] Ita in summo luctu. Dionysius lib. 7. inducit matrem, & vxorem Coriolani, laceratis vestibus, cùm missus est in exilium. Liu. libro 1. de Sabinis, *crinibus passis, scissaque veste*. Curt. lib. 3. *Ingens circa eam nobilium feminarum turba consisteras laceratis crinibus, abscissaque veste, pristini decoris immemores.* Xiphilin. de Augusto post casum Vari, τὴν ἐσθῆτα περιερρήξατο. Nazianzen. 1. Carmine, ῥῆξας χιτῶνα. Aleman. vetus Poëta,

> Κατθνάσκει Κυθέρα ἁβρὸς Ἄδωνις, τί κε θεῖμεν;
> Καττύπτεσθε κόραι, καὶ κατερείκεσθε χιτῶνας:
> *Quid fiet Cytherea, tuus decumbit Adonis?*
> *Plangite vos teneræ, & tunicas lacerate puellæ.*

Vide verò qua sobrietate lugens Latinus inducatur, & in atrocissimo malo, & iam senex, quæ ætas imbecilla. Tantùm enim vestem discindit, & caniciem deturpat puluere. Hom. parum est sobrius, apud quem

Homeri vitium.

lib. 18. Achilles minore in malo, & iuuenis ad resistendum dolori, non solum puluerem sibi conspergit, sed inducitur in modum mulierculæ κόμην δ' ᾔσχυνε, *comam euellens.* & in modum hominis parum sui compotis ἐν κονίῃσι τανυσθείς, *extensus in pulueribus.* Quod vitium solens in Homero, & iam notatum à Platone. Non enim oportuit virum fortem induci flentem eo modo, quo solent mulierculæ.

20. ATTONITVS.] Quasi illi intonitum esset de cœlo. Cyrill. Alexand. in Mich. numer. 71. ὥσπερ ὑπὸ βροντῆς ἐκβεβλημένοι: *deiecti tanquam ab tonitru.*

Attonitus.

21. CANICIEM IMMVNDO, &c.] De hac nota doloris dixi lib. 10. augeo illam nouis testimoniis. Achilles apud Hom. 18. Iliad.

Puluere caput spargere nota doloris.

> Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
> Χεύατο κὰκ κεφαλῆς: ——
> *Ambabus autem manibus capiens puluerem atrum,*
> *Fudit super caput.* ——

Nonn. lib. 40. Dionys.

> Καὶ κόνιν αἰθαλόεσσαν ἑῷ κατέχευε καρήνῳ:
> *Et sordidatum puluerem suo infudit capiti.*

Cedren. pag. 105. loquens de dolente Priamo, κόνιν κατὰ κεφαλῆς ἔχων. & pag. 300. de Romano Imperatore, ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ. De Hecub. Eurip. κόνιν φέρειν δύστηνον κάρα. & in Supplicib. ἀμφὶ δὲ σποδὸν κάρα κεχύμεθα. Sen. Troad. *Sparsitque cinis feruidus ora.* Dicit *feruidus* reddens Hom. qui αἰθαλόεσσαν. Inde & alio flexu in eadem Tragœd. *tepido puluere.* Huic mori annexus alius, quo non solum spargebant se puluere, sed iacebant in puluere, volutabantúrque. Priamus apud Hom. 24. Iliad. κυλινδόμενος κατὰ κόπρον: *prouolutus in fimo.* Eurip. Hecub. πέδοι χεῖσθαι χρόα. Cyrill. in Ionam loquens de Rege Barbaro dolente ad clamores Ioniæ, ἐφιζάνει δὲ τῇ σποδῷ: *sedens in cinere.* Nazianzen. de sese ipso in 1. Carm. κείσομαι κονίης. Ne verò excidat versum Virg. ductum ab hoc Catulli,

Iacere in puluere.

> *Caniciem terra, atque infuso puluere fœdans.*

22. TVRPANS.] Homerus de re eadem 18. Iliad. ᾔσχυνε πρόσωπον: *turpabat, fœdabat, dehonestabat, dedecorabat faciem.* Homerico verbo præpositionem addidit Nonnus lib. 40.

Turpare.

> Κυκλα κονισαλέοισι καταισχύνων προσώπου:
> *Deturpans ambitum frontis sordidata puluere.*

Ouid. Elegia tertia lib. 1. Trist. *fœdatis puluere turpi Crinibus.* Iuuenalis Satyra decimatertia: *fœdantes in puluere crinem.*

23. MVLTAQVE SE INCVSAT.] Vide locum elegantem Platonis libro decimo Politicorum, vbi ait, delectationem exsurgere in Lectore ab audito Poëta aliquo inducente Heroëm deflentem, vociferantem, quiritantem. Id certè Virgilio contingit, cuius Musa in magno luctu suauis est. Id sentiet, qui hunc tractum pecurrerit.

24. DARDANIVM ÆNEAN.] Signatè. Dolet enim Rex Latij, quòd hominem non acceperit, cuius genus à Dardano Latio. Si diceret *Troianum Ænean*, nihil diceret. nam quare ille *Troianum* esset accepturus? atqui *Dardanium* debuit.

Æneas cur Dardanius.

> [a] Interea extremo bellator in æquore Turnus
> Palantes sequitur paucos iam segnior, atque
> Iam minùs, atque minùs successu lætus equorum.
> [b] Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
> Commistum clamorem, arrectásque impulit aures
> Confusæ sonus vrbis, & illætabile murmur.

[c] Hei

[c] Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quísve ruit tantus diuersa clamor ab vrbe?
Sic ait: adductísque amens subsistit habenis.
[d] Atque huic, in faciem soror vt conuersa Metisci
Aurigæ, currumque, & equos, & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: hac Turne sequamur
Troiugenas, qua prima viam victoria pandit;
Sunt alij, qui tecta manu defendere possunt.
[e] Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet,
Et nos sæua manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc.

ARGVMENTVM.

Fit transitus ad Turnum iam bello fatigatum, & clamore vbis commotum ac fatiscentem: confirmat illum soror Iuturna, acuitq́; ad parem cum Troianis bellis gloriam.

EXPLICATIO.

[a] PRÆCLARE Lectorem afficit, cùm à virtute Æneæ, qui quo diutiùs, eo acriùs rem gerebat, transit ad languorem Turni, qui segniùs pugnabat. Indicia huius languoris sunt, pugnare illum *in extremo æquore.* id est, extrema acie, non inter primos. B Deinde sequi illum *paucos* quidem, & hos *palantes.* Hæc animi infirmitas ab equis etiam prouenicbat, qui tardi iam & fatigati minùs alacres erant in bello.

[b] Dum ita pugnat, aura ipsa attulit ad Turnum rem malè geri in vrbe, & tristem aliquam in ea calamitatem accidisse. Aura (inquam) attulit, nam ea plena clamoribus, & confusæ vrbis sonitu ac murmure parum læto Turni aures impulit, fecitque attendere. Et quia auditu tantùm rem percepit, non oculis, ideo *terroribus cæcis.* Seru. *arrectas aures*, explicat sollicitas ad audiendum.

[c] Audit gemitus, ignorat causam, ideo dubitabundus, *quid turbantur?* id est, propter quid turbantur mœnia tanto luctu? *quis clamor ruit* (ἐμφατικῶς) ab C *diuersa vrbe?* Hæc cùm dixisset *amens*, id est, egens consilij, habenas adduxit, & substitit.

[d] Iuturna, quæ conuersa in Metiscum equos regebat, tacitas eius cogitationes penetrauit; intellexit enim fore, vt Turnus in vrbem rueret, ac proinde in exitium certum, si veniret in conspectum Æneæ. Itaque occurrens eius cogitatui, honestè dehortatur, monens; vt vrbem relinquat, in campo persistat: relinquat vrbem, quia eam *alij possunt defendere*; in campo persistat Troianos persequens, quia ibi *prima victoria viam pandit.*

[e] Pergit in dehortando à paritate gloriæ. Si Æneę A in vrbem cedit impetus feliciter, tibi quoque pugna in campo. Imò felicior. Nam ille *ingruit* quidem, & tantùm *miscet prælia* confusè; & turbidè vano effectu: nos verè dabimus *funera*: ac proinde nec numerus cæsorum erit inferior, nec honor pugnæ.

NOTÆ.

1. EXTREMO.] Homerus diuerso loco pugnantem hominem exprimit vocula ἐσχατόωντα.

2. PALANTES.] Est hoc, quod Polyb. lib. 3. κατὰ τὰς χώρας σποραδομένους. Latini non solùm *palantes* dicunt, sed *palatos*, & *dispalatos*.

3. SEGNIOR.] Vox quæsita. Noluit enim Turnum vocare *languidum*, *lassum*, *fessum*, aut similibus: sed illum fixit voce criminis. Est enim *segnicies* inter militaria crimina. Ita 2. Æneid. *nam quæ tam sera moratur Segnicies?* quo loci vide me. Segnicies, crimen militare.

4. LÆTVS.] Istis, *minùs lætus*, exprimitur homo carens inani, & futili iactantia. Quid .n. propriè signet *lætitia*, vide apud Herald. in lib. 7. Arnob.

5. ARRECTASQVE IMPVLIT AVRES.] Plaut. Rud. *arrexit aures.* Illustrabis satis verba hæc his, quæ dixi 1. Æneid. ad illud, *arrectis auribus.* & his, quæ 4. Georg. ad illud, *maternas impulit aures.* Arrigere aures.

6. AVRES.] De etymo *aurium* dixi alibi. Ducunt Grammatici ab *haurio.* vnde signatè 4. Æneid. *auribus hausi.* Sed sunt, qui ducant ab *audio*, quod mihi fit probabile. Audi verba Isidori de spiritualibus differentijs. *Aurium inditum est nomen a vocibus audiendis. per immutationem .n. literæ aures, velut audes, sunt nominatæ. Per has .n. voces, atque sonum quasi per cochleam descendere, qui tractus in circulum, orbemq́; moueatur.* Auris, vnde.

7. ILLÆTABILE.] Veteres *inlætabile* dicebant, vt etiã *inlacrymo, inroro, inrigo, inlæsus.* Affectant antiqua ista nostri eruditi hodie. fortassè quia grandior sonus ex difficultate pronuntiationis. Seru. *inlætabile* habet.

8. SVNT ALII, &c.] Tale fermè illud 13. Iliad.
Νηυσὶ μὲν ἐν μέσσῃσιν ἀμύνειν εἰσὶ καὶ ἄλλοι:
Mediis in nauibus ad defendendum sunt alij.

9. MITTAMVS FVNERA.] Alibi, *morti mittere*, & *demittere morti*; idque ab Hom.

[a] O soror, & dudum agnoui, cùm prima per artem
Fœdera turbasti, téque hæc in bella dedisti.
Et nunc nequicquam fallis Dea. Sed quis Olympo

Demiſſam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miſeri lethum vt crudele videres?
ᵇ Nam quid ago?aut quæ iam ſpondet fortuna ſalutem?
ᶜ Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murranum,quo non ſuperat mihi charior alter,
Oppetere ingentem,atque ingenti vulnere victum.
ᵈ Occidit infelix,ne noſtrum dedecus Vfens
Aſpiceret:Teucri potiuntur corpore,& armis.
ᵉ Exſcindíne domos(id rebus defuit vnum)
Perpetiar?dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo?& Turnum fugientem hæc terra videbit?
ᶠ Vſque adeóne mori miſerum eſt?vos ô mihi Manes
Eſte boni,quoniam Superis auerſa voluntas.
ᵍ Sancta ad vos anima,atque iſtius inſcia culpæ
Deſcendam,magnorum haud vnquam indignus auorum

ARGVMENTVM.

Proponit Turnus ſorori argumenta, quibus egregium ducat mori in bello.

EXPLICATIO.

ᵃ PROCEDIT oratio ex duplici tempore. Agnoui te iampridem,& nunc te agnoſco. Agnoui, cùm turbaſti fœdera Tolumnij opera, & cùm dediſti te in hęc bella, Metiſco excuſſo: agnoſco te nunc rationib. quas proponis. Itaq; etiãſi *Dea,nequicquã fallis me.* Admiratur deinde, cur, Dea cùm ſit, cœlo deſcenderit, labores belli paſſura? fortè an viſura crudele exitium fratris miſeri? Scholion Seruij ad vocem *miſeri* minimè curo. Poteſt enim vox referri ad Turnum.

ᵇ Cùm mortis ſuæ meminiſſet Turnus, ait ſe verè moriturum, cùm nihil iam agat. Ducítque argumentum mortis à neceſſitate, quia nulla fortuna ſalutem ſpondet. vbi ergo nulla eſt ſpes ſalutis, certa eſt mors.

ᶜ Sequitur argumentum aliud mortis ſuæ, potiùs omen. Vocat me mortuus Murranus. Quid autem ſperandum de eo, quem mortui vocant? addítque, ſibi illum fuiſſe chariſſimum. & vrgens ſuum dedecus adiicit, viſum à ſe, cùm is caderet. Quaſi dicat: Is me vocat, quem cadentem vidi, neque vltus ſum. Ergo, vocat me amicus quaſi in vltionem mortis non vindicatæ.

ᵈ Pergit vrgens eandem rem. *Vfens infelix occidit.* Ratio: *ne aſpiceret noſtrum dedecus.* quin trophæi loco *Teucri potiuntur corpore & armis.* adeò à me res geſta eſt infeliciter in gratiam amici.

ᵉ Annectenda ſententia hunc in modum. Satis ſit, ô ſoror, amicos in acie cecidiſſe Murranum & Vfentem, *patiárne deinde exſcindi domos,* quæ ſunt intra mœnia? *Id vnum* ſcilicet *rebus* meis *defuit?* Perinde ac ſi dicat: Satis ſit armatos in acie cecidiſſe, parcatur vrbi, Regi Latino, Reginæ Amatæ, Lauiniæ meæ, quæ capita in vrbe ſunt. Pergit, *dextra nec Drancis dicta refellam?* vt decet militem, qui non verbis debet, ſed virtute crimen refellere, non vt in foro,

A verbis; ſed vt in acie, *dextra.* Integer verſus, qui ſequitur plenus emphaſeon, videlicet,

Terga dabo, & Turnum fugientem hac terra videbit?

ᶠ Occurrit huic verbo, morietis, & reſpondet. hócne eſt miſerum? imò felix. Quamobrem committo me totum Diis Manibus, qui curam gerunt mortuorum: non Superis, qui viuorum. *Manes mihi eſte boni,* id eſt, propitij. nam Superi non boni, imò *auerſi.*

ᵍ Perinde ac ſi dicat. Sanctè moriar, & culpæ inſcius. Eſt.n. fuga crimen grande viri fortis; & moriar, vt is, qui genus ducit à magnis auis.

B

NOTÆ.

1. AGNOVI.] Quibus notis Dij agnoſcerentur à mortalibus dixi libris 1. & 5. Æneid.

2. PRIMA.] Aut fœdera: aut tu prima & princeps.

3. FOEDERA TVRBASTI.] Quia Iuno ad Iuturnam, *conceptumq́, excute fœdus.*

4. TEQVE HÆC IN BELLA DEDISTI.] Ibidem, *aut tu bella cie.*

5. NEQVICQVAM FALLIS DEA.] Tale illud 5. Iliad. Imitatio.

Γινώσκω θεὰ θύγατερ Διὸς αἰγιόχοιο:

Cognoſco (te) *Dea filia Iouis Ægiochi.*

6. LABORES.] Hom. ſæpiſſimè πόνους in re belli. & de equo militari libro tertio Georg. *ſuiq́, laboranti ſimilis.* Labor, de bello.

C 7. NAM QVID AGO?]. Græci ἄπρακτον dicunt, qui nihil in bello proficit. Itaque *ago* poteſtatem quoque habet in bello, non ſolùm ea ſignificatione, qua dicitur, *agmen agere, hoſtes agere.* Ago, militare.

8. SPONDET FORTVNA.] Quaſi dicat: Nullus mihi Deus ſponſor eſt, nulla fortuna. eſt itaque hoc quod lib. 5. Sponſor Deus.

——non ſi mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.

& Demoſthen. 4. Philipp. εἰ μὲν γάρ ἐστί τις ἐγγυητὴς ἡμῖν θεῶν, *etiamſi Deus aliquis ſponſor nobis fuerit.*

9. VIDI OCVLOS ANTE IPSE MEOS.] Tale illud lib. 4.

——ipſe Deum manifeſto lumine vidi.

In verbo *vidi* magna emphaſis. Talis Andromachæ

apud Eurip. Ἕκτορα θανόντα εἰσεῖδον, παῖδά τε; *Hectorem mortuum vidi, filiumq;.* Iterum,

Σφαγὰς μὲν Ἕκτορος τροχηλάτους
Κατεῖδον:——
Vidi necem Hectoris raptati curru.

Locorum similitudo. 10. ME VOCE VOCANTEM.] Affinis huic locus lib. 4. vbi mortuus Sichæus vocat viuentē coniugē,

Hinc exaudiri gemitus, & verba vocantis
Visa viri.——

Vide hunc locum.

11. MVRRANVM.] Hoc κατ' συνεκδοχὴν accipiendum esse, iam Seru. monuit.

Superat, pro, superest. 12. SVPERAT.] Pro, viuit, & superest. In 3. *superatne, & vescitur aura?*

Ingens, ingenti. 13. INGENTEM ATQVE INGENTI.] Reddit quo potest modo illud Hom. μέγας μεγαλωστί. Tale & illud lib. 11.

Ingentemq; animis, ingentem corpore, & armis.

Neque abit versus Lucret. lib. 1.

Et grauiter magni magno cecidere ibi casu.

Locorum similitudo. OCCIDIT INFELIX NE NOSTRVM, &c.] Talis locus lib. 1.

Ille mihi ante alios, fortunatúsque laborum,
Egregiusq; animi, qui ne quid tale videret,
Procubuit moriens.——

Vide, & quæ dedi lib. 11. ad illud,

Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem.

15. TEVCRI POTIVNTVR CORPORE, ET ARMIS.] Accipit pro contumelia sua Turnus, caruisse Vfentem sepultura, & spolia eius esse in potestate hostium. Hoc queritur Lucan. lib. 1.

Cúmque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis, vmbráque erraret Crassus inulta.

vbi *trophæa* respondent *armis* Virgilij, & *errans vmbra* insepulto Vfenti: errabat enim anima insepulta ex doctrina Gentilium.

Imitatio. 16. EXSCINDINE DOMOS, &c.] Ductum fortasse ab 5. Iliad. consentiente Vrsino,

ὦ υἱὲ Πριάμοιο διοτρεφέος βασιλῆος
Ἐς τί ἔτι κτείνεσθαι ἐάσετε λαὸν Ἀχαιῶν;
O filij Priami à Ioue nutriti Regis
Quousque adhuc interfici sinetis populum ab Achiuis?

In voce *exscindi* notat extremam calamitatem. & *domos* dixit: nam quid vnum reliquum ciui expugnata & euersa domo?

Dextra refellere. 17. DEXTRA NEC DRANCIS DICTA REFELLAM.] Quod sup. *ferro crimen commune refellam.* Sed quæ hæc Drancis dicta, illa credo,

——*Dum Troïas semper*
Castra fugæ fidens, & cœlum territat armis.

Ista iam tum verbis diluit Turnus, & nunc dolet non posse *dextra*.

Imitatio. 18. TVRNVM FVGIENTEM HÆC TERRA VIDEBIT?] Allusio aliqua ad versum Eurip. in Taur.

φεύγειν μὲν ἐξ ἀγῶνος οὐκ εἰώθαμεν:
Fugere non tolerabile est, neque consueuimus.

Sed maior ad illud eiusdem in Alceſtide,

Ἀλλ' οὔ τις ἔστιν, ὃς τὸν Ἀλκμήνης γόνον
Τρέσαντα χεῖρα πολεμίαν ποτ' ὄψεται.
Est certè nemo, qui Alcmenæ filium
Visurus vnquam sit metuentem hostium manum.

Mors remedium malorum. 19. VSQVE ADEONE MORI MISERVM EST?] Plin. lib. 8. cap. 21. *Quapropter hoc primum quisque in remedis animi sui habeat ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiua morte.* Is, qui mortem detrectat, & vult viuere turpem senectutem, dicitur à Pind. Od. 1. Olymp. ἁπάντων καλῶν ἄμμορος: *bonorum omnium expers.* Sed locum istum illustrabis his, quæ dedi lib. 4. vbi Dido *mortem orat*, ad amputandas animi anxietates.

20. MANES.] De his iam sæpe in hoc opere.

Bonus, id est, propitius. 21. BONI.] Explicui, propitij, nam Catull. *bona te Venus iuuerit* vel recurre ad id, quod scripsi 5. Eclog. ad illud, *sis bonus, ô felixq; tuis.*

Sanctus. 22. SANCTA ANIMA.] Quo sensu *sanctum* accipiat, ipse explicat addens, *atque istius inscia culpæ.* Itaq; *sanctus* in Virg. est, qui nulla est mali conscientia: vtique ὅσιος, ἁγνὸς, ἁγνὸς, καθαρὸς, vt ait Bud. vel ἀναίτιος, ἀναίτιος, ἄχραντος, vt reddit Germ. Tu lege Macrob. lib. 3. Sat. c. 3.

ª Vix ea fatus erat medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages, aduersa sagitta
Saucius ora, ruítque implorans nomine Turnum.
ᵇ Turne in te suprema salus, miserere tuorum,
Fulminat Æneas armis, summásque minatur
Deiecturum arces Italûm, excidióque daturum,
Iámque faces ad tecta volant: in te ora Latini,
In te oculos referunt. mussat Rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
ᶜ Præterea Regina tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucémque exterrita fugit.
ᵈ Soli pro portis Messapus, & acer Atinas
Sustentant acies, circum hos vtrinque phalanges
Stant densæ, strictísque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas?

D

ARGVMENTVM.

Discit certò Turnus ab nuntio cladem vrbis, quam priùs coniectura didicerat.

EXPLICATIO.

ª HOc sermonis medio Sages ad Turnum aduolat, nuntiaturus cladem vrbis, & nuntij quidem

quidem species tragica ad excitandam conquestionem. Nam primùm vectus *per medios hostes*, & *spumante equo*, & *saucius sagitta in aduerso ore*; ac demum clamabundus, *Turnumq́; implorans nomine*. Quid si addas sagittã ori infixam? ita.n. credo, aliter nequiret discerni, an vulnus illud à sagitta. & acceperat fortasse vulnus, dum *volat per medios hostes* ab vrbe ad Turnum.

b Ecce quid implorabundus diceret ad Turnum. Breuissimè omnia, vt in arcto. & quamuis breuissimè, dissoluit tamen argumenta omnia, quibus Iuturna fratrem à muris auocabat. In te salus contra Ænean, qui fulminat, qui minatur deiectionem vrbis, imò excidium. Mihi non credis, crede incendio, ecce flammas volantes ad tecta. Latini in te vnum oculos, & ora conuertũt destituti omni alia spe: quia dixerat, *in te salus*. Quid verò Rex Latinus? mussat secum, versátque dubitabundus, téne, an Ænean generum aduocet? tuísne, an Æneæ fœderibus, & pactis se dedat?

c Occurrit tacitæ cogitationi Turni. Dixerat Latinum dubitare, *quos generos vocet?* Posset Turnus cogitare, restare Amatam sui studiosissimam. Occurrit huic. Illa, quæ tui fidissima, iam occidit, & sua ipsa manu.

d In tantis rerum angustiis duo tantùm duces rem Italiæ sustentant Messapus, & Atinas: circum hos phalanges hostium densissimæ, mucrones ferrei ad horrorem nudi, híque confertissimi, nam instar segetis. Tandem Sages post atrocissimos nuntios absoluit, *tu currum deserto in gramine versas?* vbi *tu* ἐμφατικῶς, expendente Donato. Tu cuius nuptiæ aguntur, pro quo Italia tota dimicat, qui adesse præ ceteris debuisti; contentus es, si per extremam aciem erres, vbi nullus penè hostis, & deserta omnia.

NOTÆ.

1. VOLAT.] Ita indicata celeritas nuntiantis. Hom. 13. Iliad. — *Volo, de equo.*

Κεκλήγοντες δ' ἄρα Τρώων πέτοντ', ἠδ' ἐπικούρων:

Clamabundus volabat pérque Troianos, pérque auxiliatores.

Pind. Od. 1. Olymp. equos vocat ἀκάμαντας. *indefessos.* quasi ἐν πτερῶν, ait, vt qui veluti alis veherentur. Sic ergo tanquam alato equo volat Sages. Nonnus loquens de Erechtheo lib. 22.

Εἰς δρόμον ἡνιόχευε ποδήνεμον ἵππον:

Agitabat in cursum equum habentem pedes venteos.

Omitto Latinos, qui verbum istud ab auib. frequentissimè. Hanc auium imaginem ita repræsentat Sophocl. in Antig. sub persona nuntij,

——τάχος ὕπο

Δύσπνους ἱκάνω κοῦφον ἐξάρας πόδα:

——*perquàm celerrimè*

Anhelans veniam, leuem attollens pedem.

Nam κοῦφος de auibus dicitur. Porrò locum Tullij & Alexidis hac de re iam Vict. coniunxit lib. 23. Var. cap. 17.

2. VECTVS EQVO SPVMANTE SAGES.] Similem huic historiam habes apud Dionys. lib. 3. Ant. in bello Romanorum contra Fidenates, & Veientes. vbi re Romana laborante Rex Tullus certior fit à quopiam vecto in equo citato. Idem Dionys. lib. 9. ἐλαύνων τις ἵπποις. Plut. in Mario, προσελαύνοντες ἵπποις. Liu. lib. 3. *citato vadit equo.* — *Similitudo historiæ.* — *Spumans equus.*

3. EQVO SPVMANTE.] De equo Hom. 11. Iliad. ἀφρεον δ' στήθεα: *spumabant pectoribus*. Noster iii 11. *spumantemq́; agitabat equum.* in 6. *Seu spumantis equi.* Adhibetur spuma ab Hom. Iliad. 15. in nota iracundiæ. & ab Eurip. nam de irato Hercule, ἀφρὸν κατέσταζε: *destillabat spumam.*

Cerda in Æneid. tom. 2.

4. RVITQVE IMPLORANS NOMINE TVRNVM.] Totum hunc tractum; nam prætetita etiam, & quæ sequuntur, adumbrauit Stat. 11. Theb. Dabo versus, vt videas qui imitari Maronem debeas. — *Locorum similitudo.*

Nuntius exanimi suspensus pectora cursu
Æpytus ad Regem, porta statione relicta,
Tendit, & hæc trepido vix intellectus anhelat.
Rumpe pios cultus, intempestiuáque rector
Sacra Deûm. frater muris circum omnibus instat,
Portarumq́; moras frenis assultat, & hastis,
Nomine te crebro, te solum in prælia poscens.
Flent mœsti retrò comites, & vterque loquenti
Adgemit, & pulsis exercitus obstrepit armis.

5. TVRNE IN TE SVPREMA SALVS.] Suprà Amata ad Turnum ipsum,

——*spes tu nunc vna senectæ,*
Tu requies miseræ: decus, Imperiúmque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit.

6. FVLMINAT ÆNEAS ARMIS.] Nonnus lib. 21. τεύχεσιν ἀστράπτων: *fulgurans armis*. Sed propius illud Plut. orat. 2. de Fort. Alex. ἀλλ' ὡς σκηπτὸς ἀπέκτεινε τοὺς ἄλλους, κὰ διώλεσε: *Sed alios in morem fulminis succidit, ac perdidit.* Ibidem Alexandrum comparat πυρὶ κεραυνίῳ, *igni fulmineo*. Appian. 5. Ciuil. οἷα σκηπτοῖς ἐμπίπτων: *irruens in modum fulminis*. Eurip. in Rhes. hostes vocat *fulmina* cùm ait, — *Duces magni comparati fulminibus.*

Τί μέλλετε
Σκηπτοῦ πεσόντος πολεμίων;
Quid cunctamini.
Veniente hostium fulmine?

Sed de honesta hac locutione magnorum Principum & fortissimorum dixi 6. Æneid. Hîc adiicio, cã non solùm referendam ad arma, quibus milites videntur fulminare: sed ad iram, qua rapiuntur, ad eum modum, quo de Medea dixit Eurip. — *Fulmen, de iratis.*

——οὐδὲ παύσεται
Χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαί τινα:
——*neque cessabit*
Ab ira, bene scio, priusquàm aliquem feriat fulmine.

Id est, priusquàm grande aliquid patret præ iracundia.

7. MINATVR DEIECTVRVM ARCES.] Respicit illud Æneæ *æqua solo fumantia culmina ponam.*

8. IAMQVE FACES AD TECTA VOLANT.] Sup. *ignes ad tecta volare*. Illud, quod sequitur, *in te ora Latini*, &c. Est, quod Marius apud Sallust. Iugurth. *Intelligo, Quirites, omnium ora in me conuersa esse.*

9. MVSSAT.] Sup. *stant mœsti, mussantq́; Patres.* Potestatem huius verbi indicant verba hæc Liuj lib. 33. *Omnibus Græciæ ciuitatibus hanc pacem approbantibus, soli Ætoli id decretum clàm mussantes carpebant.* Claud. lib. 2. Rapt. *tacita formidine mussant.* Quod ab Lucret. qui lib. 6. *mussat tacito medicina timore.* Sidon. epist. 3. lib. 1. *Mussitat quidem iuuenum nostrorum calcata generositas.* Donat. in illud Terent. Adelph. *Mussitanda iniuria adolescentium est*, ita ait: *Mussare, seu mussitare est, dissimulandi causâ tacere, dictum vel à muto, vel ab m, quæ litera est pressa, ac ferè nullius vocis.* Ad hoc verbum videtur mihi spectasse Ennius in fragmento quodam, cùm dixit: *Quod minimum est, neque, vt aiunt, mu facere audent*, id est, neque audent mussare. — *Musso.* — *Mu facere, quid sit.*

10. DEXTRA OCCIDIT IPSA SVA.] Alludit ad

voces Græcas αὐτόχειρα, & αὐθάδαλον, eásque dissoluit.

11. SOLI PRO PORTIS.] Contra illud Iuturnæ, *Sunt alij qui tecta manu defendere possunt.*

Phalanx Troiana.

12. PHALANGES DENSÆ.] Illustrat Vrsinus Virgilium verbis Diodori lib. 1. vbi Græcus phalangi dat πυκνότητα, *densitatem.* & hanc densitatem refert ad τὸν ἐν Τροίᾳ τῶν ἡρώων συνασπισμὸν, *consertationem, qua vsi Heroës in bello Troiano.* Præclarè ergo, tum *densitas*, tum de Troiana phalange.

Seges, de telorum multitudine.

13. SEGES.] Elegans metaphora ad signandam telorum multitudinem, cuspidum, mucronum. Sic 7. *horret strictis seges ensibus.* & 3. *ferrea telorum seges.* & 2. Georg. *densisque virûm seges horruit hastis.* Cedren. A pag. 434. dixit, δοράτων πολαμῶνα.

Horreo, de armis.

14. HORRET.] Ab Græcis Latini. Homerus 13. Iliad.

Ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος ἐγχείῃσι:

Pugna autem, quæ viros perdit, hastis horruit.

Ennius. *Arma rigent, horrescunt tela.* Idem:

Sparsis hastis longis campus splendet, & horret.

15. CVRRVM VERSAS.] Dissoluit Græcum ἁρματηλατεῖν.

16. DESERTO IN GRAMINE.] Quod suprà, *extremo in æquore.* Sed hîc signatius ad contumeliam. Quasi dicat. Ita pauci sunt hostes, vbi tu currum versas, vt vix dici possit campus pugnæ: indicium est, gramen succrescens.

[a] Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit, æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistóque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
[b] Vt primùm discussæ vmbræ, & lux reddita menti est,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit
Turbidus, é que rotis magnam prospexit ad vrbem.
[c] Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum vndabat vortex, turrimq; tenebat,
Turrim compactis trabibus, quam eduxerat ipse,
Subdiderátque rotas, pontésque instrauerat altos.
[d] Iam, iam fata, soror, superant, absiste morari:
Quò Deus, & quò dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte pati; neque me indecorem germana videbis
Amplius: hunc, oro, sine me furere antè furorem.
[e] Dixit: & è curru saltum dedit ocyùs aruis,
Pérque hostes, per tela ruit, mœstámque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.

ARGVMENTVM.

Stupet Turnus ad auditum nuntium, tacet, æstuat, pudescit, luget, insanit. Vt ad se redit, & ignem videt, decernit cum Ænea congredi, curru desilit, sororem relinquit, ruit per media agmina.

EXPLICATIO.

[a] INGENS est Poëta in his quatuor versibus, affigit enim Turno tot affectus ad explicandam illius animi σύγχυσιν. & ideo tot; quia multa nuntiata. Primùm omnium *stupor* hominem inuasit à confusa; & multiplici *rerum imagine.* Ab hoc stupore sequitur *obtutus tacitus*, quo *stetit.* Deindè *æstuat ingens pudor in imo corde*, vt qui audierat, *in currum deserto in gramine versas?* Tertiò adest *insania* ab prædicata hostili virtute verbis magnificis; quibus dictus Æneas *fulminator.* Quartò est *luctus* ex indigna Amatæ morte. Quintò *amor*, isque *furiis agitatus*, ab desperatione nuptiarum Lauiniæ: Sextò demum stimulat hominem *virtus conscia*: nam B creditus voluisse aut fugere, aut detrectare singularem congressum cum Ænea. Video posse aliter disponi has rationes, sed non ineptè, vt à me, consentientibus præsertim interpretibus in horum multis.

[b] Vocat *vmbras* affectus varios, quibus mens oppressa: & *lucem* recuperationem mentis, qua ad se rediit. Ergo, vt se collegit ab tot affectibus, vna permansit ira, qua indignabundus, & *turbidus ardentes oculos torsit ad mœnia, & vrbem respexit.* Notetur signatissima circuitio, *oculorum orbes*, quia *torsit.*

[c] Accessit noua doloris, & irarum causa ex visis flammis, quæ vndatim & vorticosæ tabulata turris C inuaserant, quam Turnus ipse ex trabibus compegerat, eduxerátque in miram altitudinem, subditis rotis, quò posset trahi ad ea loca, quibus hostis instabat, substratísque pontibus ad vsum propugnatorum.

[d] Pro explicatione sint verba ista Scal. lib. 3. Poët. cap. 20. *Non deiecit animum rei difficultas, sed inflammauit. Est enim viri fortis proprium, nullum vel fatum, vel fortunam detrectare, etiam deteriorem. Iccirco fata superant, ne moreris me, sequamur quò Deus vocat, quò fortuna, etiamsi dura.* Sed quæ hæc *dura fortuna?* Audi. *Stat conferre manum Æneæ.* Deinde: *Stat pati quicquid est acerbi.* At quomodo *pati? morte* inquit.

inquit. *vt profectò* (addit Scaliger) *quoties ea lego, horror animum occupet, deinde impellat ad idem agendum. Atque etiam quasi in ipsa statuas actione, adicit, nec me indecorem germana videbis amplius.* Sed quid illud? *hunc, oro sine me furere antè furorem.* Seruius ita ait: *Est sensus, sine bellicum furorem furere: scilicet priusquàm ad Ænean veniam, sine vt pugnam mente concipiam, & instructus furore ad bella prorumpam.* Non placet istud de pugna concepta in mente. Certè *furorem* vocat impetum illum inuadendi Æneæ, cùm suspicetur se moriturum. Et quidem is suspicatus certè est ab illis, *Stat pati morte omnem acerbitatem.* Ergo ait, priusquàm moriar, sine me furere, sine me in hostem ruere, absiste à mora. Est enim maximus furor ruere ad voluntariam mortem, & ad hostem, vbi nulla est spes victoriæ, sed certa mortis expectatio.

Sequitur iam furor, quem furit. Nam desiliens è curru ad mortem conuolat *per hostes, per tela per agmina,* & *cursu rapido,* ac deserta sorore, quæ id temporis remedium vnicum. Vide, an verè insaniat?

NOTÆ.

Stupor. 1. OBSTVPVIT.] Est hic affectus in Calabro libro tertio: ταχ' ὤδη κỳ θυμὸν: *animi mœrore diriguit.* Possis conferre in Turnum hoc stupore detentum verba Plutarchi de Magno Pompeio, qui viso euentu cladis Pharsalicæ, ὑπὸ θεοῦ μάλιστα βλαβεὶς τὴν γνώμην ἐοικώς, ἢ διὰ θείας πληγῆς τεθαμβημένος, ἄφθογγος ᾤχετο: *Non secus acsi Deus ei mentem ademisset, vel clade diuinitus immissa expauesceret, tacitus abiit.* Ita Turnus, videlicet ad nuntium παράδοξον, vt loquitur Polybius libro tertio. Homerus quoque simili affectu libro decimotertio Iliados; ἐκ δ' οἱ ἡνίοχος πλῆγη φρένας: *illius auriga perculsus est mentibus.* Vides verò quot affectus coniungat in vno Turno, ad quem modum Sidon. Paneg. Auiti. *Assistunt socio virtusque, dolórque, & pudor.*

2. ÆSTVAT INGENS, &c.] Hoc hemistichium, & sequentes duo versus integri habentur lib. 10. in persona Mezentij. Vide, quæ ibi annotaui ad verbum *æstuat*: & deinde ad illud, *mistóque insania luctu,* vbi de coniunctione duorum affectuum, iræ, & doloris.

Redire ad se. 3. VT PRIMVM DISCVSSÆ VMBRÆ, ET LVX, &c.] Est hoc, quod Claud. 2. Eutrop. *sensuq́; reducto.* Quod Ouid. 1. Trist. Eleg. 3.

Vt tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit,
Et tandem sensus conualuère mei.

vbi vocat *nubem,* quod Virg. *vmbras.* Cicero *perturbationes animi* dixit. Vt Virg. *discussæ vmbræ,* ita Propert. Eleg. 16. lib. 2.

Cùm mihi discussit talia visa metus.

Et Poëta quidem sibi hæret; nam in Georg. *cùm Sol pallentes discutit vmbras.* quod accepit à Lucret. lib. 4. vbi, *discutit vmbras.*

4. ET LVX REDDITA MENTI EST.] Catull. dixit, *liquidáque mente vidit.* Latini alij *serena mente,* quod idem.

5. ARDENTES.] Plaut. Asin. *truculentis oculis.*

Oculorum orbes. 6. OCVLORVM ORBES.] Sophocles in Oedip. κύκλων. & in Philoct. κύκλα dixit, vtrobique de oculis.

Retortio oculorum. 7. TORSIT.] Irati habitus; vt postea etiam *respexit.* Hæc enim aut *tortio,* aut *respectio* iras indicat. Dixi hac de re satis lib. 3. Georg. ad illud,

Cerda in Æneid. tom. 2.

A *Et stabula adspectans Regnis excessit auitis.*

Hic adiicio Plut. qui de Vticensi in eius vita, ἐγὼ δὲ Κάτων ἀπῆλθε μάλιστα, μεταστρεφόμενος, καὶ πολλάκις ἐπιστρεφόμενος εἰς τὴν πόλιν: *Cato nouissimus lento gradu discessit respectans, & in capita ciuium respectans.* Et eundem, qui de Camillo abeunte in exilium, & diras patriæ imprecante, μεταστραφεὶς ὀπίσω, καὶ τὰς χεῖρας ἀνατείνας πρὸς τὸ Καπιτώλιον ἐπεύξατο τοῖς θεοῖς, &c. Eurip. in Medea, ὀμμάτων δ' ἀπὸ κόρας στρέφουσα: *vertentem oculorum pupillas.* & in Herc. inter notas irati Herculis, ἐν στροφαῖσιν ὀμμάτων: *oculorum tortionibus.* Iterum, ὄμμα στρέφει. Et in Aulid. loquens irata Clytæmnestra, οὐ γὰρ ὀρθοῖς ὄμμασιν σ' ὁρῶ id est, ὄμμασι μεταστρεφομένοις. in Alceste dixit, παρθενικὰ βλέπειν. & in Hecuba. οὐκ ὀρθοῖς

B βλέπειν ὀρθαῖς κόραις. Philo lib. de Charitate, παραβλέπει πλαγίαις ὄψεσι.

Hypallage. 8. EQVE ROTIS.] Hypallage elegans pro curru. Prop. Eleg. 2. lib. 1.

Auecta externis Hippodamia rotis.

Ecce. 9. ECCE.] Inducit hæc particula nouum παράδοξον ad excitandam Turni conquestionem. Ea enim vsos fuisse & Virgilium, & Marcum Tullium in re inopinata, & admiranda Pedianus notat.

Tabulata. 10. TABVLATA.] Ita etiam de turri alia libro secundo Æneid. *iuncturas tabulata dabant.* & Lucan. lib. 4.

——cunctas super ardua turris
Eminet, & tremulis tabulata minantia pinnis.

11. VNDABAT.] Illustrabis satis hanc locutio-

C nem his, quæ dixi 1. Georg. vbi Ætnam flammas vomentem *vndantem* ait. Addidi plura 3. Æneid. vbi ignem erumpentem ex eadem Ætna vocat *nubem*, quæ est aquarum vox.

Turris ambulans. 12. TVRRIM.] De hac belli machina otiosum loqui in tanta luce. Scriptores *ambulatorium* vocant. Poëta huius βάσιν satis notauit per *rotas.* Credo huius vsum nullum fuisse in antiquo æuo Heroüm, sed Poëtam respexisse ad posteriora tempora.

13. SVBDIDERATQVE ROTAS.] Ita & Troiani durateo subiecère *lapsus rotarum.* 2. Æneid.

14. PONTES.] Vide quæ dixi libro nono Æneidos ad illud, *pontésque, & propugnacula iungunt.* & iterum ad illud,

Turris erat vasto suspectu, & pontibus altis.

D 15. FATA SVPERANT.] In 8. fatum dicitur *ineluctabile.* vide ibi annotata.

Deus, pro malo dæmone. 16. QVO DEVS.] Credo hîc Dei appellatione intelligi malum dæmonem, qui mortales vexaret. Sicuti in 7. vnam è Furiis *Deum* vocat. *Nec dextræ erranti Deus absuit.*

17. QVO DVRA VOCAT FORTVNA, SEQVAMVR.] Adduxi consimiles sententias libro 5. vbi vide duas Notas ad illud.

Nate Deâ, quò fata trahunt, retrahúntq́;, sequamur:
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Furere furorem. 18. HVNC SINE ME FVRERE ANTE FVROREM.] Nobilis quidam apud Hispanos Grammaticus, qui multa sui monumenta iam olim reliquit in literatum arce Salmantica, insigniter errauit dicens

E has orationes *furorem furere, vitam viuere, seruire seruitutem,* & similes, futiles esse, & inutiles, ac meros pleonasmos, & redundantias: ac tum tantùm debere esse illarum vsum, cùm aliquid aliud adderetur, vt si quis dicat; *duram seruitutem seruire, vitam viuere difficilem.* Tuebatur se nonnullis exemplulis, tum isto Maronis, qui ideo *furorem furere*, quia *hunc.* Aliter, dicebat, inepta esset, & inelegans locutio, ac merè redundans. Decreui euertere,

præsertim ex Græcis, qui nulla re addita, simpliciter A genus hoc locutionum vsurpant. Homer. Odyss. 9: ὁδὸν ἐλθεῖν ὁδοιπορεῖν. & ζωάγρια ἀποτείσειν. lib. 8. Iliad. νεῖκος νικῆσαι. 3. πόλεμον πολεμίζειν. in 1. αἶνον αἰνεῖν. in 11: δαίμων δαιμονίζειν: in φαίδιμος αἰχμάσσειν. in decimo, βουλὰς βουλεύειν; in 15. μάχην μάχεσθαι. Hesiod. δῶρα δωρεῖσθαι. Eurip. Suppl. στρατείαν ἐστράτευσε. in Oreste, χοὰς χεόμενος: in Helen. ἐυξάμενον ἐυχωλάς. in Furen. ὑβρίζειν ὕβρεις. in Heracl. ἀγῶνα ἀγωνιζόμενος. Soph. in Antig. γέλωτα γελᾶν. ibid. ἀσεβείαν σεβίζειν. Iterum, τὸ ἔργον ἐξειργασμένον. in Elect. ἔχθος ἐχθαίρουσα. Aristophan. Vesp. νόσον νοσεῖν. in Equitib. μάζαν μεμαχότες. Apollon. libro secundo, δίκας δικάζει. vt etiam lib. 1. Epigram. δίκην δικάσειν. Oppianus bis aut ter ἱερὰ ἱερεύει. & 4. Hal. ὄλεθρον ὀλοῦνται. Non adducam solos Poëtas. Pla- B to 3. Politic. στροφὰς στρίφεσθαι. 10. Leg. λόγοις λέγειν. & 5. τιμὰς ἐτιμήθησαν. in Parmenid. ἔρωτα ἐρᾶν. Isocrat. λειτουργίας λειτουργεῖν. Maxim. Tyr. Dissert. 2. κατὰ γέλωτα γελᾶσθαι. Æschil. contra Ctesiph. μαντείας ἐμαντεύσατο. Plut. Sympos. ἐγγύην ἐγγυᾶσθαι. in vita Antonij, μάχην μάχεσθαι. ibid. ὅμνυσι ὅρκον. &, ἠγωνισμένον ἀγῶνας. atque etiam ἄριστον ἠρίστα. Dio Chrys. Orat. 3. ἐθελήσειν θελήσειν. Nazianz. Orat. 3. ἀγνόημα ἠγνόησε. Ioseph. 1. Bell. Iud. cap. 17. νικᾶν νίκην. Eadem loquendi virtus apud Latinos. Plaut. Bacchid. *machinabor machinam.* in Sticho, *obsonabo obsonium.* in Asin. *pvare pietatem.* Liuius lib. 30. *seruitutem seruiisse.* Parcior sum in Latinis. Ergo, quamuis aliquando videamus aliquid aliud addi tam à Græcis, quàm à Latinis, vt cùm Sopho. Elect. dixit, ζῆν βίον μοχθηρόν. & ibid. χείροσι χάριτας τίθει. & Basil. Mag. τέρπεσθαι τέρψιν ἀνόλαυστον. & Virg. hic, *furorem hunc furere.* quamuis (inquam) hæc videamus, non iccirco damnanda est locutio tot magistris vsurpata. Sed & nego posse esse pleonasmum, nam certè casus ille aliquid addit, saltem efficaciam.

19. E CVRRV SALTVM DEDIT.] Versus sumptus ab Hom. 11. Iliad. Imitatio.

Αὐτίκα δ' ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε:
Statim è curribus armatus desiluit in terram.

20. SALTVM.] Latinis aliud est *saltus*, aliud *saltatio.* & ex vna radice diuersa notio. Græci facundiores sunt, illum vocant ἅλμα, & ἅλλεσθαι: hanc ὄρχησιν, & ὀρχεῖσθαι. Saltus, saltatio.

21. RAPIDO CVRSV MEDIA AGMINA RVMPIT.] Hinc Prop. Eleg. 11. lib. 3. Rumpere agmina.

At Decius misso prælia rupit equo.

Bona imitatio, *prælia,* pro, *agmina.* & *equo,* pro, *cursu,* & *misso,* pro, *rapido.* tantùm retinuit *rupit.*

ᵃ Ac veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit auulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis soluit sublapsa vetustas:
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultátque solo, syluas, armenta, virosq;
Inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus
Sic vrbis ruit ad muros, vbi plurima fuso
Sanguine terra madet, stridentq; hastilibus auræ.
ᵇ Significatq; manu, & magno simul incipit ore.
Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini;
Quæcunque est fortuna, mea est: me verius vnum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Discessêre omnes medij, spatiúmque dedêre.

ARGVMENTVM.

Comparatio ruentis Turni, & eius ad suos verba.

EXPLICATIO.

ᵃ ILLVSTRISSIMA comparatio. Saxum ruit de monte, Turnus desiluit curru: saxum cum nocumento; nam inuoluit *syluas, armenta, viros;* Turnus cum ingenti strage *per disiecta agmina.* Video & quid- D piam aliud, nescio an fallar. Concurrunt causę multę conuulsi saxi, scilicet *ventus, imber, vetustas.* multa quoque Turnum impellunt ad hanc præcipitantiam; *pudor in corde, insania cum luctu, amor furiis sui, virtus conscia.* Demum auulsus scopulus *exultat solo,* tanquam gloriosè victor, & nihil timens: Turnus audacissimè ad locum illum venit, vbi maior conflictus, tanquam nihil timeat, exultat enim inter C hastilium stridores, & vbi maior sanguinis fusa copia.

ᵇ Vix accessit, cùm manu significauit, & ore inclamauit ad Rutulos, vt ferro parcerent; ad Latinos, vt tela inhiberent; suam esse, non illorum, eam fortunam; luendum sibi fœdus, decernendum ferro. Parent, discedunt, dant spatium. Est *fœdus luere,* luere pœnas fœdere constitutas in transgressores fœderis. Notetur illud, *magno ore,* pro, voce magna. Nihil enim triuiale Maro.

NOTÆ.

1. AC VELVTI MONTIS SAXVM, &c.] Locus ab Hom. desumptus Iliad. 13. Imitatio.

——ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ
Ἀντικρὺ μεμαώς, ὀλοοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης,
Ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάρροος ὤσῃ
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης.
Ὕψι τ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
Ὕλη. ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, ὄφρ' ἂν ἵκηται
Ἰσόπεδον,

ἰσόπεδον, τότε δ' οὔ τι κυλίνδεται, ἐσσύμενός περ.

——præbat autem Hector
Contrà ruens, veluti rotundus lapis à petra (euulsus)
Quem à summo montis fluuius torrens impulit,
Abrupta immenso imbre impudentis petræ retinaculis.
Altéque subsiliens volat; resonat autem sub ipso
Syluas, hic autem sine impedimento currit continuò donec veniat
In planiciem, tunc autem nequicquam voluitur, impulsus quamuis.

Homerum superat Virgilius.

In hunc locum ita censet Scal. *Duriuscula metaphora est, si lapidem appelles impudentem, improbum tamen potes. etenim malè facit. Et melius est, in abruptum, quàm ὄφρα ἵκηται ἰσόπεδον. Expressior quoque est imago maleficij ex hisce, syluas, armenta, virósque inuoluens secum, quàm κτυπέει δ' ὑπ' αὐτοῦ ὕλη. Hic enim sonum tantùm audis, ibi autem & impetum, & opus.* Sed pergo ad alios, à quibus illustrari Virgilius potest. Hesiod. Scut.

Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ μεγάλου πέτρη σκοπέλου ὀρούσῃ
Μακρὰ δ' ἐπιθρώσκουσα κυλίνδεται, ἡ δέ τε ἠχῇ
Ἔρχεται ἐμμεμαυῖα:——
Quemadmodum cùm saxum corruens ab magno cacumine,
Ac longè desiliens voluitur, fragórque
Præceps irruit.——

Admirare verò diligentiam Virgilij: fuit enim diligentissimus explorator Græcorum. Causam euulsi lapidis ab torrente sumpsit ab Homero, alteram à vento, à Calabro, qui lib. 1. insistēs Homeri vestigiis,

Ὡς δ' ὅτ' ἀπ' ἠλιβάτου σκοπιῆς ἀπερείσιος λᾶας
Λάβρος ὁμῶς ἀνέμοισιν ἀποῤῥήξῃ Διὸς ὄμβρος,
Ὄμβρος ἄρ' ἠδὲ κεραυνός, ἐπικτυπέουσι δ' ἔβησσαι
Λαῦρα κυλινδομένοιο, ὁ δ' ἀκαμάτῳ ὑπὸ ῥοίζῳ
Ἔσσυτ' ἀναθρώσκων μάλα ταρφέα, μέσφ' ἂν ἵκηται
Χῶρον ἐπ' ἰσόπεδον, στῇ δ' αὖτε καὶ ἐθέλων περ:
Ac veluti de specula excelsa, cùm saxum ingens
Vehemens Iouis imber abrupit auxilio ventorum,
Imber & fulmen, intonántque valles,
Cùm impetuosè voluitur. Saxum verò continuo strepitu
Ruit subsultans quàm creberrimè, donec venerit
Ad locum planum, consistítque statim vel inuitum.

Addidit in sua comparatione Virg. nocumentum illud: *syluas, armenta, virósque inuoluens secum.* quam partem comparationis sumpsit ab eodem Calab. lib. 11. Versus adducam suo loco. Lege eundem Cal. 2. ab eo loco,

Ὡς δ' ὁπότ' ἐξ ὄρεος τανυήκεος ἠλιβάτοιο
Πέτρη ἀπειρεσίη, &c.——
Quemadmodum ruente ex monte altissimo
Ingenti petra, &c.——

Pergit multis. Sed vide, vti Virgilianam Musam imitetur Stat. 7. Theb.

Sic, vbi nubiferum montis latus, aut noua ventis
Soluit hyems, aut victa situ non pertulit ætas:
Desilit horrendus campo timor: arma, virósque
Limite non vno, longæuáque robora secum
Præcipitans, tandémque exhaustus turbine fesso
Aut vallem cauat, aut medios intercipit amnes.

Aliquid etiam ad hanc Musam Claud. in Phœnice, mutata materia, saxo scilicet in arborem,

——ceu lassa procellis
Ardua Caucasio nutat de vertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.

Nolo omittere Musam Valer. 6. Arg.

——immensáque funera miscet
Per cuneos, velut hyberno prorupta ab arcu
Imber agens scopulos, nemorúmque, operúmque ruinas;
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque nouum paulatim deficit amnem.

Hæ comparationes, quippe vicinæ, poësin iuuant.

2. DE VERTICE PRÆCEPS CVM RVIT AVVLSVM VENTIS.] Periodum Plut. in vita Lysandri aptę ad Virgilium, ἐκ τοιαύτης ἀπορρήξεως διασεισθεῖσαν πνεύμασι καὶ ζάλαις τὴν πέτραν, ὑπολισθεῖν δ' ὥσπερ οἱ στρόβιλοι, καὶ φερομένην: *Ex vertice montis alicuius ventis ac procellis defectum saxum, sublatúmque instar turbinis, & contortum.* Locorum similitudo. & hanc Herodoti Musa octaua, ἀπὸ τοῦ Παρνησοῦ ἀποῤῥαγεῖσαι δύο κορυφαὶ ἐφέροντο πολλῷ πατάγῳ: *Duo vertices abscissi à Parnasso magno cum fragore deuoluebantur.*

3. AVT ANNIS.] Placuit Poëtæ, cui magnum iudicium, hæc varietas. Alij post *seu* adhibent *siue.* vt Ouid. 3. Trist. Seu, aut.

Seu temerè expecto, siue hoc contingere fas est.

Et Horat. lib. 1. Od. 4.

Seu poscat agna, siue malit hædo.

Reiecit Virgilius, & maluit *seu, aut.*

4. ANNIS SOLVIT SVBLAPSA VETVSTAS.] Lucan. lib. 4. Anni omnia vincunt.

Cedere vel bellis, vel cuncta mouentibus annis.

Proper. Eleg. 2. lib. 3.

Annorum aut ictu pondera victa ruent.

Vt Virg. *soluit,* ita Plut. loco adducto, & in re simili διαλυθῆν. Illud, *sublapsa vetustas,* est hypallage, pro, *vetustas soluit sublapsum saxum.* Hypallage.

5. MONS.] Vt *mons* pro montis rupe, ita 1. Æneid. *mare* pro fluuio. Tale illud, *haud partem exiguam montis.* Sic & apud Nonnum lib. 32. dux barbarus inducitur οὔρεϊ ἶσον κολώνῃ.

6. IMPROBVS.] Vt *mons improbus,* ita (ait Iul. Scal.) *ensis perfidus,* in hoc lib.

7. ACTV.] Est *magno actu,* magno conatu, magno molimine. Agitur enim lapis ἐσσύμενος, vt Hom. loquitur. Actu magno.

8. SOLO.] Dictum *solum,* quòd *solo* teratur. Varro clarè lib. 4. de Lin. Lat. *quæ solo teri possunt sola terra.* Est autem propriè *solum* infimum pedis, & calceamenti solea. Quod iam notauit Iosephus Scal. Propriè itaque Plaut. *qui auro habet suppactum solum.* Lucret. lib. 1. Solum, quid.

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo.——

Ambros. Serm. 74. *Ignota erat ante Christum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio: at vbi dominus resurrexit, nota facta, solo attrita est plurimorum.*

9. SYLVAS, ARMENTA, VIROSQVE, &c.] Nocumentum hoc auulsi saxi graphicè Hesiod. in Scut. Imitatio.

Ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο
Πέτραι ἀποθρώσκωσιν, ἐπ' ἀλλήλαις δὲ πέσωσι,
Πολλαὶ δὲ δρῦς ὑψίκομοι, πολλαὶ δέ τε πεῦκαι,
Αἴγειροί τε τανύρριζοι ῥήγνυνται ὑπ' αὐτῶν
Ῥίμφα κυλινδομένων, εἵως πεδίονδ' ἀφίκωνται:
Ac veluti quando ab alto vertice montis magni
Saxa desiliunt, ac vicissim cadunt,
Ac multæ quercus alticomæ, multæ & piceæ,
Et populi latis radicibus rumpuntur ab ipsis
Facilè deuolutis, vsque dum ad planum perueniant.

Calab. etiam lib. 11.

——ὡς τ' ἐν ὄρεσσι
Φερβομένας ὑπὸ σφῶιν βίη κρημνοῖο ῥαγεῖσα
Αἶγας, ὑποτρομέουσι δ' ὅσαι σχεδὸν ἀμφινέμονται:
——quemadmodum in montibus
Pascentes sub scopulo auulsa rupis impetus
Capellas (deruit) trepidántque cæteræ, quæ propè pascuntur.

10. SANGVINE TERRA MADET.] Ad verbum Hom. αἵματι δεύετο γαῖα. Pulchrè Calab. lib. 1. confugit ad purpuram, τὸ δ' ἐρεύθετο τρώιον οὖδας.

11. Strident.] Vide sup. in hoc lib. ad illud, *Ecce viro stridens alis allapsa sagitta.*

12. Significatque manv.] Orpheus ad verbum καὶ αὐτῷ δὲ χειρί. Agathias verbo alio lib. 4. χειρὶ κατασείσας. Vide quæ dixi sup. ad illud, *dextram tendebat inermem.* Puto verò in hoc loco allusum ad nobilem illam pugnam, ex qua Tito Manlio accessit Torquati cognomen, vbi Gallus ille, qui victus postea est, *vtrisque summo studio pugnantibus* (verba sunt Quadrigarij lib. 1. Hist.) *manu significare cœpit, vtrique vt quiescerent pugnare, pugna facta pausa est.* Vide significationem manus, & in re eadem, scilicet vt quiescant alij à pugna; & à Turno, qui postea est victus. Solet enim latenter Virg. alludere ad Romanas historias. Placet verò aliter Virgilium explicare, quàm omnes explicant. Quid si hoc loco *significat* est *imperat?* Nam Hom. clarè 17. Iliad. ait, σημαίνων ἕκαστος λαοῖς: *singuli copiis imperant.* Ad verbum, *singuli copiis significant.* Scias verò duplex fuisse signum manus. quidni hoc obiter addam? Alterum manus porrectione, aut extensione, de qua locutus Naso in Epist.

Romana historia repræsentata.

Significo, pro impero.

Manus duplex significatio.

Si non audires, vt saltem cernere posses,
Iactata latè signa dedere manus.

vbi *iactata manus* sunt porrectæ. Alterum est manuum complosione, aut percussione, quale indicat Lucas 19. Actor. ὁ δὲ Ἀλέξανδρος κατασείσας τὴν χεῖρα ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ.

13. Parcite vos Rvtvli.] Referri hoc posse ad illud Iliad. 3. Τρώων ἀνέεργε φάλαγγας. vel ad illud 7. ἄλλους μὲν κάθισον Τρῶας, iam Vrsin. notauit. Estque fermè illud, quod sup. *sedeant, spectentque Latini.* Sed mihi non dubium, quin totus hic locus factus fuerit ductu Eurip. in Phœniss. vbi Eteocles ore nuntij ait: *O duces Græci* (perstringo locum Latinè, ne adducam plures versus) *ô vos Thebani, neque Polynicis causâ, neque mea animas vendite. Ego periculum subibo solus, ego committam pugnam cum fratre; si sim victor, regnabo solus; si victus, accipiet ipse Regnum.*

Imitatio.

14. Inhibete.] Præclarè hîc Seru. *Est translatio à nauis.* Nam *inhibeo* propriè est verbum nauticum, cuius potestatem iam Bayf. explicuit in opere de Nauigiis. Estque *inhibere nauem*, quod Græci dicunt, θρυμναν κρούειν, & ἀνακρούεσθαι. sed illud primum frequentius. Est verò *nauem inhibere*, illam retrò agere, quasi puppim conuertere, vtique renauigare: non, cessare à nauigando, vt quidam falsò putant. Hæc enim cessatio Græcis est ἐποχὴ, quæ ἐποχὴ longè distat ab hoc πρύμναν κρούσαι.

Inhibeo, verbi nauticum.

15. Fortvna.] Accipio κακοδαίμονα, & δυσδαίμονα: non εὐδαίμονα, & ἀγαθοδαίμονα.

16. Verivs.] Sumi hîc pro *iustius* Germ. notat, firmátque ab Tullio, qui pro domo sua: *sed quid ad te, qui negas esse verum, quemquam Reip. extra ordinem præfici?* Ab Horat. qui,

Verum, id est, iustum.

Metiri se quemque suo modulo, an pede verum est.

Vide hîc Pontanum. Ita & doctissimus Raderus accipit illud Martial. Epig. 15. lib. 11.

Propter te perit. hoc Labulle verum est?

Id est, hócne est iustum? & laudat Liuium lib. 32. qui, *ceterum & sociorum audiri postulata verum esse.*

17. Pro vobis lvere.] Non hinc abit illud Antonij apud Appian. in Parth. precantis Deos, vt omnem indignationem in se conuerterent, & parceretur reliquo exercitui. Græca, quæ ad rem. ἐπὶ αὐτὸν ἐλθεῖν, scilicet, νέμεσιν, τῷ δ᾽ ἄλλῳ στρατῷ συγχωρεῖν, καὶ νίκην.

18. Decernere ferro.] Theocrit. Diosc. διακρινώμεθ᾽ Ἄρει. Hom. 18. Iliad. flexu alio, μένος Ἄρηος δατέονται. Curt. lib. 3. de Dario, *statuit ipse decernere.*

ᵃ At pater Æneas audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arces,
Præcipitátque moras omnes, opera omnia rumpit
Lætitia exultans, horrendúmque intonat armis.
ᵇ Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis
Cùm fremit ilicibus, quantus gaudétque niuali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
ᶜ Iam verò & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Conuertêre oculos Itali, quíque alte tenebant
Mœnia, quíque imos pulsabant ariete muros.
Armáque deposuêre humeris. stupet ipse Latinus,
Ingentes genitos diuersis partibus orbis
Inter se coiisse viros, & cernere ferro.

ARGVMENTVM.

Deserit muros Æneas vt Turno occurrat. adhibetur comparatio, abstinent à bello reliqui.

EXPLICATIO.

ᵃ EN iam summa votorum Æneæ, Turno occurrere, ac rem decernere singulari certamine. Ergo, vt adesse Turnum audiuit, statim muros, & turres deserit, quas oppugnabat; abrumpit incepta bella, omnia præcipitat, lætitia exsultat, imò horrendum in modum armis intonat in miserum Turnum. Expendit locum istum Scal. lib. 3. Poët. cap. 12. reiicitque ad magnanimitatem, quæ est vel species, vel perfectio fortitudinis, & quæ nihil sordidum patitur. Habebat iam penè Æneas expugnatam vrbem, & tamen victoriam penè è manibus deserit, vt cum hoste fortissimo congrediatur, & prælio quidem ancipiti. Itaque, audito tantùm nomine, omnia omittit, & anteponit certam victoriam

tiam incertæ fortunæ. Mutaui aliquid ex Scaligerianis.

ᵇ Aduerte, Lector, Argum istum, Virgilium (inquam) verè centoculum, veriùs πανόφθαλμον. Comparauerat Turnum cum parte montis, videlicet cum rupe auulsa de montis vertice: ecce iam Æneas, qui virtute Turno multo præstantior, non cum montis parte comparatur, sed cum monte integro, imò cum tribus montibus: vt scias ab Ænea tantùm superari, quantùm pars montis à tribus montibus. Ergo, quanti Athos, Eryx, Apenninus ad auras insurgunt, fremúntque ilicibus; tantus Æneas exultat, intonat.

ᶜ Itali, qui oppugnabantur; Troiani, tam illi, qui muros inscenderant, quàm qui ariete imam partem pulsabant, omnes ab armis cessarunt. Latinus verò stupuit, ita rem fato contigisse, vt viri diuersis orbis partibus, Asia, & Europa, geniti, inter se coirent decertaturi ferro ac singulari certamine de Regno Italiæ, de nuptiis Lauiniæ.

NOTÆ.

Imitatio.

1. DESERIT ET MVROS, &c.] Locus planè Calab. lib. 2. vbi de Achille,

Ἀυτίκα κάλλιπε Τρῶας, ὅσυς ὑπὸ χερσὶ δάιζεν
Ἄμφ' ἄλλῃσι φάλαγξι, καὶ ἰθὺς ἤιεν πολέμοιο
Ἤλυθεν οἱ κατέναντι ———
Confestim omittit Troas, quos manibus conficiebat,
Aliis in phalangibus, & pugna ardens
Contra illum tendit. ———

Dicit videlicet omissam ab Achille inceptam pugnam & victoriam, vt contra ipsum pergeret Memnonem.

2. PRÆCIPITATQVE MORAS OMNES.] Valer. de Iasone lib. 4. *socios præcipitat, rumpitque moras.*

Intono, de magnis ducibus.

3. HORRENDVMQVE INTONAT ARMIS.] Sibi consentit, nam sup. de Ænea, *fulminat Æneas armis.* Et de Augusto repræsentato ab Ænea 4. Georg. *fulminat bello.* Est hæc laus penè vltra mortalem. Sic & Florus de Fabio Max. *Captis superioribus iugis in subiectos suo more detonuit: ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas è cælo, ac nubibus tela mitterentur.* Laudem dixi? possem assentationem. Nam hinc quæsita Anaxandro assentatori adulatio erga Alexandrum. Cùm enim hic iter aliquando faceret cum Rege; ac repentè tonuisset, ille ad Alexandrum, μή τι σὺ τοῦτο ἐποίησας Ἀλέξανδρε ὁ τοῦ Διός; *tunc fecisti Alexander Iouis?* Narrat Athen. lib. 6.

Montibus comparati Heroës.

4. QVANTVS ATHOS, &c.] Ita solent Poëtæ ad αὔξησιν. Ita Aiax ab Homero monti, aut turri comparatur. A quo orationis incremento non abit Val. Flacc. qui loquitur de angue soporato à Medea, vt de Pado, Nilo, Alphæo magnis fluminibus.

Iamque altæ cecidere iubæ, nutátque coactum
Iam caput, atque ingens extra sua vellera ceruix.
Ceu refluens Padus, aut septem proiectus in amnes
Nilus, & Hesperium veniens Alpheus in orbem.

Athos mõs.

5. ATHOS.] Seru. in hunc locum ita scribit: *Athon, vera est lectio: nam si legeris Athos, thos breuis est, & versus non constat.* Errat clarè. Nam rectus huius vocis est etiam Ἄθως per ω, ac proinde ratio Seruij fragilis. Thucyd. lib. 4. Ἄθως ὄρος ὑψηλόν. De excelsitate huius montis vide Plin. lib. 4. cap. 12. Hic est mons ille, qui perfossus à Xerxe. quod, præter alios, etiam commeminit Æschin. contra Ctesiph. ὁ τὸν (ait) Περσῶν βασιλεὺς ὁ τὸν Ἄθω διορύξας.

Eryx mons.

6. ERYX.] Mons Siciliæ, de quo iam alio in loco.

7. CORVSCIS ILICIBVS.] Ita in 1. *tum syluis scena coruscis.*

Montium descriptio ab humana figura.

8. GAVDETQVE NIVALI VERTICE SE ATTOLLENS.] Talis descriptio Atlantis montis in 4.

——cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur, & imbri.

vbi *vertex*, & *caput*, quæ sunt hominum, dantur montibus. Sic de Parnasso Eurip. in Ione, δειράδες, *colla*. Ait, *niuali vertice*, vt idem in Aulid. νιφόβολον νάπος. & in Hecub. χιονώδη Θρήκην. & in Phœniss. χιονοβόλον Κιθαιρῶνα. In quibus vocat *niuosa*, & *hemus*, & *Thraciam*, & *Citharonem.* Sed diuersa forma.

Pater, nomẽ religionis.

9. PATER APENNINVS.] Est *Pater* nomen religionis. Inde Neptunus, Apollo, Iuppiter dicti Patres. Ergo, quia montes religiosi veteribus, ideo *Pater Apenninus.* Sic quia & fluuij religiosi, ideo, *Da nunc Tybri Pater.* Referri & attributum potest ad maiestatem, dignitatem, honorem.

10. PVLSABANT ARIETE MVROS.] Ouid. 3. Pont. Eleg. 1. *murus pulsatur ab hoste.*

Similitudo historiæ.

11. STVPET IPSE LATINVS INGENTES, &c.] Consimilis successus apud Liu. lib. 30. *Erexerant omnium animos Scipio & Annibal, velut ad supremum certamen comparati duces.* & inf. *Congressi sunt, non sua modo ætatis maximi duces, sed omnes ante se memoriæ omnium gentium cuilibet Regum, Imperatorúmve pares.* Nec dissidet periodus ista Cedreni pag. 571. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἐφαίνετο μέγιστόν τι θέαμα, καὶ κατάπληξιν τοῖς ὁρῶσιν ἐπάγον, ἀνδρῶν δύο μονομαχία, ἐπ' ἀνδρείᾳ καὶ ῥώμῃ ψυχῆς μεγαφρονούντων: *Et quidem pulcherrimum videbatur spectaculum, magnúmque stuporem spectatoribus excitaturum, singulare certamen intueri duorum virorum audacia, atque animi robore præstantissimorum.* Sermo est de congressu Phocæ Imperatoris, & Duris ducis hostium.

Diuersus orbis, quis.

12. DIVERSIS PARTIBVS ORBIS.] Id est, Asia Æneas, Europa Turnus. Animaduerti hanc voculam dici sæpe ad explicandam distinctionem trium partium orbis, videlicet Europæ, Africæ, Asiæ. Sic hoc loco. Sic & Ouid. in epist. Laodomiæ ad Protesilaum,

Dum tamen arma geris diuerso miles in orbe.

Nam ipsa ex Græcia scribebat, quæ in Europa, ad maritum, qui erat Troiæ, quæ in Asia. Sic & Tullius pro Lege Manil. *Vt cùm duobus in locis disiunctissimis maximéque diuersis, vno consilio, ab vnis hostium copiis, bellum terra, marique gereretur, vos ancipiti contentione districti de Imperio dimicaretis.* vbi *diuersa loca* vocat Pontum, qui in Asia; Hispaniam, quæ in Europa. Miserat quippe Mithridates ex Asia Legatos vsque in Hispaniam, vt bellum ibi etiam contra Romanos vrgeretur. Ita accipio & Plinium lib. 12. cap. 12. *In nostro orbe proximè laudatur Syriacum,* id est, in Europa.

Imitatio.

13. DIVERSIS PARTIBVS ORBIS INTER SE COIISSE VIROS.] Locus Apollonij lib. 1.

Ἔνθα μὲν Ἀπιδανός τε μέγας, καὶ δῖος Ἐνιπεὺς,
Ἄμφω συμφορέοντες ἀπόπροθεν εἰς ἓν ἰόντες:
Ibi quidem Apidanus magnus, & ingens Enippeus,
Ambo confluunt, è longinquo in vnum congressi.

Lectio Virgiliana.

14. VIROS ET CERNERE FERRO.] Ita volo. Extritio enim illa, quam aliqui adhibent, non est æui Maroniani. Dicunt enim ita legendum.

Inter se coiisse viros, & decernere ferro.

Firmant ex veteribus libris, & adducunt consimilia. Nam & in lib. vetere lib. 7.

Hic specus horrendus, & sæui spiracula Ditis.

& lib. 2. Georg. etiam in lib. vetere,

Aut onerum fœtus, aut vrentes culta capellas.

Ita aiunt in *horrendus*, exteri *us*, vt etim in *fœtus*. Non placet

placet. Non quia id non factum à veteribus: sed quia id non est æui, vt dicebam, Maronis. Itaque in 7. lege *spécus horrendum*, & in Georg. *aut fœtus ouium.* & in hoc loco, *viros & cernere ferro.* Cùm enim *cernere* æquè eleganter dicatur ac *decernere*, cur amplectar rem obsoletam? Nam tametsi non ita obsoletum sit exteri *s*, sed exteri quoque præcedentem vocalem, id scilicet obsoletissimum, ne dicam rancidum.

Cernere ferro.

15. CERNERE FERRO.] Astruo itaque dici commodè posse *cernere.* Nam Græci non solùm διακρίνειν, id est, *decernere*, sed etiam κρίνειν, id est, *cernere.* Hom. 18. Iliad. στυγερῷ κρίνωνται Ἄρηι: *horrendo cernunt Marte.* Heliodor. lib. 7. Hist. Æth. ἀγῶνα κριθήσεσθαι. Polyb. lib. 3. Τιβέριος φιλοτίμως εἶχε περὶ τὸ τὴν ταχίστην κρῖναι τὰ ὅλα: *Tiberius vniuersi belli fortunam quamprimùm cernere gestiebat.* & post pauca iterum, ἔσπευδε κρῖναι δι' αὑτοῦ τὰ ὅλα: *festinabat vt per se ipse summam rerum cerneret.* Ita reddit Casaubon. & adhuc ἐντειλάμενοι σὺν καιρῷ κρίνειν τὰ ὅλα γενναίως: *iubent opportunè & strenuè rem cernere.* Sequor etiam auctoritatem Senecæ, Seruij, Mureti. Ait primus epist. 58. *Quædam simplicia in vsu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant. Virgilius hoc probabit tibi.* mox aduocat versum, in quo sum. Alter in hunc locum: *cernere ferro, vera & antiqua lectio hæc est, nam Ennium secutus est, qui ait,*

Olim cernebant magnis de rebus agentes.

Tertius: *desipit si quis plus tribuit vlli libro, qui hodie reperiatur, quàm aut Seruij testimonio, aut Senecæ.* Iuuat, Ennium alio etiam dixisse loco, *ferro cernamus vtrique.* & Attium, *qui armis secum vellet cernere.*

[a] Atque illi, vt vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido coniectis eminùs hastis,
Inuadunt Martem clypeis, atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus, tum crebros ensibus ictus
Congeminant. fors, & virtus miscentur in vnum.
[b] Ac velut ingenti Syla, summóve Taburno,
Cùm duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessêre magistri.
Stat pecus omne metu metum, mussántque iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuáque obnixi infigunt. & sanguine largo
Colla armósque lauant. gemitu nemus omne remugit.
[c] Haud aliter Tros Æneas, & Daunius heros
Concurrunt clypeis. ingens fragor æthera complet.

ARGVMENTVM.

Æneæ & Turni congressus. priùs eminùs coniectis hastis, dein cominùs nudatis gladiis. Comparatio à pugna taurorum.

EXPLICATIO.

[a] EN iam singularis ille congressus magnorum ducum, fato destinatus, fœderibus confirmatus, toto hoc libro promissus, ab Ænea expetitus, à Turno non denegatus. Recedunt ceteri, ipsi in campo apparent, procurrunt contra se, hastas coniiciunt, clypeis deinde & gladio rem gerunt, tellus ingemit, ictus crebros congeminant ensibus, fors Turni atque Æneæ virtus in vnum miscentur. Expendit Scal. verbum *congeminant.* nam *præpositio & auget sonum, & duos designat.*

[b] Pulcherrima comparatio taurorum, qui in montibus inter se concurrunt in prælia, ac tum pastores absistunt pauidi, reliquum pecus metuit, iuuencæ pendent, quis futurus victor, quem ducem secutura armenta. Quid verò tauri duo in tanta spectatorum turba? pugnant pro gloria. Nam & sibi vulnera infligunt misti acri pugna; tela sunt cornua, quæ sibi infigunt quisque in alterum obnitens, copiosissimo tunc fluente sanguine, ac toto nemore ad vastos illorum ictus commugiente.

[c] Tales puta Ænean & Turnum. Tauri *incurrunt frontibus,* illi *concurrunt clypeis.* Ad taurorum incursum *gemitu nemus omne remugit*, ad horum concursum *ingens fragor æthera complet.* Tauri in pugna *miscent inter sese vulnera vi multa,* illi *congeminant ensibus ictus crebros.* Tauri *obnixi infigunt sibi cornua,* illi *inuadunt Martem clypeis, atque ære sonoro.* In pugna taurorum *magistri cessêre,* in pugna Heroûm *discessere omnes medij, spatiúmque dedêre.* Ibi *magistri pauent,* hîc *Latinus stupet.* Ibi *pecus metuit, iuuencæ mussant,* hîc *Itali, Troës, Rutuli conuertunt oculos* præ metu euentus.

NOTÆ.

1. VT VACVO PATVERVNT ÆQVORE CAMPI.] Est hoc, quod suprà,

Discessêre omnes medij, spatiúmque dedêre.

& quod in 10. *socij cesserunt æquore iusso.* quod Hom. 8. Odyss. εὔρυναν δ' ἀγῶνα. Sed hic singulariter perlustratus Vati Eurip. in Phœniss. vbi in singulari certamine Eteoclis & Polynicis,

Imitatio.

Ἔστησαν ἐλθόντ' εἰς μέσον μεταίχμιον
Δισσὼ στρατηγώ, καὶ διπλὼ στρατηλάτα,
Ὡς εἰς ἀγῶνα μονομάχου τε:
Steterunt venientes in locum medium inter acies
Duces duo, duóque imperatores,
Vt in certamen singulare descensuri.

2. MAR

2. MARTEM.] Id est, bellum. quis nescit? Hom. millies. Pind. etiam Od. 5. Pyth. ἐν Ἄρει.

3. SONORO.] Hac forma Noster, *sonoras tempestates, sonantibus fluminibus.*

Tetræ gemitus. 4. DAT GEMITVM TELLVS.] Ita sæpe Græci. Hi enim στενάζειν χθόνα, οὐρανόν, πόντον, ὕλην. Itaque pro omni strepitu Poëtæ dicunt *gemitum.*

Syla mons. Taburnus mons. 5. SYLA, TABVRNO.] Montes, primus Lucaniæ, alter Campaniæ. Pessimè aliqui legunt *sylua.* Lege Seruium, & Turnebum.

Taurorum pugna. 6. INIMICA IN PRÆLIA TAVRI, &c.] De hac pugna taurorum ita Oppian. lib. 2. Cyn.

> Πρῶτα μὲν ἀντιμέτωποι ἐς ἀλλήλους ὁρόωντες
> Ἄγρια θυμαίνοντες χόλῳ μέγα παφλάζουσι,
> Καὶ πυρὸς ἐκπνείουσι: ———
> *Primum quidem frontibus aduersis inuicem intuentes,*
> *Acerbè æstuanteq́; indignatione vehementer ruunt;*
> *Et ignem spirant.* ———

& post pauca,

> ——— προκαλίζονται δ' ἑκάτερθεν
> Ὀξέα κεκλήγοντες ἐναυλίοισιν ἀήταις.
> ——— *prouocantur vtrimque*
> *Acutè infrementes Martiis flatibus.*

Ouid. lib. 9. Metamorph. de pugna Herculis, & Acheloi:

> *Non aliter vidi fortes concurrere tauros.*

Apollon. lib. 2. Arg. de pugna Amyci, & Pollucis:

> ——— ἠΰτε ταύρω
> Φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κοτέοντε, δηριάασθον:
> ——— *veluti tauri*
> *Armentali pro boue furentes, pugnarunt.*

Et alter Apollon. lib. 2. Excid. duces exercitus Titum, & Iosephum in acie concurrentes ita comparat:

> *Vt quondam inter se demissis cornibus ambo*
> *Præpositi armentis infligunt vulnera tauri,*
> *Seu liuor, seu hoc dilectæ forma iuuencæ*
> *Suadeat, alterni mugitus pascua terrent.*

Calab. lib. 4. de lucta Aiacis, & Diomedis:

> Ταῦροι ὅπως συνδρυξαν ἀταρβέες, οἵ τ' ἐν ὄρεσσι
> Θαρσαλέῳ μένεϊ πεποιθότες, εἰς ἓν ἵκωνται:
> *Vt intrepidi concurrunt tauri, qui in montibus*
> *Roboris audacis periculum facturi congrediuntur.*

Ad has taurorum pugnas allusit Max. Tyrius Dissert. 36. νῦν δὲ ἴδοις ἐν ἀγέλῃ μιᾷ, ὑπὸ ποιμένι ἑνὶ στάσεις πολλάς, καὶ διχονοίας: *& nunc sæpe videas eodem in grege, sub eodem pastore crebras contentiones & dissidia*; &c. De Hercule furente & parante iras Eurip. ταῦρος ὡς ἐς ἐμβολὴν δεινός: *vt taurus acer ad impressionem.* Cyrillus in Ionam furentem hominem ἀποταυρούμενον vocat. Vide & Maphæum Vegium in Supplemento Virgiliano, quod opus laude est dignum, si versus spectes, quia multi ad vmbram Maronis & modulum: sed inscientissimum, si mentem Auctoris, qui insanissimè putauit, non finem Æneidi impositum, & Virgilium egere supplemento illo, cùm nulla tam sit in circinum ducta periodus, quàm opus Virgilianum. Sed redeo ad viam, & adduco pares locos aliorum Poëtarum, qui in certamine magnorum ducum adducunt feras alias, quæ loca cognata sunt cum Virgiliano. Hom. 16. Iliad, pugnam Hectoris & Patrocli confert cum pugna leonis & apri, qui μέγα φρονέοντε μάχεσθον, *pugnant valdè acres.* Aiax & Diomedes apud Calab. lib. 4. pugnant θήρεσσιν ἐοικότες, *ferarum similes.* Eteocles & Polynices apud Eurip. in Phœniss. pugnant singulari certamine κάπροι ὅπως, *veluti apri.* Cui omnino hæsit Stat. 11. Theb. qui de iisdem,

Maphæi supplementum. *Feræ in comparationibus.*

> *Fulmineos veluti præceps cùm cominus egit*
> *Ira sues.* ———

Lege reliqua.

Magistri curatores ferarum. 7. MAGISTRI.] Ita dicti ferarum curatores & pastores. In Ecl. *cuiúmque magistros.* 2. Georg. *pecoris magistris.* De Aristæo curatore apum 4. Georg. *Arcadij magistri.* Manil. lib. 3.

> *Quadrupedum omne genus posuit domitare magistris.*

Sen. lib. 1. de Benef. cap. 3. *leonum ora à magistris impunè tractantur.* Vocantur à Plut. in vita Æmilij, θηρίων καὶ σκυλάκων ἐπιστάται, id est, *præfecti.* Qua voce vsus Terent. Eunuch. act. 3. sce. 1. cùm ait: *elephantis quem Indicis præfecerat.* Idem Plut. de equis loquens in vita Themist. τυχὼν παιδείας. doctrina autem vicina magisterio.

Alliteratio. 8. METV MVTVM, MVSSANTQVE.] Istæ alliterationes (sic vulgò vocant) iucundæ sunt. Vides hîc sæpe repeti literas *m*, & *t*. Talis illa 1. Æneid. *magno misceri murmure.* & Ennij,

> *Africa terribili tremit horrida terra tumultu.*

Timoris nota. Vbi *t*, & *r*, sæpe repetuntur, illa ad tremorem, hæc ad ferociã. Sed hac obseruatione plenus Erythræus. Erga sententiam nota *mutum* cum *metu* coniungi. Ita de Iphigenia Lucret. lib. 1. *Muta metu.* Cicero etiam in Verrem dixit, *metu conscientiáque peccati mutum.* Sic & tristabundi muti sunt: tristitia enim à metu. Hom. 9. Iliad.

> ——— ἀκὴν ἦσαν τετιηότες υἷες Ἀχαιῶν:
> ——— *muti erant tristes filij Achiuorum.*

9. MVSSANTQVE.] Dixi de hoc verbo bis, aut ter. Coniungit Poëta cum *metu*, vt Plaut. Aulul. *per metum mussari.* Sulpit. lib. 1. Sac. Hist. *enimuerò miseri trepidantes mussare.*

10. IVVENCÆ.] Signatè, non iuuenci. Indicat enim pugnas taurorum excitari propter amorem iuuencarum. Ita 3. Georg.

> *Pascitur in sylua magna formosa iuuenca,*
> *Illi alternantes multa vi vulnera miscent.*

Vide ibi annotata.

Regnum, de feris. 11. QVIS PECORI IMPERITET.] Sic Stat. 11. Theb. dixit *regnator taurus.* & Plin. cap. 44. lib. 8. loquens de tauris, *vidimus de imperio dimicantes.* De eadem fera Oppian. 2. Cyn. ἄναξ ἀνάσσων: *Rex regnans.* Ibidem, βασιλῆος ἀγέλης τυραννεύων: *Princeps gregi imperitans.*

12. QVEM TOTA ARMENTA SEQVANTVR.] Est hoc, quod Stat. lib. 11. *trepidæq́; expectant prælia vaccæ.* & quod Ouid. 9. Metam. de eadem re loquens,

> ——— *spectant armenta, pauentque*
> *Nescia quem maneat tanti victoria belli.*

Itaque laudandus Stat. qui *vaccas* nominat, reddens Virgilij & Ouidij *armenta.* Nam *armenta* sunt vaccæ. De qua re vide, quæ ego iam in Georg.

Misceo. 13. VVLNERA MISCENT.] Accepit, credo, verbum à Soph. qui in Trachin. dixit,

> ——— ταυρείων
> ——— τ' ἀνάμιγδα κεράτων:
> *Et taurorum mistim cornuum.*

Taurorum pugnæ. 14. CORNVAQVE OBNIXI INFIGVNT.] Sibi hæret in hac pugna scribenda consentaneus Poëta: nam 3. Georg.

> *Illi alternantes multa vi prælia miscent*
> *Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis:*
> *Versáque in obnixos vrgentur cornua vasto*
> *Cum gemitu. reboant syluæq́; & magnus Olympus.*

Oppian. lib. 2. Cyneg. hæc est Musa,

> Αὐτὰρ ἐπεὶ σάλπιγξαν ἐφ' ὑσμίνην ἀλεγεινήν,
> Ἄσχετον ἀΐσσουσιν, ἑοῖς δ' ἄφαρ κεράεσσι
> Πᾶν δέμας ἀλλήλοισιν ἀμοιβαδὶς οὐτάζουσιν:
> *Verùm, vbi classicum cecinerint ad pugnam tristem,*
> *Indomito impetu irruunt. suis autem illicò cornibus*

Totum

Totum inuicem corpus alternis ictibus fauciunt.
Et iterum post aliquod ſpatium,
Νεύουσι ξυγγρεφὲς κεράων σκολιήρεσιν αἰχμαῖς:
Irruunt infeſtorum cornuum obliqua acie.
Ac deinde de feris aliis loquens,
——κεφαλῆφιν ἐναντία δηριάασθαι,
——*capitibus aduerſum decertare.*
& iterum etiam de feris,
Ἀλλήλοισιν ἐναντίον ἀΐξαντες μάρνανται:
Certant ex aduerſo in ſe inuicem irruentes.
Audi & graphicam Muſam Calabri lib. 4.
——τοὶ δ' ἄγχι τε μαιμώοντες
Κράατα συμφορέουσιν ἀτειρέα καὶ μέγα κάρτος,
Θυμὸν ἐπ' ἀλλήλοισι πονεύμενοι, ἐκ δὲ μόγοιο
Λάβρον ἀνασθμαίνοντες, ἀμείλιχα δηριόωνται
Πολλὸς δ' ἐξ στομάτων χαμάδις καταχεύεται ἀφρὸς:
——*illi verò truci connixu*
Capita indomita committunt & magnas vires,
Mutuam in ſe animi ferociam exercentes, præq; labore
Valdè anhelantes, crudeliter præliantur,
Multùm etiam ſpumæ ex ore profunditur ad terram.

Obnitor, militare. 15. OBNIXI.] Militare verbum. Liu. lib. 8. *In ſuo quiſque gradu obnixi, vrgentes ſcutis ſine reſpiratione ac reſpectu pugnabant.*

Gemuit nemus. 16. GEMITV NEMVS OMNE REMVGIT.] Idem Calab. eodem loco,
——περὶ δὲ βρεμέουσι κολῶναι
Βρυχηθμῷ ὑπ' ἀμφοτέρων:——
——*circumfremunt autem ſcopuli*
Amborum mugitu——

Sed vellem ſeruaſſet Calaber ad extremum, facturus velut epiphonema, quod non facit. Itaque correxit illum Maro.

17. TROS ÆNEAS, ET DAVNIVS HEROS.] Tacita commendatio à genere. Sic Valer. lib. 4. in pugna Amyci & Pollucis,
——*incenſa mente feruntur*
In medium ſanguis Iouis, & Neptunia proles.

18. CONCVRRVNT CLYPEIS, INGENS FRAGOR ÆTHERA COMPLET.] Intellige Poëtam. Hic verſus eandem continet ſententiam, quam ſuperior ille,
Inuadunt Martem clypeis, atque ære ſonoro.
Id eſt, clypeis, & gladiis. Sic hoc loco, *concurrunt clypeis*, vt ibi, *inuadunt Martem clypeis*. &, *ingens fragor æthera complet*, vt ibi, *atque ære ſonoro*. Fragor enim de enſium ictibus: franguntur enim colliſu mutuo. &, niſi hoc diceret Poëta, nihil diceret. Quintil. Declam. 315. *fragor ille armorum, & nitor ferri.* Fragor, de enſium ictibus.

19. FRAGOR ÆTHERA COMPLET.] Oppian. 2. Cyn. ἐς αἰθέρα δοῦπος ἱκάνει. non aſſequitur magiſtrum. Nam ἱκάνει multò eſt minus, quàm *complet*. Quod Virg. ait *ingens fragor*, idem Oppian. loco alio eiuſdem lib. reddit κρατερὸς δοῦπος. Itaque, κρατερὸς eſt *ingens*.

ª Iuppiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diuerſa duorum,
Quem damnet labor, & quò vergat pondere lethum.
ᵇ Emicat hic impunè potens, & corpore toto
Altè ſublatum conſurgit Turnus in enſem,
Et ferit. exclamant Troës, trepidíque Latini,
Arrectæq; amborum acies. at perfidus enſis
Frangitur, in medióque ardentem deſerit ictu,
Ni fuga ſubſidio ſubeat. fugit ocyor Euro,
Vt capulum ignotum, dextrámque aſpexit inermem.
ᶜ Fama eſt, præcipitem cùm prima in prælia iunctos
Conſcendebat equos, patriò mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuiſſe Metiſci,
Idq; diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: poſtquam arma Dei ad Vulcania ventum eſt,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſſiluit: fulua reſplendent fragmina arena.

ARGVMENTVM.

Iouis lances. Ictus, quo Turnus Æneam ferit: gladij eius fractio, & fractionis ratio.

EXPLICATIO.

ª HOC puncto temporis, videlicet priuſquàm vterque hoſtis infligat lethalia vulnera, inducit in cœlo Iouem æquantem manu lances, in quibus ponit fata Æneæ & Turni, vt videat *quem damnet labor*, id eſt, *à quo fruſtra labor ſuſcipiatur*, quod ſcholion Scaligeri eſt, & præferendum Seruianis explicationibus. Et quidem Poëta ſeſe explicans addit, *& quo vergat pondere lethum.* Eadem fermè eſt Erythræi explicatio. Vide illum, & Seruium ne conſule.

ᵇ Quærat aliquis, cur Poëta non dixerit, Iouem velle examinare, quis bello futurus melior & victor: ſed, quis deterior, & victus, ac fruſtrandus labore? En ratio. Poſiturus initio Turnum fruſtrandum labore voluit vicinas res coniungere. Quaſi dicat: Impoſuit Iuppiter lancibus vtriuſque fata, vt ſciret quem labor damnaret, & damnatus ſtatim Turnus eſt, fruſtráque ab eo ſuſcepta opera in Ænean. Ergo ait, ſtatim Turnum inſurrexiſſe toto corpore in enſem, percuſſiſſéque Ænean, exclamaſſe Tro-

se Troianos, Latinos timuisse, vtramq; aciem se arrexisse (ita oportuit in ictu Turni, & contra Ænean) in illo verò illati ictus ardore, ensem fractum, vt erat perfidus & parum probatus, ac loco gladij, quo se sensit deseri, fugam fuisse: itaque pro armis fuit fuga. Etenim *fugit ocyor Euro*, vt vidit se inermem, ac suũ non esse gladium, quo rem gerebat. Expende hîc quatuor. Cur Turno datur ordo primus feriendi, qui videbatur dandus Æneæ fortiori? Quia ita explicata audacia iuuentutis, quæ ætas cupida est ostentationis. Deinde, cur ad ictum Turni trepidi sunt Latini, qui videbantur lætaturi? Quia hoc ipso timuerunt acrem ictus vicem, & audaciam illam non futuram impunè. Tertiò, cur inducitur ensis fractus, videtur enim hoc contrà Æneæ gloriam? Imò, pro illa, vt videlicet locus detur resumendi Vulcanij teli, quod Turnus quoque habebat, & ita paria essent arma. Quartò, cur Turnus elabitur fuga præcipiti, nec locus datur Æneæ ad feriendum? Consultissimè, vt mors Turni differatur ad libri exitum, adhibeatúrque reliquus Tragicus apparatus, qui superest: nam si Æneas statim feriret, bellum, vt erat potens virtute, absolueret; non enim esset ex decoro Æneæ ictum alterum ab eo expectare. Qui putant ista ad explicationem magni Vatis non pertinere, ἄτοποι sunt, ἄλογοι, ἄμικτοι, ἰωβεῖς. Neque verò te longa explicatio ita fessum reddiderit, vt non audias Scaligerum ita scribentem lib. 3. Poët. c. 17. *Antequam dicat ensem fractum, audis, consurgit, & altè, & toto corpore, & ferit, & narrationem interrumpit clamor vtriusque exercitus, & tu pendes. Solus Maro verò Poëta est.* Hęc ille.

c Dixerat *ignotum capulum*, reddit rationem, quia videlicet Turnus, dum festinabundus in currum insiluit post fœdus discussum, cepit gladium Metisci pro suo, qui gladius contra reliquos valuit Troianos; vt verò Æneæ arma retigit fabricata à Vulcano, futilis esse apparuit.

NOTÆ.

Iouis lances. 1. LANCES.] Has Iouis lances, ad trutinanda mortalium fata, Homerus exhibuit pulchro figmento, ita loquens de Hectore & Achille Iliad. 22.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο·
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ,
Ὤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο·

Et tunc sanè aureas pater extendit lances,
Imposuitque duo fata aspera mortis,
Vnum Achillis, alterum Hectoris domantis equos.
Traxit autem medias prehendens, inclinatúsque est Hectoris fatalis dies,
Descenditque in infernum.

Vide, vti quæpiam malè pensitata in Virgilio, defendátque Scaliger, détque victoriam Latino. Sed redeo. Earundem lancium meminit Iliad. 16. vbi Hector

——κέκλετο δ' ἄλλους
Τρῶας φευγέμεναι· γνῶ γὰρ Διὸς ἱρὰ τάλαντα:
——*hortatus est alios*
Troianos ad fugam: quoniam cognouit sacras Iouis lances.

Et iterum Iliad. 8.

Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν.
Αἱ μὲν Ἀχαιῶν κῆρες ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἑζέσθην, Τρώων δὲ πρὸς οὐρανὸν εὐρὺν ἄερθεν:

A *Traxit autem medias prehendens, inclinatúsque est fatalis dies Achiuorum.*
Fata enim Achiuorum in terra multipascente
Insederunt, Troianorum autem sublata ad cœlum sunt.

Æschylus quoque in Supplicib.

Δαίμων τάλαντα βρίθεις οὐκ ἰσορρόπῳ τύχῃ:
Deus lances inuergens fato non æquilibri.

Nec dubium quin Calab. lib. 2. ad easdem lances alluserit, etiamsi alio inuolucro, cùm canit,

Κῆρες, ἡ μὲν ἰὼν ἐπὶ ζοφερὸν Μέμνονος ἦτορ,
Φαιδρὴ δ' ἄμ' Ἀχιλῆα δαΐφρονα:——
Parca, altera tristis Memnonis ad cor abiit,
Altera læta ad Achillem fortem.——

Vbi duæ Parcæ sunt duæ lances, quæ tristis est inuergit, quæ læta attollitur. & post pauca addit idem
B Calab.

——Ἔρις δ' ἴθυνε τάλαντα
Ὑσμίνης ἀλεγεινά, τὰ δ' οὐκέτι ἶσα πέλοντο:
——*contentio librauit lances*
Pugnæ ferales, illaq; æquilibres non erant.

Plutar. lib. de Audiend. Poëtis ait, ab Æschylo factam fabulam, in qua induceret Thetidem & Auroram assistentes Iouis lancibus, deprecantésque pro filiis Achille & Memnone. Theognis quoque τάλαντον, id est, *lancem*, attribuit Ioui, qua ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ. Notat Iul. Scal. has nugas acceptas ab Ægyptiorum superstitionibus. Ab hac lancium pensitatione Iouem vocatum ὑψίζυγον Turnebus notat, & ζυγοστάτην Germanus. Ex hac Gentilium doctrina illustrat extremus versus illos Tibulli ad Messalam.
C

Quisque tibi maiora geri castrisve, forove.
Nec tamen hunc, aut hinc tibi laus maiórve, minórve.
Iusta pari premitur veluti cùm pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.

Illud *æquato examine* est, quod Æschyl. ἰσόρροπα ζυγοῦ τάλαντα. Persius Sat. 1. *examen improbum*, id est, non æquatum.

2. ET QVO VERGAT PONDERE LETHVM.] Hanc tibi notam Germane adscribo, scribenti esse, hoc, quod Lucan. in 6. dixit,

——*dignum est, quod quærere cures,* Alea fati.
Vel tibi quo fati præponderet alea fati.

3. EMICAT.] Non dubium quin alluserit ad creberrimas Homeri comparationes, qui suos duces appellat φλογὶ ἴσους, aut ἰκέλους, *flammæ similes*. Vt cùm ait Emico.
D Iliad. 13. Τρῶες δὲ φλογὶ ἶσοι. & inf. de Hectore, φλογὶ εἴκελος ἠγεμονεύει. Alibi φλογὶ ἐναλίγκιος.

4. CONSVRGIT.] Dixi iam ad illud lib. 11. *in clypeum assurgat.*

5. PERFIDVS ENSIS.] Prudent. Psychom. de gladio fracto, *decorisque pudendi Perfida signa*. Huic directè opponitur illud lib. 9. *lorica fidelis*. Sed illustro hîc locum ex Galen. lib. 2. de vsu partium, explicante, quis sit perfidus gladius, quis fidelis. Eius verba sunt. ἔστι δὲ καὶ μάχαιραν ἀρίστην εἶναι φαμέν, οὐ τὴν ἐκ κραύρου σιδήρου γεγενημένην, οἷος ὁ παρὰ τοῖς Ἰνδοῖς ἐστὶ μάλιστα, καὶ τι τάχιστα γε τέμνουσαν, ἀλλὰ τὴν εἰς τοσοῦτον ἥκουσαν σκληρότητος, ὡς μήτε αὐτὴν θραύεσθαι ῥᾳδίως, καὶ τέμνειν ἑτοίμως. *Ita igitur & gladium esse optimum dicimus, non qui ex fragili ferro est factus, quale apud Indos est plurimum, quamuis promptissimè incidat: sed eum, qui in tantam duritiam peruenit, vt nec rumpatur facilè, & promptè incidat.* Perfidus gladius quis.
E

6. FVGIT OCYOR EVRO.] Plato Leg. 2. νικῷ θέων Θρηίκιον Βορέην: *Vincat currendo Thracium Borean.* De hac re dixi iam bis, aut ter, productis Poëtarum locis. Vento ocyor.

7. PRÆCIPITEM, CVM PRIMA IN PRÆLIA, &c.] Respicit locum illum huius libri, vbi Turnus, cedente ex acie Ænea vulnerato, A

——subita spe feruidus ardet,
Poscit equos, atque arma simul, saltúque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.

In hac itaque festinatione, quam hîc *trepidationem* vocat, pro suo accepit gladium aurigæ.

Imitatio.

8. POSTQVAM ARMA DEI AD VVLCANIA VENTVM EST, &c.] Insistit proculdubio loco Calab. lib. 1. 11.

——πρόσθε δ' ἔβαλεν περιμήκετον ἔγχος
Ἐσθλὴ Πενθεσίλεια· τὸ δὲ σάκος Αἰακίδαο
Ἵξεν, ἀπεπλάγχθη διατρυφὲν ἠΰτε,
Τοῖ' ἦσαν Ἡφαίστοιο περίφρονος ἄμβροτα δῶρα:

——prima autem emisit prælongam hastam
Fortis Penthesilea, quæ in scutum Æacidæ
Peruenit, sed quamprimùm attigit, diffracta resultat,
Talia Vulcani solertis cœlestia erant arma.

Virgilij acumen.

9. GLACIES SEV FVTILIS.] Obserua Virgilij acumen. Præclarè Turni ensem comparat cum *glacie*, præcessit quippe *arma Vulcania*. atqui glacies applicata ad ignem facilè soluitur. Inde & attributũ quoque commodum est, nam *futile* est verbum aquarũ, scilicet, quod facilè funditur. De hac voce lege Festum. Comparat etiam gladium cum glacie, quia (hoc iam Germ. vidit) Aristotel. lib. 4. Met. ait ferrum ipsum conglaciari, & concrescere: vnde Lucret.

Futile, quid.

Tum glacies æris flamma deuicta liquescit,

10. FVLVA.] Vulgare attributum arenæ, sed quid si *fulua* hîc à fragminibus gladij in eam dispersis? Inde signatè *resplendent fragmina arena fulua*. vt enim *fragmina resplendent*, sic *arena* ab illis *fulua* est.

Fulua arena.

11. FRAGMINA.] Ab hoc loco Prudent. Psych.

Ictibus & vacuis hastilia fracta iacerent.

Et post pauca,

Ira vbi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas, B
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri.

12. ARENA.] Notetur Poëtis, & vni imprimis Virgilio militarem campum dici arenam, allusione fortasse tacita ad ludum gladiatorum, vbi sæuitia, & cædes.

Arena cur de campo militari.

[a] Ergo amens diuersa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Vndique enim densa Teucri inclusêre corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
[b] Nec minùs Æneas (quanquam tardante sagitta
Interdum genua impediunt, cursúmque recusant)
Insequitur, trepidíque pedem pede feruidus vrget.
[c] Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Ceruum, aut puniceæ septum Formidine pennæ,
Venator cursu canis, & latratibus instat.
[d] Ille autem insidiis, & ripa territus alta
Mille fugit refugítque vias: at viuidus Vmber
Hæret hians: iamiámque tenet, similísque tenenti
Increpuit malis, morsúque elusus inani est.
[e] Tum verò exoritur clamor, ripæq; lacúsque
Responsant circà, & cœlum tonat omne tumultu.
[f] Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notúmque efflagitat ensem.
[g] Æneas mortem contrà, præsénsque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terrétque trementes
Excisurum vrbem minitans, & saucius instat.
[h] Quinque orbes explent cursu, totidémque retexunt
Huc, illuc. nec enim leuia, aut ludicra petuntur
Præmia: sed Turni de vita, & sanguine certant.

ARGVMENTVM.

Fuga Turni, Æneæ insecutio, comparatio sumpta à cane insequente ceruum.

EXPLICATIO.

[a] DIXERAT suprà, *mi fuga subsidio subeat*, &, *fugit ocyor Euro*: explicat iam fusim hanc fugam, C nominans diuersa æquora, loca, & orbes quos fugiendo implicabat, sed nullus illi ad salutem locus: nam *Teucri*, & hi *addensati*; deinde *palus*, & hæc *vasta*; tertiò *mœnia*, & hæc *ardua* locum cinxerant. Ita vndique inclusus miser Princeps.

[b] Quid tunc Æneas? quamuis accepto vulnere in genu (cuius vulneris mentio initio huius libri) tardaretur, tamen hominem insequebatur, & eo feruore, vt pede etiam premeret fugientis pedem.

c Pul

c Pulcherrima comparatio. Solet *canis venaticus nactus ceruum instare illi cursu & latratibus*, nactus scilicet *ceruum inclusum* hinc *flumine*, inde *formidine pennæ puniceæ*. Notes, venatorem canem, esse Ænean, ceruum, Turnum: flumen, vastam paludem: venatoriam formidinem, densam Teucrorum coronam. Itaque, vt canis vrget ceruum inclusum flumine & formidine: ita Æneas Turnum palude, & corona militum.

d Quid tunc ceruus? *Territus insidiis*, id est, formidine, & *ripa alta*, id est, flumine *fugit & refugit vias mille*, nam de Turno dixerat, *implicat orbes incertos nunc huc, inde huc*. At *Vmber viuidus hæret* hianti ore, & aut *iam tenet*, aut *similis tenenti*; id est, quasi iam teneat, *increpuit malis*, ac dentibus, & ideo *increpuit*, quia non verè momordit, imò *elusus est inani morsu*. Sic Æneas Turnum *insequitur*, & tantùm *vrget pedem pede*, nondum nactus hominem ad plenum ictū. De his versibus ait Scaliger: *Exacta, venusta, grandis, efficax, numerosa, florida, locutio cuiuscunque theatri exspectationem superat*.

e Ad cerui fugam, ad latratus canis *exoritur clamor* venatorum, proximæ *ripæ & lacus respondent*, notat echûs replicatilem vocem, & *cælum omne tonat tumultu* illo, tanquam tonitru.

f Redit ad Turnum, qui *fugiens suos increpat, & quemque vocans nomine, notumque efflagitat*. quippe dixerat, *ignotum capulum*.

g Æneas contrà neminem sinit accedere, minatúrque tum præsentissimum exitium, si quisquam accedat laturus Turno auxilium, tum maioribus minis agit, ait enim se *excisurum vrbem*. Itaque & priuatum cuique, commune omnibus malum minitatur.

h Absoluit tandem, aitque, orbes quinque repetitos cursu & recursu. Quia videlicet non petebantur præmia leuia, aut ludicra, sed certabatur *de vita Turni & sanguine*.

NOTÆ.

Imitatio. 1. ERGO AMENS DIVERSA FVGA, &c.] Adumbrat fugam Hectoris insequente Achille 22. Iliad.

——τρὶς δ' Ἕκτωρ
Τεῖχος ὑπὸ Τρώων, λαιψηρὰ δὲ γοῦνατ' ἐνώμα:
——*trepidus fugiebat Hector*
Sub muros Troianorum, & leuia mouebat genua.

2. INCERTOS IMPLICAT ORBES.] Quod in 5. *alternósque orbibus orbes impediunt*.

3. ARDVA MOENIA.] Hom. vrbem Troiæ vocat αἰπὺν, αἰπεινὴν.

4. TARDANTE SAGITTA GENVA IMPED. VNT.] In 2. *& vulnere tardus Vlyssi*. Eurip. in Ione, ποδὸς μὲ βραδύ.

Pedem pede. 5. PEDEM PEDE.] Plaut. Asin. *pedem pede premit*. Est pulcherrimus hic vocum lusus. Ita 1. Æn. *pueri puer indue vultum*. ibidem, *sic Venus, at Veneris*. & in 5. *calcémque premit iam calce Diores*. Liuius lib. 23. *Annibalem pater filio meo potui placare, filium Annibali non possum*. Frequens est in hoc lusu Quintil. in Declam. & Sen. Rhetor. Græci elegantes sunt in eodem. Eurip. in Androm.

——οὐκ ἀξιῶ,
Οὔτ' ἂν σὲ Τροίας, οὔτε σοῦ Τροίαν ἐγώ:
——*non dignum puto,*
Neque te Troia, neque Troiam te.

Iterum: Ἀνδρὶ δὲ δ' ἁμαρτάνουσ', ἁμαρτάνει ἔτι, &, παρὰ μόνον φιλεῖ μόνος.

Cerda in Æneid. tom. 2.

Imitatio. 6. INCLVSVM VELVTI.] Hom. Iliad. 22. ita illustrat fugam Hectoris, & Achillis insequentis virtutem:

Ἕκτορα δ' ἀσπερχὲς κλονέων ἔφεπ' ὠκὺς Ἀχιλλεὺς.
Ὡς δ' ὅτε νεβρὸν ὄρεσφι κύων ἐλάφοιο δίηται,
Ὄρσας ἐξ εὐνῆς διά τ' ἄγκεα, καὶ διὰ βήσσας.
Τὸν δ' εἴ πέρ τε λάθῃσι καταπτήξας ὑπὸ θάμνῳ
Ἀλλά τ' ἀνιχνεύων θέει ἔμπεδον, ὄφρά κεν εὕρῃ.
Hectorem incessanter vrgens sequebatur celer Achilles.
Vt quando ceruæ hinnulum in montibus canis insequitur
Excitans ex lustro per valles, ac per saltus.
Et illum, quamuis lateat trepidans sub frutice,
Lustrat ex vestigiis, curritque perpetim, donec inueniat.

Formido venatoria. 7. AVT PVNICEÆ SEPTVM FORMIDINE PENNÆ.] Est venatoria Formido contextus plumarum, quo feræ, imprimis cerui terrentur, adiguntúrque in retia, vt capiantur. De hac re multis iam 3. Geor. ad illud,

Puniceæve agitant pauidos formidine pennæ.

Sed hîc audiendi versus Oppian. lib. 4. Hal. quia Græcus (affirmante Scal.) à Virg. sumpsit sublimem spiritum. Ergo ille,

Ὧδε καὶ ἐν ξυλόχοισιν ὀρίστεροι ἀγρευτῆρες
Εἷλον ἀναλκείην ἔλαφον εὐάγρῳ τέχνῃ
Μηρίνθῳ στέψαντες ἅπαν δρυὸς, ἀμφὶ δὲ κοῦφον
Ὀρνίθων δήσαντο θοὰ πτερά. ταὶ δ' ὁρόωσαι
Ἠλίθιαι πτώσσουσι κενὸν φόβον, οὐδὲ πελάσσαι
Μαψιδίως πτερύγεσσιν ἀτυζόμεναι μεμάασιν
Εἰσόκε θηρητῆρες ἐπαΐξαντες ἕλωσι:
Sic etiam in syluis montani venatores
Capiunt imbellem ceruam felici arte
Linea coronantes totum quercetum: circùm autem leuium
Auium ligant veloces pennas. hæ verò videntes
Incassum trepidant vano metu, neque propinquare
Frustra alis territæ audent,
Donec venatores irruentes capiant.

Aristophan in Auib. de re belli ita loquitur, vt alludat ad venatoriam Formidinem, cùm ait,

——πτέρυγα πάντα γε
Ἐπίβαλλε, περί τε κύκλωσαι:
——*alam in omnem partem*
Iniice, circundáque.

Sed & Eurip. venationem ad rem belli traduxit, cùm dixit in Hercule, θρέξουσι ξιφοφόροι.

Venatio canum duplex. 8. LATRATIBVS INSTAT.] Ennius,

Sicuti si quando vinculo venatica aheno
Apta solet cani forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictátque, vlulátque ibi acutè.

Alia est ratio venandi apud Lucan. lib. 4. sine latratibus,

Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora leuis clamosa Molossi.
Spartanos Cretásque ligat: nec creditur vlli
Sylua cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & præda nescit latrare reperta.

Attigit Ennod. epist. 15. lib. 11. *presso ore vestigia rimatus est*. & Sen. in Thyeste de cane, *ac presso vias scrutatur ore*. & infrà, *tacito rostro*. Itaque ratio venandi Virgilij & Ennij opposita venationi Lucani, Ennodij, Senecæ.

Formido venatoria. 9. INSIDIIS.] Retuli *insidias* ad Formidinem. Seneca lib. 2. de ira cap. 12. *Cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat, & ad insidias agat, ab ipso effectu dicta Formido*. Vt enim Latini hoc instrumentum vocant *Formidinem*, ita Græci passim δεῖμα à timore. & Oppian. 4. Hal. κενὸν φόβον. Et Sen. 2. de ira, *vanis enim vana terrori sunt*. & alter Sen. in Hippol. *vano claudat terrore feras*.

10. VMBER.] Generosi canes indigetari solent

SSf 2 ab

ab regionibus, vbi nati, sic Spartani, Cretenses, & A mille alij. Sic ergo *Vmber* ab Vmbria Italiæ. Seruius *Thuscum* accipit, quia Vmbria pars Thusciæ. Seneca in Thyeste:

Sic cùm feras vestigat, & longo sagax
Loro tenetur Vmber.———

Loquitur in re Græcorum. Itaque signatiùs Noster, qui in re Turni Itali canem Italum voluit.

Hæreo, de cane venatorio.

11. HÆRET.] Huic non absimile ἀντιχρίεσθαι Græcorum, & διώκειν. Vtrumque infert Plutarch. in vita Alexandri. ... διώκειν, καὶ ἀντιχρίεσθαι τὸν Περσῶν πλοῦτον.

Locorum similitudo.

12. IAMIAMQVE TENET, SIMILISQVE TENENTI, &c.] A Virgilio nobiles duo Poëtæ Ouidius, & Statius. Prior lib. 1. Metamorphoseos,

Vt canis in vacuo leporem cùm Gallicus aruo
B
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter inhæsuro similis, iamiámque tenere
Sperat, & extento stringit vestigia rostro.

Posterior lib. 5. Theb.

———*qualis cùm cerua cruentis*
Circumuenta lupis, nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia cursu,
Præcipitat suspensa fugam: iamiámque teneri
Credit, & elusos audit concurrere morsus.

Sed negari nequit, quin Virgilius Apollonio institerit lib. 2. Arg. tametsi Græca, quæ nuda sunt, magna euaserint imitatione Virgiliana, sic enim censet Scal. Sed audiamus Apollon.

Imitatio.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἐνὶ κνημοῖσι κύνες δεδαημένοι ἄγρης
Ἢ αἶγας κεραὰς, ἠὲ πρόκας ἰχνεύοντες
Θείωσιν, τυτθὸν δὲ λελειμμένοι μεσσηγὺς
Ἄκρης ἐν γενύεσσι μάτην ἀράβησαν ὀδόντας:
C
Quemadmodum quando in saltibus canes sagaces
Capras corrigeras, aut ceruos indagantes
Insequuntur, paulùm autem distantes à tergo
Extremis ictibus frustra colliserunt dentes.

Iamiam tenet.

Illud, *iamiámque tenet*, ita diceret Plut. in Lucull. ... γὰρ αὐτὸν καλεῖ χεῖρ ἐπιτείνατε. & iterum, ... μὲν γὰρ ἐν ἐφικτῷ διώξεως.

13. TVM VERO EXORITVR CLAMOR.] Arripuit Ouid. 1. Trist. Eleg 3.

Tum verò exoritur clamor, gemitúsque meorum.

Echûs responsio.

14. RIPÆQVE, LACVSQVE RESPONSANT.] Ita in 8. *Dissultant ripæ.* & in 5. *colles clamore resultant.* Hom. Iliad. 21. ὄχθαι δ᾽ ἀμφὶ περὶ μεγάλ᾽ ἴαχον: *Ripæ, quæ circà erant, valdè inclamarunt.* Lucill. dixit; *resultant ædésque, lacúsque.*

Responso.

15. RESPONSANT.] Verbum aptum ad echûs resultantiam. Aristotel. cap. 8. lib. 2. de Anim. adhibet verba ἀνάλλεσθαι, σείεσθαι ἀέρα: *resultare, concuti aërem.* &, ἀνακλασθῇ, ὥσπερ σφαῖρα: *resilit, instar pilæ.*

16. ET COELVM TONAT OMNE TVMVLTV.] In 8. *& maximus insonat æther.* quem locum vide. Suprà. *Ingens fragor æthera complet.* In 9. *cœlum tonat omne fragore.* Plaut. Amph. *boat cœlum fremitu virûm.* In his omnibus locutionibus aërem capias. Eurip. in Elect.

Cœlum pro aëre.

———νεβρὸς οὐράνιον
Πήδημα κουφίζουσα:
———*hinnulus cœlesti*
Saltu se attollit.

Describit quippe choreas, quas hinnuli exercent librantes se in aërem. Sic & Ennius, quem citat Varro lib. 6. Ling. Lat.

Clamor ad cœlum voluendus per æthera vagit.

Nomine vocare.

17. NOMINE QVEMQVE VOCANS.] Claud. 2. Stil. *& nomine quemque Compellat.* & 2. Ruff. *denotáque brachia laudat Nomine quemque vocans.* Valer. 4. Arg.

Hortatur, supplexque manus intendit Iason,
Nomine quemque premens.———

Est hoc, quod Plut. de Minutio presso ingenti discrimine in bello, ait in vita Fabij. καὶ πρὸς ἄλλον ἄλλον ἡγεμόνων ἐν πάντῃ: *Iam ad hunc, iam ad illum ducem, in omnem partem respectabat.* neque tamen illi quisquam adesat. De Catilina Sallust. *suorum vnumquemque nominans laudare.*

Efflagito no tat conuitium.

18. EFFLAGITAT.] Veluti increpanter, & cum conuitio. Inde Tacitus 6. Ann. cum hoc verbo signatè coniungit voculam *licentius*, cùm ait, *multáque in theatro licentiùs efflagitata, quàm solitum.* Dicebam iam de hoc verbo 2. Æneid. ad illud Vlyssis, *quæ sint ea numina Diuûm Flagitat.* De obscœna significatione verbi huius iam Budæus, & ab illo interpretes Virgiliani Germanus, & Pontanius. Imitatio ducta ab Hom. Iliad. 22. vbi Hector simili malo oppressus petebat hastam ab Deiphobo, ᾔτει μιν δόρυ μακρόν. aut ab Eurip. apud quem Hercules furens,

Τίς μοι δίδωσι τόξα; τίς ὅπλον χερός;
Quis mihi dat arcum? quis arma manus?

Imitatio.

19. ÆNEAS MORTEM CONTRA, &c.] Traxit colorem ab Homero, commutata sententia Iliad. 22.

Λαοῖσιν δ᾽ ἀνένευε καρήατι δῖος Ἀχιλλεὺς,
Οὐδ᾽ εἶα ἱέμεναι ἐπὶ Ἕκτορι πικρὰ βέλεμνα,
Μή τις κῦδος ἄροιτο βαλὼν, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι:
Populis autem innuebat capite diuus Achilles,
Neque sinebat mittere in Hectorem lethiferas sagittas,
Ne quis gloriam auferret iaculatus, ipse verò posterior venires.

Homeri vitia duo iam Scaliger notauit. Cur Achilles innuebat capite, cùm posset clamare ad suos, qui præsentes aderant, nemo enim Troianorum illic circa Hectorem? Deinde, quomodo currens Achilles abnuere intelligebatur?

Homeri vitium.

Imitatio.

20. QVINQVE ORBES EXPLENT CVRSV.] Respicit illud lib. 22. Iliad. vbi insequente Achille Hectorem,

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ τὸ τέταρτον ἐπὶ κρουνοὺς ἀφίκοντο:
Sed quando iam quartò ad fontes peruenerunt.

Et *explent* dixit imitatione Eurip. Iphig. δρόμους πολλοὺς ἐξέπλησα: *expleui cursus multos.*

Pugnare de vita, non est ludicrum.

21. TOTIDEMQVE RETEXVNT.] Est hoc quod in lib. 5.
D
Inde alios ineunt cursus, aliósque recursus
Aduersis spatiis.———

22. NEQVE ENIM LEVIA, &c.] Hom. adducto loco,

———ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην
Ἀρνύσθην, ἅ τε ποσσὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο:
———*non enim victimam, neque tergum bouis*
Captabant, qualia pedibus præmia sunt virorum,
Sed pro anima currebant Hectoris domitoris equorum.

Lib. etiam Odyss. 22. περὶ τε ψυχῆς ἐμάχοντο: *pugnabant pro animabus.* Diotimus in pugna Herculis & Antæi lib. 1. Epig.

Κεῖται δ᾽ ἐσ... ἀγὼν οὐ χαλκέω ἀντὶ λέβητος,
E
Ἀλλ᾽ ὅστις ζωὸς οἴσεται, ἢ θάνατον.
Propositum ipsis certamen est, non æreo pro lebete
Sed vter vitam ferret, vel mortem.

Et Damagetus loquens de pugna Herculis, & leonis lib. 4. Epig.

Ἔρχονται δ᾽ εἰς ἀγῶνα, κατάντιον ὄμμα βαλόντες
Λοξὸν, ὑπὲρ ζωῆς ἢ βιοτᾶς σφετέρας:
Veniunt ad certamen, aspiciunt sese aduersum oculis
Obliquis, geritur quippe de cuiusque vita.

Sed

Sed quæ iſta inſulſa geminatio ζωὰς, ἢ βιοτάς. Credo, ζωὰς ad feram, βιοτὰς ad Herculem referri. Ceterùm ab hoc Poëtarum animo non multùm abit illud Quintiliani Declamatione trecenteſimâ vigeſimaſexta: *Non enim profectò Dij immortales pœnam petebant nec in ſupplicium filij hoc reſponſum dederant ciuitati. Magna arceſſebatur anima.* Neque illud Sophoclis in Elect.

A λόγων γὰρ οὐ νῦν ἐστὶν ἀγών, ἀλλὰ σῆς ψυχῆς πέρι:

Non enim certamen de verbis eſt, ſed de anima tua. Eurip. quoque in Phœniſſ. ἀγῶνα τὸν περὶ ψυχῆς: *certamen de anima.* Lib. 1. Machab c. 12. leges, *quia pro anima res eſt illis.* Hoc genus ſententiarum ad parœmiam refert Eraſmus Chil. 3. Cent. 9. c. 29. Idipſum ex Euſtathio notat Germ.

[a] Fortè ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hîc ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Seruati ex vndis vbi figere dona ſolebant
Laurenti Diuo, & votas ſuſpendere veſtes.
Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant, puro vt poſſent concurrere campo.
[b] Hîc haſta Æneæ ſtabat, huc impetus illam
Detulerat, fixam & lenta radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu conuellere ferrum
Dardanides, telóque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. tum verò amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit, túque optima ferrum
Terra tene, colui veſtros ſi ſemper honores,
Quos contrà Æneadæ bello fecêre profanos.
[c] Dixit, opémque Dei non caſſa in vota vocauit.
Namque diu luctans, lentóque in ſtirpe moratus,
Viribus haud vllis valuit diſcludere morſus
Roboris Æneas: dum nititur acer, & inſtat,
Rurſus in aurigæ faciem mutata Metiſci
Procurrit, fratríque enſem Dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci Nymphæ indignata licere,
Acceſſit, telúmque alta ab radice reuellit.
Olli ſublimes armis, animíſque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſta
Aſſiſtunt contrà certamine Martis anheli.

ARGVMENTVM.

Recuperant amiſſa arma Æneas & Turnus, & redeunt ad certamen.

EXPLICATIO.

[a] DESCRIBITVR oleaſter ab religione, & vſu. Ab religione, nam *ſacer*, & *Fauni*. Ab vſu, nam *nautæ ſeruati ex vndis ſolebant ibi dona figere Diuo Laurenti*, id eſt, Fauno, & *votas veſtes ſuſpendere*. Sed *Teucri nullo diſcrimine*, id eſt, nullo religionis intuitu & obſeruantia *ſuſtulerant ſacrum ſtirpem*. Ratio, *puro vt poſſent concurrere campo*.

[b] Æneas ergo, cùm haſtam aduersùs Turnum conieciſſet, illa delata in oleaſtrum hærebat forti morſu, illam Æneas voluit conuellere, vt telo aſſequeretur, quem curſu nequibat. Quod vt Turnus vidit amens præ formidine, Faunum precatur, vt miſereatur ſui; Terram, vt ferrum teneat. Quaſi dicat:

B Pro me ſtate, & contra Ænean. Pro me, qui *ſemper colui honores veſtros*. Contra Ænean, nam *Æneadæ honores veſtros profanos fecêre*. idque *bello*; quia ad vſum belli erutus eſt ab illis oleaſter ſacer.

[c] Auditus Turnus eſt ab Fauno; nam luctatur Æneas, & diu, & nequit conuellere. Ratio, quia lenta radix. In ea mora, ecce Iuturna conuerſa iterum in Metiſcum dat enſem fratri proprium. Indignata Venus id Nymphæ licere, acceſſit ipſa, & reuellit telum. Illi itaque reſumptis armis, refecti etiam animis, qui armis amiſſis veluti torpuerant, redeunt ad certamen, Turnus gladio fidens, Æneas haſta acer, atque arduus, id eſt, glorioſus.

C

NOTÆ.

1. FAVNI.] Legerem *Fauno*, vt dicat, *oleaſter ſacer Fauno*. Sed retenta lectione explicet puer, *oleaſter Fauni qui ſacer Fauno*. Quæ hæc barbaries, dicet aliquis? Non ita, Lector, nam talia multa explicanda in auctoribus. vt cùm Lucan. lib. 5. dixi, *latos fecit ſe Conſule faſtos*, erit, ipſe Conſul ſe Conſule. & Lectio Virgiliana.

Quint. in Declam. *te volente misisti*, id est, tu volens A te volente. Ad hanc trutinam redigenda crebra illa Dialecticorum propositio, *Petrus est albus*. & similes. Nam si *est*, qui *albus*? verbum enim substantiæ non debet parere accidens: quippe esset monstrum. Ergo sententia est. *Petrus est albus*, id est, *Petrus est Petrus albus*. Quòd si graueris ita explicare propter insolentiam, dices, *Petrus est albus*, id est, *Petrus est subiectum album*. & ita verbum substantiæ pariet substantiam. Sed hæc esse nunc debent ἰδιωτικά.

Oleastri in religione. 2. OLEASTER.] Debes loci huius illustrationem Turnebo lib. 8. Aduer. cap. 16. Fuit veteris superstitionis, vt ante Deorum templa essent oleastri consiti, in quibus dona affigerentur; nam arboris huius B tanta est viuacitas, vt etiamsi multis clauis configatur, non læditur. Aristophan. in Plut.

ὥσπερ κοτίνῳ προσπατταλεύειν τουτῳί:
Ceu oleastro adfigam isti.

Sed de loco Aristophanis dicam sequenti Nota. Aduocat etiam Turneb. Theophrastum lib. 5. Hist. Plant. cap. 3. quem omitto, quia iam Collector Symbolarum. Pro quo substituo verba Plinij cap. 39. lib. 16. qui penè ad verbum transtulit Theophrastum: *Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultauerat. Fuitque arbor illa fatalis excidio vrbis præmonita oraculo, cùm arbor arma peperisset: quod succisa accidit, ocreis galeisque intus repertis.*

Cur arbor hæc venerabilis. 3. VENERABILE LIGNVM.] Non solùm nautis hæc arbor in veneratione, sed vniuersim omnibus. Nam ex pertica huius arboris dona in templis suspendebantur. Scholiastes Aristoph. in adductum locum, ἐπὶ τῶν κοτίνων, καὶ ἄλλων δένδρων πανταχοῦ ἐν τοῖς ἱεροῖς προσπατταλεύουσι τὰ ἀναθήματα: *in oleastris, aliisque arboribus affigunt donaria in templis vbique gentium*. Imò versus adductus Aristophanis eandem habet sententiam. Integer locus est:

Δι. Τοῖς δ' ἐμβαδίοις τί χρήσεταί τις; εἰπέ μοι.
Καρ. Καὶ ταῦτα πρὸς τὸ μέτωπον αὐτίκα δὴ μάλα
ὥσπερ κοτίνῳ προσπατταλεύσω τουτῳί.
Iust. *Sed calcei in quem cedent vsum? dic mihi.*
Car. *Eos ego iam volo ad frontem huius viri*
Velut à pertica oleastrina suspendere.

Alludit videlicet ad morem, quo dona oleastro infigebantur. Accidit etiam religio alia huic arbori ab corona illorum, qui victores in Olympiis.

Tempestate seruati persoluebãt Diis vota. 4. SERVATI EX VNDIS VBI FIGERE DONA, &c.] Attingit morem, quo seruati ex vndis & tempestate persoluebant vota Diis, quibus se in mari deuinxissent. Ad quem allusit Propert. Eleg. 3. lib. 4.

Omnibus in portis pendent mea noxia vota.

& Horat. lib. 1. Carm.

——me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Et in epist. ad Pison. reprehendens ineptum pictorem ait,

——& fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc? si fractis enatat exspes
Nauibus, ære dato qui pingitur. ——

Itaque aliud agens attingit morem tabellarum & donorum affixorum ab his, qui seruati ex vndis. Attigit Cic. lib. 4. ad Attic. *Hæc enim me vna ex naufragio tabula delectat*. & lib. 3. de Nat. *Tu, qui Deos putas humana negligere, nónne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salui peruenerint?* Itaque, consentientibus aliorum testimoniis, credibile est ab Poëta per *dona fixa* intelligi tabellas pictas, vt duo dicat pleniore Musa, Tabellæ pictæ inter dona. & tabellas, & vestimenta. Ad quam rem etiam pertinent verba veteris interpretis Horatij ad Sat. 1. lib. 2. Serm. vbi postquam explicuit, quid sit *votiua tabula*, adiicit: *ita solent naufragi suum naufragium in tabella depictum circumferre, & in templis alicui Deo consecratum suspendere*. Sed redeo ad morem in communi. Attigit illum Plato in Theæt. cùm ait, eos, qui ἐν θαλάττῃ χειμάζονται, ὡς πρὸς θεὸν ἔχειν τοὺς ἐν ἑκάστοις ἄρχοντας, σωτῆρας σφῶν προσδοκῶντας: *in mari fluctuant, quasi Deos habere eos, qui præstant in rebus singulis, seruatoresque suos putare*. Libat quoque breuiter hanc doctrinam Max. Tyrius Dissert. 38. vbi ait, solere nautas consecrare Diis maritimis temones in eminenti aliquo scopulo, quem vndæ alluant. ταῦτα (ait) ἐπὶ Herculi qui sacra faceret. ἀκλύστῳ πέτρας ἀνέθηκαν ὅσπερ θαλαττίοις. Et Aristid. orat. ad Herculem, vbi scribit huic Heroi sacra facere τοὺς ἐν τῇ θαλάττῃ κινδύνους διαφεύγοντας. Incidit suspicio, an Virgilius, vt est tectus Augusti adulator, voluerit indicare aliquid de templo, quod *Sebastion* Sebastion templum Augusti. dicebatur, eratque in Ægypto, ac sacrum vni Augusto sub hac epigraphe, Καίσαρι ἐπιβατηρίῳ, *Cæsari præsidi nauigantium*. Cuius rei meminit Philo de Legat. ad Caium. Addítque fuisse plenum donariis, pictis C tabulis, auro, argento, quæ offerebantur ab his, qui seruati è tempestate.

5. VBI, &c.] In arboribus figi similia dona, cer- Dona in arboribus. tum est, nam illæ sacræ erant Gentilibus. Quò spectant versus isti Valer. lib. 5. Arg.

——at vellera Martis in vmbra,
Ipse sui Phryxus monimentum insigne pericli
Liquerat ardenti quercum complexa metallo.

Et Ouid. lib. 8. Metamorph.

Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Vna nemus, vittæ mediam memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.

Pausan. etiam Corinth. ait, vinctos solitos suspen- Arborum religio. dere compedes ad arbores lucorum, cùm fiunt libe- D ri. Verba eius. λυθέντες δὲ οἱ δεσμῶται τὰς πέδας πρὸς τὰ ἐν τῷ ἄλσει δένδρα ἀνατιθέασι.

6. FIGERE.] Verbum sacrorum. Liu. lib. 4. de Figo, verbũ sacrorum. Cosso Dictatore: *Spolia in æde Iouis Feretrij dono fixit*. & 9. Æneid. *aut alta ad fastigia fixi*.

7. SVSPENDERE.] Est hoc quoque verbum sa- Suspendo, verbum sacrum. crum. In 9. *suspendive tholo*. in 6. *arma patri suspendet capta Quirino*. Catull. *tacito suspendit vota labello*. Horatium iam protuli.

8. SVSTVLERANT.] Nefas esse Gentiles puta- Sacra non mouenda loco. bant, si quidpiam sacrum auferretur, euerteretúrque, idque mordet Turnus. Lege Ouid. fab. 11. lib. 8. Metamorph. ab illis versibus,

E *Ille etiam Cereale nemus violasse securi*
Dicitur, & lucos ferro temerasse vetustos.

Vitruu. lib. 2. *Rhodij religione impediti, quòd nefas est trophæa dedicata remouere, circa locum eum ædificium struxerunt.*

9. PVRO CAMPO.] Vt purus locus est ædificiis Purum non impeditus; ita *purus campus* est nulla arbore impeditus. Græci καθαρὸν χῶρον. Sic *puræ arbores*, putatæ; *pura barba*, rasa; *puræ genæ*, nullo adhuc flauentes flore; *pura vasa*, absque emblematis; *puræ plateæ* in Horatio epist. 2. lib. 2. id est, liberæ omni impedimento, nam adiicit, *nihil vt meditantibus obstet*. Vide quæ in hunc locum ex Græcis Germanus.

10. CAMPO.] De militari sæpe. Ita sup. *dimensi* Campus, de militari. *campum ad certamen*. Sed de hac re dicebam alibi. Ab Nostro Propert. Eleg. 11. lib. 4.

Cossus ait, forti melius concurrere campo.

11. HIC

Hastæ etymon.

11. HIC HASTA ÆNEÆ STABAT.] Allusum fortasse ad etymon hastæ: vt suprà, *stant terræ defixæ hastæ.* Nam Varr. lib. 4. Ling. Lat. *Hasta, quòd stans solet ferri.*

Imitatio.

12. VOLVITQVE MANV CONVELLERE FERRVM.] Adumbrat toto hoc loco illum Hom. Iliad. 21.

———ὁ δ' ἄρα μελίην Ἀχιλῆος
Οὐ δύνατ' ἐκ κρημνοῖο ἐρύσσαι χειρὶ παχείῃ.
Τρὶς μέν μιν πελέμιξε, ἐρύσσασθαι μενεαίνων,
Τρὶς δὲ μεθῆκε βίης. τὸ δὲ τέτρατον ἤθελε θυμῷ
Ἆξαι ἐπιγνάμψας δόρυ μείλινον Αἰακίδαο:
———*hic autem hastam Achillis*
Non poterat è precipitio euellere manu valida.
Ter quidem ipsam concussit extrahere cupiens,
Ter autem defecit vis. quartò autem parabat animo
Frangere incuruans (sc) *hastam fraxineam Æacidæ.*

Sequi telo.

13. TELOQVE SEQVI.] Sup. *iaculo secutus.* est hoc, quod Ouid. 8. Metamorph. *contingere telo.* Homerus sæpe ἐγχέϊ, & τυχεῖν.

Timor dimouet à mente.

14. AMENS FORMIDINE.] Ita suprà,
Ergo amens diuersa fuga petit æquora Turnus.
Timor quippe nimius à mente dimouet.

Miserere, vox supplicum.

15. MISERERE.] Esse hoc proprium verbum supplicum satis indicat Arrhian. in Dissertat. Epictet. lib. 2. τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτοῦ, κύριε ἐλέησον: *Deum inuocantes, egemus verbo illo, Domine miserere.*

Optimus, in religione.

16. TVQVE OPTIMA.] Signata vox ad religionem; vt & *Dij boni.* Sed de hac re dicebam ad illud 5. Eclog. *Sis bonus ô felixque tuis.* Videtur autem adumbratus locus Eurip. in Elect.
Καὶ γῆ τ' ἄνασσα, χεῖρας ἣ δίδωμ' ἐμάς,
Ἄμυνε: ———
Et tu Tellus Regina, cui tendo manus meas,
Opem fer. ———

Si te colui, ratio precandi.

17. COLVI VESTROS SI SEMPER HONORES.] Ratio hæc precandi vsitata Poëtis. Chryses Sacerdos 1. Iliad. εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα. vide reliqua. *Si quando tibi gratum templum coronaui.* Oppian. Hal. lib. 2. ad exitum,
Ζεῦ τε, καὶ οὐρανίδαι Ζηνὸς χορὸς, εἴ τις ἀμοιβὴ
Εὐσεβίης: ———
Teque Iuppiter, & vos cœlites, cœtus Iouis, si qua retributio
Pietatis. ———
Ouid. 8. Metamorph.
Phœbe, ait, Amphycides, si te coluique, colòque
Da mihi quod petitur. ———
Bis alibi hoc genus precationis Virg. attigit 1. & 9. Æneid.

Si.

18. SI.] De hac particula, & in hoc significato consule Plut. opere περὶ τοῦ εἰ τοῦ ἐν Δελφοῖς.

19. ÆNEADÆ.] Signatè: non Teucri, aut Troiani. quasi totum nefas dimanet ab vno Ænea.

20. BELLO FECERE PROFANOS.] Passeratius (testante Germ.) hunc locum ducit è medio iure ciuili. Nam loca esse desinebant sacra, si capta essent ab hostibus. Pomponius clarè lib. 11. Pand. tit. 7. Leg. 36. *Cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa, vel sacra esse.* Inde factum (notat hoc Gothof.) vt lapides inde sublati conuerti iam possent in quemcunque vsum, neque competat actio violati sepulchri. Cicero de Orat. *Has tabulas M. Marcellus cùm omnia illa victoria sua profana fecisset, tamen,* &c. Inde fit *propriè profanum esse* (verba sunt Macrob. cap. 3. lib. 3. Satur.) *quod ex sacro promiscuum humanis actibus accommodatum est.* Nota hæc illustris est ad defensionem Virgilij. Posset enim obiici, quî duci suo Æneæ dedit profanationem loci sacri, cùm scribit?

Loca capta ab hostibus non iam sacra.

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant. ———
Sed responsio perspicua est, posse id fieri iure belli. Inde rectè addidit, *puro vt possent concurrere campo.* Etenim bellum eius est conditionis, vt nihil relinquat intactum. Liu. lib. 31. *Quicquid sancti, amœniue circa vrbem erat, incensum est, dirutáque non tecta solùm, sed etiam sepulcra: nec diuini humaniue iuris quicquam præ impotenti ira est seruatum.* Quò confero verba Plut. in vita Periclis, ἀποτεμεῖν τὴν ἱερὰν ὀργάδα. Bellū quippe fecerat, vt tellus sacra deinde araretur. Duci id in longum posset, omitto. Addo & quiddam. Fortasse hæc arbor erat pro limite. Plin. lib. 2. cap. 11. *Arborum in limitibus porrectarū.* Sic fiet oppositio pulchra. Nam sicut Turnus postea arripit lapidem, qui pro limite, profanata re sacra: ita Troiani profanant arborem limitarem.

Bellum omnia profanat.

Arbores pro limitibus.

Imitatio.

21. DIXIT, OPEMQVE DEI, &c.] Hic versus continet eandem sententiam, quam Homericus 1. Iliad.
Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων:
Sic dixit precabundus, audiuit autem illum Phœbus Apollo.
Pindar. Od. 1. Olymp. flexu hoc,
Οὐδ' ἀμφάντοις ἐφάψατ' ὦν ἐπέων:
Neque attigit verbis irritis.

22. MORSVS.] Ea forma, qua fibula dicitur mordere.

Lectio Virgiliana.

23. FACIEM MVTATA.] Aliqui *mentita.* Possunt. Sidon. Pan. Maior. *Antiquum mentitus ebur.*

Imitatio.

24. FRATRIQVE ENSEM DEA DAVNIA REDDIT.] Homeri locus 1. Iliad. vbi Pallas Ἀχιλλῆϊ δίδε, *dedit Achilli* χάλκεον ἔγχος, *ænem hastā,* quæ ἐν γαίῃ ἐπάγη, *in terra hæserat,* & quam Dea ipsa ἥρπασε, *euulsit.*

25. INDIGNATA.] Affectu mortalium ad indicandam vim iræ. Ita & Iuppiter 7. Æneid. *aliquem indignatus ab vmbris,* &c.

Lectio Virgiliana.

26. ASSISTVNT.] Ita de Camilla, *paribúsque assistit in armis.* Qui versus firmat lectionem loci huius, vbi malè aliqui *insistunt.*

27. MARTIS.] Ad αὔξησιν. vt Eurip. de expeditione Troiana in Elect. ἄρας ναυσὶ χιλίαις Ἄρη: *portans Martem mille nauibus.*

ᵃ Iunonem interea Rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulua pugnas de nube tuentem.
ᵇ Quæ iam finis erit coniux? quid denique restat?
Indigetem Ænean scis ipsa, & scire fateris
Deberi cœlo, fatísque ad sydera tolli?
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
Mortalin' decuit violari vulnere Diuum?
Aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)

SSs 4 Ereptum

Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
Desine iam tandem, precibúsque inflectere nostris.
Nec te tantus edat tacitam dolor, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
[d] Ventum ad supremum est. terris agitare, vel vndis
Troianos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & luctu miscere Hymenæos.
Vlteriùs tentare veto. sic Iuppiter orsus,
Sic Dea submisso contrà Saturnia vultu.

ARGVMENTVM.

Iuppiter Iunonem hortatur desinat à fauentia Turni.

EXPLICATIO.

[a] SPECTABAT id temporis de nube pugnas Iuno auida tuendi Turni, illam Iuppiter adit, & alloquitur.

[b] Hæc oratio tota destinatur ad Imperium Iuliorum, quod pendebat à victoria Æneæ. Exorsus orationis est à tædio ipsius Iouis iam longo bello fatigati. *Quæ finis,* &c. *quid restat?* &c. Statim vt Iunonem amoueat ab inani studio & spe, qua hæret in nubibus, ait, fatale iam esse, vt Æneas sit Deus indiges, rapiendúmque in cœlum, vt colatur tanquam Deus, quod & Iuno ipsa sciebat, & se scire fatebatur. Ergo, si ipsa scis futurum Deum, & hoc à fatis didicisti, *quid struis?* quæ tua inanis, & verè gelida spes, non minùs ac nubes sunt gelidæ, in quibus *hæres?*

[c] Proponit illi deinde ante oculos, quæ Iuno ipsa & contra decorum fecerit, & contra fata. Contra decorum. Nam non decuit Ænean Diuum futurum violari mortali vulnere. Contra fata. Nam redditus est Turno ensis, qui priùs ereptus, vt ita vis victo cresceret. Cùm ait *ereptum ensem*, satis indicat, non tam præcipitantia Turni id factum, quàm Deorum voluntate, & fato. Atqui id Iuturna fecerat. Verè, sed (*quid enim sine te* Deorum maxima *Iuturna* Numen inferius *valeret?*) tu veriùs, quàm illa, fecisti. Ergo, si te agentem contra decorum, & fata ego ipse pertuli, cur non tu tandem inflectaris meis precibus? cur non iam desinas? cur te magnus exedit dolor? & quidem tacitam. imò *tristes tuæ curæ recursent ad me sæpe ex dulci tuo ore*, id est, age mecum, vt coniux, & cum coniuge, deférque ad me querelas tuas, & curas, vt solent, qui verè amant. Hæc enim res mihi erit dulcissima.

[d] Post peramicam admonitionem, iam tandem Iuppiter cum imperio, ne sit locus tergiuersationi, & quasi rationem reddat tantæ seueritatis, cum qua imperat, proponit illi, quæ fecerit ipsa contra iustum, & fas. Agitasti Troianos terra, & mari, accendisti infandum bellum, deformasti domum Latini tot funeribus, miscuisti nuptias luctu & sanguine, fecisti tot atrocia me dissimulante. Quid ergo mirum, si iam seuerè imperem? *vlteriùs tentare veto.* Ad tam grande imperium Iuno vultum submisit.

NOTÆ.

Imitatio.

1. IVNONEM INTEREA, &c.] Multa sunt in A Hom. loca, ad quæ potuit alludere. Omitto, & profero Cal. lib. 4.

> Καὶ τότε δὴ Κρονίωνα κλυτὴ προσεφώνεεν Ἥρη,
> Ζεῦ πάτερ ἀργικέραυνε, τίη Τρώεσσιν ἀρήγεις;
> *Interea Iouem alloquitur Iuno inclyta.*
> *Iuppiter fulminator, cur Troianis auxilio es?*

Cum intuitu ad Virg. Valer. 4. Argon.

> *Atque ea non oculis Diuûm Pater amplius æquis*
> *Sustinuit: namque pios miseratus amores,*
> *Iunonem ardenti trepidam grauis increpat ira.*

2. PVGNAS DE NVBE TVENTEM.] Ita Iuppiter 6. Iliad.

> Εἰσορόων Τρώων τε πόλιν, καὶ νῆας Ἀχαιῶν:
> *Cernens & vrbem Troianorum, & naues Græcorum.*

& Opis Virgiliana 11. Æneid. *spectátque interrita pugnas.*

3. DE NVBE.] Ex decoro cœlestis Numinis. Ita dicto loco Iuppiter, κατὰ δ' ἠέρα πολλὸν ἔχευεν: *circumfudit sibi crassum aërem.* De Musis Hesiod. Theog. κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῷ: *opertas multo aëre.* Vide in 11. ad illud, *circumdata turbine corpus.* & quæ dixi in 1. vbi Venus filium sepit nube.

Indigetes Dij.

4. INDIGETEM ÆNEAN.] Sunt indigetes, quos Græci vocant ἀνθρωποδαίμονας, id est, *factos Deos assumptósque ex hominibus.* Dicuntur etiam Græcis θεοὶ ἐγχώριοι, id est, *indigenæ.* quæ vox propiùs accedit Latinis *indigetibus*, id est, inde genitis. Sed quare hi Dij dicuntur aut *indigetes*, aut *indigenæ*, aut *inde geniti?* Rem duco à prisco æuo, & fabula Deucalionis, scribente ita Pind. Od. 9. Olymp.

> Ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδος
> φύτλας κοῦροι, κορᾶν τε φερ-
> τάτων Κρονιδᾶν, ἐγ-
> χώριοι βασιλῆες αἰεί.

Indigenæ Reges extiterunt iam inde ab initio, & stirpe Deucalionis, atque ex eo tempore dicti sunt viri & feminæ Iouis filij. Sententiam reddidi. Itaque, quia Reges, qui dicti sunt filij Iouis, dicti sunt indigenæ, quia geniti à iactis lapidibus; factum, vt deinde, qui ex hominibus assumpti in Deos sunt, dicantur indigenæ, vt qui non suo iure nati sint Dij, sed alterius beneficio, veluti illi inde geniti ex terra. Ideo etiam Græcis dicuntur αὐτόχθονες, atque *Opici*, quia terra Græcis est ὦπις, verè ἐγγενεῖς. Quod genus Numinum expressum à Dinarcho contra Demosthenem, vocante ἥρωας ἐγχωρίους.

Opici Dij.

Sed de vno imprimis Ænea clamant Romani Scriptores. Dionys. enim lib. 1. ait, raptum ab amne Numico, Deúmque factum, illique dicatum sacellum, & cum inscriptione, qua appellatus est Deus indiges. Liuius etiam de Ænea: *Situs est, quemcunque eum dici ius fásque est, super Numicum flumium, Iouem indigetem appellant.* Itaque appellatus est Æneas, non solùm *Heros indiges*, sed *Iuppiter indiges*. Tibull. Eleg. 6. lib. 2.

Æneas Deus indiges.

Illic

A

Illic sanctus eris, cùm te veneranda Numici
Vnda Deum cœlo fecerit indigetem.

Ouid 14. Metamorph. de eodem Ænea,

——quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, templóque arísque recepit.

Vsitatum veteribus Gentilibus, vt quem summè vellent honestare, Deum indigetem facerent. Ita Thetis in Androm. Eurip. promittit Peleo, fore vt euadat in ἀθάνατον. & Rhesus apud eundem Eurip. fit ἀνθρωποδαίμων. Demum, cùm Virg. assumpserit Heroëm Ænean, noluit vt hic esset inferior Achille, quem factum Deum clamant Poëtæ Græci, intérque alios Eurip. in Androm. Sed in exitu Notæ aperio Gentilium vulnus. Ethnicos ea gloriæ ambitio inuasit, vt, quò Dij haberentur, in cladem aliquam voluntarij incurrerent, ea cautione, vt à nemine alio viderentur. Sic fiebat, vt cùm disparuissent, putarentur rapti relatique in Deos. Non alia fuit mens Romanorum in diuinitate Romuli, qui raptus περὶ τὸ τῆς αἰγὸς ἕλος, *ad paludem Capræ*, ait Plut. in vita Camilli, quod latiùs idem in vita Romuli. Sciunt omnes, quid iactatum sit de Empedocle. Omitto, & adduco narrationem Nazianzeni Orat. 2. contra Iulianum, qui cùm de rebus Persicis desperaret, se in fluuium voluit coniicere captus gloriæ cupiditate, & fecisset, nisi illi obuiam itum à præsentibus esset. Inde absoluit sacer Scriptor, nisi illius conatibus fuisset restitum, κἂν ἐγένετο τοῖς ἄλλοις τοῖς ἀνοήτοις θεὸς νέος ἐξ ἀτυχήματος: *nouus vtique ex calamitate Deus stolidis hominibus exstitisset.* (Ethnicorum ambitio.)

5. Et scire fateris.] Etiamsi hostis. Ouid. 2. Metamorph.

——ipsa licet hoc à Pallade quæras,
Quamuis irata est, non hoc irata negabit.

Et Eclog. 3. de hoste Damone, *ipse fatebatur*.

6. Deberi coelo.] Vide quæ Neptunus ad Thetin apud Cal. lib. 3. de diuinitate Achillis, à quibus non absimilia quæ hîc scribuntur.

7. Mortalin decuit, &c.] Versus planè Eurip. Orest. (Imitatio.)

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτείᾳ χερί;
An aliquis Deorum sauciabitur manu mortali?

Et in Medea dixit,

Θεοὺς δ' αἷμα πιτνεῖν οὐ θέμις ὑπ' ἀνδρῶν:
Nefas est Deorum sanguinem cadere ab hominibus.

Sententia Virgiliana contraria est illi, quæ lib. 9.

Mortaline manu factæ immortale carinæ
Ius habeant?——

8. Edat.] Locutio ducta à Græcis. Hom. 6. Iliad. θυμὸν κατέδων: *edens animum.* & 24. ἔδεαι κραδίην: *exedes cor.* Aristoph. in Vesp. μὴ σαυτὸν ἔσθιε: *ne te exede.* Huic vicinæ locutiones illæ, quas attuli 7. Æneid. ad illud, *curæq́, iræq́, coquebant.* Quibus adiunge Aristophanem, qui laudato loco ad rem eandem ἐγχυτρίσιν. Est enim ἐγχυτρίζειν, non solùm *interficere*, sed etiam *animum curis angere*; ductum ab his feminis, quæ Græcis dicuntur ἐγχύτριαι, quòd in ollis infantes coquerent. (Edo, ad animum.)

9. Curæ recursent.] Ita lib. 1. *cura recursat.* (Recurso.)

B

Stat. 1. Theb. *recursans cura.* & lib. 8. flexu alio, *redeunt curæ.*

10. Potuisti.] Signatè, vt quæ iam non possit. Sic vulgò *vixit*, vt qui iam non viuat & *fuit Ilium*, vt quod iam non sit. (Potuisti.)

11. Infandum accendere bellum.] Respiciunt ista, quæ dicta sunt 7. Æneid.

12. Luctu miscere Hymenæos.] Propter illud 7.

Sanguine Troiano & Rutulo dotabere virgo;
Et Bellona manet te pronuba.——

Iterum:

Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos
Egregium Veneris genus, & Rex ipse Latinus.

Eurip. in Hippol. dixit, φονίοις ὑμεναίοις, *cruentis Hy-*

C

menæis.

13. Veto.] Videtur hæc fuisse vox solemnis Iouis: nam lib. 10. *Quæ contra vetitum discordia?* Hoc interdictum, quod sit explicat Eurip. Hipp. (Veto, vox Iouis.)

——θεοῖσι δ' ὧδ' ἔχει νόμος,
Οὐδεὶς ἀπαντᾶν βούλεται προθυμίᾳ
Τῇ τοῦ θέλοντος, ἀλλ' ἀφιστάμεσθ' ἀεί:
——Diis enim hæc est lex, (Deorum lex.)
Nemo vult occurrere cupiditati
Volentis, sed cedimus semper.

Dicuntur ista ore Dianæ. Itaque lex Iouis vetabat, ne quis Deus Deo alteri obuiam iret, sed omnes cederent. Quanto ergo potiùs Ioui ipsi?

a Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas
Iuppiter, & Turnum, & terras inuita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
Digna, indigna pati: sed flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traherémque inimica in prælia Teucros.
b Iuturnam misero (fateor) succurrere fratri
Suasi, & pro vita maiora audere probaui:
Non vt tela tamen, non vt contenderet arcum.
Adiuro Stygij caput implacabile fontis,
Vna superstitio Superis quæ reddita Diuis.
Et nunc cedo equidem, pugnásque exosa relinquo.
c Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum,
Cùm iam connubiis pacem felicibus (esto)
Component, cùm iam leges, & fœdera iungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrósque vocari,

Aut

Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula Reges,
Sit Romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.

ARGVMENTVM.

Pares Iuno, petitque, vt Latij nomen, Albæ, & Romæ perpetuum in Italia sit, abolito Troianorum.

EXPLICATIO.

a NON *voluntas*, sed *voluntas magna*, videlicet ad signandum grande illud imperium, *vlterius tentare veto*. Ergo ait Iuno, cùm scirem, te non leuiter id velle, *reliqui Turnum, & terras*, quamuis *inuita*. Respicit in hac abitione ad illud, quod præcessit in hoc libro, *sic exhortata reliquit incertum*. Adiicit., vt Iouis animum demereatur. An, nisi tua esset voluntas, paterer tot indigna? sederem otiosa in hac nube? an non potiùs flammis cincta in ipsa starem acie, & Teucros traherem in mille clades belli?

b Fatetur iam Iuno quæ fecerit in gratiam Turni, abnuit quæ non fecerit; nam hæc duo Iuppiter obiecerat. Feci, vt Iuturna succurreret *fratri*, & *misero*. Vtrumque ἐμφατικῶς. Nam cui subueniendum, si non fratri, & in miseria? & *probaui vt maiora auderet pro vita* fratris (Seruius non placet) respicit illud,

Tu pro germano si quid præsentius audes.

Id est, siquid maius, & maximum. En confessio. Sequitur abnutus. Vt ipsa Ænean percuteret, vt in acie se ostentaret, minimè suasi. Ipsa, me non iubente, fecit sagittam ab incerto mitti. Firmat hoc iuramento paludis Stygiæ, quod vnum superest Diis immortalibus, aliis abolitis. Nec solùm firmat iuramento, sed & re ipsa: nam,

Et nunc cedo equidem, pugnásque exosa relinquo.

c Postquam iam satis demeruit coniugem, petit; vt Troiæ & Troianorum nomen aboleatur; persistat Latij, Albæ, Romæ. Sed quibus rationibus expugnat Iouis animum? Prima, *hoc nulla fati tenetur religione*. est ergo in tua potestate; & tu quidem semper prætendis fata: hic non potes. Altera, *pro maiestate tuorum*. Nam qui magis tui, quàm pater Saturnus, qui ab suis latebris Latio nomen indidit? Tertia. Nónne connubia, quæ felicia esse vis, & fœdera, quæ æterna, fœdabuntur, si Latini mutent nomen, vocem, vestes? quippe pro his tribus anxia est Iuno. Vult enim, præter nomen, retineri etiam vocem patriam & Latinam, nec vt Asiatica lingua inducatur: vt vestes etiam, ne exotica & mollia Asianorum indumenta Italiæ virtutem labefactent, ideo adiicit,

Sit Romana potens Itala virtute propago.

Quarta demum ratio. Iam *Troia occidit*, cur eius nomen reuiuiscat?

NOTÆ.

Digna, indigna.

1. DIGNA, INDIGNA.] Id est, omnia pati, idque prouerbialiter. A qua forma non abeunt millenæ similes. *Fanda, nefanda: fanda, infanda: aqua, iniqua: facta, infecta*, &c.

A 2. FLAMMIS CINCTA.] Qualis Iuno eadem describitur 2. Æneid. ad Scæas portas, *ferro accincta*.

3. TRAHEREM.] Alludit ad vetus illud, φέρειν, ἄγειν: Vide me 2. Æneid. ad illud, *rapiúntque, ferúntque*. & Demosthenem contra Aristocratem, vbi sæpe hanc formam.

Homeri vitium.

4. NON VT TELA TAMEN.] Hic versus mihi scriptus videtur cum quadam Homeri sugillatione, quòd is à monomachiis Deorum non abstinuerit, propter quod fuerit Homerus ab hominibus sui temporis dictus est, quòd immodestiùs Deorum pugnas, & vulnera describeret. Maro contentus studia Deorum affectare, pugnas omisit, veritus similem calumniam. De hac re, præter Scaligerum, doctè Nann. scripsit lib. 6. Miscell. ad finem. Mitto Platonem, & Dionem Chrys. qui carpunt acriter hanc B Homeri licentiam.

Imitatio.

5. ADIVRO STYGII CAPVT, &c.] Ab Hom. qui 15. Iliad.

Ἴστω νῦν τόδε γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος
Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι:
Sciat nunc hoc terra, & latum cælum desuper,
Et subter labens Stygis aqua, quod maximum
Iuramentum, horribiléque est beatis Diis.

Styx cur assumatur in iuramentum Deorum.

Dignitatis huius duplex est ratio. Prima poëtica, altera naturalis. Poëtæ enim dicunt ab Styge patefactam Ioui coniurationem qua Dij inter se connexerunt de vinciendo Ioue, illique in eo periculo adfuisse, & inde ab Ioue datum honorem hunc his aquis, ab fide, quæ in illis fuit. Sed naturæ mystes C Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 3. excutiens Thaletis opinionem, qui dicebat, aquam rerum esse principium, ita repræsentat θεολογησάντων quorumdam opinionem. ὠκεανόν τε γὰρ, καὶ Τηθὺν ἐποίησαν τῆς γενέσεως πατέρας, καὶ τὸν ὅρκον τῶν θεῶν ὕδωρ, τὴν καλουμένην ὑπ' αὐτῶν Στύγα τῶν ποιητῶν. τιμιώτατον μὲν γὰρ τὸ πρεσβύτατον. ὅρκος δὲ τὸ τιμιώτατόν ἐστιν: *Oceanum & Tethyn generationis parentes fecerunt. Iusiurandum quoque Deorum, aquam esse, Stygem ab ipsis Poetis vocatam. Honorabilissimum enim, quod antiquissimum est; iusiurandum autem honorabilissimum est.* Quæ porrò pœna statuta in Deos esset, qui iuramentum hoc fregissent, latè persequitur Hesiodus.

Superstitio.

6. SVPERSTITIO.] Non vulgariter capias, vide vt explicui, tantùm enim dicit, hanc vnam religio- D nem Superis fuisse superstitem, cùm semel assumpti in Deos sunt, vt se obligent iuramento, cùm reliquas mortalium leges exuerint: vnam enim fidei legem nunquam deposuerunt.

Redditum, quid sit.

7. REDDITA.] Scholion Seruij est, *Reddita, hoc est, data*. Sed falsum scholion. Germanus doctè ex Passeratio vocem propriè accipit hac sententia: vt loca infera, hac vna ducta de Styge religione, videantur retaliare pro infinitis aliis cœli in terram potestatibus. Terra quippe ancilla est cœli, & illi subiecta; Dij etiam inferi dicuntur cœlestibus ancillari: sed hic vnus religionis metus incussus Diis reddit restituítque infernis, & verè retaliat quicquid aliunde inferno detrahitur à cœlo. De Syge Lucan. lib. 6. *Superimque sibi seruare timorem*. Nam tametsi inferni

ferni cœlos timeant, ſed hac vna in re cœli infernum timent. Iuppiter apud Stat. lib. 3.

Arcem hanc æternam, mentiſque ſacraria noſtra
Teſtor. & Elyſios etiam mihi Numina fontes.

Imitatio. 8. ET NVNC CEDO EQVIDEM, &c.] Tale quidpiam Dij ad orationem Themidis apud Calab. 12.

Ὑσμίνης δ' ἔσχοντο, χόλον δ' ἀπὸ νόσφι βάλοντο
Ἀργαλέον, φιλότητα δ' ὁμήθεα ποιήσαντο:
A pugna deſtiterunt, irámque abiecerunt
Difficilem, inierúntque amicitiam familiarem.

9. NE VETVS INDIGENAS NOMEN MVTARE.] Petit, quod non contra fatum, ſed certè contra morem. Sall. Iugurth. *Africa pars inferior pleraque ab Numidis poſſeſſa eſt: victi omnes in gentem nomenque imperantium conceſſere.* Itaque nomen ſequitur victores. Hunc morem vult Iuno aboleri.

Nomen ſequitur victores.

Vertere, pro, mutare. 10. VERTERE VESTES.] Elegantiſſimè pro *mutare.* Tertull. de Cultu feminar. *capillum croco vertere.* Propert. Eleg. 18. lib. 2.

Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.

Mutatio veſtis ſemper luctuoſa. Sed quare mutari veſtes non vult Iuno? quia hæc mutatio ſemper luctuoſa. Sic tritum illud, & aliquando vſurpatum ab Tullio, *mutare veſtem in luctu & temporibus Reip.* Sic & *ſolum vertere*, pro ire in exſilium. Græci μεταβάλλειν ἐσθῆτα. Plut. in vita Camilli. ὁ δὲ δῆμος, γενομένου τούτου, μετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, σχῆμα γενόμενον ἐπὶ συμφοραῖς μεγάλαις καὶ δημοσίαις: *Plebs deinde veſtem mutauit, quod, niſi in grauibus & publicis calamitatibus, fieri non ſolet.* Eurip. in Helen. ad rem eandem vſurpat duo alia verba; videlicet ἀνταλλάττειν & ἀμείβειν. Ait enim,

Πέπλων τε λευκῶν μέλανας ἀνταλλάξομαι:
Mutabo cum nigris veſtes candidas.

Et,

——πέπλους μέλανας ἐξῆψω χροὸς
Λευκῶν ἀμείψασα:——
——*induiſti corpus nigris veſtibus*
Cum albis commutans.——

Seculum, vnde dictũ. 11. SECVLA.] Si etymon ſequaris adimenda eſt diphthongus. Nam *ſecula* dicta à *ſequendo*, vt *regula* à *tegendo*, *regula* à *regendo*. neque impedit mutari menſum ſyllabæ.

12. SIT ROMANA POTENS, &c.] Elogia virtutis Italorum, quæ pertinent ad fortitudinem, dixi abundè 2. Georg.

[a] Olli ſubridens hominum, rerúmque repertor.
Et germana Iouis, Saturníque altera proles,
Irarum tantos voluis ſub pectore fluctus.
Verùm age, & inceptum fruſtra ſubmitte furorem.
Do quod vis, & me victúſque, volénſque remitto.
[b] Sermonem Auſonij patrium, moréſque tenebunt,
Vtq; eſt, nomen erit: commiſti corpore tantùm
Subſident Teucri: morem ritúſque ſacrorum
Adiiciam, faciámque omnes vno ore Latinos.
[c] Hinc genus, Auſonio miſtum quod ſanguine ſurget,
Supra homines, ſupra ire Deos pietate videbis.
Nec gens vlla tuos æquè celebrabit honores.
[d] Annuit his Iuno, & mentem lætata retorſit,
Interea excedit cœlo, nubémque reliquit.

ARGVMENTVM.

Annuit Iuppiter Iunoni, laudat genus Romanum, læta diſcedit Iuno.

EXPLICATIO.

[a] IVPPITER Iunoni riſit, imò *ſubriſit*, in quo blandulum quiddam & amatorculum. Sequentes duo verſus hanc habent ſententiam. Retines iras, voluiſque illas diu ſub pectore, tanquam fluctus, tum quia germana es Iouis, tum quia Saturni poſt me filia. Innuit videlicet nobiliſſimos & verè Regios retinentiſſimos eſſe irarum. Sed huic rationi obuiam it, quod ſequitur, *verùm age*, &c. Quaſi dicat Iuppiter: Poſſem ego quoque eſſe implacabilis, ſed vide, vt dem, quod vis, vt victus & volens remittam: tu ergo meo exemplo *furorem inceptum ſubmitte*, cùm præſertim *fruſtra* inceperis, nam fatis pugnantibus.

[b] Petiuerat Iuno nomen vetus retineri, patrium ſermonem, patrias veſtes. Concedit omnia Iuppiter. Primum illis, *Vtq; eſt, nomen erit.* Alterum illis, *tenebunt Auſonij ſermonem patrium.* Tertium illis, *tenebunt patrios mores.* Troiani verò, addit Iuppiter, dabunt Italis res duas, videlicet corpora ad nuptias, & ritus ſacrorum. Iuxta illud Æneæ in fœdere. *Sacra Deóſque dabo.* Demum adiicit, *faciámque omnes vno ore Latinos.* Ac ſi dicat: Petiueras nomen vetus retineri, & ſermonem veterem; plura do tibi, nam faciam, vt victores nomen amittant ſuum, & ſint Latini, ideo *faciam omnes Latinos*: vt linguam amittant ſuam, ideo *faciam vno ore.* Ergo, tantùm abeſt, vt mutent nomen, & ſermonem victi, vt etiam victores ipſi vtrumque mutaturi ſint.

[c] Dixerat, miſcenda corpora: iam diuinans ait, ab hac miſtione futurum genus, quod vincat homines reliquos, quod adhuc Deos ipſos (laus exorbitans, ſed ferenda in hoc Vate, eximio Auguſti ſui blanditore) pietate ſuperet. Vt verò demereatur Iunonem, adiicit, ab hac gente eam impensè colendam.

[d] Annuit Iuno omnibus, & mentem retorſit à fauendo Rutulis læta de honore ſuo; exceſsítque inde nihil iam bella curans, ne ſe præbens ſpectatricem.

tricem. Ecce, quò reciderunt immensæ Iunonis iræ; sopitæ omnes sunt vna Iouis voluntate. Innuit certè Poëta, nihil supra Deum esse.

A

NOTÆ.

1 Olli.] Audi verba Varronis lib. 6. Ling. Lat. *Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. Quod alterum comitiis, cum recitatur à præcone dicitur, olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictiuis, cum dicitur, ollus letho datus est, quod Græcus dicit λήθῃ id est, obliuioni.*

Ollus, pro, ille. Olla, pro, illa.

2. Subridens.] Ita lib. 1. Æneas inducitur *subridens* Veneri, quo loci notant interpretes decorum; nam Iuppiter *subridet*, non effusè ridet, notántque Homerum, apud quem Iuppiter 5. Iliad. μείδησεν. Is imprimis est interpres Nascimb. Sed quidem Homerus alibi ἐπιμειδιάσας, *subridens.* & 8. Iliad. Iuppiter ἐπιμειδιάσας, *arridens. &* apud Callim. πατὴρ γελάσσας. & apud Eurip. in Taur. γελᾷ.

Subrideo.

3. Rervmqve repertor.] Annon Dij alij repertores multarum rerum, atque artium? Mitto, dici posse, repertionem rerum ab vno Ione manasse in reliquos Deos, ac propterea illum κατ' ἐξοχὴν dici posse repertorem, vt quo inspirante alij res inuenerint, quod alibi à me probatum, & illustratum. Sed hoc (inquam) misso, applaudit vehementer, vt dicatur *rerum repertor*, quòd ætatem auream Saturni vberem, & bonis omnibus affluentem repetesserit, vt quisque sibi necessaria compararet inuentis artibus. Extant huius rei luculenti versus 1. Georg.

Iuppiter cur repertor rerum.

——pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit. primúsque per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui passus sua Regna veterno.

Subiicit multa, & tandem addit,

Vt varias vsus meditando extunderet artes.

4. Proles.] Ducit hanc vocem à *porrò*, & *olescendo*, vt etiam *proletarios*, aliqui scribunt. in his Ioann. Passerat. in Propert. Ad sententiam, quam hîc expendi de Principibus retinentissimis irarum, adducit Seru. Dan. locum Hom. 1. Iliad. vbi Calchas ait de principe viro, μετόπισθεν ἔχει κότον: *seruat iram in posterum.* Et tu poteris Tacitum 5. Ann. vbi ait, præpotentes retinere iram *in longum.* Sed rem hanc alibi ego.

Proles, vnde.

5. Irarvm volvis svb pectore flvctvs.] Illustrat Iacob. Pontanius ab Lucret. qui,

Irarum fluctus.

Constitues magnos irarum voluere fluctus.

& Liuio lib. 35. *Ingentes iam diu iras eum in pectore voluere.*

6. Vervm age.] Notetur locutio Eurip. in Elect. qui pro *age*, dicit βάλε, eo versu.

Age.

Βάλε, πρόσπτυξον σῶμα θανόντος.

Age, complectere corpus mortui.

Quæ vsurpatio quadrat hunc in locum Iouis: *age, furorem dimitte.* quasi dicat, βάλε θυμόν: *iram abiice.*

7. Fvrorem.] Furor ferarum est. Ergo, qui à mari dixerat *irarum fluctus*, commodè nunc *furorem*, quia Græci mari dant iras ferarum, nam de vndis ἀγριαίνω, & ἀγριαίνειν; quasi mare instar belluæ videatur efferari. Sic etiam vndæ maris dicuntur θυμιάζ. & θυμὸς quidem ferarum est, nam & equo dat Xenophon, & leoni Homerus. Ab his itaque mutuis ferarum & maris locutionibus Virg. iras Iunonis comparat cum maris fluctibus, & furore bestiarum.

Furor, de feris, & Mari.

8. Remitto.] Locutio fortasse sumpta ab arcu, qui *remitti* dicitur cum oppositione ad contentionē.

9. Commisti corpore.] Ab Græcis, qui omnem in genere συνουσίαν, & eam præsertim, qua vir cum coniuge συνέζευκται, vocant μίξιν, *mistionem.* Quin magna est in Virg. proprietas, nam propriè vir mulieri μίγνυσθαι dicitur, non mulier viro. Homerus enim 6. Iliad. de Bellerophonte,

Mistio περὶ τῆς συνουσίας.

ὅς μ' ἐθέλεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ.

Scio hæc interdum confundi: nam Virg. lib. 7. *Mista Deo mulier.*

10. Svbsident Tevcri.] Notaui alibi hoc verbo significari domicilium, quod adquiritur, ex Suetonio, & aliis. Est hæc est mens Virg. vt Troiani in Italia domicilium habeant. Notanda hîc proprietas Virg. qui post illud *commisti corpore*, adiicit, *subsident*, quod etiam verbum ad συνουσίαν pertinet.

Subsideo, notat domicilium.

B

11. Pietate.] Quasi ab vno Ænea in familiam Iuliorum pietas redundarit. Et *supra Deos* ait, quia non solùm Æneas, sed multi ex Iuliis assumpti in Deos, Ethnico errore.

12. Nec gens vlla tvos, &c.] Refert Germ. ἡραῖα hæc, id est, *Iunonia*, ad templum huius Deæ, quod in Auentino, quæ sacra celebrata magna Populi Rom. propensione. Profértque locum Val. Max. è lib. 1. Vide quæ dixi 1. Æneid. de *Iunone Regina.*

Iunonia sacra.

13. Et mentem lætata retorsit.] De eadem Iunone Ouid. 14. Metamorph. & in re eadem:

Assensere Dei, nec coniux Regia vultus
Immotos tenuit, placatóque annuit ore.

Sed Virg. locus illustratur vnicè ab Horat. Od. 3. lib. 3.

C

Nostrísque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus & graues
Iras, & inuisum nepotem,
Troïca quem peperit Sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere Nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter sæuiat Ilion,
Romámque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati;
Dum Priami, Paridísque busto
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ. stet Capitolium
Fulgens, triumphatísque possit
Roma ferox dare iura Medis.

D

Volui integrum locum, quia integer aspirat ad totum hunc Virg. tractum. Vult enim Iuno Horatiana aboleri nomen Troianorum, vt suprà,

Occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.

Nepotes tamen inde natos obtinere Romanum Imperium: sed & Romulum abscribi in Deos patitur. mutauit quippe Ænean in Romulum. Post aliqua Iuno eadem,

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pij,
Rebúsque fidentes, auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.

E

Sed & huius Deorum reconciliationis locus est in Eurip. Troadib. vbi Minerua acerrima Troianorum inimica, fauénsque Græcis, vertit vela amoris, & Odij: ait enim,

Locorum similitudo.

Τοὺς μὲν πρὶν ἐχθροὺς Τρῶας εὐφρᾶναι θέλω,
Στρατοῦ δ' Ἀχαιῶν νόστον ἐμβαλεῖν πικρόν:
Troianos quidem priùs inimicos volo exhilarare,
Exercitui verò Græcorum dare tristem reditum.

Est & locus eiusdem reconciliationis duplex in Propertio. Primus Eleg. 10. lib. 4. vbi de Hercule,

Sancte Pater salue, cui iam fauet aspera Iuno.

Alter

Alter Eleg. 3. lib. 3.

Victricésque moras Fabij, pugnámque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota Deos.

His locis omnibus contrarius est ille Horatij Od. 5. lib. 1.

——heu quoties fidem,
Mutatósque Deos flebis, &c.——

14. LÆTATA.] Vt quæ facilis in condonando. Vide illud 3. Ecl. *faciles Nymphæ risêre.*

15. MENTEM RETORSIT.] Illustrat Germ. ab Hom. qui Iliad. 15. μετέστρεψε νόον. Ibid. στρεπταὶ φρένες. & 17. νόος ἐτράπετο. & 10. ἐτράπετο φρήν. Torquere mentem.

ᵃ His actis, aliud genitor secum ipse volutat,
Iúturnámque parat fratris dimittere ab armis.
ᵇ Dicuntur geminæ Pestes cognomine Diræ,
Quas, & Tartaream Nox intempesta Megæram
Vno eodémque tulit partu, paribúsque reuinxit
Serpentum spiris, ventosásque addit alas.
ᶜ Hæ Iouis ad solium, sæuíque in limine Regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris,
Si quando lethum horrificum, morbósque Deûm Rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes.
ᵈ Harum vnam celerem demittit ab æthere summo
Iuppiter, inq; omen Iuturnæ occurrere iussit.
ᵉ Illa volat, celeríque ad terram turbine fertur:
Non secus ac neruo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sæui Parthus quam felle veneni,
Parthus, siue Cydon telum immedicabile torsit
Stridens, & celeres incognita transilit vmbras:
Talis se sata Nocte tulit, terrásque petiuit.
ᶠ Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in paruæ subitò collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per vmbras.
ᵍ Hanc versa in faciem Turni se Pestis ad ora
Fertque, refertq; sonans, clypeúmque euerberat alis.
Illi membra nouus soluit formidine torpor,
Arrectæq; horrore comæ, & vox faucibus hæsit.

ARGVMENTVM.

Placata Iunone, vult aliter Iuppiter Iuturnam depellere ab fauendo fratri: itaque vnam Dirarum (quibus ministris Iuppiter vtitur ad mortalium perniciem) ad Turnum mittit, quæ, versa in noctuam, miserum terret.

EXPLICATIO.

ᵃ MAGNVM decus in omnibus.] Vde quo verborum lenocinio Iunonem auerterit à fauentia Turni, quippe vxorem. In depellenda Iuturna res longè alia, quippe terrestri Dea. Inde de illa *dimittere*, vt quam habeat contemptui.

6. Dicit, duas esse Pestes, cognominatas Diras, quas vno partu (ideo *geminas* vocat) vnà & Megæram Nox edidit. Describit vtique tres Furias, quæ dictæ Alecto, Tisiphone, Megæra. Has Poëta canit incinctas serpentibus, & alis ornatas: illis ad noxios mulctãdos, istis ad celeriter exsequenda Iouis mandata.

ᶜ Describit harum munus. Sunt enim apparitores Iouis, cùm ille sæuus contra mortales est, adstántque ad illius limina, terrorémque afferunt mortalibus, quoties ille molitur lethũ, morbos, bellũ. Vides, vt breuiter Poëta descripserit tres Furias à natalibus; nam filiæ Noctis: ab apparatu; nam cũ spiris, & alis: ab officio; nam apparent ante soliũ Iouis, & ad eius limen: ab ab effectis; nã afferũt lethũ, morbos, bellũ.

ᵈ Harum vnam (non explicat, quæ ea fuerit) celeriter ab cœlo mittit, quæ Iuturnæ (contra quam hæc machinæ) omen visa afferret.

ᵉ En iam, cur dederit *alas ventosas.* Furia quippe *volat*, quã diceres delabi ad terrã instar turbinis celerrimi & procellosi, quia semper Furia cum nocumẽto. Adhibet cõparationem, vt explicet tum celeritatem, tum nocumentũ. Solet sagitta impelli à Parthis, aut Cydonibus ita celeriter, vt vmbras transiliat incognita; eáque cum felle venenato atque immedicabili. Talem puta Furiam, quæ è cœlo delapsa in terram est, tum cum alis ventosis, tum cum venenatis serpentum spiris, & *venenis Gorgoneis*, vt alibi Poëta.

ᶠ Vt primùm furia terras attigit, stetítque è regione agminis Turni, collegit vastam illam formæ magnitudinem in figuram paruam illius volucris, quæ serò canit importunissimè, aut in bustis mortuorum, aut in culminibus viuorum, sed desertis. Seruius noctuam intelligit.

ᵍ Tum dira auis se ad Turni ora sæpiùs obiecit, & cum insonante alarum strepitu, queis clypeum euer-

berabat: à quo monstro statim in Turno torpor *nouus*, id est, ingens ex formidine; arrectio comarum, ex horrore; vox hærens faucibus, ex metu.

NOTÆ.

Genitor, de Ioue. 1. GENITOR.] Simpliciter de Ioue. vt sup. *Audiat hæc genitor.* Alibi, *hominum sator, atque Deorum.*

Imitatio. 2. IVTVRNAMQVE PARAT, &c.] Locus mutuò acceptus ab Hom. 15. Iliad. vbi Iuppiter Irim mittit ad Neptunum cum hisce mandatis,

Παυσάμενον μὲν ἄνωχθι μάχης, ἠδὲ πτολέμοιο
Ἔρχεσθ' μετὰ φῦλα θεῶν: ——
Iube illum cessantem à pugna, & bello
Redire ad Deorum consortium. ——

Dimitti, militare verbũ. 3. DIMITTERE AB ARMIS.] Expendit Seru. id verbi. Obiter enim Poëta vsus est verbo historico, nam qui à militia relaxabantur, dicebantur, *dimissi ab armis*. Firmat ab Sallust. apud quem Cotta dicit, Appij opera se non vsurum in bello, *eumque ab armis*

Lectio Virgiliana. *dimisit*. Sed ego hîc expendo memoriam Virg. singularem, imò oculatissimum Poëtam. Mittitur enim hæc Furia, vt Iuturna ab armis discedat territa hoc omine, non vt Turnus. Memor quippe Poëta illius lib. 10. *Rex Iuppiter omnibus idem:* &, *sua cuique exorsa laborem Fortunámque ferent*. Itaque, si Pestis ista mitteretur directè contra Turnum, non iam *Iuppiter idem* fuisset vtrique duci. Neque impedit, territum quoque Turnum fuisse, nam hoc ex consequenti. Sed machina verè fabricata est in Iuturnã, non in Turnũ. C

Furiæ cur Pestes. 4. PESTES.] De Furiis locutus sum lib. 6. & 7. & in Georg. hîc solùm moneo dici *Pestes* ad significandas affectiones, quas ingerunt cordibus mortalium, quæ veræ sunt animarum pestes, putà auaritiam, odium, luxuriam, & mala reliqua. Inde de vna earum lib. 7.

——*cui tristia bella,*
Iræq́ue, insidiæq́ue, & crimina noxia cordi.

& postea longiore complexu,

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domos: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes: fœcundum concute pectus.

5. QVAS, ET TARTAREAM, &c.] Hæsi aliquando in dispositione horum versuum. Cur scilicet Poëta ita disposuit? *sunt geminæ Diræ, quas Nox edidit, simul & Megæram.* Nonne satius fuisset ita? *sunt tres Diræ, quas Nox edidit.* Ego existimo ita rem dispositam, vt intelligamus missam Megæram, aliter fri-

Megæra. geret hæc narratio. Itaque peculiariter eam nominauit, quam voluit mitti, vt hac peculiari ab aliis secretione Lector rem teneret. Firmabo hoc ad sequens illud, *Si quando lethum horrificum*, &c.

Furiæ filiæ Noctis. 6. NOX INTEMPESTA.] Ita lib. 7. Alecto dicitur *virgo sata Nocte.* quem locum vide. & inf. *Talis se sata Nocte tulit.* Ab Soph. in Colon. dicuntur Diræ filiæ γῆς καὶ σκότου, *Terræ, & Tenebrarum.* Hac de re in promptu est Hesiodus. Euripides in Herc. νυκτὸς ἔκγονον λύσσαν. & Iphig. in Taur. νύχια χθονὸς ἐκγονόματα φάσματα. Inde ab eodem in Orest. Furiæ dicuntur νυκτὶ E προσφερεῖς. nam videlicet proles similis est parenti.

Partu vno. 7. VNO EODEMQVE TVLIT PARTV.] Ita dictum ab Apollon. ὠδῖνι μιῇ. & ab Calab. quoque μιῇ ὠδῖνι: *vno partu*. & lib. 4. Epig. γαστρὶ μιῇ: *vno ventre.* notauit Germ. Sed & contractionem illam syllabicam imitatus est Prop. Eleg. 7. lib. 4.

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos. lateri vestis adusta fuit.

Furiæ cum anguibus. 8. SERPENTVM SPIRIS.] Eurip. Orest. de Furiis,

Τὰς αἱματωπούς, καὶ δρακοντώδεις κόρας:
Puellas cruentas, & serpentigeras.

A Notat verò Camerar. Comment. ad Soph. Æschylũ primum omnium deformasse Furiarum capita comis anguineis, quod referendum ad feritatem vesanientium. Sic de Discordia Virg. *scissa palla*, ab re eadem. Ad quem modum & Πλοῦτος dicitur *cæcus*, & Λιταὶ Homericæ παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ.

Spiræ. 9. SPIRIS.] Notat Lilius lib. de Nauigiis cap. 15. vnum tantùm Virgilium vsum hac voce in sermone serpentum, neminem alium. Nam hîc *serpentum spiris*. & 2. Æneid. In historia Laocoontis, *spirisque ligant ingentibus*. & in Georg.

Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.

Sed non meminit vir doctus Ouidij, qui de serpen-B te, *immensum spiris facientibus orbem.* & de cœlesti angue Ruf. Auienus,

——*agmina cœlo*
Lubrica conuoluit, sed spiras pendula torquet.

Et de eodem Aratus, σπεῖρα δ' ἐκ σώματος... Ælian. etiam ὁ δὲ δράκων ταῖς σπείραις τοὺς νεκροὺς συναγαγών: *draco spiris mortuos conuoluens.*

10. IOVIS AD SOLIVM.] De vero Ioue, & cœlesti capio, non de Plutone. Id enim magis consentaneum Virgiliano ductui. Nam tametsi Diræ propriè sint ministræ inferni, sed apparere ante Iouem nulla vetat ratio. Sic è contrario Mercurio, qui propriè est nuntius cœlestiũ, Pluto vtitur apud Claud. 1. Rapt. Sic Parcæ & Iouis, & Plutonis sunt. Quid, quod potuit Virg. hærere incunabulis Furiarum? Harum vna apud Eurip. in Herc. Furiarum incunabula.

Ἐξ εὐγενοῦς μὲν πατρὸς, ἔκ τε μητέρος
Πέφυκα, νυκτὸς οὐρανοῦ τ' ἀφ' αἵματος:
Ex nobili quidem patre, & matre
Nata sum, ex Noctis ac cœli sanguine.

Scio aliter ab aliis scribi, sed fabulosa incerta sunt. Inde apud eundem Furia ipsa statim, ἥλιον μαρτυρόμεσθα, *testamur Solem*: quod iuramentũ vicinũ natali.

11. APPARENT.] Respicit apparitores Romanos, qui ministri publici. Ac proinde *apparent* erit, *ministrant*. Tertull. Apolog. cap. 13. *Quo differt ab epulo Iouis silicernium? à simpulo obba? ab aruspice pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet*, id est, ministrat. Lege ibi Pamelium. Appareo, verbum fere Romanũ.

D 12. SI QVANDO LETHVM HORRIFICVM, &c.] Tria numerat, *lethum, morbos, bella*, cum respectu ad tres Furias. Quamuis enim Iuppiter interdum vtatur his tribus ministris ad omnia mala indiscriminatim, sed peculiariter apud Virgilium Tisiphone morbos immittit, Alecto bella, Megæra lethum. De prima, quæ morbos gignit, extat luculentum illud 3. Georg. in sermone pestis, Tisiphone morbos immittit.

Sæuit, & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone morbos agit ante metúmque,
Inq́ue dies auidum surgens caput altiùs effert.

Ergo propter hanc pestem illud, *morbósque Deûm Rex molitur*. Pergo. Alecto bella commouet, nam in 7. Iuno Virgiliana, initio belli Latini. Alecto bella commouet.

Luctificam Alecto Dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella,
Iræq́ue, insidiæq́ue, & crimina noxia cordi.

Inde ab Statio in 7. hæc Furia dicitur *belli mater*. Ergo propter hanc pestem, *meritas aut bello territat vrbes*. Restat itaque, vt illud, *si quando lethum horrificum*, dicatur propter Megæram, quam educit ad mortem Turni: non ab bellum; nam hoc iam præcessit: non ad morbum, nam nullus in Turno: ergo ad lethum, quod iam instat misero Turno. Huius quoque rei luculentus est testis Claud. qui Megæram educit, vt Ruffinum ad mortem adducat. Sic mihi visum de Megæra mortes efficit.

hoc

Imitatio. hoc loco, vbi interpretes ἄφθογγοι. Ceterùm Virgilianus locus ductus est Homeri imitatione 17. Iliad.

Ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος, ὅς ῥά τε ἔργων
Ἀνθρώπους ἀνέπαυσεν ἐπὶ χθονί, μῆλα δὲ κήδει:
Veluti purpuream Irin mortalibus cùm extenderit
Iuppiter è cælo, signum vt sit vel belli,
Vel frigidæ tempestatis, quæ ab operibus
Homines in terra continet, nocétque pecoribus.

Terror Furiarum. 13. TERRITAT VRBES.] Ταραξει τὰς πόλεις dixit Aristoph. in Irene. & de Furiis Eurip. in Orest. ἐκφοβεῖν, à terrore.

14. HARVM VNAM.] Ἐμφατικῶς, vnam Megæram. Quasi hæc vna huic vni negotio, id est, Turni letho, præficienda. Pendet hoc ex Notis præmissis. B Si quis velit, Poëtam loqui indiscriminatim, non cedam facilè.

15. CELEREM.] Ab Eurip. in Orest. Furiæ dicuntur δρομάδες πτεροφόροι, *celeres alatæ*.

Omen quid. 16. INQVE OMEN IVTVRNÆ OCCVRRERE.] Præclarè. Est enim omen, quod veluti in occursu accidit, & nihil cogitanti homini. Synesius enim lib. de insomn. ita definit omina, φωναί τε, καὶ συντυχίαι ἐκ τοῦ ἀπροσδοκήτου: *voces, & fortuiti occursus facti*. Inde vox *arripio* de omine, vt quod subitum.

17. NERVO PER NVBEM IMPVLSA SAGITTA.] Quod lib. 9. *neruóque obuersus equino Contendit telum*. Hom. ἐπὶ νευρῇφιν. & *per nubem* ait, quod lib. 10. flexu alio, *auras sonantes* de emisso telo. C

18. ARMATAM.] Sibi consentit, nam alibi, *ferrúmque armare veneno*. &, *calamos armare veneno*.

Parthi sagittiferi. 19. PARTHVS.] Signatè; nam gens hæc sagittifera. De Parthis Herodian. lib. 4. καὶ τὴν περὶ τόξων εὐστοχον ἐμπειρίαν. Dat videlicet illis peritiam, & hanc certissimam in arcubus. Sen. Epist. 36. *Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet*. Sed hoc quis ignorat?

Venenatæ sagittæ. 20. FELLE VENENI.] Locutio poëtica, pro, *felle venenato*. Est verò hoc, quod Oppian. 2. Hal.

——φαρμακτήρια ... ἐπ' ὀϊστοῖς
Πέρσαι φαρμακτῆρες ὀλέθρια μητίσαντο.
——*alatis super iaculis*
Persæ venenarij exitialia excogitarunt.

De arte hac, qua ferrum & sagittæ veneno tingebantur, alibi sum locutus. Aduocat Pontanius versus Lucani, qui de Parthis, D

Spicula nec solo spargunt fidentia ferro,
Stridula sed multo saturantur tela veneno.

Cydoniæ sagittæ. 21. CYDON.] Quis nescit Cydones esse in Creta, quæ tellus sagittariorum ferax? Credo hunc locum respectasse Senecam Tragicum in Herc. Oet. Nam sicut Virg. ait demissam Furiam instar sagittæ Cydoniæ: ita ille de Licha rotato per aërem ab Hercule,

——*talis in cœlum exilit*
Arundo, Getica iussa demitti manu,
Aut quam Cydon excussit.

Neque abit longè poësis Claud. qui 2. Eutrop. de Furia, & eius aduentantis celeritate,

Nec Dea præmissæ stridorem segniùs hastæ E
Consequitur.———.

Furiam dixi, nam ibi Bellona Furia est.

22. TELVM IMMEDICABILE.] Plin. de hac re loquens lib. 11. cap. 53. *Irremediabile id scelus*.

Hypallage. 23. CELERES INCOGNITA TRANSILIT VMBRAS.] Hypallage; nam sagitta ipsa celerrima. Vt Incognitū. verò hic *incognita*, ita in 4. de venatore, *liquíque volatile ferrum Nescius*. Sed quas *vmbras* transilit? An nubem? quia sup. *per nubem impulsa sagitta*. An est in Hyperbole. gens hyperbole? vmbra comes est sagittæ. hæc ita celeriter peruadit, vt neque vmbram efficiat. Similis ea hyperbole currentis Camillæ ad exitum lib. 7. quæ ibat per segetem *intactam*. & ferret plantas per æquor, quas *nec tingeret*. Ait *transilit*, vt de hasta Martis Claud. 2. Eutrop.

——*illa per auras*
Tot freta, tot montes, vno contenta volatu
Transilit, &c.———

24. TERRASQVE PETIVIT.] Pulcherrimè *petiuit*. quasi malum aggressura, & factura insidias. Ita Alecto in 7. Peto, in re mala.

——*Laurentis celsa Tyranni*
Tecta petit, tacitúmque obsedit limen Amatæ.

Furia apud Claud. 2. Ruff. *Targibilum aggreditur*, quo verbo exprimit Virgilianum *petit*.

25. ALITIS.] Seruius noctuam capit. potest. Adduco pro argumento dici à Virg. eam canere *in bustis aut culminibus desertis*. Quæ nota cùm non cadat in bubonem; nam hic edit dira omina in ædibus ciuium, vt plurimùm, & in vrbibus; vt dicebam quarta Æneid. fit proinde, vt cadat in noctuam, quæ plerumque canit in desertis locis. Neque contra hoc est, noctuam esse felicem Græcis, & vnis imprimis Atheniensibus. Nā felicitas illa in volatu tantùm, non in cantu. Vide Eras. Adag. *Noctua volat*. &, *Atheniensium inconsulta temeritas*. atque etiam Zenobiū Adag. γλαὺξ ἵπταται. Diogenianus quoque in eodem diuerbio ait, ἐπὶ τῶν αἰσίως χωρούντων εἰρηται. Itaque volans felix est noctua, non canens. Et Suidas ait, ἡ πτῆσις τῆς γλαυκὸς εἰς νίκης σύμβολον ἐλογίζετο: *noctuæ volatus dicebatur victoriæ symbolum*. Et Plut. in vita Themist. clarè ait, noctuam fuisse felicem διαπετομένην, *volantem*. Nemo certè loquitur de felicitate noctuæ in cantu. Imò Architremius Poëta, Noctuæ nota. Noctua felix tantùm in volatu.

——*prænuntia fati*
Noctua præcedit properanti morte propinquos.

Vbi *nuntians noctua* est canens, non volans. Dixi hæc consulens Seruio, & veritati. Fauet etiam, quod sequitur, *Nocte sedens*, quæ particula noctuam signat, quæ dicta à *nocte*. Quid, quòd Poëta (ratio hæc Seruij est) ait *alitis paruæ*, & bubo magna est auis? Sed si quis velit, possit bubonem capere, nam tametsi hic in vrbibus, vt plurimùm, interdum tamen in desertis, scribente Plin. lib. 10. cap. 12. *Bubo funebris, & maximè abominatus, publicis præcipuè auspiciis, deserta incolit, nec tantùm desolata, sed dira etiam, & inaccessa, noctis monstrum*. Ceterùm, cùm Poëta Furiam in auem verterit, credo sumpsisse hoc ex Eurip. qui in Taur. inducens Orestem quiritantem de aggressione Furiarum, vnam earum ait habere formam auis, πτεροῖς ἐρέσσει, *alis remigat*. Noctuæ etymon. Bubo funebris.

26. COLLECTA.] Vt in Georg. *in spiram tractu se colligit anguis*. & Propert. Eleg. 9. lib. 3. *in tenues humilem te colligis vmbras*.

27. QVÆ QVONDAM IN BVSTIS.] Ad hanc rem aspirauit Claud. 2. Eutrop. vbi de Bellona, de qua ibi, vt de vna Furiarum, ait:

——*sic fata, repentè*
In diram se vertit auem, rostróque recuruo
Turpis, & infernas tenebris obscurior alas
Auspicium, veteri sedit ferale sepulcro.

28. SEDENS.] Signatè: nam luctuosa & plorabunda auis. Vide quæ lib. 9. ad illud, *sacrata valle sedebat*.

29. SERVM.] An *serum* hoc loco est *triste*, & *luctuosum*, vt vult Seru. & alij interpretes? Non abnuo, nam lib. 5.

Seráque terrifici cecinerunt omina vates.

Id est, dira omina ex mente interpretum. Quem tamen locum ego aliter accepi. vide ibi. Vt verò ibi

Serum quid sit in Virgilio.

non consensi interpretibus, ita neque hîc. & *serum* capio de tempore, quo canit noctua, nam serò canit. Ducem habeo Apuleium lib. 2. Florid. cuius hæc sunt: *Non enim mihi Philosophia id genus orationis largita est, vt natura quibusdam auibus breuem & temporarium cantum commodauit, hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serum, vlulis vespertinum; bubonibus nocturnum, gallis antelucanum.* Roges: si tempus accipit, quod hoc tempus? Existimo à Poëta significari extremam partem diei, & iam ferè appetentem noctem, cùm lux se extenuat ad imminentes tenebras. Itaque, qui in Virgilio capiunt *serum noctis*, à vero abeunt. Nam serum propriè est extrema pars diei, id videlicet tempus quod vicinum nocti. Nam Virg. 1. Georg.

Serum propriè de extremo die.

Illic sera rubens accendit lumina vesper.

Et cùm Sallust. in Catill. & Liu. lib. 10. dixêre *diei serum*, nihil aliud significant, quàm tempus nocti proximum. Sed efficio rem hanc eodem Apuleij loco; in quo proculdubio diem diuidit in tres partes, & noctem in totidem. Diei partes sunt *matutina, meridiana, sera*: noctis, *vespertina, nocturna, antelucana.* Ergo pars *matutina* opponitur *vespertinæ*, id est, incipiens dies incipienti nocti. Vesper enim non est extrema pars diei, vt plerique volunt, ne dicam omnes: sed prima pars noctis, cùm iam sunt tenebræ. Nam hoc tempus dictum ab stella vespertina; hæc autem non apparet, nisi in tenebris. Inde Stat. 10. Theb. cum omni proprietate, *sed vesper opacus Lunares inducit equos.* Luna autem amoto iam Sole apparet, & cùm tenebræ incipiunt. Inde & Cicero 2. Nat. eadem vsus oppositione, qua Apuleius, dixit: *tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo.* Pergo. Pars *meridiana* opponitur *nocturnæ*, id est, mediæ nocti, vt explico. Demum pars *antelucana* parti *seræ*, id est, pars ante diem parti ante noctem. Ab hoc testimonio ita excusso patet, quod sit tempus Virgilianum, quod ipse *serum* vocat. Apud Eurip. quoque in Ione per τελευταίαν φλόγα, *flammam vltimam*, intelligo *serum diei*, Nam post hanc flammam nominat statim Hesperum, qui initio noctis. Neque verò contra ea, quæ dixi est, *serum* sæpe in auctoribus dici de re quacunque in longum producta siue die, siue nocte. Nam aliud est *serũ* simpliciter, aliud *serũ noctis*.

Vesper quid.

Flamma vltima quæ.

30. CANIT IMPORTVNA PER VMBRAS.] Hæc verba videntur euertere superiorem explicationem. Nam importunus hic cantus, & per vmbras, quid est aliud, quàm cantus in longam noctem productus? Expedio facilè. Certè Maro, & Apuleius tempus signant, in quo occipit cantus: nihil autem vetat diutiùs deinde protrahi obtentis iam tenebris. Et quidem sæpe audiui noctuam incipientem diei sero, & deinde perseuerantem ad multam noctem. Sed esse potest alia explicatio, vt *importuna* hoc loco sit luctuosa, & tristis. Illustrat hanc Notam idem Apul. Præcedentem clausulam hæc consequitur: *Canunt carmine galli expergifico, bubones gemulo, vlulæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obstrepero, hirundines perarguto.* In quo *intortum* explico *importunum, luctuosum, triste.* verè cantum, qui nos torquet, & vexat, qui nos στρεβλοῖ veluti ἐν βασανιστηρίῳ. Qua notione Plin. in Epist. *Remitte adolescentiæ ipsius, remitte lacrymis, remitte indulgen-*

Importunũ, id est, luctuosum.

A *tiæ, ne torseris illum, ne torseris etiam te.*

31. TVRNI SE PESTIS AD ORA. Est hoc, quod Stat. 11. Theb. *Instantémque Deæ circumspicit vmbram.*

32. CLYPEVMQVE EVERBERAT ALIS.] Quid si repræsentatus successus M. Valerij? Solet enim Poëta historias Romanas suo poëmati inserere. Verba Liuij lib. 7. hæc sunt: *Conserenti iam manum Romano coruus repentè in galea consedit in hostem versus.* & post pauca: *tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotiescunque certamen initum est, leuans se alis, os oculósque hostis rostro & vnguibus appetiit: donec territum prodigij talis visu, oculísque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat.* Plutar. in libello, cur cessauerint Pythiæ oracula, affert hoc prodigium, τὴν ἀσπίδα τοῦ Παλλαδίου κόρακες διέκοψαν: *Palladij scutum corui rostris tutuderunt*, aut, *conciderunt.* Vt verò Virg. *verberat alis*: ita

Romana historia repræsentata.

B Propert. Eleg. 10. lib. 3.

Quem grauibus pennis verberat ille puer.

Inf. Noster, *alarum verbera.* Orestes apud Eurip. in Tragœdia eius nominis de Furiis loquens, πλησίον θρώσκουσί μου: *mihi propiùs insiliunt.*

33. NOVVS.] Magnus, & qui in Turno insolens. Notetur dilatatio poëtica. Satis fuisset, *torpor soluit mẽbra.* Sed ita tamen Poëtæ dilatant sententiã. Nihil fortasse frequentius in Virg. Ita Eurip. in Helena,

Nouus, id est, magnus. Dilatatio poëtica.

φόβος γὰρ εἰς τὸ δεῖμα [illegible] μ' ἄγει:

Metus me circumdans ducit in hanc formidinem.

34. SOLVIT FORMIDINE TORPOR.] Non est contrarius Virgilio Plutarchus lib. de superstit. vbi ait δεῖμα, id est, *metum*, dictum quasi δοῦν τὴν ψυχὴν, *quod liget animam.* Nam soluuntur membra, &

Metus soluit corpus, ligat animum.

C ligantur functiones animi. Inde vterque propriè. Poëta *membra soluit*. Philosophus συνδεῖν ψυχήν.

35. ARRECTÆQVE HORRORE COMÆ.] Dicebam iam secunda Æneid. ad illud. *steterúntque comæ.* Hic adiice Æschylum, à quo φόβος ὀρθόθριξ, quòd comas arrigat. & Euripidem, qui in Hel. κρατὶ δ' ὀρθίας ἔθειρας. Cùm verò vsurpet vocem *horroris*, quid si indicat, Turnum præ metu fecisse indignum aliquid forti viro, & præfandum venia? Nam *horror* ἀπὸ τοῦ ὄρρου, qui & ὀρροπύγιον Est enim ὄρρος, vt ait Galen. ἱεροῦ ὀστέου τὸ πέρας. & *spinæ terminus*, vt loquitur Apul. vnde qui timent dicuntur ὀρρωδεῖν. Nam ex horrore pars illa oris sacri ἰδίει, id est, ἱδρώει, *exsudat*, videlicet fluente ventre præ metu. Ergo in Ænea, vt in viro fortissimo 2. Æneid. *steterúntque comæ*, videlicet ex stupore, ait

Comæ arrectæ præ metu.

Horror vnde.

D enim, *obstupui, steterúntque comæ*: in Turno verò, qui longè inferior, *arrectæq; horrore comæ*, vt cui fortasse ex horrore solutum os sacrum. Et hæc est noua illa formido, & nouus torpor Turni, qui *soluit membra* illius. Credibile hoc in vigilantissimo Poëta.

36. ET VOX FAVCIBVS HÆSIT.] Habes hoc hemistichium 2. Æneid. vide ibi. Plaut. Casin. dixit, *timor præpedit dicta linguæ.* Atossa apud Æschyl. Pers. perculsa magnis malis, σιγῶ δύστηνος. Nonnus lib. 19. ἀφωνήτῳ σιγῇ. Estque hoc, quod Ioseph. lib. 1. Bell. cap. 9. ἐκλυθεὶς ὑπ' ἐκπλήξεως. & in re simili Polyb. lib. 3. κατάπληκτος. Liuius sæpe in hoc affectu, *stupenti similis, attonito similis.* Nam verè Sen. in Hippol.

Vox hæret præ metu.

Curæ leues loquuntur, ingentes stupent.

De C. Graccho Plut. οὐδὲν ἐφθέγξατο. Terent. Eun. act. 5. sce. 6. *lingua hæret metu.* Auctor Octau. *cõtinet vocẽ timor.*

[a] At procul vt Diræ stridorem agnouit & alas,
Infelix crines scindit Iuturna solutos,
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.
[b] Quid nunc te tua Turne potest germana iuuare?

Aut

Aut quid iam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possim me opponere monstro?
Iamiam linquo acies, ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres; alarum verbera nosco,
Lethalémque sonum, nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iouis. hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certè, & misero fratri comes ire per vmbras.
Immortalis ego, haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine frater erit. ô quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manésque Deam demittat ad imos?
[c] Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, & se fluuio Dea condidit alto.

A

ARGVMENTVM.

Agnoscit Iuturna volucrem, queritur infelicitatem fratris & suam, ab acie discedit.

EXPLICATIO.

[a] PRodigivm hoc destinatum ad dimittendam ab armis Iuturnam, præcessit enim,

Iuturnámque parat fratris dimittere ab armis.

B Consequens ergo, vt illa prodigium agnoscat, adhuc ante fratrem: tum etiam, quia Dea. & agnouit quidem ex re duplici, ex *oris stridore*, ex *alarum sonitu*. Ad hanc agnitionem sequuntur tres doloris notæ, in crinibus, in facie, in pectore. Illos soluit & scidit, illam fœdauit vnguibus, hoc percussit pugnis.

[b] Sequitur oratio Iuturnæ plena affectuum & conquestionum, ac tota pathetica. Præmittit duo. Primum,

Quid nunc te tua Turne potest germana iuuare?

C Alterum,

Aut quid iam miseræ superat mihi? ———

His præmissis primam partem orationis dirigit ad primum illud, alteram ad illud alterum. Ergo ait. Non possum te frater iuuare, quia nequeo morari tibi vitam; nequeo me opponere huic monstro, ideo acies linquo: ne me volucres terrete timentem, iam vos agnosco & alarum verbera, & lethalem oris stridorem: scio hæc esse iussa Iouis, vt ab armis discedam. Definitque hanc partem in miram ad Iouem apostrophen, *hæc pro virginitate reponit?* En primum illud. Sequitur alterum. Quid superest mihi miseræ? nam cur habeo æternam vitam, cur negata est mors, nisi vt in æternum doleam? Si essem mor-
D talis, finiuissem dolores, irem vnà in infernum cum fratre misero; definitque hanc partem in miram ad fratrem apostrophen. Cùm ergo, ô frater, immortalis sim, nihil mihi erit dulce, neque ipsa immortalitas sine te vno. Inde erumpit in affectum ingentem, cupit quippe dehiscente terra demitti vnà cum fratre ad imos manes. Hæc pro tota oratione. Expendo iam aliqua, & aliqua explico. *Superat mihi*, pro, superest, tritum Poëtis, *Lucem* pro vita. *Talin'* pro taline? *monstro*, id est, augurio monstranti exitum dirum. *Ne me terrete timentem*, timueram iam ego, vos terrorem additis, quod dirius. *Alarum verbera nosco*, refertur ad illud, *agnouit alas*. & *lethalem sonum*, ad illud, *vt Diræ stridorem agnouit*. Dicit *superba iussa* propriè, quia supra omnes Deos Iuppiter. *Hæc pro virginitate reponit?* vt fratrem amittam. Satius fuisset, solam amittere virginitatem. Vni malo aliud addit. *Quò vitam dedit æternam?* vt æternum doleam: non ergo iam munus. *Misero fratri*, æquè de fratre ac de se loquitur: nam de se, *quid superat mihi miseræ?* In illis, *immortalis ego*, adimo hanc notam (?) quæ est in vulgaris,

[c] Verba sequutus est gemitus atque abitio. Inde & *multa gemens*, & *condidit se alto fluuio*: nam Dea fluuiorum. & *contexit caput amictu glauco*, nam glaucæ sunt vndæ, quibus recta est. Qui cogitant alium amictum, qui sit dictus glaucus, propter vndarum similitudinem, ἄζωος.

NOTÆ.

1. STRIDOREM AGNOVIT ET ALAS.] Tangi augurium, & oscinum, & præpetum Seru. notar, oscinum in stridore, præpetum in alis. Oscines Præpetes.

C

2. CRINES SCINDIT.] De hac nota doloris, aliisque quæ consequuntur, iam à me locis aliis plenè.

3. IVVARE.] Alludit ad etymon. Nam *Iuturna à iuuando*. Varro lib. 4. Ling. Lat. *Nympha Iuturna, quæ iuuaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Seru. sup. in hoc lib. *Iuturna fons est in Italia saluberrimus iuxta Numicum fluuium, cui nomen à iuuando est inditum. Cùm enim naturaliter omnis aqua noxia sit extraneorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est.* Propert. Eleg. 22. lib. 3. loquens de hoc Iuturna vnde dicta.
D fonte,

Potáque Pollucis lympha salubris equo.

4. LVCEM MORER?] Est hoc, quod sup. *proferret fata.*

5. IAMIAM LINQVO ACIES.] Ad Homeri ductum Iliad. 22. vbi Phœbus deserit Hectorem occidendum mox ab Achille. λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων. vel Euripidis in Alcestide, vbi idem Phœbus propter instantem cædem Alcestidis, Imitatio.

λείπω μελάθρων τῶνδε φιλτάτην στέγην:
Relinquam ædium hac charissima tecta,

& adhibet rationem,

———μὴ μίασμά μ' ἐν δόμοις κιχῇ:
———ne me piaculum in domibus comprehendat.

Dij deserebant victos. Est hoc vicinum mori alteri, de quo 2. Æneid. quo Dij deserunt loca vastanda ab hostibus, excedúntque templis, quæ ventura in hostilem potestatem. Sic apud Plut. in Themist. ἐκλελοιπυῖα τὴν πόλιν ἡ θεὸς ὑπεκφεύγουσα: *urbem Dea reliquit subterfugiens.* Sermo est de Minerua. Et apud Eurip. in Troad. Neptunus,

Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον, βωμούς τ' ἐμούς:
Relinquo inclytum Ilium, & meas aras.

Et addit rationem,

Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει:
Cùm enim infelix solitudo ciuitatem occuparit,
Laborant Deorum sacra, neque solent coli.

Obscœnum. 6. Obscoenæ.] Infaustæ, infelices, & mali ominis. Sic ab Sueton. in Galb cap. 4. *obscœnum ostentum.* Ab Arnob. *mali ominis obscœnitate.* Ab Liu. lib. 31. *Animalium obscœni fœtus.* Attius in Astyan. *obscœno omine.* Tertull. de Pallio, *Gracchi obscœna omina.* Huic voci *scæuitatem* opponit Varro 7. Ling. Lat. *Quare, quod dixi scæuum bonum omen est, obscœnum verò turpe.* Attius in Oenom. *faustitatem*, cùm ait:

———*omnibus faustis augustam adhibeant*
Fauentiam, ore obscœna dicta segregent.

Verber, de alis. 7. Alarvm verbera.] Alis dat *verbera*, vt in 11. *simul æthera verberat alis.* & Plin. lib. 10. loquens de aquila: *multum puluerem volutata collectum insidens cornu excutit in oculos, pennis ora verberans.*

8. Lethalemqve sonvm.] Signatè, nam cum respectu ad illud, *si quando lethum horrificum.* Itaque stridor Furiæ totus ad mortem.

9. Magnanimi Iovis.] Vide me sup. ad illud,

Magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile.

Virginitatis munera. 10. Hæc pro virginitate reponit?] Alludi ad διαπαρθένια, id est, *munera, quæ dabantur pro virginitate delibata*, Germ. notat. Profert etiam similis expostulationis locum Æschyli. Omitto, & adiicio à me tria loca Eurip. simillima. Amphitryo in Hercul. ita ad Iouem,

Imitatio.

Ὦ Ζεῦ μάτην ἄρ' ὁμόγαμόν σ' ἐκτησάμην.
Σὺ δ' ἦσθ' ἄρ' ἥσσων, ἢ 'δόκεις εἶναι, φίλος:
O Iuppiter frustra te eiusdem tori socium habui,
Infirmior tu amicus es, quàm esse videbaris.

Creusa in Ione ita ad Apollinem,

Ἵνα με λέχεσι μελέαν μελέοις
Ἐζεύξω τὰν δύστανον:
Vbi me lectis miseram miseris
Iunxisti infelicem.———

Demum Musa Rhesi mater post querelas ad Iouem,

Καὶ τῶνδε μισθὸν παῖδ' ἔχουσ' ἐν ἀγκάλαις:
Et horum mercedem filium (mortuum) *in vlnis habeo.*

Imitatio. 11. Qvo vitam dedit æternam: &c.] Similis conquestio Promethei apud Æschylum loquentis ad Io, quæ ferebat grauiter propria mala. A

Ἦ δυσπετῶς ἂν τοὺς ἐμοὺς ἄθλους φέροις,
Ὅτῳ θανεῖν μέν ἐστιν οὐ πεπρωμένον.
Profectò ægre tuleris meos labores,
Cui non est per fata concessum mori.

Quia videlicet, addit, mors est πημάτων ἀπαλλαγή, *malorum liberatrix.*

12. Misero fratri comes ire per vmbras.] Non dissidet illud Horat. Od. 17. lib. 2. Locorum similitudo.

———*ibimus, ibimus,*
Vtcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.

B Et Od. 9. lib. 3.

Tecum viuere amem, tecum obeam libens.

Propert. Eleg. 18. lib. 1.

Viuam, si viuet: si cadat illa, cadam.

13. Havd qvicqvam mihi dvlce meorvm, &c.] Est hoc, quod Horat. ad Mæcenatem Od. 1. Epod. Locorum similitudo.

———*quibus, te, vita sit, superstite,*
Iucunda: si contrà, grauis.

Et post pauca,

——— *otium*
Non dulce, ni tecum simul.

Quod Propert. Eleg. 2. lib. 1.

Haud sine te vita cura sit vlla mea.

C 14. O qvæ satis ima dehiscat terra mihi?] Eurip. Supplicib. Dehiscat tellus.

Καθ' ἁρπάσειε γῆς σ' ἔδαφος:
Abripiat me tellus.

Est hæc vsitata oratio ad indicandam animi turbationem, qua vt liberet Themistoclem Aristides ita ait in 2. Platon. ὑπὲρ τῶν τοσούτων ἐν τοῖς μέσῳ τοῖς καιροῖς, καὶ τοιούτῳ πραγμάτων ἀκαιρίᾳ, καὶ συγχύσει τῶν πάντων, ἀνὴρ ἐκεῖνος ἐν τοιούτοις καθεστηκώς, οὐκ ἐξεπλάγη, οὐδ' ηὔξατο αὐτῷ χανεῖν τὴν γῆν: *In his temporibus ac tali rerum inopportunitate, atque omnium confusione vir ille constitutus, non animi incertus fuit, non obstupuit, non terram optauit sibi dehiscere.* Inde in summa animi turbatione Turnus lib. 10.

D ———*quid agam? aut quæ iam satis ima dehiscat*
Terra mihi?———

Quem locum adi. & vtrobique ait *satis ima*, indicans Tartarum, qui inferior ipso inferno. Quasi dicat: Nolo vt leuiter dehiscat tellus vsque ad infernum, sed profundiùs vsque ad Tartarum. Notetur adagiale quiddam apud Eurip. in Ione. χάσμα (τίς) κρύπτει χθονός; *occultátne illum hiatus terræ?* pro, vbinam est gentium? Prouerbiū.

15. Tantvm effata.] Sophoc. Philoct. τοσαῦτα φωνήσας. Non est ergo *tantum* aduerbium, vt ἀτέχνως Grammatici.

16. Et se flvvio Dea condidit alto.] Vide illud lib. 8.

Dixit: deinde lacu fluuius se condidit alto.

[a] Æneas instat contrà, telúmque coruscat
Ingens arboreum, & sæuo sic pectore fatur:
[b] Quæ nunc deinde mora est? aut quid iam Turne retractas?
Non cursu, sæuis certandum est cominùs armis.
Verte omnes tete in facies: & contrahe quicquid
Siue animis, siue arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausúmque caua te condere terra.
[c] Ille caput quassans. non me tua feruida terrent
Dicta ferox: Dij me terrent, & Iuppiter hostis.

[d] Nec

[d] Nec plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro poſitus, litem vt diſcerneret aruis.
Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
[e] Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem
Altior inſurgens, & curſu concitus Heros.
[f] Sed neque currentem ſe, nec cognoſcit euntem,
Tollentémve manu, ſaxúmque immane mouentem.
Genua labant, gelidus concreuit frigore ſanguis.
[g] Tum lapis ipſe viri vacuum per inane volutus
Nec ſpatium euaſit totum, nec pertulit ictum.

ARGVMENTVM.

Æneas interim Turno cum telo imminet, illúmque voce increpitat: hic ingens ſaxum, agri veterem limitem, in Ænean torquet; qui tamen lapis defecit ante ictum.

EXPLICATIO.

[a] QVÆ ſequuntur deinde vſque ad mortem Turni plena ſunt magnis affectibus, & veriſſimè τραγικά. Vide hîc Ænean inſtantem cōtra Turnum, & coruſcantem telum, quæ omnia formidanda: B & quia dux ipſe eſt *ingens*, ideo telum eſt *arboreum*. Accedit ſæuities in ore, veriùs in pectore, quippe collecta ab tot fandis infandíſque, quæ præceſſêre in hoc bello.

[b] Sequuntur verba Æneæ ad Turnum, potiùs minæ, & tonitrua conuenientia fulmini, id eſt, telò, quod ſtatim in illum iaculaturus. Et notes, nunc primùm habitum ſermonem Æneæ ad Turnum, nunquam hactenus in præcedenti Æneide. Sermo eſt ſæuiſſimus, vt qui præcidat miſero Turno omnem ſalutis ſpem, quæ nulla in fuga, ideo *curſu*: nulla in dolis, ideo *verte omnes tete in facies*: nulla in virtute, ideo *contrahe quicquid ſine animis*: C nulla in militari doctrina, ideo *ſine arte vales*: nulla in ipſo cœlo, ideo *opta ardua pennis aſtra ſequi*: nulla in ipſo inferno, ideo *clauſúmque caua te condere terra*. Inde efficitur primum illud, *ſæuis certandum eſt comminus armis*, & non *curſu*, quia ſcilicet ipſe Æneas vulnere *tardus*.

[c] Quaſſat Turnus caput, quæ nota eſt indignationis, & tanquam hoſtem contemnat, terrorem ſuum in Deos, in Iouem confert. Sententia eſt duplex; Vel, terrent me Dij, & Iuppiter, qui hoſtis, vel terrent me Dij, & Iuppiter; ô Ænea ferox hoſtis.

[d] Vidit tunc forſaſſe Turnus ingentem lapidem, qui quondam poſitus dirimendis agrorum terminis tunc in campo iacebat. Ita verò erat ponderoſus, vt vix illum duodecim homines, quales nunc ſunt, ceruice annixi tollerent. Illud *ſaxum circumſpicit ingens, ſaxum antiquum ingens*. ita explica: *Circumſpicit ingens ſaxum*, quod verè *ingens* quia *antiquum*. Declarat enim magnitudinem ſaxi fuiſſe ibi antiquum. Nam diu loco motum non eſt.

[e] Hoc lapide Ænean voluit petere, quem, dum rotaret, tum altiùs in pedum digitos inſurrexit, tum curſum concitauit, ad adiuuandam his artibus virtutem iaculantis brachij.

A [f] Deſcribit Turnum, & conſilio ἄπορον, & virtute ἄθυμον. Carebat conſilio; nam ſui impos neſciebat quid faceret, an curreret, an iret, an ſaxum tolleret, & iaceret: carebat virtute; nam lapſabundis genibus totus frigore cohorreſcebat, ſanguine præ formidine congelato.

[g] Inanis fuit hic iactus, talis videlicet, qualis vir ipſe, qui iecerat. Nam tametſi lapis volutus eſt per aërem, tamen *non euaſit ſpatium totum* vſque ad Ænean, *nec pertulit ictum*. Sic enim ordino, non vt Seru. qui ita,

Nec ſpatium euaſit, totum nec pertulit ictum.

Peſſimè, nam ſi *nec totum ictum*, ergo, aliquem. & hoc negat Poëta: lapis enim ad hoſtem non peruenit. Quanto eſt melius? *non ictum pertulit*, quia *non euaſit ſpatium totum*.

NOTÆ.

1. TELVMQVE CORVSCAT.] Ita inf. *telum coruſcat*. loquitur videlicet vt de fulmine, nam dicturus ſtatim, *nec fulmine tanti*, &c.

2. ARBOREVM.] Poëtis vſitata κύζωσις, & Nôſtro imprimis. Itaque dabis ad eius imitationem Heroïbus pinum integram pro haſta, robur, fraxinum, &c. Quid, quòd materia pro re tota? vt cùm C Eurip. in Her. λωτοῦ συνηλάλαξαν, *loto inclamarunt*, pro, tibia è loto, & millena. — *Arbor pro haſta.*

3. NON CVRSV, SÆVIS, &c.] Oratio hæc ducta ab illa Hom. Iliad. 22. qua Achilles ad Hectorem, — *Imitatio.*

Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, νῦν σε μάλα χρὴ
Αἰχμητὴν ἔμεναι, καὶ θαρσαλέον πολεμιστήν,
Οὔ τοι ἔτ' ὑπάλυξις, ἄφαρ δέ σε Παλλὰς Ἀθήνη
Ἔγχει ἐμῷ δαμάει, νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀποτίσεις:
Omnimodæ virtutis memento, nunc te oportet plurimum
Certatorem eſſe, & acrem bellatorem,
Neque hinc fuga: te enim ſtatim Pallas Minerua
Haſta mea domabit, & affatim exſolues omnia.

D 4. VERTE OMNES TETE IN FACIES.] Videtur eſſe hoc, quod Iulius 7. Gallic. & Tullius 1. ad Attic. dixêre, *omnia experiri*. Alluſum fortaſſe ad Protei miracula & transformationes. Græci πάσας στρέφειν τέχνας: & Plato in Phæd. τί δῆτα ἔχων στρέφει. Ad quas locutiones alluſit Martial. lib. 3. in illo, *nil ſtropharum eſt*. — *Vertere ſe in omnes facies.*

5. OPTA ARDVA PENNIS, &c.] Non dubium, quin reſpiciat locum Eurip. in Med. vbi ore Iaſonis: — *Imitatio.*

Δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθεῖσαν κάτω,
Ἢ πτηνὸν ἆραι σῶμ' εἰς αἰθέρα βάθος,
Εἰ μὴ τυράννων δώμασιν δώσει δίκην.
Oportet enim ipsam aut quærere sub terra latebras,
Aut tollere corpus volucre in aëris profunditatem,
Aliter datura est pœnas Principum familiis.

[Similitudo historiæ.] Putarunt iam aliqui allusum fortasse à Poëta ad historiam Scytharum, qui ad Darium (narrat Herodot. lib. 4.) miserunt hæc munera, ὄρνιθά τι, καὶ μῦν, καὶ βάτραχον, καὶ ὀϊστοὺς πέντε: *auem, murem, ranam, sagittas quinque.* Quæ munera Gobryas interpretatus hunc in modum, vt Persæ tuti non essent à sagittis Scytharum, nisi aut facti aues in cœlum subuolarent, aut effecti mures subirent terram, aut versi in ranas insilirent in paludes. Itaque esse potest species [Prouerbiū.] Prouerbij hunc in modum: *Neque cœlum, neque terræ, neque vnde satis erunt ad effugium.* Itaque hoc est, quod Aiax apud Soph.

———ποῖ τις ἂν φύγῃ;
Ποῖ μολὼν μενῶ;
———*quanam fuga patet:*
Vbi consistam profugus?

Quod Hercules apud Euripid. ἐν Ἡρακλ. μαινομ.

Οἴμοι τί δράσω; ποῖ κακῶν ἐρημίαν
Εὕρω; πτερωτὸς, ἢ κατὰ χθονὸς μολών;
Hei mihi, quid faciam? vbi malorum solitudinem
Inueniam? alatúsne, an subitus terram migrans?

Aristoph. etiam in Auib. sub persona chori,

Οὔτε γὰρ ὄρος σκιερὸν, οὔτε νέφος αἰθέριον,
Οὔτε πολιὸν πέλαγος ἐστὶν, ὅ τι δέξεται
Τούσδ' ἀποφυγόντας με.———
Neque enim mons vmbrosus, neque cœli nubes,
Neque canum mare est, quod suscipiat
Istos qui me fugiunt.———

6. CLAVSVMQVE CAVA TE CONDERE TERRA.] Græci hoc κατὰ χθονὸς μολεῖν. & Latini, *dehiscat terra.*

[Capitis quassatio nota iracundiæ.] 7. ILLE CAPVT QVASSANS.] De hac indignationis nota dicebam alibi. hîc adiicio Soph. qui Antig.

Ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοὶ
Κρυφῇ κάρα σείοντες:———
Viri agrè ferentes admurmurabant mihi
Clam capita mouentes.———

Euripidem, qui de irato Hercule, τινάσσει κρᾶτα: *quatit caput.* & eundem in Taur. vbi iratus Iuppiter ἔσεισε κόμην, *concussit comam.* Bacchus in Cyclope inducitur ab eodem ξανθὰν χαίταν σείων. Senecam lib. 1. de ira cap. 16. *Hac non frendens, nec caput quassans, nec quicquam indecorum Iudici faciens.* De Marte Claud. 2. Eut.

Subrisit crudele pater, cristisque micantem
Quassauit galeam.———

Stat. 7. Theb.

Iuppiter haud æquo respexit corde Pelasgos,
Concussitque caput.———

Valer. 1. Arg. *Affremit his. quassátque caput.* In his omnibus ex adiunctis vides esse notam iræ. Sed scias esse quoque notam doloris. Nam Lucret. in re mœstissima,

Iamque caput quassans grandis suspirat arator.

Sen. Tragicus in Oedip.

Sed quid hoc? postis sonat,
Mœstus & famulus manu
Regius quassat caput.

8. NON ME TVA FERVIDA TERRENT.] Sil. lib. 15: *letho non terreor illo.*

[Imitatio.] 9. DII ME TERRENT, ET IVPPITER.] Hom. 13. Iliad.

———οὔ τι τοι μάχης ἀδαήμονές εἰμεν,
Ἀλλὰ Διὸς μάστιγι κακῇ ἐδάμημεν Ἀχαιοί.
———*non sumus bellandi imperiti,*
Sed Iouis flagello iniquo vincimur Græci.

A Et Iliad. 17. de Ioue,

———ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην:
———*fortem virum terret. & aufert victoriam.*

De Annibale ait Plut. in vita Fabij, illum capturum vrbem Romam, nisi fortuna, aut Deus aliquis obstitisset, terruisset, cunctationémque iniecisset. δαίμονος, ἢ θεοῦ τινὸς ἐμποδὼν γενομένου. [Deus obstitit.]

10. HOSTIS.] Seru. ita coniungit, *ferox hostis.* Sed cur non possit, *Iuppiter hostis?* cùm præsertim Propert. dixerit Eleg. 18. lib. 3.

Quis Deus in vestra constituit hostis aqua?

11. SAXVM, &c.] Ab Hom. qui Iliad. 21. [Imitatio.]

———λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα, τρηχύν τε, μέγαν τε:
———*lapidem accepit robustum manu*
B *Iacentem in campo, nigrum. asperum, magnum.*

Antequam progrediar ad loca alia, audi censentem Scaligerum. [Homerum superat Virgilius.] Plus (inquit) ad rem facit *antiquum,* quàm *nigrum.* declarat enim magnitudinem, quia à nullo emotum est. & vero similius est, non esse saxum *asperum,* si pro termino positum fuerat. Hæc meliùs, illa ampliora, *campus, ager, aruum.* Nam *campus* planiciem dicit, *ager* tractum terræ, *aruum* agri partem. Etiam etymon intendit summa illa eruditione. Lis enim à limitibus, limes à diuisione, qui solueret dominium & possessionem, mutata Græca vocali in Latinam tenuiorem. Hactenus, & his verbis Scaliger. Redeo ad viam. Libro etiam 12. Aiax inducitur

C ———Ἐπικλῆα μεγάθυμον
Μαρμάρῳ ὀκριόεντι βαλών, ὅ ῥα τείχεος ἐντὸς
Κεῖτο μέγας παρ' ἔπαλξιν ὑπέρτατος:———
———*Epiclem magnanimum*
Marmore aspero percutiens, quod intra munitionem
Magnum iacebat, erátque extremum in propugnaculo.

Pari virtute in eodem lib. Hector, ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, &c.

[Lapis ingēs.] 12. INGENS.] Calab. lib. 2. δεινὴν ... πέτρην. Quod sumpsit ab Hom. Hanc saxi granditatem, atque immanitatem explicat Eurip. Phœniss. vocans λᾶαν ἁμαξοπληθῆ, *petram, qua currum impleret.* & alibi in eadem Tragœdia vocat μάρμαρον πέτρον, vt etiam vidisti in Homero. Apollonius lib. 3.

D Λάζετο δ' ἐκ πεδίοιο μέγαν περιηγέα πέτρον,
Δεινόν:———
Accepit ab aruo lapidem magnum, rotundum,
Terribilem.———

Liuius lib. 35. quod est ita magnum, vt præ mole nequeat tractari, vocat *inhabile.*

13. IACEBAT.] Duo noto ad plenum captum Virgilij. [Lapides Terminales erecti.] Primum. Lapides terminales erecti erant. Ergo, lapis hic Virgilianus non iam tum seruiebat dirimendo termino, quando non erectus, imò iacens. Alterum. Erectus Terminus nota erat rei bene gestæ: [Erectus Terminus nota rei bene gestæ.] hoste iam victore, è loco mouebatur, quasi omnia pessumdarentur. Ergo, indicat bello hoc subuersa omnia ab hostibus. Vtrumque probat auctoritas Eurip. in Hec. vbi Polidorus προλογίζων, ita ait:

E Ἕως μὲν οὖν γῆς ὀρθ' ἔκειθ' ὁρίσματα,
Πύργοι τ' ἄθραυστοι Τρωϊκῆς ἦσαν χθονὸς,
Ἕκτωρ τ' ἀδελφὸς οὑμὸς ηὐτύχει δορὶ,
Καλῶς, &c.———
Quandiu igitur recti stabant terræ termini,
Turrésque Troianæ terræ erant illæsæ,
Hectórque frater meus rem feliciter gerebat hasta
Pulchrè, &c.———

Ait scilicet Polydorus, pulchrè cum secum geri in Thracia. Vides, vt terminus rectus sit, non iacens, cùm agros dirimit, quod erat primum: &, vt subuersus

uersus indicaret rem malè gestam, quod erat alterum. Ergo ait Virg. *iacebat*, tum quia iam non seruiebat distemptioni agrorum, tum quia Troiani penè victores euerterant terminos. Hinc colligat obiter Lector *iacentem* terminum, & ὀρθὸν directè opponi. De termino illo, qui non lapide constabat, sed tantùm aratione, alia est ratio. Hi enim termini, cùm loco erant moti, *exarati* dicebantur. Græci, τὰ ὁροθέσια ὀρυχθέντα. (Oppositio.)

(Imitatio.) 14. LIMES AGRO POSITVS, &c.] Ad hanc Musam Stat. lib. 5.

——rapit ingenti conamine saxum,
Quo discretus ager, vacuásque impellit in auras
Arduus Hippomedon.——

Et lib. 6. de re alia loquens, *Metarum instar erat*. Accepere Latini ab Hom. qui post adductos versus ex Il. 21. ita subiicit,

Τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης:
Quem viri primi posuerant vt esset terminus agri,

Calaber lib. 2. ita ab Hom.

——ὁ δ' ἄρ' εἵλετο χείρεσι πέτρην,
Τὴν ῥα βροτοὶ θέσαν οὖρον ἐϋσταχύος πεδίοιο:
——ille verò manibus saxum corripuit,
Quod viri posuerant terminum campi spiciferi.

15. LITEM VT DISCERNERET ARVIS.] Est hoc, quod Tibull.

——non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arua lapis.

(Lis vnde dicta.) Et propriè quidem *litem* vsurpat in hac re, nam *lis* dicta est primùm de *limitibus*, deinde ad alia traducta. (Limitanei fundi.) Inde in iure *limitanei fundi*. & *limitare* est partiri, ac diuidere, quod proprium est termini. Sæpe hæc vocula *lis* scribebatur cum antecedente, *s*, hunc in modum *slis*, quasi *sluis*, aut *sistilis*, à sistenda lite. Inde signatè Noster *litem discerneret*, quasi litem sisteret. (Slis.) Siculus Flaccus vsus est verbo *dirimo*, cùm ait: *Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant.* Græci dicũt διακρίνειν in re agrorum. Ad eum modum quo Hom. dixit. 14. Il. κρίνοντα [illegible] ventum discernentem, id est, ventum iudicem. Stat. lib. 5. de lapide terminali, *quo discretus ager.*

(Imitatio.) 16. VIX ILLVD LECTI, &c.] Hom. sæpissimè hoc inculcat. vt cùm ait 5. Iliad.

——ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος:
——quod non duo ferrent viri,
Quales nunc sunt homines. & ille facilè solus vibrauit.

Paria de Aiace Il. 12. & de Hectore, sed incremento alio, tale fuisse videlicet saxum, vt non duo viri fortissimi attollerent ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος, *in plaustrum à terra*. Relinquo Homerum. Apoll. lib. 3.

Οὔ κέ μιν ἄνδρες ἀίζηοὶ πίσυρες γαίης ἀπὸ τυτθὸν ἀείραιεν:
Neque ipsum viri quatuor ætate floridi paululum à terra tollerent.

Libo aliquid ex Latinis. Stat. 2. Theb.

Saxum ingens, quod vix plena ceruice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre iuuenci,
Rupibus euellit: dein toto sanguine nixus
Sustinet immanem quærens librare ruinam.

Fortassè Statius respexit Euripidẽ, qui Phœniss. grãdem lapidem vocat ἀμαξοπληθῆ, quòd plaustrum impleret. Vel eundem in Cyc. vbi Polyphemus dicitur sustulisse

Τρισσῶν ἁμαξῶν ἀγώγιμον βάρος.
Pondus vix tribus curribus vehendum.

Porrò de hominibus prodigiosarum virium lege Plinium cap. 20. lib. 7. & Martial. Epig. 12. lib. 5.

17. QVALIA NVNC HOMINVM, &c.] Volunt attingi hoc loco à Poëta opinionem illorum, qui dicunt fuisse olim Gigantes. Id ipsum Hom. cùm sæpe illud, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. Certè August. lib. 15. Ciuit. c. 9. his Virgilij versibus astruit fidem de priscorum hominũ statura. Tu vide Mag. lib. 1. Miscell. c. 4. qui de hac re nuperrimè, & plenissimè. Sed esto hoc non ad Gigãtes pertineat, certè multùm ad vigorem, qui in æuo Heroũm vegetior. Ad hanc rem pertinent, tum quæ dicta præcedentibus Notis, tum præclarũ Græcum Epigramma Agathiæ lib. 1. Anthol. vbi lapis Aiacis vocat mortales, qui tunc essent γενεῆς ἀλαπαδνὸν αἶσχος, *dedecora infirmi generis*. & reddit rationẽ, quia cùm facilè ab Aiace fuisset vibratus, à posteris ne moueri quidem posset. Quis nescit illud Iuuen. Sat. 15. vbi locutus de his ipsis lapidibus, quos Heroës iactauerant Turnus, Aiax, Diomedes, absoluit? (Gigantes olim.) (Lapis Aiacis.)

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos. (Homines infirmi labente æuo.)

In quam sententiam illustres sunt Lucretij versus isti,

Iamque adeò fracta est ætas, effœtáque tellus,
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, dedítque ferarum ingentia corpora partu.

18. ILLE MANV, &c.] Noto hîc quidpiam nõ vulgare. Sciunt omnes fuisse in iure actionem de termino moto è loco. & lex Numæ fuit, vt essent sacri boues illius, qui Terminum exarasset. Pluta. etiã ἐν ῥωμ. Terminum vocat ἐπίσκοπον καὶ φύλακα φιλίας καὶ εἰρήνης, *episcopum & custodem amicitiæ & pacis*. Demum, quis nescit religionem Termini, & sacra Terminalia? Ad rem. Quis scit an Poëta in Turno mouente Terminum è loco, ac proinde profanante religionem, voluerit retaliare, quod Turnus ipse non longè antè Troianis obiecerat in oleastro diruto, eo versu: (Termini sacra.)

——colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecère profanos.

19. TORQVEBAT.] Notat Seru. positum imperfectum, quia lapis Ænean non attigit. Sic in 6. Dædalus *conatus erat* casum Icari effingere, quia nunquam effinxit. & suprà in hoc libro, *Augurium cultusque dabat*, quia verè non dedit. & in 2. Androgeos *visu tremefactus abibat*, quia verè non abiit. & millena in hoc Vate. Videntur Græci leporem hunc non curasse, nam millies Homerus imperfecto vtitur in re perfecta. tametsi in Eurip. viderim ἐκαίνετο ξίφει, *occidebatur gladio*. Loquitur videlicet Iphigenia in Taur. quæ verè occisa non fuit. & Hecuba apud eundem καὶ ὢ πρὶν ποτε: *& ego olim eram*. Quare *eram*? quia ea felicitas non fuit perpetua. ideo subiicit: ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ' ἔτι: *& iam deinceps non sum*. Ceterùm sententiæ Virgilianæ *torquebat lapidem*, similis ea Nonni lib. 22. vbi, (Imperfectũ tempus.)

Καὶ λίθον ὑψιπόρον ἐπεσμαράγησε καρήνῳ:
Et lapidem aerivagum crepabat super capite.

Ad verbum Theocrit. Idyll. 22. λᾶας ἴβαλλε.

20. ALTIOR INSVRGENS.] De hoc habitu militari dixi 11. Æn. ad illud, *in clypeum assurgat*. Addo hîc, in his omnibus locutionibus attingi signatiùs athleticum habitum, nam athletæ ad inferendum ictum erigebant se in summos digitos pedũm. Orestes apud Eurip. in Elect. percussurus Ægysthum, ore nuntij loquentis ad Electram, (Athleticus habitus.)

Ὄνυχας ἐπ' ἄκρους στὰς κασίγνητος σέθεν
Ἐς σφονδύλους ἔπαισε, νωτιαῖα δὲ
Ἔρρηξεν ἄρθρα:
Vnguibus extremis insistens frater tuus
In vertebris percussit, tergique
Confregit compages.

Hinc de duobus athletis 5. Æneid.

Constitit in digitos extemplo arrectus vterque.

Quem locum vide, vbi contuli Apollonium, Philonem, Ioannem Chrysostomum. Est hoc quod Eurip.

rip.in Taur.dixit, ἄκροισι δακτύλοισι, *summis digitis*, scilicet pedum.

Metus consilia omnia depellit.

21. SED NEQVE CVRRENTEM SE, &c.] Ad has notas formidinis Turni confero verba Plut. hæc in Artox. ὅμοιος ἦν ὑπὸ δέους τῶν παρόντων ἐκβεβληκότι τοὺς ὑπὲρ τῶν ὅλων λογισμούς, καὶ προϊεμένῳ τὴν τῆς στρατηγίας ὑπόθεσιν: *Id hominis erat, cui præsens formido consilia de summa rerum excussit, & qui officium prodidit ducis.* Metus quippe sensus omnes hebetat. Inde Eurip. in Elect. δείματι, id est, *timori*, dat δυσγνωσίαν *difficultatem in cognoscendo.* Probè ergo de homine timido, *nec cognoscit se currentem, nec cognoscit se euntem.*

Genua labant.

22. GENVA LABANT.] Diceret Aristoph. in Lysistr. τὰ γόνατα κόπος ἔχει καματηρός: *ignauus labor genua occupat.* Vide me 5. Æneid ad illud, *genua labant.*

23. GELIDVS CONCREVIT FRIGORE SANGVIS.] A De hac timoris nota alibi.

24. VACVVM PER INANE.] Vtramque vocem etiam coniungit Lucret. lib. 1.

Scilicet hoc quid erit vacuum, quod inane vocamus?

Aër videlicet nostris oculis inanis esse, & vacuus apparet. Vt hîc *vacuum inane*, ita sup. duplici quoque adiectiuo *longum per inane.*

24. NEC SPATIVM EVASIT, &c.] Contrarium huius est illud lib. 10.

Hunc vbi contiguum missæ fore credidit hastæ.

Et lib. 11. *certam quatit improbus hastam.* Vbi certitudo referri potest ad spatium iaculatoris. & quod in hoc lib. *iaculo longum per inane secutus.* & quod in 10.

Atque oculis spatium emensus, quantum satis hasta.

25. NEC PERTVLIT ICTVM.] Ita in 10 etiam de hasta, *vires haud pertulit.*

a Ac velut in somnis oculos vbi languida pressit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.
b Sic Turno quacunque viam virtute petiuit,
Successum Dea dira negat: tunc pectore sensus
Vertuntur varij. Rutulos aspectat, & vrbem,
Cunctatúrque metu, telúmque instare tremiscit.
c Nec quò se eripiat, nec qua vi tendat in hostem:
Nec currus vsquam videt, aurigámque sororem.

B

ARGVMENTVM.

Comparatio ad explicandum Turni metum.

EXPLICATIO.

a NIHIL potuit Poëta ad hanc rem illustrius. Accidit sæpissimè, vt in somnis multa velle videamur quæ effectu carent: videmur velle currere, aut loqui; neque currimus, aut loquimur, deficiente conatu & voce.

b Talem puta Turnum. Videbatur esse in homine virtus, sed successum negabat Furia. Quid cùm faceret? æstuabat, vt solent dormientes angi, & inde varij sensus vertebantur in pectore. Nam iam suos Rutulos, iam vrbem aspectabat: iam cunctabundus erat præ metu instantis teli. C

c Hos duos versus annecto hunc in modum. Nesciebat quò se eriperet, quia nullus illi currus ad fugam: nesciebat quâ vi in hostem tenderet, absente iam sorore auriga, quæ vires suppeditabat, & confirmabat ægrum.

NOTÆ.

Ephialtes.

1. AC VELVT IN SOMNIS, &c. Notari à Poëta ἐφιάλτην, id est, *incubum*, qui nocturna oppressione videtur suffocare dormientes, credamus. Inde verbum *pressit* signatum ad rem. Comparatio ipsa sumpta est ab Hom. Iliad. 22. vbi de Hectore loquens simili malo, quo Turnus, oppresso, D

Imitatio.

Ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν,
Οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν.
Ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσίν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι:
Quemadmodum in somno non potest fugientem insequi,
Neque hic hunc potest fugere, neque is insequi:
Sic hic illum non poterat assequi pedibus, neque ille effugere.

Oppian. 2. Hal. ad Virgilium potiùs, quàm ad Homerum aspirauit his versibus,

Οἷον δ' ὀρφναίοισιν ἐν εἰδώλοισιν ὀνείρων
Ἀνδρὸς ἀτυζομένοιο καὶ ἱεμένοιο φέβεσθαι
Θρώσκει μὲν κραδίη, τὰ δὲ γούνατα παλλομένοιο
Ἀσπερχὲς ἅτε δεσμὸς ἐπειγομένοιο βαρύνει:
Qualiter autem obscuris in simulacris somniorum
Viri dolentis & cupientis fugere
Salit quidem cor, genua verò perculsi
Firmum quasi vinculum festinantis grauat.

2. VBI LANGVIDA, &c.] Huiusmodi quietem vocat Plut. in Anton. αἰσθήσεως ἀμαυρωσιν παραλυομένης, quià verè hîc languor hebetat resoluítque sensus, & etiam κόρον ὑπνώδη, *torporem somno grauem.* Quies languida.

3. VELLE VIDEMVR.] Vox quæsita ad signanda somniorum ludibria; nam quæ videntur, non sunt. Ita 1. Georg. stellæ *videntur* labi è cœlo, quæ non labuntur. Ludibria ista somniantium attingit Plut. in vita Iulij, ὥσπερ εἴδωλον ἢ ὄνειρον ἠφανίσθαι, *euanuit, vt spectrum, aut somnium.* & in vita Periclis, οἱ δὲ καὶ Τυρρηνίαν, καὶ Καρχηδόνα ἐνίοις ὀνειρώσσειν: *aliqui Hetruriam, & Carthaginem somniabant.* Eunapius in vita Proæresij, ὀνειρώξαι δοκῶν ἐκεῖνα ἃν ἐπεθύμησεν: *quasi per somnium visum est ea cernere, quæ auidè cupiebat.* Cedren. pag. 475. τὴν ἐλευθερίαν φαντάζονται, *somniant libertatem.* & pag. 589. τὴν Βουλγαρικὴν ὀνειροπόλει ἀρχήν: *Bulgaricum somniabat Imperium.* Liu. lib. 33. *Velut somni vanam speciem.* Synes. lib. de insomn. καὶ αἱ συχναὶ μαγγανεῖαι καθεύδουσιν ἐπιτίθενται: *crebra dormientes ludibria inuadunt.* Eurip. in Taur. exaggerans ait, ὀνείρων εἰσὶν ἀψευδέστεροι: *sunt minùs mendaces somniis.* Nonnus præclarè lib. 35. dixit, βαθυπλανέος Somniantiū ludibria.

ἐν

ἐν ὕπνοις. Nam sæpe somnians putat se esse diuitem, A quam rem longè ille. Hoc idem Petron. Sat.

Noct: soporiferæ veluti cum somnia ludunt
Errantes oculos, &c. ———

Pergit multis. De eo, qui videtur sibi in somnis currere, lege Artem. lib. 1. ὀνειρ. c. 60. Notat verò præclarè Iul. Scal: comparans locum Virgilij cum Homerico, Virgilium cùm dixerit,

———*nequicquam auidos extendere cursus*
Velle videmur.———

voluisse verbo isto *videmur* veluti cursum ipsum syllabico accentu extendere. In aliis enim versibus ferè est cæsura, hîc autem superest adhuc vna syllaba.

4. IN MEDIIS CONATIBUS.] De conatibus dormientium Propert. Eleg. 26. lib. 2.

Linquere ego conabar summo me mittere saxo.

5. NEC VOX, NEC VERBA SEQVVNTVR.] Est hoc, quod in 6. *Clamor frustratur hiantes.*

Furiæ Deæ. 6. DEA.] Eurip. quoque in Orest. Eumenidas vocat θεάς. Iterum, σεμναὶ θεαί. Sed de hoc iam lib. 7.

Equorum sermo. 7. SENSVS VERTVNTVR VARII.] Credo sumi locutionem ab stimulis equorum, vt in 6. *stimulos sub pectore vertit Apollo.* Vt enim equi locis variis stimulátur punguntúrque ab perito sessore: ita curæ variæ Turnum vrgent iam hinc, iam inde.

Imitatio. 8. RVTVLOS ASPECTAT, ET VRBEM.] Ducta hæc ab Hom. Iliad. 22. vbi etiam Hector instante iam Achille,

———ὁρμήσειε πυλάων Δαρδανιάων
A ἀντίον ἀΐξασθαι,———

videlicet,

εἴ πως οἱ καθύπερθεν ἀλάλκοιεν.———

———*nitebatur ad Troianas portas*
Aduersum ire.———
Si quomodo ei desuper auxiliarentur.———

Plutar. in vita Themist. loquens de Peloponnesiacis occupatis simili pauore ait, ἀπεσκόπουν πρὸς τὸν Ἰσθμόν, *respectabant ad Isthmum.*

9. CVNCTATVRQVE METV.] Ammian. lib. 17. *Gressus vinxerat timor.* Idem lib. 14. præclarè ad rem Virg. *Solent, manum iniectantibus fatis, hebetari sensus hominum, & obtundi.* Hoc Turno accidit, cui iam fata iniiciebant manum. Timorem dici δεῖμα, & δέος, quòd B liget membra, certum est. Ad rem quoque sunt verba Iosephi lib. 7. Bell. c. 16. δέος δὲ καὶ τοῖς τυράννοις ἐμπέπτει σφοδρότερον τῆς ἀνάγκης. πρὶν γὰρ ὑπερβῆναι τοὺς πολεμίους ἐνάρκων τε καὶ μετέωροι πρὸς φυγὴν ἦσαν: *Timor Tyrannos inuadit fortior ipsa necessitate, nam priusquàm transgrederentur hostes, torpore tenebantur, & suspensi erant ad fugiendum.* & post pauca. πλάζοντος τὰς ὄψεις τοῦ δέους, ἐπὶ στόμα πεσόντες, ἀνώμωζον τὴν ἑαυτῶν φρενοβλάβειαν, καὶ καθάπερ ὑποκεκομμένοι τὰ νεῦρα τῆς φυγῆς ἠπόρουν: *Metu oculos fallente in ora prostrati pro sua dementia querebantur: ac veluti succisi neruos, qua fugerent, hæsitabant.* Timor cunctationem immittit.

10. AVRIGAMQVE SOROREM.] Hæc pars ducta est ab 22. Iliad. vbi Hector tunc intellexit se moriturum, vbi prope se iam non vidit Deiphobum. Dicit *aurigam* adiectiuè, vt Tertull. de Spect. c. 9. *aurigis coloribus.* quem in locum vide Franc. Iunium.

ᵃ Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminùs intorquet. ᵇ murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, oráque recludit
Loricæ, & clypei extremos septemplicis orbes
Per medium stridens transit femur: incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
ᶜ Consurgunt gemitu Rutuli, totúsque remugit
Mons circùm, & vocem latè nemora alta remittunt.

ARGVMENTVM.

Torquet Æneas hastam in Turnum, hic ictus in terram cadit, congemunt Rutuli ad prostratum ducem.

EXPLICATIO.

ᵃ DESCRIPSIT suprà Turnum præ metu hærentem. Arripit Æneas tempus sortitus ingẽtem fortunam, & hastam in illum cũctabundum vi plena intorquet. Illud, *sortitus fortunam oculis*, explicat Seru. hoc scholio: *Hunc locum* (meliùs diceret, hoc D tempus) *ad feriendum oculis elegit Æneas, quem fortuna destinauerat vulneri.*

ᵇ Sequitur triplex comparatio ad significandam virtutem, & robur validum, quo intorta hasta ab Ænea. Vidisti impetum, quo è catapultis & balistis emissa tela murorum saxa affligunt, & effringunt. dissultantes in omnem partem crepitus & fragmina ex lapidibus, in quos fulmen incussit: volantem per aëra atrum turbinem; talem puta Æneæ hastam, quæ C dirum attulit exitium. Nam reclusit loricam, viámq; aperuit per septenos orbes clypei, neque hîc morata; Turni femur cum stridore pertransiit, seruato vigore integro. Turnus statim, quamuis ingens, duplicato poplite in terram concidit. Non aliter decuerat loqui de virtute Æneæ, déque eius hasta; & extremo vulnere, quo mactandus Turnus, & imponendus finis huic operi tragico.

ᶜ Is fuit Rutulorum gemitus ad cadentem in terram ducem suum, vt mons totus mugiret, nemora vocem mitterent. imò mons *remugiret*, nemora vocem *remitterent*. Ita explicat viuidiùs iteratum gemitum, in quem omnes consurrexerunt.

NOTÆ.

1. CVNCTANTI TELVM, &c. Ab illo Iliad. 22.

———ἣν (αἰχμὴν) ἄρ' Ἀχιλλεὺς
Πάλλεν δεξιτερῇ, φρονέων κακὸν Ἕκτορι δίῳ:
———*quam (cuspidem) Achilles*
Vibrabat dextra, malum cogitans diuino Hectori.

2. TE-

Fatale telum.

2. TELVM FATALE.] Vt in quo telo fata Turni. Itaque de Ænea, vt de Deo loquitur, nam in eius dextra, aut vita, aut mors Turni. Simili ferè encomio hastam Achillis afficit Pind. Od. 9. Olymp. vocans δαμασίμβροτον, vt quæ mortales domaret.

Imitatio.

3. SORTITVS FORTVNAM OCVLIS.] Versus Homeri hîc de Achille dirigente hastā contra Hectorē,

Εἰσορόων χρόα καλὸν, ὅπῃ εἴξειε μάλιστα.

Intuitus corpus pulchrum, quanam parte melius cederet, indicat Ænean quoque oculis contemplatum, quānam in partem ictum dirigeret. ac tum elegit oras loricæ, & extremum orbem clypei, vt traiecto femore hostis concideret. Dixit *fortunus*, vt Eurip. in Herc. de re simili, ὁ δορὸς πολυλόχων; *quamnam hastam sortitus est?* id est, qua hasta concidit?

Nixus totus in torquendo.

4. CORPORE TOTO.] Est hoc, quod Stat. 2. Theb. *dein toto sanguine nixus.* Videtur verò mihi Poëta dixisse *toto corpore* ad discrimen lapidis, quem Turnus iecerat, qui *non totum euasit spatium*, quia videlicet nō iactus *toto corpore*, sed tantùm vna *manu*, & hac *trepida.* Itaque huic loco conueniunt verba Sen. lib. 2. de Benef. c. 6. *sicut in telis eadē ferri vis est, sed infinitum interest, vtrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant.*

Eminùs.

5. EMINVS.] Idem est, quod *è manu*, nam eminùs telum mittitur, cùm è manu dimittitur. Ennius in Lytr. Hectoris,

Quem mea cominùs machæra, atque hasta hostiuit è manu.

vbi *cominùs*, & *è manu* opponuntur. Pulchrè hoc genus mortis expressit Oppian. lib. 2. Cyn. vocans φόνον πτερόεντα, *alatam cædem.*

6. MVRALI CONCITA NVNQVAM TORMENTO, &c.] Aliquid ad hanc Musam Stat. Theb. 5.

——vacuásque impellit in auras
Arduus Hippomedon. quo turbine bellica quondam
Librati saliunt portarum in claustra molares.

Æneæ virtus militaris.

7. SAXA FREMVNT.] Hoc ad gloriam hastę Æneæ. vt enim saxa confremunt percussa tormento belli, ita arma hasta Æneæ. De hasta Achillis ait Philost. in Heroïc. hunc in modum. τὸ δὲ στόμα τῆς αἰχμῆς ἀδάμαντός τι εἶναι, καὶ πάντα διακόπτειν: *cuspidis aciem constare ex adamante, atque omnia dissecare.*

Dissulto.

8. DISSVLTANT CREPITVS.] Ita apud Stat. lib. 5. ad contortum telum vi Hippomedontis,

Dat sonitum tellus, nemorúmque per auia densi
Dissultant nexus.——

Explica verbum *dissultant* ad eum modum, quo Sen. epist. 45. dixit *grandinis more dissultant.* aut, vt idem lib. 1. de Clem. c. 4. *Imperij contextus in partes multas dissiliet.*

9. VOLAT.] Liu. lib. 26. *Ingēs enim iam vis omnis generis telorū è muris volabat.* Sed hoc illustraui locis aliis.

Turbinis comparatio

10. ATRI TVRBINIS INSTAR.] Hæc, & præcedētes comparationes assumuntur tam ad celeritatem explicandam, quàm ad nocumentum. Sic apud Eurip. in Herc.

Εἶμι γ' οὔτι πόντος ὧδε κύμασι στένων λάβρος,
Οὔτε γῆς σεισμὸς, κεραυνοῦ τ' οἶστρος ὠδῖνας πνέων,
Οἷ' ἐγὼ στάδιον δραμοῦμαι.——
Vado, neque pontus adeò celeriter fluctibus ingemiscens,
Neque terræ motus, neque impetus fulminis spirans dolores,
Vt ego curram.——

Et in Phœniss. in re simili. τυφὼς ὥστε, *instar turbinis.* Veget. lib. 4. c. 22. *saxa fulminis more contorquet.*

11. ORAS.] Factus ictus, vt apparet, ad extremam loricæ partem, & clypei deuexitatem. Hanc partem elegit Æneas, fortasse vt icto femore, vulnus retaliaret, quod ipse acceperat. Deinde noluit cor, aut partem aliam lethalem, nam tantùm fuit animus Turnum sternere, non occidere, vt esset locus fini tragico secuturo. Fuit enim Virg. vigilantissimus.

Virgilij vigilantia.

12. RECLVDIT.] Quid si ducta locutio ab aratro? fortasse. Certè Eurip. hastæ dedit ἀλοκα in Herc. Fur. Ergo, sicut sulcat aërem, sic scindit corpus.

13. CLYPEI SEPTEMPLICIS.] Hom. σάκος ἑπταβόειον. Ouid. 13. Metamorph. *Dominus clypei septemplicis Aiax.* Fortasse signato numero multitudo quæuis capienda.

Psalmus, de stridore teli.

14. STRIDENS.] Notes, ab vno, quod sciam, Euripide, *psalmum* poni pro isto stridore aut hastarum, aut sagittarum. Nam in Ione, ψαλμοὶ τόξων. & in Her. ψαλμῷ τοξεύσας.

15. DVPLICATO POPLITE.] In 10. *duplicatq; virum.*

16. CONSVRGVNT GEMITV.] Caue putes, sententiam esse, surgunt & cum gemitu. An sedissent eo tēporis articulo? sed sentētia est. Cōsurrexit sublatúsq; est omnium gemitus. Omnino quod Philostr. lib. 1. Icon. ἐπὶ δὲ ὀρθαῖς. Paria loca alibi adduxi.

Mons cur sonet.

17. MONS CIRCVM.] Quippe ab insonāte fremitu Echûs. & ideo *mons*, fortasse quia Eurip. in Hecub. notans vocem Echûs, πέτρας ὀρείας παῖς Ἀχώ: *insonuit filia montana petra.*

Vox, de inanimis

18. VOCEM NEMORA ALTA REMITTVNT.] Ita de inanimis, quod iam alibi. Eurip. in Ione, κιθάρας ἀοιδάν: *vocem cithara.*

[a] Ille humilis supplexque oculos, dextrámque precantem
Protendens: equidem merui, nec deprecor, inquit.
Vtere sorte tua. [b] miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro: fuit & tibi talis
Anchises genitor, Dauni miserere senectæ.
[c] Et me, seu corpus spoliatum lumine mauis,
Redde meis, vicisti, & victum tendere palmas
Ausonij vidêre; tua est Lauinia coniux:
Vlteriùs ne tende odiis. [d] stetit acer in armis
Æneas voluens oculos, dextrámque repressit.

ARGVMENTVM.

Preces victi Turni ad Ænean victorem.

EXPLICATIO.

[a] OCCVRRAT tibi Lector ferocitas Turni, iactantia, gloria, quæ sparsa in præcedentibus, & confer cum statu, in quo nunc est humilis & supplex, atque oculis, & manibus precabūdis. Fatetur se supplicium mereri extremum, victúmque, & corā suis. qua confessione quid maius ad gloriā Æneæ?

[b] Postquam fassus culpam & mortis meritum, iā precatur pro vita, non suis meritis, quæ nulla; sed patris Dauni, quæ vt sint valida coniungit cū memoria Anchisæ, vt huius recordatione miseria Dauni emol-

emolliat animū Æneæ. Quaſi dicat: Quid perſentiſceret Anchiſes te arrepto morte immatura? Idē puta de Dauno. Præclarè verò animaduertit Scal. l. 3. Poët. c. 27. conſultò Anchiſem priorem nominatū, quàm Daunum, ad maiorem ſcilicet efficaciam precum. Quam rem admiratus, ita abſoluit: *Profectò cum Virgilio nullus arte, aut iudicio comparandus.*

c Quid verò petit? *Redde me viuum meis.* Id certè petit, etiamſi non auſus fuerit τὸ *viuum* proferre, vt qui cauſa fuerit tot cædium Troianorum. Pergit. Si nolis viuum, certè mortuum. Quibus vrget? tribus. Primo, *viciſti*, quantum eſt, hoc de altero fateri: Deinde, *& victum tendere palmas Auſonij videre.* quantum eſt, hoc de ſe aliquem fateri? Tertio, *tua eſt Lauinia coniux.* efficaciſſimum hoc ad ſiſtendam omnem iram. Quaſi dicat: Tua eſt Lauinia, & coniux. Quid aliud vis: Hæc enim eſt belli cauſa, non mea mors. Ideo *vlterius ne tende odiis*, id eſt, ne me interfice. Perinde ac ſi dicat: Ego palmas tendo, ne tu odia intende.

d Victus ferè Æneas eſt, & niſi noua doloris cauſa accederet, Turno parceret. Itaque *ſtetit voluens oculos* huc, illuc dubitabūdus, an interficeret, & interim *dextram repreſſit.* Sed cur *acer in armis?* quia ſibi, & iræ temperare magna eſt virtus. Itaque non ſolùm refertur ad præteritam militiam, & ad præſentem virtutem, qua Turnum proſtrauit: ſed ad victoriam ſui.

NOTÆ.

Humilis. 1. ILLE HVMILIS.] Non ſolùm, quia victus ſed verè *humilis*, quia humi ſtratus. Vnde Græci non ſolùm ταπεινὸν vocant, ſed propriè χθαμαλὸν, tanquam ὁμαλὸν ἐπὶ χθονὶ, *complanatum & æquatum terræ.* Vnde verò hæc ſubmiſſio animi, & compreſſio arrogantiæ?

Bello cur gratiæ habendæ. verè dixit Syneſius epiſt. 140. meritò habendam bello gratiam, quòd πολλοὺς ἀλαζόνας παραλαβὼν, μετριωτέρους ἡμῖν ἀποδίδωσι, *multos, quos arrogantes accepit, moderatiores nobis reddat.* Ammian. lib. 16. loquens de Barbaris *humiles in aduerſis, diſpareſque in ſecundis.* Cui accinit Plutar. in vita Luculli, οὐδὲν γὰρ ἀνθρώπου δυσκολώτερον ἐν πράσσειν δοκοῦντος, οὐδ᾽ αὖ πάλιν ἥττον ὑπέρ ἀπαθείας, ταπεινωθέντος ὑπὸ τῆς τύχης: *Nihil eſt enim homine rebus ſecundis elato contumacius, neque parentius imperio rebus aduerſis deiecto.*

Oculos protendere. 2. OCVLOS.] Hærebam, an ita coniungendum, *ſupplexque oculos dextramque*, &c. ita vt Turnus dicatur fuiſſe ſupplex oculis, quos deiectos haberet præ pudore. Sed melius multo eſt, vt dicat, *oculos dextrámque precantem protendens.* Ita vt dicatur, non dextram, ſed oculos etiam protendere: quia ipſe 2. Æneid. *tendens ardentia lumina.* & Horat. epiſt. 1. lib. 1. *oculo contendere.* & Catull. *aciem protenderet.* & Græci ὄψιν ἐκτείνειν βλέπειν.

3. DEXTRAMQVE PRECANTEM.] Hypallage: nam quod eſt vocis dat manui, vt hoc ipſo indicet, membris omnibus precabundum Turnum. Itaque precatur non ſolùm ore, ſed manibus, oculis, toto corpore. Nihil enim tunc potuit maius dare. Præclarè A-

Preces magnum pretium. pul. 3. Florid. *Neque enim aut leui mercede emit qui precatur, aut paruum pretium accipit, qui rogatur.*

4. PROTENDENS.] Poſt pauca, *& victum tendere palmas.*

5. EQVIDEM MERVI.] Eleganter Claud. 2. Eut. *Dum pereunt, meminêre mali.*

6. NEC DEPRECOR.] Græci, οὐ παραιτοῦμαι, οὐκ ἀπαιτοῦμαι.

7. VTERE SORTE TVA.] Indicauit mihi Morlan. Ouidium, qui in Epiſt.

Ius tibi & arbitrium noſtræ fortuna ſalutis
Tradidit: inque tua eſt, vitáque, mórſque manu.

Horat. *Gaude ſorte tua*, & Virg. Sil. 15. *vtere Marte tuo.*

8. MISERI TE SI QVA PARENTIS, &c.] Locus Imitatio. Hom. Iliad. vlt. vbi Priamus ad Achillem,

Μνῆσαι πατρὸς σεῖο, θεοῖς ἐπιείκελ᾽ Ἀχιλλεῦ,
Τηλίκου ὥσπερ ἐγών, ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.
Recordare patris tui ô Diis par Achilles,
Euiſdem ætatis, vt ego in graui ſenectutis limine.

9. TANGERE CVRA POTEST.] Lege illud lib. 9. *nec ſolos tangit Atridas iſte dolor.*

10. FVIT ET TIBI TALIS ANCHISES GENITOR.] Ad hanc ὁμοιοπάθειαν confert Macrob. cap. 6. lib. 4. Homœopathia. illud *patriæ ſtrinxit pietatis imago.* & *ſubiit chari genitoris imago.* & illa Didûs,

Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit conſiſtere terra.

Eſt & ὁμοιοπάθεια in illo Hectoris morientis ad Achillem,

Λίσσομ᾽ ὑπὲρ ψυχῆς, καὶ γούνων, σῶν τε τοκήων:
Precor per tuam animam per genua, per parentes.

Et in illo Clytæmneſtræ ad Achillē apud Eurip. Aul.

Πρὸς γενειάδος, πρὸς σῆς δεξιᾶς, πρὸς σῆς μητέρος:
Per mentum per tuam dexteram, per matrem.

Iphigenia quoque moritura ita ad patrem Agamemnonem,

——μ᾽ ἀποκτεῖναι θέλεις;
Μὴ πρός γε Πέλοπος, καὶ πρὸς Ἀτρέως πατρὸς,
Καὶ τῆς γε μητρὸς, ἣ πρὶν ὠδίνουσ᾽ ἐμὲ,
Νῦν δευτέραν ὠδῖνα τήνδε λαμβάνει:
——*me vis occidere?*
Ne per Pelopem, & patrem Atreum,
Pérque matrem, quæ me priùs pariens cùm dolore,
Nunc patitur ſecundos hos dolores partus.

Oppian. 2. Cyneg. αἰδόμενος γενέταο γῆρας: *veritus ſenectutem patris.* Eſt Oppiano ſermo de fera ſupplicante pro matre capta à venatore. Locus eſt digniſſimus, qui legatur.

11. DAVNI MISERERE SENECTÆ.] Πάθος ab ætate; vt, *infelix æuo confectus Aletes.* & *caniciem immundo deformat puluere.* Vt hîc *miſerere* ita Eurip. Med. οἴκτειρον, οἴκτειρε με τὴν δυσδαίμονα: *miſerere, miſerere mei infelicis.* Ætatis affectus.

12. ET ME, &c.] Similes ſunt preces Hectoris ad victorem Achillem. Imitatio.

Σῶμα δὲ οἴκαδ᾽ ἐμὸν δόμεναι πάλιν, ὄφρα πυρός με
Τρῶες, καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα:
Corpus meum reddas domum ferendum, vt igne me
Troiani, & Troianorum vxores dignentur mortuum.

Simile votum Polynieis morientis cupientiſq; apud Eurip. Phœniſſ. ſepeliri ἐν γῇ πατρῴᾳ.

13. CORPVS SPOLIATVM LVMINE.] Id eſt, cadauer. Vide 2. Æneid. ad illud. *nunc caſſum lumine lugent.* videtur æquiſſima Turnus petere, nam ipſe quoque Pallantis corpus remiſerat, etiam cum armis.

14. LVMINE.] Id eſt, vita. Eurip. in Herc. ἐκλιπὼν φάος, *relinquens lumen.* & in Ione, φάος εἰσορᾶν. & in Alceſt. ὄμμασι δέρκων, *videns oculis*, pro, viuens: ibid. αὐγὰς εἰσορᾶν, pro, viuo. Sic contrà Eurip. in Ione, οὐ νύκτας δέρκεται, *non noctes videt.* & in Helen. σκότῳ κεκεύθεται, *latet in tenebris* pro, mortuus eſt. Iterum, Lumen pro vita.

Τὰν χθονίαν ἔχει τύχαν:
Habet terreſtrem fortunam.

Quaſi dicat, latet iam ſub terra, neque videt lucem.

15. VICISTI, ET VICTVM, &c.] Illuſtrat hoc Columna ab Ennio, qui ait,

Qui vicit, non eſt victor, niſi victus fatetur,

Ab Nazian. qui initio ſuorum operū, ἥττημαι, καὶ τὴν ἧτταν ὁμολογῶ: *Victus ſum, & me victum agnoſco.* Adiungo, fuiſſe Ouidium imitatorem Virgilij lib. 5. Metamor.

Confeſſaſq; manus, obliquáque brachia tendens,
Vincis, ait, Perſeu.——

Fuit

Vicimus, Prouerb.

Fuit in Romano Populo prouerbialis forma in cantu victoriæ hæc, *vicimus*. ex qua Lucill. quem aduocat Donat. in Eun. Terent.

Vicimus ô socij, & magnam pugnauimus pugnam.

Ouid. Eleg. 10. lib. 3. Amor.

Vicimus, & dominum pedibus calcamus amorem.

Et 10. Metamorph. *gaude mea dixit alumna, Vicimus.*

Manus sublatæ, cuius rei signum.

16. TENDERE PALMAS.] Elegantissimus locus: non enim tantùm manus attollit ad precandum, vt supplex: sed in signum, quo & se victum fatetur, & alterum victorem. Attigit morem istum Hieronym. in Dialogo Luciferiani & Orthodoxi: *En tollo manū, cedo, vicisti.* Sanctus etiam Eligius Episc. Nouiomens. in Homil. 8. ait, qui pœniterent solitos porrigere manus in sublime, & hoc esse indicium pœnitentiæ. Callim. Hymn. in Del. πήχεας ἀμφοτέρους ὀρέγουσα; *tendens brachia vtraque.* Græci passim in hac re ἄρειν τὰς χεῖρας. De digito vno sublato in signum τῆς ἥττης, vide quæ Lipsius lib. 2. Satur. c. 21. & quæ iam ex Persio, & Athen. Erasm. Ch. 3. Cent. 4. c. 14. vbi etiam aduocat locum Hieronymi præfatum.

Digitus sublatus.

A 17. VLTERIVS NE TENDE ODIIS.] Nihil trepidantius Turno. Notat quippe eminēs Poëta timorē mortis potentiorem esse omni voluptate in voluptuosis. Vide quàm effrænatè & inconsultò raperetur Turnus in amorem Lauiniæ: & quàm nunc cedat facillimè. Verè scripsit Philostrat. lib. 8. vitæ Apollon. c. 5. οἱ μὲν γὰρ εὔψυχοι, ξὺν ὀργῇ τελευτῶσιν. οἱ δ' ἀθυμότεροι, ξὺν δέει: *Animosi qui sunt, cum ira moriuntur: qui molliores, cum timore.* Inde hîc Turnus, qui amatorculus Lauiniæ, perquàm timidus mori inducitur. Contrà Hector, in quo nō hoc vitium, prostratus adhuc, & sub Achille, ac iam expectans fatum, tamen audax est.

Volupt. uoli mores.

B Ita enim ad Achillem victorem,

——— ἦ γὰρ σοί γε σιδήρεος ἐν φρεσὶ θυμός:

——— *verè tibi ferreus intus est animus.*

18. VOLVENS OCVLOS.] Eurip. in Orest. δέχμια κόρας διαφέρειν ὀμμάτων. & ἑλίσσειν βλέφαρον. Iterum, δινοῦμενον ὄμμα. & in Bacch. διαστρόφους κόρας ἑλίσσειν. & Phœniss. κυκλῶν πρόσωπον. ibid. κόραισι πολυπλάνοις. Habes multa 8. Æneid. ad illud. *facilésque oculos*, de eodem Ænea facilè lustrante omnia.

Voluere oculos.

ᵃ Et iam iámque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, infelix humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Strauerat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
ᵇ Ille oculis postquam sæui monumenta doloris,
Exsuuiásque hausit, furiis accensus & ira
Terribilis. Túne hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
ᶜ Hoc dicens, ferrum aduerso sub pectore condit
Feruidus: ast illi soluuntur frigore membra,
Vitáque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

ARGVMENTVM.

Mors Turni veluti in Pallantis victimam, quo nobili obitu clauditur illustrissimum opus Æneidos.

EXPLICATIO.

ᵃ ÆNEAN vbique piū proposuit, etiā hoc loco, in quo mors Turni, nā iā cūctabundus ad cædē erat precibus victi hostis, nisi in humero Turni balteus apparuisset Pallantis, quem ille interfecerat, assumpto ad gloriam eo insigni. Dicitur balteus *infelix*, quia nulli domino felix, non Pallanti, à quo ereptus, non Turno, qui eripuit. In illis, *bullis notis*, est ingens πάθος. Notat enim recruduisse Æneæ dolorem, D & *pueri* ait ad eandem doloris notam. cur dicat *balteum*, & *cingulum*, dicam in Notis.

ᵇ Admirabilis hoc loco est Virg. Non aliter decuerat piū Æneā ac mitem sæuire in hostem victum ac prostratum. Nā visis exsuuiis, ac proinde reuocato in memoriam dolore amissi & interfecti Pallantis, accensus in irarum furias, passus non est, eripi sibi è manibus hominem indutum suorum spoliis, eúmq; tāquam victimam pro amico immolat, & amici nomine. Hāc partem in ira expendit Scal. lib. 3. Poët. c. 12. *Quare neque deprecantem Turnum interficit, donec alteram fortitudinis partem potiorem ducat, vltimam scilicet necessitudinum. Itaque, ne se quidem auctorem vult facere, vt alibi, Æneæ magni dextra cadis; sed reiicit in necessitatem. pulcherrima nempe figura etiam à Rutilio descripta. Pallas te hoc* C *vulnere, Pallas immolat, tanquam inferias illi pro victima, non tanquā hostem, qui bellū intulerit: non riualem, qui vxorē petat: non fortunarum depopulatorem, qui Regno fatali arceat.* Geminatio illa *Pallas, Pallas*, indicat indignationē Æneæ. &, *scelerato ex sanguine*, quasi scelus admiserit Turnus in pueri Pallātis cæde. Iustissimum est ergo, vt ab scelerato homine pœnas repetat etiam pius: hoc enim à pietate alienum non est.

ᶜ Ideo *sub pectore*, quia illatū vulnus in cor. Solutus statim morte est Turnus, & cum ingenti gemitu indignata anima fugit sub vmbras inferorū. Nota oppositionem. Æneas ira est feruidus, Turnus morte frigidus: ab illius feruore huius lethale frigus. Nullū penè verbum in extremo versu non emphaticum, nimirum *cum gemitu*, & *fugit*, & *indignata*.

NOTÆ.

1. CVNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT.] Stat. lib. 11. Theb. multis imitatus est locum istum; potiora sunt, *his paulum furor elanguescere dictis cœperat.* & inf. *hebent iræ.* & Alcimus Auit. lib. 2. de Mūdi orig.

Flectere alterius animum.

Credula submisso miratur femina vultu,
Et iam, iámque magis cunctari & flectere sermo
Incipit. ———

Plutarch. in vita Niciæ, ταῦτα τοῦ Νικίου λέγοντος ἐπαθέ μέν τι καὶ πρὸς τὴν ὄψιν αὐτοῦ, καὶ πρὸς τοὺς λόγους ὁ Γύλιππος: *Hac cùm diceret Nicias, Gylippus commotus est, tum conspectu illius, tum sermone.* vbi verbum ἔπαθε est Virgilianum *flectere* ex compassione. Idem in vita Eumenis, μετὰ μικρὸν δὲ συμπαθὴς γενόμενος, τῶν δεσμῶν τοὺς

βαρεῖς

θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀφ' ἐλεεινὸν: *paulatim ad misericordiam flexus, catenas graues adimi iussit.* Hom. Iliad. 6. τῷ δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἐπειθε: *huic animum in pectoribus suadebat.*

Similitudo historiæ. 2. INFELIX HVMERO CVM APPARVIT, &c.] Nō longè abit Historia Herodian. lib. 5. etiamsi sermo sit de re alia. ἤδη μὲν πῶς ὁ Σεβῆρος ἐνεδίδου πειθοῖ τῶν ὑπὸ τοῦ Πλαυτιανοῦ λεγομένων ἐς τε ὁ ὑπεφάνη τῶν θώρακος μέρος καταρραγείσης τῆς ἐσθῆτος: *Paulatim Seuerus cœperat suaderi, atque adduci Plautiani verbis, donec pars lorica per scissurā vestimenti apparuit.* Quo argumēto illicò obtruncatus est Plautianus.

Lectio Virgiliana. ALTO.] Præfero hanc lectionem, & hanc habet Ser. Pet. Dan. legunt aliqui *ingens.* Scio coniungi posse bina adiectiua: sed id si impediri possit, melius est.

Baltcus militaris. 4. BALTEVS.] Militaris est, cuius magna mentio in ornamētis militū. Sil. lib. 10. *tergo qua balteus imo.* Græci ζωστῆρα nominant à cinctione. Mitto rem tritam. Nota & genus neutrum. Nam Liu. loquens de Samnitibus; *aurata baltea illis erant.*

5. ET NOTIS FVLSERVNT CINGVLA BVLLIS.] Annō pleonasmus ridiculus? Nā si balteus est militare cingulū, quid oportuit vtrāq; vocem dari? sed explicet Virg. Varr. Ait hic, *Balteū, quod cingulū è corio habebat bullatū, balteū dictū.* Itaque balteus propriè erat, cui annexa cinctio. Explico hoc.

Baltei duplex vsus. Duplex fuit officium baltei. Primū, vt ab eo gladius penderet. Alterū, vt cingeret. Isidor. clarè lib. 19. c. 33. *vnde & balteus dicitur, nō tantū quod cingitur, sed etiam à quo arma dependent.* Ideo vtrāq; vocē cōiungit Maro nullius doctrinę expers. Inde & Treb. Pollio in Salonino scribit: *Cum cingula sua plerique militantiū, qui ad cōuiuiū venerant, poneret hora conuiuij, Salonin. puer auraeos cōstellatosq; balteos rapuisse perhibetur.*

Bullæ. 6. FVLSERVNT CINGVLA BVLLIS.] Cūm bullæ sint (mitto alia significata) clauiculi, vt liquidum ex Plaut. qui Asin.

Iussisti in splendorem dari bullas has foribus nostris.

& ex Tull. qui ait, Verrem bullas aureas ex valuis tēpli magnificētissimi abstulisse: cū sint (inquā) clauiculi, hîc accipiuntur pro gēmis, & ornatu illo, qui instar clauiculorū, aut stellarū adornat balteos. Itaq; nihil aliud sunt fulgentes bullæ in cingulis, quàm quod modò dicebam ex Trebel. *auratos constellatosque balteos.* & quod idem de Gallieno; *gemmato balteo est vsus.* Auson. in Cupidine: *aurata fulgentia cingula bulla.* Simocat. lib. 5. Hist. c. 3. λιθοκόλλητον ζώνην: *balteum, cui inserta gemma.* Claud. loquens de Parthis lib. 2. Rapt.

Parthia quæ tantis variantur cingula gemmis.

Baltei ornatus. Neque verò solùm gemmis ornabantur, sed etiam pictura. Apul. 2. Florid. *Habebat cinctui balteum, quod genus pictura Babylonica, miris coloribus variegatum.* Nonnulla ex his Lips. coniunxit.

Balteus ex humeris. 7. ATQVE HVMERIS, &c.] Verè. Nam militari more balteus ex humeris pendebat. Hesiod.

Ὤμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο
Χάλκειον ἐκ τελαμῶνος: ———

Erat ipsi ensis ferreus nigra inclusus vagina ex loro appendens humeris. Sed de hoc more dicebam alibi.

8. ILLE OCVLIS POSTQVAM, &c. De affectu eximio, qui ab re visa, dicebam bis, tum prima Æneide ad illud, *ipsius ante oculos.* tum vndecima ad illud,

Exclusi ante oculos lacrymantūmque ora parentum.

Oculis haurire. 9. HAVSIT.] Vt hîc *oculis hausit.* ita 4. Æneid.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto.

Dictum hoc ex cōmutatione sensuū. Nā propriè *aures hauriunt,* vt in 4. *his auribus hausi.* Sed ab auribus ad oculos. Locupletaui vberrimè rem hanc 2. Æneid ad illud, *clarescunt sonitus.* vbi claritas, quę est oculorum, datur sono, qui est aurium.

ἐκ διὰ θυμοῦ. 10. FVRIIS ACCENSVS ET IRA.] ἐκ διὰ θυμοῦ. id est, furiosa ira. Neque enim omnis ira furit. Vt *accendo* de ira, ita Liu. lib. 38. *Accendit ira animos eorum.* & lib. 42. *qua voce eum accensum restituisse.*

11. TVNE HINC SPOLIIS, &c.] Adumbrat verba Achillis ad Hectorem 22. Iliad.

Ἕκτορ, ἀτάρ που ἔφης Πατροκλῆ' ἐξεναρίζων
Σῶς ἔσσεσθ'; ———

Putabas fortè Hector Patroclum interficiens,
Saluum te fore? ———

12. PALLAS TE HOC VVLNERE, PALLAS IMMOLAT,] Claud. 1. Stil.

Pallantis iugulum Turno moriente piauit
Æneas. ———

Nō absimile facinus Virginij apud Liu. lib. 3. vbi post interfectam filiam respectans Appium. *Te, inquit, Appi, tuūmque caput sanguine hoc consecro.* Neque verò dubium, quin Virg. respexerit morem, quem satis aperui lib. 10. quo hostes mactabantur pro defunctis in bello, quod Plut. in vita Themist. dixit καλλιερεῖν, & κατθύειν. nam fiunt tanquam victimæ, & hostiæ. Notetur locutio Eurip. qui in Herc. loquēs de hominibus, qui tanquam victimæ offeruntur, dixit θύματα. cùm tamen sæpè alibi vsitatiore voce σφάγια. vt in Ione, σφάγια παρθένων κλαίειν.

Æneas defenditur ab cæde Turni. 13. FERRVM ADVERSO SVB PECTORE CONDIT.] Nonnulli interpretes quæstionem agitant, an Æneas vt pientissimus debuerit ita in hostem prostratū sæuire an illi potiùs parcere? Debuit verè sæuire, ac proinde absoluēdus Virg. hac calumnia. Iulius Scal. quæstionem expedit reiiciens factum hoc ad vltionē necessitudinum Sed hoc iā attuli in Explicatione. Modicius aliter liberat Virgilium ab hac calūnia, ex more gentium, quo putabant, animas interfectorum errare, & esse miseras, donec vltio accederet. Debuit ergo Æneas Pallanti amico, socio, benefactori plus, quàm Turno hosti.

Virg. defenditur. Ego viam aliam sequor, & puto nulla in re admirabiliorem Virgilium fuisse, quàm in Turni cæde.

Epica Tragœdia est. Epica omnis (qualē est opus Virgilianū) ad Tragicā refertur, imò ipsa Epica meta est Tragœdia, auctore Aristotele. Inde est, vt è duabus principibus personis (in Homero sunt Achilles, atq; Hector, in Virgilio Æneas, ac Turnus) altera debeat cadere necessariò in acie ad explendam perfectam Tragicā. Ita verò in re hac se gessit Virgilius, vt satis nequeam mirari. Tragica omnis destinatur ad affectus mouēdos, & excitanda πάθη. Hinc est, vt Turnum descripserit in toto opere nobilissimū, fortissimū, generosissimum, pulcherrimum, magna aggredientē, & maiora molientem, vt eùm postea in acie cadat, permoueatur qui legit, horreátque ad atrocem cædē, & indignam tanto Principe fortunam: nā nisi, qui cadit, abundet bonis animi, aut corporis, nullum excitabitur πάθος. Sed considerandum diligentissimè, vt ita affectus hic excitetur, vt qui cadit non dignior iudicetur victore ipso: hoc enim iam esset monstrum in Tragica; aut Epica. Hinc est, vt Ænean Virg. intulerit in toto opere non solùm nobilissimum, fortissimum, generosissimum, pulcherrimum, vt Turnū sed insuper dederit Æneæ pietatem, religionem, prudētiam, temperantiam, iustitiam, fidem, & virtutes reliquas, quæ sparsæ in tota Æneide. Vt ita interfectus Turnus animos cōmoueat, vt nō tamē dignior iudicetur interfectore Ænea. Aliter non esset fabula bene morata, quod ratio præscribit, & astruit Aristoteles Nam, si iustus & pius caderet, cōtra mores esset. Hinc est, vt quiuis lecto Virgilio clamet. Dignus erat Turnus vita, sed Æneas dignior: doleo pulcherrimum iuuenē Turnū interfectum, sed luat tamē pœnas temeritatis suæ, riualitatis, intercepti Regni, fracti fœderis. Summa est, in extremo actu mouendum affectum alterius principis personæ cæde, aliter non esset

esset Tragica: sed ita mouendum, vt non putes interfectum digniorem esse vita interfectore. Aduoco ad exemplum duos viros, qui errarunt, vt inde teneas prudentiã Maronis In vno peccauit Hom. in altero Ludo. Ariostus vir alioquin admirabilis. Hom. ergo cùm assumpserit Achillem atque Hectorem, etiamnum post tot secula Lector dubitat, vter dignior vita fuerit, &, si me cõsulis, dignior certè Hector. Nam Achilles sæpe impius inducitur, & etiam supra modum mollis, cum lacrymis præter decorum, aliquando vecors, temerarius, furiosus, præceps, factitans digna indignáque, fanda & infanda: cùm contrà Hector pius sit & religiosus, nunquam mollis, non lacrymabundus temperatus, mitis, & prudens, ac iustus: in fortitudine verò certè pares, ac proinde dignior vita Hector iudicabitur, & Homeri fabula non est bene morata. Pergo ad alterum. Debet Epica desinere in Tragicam, & cædem ad permouendum affectum, quem nullum mouet Ariostus. Nam quale est, vt ad extremam cædem seruauerit Rodamontum, quem Ruggierus interficit, hominem temerarium, præcipitem, stupratorem virginum, impium, abominandum ac nulla præditum virtute, tãtùm belluinis viribus præstantem? Hoc tantùm abest ab excitando affectu, vt potiùs, qui legunt, gaudeant tantam pestem abolitam. Vide, vt ab vtroque scopulo Virgilius cauerit, cùm & dignior vita Æneas interfector iudicetur propter egregias præstantésque virtutes: & affectus excitet interfectus Turnus propter præclaras corporis & fortunæ dotes. Hæc placuit scribere pro Marone, in cuius laudem cur non insudem? Absoluo tandem rem. Si Epica desinenda est in Tragicam, quî potuit molliùs Maro? *non Æneas, sed te Pallas immolat.* Nihil blandius mortalium excogitabunt ingenia. Nam illud, *parcere prostrato*, contra legem est Epicæ in extremo actu. Deinde, fractori fœderis, & pacis turbatori parcere, contra leges est humanas ac diuinas. Quid ille, si viueret: nónne iterum arderent belli incendia? Ergo fas fuit, ius fuit illum interfici. Quid tu volebas, qui Virgilio detrahis? an vt Turnus febricitans in lecto moreretur? Quis comprimeret illam belli scintillam, præsertim cùm videret delicias suas Lauiniam in alterius sinu? Certè si viuus Turnus euaderet, neque Æneas bello suo, neque Virgilius suo operi finem adhibuissent.

14. SOLVVNTVR FRIGORE MEMBRA.] Expressum verbum ψυχοῤῥαγεῖν ex Passeratio monet Germanus, vt libro primo.

Extemplo Æneæ soluuntur frigore membra.

Imitatio. 15. VITAQVE CVM GEMITV, &c.] Locus Hom. Iliad. 22.

Ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄϊδος δὲ βεβήκει,
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην:
Anima è membris ad manes abiit,
Gemens suum fatum, linquens robur & iuuentutem.

A Et notabis dici à Virg. *vita*, non triuialiter, cùm Homerus triuialiter *anima*, & *fugit*, non *abit*, vt Homerus.

16 CVM GEMITV.] Hesiod. in Scut. pugnas appellat suspiriosas à suspirio & gemitu cadentium, στονόεντας ἀέθλους. De Perseo in vita Æmil. ait Plut. ἀναστενάξας δὲ στεναγμὸν ἀφῆκεν, *miserrimum suspirium emisit.* & de moriente Clito percusso ab Alexãdro, πεσόντος δὲ μετὰ στεναγμοῦ καὶ βρυχήματος, *cadente illo cum gemitu & fremitu.* & de Demosthene in vita eius, καὶ στενάξας ἀφῆκε τὴν ψυχὴν: *& gemens emisit animam.* & de Pompeio Magno in Apophtheg. καὶ ἀλγήσας ξίφει, καὶ στενάξας ἅπαξ, εἰπὼν δὲ μηδὲν, &c. Homer. de Hippodamante 20. Iliad. Ὣς ἄρα τόν γ' ἐρυγόντα λίπ' ὀστέα θυμὸς ἀγήνωρ:

Sic huius mugientis reliquit ossa superbus animus.

Gemitus morientiũ.

Etenim gemitus fuit virorum fortium, vt contrà lacrymæ imbellium. Probo vtrumque etiamsi plusculis, B in extrema præsertim Nota. Primum de gemitu efficit Stat. lib. 7. Theb. qui inter reliqua, quæ eleganti quadam prosopopœia in domo Martis constituit, *Gemitum* annumerat, & personã facit, vt qui virorum sit fortium. Hinc Cyrill. Alex. Comm. in Ioëlem n. 42. veluti ad morem rem hanc confert. συμβαίνει γὰρ ἐν πολέμοις καταστένειν μὲν τοὺς πίπτοντας: *mos est in acie cadentibus gemitus fundere.* & Appian. in Libyc. quasi hoc annexum sit fortibus, qui in acie cadunt, ait πιπτόντων στόνος. Idem 2. Ciuil. prodigij loco narrat, in extrema pugna, qua victus Pompeius, & victor Cæsar, in tam numeroso exercitu non auditos fletus (οἰμωγαὶ, ait ille) cadentium, tantùm suspiria & gemitus, βρυχήματα καὶ στόνοι. Alterum de lacrymis, quæ imbellium sunt, & à quibus viri fortes abhorrebant, probant sequentia. C Cratesiclea virilis animi femina ad Cleomenem ita loquitur, vt in huius vita narrat Plut. ἄγε ὦ βασιλεῦ Λακεδαιμονίων, ὅπως ἐπὰν ἔξω γενώμεθα, μηδεὶς ἴδῃ δακρύοντας ἡμᾶς, μηδὲν ἀνάξιον τι τῆς Σπάρτης ποιοῦντας: *Age ô Rex Lacedæmoniorum, caue, vbi foras egressi erimus, nemo nos lacrymantes conspiciat, aut quid Sparta indignum facientes.* Inter laudes Periclis Plut. οὐδὲ κλαύσει. Orest. apud Eurip. in Taur. ita ait,

Gemitus virorum fortium.

Lacrymæ imbellium sunt.

Οὔ τι νομίζω σοφὸν, ὃς ἂν μέλλων θανεῖν
Οἴκτῳ τὸ δεῖμα τοὐλέθρου νικᾶν θέλῃ:
Non existimo sapientem, qui moriturus
Plorando vult vincere metum exitij.

De moriente Pompeio Lucan. lib. 8.

Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, & æternam fletu corrumpere famam.

Apud Nonnum lib. 23. cadit quispiam ὄμμασιν ἀκλαύτοισι, *oculis illacrymabilibus.* Apud Agathiam lib. 3. Hist. D Phartazes, cùm præcessisset mentio lacrymarum in morte, subiicit loquens de Gubaza viro & Rege Lazorum, ταῦτα γὰρ μοχθηραῖς μὲν ψυχαῖς καὶ ἀνάνδροις ἴσως ἀρκέσει, οὐ μὴν προσήκοντα τῷ βασιλεῖ, καὶ Λαζῶν, καὶ Γουβάζῃ: *Hac enim* (id est, lacrymæ & eiulatus) *vitiosis effeminatisque animis fortassis conueniant, neque adscribenda sunt Regi, & quidem Lazorum, atque adeò Gubazæ.*

FINIS LIB. XII.

INDEX PRIMVS VOCVM GRÆCARVM.

PRIMVS NVMERVS INDICAT LIBRVM Poëtæ: Secundus, eiusdem versum: Tertius, Notas nostras.

Μετα

INDEX

INDEX SECVNDVS RERVM ET VERBORVM.

B

C

E

F

G

Hospitis

L

M

N

O

P

Patens

Quod

T

Z

INDEX ERYTHRÆI VIRGILIANO OPERI

CVIVSLIBET IMPRESSIONIS

AB ANTONIO MARIA BASSO

Cremonenſi accommodatus.

E, Eclogam : G, Georgicorum : Æ, Æneidos librum deſignat.

C

calcus.

cicadis

concretam.

D

demens

didu

docuit

E

figi

fugite.

G

habe

impositis

Cerda in Æneid.tom.2.

iubas,

lituosque.

M

metuisse.

N

plebem,

poteſtas,

Cerda in Æneid. tom. 2.

Q

referun

ruens.

sarmenta.

sedent.

fonte.

EEEe spatus.

talem.

teucri

Cerda in Æneid.tom.2.

X

Z

FINIS.